UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu, Prælectionum Theologicarum Tomus ...

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione Et Anima

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae Et Dantisci, 1682

urn:nbn:de:hbz:466:1-95667

Visual Library


IHS

Th. 946a.
~~F. VIIII~~
~~4. 7.~~
T. IX. ~~8.~~
10

AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
PADERBORN
LEOSTR. 21

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆLECTIONES PHILOSOPHICÆ

DE

METAPHYSICA

ET

LOGICA

R.P. THOMÆ MŁODZIANOWSKI,
POLONI, SOCIETATIS JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ
DE
METAPHY-
SICA
ET
LOGICA
R. P. THOMÆ MILOSZEWSKI,
POLONI SOCIETATIS JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

THOMÆ MŁODZIANOWSKI,

POLONI, SOCIETATIS JESU,

PRÆLECTIONES

PHILOSOPHICÆ

SIVE OPERUM

TOMUS QUINTUS

DE

METAPHYSICA, LOGICA, OCTO LIBRIS PHYSICORUM, GENERATIONE, CORRUPTIONE ET ANIMA.

EDITIO SECUNDA

Collegij Soc. Pij Jesu AUCTIOR ET CORRECTIOR. Paderborna

Cum Gratia & Privilegio S. R. M. Poloniæ speciali ad quindecim annos.



MOGUNTIÆ ET DANTISCI

Apud SIMONES BECKENSTEINIOS.

Anno M DC LXXXII.

METAPHYSI-
CAE
DISPUTATIONES
IN LIBROS
ARISTOTELIS
DE
ANIMA.

SCIENTIAE SCIENTIARUM
Bernard.
DE
METAPHYSICA.
CONCIPIENTI DUO EXTREMA
DEUM ET HOMINEM
DE PRIMA,
MATRI CUJUS PRÆDICATUM VIRGO,
DE SECUNDA,
FORMÆ DEI, Auguſt.
DE TERTIA OPERATIONE,
DEI LOGICÆ, VERBUM TRACTANTI,
DE
LOGICA,
SPIRITUS SANCTI ORGANO,
DEUM EDENTI,
IN
ORGANUM ARISTOTELIS
PRÆLECTIONES PHILOSOPHICAS

Dictavit, dicavit

Mancipium ſuum

T. M. S. J.

† A ; APPRO-

APPROBATIO.

EGo infra scriptus libros Prælectionum Metaphysicæ & Logicæ Authore R. P. Thoma Młodzianovvski è Societ. JESU diligenti studio elucubratos, & à viris doctis ejusdem Societ. revisos, dignos censeo ut Typis mandari possint, cum nihil in iisdem sit quod Orthodoxæ fidei aut Legibus de impressione librorum adversetur. Datum Gedani in loco Residentiæ Nostræ Die 12. Mensis Aprilis, Anno 1668.

J. G. M. CIECHOLEWSKI
Abbas Pelplinensis Officialis Gedanensis & per Pomeraniam Generalis.

FACULTAS.

STANISLAUS WAPOWSKI SOCIET. JESU
V. Præpositus Provincialis per Poloniam.

CUm opus quod inscribitur Prælectiones Metaphysicæ & Logicæ à P. Thoma Młodzianovvski nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis homines recognoverint, & in lucem edi posse probaverint: potestate nobis facta ab Admodum Reverendo Patre Joanne Paulo Oliva præfatæ Societatis Generali Præposito, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinebit, ita videbitur. In cujus rei testimonium has literas manu nostra firmatas, sigilloque munitas dedimus. Cracoviæ 25. Iunii 1667.

STANISLAUS WAPOWSKI.

TRA-

TRACTATUS I.
METAPHYSICUS.

DISPUTATIO I.
De Ente in Communi.

PRÆMITTO I. *Explicationem quorundam terminorum*, quos usurpat Metaphysica, & ab ea cæteræ scientiæ eosdem mutuantur.

PRIMO explicandum est quid sit Ratio? Non accipienda hæc est pro potentia intellectiva, secundùm quam homo dici solet ratione præditus. Nec accipienda pro modofaciendi aliquid, ut cùm quærimus: quâ ratione hoc iter conficiendum erit? Major est difficultas, an non accipienda hîc sit Ratio, pro solo actu intellectûs, ut volunt Nominales, seu pro solo conceptu formali?

ASSERO I. *Rationem non debere accipi, prout hîc de illa, pro solo actu intellectus aut denominatione ab illo orta.*

RATIO. Tum quia, Philosophus clarè formam definit, *rationem ipsius quod quid erat esse*: Essentia autem, seu definitio objectivè accepta, non est denominatio extrinseca, aut merus actus nonnisi intellectus; sed est ipsummet rei esse, quod ipsum nemine cogitante est. Tum quia usus communis ly Ratio, non ad solas denominationes extrinsecas, quæ sint secundæ intentionis, sed & ad denominationes primæ intentionis applicat: Unde benè dicimus albedinem esse rationem albi. Tum quia ad ipsam rationem pro actu intellectus acceptam, possum adhibere in definitione tanquam genus, ly Ratio.

ASSERO II. *Non satis exactè rationem describi, quòd sit formaliter omne illud quod solum vel principaliter, tanquam aliquid simplex potest concipi.*

RATIO. Quia etiam explicatio hæc, per ordinem ad nostros conceptus explicat ly *Ratio:* Si autem nihil obsit deberet per alquid prius, & non ita respectivum explicari: nam explicationes debent esse per prima, prima autem (exceptis relationibus) non sunt respectiva, sed absoluta: dixi exceptis relationibus, quia illis primò essentialis est, ratio referendi.

ASSERO III. *Quamvis exacta definitio dari non possit hujus termini Ratio, posse tamen dari hanc; illud quod entis, objectivè acceptum.*

RATIO. Primæ partis Asserti est, quia ly *Ratio*, est ratio suprema, & si non esset ratio suprema, ipsa ratio suprema, non esset ratio suprema, quia non esset ratio. Quod si ly Ratio est ratio suprema, exacta definitione definiri non potest: suprema enim non habent genus proprium; hoc enim ipso suprema non essent, si haberent proprium genus; quia hoc ipso haberent propriè superius se: genus enim, semper est superius. Rursùs suprema, in ordine saltem ad nos, non habent differentiam propriam; quia intra suas differentias cum toto suo esse imbibuntur: hinc non habemus fundamentum advertendi, quam habeant differentiam à reliquis. Etenim verò quia videmus totum esse hominis non imbibi in Leone, multaq; videmus similia homini, ratione animalitatis, quæ tamen intellectu carent, facile nobis est advertere differentiam Leonis & Hominis. Jam autem supremarum rationum cùm non possumus deprehendere differentias proprias, & genera, nec invenire erit rigorosam definitionem.

Quòd autem benè describi possit per *illud quod entis objectivè acceptum.* Ratio est. Tum quia Aristoteles benè circumscribit essentiam *quod quid rei*; Ergò & ly Ratio, benè describitur per illud quod entis objectivè acceptum. Tum quia quando volumus explicare in particulari rationem aliquam, dicimus illam esse: *Illud quod.* Et ita si quæramus, quid est ratio formæ? Respondemus, est Illud quod se habet per modum actus: Si quæramus, quid est ratio cogniti? Respondemus, est Illud quod cognitio attingit; & sic de reliquis rationibus particula-

ribus: Ergò & Ratio ut sic, benè definietur per ly *Id quod*. Tum quia descriptio data convenit omni, soli, & semper. Quod ipsum ut probetur, explicandæ particulæ definitionis.

Dicitur Ratio esse *id quod objectivè acceptum*, quia ly *id quod* cùm verbaliter non sumatur, item cùm non sumatur pro nostro conceptu, debet habere rationem suam objectivam quamvis supremam, & ob defectum vocabulorum propriè non nominabilem: per illam ergò rationem objectivam, illius *id quod*, definimus rationem ut sic. Dicimus autem quod sit *illud quod Entis*. Ly Ens abstractissimè sumendo, & prout est quid commune etiam ad negationes, & non entia, quia ly *Ratio* etiam negationibus convenit: Unde quærere solemus in quonam ratio negationis consistat.

Secundo explicandum est; quid sit FORMALITAS?

Assero I. *Formalitatem non rectè describi, quòd sit ratio identificata objecto, adeoque quodlibet intelligibile entitativè cum altero idem, quod solum vel principaliter, tanquam aliquid simplex concipi potest.*

Ratio. Quia datur formalitas etiam ejus, quod simpliciter concipi non potest, nempe illius ipsius, quod simpliciter non potest concipi. Deinde multis applicatur terminus Formalitas, quæ non sunt identificata. Denique etiam ea quæ non principaliter concipi possunt, sunt etiam formalitas, ergò formalitas non rectè definitur per hoc, quod principaliter concipi potest.

Assero II. *Quòd ly Ratio, sit quid superius, & habens se per modum generis, ad formalitatem.*

Probatur. Quia rationes irrestrictæ semper sunt priores: Ly autem *Ratio* est quid irrestrictum, & sicut ens comparatum ad formam, est quid irrestrictum & superius, ita & ly *Ratio* comparatum ad formalitatem. Unde benè dicitur *formalitas, est ratio seu illud quod.*

Assero III. *Quòd pro differentia formalitatis possit accipi, habere se per modum actus, ita ut completa illius definitio sit. Illud quod, vel, Ratio habens se per modum actus, vel quod in idem recidit, est Actualitas secundùm quod ipsa.*

Ratio. Tum quia Forma rectè definitur per hoc, quòd sit actus, ergo & formalitas rectè definietur per hoc, quòd se habeat per modum actus. Tum quia si quæratur quæ sit formalitas quantitatis? Sensus est, per quid constituatur in suo esse & actu quantitas: Et sic de reliquis quæstionibus. Ergò apparet quòd etiam Ratio ut sic habeat se per modum actus. Tum quia si ita non explicetur formalitas, non explicabitur proportionatè ad notiorem nobis rationem formæ, ad cujus tamen proportionem dicitur formalitas.

Tertio. Explicandum est: quid sit *Res & Realitas*.

Sed hæc explicantur in materia de distinctione reali, ubi dico Rem esse concretum quoddam ex Ente & Ratitudine. Ratitudinem autem ipsam explico per firmitudinem quandam; firmata enim dicimus esse rata. Ipsa autem firmitudo illa, stat in independentia ad existendum sine alio saltem miraculosè: Hinc quantitas est res, quia saltem miraculosè, potest existere sine subjecto; non autem modus modalisticus.

Explicat. Duplici aliâ definitione Perez. Disp. 1. de Deo num. 16 Ens reale. Nempe, ens reale est id, quod à parte rei est unum, verum, bonum. Item, ens reale est principium distinctionis, motivum formale potentiæ intentionalis, & est id, à quo incipere possimus numerationem, estque primum fundamentum nominationis contradictoriæ; v. g. Petrus, non Petrus. Hæc explicatio impugnabitur infrà Q. 1.

Quarto. Explicandum est quid sit *Modus*, quid *Modalitas?* De his etiam infrà in materia de modali distinctione: hoc tantùm notari potest, quòd quamvis ly *Modus* & *Modalitas* pro eodem sumantur ex usu Philosophico, non sunt tamen idem rigorosè loquendo: Quia ly *Modus* importat concretum ex ente & modalitate; *Modalitas* autem ipsam formam constituentem illud concretum: ad eum modum, quo ipsa albedo licèt sit actus & forma, dicit concretum ex ente & albedineitate.

Quinto. Explicandum, quid est QUIDDITAS?

Assero I. Cum Aristotele 7. Metaphys. T. 11. Quòd *Quidditas sit Vnumquodque, quod secundùm se dicitur, tanquam id, in quo dicente ipsum, non est ipsum:* hoc est, *Quidditas, est formalitas illa, quæ competit objecto secundùm se spectato, non verò secundùm quod restrictè accipitur & affectè:* Hinc esse Musicum Petro, non est quidditas ejus, non competit enim ei secundùm se. Cæterùm, quia quidditas ex modo nostro concipiendi, est aliquid distinctum ab essentia: nam essentia nullum ordinem dicit ad nostros conceptus, quidditas autem dicit, est enim id per quod respondetur ad interrogationem. *Quid est?* quæ interrogatio spectat ad opus intellectûs: Hinc Aristoteles quidditatem non dicit unumquodque, quod secundùm se est, sed *unumquodque quòd, secundum se dicitur.* Ne tamen coincideret quidditas cum denominationibus extrinsecis, v. g. cogniti, dicit illam quidditatem esse *ipsum esse* (supple quoad rem) quamvis ex vi dicentis, non sit ipsum, sed distinctum.

Assero

Assero II. *Quidditatem dupliciter spectari posse, abstractè & concretè. Concretè* accepta est, *quod quid rei*, ut etiam aliàs ab Aristotele definitur. Accepta autem *abstractè* est *formalitas quod rei constituens.* Ad quod respexit S. Thomas 7. Metaphys. Lectione 4. Ubi censet humanitatem posse dici quidditatem hominis, sed non, quod quid erat esse. Debet autem potiùs poni quod quid erat esse, quàm quod quid est, ut sic ostendatur, essentias, cum quibus coincidit quidditas, esse æternas, adeoque absolventes à tempore; sicut etiam per Interpretes absolvit à tempore illud: *In Principio erat Verbum.* Communiori autem phrasi *Quidditas* dicitur, *id, per quod respondetur ad interrogationem Quid est?*

Assero III. *Quamvis v. g. esse Musicum non sit quod quid Petri, est tamen quod quid quà Musici.*

Ratio. Quia *Quod quid* coincidit cum essentia; de essentia autem Musici ut Musicus est, est esse Musicum. Quod ulteriùs in hoc fundatur, quia etiam accidentia habent suam essentiam, nec accidit accidentibus esse accidens.

Sexto. Explicandum quid est POSITIVITAS?

Assero I. *Non satis exactè explicari positivitatem, quòd sit affirmabilitas in suo esse non ex solo cognoscendi modo.* Quæ definitio ita solet explicari: imprimis quòd non debeat esse affirmatio ex solo cognoscendi modo, quia multa etiam de negationibus affirmantur, quæ tamen non sunt quid positivum, sed affirmantur ex solo cognoscendi modo. Debet autem esse affirmabilitas in suo esse & non in certo esse, quia Deus est ens positivum, neque tamen restrictum ad certam conditionem entis: Infinitum item syncategorematicum omnium possibilium, est quid positivum, non tamen restringitur ad certum genus. Nihilominus etiam cum hac explicatione non rectè definitur Positivitas.

Ratio, quia affirmabilitas pendet ab affirmatione, affirmatio ab intellectu; Positivitas autem entium est independens à nostro intellectu, illique præsuppositа; non ideò enim aliquid est positivum, quia affirmatur: sed ideò affirmatur, quia est positivum.

Assero II. *Positivitatem esse Formalitatem secundùm quod ipsum esse est.* Ly *formalitas* est genus: est enim quidpiam non ita universale, ac ratio adeoque vicinius genus. Ly autem *ipsum esse secundùm quod est* erit per modum differentiæ; debet autem hic ly *esse* accipi prout est quid superius ad esse essentiæ & esse existentiæ; nam utrique horum Positivitas convenit. Addidi autem formalitatem illam esse non quocunq; modo, sed secundùm quod ipsum esse est, quia negationibus potest aliquale esse competere. Unde dicitur aliqua entia esse negativa, quibus tamen objectis non competit esse secundùm quod ipsum esse est, sed competit esse negativum, imitativè ad verum esse.

Probatur assertum. Tum quia quotiescunque in particulari volumus explicare aliquam positivitatem, toties recurrimus ad ipsum esse secundùm quod esse est. Et ita si quæratur: quid est in re negatio irrationalitatis in homine? dicimus est ipsa formalitas esse rationalis, en recurritur ad esse quod est. Et sic de reliquis. Ergò & positivitas ut sic rectè explicabitur, per ipsum esse, secundùm quod est. Et certè sicut *Non* objectivum constituit negationem, ita Esse illi oppositam, constituit negationi oppositam positivitatem. Tum quia hæc descriptio convenit omni, soli, & semper positivitati, proceditque per prima: neq; enim in positivitate, est aliquid prius, ipso esse. Tum quia esse tollit negationem, seu tollit non esse, ergò esse bis, bis tollet negationem, adeoque commodum quid erit ad significandam positivitatem, quæ importat esse ipsius quandam radicationem; & quod evellit negatio, hoc ponit oppositа illi positivitas.

Assero III. *Ens positivum concretè acceptum, est ipsum ens quatenus dicit esse secundùm quod ipsum esse est.*

Restaret explicandum quid sit *Entitas* & *Ens.* Sed de hoc infrà.

Præmitto II. Explicationem aliquorum principiorum merè Metaphysicorum; dixi merè Metaphysicorum ad excludenda principia Logica; v. g. *Dici de omni, dici de nullo.*

Primum Principium est. *Quodlibet est vel non est.* Quod principium ut teneat.

Assero I. *Ly est vel non est non debere sumi contrariè.*

Ratio. Tum quia omnes contradictoriæ respiciunt hoc principium, & tamen contradictoriæ non sunt inter terminos contrarios. Tum quia falsificaretur hoc principium, nam de Angelo falsa est hæc propositio, *Est albus:* neque tamen vera est hæc contraria, *non est albus, h. e. niger.* Tum quia hîc exprimi debet maxima & latissima terminorum distantia, omnia suo ambitu complectens, & ad quam omnia revocentur; maximè autem distant esse & non esse negativè accepta.

Assero II. *Ly esse & non esse debere sumi in eadem suppositione.*

Ratio. Quia si non sumatur in eadem suppositione, poterit utrumque convenire vel neutrum, adeoque non inferretur ex eo quod sit falsum, esse, non esse.

Assero III. *His tribus terminis clarius vim dicti principii circumscribi, quòd debeat esse contradictio negando & affirmando idem, & quidem de eodem, & insuper ratione ejusdem. Idem,* ad servan-

servandam constantiam suppositionis, *de eodem*, ad servandam constantiam subjecti, *ratione ejusdem*, ad servandam constantiam formalitatis.

Secundum Principium est, *impossibile est idem esse & non esse*: circa quod.

Assero I. *Illud esse condistinctum à priori Principio.*

Ratio. Tum quia ita Aristoteles 4. Metaphysicorum à text. 9. ad 28. Tum quia diversa sunt ista, dicere, impossibile est ut idem vivat & non vivat: Et: quodlibet debet vivere aut non vivere. Tum quia particula *Et*, & particula *Vel* non possunt eundem formaliter sensum facere; Sicut alia est hæc propositio, Petrus vel est albus vel non albus; & alia, impossibile est ut quod est album, sit non album.

Assero II. *Hoc secundum principium esse universalius priori.*

Ratio. Quia si quis concedat Petrum v. g. vivere & concedat simul etiam non vivere, potest adhuc universaliùs probari. Impossibile est idem esse & non esse.

Dices I. Hoc principium est negativum; ergò non est primum: Omnis enim negatio in affirmatione fundatur: hoc autem principium erit primum. *Necesse est idem esse vel non esse.*

Respondetur. Quantumvis Necesse prius sit præ impossibili tanquam affirmativum præ negativo; quia tamen dari hîc debuit principium probativum per deductionem ad impossibile, quæ deductio non fundatur supra illud principium *Necesse est*, ideò commodiùs ponitur ly illud *impossibile est*.

Dices II. cum Mastrio Disp. 3. n. 55. In præsenti quæritur principium omnium primum; non esset autem omnium primum, si tantùm valeret ad deductionem ad impossibile.

Respond. Sicut datur aliquod omnium primum in aliquo genere, & categoria, non excludendo quominùs aliud sit omnium primum in alia Categoria; & sicut ly *Est*, est omnium primum in linea *Est*, & affirmativo objectivo, ly *non est* est omnium primum in linea *non est* & negativo objectivo: ita fieri potest, ut sit omnium primum illud principium in via deductionis ad impossibile, licèt relinquat locum alteri principio.

Dices III. cum eodem. Quia hic quæritur de principio non tantùm ad confirmandas conclusiones, sed etiam ad demonstrandas à priori.

Respondetur. Jam hoc haberi ab alio principio, de quo principio Asserto tertio, & in quo principio includitur illud affirmativum *Necesse est quod est esse, quod non est non esse.* Non ponitur tamen modalis quia omnis propositio modalis est resolubilis in propositionem de *Inesse* tanquam priorem.

Assero III. *Hoc ipso principio posse adhuc dari identicum quidem, sed altius & notius; v. g. Omne ens est ens.* Quod hoc principium sit altius.

Ratio est. Quia semper partes priores sunt toto: hoc autem principium est pars prioris. Quod autem sit notius. Ratio est, quia subjecto prædicatum, prædicato subjectum dat notitiam, crescitque quasi gradualiter, & de cætero per se notum est.

Dices I. Si hoc principium *omne Ens est Ens*, est primum; ergò etiam debet illi oppositum dari: *Omne non Ens, est non Ens.*

Respondetur. Concedendo dari: si tamen hæc inter se comparentur prius illud erit, quia affirmativum.

Dices II. Videtur hoc principium non esse distinctum ab hoc alio: *Quodlibet est vel non est*; ergò si illud non est primum, nec hoc est primum.

Respondetur. Non coincidere; quia illius principii, *quodlibet est*, pars est ipsum Ens, ergò quid prius illo: de qua ipsa parte jam quasi rationem totius habente enuntiatur illud ipsum de se Dicendo *Ens est Ens.*

Dices III. cum Mastrio cit. n. 53. Illud quod assumitur non potest habere rationem principii: quia principium completum dicitur tale in ordine ad aliquam veritatem inferendam, aut conclusionem probandam, sed ex propositione identica non potest syllogisticè inferri aliqua conclusio; nam syllogistica dispositio requirit diversos terminos.

Respondetur. Identica propositio non continens veritatem supremam cogitabilem, non est apta ad aliquid probandum; Si enim non sit veritas suprema, non potest per se ipsam probari; debet enim esse probatio per notius; quia autem suprema veritate cogitabili, nihil est notius, illa etiam identicè posita, probare poterit, quia illud quod debet probare, est inferius; evadit ergò apta ad illud probandum, tanquam quid superius inferiori: sed cùm non detur processus in infinitum in veritatibus, debebit deveniri ad principium se ipsum probans, adeoq; etiam identicum, eritq; adhuc tunc diversitas terminorum, quia medius terminus erit suprema veritas, alius autem terminus erit ex subjecto & prædicato illius propositionis, quæ probatur. Negari etiam potest, illam propositionem esse simpliciter identicam.

Dices IV. cum eodem. Licèt prædicatio identica sit certissima & verissima; est tamen prorsus ad scientiam inepta, quia per illam nihil notificatur ignotum.

Respond. Si aliquid sit certissimum & verissimum, qui jam erit ad scientiam ineptum; cùm scientia quærat certitudinem, veritatem, evidentiam? Quando autem identica propositio non sit apta ad scientiam immediatè dictum?

Dices

Dices V. cum eodem num. 52. Est valdè hallucinari, nullum ponendo discrimen inter primum principium, primamque propositionem: cùm enim principium complexum semper in aliqua propositione consistat, potest duobus modis considerari, vel quatenùs propositio simpliciter, vel quatenùs principium; si consideretur ut propositio, primitas ejus ex eo petenda, quia est affirmativa, quòd sit simplex, non modalis, quòd terminos habeat irresolubiles: in ratione autem principii primitas est attendenda, ut ita sit certum, ut circa illud non contingat errare, quod sit notissimum absolutè, quòd sit impossibile oppositum in mentem venire alicui.

Respondetur. Etiam his differentiis positis utrumque hoc salvatur in dicto principio; quod cæteroqui si utrumque salvat, & aliunde habeat se per modum superioris ad illud *impossibile est idem esse & non esse* adhuc erit absolutè primum: neque enim etiam circa illud principium contingit errare &c.

QUÆSTIO I.

De Ente secundùm se.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Ens.

Præmitto I. *Rigorosè loquendo aliud est Ens, & aliud Entitas.* *Entitas* enim potest concipi ut forma quædam hoc concretum quod est *Ens* constituens, & ipsum *Ens* erit concretum illud: sed usus invaluit hæc non distinguendi: puto ideò quia de entitate nihil speciale dici potest, quod non dicatur de ipso Ente tractando.

Præmitto II. *Varias esse acceptiones Entis.* I. Ens accipitur pro vero, sicut non Ens pro falso: qui enim dicit hominem esse animal, hoc dicit quod est Ens: qui autem dicit, hominem esse lapidem, dicit non ens: homo enim, est, non ens lapidis. Et hoc sensu ens dici potest etiam de non entibus & negationibus; quia etiam de his verum dici potest; vocaturque hoc ens complexum, ut videre est 4. Metaphys. textu 14. II. Accipi potest Ens incomplexum pro aliquo communi tam entibus positivis quàm negationibus. III. Potest accipi Ens restrictè jam ad esse positivi, accipiturque pro aliquo communi, tàm ad Ens nominaliter, quàm ad Ens participialiter acceptum. IV. Accipi potest Ens nominaliter & participialiter: participialiter acceptum idem est quod existens, ita ut ly *Ens* sit participium Verbi Sum, verbum autem Sum supponit pro existo. Ens autem nominaliter acceptum supponit pro summo prædicato entium positivorum: taliterque accepti entis in præsenti definitio requiritur.

Præmitto III. *Quomodo aliqui definiverint Ens nominaliter* acceptum?

Primo. Definiunt aliqui apud Oviedo *quòd sit omne illud quod Chimæra non est.* Hæc explicatio

Non Satisfacit. Tum quia ignotior est Chimæra, ipso Ente. Tum quia Chimæra est non Ens conceptum per modum Entis: Ergò Ens erit, quod non non est non ens conceptum per modum Entis: Triplico Non, ut faciam veram negativam, excludamque dubiam acceptionem: de hoc autem ipso quæritur, quid est illud ens per modum cujus Chimæra concipitur. Tum quia negatio omnis posterior est affirmatione, adeoque esse prius est non esse, quid enim negaret illud *Non?* Ergò Ens quod est affirmativum quid, debet esse prius aliqua negatione Chimæræ. Tum quia nihil positivum rectè definitur per negatam negationem sui, sed definiri debet per aliquid prius. Tum quia negatio Chimæræ vel fundatur in aliquo positivo, vel non fundatur? si fundatur in aliquo positivo, illud potiùs positivum erit definitio Entis: si autem illa negatio non fundatur in aliquo positivo, ergò illa negatio non est negatio; erit enim negatio negationis, & non negatio positivi; negatio autem negationis non est negatio, sed positivum quid, ulteriusque ex negatione positivi sequetur & inferetur positivum.

Secundo. Aliqui definiunt, *Ens est id quod primò in se formaliter non est nihil.* Hæc etiam Explicatio

Non Satisfacit. Tum quia contra illam sunt rationes adlatæ contra primam definitionem. Tum quia rationes quæ pro bonitate hujus definitionis possunt adferri non convincunt: nam quamvis per remotionem oppositi, præsertim simplicissima, benè explicari possint; id tamen tunc solùm verificatur, quando oppositum habet aliquam specialitatem per quam notificet sese, ut non adferat solam negationem. Sic v.g. Calor explicari aliquomodo potest quòd sit negatio frigoris; frigus enim aliquam habet specialitatem, ratione cujus notificare se potest. Si quis tamen explicare vellet quid sit Petrus, diceretq; quòd sit non Joannes, quem aliàs non nosco, nihil omninò explicaret. Quia autem *nihil* seu negatio Entis nihil habet specialitatis, per quam sese scientificè magis notificet; nec negatio hujus negationis, seu negatio nihil de ente dicta poterit notificare ipsum Ens. Si tamen negatio nihili aliunde notificetur, cùm nõ minus latè pateat ac ipsum Ens, utcunque illud notificaret. Unde etiam salvari posset illa phrasis Antonii Perez, qui volens significare *ipsum rei esse*, appellavit illud *ipsum rei Non non.*

Tertio

Tertio definiunt Alii cum utroque Suar. Arriaga, Ovied. & aliis: quòd *Ens sit id quod dicit aptitudinem ad existendum*. Hæc Explicatio

Non Satisfacit. Tum quia existentia est quid posterius & accidens, quoddam Metaphysicum: Ergò per illud tanquam per aliquid primum non rectè explicatur essentia entis; sicut non rectè explicaretur rationalitas per aptitudinem admirativitatis. Tum quia illa aptitudo non solùm est ad aliquid, sed alicujus, & hoc illud aliud quæritur: quid sit? Tum quia hîc quæritur definitio Entis nominaliter accepti; Ergò recurri non debet ad id, quod est de linea entis participialiter accepti.

Quarto. Perez Ens reale sic definit, duplicemque ejus definitionem assignat. Primò. *Ens reale est id quod à parte rei est unum, verum, bonum*. Secundò. *Ens reale est principium distinctionis, motivum formale potentiæ intentionalis*. Dicitur *est principium distinctionis*, quia est primum fundamentum nominationis contradictoriæ, & est id à quo possumus incipere numerationem. Et talis est v. g. Petrus in hac nominatione, Petrus, non Petrus. Est autem *motivum formale* cujus nomine intelligitur, id, propter quod aliquid aut cognoscitur, aut amatur. Est autem, *motivum potentiæ intentionalis*, quæ est duplex noscitiva & appetiva; utraque autem dividitur, prior in intellectum, & sensum; posterior in appetitum rationalem & sensitivum. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia supponit aliquid de quo ipso quæritur, supponit enim quòd illud principium debeat esse reale, de quo ipso quæritur quid sit? Quod autem id supponat, probatur: Quia potest dari etiam Ens intentionale reale prout opponitur ficto, esseq; principium intentionale distinctionis, motivum potentiæ intentionalis; Ergò cùm ita non sumatur in dictâ definitione, debet sumi principium reale, de quo ipso quæritur quid sit?

Non Satisfacit II. Quia si eandem definitionem ad clariores terminos reducas, faciet hunc sensum, quòd Ens reale, sit individuum, noscibile, vel appetibile; nihil enim in re est illud à quo incipit numeratio, ut etiam patet ex ipso exemplo allato, nisi individuum, quod solùm potest concipi à parte rei, & appeti: quo posito jam illa definitio non rectè procedit; quia ostendit potiùs subjecta quibus competant esse entia realia, quàm quid definitivè sint entia realia.

Non Satisfacit. III. Quia prius est ratione esse ens reale, quàm movere potentiam intentionalem: nam posteriores conceptus sunt, ad aliud; hoc autem quod est esse Ens, reale est in ordine ad se: Ergò hæc definitio non procedit per prima, adeoque bona non est. Tum quia movere istud, spectat ad verum, quod movet intellectum, & ad bonum quod movet voluntatem; verum autem & bonum, utpote attributa, non sunt primò definitiva Entis realis. Tum quia hoc quod est esse principium distinctionis, est esse principium alietatis, vel esse principium negationis identitatis; neutrum horum per primò constituet Ens reale: Non primum, quia priùs est me esse, & posteriùs, me aliud esse; quando autem quæritur quid sit Ens reale, quæritur de illo quod facit me prius esse: Esse etiam principium negationis identitatis, non est quid primum; cùm positiva in positivis, priora sint præ negationibus, adeoque principiis negationum, priora principia realitatum Tum quia esse id à quo incipere possumus numerationes, præsupponit ipsum illud à quo incipit numeratio, adeoque per prius constitutum. Ergò supponit Ens; quid enim aliud? de quo ipso quæritur, licèt ab illo incipiat numeratio, quid sit illud? Et sicut in cumulo militum, priùs est esse militem, postea incipi ab illo computationem; sic & in præsenti. Tum quia Unitas, definitivè est principium numeri, si ergò Ens reale definitur per id à quo incipit numeratio, definitur per unum, adeoque per aliquid posterius, sicut si definiatur homo, per risibile. Tum quia præsens definitio assumit aliqua, quæ non ita sunt dictu facilia: nam imprimis, cùm universaliora sint priora, quî illis non tribuitur, quod sint principium distinctionis, motivum formale potentiæ intentionalis? Rursùs supponatur impossibilitas potentiarum intentionalium, jamne per locum intrinsecum sequetur lapidem non esse ens reale? Tum quia in ipsomet ente, debet esse id quod cognoscitur, quod amatur, adeoque quod est objectum potentiarum intentionalium; neque in ipso hoc, primò cognoscitur quod sit cognoscibile, seu objicibile, sed id cui competit illud, de illo ergò ipso quæritur, quodnam sit illius constitutivum? & sicut definitivum hominis est animal rationale, quod ipsum, est quod primò cognoscitur, ita & in Ente, debet dari aliquid prius, quod primò cognoscatur. Certè illud ipsum quod cognoscitur non est nihil, quæritur ergò, quod sit illius constitutivum?

Dicendum est. *Ens nominaliter acceptum, est; Ens prout est radix, esse primò formaliter.*

Accipitur hîc pro genere *Ens* quia datur aliqua acceptio Entis, superior ente nominaliter accepto; hoc est, ipsum ens commune Enti nominaliter, & commune Enti participialiter accepto. Et sicut quamvis alicui Ly *animal* non esset notum; nihilominùs Ly *animal* benè potest accipi pro genere ad definitionem hominis; Ita quamvis alicui esset ignotum, Ens com-

commune ad ens nominaliter ac Ens participialiter, benè tamen ad ejus definitionem adhiberi potest. Et licèt in definitione hominis non possit pro genere accipi homo, quia ipso homine non datur universalior terminus qui sit homo; quia tamen talis universalitas reperitur in Ente, benè Ens ad definitionem Entis accipi potest. Accipitur item ad definitionem hic terminus *Radix*, quia caremus verbis ad significandum id, cui in ente debetur, ut primò formaliter, habeat esse. Ly autem *esse* accipiendum hîc non pro existere; nam Ens nominaliter non debet definiri per existere, quod spectat ad Ens participiale: sed accipitur esse prout est quid prius ipsâ essentiâ appropriatè dictâ; idque ideò quia essentia appropriatè dicta est quid inferiùs Ente, contrahensque Ens; Essentia enim est, tale in specie Ens. Accipitur itaque illic esse non tam pro infinitivo, quàm potiùs pro quodã abstracto formam quandam significante, non absimili modo, quo loco hujus *bona est dormitio*, dicimus *bonum est dormire*. Quod si abstractè & pro formâ Entis illud esse accipiatur clarior erit suo definito; quia non rarò concreta definivit Aristoteles per ipsa abstracta; unde etiam ad definitionem formandam tradidit Aristoteles methodum resolutivam. Et sicut notificatur simum per hoc, quod est nasus simus; album item quòd sit habens albedinem, ita & Ens per esse notificari poterit. Dicimus autem Ens esse *radicem primò & formaliter*, quia Ens exigit esse non per identitatem cum alio. Nec exigit esse nonnisi materialiter acceptum, sed exigit esse primò & formaliter, ut esse, nonnisi per identitatem cum illo, competat aliis.

Rejiciuntur hinc à definitione Entis Entia rationis, quia hæc non dicunt radicem ipsius esse primò formaliter, sed esse objectivè. Rejiciuntur negationes, quia hæc non sunt radix esse, sed non esse. Rejiciuntur formaliter connotativæ, quia illis competit esse nonnisi propter identitatem. Non rejiciuntur tamen accidentia realia, quia & hæc dicunt radicem esse primò formaliter, licèt comparata ad substantiam sint Entis potiùs, quàm Entia; dicunt tamen in se spectata radicem esse primò formaliter, quia non propter identitatem cum alio rationem Entis participant, quod proportionaliter ad modos entitativos applicari debet.

Quod si quæras? Quid sit ens *participialiter* acceptum? Definiri poterit, quòd sit *Ens prout habet primò formaliter existentiam*. Ens autem commune ad hoc utrumque est *Ens, cui competit esse indefinitè, & non restrictè illud accipiendo*; Denique Ens commune ad positiva & negativa est *id cui competit quomodocunque esse*. Pro genere ponitur particula *id*, quia Ente communi ad positiva & negativa, non datur aliud Ens, priùs ponibile in definitione.

DIFFICULTAS II.

Cui competat esse Ens formaliter?

NOn est controversia in præsenti, nisi de solis differentiis, an sint formaliter Ens? Huc aliqua spectantia petantur ex dictis in Logica: An differentiæ superiores includantur in inferioribus.

Punctum Difficultatis I.

Decidiur Quæsitum.

DICENDUM est I. *Differentias esse formaliter Ens, accipiendo illud contractè, determinatè &c.*

PROBARI solet I. Si Ens non transcenderet differentias, species Entis per hujusmodi differentias constitutæ, non ex omni parte essent entia, sed partim non Entia; Entia quidem secundùm unam partem nempe secundùm genus, non entia autem secundùm aliam partem, nempe secundùm differentiam: sed hoc est absurdum, quia sicut repugnat non ens, non ex omni parte esse non ens, ita repugnat esse ens, & non ex omni parte ens.

RESPONDERI potest, quòd argumentum probet benè quòd differentiæ etiam ultimæ sint Ens, sed non est quæstio de hoc, an sint ens? sed an sint ens formaliter? benè autem constitui potest aliquid ex ente formaliter, & ente materialiter. Et sicut negatio rugibilitatis in homine, dicit entitatem, propter identificationem cum homine; sic & rationem Entis dicere poterunt differentiæ, propter identitatem cum eo, quod est formaliter ens. Diceret etiam aliquis ex Pontio disp. 69. n. 25. differentiis convenire rationem Entis formaliter, sed non convenire ex ratione formali differentiarum.

PROBARI solet II. Species entis v. g. homo, nõ est alia Physica entitas à genere & differentia sese componentibus: Ergo differentia illius, si non est formaliter ens, nec ipsa species, esset ex omni parte ens.

RESPONDETUR. Ex antecedenti inferri tantùm posse nec ipsam speciem inadæquatè acceptam, esse ex omni parte ens formaliter, & sicut homo ut sit ex omni parte animal, id est, ut nihil sit reale in illo quod entitativè non sit animal, non est necesse ut etiam rationalitas illius sit formaliter animal, sed sufficit ut materialiter & identicè sit animal, ita etiam sufficit ut per identitatem, sint Ens differentiæ.

PROBARI solet III. Si ens non transcendit formaliter differentias, differentiæ essent formaliter non ens, adeoque nihil: hoc au-

tem est absurdum, quia repugnat differentiam essentialiter constitutivam non entis, esse formaliter ens; ergò commutatâ propositione, repugnabit differentiam essentialiter constitutivam entis, esse formaliter non ens.

Responderi potest. Hæc propositio *differentia est formaliter Ens* falsa est, sed etiam hæc altera, *differentia est formaliter non ens*, falsa itidem est. Nec enim sunt contradictoriæ: quia modus *Formaliter* in una propositione affirmatus non negatur in altera. Sed potiùs hæc erit contradictoria. *Differentia non est formaliter Ens*, quæ est vera. Cùm hoc autem stat ut differentiâ materialiter & identicè sit Ens. Si autem formaliter esset non ens, etiam identicam rationem Entis excluderet. Ad illam paritatem quod attinet dici potest. Entis quà entis non posse esse differentiam non ens formaliter: Entis tamen non quà entis, posse esse differentiam, id, quod non formaliter est ens. Disparitas in hoc stat, quia Ens non quà tale, potest per aliud differre & non per id, quod sit Ens formaliter, licèt ens quà tale, debeat differre per Ens formaliter: Si enim per hoc non differet, nullum aliud differentiæ suæ principium haberet; ens autem sine illa reduplicatione acceptum potest differre non per Ens formaliter, sed per Ens materialiter. *Hinc aliter.*

Probatur conclusio. Vel differentia condistincta ab aliis, quæ non sunt ipsa est formaliter id quod est, vel non est formaliter id quod est. Si non est formaliter id quod est: ergò contra principium lumine naturæ notum non quodlibet est quod est: Si autem differentia est formaliter id quod est; ergò habet esse formaliter quod est, ergò ulteriùs habet formaliter entitatem eam, quæ est ipsa; esse enim & entitas nullo modo distinguuntur: ergò ulteriùs est formaliter Ens illud contractum, quia per illud ens contractum non aliud intelligitur, quàm ipsum esse differentiæ ly *esse* nominaliter accipiendo.

Quod autem differentiæ secundùm ultimam rationem acceptæ competat esse ens participialiter, sic probatur. Differentia ultima existit formaliter etiam secundùm ultimam rationem; quia etiam secundùm ultimam differentiam est extra causas formaliter: Ergo si existit formaliter etiam secundùm ultimam rationem, secundùm illam erit formaliter ens participialiter.

Confirmatur I. Accipiamus ultimam differentiam prout condistinguitur à genere & quocunque alio, extrahamusque illam ab identitate cum aliis, ratione cujus identitatis dicitur participare rationem materialem Entis (quod suppono posse fieri ex materiâ de præcisionibus.) Quo posito, quæro, differentia ultima ita depurata, & in se præcisè spectata vel est ens, vel non est ens? Si est ens, vel est ens materialiter vel ens formaliter? Si hoc secundùm habetur intentum: si autem est ens materialiter, vel est ens materialiter ob identitatem cum eo quod est ens formaliter, & hoc non, quia supponitur præcisa omnis identitas cum alio. Si autem ex se est ens materialiter & non ratione alius, inferam nisi velis de voce contendere, esse ens formaliter: quomodo enim est aliquid ens, & tamen ens materialiter, si non est Ens ratione alius? se ipso enim includere entitatem, est per me, esse formaliter ens.

Confirmatur II. Vera est hæc propositio, *differentia ultima prout condistincta à reliqus apportat esse differentiale*: Ergò vera erit & hæc, *apportat esse*, adeoque infert ens, quia à propositione de tertio adjacente, tenet argumentatio, ad propositionem de secundo adjacente, proportionaliter accepto; Dixi proportionaliter accepto, quia non semper *est* supponit pro existit ut nec supponit in propositionibus æternæ Veritatis. Quod etiam fundatur in hoc alio principio, quia scilicet, priùs est esse, quàm tale esse. Ergò præsupponi debet in differentia esse differentiæ, & quidem differentiale esse formaliter; nihil enim est materialiter id quod est. Et cùm per Scotistas nihil possit existere existentiâ alienâ: hinc concedunt nobiscum propriam existentiam materiæ, negant humanitatem Christi existere existentiâ verbi &c. consequenter negare debent esse aliquod ens entitate alienâ.

Confirmatur. III. Differentia prout condistincta ab omnibus quibus identificatur, sumpta in reliquis prout est à parte rei, non est formaliter Ens rationis, sed potiùs formaliter non ens rationis. Quod si differentia formaliter non est ens rationis, ergò formaliter habet esse, & non tantùm objectivè, ergò debet esse ens formaliter.

Neque valet si dicas, differentiam sic sumptam, neque esse formaliter ens rationis, neque esse formaliter ens reale. Contra erit, quia hæc membra inevitabiliter, utpote consequenter contradictoria, debent convenire.

Fundatur. Hæc omnia ulteriùs in hoc discursu. Quæro; an differentia prout condistincta ab iis cum quibus identificatur habeat suam essentiam formaliter, vel non? si non habet, ergò differentia formaliter, non est differentia formaliter: non habet enim suam essentiam formaliter: Si autem differentia, habet formaliter suam essentiam; formaliter est ens; nam quid est essentia formaliter, nisi ens essentialiter formaliter. Deinde cùm essentia sit conceptu nostro aliquid posteriùs ente; quod scilicet dividitur in essentiam & existentiam, tanquam in sui species; si differentia participat formaliter rationem essentiæ, illâ

illâ mediante formaliter participabit rationem Entis.

Dicendum II. *Differentias non esse ens formaliter, accipiendo ens pro ratione communi Entis.*

Probatur I. Falsa est hæc propositio, *Conceptus differentiæ est conceptus Entis in communi*: Ergò vera est hæc contradictoria, *Conceptus differentiæ non est conceptus Entis in communi*, Ergò neque differentia est formaliter Ens in communi: Nam conceptus conformatur objecto; Antecedens probatur. Si conceptus differentiæ est conceptus entis in communi; ergò definitio differentiæ, est definitio Entis in communi; nihil enim intelligitur aliud per conceptum Entis quàm definitio ejusdem; definitio autem differentiæ in communi, non est definitio entis in communi.

Probatur II. Si differentia esset formaliter ens in communi & esset differentia, & non esset: esset, ut supponitur: Non esset autem. Tum quia ratio differendi in communi, non potest esse ratio conveniendi in communi; esset enim quod non est. Tum quia quod est formaliter ratio communis entis, participatur à differentiis. Ergò v. g. si rationalitas, quæ est differentia est ratio communis entis, participabitur à rugibilitate, quia illa est idem cum ratione communi entis. Tum quia si hoc dicatur quòd scilicet ratio communis entis, sit formaliter ratio communis differentiæ, etiam ratio hominis, poterit esse ratio bruti, si enim semel misceri possunt definitiones, ubique & semper misceri possunt.

Probatur III. Quia si differentia esset formaliter ens in communi. esset Ens in communi, vel pro statu reali, vel pro statu intentionali. Non primùm, quia nihil commune à parte rei existit, sed omnia particularia. Non etiam pro statu intentionali, quia pro statu intentionali indissolubiliter illa tantùm sunt unum, quæ se habent sicut definitio & definitum; jam autem ita se non habent differentia & Ens in communi.

Quæres. *Quomodo Ens contrahatur à differentiis?*

Respondetur. Nullam esse veram contractionem, & quæ sit nemine cogitante; quia illa ipsa membra, non sunt distincta nemine cogitante: Quod si quæratur de contractione ex modo concipiendi, illa adhuc subdividi potest: Differentia enim ut sic accepta, contrahit Ens per ipsummet Ens, prout est ratio differendi; per differentiam autem prout est à parte rei, contrahitur Ens per ipsummet Ens, hæcceisatum in quantùm est ratio differentiæ.

***

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur oppositis.

Objicitur I. Si differentiæ ultimæ essent ens formaliter, hoc ipso non essent differentiæ ultimæ. Quod probatur, differentiæ ultimæ quà tales excludunt determinabilitatem ulteriorem, adeoque omnem rationem communem: Ratio autem entis est ratio communis.

Respondetur. Conformiter ad conclusiones adlatas, quòd si differentiæ ultimæ, essent formaliter ens illud commune & irrestrictum, hoc ipso non essent ultimæ; secus si sint ens contractum, restrictum, hoc ipso enim, quia restrictum est, commune non est.

Objicit II. Pontius. Differentia contrahens ens præter rationem entis, vel includit aliquid aliud formaliter, vel nihil? Si nihil, ergò non potest esse differentia entis nec ratio distinguendi unum ab alio: Si aliquid includit: de illo ipso quæritur, utrum includat etiam rationem entis formaliter? Si includit, dabitur processus in infinitum: Si non includit, ergò neque prior includebat.

Repsondetur. Hoc ipso medio termino intentum nostrum probari: differentia quà ultima & prout condistincta ab his quibus identificatur vel est nihil: vel non est nihil? Si est nihil, ergò non potest esse differentia entis: Si non est nihil, ergò est ens prout ita condistincta; quia negatio nihili, est ens; duæ enim negationes faciunt unam affirmativam. Conformiter ad dicta in forma Respondetur. Differentiam ultimam ultra rationem contractam entis, nihil plus includere, cumque illa ratio contracta non sit ipsum nihil, poterit esse ratio distinguendi unum ab alio.

Instat I. Idem. Si differentiæ formalitas includeret ens & aliquid aliud formaliter, illud aliud potiùs esset differentia, quàm includens ipsummet ens.

Responsum. Jam, quòd differentia præter ens contractum nihil aliud habeat, quæ ipsa contractio est ex modo concipiendi.

Instat II. Idem. Si differentia includeret rationem entis non esset ultima, quia differentia ultima est illa, quæ facit ita differre, ut ipsa non differat per aliquid aliud; sed si includeret formaliter ens, non esset talis, quia includeret præter rationem entis per quam conveniret, includeret inquam, aliquid aliud, per quod differret à reliquis.

Respondetur. Si differentia esset formaliter ens illud commune, non esset ratio seipsa differendi; sed quia est formaliter ens nonnisi contractum, est ipsa ratio differendi.

Instat III. Si ultimæ differentiæ diverso respectu sunt ratio conveniendi, diverso ratio differendi, nihilo different à speciebus.

Respondetur. Convenient in hoc species & ultima differentia, quia utrumque est diverso respectu ratio differendi, diverso ratio conveniendi; sed in hoc different, imprimis, quia in specie, ratio differendi ab aliis speciebus, non est ipsa ratio cunveniendi cum aliis speciebus; Neque enim rationalitate homo convenit cum bruto, quæ formalitas rationalitatis, non est ipsa per ordinem ad nostros conceprus in re fundatos, animalitas, sed aliquod prædicatum ab ipsa animalitate, formaliter distinctum. Jam autem ratio conveniendi & differendi in individuatione non sunt prædicata inter se distincta. Rursùs quia ita est differentia specifica ratio disconveniendi, ut non sit ratio ipsa generica per solam hæcceitatem restricta; neque enim species constituitur, per hanc animalitatem, animalitatem ut sic contrahentem; sed contractivum longè est aliud, nempè rationalitas: Jam autem quando rationalitas specifica contrahitur, contrahitur non additione novi prædicati, extrahentis ultra essentiam rationalitatis; sed additur, nonnisi hæc rationalitas, ex quo ipso modo contrahendi differt ultima differentia à specie. Denique species ita est ratio differendi, ut sit ulteriùs contrahibilis per ipsam individuationem; jam autem individuatio non habet ulteriùs quo contrahatur.

Instat. IV. Si differentia includit ens, etiam Perfeitas includit; eritque Perfeitas ens per se, adeoque Perfeitas erit substantia.

Respondetur. Perfeitatem esse ens per se non concretum sed abstractum, secùs substantiam, quæ est ens per se concretum. Quod si per perfeitatem intelligas subsistentiam, Perfeitas erit ens per se per modum termini & complementi, adeoque non per modum substantiæ, quæ est quid complebile & terminabile.

Objicit III. In composito physico devenire est ad talem resolutionem partium, quatum neutra includat aliam: ergò & in composito metaphysico, consequenter in differentiæ resolutione devenire erit ad aliquid, quod non sit jam ens.

Respondetur. Pro accidenti non esse absurdum; Si enim una pars physica non inferat aliam non incipiet esse nihil; si autem in resolutione, differentia non includat ens, erit nihil; ne ergò sit differentia nihil, deveniri non poterit ad hoc, ne involvat ens.

Objicit IV. Pontius. Si differentia includit formaliter rationem entis, vel includit aliam communem entis ab eâ, quam contrahit, vel illam ipsam, quam contrahit: neutrum dici potest. Non potest imprimis includere eandem rationem entis quam contrahit, aliàs non esset contractiva; nihil enim est contractivum illius, quod formaliter includit. Non etiam aliam rationem entis, quia superfluè ponerentur formalitates plures entis in unaquaque re.

Respondetur. Etiam in homine animal est contractum, quæro, idemne quid est, an aliud à se contrahat? itemque dum à genere contrahitur ens. In forma autem dici potest contractionem hanc esse nonnisi ex modo concipiendi; possumus autem concipere ens ut sic, & idem particulare contrahens illud commune, estque hæc contractio ex modo concipiendi. Quod si quæras, quæ illic ratio ex modo concipiendi contrahatur? dico ratio communis per rationem, sed contrahendo illam non includit secum illam superioritatem, ita ut includat superiorem illam & illam inferiorem per quam fiebat contractio, sed tantùm est illamet ipsa: Quamvis autem nihil sit contractivum illius, quod formaliter includit contractione propriâ, reali & transitivâ; potest tamen esse contractivum contractione impropriâ ex modo concipiendi, & intransitiva.

Objicit V. idem. Nulla differentia, est illud, ratione cujus formaliter convenit alicui existere; ergò nulla differentia est formaliter ens. Consequentia probatur quia est à definitione ad definitum. Antecedens probatur. Quia formalitas ratione cujus convenit formaliter rebus omnibus existere, est ejusdem rationis in omnibus illis; sed differentiæ rerum non sunt ejusdem rationis.

Repsondetur negando Antecedens: Licèt autem formalitas ratione cujus convenit formaliter rebus existere, accepta secundùm rationem communem sit ejusdem rationis, non tamen accepta, secundùm rationes particulares.

Objiciuntur VI. Paritates aliquæ.

I. Paritas est. Genera non includuntur in differentiis; ergò neque ens; & tamen ens mediantibus generibus, descendit ad inferiora.

Respondetur. Si agatur de inclusione reali, certè genera includuntur in differentiis, si agatur de inclusione rationum communium, paritas tenet, quia sicut ratio communis generis, non est ratio communis differentiæ, ita nec ratio communis entis, est ratio communis differentiæ. Si autem agatur de hoc, quod differentiæ non sint formaliter genus consequenter nec formaliter erunt Ens. Disparitas erit. Quia nihil vetat Genus non includi in differentiis; vetat autem non includi ens in differentiis; quia aliàs essent nihil.

Quod

Quod autem dicitur ens mediis generibus descendere ad inferiora, hunc tantùm sensum habet, quòd non possit esse à parte rei; v. g. rationale nisi sit substantia; sed non facit hunc sensum, quòd à quibus potest præscindi & distingui ratio generica, ab illis etiam possit præscindi & distingui ratio particularis entis.

II. Paritas est. Ens non includitur in proprietatibus, v. g. uno; ergò nec in differentiis.

Respondetur. Si proprietates sumantur in recto, includunt inclusione ut dixi intransitivâ ens; sunt enim ipsum formaliter ens; sed cum variis connotatis. Secundùm autem id quod dicunt in obliquo, dicunt nonnisi ordinem ad ens; Imò cùm proprietas quæ est unum, dicat aliquam negationem & nihil divisionis, hoc ipso sub illa formalitate non debet dicere ens; differentia autem, non dicit pro formali nihil.

Objicitur VII. Si ens includeretur formaliter in differentiis, ideò includeretur ne differentiæ formaliter acceptæ sint nihil formaliter: Sed hæc ratio nihil probat; quia posset dici differentiam prout præcisam ab omnibus quibus identificatur neque esse ens formaliter, neque non ens formaliter; quod ipsum probatur. Natura in statu solitudinis, neque est divisa formaliter, sed solùm indivisa formaliter, sed solùm indivisa identicè: Substantia item secundùm se ipsam, neque est divisibilis, neque indivisibilis: Relationes item divinæ, neque sunt à se formaliter, neque ab alio, sed identicè sunt ens à se: Ergò idem dici poterit de differentia, ita præcisa, quod neque sit ens formaliter, neque non ens formaliter.

Respondet I. Recentior Suarez disparitatem dat, quia nisi intelligatur differentia pro illo statu esse ens, intelligi deberet sine suâ essentiâ reali: nam ens coincidit cum essentia reali. Si autem eo modo intelligantur, ea, quæ vult objectio, non intelligantur adhuc sine sua essentia reali.

Respondetur II. Quia si intelligeretur differentia pro statu solitudinis indivisa, nunquam divisibilis esse posset, in illo enim statu consideratur secundùm essentialia sua prædicata, quæ rei ubicunque conveniunt. Hinc si in illo statu indivisibilis esset, nunquam jam dividi posset. Et è converso si in illo statu divisibilis esset, jam nunquam posset esse indivisibilis; idemque dicendum de substantia; quod absurdum non sequeretur si sit in illo statu formaliter ens differentia, quia ubique, ex allatis rationibus, est ens, rationesque allatæ ostendunt, debere differentiam esse ens. Quod attinet ad relationes divinas illæ non possunt dicere abalietatem, alioqui DEO convenire non possent: Non etiam dicunt formaliter aseitatem; quia aseitas sequitur Deitatem, quam in sua virtualitate non important relationes. Denique si sumantur relationes formaliter, hoc est, secundùm suas rationes communes, sic nec aseitatem dicent, alioqui relatio non esset communis creaturis; nec dicent abalietatem, alioqui non convenirent DEO. Nullum autem absurdum, si ens, sit formaliter identificatum differentiis. Et rationes adlatæ probant identificationem.

Instabis. Duæ differentiæ vel conveniunt in ente vel non? Si non conveniunt, Ergò non sunt formaliter ens; si conveniunt, ergò non sunt ratio differendi.

Respond. Diverso respectu convenire in quantùm participant ex ratione communi entis; diverso autem non convenire, in quantùm scilicet reduplicativè accipiuntur, quâ scilicèt differentiæ, & quâ, hoc ens sunt: de quo in Logica, ubi de communi conceptu differentiarum.

Punctum Difficultatis 3.

Alia argumenta contra Conclusionem.

Pensanda argumenta Mastrii Disp. 2. Metaph. num. 179.

Objicit I. Mastrius. Contractio & determinatio entis per modos (de quibus illum leges hîc Disp. 2. qu. 6) cum fiat ad instar compositionis & additionis, sequitur necessariò, quòd ratio contracta sit extra rationem contrahentis. Consequentia patet, quia etiam genus in tantùm censetur esse extra rationem differentiæ, quia contractio generis per differentias fit per modum compositionis & additionis, & si non esset ratio contrahens, extra rationem contractam nulla fieret compositio.

Respondetur. Contractio fit nonnisi rationis communis entis, quæ etiam ratio communis Entis, non includitur formaliter in differentiis, sed ratio contracta entis, quam diximus includi in differentiis, non contrahit seipsam, si non contrahit, nec distinguitur à se; cùm hæc distinctio fuerit ex contractione desumpta, nec differentia est ipsum genus contractum, sed contrahit nonnisi aliam rationem, à qua etiam distinguitur; jam autem differentia est ipsum ens contractè sumptum, & sic sumptum est formaliter ipsa differentia. Per quod etiam respondetur ad Instantiam quæ illic adfertur. Directè ergò negatur, quòd ratio Entis inclusa in differentia, sit quæ contrahitur per differentiam, sed est illamet ipsa, quæ seipsam non contrahit.

Objicit II. Præciso conceptu relationis, res non sunt formaliter relativæ, præciso genere quantitatis, non sunt extensæ; ergò etiam

præcisa ratione Entis à differentiis, non erunt illæ formaliter Ens.

Respondetur. A differentiis præscindi posse rationem communem entis, nec differentiæ sunt formaliter ratio communis entis, hocque solùm probat ratio adlata; sed à differentiis non potest præscindi ratio contracta entis; cum sit ipsum esse differentiarum, quod esse differentiarum, à differentiis, non præscindit.

Objicit III. De modis dicitur quòd non sint entitas, sed entitatis modus, non esse propriè rem, sed esse modum rei; Ergò & de differentiis ultimis dici potest, quòd non sint ens formaliter, sed entis.

Respondetur. Quando dicitur modum non esse ens, subintelligitur ratum, sed entis rati modus, in quo nullum est absurdum, nec sequetur quod non sit modus, hoc quod est: sed si differentia non esset formaliter ens illud contractum, sequeretur quòd non sit hoc quod est; esse enim illam hoc quod est, est illa contracta ratio entis.

Objicit IV. Si differentia aliquo modo includeret rationem entis essentialiter, tunc ejus conceptus non foret simpliciter simplex.

Respondetur. Si includatur ens nonnisi contractum, adhuc erit conceptus differentiarum simpliciter simplex, quia non aliud illud erit, quàm ipsum esse differentiæ, quæ sibi ipsi, est quid simpliciter simplex.

Instabis. Proportionatè applicando id quod inibi adfert Mastr. si licèt distinguere ens contractum & determinatum, à ratione communi entis, ponereque quòd illa prior ratio entis includatur formaliter in differentiis, non verò hæc posterior, eodem jure dici poterit, genus ut sic non includi in differentiis formaliter, includi tamen rationem generis contractam.

Respondetur. Neg. Sequel. Ratio animalis contracta reperitur quidem in homine, & hæc ratio contracta, ut dictum alibi non potest præscindi ab homine, sed non est necesse ipsam rationem contractam generis, includi in differentiis, quio ratio hæc contracta animalis est hoc animal, hoc autem animal non est necesse esse formaliter per ordinem ad nostros conceptus rationale, quia licèt illud rationale per ordinem ad nostros conceptus non esset animal, adhuc esset quod est, adeoque esset adhuc rationale: Si autem ratio contracta entis non includeretur formaliter in differentiis, differentia non esset hoc quod est, esse enim illam hoc quod est (supple in talibus positivè, dixi positivè, nam non ens esse quod est non Ens, non est esse sed non esse) est esse illam ens formaliter.

Objicit V. Si differentiæ ultimæ includerent eas, cùm non sint omninò idem, erunt propriè differentes; quod si sunt differentes; aliis differentiis different; de quibus rursùs quæritur an includant ens, & ita dabitur processus in infinitum in differentiis, vel devenietur ad aliquas omninò non includentes ens quidditativè.

Respondetur. Cùm differentiæ ultimæ includant ens formaliter, restrictum & contractum, erunt adhuc non differentes aliis differentiis, sed se ipsis; si se ipsis, different adhuc illo ente contractè & determinatè sumpto; cùm illudens contractè sumptum, sit illud se ipsum differentiarum.

Instat. In compositione physica ita fit resolutio in actum ultimum & potentiam ultimam, ut nihil potentiæ includatur in actu, & è contra; Ergò & in compositione Metaphysica ita contingit, ut compositum hoc resolvatur in conceptum determinabilem tantùm, qui est entis, & determinativum tantùm, qui est ultimæ differentiæ.

Respond. Ex ente ut sic, & ex ratione differentiali fit compositio Metaphysica: Vnde & resolutio Metaphysica in hæc duo datur, sed ex ente contractè sumpto quod est ipsum esse differentiæ, & ex differentia non est compositio Metaphysica; quia nihil componitur ex se ipso, consequenter non debet fieri resolutio ut maneat differentia, sine ratione entis contractè sumpti. Disparitas etiam ex dictis assignari potest quia nullum absurdum est, si actus non sit potentia, potestque esse actus in suo esse, non includens potentiam; non potest autem esse differentia, sine esse differentiæ, adeoque sine ratione entis, contractè sumpti.

Objicit VI. Saltem ens non includitur in suis passionibus; quia subjectum quod est ens ex 7. Metaph. tex. 17. & 19. cadit in definitione passionis ut additum, jam autem quod definitur per aliud, tanquam per additamentum, non est de ipsius quidditate.

Respond. Ex eo quidem quia ens ponitur in definitione passionum ut additum, non colligitur, quòd sit de essentiâ illius: ad eũ modũ, quo dicitur accidens esse subjecti, subjectumq; non est de essentia accidentis; ex alio tamen capite sunt adhuc ens, quia etiam passiones sunt quod sunt; & hoc quidem procedit de veritate & bonitate, nam de unitate non sumpta secundùm id quod dicit in recto non potest dici quod sit ens, nisi illud latiori modo, prout se extendens etiam ad negationes explicando unitatem per negationes secundùm communiora principia.

Instat I. Propositiones non convertuntur ita, quòd si prædicatum dicatur de subjecto per se, non tamen è contra subjectum dicetur per se de prædicato; ergò ista est per se, Ens est unum, hæc alia, unum est ens, non poterit esse per se primi modi, sed quasi per accidens.

Re-

Respond. Quod unum non sit ens rigorosum, ut dictum suprà. Sed promovendo argumentum de bonitate & de veritate dici potest, quòd non eodem quidem modo passiones dicuntur de ente, ac ens de passionibus, non sequitur quòd passiones non sint ens, sed quòd alia sit comparatio illarum ad ens, quàm entis ad illas. Quanquam dici potest quòd hæc doctrina procedat de ente secundùm rationem irrestrictam sumpto.

Instabis II. Ens adæquatè dividitur in increatum, & decem prædicamenta, tanquam in ea, de quibus quidditativè prædicatur; passiones autem ejus non sunt ens increatum, nec aliquid ex decem generibus, & cùm æquè pateant sicut ipsum ens, hoc ipso ens, non poterit prædicari de suis passionibus velut de inferiori.

Respond. Id verum esse de ente contractè & determinatè sumpto, quod non est superius respectu passionum. An autem possit abstrahi à passionibus ratio entis ut sic, adeoque evadere illis universalior, alibi dicitur. Multi etiam negabunt, adæquatam esse hanc divisionem.

Instat III. Si passiones Entis ens includunt, utique non includunt ens solùm. Sed etiam aliquid aliud; alioquin idem esse passio sui ipsius, tunc quæritur de illo alio, an rursùs includat ens, & sic in infinitum procedemus, vel sistendum in aliquo non includente ens, & talis erit propriè passio entis.

Respond. Passiones non includunt ens contractè sumptum, sed sunt illud ipsum, nec sunt passiones entis contractè sumpti, quia nec sunt passiones sui ipsius; sed tantùm sunt passiones entis, secundùm se sumpti. Quam ipsam rationem communem cum contrahunt passiones non contrahunt contractione exclusivâ in se aliorum contrahentium, quasi scilicet veritas non sit bonitas, cùm tamen rationalitas non sit irrationalitas, contrahunt tamen per additionem prædicatorum.

Objicit VII. Modi per nos sunt ens entitate alterius; ergò idem dici poterit de differentiis ultimis, quòd sint ens identicè non formaliter.

Respond. Secundùm principia aliàs præjacta Negatur Antecedens.

DIFFICULTAS III.

De Conceptu entis secundùm se.

Quærendum hic imprimis erit: An possit dari conceptus entis perfectè unus? Deinde, an hic conceptus sit univocus an analogus? Unitatem conceptus entis adstruunt Suar. uterque, Arriaga, Ovied. cum Scotistis. Negat Vasquez Fonseca cum Thomistis. *Sit*

Punctum Difficultatis 1.

An possit dari conceptus Entis perfectè unus?

Dicendum est. *Posse dari conceptum Entis perfectum unum, h. e. ita præcisum à differentiis, ut nullæ in eo ex parte objecti intentionaliter accepti, reluceant differentiæ.*

Probatur I. Potest dari conceptus animalis perfectè unus, ut supponitur ex materia de Præcisionibus: Ergò poterit dari & entis conceptus perfectè unus ut circumscribitur: Disparitas quæ solet peti ex Analogia infrà attingetur.

Probatur II. Quando ego dico, *Deus est ens*; *Creatura est ens*, quæro, an sub objecto prædicati quod est *Ens* dicti de DEO involvatur creatura vel non? si involvitur; ergò falsa est prædicatio, quia Deus non est ens involvens aliquid creatum, nec subjecto inest prædicatum, cum prædicatum involvat aliquid creatum, subjectum autem nihil involvit creatum. Si autem in ente dicto de Deo non involvitur creatura; Ergò jam ille conceptus præscindit à creaturâ. Simile argumentum formetur ad probandum quòd ens dictum de creaturâ non involvat Deum, habebiturque intentum; nempe quòd ens præscindat à creato & increato. Idem judicium & argumentum formetur de aliis differentiis.

Respondebis I. Ens dictum de Deo non importare nisi entitatem particulariter acceptam, ita ut sensus sit, Deus est aliquod ens.

Contra. Tum quia animal dictum de inferioribus non singularisatur in prædicando ut probatur in Logica; ergò neque ens singularisabitur. Tum quia prædicatio hæc, *Deus est ens*; vel est prædicatio rationis superioris de inferiori, vel non est? Si est. Ergò ut salvetur rationem superiorem prædicari, dicta ppsitio hunc sensum facere non poterit, Deus est aliquod ens. Si autem non est prædicatio superioris de inferiori; Cur non? Tum quia. Ens est superius Deo & creaturis; non esset autem superius, si non diceretur tanquam superius, negatio enim dictionis tanquam alicujus superioris, argueret negationem esse superioris; nam dici, sequens ad omnia esse, ostendit conditionem esse. Quod autem ens sit superius Deo & creaturis, vel ipsa categoria entis ostendit.

Respondebis II. Ex parte objecti respondere illic differentias, sed illas non attingi ab actu formali, nec discerni.

Contra sunt illa omnia quæ in simili dicuntur in universalibus & in materia de præcisionibus. Propositio etiam hæc, Deus est ens, non tantùm est vera ex parte actus formalis,

sed etiam est vera ex parte objecti: falsa autem est ex parte objecti, si objectum ex parte sua importaret differentias, ut vidimus immediatè.

Probatur III. Conclusio. Si conceptus entis importaret differentias impossibile esset aliquid esse ens; hoc autem absurdum est. Sequela probatur. Si animal quantùm est de se importaret rationale impossibile esset, Leonem esse animal. Quod probatur, impossibile est Leonem esse rationale, ergò & impossibile esset esse id quod importat secum, quod est rationale. Hæc autem tota ratio probat simul, quòd si conceptus entis objectivus importat differentias, non posset esse aliquod ens, quia non posset importare omnes illas differentias, adeoq; nec involvere id, quod importat omnes differentias.

Respondebis. Animal ita contrahi, itemq; Ens ad differentias, ut non tota illius ratio contrahatur, sed tantùm in quantùm importat Rugibile.

Contra. Quia si potest ita contrahi ens, ut non contrahatur nisi in quantum est rugibile. Ergò multò magis præscindere, poterit ab omnibus aliis differentiis; minùs enim potest contractio, quàm præcisio intentionalis. Deinde hoc ipso concederes distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica in Creatis: quia distinctionem in ordine ad contrahi, & non contrahi.

Confirmatur Conclusio. Posito quòd ex parte objecti respondeant in ente differentiæ, quæro an definitio Entis sit definitio rationalis v. g. vel non? Si non, ergò ex parte objecti præscindunt; nihil enim aliud intelligitur per objecta quæ inter se præscindere possunt, nisi objecta, quæ definitionibus differunt: Si autem definitio Entis est definitio rationalis? Ergò cui competet esse ens, eidem competet esse rationale, quod falsum est.

Objicitur I. Differentiæ non possunt separari à ratione Entis. Ergo nec potest fieri præcisio ex vi cujus differentiæ maneant sine ente; Ergò nec præcisio fieri potest ex vi cujus ens, non maneat in differentiis; Ergo ulterius ex vi cujus præcisionis, ens, sit separatum à differentiis: si enim esset separatum à differentiis, differentiæ essent sine ente, sine ente autem esse non possunt propter dicta suprà.

Respondetur. Conformiter ad jam dicta. Rationem entis in differentiis dupliciter spectari posse. 1. Rationem contractam. 2. Rationem communem fundamentaliter ut dicitur in Logicis. Prior illa ratio præscindi non potest, ut dicitur in Logica, cujus insuper hæc ratio reddi potest, quia ratio contracta quà talis, si capax esset præcisionis quà talis, fieret communis, quà talis; quà talis autem non potest fieri communis: sicut enim rationale non potest fieri brutum; ita nec contractum quà tale, fieri potest commune. Quod autem fieret tunc illa ratio communis exinde colligitur, quia separata ab aliâ comparte, non esset unde jam contraheretur. Quod si non potest separari ratio contracta entis à differentiis, quantumvis ratio communis entis separetur à differentiis, manebunt illæ ens, ratione entitatis contractæ, inseparabilis ab iisdem.

Instabis. Definitio universalis, est definitio particularium; ergò & definitio entis ut sic, erit definitio differentiarum? sed nihil per nos potest præscindere suâ definitione; ergò nec potest præscindere ab ente & è converso.

Respond. Certum esse quod ratio communis entis, non sit ratio communis differentiarum; aliàs cui conveniret ratio communis entis, conveniret etiam ratio differentiæ, quod falsum est. Si autem ratio communis Entis, non est ratio communis differentiarum non possunt inter se comparari sicut definitio & definitum. Directè autem ad Argumentum hoc dici potest; scilicet dupliciter particulari sub aliqua ratione universali spectari posse. 1. Ut inferiora, ut ita dicam, ejusdem rationis: Sic animal est universale & definitio illius est definitio Petri in quantum est animal. 2. Ut inferiora diversæ rationis, tale inferius est Petrus, Bucephalus, quà talis contentus sub animali. Quo posito verum est definitionem universalis, esse definitionem particularium ejusdem rationis, sed non esse definitionem particularium diversæ rationis: Ita etiam definitio entis est definitio differentiarum ut ens sunt, sed non quà differentiæ sunt.

Objicitur II. Non potest dari ratio communis sapientiæ creatæ & increatæ, ergò nec ratio communis enti creato & increato. Antecedens probatur. Ratio communis sapientiæ creatæ & increatæ, vel esset distincta realiter, vel per rationem à ratione communi justitiæ. Si per rationem, ergò non est communis etiam creatæ, quia creata sapientia distinguitur realiter à creata justitia: Si autem est distincta realiter, ergò non est communis etiam sapientiæ, itemque justitiæ divinæ, quia hæ in increatis distinguuntur nonnisi per rationem.

Respondetur. Rationes communes spectari posse dupliciter, primò accipiendo illas pro ipsa cognitione formali & actu intellectûs nostri, & sic acceptæ sunt distinctæ realiter; quia & nostræ cogitationes sunt distinctæ realiter: & hæc acceptio conceptuum communium, illorumque distinctio, nihil confert ad præsens. 2. Possunt accipi rationes communes objectivè, prout, scilicet sunt objectum illarum notitiarum. Et sic neque sunt distinctæ realiter, neque per rationem propriè: Non sunt distinctæ realiter, quia distinctio realis vel est in statu physico, vel nonnisi per ordinem ad

illum

illum habetur: Jam autem rationes communes ad statum Metaphysicum spectant. Deinde distinctio realis est distinctio rerum; hinc pro priori debet aliquid prius præsupponi, quòd sit res, & pro posteriori, quòd sit distinctum realiter. Quia ergò rationes communes, non suet res; nam esse rem, est prædicatum physicum, & statûs Physici, pro quo statu non sumuntur tunc rationes communes: Unde etiam rationes communes sunt essentiæ rerum, essentiæ autem rerum, sunt æternæ & tamen nulla res est ab æterno præter Deum: Apparet ergò rationes communes non posse dici res, adeoque nec distinctas realiter. Non etiam pro illo statu rationes communes sunt distinctæ per rationem, quia nemine cogitante ratio communis hujus, non est ratio communis illius; licèt enim ipse status communitatis, non habeatur nisi dependenter à nostris intentionibus depurantibus differentias; illis tamen depuratis, & in illo statu constitutâ ratione communi, sive ego id cogitem, sive non cogitem, distinguentur illæ inter se; in quo etiam sensu dicimus illas distingui ex natura rei, & quidem nomine cogitante, positâ tantùm cognitione, quæ illas res statuat in statu illo intentionali, in quo, ex naturâ rei res spectantur. Ulteriùs quòd illæ rationes communes neque realiter neque ratione propriè distinguantur in hoc principium referri debet; quia rationes illæ communes nihil aliud sunt nisi ipsa prædicata essentialia, quia ergò prædicata essentialia sapientiæ nec exigunt distinctionem solius rationis à justitia, nec etiam nonnisi realem propter rationem in objectione allatam, fit, ut pro illo statu rationes communes, nec sint distinctæ realiter, nec per solam rationem. Licèt autem non teneam distinctionem mediam inter realem & rationis sensu aliàs dato, teneo tamen distinctiones multas, quæ partim sunt revocabiles ad realem, partim ad rationis distinctionem.

Instabis. Ex hoc adhuc non posse dari rationem communem sapientiæ creatæ & increatæ, adeoque nec rationem communem entis communis Deo & creaturis, quia ens dividitur immediatè in creatum & increatum, ergò antequam intelligatur descendere ad sapientiam, intelligetur jam contracta, ad ens creatum vel increatum: Ergò non potest intelligi indifferens ad sapientiam creatam & increatam.

Respondetur. Divisiones entis varias haberi posse, pro multiplici modo concipiendi ens, & ejus identificationem; ita ut in uno genere divisionis, sic, & in alio aliter concipiatur descendere. Hinc in alia divisione poterit concipi sapientia indifferens ad esse creatæ vel increatæ: Eamque sic format Oviedo: Ens aliud est intellectivum aliud, non intellectivum: Rursùs intellectivum aliud est habituale aliud actuale: Rursùs actuale aliud est apprehensio seu non sapientia, aliud est sapientia: Rursùs sapientia alia creata, alia increata. En indifferentem sapientiam in divisione entis, indifferentem, inquam, ad esse creatæ vel increatæ. Dici etiam posset quòd pro statu physico non sit sapientia indifferens ad esse creatæ vel increatæ, non tamen pro statu metaphysico.

Objicitur III. Analoga attributionis v. g. sanum non habent conceptum perfectè unum: ergò neque Ens.

Respondetur. De duobus in præsenti quæri posse, an Analoga attributionis possint habere conceptum perfectè unum ad particularia analoga attributionis, v. g. ad sanum, & ad aliud, simile, v. g. calefactivum, dictum de hypocausto, de pellibus, de cibis &c. & sic possunt habere conceptum perfectè unum, hoc est, talem, in quo nec sanum nec calefactivum reluceat. Si autem sit quæstio, an ipsum sanum unà cum suis Analogatis sumptum possit habere conceptum perfectè unum, hoc jam negabitur, importat enim plura. Applica id ad præsens, nempe Ens posse habere conceptum perfectè unum, si sumatur tanquam ratio communis ad inferiora, licèt non habeat conceptum perfectè unum, si sumatur unà cum suis differentiis. Addo ex Mastrio idem sentiente de analogia attributionis Disp. 2. Log. n. 73. non habere quidem conceptum communem, in quo adunentur hæc analoga, habere tamen connexionem rationum particularium secundùm esse objectivum: habent enim inter se habitudinem qualem non dicunt æquivoca, prædicaturque analogum de pluribus non secundùm unam rationem, sed secundùm diversas, habitudinem tamen licèt diversam, habentes. Addo ulteriùs sicut definiuntur relativa quæ habent conceptum perfectè unum respectu particularium relativorum; ita tamen ut ipse conceptus relativi dicat Aliud, est enim ad aliud: ita analoga attributionis ad particularia analoga habent conceptum perfectè unum; licèt ipsum in se non sit unum, si secundùm diversas habitudines spectetur.

Argumenta Reliqua in contra.

Perstringo hic Objectiones, quas colligit Mastrius Disp. 2. Met. à num. 40.

Objicit IV. Pasqualius, Ens non est quid superius ad Deum, & ad creaturam, ergò nec conceptus illius est unus. Antecedens probat. Tota ratio entis reperitur in Deo, ergò nequit esse quid superius Deo, & creaturâ, quia ratio superior, est universalior quocunque inferiori, quare non debet talis ratio reperiri in uno tantùm extremo, sed debet excedere. Quod autem tota ratio entis reperiatur

tur in Deo, probatur, quia Deus est ens per essentiam, nimirum tale ens ut nequeat esse aliquid ens nisi participando de hoc esse per essentiam: cùm ergò Deus sit ens per essentiam, tota ratio entis reperitur in ipso.

Respondetur. Negando Antecedens cum suâ probatione; quamvis autem Deus sit ens per essentiam, tota ratio entis reperitur in ipso causativè, tanquam in causâ primâ reliquorum entium; sed non tota participativè; cur ergò à Deo & creaturis tanquam participativis entibus non poterit ejusdem entis, dari abstractio?

Instat I. Ratio communis ita se habet respectu inferiorum, ut immediatè descendat ad ipsa, at ratio entis non descendit immediatè ad Deum, & creaturas; sed priùs est in Deo, ut propria illius, deinde creatura participat esse ab ipso ut Deus est; Ergò nequit esse quid commune Deo & creaturæ.

Respond. Majorem esse veram de ratione communi univoca, non autem analoga; nam in analogis, datur aliquid principale, participativum rationis communis.

Instat II. Ens ponitur contrahi ad Deum, & creaturam per infinitum & finitum, & priùs ad Deum, quam ad creaturam; ergò jam tota ratio entis totaliter à Deo absorbebitur; quia infinitas est modus totalitatis, ita ut contrahat totum, & totaliter, aliàs finitum esset, aliquid enim remaneret, quod non contraheret.

Respond. Imprimis ex dictis quòd detur divisio entis non immediatè in finitum & infinitum, ut dictum suprà; sed casu quo dividatur immediatè in finitum & infinitum, non sequitur adhuc intentum argumenti; imprimis quia licèt contrahatur Ens per infinitum, verè tamen dividitur adhuc ens in infinitum & finitum, si dividitur, debet in illo contineri; nullum enim divisum per hæc dividitur, in quibus non continetur. Rursùs quamvis Deus verè physicè sit infinitus, nihil obest quominus adhuc creaturæ verè physicè sint ens, nec per hoc destruitur infinitudo divina, etiamsi præter illud sit aliquod ens finitum, idque realiter & physicè existens, multò magis non destruitur infinitudo divina, pro statu divisionis Metaphysico, quantumvis intelligatur etiam creatura ens. Directè ergò ad argumentum dici potest, per prius, hoc est, tanquam per dignius contrahi ens ab infinito, causalitate & excellentiâ quàm à finito & dependente; quâ contractione positâ excluditur quodcunque aliud ens à ratione causæ primæ omnium, sed non excluditur contentivitas generis divisi in inferioribus; nec esset Deus infinitum quid in genere causæ primæ; si quid præter Deum esset causa prima; erit tamen infinitum in genere entis, quamvis dentur creaturæ, quæ sint entia.

Objicit V. Cùm ratio communis ad inferiora descendit, per oppositas differentias dividitur, quæ se invicem excludunt, & non est una causativa alterius; quia tunc non essent simul naturâ, sed una supponeret rliam: at tota ratio creaturæ continetur in Deo eminenter, & ab ipso causatur; ergo non potest esse ratio divisiva entis, ita ut sit differentia, oppositа, cum Deitate, respectu entis ut sic.

Respondetur. Quando ratio communis dividitur per oppositas differentias, debent se illæ excludere quoad modum participandi rationem divisam, sed non excludere quoad participationem rationis divisæ; quæ hîc est ens, adeoque à dividentibus membris participabile. Rursùs si sit divisio in membra altissima, & suprema, pro statu quidem divisionis, non erit unum membrum causativum alterius, quia hîc hæ omnes rationes præscindi possunt; potest tamen esse causativum, pro statu physico; deinde etiam causans & causatum quoad relationem possunt esse simul naturâ, cur ergò sic in præsenti non ponentur? Addo possum benè dividere ignem in genitum & generantem, ex quo sequitur posse unum membrum divisionis, esse causam alterius.

Instat I. Ratio communis enuntiari potest indifferenter de quocunque inferiori, sed non potest enuntiari de Deo & creatura ens, quia aliàs esse participatum prædicaretur de Deo, & esse imparticipatum de creatura.

Respond. Cum illud ens abstrahat à participato & participante, non sequitur, quòd ratio participata, prædicanda sit de Deo.

Instat II. Ratio communis saltem explicitè non dicit differentiam inferiorum, at nihil potest concipi in Deo & creaturâ, quod sit extra esse creatum & increatum; nam creatura, etiam secundùm primam rationem entis, quâ constituitur, est quid participatum à Deo, & non tantùm accipit tale esse, sed etiam esse.

Respond. Creaturam etiam secundùm primam rationem entis physicè spectatam esse quid participatum, physicèque accipit non tantùm tale esse, sed etiam esse. Cæterùm creatura, secundùm primam rationem entis metaphysicè spectatam, non est quid participatum, nec ad illud esse ut sic, pro illo signo, terminatur actio divina.

Instat III. ex Scoto. Naturas quoque universales concomitanter produci, cumque ratio participati adæquet totum esse creaturæ, & ratio imparticipati, totum esse Dei, fit ut omnis formalitas in eis reperta, sit talis vel talis.

Respond. Naturas universales ut sunt in singularibus concomitanter produci, sed non spectatas in statu Metaphysico; & præcisas, ratioque participati adæquat totum esse creaturæ physicè spectatæ, sed non spectatæ metaphysicè, quia de illa dici potest, ratio, præscindens ab esse participato.

Objicit

Objicit VI. Deus & creatura non conveniunt in ratione communissima Entis; quia quæ reperitur in creatura est intrinsecè participans; quia etiam esse & non tantùm tale esse, accipit creatura à Deo: ratio autem entis in Deo est participata.

Respond. Rationem communissimam, si physicè spectetur, esse participantem, secùs si spectetur Metaphysicè, & pro statu præcisionis.

Instabis. I. Ratio entis quæ præscindere dicitur à Deo & creaturâ, vel est ab alio vel à se; si à se, est imparticipata; si ab alio participata.

Respond. Rationem illam præcisam, si physicè spectetur, esse vel à se vel ab alio, sed ab his, metaphysicè spectata, præscindit.

Instabis II. Esse ens, est habere esse; implicat autem concipere habere esse, quod neq; sit à se neque ab alio.

Respond. Licèt implicet concipere habere esse, quod physicè neque sit à se, ueque ab alio, sed non repugnat concipere habere esse sumptum pro ratione essendi, quæ metaphysicè neque sit à se, neque ab alio.

Instabis III. Deus secundùm totum suum esse adæquatè sumptum, est simplicissimus; ergò & ipsa formalitas entis ut sic in Deo, erit de se, hæc; & si potest ratio entis à singularibus præscindi, sequitur quod est in Deo, posse non esse Deum: Si enim ratio entis quæ reperitur in Deo non sit hæc, sed indifferens ad Deum & creaturam, in quantùm est de se, poterit esse in creatura, & sic non esset Deus, nisi extrinsecè & per accidens.

Respond. Deum secundùm totum suum esse physicè spectatum esse simplicissimum, sed non metaphysicè & secundùm præcisas rationes spectatum, sequeturque quòd aliquid quod est in Deo metaphysicâ præcisione, possit non esse Deus, non tamen physicè, eritque illa ratio physicè, adeoq; non extrinsecè Deus, sed metaphysicè potest depurari ab esse Dei, quæ depuratio est extrinseca rei physicè spectatæ, & per accidens: oppositum ergò potiùs sequitur quod per se sit Deus, per accidens non Deus.

Objicit VII. Sequuntur ex hac sententia absurda.

I. Sequitur aliquid esse prius & simplicius Deo; realitas enim constituens, est prior & simpliciorre constitutâ.

Respond. Esse aliquid prius metaphysicè & simplicius Deo, sed non prius & simplicius realiter & physicè.

II. Absurdum. Sequitur in Deo dari compositionem metaphysicam.

Respond. Cùm illa compositionem non sit futura actu nemine cogitante, sed per opus intellectûs; hinc cum fundamento in re, concedimus in Deo talem compositionem.

III. Absurdum; Sequitur non distare Deum & creatum in infinitum, & non esse primò diversa.

Respond. Distabunt Deus, & creatura infinitè physicè & erunt primò diversa physicè, licèt non primò diversa metaphysicè: hæc enim primò diversa physicè & simul metaphysicè sunt ens & non ens. Jam autem creaturæ non competit ut sit non Ens, sed ut sit Ens ab alio, si competit esse Ens creaturæ, non erit Non-Ens, si non erit Non-Ens, non erit primò diversum quid, à Deo.

IV. Absurdum. Sequitur dari medium inter contradictoria, nempe creatum & increatum; tale enim medium erit illa ratio.

Respond. Creatum & increatum si sumatur Ly increatum negativè sunt contradictoria, sed tunc Ly increatum non supponet pro Deo solo, & ad hoc membrum nempe Ly increatum negativè sumptum, revocabitur ratio communis Entis, consequenter non erit quid medium inter contradictoria: sed si Ly increatum sumatur positivè, erit inter creatum & increatum, medium quid, Ratio communis Entis; non est autem absurdum, dari quid medium inter duo membra positiva contraria. Advertit etiam Mastrius, quòd illa ratio à creato & increato contingenter & necessariò præscindat, & quod sit neutrum formaliter, utrumq; permissivè; & addit: ut passim dicitur de aliis conceptibus communibus, respectu contrahentium.

V. Absurdum. Dari aliquid independentius Deo, nam rationes superiores non dependent ab inferioribus.

Respond. Dari aliquid Metaphysicè independentius Deo; sed non physicè: quanquam nec metaphysicè dabitur aliquid magis independens Deo, nomine independentis intelligendo causam physicam primam, hoc enim soli Deo competit.

Punctum Difficultatis 2.

An Conceptus ille entis sit Analogus?

Præcipuum fundamentum negandi unitatem conceptus repræsentativi entis ut sic, est istud, quòd scilicet Ens sit analogum, adeoque, unum perfectè conceptum, habere non possit; eò quòd ille conceptus sit ratio conveniendi & differendi, quod autem est ratio conveniendi & differendi, non est perfectè unum. Sed hoc fundamentum duplici ratione invalidari potest. I. Dicendo quòd quamvis ens analogum esset, posset tamen habere conceptum perfectè unum, quia nihil est magis analogum ipsâ analogiâ, & tamen hoc non obstante, analogia habet conceptnm perfectè unum. II. Negando ens, analogum esse cum Scotistis, contra quos sentiunt Thomistæ non pauci. Tentando insuper aliam viam.

Dicen-

Probatur I. Quia si ens pro statu illo esset analogum, esset analogum, vel propter dependentiam, quia scilicet per prius participatur à Deo, per posterius à creatura: vel esset analogum propter transcendentiam: neque enim sunt alii ens analogandi modi: neutro modo pro illo statu præcisionis est analogum. Ergò pro illo statu non est analogum. Quod propter dependentiam non sit analogum. Probatur. Tum quia hæc dependentia solùm est pro statu physico, & reali; nam ens absolutum in statu præcisionis, sola primò essentialia importat, dependentia autem illa, non importatur tanquam quid essentiale, saltem primò, ab Entibus absolutis. Tum quia non est ratio cur genus aliquod divisum, non possit concipi sine membris, in quæ dividitur. Tum quia ut ait Oviedo dependentia secundùm se, non importat analogiam, quia à potentia vitali actus dependet, item forma materialis à materia, & hoc non obstante, univocè de illis ratio materialis dicitur. Quod propter transcendentiam non sit ille conceptus analogus, probat non paucis Arriaga. Quæ refutavit Oviedo Controv. 1. Metaph. L. 7. num. 7. Sed intentum sic probatur. Ens in statu, & pro statu præcisionis, non dicit ullam transcendentiam: ergò in illo, & pro illo statu per transcendentiam analogari non potest. Antecedens probatur. Pro statu præcisionis abstrahit à differentiis, ut probatum suprà, ergò & abstrahit à transcendentia differentiarum: aliàs si non abstraheret à transcendentia differentiarum, & abstraheret à differentiis & non abstraheret.

Probatur II. Posito quòd possit fieri conceptus unus entis, ut dictum suprà, conceptus ille non potest dicere pro illo statu prioritatem & posterioritatem, itemque transcendentiam; consequenter nec dicet analogativum entis. Sequela probatur. Quia si pro illo statu diceret Ens prioritates & transcendentias, essentialis illa esset Enti; nam pro illo statu sola essentialia dicit ens, sed non est enti essentialis illa prioritas & transcendentia; quia quod est essentiale enti, ens ubique illud secum trahit; sed rationem posterioris v. g. non ubique secum defert; quod probatur: quia ratio illa posterioris est ratio creati, hanc non ubique secum defert, quia non defert illam ad, & in Deitatem, aliàs esset aliqua ratio in Deo, quæ ex essentia sua, esset creata.

Probatur III. Antequam ens habeat rationem prioris & posterioris &c. aut illam exigat, vel habet per quid constituitur illud ipsum exigitivum, vel non habet? si non habet quidquam, quomodo est exigitivum illarum rationum? si habet quidquam; quæro illud ipsum, vel dicit rationem prioris & posterioris; vel non dicit? Si dicit, ergò antequam dicat rationem prioris & posterioris, jam illam dicit: si autem pro illo priori antequam dicat exigentiam prioris & posterioris, non dicit rationem prioris & posterioris; ergò pro illo priori non est analogum; quia non habet principia analogativa. Jam autem in statu præcisionis spectatum ens, est illud, quod antecedit differentias prioris & posterioris.

Respondebis Quòd illud exigitivum habeat antecedenter, rationem exigitivi radicaliter, non formaliter.

Contra. Potest præscindi ab ente ratio exigitivi formaliter, ergò & ratio exigitivi radicaliter, sumpta respectivè.

Objicitur I. Auctoritas Aristotelis, qui ens appellat Analogum 4. Metaph. c. 7.

Respondetur. Problematicum fuisse in hac materia Aristotelem 7. enim Metaphysicorum c. 4. tractans de Ente ait: *Sed hæc*, inquit, *quidem quomodocunque dicere quis velit nihil refert.* Quando verò per prius dicit ens participari à substantia, quàm ab accidenti, agnoscit prioritatem dignitatis, sed hæc non fundat analogiam; nisi illam quam appellavit Cajetanus inæqualis perfectionis, & sicut inæqualiter quoad dignitatem & perfectionem participatur animal à rationali, quàm à grunnibili; nihilominùs animal univocum est; ita & in præsenti, quam etiam solam analogiam admisit S. Thomas, nisi velis absolutè concedere illum fuisse in oppositâ sententiâ.

Objicitur II. Si ens non est Analogum, sequitur respectu Dei & creaturarum dari Genus, nempè Ens vel substantiam

Respondetur. Expresè S. Damas. in Element. c. 8. docet. Substantiam, esse Genus respectu Dei & creaturarum. Posset etiam dici, ut vult Pontius, ens respectu Dei non esse genus in quantùm Genus dicit aliquam limitationem & imperfectionem: vel denique quando negatur dari genus commune Deo, & Creaturis, res est de genere quod sit & Creaturis, & Deo proximum, non autem de generibus remotis.

Objicitur III. Ex nostra sententia sequitur etiam æquivoca habere conceptum univocum: quia quando concipio *Ly risus* nullæ apparent differentiæ.

Respond. De hoc alibi in materia de æquivocis actum, & in materia de conceptu uno individuorum; quamvis autem in conceptu Ly *risus* nullæ apparent differentiæ; quia tamen ratio risus prædicabilis de inferioribus, non est ratio presè unâ definitione definibilis, nec est ratio risûs abstracta à convenientibus à parte rei in aliquo reali prædicato; ideò risus sic sumptus, est Analogus. Jam autem Ens pro statu præcisionis sumptum, est unâ definitione definibile.

Instabis. Sequi saltem ex hac doctrina nulla dari prædicata transcendentia.

Respondetur. Dari aliqua prædicata tran-

transcendentia; quia dantur, quæ etiam de differentiis dici possunt in sensu formali, quomodo animalitas in sensu formali, non dicitur de rationalitate.

Aliter eidem difficultati respondet Arriaga, dari prædicata transcendentia, quia dantur prædicata universalissima, quæ continent sub se alia genera; ita ut illud genus quod non continet sub se aliud genus, dicatur non transcendens.

Objicitur IV. Ratio entis ut contracta in differentiis est diversa: Ergò ratio entis, non est omnium eadem.

Respondet Oviedo distinguendo consequẽs. Ergò ratio entis sub nomine entis, non est eadem, Nego: sub nomine differentiarum, concedo.

Ex præjactis jam fundamentis dici potest; rationem entis pro statu præcisionis præcisè esse eandem, non extrà, secundùm explicanda.

Objicitur V. Ens eo modo est participabile, quo illud differentiæ participare possunt, sed differentiæ illud nonnisi inæqualiter possunt participare; ergò & illud est nonnisi inæqualiter participabile, adeoque analogicè.

Respond. Imprimis argumentum multũ probare. Probat enim animal esse analogum, quia illud non æqualiter participatur à talpâ & homine. Deinde videtur procedere à non supponente, supponit enim quòd pro statu præcisionis importet participabilitatem actualem, à qua præscindit in illo statu. Denique dici potest in æqualitate entis, sub ratione entis omnia convenire, sed non convenire sub ratione aliûs nominis, essetque inæqualitatem sub nomine differentiarum.

Dicendum est II. *Analogiam entis non posse desumi ex statu reali entis.*

Probatur I. Differẽtiæ quas importat animal pro statu reali non destruunt ejus univocationẽ, ergò nec differentiæ pro statu reali importatæ ab ente, destruunt ejus univocationẽ: vel si mavis dicere, animal pro statu reali idẽtificatur differẽtiis, nec ejus univocatio desumitur à statu reali: ergò nec analogia entis desumitur à statu reali: ita enim in statu reali identificatur differentiis, sicut & ens.

Respondebis. disparitatẽ esse. Quia in statu reali, tota differẽtia desumitur animalis ex differẽtiis.

Contra est. Quia etiam tota differentia entis non ex ente, sed ex tali differentia desumitur.

Probatur II. Nec univocatio nec analogia debet attendi penes statum realem; ergò quamvis pro statu reali dicat ens differentias, non inde debet argui esse analogum. Antecedens probatur. Quia penes illum statum & univocatio & analogia est spectanda, penes quem statum importat rationem communis; quia tam analogum quàm univocum, definitur per Ly ratio communis, ratio autem communis non habẽtur in statu reali.

Probatur III. Ex hoc ipso quia analogia, univocatio, æquivocatio, dicitur importare commune nomen, jam involvitur mentis nostræ operatio, & non præcisè status realis; nam nomen commune importat impositionem humanam, quæ actum intellectûs, secum trahit. Quia tamen ordinariè apprehenditur ens tanquam quid analogum, ut hoc explicetur, *sit*

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo salvari possit Analogia Entis?

Dicendum est. *Ratio illa quæ fuit abstracta, si comparatè sumatur ad ea, de quibus prædicatur, est ratio analoga.*

Explicatur Conclusio. Ens in triplici statu considerari potest, I. in statu reali, & pro hoc statu nec rationem univoci, nec rationem Analogi dicit. II. Potest considerari in statu puræ præcisionis, & in hoc statu cùm nullæ lateant differentiæ, non potest illa ratio, pro illo statu, esse ratio conveniendi & differendi. III. Potest considerari ens, in quantùm post præcisionem entis fit comparatio ejus tam ad differentias, quàm ad convenientias. Et in hoc statu, jam non præscindit à differentiis, sed illas respicit; nam dicet aliquid necessariò connexum cum differentiis, quia dicet comparari ad differentias, comparari autem ad differentias importat differentias; *His positis*

Probatur I. Conclusio. Ideò ens in statu abstractionis, quâ tali spectatu non est analogum; quia pro illo statu quâ tali præscindit à differentiis, & eas non importat; ergò cùm comparativè ad differentias sumitur, easque importat jam erit analogum.

Confirmatur. Tum quia quod sub eodẽ nomine importat & aliquid commune & differens, est ratio Analoga, ut notum noscenti naturã Analogiæ. Jam autem ens, ut descriptum est, acceptum, habet hæc omnia. Ergò. Tum quia, actus comparativus universalis præcisi, dejicit illud ad rationem importantis differentias; ergò & actus comparans ens ad differentias, dejicit illud, à ratione univoci. Antecedẽs videatur infra in Logica.

Probatur II. Quòd *rationalitas sit formaliter animalitas*, falsa est propositio, vera autem hæc *rationalitas est formaliter entitas*, quæ propositio vera non esset, si ens comparativè sumptũ ad differentias, non esset etiam ratio differendi, adeoque si non esset quid analogum, cùm aliàs supponatur ens. esse ratio etiam conveniendi.

Probatur III. Per omnem Philosophiam datur ratio analoga, si autem ens comparativè sumptum ad differentias quibus inesse potest deque illis prædicari, non esset analogum, nulla alia ratio posset esse analoga; quâ enim ratione tu ductus, dices ens sic sumptum non esse analogum, eâdem ego dicam sanum, non esse quid analogũ.

Ubi Vides. Sub quâ formalitate ens sit analogum, est enim analogum comparativè ad convenientias & differentias sumptum.

Objicitur I. Quod non est analogum, non potest prædicari ut analogum, dici enim sequitur ad esse; & sicut quod non est univocum, non potest prædicari ut univocum, sic nec quod non est analogum &c. Sed ens non esse analogum, probatur. Quia in statu reali non est analogum, dicitur enim analogiam à statu reali non sumi. Non est etiam analogum in statu intentionali, quia pro statu abstractionis tribuitur illi univocatio, ergò in nullo statuens illud erit analogum.

Respondetur. Esse ens analogũ non quomodocunq; spectatum in statu intentionali, sed comparativè ad differentias; ita ut proximè fuerit per abstractionem communis, comparationeq; primùm ad differentias, acquirat rationẽ differendi.

Instabis I. Quãdo prædicatur ens vel illud prædicatur ens quod est abstractum à differentiis vel non illud, si illud, ergò prædicatur univocum; nam illud abstractum, est univocum: Si non idem prædicatur, ergò non prædicatur ratio entis, quia ratio entis maximè in illo statu apparet.

Respondetur. Imprimis idem quidem ens prædicari, sed non eodem modo sumptum, ad eum planè modum, quo prædicatur quidem universale in essendo, sed non eodem modo sumptum; sed in quantùm habet formalitatem universalis in prædicando. Deinde intentum conclusionis est, hoc solùm dicere, quòd comparativè ad differentias sumptum ens, non sit univocum, nec contra hoc stat ista instantia. Directiùs tamen ad argumentũ accedendo dici potest, dupliciter posse ens prædicari de differentiis, primò sine ullâ comparatione ad inferiora, & sic prædicatur ut univocum. II. Si sumatur comparativè ad differentias, & sic prædicatur ut analogum; ad eum modum quo ipsum animal si sumatur præcisè, nulla importat inferiora; si autem sumatur comparatè ad inferiora, non abstrahit ab iisdem; de quo in Logicâ ubi agimus de aptitudine universalis & de ejusdem unitate.

Instabis II. Quando dico differentia est ens, vel in Ly ens importantur differentiæ, vel non importantur? Si non importantur, ergò est univocum: Si importantur, ergò falsa est illa propositio, differentia est ens; quia hoc prædicatum dicit aliquid quod non dicit subjectum, differentia enim una, non includit alias differentias; quas tamen per te, ens dictum de differentiis includit.

Respond. Distinctas has esse propositiones, Ens quod prædicatur esse analogum, & ens quod cõparatur, ad ea de quibus prædicatur, est analogũ. Secunda propositio vera est: Prima autem falsa est: Ordinariè enim ens quod prædicatur de differentiis univocum est: quia ordinariè prædicatur ut aliquid universalissimum & abstractissimũ, in sua autẽ abstractione, non importat differẽtias.

Instabis III. Ergò aliter sumitur ens, dum prædicatur de differentiis, & aliter dum accipitur comparativè ad ea de quibus prædicari potest.

Respondetur. Quòd aliter, & dum prædicatur, ordinariè prædicatur universale; comparativè autem sumptum si prædicetur, particularem nonnisi propositionem facit.

Notandum. Insuper hic est quòd illud ens ut sic acceptum & prædicabile de suis inferioribus importet comparabilitatem sui ad differentias, sicut & universale prædicabilitatẽ de inferioribus. Et sicut prædicabilitas, ita & comparabilitas dupliciter spectari potest. Primò tanquam positiva aliqua ratio, sic sumpta dicit exigentiam ad comparari vel prædicari, sicque sumpta prædicabilitas dicit inferiora, destruitq; univocationem, quia dicit id quod dicit ordinem cum inferioribus. Secũdò spectari potest prædicabilitas & comparabilitas negativa, in quãtùm illa ratio utpote communis, patitur se comparari ad multa, deq; illis prædicari, sic sumpta non importat differentias, habetq; se potiùs per modũ necessarii prærequisiti ut prædicari vel comparari possit, quia per illam abstractionem extrahitur à statu reali, in quo non datur ulla ratio communis, quæ sola comparari potest; nec tamen exigit positivè illam sui comparationẽ; quia nihil refert, ut ita dicam, illi enti abstracto, quòd accedat illi alter ille actus comparativus, vel non accedat.

Objicitur II. Quòd semel est univocum, semper est univocum, ergò nec ens unquam jam erit analogum.

Respond. Falsum esse antecedẽs. Quia Ly Canis si sumatur per ordinem ad latrabile est univocum, & tamen non semper est quid univocum, casu scilicet quo comparetur etiam ad natativum, quod est piscis. Addo quod semel est univocum, semper est univocũ, servatâ ratione propter quam est univocũ, quæ non servatur si comparetur Ens ad differentias, non servatur inquam ex dictis rationibus; ad eum modum quo & animal habet cõceptum præcisum à differentiis, definit tamen esse tale & non involvens differentias, si comparetur ad differentias. Breviter ergò ens pro statu abstractionis est univocum, quia in hoc statu nec ipsum dicit differentias, nec importat aliquid connexum cum differentiis; si autem sumatur comparativè ad differentias, ipsa comparatio cum differentiis, est connexa cum differentiis.

Objicitur III. Licet animal prout est à parte rei sit ratio conveniendi; in quantùm autem idẽtificatur rationali sit ratio differendi, tamen animalitas est quid univocum, ergò etiam ens in quantum cõparatur ad differentias erit univocũ.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia ratio analogiæ non spectatur penes statum realem, status autem entis comparativè ad ea de quibus prædicari potest, est status intentionalis, quid enim comparativum est nisi nostra intentio? Quod si analogia ex statu reali non desumitur, cùm non nisi in statu reali animal identificetur differentiis, nonnisi in statu reali erit ratio etiam differendi. Nec unquam sub nomine animalitatis dicitur de differentiis formaliter, secus ens. Unde sub nomine animalis non est ratio differendi.

Cæte-

Cæterum posset quis alia via salvare Analogiam Entis, est tamen dicere, quòd Analoga habeant conceptum perfectè unum; nempe quia præscindunt & ab hoc & ab illo particulari analogo, & per hoc salvatur, quòd habeatur conceptum perfectè unum. Quia tamen illa ratio ut sic, est abstracta à rationibus conveniendi & differendi sub eodem nomine ipsa etiam erit, ut sic ratio conveniendi & differendi, adeoque Analoga, cùm Analogum, sit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine.

QUÆSTIO II.

De Ente prout possibile est.

PRÆMITTO I. *Possibile dupliciter spectari potest.* I. ut contraponitur, actu existenti; & sic Anti Christus dicitur possibilis. II. Ut est quid commune, tam actu existenti, quàm ei quod non existit, quamvis ei non repugnet existentia, & in eo sensu quod existit, dicitur esse possibile, ut existat. Prioris generis possibilitas non competit Deo, cujus esse est existere; non competeret item creaturæ, quæ ab æterno existeret, nisi pro priori rationis, in quo concipitur potuisse non esse, cùm liberè producta sit. Secunda autem possibilitas competit Deo, & creaturæ, etiam ab æterno existenti, & omni ei, quod chimæra non est. Prior illa possiblitas vocatur possibilitas physica, posterior possibilitas Logica.

PRÆMITTO II. *Quòd possibilitas physica duo dicat.* 1. Formalitatem possibilitatis sibi communē cum possibili Logico, & per hanc distinguitur ab omni eo quod ens rationis est. 2. Importat convenientiam actualis existentiæ. Sed circa hoc subest aliqua difficultas. Si enim possibilitas dicit carentiam suæ actualis existentiæ, hoc ipso dicet carentiam sui, nam existentia rei non distinguitur à re.

EXPLICARI potest I. Ex Oviedo hîc Puncto 1. n. 15. quòd scilicèt aliud sit dicere ens possibile possibilitate physica non esse, seu non existere; & aliud quòd sit illud ens, negatio seu carentia existentiæ. Quod probat. Tùm quia cùm prima sit quæstio de re, an sit; II. Quid sit? cùm possibile ens dicatur non esse, non est ulteriùs procedendum puid sit? adeoq; an sit negatio existentiæ, vel non, illa possibilitas. Tum quia quamvis vera sit hæc propositio: homo non est equus; falsa tamen hæc: quòd homo sit negatio equi; ita etiam vera erit hæc propositio: ens possibile non existit, falsa tamen hæc, ens possibile est negatio existentiæ; licèt verùm sit tunc temporis, cum non existit possibile, dari in rerum naturâ negationem talis existentiæ, quæ negatio distinguitur abillo, cujus est negatio, consequenter quando possibile reducitur in actum existentiæ, non convertitur negatio existentiæ, in ipsam existentiam, sed tantùm incipit esse, quod antea non erat, absque ullâ conversione negationis in habitum, & absque ullâ mutatione illius rei, quæ producitur, quæ ante sui productionem, nec in se, nec in aliquo sui erat. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia demus, quòd homo non sit negatio equi, tamē necessariò importat & dicit esse ipsius, negationem equi: Sic in præsenti, demus, quòd possibile non sit negatio existentiæ, ad minimum dicit & importat negationem existentiæ; si importat negationem existentiæ ut volebat argumentum, importat negationem sui ipsius, cùm existentia sit illudmet ipsum. Tum quia: an debeat dici ens possibile negatio existentiæ, an verò debeat dici non existere, est quæstio de voce: in re enim quod non existit, dicit negationem existentiæ, reditq; argumentum quod in re possibilitas dicat negationē ipsius. Tum quia cùm non existit possibile, verum est dari negationem talis existentiæ, at quid dicit negationē talis existētiæ? Nōne ipsum possibile? quomodo ergò non dicit negationem sui?

EXLICARI potest II. Quòd scilicet idē possit dicere negationē sui ipsius, sed aliter accepti. Sic v.g. Petrus venturꝰ, quid est nisi ipse Petrus, prout pro nunc non venit? venturus autē postea; ubi aliter acceptus Petrus, dicit negationem suî ipsius, hîc. Unde etiam possibile, dicit negationem sui aliter accepti; nam in recto dicit conditionatam suam existentiam, quòd scilicet sit id quod si existeret non implicaret contradictionem; in obliquo autem dicit negationē existentiæ actualis pro nunc; Hæc explicatio cæteroqui bona.

NON SATISFACIT plenè. Tum quia infra videbimus quod possibile non dicat conditionatam existentiam primò. Tum quia conditionata existentia ab actuali solo statu differt. Quæro ergò quid hîc negatur? non solus status; quia negatio status est impertinens; Si autem negetur ipsa existentia, redit argumentum: quod possibile dicat negationem sui ipsius.

EXPLICARI potest III. Supponendo imprimis quòd possibile, de quo in præsenti, à parte rei nihil omnino sit actuale, sed totam difficultatem procedere de modo concipiendi; an scilicet debeat concipi possibile tanquam negatio sui. Ut modus concipiendi rectè formetur ostendaturque debitè, quomodo ens possibile non dicat negationem sui ipsius, ita discurrere possemus. Ut videlicet possibile dicat ens nominaliter acceptum in recto, seu acceptum pro radice essendi, ut autem dicat in obliquo negationem entis particulariter seu pro existentiâ accepti. Unde jam possibile non dicet negationem sui in recto accepti, licèt dicat negationem sui h. e. alicujus identificabilis sibi pro statu reali, & dum extra causas ponetur. Quod si non erit negatio ejusdem de eodem, non erit vera contradictio; consequenter nec jam idem) ex modo concipiendi, de quo hîc in dicta difficultate) negabitur de se ipso. Addo signanter; quòd ens possibile importet rationē entis, licèt simul importet quod nihil sit physicè, seu importat negationē suæ existētiæ in

ſtatu phyſico, conſequẽter quãdo poſſibile phyſicè ponitur extra clauſas non tranſit formaliter loquendo negatio in habitum, ſed ens in recto importatum, dicit formalitatem quam antea negabat, quæ dicta formalitas tollit negationem exiſtentiæ, quam antea ens dicebat.

PRÆMITTO III. *Totam difficultatem in præſenti eſſe de poſſibili Logicè ſpectato*, in quo nimirum illud conſiſtat:

DIFFICULTAS I.

Quis ſit Poſſibilitatis Conceptus per alios?

DICENDUM I. *Poſſibilitatis conceptum non eſſe, poſſe à Deo creari.* Eſt contra Hurtadum, qui poſſibilitatem volebat eſſe, meram denominationem extrinſecam, ab omni potentia Dei, potente creaturam ponere.

PROBATUR I. Si poſſibilitatis conceptus, ſtat in poſſe produci à Deo, vera eſſet hæc uhiverſalis. Omne quod chymæra non eſt, poteſt à Deo creari. Quod poſitâ illâ ſententiâ deberet eſſe vera dicta propoſitio. Ratio eſt. Quia non eſſe chymæram, eſt neceſſariò connexum cum quocunq; poſſibili, ſi eſt connexũ; tunc ſi verum eſt omne poſſibile poſſe creari; verum erit omne quod non eſt chymæra, poſſe creari. Sed vera eſt hæc particularis, aliquod quod chymæra nõ eſt, non poteſt à Deo creari, ergò prior illa debet eſſe falſa, utpote contradictoria veræ. Quòd vero illa particularis ſit vera probatur. Deus ipſe non eſt Chymæra, & tamen creabilis non eſt, ergò aliquid quod Chymæra non eſt creabile non eſt.

RESPONDEBIS. Conceptum poſſibilitatis creatæ eſſe, poſſe creari; non verò conceptum poſſibilitatis increatæ.

CONTRA. Tum quia vel hîc datur conceptus poſſibilitatis ut ſic vel non datur? ſi non datur nõ reſpondetur ad quæſtionem, quia hîc de poſſibilitate ut ſic quæritur: ſi datur, & eſt prædictus; etiam Deo convenire debet & ejus definitio. Tũ quia falſa eſt hæc propoſitio, Deus eſt impoſſibilis: ergò vera hæc, Deus eſt poſſibilis, & tamen non eſt creabilis; ergò poſſibile abſolutè non eſt idem quod creabile. Tum quia idem ſic aliter proponitur. Hæc propoſitio Deus eſt poſſibilis eſt vera, ergò & prædicatum illius eſt verum; ſi verũ, da illius ſenſum, & hic erit conceptus poſſibilitatis ut ſic, depurando eum à ratione creati & increati. Et licèt quidem poſſit dici de Chymæra per aliquorũ ſententiam, quòd crearet illã Deus ſi non implicaret, non poteſt tamen dici quòd creabilis eſſet Deus ſi creari poſſet, idq; ideò quia ſicut ex illo Chymæræ conditionato creari non ſequitur abſoluta poſſibilitas ſed impoſſibilitas Chymæræ, ita & ex conditionato creari Dei ſequeretur abſoluta impoſſibilitas Dei.

PROBATUR II. Vel eſt Chymæra ex ſe poſſibilis, & impoſſibilis tantùm ex parte Dei, vel certè eſt impoſſibilis tàm ex ſe quàm ex parte Dei. Si poſſibilis eſt ex ſe, ergò per te eſt ex ſe creabilis; nam per te poſſibilitas ſtat in poſſe creari, ergò etiam creabilis erit ex parte Dei, aliàs aliquid creabile ex ſe, non poſſet creari à Deo, poſſibilisque eſſet perfectior omnipotẽtia, nempe creativa omnium, quæ ex ſe creari poſſunt. Quod ſi dicis Chymæram ex parte Dei eſſe poſſibilem & tantùm ex parte ſui eſſe impoſſibilem. Ergò apparet poſſibilitatẽ non ſtare in eo, quod eſt poſſe Deum creare, quia etiam impoſſibilitas non ſtat in eo, quod eſt à parte ſua Deum aliquid creare non poſſe, cùm impoſſibiles Chymæras poſſit à parte ſua creare Deus. Quod ſi impoſſibilis eſt Chymæra tam ex parte ſui, quàm ex parte Dei, ergò etiam poſſibilitas rerum creaturarũ ſtabit tàm in poſſibilitate ex parte ſui, quàm in poſſibilitate ex parte Dei, & non tantùm in ſolo poſſe creari à Deo

CONFIRMATUR. I. Quia in illo conſiſtit formaliter ratio poſſibilis, quod pro ultima ratione reddi poteſt, eaq; à priori, cur aliquid pertineat ad conditionem verè entium, ſed poſſe creari non eſt talis ratio: Quod probatur; Quia ſi quæram, quare ſit Petrus poſſibilis? Reſpondebis, quia illum poteſt Deus creare, ſed de hoc ipſo quærere reſtat cur à parte ſua Petrus ſit talis, ut poſſit creari terminareque ut ita dicam, actionem illam Dei, & non poſſit v.g. Chymæra?

CONFIRMATUR II. Quia poſſibilia in ſpecie non ſolùm ab extrinſeco ſunt talia, ſed etiam ab intrinſeco: & ſic reſibile, cognoſcibile, amabile, non ſolùm ſunt denominationes extrinſecæ, ſed important aliquid etiam intrinſecum in ſuo genere; cur idem in præſenti dici non poterit?

CONFIRMATUR III. Quia ratio entis, ratio eſſentiæ, non ſunt denominationes merè extrinſecæ; ergò etiam & poſſibilitas non eſt denominatio merè extrinſeca.

PROBATUR III. Poſſibile eſt ut poſſibilitas præter denominationem extrinſecam importet etiam aliquid intrinſecum: Oſtende enim in hoc implicantiam? ergò dicet iſtud intrinſecum; nam quod eſt poſſibile, illud poſſibile dicet; nam poſſibilitas poſſibilitatis hoc ipſo quia poſſibilitas eſt, fundat ut illud verè ſit poſſibile.

Addo poſſibilitatem extrinſecam rectè deſumi ab omnipotentia: imò hæc poſſibilitas extrinſeca eſt actu ab æterno, quia poſſibilitas extrinſeca eſt in aliquo ſenſu ipſa omnipotentia Dei: Dixi in aliquo ſenſu, quia ſumendo poſſibilitatem pro formalitate affixa, ut ita dicam ipſi enti, de cujus poſſibilitate quæritur: & quæ pullulat ex habitudine, quam ad illud dicit omnipotẽtia, in iſto ſenſu non eſt actu ab æterno phyſicè, quia cum extra Deũ ab æterno nihil ſit, nec actu erit illa formalitas, quæ concipitur pullulate, eſſetq; forma intrinſeca, ipſius poſſibilis.

OBJICITUR I. Nihil poteſt intelligi dicens eſſentialiter ordinem ad aliud ſine ordine ad aliud, poſſibile dicit ordinem ad Dei omnipotentiam, ergò ſine illo ordine intelligi non poteſt.

RESPONDETUR. Ad hoc argumentum infra in Logicis, ubi de primo eſſentiali conceptu abſolutorum,

torum, ubi inter alia dicitur, quòd cùm absoluta adeoque & possibilia dicant nonnisi secundò essentialem ordinem ad aliud, possint sine hoc ordine, intellectu nostro sola primò essentialia pensante, concipi.

Instabis. Possibilitas primò essentialiter dicit ordinem ad aliud, quia primò essentialiter accepta, non est ens à se; ergò ab alio.

Respondetur. Primò essentialiter acceptum possibile, neque esse ens à se, neque ab alio, quia possibile ut sic, est quid superiùs istis speciebus & membris dividentibus: & quamvis quidquid est à parte rei physicè sit, vel ens à se, vel ens ab alio; ratio tamen metaphysicè superior potest ab utroque hoc abstrahere. Alia Methodo alii respondent, quòd possibile adæquatè cognitum dicat ordinem hunc, secùs possibile etiam creatum, inadæquatè tamen cognitum.

Objicitur II. Creaturæ antequam Deus illas possit creare non sunt possibiles, ergò possibilitas illarum sola est denominatio extrinseca.

Respondetur. Quod possibilitas intrinseca: à nobis concessa non debeat re esse prior potentiâ Dei potente illam producere: cùm enim possibilitas ista competat rei ab æterno, omnipotentiaque Dei sit ab æterno, non debet illa possibilitas intrinseca esse prior omnipotentia potente creare illam, quia in æternitate non est unum prius alio, vel tempore vel instanti. Quod si quæstio procedat, an saltem conceptu sit prior possibilitas intrinseca præ possibilitate extrinseca, in eo sensu respondendum affirmativè, adeoque negando antecedens.

Objicitur III. Si possibilitas non petatur ex ipsa omnipotentia divina, possibilitas non erit dependens & subdita Deo.

Respond. Possibilitatem ut sic non debere esse subditam Deo, quia est ratio etiam Deo communis, qui sibi ipsi non est subditus. Et quia subditio spectatur penes statũ realẽ & physicum, in quo, esse possibile, cum eo quod est productum à Deo, identificatur, fit, ut adhuc possibilitas non quidem pro statu metaphysico, & inadæquatè spectata, sed pro statu physico sit Deo subjecta; unde adæquatè considerata possibilitas, dicit in se imbibitam indigentiam Dei ut existat.

Dicendum II. *Possibilitatem non rectè explicari tanquam per aliquid primum, per hoc, quòd sit entitas non involvens contradictionem si existat*; est contra Arriagam, Oviedo & alios.

Probatur I. Quia propositiones æternæ veritatis non habent hunc sensum conditionatum, ut inferiùs explicabitur: ergò nec possibilitas benè explicabitur per dictũ sensum conditionatũ. Et cùm hîc quæratur de possibilitate tali, quæ ex modo cõcipiendi sit prior præsuppositione præ ipsa omnipotentia Dei, hoc ipso non poterit explicari per conditionatam existentiã, quia sicut absoluta existẽtia absolutè operantem omnipotentiam, ita existentia conditionata, conditionatè operantem omnipotentiam supponit; ab iisdem enim principiis effectus absolutus & conditionatus pendere debet.

Probatur II. Ipsa existentia conditionata est possibilis, estque ad illam per modum generis possibilitas ut sic, tam enim de existentia absoluta, quàm de conditionata benè prædicare possum, est possibilis. Ergò possibilitas ut sic per conditionatam existentiam, utpotè tanquam per aliquid inferius, non rectè explicatur.

Probatur III. Possibilitatis vel est passio metaphysica existentia, vel est essentia possibilitatis: si est passio metaphysica, ergò pro primo conceptu possibilitatis poni non potest: Quia passio nõ est de primo essentiali cõceptu radicis suæ. quod autem illa existentia sit existentia conditionata; non extrahit illam à ratione passionis. Quod si existentia est essentia possibilitatis. Contra erit, Tum quia infrà cõstabit illam esse nonnisi accidens metaphysicum. Tum quia si existentia est essentia possibilitatis, Ergò possibile non erit superiùs essentiâ & existentiâ, sed possibile erit idẽ quod ens participialiter, ergò ulteriùs creaturã reddi à Deo vel causâ secundâ existentem, erit reddi possibilem, hujusq; propositionis existentia est possibile quid, erit sensus hic, existentia est existens; & de quo non potest prædicari existẽtia, de illo etiam non potest prædicari possibile, quod tamen falsum est, quia possibile potest dici de ente nominaliter accepto, non autem potest de illo ente, dici existentia.

Objicies. Si possibile dicatur esse ens quod si existat non involvit contradictionẽ: distinguetur per hoc à chimæra, & erit quid cõmune tàm enti actuali, quàm enti petenti esse actuale. Rursùs potest pro ratione reddi cur Deus possit producere Petrum & non Chimæram, ergò hæc formalitas benè explicat possibilitatem.

Respondetur. Quòd per conditionatam existentiam omnia quidem salventur, quæ assumit objectio, sed non salvantur primò.

Ex hactenus autem dictis facilè aliæ explicationes impugnari possunt.

DIFFICULTAS II.

Quis sit Conceptus Possibilitatis?

Dicendum est, *Quòd possibile sit ens ipsum prout est radix nexus essentialium prædicatorum, ad quem nexum sequitur, non implicare contradictionem.* Quod ipsum

Explicatur. Non dico ens *esse id quod non implicat contradictionem*, quia quamvis ista duo in re idem sint, tamen distinguuntur in ordine ad nostros conceptus: Priùs enim est esse quàm dici, adeoque priùs erit esse connexionem essentialium prædicatorum, quàm non implicare contradictionem. Ex ipsâ apprehensione impossibile, est quid negativum, ergò oppositum illi possibile, debet esse quid positivum in esse, quamvis possit esse negativum in significari. Unde etiam in modalibus possibile sumptũ pro communi ad contingere &

necessarium, affirmativum modum importat; & quia hoc quod est non implicare contradictionem, est quid negativum, ideò est tale, quod entis positivi, quale est possibile, primò essentialem conceptum formare non potest. Denique legitima hæc est consequentia tanquam à posteriori ad prius, non implicat contradictionem, ergò habet radicem nexûs essentialium prædicatorum, omne enim dici, non est de se & ex se, sed ratione alius, hoc est ratione ipsius esse.

Quod si quæras: quis sit iste nexus essendi seu essentialium prædicatorum? Hic nexus non aliter explicari potest, quàm per inductionem, nam v. g. manifestè est quid sit possibile homo, dicitque nexum rationalis cum animali, quem nexum non dicit hircus & cervus in Chimæra, quæ est quid manifestè impossibile.

Rursùs connexio debet esse inter duos terminos, quorum unus non sit non esse alterius, & si non sit non esse alterius, illa omnia erunt possibilia: Si autem unum sit, & aliud sit non esse illius alius, quod est, hoc ipso impossibile illud erit: Et ita quia animal dicit esse, cujus esse negationem, non dicit rationale, fit ut animal rationale, sit quid possibile. Quia verò hircus est esse, cujus negationem dicit cervus, fit ut hircocervus, sit quid impossibile.

Probatur I. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper possibili, proceditque per prima reperibilia in hoc genere.

Probatur II. Per nihil aliud commodiùs describi potest ens possibile, de cætero etiam nullo vitio laborat prædicta explicatio. Ergò. Prima pars antecedentis probatur. Si enim per aliquod aliud commodiùs describi posset possibile, maximè describeretur per illam conditionatam existentiam, sed per illam non circumscribitur, ut probatum suprà. Et insuper inde colligitur, quia ens per illos est, quod dicit aptitudinem ad existendum; hinc per illos ens possibile, erit id, quòd cùm dicit aptitudinem ad existendum si existat non implicat contradictionem, quæ explicatio videtur ridicula. Deinde impossibili omni existentia, non hoc ipso formaliter impossibilis esset essentia; ergò essentiæ possibilitas, non rectè explicatur per conditionatam existentiam. Denique accipiamus hanc propositionem; si Petrus existeret non involveret contradictionẽ, rogo quem habeat sensum? imprimis non potest habere hunc; quando existit, vel existet, non involvet contradictionem; quia sic propositio illa non absolveret à tempore, sed alligaretur præsenti vel futuro. Non potest etiam habere hunc sensum: quando existeret non implicaret contradictionem, quia de DEO existente non posset aliàs sine falsificatione dici quòd sit possibilis, quia non potest de illo dici, quòd quando existeret non implicaret contradictionem, quia de facto existit; sensus autem absolutus tollit conditionatum. Quod si dicas proportionatè debere accipi illam existentiam. Contra erit: quia jam non benè explicas possibilitatem, quia hæc explicatio debet esse talis, ut eadem invariata, omni statui conveniat.

Probatur III. Apprehendet intellectus hanc propositionem, Petrus dicit nexum essentialium suorum prædicatorum, ad quem sequitur quod non implicet contradictionem, nihilque cogitet de existentia conditionata, per hoc ipsum sufficienter apprehendit Petrum non esse Chimæram, tanquam per rationem primam, & non petitum prædicatum ab aliquo accidentali, ergò sufficienter per illos terminos apprehendet possibilem, ergò ulteriùs non per illam conditionatam existentiam explicatur possibilitas.

Objicitur I. ex Oviedo. Illa connexio non potest dici æterna, quod si æterna non est, quid habeat lapis non existens, quod sit actu possibilis.

Respondetur. Non esse illam connexionem ab æterno importantem esse existentiale ab æterno; esse tamen æternum fundamentaliter, de quo infrà.

Instari potest. Chimæra etiam dicit connexionem prædicatorum essentialium & tamen non est possibilis, ergò possibilitas per illum nexum non rectè explicatur.

Respondetur. Chimæram non dicere connexionem suorum prædicatorum essentialium, sed potiùs disconnexionem, solumque nexum disconnexionis, consimiliter ac concordes in discordando dicuntur concordes, quomodo enim necti illa inter se possunt, positio esse, cum negatione illius esse.

Objicitur II. Si possibile esset ipsum ens dicens nexum prædicatorum, ad quem nexum consequatur non implicare contradictionem, possibile in recto esset ipsamet entitas, quæ postea actu est vel esset futura: Sed possibile non est ipsamet illa entitas quæ est vel esset actu futura, quia aliàs ens ut sic, non esset superius ente actuali & possibili.

Respondetur. Imprimis per nos possibilitatem non explicari per ordinem ad existentiam, hinc non videtur nos petere argumentum. Sed ex alio etiam principio respondetur objectioni, quòd scilicet Ens in definitione possibilis positum, sit ens commune ad ens nominaliter, & participialiter; hoc autem priùs est, ipso possibili.

Instabis. Ad ens actuale non potest se habere per modum prædicati ens possibile, nec hæc duo possunt esse idem, quod tamen requiritur ad omnem prædicationem; quia illorum unum, non potest prædicari de altero, quibus inter se comparatis, conveniunt contradictoria prædicata; enti autem actuali & possibili conve-

conveniunt prædicata contradictoria; quia ens actuale est ens simpliciter, possibile non est ens simpliciter: II. Ens possibile est ens ab æterno, actuale non est ens ab æterno. III. Possibile identificatur non enti existentialiter, actuale non identificatur non enti existentialiter &c.

Respondetur. Ea de quibus verificantur prædicata contradictoria ratione status, non possunt esse idem ratione status, possunt tamen esse idem ratione communis formalitatis in illo statu intelligibilis. Sic v.g. de Petro Sene & eodem Juvene verificantur duo prædicata contradictoria, sed ratione status ætatis, quo tamen non obstante, eadem formalitas entitatis sub utroque statu intelligi potest, hoc est eadem ratio animalis & rationalis, quodsi eidem ratione diversi status possunt convenire diversa prædicata, poterunt convenire & Enti actuali & possibili. Jam autem diversitates quas adfert objectio, sunt petitæ ex alio & alio statu. In particulari autem ad adlatam diversitatem prædicatorum respondendo dici potest, quòd ens possibile non sit ens simpliciter, nomine entis simpliciter accipiendo ens existens, quod ipsum prædicatum, habetur ratione status. Ad II. si per Ly est, intelligatur existit, falsum est, quod hoc sensu sit ab æterno possibile; si autem per Ly est intelligatur quod importat nexum prædicatorum essentialium vera est propositio. Sed inde petibilis diversitas est ratione status, quòd scilicet status existentiæ non sit æternus. Ad III. Illud merè etiam est petitum ex statu; conveniunt autem omnia in hoc, quòd est dicere radicem nexûs prædicatorum.

Objicitur III. Ens prout possibile nunquam potest existere, quia purè possibile importat negationem existentiæ, ergò possibile & existentia non est idem.

Respondetur. Imprimis hoc argumentum non petere conclusionem, sed ad vim etiam ejus attendendo non concludit, quia quamvis ens possibile retentâ purâ possibilitate, nunquam possit existere, potest tamen existere non retentâ possibilitate purâ, neque tunc convertitur negatio existendi in existentiam, sed idem ens, acquirit secundùm diversitatem statûs, alia connotata.

DIFFICULTAS III.

Attinguntur aliqua Possibilitatem concernentia contra Recentiores.

EX modo præjactis de possibilitate.

Habetur imprimis. *Possibilitatem rerum ab æterno nihil in se actuale esse, quod sit actu nemine cogitante.*

Ratio. Tum quia nec essentiæ rerum sunt actu ab æterno: de quo, ubi de ente prout essentia est. Tum quia illa actualitas non deberet esse physica, aliàs conjungeretur existentiæ, ergò deberet esse actualitas metaphysica. Actualitas autem metaphysica, est actualitas intentionalis, adeoq; actualitas, quæ non est actu nemine cogitante, qualis deberet esse illa actualitas possibilitatis, in se, ab æterno. Tum quia ex nullo fundamento majus jus habet possibilitas ad esse actu ab æterno, quàm habeat universale ad esse actu à parte rei, & tamen hoc per nos non est à parte rei actu, sed fundamentaliter.

Habetur Deinde, *Possibilitatem hanc esse actu ab æterno quoad suum fundamentum*; idque ex eo. Advertit intellectus creatus ad Omnipotentiam impotentem producere hirocervum, potentem autem producere hominem, advertit ad intellectum divinum non noscentem conjungibilitatem realem hircocervi, noscentem autem conjungibilitatem animalis & rationalis, advertit ad voluntatem divinam impotentem amare hunc nexum hircocervi, potentem autem amare nexum hominis, eruitq; conceptum talis nexûs, qui est possibilitas passiva respondens Omnipotentiæ: possibilitas objectiva omniscitivitati: possibilitas eligibilis vel amabilis respondens voluntati.

Habetur. Deniq; fundamentum, ut *hæc Possibilitas possit reduci intentionaliter in actum*; hoc ipso enim non esset salvabilis ratio fundamentalis, nihil enim fundaret, hocque reductum intentionaliter in actum erit quoddam actuale esse, eritq; actuale reale prout reale opponitur ficto, non autem prout opponitur intentionali, procedenti cum fundamento in re, ut colligi potest ex dicendis de universalibus in communi, de præcisionibus objectivis &c. Hocque appellari potest possibilitas passiva, objectiva, intrinseca intentionaliter spectata, &c.

Quod autem debeat talis conceptus possibilitatis admitti idq; metaphysicè spectatæ, ostendunt rationes contra Hurtadum adlatæ. Dixi possibilitatis metaphysicè spectatæ, quia illa physicè ab æterno nihil est, Physicumque esse ab æterno non habet nisi in Omnipotentia, sicut etiam physicè spectatum universale, non aliud est, quàm singularia, physicè item spectatæ essentiæ, non aliud sunt quàm res existentes, & physicè spectata relatio, non aliud est quàm duo extrema.

Respondebis. Sequetur ex dictis, illud esse actuale intrinsecum creaturarum possibilium, distingui solâ ratione ab illo fundamento, nempe ab essentia Dei, Omnipotentia, Scientia, &c. Sic universale formaliter quoad suum esse objectivum acceptum, solâ ratione distinguitur à singularibus, & tamen terminus Omnipotentiæ, non solâ ratione distinguitur ab Omnipotentiâ.

Contra est, quia non in omnibus est pro-

portio inter esse possibile creaturarum ab æterno, & inter universale formaliter, sed tantùm in neganda utrique actualitate æterna distincta creaturis possibilibus, non sequetur ab æterno non dari terminum omnipotentiæ, licèt nullam actualitatem ille termins habeat; Sicut nec habet universale actualitatem ante operationem intellectûs præscindentem. Hinc actualitas illius termini, non est nisi per rationem, totaque illius actualitas est nonnisi in omnipotentiâ; sed ratio termini non est per rationem; nam non ratio facit quod omnipotentiæ potenti producere Petrum respondeat Petrus potens produci, licèt ille Petrus ita respondens nullum esse actuale habeat ab æterno. Breviter ergò actualitas æterna termini possibilis, est nonnisi ratione distincta ab omnipotentia, sed ratio terminandi est nemine cogitante distincta.

Noto. Cum omnipotentiæ relatæ ad creaturas possibiles sit relatio transcendentalis, non requirit actualitatem sui termini. Unde etiam hoc quòd terminativè respondetur relationi illi transcendentali, quam dicit omnipotentia ad creaturas possibiles, idem inquam erit id, in quod transcendentale dominium Dei extenditur. Itidem non exigit actuale esse ejus de quo transcendentaliter disponit, licèt actuale prædicamentale, ut ita dicam, Dei dominium exigat esse actuale Creaturæ. Sed de hoc terminativo alibi etiam discurritur.

Defenditur ergò in præsenti quòd metaphysicè spectata ab æterno possibilitas, & merè quoad suum conceptum, non sit ipsa formaliter omnipotentia, sed quid respondens eidem & terminus ejusdem, sicut etiam physicè & à parte rei spectata in tempore non est ipsa omnipotentia, sed ipsa singularia & existentia. Concedimus tamen oppositis quod physicè ab æterno possibilitas nulla sit nisi continentia in omnipotentia.

Ex his habitis.

Assero I. *Est de fide possibilitatem activam creaturarum esse Omnipotentiam.*

Suppono ad hoc & sequens assertum. Bonam esse hanc Categoriam, Possibilitas ut sic, Possibilitas activa, Possibilitas passiva. Quod bona sit hæc Categoria. Ratio est. Quia non repugnat: non repugnantia autem Categoriæ est importatio ejusdem, hocque ipso non esset bona, si illa membra non importaret. Si bona est hæc Categoria debet esse in membra condistincta, nihil enim in se ipsum dividitur: si debet esse in membra condistincta, unum de altero dici non debet. Ratio: quia distincta habent inter se alietatem: Si alietatem, unum non est aliud: si non est unum aliud, nec unum de alio dici potest: nam hæc dictio, deberet esse vera adeoq; significans identitatem, quæ non habetur inter duo distincta. Hoc supposito.

Ratio asserti est, quia nomine possibilitatis activæ intelligitur ens primum & necessarium, causa & principium productionis reliquorum omnium, hoc autem principium de fide est esse omnipotentiam.

Assero II. *Est de fide possibilitatem passivam non esse Omnipotentiam.*

Ratio. Quia hæc possibilitas est terminus omnipotentiæ, adeoque vel ex ipsâ ratione termini distinctum quid ab omnipotentia; est autem de fide terminum omnipotentiæ, non esse omnipotentiam, aliàs omnipotentia esset quid causabile, producibile, &c. quod est contra fidem.

Assero III. *Non esse cautum dicere indiscriminatim possibilitas est Omnipotentia.*

Ratio. Tum quia propositio quæ in uno sensu est de fide, in alio sensu est contra fidem, non debet indiscriminatim proferri, ut in quacunque simili materiâ inductio ostendit. Ergò cùm hæc propositio, Possibilitas est omnipotentia, in uno sensu sit de fide, in alio sit contra fidem, non debet indiscriminatim proferri. Tum quia locutiones ambiguæ ad diversum sensum trahibiles, in materia turpi, sunt reprehensibiles: ergò multò magis in materia fidei, erunt non usurpandæ. Rursùs si nihil obsit, debent assumi majores & principia quæ recedunt quàm maximè ab erroribus impugnantibus fidem. Est propositio Tridentini, Deum non esse æquè causam actionis virtuosæ ac peccaminosæ. Porrò si quis dicat: Possibilitas rerum est ipsa omnipotentia, dicet etiam consequenter possibilitatem peccati esse omnipotentiam, & cum omnipotentia respectu sui æquè se habeat, æquè se habebit Deus ad possibilitatem peccati ac ad possibilitatem actionis virtuosæ: quæ sequela melius est si non admittatur, ut ita ostendatur aliter se habere Deum non tantùm circa existentiam sed etiam circa possibilitatem peccati. In terminisque his loquendo possibilitas peccati est omnipotentia, datur ansa ad admittendas & proferendas propositiones apprimè duras. Tum quia fallacia accidentis non usurpanda, ergò nec indiscriminatim procedens propositio in materia fidei. Quæ omnia in hoc fundantur. Quia locutio ad hoc est à naturâ instituta, ut conformetur menti, & quia mens hoc, de hoc intelligit, & non illud, & eo modo concipit, quo concipit, ideò & locutio conformari illi debet, & eo modo objectum exprimere, quomodo concipitur: hinc si sub termino possibilitatis reluceat restricta possibilitas per formalitatem activam, etiam exprimi debet per possibilitatem activam.

Assero IV. *Possibilitatem non esse meram denominationem extrinsecam.*

Ratio. Tum quia, si possibilitas esset mera denominatio extrinseca, non posset dici possibilitas omnipotentia, & tamen per oppositos possi-

possibilitas est omnipotentia; sequela probatur, visum, est denominatio extrinseca, neque tamen est visum visio: cognitum, est denuntiatio extrinseca, neq; tamen cognitum est cognitio (supple sine addito ut illi possibilitatem sine additò appellant omnipotentiam) Ergò & possibilitas si est denominatio extrinseca non posset appellari omnipotentia. Tum quia omnis denominatio extrinseca, cadere debet super denominabile, ut ostendit inductio: cognitum enim cadit super objectum, visum super colorem. Et Ratio est, quia denominatio non solùm ex extrinsecâ suâ ratione, requirit esse denominativum, sed etiam requirit esse denominabile, cùm sit ordo ad utrumque essentialis. Unde cognitio non tantùm requirit essentialiter ut sit perceptio, sed etiam ut sit perceptio objecti, adeoque requirit denominabile; ergò etiam & denominatio extrinseca, quæ habetur ab omnipotentia, in linea possibilis, requiret hob subjectum; & hoc erit possibilitas passiva; de illa ergò quæro quid sit? Respondebis, Denominatio illa cadit supra essentiam, quæro quid illæ sit? Respondebis nihil in se intrinsecè, sed per denominationem extrinsecam. Infero ergò non ostendis subjectum illius denominationis, vel subjectum illius ponis ipsam denominationem extrinsecam. Tum quia denominatio visi ab activâ visione pendet? hoc tamen non obstante, passiva visibilitas, quæ est color, non habetur à forma extrinseca, sed aliunde. Ergò nec passiva possibilitas habetur ab activa possibilitate, quæ est denominativa, ut dicis, extrinsecè, sed aliundè debet haberi. Tum quia omne denominatum extrinsecum proficiscitur à formâ denominante, participante pro primò formaliter, illam rationem, sic visum proficiscitur à visione, quæ per primò formaliter est de linea videndi, paries appellatur dexter à manu dextrâ, cui per primò formaliter, comperit esse dextrum. Et ratio est, quia cùm denominatum extrinsecum habeat suam formam constituentem, & omnis forma, formaliset se ipsam primò, ut seipsa formaliset primò denominatum extrinsecum, debet per primò formaliter, & ipsa esse de illa linea. Si autem denominatum extrinsecum proficiscitur à forma denominante, participante per primò formaliter illam rationem, etiam possibilitas passiva, proficiscetur à forma denominante, participante pro primò formaliter, illam rationem passivæ possibilitatis. Est autem de fide possibilitatem passivam, non competere omnipotentiæ, cùm non sit de linea creabilis. Item omnis forma denominans, est pars intrinseca constitutiva sui denominati, ut ipsi docent, visum enim tanquam forma constituitur à visione, indubiè autem possibilitatis passivæ sumptæ pro termino, non est pars omnipotentia, quæ tamen per oppositos, est forma denominans. Tum quia inintelligibile est quomodo possibilitas passiva, sit denominatio extrinseca; fumus enim possibilis non est denominatio extrinseca ab igne possibili: Ergò nec possibilitas passiva, erit ista denominatio extrinseca ab omnipotentia. Tum quia in statu existentiæ connexio actualis prædicatorum non est denominatio extrinseca ab omnipotentiâ: ergò nec in statu possibilitatis connexio possibilis prædicatorum erit denominatio extrinseca; cùm illa connexio sit eadem realiter, soloque statu differat, aliàs non ego essem actu, qui eram possibilis, adeoque nec essem, cùm nihil sit, quod possibile non fuerit esse. Tum quia quæcunq; assumatur major ad ostendum quòd definitio denominationis extrinsecæ, competat possibilitati passivæ, ea vel non erit admissibilis, vel potiùs ostendet quòd possibilitas passiva, non sit denominatio extrinseca. Tum quia omne quod denominatur extrinsecè nihil participat formaliter de illa linea in qua denominatur, si consideretur antecedenter. Sic color visionis actualis vel visi actualis nihil habet antecedenter ad visionem: Paries item nihil habet dextri antecedenter ad situm manûs dextræ, intelligibile autem est quòd antecedenter ante denominationem oriundam ab omnipotentiâ, nihil sit nexibilitatis prædicatorum animalis & rationalis. Tum quia etiam posito quòd possibilitas passiva sit denominatio extrinseca, quæro quid importet illa possibilitas passiva? non omnipotentiam, quia hæc est forma illius denominationis; hic autem quæritur quasi de effectu illius denominantis formæ, & post quascunque responsiones formabiles tandem dici debet esse nexum prædicatorum vel ut alii loquuntur non involvere contradictionem; cur ergò illud potiùs non erit ipsa possibilitas passiva, & non illa denominatio extrinseca?

Respondebis. Denominationem primam non habere subjectum, supra quod cadat, possibilitas autem est denominatio prima.

Contra. Tum quia hoc ipsum est quod negatur, nempe possibilitatem passivam secundùm sua prædicata esse denominationem. Tum quia non est major ratio, cur denominatio secunda supponat subjectum, & non supponat prima: nam utriusque ex eo par est ratio, quia dicit essentialem habitudinem denominatio ad denominabile; non haberet autem denominabile si non haberet subjectum; hæc enim verbis differunt: cumque omnis denominationis etiam primæ, debeat dari effectus formalis primarius, hic autem involvit essentialiter etiam subjectum, hoc ipso prima etiam denominatio, debet hoc subjectum habere. Tum quia quamvis prima denominatio non habeat subjectum physicum reale existens; nego tamen quòd non debeat habere subjectum metaphysicè acceptum, & dicens nexum suorum prædicatorum

rum essentialium. Et ponendo etiam quòd possibilitas sit denominatio prima, erit prima non per exclusionem subjecti supra quòd cadat, sed per exclusionem denominationis antecedentis.

Assero V. *Possibilitas passiva est aliquid in se intrinsecè, sed metaphysicè.*

Ratio. Tum quia, si eo sensu dicatur nihil esse intrinsecè in se, quia scilicet non existit, nec est à parte rei actu nemine cogitante id omninò est verum, & à nobis supra suppositum, sed si dicatur nihil esse etiam secundùm nexum possibilem prædicatorum, nihil item esse metaphysicè, nihil item esse terminativè, id certè non probabitur. Tum quia datur relatio transcendentalis omnipotentiæ ad possibiles creaturas, quæ nihil sunt physicè ab æterno; neque enim relatio transcendentalis exigit terminum actu existentem, hæc relatio transcendentalis non est ad omnipotentiam; nihil enim ad se ipsum refertur: nec etiam est illa relatio sine termino, quia hoc ipso non esset relatio; ad quid ergò terminatur? quod ipsum ad quod terminatur, cùm sit id ad quod terminatur, debet habere aliqua sua intrinseca; nihil enim est sine suis intrinsecis, cùm rei intrinseca, & quod res est, sint idem. Et sicut non potest esse quidquam sine eo quod est, ita nec potest esse sine suis intrinsecis: & cum possibilitas passiva sit ille terminus, quî possibilitas passiva est nihil in se intrinsecè. Tum quia quæro, cur possibilitas passiva nihil sit in se intrinsecè. Respondent, quia est denominatio extrinseca ab omnipotentia: quæro, quare est denominatio extrinseca? respondetur, quia nihil in se est intrinsecè? en circulum: Quæro simul de utroque cur nihil sit in se intrinsecè possibilitas passiva? & cur sit nonnisi denominativè extrinseca? Tum quia dicitur, per communem sententiam, Verbum procedere ex notitiâ omnium rerum possibilium; procedere item Spiritum Sanctum ex amore omnium possibilium; non procedit tunc ex amore omnipotentiæ, quia hæc condistinguunt Theologi; & quia procedere ex amore possibilium est procedere ex amore ejus, quod est de linea creabilis, hoc autem omnipotentiæ non competit, sed nonnisi prædicatum quòd creet: non procedit etiam ex amore nihili, quia hoc ipso non procederet ex amore possibilium; ex nullo enim seu ex nihilo procederet: Ergo procedendo ex amore possibilium ex aliquo procedet, illud aliquid est aliquid, ergò non est in se nihil intrinsecè, esse enim aliquid includit se & esse suum intrinsecum, ergò falsum est quòd sit in se nihil intrinsecè. Tum quia quæro an sit ista arbitraria imputatio, quòd omnipotentia divina non possit creare hominem, qui sit animal cum differentia Simii locutivi? si est arbitraria, ergo & hircocervum potest creare omnipotentia. Si non est arbitraria imputatio, quæri poterit ex omnipotentia, quare tu non potes producere hominem, qui sit Simius locutivus? Respondebit, quia in me non continetur; quæri poterit, quare non continetur; cur rationabiliter (adeoq; conformiter objecto) non poterit inquiri: si esset possibilis nonne illum contineres? cur rationabiliter non posset respondere Omnipotentia, continerem. Ergò continentiæ resolutorium per ordinem ad nostros conceptus erit possibilitas, & non continentiæ, impossibilitas objecti; ergò illa impossibilitas & possibilitas, est impossibilitas & possibilitas; ergò falsũ erit, quòd possibilitas passiva nihil sit in se intrinsecè secundùm datã explicationẽ. Et sicut dũ quæro quare Deus non cognoscit Petrum cornutum? legitimè respondetur, quia cornua non habet: ita & in præsenti. Ut tandem finem habeat responsio ponenda est tam in omnipotentia, quàm in omni scientia duplex determinatio continentiæ: Prima formalis intrinseca, & hæc habetur ab & in ipsamet entitate omnipotentiæ, ut contineat omnia possibilia; Secunda determinatio est extrinseca & transitiva, & hæc cur non possit haberi à possibilitate nulla est ratio; & si potest haberi, habetur; nam in necessariis & essentialibus posse haberi, arguit habere: perfectiorque per hoc statuetur omnipotentia, quia multa rejicientur, in objecti conditionem.

Responderi Potest ex Mauro. Non posse hujus dari rationem distinctam à Deo; quæ sit distincta à Deo; quia est ipse ratio prima omnium rerum; licèt possit dari ratio identificata cum Deo.

Contra. Etiam in statu existentiæ Deus est ratio prima omnium rerum, & tamen hoc non obstante dantur rationes ex ipsis objectis à Deo distinctis petibiles. Imò non est philosophicum dicere, ideò ignem calefacere quia Deus noscit illum vel vult calefacere: Ergò & in præsenti idem dicendum. Deinde redit argumentum factum, quòd non repugnet pro causali adferre cur prima ratio omnium rerum quæ est Deus non possit producere hircocervum, quia est impossibilis vel dicens disconnexionem suorum prædicatorum, si non repugnat id pro causali adferre, hoc ipso pro causali adferri debet, nam in necessariis à posse, tenet argumentatio ad actum, eritq; adhuc Deus ratio prima in genere efficientis Ideæ &c. sed non prima & ultima in ratione resolvendi interrogationes.

***

Punctum

Punctum Difficultatis 1.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT I. Maurus Quæst. 47. Logicâ. Deus est adæquata potentia producendi creaturas ex nihilo omninò creaturarum; sed si requireret ex parte creaturæ aliquam possibilitatem passivam, Deus non esset adæquatissima potentia producendi creaturas ex nihilo omninò creaturarum, eo pacto, quo quia ignis ad incendendum stupam requirit aliquam incendibilitatem ex parte stupæ non habet potentiam adæquatissimam producendi incensionem stupæ omninò ex nihilo.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Negando item, quòd ignis non habeat adæquatissimam potentiam producendi incensionem, licèt requirat incendibilitatem. Ratio est quia incendibilitas non tribuit vires ullas & causativitatem incendendi igni; nomine autem potentiæ veniunt vires illæ. Hinc distingui potest Minor, si possibilitas passiva requireretur tanquam dans vires & causativitatem Deo, non esset Deus adæquata causa concedo. Si possibilitas requireretur merè per modum termini, & capacitatis ad produci. Nego Minorem. Addo potentiam divinam producere creaturas ex nihilo existentiæ creaturarum; non autem ex nihilo nexus prædicatorum.

INSTAT. Aristoteles dum negavit Deo potentiam creandi ex nihilo solum requisivit ex parte creaturæ aliquam potentiam intrinsecam passivam; ergò etiam adversarii, si requirunt ex parte creaturæ potentiam passivam, negant Deo virtutem creandi ex nihilo.

RESPONDETUR. Id quod requisivit Aristoteles erat potentia intrinseca passiva, sumpta pro materia & subjecto: quæ enim ex nihilo existentiæ producuntur, sed ex præsupposita materia non dicuntur creari: possibilitas autem passiva, quæ à nobis defenditur, non est materia, cùm per nos etiam Angeli dicant possibilitatem passivam ad creari, & tamen Angeli materiam non supponunt.

OBJICITUR II. ab eodem. Vel hæc possibilitas passiva dicit aliquam perfectionem, vel non? si primum, est ens reale necessarium, æternum, distinctum à Deo, quod est absurdum, quia solus Deus est necessarius & æternus: si autem nullam dicit perfectionem, absurdum est, quòd sit necessarium.

RESPONDETUR. Quòd hæc possibilitas passiva dicat perfectionem Metaphysicam & est ens reale prout opponitur ficto, sed non ens reale, hoc est, existens realiter, existens necessarium; hoc enim soli Deo competit: cùm hoc tamen stat ut nexus prædicatorum v. g. hominis cum animali & rationali, non sit contingens, adeoque necessarius: Stat item quod exigentia ut homo non sit nisi animal rationale non sit temporalis, adeoque sit æterna, quod ipsum est illa possibilitas passiva.

INSTAT. Vel possibilitas habet hanc perfectionem à Deo, vel non? non potest dici quòd habeat à Deo, quia Deus nulli communicat necessariò perfectionem finitam: neque illam habet à se, quia omnis perfectio est Deus, vel est à Deo.

RESPONDETUR. Quòd habeat hanc perfectionem à Deo secundùm esse possibile & causabile in statu existentiæ in se inclusum, licèt non habeat à Deo secundùm influxum aliquem actualem antecedentem statum existentiæ. Addo hoc quod est esse à se duplex est, unum invehens actualitatem existentiæ, & hoc importat esse Deum, aliud esse à se, quod est merus nexus indispensabilis, & inviolabilis, & non ex placito Dei, prædicatorum rei, dicentium tamen indigentiam Dei ut extrahantur ex nihilo existentiæ, & tale esse à se, non arguit esse Deum, convenitque rei in quantum possibilis est.

OBJICIT III. idem. Dicere quòd necessariò ab æterno detur aliquod esse reale distinctum à Deo, est parum conforme fidei principiis, quæ docent omne ens reale aut esse Deum, aut à Deo factum fuisse.

RESPONDETUR. Neg. sequel. Fides autem dicit omne ens reale existens, esse Deum aut à Deo factum, non autem de ente reali, quod opponitur nonnisi ficto, & necdum habet existentiam, sed solùm nexum prædicatorum dicentium producibilitatem sui à Deo.

OBJICIT IV. idem. Quia fuit hæresis Manichæorum quòd ab æterno necessariò extiterint duo prima principia, alterum bonum quod est Deus, alterum malum, sed sententia ponens possibilitatem passivam actualem, distinctam à Deo ponit ab æterno duo principia rerum, alterum infinitè bonum, alterum non bonum, sed defectuosum, nimirum possibilitatem passivam distinctam à Deo.

RESPONDETUR. Manichæi ponebant duo principia in genere efficientis, quod à nobis non ponitur, sed ponitur unum principium effectivum cui respondet effectibilitas, quæ est ipsissima possibilitas passiva, quæ ipsa possibilitas, non est quid defectuosum, quia essentiali nexui nihil deest, ut sit essentialis nexus, & animali rationali, nihil deest ut sit homo.

INSTAT. Etiam possibilitas passiva prærequiritur ut principium passivum: Deinde illud quod prærequiritur ut res possit esse, prærequiritur ut principium: potentia enim ut res sit, manifestè est principium, sed hæc possibilitas passiva prærequiritur, ut res possit esse, ergò prærequiritur ut principium.

RESPONDETUR. Nego possibilitatem passivam prærequiri ut principium passivum; quia nomine hujus venit ipsa materia, quæ est principium

cipium passivum; jam autem possibilitas non est ista materia. Rursùs, quod prærequiritur per modum activi, prærequiritur ut principium, sed nego possibilitatem passivam requiri ut principium activum.

Objicit V. idem. Quia videtur hæc sententia procedere secundùm principia Ethnicorum qui ab æterno præter summum bonum, qui est ens optimum, posuerunt alios Deos non optimos, nam præter Deum, ponitur etiam possibilitas creaturarum, quæ non est optima.

Respondetur. Posuerunt Ethnici Deos non optimos, existentes tamen. Possibilitas hæc non ponitur existere ab æterno; & in se ipsa secundò essentialiter, involvit indigentiam Dei ad sui in statum existentiæ positionem; adeoque nihil habet de linea Deitatis.

Objicit VI. idem. Quæ magis distant à divina bonitate, magis distant à divina necessitate; Deus enim est necessarius ratione suæ bonitatis infinitæ; sed possibilitates istæ magis distant à divina bonitate, quàm Dii secundarii Gentilium; Ergò magis distant à divina necessitate; Ergò si adhuc istæ possibilitates sunt necessariò, à fortiori poterunt inferre non esse absurdum, ut dentur Dii secundarii, necessariò.

Respondetur. Neg. Minorem: Cùm enim possibilitates istæ, sint nexus essentialium prædicatorum, adeoque nexus non implicantium contradictionem; è contra cùm Dii secundarii implicent contradictionem, fit ut possibilitas passiva minùs distet à divina bonitate; concessa autem hac possibilitate, quæ est dictus nexus, non apparet qui concedi deberet disconnexus qualis est in pluribus Diis, cumque hæc possibilitas non sit existens, Dii autem illi debeant esse existentes; hinc concessa illa possibilitate, non erit necesse concedere Deos secundarios; nihilque est absurdi concedere aliquid necessarium quoad connexionem prædicatorum, modò non concedatur necessarium quoad existentiam; quia hoc soli Deo competit, qui necessariò est unus.

Instat. In hac materia valet argumentum quo Manichæus relatus à S. August. ex eo quòd Catholicus concesserit muscam non esse conditam à Deo, intulit nec hominem: Si enim possibilitas aliqua distincta à Deo est æterna & necessaria, etiam mundus poterit esse æternus & necessarius juxta errorem Gentilium.

Respondetur. Si poneretur possibilitas aliqua distincta à Deo eaque existens, & non nihil existentiæ, posset inferri etiam mundum existere ab æterno; sed si non ponatur illa possibilitas existens, sed capax existere, indigereq; Deo, ut in statum existentiæ reducatur, solùm sequitur poni etiam possibilitatem mundi ab æterno indigentem ut ex nihilo existentiæ extrahatur à Deo.

Objicit VII. idem, in Responsione ad secundum. Opposita sententia procedit secundùm principia quorundam Ethnicorum, qui posuerunt supra Deum, qui est primus intellectus, rationem formalem Rerum, quæ non sit intellectus; tales enim possibilitates distinctæ à Deo, non sunt intellectivæ; Ergo si tales non implicantiæ sunt ratio cur Deus possit facere possibilia, aliquid non intellectivum est ratio potentiæ divinæ intellectivæ, quod est, sicut si diceretur quòd prima ratio supremi intellectus, sit lignum.

Respondetur. Ponentes fatum volebant illud influere in eventus felices, & infelices, tribuebantque illi vim rectivam, & administrativam mundi &c. nihil autem simile per nos tribuitur illi possibilitati, talesque non implicantiæ non sunt ratio omnipotentiæ divinæ, vel tribuentes illi vim agendi vel superaddentes illi vim intelligendi, sed sunt ratio omnipotentiæ hoc est, respondivum per ordinem ad nostras intentiones in re fundatas, quare hoc quidem contineatur in omnipotentia, illud non contineatur.

Instat. Secundùm hæc principia sequitur, quòd prima illa idea sit ideatum ab aliqua priori idea, ratio enim cur Deus cognoscat hominem esse possibilem & animal rationale, est veritas objectiva, necessaria & æterna, per quam homo est animal rationale, & est possibilis, sed cognitio divina est prima idea, ergò prima idea, habet rationem cui conformetur, adeoq; habet aliam priorem ideam, & quia possibilitas passiva non est intellectiva, neque sapiens, sequitur quod prima idea non est intellectiva, nec sapiens, quod est Ethnicismus: Si enim aliquid non intellectivum potest esse necessariò ratio primi intellectûs, à fortiori aliquid non intellectuale poterit esse ratio mundi, sufficitque istam non implicantiam potentialem immistam homini ponere, tanquam rationem à posteriori, per quam cognoscamus, quod Deus possit facere hominem.

Respondetur. Sicut distinguimus activam & passivam possibilitatem, ita distinguimus formalem & objectivam ideam, formalis debet esse intellectiva, secùs objectiva, quæ est illud quod exprimit divina in se idea, hoc est nexus ille prædicatorum, qui interdum est nexus intellectivi, qualis est nexus prædicatorum Angeli, animæ rationalis &c. sed ipse non debet esse intellectivus, Deusq; est formalis idea prima, sed non objectiva. Idea prima formalis debet esse intellectiva, quia hæc debet esse Deus, debet esse ipse Artifex supremus, res ponibiles ideans, ut secundùm hanc ideam, omnipotentia operetur. Hancq; ideam operativam ponere non intelligentem absurdum est; idea autem ipsa objectiva, prior præ formali, potest non esse intellectiva nec omnipotens. Deinde

sequitur

sequitur quidem quòd ex modo nostro concipiendi pro aliqua conceptuum serie, sit prior illa possibilitas passiva, sed non prior re, nec repugnat dari prius ratione aliquid præ omnipotentia, quare hoc omnipotentia contineat, si autem est prior solùm ratione, non potest esse ratio mundi ponendi, quia ratio ponendi mundi, seu effectivum illius, non debet esse aliquid nonnisi Metaphysicum, sed verè existens, verè omnipotens &c. præcipuè quia illi priori per rationem, nulla etiam assignatur vis, se ipsam extrahendi ad statum existentiæ, sed in illa possibilitate passiva, imbibitur indigentia DEI Erit autem hæc ratio prior, quia ratio cur ipsa omnipotentia hoc producere possit, reddi debet, quia est possibile.

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur recentioribus argumentis.

Objicit I. Quidam. Agens quò perfectiùs est, eò minùs indiget ad operandum ullo extrinseco, quod habeat conditionem seu rationem comprincipii, seu conditionis ad agendum determinantis. Vnde perfectior artifex paucioribus indiget instrumentis ad efficiendum opus artis. Hinc etiam potentia creativa est perfectissima, quia non prærequirit quidquam ex parte objecti circa quod operatur. Et ratio est, quia ex S. Thoma agens in tantum agit in quantum est in actu, eoque plus potest agere, quò plùs habet de actu, sed quò plùs habet de actu, eò plùs habet de virtute determinatè, ideoque minùs indiget determinari ab extrinseco ad agendum: ergò agens summè activum & plurimum habens de actu, qualis est Deus, minimè indiget ullo extrinseco determinativo ad operandum, ergò non debet dari ulla possibilitas ex parte creaturarum complens Deum in ratione determinante potentis producere creaturas sed potiùs talis determinatio debet esse intrinsecè & adæquatè identificata cum Deo.

Respondetur imprimis. Concedendo totum, quia etiam ii qui admittunt cum Scotistis possibilitatem creaturarum esse ens quoddam actuale diminutum, volunt quidem illud esse objectum actuale omnipotentiæ, & ab illo actu distinctum, non tamen habere rationem comprincipii, nihil enim per illos saltem primò producere potest se ipsum. Deinde posset responderi cum distinctione, completivum agentis, completivum omnipotentiæ dupliciter cogitari posse; primò activum completivum, & hoc nullum habetur. Secundò completivum per modum objecti, termini, & circa quod, taleque completivum non repugnat habere Deum, sicque sumptum completivum est possibilitas creaturarum. Addo Majorem prout ponitur non concludere: Instantia enim quòd perfectior artifex paucioribus indigeat instrumentis, saltem universaliter non tenet, quia plura requiruntur instrumenta, ad fabricandum minutulum horologium, quàm ad soleam vel clavum. Potentia creativa si comparetur ad potentiam productivam unionis hypostaticæ, si non est inferior, saltem se habent, sicut excedens & excessum; & tamen potentia productiva unionis hypostaticæ indiget naturâ creatâ, tanquam comprincipio in genere causæ, suo modo materialis. Nullo tamen tali comprincio indiget potentia creativa.

Instat I. Essentialis perfectio & bonitas Dei est adæquatè identificata Deo, nec constituitur partialiter per aliquid extrinsecum: sed esse communicativum ad extra, pertinet ad perfectionem & bonitatem essentialem Dei; ergò esse communicativum ad extra seu productivum creaturarum, est denominatio adæquatè intrinseca Deo, nec constituitur etiam partialiter per ens diminutum possibilitatis creaturarũ.

Respondetur. Concedo totum, quia nec Scotistæ docent esse productivum creaturarum constitui partialiter per ens diminutum possibilitatis, sed solùm respicere tanquam terminum. Deinde secundùm dicta esse communicativum adæquatè est intrinsecum Deo spectatum secundùm esse activum, non autem spectatum secundùm terminum, objectum, & circa quod. Quod attinet ad Majorem, dici potest: Quòd essentialis perfectio & bonitas Dei quædam absoluta est, & hæc adæquatè indentificatur Deo, hoc ipso enim non esset absoluta, & alia est bonitas respectiva, hæc ex ipso titulo respectivi indiget alio tanquam termino & objecto, sed non tanquam parte, de quo alibi.

Instat II. Deus ità per se ipsum est principium liberum effectivum creaturarum, sicut per se ipsum Pater æternus est principium necessarium Verbi divini? Atqui ut Pater æternus generet verbum nihil præsupponitur extrinsecum, nec prærequiritur possibilitas tenens se ex parte Filii distincta à Patre.

Respondetur. Etiam possibilitatem productionis Verbi prærequiri, prærequisitione non physicâ, sed metaphysicâ, si enim esset impossibile VERBUM, non illud produceret Pater: sicut quia præsupponitur esse impossibilis secundus Filius, non illum producit Pater.

Instat III. Illud additamentum possibilitatis vel est quid posteriùs objectivè Deo vel concomitans, vel prius objectivè. Si est posteriùs objectivè, aut concomitans, non poterit dari à priori cur possit DEUS producere muscam, & non hircocervum: Si autem est prius DEO, ergò est à se, nec dependet à DEO in ullo genere causæ, origoq; mundi resolvetur in illam entitatulam cæcam, quia non est sapientia; & non volentem, profluetque universum ex fatali necessitate, quæ est positio Gentilium.

Respondetur. In nostris principiis nullam

dari entitatulam hanc, quæ sit actu nemine cogitante ab æterno. Directè ad argumentum dicitur. Possibilitatem secundum esse suum fundamentale spectatam esse ipsummet Deum; adeoque nec prius aliquid nec posterius Deo: Spectata autem secundum suum esse actuale erutum ex illo fundamento, licèt sit quid metaphysicum, prius est intentionaliter, & præsuppositivè ante omnipotentiam non erit tamen physicè à se, licèt pro illo statu præscindet, ab esse ab alio antecedenter, præscindatque in illo priori à dependentia per prius à Deo, origoque mundi resolvetur in illam possibilitatem non tanquam in causam, sed tanquam præsuppositum, ut causari possit; consequenter non pendebit mundus physicè à fatali necessitate, pendebit tamen à necessitate metaphysica, ut homo v.g. sit nonnisi homo.

Addo illam ipsam metaphysicè spectatam possibilitatem fundare in se, ut non sit à se, sed ab alio, hoc est, ut sit objectum producibile à Deo consequenter fundare in se dependentiam à Deo: pro statu autem suo physico & reali, erit simpliciter ab alio. Et ad hoc esse Metaphysicum puto alludit phrasis Aristotelis, qui *essentias rerum* appellat *æternas*, *immutabiles*, & ita ut illud non esse à se, esse ab alio, non sit quidem ratione antecedens possibilitatem passivã, sit tamen illi innexa formalitas, eamque comitans pro illo etiam priori, quo possibilitas passiva præsupponitur omnipotentiæ, quia imbibit in se, ut dictum suprà, indigentiam Dei ad existendum actu.

Addit idem, gratis poni hanc possibilitatem passivam, imò tenentes illam, declinant per Maurum ad hæresim Manichæorum ponentiũ duo rerum principia, unum summè bonum, alterum malum, cùm etiam nos ponamus unum principium summè bonum, nempè omnipotentiam, alterum non bonum, seu expers omnis bonitatis; & tamen tanquam principium passivum, consequenter ut principium: nam potentia ut res sit manifestè, est principium rei. Sed hoc etiam additum non convincit; nam non gratis ponetur possibilitas passiva ob argumenta supra allata & infra ponenda. Imò nec arguens inculcat in argumentis possibilitatem passivam: hoc ipso enim solvisset aliqua argumenta. Mauri censura non tenet. Quia Manichæi ponebant duo principia physica, possibilitas autem passiva non est quid physicum æternum. Ponebant illa principia duo activa; Possibilitas autem passiva non agit se ipsam, negoque quòd objectivus nexus prædicatorum, sit expers omnis bonitatis, cùm sit ipsa rei essentia, quæ necessariò est in se etiam bona. Ille terminus principium passivum non usurpatur à nobis. Potentiaque sumpta pro termino, non potest ullo modo sine addito appellari principium.

Objicit II. Idem. Si daretur aliquid in se intrinsecè æternum ac necessarium distinctum à Deo, darentur plures æternitates à parte rei distinctæ, una scilicet competens musicæ, altera Deo, hoc autem repugnat.

Respondetur. Nullam à nobis Physicam actualem æternitatem concedi possibilitati rerum; distinctam ab activa possibilitate, impossibilitas autem plurium æternitatum, est impossibilitas physicarum æternitatum, licèt quòd homo essentietur animali rationali non pendeat id à tempore, sed ab æterno sit fundamentaliter verum.

Instat I. Omne ens æternum ac simpliciter necessarium est realiter summum bonum, summum autem bonum est essentialiter unicum: Ergò hæc æternitas & necessitas non competit possibilitati. Major probatur authoritate Augustini. Et ex eo quia omne æternum ac necessarium nullam dicit imperfectionem; ergò omnem includit perfectionem, consequenter est purum & summum bonum, sicut quod nullas includit tenebras, omnem includit lucem, exclusioque unius contradictorii, est inclusio alterius. Quod argumentum pluribus dilatatur: v. g. Quod nullum habet meritum & capacitatem terminandi prudentem aversionem voluntatis; illud nullam includit imperfectionẽ. Omnis enim imperfectio potest esse objectum prudentis displicentiæ. Sicut omnis perfectio, objectum est complacentiæ prudentis, & omnis veritas, objectum assensûs, falsitas dissensûs. Atqui nullum æternum ac necessarium, est capax terminare prudentem fugam & displicentiam: Stultum enim est fugere quod evitari non potest: quia fugere quod evitari non potest, est velle ut non sit id quod repugnat non esse, quod est absurdum.

Respondetur. Omne ens æternum ac necessarium physicè est summum bonum; non autem si sit necessarium nonnisi metaphysicè & terminativè. Illa propositio omne æternum ac necessarium nullam dicit imperfectionem, procedit de æterno ac necessario tàm Physicè quàm Metaphysicè; ex ly tamen nullam dicit imperfectionem, non rectè pro omni eventu infertur, omnem includit perfectionem; quia ad salvandum Ly nullam dicit imperfectionem, sufficit non carere sibi debitis; potest autem aliquid non carere sibi debitis, & tamen omnem in quocunque genere, non dicere perfectionem. Ut asinus in ratione asini, nullam dicit carentiam perfectionis sibi debitæ, neque tamen includit omnem perfectionem. Meridianus item aer, nullas dicit tenebras, & tamen falsum est, quòd Lux meridiana, dicat omnem lucem. Exclusio quidem unius contradictorii, est inclusio alterius, sed negationis Lucis, non est contradictorium omnis Lux. Ad reliqua quæ adferuntur, dici potest, quòd possibilitas passiva in aliquo genere prudentem aversionem

nem terminare non possit; neque enim prudenter potest aliquis velle, ne homo sit animal rationale; Possibilitasque passiva nullam includit imperfectionem, hoc est carentiam sibi debiti, adeoque includit omnem debitam sibi perfectionem, sed non omnem simpliciter & absolutè, quia hoc est proprium soli bono summo; Rursùs possibilitas continet formaliter suam perfectionem, eminenter non continet alias; secùs summum bonum, stulteque quis vellet perire passivam possibilitatem, quia implicat illam perire ob nexum cum omnipotentia, vellet enim Omnipotentiam perire, quod est absurdum. Attendendo autem ad hoc, quod possibilitas passiva creaturarum non dicat omnem simpliciter & absolutè perfectionem; ex eoque contemni possit ne in actum reducatur, dici potest quòd nullum æternum ac necessarium physicè sit capax terminare prudentem fugam & displicentiam, quod tamen est æternum ac necessarium metaphysicè potest hanc displicentiam terminare in ordine, V. G. ad suum extra causas educi & poni in statu physico, non potest tamen terminare displicentiam prudentem circa ipsum nexum essentialium prædicatorum, neque enim DEO displicere potest; quòd homo sit animal rationale.

Instat II. DEUS sibi ipsi se solo planè sufficit ut existat, & cùm sit Dominus universorum, omnia à se distincta, habet sub dominio suo; ergò potest omnia à se distincta efficaciter contemnere, & dicere, nolo ut sit aliquid à me distinctum, sufficit mea essentia infinita: quod est principium Theologicum pro unitate DEI; quod apud nos vim non habet, si enim daretur aliquod ens simpliciter necessarium extra DEUM, qualis esset possibilitas creaturæ, non posset illud efficaciter contemnere; neque illud habere sub suo dominio, ut conceditur. Unde etiam illud deberet necessariò amari eâdem necessitate, quâ amat se, deberetque huic enti conferre ubiquitatem, æternitatem &c. Et tamen DEUS ipsam pretiosam humanitatem Filii sui respuere absolutè loquendo potest.

Respondetur. Hæc omnia esse vera de Ente necessario & æterno physicè, & quoad existentiam, non de ente necessario, quoad essentialium prædicatorum nexum quamvis absolventem à tempore. Deinde quæro an hominem possit Deus facere asinum vel non? si potest, ergò potest produci ens rationis: si non potest, quomodo Deus habet hominem sub dominio, cùm de illo disponere non possit ut voluerit: Quod procedit etiam de ipsa possibilitate passiva. Et si Oppositi recurrant, quòd sufficiat ad salvandum Dominium Dei ut possit de existentia, esseque actuali disponere, idem nos dicemus. Potest consequenter dicere Deus, nolo ut existat aliquod à me distinctum, sed non potest dicere, nolo ut aliquid à me distinctum, habeat essentialem nexum suorum prædicatorum. Ex hoc autem principio quia potest Deus dicere, nolo ut sit aliquod à me distinctum, infertur benè, ergò Deus est liber in condendo mundum. Negatur etiam quòd possibilitatem secundùm essentialia spectatam possit contemnere aut efficaciter respuere Deus, cùm non possit dicere; nolo ut homo sit homo, & per Theologos possibilia necessariò amat Deus, necessariò ex illorum amore spirat Spiritum sanctum, adeoque eâdem necessitate, licèt non appretiativè amat illa ac se.

Instat. III. Certum est ex fide nihil distinctum existere ab æterno, sed si essentia creaturæ ab æterno fuit aliquid in se intrinsecè, eo ipso existebat, eò quòd existere aliquid, nihil aliud est, quàm esse aliquid in se intrinsecè & non purè in Causa.

Respondetur. Hoc argumentum probare, quòd essentiis & possibilitati passivæ non sit danda actualitas, & realitas æterna, prout illa coincidit cum esse physico, sed non probat illis non convenire Metaphysicum esse reale, prout opponitur ficto, quod quidem independenter ab operatione sit nonnisi fundamentaliter, possit tamen conceptu nostro actuari, adeoque cum fundamento in re, & ita, ut veritas illius nunquam in tempore aliquo inceperit. Quando autem S. Thomas nullam admittit veritatem æternam nisi primam, loquitur de veritate existente: admittit enim S. Thomas cum Aristotele propositiones æternæ veritatis.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Solutio.

POnit aliqua idem recentior contra esse distinctum creaturarum, quæ ne contra nos militent, hîc sunt expendenda.

Objicit III. idem. Eo ipso quòd intelligatur cognitio mea exprimere prædicata Lapidis, seclusò quovis ente diminuto resultante ex mea cognitione Lapis denominatur formaliter cognosci, ergò lapis in esse cogniti formaliter constituitur per solam cognitionem ipsi extrinsecam præcisè. Et sanè videtur omninò idem dicere, qui dicit dari cognitionem de Lapide, & qui dicit lapidem cognosci, & tamen primum non includit entitatem diminutam.

Respondetur. Quidquid sit de voce, an objectum notitiæ, debeat appellari ens diminutum, positio nostra in hoc stat. Cognitio est partus intellectûs & objecti, nec potest esse sine objecto, & quia dantur propositiones æternæ veritatis, debebant dari & objecta æternæ veritatis; quæ quia ab æterno non erant actu, sed nonnisi fundamentaliter dicimus ex illo fundamento erui objectum illud, quod non sit idolum quoddam, quale in universalibus rejectum

ctum est, sed sit illa ipsa res, cujus fundamentum habebatur, actuali cognitione attnctâ. Huic propositioni ne videatur argumentum adlatum nocere, tenendum erit, quòd eo ipso quòd intelligatur cognitio, intelligatur v. g. Lapis formaliter cognosci activè, adeoque haberi id, quod se tenet à parte intellectûs, non tamen intelligitur lapis formaliter cognosci passivè; nam objectum illius cognitionis seu cognitum passivè, non est ipsa cognitio, sed ipse lapis, sine quo cognitio Lapidis esse non potest.

Instat I. Antecedenter ad cognitionem lapidis, lapis denominatur cognoscibilis per solam virtutem cognoscendi: Ergò etiam lapis redditur actu cognitus, per solam cognitionem actu existentem & lapidi extrinsecam.

Respondetur. Activè cognoscibilem denominari lapidem à solâ virtute cognoscendi, passivè tamen cognoscibilis denominatur à suorum prædicatorum talitate, cujus in propositionibus æternæ veritatis nonnisi fundamentum actu habetur.

Instat II. Ens diminutum à quo lapis dicitur cognitus formaliter vel est extrinsecum lapidi, vel intrinsecum? Si primum, ergò tam benè potest denominari lapis cognitus à cognitione, quàm ab ipso ente diminuto; utrumque enim est extrinsecum lapidi. Si secundùm; contra est, quia sæpè contingit objectum non existere dum cognoscitur: Unde tunc objectum sicut nullum habet esse actuale, ita nec potentiam receptivam intrinsecè, alicujus entitatis, quamvis diminutæ. Casuque quo à diversis duo contradictoria de eodem affirmentur, deberet objectum intrinsecè recipere duo esse objectiva utriusque contradictorii.

Respondetur. In nulla sententia ens illud diminutum recipitur in objecto cognito, sed ipsum objectum cognitum vocatur ens diminutum. Directè dici potest quòd illud ens diminutum (rectiùs diceres objectum passivè cognitum) sit sibi ipsi intrinsecum, quoad esse cognoscibile activum, sit quid illi extrinsecum, & tenens se à parte intellectus, si autem esse cognoscibile activum tenet se à parte intellectus non poterit objectum absque illo (ut vocas) Ente diminuto, appellari cognitum.

Instabis III. Etiam posito quod resultaret hujusmodi ens, adhuc in illo non posset consistere possibilitas creaturæ: nam ex Perez possibilitas rei est primus conceptus rei necessariò existens à se: Si enim possibilitas hominis existeret ab alio antecedenter, jam pro illo priori homo haberet posse esse ante suam possibilitatem: Ergò cùm ens istud diminutum sit posterius realiter cognitione ex quâ profluit, non potest esse possibilitas creaturæ.

Respond. Non satis intelligi, quomodo possibilitas passiva sit necessariò existens à se, cùm id soli DEO competat, qui non est primus conceptus possibilitatis passivæ; habetque possibilitas in se imbibitam indigentiam, ut à Deo ponatur, in statu existentiæ.

Instat. Posteà idem arguens, impugnando phrasim hanc. Possibilitas est ens diminutum. Quæ in quantum ostendunt quòd possibilitas non sit quid actuale reale nemine cogitante ab æterno, benè concludunt, in quantùm autem ens diminutum accipiunt grammaticaliter pro patiente defectum debitum perfectionis, non concludunt, quia Auctores non hanc diminutionem exprimere volunt, sed quòd sit illic necessitas, sed diminuta, quia necessitas non inferens existentiam, est æternitas, sed non actualis extra causas, adeoque cum diminutione.

Objicit IV. Objectum propositionis affirmantis aliquam actualitatem debet esse actuale, & non purè potentiale, quia omnis propositio est vera per conformitatem ad suum objectum: sed possibilitas est objectum verificativum istius propositionis affirmantis aliquam actualitatem, quâ Deus ab æterno sibi dicebat, homo est actu possibilis, seu actu non repugnat: Ergò possibilitas hominis non est quid purè potentiale.

Respondetur. Propositionis affirmantis aliquam actualitatem metaphysicam, sufficit ut sit objectum actuale intentionale, sicut & universale fabricatum ab intellectu, est objectum actuale intentionale; non est tamen necesse ut propositionis affirmantis actualitatem metaphysicam, sit objectum actuale physicum; ut ita servetur proportio & conformitas requisita. Et quia quando DEUS affirmat. Homo est actu possibilis, affirmat actualitatem metaphysicam, neque enim est ille homo actualiter physicè; ergò non debet illic quæri objectum actuale physicum, qualis actualitas physica ab æterno, soli DEO competit. Et certè illius propositionis: homo est actu possibilis, non tantùm est sensus, datur actu possibilitas activa hominis, imò rigorosè loquendo non debet esse hic sensus, quia possibilitas activa hominis non est homo, de quo tamen prædicatur Ly actu possibilis, sed debet esse sensus: datur actu passiva possibilitas, scilicet respondens intellectui divino ratione fundamenti, quod habet in suâ omnipotentiâ, quæ potest illum producere animal rationale, & nonnisi animal rationale.

Instabis. Esse quid in potentiâ convenit actu essentiæ hominis quamvis non existentis: non enim hoc illi convenit in potentiâ, ne detur processus in infinitum: Ergò dari debet actualitas aliqua objectiva, ratione cujus verificetur hæc propositio: convenit possibilitas actu essentiæ Antichristi, & si possibilitas Antichristi est quid in se intrinsecè verum & æternum, quomodo non datur actu.

Respondetur. Si dicam, hoc ens actu non actuatur, velitque aliquis ex illo: *actu* infer-

inferre, quòd hoc quod non est actu, actu existat, falsificantem redderet argumentationem suam: ita ex eo, quòd essentia hominis vel Antichristi sit quid actu in potentiâ, seu quod conveniat possibilitas actu essentiæ hominis inferre actualitatem, videtur esse falsificans argumentatio; idque ideò quia vi illius termini convenit possibilitas actu objectivè, significatur Ly non actuatur, sed actuari potest, hoc autem ipsam actualitatem pro futuro, non pro præsenti designat.

Ex præhabitis, Addo: Hanc propositionem *homo est actu possibilis*, si procedere dicatur de possibilitate activa est nemine cogitante ab æterno vera, quia nemine cogitante datur ab æterno omnipotentia quæ est possibilitas activa hominis. Si autem procedat de possibilitate passiva, non est nemine cogitante actu objectivè vera, sed nonnisi fundamentaliter vera secundùm explicata. Consequenter conceditur actualitas aliqua Metaphysica, non tamen Physica verificativa dictæ propositionis. Ad maximum hîc infertur actualitas termini, quæ est competens etiam iis, quæ non sunt actu, quales sunt termini relationis transcendentalis.

Objicitur V. Per nos saltem consecutivè & secundariò possibilitas rerum est non implicare contradictionem, hoc autem dici non potest ens purè negativum, quia non identificaretur cum ente positivo: Sed possibilitas muscæ identificatur cum ente positivo, ergò possibilitas ejus est ens positivum.

Respondetur. Illas solas negationes positivo non identificari, quæ sunt negationes tollentes ipsum positivum, & contradictorium positivi, aliàs idem esset & non esset, idem foret affirmatio & negatio. Possunt tamen negationes identificari non tollentes illud positivum, sicut identificatur homini negatio cervi, quia non tollit positivum hominis, non identificatur autè negatio hominis, quia tollit hominẽ. Identificatio autem illa negationis, ut suppono ex aliis materiis, est secundùm id quod dicit illa negatio in Recto, ipsummet illud esse in recto enim dicit aliquid positivum. Reliqua argumenta ostendunt potiùs possibilitatem concipi debere per aliquid positivum quod etiam à nobis dicitur.

Punctum Difficultatis 4.

Expenduntur aliquæ propositiones.

I. Propositio arguentis. *Essentia rei in statu possibili nihil est in se intrinsecè, sed est pura denominatio extrinseca desumpta ab omnipotentia.*

Prima pars propositionis hujus est vera in nostris principiis secundùm limitationes adlatas, quòd scilicet nihil sit intrinsecè physicè. Secunda pars limitari deberet, si enim sit sensus nullum esse reale physicum convenire actu essentiis rerum, sed solùm convenire illis continentiam in omnipotentia, & posse contineri, sic propositio sumpta est vera; sed hoc non deberet appellari denominatio extrinseca, contineri enim in aliquo tanquam in causa non est denominatio extrinseca, & hoc quod est contineri in omnipotentiâ habetur ex ipso etiam prædicatorum nexu præsuppositio.

II. Propositio. *Antichristus possibilis est quoddam concretum Logicum pro subjecto dicens essentiam, quæ tamen nihil sit in se intrinsecè, pro formali verò in obliquo, idem Antichristus merè possibilis, dicit ipsam omnipotentiam DEI prout virtute continentem Antichristum.*

Quod attinet ad hanc propositionem; accipiendo subjectum illius, quod est essentia Antichristi de qua dicitur quòd nihil sit in se intrinsecè, duo dici possunt: quòd scilicet illa essentia nihil in se intrinsecè physicè in genere existentiæ, actualitatisque quæ sit nemine cogitante, falsum tamen est quòd sit nihil intrinsecè in ratione essentiæ, & Metaphysicè, quæ nihil quidem est actu ab æterno, est tamen fundamentaliter. Rursùs si est essentia, ergò non est nihil seu non esse essentiæ, alioqui non esset hoc, quod est, si autem illic non est non esse essentiæ, quomodo dicitur nihil esse in se intrinsecè in ratione essentiæ. Et certè pro illo priori, in quantùm concipitur ante advenientem denominationem extrinsecam possibilitatis est jam essentia, per quid ergò constituitur? & illud constitutivum erit quæsitus conceptus possibilitatis passivæ.

III. Propositio. *Possibilitas activa denominat Antichristum possibilem, & sicut cognitum & amatum sunt concreta Logica, & pro materiali dicunt objectum, quod quandoque non est in se intrinsecè, pro formali verò dicunt cognitionem, amorem, à quibus veluti à formis extrinsecis objectum illud extrinsecum dicitur cognitum aut amatum. Ita & in præsenti.*

Quod attinet ad cognitum & amatum. Putarem esse condistinguendas has propositiones: est cognitum, est amatum: à propositionibus: est cognoscibile, est amabile. In prioribus illis tota ratio habetur à formâ extrinsecâ, unde hæc denominata appellantur extrinseca: In posterioribus habetur quidem ratio cognitionis & amoris, quomodo enim esset aliquid cognoscibile si non dabilis esset ejus cognitio, dicit tamen etiam pro sua parte rationem cognoscibilis, rationem boni seu amabilis, quæ ipsa Formalitas antecedit rationem cognitionis & amabilitatis, non enim ideò aliquid amabile est à priori, quia amatur, sed ideò amatur quia amabile est; ita & possibilitas passiva se in præsenti habet; non autem ut merè cognitum: quia possibilitas passiva non desumitur merè ab omnipotentia, quanquam condistinguendo cognitum in cognitum activè & cognitum passivè,

cognitum activè est à cognitione, cognitum autem passivè non est tantùm à cognitione, de quo alàs in materia de Sacramentis, quod ipsum etiam sic declaratur. Possibilitas passiva dupliciter spectari potest. Imprimis in quantùm est effectus, ut ita dicam, possibilitatis activæ, & sic indubiè secundùm limitationes aliàs adlatas, effectus, est posterior causâ. Secundò possumus cogitare possibilitatem passivam, in quantum est ratio cur hoc contineri potest in ipsamet omnipotentia, & possibilitate activa, & in quantùm possibilitas passiva est terminus Relationis transcendentalis, quam dicit omnipotentia. Et sic sumpta possibilitas activa, habet rationem posterioris, illiusque sic sumptus quæritur conceptus metaphysicus.

Dices. Ex eo præcisè Antichristus denominatur possibilis ab æterno, quia ab æterno datur omnipotentia productiva Antichristi; ergò Antichristus in ratione possibilis denominatur adæquatè, à solâ omnipotentiâ. Antecedens probatur. Tum quia nihil dabatur ab æterno in se intrinsecè præter omnipotentiam Dei à qua possit denominari Antichristus possibilis ab æterno. Tum quia causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa, sunt idem realiter cum sola diversitate modi in apprehendendo.

Respondetur. Antichristus denominatur activè possibilis, nonnisi ab omnipotentia, quæ sola est actu physicè in se intrinsecè, passivè tamen possibilis, denominatur à nexu suorum prædicatorum, qui nexus, licèt nihil sit in se intrinsecè physicè, est tamen aliquid in se intrinsecè metaphysicè. Et licèt causam posse facere effectum, & effectum posse fieri activè à causa, sint idem realiter, causam tamen posse facere effectum, & effectum fieri posse passivè non sunt idem realiter, quia inter effectum qui fieri potest passivè, & inter causam quæ illum potest facere activè est distinctio realis, ut supponitur ex materia de causis.

Instabis. In essentia Dei sicut omnes essentiæ cognoscuntur, ita etiam continentur; ergò divina essentia, quatenus contentiva prædicatorum convenientium creaturæ, quamlibet creaturam adæquatè denominat possibilem.

Respondetur. Sicut essentia creata præter cognitionem sui in essentia Dei habet suam in se cognoscibilitatem, ita potest habere possibilitatem passivam, negatur item creatas essentias, solùm cognosci in essentia Dei, cùm noscantur etiam in seipsis.

IV. Propositio. *Status quidditativus essentiarum, est ipsa Deitas, quæ sola est in se actu & quidditativè, aliæ verò res, nõ sunt quidditativè in se ipsis.*

Hæc propositio mollior fuisset si additum fuisset de statu quidditativo essentiarum sed activè sumptarum: arguens enim in oppositum admittit possibilitatem activam & passivam, & tamen in argumentis & propositionibus hos terminos non applicat. Deinde viderentur distinguendi status, quidditativus, & status physicus realis actualis, ille enim status quidditativus est status metaphysicus, aut potiùs Logicus, cujus est ad quidditates attendere, respondereque ad interrogationem. Quid est? & quia quærendo quid est homo? non rectè respondetur est Deus, ideò nec Deitas erit status quidditativus hominis, licet physicè spectata possibilitas hominis ab æterno nulla sit, nisi contineri in omnipotentia.

V. Propositio. *Deitas de quâ solâ verificatur ab æterno propositio de secundo adjacente, sola etiam est prima necessitas, ac veritas objectiva necessaria æternaque verificans omnes hujusmodi propositiones necessarias.*

Respondetur. De solâ Deitate verificatur propositio de secundo adjacente, quia illa non est verificabilis nisi de existentibus physicè, solus autem Deus existit ab æterno physicè. Sed negatur quod sola essentia divina terminativè, verificet omnes propositiones æternæ veritatis: de quo aliàs.

VI. Propositio. *Essentiæ rerum creatarum dicuntur actu æternæ, necessariæ, ingenerabiles, incorruptibiles per denominationem, scilicet extrinsecam, id est, actualitate, æternitate, necessitate, ingenerabilitate divinæ essentiæ.*

Hæc Propositio ut intelligatur: Per nos non datur ulla actualitas essentiarum ab æterno; in principiis ergò nostris activa æternitas essentiarum, est ipsa essentia divina; passiva tamen ingenerabilitas & incorruptibilitas, habetur etiam in objecto, per ordinem ad nostros conceptus, eò quòd non in tempore incipiat esse verum, quòd homo non possit esse nisi animal rationale, quodque hoc corrumpi non possit ne conveniat homini. Et sicut essentiarum creatarum pluralitas non desumitur ab essentia Dei, concipi debent æternæ.

VII. Propositio. *Sicut omnes bonitates essentiales creaturarum priùs sunt in Deo, quàm in creaturis, ita omnis veritas essentialis priùs est in Deo, quàm in creaturis.*

Hæc propositio servit intento nostro: Sicut enim bonitas essentialis creaturarum non est essentialis bonitas divina, nec bonitas illarum est denominatio extrinseca, quia nec entitas illarum est denominatio extrinseca; ita & possibilitas creaturarum dabitur per ordinem ad nostros conceptus, quæ non erit mera denominatio extrinseca. Ea quæ adfert de negationibus alibi expendentur.

Punctum Difficultatis 5.

Restaurantur Argumenta.

OPposuit sibi prædictus recētior argumenta, quibus probatur possibilitatē non esse omnipoten-

potentiam aut solam denominationem extrinsecam, illisque respondit, restauranda sunt hæc argumenta:

Primum Argumentum. Quod sibi proposuit prædictus recentior est tale. Deus potest physicè producere rem possibilem, sed non potest producere physicè nihilum, nec etiam suam omnipotentiam: Ergò res possibilis est aliquid reale positivum distinctum ab omnipotentia Dei, ad quod terminatur Omnipotentia Dei, præcipuè quia unicuique potentiæ activæ debet correspondere potentia passiva distincta.

Respondetur. Antichristus purè possibilis non est ipsa omnipotentia Dei quoad respectū & specificativè sumptus, sed tantùm reduplicativè & quoad suam possibilitatem, æternitatem, necessitatem. Unde potentia productiva Antichristi non terminatur ad purum nihil vel ad se ipsam, sed solùm sequitur quòd terminetur ad ens positivum, quod tamen dicitur tale solùm possibiliter, & denominativè à causa, terminaturque ad aliquid ab illa distinctum possibiliter, & denominativè, nec verum est universaliter, quòd unicuique potentiæ activæ debeat correspondere potentia passiva, quæ sit aliquid actu intrinsecè.

Contra. Tum quia Antichristus possibilis in recto non est ipsa omnipotentia; detur ergò conceptus illius possibilitatis Antichristi secundùm id quod dicit illa in recto? & hoc potiùs erit quæsita possibilitas, eaque jam non omnipotentia, quia hæc non est possibilis Antichristus in recto; non essentia æterna Antichristi, quæ sit ipsa essentia Dei, quid ergò erit illud quod dicetur in Recto? Tum quia possum quidem ego reduplicare possibilitatem activam creaturæ, sed possum etiam reduplicare possibilitatem terminativam, de qua quæro quis sit illius conceptus objectivus? Tum quia potentia productiva Antichristi non terminatur ad nihil, nec ad se ipsam, unde dum terminatur ad ens positivum, quod est tale solùm possibiliter & denominativè à causa: quæro an dum non terminatur ad nihil, sit ille terminus in se præter omnipotentiam nihil, vel non; Si præter omnipotentiam est nihil, ergò cum omnipotentia non terminatur ad seipsam, & cùm illa possibilitas præter omnipotentiam sit nihil, ad nihil terminabitur omnipotentia? Si autem præter omnipotentiam non est nihil illa possibilitas, da illius conceptum? Concedo quidem quòd potentiæ activæ non sit necesse respondere potentiam passivam quæ sit aliquid actu, & in se: nam in nostris principiis nihil datur actuale ab æterno; debet tamen respondere terminativum tale; cujus formabilis sit verus conceptus condistinctus ab ipsa omnipotentia; nam hoc ipso vel potentia se ipsam produceret, vel nihil produceret? formetur hic conceptus v. g. hominis possibilis, illiusque terminativi, & hic erit, quæsita possibilitas passiva.

II. Argumentum. Si alter mundus possibilis, item Antichristus possibilis, nihil aliud est nisi denominatio extrinseca ab omnipotentia Dei: Ergò dum dico alter mundus est possibilis, & Antichristus est possibilis, idem utrobiq; affirmatur.

Respondetur. In his propositionibus idem semper affirmatur in obliquo, & ex parte formæ denominantis, sempet tamen aliquid distinctum in recto & ex parte subjecti denominati.

Contra. Quæro quis sit conceptus illius possibilitatis in recto importatæ? cur item forma denominans possibile non potest esse possibilitas illa terminativa.

III. Argumentum. Quod per se ipsum intrinsecè non repugnat, est in se ipso intrinsecè possibile, sed Antichristus intrinsecè per se ipsum non repugnat, quia in suis prædicatis nullam involvit contradictionem; ergò est intrinsecè in se ipso possibilis.

Respondetur. Antichristum in suis prædicatis essentialibus habentibus suum esse intrinsecum in se dicere contradictionem, licèt in suis prædicatis habentibus esse purè denominativum, & extrinsecum seu in sua causa, non dicat contradictionem.

Contra. Tum quia non assignatur hæc contradictio ut colligi potest ex dictis suprà. Tum quia secundùm id quod dicit possibilitas passiva in recto, involvitne contradictionem? Si involvit, nec per denominationem ab omnipotentia reddetur possibilis. Si non involvit? ergò est in se intrinsecè possibilitate, inseitate, & intrinsecitate Metaphysicâ, & acceptâ per ordinem ad formandum conceptum possibilitatis cum fundamento in re; Ratio autem adlata vel exinde robur habet, quia denominatio illa non denominat se ipsam; quis ergò conceptus illius possibilis Petri, illius denominati &c? Tum quia quando dicitur possibile prout in causa spectatum non dicit contradictionem, dum ita spectatur, non est sensus quòd constituatur omnipotentia in omnipotentiâ; ergò illius contenti alius debet formari conceptus, & hic erit quæsitus possibilitatis passivæ conceptus, quod potest appellari possibilitas passiva, commodè etiam diceretur possibilitas absoluta intentionaliter sumpta &c.

IV. Argumentum. Antichristo convenit ab æterno intrinsecè esse animal rationale, ergò debet dari aliquid ab æterno intrinsecum Antichristo distinctum à Deo, ut sit verificativum hujus & similium propositionum. Præcipuè autem, quia hæc propositio, Antichristus est animal rationale, non verificatur per aliquid extrinsecum, siquidem id verificat hanc propositionem quod identificat prædicatum ejus

cum subjecto: nihil autem extrinsecum, potest identificare subjectum cum prædicato, cùm identitas, sit maximè intrinseca identificatis.

Respondetur. Quod Antichristus non sit in se intrinsecè animal rationale, sed tantùm denominativè, quatenus scilicet causa productiva Antichristi, simul est necessariò productiva, animalis rationalis. Addit in propositionibus æternæ veritatis essentiam Dei extrinsecam identificare prædicatum cum subjecto; non quidem actu sed possibiliter, & conditionatè, id est, est causa & necessitas identificationis actualis inter prædicatum & subjectum, ac proinde essentia Dei realiter physicè & ratione sui verificat ejusmodi propositiones. Non negat tamen, quòd ipsa identitas & connexio passiva prædicati cum subjecto in propositione necessaria, sicut est ab æterno solum denominativè & extrinsecè ab Omnipotentiâ Dei, ita solùm denominativè & extrinsecè ac ratione alterius, hoc est, Omnipotentiæ in qua continetur, verificet propositionem.

Contra. Tum quia datur ab æterno Causa productiva Antichristi, quæro cùm productivum non possit esse sine producibili, cumque hoc producibile ab æterno sit id quod est possibile, quæro de illo possibili sic sumpto, quid sit? Tum quia quid est hoc essentiam Dei identificare subjectum cum prædicato in propositionibus æternæ veritatis: non enim identificat efficienter actu, quia nihil efficitur actu ab æterno, non identificat possibiliter, quia de hoc ipso possibiliter quæritur quid sit? nec identificat formaliter subjectum & prædicatum, quia id identificat formaliter, quod est idem realiter cum prædicato & subjecto, essentia autem Dei non est idem formaliter cum animali vel rationali, adeoque cum subjecto & prædicato hujus propositionis, aliquod animal est rationale. Et licèt concedatur essentiam Dei esse causam effectivam identificationis actualis, adeoque esse activam possibilitatem, sed quærere restat de possibilitate passiva identificationeq; formali. Tum quia quod identificat hanc propositionem, homo est animal rationale, est identitas objectiva hominis, & animalis rationalis, seu objectivum *Est*. Objectivum autem *Est* non est essentia Dei. Nam essentia Dei non est homo, nec animal rationale, adeoq; nec identitas horum. Item posito etiam quòd solùm denominativè & extrinsecè habeatur connexio passiva prædicati cum subjecto, cur illud denominativum resultans non potest esse verificativum propositionum æternæ veritatis, cùm inter verificativum illud & propositonem objectivè sumptam debeat esse identitas; non est autem identitas inter animal rationale quod est homo & Deum, sed insuper adstruendo possibilitatem passivam sint.

Rationes pro Possibilitate passiva.

In rationibus suprà formatis à Mauro videre fuit, quòd neget possibilitatem passivam; sed restringit propositionem, quòd non detur passiva actu, sed potentialis; quæ sit ratio à posteriori, cur hoc Deus producere possit.

I. Ratio. Pro possibilitate passiva, eaque actuali suprà explicata ut formetur suppono. In multorum principiis, quòd omnipotentia dicat relationem transcendentalem ad creaturas possibiles: & deinde quod relatio transcendentalis exigat quidem terminum, non tamen actu in statu existentiæ positum, adeoque exercentem actu rationem termini, licèt non habeat rationem actu existentis termini. Hoc supposito, formatur Ratio, Omnipotentiæ potenti producere, vel respondet producibilitas passiva, vel non respondet? Si respondet, ergò respondet & possibilitas passiva, quia hæc non aliud est, quàm producibilitas passiva. Si non respondet, ergò & est potens producere ut supponitur, & non est potens producere, quia quòd producat nihil est; cùm, ut dicis, non respondeat producibilitas passiva; hæc enim producibilitas passiva est illud salvativum, ne dicatur produci nihil: Videantur dicta de Relatione transcendentali Dei ad creaturas. Hoc concesso sic ulteriùs urgetur. Vel respondet actu illa producibilitas pasiva, vel non respondet? Si respondet actu, habetur intentum; si non respondet actu, (suppono actualitate terminativa qualem exigit terminus relationis transcendentalis, cæteroqui non indigens positione sui termini extra causas) ergò nec est relatio illic transcendentalis actu: quia hæc non est sine suo actuali termino, sed deberet dici posse esse, sicut & terminus illius potest esse, & sicut si non est terminus, non est relatio, & si sit actu terminus, erit actu relatio; ergò si possit esse actu terminus, poterit etiam esse actu relatio, non verò erit: dicere autem quòd Deus non habeat actu relationem transcendentalem ad posibilitatem creaturarum, est dicere non habere illum relationem transcendentalem: quia relatio transcendentalis est relatio essentialis, essentialia autem Deus actu habet. Rursus si non respondet actu producibilitas pasiva, non posset dici Deus ab æterno actu omnipotens. Quod argumentum ut formetur suppono aliquas perfectiones divinas esse dependentes ab actuali existentia, sic v.g. esse Dominum, Creatorem, sumendo pro actuali Creatore &c. similia dependent ab actuali existentia: Quomodo enim Deus potest disponere de aliquo ut libuerit, quod est dominari, si de quo disponatur non sit: & aliæ sunt perfectiones, quas Deus habet, independentes à cujuscunq; creati actuali existentia, & sic quamvis nihil creatum fuerit ab æterno, est Deus æternus, putarem etiam esse actu immensum id

salvando

salvando eo modo, quo salvabitur quod sit actu omnipotens: Sicut enim est actu omnipotens, quamvis actu non produxerit omnia quæ potest; ita est actu immensus, licèt non sint actu omnia loca quæ impleret, licèt (quòd dicitur aliàs) non sit Deus quoad exercitium immensus: putarem etiam esse illum actu omnipotentem quia actu omnium habet vim producendi, concurrendi, conservandi, &c. hoc autem est esse actu omnipotentem, hoc supposito formatur ratio. Si non respondet Deo actualis possibilitas passiva non erit actu omnipotens, sed poterit esse actu omnipotens. Sequela probatur. Quia potentiæ activæ debet respondere passiva; ergò vi activæ, quæ actu habetur actu possibilitas passiva actualitate jam suprà præexplicata.

Respondebis in simili ex Mauro. Potentiæ non creativæ debere respondere potentiam passivam intrinsecam, sed non potentiæ creativæ.

Contra. Tum quia etiam potentiæ creativæ debet respondere creabile, quod probant rationes immediatè allatæ. Tum quia si potentiæ creativæ non deberet respondere possibilitas passiva, ut vocat intrinseca, ex eo id esset, quia eo ipso res non crearetur ex nihilo, sed id falsum est: quia ut creetur aliquid ex nihilo, est creari ex subjecto non præsuppositio, quod sit materia, vel exerceat rationem causæ materialis, quam rationem materiæ non exerceret per nos illa possibilitas passiva; sed potentiæ creativæ animæ, respondet nexus prædicatorum animæ, qui non est materia prima animæ, nec illam subjectat. Tum quia potentiæ creativæ debet respondere aliquid, quid enim crearet? sed non respondet ante actualem creationem non creabile, quia responderet contradictoriū ipsi creare, ergò respondet creabile; ergò possibilitas passiva intrinseca, creabile enim, & possibilitas passiva in præsenti, verbis differunt.

II. Ratio. Restauratio aliquorum quæ sibi opposuit Sylvester. Quia potest dari ratio quare Deus possit hominem producere, & non hircocervum, concessoque quòd hæc ratio non sit distincta à Deo, sed ponatur identificata cum Deo, quæro illa ratio identificata cum Deo vel est possibilitas activa, vel possibilitas potentialis? non activa, quia hîc de hac ratione identificata dicitur, quæ possit pro ratione reddi ipsius possibilitatis activæ, cur illa habeatur respectu hominis non hircocervi: non etiam possibilitas potentialis, quia hæc est terminus omnipotentiæ, ipsum ad quod terminatur creatio, tale autem non potest esse identificatum Deo.

III. Ratio. Tum quia datur possibilitas passiva potentialis, vel actu, vel non actu; si non actu non est possibilitas passiva potentialis, sed erit, si actu habetur intentum. Tum quia quando nos dicimus possibilitatem passivam esse actualem, non volumus aliud significare, quàm quod non sit quid fictum possibilitas passiva, quid ergò oberit ne hoc sensu dicatur actualis? Rursùs homo idq; ab æterno non exigit hoc, ut animalitas illius possit esse rationalis, sed exigit ut sit rationalis, ergò non tantùm dabitur possibilitas passiva potentialis, sed actualis, actualitate suprà explicata. Deniq; pro præsenti parùm interest, voca illam possibilitatem passivam potentialem, nega actualem, modò dicas condistinctam esse à Deo, quæ sit terminus relationis transcendentalis divinæ, nec Deo identificata, sufficit pro præsenti. Tum quia quod dicit quando redditur pro ratione possibilitas passiva, cur hominem possit Deus producere, & non hircocervum, quod tunc reddatur ratio à posteriori, id non convincit: Si enim nomine rationis à posteriori, hoc intelligat, quod prius sit necesse penetrari v.g. omnipotentiam item penetrari continentiam, quam habent creaturæ in Dei essentia, repræsentationem in omniscientia, & appetibilitatem in voluntate; & tum primùm reperiendo aliqua in his divinis, inferre hæc esse possibilia, & non reperiendo alia, inferre hæc esse impossibilia, hoc quidem sensu possibilitas indubiè est quid posterius? sed id non obest quominùs responsio per possibilitatem passivam, sit responsio per prius; quia ex collatis inter se & consideratis inferioribus, tum primùm formatur universale, & tamen hoc non obstante universalia priora sunt singularibus, & sicut inexistentia universalium in singularibus, non facit ut singularia sint priora, ita quod fundamentum affirmandæ possibilitatis habeatur in Deo, non facit ne ipsum fundatum sit prius. Deinde nullum est fundamentum, cur responsio per possibilitatem passivam, sit responsio per posterius in ordine ad nostras intellectiones, nam quod dicitur Deum esse primam rationem, si intelligatur primam esse rationem in ordine producendi, concurrendi &c. vera est propositio? Si dicatur primam esse rationem responsivam, resolutivamque interrogationem, falsa est propositio. Denique quodcunq; signum afferetur quòd aliquid sit responsio per modum prioris & si sit legitima ostendet etiam responsionem per possibilitatem passivam, esse à priori. Item responsio per terminum relationis sit responsio per prius, quia ante relationem præsupponitur terminus, possibilitas autem pasiva est terminus relationis transcendentalis divinæ: Rursùs responsio per aliquid quasi formale, est responsio per prius; jam autem quòd non cognoscat Deus hominem nisi animal rationale pro formali adfertur, quia est animal rationale, ergò responsio per possibilitatem pasivam est responsio per prius.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Ente prout est Essentia.

ESsentia definitivè est *ipsum ens prout radix primò & formaliter essendi. Rationem essendi* accipiendo appropriatè prout opponitur existentiæ. Alii dicunt quòd essentia sit *radix existendi*, quæ descriptio tolerari posset, quia quamvis existentia sit quid posterius essentiâ, adeoque non de primo essentiali conceptu illius, quia tamen radix existentiæ, non est quid posterius essentiâ, fit ut illa non malè describatur prædicto modo: prior tamen descriptio videtur esse communior, quià radix essendi, quà talis prior est ratione, præ radice existendi, non ratione radicis, sed ratione ejus, cujus est radix.

Accedendo autem ad magis disputabilia pensandum erit, quid sibi velit illud principium, *Essentiæ rerum sunt æternæ*, quæ propositio non facit hunc sensum, quasi essentiæ rerum existant ab æterno. Sed hunc quod essentiæ rerum habeant esse essentiale ab æterno: quod ipsum quo sensu verum sit examinandum venit.

DIFFICULTAS I.

Quale esse non habeant creaturæ ab æterno?

ESse ab æterno quoddam diminutum concedunt essentiis non pauci Scotistæ. Concedunt & alii, aliud esse essentiis æternum, cum Albertino, de quo infrà.

PRÆMITTO I. *Quòd ex nostris Suarez & Vasquez. negent Scotum attribuisse essentiis esse aliquod diminutum*, & Oviedo auctores hujus sententiæ Lichetum & Tartaretum nominat, expressè tamen Pontius hîc Disp. 69. n. 52. concedit istud esse diminutum, sed negat illud fieri ab intellectu divino: ut plenius intelligatur status quæstionis.

PRÆMITTO II. *Censere Scotistas cum communi sententia nullam creaturam habuisse esse existentiale ab æterno, tribuunt tamen creatis esse quoddam intelligibile, quod aliqui dicunt produci à divino intellectu*, eò quòd ante actum divini Intellectus nullo modo creatura habeat rationem objecti intelligibilis, cùm non habeat independenter ab intellectu divino, rationem quidditatis productæ, quæ est radix intelligibilitatis. Cæterum hoc esse intelligibile negat ut dixi Pontius à divino produci intellectu. De hoc esse intelligibili affirmant, quòd sit medium inter esse reale, & ens rationis, eò quòd non sit reale simpliciter; nam talis entis nomine, venit Ens existens, cùm tamen nihil ab æterno existat. Non est etiam hoc esse ens rationis, quia non est quid impossibile, aut aliquid fictum, & hoc esse intelligibile appellant Scotistæ ens diminutum.

PRÆMITTO III. *In præsenti posse esse quæstionem de re, & quæstionem de voce.* Quæstio erit de voce, si hoc esse intelligibile creaturarum, non aliud sit, nisi ipsamet essentia Dei, prout est repræsentatio rerum à se cognitarum, quæ in se ipsis nihil omninò actualitatis habeant; & sic quæstionem proponendo, erit quæstio de voce: an hoc sit appellandum esse diminutum creaturarum, quia indubiè omnium rerum conceptum habet Deus. Quæstio autem erit de re, si velis creaturas extra Deum non habere ullum esse, in intellectu tamen divino habere esse quoddam intrinsecum intelligibile distinctum ab ipso Dei esse:

DICENDUM. *Esse illud diminutum prout illud ordinariè explicant Scotistæ esse impossibile.*

PROBATUR I. Esse illud diminutum in mente Dei positum, vel est ipsemet Deus, vel non est ipse Deus? si non est ipse Deus, ergò non est illud esse in mente divina productum, quidquid enim in Deo est, Deus est: Si est ipse Deus, ergò non est quid productum. Tum quia per productum intelligitur quid creatum, id autem quod Deus est implicat creari. Tum quia esse creaturarum non est esse Dei, esse autem illud diminutum est esse Dei. Tum quia in Divinis nihil est productum nisi ipsæ Personæ, ergò cùm illud esse creaturarum, non sint ipsæ Personæ divinæ, nec illud esse erit productum.

CONFIRMATUR. Impossibilis est productio rei sine existentiâ physicâ rei, esse illud intelligibile, ut fide constat, non habet existentiam physicam, ergò neque est quid productum. Major ex eo probatur, quia non haberet ad quid terminaretur illa productio.

PROBATUR II. Quia illud esse diminutum creaturarum, vel producit Deus liberè, vel necessariò? si liberè, ergò illud esse antequam cognovisset præcognovit, quia si est liberè productum, est productum, postquam est volitum, si est productum postquam est volitum, ergò productum ex præcognito, ergò si illud esse cognitum liberè produxit Deus, prius illud præcognovit: non poterat autem præcognovisse, quia præcognitum fuisset antequam esset intelligibile, cùm illud esse intelligibile acquiratur illâ productione divinâ. Rursùs si illud esse intelligibile liberè est à Deo productum, ergò poterat non produci, ergò creaturæ poterant non intelligi à Deo: quod probatur, poterant creaturæ in esse intelligibili non produci, sine quo tamen intelligi non possunt; Ergò sicut poterant non produci in esse intelligibili, ita etiam poterant non intelligi. Quod si in esse intelligibili necessariò producuntur à Deo, ergò aliquid creatum est, quod Deus liberè non producit, cujus oppositum fides docet.

CONFIRMATUR. In priori rationis, in quo intelligebatur Deus, potens producere esse intelligibile creaturarum vel sciebat, quid esset pro-

producturus in secundo signo rationis, vel non sciebat? si hoc secundum, tribuis Deo modum agendi cæcum: Si primum, ergò cognoscebat creaturas ante esse illarum intelligibile.

Probatur III. Ab æterno vel cognoscit Deus non esse creaturarum vel non cognoscit. Si non cognoscit, ergò vel sunt ab æterno, quod falsum est, vel certè non cognoscit Deus quod cognoscibile est. Quod si cognoscit non esse creaturarum ab æterno, quæro, an producat illud esse illarum intelligibile ab æterno, vel non producat? Si non producit, ergò nec producet illud esse diminutum, de quo quæritur: Si autem producit negationum esse intelligibile, ergò illæ & sunt negationes ut supponitur, & non sunt, quia negationes quæ habent esse productum, non sunt negationes, sicut & ipsum esse productum non est negatio.

Objicitur I. à pari. Cognoscendo Deus suam essentiam, non sistit in cognitione illius solâ, sed producit intra se Verbum quod est Deus intrinsecè, ergò etiam cognoscendo creaturas in eadem sua essentia, producit aliquid, quod sit intrinsecè creatura, nec sistit in sola cognitione, puraque illarum repræsentatione.

Respondetur. Disparitas est. Quia in Verbo quod est terminans naturam divinam eandem, & ratione Personæ, est productum, distinctumque realiter ab aliis Personis, salvantur adhuc duo hæc principia, quod omne quod est in Deo, Deus sit, & salvatur quomodo inter producens & productum sit distinctio realis: jam autem hæc duo non salverentur, si produceretur esse intelligibile creaturarum: nam si illud identificatur Deo, quomodo est esse creaturarum: Si autem non identificatur Deo, & est productum, ergò & distinguitur realiter, tanquam productum à Deo producente, ergò ut salves distinctionem producentis & producti, asseres aliquid extra Deum ab æterno productum, quod fides negat. Deinde quando Deus non sistit in sola cognitione suæ essentiæ, sed procedit ad productionem Verbi facilè est respondere quid producat, nempe Verbum, productum quidem, sed increatam. Si autem ex cognitione creaturarum producit Verbum non potest responderi quòd sit creatum, quia nemo fidelis admittet Verbum æternum creatum. Quod si ex illa cognitione producit Verbum increatum, vel idem est illud cum secunda Persona vel non idem? si non idem, ergò admittis duo Verba increata. Si idem, ergò non est illud esse, esse intelligibile creaturarum, sed esse Dei. Cæterum si hæc sententia non plus velit quàm dari expressionem creaturarum inclusam in ipso intelligere actuali divino, quòd sit ipse Deus in re verum loquitur hæc sententia, sed hoc esse non debet appellari productum, nec esse creaturarum, sed esse Dei, nisi fortè creaturarum terminativè.

Objicitur II. Intelliguntur à Deo ab æterno creaturæ; ergò habent esse intelligibile ab æterno, quod non potest haberi nisi concesso illo esse diminuto.

Respondetur. Sine ullo esse diminuto quòd imaginantur oppositi, potest esse cognitio de creaturis; quia potest illas Deus noscere in sua essentia, tanquam eminenter continente perfectiones essentiarum creatarum, potest noscere in suis ideis, & quia ipse est actualis notitia, erit ratio ut *Quo* noscendi illas. Denique noscere illas poterit in illismet ipsis.

Objicitur III. Deus per suam essentiam tanquam per speciem, potens est ad producendum quodlibet in suo esse cognito, ergò producit in tali esse cognito etiam creaturas, intelligendo scilicet illas in sua essentia tanquam in exemplari.

Respondetur. Hanc objectionem non esse contra nos, quia non plùs vult quàm dari notitiam creaturarum in mente Dei quod & nos concedimus.

Accedendo autem ad impugnationem alius sententiæ, aliud esse essentiarum æternum ponentis, *sit*

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur supposita adstruentium statum realem essentiarum ab æterno.

Supponunt I. P. Andreas Chaczel & ejus discipuli. In triplici statu posse spectari naturam. I. In statu essentiæ, in quo illi nihil præter essentialia ejusdem convenit. II. In statu existentiæ, in quo conjungitur cum differentiis, accidentibus &c. III. In statu existentiæ objectivæ, in quantum scilicet objiciuntur intellectui præcipuè divino ab æterno.

Supponunt II. Naturam in statu essentiæ, priorem esse, statu possibilitatis, statu etiam objectivo in mente Dei, independentem item ab utroque; quia quantumvis per impossibile Deus non cognosceret ab æterno istam propositionem, *homo est animal rationale*, tamen illa propositio objectivè accepta, esset, veraque esset, neq; enim ideò aliquid cognoscibile, verumque est, quia illud Deus cognoscit, verumque dicit, sed ideò verum dicit, cognoscitque, quia verum est, cognoscibileq; est. Est etiam independens essentia in statu essentiæ à possibilitate, quia status possibilitatis completè & adæquatè acceptus necessariò respicit Omnipotentiam divinam, potentem ponere & producere, eaque sublata, saltem quoad suam adæquationem & complementum, tollitur status possibilitatis; jam autem impossibili etiam Omnipotentia divina, verum est dicere, hominem constitui animalitate & rationalitate, adeoq; statum illum essentiæ,

tiæ, distinctum esse à statu possibilitatis, completè accepto, quamvis non possit extra causas existentialiter poni essentia, nisi suppositâ Omnipotentiâ.

Supponunt III. Naturam in statu essentiæ neque esse actu, neque potentia, quia natura in statu essentiæ absoluta est à prædicatis accidentalibus, sed sola essentialia involvit; esse autem actu accidit naturæ, potest enim non esse actu. Esse item in potentia accidit naturæ, quia potest esse actu. Rursùs quia esse creatum actu, est accidens, nam hæc quæ merè possibilia sunt, non sunt creata, ideo in statu essentiæ natura, non est creata, licèt dicat non repugnantiam ad creari: non est etiam pro statu essentiæ annihilabilis, quia status essentiæ non pendet à voluntate Dei: non enim pendet à voluntate Dei, quòd homo sit animal rationale; Quod si non pendet à voluntate Dei essentia pro statu essentiæ, hoc ipso pro statu essentiæ non erit annihilabilis; nam annihilatio est subtractio mera concursûs ad existendum, pendens à voluntate Dei. Et certè annihilatio pro statu essentiæ, non est alia cogitabilis, nisi secundùm quam desineret esse essentia hominis animal rationale, quæ desitio est impossibilis.

Supponunt IV. Naturam in illo statu non abstrahere à suis prædicatis essentialibus, & quia quod convenit essentiæ ex vi essentiæ in omni statu illi convenit, hinc dicunt, quod ea prædicata, quæ rei in statu essentiæ conveniunt, in omni statu illi convenire, adeoque etiam in statu existentiæ.

Supponunt V. Hæc tria esse condistincta. I. *Essentialiter est ens actu.* II. *Essentialiter est, non ens actu.* III. *Non essentialiter est Ens actu.* I. Convenit Deo, essentialiter enim Deus est ens actu. II. Convenit omnibus chimæris & impossibilibus quæ essentialiter sunt non ens actu. III. Convenit essentiis rerum ab æterno, accidit enim illis esse actu.

Supponunt VI. Aliam esse hanc propositionem. *Essentiæ neque est essentiale prædicatum esse actu, neque est essentiale prædicatum esse in potentiâ.* Et aliam hanc: *Essentiæ essentiale est non esse actu, & non esse in potentiâ.* Prior apud illos est vera, posterior falsa, quia sequeretur nunquam essentiam poni posse actu, quia essentiale illi esset, non poni.

Supponunt VII. Abstrahere naturam in statu essentiæ à contradictoriis contingentibus, unde non licebit per illos à negatione unius contradictorii argumentari ad positionem alius contradictorii. Unde hæc propositio *essentia est actu ab æterno, & essentia non est actu ab æterno,* neutra afficit per illos statum essentiæ, quia in illo statu abstrahit à contradictoriis contingentibus. Et quia ratio existentiæ est ratio accidentalis, ab illa abstrahit ille status, quod etiam fecit Aristoteles. II. Poster. Tex. 2. Ubi inquit: *Quid autem est homo, & esse hominem, aliud est.* Et III. de anima C. 2. *Aliud est magnitudo aliud magnitudinis esse.*

Infundantur autem hæc omnia illi principio, quòd præter æternum verum, quod est Deus, datur insuper aliud verum æternum propter quod appellantur propositiones æternæ veritatis necessariæ &c. Vide Aristotelem 9. Metaph. Tex. 21. Nomine cujus veri æterni non est accipienda veritas formalis; hæc enim non est sine intellectione, cùm sit conformitas cognitionis cum objecto; sed est accipienda veritas objectiva, seu innexa ipsi rei essentiæ, quam acceptionem veritatis, docuit ipse Aristoteles, quando illam non condistinguit ab ipso esse, dicens, *ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est. Ex hoc*

Inferebant I. Dari universale à parte rei, quia quod convenit essentiæ in statu essentiæ, in omni statu illi convenit, sed humanæ naturæ v. g. in statu essentiæ, convenit non esse idem cum hæcceitatibus, Ergò in omni statu illi conveniet, adeoq; etiam in statu existentiæ. Quod si non est idem cum hæcceitatibus, retinet secum indivisionem formalem, adeoq; unitatem.

II. Gradus Metaphysicos esse nemine cogitante formaliter ex natura rei distinctos: animal enim ex vi essentiæ suæ non est rationale, ergò & à parte rei non erit rationale, ergò distinctum à rationali, sed non distinctum realiter, ergò formaliter ex natura rei.

III. Etiam existentiam & cætera similia, esse formaliter ex naturâ rei distinctam ab essentiâ, quia cum prædicato existentiæ, pro statu essentiæ, non erat conjuncta essentia.

IV. Distingui item attributa, quia ex vi essentiæ suæ Misericordia non est Justitia, multaque alia consequenter ad hoc principium in Philosophicis Theologicisq; materiis inferebant.

Punctum Difficultatis 2.

Impugnatur hæc Sententia.

Probari Solet I. Quia Vicleffus hæreticus teste Valdensi Lib. 1. Doctr. Christ. C. 8. damnatus est ob hanc propositionem quòd asseruerit creaturas habere ab æterno aliquod esse reale actuale distinctum ab esse Dei.

Respondetur. Damnatum fuisse, quia concedebat creaturis esse existentiale ab æterno, quod non asserit hæc sententia.

Probari Solet II. à Suarez utroque, Oviedo & aliis communiter. Nihil est extra Deum, quod à Deo non sit productum, creaturæ ab æterno non sunt productæ, ergò neque sunt ab æterno extra Deum.

Respondetur. Nihil esse extra Deum in statu existentiæ, quod non sit productum, potest tamen aliquid esse extra Deum in statu essentiæ,

sentiæ, quod neque sit productum neque improductum &c. &c. Hinc aliter.

Probari potest III. Essentia hominis v. g. pro statu essentiæ spectata vel est Deus, vel non est Deus; falsum est quod homo pro statu essentiæ sit Deus, ergò pro statu essentiæ non est Deus: Si non est Deus, ergò est aliquid productum, ergò creatura, sed creatura nulla actu realiter est ab æterno. Ergò nec essentia hominis est actu realiter ab æterno.

Respondebis I. Hominem pro statu essentiæ neq; esse Deum neque non Deum.

Contra. Tum quia natura hominis pro illo statu non abstrahit à non esse Leonis & esse Leonis, sed pro illo statu determinatè natura humana non est Leo, nec ergò erit Deus; Si autem non est Deus pro illo statu, redibit argumentum jam factum. Tum quia natura hominis in statu essentiæ non tantùm dicit se, sed & negationem eorum quæ non sunt, ipsa ergò etiam pro illo statu erit connexa cum negatione Dei. Tum quia nihil abstrahit ab eo quod est, sed infert illud quod est, ergò & negat hoc quod non est, aliàs esset & non esset, Ergò etiam creatura pro statu essentiæ negabit hoc quod non est, adeoque negabit esse Dei.

Respondebis II. In illo statu essentiæ verificari de homine quòd non sit Deus, sed non verificari quòd sit productum, quia hominem non esse Deum est prædicatum conveniens secundùm quodcunque esse illius actuale, esse autem productum non est prædicatum nisi secundùm esse existentiale.

Contra. Tum quia hæc responsio enervat dicta Patrum. Justini, Cyrilli, & Augustini Lib. 1. de Trinitate C. 6. dicentium, *quidquid à Deo factum non est vel non esse vel Deum esse*, quæ dicta, si nihil obsit, simpliciter sunt accipienda; Si autem simpliciter accipienda, clarè infertur, si illæ essentiæ sint actu, productas esse. Tum quia in quo statu ens verè non est Deus, & tamen est in illo statu, est in illo statu verè creatura, sed in quo statu est aliquid creatum, in illo statu est verè productum, his enim verbis differunt, ergò in quo statu ens verè non est Deus, & tamen est in illo statu, est quid productum. Major probatur. Quia impossibile est nemine cogitante aliquid esse & non esse Deum, & tamen non esse creaturam; & sicut non accidit rebus creatis non esse Deum, ita nec accidet illis esse creaturas; & sicut non est reperire essentias in aliquo statu reali in quo non dicant negationem Dei; ita nec erit reperire essentias in aliquo statu reali in quo non dicant esse creaturæ.

Respondebis III. Essentias rerum duplices spectari posse, quasdam in objectivis formalitatibus Deo & Creaturis communibus, hæ formalitates pro statu essentiæ abstrahunt ab esse creati & increati, ut dictū supra, & aliæ sunt formalitates restrictæ jam, & tales sunt esse hominis, esse Leonis, &c. Tales formalitates dicunt ab æterno in statu essentiæ rationem creabilium, sed non creaturarum.

Contra. Esse possibile quoad essentiam, est esse creabile quoad essentiam, ergò & esse quoad essentiam, est esse actu creatum quoad essentiam: Ergò & illæ essentiæ si sunt actu quoad essentiam, sunt actu creatæ ab æterno, quod falsum est. Et sicut non convenit illis essentiis, esse ut ita dicam essentiabile, seu esse essentiæ in potentia, sed esse actuale quoad essentiam, ita & deberet illis convenire non esse creabile quoad essentiam, sed esse creatum quoad actum essentiæ, esse autem creatum quoad actum essentiæ, est esse productum, quod esse productum illi negant essentiis convenire ab æterno.

Probari potest IV. Assumendo principium quod supponunt oppositi & sæpè obtrudunt, nempè in statu existentiæ nihil esse, quin sit productum, quo principio posito, sic formatur argumentum. Si essentia hominis antecedenter ad existentiam daretur, in statu illo essentiæ à parte rei postea posita, & esset producta, & non esset producta: Esset producta ut probo, quia quotiescunque in creatis unum producitur, hoc ipso producitur & aliud identificatum illi realiter, sed pro statu existentiæ producitur existentia, quæ est idem realiter cum essentia: ergò & ipsa essentia producetur. Non etiam pro statu existentiæ producetur essentia, quia nullam actualitatem acquireret quam non præhaberet, sed tota actualitas acquireretur ab existentia. Sic si per impossibile antecedenter ante rationalitatem non esset in potentia animalitas, sed haberet actualitatem, productà rationalitate secum identificatâ, non diceretur produci animalitas: non enim acquireret desitionem essendi in potentiâ: ergò etiam cùm essentia non acquirat desitionem essendi in potentia, habet enim actum essentiæ ab æterno, hoc ipso non dicetur essentia produci, adeoque essentiæ creatæ, erunt improductæ à parte rei.

Confirmatur. Tum quia actus ille essentiæ, quem pro statu essentiæ habet essentialis, ut excepto solo nomine existentis, non videatur quidquam à parte rei acquirere; nam res existens non est in potentia causarum in ordine ad existentiam: essentia autem pro statu essentiæ, non est in potentia causarum ad ponendum esse suum actuale essentiæ: jam enim pro statu essentiæ, habet actu statum essentiæ. Rursus res in statu existentiæ, est actu pro statu existentiæ, essentia etiam pro statu essentiæ, est in actu essentiæ, quid ergò plus acquirit, per quod simul salves non solùm existentiam, sed etiam essentiam esse quid productum. Tum quia si essentia pro statu essentiæ habet actum essentiæ, sed non actum existentiæ, licetque hi duo actus distingui possunt, distinguam & ego duplicem productionem, dicamq; unam esse productionē

quoad eſsentiam, & hanc eſse æternam, & aliam productionem exiſtentiæ, quam dicam fieri in tempore. Et ſicut quando dicunt Patres nihil fuiſſe ab æterno actu præter Deum, id oppoſiti interpretantur de actu exiſtentiæ non de actu eſſentiæ, dicam & ego, quando Patres dicunt nihil eſſe actu productum quòd id dicant de eſſe actu producti quoad exiſtentiam; non de eſſe actu producti quoad eſſentiam. Quod ſi dicas nihil acquirere pro ſtatu exiſtentiæ eſſentiam quà talem; jam illa quà talis producta non erit. Tum quia ſi creaturæ haberent aliquod eſſe actuale ab æterno condiſtinctum ab exiſtentiâ, & exiſterent ab æterno, & non exiſterent, non exiſterent, ut eſt de fide; exiſterent autem ut probatur, hoc eſt actuale quoad eſſentiam, eſt exiſtere ab æterno, ſed eſſentiæ habent eſſe actuale ab æterno quoad eſſentiam, ergò exiſtunt. Major probatur. Habere eſſe actuale eſſentiæ ſeu eſſe & non in potentiâ cauſarum in tempore, eſt exiſtere eſſentiam in tempore, ergò & habere eſſe actuale eſsentiæ, ſeu habere eſsentiam, & non in potentiâ cauſarum ab æterno, eſt eſsentiam exiſtere ab æterno, imò quia habebit actum eſsendi, & non à cauſâ habebit exiſtentiam ſimilem Deo cujus eſsentia eſt in actu, & non producta.

Probatur V. communi in hac materiâ argumento. Si creaturæ haberent aliquod eſse actuale quoad eſsentiam, creaturæ non producerentur ex nihilo eſsentiæ, ſed producentur ex nihilo eſsentiæ, quod probatur. Tum quia ſi non omnia producta ſunt ex nihilo eſsentiæ ſequitur, quòd Deus non produxerit omnia ſimpliciter ex nihilo, ſed unumquodque produceret inquit Suarez tanquam ex potentiâ reali receptivâ improductâ, ſcilicet exiſtentiam, ex eſſentiâ reali, quæ dicitur eſse potentia receptiva, ipſius eſse, & improducta. Tum quia ſi Deus non produxit omne ex nihilo eſsentiæ, ſequitur creaturam pro ſtatu eſsentiæ gloriari poſse, quaſi non omnia acceperit. Tum quia eſsentia hominis ſecundùm totum ſuum conceptum pro ſtatu aliquo, qui non ſit abſtractio, eſt ens ab alio, derogaretq; Dominio Dei ſi homo ſecũdùm ſuũ principale, hoc eſt, eſsentiam non ſit à Deo.

Confirmatur. Tum quia eſsentia exiſtentiæ non eſt ab æterno actu, quia ſi eſsentia exiſtentiæ eſset ab æterno actu, hoc ipſo exiſtentia eſset ab æterno actu, & ſicut ubicunque eſt actu eſsentia hominis, eſt homo; ita ubicunque erit actu eſsentia exiſtentiæ, illic erit exiſtentia; hoc autem dici non poteſt: Nulla enim exiſtentia, ſicut nec exiſtens, eſt æternum, excepto Deo. Tum quia hoc ipſum ſic proponi poteſt. Falſa eſt hæc univerſalis, omnis poſſibilis eſsẽtia eſt ab æterno actu, quia non eſt eſsentia exiſtentiæ ab æterno actu: ergò vera erit hæc particularis, aliqua eſsentia non eſt ab æterno actu, in ſtatu eſsentiæ: redibitque argumentum à pari. Hæc eſſentia non eſt actu ab æterno in ſtatu eſſentiæ, ergò neque aliæ. Tum quia quod in hac materia benè urgeri poteſt, urgeturque in ſimili in materiâ de diſtinctione Scotiſticâ quamvis poſſit ſubſtantia v.g. præſcindere à non eſſe creati & increati, imò & ipſa eſſentia hominis, nihilominus ut id ſit nemine cogitante videtur eſse confuſio ſtatûs intentionalis cum ſtatu reali. Concedimus quidem rationibus communibus non competere creari, negamus tamen rationes ipſas communes eſse nemine cogitante.

Respondet nihilominus Albertinus argumento petito ab eſſentia exiſtentiæ, datque diſparitatem quia niſi ponatur eſſentia hominis eſſe ab æterno, non eſt ratio propter quam non repugnet exiſtentia hominis; repugnat autem exiſtentia Chimæræ, non poſita autem exiſtentiæ eſſentiâ, dabitur ſufficiens radix poſſibilitatis exiſtentiæ, nempe ipſa eſſentia, cui illa exiſtentia competit.

Contra. Tum quia per oppoſitos eſſentia eſſentiæ, non eſt eſſentia exiſtentiæ: Ergò & poſſibilitas eſſentiæ non eſt poſſibilitas exiſtentiæ, ergò non redderetur poſſibilis exiſtentia, poſſibilitate eſſentiæ. Tum quia licèt ponatur per poſſibile vel impoſſibile eſſentia exiſtentiæ ab æterno, redderetur ex conſequenti poſſibilis ipſa eſſentia, cujus illa eſſet exiſtentia; hoc tamen non obſtante, ponitur ab æterno eſſe actuale eſſentiæ, ergò quamvis vi eſſentiæ poſſibilis reddatur exiſtentia, ex conſequenti adhuc debebit dari eſſentia exiſtentiæ ab æterno. Tum quia & daretur eſſentia exiſtentiæ ab æterno, & non daretur; non daretur quidem ut ſupponitur, daretur autem quia etiam de eſſentia exiſtentiæ poſſunt formari propoſitiones æternæ veritatis, quæ ſi fundant actualitatem eſſentiæ v. g. in homine, fundabunt & in exiſtẽtiæ eſſentia.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur argumenta in oppoſitum.

Objicitur I. Dantur propoſitiones æternæ veritatis, v.g. quòd homo ſit animal rationale &c. in quibus prædicatum neceſſariò connectitur cum ſubjecto; Ergò datur & veritas objectiva talium propoſitionum; atqui talium propoſitionum veritas objectiva eſt ipſa eſſentia, de quâ hæc propoſitio verificatur, ergò & eſſentia dabitur ab æterno.

Respondetur. Quis ſit ſenſus harum propoſitionum æternæ veritatis, de hoc infrà agetur. Directè ad objectionem dici poteſt, dari propoſitiones æternæ veritatis pro ſtatu intentionali, non tamen dantur extra ſtatum intentionalem; quod ipſum ſubdiſtinguitur, non dantur extra ſtatum intentionalẽ formaliter actu, dari tamen extra ſtatum intentionalem fundamentaliter. Et certè propoſitio æternæ veritatis

ritatis, propositio est, si propositio est, extra statum intentionalem non est: si extra statum intentionalem non est, extra statum intentionalem vera non est: quomodo autem sit vera fundamentaliter, infrà explicabitur. Addo propositiones æternæ veritatis, non hoc sensu esse æternæ veritatis, quasi sint nemine cogitante actu, sed quia dicunt tale prædicatum de subjecto, talemque enuntiant connexionem, quæ non dependet à tempore, eò quòd enuntient prædicatum necessarium simpliciter, vel necessarium ex suppositione. Denique quid rogo est æternitas, v. g. ante, præter ipsam existentiam DEI principio carentem, nihilq; est reale, sed concipitur à nobis conceptu in re fundato, tanquam fluxus quidam durationis extrinsecæ principio carens, quòd si non est reale illa æternitas, quam realitatem inferet æternitas propositionum æternæ veritatis?

Objicitur II. Quòd homo sit animal, id non pendet à cognitione divinâ, ideò enim cognoscit divinus intellectus hominem esse animal quia est animal; non autem ideò homo est animal, quia Deus cognoscit esse hominem animal &c. Ergò quòd homo sit animal, habet hoc ex vi essentiæ suæ.

Respondetur. Concedo totum; non enim negamus proficisci ex vi essentiæ hominis quòd ille sit animal, sed negamus vim illam essentiæ vel potius ipsam essentiam esse actu nemine cogitante ab æterno, ita ut per nos illa ipsa essentia non sit nemine cogitante, actu, in statu aliquo reali, sed ut sit nonnisi fundamentaliter.

Objicitur III. Essentiæ rerum distinguebantur à mero non ente ab æterno; Ergò habuerunt esse aliquod positivum & reale ab æterno: non enim potest aliquid distingui à nihilo, nisi per aliquid positivum, & reale:

Respondetur. Essentias rerum distinctas fuisse ab æterno, secundùm esse spectatum in omnipotentia & in omniscientia, adeoque per esse suum fundamentale, fuisse item distinctas pro statu intentionali, nulli tempori adstricto.

Instabis. Per nos falsum erat dicere ab æterno, *essentiæ rerum secundùm se sunt ab æterno aliquid*, ergò verum erat ab æterno dicere, *essentiæ rerum secundùm se ab æterno non sunt aliquid*; Ergò ulteriùs verum erat dicere, *illas non distinctas fuisse à nihilo*, distingui enim à nihilo non possunt, si secundùm se sunt nihil.

Respondetur. Quòd scilicet essentiæ rerum sint distinctæ à nihilo, si spectentur in causâ, non tamè si spectentur in se ipsis, quod ipsum subdistinguitur, non distinguuntur à nihilo in se ipsis actu positis spectatæ, licèt distinguantur se ipsis fundamentaliter spectatis, de quo infrà.

Objicitur IV. Res in se possibili amantur à Deo necessariò, hinc ex amore illarum dicitur spirari Spiritus S. Ergò tales essentiæ sunt aliquid positivum; amor enim non potest terminari ad nihil.

Respondetur. Distinguendo consequens ex dictis: Ergò tales essentiæ sunt aliquid positivum positivè in seipsis positum, negatur, sunt aliquid positivum intentionaliter existens, independenter autem ab existentiâ intentionali, sunt aliquid in omnipotentiâ positum. Conced. Consequentiam.

Instabis. Non potest dici Petrus beatus per beatitudinem possibilem; Ergò neque potest dici animal propter possibilem conjunctionem.

Respondetur. Non posse dici Petrum actu beatam per possibilem beatitudinem, posse tamem dici possibiliter beatum: ita etiam neque potest dici homo actu animal per possibilem cum animali conjunctionem rationalis, licèt per ipsam possit dici possibiliter animal, sed inde non sequitur ulla actualitas essentiæ hominis ab æterno.

Objicitur V. Divina Omnipotentia habet necessariam connexionem cum possibilibus, & tamen non potest habere necessariam connexionem cum nihilo, ergò possibilia, sunt aliquid positivum ab æterno.

Respondetur. Possibilia esse quidem aliquid positivum ab æterno, positivitate intra ipsam omnipotentiam contentâ, licèt non positivitate aliquâ actuali extra omnipotentiam; inde autem non sequetur divinam Omnipotentiam non posse ad possibilia referri, quia ut dicitur in Logicis transcendentales relationes, non exigunt actualitatem termini existentis.

Objicitur VI. Commune axioma *Essentiæ rerum sunt æternæ & improducibiles*, quæ æternitas & improducibilitas non potest aliter explicari, nisi per statum essentiarum actualis ab æterno.

Respondetur. Essentias rerum secundùm rationes suas communes spectatas, & secundùm sola sua essentialia prædicata produci non posse, & à certo tempore non pendere. Sed negatur id esse aliquid reale ab æterno. Et certè de æternitate essentiarum & improducibilitate censeo ita discurrendum esse, sicut de universalibus, quæ etiam æterna & improducibilia dicuntur, non quòd habeant statum suum aliquem realem, qualem ideis tribuebat Plato; sed ratione statûs alicujus intentionalis.

Objicitur VII. Si non datur status aliquis realis actualis essentiarum ab æterno, non posset reddi ratio, cur Chimæra sit impossibilis, possibilis homo.

Respondetur. Quia homo habet connexionem suorum essentialium prædicatorum, non habet hircocervus. Quod si dicas de hoc ipso quæri, cur hircocervus non habeat connexionem essentialium prædicatorum suorum? ad hoc responderi potest per eandè rationè quam

redderent oppositi, cur in statu Essentiæ non sit natura hircocervi; vel si est, cur non fundet possibilitatem hircocervi. Inter alia sic etiam responderi potest, quare Chimæra sit impossibilis? quia implicat contradictionem: si autem quæras cur implicat contradictionem? nolisque esse contentus inductione manifestante, quid sit implicare contradictionem, redibo ego ad priorem responsionem, quia scilicet est impossibilis: ad eum modum quo si quæras quare Petrus sit homo; benè respondeo, quia est animal rationale; Si autem de hoc ipso quæras, benè dicam quia est homo. Imò universaliter scientifica responsio ad quæsitum de definitione non potest haberi nisi per definitum, & ad quæstionem de definito, nisi per definitionem; suppositâ, ut dixi, inductione, terminorumque explicatione vocabulari.

Objicitur VIII. Possibilitas rerum habebat suam actualitatem ab æterno siquidem quocunque instanti dixeris, *res nunc est possibilis*, dicere idem potuisses in Ante & dicendo in Ante, dicere potuisses priori adhuc in Ante.

Responsum. Supra possibilitatem rerum habere suam actualitatē in causâ non in seipsâ, hoc ipsum subdistinguendo quòd scilicet non habeat in se ipsa actualitatem actu, licet in se ipsa habeat actualitatem fundamentaliter. *Ex dictis*

Colliges. Quomodo sit solvendum argumentum ex statu essentiarum depromptum ad probandum dari unitatem universalium à parte rei.

Objiciunt illi. Indivisio formalis convenit naturæ à parte rei, indivisio formalis est unitas formalis, ergò unitas formalis convenit à parte rei. Major probatur. Indivisio formalis convenit naturæ ex vi status essentiæ; quòd autem convenit ex vi statûs essentiæ, in omni statu convenit: Ergò & indivisio formalis conveniet naturæ à parte rei. Quod autem indivisio formalis competat naturæ ex vi statûs essentiæ sic probant. Cui convenit carere rationibus divisivis formaliter seu essentialiter, ei cōvenit carere divisione formali, sed naturæ ex vi statûs essentiæ convenit carere rationibus divisivis formaliter, quod ipsum probant, quia rationes divisivæ formaliter sunt differentiæ essentiales, quibus natura pro statu essentiæ caret: aliàs. Si v. g. animal pro statu essentiæ non careret divisione, v. g. per rationale, ubicunque esset animal, illic esset rationale.

Respondetur. Disting. Illam propositionem. Indivisio formalis convenit naturæ ex vi statûs essentiæ tanquam status intentionalis, conced. tanquam statûs in suâ actualitate independentis ab ullâ intentione, negatur. Solumque agnoscimus dari nemine cogitante indivisionem fundamentalem de qua in Logica.

Instant. Essentia hominis est distincta ab essentia Leonis, ergò est per aliquam unitatem distincta, in qua unitate non est idem quid, sed aliud ab essentia Leonis; atqui hominis essentia non est distincta per unitatem numericam; quia hæc est accidentalis; ergò per formalem.

Respondetur. Ex dictis essentiam hominis in statu essentiæ tanquam statu intentionali esse distinctam ab essentiâ Leonis.

DIFFICULTAS II.

Qualenam esse habeant Essentiæ ab æterno?

Dixi jam suprà quòd essentiæ habeant esse actuale in causis, h. e. in omnipotentiâ potente illas producere in statu actualitatis, habent item esse objectivum in mente Dei, esseque amatarum à Deo. Quod ipsum esse objectivum in mente Dei competit illis. Ex usu etiam Philosophi qui 7. Metaph. Tex. 33. *Speciem intentionalem domûs, domum* appellat *sine materiâ*. Et 3. de animâ T. 14 & 15. *intellectum propter speciem intelligibilem* vocat *intelligibilia*: Sed præter hoc nullum habent esse nisi fundamentale, de quo infrà. Sed priùs venit expendendum, quis sit sensus propositionum æternæ veritatis, quæ indicant esse illud æternum essentiarum, quale hîc discutitur.

Punctum Difficultatis 1.

De sensu propositionum æternæ veritatis.

Præmitto I. *Propositionem æternæ veritatis nemine cogitante neque esse veram nec falsam*; cùm nemine cogitante non sit etiam ulla propositio, & quia ratio æternitatis quæ importatur in propositionibus æternæ veritatis nullam habeat realem actualitatem, ut suprà dictum.

Præmitto II. *Supposito quòd nulla sit actualitas nemine cogitante propositionum æternæ veritatis, quomodo accipiendum sit dictum illud commune scilicet, Propositiones æternæ veritatis absolvere à tempore?*

Potest I. in hoc sensu accipi, quia scilicet nullum est tempus in quo non sit verificabilis, unde non est alligata in suâ certitudine ad ullum tempus, ut ita soluta certitudo possit per omne tempus vagari; sed non ita absolvit à tempore, quasi non sit verificabilis de tempore, aliàs de præterito, præsenti, & futuro falsa esset, quod dici non potest. Porrò tempus respectu cujus verificabilis est illa propositio, est omne tempus possibile, & imaginarium; adeoq; etiam tempus ab æterno, si daretur; quod si alligata est hæc certitudo ad omne tēpus, fit ut sit alligata ad differentias præsentis, præteriti & futuri, adeoq; in omni hoc tem-

tempore verificari possit. Cum hoc tamen stat, ut cum sua certitudine alligetur ad tempus possibile & imaginabile, quia si ad illud non alligaretur non esset propositio, quia omnis propositio ut sit propositio, nec est sola pluralitas terminorum, debet importare particulam *Est*, si importat particulam, debet *est* importare Verbum, si importat Verbum, debet importare significans cum tempore, ergò si non importat tempus determinatum; debet importare omne tempus possibile & imaginabile, quale etiam est tempus ab æterno.

Secundus Sensus est, in quo potest dici propositiones æternæ veritatis absolvere à tempore, quia scilicet ejus sunt energiæ, ut quamvis illis tollas particulam *est*, quæ nota est præsentis temporis, æquè tamen benè natæ sunt ingerere sui notitiam, & veritatem. Quod ipsum sic explicatur. Sunt aliquæ propositiones quæ si tempore importato in se careant, non solùm dejiciantur à ratione propositionis formalis, in rationem potiùs termini & propositionis materialiter, sed simul etiam veritatem deperdant. Et quidem, in propositionibus de secundo adjacente clarissimum hoc est: nam in ista v.g. propositione *Petrus est*, si tollas particulam *Est* manebit solùm Petrus, qui terminus se solo nec eundem sensum, nec sensui infundatã evidentiam, nec eandem energiam retinet. Rursùs in hac propositione *Petrus est sedens* sensus est, *Petrus existit & existit sedens*, tolle particulam *est* nec eundem sensum, nec eandem energiam obtinet: nam potest trahi in oppositum dicendo *Petrus sedens non existit*, vel *Petrus sedens olim erit*, &c. Econtrà propositiones æternæ veritatis, quamvis illis tollas particulam *Est* quæ notat tempus, & quamvis hac oblatione sint dejiciendæ à conditione propositionis formalis, ad conditionem propositionis nonnisi materialiter, nihilominùs eandem evidentiam sensûs (modò nullam restrictionem mentalem adhibeas) obtinent. Sic v. g. hæc propositio. *Homo est animal rationale* est propositio æternæ veritatis, tolle illi particulam *Est* non decidet per hoc à sua evidentia. Sed transibit tantùm in rationem termini definitivi: Si autem dicas *homo animal*, auferasque *est* transibit quidem propositio in rationem termini complexi, sed non deficiet à sua veritate & evidentia. Si autem sit propositio divisiva v. g. animal vel est rationale, vel irrationale, tolle particulam *Est*, deficiet quidem tunc formalitas propositionis, sed evidentia non deficiet, eritque evidentia divisionis. Quod ipsum cæteris paribus est accipiendum, quia si ipsum Ly *Est* non rationem copulæ, sed rationem termini habebit, qui si vel subjectum vel prædicatum, ut in hac propositione *quodlibet est vel non est*, ablatio illius totam verificationem destruit, quia habet se per modum prædicati vel subjecti, adeoq; ut ita dicam, partium per se, hinc non est mirum ablatâ parte, per se, etiam sensum totius non esse.

Præmitto III. *Ad significandum quòd propositiones æternæ veritatis non sint alligatæ certæ differentiæ temporis non haberi ullum vocabulum quod vicem copulæ subeat*: nam rigorosè loquendo sicut cum dico *Petrus fuit sedens* propositio alligatur tempori præterito, sic & cùm dico *Petrus est animal* Ly *Est* rigorosè loquendo alligatur præsenti tempori. Usus tamen communis particulam *est* non secundùm quod sonat, sed secundùm quod supponitur accipiendo, extrahit illam extra rationem præsentis, eò quòd particula *est* vulgò ad omnia tempora significanda adhibeatur. Unde dicitur est præteritum, est futurum, multoque ipsum quod præsens est, verè est, cujus ulterior hæc est Ratio, quia conditiones aliæ & differentiæ temporis, semper respiciunt ipsum præsens, & sic si aliquid præsens non fuisset, non fuisset præteritum: Rursùs futurum non esset si præsens habere non posset, cùm ergò conditiones omnes temporis respiciant præsens, illudque se variè ad has diversitates extendit, fit ut particula est, hujus præsentis significativa, usu accedente, extendere se possit ad significandum quodcunque imaginabile tempus, adeoque non alligando se certæ differentiæ temporis.

Addo propositiones æternæ veritatis habere se per modum generis, & sub hoc genere sunt imprimis propositiones æternæ veritatis de objecto existentiæ necessariæ, hoc est, DEO, & de objecto contingentis existentiæ, quales sunt creaturæ. Sub hoc genere continentur aliæ, nam quædam sunt propositiones contingentis existentiæ, quæ nihilominùs important prædicata essentialia, & aliæ important prædicata accidentalia: priores illæ dividuntur in propositiones æternæ veritatis importantes prædicata primò essentialia, & in importantes prædicata secundò nonnisi essentialia. Quædam autem propositiones æternæ veritatis important prædicata accidentalia, ex suppositione tamen necessaria, ut *sedentem sedere*, est propositio æternæ veritatis; aliæ autem non attendunt ad suppositionem, sed important prædicata, quæ huic quidem cui insunt, sunt essentialia, licet comparatè ad aliud sint accidentalia, & ita essentiale est albo esse album, licèt ipsa albedo, accidat subjecto.

Dicendum I. *Sensum propositionum æternæ veritatis non esse hypotheticum*: est contra Suar. & alios: nam illi imaginantur hujus propositionis *homo est animal rationale* sensum hunc esse, *homo si sit, erit animal rationale.*

Probatur I. Quia & esset sensus hujus propositionis conditionatus, & non esset: esset, ut supponitur: non esset autem, quia particulæ absolutæ, si ut sonat accipiatur, accipiq; possit, ut sonat, non potest esse sensus cõditionatus:

nullum enim absolutum rectè explicatur per conditionatum, tanquam inclusum in absoluto; aliàs unum contrariorum includeretur in altero contrario, hocque ipso jam illa non essent contraria. Sed in propositione æternæ veritatis, ponitur particula absoluta *Est*: Ergò per ipsum *esset* non rectè explicabitur.

Confirmatur. Tum quia nullum est fundamentum recedendi à sensu absoluto particulæ *est*, nullaque necessitas; quia si esset aliqua necessitas ponendi sensum conditionatum illarum propositionum hæc maxima esset, ne ponantur objecta illarum propositionum habere actualitatem ab æterno; sed ad hoc adstruendum non est necesse ponere sensum conditionatum illarum propositionum, quia sufficeret dicere quòd in illis propositionibus ly *est* non supponat pro *existit*, neque pro aliquo actuali, de quo infrà dicetur, quid sit. Tum quia sicut *Est* non semper significat existere ita & particula *est* non est necesse ut explicetur vel per absolutam, vel per conditionatam existentiam. Tum quia possibilitas non rectè explicatur per conditionatam existentiam; Ergò neque propositiones æternæ veritatis rectè per illam explicabuntur. Tum quia scientia simplicis intelligentiæ in Deo, scientia conditionata non est; esset autem, si objectum haberet conditionatum; haberet autem, si propositiones æternæ veritatis essentiam, possibilitatem &c. indicantes, essent conditionati objecti.

Probatur II. Si istius propositionis *homo est animal rationale*, sensus iste foret, *homo si existat existet rationalis*, tunc impossibili omni existentia falsum est dicere *homo si existat esset rationalis*, & tamen verum erit dicere *homo est animal rationale*. Ergò illa propositio non habet hunc sensum conditionatam existentiam importantem. Quod autem illo casu, verum sit futurum dicere, *homo est animal rationale*. Probatur. Quia sublato eo quod pendet à Dei voluntate, non est necesse auferri id, quod non pendet à Dei voluntate, conditionata autem existentia pendet à Dei voluntate, cùm pendeat ab illa, etiam absoluta existentia; eadem autem sunt principia effectus absoluti & conditionati, non pendet autem à Dei voluntate, ut homo sit animal rationale, ergò impossibili existentia conditionata, utpote pendente à Dei voluntate, adhuc erit verum dicere: Homo est animal rationale.

Quam ipsam rationem ad robur prioris sic accõmodare possumus, quòd scilicet independens à DEI decreto non debeat explicari per aliquid pendens à Dei decreto, objecta propositionum æternæ veritatis nõ dependẽt à Dei voluntate; pendet autem existentia conditionata. Imò etiam posito quòd Deus non posset unquã decernere existentiam Petri, adhuc Petrus definiri non posset nisi per animal rationale, ex quo apparet ad veritatẽ hujus propositionis, impertinentem esse etiam possibilitatem decreti divini, decernentis existentiam.

Respondebis. I. Impossibili existentia hominis, illius propositionis. *Homo est animal rationale* sensus iste foret, *si per impossibile existeret homo, existeret rationale animal*, ad eum modum, quo hæc propositio *Hircocervus est ens rationis*, reddit hunc sensum, *hircocervus si existeret, existeret ens rationis*.

Contra. Tum quia nego illius propositionis de hircocervo esse sensum quem vult responsio. Tum quia sub hac conditionata, si per impossibile existeret homo existeret animal rationale, posito decreto de non existentiâ hominis subsumi non posset nisi hæc minor, sed impossibile est ut existat homo; ergò impossibile est, ut existat animal rationale; nihilominus posito decreto de non existentiâ hominis, sub illâ conditionatâ non posset subsumi, sed impossibili decreto de existentia hominis, impossibilis est essentia hominis, cùm hæc duo essentia & existentia sint distincta, existentiaque est accidens Metaphysicum essentiæ, existentia item pendet à DEI libero decreto, non pendet essentia, ergò apparet hæc duo non esse æquivalentia; si enim essent æquivalentia subsumi cum eadem veritate possent. Tum quia illud quod est possibile non debet explicari per suppositionem impossibilis, reducendi in statum possibilem, si nihil obstet; Ergò nec illa propositio *Homo est animal rationale* casu quo impossibilis redderetur existentia hominis, explicari debet per suppositionem impossibilis, reducendi in statum possibilitatis.

Respondebis II. Casu quo Deus faceret decretum de non ponendâ absolutè existentiâ Petri, eo casu implicaret existentia per principia extrinseca, non intrinseca; atque adeò propositio æternæ veritatis, adhuc per existentiam conditionatam explicari posset.

Contra. Quia per principia intrinseca non implicare existentiam, est non implicare essentiam existentiæ: quia causa intrinseca existentiæ, est ipsamet essentia, hinc dicere casu quo Deus faceret decretum de non ponenda absolutè existentia Petri, adhuc existentiam illam non implicaturam per principia intrinseca, est dicere non implicaturam essentiam propter essentiam, sub quibus terminis, nihil exprimitur de essentia conditionata.

Probatur III. Tum quia etiam conditionata existentia, est effectus, passio, & quid subsequens essentiam tanquam radicem; ergò id quod est prius, non rectè explicabitur per id, quod est posterius. Tum quia de Deo possunt formari propositiones æternæ veritatis, quæ tamen explicabiles non sunt per conditionatam existentiam; quod ipsum probatur. Hæc propositio *Deus est ens à se*, est propositio æternæ veritatis, & tamen non potest explicari sic. *Si Deus esset, esset ens à se*. Et licèt quidem à statu absoluto

possit

possit dari consequentia ad conditionatum tanquam ad aliquid priùs etiam præ statu absoluto, non tamen absolutum, potest habere sensum conditionatum. Tum quia propositio æternæ veritatis est radix, & ultimum resolutorium veritatum de essentia, hæc autem radix non est existentia conditionata: quia si dicas. Hujus propositionis *homo est animal rationale* sensum esse *si existat erit rationalis*, quærendum restat, quare si existat erit rationalis? tandemque desini debet in aliquo absoluto, hocque potiùs ostendet sensum illius propositionis.

Dicendum II. Sensum hujus propositionis *Homo est animal rationale esse, homo identificat sibi animalitatem & rationalitatem:* idemq; si dicas *homo est risibilis*, sensus erit, *homo identificat sibi risibile.* Universaliterque loquendo, Ly *Est* in propositione æternæ veritatis accipitur pro Ly *identificatur* pro Ly *essentiat* &c. Unde etiam hujus propositionis *necesse est sedentem sedere*, sensus est, *sedens essentiatur sessione* &c.

Explicatur conclusio. Ly *Est* diversas habet acceptiones, & sic Ly *Est* interdum supponit pro *indicat*, ut si dicam *pulsus est sanus*, sensus erit *indicat sanitatem.* Item si dicam *Medicina est sana*, Ly *Est* supponit pro *causa*, & sic de reliquis: Si ergo tanta est varietas acceptionis particulæ *est*, potest etiam accipi pro Ly *identificat*, vel pro Ly *essentiat*, cum aliàs certum sit quod Ly *est* possit supponere, pro *esse* prout condistincto ab existentia: unde etiam dicitur *esse essentiarum* per hoc *esse* non intelligendo existentiam sed essentiam.

Probatur. Bonitas hujus explicationis. Quia in adferendo sensu dictarum propositionum servanda sunt hæc, ut scilicet detur sensus, qui aliàs est in similibus usitatus: Deinde ut non sequatur exinde aliqua existentia creaturarum æterna, eaque actualis: Deniq; ut non sit explicatio propositionis per aliquid posterius, ut reflectenti patebit, ex difficultatibus, suprà in similibus allatis: Hoc autem totum in præsenti servatur: Nam imprimis non est usitatum absoluta per conditionata explicare. Nos etiam illius propositionis Homo est animal rationale, quæ habet Ly *Est* absolutum, non Ly *Esset* conditionatum, ponimus sensum absolutum. Posito etiam quod essentietur homo animalitate & rationalitate, non sequitur aliud, nisi essentiam hominis esse æternam, sensu mox dicendo quin sit existentia æterna. Et cùm identificatio & essentiatio non sit quid posterius essentiâ, fit, ut illa particula *Est* non adferat in explicatione essentiæ quidquam posterius essentia.

Confirmatur. Quia dictæ propositiones debent habere aliquem sensum; sed non habent sensum conditionatum; ergo debent habere sensum absolutum; sed non alium præter adlatum: Ergo.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur de Esse competente Essentiis ab æterno.

Præmitto I. *Esse reale dupliciter accipi posse*, I. prout opponitur ficto, sic v. g. animal præcisum à suis differentiis est aliquid oppositum enti ficto, & Chimæræ, diciturq; quid reale. II. Ens reale potest accipi tam pro illo quod opponitur enti ficto, quàm pro eo quod opponitur enti intentionali.

Præmitto II. *Aliud esse: quærere: an aliquid sit reale, & aliud, an status illius sit realis, vel an sit realiter.* Et ita finis est causa realis, non tamen causat realiter, sed intentionaliter: animal etiam in statu præcisionis est aliquid reale; est enim objectum quod est à parte rei, & tamen prout præcisum non est realiter.

Dicendum est. *Essentias ab æterno habere esse aliquod reale condistinctum ab esse objectivo in mente Dei, & esse contento in omni potentia, sed non habere id esse realiter, sed tantum intentionaliter, & extra intentiones non habere esse nisi fundamentaliter.*

Hæc conclusio in quantum hoc esse dicit esse reale coincidit cum Albertino, in quantum hoc esse dicit non haberi realiter, coincidit cum sententia communi. Videturque hanc sententiam licèt non ita clarè docuisse Suar. Disp. 31. Metaphys. S. 1. N. 10. Et Sect. 12 à N. 38.

Probatur I. Auctoritate S. Thomæ Quæst. 5. de Potentia Art. 9. ad 16. qui tribuit essentiis *statum essentiæ*, quæ ejus auctoritas commodè per conclusionem explicari potest.

Probatur II. Particulatim. Quoad I. nempe quòd illud esse sit *reale*: Quod homo essentietur animalitate & rationalitate non est hoc quid fictum; ergo aliquid reale, prout reale opponitur ficto.

Quod autem illud esse sit *ab esse objectivo in mente Dei, & ab esse in omnipotentia distinctum.* Probatur: Quia non ideò est homo animal rationale, quia illum Deus non potest facere nisi animal rationale, sed ideò non potest facere hominem nisi animal rationale, quia exigit esse animal rationale, nec ideò non potest homo esse nisi animal rationale, quia nescit illud Scientia divina rationale animal; Ergo datur exigentia alia, unde homo sit animal rationale, vel cognoscatur ut tale. Ergo illa exigentia est quid distinctum à continentia in omnipotentia & Scientia. Deinde sunt propositiones æternæ veritatis, quæ nullo modo continentur in omnipotentia Divina, v. g. si dicas *Lapis per impossibile si esset Leo, sentiret.* Ergo apparet objectum propositionis æternæ veritatis, esse aliud, quàm contineri in omnipotentia. Vel si nolis suppositiones impossibiles, certè de Deo formantur

Propositiones æternæ veritatis, & tamen objecta illarum non continenter in omnipotentiâ Divinâ, nam hæc ad sola creata extenditur. Similia possunt dici de scientia Dei, quia si supponeretur per impossibile, vel errare Deus in notitia enuntiareq; *homo non est animal rationale*, vel non cognoscere omnia, hæc propositio *homo est animal rationale*, vel erit falsa, vel vera? si falsa, cur? si vera, ergo & objectum illius ita se habens ut enuntiat. Ergo apparet dari illius esse, & non solùm in omnipotentia. Quæ omnia rursùs sic enodantur. Antequam dicatur essentia contineri in omnipotentiâ Divinâ, prius est ratione nostra posse illam velle Deum, quia omnipotentia est, ut ita dicum, executiva voluntatis Divinæ. Rursùs prius est ratione nostra, creaturas esse in mente Dei, quàm esse objectum voluntatis Divinæ; prius enim est esse cognitum quàm esse volitum: Rursùs ante esse cognitum, cùm illa cognitio non sit practica, sed primum speculativa, debet esse prius tanquam exigitivum, ut sic, & non aliter noscatur: Ergo apparet dari esse creaturarum condistinctum, ab esse contento in mente sola Dei, & esse contento in omnipotentia.

Respondebis. Non potest Deus efficacaciter & rationabiliter aliquid velle nisi præsupponat quod id Deus facere possit, posse autem Deum facere aliquid, est illius essentiam contineri in omnipotentia.

Contra est. Considerando omnipotentiam in quantum est vis executiva, prius est Deum velle, quàm applicare illam suam executivam. Rursùs cum intelligere & velle, sint priores perfectiones, præ posse facere ad extra, tanquam perficiantes in ordine ad se, cum posse facere perficiat in ordine ad aliud, etiam sub hac formalitate, erit prius velle quàm omnipotentem esse. Ne autem dicatur imprudenter velle, sufficit pro priori præintellectio, quòd id fieri possit ratione passivæ possibilitatis. An autem sub aliqua alia formalitate prior sit continentia in omnipotentia quam in voluntate, de hoc in præsenti non disputo.

Quòd autem illud *esse* sit *esse intentionale* probatur. Tum quia non est fictum, non enim hoc fictum est, quòd omnipotentia non possit hominem, v. g. facere nisi animal rationale. Non etiam hoc esse est reale prout opponitur intentionali, propter rationes suprà adlata difficultate. 1 p. 2. Ergo illud esse debet esse intentionale. Tum quia objectum quod fit vi abstractionis nõ est nisi objectum intentionale, jam autem illa exigentia est objectum nostrarum intentionũ.

Quod autem *ante omnem nostram intentionem sit illud esse nonnisi fundamentale* sic explicatur. Videt Intellectus noster omniscientiam Dei non apprehendere hominem cum rugibilitate nec posse apprehendere; Videt item omnipotentiam non posse creare hominem cum rugibilitate videt non posse amari à Deo rugibilitatem conjungendam homini. Hinc habet fundamentum in ipsa omnipotentia, & omniscientia, omnivolibilitateque, concipiendi exigentiam quandam in essentiâ, ad nonnisi, ita cognosci, ad nonnisi, ita produci; quæ exigentia independenter à nostro conceptu, cùm non sit actualis, ut suprà probatum, & tamen sit aliqua, debet esse nonnisi fundamentaliter.

Probatur III. Quia si nihil obsit, ita discurrere debemus de hoc esse essentiarum, sicut de ipsis universalibus, rationibusque communibus; sed universalia extra nostras intentiones non dantur nisi fundamentaliter; ergo idem dicendum de esse essentiarum ab æterno.

Colliges I. Omnia creari ex nihilo essentiæ, quia esse à nobis concessum essentiis, est esse intentionale. II. Esse hoc creaturarum posse appellari esse diminutum, est enim minus reali, majus autem ficto esse, quòd benè dici potest esse intelligibile creaturarum, ut docebat Scotus. III. Esse hoc creaturarum, nullam ponere in illis existentiam.

Punctum Difficultatis 3.

Quod verificativum propositionum æternæ veritatis?

Propositionum æternæ veritatis verificativum Perez, & Esparza ponunt divinam Essentiam seu Omnipotentiam.

Dicendum est. *Verificativum propositionum æternæ veritatis non esse Deitatem.* Est Conclusio ad mentem Antiquitatis.

Probatur I. Verificativum hujus propositionis, *Ego existo actu*, non est existentia Dei vel Deitas, Ergò neque verificativum hujus propositionis, quæ est æternæ veritatis v. g. *quod existit est actu*, erit Deitas. Antecedens dant Oppositi, probarique poterit ex infrà dicendis. Consequentia probatur. Inter possibilitatem passivam existentiæ ab æterno sumptam, de qua dicitur *quod existit est actu*, & inter actualem existentiam non est distinctio realis, sed solùm in statibus? Ergo si Ly *ego existo actu*, non habet verificativum sui existentiam Dei, nec Ly *quod existit est actu*, habebit verificativum sui Deitatem: quæ enim sunt idem realiter, quod est unius verificativum, hoc erit & alterius verificativum; alietas enim verificationis in talibus induceret distinctionem realem; esse enim unius non esset esse alterius; siquidem nec verificativum sequens esse, esset idem. Et sicut quia paries niger non habet sui verificativum idem, quod paries albus nempe non habet verificativum sui disgregativum visus, sequitur Ly *niger* & Ly *albus* esse distincta realiter, ita & in præsenti idem sequeretur.

Probatur II. Si propositionum æternæ veritatis verificativum esset Deitas, ideò esset, quia essentiæ,

essentiæ, cùm nihil sint ab æterno, nec possunt verificare, cùm verificatio sequatur ens: Sed hæc ratio non convincit, quia quamvis essentiæ rerum ab æterno sint nihil physicè, non tamen sunt nihil metaphysicè secundùm possibilitatem passivam; cumque de illis non enuntietur esse physicum, nec verificativum illarum debet esse physicum, immò physicum quid, esse non potest, quia nec physicum esse, de illis enuntiatur. Rursùs cum ipsæ propositiones æternæ veritatis per nos, non sint actu veræ, nec verificativum illarum debet esse actu; & sicut illæ propositiones pertinent ad statum intentionalem, procedunt tamen ex supposito fundamento; ita & verificativum illarum sufficit ut sit intentionale, nempe pro statu illo intentionali repræsentata connexio, & identitas prædicati cum subjecto.

Probatur III. Verificativum propositionis cujuscunq; si sit affirmativa est identitas prædicati cum subjecto, si sit negativa, est alietas subjecti & prædicati: Ostenditque hoc inductio: nam cur vera hæc propositio? *Homo est animal rationale*, quia est identitas prædicati cum subjecto: Si enim dicas *animal rugibile est homo*, non erit jam propositio vera, quia non est jam identitas hominis & rugibilis. Ostendit hoc antiquum proloquium regulativum: *Prædicatum debet esse idem aliquomodo cum subjecto*, aliquomodo inquam idem, ad salvandam identitatem prædicati cum subjecto, aliquomodo diversum, ne sit propositio identica. Item ostendit hoc explicatio, quid sit copula, quod sit scilicet indicativum, insitne, an non insit prædicativum subjecto; quod dictum supponit attendi in veritate ad identitatem subjecti cum prædicato. Ostendit hoc principium regulativum Sillogismorũ, *quæ sunt eadem uni tertio* &c. quod principium ex identitate extremorũ cum medio infert identitatem, adeoque & veritatem propositionum. Quæ omnia ulteriùs in hoc fundantur, inprimis quia esse & veritas objectiva indistinguuntur; distinctâ autem essent si verificativum propositionis non esset identitas. Deinde *Est* propositionis formalis, verificatur per *Est* objectivum, sicut Ly *formaliter animal* per animal objectivũ, *Est* autem objectivum non aliud est, quam identitas, hæc enim coincidunt. Quæ omnia probant hanc Majorem verificativam propositionis affirmativæ, est identitas prædicati cum subjecto. Sed inter possibilitatem passivam indicatam per propositionem æternæ veritatis, & inter Deitatem, non est identitas, quia possibilitas passiva, trahit lineam creati: quod autem est de lineâ creati, non potest identificari increato; aliàs increatum hoc ipso esset idem cum creato, adeoque nec increatum. Ergò illarum propositionum verificativum non est Deitas.

Quæres. Quod ergò erit verificativum propositionum æternæ veritatis?

Respondetur. Erit *connexio seu identitas prædicati cum subjecto*; licet istius connexionis ut dixi habeatur fundamentum, in Omnipotentia, Voluntate, & Scientia divina.

De Motivo Notitiarum & Volitionum divinarum.

Quæres. *An posito quod verificativum Propositionum æternæ veritatis, non sit Essentia divina, saltem illa sit unicum Motivum cognitionum & volitionum divinarum.* Consequenter ad dicta.

Infertur. Non esse solam Essentiam divinam unicum motivum notitiarum & Volitionum Dei. Ratio. Tum quia Intellectus divinus est Infinitum noscitivum. Ergò illi competere debet omnis possibilis & non involvens imperfectionem noscitivitas, aliàs determinata; nonnisi noscitivitatis perfectio illi competeret, jam autem possibile est, ut Deus pro Motivo suæ notitiæ & volitionis, assumat aliquid creatum, nec potest ostendi, quod id involvat aliquam imperfectionem. Tum quia indubiè creatus Intellectus assumit pro Motivo suæ notitiæ aliquid creatum. Quæro, vel noscit illam notitiam Deus vel non noscit? Si non noscit omniscius non est, si noscit habet speciem expressam illius notitiæ, quæ, inexplicabile est, si exprimit pro motivo notitiæ creatæ, aliquid creatum, quod etiam expressivum increatum notitiæ illius creatæ non habent motivum illud creatum, & hoc ipso si aliud motivum haberet notitia increata, non esset expressio, ut supponitur notitiæ creatæ, quæ omnia prædicata notitiæ creatæ in se includit, exceptis iis, quæ sunt de linea creati. Tum quia nomine motivi notitiæ ut sic, venit responsivum ad Quare ponatur assensus vel dissensus, & loquendo in materia volibilium est responsivum ad Quare appetitus, vel quare, fugæ, hoc est quod sit reddibile pro ratione, sive ab intelligente sive ab appetente: quo posito. Quæro, interrogatus Deus an sit Sol pulcher? nonne responderet pulcher. Quærere restaret ex Deo, quare assentiatur illum esse pulchrum, nunquidne pro ratione reddere hoc solum debet, quia Essentia mea est pulchra, an non poterit pro ratione reddere etiam entitativum decorum sideris, imò de facto docemur esse prædestinati ex meritis Christi, quæ non sunt ipsamet Essentia divina. Format Deus Decretum contra Impœnitentes finaliter, nunquidne istius Decreti motivum non sunt peccata, quæ non sunt essentia divina, videturq; esse quædam incongrua restrictio omniscitivitatis divinæ, quod Deus possit dicere, ego produxi creaturam, & non possit dicere creatura producta est à me.

Dices I. cum quodam. Omne objectum motivum Intellectionis importat rationem à quo est Intellectio. Atqui nihil est præter ipsam essentiam à quo sit intellectio divina. Sicut enim Essentia divina est à se ipso, & à nullo alio, ita &

cognitio

cognitio divina. Unde hoc ipsum quando dicitur Essentiam divinam esse Motivum Intellectionis divinæ, intelligendum est negativè, simili modo ac intelligimus negativè id, quod Deitas sit à se.

Respondetur. Imprimis etiam posita hac explicatione, quo sensu motivum Intellectionis divinæ sit ipsa Essentia divina, adhuc Argumentum multum probat. Quia probat motivum intellectionis divinæ, non esse ipsam Essentiam divinam, sed intellectionis divinæ motivum esse ipsammet intellectionem divinam, cujus tamen oppositum videtur hîc debere intendi. Directè ad Argumentum hoc dici potest. Ly à quo Intellectiones divinæ dupliciter sumi potest. Primò Ly à quo sumendo pro Principio, & tanquam Actu primo ex modo nostro concipiendi, vi cujus proditur ad actum secundum intellectionis, seu quòd se habet per modum Principii elicientis, & hoc à quo, est indubiè sola Essentia divina. Secundò Ly à Quo sumi potest, pro responsivo, ad interrogationem, quare sit assensus exhibitus, & hoc à Quo, competit ex rationibus adlatis, etiam rebus creatis, & licèt cognitio divina non sit in genere Principii elicientis ab alio quàm ab essentia divina, poterit esse ab alio, in genere responsivi. In idem fermè recidet si dicas Ly à Quo tanquam à specificativo extrinseco haberi posse in Intellectione divina etiam ab aliquo creato, licèt à quo specificationis intrinsecæ, habeatur ab ipsamet Essentia divina.

Instat. Objectum motivum illud dico ex quo & ex Potentia paritur notitia à quo specificatur, atque accipit suam perfectionem cognitio.

Respondetur. Quî notitia ex objecto & Potentia gignatur alibi explicatum. Specificationem autem extrinsecam jam dixi haberi posse ab aliquo creato, licèt specificatio intrinseca, non possit esse aliud intellectionis divinæ, nisi Essentia divina. In idem recidit, si dicas ab essentia tanquam à Principio elicitivo habere specificationem suam Intellectionem divinam, licèt habeat specificationem ab aliquo extrinseco, sumptam pro eo, quod est reddibile pro ratione assensus divini, seu quod est responsivum ad Quare assensus.

Dices II. cum eodem. Per hoc solum prædicatum, differt objectum motivum à purè terminativo, quòd hoc posterius solum modò repræsentetur per cognitionem, & non est id, à quo est cognitio.

Respondetur. Non per hoc, hæc duo distingui, cum etiam in creatis motivum cognitionis, non sit id à quo tanquam Principio elicitivo sit notitia. Per hoc ergò potius hæc duo differunt: quòd objectum terminativum, habeat rationem ejus circa quod notitia, objectum autem motivum, est Responsivum, ad, Quare assensus.

Dices III. Unius cognitionis nonnisi unum est objectum adæquatum. Si enim est multiplex, tunc ex illis coalesceret unum adæquatum. Atqui in Deo nonnisi est una cognitio. Ergò.

Respondetur. Hoc argumentum videtur probare multum, quia probaret, etiam Terminum cognitionis Divinæ, non esse, nisi solam Essentiam Divinam. Ille enim Terminus, est objectum indubiè notitiæ; unius autem notitiæ, debet esse unum objectum adæquatum, alias coalesceret ex pluribus. Directè dici potest unius cognitionis, quæ etiam in modo noscitivitatis, est infinita non esse unum objectum adæquatum, stans in aliquo increato, sed debet esse objectum illius unum adæquatum stans in creato & increato. Quia ergò notitia Divina est ita una, ut simul sit infinita, etiam in modo noscitivitatis, ideò extendere se poterit ad assumendum pro motivo, etiam objecta creata.

Noto. Dictum est in primâ parte seclusis imperfectionibus competere Essentiæ Divinæ etiam rationem Speciei impressæ, hinc omnia objecta motiva creata repræsentantur ab Essentia Divina tanquam habente vim Speciei impressæ respectu omnium Motivorum creatorum, hocque sensu dici potest solam Divinam Essentiam habere rationem Motivi, cum hoc tamen stat, ut non sola Essentia, sit pro ratione reddibilis, ad Interrogationem factam, quare Deus assentiatur objecto?

QUÆSTIO IV.

De Ente prout Existentia est.

Ex dictis suprà de ente participialiter accepto colligi potest ens prout est existens esse ipsum ens prout est extra causas; jam autem existentia abstractè sumpta, est ratio existendi extra causas. Conformiter autem ad dicta de possibilitate posset distingui duplex existentia, quædam extrinseca, & hæc definitur per esse extra causas, nec competit Deo cujus nulla est causa. Deinde alia distingui posset existentia intrinseca, quæ stat in esse actu, & hæc Deo etiam competit.

DIFFICULTAS I.

An sit distincta realiter essentia ab existentia?

Dicendum *Quòd non.* Est Conclusio Scotistarum & ex nostris reliquorum contra Thomistas, quibus accessit noster Maurus, & Fonseca modaliter eam distinguens.

Probatur I. Si essentia distingueretur realiter ab existentiâ Petri, etiam essentia existentiæ distingueretur realiter ab ipsâ existentiâ: sed non distinguitur realiter; ut probatur; si essentia existentiæ distingueretur realiter ab ipsâ existentiâ, quæro existentiæ illius distinctæ, ab essentiâ

essentia existentiæ, adhuc ne essentia distingueretur realiter vel non? Si distinguitur realiter, quæram de illa tertia, & sic in infinitum. Quod si non distinguitur, nec illa essentia existentiæ de qua primò procedebat quæstio, erit distincta realiter. Sequela autem probatur principalis argumenti. Quia non est major ratio, cur essentia Petri sit distincta realiter ab existentia, & non sit distincta realiter essentia existentiæ, ab ipsa essentia.

Respondebis. Id quod est ratio formalis existendi non requirit aliam existentiam à se distinctam realiter; quia quo aliquid est tale & ipsum est tale, sic unio non indiget uniri alia unione, nec actio indiget agi alia actione; sunt enim formales rationes, quæ se ipsis & non per aliud sunt tales: cùm ergò existentia, sit ratio formalis existendi, se ipsâ, & non per aliam distinctam realiter existentiam existet: E contrà essentia Petri, cùm non sit formalis ratio existendi, existere per distinctam realiter existentiam poterit.

Contra. Tum quia quæcunque ratio probat essentiam à parte rei positam, non esse rationem formalem existendi, eadem probat essentiam existentiæ, non esse rationem formalem existendi: Sicut enim essentia Petri potest existere & non existere, ita etiam essentia existentiæ, potest existere & non existere, per quod probatur distinctam esse existentiam essentiæ ab existentiâ licèt existentia sit ratio formalis existendi. Tum quia etiam de conceptu essentiæ quem dicit existentia quà talis, non est esse rationem formalem existendi, quia formalitas existendi & formalitas essentiæ secundùm se non sunt eædem, ergò neque essentiæ quam dicit existentia, competet formalitas, esse rationem existendi, eodemque fundamento utriusque essentiæ distinctio invehetur.

Probatur II. Quia nulla est necessitas distinguendi essentiam ab existentiâ, ut patebit solutione argumentorum.

Confirmatur. Ex Arriaga hîc Sect. 3. à n. 58. Quia nullum est signum distinctionis realis essentiæ ab existentiâ, si enim aliquod esset, esset separabilitas, hæc non datur, ut ibidem probat. Deinde ut assumit Suar & Ovied. Nihil potest fieri ens per alienã entitatem, ergò nec existens per alienam existentiam. Antecedens probatur. Quidquid distinguitur ab alio distinguitur tanquam ens ab ente, ergò utrumq; extremum, ut condistinctum ab alio, est ens, ergò non constituitur per aliud, in ratione entis. Quod ipsum sic ulteriùs proponi posset. Antecedenter antequam constituatur aliquid ens per alienam entitatem, jam est ens, ergò in ratione entis, non constituitur per alienam entitatem. Antecedens probatur. Jam enim antecedenter ad alienam entitatem est distinctum, quomodo enim unum constitueretur per aliud, si utrumq; indistinctum est, & unum idemq; distingueretur à seipso, nempe constitutum, ut supponitur realiter, à constituente, ut supponitur realiter. Consequentia autem principalis probatur, quia existentia nihil aliud est, quàm ens in actu, ergò si nihil potest constitui ens per alienam entitatem, adeoque neque existens per alienam existentiam; non enim posset constitui ens per alienam existentiam, nisi constituatur ens in actu, per alienam entitatem.

Probatur III. Essentia quæ est à parte rei prout condistincta existentiæ, vel est nihil, seu non ens in actu, vel non est nihil, seu non est non ens in actu: Neutrum dici potest, quod probatur; Si essentia prout condistincta ab existentia est nihil etiam in ratione entis, constitueretur per alienam entitatem, idq; constitutione reali, & tamen nihil potest constitui ens per alienam entitatem, ut probatum immediatè. Rursùs si essentia prout condistincta existentiæ, esset nihil, ergò non sunt illic duo condistincta, quorum utrumq; sit res, sed se habent ita, sicut Petrus & Tenebræ. Deniq; si essentia prout condistincta existentiæ esset nihil, & posset existere aliquid per existentiam alienam & non posset; posset existere, ut supponitur; non posset existere, quia quod est nihil; non potest existere per existentiam alienam; aliàs & existeret, & non existeret, existeret quidem, ut supponitur, non existeret autem, quia nihil nõ existit. Et si essentia prout condistincta existentiæ est nihil, quomodo est à parte rei? Si autem essentia prout condistincta existentiæ non est nihil, sed est à parte rei, ergò existit: hæc enim duo verbis differunt, ad quid ergò illi superaddita existentia?

Respondebis I. Inter illos terminos ens actu & non ens actu dari posse medium ens non actu; ita ut essentia prout condistincta ab existentia sit ens non actu, & ita ut quasi medium illud detur non per abnegationem utriusque extremi, sed per participationem ex utroque.

Contra. Tum quia impossibile est esse ens à parte rei & non esse ens actu, ergò si essentia prout condistincta ab existentia est à parte rei, prout condistincta, est ens actu. Antecedens probatur, quia quacunq; formalitate constituetur ens, à parte rei hoc ipso constituetur actu, nisi facias de sola voce quæstionem. Tum quia de eo quod est ens non actu, vel est verum dicere; est nihil actu, vel non est verum dicere; si non est verum dicere, nihil actu, ergò verum erit dicere est ens actu, quod tu negas: quid enim medium inter ens, & nihil? Quod si de illo quod est ens non actu, verum est dicere, est nihil actu, ergò verum erit dicere, quòd sit non ens: non ens enim, & nihil quo differunt?

Respondebis II. Condistinguenda esse illa duo, unum actuale esse essendi, & aliud esse actuale existendi; essentia ergò prout condistincta existentiæ habet actum illum essendi.

Contra.

CONTRA. De hoc ipso quæritur cur non habeat actum existendi, si est actu à parte rei; cùm actuale esse essendi, nulla in re differat, ab actuali esse existendi. Deinde cui non competit actuale esse existendi hominis ut bruto, illi non competit esse actuale essendi hominem; ergò & cui non competit esse actuale existendi non competet etiam esse actuale essendi; Sicut se enim habet tale ad tale, ita simpliciter ad simpliciter.

RESPONDEBIS III. Retorquendo argumentum Essentia prout ratione condistincta ab existentia, est ne actu vel non? redibitque argumentum contra Thomistas factum.

CONTRA. Quia in sententia per rationem nonnisi ratiocinantem distinguente essentiam ab existentia, dicetur illam, neque esse actu, neque esse non actu, sed præscindere jam ab utroque, non potest autem dici quod essentia à parte rei posita præscindat ab esse actu, vel esse non actu.

CONFIRMATUR Conclusio. Quæ confirmatio simul ostendit extrinsecam etiam existentiam competere essentiæ à parte rei positæ. Essentia quæ est physicè, prout condistincta existentiæ, vel est actu extra causas, vel non est? Si non est extra causas prout condistincta existentiæ, contra erit, quia prout condistincta existentiæ est quid productum, non enim est Deus, neque ens à se, neque nihil &c. Si autem essentia prout condistincta ab existentia, est extra causas aliquid, ergò prout condistincta ab existentia, existit: hæc enim duo vix verbis differunt. Denique si distinguitur essentia ab existentia à parte rei, vera est hæc propositio, *essentia est distincta ab existentia*, ergò ulteriùs vera erit hæc *essentia est*, nam de quo à parte rei verificatur propositio de tertio adjacente, de eodem verificari potest de secundo adjacente, ut notum ex Dialecticis, & inductione, Ergò essentia prout condistincta ab existentia, existit, quia de illa verificatur particula *Est*, quæ supponit à parte rei, in communi sententia, pro existit.

DIFFICULTAS II.

Quomodo distinguatur existentia ab essentiâ?

PRÆMITTO I. *Non esse distinctam existentiam ab essentiâ, distinctione Scotistica, ex natura rei*, de quo alibi: ubi universaliter hæc distinctio rejecta. Quod si essentia ab existentia non est distincta realiter, nec ex natura rei, restat ut distinguatur, per rationem nonnisi.

PRÆMITTO II. *Existentiam posse comparari dupliciter ad essentiam.* I. Ad essentiam actualem. II. Ad essentiam quæ sit in statu possibilitatis: existentia actualis comparata ad essentiam possibilem distinguitur, sicut ens à se ipso, dum est nihil, seu non ens. Et conformiter loquendo ad aliàs præjacta principia, distinguuntur hæc duo inter se, non ratione recti, & intrinseci, sed ratione obliqui, connotatorum, & status; nam idem ens, in quantùm dicit esse acceptum à causis, vocatur existentia, & in quantum dicitur habere adhuc esse in causis, dicitur esse, nonnisi in statu possibilitatis: tota autem est difficultas, de essentia actuali.

PRÆMITTO III. *Existentiam posse comparari tam ad essentiam actualem quà actualis est, seu reduplicativè acceptam, quàm ad essentiam actualem specificativè acceptam*: si comparetur ad essentiam actualem reduplicativè acceptam, seu ad illam rationem formalem, quæ reduplicatur, essentia sic spectata ab existentia differt, sicut definitum & definitio: reduplicativè enim spectata essentia erit essentia, prout est in actu; esse autem in actu, & existentia, differunt sicut definitio & definitum. Tota ergò difficultas devolvetur ad essentiam quidem actu spectatam, sed tamen non reduplicativè acceptam. *Circa quod*

DICENDUM est. *Existentiam ab essentia actuali specificativè accepta, distingui connotativè, ita ut in recto idem sint, in obliquo autem distinguantur.*

PROBATUR. Quia existentia quà talis, importat esse extra causas, seu esse actu, essentia etiam actualis, importat solùm connexionem exercitam prædicatorum actualium; ergò in recto non differunt: ubiq; enim idem respondet esse, ergò nonnisi connotativè, quomodo enim aliter? Sed hîc adhuc.

QUÆRENDUM restat, *An ita possit substare nostris conceptibus existentia, comparata ad essentiam, ut inter se præscindere possint?*

RESPONDENDUM *Affirmativè*. Ratio. Tum quia considerando particulares essentias prout essentiæ sunt, possum formare conceptum communem particularibus essentiis. Possum item considerando particulares existentias formare conceptum communem existentiæ; quæ tamen duæ rationes communes, præscindunt inter se objectivè; conceptus enim communis accidentis, quantumvis Metaphysici, non potest esse conceptus communis, ejus, cujus est accidens; hoc ipso enim non esset ejus accidens: jam autem existentia, est accidens Metaphysicum essentiæ. Tum quia universaliter quæ definitionibus differunt, præscindere inter se possunt; jam autem essentia & existentia, differunt definitionibus. Tum quia si essentia non præscindit objectivè ab existentia, etiam in statu essentiæ importaretur existentia; sed non importatur, quia de essentia essentiæ ut sic, non est existentia: si enim ab his differentiis creatum & increatum, benè possit præscindi Ens, non apparet cur etiam sic non possit præscindi essentia ab existentia.

OBJICI-

Objicitur I. Si dantur præcisiones objectivæ inter essentiam & existentiam dabitur processus in infinitum in istis formalitatibus objectivis. Quod ipsum probatur, quia illa objectiva formalitas existentiæ, quæ correspondet ut condistincta à formalitate essentiæ, est apta ad non existendum, & potest habere duos status puræ possibilitatis, & actualitatis; ergò in illa rursùs duæ formalitates distinguentur, una quæ sit essentia, & alia quæ sit existentia; de quibus ipsis ulteriùs redibit argumentum.

Respondetur. Duplicem cogitari posse essentiam, nempe essentiam ipsius essentiæ, & essentiam ipsius existentiæ inter quas duas hoc discrimen est, quia existentia respectu essentiæ quâ essentia est, habet se ut accidens metaphysicum, existentia autem, respectu essentiæ ipsius existentiæ, non est existentia accidens, posita itaque abstractione essentiæ ut sic, ab existentiâ, intelligitur manere sola ratio differentialis existentiæ, quæ in re quidem essentiam continet, tamen prout objicitur nostris conceptibus, intelligitur quasi spoliata ex essentia secundùm rationes communes spectata; licèt non spolietur essentiâ secundùm rationes particulares spectata, ut dictũ de Ente; à quâ existentiâ prout ita conceptâ, prout jã dicente, quòd à se extracta jã sit ratio cõmunis essentiæ, jam non potest ab illâ, quà tali, abstrahi ratio communis, nec unquam abstrahi potest existentia ab essentia ipsiusmet existentiæ, nec è converso accipiendo essentiam sensu explicato.

Objicitur II. Essentia actualis quantumcunq; e præcisa objectivè ab existentiâ, eo ipso, quòd actualis concipiatur, concipitur existens: Ergò nec essentia ab existentiâ nec è contra præscindi possunt.

Respondetur. Essentiam actualem dum præscinditur non concipi actualem, sed depurari ab actualitate, hinc argumentum est, à non supponente. Neque valet si dicas, essentiam possibilem dicere existentiam possibilem, & essentiam actualem, dicere existentiam actualem; non unquam valet si dicas; quia potest concipi ipsa essentia secundùm se, adeoq; prior ex modo concipiendi, ipsâ existentiâ possibili & actuali, cumq; illa ratio abstractissima essentiæ, nullam dicat actualitatem, nullam etiam dicet existentiam: Et sicut animal quod est in homine depuratum à rationali, est à parte rei adhuc rationale; licèt ab illo prout depurato à rationali, non possit ulteriùs rationalitas abstrahi; sic in præsenti.

Objicitur III. cum Oviedo. Nulla formalitas est actu existens; quæ non sit possibilis: ergò nulla formalitas est actu existens, quæ non includatur in eadem, ut possibili. Rursùs nulla formalitas accipitur in ente possibili, quæ non concipiatur existens: Ergò neque ens possibile dicit aliquam formalitatẽ, quã non dicat existẽs; Ergò ens ut existens, & ut possibile, non distinguitur per formalitatem aliquam, quæ cognoscatur in uno, & non cognoscatur in alio:

Respondetur. Licèt in animali posito in Leone, & animali posito in Petro, quà animal est, nulla sit formalitas in uno, quæ non sit in alio; nihilominus hoc non obstante, potest dari ratio communis utrique, ut docent qui tenent præcisiones objectivas: ita quamvis non detur formalitas in ente possibili, quæ non sit in actuali, & è converso; nihilominùs dari poterit ratio communis utrique, adeoque ex vi rationis communis, præscindens à possibilitate & actualitate. Addo distinctas esse has propositiones: An dicat formalitatem aliquam existentia possibilis, quam non dicat actualis, & an depurari possit conceptus essentiæ, à prædicato suo metaphysico, quod est existentia. De priori non est quæstio; sed de solo posteriori: præcipuè cum ex dictis suprà constet, possibilitatem non rectè explicari, per existentiam conditionatam. Denique cùm importentur alia connotata ab ente possibili quà tali, alia ab existente, poterit ratio communis desumpta ex his potiùs connotatis fabricari, constituereque objectum præcisum unum ab alio.

Instabis. Quando Deus cognoscit creaturam possibilem, indifferentem ut producatur, vel non producatur, cognoscit omnes formalitates, quæ sunt in illa jam producta, vel non cognoscit? si cognoscit omnes, ergò in statu possibilitatis ex parte objecti, includit omnes formalitates, quas includit existens, ergò existens nullam addit formalitatem, supra possibilem: Quod si non omnes cognoscit formalitates in creatura possibili, quæ reperiuntur in existente, sequitur aliquam formalitatem esse productam, quin cognitio illius formalitatis productionem ejus præceserit.

Respondetur. Possibile & existens, si ratione recti sumantur, non præscindunt à se; idem enim est existens, quod erat possibile; idem autem, à se ipso ut tali, non præscindit; ratione tamen connotatorum, sunt diversa objecta, possibile & existens, connotataque unius, non conveniunt alteri: nam in statu possibilitatis non importatur actualis ratio existendi extra causas, sed attenditur ad solum nexum prædicatorum, & tantùm pro statu existentiæ, ad rationem illam actualem, existendi extra causas; cur ergò ratione diversorum connotatorum, non poterit depurari, conceptus ut sic essentiæ, à conceptu existentiæ, fundamento habito in connotatis diversis.

***

DIFFICULTAS III.

Solvuntur rationes pro distinctione reali essentiæ ab existentiâ.

PLuribus argumentis quæ deducunt ex diversis principiis probant suum intentũ Thomistæ. Antecedunt & argumenta recentiorum.

Punctum Difficultatis 1.

Rationes Thomistarum.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 2 Poster. c. 2. *Hominem*, inquit *& esse hominem aliud est & inferius, esse verò nullius est substantia.* Et 3. de Animâ C. 4. ait: *aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.*

RESPONDETUR. Hæc omnia sufficienter explicari per alietatem oriundam à diversis connotatis: quia nec etiam eædem auctoritates probant, quòd essentia ipsius existentiæ distinguatur realiter ab existentiâ; aliàs idem non esset idem, utque esse nullius sit substantia, sufficit quòd existentia sit accidens Metaphysicum.

OBJICIUNTUR II. Quædam Principia Philosophica.

I. PRINCIPIUM. Separabilia realiter sunt distincta realiter. Existentia & essentia sunt separabilia realiter. Ergò.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum per subsumptionem hujus Minoris, Essentia posita extrà causas, & essentia eadem, non posita extrà causas, sunt separabilia realiter, ergò essentia à se ipsâ erit distincta realiter: Imò idem subsumi potest de ipsâmet existentiâ in statu physico dum est, & dum aliàs, non est. Directè autem ad argumentum dici potest. Separabilia, realiter separabilitate ab ipso statu petibili, vel ratione diversorum connotatorum sunt distincta realiter in se. Nego Majorem: quidquid sit quòd status ipse & connotata distinguuntur realiter suo modo. Separabilia realiter, ratione entitatis & intrinsecorum, idq; pro eodem statu physico, sunt distincta realiter. Concedo Majorem: Essentia autem ab existentiâ non pro statu physico actuali, nec ratione entitatis, separari potest. Addo ex Oviedo: Essentiam Petri, ab æterno nec fuisse eandem, cum sepositam in tempore, nec distinctam: non fuisse distinctam, quia idem quod erat possibile existit; nec fuisse eandem, quia id quod est, & quod non est, non possunt esse idem. Unde ad illud argumentum, Essentia eadem fuit ab æterno Petri, quæ est in tẽpore, sed existentia Petri distinguitur realiter ab Essentia Petri ab æterno, ergò distinguitur realiter ab essentia Petri in tempore; ex vi hujus additi respondendo dicitur, quòd in hoc argumento & minor & & major falsa sit. Sed hoc idem argumentum distingui aliter potest, quod scilicèt illæ essentiæ, ratione connotatorum & statuum habeant distinctionem.

II. PRINCIPIUM. Potentia & actus, participans, & participatum, recipiens & receptum sunt distincta realiter: Sed essentia est potentia participans actualitatem recipiendam, jam autem existentia est actus, participatum, receptum &c. Ergò.

RESPONDETUR. Potentiam Metaphysicam & actum Metaphysicum non esse distincta realiter, aliàs homo qui est per modum potentiæ receptivæ formæ, quæ est risibilitas, distingueretur realiter à risibili; licèt potentia physica & actus physicus, distinguantur inter se realiter. Unde idem ad se ipsum, potest diverso respectu habere rationem potentiæ Metaphysicæ. Concesso autem, quòd essentia non sit potentia physica ad existentiam tanquam ad actum, non sequitur existentiam non fore aliquid limitatũ; quia limitationem potest habere, & non ex prædicato potentiæ physicæ, sed ex suâ naturâ, conditioneque prædicatorum. Dici etiam ex dictis potest, quòd ratione nonnisi diversorum connotatorum, rationem potentiæ, habeat essentia, & existentia, rationem actûs.

III. PRINCIPIUM. Mutabile & immutabile sunt distincta realiter, essentia est immutabilis, existentia autem mutabilis. Ergò.

RESPONDETUR. Hanc diversitatem prædicatorum, esse ortam ex alietate statuum & connotatorum, sed non ratione intrinsecorum. Hinc etiam ipsa existentia hominis, secundùm id quod dicit in recto, est immutabilis, quia est ipsemet homo.

IV. PRINCIPIUM. Impossibile est idem esse & non esse, ergò non potest quidquam esse, & tamen concipi sub negatione ejus, cui identificatur realiter; sed essentia potest concipi sub negatione existentiæ; Ergò hæc non identificantur formaliter.

RESPONDETUR. Existentiam de essentia negari, non ratione recti, nec ratione statûs physici ejusdem, sed ratione connotatorum, & diversi statûs, quia si concipiatur essentia non extra causas, adeoque non in statu physico, benè de illa negari potest, existentia.

COLLIGES, quid respondendum sit ad illud, quòd nihil sit indifferens ad seipsum: Id enim verum est, quòd nihil physicè sit ad se ipsum indifferens; sit tamen ex modo concipiendi, ratione diversi statûs, connotatorum &c. Et licèt quidem accidens physicum debeat esse distinctum realiter ab eo, cujus est accidens, secùs sentiendum de accidenti Metaphysico, qualis est existentia; quæ etiam ratione recti, intrinseci, & entitatis non est accidens, sed ratione statûs & connotatorum: hoc est causarum, extra quas, vel intra quas sit essentia. Unde quamvis prædica-

dicatio existentiæ de essentiâ, sit prædicatio accidentis, est tamen accidentis Metaphysici.

Colliges, quid sit respondendum ad illam instantiam, quod convenit nonnisi dependẽter à causa efficiente, distinguitur ab eo, quod convenit necessariò; existentia autem convenit cõtingenter & dependenter à causa efficiente; cõsequenter enim ad dicta negari debet, quòd existentia secundùm id quod dicit in recto, non sit æquè necessaria ac essentia. Et licèt id quod convenit pro statu physico nonnisi dependenter à causis, distinguatur realiter, ab eo, quod cõvenit pro eodem statu physico, independenter à causis, potest tamen idem pro statu Metaphysico esse independens à causis & pro statu Physico dependens.

V. Principium. Relationes diversæ, debent habere diversos terminos. Et ita ratio similis, non terminatur ad passum vel æquale; cùm ergò relatio transcendẽtalis & prædicamentalis, sint relationes diversæ, diversos etiam debent habere terminos: sed si non distinguãtur existẽtia ab essẽtia, relatio transcendẽtalis & prædicamẽtalis non haberẽt distinctum terminum; quia relatio transcendentalis est ad ipsam essentiam, prædicamentalis est ad existentiam; & tamen per nos non distinguũtur realiter essentia & existentia.

Respond. Principium istud paribus cæteris accipiendum esse: Si enim esset verum universaliter, probaret quòd albedo, quæ est terminus relationis similitudinis, non possit esse terminus relationis dissimilitudinis ad nigrum: sufficit itaque si distinctæ relationis terminus sit vel diversus realiter, vel diversus formaliter; præcipuè cùm illa relatio transcendentalis Dei ad essentiam creaturæ, nihil aliud sit, quàm ipsa omnipotentia petens producere, & ipsa creatura petens produci; quod totum salvari potest, quamvis essentia non distinguatur realiter ab existentia.

Arguunt aliqui ex eo distingui realiter existentiam ab essentia, quia operatio creata distinguitur realiter ab essentia, consequenter & modus essendi, hoc est, existentia debebit distingui: Sed illud proloquium non plùs vult, quàm quòd intrinsecam perfectionem entitativam actus, accipiat à modo essendi.

Objiciuntur III. Quædam Principia Theologica.

I. Principium. Solus Deus est suum esse, sed si non distingueretur realiter existentia creaturæ ab essentia, creatura esset suum esse.

Respondetur. Effatum illud ita esse intelligendum; quòd scilicet solus Deus sit à se, sibiq; principium essendi; reliqua autem omnia sunt ab illo. Alius etiam sensus illius dicti dari potest: Solus Deus est suum esse, id est, quidquid est in Deo, Deus est; atq; ita est in Deo sapientia, esse sapientiæ in Deo, Deus est, &c. & sic de reliquis: quod non convenit creaturis.

II. Principium. Solus Deus est actus purus, sed si existentia creata identificaretur etiam creatæ essentiæ, hoc non esset verum; quia sola compositio, destruit rationem actus puri, quæ compositio non esset, si identificaretur essentiæ cum existentia.

Respondetur. Majorem illam, sola compositio destruit rationem actûs puri, posse duplicem habere sensum. Omne id quod compositionem non habet ex distinctis realiter, est actus purus, & hîc sensus falsus est, quia ab existentia saltem essentia ipsius existentiæ non distinguitur realiter, & tamen existentia non est actus purus. Deinde potest facere hunc sensum, quòd compositio si detur, destruat rationem actûs puri, sed ita ut illa etiam non posita possit destrui ratio actûs puri, non quidem per compositionem ex essentia, sed aliunde.

Explicari etiam dictum principium sic potest. *Solus Deus est actus purus.* quia non transit à potentia ad actum, sed semper est actus non mistus antecedentia potentiæ: solus autem Deus est talis, nos autem & in esse & in operari, transimus à potentia ad actum. Rursùs quod est actus purus nõ potest habere rationem subjecti; in omni autem creatura subjectantur illius accidentia.

III. Principium. Scientia simplicis intelligentiæ à scientia visionis sunt distinctæ; Ergò debent terminari ad diversa objecta; sed nisi daretur distinctio realis inter existentiam & essentiam non possent distingui istæ scientiæ. Ergò.

Respondetur. Cùm circa idem realiter objectum, possint versari etiam creatæ duæ scientiæ realissimè distinctæ, multò magis versari poterunt scientiæ divinæ realiter indistinctæ; Sufficeret ergò distinctio objectorum, ratione diversorum realiter statutum.

Distingui rursùs poterunt illæ scientiæ ratione objecti attributionis, seu rationis formalis ultimatæ, quia scilicet ratio intenta à scientia simplicis intelligentiæ, quà tali, est ratio possibilis; ratio autem intenta à scientia visionis, quà tali, est ratio existentis. Et sicut non obest quominus dicatur distingui Logica à Physica, quia Logica rationem hujus quod est operatio intellectualis considerat, quam etiam considerat Physica; ita nec sequetur confusio scientiæ visionis, quamvis utraque, idem objectum habeat, modò distinguatur ratione objecti attributionis.

Distingui item poterunt illæ scientiæ ratione medii in quo, & ratione cujus cognoscũtur; quod ita explicatur. Possunt benè notitiæ circa idẽ in re objectum distingui præcisè ratione medii in quo; & ratione cujus cognoscuntur: Et sic notitia Dei in illomet ipso & notitia Dei per attactã speciẽ expressam, quam habet Gabriel de Deo, sunt notitiæ distinctæ. Rursùs eadem Conclusio diversa erit si per diversa motiva procedat,

revocabiturque ad diversas scientias: Visio item horti in se, & imagine vel speculo, longè est alia, & sic de reliquis : ex quibus stabilitur hæc Major, quòd notitiæ ratione medii in quo, & ratione cujus cognoscuntur, sint diversæ. Quia verò medium in quo, & ratione cujus cognoscuntur possibilia, est diversum à medio in quo, & ratione cujus cognoscuntur existentia, fit ut scientiæ etiam ad illa objecta attendentes sint adhuc diversæ. Portò medium in quo noscuntur possibilia est, v. g. omnipotentia, ipsa Dei essentia: &c. Medium autem in quo noscuntur existentia, est illorum præsentialitas ad æternitatem, quæ ipsa ratione decreti alicujus divini liberi proportionati, attinguntur, cum tamen possibilia, independenter à quocunque decreto libero, noscantur.

Rationes Recentiorum.

Objicit I. Sylvest. Maurus q. 6. Phys. Universim actus distinguuntur ab iis quæ habent tales actus. Aliud enim est quod movetur, aliud moveri, aliud quod intelligit, & aliud intelligere: Sed aliud realiter est intelligere aliud quod intelligit, ergò & aliud quod existit aliud existentia.

Respondetur. Aliud esse actum physicum formæ physicæ, & aliud quod habet talem actum, sed actus formæ Metaphysicæ, ab eo quod habet talem actum, distingui non debent; aliàs unitas quæ est actus unius entis, risibilitas quæ est actus metaphysicus unius Risibilis, deberent esse distincti realiter; quod si hæc ipsa dicas distingui realiter, saltem entitas & ens, non distinguentur realiter, quamvis entitas sit actus entis, jam autem existentia est actus metaphysicus essentiæ.

Instat I. Si quis sincerè reflectat super se ipsum, advertit quòd sicut ipse intelligit non per hoc, quòd sit intelligere, seu actus intelligendi; sed per hoc quod habeat actum intelligendi; ita etiam est non per hoc quod sit esse, sed per hoc, quod habeat esse; absurdum autem est ut ens habeat id quod est; v. g. dicitur absurdè quòd homo habeat animal rationale.

Respondetur. Imprimis reflexio nostra qualis, non potest in præsenti pro argumento accipi: potest enim dici ex modo nostro concipiendi imperfecto, totum illud oriri: planè ac cum sub formis materialibus, concipimus Deum. Sed posito etiam quòd nos reflectamus super nostras cogitationes, nemo nisi præoccupatus, experitur quid sit essentia, supra quam ponens se existentia, quod faciat illam esse, extra causas. Transeat item quòd absurdè dicatur hominem habere animal rationale, quia hæc duo cõparantur ut definitũ & definitio; quæ tamen ita non comparantur, etiamsi sint idẽ realiter, modò unum cum fundamento in re concipiatur per modum accidentis Metaphysici, advenientis, secundarii, aliud per modum essentiæ &c. benè horum unum haberi, aliud habere, dici poterit; & ita dicitur unumquodque ens, habere suam unitatem, quæ ab illo non distinguitur realiter.

Instat II. Quòd potest habere ac non habere aliquem actum, non est talis actus; & ita quod potest sedere, & non sedere, non est actus sedendi: sed omnis creatura potest habere & non habere actum essendi; Ergò nulla creatura est actus essendi.

Responsum suprà. Quòd potest habere & non habere pro statu physico aliquem actum non est talis actus. Concedo. Si hoc illic contingat non pro statu physico, sed pro aliquo potentiali vel intentionali. Nego. Non eritque distinctio in recto in hoc, quod est actus; & in hoc quod est posse actûs, sed erit distinctio ratione obliqui, connotatorum, & statûs diversi.

Instat III. Ex eodem fermè principio. Certum est inquit me posse esse ac non esse; quo posito, quærit, vel posse esse ac non esse, est ipsum actu esse, vel non est ipsum actu esse; si primùm, contra erit, quia ipsum posse moveri, & non moveri, non est ipsum actu moveri; Ergò & in præsenti idem dicendum. Quod ipsum in hoc fundatur, quia sicut esse, est ipsum esse; ita posse esse & non esse, non est ipsum esse actu; sed est potentia essendi, ac non essendi: Si autem posse ac non esse, non est ipsum actu esse, habetur intentum: Neque enim potest dici, quòd ipsamet possibilitas, sit quid mihi extrinsecum, identificatum cum Deo; hoc enim idem esset ac dicere, quòd posse meum moveri & non moveri, non sit aliquid intrinsecum mihi, sed merè extrinsecum.

Respondetur. Posse esse & non esse, cum ipso actu esse, sint idem quoad rectum, licèt non sint idem in obliquo. Paritas adlata de motu, non convincit; quia argumentum à distinctione formarum physicarum, non valet ad formas Metaphysicas, qualis forma Metaphysica, est existentia. Secunda etiam pars argumenti non convincit. Quia sufficit ut esse actu, non sit idem in obliquo, cum posse esse actu & non esse; licèt sit idem in recto; Quando autem videtur admittere possibilitatem intrinsecam rerum, id secundùm dicta superius pro nobis facit.

Objicitur II. Ex imperfectione creaturæ oritur, quòd non identificetur cum aliis actibus; sed actus essendi, est primus & præstantissimus actus; in quo omnes fundantur. Ergò.

Respond. Ex imperfectione creaturæ oritur quòd non identificetur cum actibus Physicis, sed nego, quòd etiam debeat non identificari cum actibus Metaphysicis, qualis est existentia.

Objicitur III. Creaturæ undique debent differre à modo essendi Divino, in ratione causati & incausati. sed modus essendi divinus consistit in hoc, ut sit ens à se, in se, per se, & propter se, & hoc est esse, undique incausatam in quocũque

que genere. Est autem Deus à se, quia non accipit esse ab ulla causâ efficiente: est in se, quia esse Dei non recipitur in ullo subjecto vel potentiâ; est per se, quia non est per esse distinctum: est propter se, quia non est propter finem diversum, sed ipse est supremus finis omnium: Ergò creaturæ debent habere esse undique causatum, per proportionatam oppositionem, defectum involventem.

Respondetur. Hæc nos omnia prædicata salvare, licèt non cum explicatione qualem ponit objectio. Et quidem quòd sit à se, concordamus in explicatione. Quando autem esse in se explicat, quia esse Dei non recipitur in ullo subjecto & potentiâ, id imprimis in principio arguentis difficultatem habet; quomodo enim aliquid est in se, si non distinguitur id quod est, & id in quo est? sicut nemo dicit in animali rationali esse hominem. Sed retinendo etiam explicationem quam ponit objectio, adhuc illa salvari potest in nostris principiis, quia scilicet non recipitur esse Dei, in ulla potentia quæ physicè præcesserit, vel præcedere potuerit, sicut à posse esse hominis, anteceditur esse hominis. Sensus autem illius dicti Deus est in se duplex legitimus & receptus dari potest, quod Deus sit sibi locus, nulloque extrinseco indigeat loco. Vnde communi Theologorum phrasi dicitur, fuisse in se ipso, ab æterno. Rursùs Dei esse est in se, quia scilicet in se ipso, complectitur omnia, pro suo esse, nec indiget principiis effectivus &c. similia. Quod attinet ad explicationem illius: est per se, quia non est per esse distinctum supple realiter. Hoc ex dictis immediatè refutari debet, videturque esse omninò arbitraria, & petens principium. Commodiùs dicetur, hoc sensu Deus est per se, quia non ex accidenti habet existentiâ sed necessariò & per se.

Instat I. idem. Adverti debet quo sensu Deus sit ens per essentiam, creaturæ per participationem; Sicut enim ignis est ignis per essentiam, quia non participat ignem, nec habet ignem in se, sed est ignis. Ferrum verò ignitum non est ignis per essentiam, sed solùm per participationem, quia non est ignis, sed habet ignem sibi intimè unitum. Ergò cum Deus ita sit ens per essentiam, quia non habet esse sed est ipsum esse, ita creaturæ erunt entia per participationem, quia non sunt esse sed habent esse.

Respondetur. Non esse proportionem si comparetur ignis ad ferrum ignitum, & Deus ad creaturam existentem, nam ignis habet formam substantialem suæ materiæ unitam, quæ est actus Physicus ignis, ideoque constituens cum materia essentiam ignis. Jam autem ferrum ignitum, non habet sibi substantialiter unitam formam ignis, hinc non potest dici nisi ignis per participationem, Jam verò tam Deus quàm creatura, habent actum existentiæ, unde ad salvandum quod Deus sit ens per essentiam, sufficerit hoc, quòd sit necessarium in existendo; quamvis Deus & creatura, habeant æquè identificatam pro statu reali existentiam: ad eum modũ quo Deus est unus per essentiam, & tamẽ etiam unitas à nobis, non distinguitur realiter.

Instat II. Deus ita est sapiens ut sit ipsa sapientia, ergò etiam ita est esse, ut sit ipsum esse, ergò creaturæ quæ habent sapientiam & non sunt sapientia, etiam habebunt existere ita, ut non sint ipsum existere.

Respondetur. Concedo propositiones assumptas de Deo. Quod attinet ad creaturas, non est par ratio, quia possunt esse extra causas creaturæ & non esse sapientes, non potest autem esse extra causas essentia & non esse sapientes, non potest autem esse extra causas essentia & non habere existentiam, nec videtur tenere argumentum à formis Physicis ad Metaphysicam.

Instat III. Ex eodem fermè medio termino; hoc est comparatæ perfectionis increatæ, ad creatam, sicq; urget. Esse quod non est receptũ in alio, sed est in se subsistens, est infinitum, esse enim quod non est acceptum ab alio, sed est à se, est infinitum, ita etiam non receptum in alio, debet esse infinitum. Videturq; se mutuò ista consequi, non habet esse ab alio; ergò non habet esse in alio. Unde hæ etiam affirmativæ se consequuntur, habet esse ab alio, ergò habet esse in alio. Sed si substantiæ creatæ essent suum esse, ipsarum esse non esset receptum in alio, neque enim quidquam recipitur in eo, quod est.

Respondetur. Esse quod non est receptum in alio per exclusionem actualis vel potentialis negationis existendi, est ens infinitum, debebit enim hoc ipso esse à se. Cæterum esse non receptum in alio, si actu non existit, vel si saltem poterat non existere, nõ est necesse, ut sit à se, adeoq; infinitũ. Hoc enim ipso quod sit à se, caret principio suarum perfectionum limitatio, non repugnat autem, esse non receptum in alio subjecto esse adhuc finitum, ex sua natura, ut patet in unitate comparata ad ens. Imò & in animalitate & rationalitate comparata ad hominem. Et licèt non esse ab alio: sequatur non recipi in alio, quia si ex esse à se, sequitur infinitudo perfectionis, sequitur etiam hæc perfectio, nõ recipi in alio, sed ex esse ab alio, non sequitur carẽntia omnis perfect.onis, adeoq; carentia hujus perfectionis, quæ est, non recipi in alio.

Quando autem in solutione argumentorum frequenter recurrit ad hoc quod sit extra causas essentia quoad posse esse & non esse, quoad esse autem actu, est extra causas, ratione existentiæ; id non convincit, quia sequitur illud posse esse & non esse prout condistinctum ab existentia & existere & non existere, non existere ut supponitur, existere autem, quia illud posse esse & non esse est extra causas, esse autem extra causas & existere nullo differunt, & si inter hæc ponatur differentia, non jam de re manet status quæstionis; quia hic procedit ex suppositione, quòd hæ duæ voces habeant se pro eodem, imò quod se habeant sicut definitio & definitum.

DISPUTATIO II.

De attributis Entis.

ATtributa entis tria communiter numerantur. Unum, Verum, Bonum, quæ in particulari ut melius intelligantur. *Sit*

QUÆSTIO I.

De attributis in communi.

QUÆRES I. *Quid sint attributa?* Rigorosè loquendo, aliud esse passiones, aliud attributa, quia respectu DEI dantur propriè attributa, non tamen assignantur aliquæ propriæ passiones Dei. Imò passiones ut plurimùm supponunt pro proprietatibus physicis, quas subjectum patitur, pro quo ut plurimùm, non supponunt attributa; quamvis ista, interdum in idem incidant. Hinc indifferenter dicimus: unitatem esse passionem Entis, vel attributum Entis. Si qui accipere vellet rationem communem ad passiones & attributum, diceret, quòd sit perfectio emanans ab essentia in suo esse constituta, & si sit perfectio physica, erit emanata & recepta physicè, adeoque passio sine addito. Si autem emanata sit ex modo concipiendi, si sit perfectio entis, quod nemine cogitante potest habere rationem subjecti, dicetur passio Metaphysica. Si autem sit entis cui esse subjectum (à parte rei) nemine cogitante non convenit, qualis est solus Deus, dicetur potius esse attributum. Ratio autem communis Logicè attributi, est, quòd sit ratio prædicabilis, in secundo modo dicendi per se.

QUÆRES II. *An dentur attributa entis?* Dantur. Tum quia dantur prædicata quæ intelliguntur emanata ab omni ente. Tum quia ita expresè Aristoteles 4. Metap. t. 2. 5. 6. ubi præcipuè ait de unitate, & 1. Poster. c 1. Ea autem quæ in oppositum objiciuntur probant nonnisi, quod attributa non sint passiones physicæ: quamvis autem includens & inclusum, in ordine physico, dici de se non possint ad convertentiam; secùs includens & inclusum Metaphysicum, sufficietque ut habeat rationem proprietatis, distinctio per rationem, & ratione connotatorum.

QUÆRES III. *Quænam sint attributa entis?* Asseritur communiter tria esse, Unũ, Verum, Bonum, & ad Unum quidem revocatur esse idem, & tanquam oppositũ, revocatur, esse differens. Ad Verum autem revocatur esse immutabile, cognoscibile &c. Ad Bonum revocatur esse appetibile. Porrò existentia non tam est passio, quàm potius præsuppositum quid passionibus, quæ ex ente existenti emanant, duratio autem & ubi, cum sint variabilia, non merentur rationem passionis & attributi. Nec esse rem & esse aliquid merentur rationem passionis, sed coincidunt cum ipso ente. Plura de his, sed nõ multum disputabilia, vide apud alios.

QUÆSTIO II.

De attributis in particulari.

INter attributa non datur ullus ordo realis, cùm enim identificentur enti, sicut ens se ipso non potest esse prius nec posterius; ita nec attributa inter se priora erunt realiter; nec est inter illa ordo aliquis causalitatis; hinc ad invicem ad se dicunt subsistendi consequentiam, est tamen inter attributa ordo aliquis rationis, secundùm quem per prius ex communi sententia, dicitur aliquid esse unum; quàm verum, & per prius verum, quàm bonum, cujus prioritatis hæc est ratio. Prius est esse indivisum quàm esse objectum intellectûs, quia esse indivisum, dicit perfectionem in ordine ad se, prius autem est aliquid esse in se, quàm in ordine ad aliud. Si autem esse indivisum est prior perfectio, præesse objectum intellectûs, prius etiam erit unum quàm verum; quia unum dicit esse indivisum, verum autem, dicit objectum intellectûs, quod ipsum, quia est prius præ objecto voluntatis, quia & ipse intellectûs prior est voluntate, fit ut verum, quod est objectum intellectûs, sit prius, præ bono, quod est objectum voluntatis. An autem veritas secundùm aliquam considerationem prior sit etiam Unitate alibi dicitur.

DIF-

DIFFICULTAS I.

De Vnitate.

PRÆMITTO I. *Vnitatem non esse quid distinctum ab ente realiter.* Ratio. Tum quia ita Arist. 4. Metaph. t. 3. Tum quia nullum est signum distinctionis realis, & nulla necessitas. Tum quia ens prout distinguitur ab uno vel est multa vel non est multa. Si est multa, ergò per additam sibi unitatem non potest fieri unum, quia nihil, per superadditum, fit id, cujus est oppositum, natura sua; sicut nigredo, per superadditam albedinem non albescit, ergò ulterius ens, quod prout distinctum ab unitate est multa, prout condistinctum ab unitate, est unum, quia multa, nihil aliud sunt, nisi unum & unum. Si autem ens prout condistinctum ab unitate, idque à parte rei non est multa, ergò est unum, hæc enim per nos, verbis differunt. Et si unum se ipso unum est, ne detur processus infinitus, ita & illudens, se ipso est unum, ob paritatem rationis.

PRÆMITTO II. *Vnitatem non esse quid formaliter ex natura rei Scotistica distinctione distinctam.* Hæc enim distinctio aliàs rejecta.

PRÆMITTO III. *Ordinariè admitti quòd cùm unitas non superaddat enti aliquid realiter distinctum, vel ex natura rei, quod superaddat aliquid negativum* infra explicabile; licèt ipsum illud negativum identificetur enti, ad eum modum, quo negatio equi, identificatur animali rationali, & essentiæ Divinæ, identificatur independentia, immortalitas, quæ sunt prædicata negativa. Porrò negativum illud, quod superaddit unitas enti, ordinariè dicitur esse negatio divisionis. Ipsa autem negatio divisionis in ente tripliciter concipi potest. I. Pro negatione divisionis à se, secundùm quam concipitur ens, non posse dividi in plura talia, quale ipsum: v. g. Petrus, in alium à se Petrum. II. Divisio concipi potest ab alio, secundùm quam habet ens ut ab omni eo, quod non est ipsum, dividatur; v.g. secundùm quam Petrus dividitur à Joanne, Andrea &c. III. Divisio concipi potest in se, adeoque negatio divisionis in primo accusativè & sic coincidit cum negatione divisionis à se, quia scilicet non potest dividi in seipsum. Rursùs Ly in se accipi potest ablativè hoc est dividi non potest in sua entitate. Et sic Angelus dividi non potest in sua entitate, quia partes non habet, homo autem physicè acceptus, dividi potest in sua entitate, quia constat corpore & anima.

Punctum Difficultatis 2.

Qualem Divisionem neget Vnitas?

DICENDUM est. *Negationem divisionis in se accusativè seu à se, esse negationem primò importatam ab unitate*; ita Suar. Hurt. & post illos Ovied. quamvis ille dicat æque importari etiam divisionem ab alio. Quoad primam partem.

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis 5. Metaphys. t. 11. & S. Thomæ præsertim q. 3. de potentia Art. 16. ad 3.

PROBATUR II. Si ab Uno non importaretur negatio divisionis à se, posset stare unitas cum divisione à se, hîc enim quæritur de talis divisionis negatione, quæ divisio stare non possit cum unitate, sed non potest stare unitas cum divisione à se; quia aliàs illud unum, & esset unum & non esset, esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia unum & unum seu pluries unum, non est unum sed multa, quia multa non est aliquid aliud, nisi pluries unum, item divisibile à se, est pluries unum, scilicet pluralitate in se ipso inclusa, ergò illud unum, esset multa, adeoque non unum.

PROBATUR III. Ponamus aliquid esse unum, posse tamen dividi à se, posita divisione, possunt ne adhuc dividi partes à se vel in se accusativè vel non possunt? Si possunt, quæro de illis divisis an adhuc possunt dividi, si id concedis, concedis processum infinitum in divisionibus, quod repugnat. Quod si devenire est ad aliquid, quod ulterius non sit divisibile, quæram de illo indivisibili, estne multa vel unum? Si multa, ergò multa illud erit, quod non est multa, quia nec multiplicabile. Si unum ergò aliquid unum non est divisibile in multa se, nec potest stare cum illo dividi in se, ergò apparet etiam unitatem ut sic, non stare cum divisione in se. Sicut si unus homo non potest stare cum rugibilitate nec homo ut sic stabit.

QUOAD II. PARTEM, nempe quod negatio divisionis à se, seu in se accusativè, sit negatio primò importata.

PROBATUR I. Rationes & formalitates respicientes illud ipsum cujus sunt, sunt rationes priores, rationibus & formalitatibus, respicientibus aliud ab eo, cujus sunt. Quia prius est esse in se, quàm esse ad aliud; consequenter & negatio divisionis, sequens esse in se, est prior negatione divisionis, sequente esse ad aliud, sed indivisio in se, respicit se ipsam, non posse autem dividi in aliud à se, est ratio respectiva; Ergò indivisio in se seu à se, est prior, indivisione in aliud.

PROBATUR II. Etiamsi per impossibile posset aliquid dividi in plura alia à se, si tamen non posset dividi in seipsum, adhuc esset unum; si autem non posset dividi in alia, posset autem dividi in se ipsum, jam hoc ipso non esset unum, ergò intimior & prior est ratio indivisi in se in uno, quam indivisi in aliud. Antecedens probatur. Quia illa indivisio in se, adhuc esset negatio multiplicitatis in se, adeoq; unitas & indivisio in se, sine multiplicitate in aliud, adhuc esset multiplicitas in se adeoque non unitas. Consequentia principalis probatur. Quia illa est ratio

prior, quæ si mutetur, manentibus iisdem reliquis, jam non manet idem, & si non mutetur, mutato altero per possibile vel impossibile, tamen manet idem, hocque probat inductio, quia mutata extreitate in ordine ad locum, & non mutata extreitate in ordine ad se, manet eadem quantitas, mutata rationalitate & non mutata per impossibile risibilitate, non manet homo & sic de cæteris. Ergò etiam si mutata negatione divisionis in aliâ, positâq; divisione in alia, & relictâ negatione divisionis in se, manet unitas, hoc ipso unitas, per prius, dicet negationem divisionis in se, quàm negationem divisionis in alia.

Probatur III. Quia si de primo essentiali conceptu unius, esset, esse divisum ab aliis, vel esset de primo essentiali conceptu, esse actu divisum ab aliis, vel potentia; neutro ex his modo divisio ab aliis, est primò essentialis. Non primò, quia Deus ab æterno erat unus, & tamen ab æterno non erat actu divisus ab aliis, cum illa ipsa alia, actu non fuerint ab æterno. Quod etiam potentialis divisio ab aliis, non sit de primo essentiali conceptu, sic probatur. Quia etiamsi impossibiles essent creaturæ, à quibus Deus dividi posset, sicut sunt impossibiles plures Dij, adhuc Deus esset unus, ergò apparet, quod ab ista possibili & potentiali divisione, non desumatur unitas.

Confirmatur. Si ratio unius stat in ratione divisi ab alio, ante illam rationem divisi ab alio, non posset intelligi ratio unius, nam ante constitutiva, non intelligitur res constituta; jam autem pro priori ante divisionem ab alio, res intelligitur jam una: quod ipsum probatur; prius est ratione intelligi unum, quàm multa, ergò & per prius est ratione unum, quàm id, quod, necessariò multa involvit. Sed divisio ab aliis, necessariò multa involvit. Ergò prius est unum, quàm esse divisum ab aliis. Quod autem prius sit ratione unum, quàm multa, probatur. Quia prius sunt partes, quàm totum, pars autem multorum, est unum.

Quod ipsum sic proponitur. Si unum formalissimè esset, non divisum in plura, per prius intelligeretur esse unum, quàm esset unum. Pone enim nondum esse constitutum in ratione sua unum; nam primùm constitueretur unum quando adveniret illa ratio, non divisi in plura. Quæro per quid constituerentur illa plura, in quæ plura, indivisio facit unum. Certè inimaginabile est, esse plura & non per positionem unius & unius, Ergo posito quod unum nondum esset constitutum in ratione unius ipsa plura, essent plura, ante unum, adeoq; unum esset, prius ante unum, quia plura sunt hoc & hoc unum. Quod tamen unum nondum intelligitur esse constitutum in esse unius. Per hoc tamen non nego quod in re, divisio ab alio, sit de ratione uniûs, non enim minus est in re de ratione Petri, ut non dividatur in Andream & Jacobum, ac ne dividatur in plures Petros.

Objicit I. Oviedo, probans quod divisio ab alio, sit primo essentialis conceptus unius, æquè ac indivisio in se. Indivisionem in se transcendit esse divisum ab alio, quod ipsum probatur. Quod est divisum, non est, & sic post divisionem materiæ & formæ non est homo, post divisionem continui non manet idem continuum, ergò esse uniuscujusque rei, dicit divisionem.

Respondetur. Concedendo totum. Non enim est de hoc quæstio: an dicat unum divisionem ab alio, sed an dicat, divisionem hanc, primò; nec obest quod indivisionem in se, transcendat divisio ab alio, quia transcensionem, hoc est, identificationem risibilis in homine, similem habet rationale, & tamen hoc non obest, quominus rationalitas, sit prior risibilitate.

Instat Idem. Non divisio entis compositi, dicit illius unionem, & non divisio entis simpliciter, dicit illius simplicitatem, sive identitatem prædicatorum, sed unio est constitutivum cujusq; entis compositi & identitas in ente simplici, ergò non divisio, est de ratione constitutiva cujusvis entis.

Respondetur. Concedendo totum. Nihil enim est contra nos, quia non probat negationem divisionis ab alio, esse primò constitutivam unius. Quando autem addit Petrum, non esse non Petrum, formaliter idem esse cum Petro, negativè significato, Petrum autem esse Petrum, est ratio formalis constitutiva & transcendens Petri, consequenter non esse non ens, est constitutivum entis, negativè accepti; quando inquam hoc addit, non convincit; quia non probat intentum, nempe æquè primo enti convenire, divisionem ab alio, quàm indivisionem in se. Deinde dico Petrum esse prius negatione non Petri, quia positiva prædicata, priora sunt negativis, non potest autem ostendi, quare non sit prior negatio indivisionis in se, quæ est quid absolutum, negatione divisionis ab alio, quæ est quid respectivum.

Addo, licet in Petro negatio non Petri, esset ratio primò constitutiva Petri, non sequitur negationem Joannis, esse æquè primò constitutivam, nam in Petro ad negationem non Petri, tum primum sequitur in Petro, negatio Joannis. Habeturq; tanquam sub generali illa negatione, *NON. Petri*, subsumpta negatio Joannis, quia sub *negatione non Petri* continetur *negatio Ioannis*, qui etiam est non Petrus, universaliora autem sunt priora. Si ergò in Petro, prior est negatio non Petri, præ negatione Joannis, quæ negatio Joannis, est quasi ad aliud; ita negatio divisionis in se, erit prior, negatione divisionis in aliud, quæ est ad aliud.

Objicit II. Exercitus, acervus tritici, & alia entia per accidens, non sunt unum & tamen dicunt negationem divisionis in se, exercitus enim non potest dividi in alium exercitum, ergò non est ratio primo & definitivè constitutiva

unius

unius indivisio in se, siquidem competit entibus, quæ non sunt unum.

Respondetur. Sicut decas est verè una decas, licèt plura in se contineat; ita & unus exercitus est verè unus, hoc est una tantùm collectio, licèt in se plures milites contineat, eaq; ratione, qua unus est, dicit negationem divisionis in se.

Objicitur III. Tale debet esse constitutivum unitatis, quod competat enti quà tali, sed si adderet unitas enti negationem divisionis, non competeret enti quà tali, quod ipsum probatur. Quod competit enti quà tali, non competit non enti, sed negatio divisionis competit non enti, quia etiam non ens, dicit indivisionem in alia non entia.

Respondetur. Duplex formalitas potest spectari in Unitate. I. Secundùm id quod dicit in recto, quæ non aliud est, nisi ipsum ens, & secundùm hanc formalitatem, nullo modo convenit non enti; quia non ens, hoc ipso, quia est non ens, importat negationem hujus recti, quod dicit unum, unum enim in recto, dicit ens, quod negat non ens. II. In unitate post spectari formalitas connotati, quæ est negatio divisionis, & hæc negatio divisionis, suo modo competit non enti, quia hoc etiam, dicit negationem divisionis in se, nec repugnat ut ens & non ens idem respiciat connotatum; quia forma & privatio, habent se sicut ens & non ens, & tamen utrumq; respicit subjectum, tenebræ etiam non sunt non ens, radius ens, & tamen utrumque connotat, luminosum. Addo rigorosè loquendo negationi non tam competit negatio divisionis in se, quam negatio divisionis, in NON se.

Instabis. Entis divisio in se est impossibilis, ergò hanc indivisionem non dicit unitas, aliàs diceret negationem negationis, quia diceret negationem impossibilis.

Respondetur. Hoc argumentum solvendum est objicienti, quia ille tenet quod unitas unitas dicat negationem divisionis in alia, & tamen æquè uni, negatio divisionis in alia, est impossibilis, ac impossibilis & negatio divisionis in se. Item tenebræ sunt non ens, & tamen dicunt negationem aseitatis, immutabilitatis, quæ omnia, sunt prædicata negativa.

Addo hoc quod sit impossibile Enti dividi in se, habet hoc ex ipsamet unitate, quam si per impossibile non haberet, per impossibile divideretur in se, si autem ratione unitatis, non potest dividi in se, cum ipsam negationem hanc divisionis in se, dicat, non dicet negationem negationis, quia illa in terminis præcisis definitionis unius non importatur. Et sicut Petrus dicit negationem Joannis, ex eo tamen non infertur quod dicat negationem negationis, cum illi sit impossibile est Joannem, ita nec in præsenti unitas dicet negationem negationis.

Punctum Difficultatis 2.

Esse unum, estne quid positivum ad negativum?

VNum positivitatem quandam adferre adstruit Vasq. Hurt. Ovied. Negat. Suar. Arri. & alii.

Dicendum. *Vnum non est quid positivum simpliciter & absolutè.* Procedit conclusio de uno non secundùm id quod dicit in recto, ita enim, est quid positivum cum sit ipsum ens; sed de uno, formaliter spectato. Hanc puto fuisse mentem Aristotelis 5. Metaph. t. 11.

Probatur I. Unum, primò formaliter, dicit indivisionem in se, ut supra probatum; indivisio in se, est quid primò formaliter negativum, quod probatur. Divisio à se est quid positivum, est enim ens & ens, quod est quid positivum, ergò indivisio à se, quæ est negatio divisionis erit quid negativum.

Probatur II. Pluralitas per se vel est quid positivum vel negativum; si est quid positivum, ergò unum quod est negatio pluralitatis, erit quid negativum; si autem esse plura, est quid negativum, quodcunque fundamentum adfers probandi plura, esse negativum quid, idem asseremus de Unitate.

Probatur III. Istud positivum unitatis, vel est quid ratione nostra superadditum ipsi positivo entitatis vel non est, si non est, quare alia definitio convenit Uni & alia Enti? si autem est aliquid ratione nostra superadditum, quæcunq; ratio probat illud ipsum superadditum, non indigere ullo alio superaddito positivo ad esse unius, eadem ratio probabit, etiam ens, non indigere ullo tali superaddito positivo, contentariq; negatione, ab aliquo connotato oriunda.

Confirmatur hoc totum. Quia nulla est est necessitas & fundamentum, illius superadditi positivi, non sunt autem multiplicanda entia, sine necessitate.

Objicit I. Oviedo. Divisio in se, dicit negationem; quia dividi ens compositum, nihil aliud ist, quàm destrui unionem, quæ est inter extrema, ergò carentia hujus divisionis, dicet habitum positivum, qui opponitur cum hac negatione; hoc autem oppositum, est unum.

Respondetur. Divisio entis in se dicit negationem simpliciter nego, dicit negationem negationis concedo, dicit enim negationem unitatis, negoq; consequentiam; vel si mavis dicere, divisio ut quo, dicit negationem unionis sed dividi ut quod, est quid positivum, quia hoc dividi ut quod, est ipsa entia, jam autem unitas, respicit ipsum divisionis ut quod, negat enim entia, quæ resultarent, ex divisione entis in se, vel à se.

Instat I. Angelus indivisibilis & punctum indivisibile quantitativam per suammet entitatem, sunt indivisibilia, ergò per suammet entitatem

tatem habent carentiam divisionis, ergò per suasmet entitates, habent proprias unitates.

Respondetur. Hanc instantiam potiùs esse pro nobis, quia dicimus nihil positivum superaddi enti: cujus oppositum sentit Oviedo, directè autem dici potest, quod Angelus & punctum, per suammet entitatem sint indivisibilia, secundùm id quod dicit indivisibile in recto, non autem secundùm id, quod dicit indivisibile, in obliquo. Ita & unum in recto, dicit aliquid positivum, in obliquo negativum.

Instat II. Divisum & non unitum sunt formaliter idem, ergò necessariò habent eandem formam, contradictoriè oppositam, sed non unito, forma contradictoriè opposita est unitum, ergò forma contradictoriè opposita diviso, est unitum, sed unitum est quid positivum, ergò forma contradictoriè opposita non unito seu diviso, est quid positivum.

Respondetur. Concesso quod idem in re sit non unitum & divisum, falsum erit, quod idem sint, ex modo concipiendi; quæ autem non sunt idem ex modo concipiendi, diversa habent contradictoria, ab his, cum quibus sunt idem realiter, & ita V. G. sunt idem realiter in homine sensitivum & rationale & tamen diversa habent contradictoria; sic & in præsenti, diviso formaliter opponetur non divisum non unito unitum, quod unitum in recto, sufficit, ut sit quid positivum; licèt in obliquo, dicat quid negativum: nempe negationem pluralitatis, quæ pluralitas, non probatur esse quid negativum. Deniq; dici posset, quod unitum & non unitum prout hic de illis, sint contradictoria, sed non unitum est pars affirmativa, unitum est pars negativa, ad eum planè modum, quo non tenebræ est quid positivum, licèt ex modo significandi, sit quid negativum, & tenebræ est quid negativum, licèt sit quid in modo significandi positivum, hoc est particula Non carens.

Addo Objectionem hanc desumptam ex unito, exindè non concludere, quia aliter est necesse discurrere de Unione, aliter de Unitate. Unio enim est quid positivum. Hinc esse divisa Materiam & Formam, erit quid negativum, quia erit carentia illius positivi, quod est Unio. Et certè Unio definitivè est nexus & adstrictio duorum Entium, quid autem hîc non positivum? Jam autem Unitas de quâ hîc, est exclusivum plurium, seu negatio ductionis in plura. Hinc quamvis unitum sit quid positivum, non sequitur unum, esse quid absolutè positivum.

Objicitur II. Si unum est quid formaliter negativum, in explicatione illius committetur circulus vitiosus, quia unum est quid, quod non est multa, & multa, essent id, quod non est unum.

Respondetur. Non committi circulum vitiosum, quia non explicatur ignotum per ignotum, sed notum per notum. Nam cui non esset notum, quid sit multa, non deberet illi dici, quod non sint unum. Sed dici deberet ut ait Arriaga hoc & hoc, & illud, sunt plura.

Instabis. Si unum esset negatio pluralitatis, essent prius plura uno, quod falsum est, quia prius est esse ens, quàm entia. Sequela probatur, quia forma negata, est prius negatione, sed forma negata ab uno est pluralitas, ergò pluralitas est prior unitate.

Respondet Aristoteles 1. Metaphys. t. 9. Quoad nos, est prius multa, quàm unum. Deinde universaliter probatio sequelæ non concludit quia immortalitas Dei negat materiam quæ tamen prior Deo non est. Vide Suar. Disp. 4. Metaph. S. 7. n. 3. Deinde quamvis forma negata desumibilis extra id, cui competit negare, esset prior negatione, non tamen esset prior negatione forma negata, desumibilis ex eo ipso, cui competit negare, idem enim se ipso, non potest esse prius, jam autem rigorosè loquendo ut supra probatum, unitas dicit negationem sui in se, unde forma negata, est ipsum illud sui esse, adeoque esse, non desumibile extra negantem.

Objicitur III. Unum per nos, est ipsum ens, prout dicit negationem divisionis, hoc non potest dici; quia aliàs unum, esset concretum ex ente, & negatione entis. Rursùs multitudo opposita uni, esset concretum ex se & negatione sui, quia multitudo constituitur ex unitatibus, ergò si negatio multitudinis pertinet ad rationem unius, multitudo constitueretur ex negatione sui.

Respondetur. Unum esse concretum ex ente & negatione entis, non ejus ex quo concrescit, sed alius, in quo nullum est absurdum. Sic homo constituitur positione suæ entitatis & negatione entitatis, Leonis, Bovis, &c. Nec ulterius sequetur multa constitui ex negatione sui, quamvis constituantur ex unitatibus, vel enim res de multitudine non secundùm quod multitudo est, sed singillatim accepta, & sic accepta non aliud est, quàm unum & unum, & sic accepta multitudo, non dicit negationem sui, quia non dicit multitudinem, si autem accipiatur multitudo secundùm quod multitudo est, sic non dicet negationem sui, quia non dicet unitatem, quæ est negatio multitudinis, vel ad summum dicet negationem sui aliter sumpti, quia negabit multitudinem aliam à se, in quam aliam à se multitudinem, divisibilis non est.

Objicitur IV. Connotata quæ à formalitatibus extraessentialibus importantur, non censentur, se habere tanquam differentiæ earundem formalitatum, sed differentiæ sunt ipsa formalisata, non sine connotatis, & sic Paternitas, non dicitur esse differentialiter filius, sed entitas Patris, non sine filio, ubicatio item non dicitur differentialiter locus extrinsecus, sed ubicatum non sine loco extrinseco. Atqui unitas, est entis extraessentialis formalitas, & indivisio à se, est

conno-

connotatum ab unitate, pro formali importatum, ergò pro differentia unitatis nõ debet concipi indivisio à se, sed ipsum formalisativum, puta ipsum ens, non sine divisione à se, ergò unitas erit aliquid positivum, non sine negativo.

Respondetur. Concedo interdum connotata ipsa, non adferri tanquam differentias formalitatum, unde paternitas non dicitur esse filius, licèt connotet filium Paternitas; tamen interdum ipsa connotata, adferuntur tanquam differentiæ formalitatum, & ita terminus dicitur esse negatio ulterioris extensionis, quamvis negatio illa, sit potiùs connotatum termini.

Rigorosè tamen loquendo & accommodando se ad formalitates positivas, non deberet connotatum ipsum adferri in explicanda unitate, h. e. negatio divisionis, sed potius pullulans formalitas quæ appellatur indivisio, sed ut adferantur ipsa connotata loco formalitatum pullulantium in entibus negativis non rarò contingit, unde ut dixi, terminus non tantùm explicatur per ipsum ens, prout dicit negationẽ ulterioris extensionis, sed & dicitur esse terminus ipsum connotatum, h. e. negatio ulterioris extensionis, ubi etiam explicatur per Corpus, prout dicit negationem indistantiæ, & tamen dicitur ipsa indistantia, quod puto ideò, & in his entibus fieri, in quibus pullulans formalitas, nihil speciale & significantius addit, super ipsam connotatam negationem, quia ergò ipsa indivisio, nihil speciale adfert, præ connotata negatione divisionis, ideò in explicanda unitate, adhibetur ipsum connotatum, & non tantùm ipsa pullulans differentia, seu formalitas quæ est Indivisio.

Instabis. Omnipotentia connotans omne possibile, pro suo differentiali, non dicit omne possibile, tempus connotans prius & posterius, non dicit pro suo differentiali prius & posterius; sed omnipotentia, est ipsa Deitas, prout dicit omne possibile, & tempus, est ipse motus cœlorum secundùm prius & posterius. Ergò & unitas erit ipsum ens, prout connotat negationem divisionis, non autem indivisio.

Respondetur. In his objectionibus benè recurri posse ad usum vocum, stantem pro hac potius, quàm pro illa usurpatione vocis. Insuper hæc ratio assignari potest quia sunt aliqua connotativa, quæ simul sunt relativa in re, si sunt relativa in re, necessariò debet involvi distincto realis unius extremi ab alio; & si sit relatio in actione, debet unum esse per modum causæ, & aliud per modum effectus; & tunc ipsum quod connotatur, non potest dici, quòd sit differentiale connotantis, quia connotans ante suum effectum, debet totum suum esse habere. Et quia omnipotentia est ita connotativa ut simul sit relativa, & quidem relatione actionis, fit ut pro differentiali connotatum suum quod sunt possibilia, non dicat; quasi illud differentiale, sit constitutivum omnipotentiæ. Quia verò ens non dicit talem relationem ad negationem divisionis, fit ut hæc negatio, possit constituere differentialiter ens, in ratione unius. Unde etiam differentialiter quantitas, in ratione termini constituitur per suum connotatum, nempe negationem ulterioris extensionis, & ubi per negationem distantiæ.

Objicitur V. Definitiva formalitas unitatis, debet esse convertibilis cum ente, non est autem talis indivisio à se, quia competit etiam non entibus.

Respondetur. Quod abusivè, & per accommodationem, competat non entibus, & unitas & indivisio.

Solvuntur aliæ Objectiones.

Promovet oppositam sententiam Mastrilus Disp. 5. Metaph. à num. 44. &c.

Objicit I. Illa negatio per quam solemus unitatem entis explicare, deberet habere causam positivam, per quam insit Enti, nulla enim negatio ineſt per se & primò alicui, sed semper ratione alicujus positivi, præsertim si talis negatio, convenit subjecto necessariò, cùm ergò negatio divisionis necessariò insit subjecto, planè immediatè ad ipsam, consequi non potest.

Respondetur. Etiam per nos illa unitas habet causam sui positivam, h.e. emanativam Metaphysicè, exigitivamq; illius unitatis, ineſtque ratione alicujus positivi emanativi & exigitivi, licèt non ratione alicujus positivi superadditi, quia hujus positivi superadditi, nulla necessitas.

Instat I. Præcisa ratio entis, est tantùm ratio essendi absolutè, non autem essendi unum vel plura, ergò talis negatio convenit enti, per aliam rationem proximiorem, quæ erit unitas, prius enim est esse aliquid in se non repugnans, quàm esse unum.

Respondetur. Præcisa ratio entis, prout est radix suarum passionum, est tantùm ratio absolutè essendi, nego Antec. præcisa ratio entis, sine hac radice, est tantùm ratio essendi absolutè, concedo Antec. jam verò entis non quomodocunq; spectati, sed prout est dicta radix, proprietas, est unitas; consequenter convenit hæc unitas Enti, per aliquam rationem proximiorem ex modo concipiendi, quæ est ipsa radix dicta.

Instat II. Negatio illa divisionis, oritur immediatè ex tali positivo, quod sit formaliter exclusivũ divisionis, talis autem non est ratio entis; quia ratio essendi, reperitur tam in uno, quàm in multitudine, cum æquè multa existant, ac unum: ergò ratio entis præcisè sumpta, non potest esse proximum fundamentum divisionis.

Respondetur imprimis ex dictis. Rationem entis præcisam utcunque spectatam, non posse esse proximum fundamentum indivisionis, posse esse, prout est radix, exigitivum, & emanativum suarum passionum. Rursùs major est falsa, sufficit enim oriri illam negationem ex positivo,

positivo, licèt illud positivum, non sit formaliter exclusivum divisionis, sed radicaliter, fundamentaliter & emanativè. Deniq; quamvis ratio essendi reperiatur tam in uno quàm in multis, aliter tamen in multis, & in uno; quia in multis per sui multiplicationem, quanquam licèt ratio essendi conveniat multis, quia tamen ipsa multa sunt & hoc & hoc unum, adhuc ubiq; retinendo se ens, retinet suam passionem, potestque secundùm se, exigere ubique unitatem.

Instat III. Illa ratio est positiva, ad quam proximè & immediatè, sequitur negatio divisionis, quæ immediatè opponitur multitudini, talis autem non est ratio præcisa entis, sed alia ratio positiva, quia ens non habet immediatam oppositionem cum multitudine vel divisione sed cum non ente.

Respondetur. Ens non habere immediatam oppositionem cum multitudine si spectetur præcisè, secus si spectetur, prout est radix suarum proprietatum & emanativum.

Instat IV. Equinitas est tantùm equinitas & nec una nec plures, Ergò si quælibet natura, præcisè considerata ut natura, non est una, nec plures, idem quoque dicendum de ente.

Respondetur. Etiam equinitas, prout est radix & emanativum suarum passionum, est una.

Instat V. Quando dicitur ens ex vi suæ rationis formalis esse unum, vel est unum formaliter vel causaliter. Si formaliter, ergò unitas, non erit passio entis, non enim consequitur ad ens, sed in illo includitur; imò nec erit necessaria aliqua negatio consequens, quia ex vi suæ entitatis, & rationis formalis, præcisè Ens, ponitur unum: si causaliter, cùm ratio entis nequeat immediatè causare negationem divisionis, causabit aliquam formalitatem positivam, ad quam immediatè, talis negatio consequatur.

Respondetur. Ens ex vi suæ rationis (concedamus interim) formalis, est unum causaliter, hoc est, exigitivè & emanativè, ratioque entis præcisè simpliciter sumpta, non causat immediatè negationem divisionis, causat sumpta exigitivè & radicativè suarum passionum, ad quam exigentiam positivam, licèt non superadditam consequitur negatio.

Instat VI. Etiam in communi modo loquendi, proprietates subjectis tribuimus, ex vi rationis & quidditatis eorum, sic albedinem dicimus ex sua ratione, esse visus disgregativam, hominem ex sua ratione discursivum, per hunc autem loquendi modum, minimè significare intendimus, hominem per rationalitatem formaliter esse discursivum, quasi rationalitas, sit ipsa discursitivitas, vel albedinis ratio, sit ipsa disgregativitas; sed solùm intendimus, has proprietates, à ratione formali ac essentia subjectorum illorum, dimanare. Ergò etiam, dum dicitur ens ex vi suæ entitatis, & rationis formalis, esse unum, id causaliter tantùm debet intelligi, non formaliter.

Respondetur. Concedo totum, ita tamen ut dum redditur formaliter Unum, id sit ratione negationis divisionis, non autem alicujus positivi superadditi, hocque solo sensu, supra permissum, quòd ens ex ratione sua formali, sit unum. Quanquam de antecedente est difficultas; indubiè enim albedo non per aliquid à se emanatum vel superadditum est disgregativa visus formaliter, homoq; non per aliquid superadditum, est discursivus formaliter, licet discurrens actu reddatur per actum superadditum.

Instat VII. Ens ut ens, formaliter loquendo, non dicit ordinem nisi ad existentiam possibilem, non autem ad negationem divisionis; ergò ratio entis, non est illa ratio positiva, ad quam sequitur negatio divisionis: & sicut quamvis corpus naturale, ex sua ratione formali sit mobile, tamen negatio immobilitatis, non sequitur immediatè ad naturalitatem sed ad mobilitatem, ergò & in præsentia idem dicendũ, utriusq; autem est hæc ratio: quia fundamentum ad quod immediatè sequitur aliqua negatio, opposito se modo habere debet, respectu illius, quod per negationem tollitur; naturalitas autẽ, non se habet opposito modo formaliter, ad immobilitatẽ, sed tantùm ipsamet mobilitas, jam autem etiam entitas, non se habet opposito modo, ad divisionẽ.

Respondetur. Ens prout est radix & emanativum suarum passionum, non dicit ordinem tantùm ad existentiam possibilem. Negatio autem immobilitatis, debita corpori naturali, fundatur in aliquo positivo, non quidem superaddito positivè & entitativè: nam corpus naturale esse mobile, non est quid distinctum realiter ab ipso corpore naturali, est tamen aliquid superadditum ratione, positivum tamen, quia debet esse principium actûs positivi, qui est ipse motus; positivi autem principium, non potest esse nisi positivum, quia autem nulla similis actio, proficiscitur ab unitate, ex præcisâ proportione ad mobile, in quo fundatur negatio immobilitatis, nihil colligi potest; & aliundè, obsunt rationes adlatæ. Denique entitas non quocunq; modo, sed prout est radix suarum passionum, habet se opposito modo ad multitudinem, quam oppositionem formaliter exercet, per pullulantem ratione nostra, negationem divisionis.

Objicit II. Quòd secundùm suam rationem formalem importat perfectionem simpliciter, & suscipit majus & minus, illud de formali, dicit aliquid positivum, sed unitas est hujusmodi. Major probatur, quia omnis perfectio ut sic, in aliquo positivo fundatur, privatio namq; & negatio ut sic, nullam dicit perfectionem, nec magis & minus suscipit, nisi ratione formæ negatæ, datur autem major & minor unitas, major est enim per simplicitatem, quàm per compositionem.

Respondetur. Posito quod aseitas non sit de primo essentiali conceptu Dei, erit certè hoc ipso nonnisi perfectio Dei indubiè simpliciter

simplex,

simplex, & tamen negativum quid formaliter, ut alibi dictum: idem dicendum de illimitatione & infinitúdine divina, secundùm quod infinitudo est & illimitatio, videntur enim hæ perfectiones esse negativæ, & tamen sunt perfectiones simpliciter simplices, licèt non negent suam positivitatem, competere etiam infinitudini, secundùm id, quod dicit illa in recto. Sed quidquid sit de hoc: an perfectio simpliciter simplex, sit quid positivum, sufficit ut sit quid positivum secundùm id quod dicit in recto; in recto autem dicit aliquid positivum unitas, nempe ipsum ens. Quòd attinet ad illud: susciperе magis & minus; dici posset, quòd non in unitate prout unitas est detur magis & minùs, æquè enim Deus ac Petrus, dicit negationem divisionis in se, nec potest eadem indivisio remitti & intendi, sicut eadem albedo potest remitti & intendi, sed susipit magis & minus ratione suorum imitativorum & per proportionem ad se dicibilium, per qualem proportionem dicitur unum per compositionem, ad unum indivisum; quòd si in se spectata unitas, non potest susciperе magis & minus, non inferetur jam positivitas unitatis, quæ inferri debuit ex isto susceptivo. Potest etiam retineri Suarii responsio, quod unitas susciпiat magis & minus præcisè non ratione sui, sed ratione ejus, quod in recto importat ens.

Instat I. Anton. And. Vel unum est passio entis ratione fundamenti vel ratione alicujus additi supra ens: non primum, quia idem foret passio sui ipsius; non secundùm, quia illud additum, vel est positivum, & sic habetur intentum, vel negativum, contraque erit; quia nulla negatio vel privatio, est idem realiter cum positivo.

Respondetur. Esse unitatem passionem entis ratione alicujus superadditi, quod potest esse negativum, identificatum tamen alicui positivo, secundùm id, quod dicit in recto ens.

Instat II. Negatio est realiter & formaliter nihil, ergò nihil erit passio entis.

Respondetur. Negatio fundata in aliquo positivo, nego quod sit realiter, nihil, fundatur autem unitas in ente, dicitque in recto ens.

Instat III. Mastrius. Aliud est dicere: hoc esse magis ens illo; & hoc esse magis unum illo, & aliud est dicere: Deum esse summum ens, & aliud esse summè unum, nam prima prædicatio est essentialis primi modi, alia quasi accidentalis secundi modi per se.

Respondetur. Concedo has esse distinctas propositiones, sed nego quod ratione positivi, non ut utcunque, sed restricti ipsum illud restrictivum, intendi non possit denominatione intensionis cadente principaliter in restrictivum, v. g. unum, licèt rationem intensionis fundante & salvante aliquo positivo, quod dicit in recto unitas, nempe Ens, cui convenit intendi vel remitti.

Instat IV. Alia est perfectio summa unitas, alia summa entitas: ergò susciperе magis & minùs, nedum conveniunt unitati ratione fundamenti, sed etiam ratione propriæ formalitatis.

Respondetur. Neg. Conseq. Quia ad salvandum quod aliud sit summa unitas, aliud summa entitas, non est necesse intensionem salvari in formalitate, sed in fundamento; licèt ratione fundamenti, etiam formalitati, competat illa denominatio, oriunda ex intensione.

Instat. V. Major aut minor unitas, non habetur ratione fundamenti, sed ratione formalitatis ipsius unitatis.

Respondetur. Major aut minor unitas, secundùm id cui principalius competit illa majoritas vel minoritas, non habetur ratione fundamenti, illi enim ipsi formalitati, competit esse magis vel minus unum, sed major & minor unitas, spectata secundùm id quod salvat intensionem, non habetur nisi ratione fundamenti, ad eum modum, id quod salvat intensionem albedinis, sunt gradus albedinis, cui tamen competit esse magis album, non est ipsa albedo, vel illi gradus, sed ipsum subjectum.

Instat VI. Unitas in Deo importat perfectionem simpliciter simplicem.

Respondetur. Concedo quòd unitas in Deo, sit perfectio simpliciter simplex, sed inde ut dixi supra, non sequitur esse unitatem perfectionem positivam.

Instat VII. Negatio & privatio ex suo genere dicit imperfectionem. ergò nec unitas esset perfectio, si esset negatio.

Respondetur. Negatio & privatio boni & perfecti est imperfectio, non tamen negatio & privatio imperfecti, alias homini esset imperfectio, dicere negationem bovis.

Continuatur solutio.

Objicit III. Unitas est proxima ratio fundandi relationes reales, ergò aliquam positivam formalitatem importare debet, quia nequit relatio fundata, majus esse habere, quàm suum fundamentum, seu ratio fundandi.

Respondetur. Cum relationes reales non sint per nos distinctæ à fundamento in circumstantiâ termini, non erit necesse etiam ponere rationes fundandi distinctas entitativè & positivè superadditas. Rursùs sufficiet, ut ponatur unitas, esse quid reale h.e. non fictum, ut fundet relationes reales, quæ ultra fundamentum non habeant propriam realitatem, nisi hanc, quòd est non esse fictas. Deinde quando unitas dicitur fundare relationes reales, sub conceptu quidē unitatis est aliquid illic negativū, sed quia illic est unitas cum multitudine, aut enim est unitas identitatis & sic erunt duo substantialiter & in natura similia, vel erit unitas similitudinis & sic erunt duo similia ejusdē rationis in qualitate, &c. si autē erit unitas cū multitud. erit unitas sed

cum positivitate, multa enim per nos, sunt quid positivum. Denique retineri potest communis responsio quòd ad hoc ut unitas fundet relationem realem, sufficit illam esse positivum quid, secundùm id quod dicit in recto Contra quam communem doctrinam.

Instat I. Unitas ponitur proxima ratio fundandi prædictas relationes, secundùm suam rationem formalem, non autem secundùm entitatem naturæ, quia si consideretur præcisè ratio ipsa entis, hæc non est principium proximum relationum.

Respondetur. Neg. Quòd unitas secundùm suam rationem formalem, non dicat etiam ipsum ens in recto; & licèt ratio ipsa proxima entis, sub consideratione præcisa entis, non sit principium proximum relationum, est tamen tale principium sub ratione entis, prout dicentis negationem divisionis.

Instat II. Ergò adhuc relatio esset aliquid magis ratum, quàm suum proximum fundamentum.

Respondetur. Cum ipsa relatio in suâ ratitudine quam habet, dicat ipsum fundamentum in recto, non erit magis rata quàm suum fundamentum.

Instat III. Ergò ens constituitur fundamentum illarum relationum, per nihil.

Respondetur. Cum fundamentum relationis ingrediatur ipsam relationem eamq; constituat, etiam Ens non constituetur fundamentum relationum per nihil, sed per seipsum. Rursùs quando ipsum Ens constituitur fundamentum relationum ratione unitatis, nego quòd constituatur fundamentum relationis per nihil, sed per negationem divisionis, quæ non est nihil simpliciter, sed nihil divisionis, nego autem quod nihil divisionis in plura, fundare relationem non possit.

Objicit IV. Ens prædicatur de unitate nedum in concreto, dicendo unum est ens, sed etiam in abstracto, unitas est ens, ergò unitas pro formali, nequit esse mera negatio.

Respondetur. Negando consequentiam, nego enim quòd de negatione identifica positivo, non possit dici Ens, ut dicitur, negatio Joannis in Petro, esse Petrus.

Instat I. Nec identicè vera esset illa propositio, quia nulla negatio, nec est idem realiter alicui positivo, & ens, de nihilo, nullo modo prædicari potest.

Respondetur. Potest negatio esse idem realiter alicui positivo, secundùm id quod dicit illa negatio in recto, Ens de nihilo simpliciter dici non potest, sed de nihilo divisionis, dicente in recto aliquid positivum, cur dici non poterit?

Instat II. Si unitas diceret negationem, ex vi suæ formalitatis esset aliquid contradistinctum ab ente, atque ipsi contradictoriè oppositum, ergò nullo pacto esset idem cum illo.

Respondetur. Cùm ex vi sur formalitatis dicat rectum illa negatio, quod est ens, ex vi suæ formalitatis, secundùm rectum, non est quid contradistinctum ab ente; cumq; contradictio debeat esse ejusdem, de eodem, & cum negatio divisionis non neget ipsum illud ens quod dicit, sed alia entia, in quæ hoc dividi deberet, hoc ipso non erit contradictio inter ens, & illam negationem.

Instat III. Negatio ut sic contradictoriè opponitur enti, ergò cùm includat negatio divisionis negationem ut sic, etiam opponetur enti.

Respondetur. Negatio divisionis includit negationem ut sic, non quoad latitudinem negandi hæc omnia, quæ negat negatio ut sic, sed includit negationem ut sic, quòd sit species, determinatum aliquid negans, inclusum sub negatione ut sic; & sicut animal includi in rationali, non est extendi rationale, ad omnia ad quæ se extendit animal, sed tantùm esse certam speciem animalis, contenti sub animali ut sic, ita & in præsenti; negatio divisionis, non negat omne Ens, consequenter non negat Ens quod dicit in recto. Si unitas non negat Ens quod dicit in recto, prædicari poterit de unitate Ens.

Objicit V. Dicit Arist. 10. Metaph. t. 9. *Num & multa contrariè opponi*, contraria autem sunt ambo extrema positiva.

Respondetur. Illo loco posse intelligi, quòd per Arist. multa & unum privativè opponantur. Conformiter ad dicta superiùs contrariè opponentur unum & multa, quia multa sunt quid positivum. unum autem licèt dicat negationem, secundùm tamen id quod dicit in recto, est etiam aliquid positivum.

Instat Divisio & multitudo formaliter consistit in negatione: ergò opposita illi Unitas, non consistet in negatione. Antecedens probatur auctoritate S. Th. & Scoti, & addit, aliquod compositum vel continuum dividi, aliud formaliter non est, quàm destrui unionem, quæ erat inter illa extrema.

Respondetur. Quòd divisio & multitudo ut sic, consistat in negatione non simpliciter, sed in negatione negationis, adeoque in aliquo positivo. Quod attinet ad auctoritatem S. Th. illa procedit de unito, quod esse unitum, sit quid positivum, sed non de unione, seu uno, ut dictum etiam supra; unio enim, est nexus plurium, unitas, est indivisio in plura.

Instat II. Alii modi unitatis in specie sunt quid positivum, ut unitas compositionis, unitas generica & specifica, unitas item continuationis, continuitas enim non est negatio sed positivum quid, cum in eo consistat, quòd partes quantitatis, habeant terminum communem.

Respond. Quantùm ad præsens, triplex potest accipi unum I. unum per convenientiam, & tale est unum genere & specie. II. Est

unum

unum aliquid ratione nexus & adstrictionis plurium; quale unum est in composito substantiali, personali, accidentali, & huc etiam revocari potest unio (si detur) continuationis. III. Cùm accipitur unum transcendentale pro passione necessaria Entis, Unum per convenientiam debet esse quid positivum: ratio; quia nihil aliud est, quàm v. g. animal & animal, homo & homo, & formaliter est dualitas, v. g. hominum, quæ omnia, sunt quid, secundùm formalitatem objectivam, positivum; quia in quacunq; formalitate importabili, relucet entitas & entitas. Unum etiam sumptum pro nexu, importat aliquid positivum, quia importat aliquid modale & entitativum. Continuatio etiam est aliquid positivum, quia est ad maximum negatio negationis, quia est negatio terminorum, termini autem sunt negatio ulterioris extensionis. Unum tamen transcendentale debet esse negativum quid, quia licèt secundùm rectum, positivum sit, pro connotato tamen dicit indivisionem in se, quæ indivisio, secundùm objectivam in se spectatam formalitatem, quòd non debeat esse quid positivum, ostendunt rationes adlatæ, & quòd ne quidquam positivum adeoque entitativum involvat, ut involvunt, aliæ species unius.

Instat III. Etiam ipsa plura dicunt entitates, sed cum negatione unitatis, & tamen plura, sunt quid positivum, ergò etiam & ens dicens negationem divisionis in se, erit aliquid positivum.

Respondetuur. Si sumantur plura, in quantùm negantia unitatem, sumptam pro nexu illo, sic sunt quid negativum. Sed si sumantur prout negant unitatem illam transcendentalem, sic sunt quid positivum, sunt enim mera dualitas, v. g. entium, & negatio negationis, quia illius indivisionis negatio.

Punctum Difficultatis 3.

An Unitas possit præscindi ab Ente?

Assero I. *Unum ut sic, posse præscindi ab hoc & hoc in particulari uno.* Quia paritas est in uno comparato ad sua inferiora, ut animali, comparato ad sua.

Assero II. *Ratio unius non potest præscindi ab illis pluribus, in quæ divisionem, negat unitas.*

Ratio. Tum quia respectivum ut sic, non potest à suo termino præscindi. Ergò neq; negatio; divisionis in plura, ab illis terminis, hoc est pluribus. Tum quia negatio divisionis, & negatio pluralitatis, à se præscindere non possunt, habent enim se sicut Synonima, sed negatio etiam pluralitatis, non potest præscindere à pluribus, quomodo enim esset negatio pluralitatis sine pluribus, ergò neq; etiam negatio divisionis præscindet à pluribus, cum synonimè differat à negatione pluralitatis. Tum quia quæcunque ratio ostendet aliqua duo inter se præscindere non posse, eadem ostendet, neque unitatem, præscindere ab illis pluribus, in quæ divisionem negat.

Assero II. *Unitatem secundùm id quod subest nostris conceptibus, posse præscindere ab ente*, dixi secundùm quòd subest nostris conceptibus, quia secundùm id quod in re est, est ipsum ens, ens autem à seipso non præscindit.

Ratio Asserti. Tum quia ea omnia quæ non habent easdem definitiones præscindunt objectivè, ut ex alibi dictis, constat. Jam autem entis definitio ut sic, non est definitio unitatis, ut formaliter acceptæ. Tum quia positivum & negativum præscindere à se possunt, ens autem & unitas prout subsunt nostris conceptibus, habent se sicut positivum & negativum. Tum quia conceptus ejus, ad quòd aliquid attribuitur, non est conceptus attributi, aliàs utrumque ad invicem esset attributum, sicut ad invicem idem sunt, ensis & framea, framea & ensis, jam autem unitas, est attributum entis.

Dices I. Cum Oviedo. Ratio illa præcisa, esset formalissimè ens, secundùm conceptum objectivum, ergo ab ente non præscinderet. Antecedens probatur. Illa ratio præcisa, haberet adhuc prædicata sua essentialia propria ex vi quorum constitueretur, ergò ratione sui haberet essentiam condistinctam ab essentia entis rationis, Ergò adhuc haberet aptitudinem ad existendum, in qua consistit ratio entis.

Respondetur. Posito quòd conceptus unius, sit formalissimè negativus, falsum est Antecedens: & licèt haberet prædicata sui constitutiva, essent tamen non positiva, sed negativa. Neque tamen inde sequeretur, illam rationem futuram esse ens rationis, non enim illa prædicata rationis illius negativæ, importarent disconnexionem, qualem important prædicata entis rationis. Supponit etiam hoc argumentum quòd ratio entis primò explicetur per aptitudines ad existendum, quod falsum est. Sed posito etiam quòd conceptus unitatis, stet in aliquo positivo, sequetur hoc solùm, quòd à ratione particulari entis, unitas præscindere non possit, sed non sequetur quòd præscindere non possit, à ratione communi, entis ut sic. Et licèt unitas prout comparata ad statum realem, dicat aptitudinem ad existendum, quia tamen ab hoc ordine præscindere potest, sicut & ab ipsa existentia, ideò posset etiam præscindere ab Ente unum, quamvis unitas esset aliquid positivum.

Dices II. Cum eodem. Conceptus cujusvis entis, v. g. conceptus essentialis hominis, ab omni alio præcisus, dicit entitatem hominis, qui per se est animal rationale, & per suam entitatem, habet non esse equum, sicut per suam entitatem habet esse hominem, ergò non per aliud ab ipso.

Respondetur. Unitas si comparetur ad ens, non ita se habet ac animal rationale ad hominem, quia unitas, non est definitio entis, sicut

animal rationale, est definitio hominis. Quando autem concipio hominẽ, licèt in re ipse dicat non esse equiequum, tamẽ possum præscindere formalitatem hominis, non attingendo in illo pro illo statu intentionali negationem equi, adeoque præscindendo ab illa. Ergò etiam possum præscindere, negationẽ divisionis ab Ente.

Instat I. idem. Ratio formalis unius & ratio formalis entis, sunt reales & formaliter distinctæ, ergò sunt entia formaliter, seu per rationem distincta, in ratione talium entium, non verò in ratione entium, cum utrumque sit ens; ergò neutrum illorum, est ens ut sic.

Respondetur imprimis. Hoc argumentum non inferre intentum, quòd scilicet unum non præscindat ab ente. Deindè immeritò supponit, quòd unitas talitatem entis importet, cum potiùs sit quid negativum, ut supra probatum. Sed posito etiam quòd unitas importet talitatem entis, hoc ipso quòd neutrum illorum ut concedit arguens sit ens ut sic, utrumque illorum præscindit ab ente ut sic, quod sufficit ad verificandum assertum.

Instat II. Quod est attributum entis, debet esse attributum cujuscunque entis, sed illa ratio præcisa unius, non est attributum sui ipsius, ergò alicujus entis, ergò ab illo non præscindet.

Respondetur. Multa supponit instantia quæ non convincunt. Supponit unitatem præcisam esse ens, cùm sit formaliter quid negativum. Supponit quòd ipsa ratio attributi, non possit præscindi ab uno, si autem præscindatur sic sumpta ratio, non est necesse ut sic sumpta sit attributum, vel alicujus, vel suiipsius. Rursus quod est attributum entis pro statu physico & reali, debet esse attributum cujuscunque entis, non autem debet esse attributum pro omni statu intentionali & Metaphysico. Denique alia est quæstio: an ratio unius ut sic, sit attributum, deque hac loquitur objectio, & alia est quæstio; an à ratione communi entis, possit præscindi ratio communis unius, de quo solo procedit assertum, nec tangitur ab objectione.

Dices III. cum Arria. Quicquid est in Petro, distinguitur à Paulo & Deo, quod pluribus probat, sed si ratio entis objectivè præcisa, non est per se una, & distincta à quolibet alio, quamtumvis identificetur cum unitate, non posset reddi distincta & una in Petro, quia unitas, subjecto non potest provenire, à forma, ergò se ipsa objectivè est una, nec potest præscindi ab entitate.

Respondetur. Concedo totam primam propositionem, quia non agit de formalitatibus prout subsunt nostris intentionibus. Ad secundam dico, quòd ratio præcisa entis objectivè spectata, pro illo statu intentionali, neque importet negationem divisionis, nec illam neget. Dico rursus rationem præcisam entis, distinctam esse à quolibet alio, non per formaliter importatam negationem divisionis, adeoque non per formalitatem unitatis, à qua tunc præscindit, sed ex non respondentia diversarum à se formalitatum, distingueturq; à Paulo & Deo, quia illæ formalitates non respondent, cum concipitur ratio præcisa entis ut sic. Post hæc autem omnia, nego illam propositionem: non posse scilicet præscindi rationem unius ab entitate, licèt autem unitas non possit provenire à forma realiter vel modaliter distincta, cur non poterit provenire à formâ, per rationem distinctâ.

Instat. Natura divina ex se est una quamvis per identitatem uniatur personalitatibus realiter distinctis, nec per hoc redditur natura multiplex, nec personæ redduntur una persona. Ergò unitas non potest provenire à forma realiter identificata, objectivè tamen distincta. Ergò si ens habet unitatem, non habet illam per aliquid saltem objectivè à se distinctum. Ergò ens non potest objectivè ab unitate præscindi.

Respondetur. Non inferri exinde, si possit præscindi objectivè ens ab uno, hoc ipso jam identificatam naturam personis tribus, fore trinam, vel personas tres identificatas naturæ, fore unam personam. Quod autem natura non fiat trina vel personæ tres, non sequantur in unitate conditionem naturæ quæ est una, referri id debet in intercedentem illic distinctionem virtualem in ordine ad prædicata primò intentionalia, vi cujus nec plurificabitur natura, plurificatis personis, nec Personæ reddentur una Persona, ab unitate naturæ. Concesso itaque Antecedente nego Consequentiam.

Dices IV. cum eodem. Albedo licèt possit denominare subjectum album, non potest tamen subjectum facere albedinem, est enim album concretum, quod significat duo, formam & subjectum. Jam autem subjectum, esse distinctum ab alio, seu non esse aliud, non est conceptus compositus, nec quid concretum. Ergò non potest reddi subjectum distinctum, per formam illi unitam; ergò unitas non potest competere ab aliquo distincto; ergò id ens habebit à se ipso formaliter, ergò ens non distinguetur objectivè ab uno.

Respondetur. Album est concretum physicum, quod semper importat duo physica, licèt unita, si importat duo physica, unum non identificatur alteri, nec facit illud tale formaliter, quale est ipsum, & ita albedo non facit parietem albedinem; jam autem unum & distinctum, est concretum metaphysicum, quod importare potest identitatem cum subjecto, esseq; distinctum ab illo, per rationem fundantem præcisionem objectivam. Quo posito nego ultimam consequentiam, quod ens objectivè non distinguatur ab uno.

Dices V. Animal etiam prout præcisum à differentiis non est lapis, ergò & ens prout præcisum

cisum ab unitate, non est aliud à se nec est multiplex, ergò adhuc unum.

Respondetur. Si inquiratur Antecedentis ratio, cur animal prout præcisum à differentiis non sit lapis, hæc erit, quia definitio animalis, non est definitio lapidis, cùm ergò etiam definitio entis ut sic, non sit definitio unitatis, ut sic, fit ut adhuc ista præscindi debeant; ens autem ipsum præcisum, præscindit, prout subest nostris conceptibus, ab hoc ipso: non est aliud, licèt in re, non sit aliud, præscindit etiam ab hoc, quod est multiplex esse, consequenter cùm præscindat prout subest nostris conceptibus, ab hoc: non est aliud, prout subest nostris conceptibus, non est unum Formaliter.

Punctum Difficultatis 4.

Quotuplex sit unitas, in particulari? quid hæcceitas?

De unitate universali, formali, convenientiæ, egi in Logicis; de transcendentali hic immediatè. De unitate per se, & unitate per accidens, innui aliquid in Physicis & nunc dico. Illud est unum per accidens, quod in re est multiplex, moralem autem vel artificialem habet unitatem. Moralem unitatem habet exercitus unus, artificialem domus. Unum autem per se, est unum simpliciter, vel ratione identitatis, ut sunt unum simpliciter substantiæ spirituales & entia simplicia; vel ratione ordinis essentialis proportionalis, qualis est unitas in composito ratione materiæ & formæ substantialis, inter quæ reperitur ordo essentialis; quia autem utrumque est substantia; est ordo ille proportionalis, vel ratione ordinis essentialis simpliciter; nam etiam inter materiam & albedinem est unũ per se, licèt accidentale, ordinarie tamen unum per se, supponit pro illis inter se ordinatis proportionalibus. Vel certè unum per se, est ratione continuationis, & sic unum per se est ignis, aqua, aliaq; homogenea substantialia, dixi substantialia, quia non dicitur albedo esse unum per se, quamvis partes illius, sint homogeneæ. De unitate individuali seu hæcceitate.

Assero I. *Non esse idem formaliter, unitatem hæcceitatis, & unitatem transcendentalem.* Tum quia Unitas hæcceitatis, est inferior unitate specifica, illamq; ultimo contrahens, cùm tamen etiam abstractissimæ rationes, dicant unitatem transcendentalem. Tum quia Unitas transcendentalis, est attributum entis ut sic, unitas individualis, non est attributum ut sic, cum multa participent de ente ut sic, sintq; ens formaliter & unũ formaliter, sine eo quod sint unũ individualiter, qualia sunt genera & differentiæ genericæ speciesq; quà tales. Tũ quia unitas illa hæcceitatis, coincidens cum unitate transcendentali, vel est quid posterius specie quàm ultimo contrahit, vel prius, si posterius, ergò non est transcendentalis, quia hæc sequitur conditionem entis, quod est prius specie, si prius specie, ergò non est unitas hæcceitatis, quia individua, adeoque rationes illorum constitutivæ, sunt posteriora speciebus, cùm sint inferiora specierum.

Assero II. *Principium formale & rationem constitutivam hæcceitatis non esse collectionem accidentium.* Ratio. Quia secretis omnibus accidentibus, & annihilatis, potest manere substantia eadem, de quâ quæro: an sit hæc quæ fuit vel non? si est hæc quæ fuit, ergò secretis omnibus accidentibus, convenit illi hæcceitas. Si non est hæc, ergò non manet eadem quæ fuit, quia esse eandem & hanc, verbis differunt, & tamen manere eandem ponit suppositio. Deinde nisi des processum in infinitum, ipsa accidentia in particulari non sunt individua per collectionem accidentium, ergò & in præsenti idem dicendum.

Assero III. *Principium individuationis, non esse materiam signatam.* Nomine materiæ signatæ, intelligunt Thomistæ materiam primam quantitate affectam. Ratio. Tum quia vel cujuscunque individuationis est principium materia signata, vel talis in particulari; si primum. Ergò cum Deo; Angelis, animæ rationali, non competat ratio materiæ quantitate affectæ, nec competet illis hæcceitas; si dicatur secundum. Ergò non respondetur ad statũ quæstionis; quia hìc quæritur de principio individuationis ut sic. Tum quia collectio accidentium non est principium individuationis, ergò nec materia signata; nam pro utraque parte eædem rationes applicari possunt. Tum quia si materia signata est principium individuationis, vel est principium tunc cum est unita, vel cùm non est unita? si tunc nonnisi cum est unita, ergò animæ separatæ non sunt individuæ; si autem etiam, cum est non unita, ergò formæ ordinatæ ad eandem materiam signatam, omnes eædem erunt numero, idemq; erit numero, calor, color, siccitas humiditas & quæ recipi possunt in eadem parte materiæ signatæ. Et certè de ipsâ materiâ, & de ipso signante, hoc est quantitate, quærete restat, undenam individuentur?

Aristoteles & S. Thom. Qui in oppositum citantur loquuntur de materia signata, tanquam signo manifestiori individuationis, quoad nos, vel loquuntur de materiâ metaphysicâ h. e. ipso toto, quod recipit ex modo concipiendi individuationem, tot enim sunt individua, quot tota, quæ ipsa tota exigunt individuationem, suntque radix hæcceitatis adeoque principium illius. Quamvis autem non individuentur accidentia à materia signata, nondum sequitur duo accidentia solo numero distincta, posse esse in eodem subjecto, quia otiositas alterius, deposcit unitatem accidentis.

Assero IV. *Hæcceitatem & unitatem individualem*

dualem aliquo modo distingui posse ratione diversarum conceptibilitatum: Nam hæcceitas quà talis, numerum non importat, importat eum unitas individualis. Hæcceitas de se significat id, quod demonstrabile est tanquam hoc aliquid: Unitas autem non importat aliud, præter negationem aliquam divisionis. Hæc tamen duo ordinariè confundi solent, nam & sine se reperibilia non sunt, & in ordine ad scientias, parvam aut nullam habent differentiam.

Assero V. *Hæceitatem & unitatem individualem condistinguendo adhuc illæ ipsæ dupliciter spectari possunt.* Imprimis secundùm quod in re sunt, deinde prout subsunt nostris conceptibus. Hæcceitas prout in re est, est ipsum est, tanquam hoc aliquid demonstrabile, vel ipsum ens, prout determinatum ad esse hujus. Jam autem eadem hæcceitas, prout subest nostris conceptibus, est formalitas determinativa entis, ad esse hujus. Porrò ipsa unitas individualis in re spectata, est ipsa natura negans divisionem in se, tanquam hoc aliquid demonstrabile: prout autem subest nostris conceptibus, erit formalitas, quæ est negatio divisionis in se, tanquam hoc aliquid demonstrabile. Addo Ly tanquam hoc aliquid &c. ad distinguendum melius unitatem individualem ab unitate ut sic, quæ dicit negationem divisionis in se, non restringendo qualiter.

Bonitas autem hujus explicationis probari debet, quia scilicet sic explicari hæcceitatem nihil vetat: ex aliâ parte illa nec realiter, quia hoc esset multiplicare entia sine necessitate, nec formaliter ex natura rei Scotistè distinguitur: quia hæc distinctio aliàs est impugnata, ergò distinguetur & explicabitur, nonnisi per rationem.

Quod autem hæc ipsa unitas non sit aliquid essentiale. Ratio est. Tum quia concipitur per modum accidentis Metaphysici. Tum quia essentialiter differre coincidit cum eo, quod est specie differre. Tum quia diversa est ratio, cur differentia specifica adferat essentialem perfectionem; quia si illam non adferret non distinguerentur essentialiter & specie Bos & Leo. Sed de hoc ubi de anima rationali, & ejus ab alterâ anima rationali, distinctione.

Punctum Difficultatis 5.

De reliquis individualem unitatem concernentibus.

Restat difficultas, quodnam sit principium individuationis modalitatum. Et quidem non est difficultas de principio individuationis intrinseco, quod non aliud est quàm ipsa entitas modalis tanquam hoc aliquod demonstrabile &c. Sed est difficultas de individuatione quasi extrinseca: An scilicet per principium à quo procedunt, an per terminum, an per utrumque individuentur; in idem recidit si quæras:

Assero I. *Actionem secundùm quod importat modalitatem requirere essentialiter Principium hoc.* Ratio. Quia ille modus est essentialis determinatio, vi cujus, principium, à non esse agentis, ad esse agentis transit; si autem ab alio principio pendere posset, non esset essentialis determinatio, hujus agentis. Rursùs si actio posset variare principium, posset in rerum natura esse actio, v. g. qua Adam genera vit Abelem, & non esse posita ab Adamo, hoc autem non potest dici; quia aliàs illa actio, adnexaque illi modalitas, non esset sufficiens determinativum, per quod transeat Adam à non esse generantis ad esse generantis. Quare autem potest esse diversorum principiorum idem effectus, & non potest esse actio qua agit unus, actio aliùs in quantum importat modalitatem, hoc oritur ex definitione modi, quod sit entitativa determinatio.

Assero II. *Unum eundemque numero effectum, potuisse produci diversis actionibus numero.* Ratio. Tum quia intra eandem speciem continentur plures numero effectus, ergò & respectu ejusdem termini, plures numero actiones. Tum quia cùm individuatio effectuum, illorumque quoad hoc esse determinatio, pendeat à Deo, ergò apparet pluribus actionibus & principiis eosdem subesse. Tum quia id non implicat.

Assero III. *Unionem secundùm quod non est sine modo, per alios autem modus, posse unam, per diversas numero actiones produci.* Ratio. Tum quia unus idemque Abel, potuisset produci diversis actionibus, non esset autem idem, si eadem unio per diversas actiones non produceretur, quia unio essentialiter in sententia modalium ingreditur compositum. Tum quia si quis asserat quòd unio à diversis principiis producatur, nihil asseret, quod sit contra naturam modorum, quia unio vel illi annexa modalitas, non est essentialis determinatio agentis sed materiæ & formæ. Tum quia id non repugnat. Cæterum unio est essentialis determinatio hujus materiæ & hujus formæ, ita ut hujus materiæ unio A. non possit esse unio materiæ. B. aliàs illa non esset sufficiens ratio transitùs ad esse uniti.

Dices I. Principium non respicit essentialiter actionem; ergò neque actio principium.

Respondetur. Si sensus sit antecedentis, potest esse principium & non esse actio, verum est antecedens; sed falsa consequentia. Ratio: quia ipsum principium, non est essentialiter determinatum ad esse agentis formaliter, secùs ipsa actio. Si autem antecedentis sit iste sensus: principium potest agere & non actione quæ sit illius: nego antecedens.

Dices II. Actio in specie potest variare principi-

cipium in specie, v. g. calefactio potest proficisci ab igne, potest à spirituosis sumptis, ergò actio, potest etiam in individuo, variare principium.

Respondetur. Duplici sensu actio in specie potest variare suum principium, imprimis hoc sensu: quòd eundem effectum præstare possit actio profecta à diversis specie principiis; & hæc propositio est vera sed consequentia negatur, I. quia præstare eundem effectum, est id, quod sequitur rationem entis rati, v. g. calorem, qui sua natura, non est essentialis determinatio seu modus. II. Sensus Antecedentis potest esse hic, quòd hæc actio in specie, cum suis omnibus identificatis prædicatis, possit ab alio principio proficisci; & hæc propositio est falsa; quia inter hæc prædicata, est etiam individuatio actionis, quæ ipsa hæc individua, non convenit alteri principio. Et quamvis per nos una eademque actione, agant diversa principia, eadem enim est actio creaturæ & Dei, specierum (si agunt) & potentiæ, habitus item & potentiæ &c. Cum hoc tamen stat, quòd actiones respiciunt essentialiter principium; idque ideò, quia hæ ipsæ in individuo non erunt nisi ab utroque hoc principio; aliàs illæ actiones non essent sufficiens determinativum, à non esse agentis v. g. duorum, ad esse agentis duorum.

Dices III. Quidquid Deus cum causa secunda potest, potest solus, concurrit autem Deus ad productionem modi illius cum creatura, ergò & solus illum producere potest.

Respondetur. Majorem indigere hac limitatione: si non implicet. Unde nec actionem vitalem quà talem, producere potest, implicat autem ut essentialis determinatio activi principii, ab alio, quàm ab hoc principio pendeat.

Dices IV. Non implicat contradictionem ut una actio producatur ab alia, licèt implicet produci per aliam. Sic implicat quidem ut actio reddatur agens per aliam actionem, sed non implicat ut actio productiva ignis, sit productiva gratiæ, ergò apparet non implicare ut una actio producat aliam, ergò ulterius actio, non respicit essentialiter principium.

Respondetur. Hanc ultimam consequentiam nec probari nec inferri ex antecedentibus, quia adhuc non ostenditur, quòd illa actio etiam elevata, mutet principium. Quod autem attinet ad veritatem Antecedentis & suæ probationis; si illius sensus sit; quòd possit esse actio, productiva ignis & non producere ignem sed gratiam, falsa est: quomodo enim esset jam productiva ignis; si autem sensus sit; actionem productivam ignis, producentem ignem, simul elevari ad productionem gratiæ, propositio vera est, sed ad præsens non facit.

Dices V. In oppositum esse paritates aliquas.

I. Paritas. Una relatio potest fundare aliam; ergò & actio agi per aliam actionem; ergò non est connexa cum principio.

Respondetur. Negando secundam consequentiam. Quia quamvis ageretur actio per aliam actionem, posset adhuc stare nexus illius cum principio, agente scilicet eodem principio, eandem actionem, per aliam actionem. Negatur etiam prima consequentia. Disparitas est, quia si una relatio fundet aliam, non sequitur unam relationem per aliam referri, sed unaquæque in suo genere, essentialiter determinaret, ad esse relatæ, ad quod faciendum est nata; si autem actio posset agi per aliam actionem, hoc ipso actio non esset essentialis determinatio ad agendum, sed indigens agi.

II. Paritas est. Uniones partiales possunt uniri per unionem totalem, cognitio item cognosci per aliam cognitionem, ergò & actio potest agi, per aliam actionem.

Respondetur. Negando consequentiam. Quia unio totalis faciens uniri, uniones partiales inter se (si est possibilis talis unio totalis) non facit illas habere formalitatem unionem, sed supponit, adeoq; unit illas, salvo hoc, quòd sint essentialis determinatio ad uniri; si autem actio per aliam actionem ageretur, sensu in quo disputamus, illi ipsi actioni tribueret vim, ut sit essentialis determinatio ad agendum, unde non supponeret in illa hanc vim ut ex vi modi supponere deberet, sed primùm conferret illam, quod absurdum est, & contra naturam modorum. Addo quamvis illa actio ageretur ab alia actione, si tamen ageretur ab hoc principio, deberet actione illius agi, aliàs illa actio, non esset sufficiens determinativum.

DIFFICULTAS II.

De Veritate.

Veritas duplex est. Formalis & Objectiva, de priori actum in Logicis, unde desumenda sunt aliqua pro præsenti loco, ut quòd veritas objectiva non sit relatio, quòd non sit ens rationis &c. ut autem reliqua de veritate Objectiva attingantur.

Assero I. *Veritatem objectivam non esse primò constitutivè negationem falsi*, quamvis negatio falsi profluat ex primo constitutivo; veritatis objectivæ. Defendi id debet & probari, conformiter ad ea, quibus probatum, ens primò formaliter, non esse negationem nihili.

Assero II. *Veritatem objectivam relativè spectatam, esse conformitatem ad intellectum cognoscentem objectum, sicuti est.* Tum quia ita expresse Arist. 5. Metaph. T. 34. S. Thomas 1 p. q. 16. n. 5. & Imo contra Gen. c 66. Tum quia si intellectus ille cognoscendo, non errat, hoc ipso res, ita se habet, ac illam esse, dicit intellectus, si enim non ita se haberet, erraret ille intellectus in noscendo. Tum quia si veritas formalis rectè explicatur per conformitatem & objectum prout est, ergò & veritas objectiva relativè spectata,

rectè explicabitur per conformitatem ad intellectum, objectum ſicuti eſt, cognoſcentem. Quia conditio eſt correlativorum, explicatio mutua; & ita nemo explicat Paternitatem niſi per Filiationem, neque Filiationem niſi per Paternitatem. Porrò hæc conformitas non tantùm eſt ad intellectum Divinum, ſed ad intellectum quemcunque verè cognoſcentem; quia enim veritas, eſt paſſio univerſaliſſimi entis, ſi nihil obſit, per aliquid univerſaliſſimum explicari debet. Et certè, pone per impoſſibile Deum eſſe, errare tamen in cognitione creaturæ, non errare autem intellectum aliquem creaturæ, circa noſcendam illam creaturam, diceret tunc veritas illa relativa conformitatem, non ad intellectum Divinum, ſed ad illum creatum. Idem ſimiliter propone de creatura falſo cognoſcente, cùm Deus verè cognoſcat inferq; ex utroque quòd conformitas quæ importatur à veritate objectiva, non ſit ad intellectū Divinum quà talem, nec creatum quà talem. Licèt in re, ſolus intellectus divinus, per eſſentiā, verè cognoſcat.

ASSERO III. *Veritatem objectivam abſolutè ſpectatam nihil aliud eſſe, quàm radicem conformitatis relativæ ſeu ipſum eſſe ſicuti eſſe debet.* Quod ipſum explicatur ſic. Unumquodque quod eſt, habet eſſe, hoc ipſo enim non eſſet, ſi non haberet eſſe; quia tamen hoc quod habet eſſe, poteſt habere, & eſſe, quod debet habere; & poteſt non habere eſſe, quod deberet habere, ſit ut ad iſtas duas differentias, attendi debeat. Sic v. g. ſtatua hominis hoc ipſo quia eſt, eſſe habet, ſed non habet eſſe debitum hominis, cum eſſe hominis ſit corpus humanum & anima rationalis, illisque careat illa ſtatua, ex quo fit ut illa ſtatua, non ſit verè homo. E contra ſtatua hominis, eſt ne vera ſtatua? ita planè; quia habet eſſe debitum ſtatuæ humanæ, cùm habeat repræſentationem artificioſam corporis & ſtatuæ humanæ, qualis eſt debita ſtatuæ, hinc illa ſtatua evadit vera ſtatua, idque probant inſtantiæ in alia omni materia, ex quibus ulterius *hæc ponitur Major*.

Omne quod eſt, & habet eſſe, ſicuti eſſe debet, eſt verum objectivè. Ratio. Tum quia de omni quod eſt verum, verificatur; habet eſſe, ſicuti eſſe habere debet. Tum quia non habere ſe ita, ſicut ſe res deberet habere, pertinet ad falſum v. g. habere colorem auri, ſine perfectionibus auri, eſt eſſe falſum aurum, habere autem prædicata requiſita ad falſificandum aurum, eſt eſſe verè falſum aurum. Ergò è converſio habere ſe ita ſicut res debet habere, pertinet ad verum objective illudque conſtituit.

Quod autem hæc ratio ſit prior conformitate ad intellectum verè cognoſcentem. Ratio eſt. Tum quia eſſe, ſemper eſt priùs quàm intelligi, ex alia parte pro ratione adferri poteſt, quare hoc vel illud, verè intelligatur: quia intelligitur ſicuti eſt, ergò apparet priorem eſſe hanc rationem, præ ipſa conformitate ad intellectum, verè cognoſcentem. Tum quia extrinſeca ſemper ſunt poſteriora, jam autem cognoſci cognitione vera, eſt quid extrinſecum. Eſſe autem ſicuti eſſe debet, eſt aliquid intrinſecum. Imò hac explicatione poſita, vitatur circulus quem committunt oppoſiti, quia veritatem formalem per conformitatem ad veritatem objectivam, & veritatem objectivam explicant per veritatem & conformitatem formalem, nos autem veritatem formalem explicamus per veritatem objectivam, & veritatem objectivam per eſſe, quale debet eſſe. Tum quia impoſſibili omni intellectu, qui cognoſcat hominem, adhuc Petrus non erit brutum, ſed verè homo: ergò apparet veritatem non rectè explicari per conformitatem ad intellectum, tanquam per rationem primò eſſentialiter conſtitutivam veri.

Ex his autem inferes. Verum nihil aliud eſſe niſi ipſum ens prout dicit eſſe, quale eſſe debet, involvendo, quaſi rationem menſuræ, ut ita eſſe habitum ſit commenſuratum, eſſe, quale debet haberi ab illo ente, conſequenter ut ipſum ens, in quantùm habet prædicata debita ſub formalitate conſtituentium ſit eſſentia, in quantùm dicit excellentiam ortam ex excluſione radicali defectus, ſit perfectio, & in quantùm præcisè dicit eſſe, quale debet eſſe commenſuratumque eſſe quod habet ad id quale debet habere, ſit verum.

DIFFICULTAS III.

De Bonitate.

ASSERO I. *Bonitatem multipliciter accipi poſſe.* I. Aliud eſt bonum in ſe aliud bonum alteri. Bonum alteri, eſt convenies & reſpiciens aliud à ſe, quod rursùs ſi ſit conveniens ad appetitum rationalem erit honeſtum. Si conveniat ad appetitum ſenſibilem erit jucundum, quod ſi habeat convenientiam cum fine intentō licèt latiùs ſumpto erit bonum utile. Bonum autem in ſe eſt idem, quod perfectum in ſe. Rursùs aliud eſt bonum abſolutè & in omni genere & hoc eſt ſolus Deus, & aliud bonum reſtrictè, & hoc eſt creatum.

ASSERO II. *Bonum alteri ſeu eſſe conveniens, non eſſe rationem primò conſtitutivam boni*, quod eſt paſſio entis. Ratio. Quia ſicut ens eſt ratio abſoluta, ita & paſſiones ejus; ſi nihil obſit, debent eſſe abſolutæ, ut ita magis proportionentur inter ſe attributa, & id cui attribuitur; jam autem eſſe conveniens alteri, eſt ratio reſpectiva. Deinde ſi bonum debet explicari per convenientiam alteri; hæc convenientia vel eſſet poſſibilis vel actualis, non actualis, quia Deus ab æterno erat bonus, & tamen acta non conveniebat alteri, quia nullus erat alter præ Deo ab æterno; non etiam debet eſſe poſſibilis convenientia alteri, quia impoſſibili omni alio præter ipſum Deum, adhuc intelligetur Deus eſſe bonus. Bonum tamen reſpectivè acceptum, eſt ipſum ens prout eſt quantùm ex illo appetibile, hæc enim eſt formaliter ratio reſpectiva nullaque ratio reſpectiva ſub formalitate reſpectivæ poteſt dari prior, ex altera parte convenit omni, ſoli & ſemper.

ASSERO III. *Bonum abſolutè acceptum eſt ipſum ens prout eſt radix ex qua fluit appetibilitas*, amabilitas, convenientiaque quantum ex illo alteri. Ratio. Quia hic conceptus procedit per prima, convenitque omni ſoli & ſemper, ut verumtamen fatear, ipſa illa radix non habet nomen aliquod proprium.

Quomodo autem formandus ſit conceptus veritatis & bonitatis prout formalitates ſunt, colligatur ex dictis de veritate. *Formali in Logica.*

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Distinctionibus.

MAgna pars Philosophiæ lucem accipit ex hoc Tractatu, imò & multæ Quæstiones Theologicæ, ponetur ergò sub unâ facie totâ materiæ de Distinctionibus tractatio. Minoribus fermè ad alias materias relegatis. Hîc solæ Majores tractabuntur. Commodè autem post Disputationem de Attributis, annectitur Disputatio de Distinctionibus; nam attributa dicunt habitudinem Entis in ordine ad se, perficiuntque in se Ens. Distinctio autem dicit habitudinem ad aliud. Hinc post consideratas perfectiones Entis in ordine ad se, considerandæ veniunt habitudines in ordine ad aliud, adeoque & distinctiones.

QUÆSTIO I.

De Distinctionibus in communi.

PRæmittemus in primis acceptionem terminorum, decisionem item de; An, & quid sit distinctio? &c.

DIFFICULTAS I.

Explicantur quidam Termini huc concernentes.

PRÆMITTO I. *Aliud esse distinctionem, aliud divisionem, aliud diversitatem, aliud differentiam.*

DIFFERENTIA est inter ea, quorum genus proximum idem est, formæ autem specificæ diversæ, Petrus & Bucephalus sunt differentes, cum ex eodem genere, hoc est ex animali participent; sed per formas specie distinctas contracto, alia enim est species hominis, alia equi.

DIVERSITAS est inter ea, quæ & formas specie differentes habent, & non participant in eodem genere proximo, sic v. g. lapis & homo sunt diversi, genus enim proximum hominis, est animal, quod non est genus lapidis; non est tamen necesse, quòd diversa non conveniant in aliquo genere communi remoto, hinc lapis & homo sunt diversi, & tamen conveniunt in ratione communi corporis, substantiæ, &c.

DIVISIO est separatio unius ab alio, ut cum separatur Paulus ab Andrea, vel una gutta, ab alia gutta. Divisio latius patet uno respectu, quàm differentia singillatim, & diversitas singillatim accepta, quia Divisio & differentibus & diversis convenit, cum tamen differentia, nonnisi differentibus competat, hinc non solum Petrus à Bucephalo dividitur loco, existentiâ, durationè, à quo differt specie, sed etiam dividitur à lapide, stella &c. à quibus est diversus. Alio respectu minus latè patet divisio, quàm differentia, quia differentia est tam inter unita, quàm inter non unita, differrent enim anima hominis, & anima bovis, si eandem materiam informarent, & tamen non essent inter se disunitæ. Divisio è contra nunquam est inter unita, unioq; ipsa, est divisionis exclusio, cùm divisio, sit de unio.

DISTINCTIO denique est alietas, carentia identitatis &c. competitque tam differentibus, quàm diversis, quàm divisis, quàm non divisis, nam in Petro est indivisio animalitatis & rationalitatis, & tamen est distinctio.

PRÆMITTO II. *Quæ sit ratio istius totius partitionis terminorum.* Nulla sunt entia quæ in aliquo non sint indistincta, hoc ipso enim non essent entia, si distinctionem in ratione entis, ut sic dicerent, essent enim jam negatio potius entis, & non ens. Quia tamen hoc ipso, quia sunt entia, adeoque pluralitatem dicentia, debent habere distinctionem, si enim distinctionem non haberent, nec pluralitatem haberent, adeoq; nec essent entia, sed ens; hinc cùm plures sunt modi statuendi res in ratione entium plurium, debebat dari ratio communis his omnibus, & hoc est distinctio, quia autem poterant res plurificari etiam excludendo se ab eodem loco, & excludendo secum unionem, hæc exclusio appellatur divisio, quæ ipsa plura, si sint plura in genere proximo appellabuntur diversa, si plura in ratione specifica appellabuntur differentia.

PRÆMITTO III. *De ipsamet distinctione*, in primis quod distinctio non sit idem quod alteritas; quia

quia inter multa est distinctio inter quæ non est alteritas, nam in divinis est distinctio inter Patrem & Filium, non est tamen alteritas, quia hæc supponit distinctionem in naturis. Rursùs dici potest, quod distinctio cum alietate, sano modo sumpta sit idem.

Quod sic Explicatur. Alietas dupliciter accipi potest. I. Pro eo quod est ratio formalis ejus, quod vocatur aliud, seu alietas derivata à neutro, & sic alietas & distinctio non est idem, nam Pater in divinis est distinctus à Filio, non aliud à Filio; ly enim aliud, substantivum est, non est autem Pater à Filio, aliud substantivè. II. Accipi potest alietas derivando illam ab Alius, & prout est ratio formalis ipsius Aliûs, & sic non est dubium, quòd distinctio & alietas, sit idem, ubicunque enim est distinctio, illic est & prædicta alietas, imò & in divinis reperitur, dicit enim Athanasius; Alia est Persona Patris, alia Filii; si alia, ergò hujus concreti, alia ratio formalis debet haberi, hæc autem ratio formalis hujus concreti Alia, est ipsamet alietas.

Dices I. Alietas quocunque modo sumatur denotat alium esse conceptum formalem unius, à conceptu formali alterius, sed distinctio ut sic, non requirit extrema distinctionis distingui conceptu formali. Ergò distinctio non est alietas.

Respondetur. Ad distinctionem requiri alium Conceptum formalem, non quidem petibilem à diversis specie differentiis physicis, licèt requirat alium conceptum formalem, petibilem saltem à diversis formis Metaphysicis, alietatibus, per rationes formabilibus; habito fundamento in re, ut vocant, vel circa rem: quæ alietas ubiq; reperitur, ubi reperitur distinctio; licèt non reperiatur alietas, petibilis, à diversis formis physicis.

Dices II. Alietas tenet se formaliter & propriè penes extremum à quo fit distinctio, non penes extremum, cujus est distinctio, sed distinctio tenet se penes extremum cujus est dinstinctio. Ergò distinctio non est alietas.

Respondetur. Alietatem sumptam pro eo quod dicit in recto & subjectivè, esse penes extremum illud, cujus est distinctio; licèt sumpta pro eo, quod dicit alietas pro formali & connotato, non dicat extremum cujus est distinctio, quod illi commune est cum distinctione; unde distinctio & alietas in recto & pro subjecto, dicit extremum illud, cujus est distinctio, vel quod est aliud, pro obliquo autem dicit illud à quo distinguitur, à quo dicit alietatem.

Dices III. Hoc ipsum dubium esse, quandonam alietas derivari debeat ab aliud substantivè, quando ab alio adjectivè.

Respondetur. Ipsas Circumstantias esse notificativas, an alietas sit forma substantivi, an non.

DIFFICULTAS II.

An detur & quid sit Distinctio?

Dicendum I. *Dari Distinctionem.*

Probatur I. Auctoritate Philosophi qui 6. Metaphysicorum c. 9. agnoscit distinctionem, quamvis eam appellet nomine diversitatis, ubi post medium inquit: *omninò diversum, dicitur oppositè ad id, quod idem dicitur.* Similia habet 10. Metaphysicorum c. 10.

Probatur II. Ratione. Datur ens & entia. Ergò datur unum, & præter hoc unum & unum, ita ut ly unum, correspondeat Enti, entibus autem correspondeat, unum & unum. Ergò dantur distincta, si enim non dantur distincta, quomodo sunt unum & unum. Unde enim hæc duplicatio unitatis nisi ex distinctione, si autem dantur distincta, datur & distinctio tanquam forma distincti.

Probatur III. Vel omnia quæ sunt in mundo, unum sunt, vel non omnia: si omnia sunt unum; ergò mille & unitas, est unum, quod est absurdum; si non omnia sunt unum. Ergò reperitur ratio aliûs & aliûs, alius enim & alius, sunt negatio unius, & destructio; si reperitur alius & alius. Ergò reperitur & alietas tanquam ipsius aliûs ratio formalis. Ergò reperietur & distinctio, quam diximus idem esse, cum alietate.

Quoad Definitionem distinctionis.

Recentior quidam ita definit distinctionem, est exclusio entis vel modi ab eo esse vel essendi modo, non quo ens vel modus entis est. *De hac Definitione*

Docebat I. Quod plus significet exclusio quàm non inclusio, hinc duo aurei non includunt alios duos aureos, & tamen illos non excludunt ab eodem marsupio; unde non inclusio, stat cum non repugnantiâ, exclusio autem dicit repugnantiam unius ad aliud.

Docebat II Se addidisse: ideò ly entis vel modi, quia omne quod est, aut est ens, aut modus, sive ille modus sit entitativus sive modus rationis.

Docebat III. Ideò se addidisse quòd sit ab eo esse vel essendi modo exclusio alius entis, ut ostenderet duo extrema esse in distinctione, unum quod distinguitur, & aliud à quo fit distinctio. *Hæc definitio*

Non Satisfacit. Tum quia est obscura, facilius enim movet sui sensum hic terminus distinctio, quàm adlati in definitione termini. Tum quia videtur superfluere ly modus vel ly modo essendi; hæc enim omnia importantur à termino Ens, unde videtur definitio methodo divisivâ procedere. Tum quia prior est exclusio entis, non quo ens est, præ distinctione. Quod ipsum probatur. Quia distinctio

est

est in ordine ad aliud, exclusio prædicta non est ad aliud, quando enim primò intelligitur constitui res in ordine ad se, præcedereq; distinctionem, constitutio illa in ordine ad se non est intelligibilis, quin simul sit exclusio negationis sui, adeoque exclusio entis non quo ens est; siq; per impossibile non essent alia, etiam imaginariè, non esset distinctio, & tamen esset ens, adhuc illud deberet intelligi excludens, negationem sui. Ergò cum sit quid prius exclusio, & quid posterius distinctio, alia erit formalitas exclusionis, alia distinctionis, consequenter non poterit distinctio per exclusionem definiri, sicut non definitur risibile per admirativum, cum risibile sit quid posterius, admirativum est quid prius.

Dicendum II. *Definitivè distinctionem per positivos terminos, esse alietatem unius ab alio, per terminos autem negativos, esse carentiam identitatis inter duo extrema.*

Probatur. Quia hæc definitio procedit secundùm regulas bonæ definitionis.

Dicendum est III. *Distinctionem in re nihil aliud esse, nisi ipsam entitatem extremi vel quasi entitatem, ita ut pro subjecto ipsam entitatem extremi distinguibilis dicat: pro connotato autem dicit carentiam identitatis* seu alietatem ab alio, quod importet distinctio ipsam entitatem extremi distinguibilis.

Probatur. Quia distinctio non est quid superadditum entitativè, illoque ablato nihil deesset quominus hoc sit aliud & hoc aliud, adeoque distinctum, & sicut unitas non est quid superadditum, ita nec distinctio: quod verò importetur pro obliquo illa alietas vel carentia identitatis. Probatur. Quia per nihil aliud potest transiri à non esse distinctionis ad esse distinctionis, nam ipsa præcisè entitas, est quid commune etiam non distinctis, nam etiam identitas, est ipsamet entitas.

DIFFICULTAS III.

De Divisione Distinctionis & Natura extremorum ejusdem.

Dicendum I. *Distinctionem in communi rectè dividi in distinctionem realem & rationis.*

Probatur. Ens in communi rectè dividitur in ens reale & rationis. Ergo & distinctio, recte dividetur, in distinctionem realem & rationis: quia distinctio sequitur ipsum esse, ipsumq; ens, importat semper aut identitatem, aut carentiam identitatis.

Dicendum II. *Inter distinctionem realem & rationis, nullam dari mediam,* quæ neque sit ad hoc, neque ad illud membrum revocabilis. Ita Suarez. Disp. 7. Sect. 1.

Probatur I. Quia non potest ostendi ista distinctio, media inter realem & rationis, quæ non revocetur, ad aliquod ex his membris.

Probatur II. Non datur medium inter ens reale & rationis. Ergò neque datur medium inter distinctionem realem & rationis. Quod ipsum sic proponitur: unum & multa sequuntur ens, sed si non essent tot genera distinctionum, quot sunt entium, unum & multa non sequerentur ens, jam enim per te non daretur medium inter ens reale & rationis, daretur autem medium inter distinctionem realem & rationis. Quod autem unum & multa consequantur ens supponitur ex dictis supra, & ex intellectione terminorum.

Probatur III. Quia nomine distinctionis realis, venit distinctio, quæ est nemine cogitante, nomine distinctionis rationis, venit distinctio, quæ non est nemine cogitante, inter hoc autem: quod est & non est nemine cogitante, non potest dari medium; sicut nec datur inter duo contradictoria.

Dices I. Datur distinctio ex natura rei Scotistica, & tamen ista neque est realis, non enim est inter membra distincta realiter, nec est distinctio rationis, cum sit nemine cogitante.

Respondetur. Andetur hæc distinctio de hoc infra, si daretur, revocaretur ad distinctionem realem, prout illa sumitur pro ea distinctione, quæ non est per solam rationem.

Dices II. Datur distinctio modalis, & tamen hæc neq; est distinctio realis, quia non est inter extrema separabilia, nec est distinctio rationis, quia est nemine cogitante.

Respondetur. Revocari illam ad distinctionem realem, in quantùm illa supponit pro distinctione nemine cogitante.

Dices III. Non constare unde nam distinctio realis sumatur pro distinctione nemine cogitante.

Respondetur. Id constare ex suppositione in qua hic & nunc discurritur.

Dicendum est III. *Inter distinctionem realem & rationis, dari in hoc sensu distinctionem mediam,* quòd detur aliqua, quæ neque est rigorosè distincta realiter, neque rigorosè distincta, solâ ratione. Probatur, quia dantur modi, qui neque sunt res rigorosè, sed rei, deficiuntque à ratione rei, neque tamen sola ratione distinguuntur à modificatis.

Distinctio realis subdividi solet in virtualem, potentialem, formalem ex natura rei. Rursus realis distinctio alia est inter terminos positivos ut inter Petrum & Paulum. alia inter terminos negativos, ut inter ens & non ens, lucem & tenebras, alia est actualis, quæ est inter existentes actu terminos, alia potentialis, qualis est inter terminos potentiâ, ut inter partes continui, alia est adæquata, inter ea scilicet quorum unum non includit aliud, ut Petrus templum.

Alia

Alia inadæquata, quorum unum est includens aliud inclusum. Denique distinctio modalis de qua infrà.

Distinctio rationis subdividi potest, in distinctionem rationis ratiocinantis, quæ non habet fundamentum in re, & distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ habet hoc fundamentum.

An hircocervus & Leomus sint inter se realiter distincti nemine cogitante, quæstio erit de voce: si enim intelligas nomine distinctionis realis distinctionem, quæ sit inter res, quæ sunt nemine cogitante, non erunt hæc entia rationis distincta realiter hoc sensu; quia non sunt entia realiter, hoc autem sensu erunt distincta, quia prædicata v. g. hirci, reperibilia in hircocervo, & prædicata Leonis, reperibilia in Leomure, sunt nemine cogitante distincta. Supposito quod accipiant illa entia esse jam ab intellectu.

Quod attinet ad naturam extremorum distinctionis.

Dicendum est. Si *per distinctionem actualem intelligas distinctionem nemine cogitante illa non requirit existens utrumque extremum.*

Ratio. Quia antequam creaturæ existebant, dicebat Deus alietatem ab illis; seu carentiam identitatis realis cum illis, adeoque dicebat & distinctionem, & tamen creaturæ, non existebant. Indubiè tamen non erit distinctio actualis inter Deum & creaturas ab interno, si nomine actualis distinctionis, accipias distinctionem inter extrema actualia reperibilem.

QUÆSTIO II.

De Distinctione reali rigorosa inter rem & rem.

Quæstio hæc imprimis inquiret: quid sit hæc distinctio, deinde, de signis ejusdem discurret, *& sit*

DIFFICULTAS I.

Quid sit Distinctio realis rigorosa.

Sciri non poterit quid sit distinctio realis, si non pernoscatur quid sit res, hinc

Præmitto. *Quid nomine rei apud Altos veniat.*

I. Averroes rem pro opinabili sumit, deducendo rem à reor, ipsum autem reor, significat idem quod sentio, opinor. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia non entia non sunt res, & tamen etiam de non entibus opinari possumus. Deinde quando dicitur, opinor hanc rem, non est sensus opinor opinionem, sed opinor de objecto opinionis, quod est res, de qua re, quæritur quid sit?

II. Nomine rei venire solet prædicatum transcendentale etiam differentiis entis competens, primumque locum obtinet in voce illa Reubau. *Hæc acceptio*

Non Satisfacit. Quia quæro de hoc ipso, quid est hoc prædicatum res, quod cæteroqui sumitur pro prædicato transcendente.

III. Nomine rei venire solet id, quod habet esse independens ab intellectu. *Hæc acceptio*

Non Satisfacit. Quia multa sunt quæ essentialiter sunt verum, nec vocantur res, & tamen sunt independentes ab intellectu ut modi entitativi, relationes sunt independentes ab intellectu, & tamen non sunt res.

IV. Nomine rei venire solet ex Hurtado Disp. 10. Metaphysicâ Sect. 2. ipsa substantia rei, quæ sit ejus naturæ, ut stante illa & mutatis reliquis, maneat idem ens, illâ verò mutatâ, stantibus aliis, non sit idem ens, sic v. g. substantia panis est res, nam ex vi formæ consecrativæ sublata illa, jam non est res panis, quamvis reliqua maneant accidentia. Dæmon autem assumens figuram & accidentia suis, non est sus, quia non accipit ejus substantiam. *Hæc acceptio*

Non Satisfacit. Quia multa sunt res quæ non sunt substantia, nam & ipsa accidentia sunt res, & tamen non sunt substantia.

V. Nomine rei venit apud Scotistas Formalitas, quæ conjuncta cum altera ratione, extrahit illam ad alterum entis gradum, sic v. g. rationalitas apud ipsos est res, quia extrahit animalitatem, ad esse hominis, gradus autem caloris additus alteri gradui, non est res, quia ad aliam speciem non extrahit calorem. *Hæc acceptio*

Non Satisfacit. Tum quia ex communi acceptione, etiã qualitas & gradus caloris, est res, tum quia ponamus ad unum caloris gradum apponi miraculosè alium specie distinctum, tunc jam calidum ad aliam speciem calidi extraheretur. Ergò potest qualitas nomen rei mereri quod universaliter negabat Scotus. Tum quia alicui substantiali rationi, addita alia ratio, quando extrahit illam ad aliam speciem, est verè res. Ergò & ratio accidentis talis, addita alteri rationi, quando extrahit illam ad aliam speciem accidentis, erit verè res. Et sic quia qualitas extrahit rationem accidentis ad rationem qualitatis, item quantitas ad rationem quanti, verè & quantitas & qualitas erit res.

Præmitto II. *Quid nomine rei sit accipiendum*, idque tali discursu explicatur. Omnia inferiora, sunt per modum concretorum quorundam rationem superiorem contrahentium; & ita v. g. ratio entis completa, quæ est ratio inferior, contenta sub ratione abstractissima entis, est quoddam concretum ex ente abstractissimo & completione, vivens item contentum sub ratione superiori, quæ est substantia, est concretum

tum ex substantia, & ratione vitæ, & sic de reliquis. Et ratio est, quia si inferiora, non essent concreta quædam, rationem superiorem contrahentia per aliquam formalitatem, & essent inferiora & non essent, essent est supponimus, non essent autem inferiora, quia non haberent quo limitarentur ad rationem inferioris, adstringerenturq; ne ad generis sui latitudinem extendantur, nisi illâ formalitate superadditâ, saltem per rationem. Cùm autem res sit quid inferius ente abstractissimo, res erit concretum quoddã ex ente & realitate.

Porrò hæc realitas quæ est forma, à quâ denominatur ens ratum seu res, non aliud est nisi aptitudo existendi sine alio, ad quam aptitudinem, sequitur negativa formalitas, independentia ad existendum sine alio vel miraculosè vel naturaliter, ita ut posito in ente, hoc tali jure & capacitate, ad existendum sine alio, saltem miraculosè hoc ipso illud ens res erit, & ita quantitas est res, quia potest ut suppono divinitus sine subjecto manere, modus verò non est res, quia nec divinitus potest esse sine modificato.

Dices I. Creatura est verè res, etiam comparata ad Deũ, & tamen independenter à Deo, existere non potest, estq; ab illo inseparabilis.

Respondetur. Inseparabilitatem interdum oriri ex ratione identitatis in entitate, & sic ensis & gladius, animal & rationale in homine, sunt inseparabilia: quia habent identitatem entitatis. Alia verò sunt inseparabilia ratione influxûs, dependentiæ, connotationis &c. Prior illa inseparabilitas, & incapacitas, separatim existendi, arguit negationem distinctionis realis; nihil enim à se ipso, distinguitur realiter. Posterior inseparabilitas, stat cum distinctione reali; nihil enim est, quod fundet identitatem realem, cum ergò Deus & creatura benè separari possint ratione entitatis, entitas enim creata non est entitas increata, quantumvis ratione dependentiæ & ubiquitatis divinæ, à Deo creatura, separari non possit; adhuc stabit illic distinctio realis, nã etiam Pater & Filius, stante ratione relationis, independenter à se existere non possunt, & tamen habent inter se distinctionem realem, nihil enim generat se ipsum.

Instabis. Ergò etiam modi erunt res, nam & illi rationem entitatis non habent eandem cum modificatis, quantumvis ratione dependentiæ ab illis, separari non possint.

Respondetur. Multos docere etiam modos esse res, negari tamen potest illos esse res ex duplici Principio; & quia non habent etiam in illa distincta entitate, capacitatem existendi sine modificatis, & quia nomen rei impositum est ab Auctoribus ad significandas non aliquas entitates imperfectas, & quæ se habent per modum essentialis determinationis, actualitatis, quales sunt modi.

Dices IV. Quamvis independenter à Filio & Spiritu sancto Pater existere non possit, est tamen verè res. Ergò & creatura licèt independenter ab alia existere non possit, verè erit res.

Respondetur. Quòd Pater sine Filio & Spiritu Sancto existere non possit, habetur id totum ex identificatione in eadem natura, per ordinẽ ad quam naturam, non est Pater, res distincta in natura, à Filio, & Spiritu sancto, est autem verè res in Persona, comparata ad aliam personam; quia non est identitas in persona, simile autem nihil habetur in creatis, nec tenet argumentatio ab increatis ad creata, in iis præcipuè, quæ Trinitatis mysterium involvunt, quà tale. Unde res illæ quæ sunt Personæ, cùm non sint res distinctæ, in quantùm identificantur eidem naturæ, ex eo ipso, quia non sunt hoc sensu res distinctæ, non debent participare rationem allatam, imò potius debent non participare.

Dices V. Efficax Dei decretum de futuritione mundi, vel mea salute, item omnipotentia, aliaq; similia, sunt verè res, & tamen non decretum illud sine mundo, nec omnipotentia, existere potest sine possibilitate creaturarum.

Respondetur. Decretum illud non potest existere sine mundo v.g. non ob identitatem entitatis, sed quia respondet tanquam connotatum, quæ respondentia per modum connotati, stat cum distinctione reali ex dictis supra.

Præmitto III. *Realitatem accipiendo illam pro ratione abstracta à concreto termino quod est res, prædicari posse de re transcendentaliter & abstractè accepta, quantumvis de re substantivè & concretè accepta prædicari non possit.* Ratio primæ partis est, quia potest prædicari ratio entitatis de ente. Ergò & realitas de re. Quod verò realitas prædicari non possit de re sumpta concretè & completè. Ratio est. Quia res sumpta pro ente concreto, est quid completum positivè, realitas autem, est quid incompletum, de completo autem positivè, incompletum positivè, non prædicatur. His circa prænotionem ipsius ly res præmissis.

Dicendum est. *Distinctionem realem esse alietatem realem unius extremi ab alio*, ita ut ly alietas sit genus, reliqua differentiæ loco: quod ipsum negativis terminis sic concipitur, quod distinctio scilicet realis: sit carentia identitatis realis duorum extremorum.

Probatur. Bonitas definitionis. Quia procedit per leges definitionis ut reflectens advertit.

DIFFICULTAS II.

De Signis Destinctionis realis per alios.

TRia communiter numerantur, Separatio mutua, oppositio producentis & producti, diversitas suppositorum, & secundùm aliquos diversæ existentiæ, tractandum de illis.

Punctum Difficultatis 1.

De Signo Distinctionis, quod est Separabilitas.

DOCET Communis Sententia, *quod separabilitas ad utriusque permanentiam sit signum distinctionis realis.*

PROBATUR I. Si ad distinctionem realem non requireretur separabilitas ab utraque parte, modus esset rigorosè res, quia modificatum potest sine illo existere, quod autem separabilitas ipsa requiratur ad distinctionem realem ostendit Auctoritas Aristotelis 7. Topicorum cap. 1. tex. 15.

PROBATUR II. Impossibile est idem à se ipso separari, esset enim idem & non esset, quod implicat. Ergò quæ sunt separabilia realiter, non sunt idem realiter.

PROBATUR III. Impossibile est dividi quod indivisibile est. Ergò & à se ipso separari, quod idem est. Ergò è converso, quæ sunt separabilia, non sunt idem.

DICES I. Terminus & fundamentum, stante relatione non possunt à se separari, & tamen terminus & fundamentum, stante relatione sunt distincta realiter. Ergò possunt esse aliqua distincta realiter, & tamen non esse separabilia realiter; quod terminus & fundamentum stante relatione à se separari non possint, probatur; quia si stante relatione possent terminus & fundamentum separari, & esset relatio tunc & non esset, non esset, quia relatio requirit necessariò cum sit ad aliud, & esset relatio, quia dicis illam stare sine termino.

RESPONDERI potest. Fundamentum & terminus stante relatione non possunt à se separari, ratione identitatis in entitate. Nego Antecedens, non possunt separari ratione dependentiæ, relationis &c. Concedo Antecedens. Ergò fundamentum & terminus non sunt distincta realiter. Nego Consequentiam.

DICES II. Posita explicatione corporis Christi, vel alicujus accidentis in pluribus subjectis positi, erit illic separatio quoad locum, nam Christi Corpus est in Cœlo & in Eucharistia, quæ loca sunt separata, & tamen Corpus Christi ita replicatum, non habet distinctionem realem. Ergò ex separabilitate, malè arguitur distinctio realis.

RESPOND. Corpus Christi replicatum, non est distinctum realiter à se ipso; quia in alterutro loco, non esset jam Corpus Christi sed alicujus alterius à Christo. Unde negatur esse illic separabilitatem propriam & quæ arguere possit distinctionem realem, separabilitas enim propria facit & divisionem & supponit, ut hoc, non sit hoc, cùm tamen idem sit in pluribus locis corpus Christi, consequenter à se ipso non divisum, nec separatum propriè.

DICES III. Essentia divina est in re conjuncta Paternitati, & eadem numero natura, est separabilis à Paternitate, quatenus est conjuncta Filiationi, & tamen realiter Paternitas & natura non distinguuntur. Ergò separabilitas, non arguit distinctionem realem.

RESPOND. Negando illic esse separationem, quia licèt communicetur natura Filio, non communicatâ Paternitate, non tamen separatur à Paternitate, cum revera Paternitas seu Pater, sit in Filio per circumcisionem, circuminsessio autem, excludit separationem.

DICES IV. Animal quod est in homine, potest separari ab homine cùm sit commune bovi, & tamen animal ab homine non est distinctum realiter. Ergò.

RESPOND. Animal quod est in homine, non idem in individuo est cõmune realiter bovi, adeoque non idem in individuo separari potest ab homine, consequenter nec idem realiter, distinguitur ab homine. *Hæc tamen communis doctrina*

NON SATISFACIT in hoc. Quia assumit non omnia distincta realiter in creatis esse separabilia realiter, quod doceri quantùm potest non deberet, nam si datur, quæri tale debet signum modalis distinctionis, quod conveniat omnibus omninò modis; ita & signum distinctionis realis quæri debet, quod conveniat omnibus omninò, distinctis realiter. Quod ipsum exinde etiam stabilitur, quia, si nihil plus communi huic explicationi addatur, possent esse aliqua distincta realiter, quæ nullum haberent signum distinctionis realis, idque ex communi sententia, prout proponitur, accepta. Intentum probatur; Possibile est tale ens, quod necessariò ad sui positionem dicat & exigat positionem alius entis, cum eoque unionem talem, ut sine ea, ne divinitus quidem manere possint, ut contingeret, si esset materia essentialiter determinata, & ad unionem & ad formam nonnisi unum: itemque si itidem forma, ita esset determinata: possibile item est ut eadem entia, non habeant ullam oppositionem producentis & producti. Denique ut nullam habeant propriam subsistentiam sed nonnisi communem, in tali casu illa entia essent distincta realiter, ut ipsa suppositio vult, entitas enim unius non esset entitas alterius, & tamen nullum signum distinctionis realis tunc haberetur, quod est absurdum. Indigebit ergò hæc communis sententia modificatione, de qua infra.

***

Punctum

Punctum Difficultatis 2.

De Signo Distinctionis, quod est Oppositio producentis & producti, suppositorum, diversitas.

Docet communis sententia. *Oppositionem producentis & producti esse signum distinctionis realis.*

Probat. Tum quia sancti Patres ex tali oppositione, arguunt in divinis distinctionem realem. Tum quia existens ante existentiam alterius, non habet idem esse cum non existente, producens autem, est ante existentiam producti. Nec refert quòd possit producens, nonnisi prius esse ratione; quia productum physicè, non potest esse prius ratione se ipso; esset autem prius ratione se ipso, in quantùm idem esset physicè seu indistinctum realiter, à producente. Tum quia si producens & productum possent non esse distincta realiter, posset idem producere se ipsum, si autem posset producere se ipsum, posset agere aliquid priusquam sit, quia non esset productum antequam esset productum, & tamen ageret, quia se produceret, hoc autem concedi non debet, quia esset actio nihili.

Dices I. Non implicat contradictionem ut idem reproducat se ipsum secundò, hancq; virtutem productivam sui concedit Suarez humanitati Christi, docetq; quod Christus se in Eucharistia reproducat. Ergò oppositio producentis & producti non arguit distinctionem realem.

Respondetur. Communis sententia ex oppositione producentis & producti primò, arguit distinctionem realem, non autem si id fiat secundò.

Dices II. Actio respectu agentis habet oppositionem producentis & producti, & tamen actio ab agente, non distinguitur realiter.

Respondetur. Ut oppositio producentis & producti arguat distinctionem realem, attendendum est ad naturam producti, an excedat rationem modi, habeatq; constitutiva entis rati, quæ constitutiva non habet id, quod se habet per modum actualis cujusdam determinationis: Actio autem se habet per modum talis determinationis. Deinde hæc sententia ponit pro signo distinctionis realis oppositionem producentis & producti, non autem oppositionem productionis & producentis, jam autem actio, non est productum, nisi fortè ut Quo, hoc est productio.

Dices III. Emanatio proprietatum v. g. risibilitatis à rationalitate, est quædam producentis & producti ratio, & tamen risibilitas & rationabilitas, non sunt quid distinctum realiter.

Respondetur. Agere communem sententiam de productione verâ, non verò de productionibus ex modo concipiendi, ex modo autem concipiendi rationabilitas producit risibilitatem.

Cæterùm *hæc communis doctrina*

Non Satisfacit. Quia deberet assignare, si fieri possit, signum distinctionis realis universale, ut dictum supra; prædicta autem oppositio, non est signum universale, quia lapis v.g. distinguitur à gemma idque realiter, & tamen non habent oppositionem producentis & producti.

Docet Rursùs communis sententia. *Distinctionis realis signum esse diversitatem suppositorum*, ita ut illa censeantur esse distincta realiter, quæ sunt suppositа distincta realiter, & ita inter Petrum & Paulum diversitas suppositorum, arguit distinctionem realem.

Hæc doctrina communis

Non Satisfacit. Tum quia diversitas illa suppositorum vel in Naturis arguit distinctionem realem, vel in ipsis suppositis; non primum, quia aliàs darentur tres naturæ divinæ, cui tres personæ conveniunt; non secundum, aliàs nunquam distinguerentur realiter naturæ, sed nonnisi ipsa suppositа, v.g. tum quia in Christo jam non duæ essent naturæ, cum in illo sit unum suppositum. Tum quia suppositi unitas, non arguit identitatem realem, quia possunt distinctæ realiter naturæ, uno supposito terminari, si enim potest una persona verbi terminare naturam divinam, & unam numero naturam humanam, quam assumpsit, cur non & plures realiter humanitates: Tum quia non est hoc universale distinctionis signum etiam in creatis.

Punctum Difficultatis 3.

De signo distinctionis realis, quod est posse habere propriam existentiam.

Ponitur pro Signo distinctionis realis ab aliquibus, posse habere existentiam propriam: hinc Petrus v. g. futurus, licèt non habeat existentiam propriam, quia tamen potest illam habere, ideò Petrus futurus à Paulo existente, distinguitur realiter.

Dicendum est. *Posse habere primam existentiam non est Signum universale distinctionis realis rigorosæ.* Ita Suar. Disp. 7. Sect. 2. n. 13.

Probatur I. In divinis tres personæ sunt distinctæ realiter, & tamen non habent existentias proprias, nec habere possunt. Ergò posse habere existentiam propriam non est signum distinctionis realis.

Respondetur I. Tres personæ habent tres existentias relativas identificatas uni existentiæ absolutæ, sicut dantur tres subsistentiæ identificatæ, uni absolutæ.

Contra. Si darentur tres existentiæ relativæ, darentur tres Dii relativi, sed non dantur ut docet fides. Ergò neque dantur tres existentiæ relativæ. Sequela probatur. Ubi dantur tres essentiæ divinæ relativæ, illic dantur tres Dii relativi, sed ubi dantur tres existentiæ relativæ, dantur tres essentiæ relativæ. Ergò ubi dantur tres existentiæ relativæ, ibi dantur tres Dii relativi. Major probatur, quia ubi datur essentia hominis datur homo, sic etiam ubi dabuntur tres essentiæ divinæ relativæ, dabuntur tres Dii relativi. Minor autem probatur ex indistinctione essentiæ & existentiæ. Concessi quidem 1. Par. D. 9. N. 94. relationes divinas esse perfectiones, adeoque competere illis essentiam pro quidditate seu definibilitate sumptam, sed non essentiam prout illa supponit antonomasticon; ut cum dicimus, una est in divinis essentia.

Respondetur. II. Quòd ab entitate & actualitate divina, non sit argumentandum ad hæc creata, cum divina entitas ut inquit respondens, curas nostrarum distinctionũ transcendat.

Contra. Ergò jam agnoscit hoc signum non esse universale, cùm non competat divinis, quod inter alia vult ostendere Conclusio, Deinde ab increatis ad creata non tenet sequela; quando infertur aliquid excedens captum intellectûs & divinitatem arguens, quod in præsenti non fit.

Probatur II. Hæc explicatio nihil explicat de distinctione reali. Ergò non est bona. Antecedens probatur. Quia dicere ista distincta esse realiter, quæ habent distinctas existentias proprias, est non ostendere, quare aliqua sint distincta realiter. Quod ipsum probatur, dicere esse distincta realiter, quæ habent distinctas entitates est non ostendere quare aliqua sint distincta realiter, quia de hoc ipso quæritur, quid est habere illas distinctas entitates, sed dicere ideò aliqua esse distincta realiter, quia habent existentias proprias, est dicere quod habeant distinctas entitates proprias: existentia enim & esse actuale entitatis, non distinguuntur apud oppositos, esse autem distinctum entitatis, indistinguitur etiam ab esse actuali entitatis propriæ. Ergò sicut ille terminus rem non benè explicat ita & hic.

Probatur. III. Modi habent existentiam propriam, condistinctam ab existentiis modificatorum, esto dependentem ab existentiis modificatorum, & tamen modi non sunt distincti realiter. Ergò habere existentiam propriam & realem, non est esse distinctum realiter. Antecedens alibi ostenditur, tenentq; oppositi existentiam ab esse actuali non distingui, & tamen esse actuale habent modi.

Respondebis. Modum habere existentiam suam propriam, non realem sed modalem.

Contra. Ergò per te illa sunt distincta realiter quæ habent existentiam realem, illa verò distincta modaliter, quæ habent existentiam modalem. Explica ergò hoc ipsum, quid est hoc habere existentiam realem, & quodnam signum existentiæ realis; non ipsa existentia realis, quia hujus ipsius signum quæritur.

DIFFICULTAS III.

Adfertur Signum universale Distinctionis realis.

Dicendum I. *In creatis signum universale distinctionis esse solam separabilitatem entitativam.*

Probatur I. Quæcunque sunt separabilia, sunt distincta realiter, quod probant argumenta in puncto difficultatis primo adlata, quæcũq; item non sunt separabilia realiter, non sunt distincta realiter. Ergò separabilitas est Signum universale distinctionis realis. Secunda pars quam nõ tenet ut vidimus supra communis Sententia ita probatur, si essent aliqua inseparabilia realiter, & tamen realiter distincta, maximè essent creaturæ respectu Dei, sed etiam creaturæ à Deo sunt separabiles. Quod ipsum probatur, quia ad distinctionem realem sufficit separabilitas ratione entitatis, licèt non sit separabilitas ratione influxûs, dependentiæ, coexistentiæ &c. similia.

Probatur II. Inductione quia inter entia connotativa, relativa &c. etiam stante relatione, connotatione est distinctio realis, & tamen non est separabilitas, nisi ratione entitatis ut dictum supra. Ergò hæc separabilitas sufficit.

Probatur III. Quia si hæc separabilitas ratione entitatis ad distinctionem realem non sufficit, daretur eventus ut dixi supra, in quo aliqua distinguerentur realiter, sine signo distinctionis realis, quod est absurdum.

Quare autem modus quamvis sine illo possit existere modificatum non sit res, dictum supra.

Dicendum II. *In divinis illa esse distincta realiter & sola, quæ habent oppositionem producentis & producti.*

Probatur I. Testimoniis Patrum, qui ex ista oppositione arguunt in divinis realem distinctionem.

Probatur II. Illa sunt signa distinctionis realis in divinis, quæ sunt signa & simul principia alietatis extremorum, ad distinctionem requisitorum, sed alietatis extremorum, ad distinctionem requisitorum in divinis, signa & principia, sunt ratio producentis & producti. Ergò eadem oppositio, erit & signum distinctionis realis.

Probatur III. In divinis reperitur ratio quæ est realissimè unum, reperitur & ratio, quæ est realissimè plura, prior illa est natura divina, posterior est, ratio trium realium personarum. Quæro hæ tres reales personæ, vel sunt per com-

communicationem vel per productionem. Non primum, quia illa communicatio fit per ejusdem identitatis imbitionem. Ergò debet fieri per productionem. Ergò ipsa productio si est principium oppositionis illius realis, erit etiam signum, quia in præsenti pro eodem sumuntur.

Dicendum III. *Si novitas phraseos non esset vituperabilis, posset signum distinctionis in divinis poni, separabilitas personalis.* Licèt hæc phrasis non sit usurpanda, quia ea non utuntur Patres, & quia videtur convellere prædicatum circuminsessionis, si tamen debito modo intelligatur separabilitas illa personalis, non convellit circuminsessionem, nam non hoc vult, quasi possit esse alicubi Pater, ubi non sit Filius, hoc enim vetat perfectio circuminsessionis, sed hoc sensu, quia est separata, hoc est alia persona Patris v.g. à Filio, ita ut sicut in separatis unum non est confusum cum alio, nec eidem conveniunt, ita nec est confusio in personis, sed alietas actualis, & cui personæ convenit esse Patrem, eidem non convenit esse Filium.

Probatur Conclusio. Quia excepta novitate phraseos, & si intelligatur ut explicata est, continet sanam doctrinam, imò & articulum Fidei, nam in dicto sensu, separata est Persona Patris, separata Filii, licèt non sit separatio in essentia. Nomine separationis non intelligendo incoëxistentiam localem, sed alietatem nemine cogitante, pluralitati conjunctam. Hocque videtur voluisse Nanz. Orat. 37. quæ est 5. de Theologia. Ubi personas dividuas appellans, videtur admittere separabilitatem personarum, prout à nobis sumitur.

Objicitur I. Etiam per nos non esse datum signum distinctionis realis universale, siquidem aliud est in divinis, aliud in creatis.

Respondetur. Si teneat Conclusio tertia, datum est à nobis signum universale, nempe separabilitas accommodata, vel ratione entitatis ut in creatis, vel ratione personæ ut in divinis. Deinde intentum principale fuit defendere, quòd in creatis signum universale distinctionis realis, sit separabilitas.

Objicitur II. Saltem nullo distinguetur hæc doctrina à communi sententiâ quæ tamen à nobis in hac materia videtur rejici.

Respondetur. In hoc nonnisi à nobis aliquorum sententiam impugnari, in quantùm docent, quod dentur in creatis aliqua distincta realiter, non separabilia realiter, cùm tamen defensum sit à nobis. Ubicunque reperitur distinctio realis, reperiri etiam separabilitatem.

Objicitur III. Scotum docere quod esset Spiritus sanctus distinctus realiter à Filio, quantumvis non procederet à Filio. Ergò oppositio producentis & producti, non arguit distinctionem realem.

Respondetur. Doctrinam Scoti nonnisi cum certis limitationibus veram esse, de quibus in prima Parte adeoque non esse contra nos, & etiam in casu ab illo proposito distinctio realis inter se Patris & Filii non oriretur quidem ex oppositione producentis & producti in se, oriretur tamen per multos ex productione alia, adeoque distincta licèt pendente ab eodem principio, quod solum sufficit ut stet doctrina, quod oppositio producentis & producti seu petibilis à productione, fundet distinctionem realem. Denique signum hoc distinctionis ponitur idque universale secundùm suppositiones quæ sint possibiles, non autem secundùm suppositiones impossibiles, impossibile autem est à Filio non procedere Spiritum sanctum.

Ad alia in hac materia solvenda.

Suppono I. Ethnicam Philosophiam nullibi agnovisse distinctionem realem, nisi inter ea, quæ separari de facto videbat. Ratio, quia independenter à miraculo Eucharistiæ, non habebatur fundamentum, sciendi quid ferat natura alicujus entis, in ordine ad separabilitatem.

Suppono II. Ex Suario in istis quæ sunt miraculosè separata sicut supponimus, separatam esse quantitatem vel albedinem panis, à substantia panis in Eucharistia, in his inquam considerandum est, an illud, quod sine alio conservatur, sit tale, ut sit imperfectiùs, adhærens, rationem potius determinationis seu modi præferens, sit tamen conservatum; si enim hoc imperfectiùs, sit conservatum, benè arguimus illud non esse modum, nam modus sine modificato conservari non potest; Sic v.g. quantitas habet rationem imperfectioris præ substantia, sed dubitari poterat, an non haberet rationem modi, quia verò videmus illam conservari sine substantia, arguimus, illam esse distinctam realiter. Quod si in separatione miraculosa id potius maneat quod habet rationem perfectioris, nondum est intellectus certus an non, quod remansit, sit modus, vel res; sicut quando mansit natura humana in Christo, & non mansit Persona, non certificatur hoc miraculo intellectus, an sit persona, modus vel realitas.

Suppono III. ex eodem: In istis quæ nunquam sunt miraculosè separata, ita esse philosophandum: an rationes, inter quas quæritur distinctio, excedant rationem modi, sufficiatq; utraque, ad constituendam entitatem, supplè ratam. Considerandum deinde: an inter illas rationes, inter quas distinctio quæritur, si tanta diversitas, ut in re finita, requiratur pluralitas principiorum, quæ principient illam diversitatem, & tunc ex istis arguendum erit de separabilitate, adeoque distinctione reali.

Suppono IV. à negatione distinctionis realis, aut positivæ, non valere Consequentiam ad illationem realis identitatis aut positivæ. Sic v.g.

non valet hæc Consequentia: calvitium & cæcitas non sunt distincta positivè. Ergò sunt idem positivè. Ratio inconsequentiæ est, quia ad negationem distinctionis realis, non requiritur ut extrema sint positiva & realia, requiritur autem ad identitatem positivam & realem cum alio, esse positivum & reale, prius enim est esse tale, postea esse tale cum alio.

Suppono V. Non valere etiam consequentiam à negatione identitatis realis, v. g. non valet hæc Consequentia, lux & tenebræ non sunt idem positivè. Ergò sunt distincta positivè. Ratio, quia ad negationem identitatis realis, non est requisita entitas realis & positiva, ad distinctionem verò realem, requiruntur entia realia, positiva, saltem in communiori sensu.

Suppono VI. Malè inferri ex negatione identitatis realis actuali, existentiam realem actualem, nam non valet hæc Consequentia: Dies hodiernus cum crastino non est idem realiter actu. Ergò dies hesternus est actu.

Suppono VII. Malè inferri quod ea quæ sunt negativè distincta, habeant negationem distinctionis. Ratio, quia privatio est negativè à subjecto suo distincta; falsum tamen est, quod non sit distincta.

QUÆSTIO III.

De distinctione per connotata.

SErviet hæc Tractatio ad multas materias quæ principaliter à recentioribus sunt tractatæ in materia de relationibus, in materia de actu Dei libero, &c.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quædam de Connotatis.

Præmitto I. Alia hæc esse: *Connotans, connotatum, connotatio, connotativum. Connotans* est Subjectivum illud fundamentum cui tribuitur Connotatio, seu est id quod connotat. *Connotatum* est ille terminus, & illud objectum Connotationis, seu id quod connotatur. *Connotativum* autem est illud, quod hæc omnia complectitur, nec enim stare potest connotativum, sine connotante, aut connotato, aut ratione connotandi; si tamen connotativum potentialiter sumatur & remotè, poterit importare quasi potentiam connotandi. Addo in communi sermone accipitur interdum connotatum, non pro objecto connotationis adeoq; non accipitur participialiter, sed accipi solet nominaliter tanquam substantivũ, significatq; ipsam distinctionem: unde idem est dicere, tenet in Philosophia connotata, ac tenet distinctionem connotativam.

Præmitto II. *Genus adrelativum & connotativum videtur esse ly respectivum.* Ratio quia & de connotativo & de relativo dicitur quod sit respectivum. Relativum autem ipsum & connotativum rigorosè loquendo sunt etiam quid distinctum, hoc enim concretum quod dicitur relativum est ipsum fundamentum in circumstantiâ termini subque denominatione termini: hoc autem concretum quod dicitur connotativum, dicit entitatem subjecti, sortientis denominationem novam, propter positionem alterius, non sub denominatione termini, sed tanquam circumstantiæ, effectus &c. seu propter positionem connotati, videturque ratio relativi, posterior esse ipsomet connotativo; nam prior est explicatio omnipotentiæ, per bonnotata: dicendo, quod omnipotentia sit ipsemet Deus, prout est principium rerum possibilium, tuncq; primum intelligitur resultare relatio ad illas, explicante quodãmodo connotatione ipsum esse, relatione autem importante tunc primum respectum. Addit Mastrius Disput. 8. Logia. N. 33. hanc distinctionem. Connotatio pertinet ad modum significandi, relatio ad rem ipsam Unde etiam connotatio reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati, dant aliud intelligere secundariò, ut patet in nomine Cæna: relatio autem pertinet ad res ipsas, ut esse simile, esse hoc nigrum & terminũ nigredinis.

Præmitto III. *Quando est subjectum connotans, & quando est id quod connotatur, tunc solet oriri nova denominatio*, quæ antea non fuit seu novum connotatum substantivè acceptum, sic v. g. quando est comestio cibi, & advenit tempus vespertinum, oritur nova denominatio in illo cibo, & novum connotatum ut comestio illa, vocetur cæna. Hæc denominatio connotatum &c. duo dicit, unum in recto, & aliud in obliquo, de hoc recto & obliquo.

Assero I. *Rectum quod dicit Connotatio, est subjectum, quod denominationem sortitur novam*, vocaturque ideò rectum ex eo, quòd quærenti quid sit denominatio nova, seu quid novum illud connotatum, fiet tunc responsio per subjectum in recto casu positum, si enim quæratur quid est Cæna, respondebitur, est sumptio cibi ubi sumptio cibi, est rectum, obliquum autem vocatur, quod in eadem responsione, ponitur in obliquis casibus. Unde ubi quæsieris, quid sit Cæna non sisteturin hoc solo, quod sit: sumptio cibi; sed addi debebit obliquum: in tempore vespertino. De eodem recto & obliquo.

Assero II. *Illud quod dicit connotatum in recto, tanquam subjectum, habet se per modum cujusdam materialis, & illud quod dicit in obliquo, habet se per modum formalis.* Sicut enim materia in physicis, est potentia capax & hujus & illius formæ,

formæ, ita & illud subjectum quod dicit in recto Connotatio, est potentia, capax ad has & illas denominationes, connotationes &c. & ita sumptio cibi, est capax denominationis cœnæ, merendæ, prandii, jentaculi. Illud autem quod dicit connotatum in obliquo, est per modum formalis; quia sicut forma actuat, determinat, facitq; pulchrum substantiale, ita posito obliquo, formatur subjectum, determinaturque, ad novam denominationem, & ita v. g. accessus temporis vespertini, format rationem Cœnæ.

Assero III. *Istud obliquum quamvis se habeat per modum formalis, non esse quid principale & primarium in connotato.* Ratio, quia istud formale est tanquam quid extrinsecum, quantumvis necessariò requisitum, illud verò quod dicitur in recto, non est quid extrinsecum, sic v. g. intrinsecũ est cœnæ sumptio cibi, extrinsecum quid, tempus vespertinum. Quod si istud obliquum est quid extrinsecum, non est quid primarium & principale. Unde illa formalia pro principalibus seu primariis se habent, quæ sunt formalia intrinseca, non verò quæ sunt formalia extrinseca, & ita v. g. albedo, quia est intrinseca albo subjecto, principalius est albedo quam subjectum in denominatione albi, in denominatione autem Patris, quæ habetur ex eo quod est habere Filium, quia esse Filii, est quid extrinsecum Patri, ideò fit ut in denominatione Patris, ratione principalis obtineat ipsis entitas Patris.

Præmitto IV. *Illud quod est obliquum in connotatione, interdum est quid positivum reale,* & ita v. g. Pater connotat entitatem Filii quæ est quid positivum reale, *interdum est aliquid modale,* ut si ponatur in Unione pro connotato nonnisi modalitas, *interdum hoc obliquum, est negativum,* ut si quærenti quid sit me esse hic, respondeatur: quòd sim ipse ego, cum negatione distantiæ ab hoc spatio, quæ negatio distantiæ, est quid negativum.

Unde etiam in connotatis variatio erit ex variatione recti in obliquum, obliqui in rectum, & ita si dicatur Paternitas, est entitas Patris in circumstantia Filii, Filiatio, est entitas Filii in circumstantia Patris; significabuntur diversæ connotationes, secundùm diversitatem ex recto in obliquum, & obliquo in rectum transeuntes.

Præmitto V. *Quid sit status quæstionis inter affirmantes & negantes connotata.* Affirmantes connotata dicant respectu connotationis & relationis tàm rectum quàm obliquum esse tale, ut sine illis nec esse nec concipi possit, tam connotatio quàm relatio, in hocque consentiunt cum negantibus connotata, sed in hoc dissentiunt, quia affirmantes connotata, dicunt obliquum illud requisitum ad connotationem & relationem non esse partem componentem connotationem vel relationem. Unde dicunt, quod ratio Paternitatis, non componatur tanquam aliquo intrinseco, & tanquam parte entitate Filii. Oppositum autem docent negantes connotata.

Præmitto VI. *In quo ab aliorum sensu aut phrasi dissentiendum sit, quantumvis & illi teneant connotata.*

Assero I. *Quod obliquum illud quod importat relatio, connotatio &c. non solum sit extrinsecum fundamento connotanti, subjecto &c. sed etiam esse intrinsecum ipsi relationi, connotationi &c.* Ratio, tum quia ipsa relatio definitur, quod sit id, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Ergò illi terminus, est aliud. Ergò extrinsecum, hæc enim verbis differunt. Tum quia ii qui hoc docent, docent simul, relationem, adæquatè quoad rationem formalem relationis, identificari intrinsecè fundamento ipsi, in circumstantia termini: quod si intrinsecè relatio identificatur soli fundamento, Ergò terminus non est de intrinseca ratione relationis. Tum quia quæ sunt idem realiter, si uni illorum est aliquid intrinsecum, etiam alteri illorum erit intrinsecum, & quia relatio, cum fundamento in circumstantia termini, sunt idem realiter, si fundamento in circumstantia termini posito, non est intrinsecus terminus, etiam relationi non erit intrinsecus.

Assero II. *Quòd illud obliquum quod importat Connotatio, relatio &c. sit quid extrinsecum connotationi, relationi &c. sed tamen sit intrinsecè requisitum,* quod ita explicatur.

Sunt aliqua intrinsecè requisita, & simul intrinseca sic v. g. compositum requirit intrinsecè partes, & simul petit illas esse quid intrinsecum, nec enim intelligibile est compositum sine partibus intrinsecis v. g. materia & forma, album etiam requirit intrinsecè albedinem, quid enim dealbatur extrinseca & in alio subjecto posita albedine? Sunt item aliqua intrinsecè requisita, & sunt extrinseca, intrinsecè quidem requisita, quia ingrediuntur definitivum rei conceptum, nihil autem est magis intrinsecum rei, quàm definitio rei, extrinsecum tamen est, quia, vel est aliud formaliter, vel est species ejusdem aliud. Illustratur hoc instantiis, quas ordinariè etiam oppositi admittunt, nam per illos terminus relationis transcendentalis, est quid extrinsecum relationi, & tamen debet esse quid intrinsecè requisitum, hoc sensu, quia terminus transcendentalis relationis ingreditur definitionem ejusdem, & sine illo termino, nec esse nec concipi posset relatio transcendentalis; Et ita effectus est quid extrinsecum causæ, causa tamen quà causa formaliter est, nec esse nec concipi potest sine effectu: Omnipotentia item nec esse nec concipi potest sine possibilitate creaturarum, & tamen creaturæ sunt quid extrinsecum omnipotentiæ. In idem videtur recidere doctrina Martinon de Sacra: D. 1. N. 162. ubi ponit esse aliquid terminum extrinsecum, essen-

tialiter requisitum. Quod si putes non cohærentes esse hos terminos, esse aliquid extrinsecum, intrinsecè tamen requiri, dic ergò necessario requiri.

Assero III. *Sublato obliquo non dico manere connotationem quoad entitatem.* Sublato item termino non dico manere entitatem relationis, sed tantùm dico sublato termino manere fundamentum relationis, sublato obliquo manere subjectum connotationis, denominationis, formalitatis. Quod autem non dicamus, tunc manere relationem aut connotationem quoad entitatem, dicta variatione posita. Ratio est, quia quando dicitur manere relatio quoad entitatem, vel connotatio, notatur hac phrasi, manere totum id, quod requiritur ut habeatur completa ratio connotationis, relationis, &c. cùm autem compleatur ratio relationis termino, & ratio connotationis obliquo ut dictum, ideò quando tollitur terminus, vel obliquum, non rectè dicetur, manere relatio aut connotatio quoad entitatem. Deinde tenent aliqui ex Connotatistis, personam humanam, esse ipsam naturam humanam, prout non unitam perfectiori. Casu verò quo uniatur perfectiori v. g. Verbo, destructoque hoc obliquo *ly prout non unitam perfectiori*, deberet dici, manere adhuc quoad entitatem personam humanam, quia manet natura humana, quæ phrasis videtur esse dura, nec conformis locutionibus Patrum in hac materiâ, non erit autem durum dicere, manere in Christo subjectum, quod potest sortiri & habere aliàs, rationem personæ humanæ.

Præmitto VII. *Ad præsentem etiam quæstionem revocari; quid sit habere rationem partis*, sed id translatum hinc est ad materiam de Relatione, de Pœnitentia; ubi actum an peccatum sit pars intrinseca Pœnitentiæ, & ad Materiam de Sacramentis, videantur dicta ibidem.

Hoc tantùm addo si nomine partis non intelligatur quidquam aliud, quam id, sine quo res nec esse nec concipi potest, indubiè sine obliquo connotatio & sine termino relatio, nec esse nec concipi poterit. Sed cum ille terminus expresè dicatur ab Aristotele esse aliud, obliquumque illud, etiam respectu connotationis, est obliquum, adeoque non connotatio, sed aliud quid, quomodo jam & terminus & obliquum pars erunt, si tamen concedas revera illum terminum esse aliud; adeoque quid extrinsecum, itemque obliquum esse speciem ipsius aliud, hoc tamen non obstare, quominus sit pars, vera erit in re doctrina, sed videtur phrasis non esse bona, nam pars intrinsecitatem vult, non alietatem.

DIFFICULTAS II.

An dentur & quid sint connotata.

Dicendum est I. *Dari Connotata.* Ita Schola nominalium, quorum pars Connotatistæ & ex antiquis Occam, Gregorius. Heruæus, Suarez Disput. 47. Metaphysica Sect. 2. n. 20. & omnes ii qui per connotata actus Dei liberos explicant. Est autem contra Arriaga Disp. 12. Logica, & contra Oviedo.

Probatur I. Conclusio auctoritate.

I. Auctoritas est ex Cap. ad aliquid. Ubi dicit: *Omnia autem quæ sunt ad aliquid, ad convertentiam dicuntur ut Servus Domini Servus, & Dominus Servi Dominus*, 1. etiam Politicorum cap. 3. *quapropter Dominus Servi est Dominus solùm, sed illius non est, Servus autem non solùm Domini Servus, sed omninò illius.* Ex quo ita formatur Argumentum, si non darentur Connotata, non darentur tales entitates, quæ dicerent in recto fundamentum vel subjectum, in obliquo aliquid aliud, non tanquam partem componentem, sed dantur tales entitates per Aristotelem. Ergò dantur connotata. Major est ex statu quæstionis petita. Minor probatur, quia Aristoteles Servum dicit Domini Servum, & Dominum dicit esse Servi Dominum, & si utrumque hoc esset tanquam pars componens, dixisset Servum, esse Servum & Dominum, Dominum autem, dixisset Dominum & Servum. Neque valet si dicas phrases Aristotelicas non esse exactas, debuisseque dicere Aristotelem quod esse Servum sit esse Dominum & Servum, non inquam valet; quia nulla est ratio, quòd hic Aristoteles impropriè loquatur, improprietatemque probare deberent oppositi, præcipuè autem cum aliàs Aristoteles explicans v.g. compositum, quod partibus stat intrinsecè, æqualiter & materiæ & formæ meminit, appellans illud esse materiam & formam, Unum appellans illud esse ex actu & potentia, æquali significatione utrumque ponendo. In denominatione autem servi, non æqualiter ponitur Dominus & Servus.

II. Auctoritas est ex Cap. IV. Metaphys. text. 11. Ex quo sic arguitur si non darentur connotata, non de uno diceretur Musicus & homo, sed de uno dicitur inquit ille. Ergò dantur connotata. Sequela probatur. Si non darentur connotata, Musicum, v. g. de Petro dictum, esset Petrus & Musica, Homo autem dictum de eodem Petro, non esset Petrus & Musica, sed Petrus & animal rationale. Ergò Musicum non de eodem diceretur, de quo diceretur animal rationale. In connotantium autem sententia dicitur Musicum & homo de eodem, quia scilicet Musicum est ipse Petrus prout est principium soni artificiosi, homo autem dictum de Petro est ipse Petrus, prout est animal rationale.

nale. Quamvis autem cùm dico Petrus & Musicâ: Petrus & animal rationale: utrobique etiam apud oppositos recurrat Petrus, in secundâ tamen illa considerabilitate nihil occurrit de Musico, non enim recurrit Musica: in nostris autem principiis recurrit de Musico, cùm ipsum Musicum per nos dicat in recto ipsummet Petrum. Hi modi loquendi Aristotelis, saltem significant mentem illius.

III. Auctoritas. Divi Thomæ ex Opusculo 48. cap. 2. Ubi ille tractans quid sit similitudo sortis cum Platone *solum inquit est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis, ut ad terminum*, citat pro eadem sententia Suarez, Anselmum in Monologio cap. 24. Augustinum lib. 5. de Civitate cap. 16. Damascenum in sua Dialectica cap. 50.

Respondebis. Cum Arriaga per hæc S. Thomæ verba non reduplicari solam albedinem Sortis, sed & albedinem Platonis idq; tanquam partem intrinsecam similis; ad eum modum, quo cum dico paries albus est disgregativus visus, super albedinem fit reduplicatio, tanquam super partem intrinsecam.

Contra. Quia cum in similitudine Sortis, in recto, ponatur nonnisi albedo Sortis & non ponitur in recto albedo Platonis, ponitur ipsissima phrasis & mens Connotantium. Deinde quod reduplicetur albedo in ratione disgregativi visus, hoc inde est, quia non potest salvari aliter ratio disgregativi. S. autem Thomas expresè salvat similitudinem Sortis cum Platone per albedinem nonnisi solius Sortis in recto positam.

Probatur II. Conclusio rationibus Suarii.

I. Ratio est. Secundùm quod eam sibi opponit Arriaga Disp. 12. Sect. 8. n. 301 terminus connotationis, relationis &c. debet esse extra ipsam relationem, connotationem, &c. connotatio enim, relatio &c. non respicit se ipsam sed obliquum illius connotationis, terminum relationis &c. Ergò est extra ipsam connotationem, relationem &c.

Respondet Arriaga. Quod terminus relationis prædicamentalis non debeat esse extra ipsam relationem, licèt extra relationem transcendentalem debeat esse terminus relationis transcendentalis, & ne paritate urgeatur docet relationem prædicamentalem non esse veram relationem.

Contra. Quia hujus ipsius nulla adfertur ratio, & sicut non est major ratio cur terminus relationis transcendentalis debeat extra relationem transcendentalem, non verò terminus relationis prædicamentalis, ita nec est ratio, cur transcendentalis relatio sit vera relatio, non autem prædicamentalis. Deinde ex eo debet terminus relationis transcendentalis esse extra relationem transcendentalem, quia ex definitione relationis debet esse ad aliud. Ergò ubicunque non est aliud, nec erit relatio, consequenter fugis à statu quæstionis, si dicas in relatione terminum esse partem intrinsecam, & tamen hoc ipsum dicis non esse veram relationem, per quod etiam obviari debet aliis ejus in simili dictis.

Quod autem recurrit ad hoc Arriaga ex eo simile nullum dicere respectum seu relationem; quia nec numerus binarius dum constituit par, ullam dicit relationem. Id etiam non convincit, nego enim quod etiam binarius non involvat partes dicentes ad se ordinem compartium, respectum diversitatis &c. vide alia in simili supra dicta de internoscentia intrinseci, & si simile, non est relatum, convellitur tota doctrina de fundamentis relationum realium, de quibus alias.

II. Ratio. Suarii est, verè dicitur Petrus Joanni similis, quod dici non posset, si similitudo Petri includeret Joannem, aliàs esset similis sibi ipsi.

Respondet Arriaga. Petrus est similis Joanni secundùm se concedo, est similis secundùm quid nego, nam secundùm quod similis est Joanni includit Joannem. Cum autem Petrus secundùm se non includat Joannem, verè dicitur non esse similis sibi ipsi.

Contra. Quia si secundùm se est: similis Joanni Petrus debet in illo secundùm se simili, includere ipsummet Joannem, quia debet includere similitudinem, quæ similitudo includit Joannem & Petrum, cum definitivè sit, utrumque hoc extremum. Ergò adhuc ut voluit Suarez Petrus similis Joanni, erit similis sibi ipsi.

Hoc ipsum sic aliter proponitur; Si Petrus est similis in albedine Joanni secundùm se, vel est similis secundùm quod commune illi est cum Joanne habere albedinem; Ergò secundùm quod est similis cum Joanne, & tamen hæc similitudo utrumque claudit; Quod si dicas secundùm aliquam aliam rationem Petrum similem esse Joanni, inferam non esse similem, similitudo enim non potest esse, nisi ex eo, quòd sua albedo; non sit solitaria. Tota vis hujus medii termini in hoc stat, quia simile esse, debet esse ratione similitudinis; similitudo autem utrumque claudit, tanquam partem. Ergò esse simile alteri, est esse simile sibi ipsi.

III. Ratio ejusdem est, relatio Filii in divinis nec inadæquatè constituit Paternitatem, sed tantum est terminus illius. Ergò & in Creatis.

Respondet Arriaga. Si relatio Filii in divinis est transcendentalis, non constituit etiam inadæquatè Paternitatem Filius. Cæterum si hæc relatio sit prædicamentalis (quod ego, inquit, probabiliter judico) conflabitur ex ipsa Paternitate & Filiatione.

Contra. Tum quia docet Arriaga relationem prædicamentalem, ut vidimus supra non esse

esse veram relationem. Ergò nec inter Patrem æternum & Filium, erit vera relatio. Ergò nec vera distinctio, cum hæc ex sensu Patrum, petatur à relatione, unde illud est effatum, sola relatio multiplicat Trinitatem. Quod argumentum etiam contra aliam ejusdem phrasin urgeri potest, in quantùm relationem prædicamentalem, docet, esse, secundùm dici. Tum quia ut urgebatur supra, non est major ratio de relatione transcendentali quàm prædicamentali: tum quia illa relatio, non est quid distinctum à producente & producto, si ergò relatio v. g. Paternitatis, conflatur ex Paternitate & Filiatione, etiam in sensu reali, esse producentis in Patre, conflabitur ex esse producti. Consequenter productum, producet se ipsum saltem inadæquatè.

Probatur III. Tum quia relatio non est fundamentum & terminus. Ergò neque reliqua Connotativa, erunt utrumque quod importatur extremum. Tenet enim Paritas. Antecedens probatur. Relatio est, cujus totum esse est ad aliud se habere, hæc enim est ejus definitio. Fundamentum & terminus simul sumpti non sunt id cujus totum esse, est ad aliud se habere, illud enim aliud est ipsemet terminus, qui inclusus in fundamento & termino, non est sibi aliud. Ergò fundamentum & terminus simul sumpta non sunt relatio. Modum defendendi hoc argumentum & restaurandi contra hactenus datas responsiones vide citato loco in materia de Pœnitentiâ.

Idem sic proponitur: terminus in relatione vel est aliud relationi, vel non est aliud relationi; si est aliud relationi, Ergò illam non componit intrinsecè, quia nullum aliud, est intrinsecum ei, cui est intrinsecum, aliàs ipsum esse, ipsimet esse, aliud esset; si autem terminus relationi non est aliud, ergò ille terminus non est aliud, quia in præsenti ly aliud & terminus coincidunt, idem enim est dicere; relatio est, cujus totum esse, est ad aliud se quodammodo habere, ac dicere: relationis est totum, est ad terminum quodammodo se habere, & probat hoc ipse status quæstionis in quo disputamus. Tum quia si relationem prædicamentalem constitueret terminus intrinsecè, non verò transcendentalem, non posset dari conceptus communis utrique, qui tamen exprimat lineam referendi, quis enim ille? Paritasque sic urgetur. Posito toto esse intrinseco Relationis transcendentalis in ipsomet fundamento, sumpto cum ratione fundandi, tamen non potest haberi relatio, non posito termino tanquam aliquo intrinseco extrinsecè requisito. Ergò idem dicendum de Relatione prædicamentali. In idem recidit si dicas: Terminus non est pars Relationis transcendentalis. Ergò neque prædicamentalis. Hoc ipsum sic proponitur: Major est intrinsecitas relationis transcendentalis quàm prædicamentalis. Illa enim prior est essentialis, si major intrinsecitas, debet esse minor involventia extrinseci, major enim intrinsecitas, magis est exclusiva extrinsecitatis, & tamen hoc non obstante positaq; intrinsecitate relationis transcendentalis, impossibile est illam esse sine aliquo extrinseco, quod est terminus.

Respondetur I. Fundamentum Relationis transcendentalis, nunquam potest amittere relationem transcendentalem: & si per impossibile periret terminus, maneret adhuc relatio. Unde si viso albi, per impossibile maneret pereunte albo, adhuc visio albi, dominaret album.

Contra. Tum quia fundamentum relationis prædicamentalis, sumptæ, unà cum relatione fundandi v. g. cum actione, cum unitate &c. nunquam potest amittere relationem, & si per impossibile periret terminus, & maneret fundamentum in circumstantia termini adhuc referret, quia referret per respondentem, etiam relatio transcendentalis. Tum quia si per impossibile maneret relatio sine termino, poneretur suppositio tollens seipsam, quia & esset ad aliud, per locum intrinsecum ut supponitur, quia esset relatio, & per locum intrinseum non esset ad aliud, quia tolleretur terminus. Si est suppositio impossibilis tollens seipsam, nihil ex illa sequitur, inferreturque etiam sublatâ possibilitate creaturarum, posse esse omnipotentiam creaturarum. Exemplum de visione albi non est valdè aptum, quia ex probabili sententia potest esse divinitus perceptio visiva albi, non posito albo. Tum quia redit argumentum factum: quantumvis fundamentum relationis transcendentalis nunquam possit amittere relationem suam, hoc non obstante non est possibilis relatio hæc, sine termino, pendetque in suo esse ab illo extrinseco quod est terminus, & præter habita sua intrinseca, essentialiter deposcit terminum. Ergo idem potest contingere in relatione prædicamentali; si enim hoc, quod nunquam potest amitti, pendet essentialiter ab aliquo extrinseco tanquam termino, multò magis pendere potest id, quod potest amitti.

Respondetur II. Aliud est de Relatione prædicamentali, quia hæc est ad terminum existentem adeoque potentem componere.

Contra. Cur suâ possibilitate non componet illam? si suâ possibilitate potest illam terminare; ratioque oppositorum probat, quòd illa possibilitas quantumvis non existens, deberet componere relationem transcendentalem, nam non posita possibilitate illius termini non ponetur relatio, posita illa cum reliquis, ponetur.

Dicendum est II. *Triplicem nos posse formare Conceptum de connotatis.*

I. Conceptus est. *Secundùm quod illa in re sunt*, & sic non aliud in re sunt, nisi duo absoluta, vel extrema, & ita in re cæna, est sumptio cibi & vespe-

& vespera. Ratio. Quia si hac in re non essent connotata, deberent in re esse unum in recto & aliud v. g. in obliquo. Jam autem in re rectum & obliquum nullum est, ipsumque illud obliquum v. g. in re spectatum, nihil aliud est, nisi ipsum illud extremum, ipsum illud absolutum &c.

II. Conceptus est. *Secundùm quod connotatum indiget concipi*, & sic non aliud est nisi ipsum subjectum, aliàs & alias denominationes sortiens, ortas ab aliquo extrinseco intrinsecè tamen requisito, sic v. g. denominatio Domini in Petro dicit pro subjecto ipsum Petrum prout de hac re liberè disponere possit. Ratio hujus modi concipiendi connotata desumitur ex dictis, quia scilicet cum aliud extremum non possit esse intrinsecum, debet esse quid extrinsecum, quia tamen ingreditur conceptum definitivum debet esse quid intrinsecè requisitum.

III. Conceptus de connotatis formari potest. *Secundùm quod per modum formalitatum concipiuntur*, & sic v. g. dum consideratur Petrus prout est principium actuũ ratiocinandi intelligitur tunc pullulare formalitas rationalitatis, & in quantùm Petrus est principium actuum sensandi, intelligitur pullulare formalitas animalitatis. Ratio hujus concipiendi modi est, quia ex una parte nihil vetat concipi connotata per modum formalitatum; ex alia parte, nisi ita ut dictum est concipiantur, non concipientur per modum formalitatum seu formarum Metaphysicarum, hocque ipso quia Metaphysicarum ex modo concipiendi pullulantium.

Dicendum III. *Si connotatio accipiatur secundùm id quod dicit in obliquo, poterit interdum esse distinctio realis actualis.*

Probatur. Quia si accipiatur animalitas Petri secundùm id quod dicit in recto est ipsemet Petrus, secundùm autem quod dicit in obliquo, dicit principiatos actus sensandi. Rursùs si accipiatur, rationalitas Petri, est ipsemet Petrus prout dicit principiatos actus ratiocinandi: ubi in recto nulla erit distinctio, erit autem & quidem realis in ipsismet connotatis, nempe actibus sensandi, & actibus ratiocinandi.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Arriaga. Ablato termino non perit aliquid intrinsecum nec quod pertineat formaliter etiam inadæquatè ad rationem & essentiam similitudinis. Ergò etiam ablato v. g. termino manet denominatio similitudinis. Consequentia probatur. Quia paries habet in se formaliter & intrinsecè totum illud propter quod dicitur similis. Ergò etiam modo debet dici similis.

Respondetur. Retorquendo argumentum de relatione transcendentali. Retorquendo item si quis terminos quantitatis explicet per ipsam quantitatem & circumstantiam negationis ulterioris extensionis, destructâ enim illa negatione per extensionem ulteriorem, manebit etiam entitas quanti, quæ ante erat, & tamen non manebit ipse terminus.

Directè autem dici potest, parietem habere in se formaliter & intrinsecè illud totum quod requiritur tanquam intrinsecum ut habeat rationem similis, sed non haberet totum id quod requiritur tanquam extrinsecum, intrinsecè requisitum. Alii dicunt manere tunc relationem secundùm rectum, quia etiam solùm rectum remanet, licèt non remaneat aliquid in obliquo.

Instat I. Quando perit denominatio similis, vel perit sola vox, vel perit aliquid distinctũ à voce, si perit sola vox, verè erit denominatio illa in re, quamvis ita vocari non possit; si non perit sola vox, ergò non manet tota entitas, significata per vocem similis. Ergò neque manet tota entitas, constituens formaliter simile.

Respondetur. Non perire solam vocem. Illam verò Propositionem. Ergò non manet tota entitas significata per vocem similis distinguo, non manet tota entitas intrinsecè requisita per modum subjecti Nego; non manet tota entitas significata tanquam quid extrinsecum, licèt intrinsecè requisitum. Concedo Majorem.

Instat II. Illa entitas est constituens simile quæ significatur per vocem simile. Atqui non solum subjectum significatur per vocem simile. Ergò non solum est subjectum entitas, constituens simile. Ergò & terminus constituet simile.

Respondetur. Negando Majorem, quia alterutrum eorum quæ significantur per vocem simile, potest imò debet esse per modum extrinseci, quamvis intrinsecè requisiti, si autem est per modum extrinseci, non est per modum componentis. Secundùm autem usitatam phrasim illa est entitas constituens simile, quæ significatur in recto per vocem simile, concedo Majorem, quæ significatur nonnisi in obliquo, nego Majorem.

Instari potest III. Quare non deberet dici perire tunc aliud extremum, in quo stat simile, cum in re per nos simile sint duo illa extrema.

Respondetur. Revera tunc perire aliud extremum, sed in hoc est dissidium cum oppositis. Quia illud extremum non est pars, nec concipi debet per modum intrinseci secundùm limitationes aliàs datas.

Objicit II. Idem. Nova denominatio realis, non potest advenire sine novâ entitate reali. Ergò & nova denominatio intrinseca sine nova entitate intrinseca. Ergò etiam repugnabit deperdi

deperdi denominationem similis, sine deperdita entitate intrinseca similis. Ergò cum deperdatur denominatio similis, propter deperditionem termini, apparet terminum esse entitatem intrinsecam in similitudine.

Respondetur negando Antecedens, de quo infra. Consequentia etiam teneret nonnisi de denominationibus intrinsecis, quæ non sunt ad extrinsecum. Si enim sunt ad extrinsecum, sufficiet mutatio proportionata, adeoque in extrinseco.

Instat I. Denominatio ut est quoddam totum in esse denominationis intrinsecè completum, vel dicit aliquid præter entitatem subjecti, vel non: si non. Ergò manente entitate, & omnibus aliis ablatis, manebit denominatio; si dicis includi aliquid præter entitatem, ergò cum nihil sit præter connotatum, sequitur ipsum connotatum esse aliquid intrinsecum.

Respondetur. Supponi aliquid ab argumento, quod non deberet supponi, nempè quod denominationis totum esse stet in solis intrinsecè complentibus, cum debeat compleri per aliqua extrinseca, licèt intrinsecè requisita. Falsum ergò est Antecedens, quia est de subjecto non supponente.

Instat II. Si potest salvari denominatio similis Petri cum Joanne per ipsam Petri albedinem in circumstantia albedinis Joannis. Ergò etiam potest salvari denominatio hominis per ipsam animam rationalem, in circumstantia unionis cum materia.

Respondetur. Retorquendo argumentum secundùm dicta. Deinde disparitas est, tum quia, quæ dicunt inter se unionem realem & compositionem physicam, non possunt non omnia esse intrinseca, hoc enim ipso, quia uniuntur intrinsecè, intrinsecantur sibi: in connotatione autem non est ista unio realis, & compositio physica, adeoq; alterutrum, potest benè se habere per modum extrinseci, quia deest ratio intrinsecandi, ipsa unio physica: Tum quia nullum est absurdum si dicatur v. g. Paternitas non importare entitatem Filii, tanquam quid intrinsecum ut dictum supra, est autem absurdum dicere, quod id quod est compositivum alicujus, sit compositio ut supponitur reali & vero, extrinsecum: Tum quia ipsa definitio quod v. g. terminus sit aliud, ostendit extrinsecitatem termini, quæ extrinsecitas, ex nullo definitivo termino colligitur, in partibus, verum compositum constituentibus. An autem partes intrinsecæ, semper debeant dici in recto, consule Lugo de Sacramentis disp. 2. a. n. 55. Dici tamen posset omnes illas partes dici in recto quæ faciunt totum per se substantiale ejusdem ordinis. Dixi substantiale, quia album est totum, & componitur subjecto & albedine intrinsecè, non tamen dicitur in recto albedo, dixi item totum substantiale ejusdem ordinis quia in prædicatione hac, Deus est homo, partes compositivæ ly ipsius homo, non dicuntur in recto, aliàs dictæ Propositionis hic foret sensus; Deus est humanitas & subsistentia Verbi, quæ Propositio est falsa. Horum autem omnium principium resolutivum, est usus & placitum hominum. Illa autem regula quam tradit Amicus disp. 2. de Sacramentis n. 15. ea in recto dici quæ dicuntur per modum per se stantis, fallit, nam rationale dicitur per modum adjacentis, & in quale quid, adeoq; non per modum per se stantis, & tamen dici potest in recto &c. Sed de isto Recto & obliquo, plura in Materia de Sacramentis disp. 1.

Instat III. Binarium hominum dicit formaliter utrumque hominem & æquè primò. Ergò & Paternitas, dicet æquè primò tàm Patrem quàm Filium.

Respondetur. Disparitatem esse, quia in casu Antecedentis, ex nulla parte particula definitiva deduci potest, quòd illic sit aliud adeoq; ratio extrinseci, quod in casu consequentis deducitur, ex ipsa formalitate termini qui per ly aliud significatur apud Aristotelem. Unde etiam Aristoteles, in explicatione quid sit Dominus, nunquam in Recto ponis, quòd sit, Servus, adeoque in re & in modo loquendi concordat nobiscum, cùm tamen Ariaga in explicatione quid sit: Paternitas, velit æquè primo dici Patrem & Filium.

Objicit III. Partes non distinguuntur à toto. Ergò manente toto manent partes, sed partes omnes hujus totius quod est simile, per nos salvantur in albedine seu in fundamento. Ergò hoc manente, manet tota entitas similis.

Responsum, simile salvari in fundamento, secundùm quod simile dicit subjectum in recto, ita circumstantionatum, quod ablato termino non manet ita circumstantionatum.

DIFFICULTAS IV.

Solvuntur aliæ Objectiones.

Objicit IV. Oviedo. Subjectum non constituitur relatum per terminum, sed per relationem formaliter ut afficientem subjectum. Ergò deficiente termino manebit relatio.

Responsum. Deficiente termino non manere relationem, quia perit aliquid extrinsecum intrinsecè requisitum, deficitque fundamentum, ita circumstantionatum.

Instat I. Ratio formalis referendi est relatio, relatio identificatur cum fundamento. Ergò ratio formalis referendi, identificabitur cum fundamento, sed fundamentum manet deficiente termino. Ergò & ratio formalis referendi, manebit, hoc est relatio.

Respondetur. Relationem identificari cum fundamento, secundùm id quod aliquid dicit pro subjecto, in recto & tanquam aliquid intrinsecum intrinsecè requisitum, non autem secun-

secundùm quod dicit aliquid in obliquo, & tanquam extrinsecum intrinsecè requisitum, sine quo extrinseco intrinsecè requisito manet solùm relatio quoad subjectum, ratioque referendi identificatur cum fundamento, ita circumstantionato, quod non manet, ita circumstantionatum, ablato termino.

INSTAT II. Illud obliquum vel formaliter denominat subjectum relatum saltem inadæquatè & in obliquo, vel non denominat, si denominat, ergò ratio formalis relationis, non est identificata adæquatè subjecto, sed includit terminum, & si in obliquo importatum, consequenter relatio ut relatio, dicet fundamentum & terminum quod negant connotantes: si verò terminus nec inadæquatè denominat relatum. Ergò pereunte termino, remanet tota forma denominationis.

RESPONDETUR. Quod à termino non denominetur relatum tanquam ab aliqua intrinseca parte, licèt ab eodem denominetur tanquam ab extrinseco intrinsecè requisito, dicet que relatio fundamentum & terminum, fundamentum quidem tanquam intrinsecum intrinsecè requisitum, terminum autem dicet tanquam aliquid extrinsecum, nec hoc negatur à connotantibus.

INSTAT III. Relatio quoad formalitatem vel est identificata cum fundamento, vel non est. si non est identificata cum fundamento, ergò [illegible] ab illo distincta nemine cogitante, quod negatur; si est identificata cum fundamento. Ergò toll[illegible] permanente fundamento, permanet relatio quoad form[illegible]litatem, implicat enim ex duobus identificatis unum deficere & aliud permanere.

RESPONSUM jam: Quòd relatio sumpta quoad formalitatem completam non tantùm dicat identificationem cum fundamento, sed cum eo identificationem importat in quantum relatio dicit subjectum, licèt insuper quoad formalitatem completam deposcat aliquid non identificatum fundamento, nec identificatum sibi in quantum supponit pro fundamento, est que idẽtificata cum fundamento ita circumstantionato, quod fundamentum ita circumstantionatum non est ablato termino.

Ut hic medius terminus de identificatione relationis cum fundamento commodiùs discutiatur, ponendum est, quòd relatio dicat unum in recto & aliud in obliquo. Neque concipi potest quoad formalitatem completam, nisi utrũque concipiatur. Porrò secundùm id quod dicit in recto relatio, dicit identificationem cum fundamento, sed hoc solo contenta non est, nec habet suam completam formalitatem, quia indiget obliquo, quod ipsum etiam in obliquo idẽtificatur ipsi termino, ipsi aliud, ipsi extrinseco, tota autem imaginatio medii termini per has instantias repetiti, solùm attendit ad identificationem recti cum fundamento, & non ad identificationem obliqui cum termino, arguitq; ex eo, quia remanet rectum identificatum fundamento, manere totum, cum relatio requirat etiam obliquum, identificatum extrinseco, quod supponitur deesse, hinc videtur hîc committi fallacia accidentis arguendo ab uno ad aliud, in quo non unum, sed aliud sunt. Quando autem idem urget relationem, quoad formalitatem & quoad entitatem non distingui physicè, id verum est si accipiatur relatio secundùm formalitatem cõpletam, secundùm quam importat etiã obliquũ.

OBJICIT V. idem. Implicat esse albedinem in subjecto apto, ad componendum hoc concretum, & illud de facto non componere, non facere q; album. Ergò implicat in subjecto esse relationem, cum omni informatione requisita, & non facere relatum.

RESPONDETUR. Concedendo totum. Sed nego deficiente termino, esse in subjecto relationem, cum omni informatione requisita, cum id illi competat nonnisi in circumstantia termini seu connotati.

INSTAT I. idem. In concretis respectivis, effectus formalis, non distinguitur à toto composito, toto videlicet relato, quod tantùm dicit subjectum, relationem, informationem Ergò hisce præcisè positis, sive ponatur terminus, sive non ponenda, erit relatio.

RESPONDETUR. Negando Antecedens; quia relatio requirit ad suum formale etiam aliquid extrinsecum, quamvis intrinsecè requisitum.

INSTAT II. idem. Si connotatio prout identificatur fundamento, non præstat effectum suum formalem, nisi in circumstantia termini. Ergò etiam dicam intellectionem posse identificari cum anima, sed non præstare suum effectum, quoad veniat connotatum.

RESPONDETUR. Ex dicendis de actione colligetur, quod nullum tale possit ostendi connotatum. Deinde sequeretur creaturam in intelligendo esse actum purum & immutabilem, qui titulus non convenit creaturæ.

INSTABIS III. Vi hujus doctrinæ sequi formalem effectum distingui à forma in subjecto capaci posita, nam ponetur fundamento identificata relatio, non tribuens effectum formalem relati.

RESPONDETUR. In relatione esse duos effectus formales, unus petibilis à fundamento, habeturque effectus tunc formalis, quia ex identificatione recti relationis cum fundamento, habetur effectus formalis, scilicet fundamenti relationis, sed non habetur alius effectus formalis, petibilis ab identificatione obliqui cum termino, cùm tamen ex utroque hoc, consurgat ratio completa, formalitatis relationis.

Quod autem vitio vertitur tenentibus Connotata recursus ad actus Dei liberos, id iisdem non officit, quia non officit quod in difficillimis & facillimis communem rationem habentibus, eâdem methodo utantur.

DIFFICULTAS V.

Notantur alia de Connotatis.

NOTO I. Quod videatur sequi datis entibus connotativis non danda entia absoluta, quia ipsa absoluta respiciunt ipsamet connotativa, adeoque non sunt absoluta, sed id non sequetur, quod sic illustratur. Sunt aliqua prædicata, in quibus prædicatum destruit subjectum, & alia prædicata, quæ non destruunt subjectum: posteriorum exemplum est, homo est animal, Petrus est indivinum, priorum autem exemplum, si de termino non significativo dicas, significat hoc, quod nihil significet, ubi ly significat est subjectum, quod destruitur prædicato, cum dico quod nihil significet, item si dicas, concordes sunt in hoc quod sint discordes, ly discordes destruit subjectum concordes, unde etiam si dicas, connotant hoc absoluta, quòd nihil connotent, vel connotant quod opponantur connotatis, prædicatum hoc quod nihil connotent, item quod opponantur connotatis destruit illud subjectum, quod scilicet absoluta connotent, adeoque præter connotativa entia, dabuntur & entia absoluta.

NOTO II. Aliud est dicere Petrus & Paulus sunt similes, & aliud rigorosè loquendo Petrus est similis Paulo, si dicas Petrum & Paulum esse similes, hoc ipso utriusque relationem, adeoque utrumque fundamentum colliges, si utrumque fundamentum colliges & Petrus & Paulus in recto importabuntur. Si autem dicas, Petrus est similis Paulo, non significant nisi unum fundamẽtum, propterea que nonnisi illud unum in recto ponetur, cum hoc tamen stat, ut nunquam similitudo dicat utrumque extremum hoc sensu, quasi similitudo duobus illis, tanquam parte componantur.

NOTO III. Dari aliqua talia connotata, quibus mutatis, mutatur & ipsa entitas connotantis, tunc autem temporis extrinsecis mutatis, non manet entitas connotantis, quando id quod connotabatur, fundat relationem transcendentalem, mutato autem connotato seu termino, mutatur relatio transcendentalis, mutatâ autem relatione transcendentali, mutatur aliquid essentiale, transcendentalis enim relatio, est essentialis. Unde quando sublato Filio, manet ut alii loquuntur entitas Paternitatis, per nos autem subjectum illùd, quod vocatur Pater, etiamsi non maneat formaliter Pater, tamen sublatâ possibilitate v. g. creaturarum, non potest dici manere omnipotentia. Quod ipsum exinde est, quia duplicis generis sunt denominationes formales connotativæ, aliæ enim sunt tales, ut etiamsi ratio formalis denominativa deesset subjecto, non censeretur defectus aliqvis essentialis in subjecto intervenire, v. g. etiamsi non sit homo formaliter Pater, nõ censetur defectus aliquis essentialis intervenire. Aliæ autem relationes, Connotationes, denominationes, sunt tales, eæque transcendentales, quæ si cessent, cessabit in fundamento denominatio talis formaliter si cesset, censetur defectus aliquis essentialis intervenire; & sic v. g. censetur intervenire defectus essentialis, si homo non sit formaliter rationalis, censetur item defectus essentialis intervenire, si Deus non sit formaliter omnipotens. In istis ergò posterioris generis connotatis & ipsa entitas tollitur, si formalis ratio connotationis tollatur.

NOTO IV. Cum dicamus ad connotata & relationem, intrinsecè requiri ipsum terminum, adhuc nos distingui à negantibus connotata, quia illud ipsum intrinsecè requisitum, dicimus esse quid extrinsecum. Rursus per nos clarè illud extrinsecum non est pars, per illos est pars. Denique distinguimur ab illis, sicut illi condistinguuntur à se ipsis, dum dicunt relationem prædicamentalem componi termino, transcendentalem autem, connotare nonnisi terminum.

NOTO V. Probabilem satis debere esse sententiam connotata tenentium vel exinde, quia recentiores ad illa impugnanda assumere debuerunt Propositiones paulò duriores, nempe: relationem prædicamentalem non esse veram relationem, Paternitatem item divinam in quantùm dicit relationem prædicamentalem componi Filio, ut videre est apud Arriaga n. 5. Item formari debuit hæc Propositio; idem re in re, Petrum similem Joanni, quod Joannem esse similem Petro, quodq; hæc modis solis concipiendi distinguantur. Quod si verum est, dicam in re idem esse quod Petrus sit Pater Joannis, & quod Joannes sit Filius Petri, solumq; hoc distingui modo concipiendi, dicam ulterius producens & productum esse idem in re, & solis modis concipiendi distingui.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione modali.

PRÆMITTO I. *Quid nomine modi intelligatur?* Nomine modi I. intelligitur Moderatio & Mensura v. g. habet modum in ira, id est temperatè irascitur. II. Intelligitur modus quidam operandi, v. g. hic Concionator, habet modum specialem concionandi, exemplum utriusque modi accipe ex Augustino. *Modus diligendi DEVM* (en prima acceptio) *est sine modo* (en secunda acceptio modi pro mensura) *diligere.* III. Grammatici modum sumunt, aut pro adverbio quo respondetur ad interrogationem quomodo, v. g. quomodo vales, benè, mediocriter &c. quæ adverbia ostendunt modum sanitatis, aut iidem sumunt modũ pro illis conjugationes partientibus v. g. pro modo Indicativo, Infini-

Infinitivo &c. IV. S. Thomas sumit modum pro ipsa essentia rei. Unde crevit illud, modus essendi hominis, est rationalitas, cujus propositionis est sensus de essentia hominis est rationalitas, quanquam S. Thomas I. II. p. 49. art. 2. etiam accidentia realia modos appellat, quorum etiam meminit Fonseca lib. 5. Metaphysicæ cap. 6. q. 5. sect. 2. V. Nomine modi intelligunt Philosophi determinationes, affectiones, actualitates entium, *de quibus*

Præmitto II. *Quod recentiores in Polonia Professores condistinguant modos, in modos essendi & modos entitativos*, nomine modi essendi intelligunt formalitates ex natura rei nemine cogitante distinctas, quamvis nullam entitatem à subjecto condistinctam importantes: nomine modi entitativi, intelligunt modos qui suam entitatem adferunt, quamvis non separabilem ad existentiam extra modificatum.

Præmitto III. *Possibiles esse modos entitativos*, Ratio, quia nulla in illis ostendi potest implicantia, videturque Aristoteles agnovisse naturam modorum, quia censuit accidentia ejus esse naturæ, ut non possint esse sine subjecto, licèt subjectum possit esse sine illis, imò videtur hoc docuisse etiam de formis substantialibus, materialibus II. Physicorum tex. 19.

Dices I. Non datur prædeterminatio physica. Ergò nec modi. Consequentia probatur, ideò prædeterminatio illa non datur, quia tollit libertatem, sed eam etiam modus tollit, jam autem ideò prædeterminatio tollit libertatem, quia eâ positâ non potest non esse actio, sed etiam posito modo non potest non esse actio, cum ipse modus sit actio. Ergò & modus tollit libertatem.

Respondetur. Prædeterminatio quia se habet per modum suppositionis antecedentis tollit libertatem, modus autem se habet per modum suppositionis consequentis, quia scilicet iste qui agit, non potest non agere, suppositio autem Consequens non tollit libertatem.

Dices II. Si modus esset possibilis, tunc non posset Deus creare modum quin crearet & aliud ens seu ejus subjectum, sed hoc est absurdum, quia hoc læderet libertatem Dei, ad quam spectat ut unum independenter ab alio, producere vel conservare possit.

Respondetur. Libertas Dei per hoc solùm tollitur, si non possit facere id, quod posset fieri, non potest autem modus sine modificato esse, neq; enim hujus das implicantiam, consequenter non tollet libertatem Dei; sicut nec tollit ejus libertatem, quòd non possit facere ut homo, sit cervus.

Dices III. Non est possibilis talis duratio Creaturæ, quæ petat ut illam Deus necessariò conservet. Ergò nec est possibilis talis entitas, quæ petat, necessariò aliud produci simul vel ante. Ergò nec est possibilis modus.

Respondetur. Disparitatem esse quia otiosa esset illa conservatio Creaturæ si ex intrinsecis suis principiis peteret semper durare, consequeter in illa conservatione sui, esset independens à Deo quod absurdum est, esset autem dependens à Deo & ille modus & illud subjectum, sed de antecedenti vide materiam de Angelis, circa incorruptibilitatem Angelorum.

DIFFICULTAS I.

Proponitur primum Fundamentum Modorum.

Primum Modorũ fundamentum est tale; Impossibile est dari transitũ à contradictorio ad cõtradictoriũ sine sufficienti mutatione, hoc est facta in entibus vel non entibus, facta in ipso transeunte, vel quopiam altero nexo, facta ante, vel postea, vel nunc, modo sit talis mutatio, ut eâ positâ, necessario transeatur à contradictorio ad contradictorium, & quâ non positâ, vel aliâ, quæ illi æquivaleat, non transeatur. Sed nisi dentur modi non transibitur sæpè à contradictorio ad contradictorium, nec habebitur sufficiens mutatio. Ergò dantur modi. Minor probabitur in materiâ de Unione, actione &c. *Major per partes probatur.*

Non debet esse mutatio in ipsis entibus, sed sufficit ut sit mutatio in non entibus, ut ostendunt transitus à non esse hîc ad esse hîc, transitus à non esse termini ad esse termini, &c.

Respondebis. In enumeratis negationibus factam esse mutationem in entibus, quia factus est motus aliquis localis.

Contra. Quia motus localis, non est ad hoc necessaria mutatio, cùm potuerim habere negationem distantiæ, ab hoc loco, non per motum localem, sed per mei v.g. in hoc loco, productionem.

Sufficit item mutatio in aliquo extrinseco. Quia Paulus à non esse patris ad esse Patris, transit extrinseco, hoc est, positione Filii, à non esse dextri ad esse dextri transitur per solam mutationem, factam in Petro, aliter se situante, & eadem sumptio cibi, ad esse cœnæ, transit per tempus extrinsecum vespertinum.

Sufficit item mutatio, ut fiat postea. Idque in aliquibus casibus. Ratio, quia Rex Ezechias, cui Propheta dixit, morieris tu & non vives, cum supplicâsset Deo, & revelatum esset illi, quod victurus esset sexdecem annis, tunc inquam iste Rex à contradictorio, seu à non esse victuri sexdecem annis, transiit per sexdecem annos postea ponendos. Deinde quia docetur per effectum conditionatè futurum, gratiam transire ab uno contradictorio ad aliud. Deus item ipse, à non esse decernentis mundum, ad

esse decernentis mundum, transit ipsâ mundi futuritione. Quorum omnium hæc ratio est, quia est aliqua mutatio quæ est non ex futuro ad futurum, sed hæc mutatio non potest fieri, si ly postea non esset sufficiens ratio mutandi: quod probatur, quia nõ potest aliquid dici futurum ex eo quod præteriit, non enim jam erit futurum, neque ex eo quod est, quia & hoc, jam non est futurum. Ergò tantùm ex eo, quod erit super postea, imò si non *ex ly postea* desumeretur ratio futuri, hoc ipso & esset futurum ut dicitur, & non esset futurum, nam futurum dicitur respectu eorum, quæ sunt postea. Hoc tantùm sensu non potest fieri à contradictorio ad contradictorium transitus per postea, quando sine illo postea, haberetur jam completa ratio denominationis.

Respondebis. I. Ezechiam transiisse per Dei revelationem, ad esse illud victuri.

Contra. Hæc ipsa revelatio, designans sexdecem annos, à non esse designantis sex decem annos, ad esse designantis, transit per aliquid, postea ponendum. Ergò apparet istud postea, salvare sufficientem mutationem.

Respondebis II. Deum non transiisse à contradictorio ad contradictorium, quia ab æterno voluit mundum.

Contra. Quia non transiit quidem à contradictorio ad contradictorium, ita ut terminus à quo, duratione præcesserit contradictorium ad quod; transiit tamen ab uno contradictorio, quod sit prius ratione, cumq; ab æterno potuerit Deus sortiri rationem nolentis mundum, per quid ergò transiit ad rationem volentis, si non ratione futuritionis mundi?

Respondebis III. Non esse fundamentum, cur mutatio ex ly *postea* desumibilis sit sufficiens ad transitum, interdum non sufficiens.

Contra. Ratio jam est assignata, quando transitur à non futuro ad futurum.

Dices I. Si ratione ejus quod postea futurum est, posset quis in præsenti transire, à contradictorio ad contradictorium, quæro? vel posset Deus mutare illud futurum ne sit, vel non posset, si non posset, Ergò adstringis divinam libertatem; si autem potest mutare, Ergò illa mutatio, non erit sufficiens.

Respondetur. Si res est futura ex suppositione consequenti, non est non futura, ex qua etiam suppositione consequenti, adstringere divinam libertatem, non est novum, præcipuè cùm ipsa futuritio, includat in se volitionem Dei liberam, tanquam causam, quæ ipsa volitio, se ipsam, ex suppositione consequenti, stringere potest.

Dices II. Tam aliquid non est nunc in instanti A. quod nec fuit nec erit, quàm verè non est nunc, quod est futurum tantùm. Ergò si id quod absolutè non est, non potest facere mutationem, nec illud quod erit, & nunc non est, poterit facere mutationem.

Respondetur. Etiam à non esse futuri ullo modo, transitur per ipsum non esse futurum ullo modo, falsum ergò est subjectum Consequentis.

Dices III. Prius est esse, postea mutare. Ergò si postea nondum est, nec mutabit.

Respondetur. Prius est esse, quàm mutare intrinsecè, sed potest esse mutatio extrinseca, per id quod non est. Unde etiam sola negatio distantiæ, quæ est quid negativum mutare potest, dicique potest, intelligi illic prius esse futuri, seu esse accommodatum & postea mutare.

Sufficit mutatio quæ sit in ante. Ratio, tum quia homo à non esse mortui ad esse mortui, transit separatione animæ, quæ prior est naturâ, ipsâ morte. Tum quia à non esse conservati, quod non esse conservati, habetur in prima productione, transitur ad esse conservati, mutatione factâ in ante, nempe ratione productionis primæ. Ponamus item in toto orbe parietem esse unum album, ponatur deinde alter, ille prior à non esse similis, ad esse similis, transit pariete postea posito, & iste postea positus, à non esse similis, ad esse similis, transit pariete, antea posito. Ergò apparet sufficere mutationem antea vel postea positam. Tum quia datur transitus à contradictorio non succedentis, ad contradictorium succedentis, sed hic transitus non potest esse, nisi mutatione factâ in ante, si enim ratio succedentis non esset ex mutatione facta in ante & esset illud succedens ut supponitur, & non esset succedens, omne enim succedens supponit præcedens, & ratione ejus, dicitur succedere.

Dices I. Si sufficit mutatio facta in ante cur id quod transit ad contradictorium non citius & citius transivit.

Respondetur. Inter alia ideò citius non transivit, quia v. g. ipsius transituri, non erat posita adhuc entitas.

Dices II. Illa mutatio est sufficiens quâ positâ non potest non poni transitus, sed si antecedat mutatio, potest non poni transitus. Ergò mutatio facta in ante, non est sufficiens.

Respondetur. Si antecedat mutatio & desint reliqua prærequisita, qualis est ipsa entitas transituri, non potest poni transitus, sufficitque si ponatur positis prærequisitis.

Dices III. Aliquæ mutationes non sunt sufficientes, si ponantur ante. Ergò & omnes.

Respondetur. Non esse novum, ut quod semel non sufficit: aliàs sufficiat, tuncque sufficiet, quando posito eo quod poni ante, requiritur, adest jam entitas rei, transituræ, ad contradictorium &c.

***

DIFFI-

DIFFICULTAS II.

Probatur Bonitas allati Principii & reliqua Principia referuntur.

PROBATUR I. Si sine ulla mutatione posset aliquid transire à contradictorio ad contradictorium, & esset idem & non esset idem, esset idem; quia supponitur nulla mutatio facta, & non esset idem; quia mutatum cum non mutato, non est idem. Illud autem quod transit ad contradictorium censetur mutatum ex non transeunte ad transiens. Hæc ratio accipit robur ex probatione tertia.

PROBATUR II. Ordinario argumento Theologico: Deus cùm in priori signo rationis fuerit indifferens ad volendum vel nolendum mundum, transiit ad contradictorium volentis, mutatione factâ in exterioribus, hoc est ex posita mundi futuritione, si enim non per positam mûdi futuritionem transit Deus ad esse volentis mundum, posset aliquid Deus velle fore, quod tamen posteaquam volitum est ut foret, non foret. Ergò multò magis creatura, non potest ad alteram partem contradictionis transire, sine illa mutatione sufficienti.

PROBATUR III. Ex illo principio; idem manens idem facit semper idem, si sine ulla mutatione posset aliquid transire à contradictorio ad contradictorium, & transiret ad contradictorium ut supponitur & non transiret, quia idem manens idem semper facit idem. Deinde si quod tu dicis transisse ad contradictorium, ita se habet in intrinsecis & extrinsecis, sicut se habuit antequam transiisset. Ergò cum antequam transiisset non transierat, etiam cum transit ut dicis, non transit. Rursus transitus hic est quasi effectus vel effectus. Ergò sui causam habere debet, nullam autem haberet sui causam vel quasi causam, si adhoc sufficiens mutatio, nulla requireretur. Deniq; etiam v.g. sex à non sex non transit sine sufficienti mutatione, nec potest ostendi quod transeat ad contradictorium sine sufficienti mutatione. Ergò apparet illam semper requiri.

II. FUNDAMENTUM modorum est. Quando aliqua duo sunt, quorum unum potest separari ab alio, evidens est non esse illa idem, quia nihil potest à se ipso separari, sed possunt esse aliqua v.g. materia & forma in rerum natura, & non esse inter se unita. Ergò esse unitas, est aliquid à materia & forma distinctum.

HOC ARGUMENTUM Rem non convincit, nisi aliter ponatur, nam multa sunt, quæ possunt esse in rerum natura, & non sortiuntur denominationem certam, quæ tamen non sit modalitas, sic potest esse Petrus & turris, non tamen esse Petrus, in turri, & tamen Petrum esse in turri, non est aliquid modale ut alibi dicitur. Probaret item hoc argumentum etiam negationes esse distinctas entitativè, quia interdum sunt, interdum non sunt.

PROPONITUR Itaque aliter hoc argumentum; Potest esse entitas aliquorum duorum, nec sortiri denominationem certam, nisi ponatur modus, & hoc probabunt argumenta aliarum materiarum. Ergò dantur Modi. Est autem hic modus distinctus à priori, quia in priori videtur ad omnem hanc mutationem requiri modalitatem, quod non fit in hoc secundo modo. Ut autem hoc argumentum promoveatur advertendum erit, quod v.g. in unione si non ponatur entitas modalis vel non assignabitur sufficiens mutatio vel petetur principium.

III. FUNDAMENTUM est. quod posuit Suarez Disp. 7. Metaphysicâ Sect. 1. n. 18. Creaturæ sunt imperfectæ, compositæ, mutabiles; Ergò & indigebant per quod in istis complentur; cõplementum autem hoc, sæpè non potest esse, nisi solus modus. Idem aliter proponi potest. Dantur potentialitates & indifferentiæ Physicæ, quæ non aliter nisi per modos tolli possunt, ut aliàs probabitur, ergò dantur modi.

Circa hæc fundamenta in praxi hoc est habendum, ut semper negativâ viâ proponantur, scilicet quod interdum non possit poni sufficiens mutatio sine modo quod primùm fundamentum est, item quod denominatio non possit haberi interdum sine modo, ut voluit secundùm fundamentum. Denique quod sine modo non possit interdum tolli indifferentia, ut voluit tertium fundamentum.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Argumenta Philosophica contra Principia Modorum.

OBJICITUR I. Probando mutationem debere esse semper in entibus; Non potest aliquis transitus explicari nisi per novas entitates & modos Ergò & omnes. Antecedens probatur, in transitu à non existentia ad existentiam in unione item & actione.

RESPONDETUR Negando Consequentiam. Quia si non possit inveniri ullum negativum, quo posito possit esse sufficiens mutatio ad transitum, jam debebit quæri illa mutatio in entibus sive realibus sive modalibus, quia autem in transitu à non esse existentis ad esse existentis, non potest inveniri ullum tale negativum, quia debet salvari existentia, quæ est non aliquod non esse, sed esse extra causas, ideò in transitu ad existere requiretur entitas, potest autem verè inveniri in multis denominationibus aliquid negativum, quod sufficiat ad transitum pro hac parte contradictionis.

Addo sicut potest salvari transitus à contradictorio ad contradictoriũ non semper per posi-

tionem novæ entitatis ratæ, sed interdum sufficit modalis, ita poterit interdum sufficere, aliqua negatio.

Instabis. Verè esse, & verè non esse, non potest explicari sine esse & non esse. Ergò etiam noviter esse, aut noviter non esse, non potest explicari, sine aliquo novo esse, aut novo non esse.

Respondetur. Noviter esse non potest explicari sine novo esse aut entitativè distincto aut formaliter, sed non est necesse istud semper esse entitativum, & ita negatio distantiæ, est novum esse, sed formaliter tantum distinctum, esse autem existentis, uniti, requirit entitatem novam &c. & ita potuit Joannes habere denominationem Poloni, quam non habet, sine ulla entitate nova sibi addita. Item si Petrum Deus annihilet, & postea retrò producat, esset idem Petrus, & tamen novam entitatem non haberet, hoc ipso enim si novam entitatem haberet, non esset Petrus, sed alius à Petro, licèt habeat novam denominationem. Item si replicetur entitas Petri manebit eadem entitas, hoc ipso enim replicatum, non esset Petrus & tamen novam denominationem pluries replicati habebit. Loquor autem hic, ex suppositione quod actiones reproductivæ & replicativæ sint indistinctæ, utpote creativæ, sed si sunt distinctæ, loquor de reproducto, &c. non sub formalitate reproducti, sed sub formalitate habentis idem esse: Item à non esse similis specificè ad esse similis specificè, item à non esse coexistentis ad esse coexistentis, si sumatur secundùm intrinsecam durationem, transitur sine ullo esse superaddito.

Respondebis. Actus Dei liber, qui Petrum reproduceret, replicaret, faceret alibi nasci &c. causaret istam novam denominationem, actus autem Dei liber est ens.

Contra. Quia quando à non esse actus Dei liberi, de replicatione, transitur ad esse actus Dei liberi de replicatione, nulla variatio facta est in Deo, nulla item variatio in entitate. Ergò saltem actus ipse Dei liber, transit ab uno contradictorio ad aliud, sine nova entitate.

Cæterùm non nego etiam actus Dei liberos requirere interdum mutationem in entibus, atque ita Deus, à non esse volentis mundum efficaciter pro nunc, ad esse volentis efficaciter pro nunc, transit ipsâ existentiâ & entitate mundi.

Objicitur II. Potest aliquid transire à contradictorio ad contradictorium solâ mutatione factâ in tempore, ut voluit Vadingus, tract. de Incarnatione Disp. Proëmiali de Modis.

Respond. Ad aliquas denominationes sufficit mutatio in tempore, sed nego quod ad omnes, tunc autem sufficit mutatio in tempore, quando ipsa denominatio desumitur vel pendet à tempore vel est species illius, & sic denominatio crastini, hesterni, præsentis, habetur nonnisi mutatione factâ in tempore: item à non esse obligati reddere hîc & nunc debitum, ad esse obligati, transitur solâ mutatione, factâ in tempore. Cæterum sunt aliæ denominationes, ad quas non est sufficiens mutatio in ipso tempore, quia ex indocto doctus nemo fit solo tempore, aliàs vel omnes essent indocti, vel omnes docti. Deinde tempus semper mutatur, semper incipit ratione ejus partis quæ nunc est, & desinit ratione ejus partis quæ immediatè ante fuit, consequenter omnia & inciperent & desinerent. Denique ut urgeri solet per oppositos, tempus est motus cœlorum entitativè, motus autem cœlorum est ipsum cœlum per illos, cœli autem non mutantur. Ergò à primo ad ultimum nulla hîc mutatio, cùm tempus per oppositos non mutetur. Ergò nec erit transitus à contradictorio ad contradictorium, nam hîc requirit per oppositos, mutationem in tempore.

Instat Valentia. Cur non benè potest tribui transitus à contradictorio ad contradictorium, mutationi temporis, non quomodocunq; sumpti, sed prout ei Deus voluntariè suum alligavit concursum, ita v. g. ut ideò materia ex non unita ad esse unitæ transeat, quia venit tempus, in quo Deus decrevit concurrere cum materia v. g ut uniatur.

Respond. In concursum Dei alligatum certæ differentiæ temporis non posse referri mutationem illam, quia de ipso concursu quærere restat: per quid transeat à non esse concurrentis, ad esse concurrentis, item cùm ille concursus sit efficax, nec sit quid nonnisi imaginarium, quidnam ille ipse efficiat, & si in aliis transitibus non sufficit mutatio in tempore ut dictum supra, detur regula universalis, quandonam sufficiat mutatio in tempore, ex quo postea inferretur, etiam in præsenti hanc mutationem non esse sufficientem.

Objicitur III. Benè salvari potest transitus à contradictorio ad contradictorium solâ novæ formalitatis acquisitione aut novi connotati.

Respond. Posse quidem salvari transitum à contradictorio ad contradictorium solâ novæ formalitatis vel connotati acquisitione, sed nego novam formalitatem posse haberi, sine nova mutatione in entibus vel non entibus ut supra probatum. Deinde si potest fieri transitus à contradictorio ad contradictorium solâ novâ formalitate positâ & nullâ aliâ mutatione, tunc & fieret ille transitus & non fieret, fieret ut supponitur, non fieret autem, quia ante illum transitum erat hæc entitas, quæ & modo, & nihil circa illam mutatum. Ergò si ante transitum non erat transitus, nec modo est, quia idem manens idem, semper facit idem. Sed hæc quæ dicta sunt de mutatione in tempore, vel de accessu vel ex accessu novæ formalitatis, alibi plenius refutantur.

DIFFI-

DIFFICULTAS IV.

Solvuntur Instantiæ Theologicæ.

PRIMA INSTANTIA est. Creatura à non esse causæ obedientialis, ad esse causæ obedientialis, transit sine ulla mutatione. Ergò potest haberi nova denominatio sine nova mutatione.

RESPONDETUR. Nomine causæ obedientialis venit ipsa entitas creaturæ, quam potest Deus assumere pro sua libertate ad aliquos effectus præstandos supra vires naturæ, ut cum assumitur aqua, ad producendam gratiam baptismalem, hæc causa obedientialis aliquando transit à non esse obedientialis in actu primo, ad esse obedientialis in actu primo, & sic transitus fit per ipsam entitatem creaturæ, supposito quod hæc potentia obedientialis non requirat indispensabiliter compleri per aliquid permanens elevativum. Interdum hæc causa obedientialis transit à non esse causæ obedientialis in actu secundo, ad esse causæ obedientialis in actu secundo, & tunc fit mutatio ratione actionis, quâ producitur effectus, sive hæc actio fit modus, sive non sine modo.

Difficilius est salvare transitum à non esse causæ obedientialis proximè causaturæ ad esse causæ obedientialis proximè causaturæ.

EXPLICANT I. Aliqui quod transeatur per qualitatem superadditam.

CONTRA. Quia imprimis non implicat potentiam elevari, non per aliquid superadditum, redibit ergò difficultas, per quid eo casu transiretur. Deinde illud elevativum permanens, constituit quidem completum principium, sed hîc quæritur de completo principio, prout induit rationem proximè operaturi, per quid inquam ad hanc rationem veniatur.

EXPLICARI solet II. Quod tunc transeatur ad esse causæ obedientialis proximè causaturæ, ipso effectu futuro.

CONTRA. Quia effectus cum sit posterior naturâ, prior autem sit causa in actu primo, & causa in actu primo supponatur completa ante effectum, ideò ab effectu, non potest desumi hic transitus. Quod autem alii dicunt effectum non debere sumi quatenus existens est, & actu dependens à tali causa, sed debere sumi prout futurus est, eò quòd sic acceptus, non sit quid posterius ipsâ causâ, id non satisfacit; quia etiam effectus futurus, est adhuc verè effectus, adeoque posterior natura præ causa, anteq; futuritionem illius, debet præsupponi completio causæ, proximè operaturæ, per quid ergò complebitur in esse causæ, proximè operaturæ. Posset quidem dici, quòd à non esse causæ proximè operaturæ, transeatur ad esse causæ proximæ idq; obedientialiter operaturæ, ipsamet operatione effectus excedentis, quæ operatio est prior ipsomet effectu, hinc si effectus quocunque modo sumptus posset id salvare, per prius id salvabit ipsamet actio. Quia tamen adhuc inquiri potest per quid transeatur à non esse proximè obedientialiter ipsam hanc actionem posituri ad esse proximè obedientialiter illam actionem posituri, hinc

EXPLICATUR III. Sicut proximitas potest esse in corporalibus Major & Minor, ita & in ratione proximè operaturæ causæ obedientialis potest esse proximitas Major & Minor, & quidem imprimis proximè completur causa obedientialis ipso concursu Dei indebito, proximè parato, secundo ipsamet actione agente, quæ est ipsemet concursus in actu secundo, quæ est quidem posterior ipso principio proximè illam ipsam operaturo, habet tamen rationem prioris & proximioris ad causam, præ ipso effectu.

II. INSTANTIA est. Potest aliquis transire ab esse peccatoris ad non esse peccatoris sine ulla sua mutatione.

RESPONDETUR. Quod tunc possit ille peccator dici non peccator hoc sensu, quia quantumvis nullum ille actum elicuerit, nec sit in illo posita ulla mutatio, dicetur tamen conversus hoc sensu, quia se ad illum Deus convertit, hoc ipsum quia se Deus ad illum convertit, explicando ex communi sententia, ratione mutationis in aliquibus extrinsecis. Cæterum si ille peccator evadat non peccator denominetur q; conversus conversione qua dicatur, etiam ille converti ad Deum, nõ poterit id fieri, sine mutatione, sed erit mutatio ob novum actum retractationis vel doloris positum, de quo in materia de Pœnitentia.

III. INSTANTIA est. Si non in omnibus, saltem in aliquibus, potest explicari actus Dei liber per aliquam æquivalentiam ad actum novum, præstando id sine novitate, quod præstaret novitas actus, quo casu, erit nova denominatio ratione illius actûs, & tamen non ostendetur ulla nova mutatio.

RESPONDETUR. Sicut illic est novus nonnisi æquivalenter actus, faciens id sine novitate actûs, quod faceret novitas actûs, ita etiam est illic proportionata illi actui per æquivalentiam explicabilis mutatio, scilicet æquivalenter præstans id, quod præstaret in creatis mutatio, sed hoc fusius tractatur tum in materia de Pœnitentia an sine infusione gratiæ remitti possit peccatum, tum in materia de actu Dei libero in prima Parte.

IV. INSTANTIA est. Angeli habent concreatas futurorum species, quæ à non esse completarum, ad esse completarum, transeunt sine ulla mutatione.

RESPONDETUR. Esse illic mutationem, quam adfert ipsa existentia objecti, ipsaque oblatio concursus divini ad noscendum, erit sufficiens mutatio, de quo in materia de Angelis.

V. INSTANTIA est. Angelus à non esse

loquentis ad esse loquentis transit sine ulla mutatione.

Respondetur. Esse illic mutationem ratione novi actus voluntatis quo dirigit mentem suam ad alium, vel ratione signorum aliquorum spiritualium, vel ratione verbi mentis, ex sua speciali ratione, vergentis ad alium, de quo in materia de Angelis.

DIFFICULTAS V.

De Definitione & Essentia Modorum apud Alios.

Primo definit modum Hurtadus disput. 2. Metaphysica Sect. 5.

Modus est qui per suammet essentiam est actualis determinatio rei indifferentis.

Impugnatur I. ab Arriaga. Ubicatio & Duratio sunt modi, & tamen non sunt actualis determinatio subjecti ad aliquid, si enim ad aliquid determinarent, maximè determinarent ad locum, & hoc tempus, sed ad hæc non determinant; nam locus & tempus prout sunt ab ista Ubicatione & Duratione cõdistincta, nihil sunt. Ergò ad hæc modus non determinat, nec potest modus determinare ad se ipsum, aliàs ita definiri deberet; Modus est, qui est actualis determinatio ad se ipsum; si autem ita definiretur malè definiretur, explicaret enim definitum in ordine ad se ipsum, æquivaleretq; huic definitioni; Modus est qui reddit subjectum actualiter habens modum, quod videtur ridiculum. Addit deniq; omnem formam physicam determinare ad se ipsam, Anima enim rationalis non determinat ad formam leonis &c. & tamen forma physica determinans ad se ipsam, nõ est modus.

Hac ratione formata ab Arriaga non est contentus Oviedo controv. 4. Metaphysica pars 5. Pensanda mens illius.

I. Argumentum. Oviedo est, sufficit ut modus ad se ipsum determinet, quia possibilis est calor, qui non media actione, sed per se ipsum dependeat à principio activo & uniatur, non per distinctam unionem subjecto, iste calor erit modus, & tamen ad nihil distinctum à se ipso determinabit. Quod verò possit non media actione calor, sed per se ipsum dependere à principio activo, probat instantia desumpta ex iis quæ creantur, supposito quod creatio non sit modus.

Responderi potest. Non probari, quòd ille calor sit modus, quia non repugnat etiam rem se ipsa pendere, & ad nihil distinctum à se ipsa determinare.

II. Argumentum. Oviedo est, benè fieri possunt definitiones per definitum materialiter sumptum, quia substantia definitur, quod sit ens per se, causa quod sit principium per se influens &c. Ergò & modus definiri poterit per ordinem ad se ipsum.

Responderi potest. Quod cæteris paribus præstet acceptare istam definitionem, in qua definitum nec materialiter ponitur in definitione, hoc ipso enim clarior erit definitio, suo definito.

Addo. Aliud est quærere an se ipsis uniantur formæ, & aliud an se ipsis determinent subjectum: fieri enim potest ut aliquid se ipso non uniatur, & tamen se ipso ubi unitum fuerit, ad aliquid determinet, sicut per multos verbum mentis per se ipsum non unitur potentiæ, & tamen se ipso determinat cognoscitivam, ad hoc cognoscendum, non aliud. Arriaga autem dicit solum determinare omnem formam ad se ipsam, non verò uniri se ipsa. Deniq; determinare ad se ipsum saltem secundùm conceptum negativum, est, auferre negationem sui, omnis autem forma aufert negationem sui. Cæterum aliter.

Contra I. est. Quod immeritò velit Arriaga, omne determinativum subjecti, debere esse determinativum ad aliquid à se distinctum. Certè enim subsistentia seu Persona, est terminus, & in multorum sententia modus, & tamen ad nihil distinctum, à se ipsa determinat, termini item quantitatis, sunt per aliquos modi, & tamen ad nihil distinctum à se ipsis determinant. Non nego tamen aliquos modos, ad aliquid à se distinctum determinare. Deinde cùm modi interdum determinent ad aliquid à se distinctum, interdum non determinent ad aliquid distinctum, hinc fit, ut modi ut sic, definitio, non supponat pro determinatione ad seipsum.

Contra II. Quia definitio ab Hurtado data potest extendi etiam ad formalitates Scotisticas si dentur, & ad formalitates connotativas, verè enim etiam illæ formalitates determinant indifferentias.

Contra III. Quia videtur superfluere particula actualis, si enim determinatio est, actualis est, hoc ipsoque non esset determinatio, si actualis non esset.

II. Definit modum Arriaga Disp. 1. Metaphysica Sect. 1. *Modus est informatio actualis subjecti.* Porrò hanc informationem duplicem esse, dicit unam intrinsecam quomodo unio per illum subjecto in quo recipitur, est intrinseca. Aliam informationem dicit esse intrinsecam, quo pacto Actio, informat extrinsecè agentem, neque enim potest esse divinitus actio, ut non denominet causam causantem.

Non Satisfacit I. hæc definitio. Quia informatio ista extrinseca, non potest ullo modo dici informatio, aliàs posset dici, quòd si materia sit in uno loco ultimo dispositа, & forma in alio loco, quòd tunc extrinsecè informetur materia, etsi non potest formis physicis realibus tribui informatio extrinseca. Ergò nec tribuetur modis.

Non Satisfacit II. In principiis admittentium

tium denominationes, formalitates &c. nam etiam illis competit esse informationes actuales subjecti.

Non Satisfacit III. Quia anima dum est actu unita Corpori, illudque informat, non est modus, & tamen possit dici, quòd sit actus informativus subjecti, adeoq; & actualis informatio subjecti, formis enim competere potest, non tantùm esse informativum ut Quod, sed etiam informativum ut Quo. Quidquid sit an tunc intercedat vel non intercedat intermedia Unio. Cæterum si distinguuntur informativum, & informatio non tenebit argumentum adstringendo scilicet informativum, ad prædicatum ratitudinis.

III. Definit modum quidam recentior *quod sit actualis actuatio subjecti*, hæc explicatio

Non Satisfacit I. Quia ly actualis superfluit, si enim actuatio est, actualis est.

Non Satisfacit II. Quia non repugnant modi non tantum actuantes, sed etiam actuabiles, ut si ponatur modalitas intermedia, receptiva, cum aliqua substantia alicujus formæ supernaturalis receptiva.

Non Satisfacit III. Possibilis est talis materia, quæ sit essentialiter ordinata ad unam formam, & forma quæ sit ordinata essentialiter ad unam materiam, & quam materiam impossibile sit sine illa forma existere, & illam formam sine hac materia, quæ enim in hoc implicantia quo Casu materia huic formæ uniretur non per superadditum modum.

Ratio, quia illic nulla esset indifferentia ad quam tollendam necessarii sunt modi. Et tamen illa forma, non esset modus, ita enim suppositio est argumenti, & non repugnat duobus entibus ita ordinatis, ratio realitatis, & tamen illi formæ competeret esse actualem actuationem subjecti. Quod ipsum probatur, quia esset actualis informatio ipsiusmet materiæ, impleretq; illius capacitatem, ergò esset actualis actuatio subjecti, utpote reddens illud subjectum non actuabile sed actuatum. Quod si illi formæ quæ censetur non esse modus, convenit definitio modi de qua disceptatur, rectè inferretur, illam definitionem non esse legitimam.

DIFFICULTAS VI.

Proponitur Definitio Modorum & Mens Suarii.

Dicendum est. *Modum ita benè definiri; Est determinatio physica indifferentis rei, vel si vis dicere, Entis.* Dictum debere esse determinationem non verò informationem aut actuationem, quia modalitates non rarò sunt quid extrinsecum rebus quas determinant, non vetat autem quidquam determinari ab extrinseco, est autem saltem quoad phrasin durum dicere, quod informetur vel actuetur aliquid, ab extrinseco. Dictum modum esse physicam determinationem seu entitativam, ut excludantur formalitates & denominationes. Dictum debere esse determinationem rei indifferentis, ut ostendatur illam formam quæ essentialiter nonnisi ad unam meteriam esset ordinata, se ipsa uniendam. Addidi si vis dicere Entis, nam si quis teneret intellectionem esse modum, & se ipsa non uniri intellectui, modus ille unitivus, non rem sed Ens indifferens determinaret.

Quæres. *An modos de quibus hîc, tenuerit Suarez?* Tenuit.

Ratio I. Ille qui suis modalitatibus condistinctam existentiam, esse actuale extra suas causas, ab alio ente etiam actuali condistinctum, tribuit, tenet modos de quibus in præsenti; si enim habent esse actuale & existentiam distinctam, sunt revera quid entitativum. Suarez autem iis quos agnovit modis id concessit disp. 31. Metaphysica Sect. 1. n. 30. *Dum*, inquit, *substistentia, suum proprium esse existentiæ habet, condistinctum etiam modaliter, ab existentia naturæ substantialis.* Et rationem adfert, quia ille modus, Verba sunt Suarii, *qui est substistentia, distinguitur in re ipsa à natura, tanquam aliquid actuale, extra suas causas positum, ab alio ente, etiam actuali.*

Respondebis. Quod etiam formalitates Scotisticæ habeant existentiam non entitativè sed formaliter ex natura rei distinctam & quod hanc tribuerit nonnisi Suarez suis modis.

Contra. Ostendatur hoc ipsum esse mentem Suarii, ostendatur ex mente Suarii hæc duplex existentia, præcipuè cum ipse Suarez ipsam existentiam non condistinxerit ab ipsa entitate rei extra causas posita, hinc si cui tribuit existentiam, tribuit entitatem, ostendatur tenuisse Suarium Formalitates Scotisticas.

Ratio II. Ille qui de suis modis asserit quod sit spiritualis, non materialis, tenet modum de quo in præsenti non formalitatem, Suarez autem dicit unionem esse modum spiritualem.

Ratio III. est. Ille qui de suis modis asserit, quòd sint aliquid positivum & afficiant ipsas entitates, per se ipsos, dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam ut individuam, & existentem in rerum natura, ille tenet non esse purum nihil modos, hoc autem asserit Suarez Disp. 7. Sect. 1. n. 17. Deinde Suarez dicit modum quem tenet non esse rem, non esse puram formalitatem, dicit non esse omninò nihil, sed modum quendam realem ut habetur n. 18. & n. 28. de Distinctionibus, *Atque ita*, inquit, *concedendum est quatenus modus est ens, eatenus ipsum, & rem quam modificat, esse duo entia & distingui in re ipsa, & realiter latè loquendo.*

Dices I. Suarez Disp. 7. Sect. 1. n. 17. dicit novam entitatem non adferre modum.

Respondetur. Quod ibidem se explicat Suarez, quòd modus non adferat entitatem ratam,

ratam, quantumvis positivum esse adferat. Et certè illam entitatem modis negavit Suarez quam si haberet v. g. unio quantitatis, tunc deberet per aliam unionem uniri subjecto & quantitati, ut expresè loquitur n.17. sed nonnisi tunc cum illa unio esset entitas rata, tunc primum per aliam unionem uniri deberet. Ergò solam entitatem ratam negavit Modis Suarez.

Dices II. Suarez tribuit Modis n. 19. Modum identitatis cum modificato.

Respondetur. Quod tribuerit modum identitatis, id est inseparationis ad permanentiam utriusque, quod solis entibus ratis convenit, sed nego quod tribuerit suis modis identitatem, quæ importet negationem entitatis positivæ, in modis.

Dices III. Hoc ipsum esse suspectum quod Suarez ita locutus fuerit de modis præcipuè in priori tomo Metaphysicæ ut indigeat explicari.

Respondetur. Videbat Suarez promptum esse ut ab Auctoribus noviter ex vetustate eruta de modis sententia, impugnaretur per hoc; quod si modus, non esset, formalitas esset res, ut ergò eos dejiceret ab hac opinione, negat modum esse rem, negat modum esse entitatem qualem illi imaginari possent, hoc est, ratam. Unde etiam Suarez non expresè dicit modum habere identitatis cum modificato, sed restrictè quendam modum. Et quando negat modum esse rem aut entitatem, hoc ipsum restrictè facit, addendo propriè, propriè autem entitas secundùm usurpationem, quæ tunc invaluerant, supponebat pro re.

DIFFICULTAS VII.

De Proprietatibus Modorum Signo Divisione.

Quod attinet ad proprietates Modorum.

I. Proprietas. Modorum est indeterminabilitas, per alias determinationes in eodem genere; sic v. g. unio, non potest alia unione uniri, motus alio motu moveri &c. sive hæc sint modus, sive non sine modo. Ratio. Quia si posset modus determinari in eo genere per alias modalitates, & esset modus ut supponitur, & non esset, quia definitio modi illi non conveniret, non enim jam esset determinatio, sed determinatum physicè, hocque ipsum etiam ratio à posteriori suadet, quia si v. g. unio, alia unione unitur, illa secunda vel se ipsa unitur vel per aliam, si se ipsa, redibit paritas de priori unione, si per aliam, dabis processum in infinitum.

II. Proprietas. Modorum est, habitudo essentialis ad hoc modificatum. Ratio. Quia si hanc habitudinem non haberet, sed esset indifferens ad hoc vel illud subjectum, hoc ipso indigeret alio novo modo modificari, in eodem genere, cujus oppositum vidimus.

III. Proprietas. Repugnantia ad existendum extra suum subjectum. Ratio. Quia modus est determinatio, si autem existeret extra suum subjectum, non esset determinatio, quid enim determinaret.

Quod attinet ad signum distinctionis modalis.

Signum Distinctionis modalis est separabilitas unius extremi, quantumvis aliud extremum ab illo separari non possit ad permanentiam. Habito autem respectu ad illam formam, quæ essentialiter nonnisi in subjecto exigeret esse, correctius signum hoc explicaretur ut dicantur illa esse distincta modaliter, quorum unum habet se per modum indifferentis physicè, & aliud per modum determinationis physicæ, non dico determinantis physicè sed determinationis physicæ, nomine determinationis physicæ, intelligendo viam, determinantem formã; nam etiam albedo determinat physicè subjectum & non est modus, cumque possit existere tanquam Ens ratum sine subjecto, habet rationem determinativi non determinationis.

Quod attinet ad divisionem modorum.

Dividuntur imprimis ut dictum supra in modos entitativos & modos essendi, modi entitativi alii sunt substantiales alii accidentales, substantiales sunt per Suarium unio & subsistentia eò quòd tribuant denominationes substantiales, modi autem accidentales sunt, qui tribuunt denominationem accidentalem, qualis est apud Suarium inhærentia qualitatis & quantitatis. Alii sunt modi tenentes se ex parte potentiæ activæ, hoc est, qui denominant agentem. Alii sunt modi potentiæ passivæ, qualis censetur modus esse materialisatio respectu materiæ. Alii sunt modi purè terminativi, quales aliqui putant esse terminos quantitatis.

Quæritur I. *Quare non possit esse talis habitudo modi ad modificatum, ut dicat essentialem ordinem ad subjectum, sed non determinatè ad hoc,* sed vel ad hoc, vel ad hoc.

Respondetur. Ideò, quia hoc ipso illi modo accideret esse in hoc subjecto, cum posset esse in alio. Quod si accidit illi esse in hoc subjecto, per aliud debebit determinari, de quo ipso determinativo quæretur: an sit indifferens? si indifferens, dabis processum in infinitum, si non indifferens, non erit major ratio unius, quàm alius modi.

Quæres II. *An modus qui est essentialiter determinatus ad hoc subjectum possit habere rationem rei,* respectu alterius subjecti v. g. utrum fieri possit ut modus qui unit materiam Petri cum anima Petri, possit uniri materiæ & formæ Pauli. Potest. Ratio. Quia nulla in hoc implicantia, sed debebunt simul uniri materia & forma Petri, quia aliàs ad sui permanentiam existeret modus sine proprio suo subjecto. Cæterum illa

v. g.

v. g. unio Petri, quæ per ordinem ad Paulum habet rationem rei, non potest eidem Paulo tribuere effectum suum formalem. Ratio. Tum quia nulla forma potest tribuere effectum suum formalem subjecto, non sibi proprio seu incapaci sui. Jam autem Paulus, respectu unionis Petri, non est subjectum capax, cùm illa unio, sit nonnisi determinata ad Petrum. Tum quia, si Paulus uniretur cum Petro, actus vitales Petri, non facerent v. g. intelligentem Paulum. Ergò nec unio Petri, denominaret Paulum unitum. Consequentia probatur, quia non est major nexus actus vitalis cum potentia ab intrinseco se movente, quàm sit nexus modi, cum suo subjecto. Tum quia illi potest tribuere rationem formalem uniti v. g. unio, respectu cujus est unio, cum forma & effectus formalis primarius, tam intimè conjungantur, sed respectu alterius subjecti non habet unio rationem unionis ut clarè dicit Arriaga disp. 1. Metaphysica Sect. 1. n. 10. licet censeat illum modum, qui uniretur subjecto, per accidens tribuere effectum suum formalem. Et sicut actio qua producitur Petrus, non potest esse productiva Pauli, ita nec unio Petri, erit unio respectu Pauli. Major autem principalis probatur. Quia illa unio tribuens rationem formalem uniti, si illam tribueret respectu ejus, cujus non est unio & esset unio & non esset unio, non esset unio ut supponitur, esset unio, quia illi subjecto tribueret effectum suum formalem.

Dices. Subsistentia divina potest tribuere humanitati rationem subsistentis. Ergò & unio illa Petri, poterit tribuere Paulo rationem uniti.

Respondetur. Disparitatem imprimis esse, quia Personalitas Verbi est res, adeoq; non adstricta ad terminandum nonnisi unum subjectum. Deinde quia illa subsistentia secundùm vim suam intrinsecam, est terminativa non tantùm increatæ, sed etiam creatæ naturæ, quòd à posteriori ex mysterio incarnationis colligitur. Hinc si eandem terminet non extrahetur extra suam sphæram, sed faciet quod facere nata est. Jam autem ex dictis, modus, est essentialiter determinatus, nonnisi ad hoc subjectum.

Instabis. Magis est alligatum Verbum ad naturam divinam utpote identificatum, quàm modus cum subjecto, cui non identificatur, & tamen Verbum tribuit rationem subsistentis, naturæ humanæ. Ergò & modus poterit, tribuere alteri subjecto, rationem suam formalem.

Respondetur. Magis esse alligatum Verbum naturæ divinæ, quoad identitatem physicam, sed non magis quoad ordinem terminativi, perfectivi, tribuitivi sui effectus formalis, cùm habeat vim terminandi, etiam creatam naturam.

Quæritur III. *An modi debeant dici inseparabiles à subjecto, an verò quod illis repugnet existere extra subjectum.* Posterior iste modus videtur esse castigatoris phraseos, quia non habet tantam ambiguitatem atque terminus inseparabilitas, quia inseparabilitas potest supponere pro identitate reali, quæ tamen non competit modis.

Quæritur IV. *Quare creaturæ respectu Dei non sint modi, quare item personæ divinæ respectu naturæ divinæ.*

Quoad I. Vide responsionem Oviedo contr. 4. Metaphys. punct. 5. quæ illius responsio non est universalis, multi enim negant creationem esse modum, si non est creatio modus, benè jam dicetur, constitui Deum in actu secundo formaliter efficientis, à creaturâ, adeoq; modum esse respectu Dei. Commodius dicetur creaturam comparatam ad Deum non esse modum, quia non competunt illi ita comparatæ proprietates modi, nam creatura comparata ad Deum habet suam ratitudinem, nec essentialiter indiget actuali positione, in alio à se subjecto, quo indiget modus.

Quod attinet ad II. Personæ comparatæ ad naturam divinam non habent ratione modi, quia habent identitatem entitativam cum natura divina, quæ non est modus, nec comparatæ inter se habent rationem modi, quia una respectu alterius, non habet se per modum dedeterminativi, & cujus sit indifferentia sublata, ab alia persona.

Quæritur V. *Quomodo modi inter se distinguantur.*

Respondetur. Non distingui inter se modos realiter, quia utrumque extremum non se habet per modum entis rati &c. nec distinguuntur, modaliter, quia utrumque extremum potest sine alio existere, posset dici quod distinguantur impropriè realiter, quia comparati inter se sunt res impropriè, cum sine se existere possint, distinguuntur etiam impropriè modaliter, quia licèt sine se existere possint, adhuc tamen habent entitatem modorum.

An autem major sit distinctio inter rem & rem, quàm inter rem & modum, vide Comptonum.

QUÆSTIO V.

De Distinctione virtuali.

Actum de hac Distinctione in prima parte, sed & hìc de illa tractandum, ut de illa informetur Lector uberius.

DIFFI-

DIFFICULTAS I.

Quid Distinctio virtualis.

PRÆMITTO I. *Quis fuerit ortus & occasio adstruendæ Distinctionis virtualis.*

Docet fides naturam divinam communicari, paternitatem identificatam realiter naturæ divinæ non communicari. Reflexit seſe intellectus humanus, quòd hæc contradictoria communicatur non communicatur non possint de uno verificari, aliàs Mysterium Trinitatis implicaret, utpote involvens verificationem duorum contradictoriorum, & quia hoc de quo verificatur communicatur, non communicatur, non potest esse distinctum realiter, nam Natura Divina & Paternitas sunt idem realiter, nec id de quo hæc verificantur potest esse distinctũ formaliter ex natura rei distinctione Scotistica, ob rationem mox adferendam, nec deniq; id de quo hæc contradictoria verificantur; potest esse quidquam distinctum actuale, hoc ipso enim Deus non esset infinitè simplex; hinc saltem debet verificari de alio virtualiter, consequenter admissa est in divinis distinctio virtualis.

PRÆMITTO II. *Quid Nomine Distinctionis virtualis non debeat venire.*

Non debet venire distinctio aliqua in potentia, quæ exeat in actum, per aliquam intellectus operationem; Ratio, quia ista distinctio potentialis, non est actu, sed erit accedente v. g. opere intellectus, & tamen ante omne opus intellectus, datur illic objectivum *communicatur & non communicatur*, quod tamen de uno verificari non potest. Nec item hoc nomine venire debet distinctio vi cujus contradictoria prædicata conveniant, Ratio. Tum quia convenientia prædicatorum contradictoriorum non facit distinctionem sed supponit, priusque est esse, quàm dici. Tum quia hæc Explicatio videtur committere circulum, si enim quæratur quare contradictoria prædicata convenire possunt huic vel illi; Respondebis, quia sunt distincta virtualiter, si quæratur, quare sunt distincta virtualiter, Respondebis, quia illis competunt prædicata contradictoria, cui tamen quæstioni aliter satisfieri potest. Tum quia multa sunt quibus conveniunt prædicata contradictoria, quæ non distinguuntur virtualiter: nam definitio est clarior definito, quod non competit definito. Neque tamen distinguuntur virtualiter.

PRÆMITTO III. *Quid veniat nomine distinctionis virtualis.*

Nomine distinctionis virtualis intelligi æquivalentiam unius ejusdemq; indivisæ Entitatis, ad plura seorsim reperibilia, quod ipsum sic explicatur: Contineri vel esse virtualiter aliquid, dupliciter contingit, I. Quando continetur aliquid in alio tanquam in Causa, sic continetur effectus in suo principio, arbor in glande, Conclusio in præmissis, Scientiæ in principiis. II. Continentur aliqua virtualiter in alio, eo sensu, quod aliquid æquivaleat pluribus seorsim reperibilibus sic v. g. aureus est virtualiter duo imperiales, æquivalet enim duobus, seorsim extra aureum, reperibilibus. Item, quod terrestres nuntii in Comitiis publicis acceptant, censetur virtualiter acceptare Nobilitas, quia concordia totius nobilitatis, & assensus per plures dispersus, adunatur in legatis uniuscujusque Palatinatus. Porrò distinctio virtualis non est desumenda per potentialitatem aliquam, ita ut contineatur in aliquo tanquam in Causa, sitque ipsa in potentia, jam enim id supra rejectum. Desumenda ergò erit per æquivalentiam ad plura, ita ut una eademque Entitas accepta cum personalitate v. g. Patris æquivaleat seorsim reperibilibus, nempe communicabili & non communicabili, quæ alibi seorsim reperibilia, in eandem Entitatem Divinam coëunt.

PRÆMITTO IV. *Duplicem posse virtualem Distinctionem cogitari.*

Unam in ordine ad secundas intentiones & prædicata Logica, qualia sunt cognosci & non cognosci, præscindi & non præscindi. Et alia est Distinctio virtualis in ordine ad primas intentiones & ad prædicata physica qualia sunt produci & non produci, communicari & non communicari, hæcque secunda vocatur antonomasticè, distinctio virtualis.

PRÆMITTO V. *Quæ fuerit necessitas adstruendi istam posterioris ordinis distinctionem virtualem in Divinis.*

Debebant imprimis Theologi salvare in Deo summam identitatem, quæ nullam in Deo compositionem actualem admitteret, sentiebant enim Divinam essentiam, esse in omni genere perfectionis illimitatam simpliciter, quod si est illimitata simpliciter, non debet adstringi, ut sit formaliter hæc perfectio & non sit formaliter hæc perfectio.

Deinde volebant salvare prædicata hæc; communicatur non communicatur, producitur non producitur. quæ tamen de uno eodemque non verificantur, nisi invehendo in objectum implicantiam, ut ergò salvent simplicitatem Dei non ponunt ullam distinctionem actualem, ut salvent prædicata contradictoria, ponunt istam distinctionem virtualem seu æquivalentiam ad plura, quæ aliàs solet appellari eminentialis continentia distinctionis, vi cujus habetur, ut cum summa identitate, possit idem communicari & non communicari, non qua idem est, sed qua æquivalet pluribus.

PRÆMITTO VI. *Quod sit Signum distinctionis virtualis ut sic.*

Signum ejus est reperibilitas unius perfectionis sine alia in aliis Entibus, quæ tamen in hoc v. g. Ente adunantur.

SUPPONO

Suppono. *Vnde dignosci possit quòd aliquid habeat distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica & primò Intentionalia, vel in ordine ad prædicata Logica, seu secundò Intentionalia.* Imprimis quia distinctio virtualis in creatis nullo modo reperiri potest in ordine ad prædicata physica, qualia sunt produci non produci, communicari non communicari, quia magnum absurdũ sequeretur per locum Theologicum, nempe posse dari in creatis mysterium Trinitatis, quod absurdum non sequetur, si ponatur distinctio virtualis in ordine ad prædicata, secundò Intentionalia, mysterium enim Trinitatis, est de linea primò Intentionalium. Ex hoc ergò ipso dignoscetur si aliquid increatum non sit, illi non posse competere distinctionem virtualem in ordine ad prædicata primò Intentionalia.

Deinde de ipsis divinis discurrendo Ea quæ æquivalent in divinis iis, quæ aliàs seorsim sunt reperibilia, ita ut quod uni formalitati convenit, ne in sensu quidem reali competat alteri, signum erit haberi illic distinctionem virtualem ad prædicata primò intentionalia: & ita ne in sensu quidem reali & identicè communicatur Paternitas Filio, aliàs Filius esset in sensu reali, & identicè Pater, licèt non esset formaliter Pater, sicut est realiter & formaliter Deus, eò quòd illi communicetur realiter & formaliter natura divina. Post hæc Scripta reperitur eadem Sententia apud Arriaga de Trinitate disp. 47. num. 20. Et apud recentiorem Suarez tract 2 Metaphysic. disp. 2. ubi num. 156. expresè docet. Paternitatem identicè Filio non communicari. Si autem quod uni competit formaliter competat alteri in sensu reali, erit tunc distinctio virtualis, non nisi in ordine ad prædicata Logica, & ita in divinis, quia in sensu reali misericordia punit, ideò non distinguitur virtualiter, virtualitate in ordine ad prædicata Physica & primò intentionalia.

Item quia animalitas in sensu reali ratiocinatur, licèt non ratiocinetur formaliter, ideò non distinguitur virtualitate illa prima. Tunc autem quod competit uniformalitati, competit in sensu reali alteri, quæ cum illa identificatur quando nulla est, ejus adstruendæ necessitas, sicut enim non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec virtualitates. Porrò ab Auctoribus agnoscitur vel maximè necessitas ponendæ distinctionis virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia, quando ipse articulus fidei id exposcit, ut exposcit v. g. in natura comparata ad Paternitatem, non exposcit in justitia comparata ad Misericordiam.

* * *

Punctum Difficultatis 1.

An Distinctio virtualis, sit Distinctio realis in tertio, & de aliis distinctionem virtualem in divinis concernentibus.

Aliqui videntur nolle penetrare, quid sit distinctionem virtualem tenere in divinis explicando eam, per distinctionem realem in tertio, nam hoc solùm ponunt, quod sit duorum identificatorum v.g. Filiationis & naturæ alietas in tertio, hoc est in Paternitate, quæ est distincta realiter à Filiatione, quod nos concedimus, dicimusq; posse fieri conjugationem naturæ & filiationis comparatæ ad tertium, quod est Paternitas, eritque tunc distinctio realis in tertio. At potest etiam fieri conjugatio duarum personarum, comparatè ad nãturam, & tunc erit duorum distinctorum realiter, identitas in tertio. Sed remanet tota difficultas, an verificatio prædicatorum contradictoriorum v. g. producti, non producti habeatur formalissimè ratione verificativi, quod sit præcisè distinctio realis in tertio, & hoc intendunt recentiores aliqui, ut Perez & Esparza.

Dixi I. Parte D. 2. n. 131 Quòd non recè explicetur distinctio virtualis per distinctionem in tertio. Argumenta aliqua inibi proposita opposuit sibi quidam, dignatusq; est illis respondere, subjiciam argumenta prout illa sibi idem opposuit.

I. Ratio, quam sibi opposuit est. Natura divina ut est prior ratione nostra, ut distincta à Paternitate est improducta: nec enim ideò Deitas produci non potest, quia non potest produci Paternitas, cum improducibilitatem Deitatis demonstret Metaphysica non demonstrans Paternitatem. Ergò Deitas non à Paternitate dicit rationem improducibilis.

Respondet idem. Naturam divinam pro illo statu præcisionis à Paternitate, esse improductam radicaliter, quatenus adhuc est id quod exigit identificari cum persona improducta. Hanc porrò personam divinam improductam sub hoc conceptu certè demonstrat Metaphysica, quia demonstrat dari naturæ intellectualis individuam substantiam quæ sit à se, licèt eam non demonstret sub conceptu expresso Patris generantis Filium.

Contra I. Posito quod natura divina de se, adeoque pro illo priori sit improducta non-nisi radicaliter, improductio tamen illa non habetur à persona improducta, quæ in re, imò formalissimè est Paternitas, seu verificativum hujus propositionis natura non est producta, non habetur à Persona illa improducta, quæ in re & ratione nostra est ipsa Paternitas. Ergò Deitas non à

Paternitate, dicit rationem improducibilis radicaliter. Antec. prob. Tum quia si quæratur ex omni retro antiquitate Catholica, quare divina natura communis omnibus tribus personis sit improducta, nemo respondebit, quia Paternitas est improducta, & tamen omnis retro Theologica Antiquitas agnovit in DEO radicalem illam ut explicata est improducibilitatem, hoc est, exigentiam ut identificetur natura, improductæ personæ. Quod autem retroantiquitas non dederit pro causali, natura divina est improducta, quia Paternitas est improducta, probat Auctoritas S. Anselmi de Incarnatione c. ap. 3. *Quæcunque enim illis sunt communia, ut omnipotens, æternus, in hoc solo intelliguntur.* Ergò cum esse improductum quoad essentiam, sit commune omnibus tribus personis, istud esse improductum, intelligetur in aliquo communi, adeoque non in Paternitate. Ergò recurrere ad personalitatem erit novitas circa tantum Mysterium. Tum quia ex hac responsione inferent Ariani. Si competit improducibilitas Deitatis, nonnisi ratione Paternitatis seu personæ improductæ, cum reliquis personis, non competat personalitas improducta seu Paternitas, nec competet improducibilitas in natura: cui enim non competit dicere in se verificativum naturæ improductæ, nec competet habere in se naturam improductam: Verificativum enim cum objecto propositionis sunt idem: cùm ipsa veritas sit conformitas cum objecto. Tum quia rationem improducti in Mysterio Trinitatis, duplicem est necesse contra Arianos ponere, unam in ratione naturæ, vi cujus competat aseitas & Filio & Spiritui S. & aliam in ratione personæ quæ competit soli Patri; & tamen præsens responsio unam nonnisi ponit, cùm verificativum aseitatis competentis naturæ Divinæ non sit ipsa Natura Divina sed Paternitas, & si unum est verificativum utriusque improducibilitatis, una erit improducibilitas. Tum quia tenet hic Syllogismus. Ratio improducti in natura est communis omnibus tribus personis, Paternitas non est communis omnibus tribus personis. Ergò Paternitas non est ratio improducti in natura.

Tum quia cum sit de fide improducibilitatem in natura esse communem tribus personis, non esse autem communem tribus personis illam personam improductam, quæ in re est Paternitas, quomodo ratio improductæ naturæ, dic si vis improductæ radicaliter, habebitur ab eo, quod non est commune omnibus tribus personis: sicut prædicata reliqua Innascibilis, Fontalis Originis in personalitate inclusa in Paternitate, non sunt quid commune omnibus tribus personis. Cumq; ratio improducibilis in Paternitate non sit condistincta à ratione fontalis originis processionum Divinarum, sicut reliquis personis hæc fontalis ratio nõ competit, ita nec cõpetet indistincta virtualiter ratio improducibilis: si non cõpetet, nec cõpetet natura improducta: Ergò apparet improducibilitatẽ naturæ non ratione Paternitatis haberi. Tum quia ponatur hæc demonstratio. Cui competit esse improductum, sed cui competit esse naturam Divinam, illi competit esse ens à se. Ergò cui competit esse naturam Divinam, competit esse improductum. Numquidnè sub ly Ens à se subintelligitur præcisè Paternitas? Si subintelligitur, non erit hoc argumentum demonstrativum, sed error; habebit enim Minorem contra fidem: erit enim ejus hic sensus. Cui competit esse Deum, competit esse Patrem: Si autem sub ly Ens à se non subintelligitur Paternitas: Ergò aseitatis verificativum non est Paternitas: nam verificativum propositionis subintelligitur in propositione. Qui ipse medius terminus sic proponitur aliter. Doctrina quæ falsificat formam non est admittenda, sed si ponatur, quòd verificativum naturæ divinæ improductæ, voca si vis radicaliter, sit Paternitas improducta, falsificaretur forma. Ergò. Minor prob. quia dictus Syllogismus est revera in Barbara, prædicta autem assumptio respondentis ponit illud argumentũ non esse in Barbara. Quod ipsum prob. Nam illius Majoris veræ, sensus universalis est. Omne & solum quod est ens à se est improductum; per oppositos autem esset iste sensus. Aliquod & solum quod est Paternitas, est improductum, quæ propositio & particularis est, adeoque destructiva Modi Barbara, & falsa: nam non solùm quod est Paternitas, est quid improductum: nam Filio nõ competit Paternitas, & tamen competit esse improductam naturam. Hinc ulterius si quæritur. Sub termino omne & solum quod est Ens à se est improductum, vel respondet verificativum omne & solum quod est Paternitas, vel non respondet; si non respondet. Ergò Paternitas non est illud verificativum: nam verificativum respondet sub propositione vera: Si respondet Paternitas, ergò & est illa Paternitas verificativum dicti termini ut supponitur, & non est verificativum, quia facit propositionem falsam: nam non sola Paternitas, quæ non respondet in Filio Dei, sed & ejus natura, est improducta. Quod autem vel falsificat formam, vel verum, hoc ipso non est verum: nam verum non falsificat verũ, sed nonnisi falsum falsificat, sicut lucem lux non aufert, sed tenebræ. Tum quia mala est hæc interpolatio, quam aliquando disputans mecum fecit Arianus olim, nunc Catholicus per Dei gratiam Magnificus ac Generosus D. Elias à Bukovviec Schlitnig, Burgravius in Palatinatu Posnanienſi, cujus argumenta mihi proposita habes I. Parte disp. ult. à n. 292. ad n. 361. mala inquam est hæc interpolatio, credo in unum Deum Patrem omnipotentem, sed debet esse talis, credo in unum Deum. Patrem omnipotentem, ut scil. ly unum Deum, non conjungatur cum solo Patre omnipotente. Ergò & improducibilitas non

tas non debet conjungi cum sola Paternitate, nec sola Paternitas esse ejus verificativum, & si Deus non dicitur unus unitate desumibili à Patre. Ergò nec debet dici improductus improducibilitate desumibili à solo Patre.

Tum quia tentet si placet Respondens ex improducto personali, probare improductum commune omnibus tribus personis: si autem ex improducto personali non potest legitimè inferri improductum commune, apparet quòd Paternitas, quæ est improductum personale, non sit verificativum hujus termini natura divina est improducta, nec apparet, quî id probari posset nisi assumendo hanc Majorem: Identificatum improducto personali, & ipsum est improductum; quæ propositio est falsa; quia si causalis hæc. Ideò natura divina est producta, quia identificatur productæ personalitati, est falsa; etiam hæc erit falsa, ideò est improducta natura, quia est identificata improductæ Paternitati. Si autem non potest probari, ex improducto personali, improductum commune omnibus tribus personis, apparet quòd hujus termini natura divina est improducta, quæ per fidem est communis omnibus tribus personis, non sit verificativum Personalitas improducta. Tum quia vera est causalis. Ideò natura divina est improducta quia est à se, falsa autem hæc causalis, in sensu ut suppono formali. Ideò natura divina est improducta quia est Pater: nam sicut nullum datur prædicatum verificabile de Paternitate verificabilitate orta ex Filiatione: quia de Filiatione, quâ tali non participat Pater; adeoq; nec de prædicatis inclusis in filiatione quâ tali; consequenter nec participat de verificativis inclusis in filiatione quâ tali, simili jure nec filiatio participabit de verificativis inclusis in Paternitate, & tamen participat de prædicatis improducti: Ergò verificativum hujus prædicati improductum non habetur à Paternitate; seu non est vera hæc causalis: Ideò natura est improducta, quia Paternitas improducta. Et certè cui nihil sit de participatione paternitatis quâ talis, illi nihil erit participationis, de verificativis inclusis in Paternitate quâ tali: nam hæc duo idem sunt formaliter. Ergò cùm Filationi, nihil sit de participatione Paternitatis quâ talis, nihil erit de participatione verificativi inclusi in Paternitate, adeoque nihil erit de participatione improducti: nam cui non competit verificativum improducti participare, nec competet improductum participare: inter prædicatum enim, & verificativum prædicati quâ tale debet esse idêtitas: aliàs posset esse aliquid verè album non participando de albedine, quæ albedo cum aliis, est verificativum prædicati album.

Tum quia posito prædicto principio videtur tenere Syllogismus cujus conclusio est falsa, nempe hic.* Aseitas est essentia divina sed sola Paternitas est aseitas. Ergò sola Paternitas est essentia divina. Major prob. nam definitivè & de primò essentiali conceptu essentiæ divinæ per oppositos est Aseitas. Minor prob. quia sola Paternitas, est improducta: reliquæ enim personæ divinæ, sunt productæ: & si non sola Paternitas est improducta, nec sola erit verificativa prædicati improductum competentis divinis: quod si sola Paternitas est improducta sola erit aseitas: nam hæc duo idem sunt realiter & virtualiter; & tamen post hanc concessam Majorem & Minorem sequitur conclusio falsa. Ergò sola Paternitas, est essentia divina. Tum quia datur identificatum, (vel si vis expressius dicere concretum) ex improducto & producto, nempe Filius cujus natura improducta, Filiatio producta. Ergò datur & verificativum improducti, & verificativum producti identificata inter se: ipsum enim esse improductum verificat prædicatũ improducti, & ipsũ productũ verificat prædicatum producti, Ergò si productum & improductum identificantur inter se, etiam verificativum improducti & producti identificabuntur inter se; & tamen Paternitas quæ est verificativum prædicati improductum, non identificatur Filationi, sed distinguitur realiter ab eodem. Loquendo item de identificato ex naturâ & Paternitate quæro virtualitati illi quæ est natura, vel competit ratio improducti indistincta virtualiter à naturâ, distincta autem virtualiter ab improductione inclusa in Paternitate, vel non; si competit. Ergò non ratione Paternitatis est improducta; si non competit, contra erit, quia æquè natura non terminat productionem ac Paternitas. Ergò etiam illa virtualitas, erit improducta Et si soli Paternitati competit ratio improducti, sola Paternitas erit Deitas, quæ est à se & improductum quid, jam enim aliis personis non competet improductio, cùm eis non competat Paternitas, adeoque nec competet eis Deitas. *His allatis*

Reassumitur prædicta Ratio. Natura divina ut est prior ratione nostra & distincta à Paternitate, est improducta radicaliter ut ratio demonstrat, & hæc improducibilitas radicalis & antecedens non verificatur ratione improductæ Paternitatis ut probatur. Ergò Deitas non à Paternitate dicet rationem improductæ.

Dices. Non ratione Paternitatis sub expresso conceptu Patris generantis filium verificari prædicatum improducti, sed à persona improducta, quam sub hoc conceptu demonstrat Metaphysica.

Respondetur. An sub hoc conceptu demonstret id Metaphysica, de hoc infrà. Quantùm ad præsens dici potest, quòd sicut nemine cogitãte est verũ dicere natura divina est improducta, ita & verificativũ illius propositionis debet esse nemine cogitate; hoc autem non est aliqua personalitas abstracta, sed nonnisi ipsa Pater-

nitas: Ergò si Paternitas ut probatum est non verificat hoc prædicatum, nec verificabit dicta Personalitas. Et certè illam propositionem Natura est improducta, verificat personalitas non producta, sed hæc non est alia nisi Paternitas. Ergò id verificat Paternitas; sed non verificat Paternitas ut probatum est. Ergò nec verificabit illa personalitas.

Contra II. Tum quia illud quod assumit in suâ responsione, non est certum, nempe demonstrari à Metaphysicâ naturam divinam sub formalitate personæ productæ: Quæro enim, vel demonstrat naturam divinam sub formalitate personæ productæ, distinctæ à naturâ vel indistinctæ: si distinctæ, ubinam habetur hæc demonstratio quæ demonstrat ipsam personam distinctam à naturâ sive divina sive creata? si demonstrat sub formalitate indistinctæ, aut abstrahendo an illa sit distincta vel indistincta, quî jam prædicatum hoc natura divina est improducta, verificabitur non ratione naturæ quod intendit Respondens? Tum quia si quæratur ex illo Metaphysico demonstrante improducibilitatem naturæ divinæ, tantumné agnoscit Personam in Deitate improductam, an etiam naturam? Responderet tanquam scientificus, naturam: nam non demonstratur Personalitas: si autem Metaphysicus scientificè, agnoscit naturam improductam divinam, cur recurritur ad Personam improductam? Tum quia hæc quæ dicitur demonstrari persona producta, non est subsistentia absoluta, quia non datur; nec illa subsistētia est persona apud illos, qui illam concedunt: non Personа Patris sub expresso conceptu Patris ut conceditur, quid ergò est? & quidem de quo habeatur scientia, seu notitia certa & evidens. Tum quia videtur hæc Responsio recedere à propria sententia: ante enim argumentum propositum dicebatur, quod verificativum hujus propositionis natura est improducta, sit Paternitas improducta; modo autem jam non respondetur per Paternitatem, sed per nescio quam personam improductam. Tum quia etiam posito quòd demonstret Metaphysica Personam Divinam improductam, licèt non sub conceptu expresso Paternitatis, redit Argumentum: an natura divina, prout prior ratione, præ illa persona producta, ab illa habeat rationem productæ formaliter. Quod argumentum vide loco citato in 1. Parte num. 138.

Contra III. Tum quia Nego naturam divinam pro illo priori tantùm esse radicaliter improductam, nam pro illo priori natura divina est formaliter natura divina: est enim formaliter quod est & supponitur: Ergò & formaliter est à se, adeoque formaliter improducta. Tum quia natura divina rationem naturæ divinæ formaliter, non accipit à Paternitate, vel si vis à formalitate personæ productæ, sed hæc ratio Naturæ divinæ, ante illam personalitatem præsupponitur. Ergò nec accipit rationem formaliter productæ. Ergò antecedenter est jam formaliter improducta, & non tantùm radicaliter. Tum quia in quonam stet hæc radicalis improducibilitas explicari non potest: non enim potest dici ideò esse radicaliter improductam, quia exigit identificari cum persona improducta: Dicam enim etiam esse radicaliter productam; quia exigit identificari cũ persona producta Verbi & Spiritus S. Tum quia nihil deest illi improducibilitati radicali, quominus sit improducibilitas formalis: certè enim antecedenter ad Paternitatem non intelligitur terminasse ullam productionem sui. Tum quia redit tota difficultas. Competit naturæ improducibilitas radicalis, Personalitati Verbi non competit: Ergò non recurrendo ad distinctum quid realiter, potest illa improducibilitas verificari de natura ipsa, consequentet etiam addito hoc termino, manet in integro argumentum. Proinde iteratò sic proponitur in terminis respondentis. Natura divina ut est prior ratione nostrâ, & distincta à Paternitate est improducta radicaliter: Ergò Deitas non à Paternitate dicit rationem improducibilitatis radicaliter.

Addo, Respondentem attendisse quidem ad hoc, an divina natura sit improducibilis antecedenter ad Paternitatem, sed non attendisse, quomodo possit à Paternitate sumere rationem improducibilis; quod tamen tanquam primarium illa ratio involvebat. Quod si Respondens nomine improducibilitatis formalis intelligat improducibilitatem personalem, hæc autẽ soli Paternitati competit; sed non deberet sola appellari improducibilitas formalis: cùm tam persona Patris, quàm natura nullam formaliter terminet productionem sui.

Confirm. Hæc omnia. Improductio radicalis competit naturæ divinæ, non competit filiationi realiter identificatæ, ostende quid tertium distinctum realiter, ratione cujus competat improductio radicalis. Nam à Paternitate habetur sola improductio formalis.

Punctum Difficultatis 2.

Restituuntur duæ Rationes pro eadem Conclusione.

II. Ratio est. Si Natura divina ratione identitatis cum Patre est improducibilis. Ergò pariter ratione identitatis cum Filio erit producibilis.

Respondet Idem. Disparitatem esse, quia cùm denominatio Producti necessariò dicat oppositionem relativam, ideoq; distinctionem realem immediatã producti à producente, à quâ oppositione præscindit denominatio producti, ut patet; hinc est, quòd natura divina, cùm

sit

sit quid idem immediatè cum producente & producto, capax est, ut à Paternitate denominetur improducta, non autem à Filiatione denominetur producta; sicut nec denominatur producens: ut enim denominetur aliquid tale vel tale, requiritur capacitas subjecti.

Contra est. Tum quia respondetur per hoc quod ipsum sequitur vi doctrinæ respondentis: Redit enim Argumentum: ideò natura divina est improducta quia identificatur realiter cum improducto. Ergò etiam ideò est relata, quia identificatur cum relato. Tum quia si aliunde non ostenditur impediri, natura, ne denominetur producta, ex eo non ostendetur, quia non est relata; nam facilè assumi potest etiam esse relatam cùm sit producta; est autem producta, quia identificatur producto distincto realiter in tertio, sicut est improducta, quia identificatur realiter improducto, distincto realiter in tertio. Et sicut si quis probaret simium esse rationalem; Respondens per hoc solùm, quia non est risibilis, non commodè responderet: facilè enim esset urgere hoc ipso quia est rationalis est risibilis, nec tu respondes cur non sit rationalis: ita & in præsenti, cùm probetur sequi etiam naturam divinam esse producibilem cùm identificetur producto, idque ideò quia ex eo est improducta quod identificetur improducto, recursus ad hoc quòd non sit relata natura divina non tenebit. Hinc si non solves aliunde cur non sit ex paritate rationis producta, per hoc non solves, quia est non relata: nam relatum sequitur necessariò ad productum. Tum quia quamvis improductum secundùm rationes communes spectatum, non dicat relationem, improductum tamen quod est Paternitas, est quid relatum, utpote identificatum virtualiter Paternitati, quæ est quid relatum: si autem illud improductum est relatum & ratione illius verificatur natura divina est improducta, non autem ratione alicujus communis rationis improducti, immeritò recurritur ad illam rationem improducti, de se non relatam: imò sequitur ex hoc principio etiam naturam divinam esse improductam relatè, quod est absurdum. Nego ergò patere, quòd ratio improducti à quâ denominatur per respondentem natura, non sit relativa. Tum quia non videtur esse recta hæc causalis, quam ponit Respondens. Cùm natura inquit divina, sit idem immediatè cum producente & producto, capax est, ut à Paternitate denominetur improducta: quid enim ad hoc facit identitas immediata cum producente & producto ut denominetur improducta? cùm potiùs ad id faciat identitas immediata cum improducto. Tum quia concedo ut aliquid denominetur tale requiri capacitatem subjecti, sed dico vi principiorum respondentis sequi; quòd natura divina sit capax relationis: nam identificari capaci relationis est esse capax relationis, & si per respondentem rectè colligitur capacem esse naturam divinam, ut sit improducta, quia est idem realiter cum improducta Paternitate, dicam etiam naturam divinam ex vi principiorum respondentis esse capacem ad referri cùm identificetur relato, esse capacem ad produci cùm identificetur producto.

Respicit hæc ratio id principium, quòd scil. causales tales sint adferendæ, quæ non inducant in errorem, inducunt autem in errorem, quando mutata materia, & retenta causali, falsum sequitur. Sic si quis interrogatus, quare calor dissolvat? Responderet, quia est qualitas unita: causalis illius in errorem induceret, quia mutatâ materiâ hoc est si procedat non de calore, sed de frigore, sequitur quod frigus dissolvat; idque ideò, quia etiam frigus positum in subjecto, est qualitas unita. Applica ad præsens, quæro quare natura divina est improducta, causalis est ab identificatione, quia identificatur improducto. Muto materiam improducti, in materiam producti, assumoque eandem causalem: Ergò etiam natura divina est producta: quia identificatur producto. En falsum, ex quo falso colligo priorem etiam causalem legitimam non esse.

III. Ratio est. Si distinctio virtualis reperitur inter ea, quæ in tertio realiter distinguuntur, cur non etiam inter ea, quæ realiter distincta inter se identificantur realiter in tertio, ut identificantur realiter Paternitas & Filiatio in natura.

Respondet Idem. Hoc ideò esse, quia distinctio virtualis intrinseca, est unius indivisibilis entitatis æquivalentia pluribus distinctis realiter: quæ autem in tertio distinguuntur sunt adhuc indivisibilis entitas: Paternitas autem & Filiatio quæ identificantur realiter in tertio, sunt plures relativæ entitates.

Contra. Tum quia illo loco solùm hoc intendimus. Sicut reperitur distinctio illa inter distincta realiter in tertio, ita reperiri etiam inter identificata in tertio. Et sicut dicunt oppositi fide sancitum esse dari ibi duas formalitates v. g. Paternitatem & essentiam realiter inter se identificatas, & dari tertiam formalitatem v.g Filiationem identificatam realiter cum essentia, distinctam realiter à Paternitate, quæ est tertia formalitas; ita Fide sancitum est dari ibi duas formalitates distinctas realiter Paternitatem & Filiationem, identificatas cum tertio, quod est essentia Divina: nec hoc negari potest, illudq; solùm inibi intenditur. Videturque sive assumatur quod tueturRespondens, sive assumatur quod importat ratio adlata, solùm ostendi subjectum, cui competit dicere distinctionem virtualem; non autem ostenditur universaliter, quare illa prædicata sine contradictione verificari possint. Tum quia redit argumentum etiam posita identificatione in tertio, salvabitur, quòd distinctio virtualis intrinseca, si unius indivisibilis entitatis æquivalentia pluribus distinctis

realiter: nam unumquodque eorum tertio identificatum, est indivisibilis entitatis, & tamen pluribus æquivalens. Tum quia virtualis distinctio, non tam est alietas quàm æquivalentia ad alietatem: Ergò ad exclusionem illius actualis alietatis, potest illa in Divinis peti ex identificatione in tertio.

IV. Ratio. Si per impossibile animal hominis ne quidem in sensu reali ratiocinaretur, sed tantùm rationale, tunc daretur inter istas formalitates distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica, sine ullâ distinctione reali in tertio.

Respondet Idem. In tali casu ficto, non futuram distinctionem virtualem inter animal hominis & rationale, perinde ac non datur distinctio eadem inter Hircum & Cercum in HircoCervo, alioquin casus qui ab arguente supponitur esse chimaricus, siquidem non esset chimæra de eodem verificari contradictoria physica.

Contra. Tum quia si quis ponat, si Leo per impossibile esset homo, ratiocinaretur, non rectè quis ei responderet, non ratiocinaretur, quia aliàs casus hic non esset chimærius, ratiocinari enim non est chimæra: Ergò nec præsens responsio rectè procedit. Tum quia casu objectionis posito, non daretur tunc quidem actu & absolutè distinctio virtualis, daretur tamen in suppositione illa impossibili, & conditionatè, nec dandam eo sensu, probatur ulla ratione. Tum quia etiam in Hirco & Cervo, si per impossibile daretur, & si per impossibile, ne in sensu quidem reali operatio hirci penderet ab esse Cervi, nego quòd tunc in suppositione hac, non sequeretur dandam conditionatè in illo hirco cervo distinctionem virtualem; licèt si tantùm supponatur hircocervus, nihil tunc sequatur de conditionatè ponenda in illo distinctione virtuali, quia suppositio impossibilis de hoc non formatur?

V. Ratio. Procedit quærendo ratione cujus tertii natura divina distinguatur virtualiter intrinsecè, à tribus personis simul sumptis, & ratione cujus tertii natura sit communis & non Paternitas.

Respondet Idem. Naturam à tribus personis simul sumptis distingui realiter in tertio prædicato, nempe tùm in una Persona seorsim sumpta, tum in duabus. Addit tertium ratione cujus natura est communis non debet esse commune: Nam profecto etiam in Creatis Natura humana est communis ratione Petreitatis, Pauleitatis, quæ non sunt quid commune.

Contra. Tum quia Argumentum procedit de natura comparata non ad unam personam, à qua distinguantur realiter duæ, nec procedit de natura comparata ad duas personas, à quibus distinguatur realiter una persona; sed procedit de natura, comparata ad omnes simul tres personas: non ergò fit satis intento argumenti: Redit enim sic. Dãtur contradictoria quæ verificantur in divinis, & nõ ratione alicujus tertii distincti realiter. quod ipsum prob. Nã natura est cõmune seu participabile quid per identitatem, personæ simul sumptæ, non sunt quid commune seu participabile per identitatem: Rogo ratione cujus tertii distincti realiter, verificatur illud prædicatum Natura est communis. Tum quia. Quod dicitur: Ideo esse naturam communem, quia identificatur non soli Patri sed etiam & Filio & Spiritui S. redit argumentum ratione cujus distincti realiter, verificatur hoc prædicatum: Natura potest identificari non tantùm sibi sed & Patri & Filio & Spiritui S. personalitates non possunt identificari, nisi unaquæque sibi: Addo si non est necesse hoc prædicatum producti quod est Filius, comparatum ad naturam improductam verificari ratione alicujus tertii, sed verificatur ratione identificati realiter, cur non & prædicatum improducti, verificari poterit ratione naturæ, non recurrendo ad quidquam distinctum? Tum quia immeritò dicitur naturam humanam esse communem ratione Petreitatis, Pauleitatis, quæ nõ sunt quid commune: Nam sicut si quis dicat album non esse album imperceptibile dicit; ita si quod est cõmune, esse dicatur non commune imperceptibile est. Deinde nego naturam humanam esse communem ratione Petreitatis, Pauleitatis: est enim id cui est cõmune, id autem cui aliquid est commune non debet esse cõmune, sed id quod est commune, cum sit id quod est, debet esse commune: Hinc natura humana ratione sui est communis per multiplicationem. Imò concedamus, quod tertium ratione cujus natura est communis non debeat esse commune, ostendatur tamen distinctum realiter in tribus personis, quod verificet hoc contradictorium Natura est communis, ut teneat doctrina assumpta de contradictoriis non verificabilibus nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio.

Redit ergò argumentum natura est communis, Personalitates simul etiam sumptæ non sunt communes. Natura est non relata, personalitates omnes sunt relatæ. Essentia divina non distinguitur virtualiter à natura, essentia divina distinguitur virtualiter à personis. Ostendatur ratione cujus distincti realiter in tertio, essentia habet, ne distinguatur virtualiter à natura.

Rursùs natura divina est improducta radicaliter, Personalitas Verbi non est improducta radicaliter, ostendatur quid sit distinctum realiter, ratione cujus competat illud prædicatum naturæ. Nec est hìc recurrere ad Paternitatem, quia loquimur de improductione radicali, quam non accipit à Paternitate, sed quæ præsupponitur Paternitati. Concedo quidem quòd commune per identitatem non debeat haberi ratione distincti realiter sed in Tuis principiis deberet haberi, quia in Tuis principiis commune &

non

non commune non possunt verificari nisi ratione distincti realiter, vel jam non erit Universale, contradictoria non verificari nisi de distinctis realiter saltem in tertio.

Confirmatur. Quærendo ratione cujus tertii Natura identificetur cum Filio & Spiritu S. non autem Paternitas.

Respondet idem. Hæc contradictoria esse formalissimè ipsam in tertio distinctionem realem Naturæ à Paternitate, ac proinde frustra requiri tertium ratione cujus hæc contradictoria verificentur de Natura & Paternitate, nequit enim distinctio realis in tertio dari sine tertio.

Contra. T. q. Accipio hoc ipsum. Nequit dari distinctio realis in tertio sine tertio; ostende ergo istud tertium distinctum realiter, quod dicitur identificari, etsi identificatur, hoc ipso non est distinctum realiter. Unde nego hæc contradictoria esse formalissimè ipsam in tertio distinctionem realem, cùm non ostendas istud tertium realiter distinctum. Tum quia magis adhuc urgebit Argumentum, quærendo ratione cujus tertii distincti realiter Natura identificetur, tres personæ, (tres pono non solùm Paternitatem) non identificentur. Tum quia salvo, salvo meliori, non debet unquam, & ullo modo dici, quod detur distinctio realis Naturæ à Paternitate; vel enim sequeretur multiplicitas Deitatis, quod est Politheismus, vel negatio Deitatis de Paternitate: Distincta enim realiter negantur de se. Et certè illa Deitas distincta realiter à Paternitate in tertio vel est eadem cum illa quæ identificatur cum Paternitate, vel non eadem: si eadem, quî identificatum realiter, idem alicubi distinguitur realiter: si non eadem, Ergo dantur plures Deitates, una non identificata, altera identificata, altera identificata Paternitati.

VI. Ratio. In opposita sententia sequitur, quod nullum prædicatum conveniat Naturæ Divinæ ratione sui, sed tantùm ratione Personarum.

Respondet idem. Esse omnipotentem, Sapientem &c. similia prædicata, quæ tam de Natura Divina dicuntur, quàm de omnibus Personis conveniunt Naturæ formaliter ratione sui, solumq; illa desumuntur ab aliqua Persona, vel Personis, quæ contradictoriè dicuntur de Natura, & de Persona vel de Personis, ut esse improductum, esse commune &c.

Contra. Tum quia. Si prædicata quæ tam de Natura quàm de omnibus Personis dicuntur conveniunt Naturæ ratione sui, Ergo & verificatio prædicatorum in illa materia contradictoriarum, conveniet Naturæ ratione sui, adeoque non ratione distincti realiter in tertio: cujus oppositum intendit respondens, adeoque si dicatur omnipotentia non est identificata virtualiter Personis (absoluta enim à relativis in Deo distinguuntur virtualiter) hæc contradictoria verificabitur ratione sui, seu Naturæ à qua est indistincta virtualiter Omnipotentia, adeoque non ratione alicujus distincti realiter. Et si esse omnipotentem non desumitur à Persona, etiam esse improductum in Natura non desumetur à Persona. Tum quia, illa solum prædicata desumuntur ab aliqua Persona, vel Personis, quæ contradictoriè dicuntur de Natura & de Persona vel Personis. Ergò improducibilitas in Natura. cùm tam competat Naturæ, quàm Personis ratione Naturæ, non desumetur ab improducta personalitate Patris. Tum quia, Redit sic Argumentum factum. Et imprimis suppono, etiam de absolutis prædicatis posse formari contradictorias propositiones, respectivè ad formalitates relativas, idque ex eo, quia ipsi ly *Est* potest contradictoriè opponi *Non*: Ergò & quibuscunque particularibus *Est* inclusis sub *Est* universali, potest opponi *Non*. Rursùs quia de facto duæ propositiones tales formari possunt, v.g. omnipotentia sequitur virtualitatem Naturæ, Omnipotentia non sequitur Virtualitatem Personæ, seu quod idem est indistinguitur Virtualiter Omnipotentia à Natura, distinguitur à Personalitatibus. Suppono deinde contradictoria non posse verificari in Divinis, nisi ratione distinctionis realis in tertio. Suppono 3. Hoc tertium distinctum esse Personalitates. His suppositis: Reassumitur Argumentum, nullum contradictorium prædicatum convenit Naturæ Divinæ salvabile ratione sui, cum illa non sit quid distinctum realiter in Divinis. Ergo salvabitur contradictio ratione personarum, quæ in Divinis sunt & quidem solæ, distinctè realiter. Rursùs ipsa ratio Naturæ Divinæ quæ est aseitas seu improducibilitas non salvatur ratione sui sed ratione Personæ Patris improductæ: Ergo & inclusa in Natura cum identificatione Virtuali non salvabuntur ratione sui, sed ratione personæ vel personarum.

Antequam hæc & alia argumenta proposuissem in prima parte consului viros doctos, erat enim hæc sententia primùm à me impugnanda, inter quos, Patrem Danielem Pavvlovvski, Collegam meum olim, & nunc Theologiæ Cracoviæ Professorem, Virum in humanioribus ingeniosissimum, & in speculativis acutissimum, & quia censuit ille; cum aliis, argumenta à me proposita, benè urgere, hinc etiam in præsenti fidenter ea restauravi.

Punctum Difficultatis 3.

Adduntur aliqua & notantur.

Addenda hîc sunt aliqua pensando mentem Cujusdam.

Ponit I. Quòd distinctio Virtualis intrinseca consistat in eo, ut Ens aliquod in se unum

realiter sit nihilominus potens verificare prædicata contradictoria. *Hoc positum*

Non Satisfacit. Quia supponit ille dari in Divinis distinctionem istam Virtualem intrinsecam, & tamen & illic non datur verificatio, formaliter contradictoriorum, quæ appellatur in I. Parte proportionata affirmatio & negatio: Hinc etiam in Divinis non potest verificari hæc formalis contradictoria, Natura communicatur, natura non communicatur, Paternitas non communicatur Paternitas communicatur. Et Ratio est, quia si vel semel verificaretur contradictoria formalis, falsificaretur principium lumine naturæ notum: Quodlibet est aut non est: Imò ulterius si verificarentur duo contradictoria formaliter non quodlibet esset aut non esset, sed esset & non esset, esset quia affirmaretur, non esset quia negaretur. Unde quando dicitur, Natura communicatur, Paternitas non communicatur, ly quidem communicatur & non communicatur sunt contradictoria formaliter, sed Natura communicatur, Paternitas non communicatur, non sunt contradictoria formaliter, quia non procedunt ratione ejusdem, idque suppositâ aliunde distinctione virtuali. Si tamen hæc duo natura communicatur, Paternitas non communicatur dicerentur de objecto creato, essent formaliter contradictoria? quia supposito quod illic non sit distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica, & primò intentionalia, ratione ejusdem diceretur communicatur, & non communicatur, adeoq; jam foret formalis contradictio. Quod si etiam in Divinis non datur verificatio contradictoriorum formaliter, immeritò sine ullo addito explicatur distinctio virtualis per istam convenientiam prædicatorum contradictoriorum.

Ponit II. Quòd asseratur hæc distinctio virtualis intrinseca in Divinis à plerisque: idq; eo, quia Personalitas Patris æterni identificatur realiter cum Naturâ Divinâ, nihilominus de hac Naturâ affirmabilis est à parte rei Personalitas Verbi, quæ eadem personalitas Verbi, negatur de Personalitate Patris. *Hoc positum*

Non Satisfacit. Quia quamvis in hoc Mysterio difficultates sint connexæ, ut dum considerando Patrem enuncio Natura communicatur, Paternitas identificata naturæ non communicatur. Item Personalitas Filii est idem cum Natura Patris, Personalitas Filii non est eadem cum Personalitate Patris, id tamen ad quod inventa est distinctio virtualis (voca illam nunc intrinsecam) non est, ad salvandum, cur negari de se possint ipsæ Personæ: hoc enim oritur ex distinctione non virtuali, sed reali earundem inter se: sed quod distinctione virtuali salvari debet, est circa formalitates inter se non distinctas realiter, qualis est Natura & Personalitates. Unde si quæratur cur Paternitas & Filiatio distinguantur in Natura; non est necesse recurrere ad distinctionem virtualem: sed satisfit dicendo quia Paternitas & Filiatio distinguantur inter se realiter, non distinguuntur autem realiter à natura. Si autem quæratur, quare Natura est communis Paternitas non est communis, fiatque quæstio inter terminos non distinctos realiter, tum primum recurri debet ad distinctionem virtualem. Fundaturque ulteriùs in hoc istud assumptum: Quia de distinctione virtuali discurrendum est inter terminos, secundùm quod identificatos realiter: Jam autem Natura quidem & Personalitas sunt termini identificati realiter, in illisque recurritur ad distinctionem virtualem; non autem inter terminos non identificatos realiter qualis est Paternitas & Filiatio. Si tamen de personis distinctis realiter instituatur quæstio reducta ad terminos identificationis, tum primùm recurretur ad distinctionem virtualem: quia illa procedit, semper inter terminos identificatos realiter. Unde si quæratur, quare Paternitas identificatur cum Natura, non identificatur autem cum Filiatione? Responderi potest; quia sunt unum in natura, ideoque identificantur in Natura, personis autem distinguuntur realiter, adeoque in illis non identificantur realiter. Ubi ut vides, quia quæstio instituta de terminis non identificatis inter se, ideò nec responsio datur per recursum ad distinctionem virtualem: Si autem redigas quæstionem ad terminos identitatem realem importantes v.g. cur potest natura esse communis, & non Paternitas, cùm sint inter se idem, redigitur jam quæstio ad terminos identitatem importantes, ideò & responsio fiet per distinctionem virtualem; quia scilicet inter se distinguuntur virtualiter Natura & Paternitas. Jam autem præsens Positum, non videtur clarè hæc duo distinguere.

Ponit III. Ex mente Oviedi, quod sint severè reprehendendi, qui hanc distinctionem divina humanis confundentes transtulêre ad creata, tandemque addit. Distinctionem virtualem extrinsecam dari in in Creatis. *Hoc Positum*

Non Satisfacit. Quia non recitantur Auctores, qui similem distinctionem in Creatis posuerint, ut datur inter Naturam & Personalitatem divinam, adeoque qui agnoverint Mysterium Trinitatis in Creatis. Quod autem admittit indiscriminatim distinctionem virtualem in ordine ad prædicata extrinseca, indiget limitatione. Certè enim dextrum & sinistrum sunt prædicata extrinseca, numquidne idem ratione ejusdem potest esse dextrum & non dextrum. Relatio Paternitatis creatæ v. g. agnoscitur à Scotistis extrinsecùs adveniens, numquidne idem potest esse Pater & non Pater?

Notantur Quædam.

Noto I. Circa responsionem ad secundum: (eo enim loco positum est hoc argumentum

tum à respondente) Agnosci à respondente præter improductum personale, improductum commune omnibus tribus; quæ tamen divisio, cùm perneccssaria fuerit, nullibi attacta est. Cum autem nunc agnoscatur, & agnosci debeat tanquam articulus fidei, quærere restat, id quod erat hujus argumenti intentum: Ratione cujus distincti realiter in tertio, verificetur hoc de natura? sic enim formo propositionem: Improductio Naturæ est improductum commune omnibus tribus personis. Improductio Paternitatis, non est improductum commune omnibus tribus personis. Quærereque restat, hoc, quod tot argumentis quæsitum: Ratione cujus distincti realiter in tertio, verificetur hoc prædictum, Natura Divina est improductum commune omnibus tribus personis?

Rursus. Si datur improductum commune omnibus tribus personis, quod appellat respondens Improductum Radicale, qualis erit illa causalis (nam abstineo à censura) ideo naturam esse improductam, quia persona Patris est producta. Nam si illa vera esset, solus Pater esset Deus, quia ille solus verificaret rationem producti, rationem Entis à se, adeoque rationem Naturæ Divinæ.

Addo. Licèt antecessio illa, quâ Natura, ratione quædam cogitatur antecedere Paternitatem, sit quid secundo-intentionale; cæterum quòd Natura sit improductum commune omnibus tribus personis, & quòd sit improductum Radicale, non est prædicatum secundo-intentionale, sed primo-intentionale, & independenter à nostris conceptibus verum: & de hoc iterato quæritur: Ratione cujus tertii distincti realiter verificetur? Quanquam dum nostrum argumentum evincebat: Dari antecessionem Naturæ ante Paternitatem, hoc solùm intendebat: Si antecedit Natura per rationem Paternitatem, proque illo priori convenit illi formalitas improductæ, ergò non à Paternitate habet rationem producta. Falsa ergo est illa causalis: ideo natura Divina est producta, quia Paternitas est producta. Deinde non satis intelligitur, nec Catholicè intelligi potest illa propositio: Oppositum contradictoriè prædicatum dicit de Filio, nempe non esse improductum radicaliter; si enim de Filio dicitur, quòd sit Natura Divina, dici debet, quod sit improductum radicaliter. Explicari ergo debet hæc propositio. Quodsi intelligat respondens sub dicta phrasi Virtualitatem producti radicalis, non esse virtualiter Virtualitatem productæ Filiationis, vera erit doctrina; sed restat ostendendum: Ratione cujus distincti realiter, verificetur de natura ly improductum radicaliter; cum hoc ipsum non verificetur, de Filiationis virtualitate. Denique quod dicit respondens improductum quod datur in Filio per identitatem esse commune, de quo producto non agitur, quod inquam dicit, hoc ipsum planè est in quæstione, de hocq; ipso agitur; nempe ratione cujus distincti realiter in tertio conveniat hoc prædicatum Naturæ, esse improductum commune omnibus tribus.

Sed quid de illa phrasi sentiendum, Natura ut existens in Filio, habet existentiam in Patre; ideo adhuc in Filio constituitur in ratione producti, quasi ex obliquo per Paternitatem, quamvis hæc non sit per identitatem in Filio? certè cum jam agnoverit respondens improductum commune omnibus tribus, condistinctum ab producto personali; poterat, & debebat, in hac ratione producti communis salvando, recurrere, non ad obliquum Paternitatis, quæ est improductum personale, sed ad improductum commune, quod improductum commune, est per identitatem in Filio. Videtur ergo quoad vocem concedi improductum commune, non quoad rem, cum in illo salvando, recurratur iteratò ad Paternitatem.

Manet ergo insolutum argumentum: nempe dari improductum commune omnibus tribus personis, cujus verificativum non potest esse aliquid distinctum realiter in tertio, quod sit commune omnibus tribus personis; adeoq; falsam esse celebrem illam causalem: Ideo natura Divina est producta, & quidem nemine cogitante, quia Paternitas est producta. Consequenter poterat respondens non dicere, quod argumenta non premant.

Noto II. Circa responsionem ad tertium argumentum, Concedo, quod productum ex suo conceptu sit relativum; sed quærere restat; Cur conceptus hic relativus, non competet Naturæ Divinæ ratione Filiationis productæ? Concedo, quod esse improductum non sit relativum, sed quære restat: Cur sicut ex identificatione Naturæ cum Paternitate, habeatur in Natura ratio producti, quæ non est Relativa, cur inquam, non habeatur etiam ratio producti in Filio, quæ est producta. Quærere item restat est ideo capax Deitas, per te, improductionis, quia identificatur cum Paternitate, etsi aliunde habet hanc capacitatem improductionis. Falsa erit prædicta Causalis. Ergò, quod non concedes, debebit etiam esse capax distinctionis realis à producente, ratione productæ Filiationis: ideo enim, per te, est capax Natura Divina improductionis formalis, quia identificatur Paternitati. Ergò etiam erit capax productionis formalis, quia est identificata productæ Filiationi.

Quod autem dicitur hoc totum negari; Omnes Catholici debemus fateri, Deitatem identificari alicui prædicato, v. g. Generat, non tamen esse capacem, ut ab illo prædicato formaliter denominetur Generans. Concedo enim, quod omnes Catholici negemus Naturam denominari Generantem, quia identificatur Generanti, eò quod supponamus hanc majorem:

Prædicata

Prædicata competentia personalitatibus, non competere Naturæ, salvâ identitate reali. Sed hanc majorem destruxit respondens, dum docuit, Prædicatum improducti competere Naturæ, ratione nempè Paternitatis. Concedo, quòd postulet Conditio Deitatis, ut identificetur tribus omnibus personis. Sed ex responsione sequitur: posse illam, idque in istis principiis, denominari productam: redit enim paritas: potest denominari improducta, esseque improductionis capax, quia identificatur Paternitati. Ergo etiam erit capax, ut denominetur producta, jam enim respondens destruxit illam majorem: Prædicata à Relativis oriunda, non competunt Naturæ, cæteroqui identificatæ.

Rursus. Concedo, quòd v. g. Gratia habitualis denominet Christum Sanctum, non denominet Filium Dei Adoptivum, cum utroque hoc modo denominet hominem: quia nulla assumpta est major, vi cujus sequatur, hanc denominationem debere competere etiam Christo, etsi assumeretur, etiam de Christo verum foret, quòd esset etiam filius adoptivus; hinc si aliquis hanc causalem poneret: ideo aliquis est filius adoptivus, quia habet gratiam creatam, sequeretur, sed falsò, quòd sit etiam Christus Filius Adoptivus. Ergo cùm assumpserit respondens hanc causalem: ideo Naturam Divinam esse improductam, quia identificatur Paternitati improductæ, sequetur Naturam Divinam esse productam, cùm identificetur Filiationi productæ; causales enim mutato subjecto semper tenent. Deinde concedo, quod improductum ex principiis fidei, possit identificari immediatè tàm producenti quàm producto; sed quærere restat: cur sicut habetur improductum, identificatum cum producente ratione identificationis cum improducto, ita non habetur ratio producti, ob identificationem cum producto? Denique quòd dicit respondens, immeritò sibi objici, quòd data sit ab illo causalis quæ inducat in errorem: non enim inquit, ideo præcisè diximus Deitatem esse improductam, quia identificatur Patri improducto, sed quia etiam est capax hujus denominationis; ex hac autem causali non sequitur hic error. Sed certè revolvantur scripta auctoris primitus edita, an non hæc sola causalis sit ab illo data: ideo Naturam Divinam esse improductam, quia Paternitas est improducta, ex qua causali sine illo addito, cùm sequatur error, meritò dictum est, quod illa causalis inducat in errorem: de illa etiam subjecti capacitate, dicetur infra.

Manet ergo insolutum argumentum, quòd scilicet ex prædicta causali sequatur: etiam Naturam Divinam esse improductam.

Continuantur Notata.

Noto III. Circa responsionem ad quartum quærit scilicet, argumentum nostrum: Ratione cujus tertii Natura in sensu reali (supponit indubiè respondens, etiam in sensu formalissimo) sit communis? quod enim dicit ratione cujuslibet personæ seorsim esse communem, certè id maxima moderatione indiget; nam est de fide, quamlibet personam seorsim nec una duas, nec una tres, esse quid commune; quomodo ergo ratio communis, habebitur ab illis? Deinde quod dicit respondens, tertium illud, non esse quid commune; quia potest sumi denominatio ab aliquo non participante similem denominationem; sic enim homo dicitur mortalis ab unione, quæ ipsa non est mortalis, & filius Dei à gratia, quæ ipsa non est filia Dei; id etiam non convincit. Quia quæcunq; regula detur, quod interdum possit sumi denominatio ab aliquo non participante similem denominationem, interdum etiam debeat sumi à participante, ut v. g. non potest aliquid denominari album, nisi ab albedine, & non à nigredine, nec rationale, nisi à rationali; eadem probabit rationem communis in Natura, debere desumi ab aliquo, quod ipsum sit commune. Est autem de fide, non dari commune ullum in Trinitate, quod sit realiter distinctum. Deinde quæro directè: Daturne in Divinis aliquid commune de se vel non datur? si non datur; ut quid tota retro antiquitas docuit sine addito: Naturam Divinam esse communem? si datur, ut quid recurritur in salvando hoc prædicato, ad id quod non est in se commune, videtur ergo quoad vocem concedi istam communitatem, in re negari, cùm in illa salvanda, recurratur ad aliquid non commune. Et si non datur aliquid commune, ratione cujus salvetur hæc contradictoria: Natura est communis, Persona non est communis, Ergo falsa positio respondentis est; Contradictoria primo intentionalia, salvari in divinis, ratione alicujus distincti realiter in tertio. Illud autem additum: denominatio communis in creatis physicè loquendo sumitur non ab aliquo communi, sed à singularibus, nullo pacto hic salva fide applicari potest. Quia communitas physica, est per plurificationem realem, communitas autem Naturæ Divinæ, est communitas per identitatem. Quærere ergo restabit: Natura Divina est communis per identitatem, nulla persona Divina est communis per identitatem, ratione ergo cujus distincti realiter in tertio, habetur illa communitas: & sicut ratio improducti competens Naturæ, habetur ratione alicujus distincti realiter in tertio improducti, ita ratio communis debebit etiam dari ex aliquo communi distincto realiter in tertio, quod de fide est, non dari. Deinde mortalitas in re est separabilitas formæ & materiæ unitarum. Detur ergo aliquid, quod in re sit commune omnibus.

Rursus. Quòd dicit si accipiatur Deitas seorsim, & seorsim tres simul personæ, Deitatem sic sumptam, à tribus personis distingui in tertio,

non

non formaliter sed exigitivè, quatenus adhuc in illo statu præcisionis exigit identificari realiter cum qualibet seorsim persona, atq; in hac tanquam in tertio distingui realiter à Trinitate personarum, quod inquam dicit, explicare ulterius deberet respondens. Quia cum in Trinitate nihil sit nisi Deitas, & tres personæ; quomodo assumptis simul tribus personis distinguetur in tertio etiam exigitivè cum de fide sit, præter Deitatem exigitivam, & tres personas simul sumptas, nihil ultra esse, de fideque sit, istam Deitatem, non esse distinctam realiter à personis. Concedo, quod natura exigat identificari realiter cum qualibet persona seorsim sumpta; sed de fide est, præter naturam ita exigitivam, & præter personas simul sumptas nihil ultra haberi, nec istam Deitatem esse distinctam realiter. Non ergo habetur distinctum quid realiter tertium verificativum; cumque argumentum assumat unà omnes tres personas, non licebit ad unam vel duas personas recurrere, cùm de illis ipsis jam inclusis, procedat argumentum.

Addo. Quid sentiendum est de illa propositione respondentis. Quamvis, inquit, oppositum competat tribus personis simul sumptis à natura prævisis, quæ scilicet non exigunt non distingui in tertio à Trinitate, hæc tamen opposita prædicata salvari possunt per distinctionem rationis, ita, sicut salvantur hæc prædicata opposita: Animal hominis secundùm se non exigit esse in homine, rationale exigit, quid inquam, sentiendum sit? & dico desiderari, ut explicitè nominentur contradictoria, quæ admittit respondens, non exigere, ut distinguantur in tertio à Trinitate. Si enim sint prædicata, quæ non opposuit argumentum, superfluet dicta responsio; sed si sint prædicata de quibus hic agitur, v. g. Natura est communis, Personæ simul sumptæ non sunt quid commune, si inquam dicitur habebitur intentum: Nam & Natura, & simultas trium personarum est nemine cogitante: hinc, si non ostenditur, in quo tertio Natura sit communis, & cæteroqui prædicta prædicata conveniunt nemine cogitante Deitati, hoc ipso evincitur non ratione alicujus tertii, illa verificari. Ut autem jam supra dixi, antecessio Naturæ ad personalitates, hæc est per præcisionem, sed quòd Natura sit communis, personæ omnes non sunt communes, id non habetur ex statu præcisionis. Exemplum allatum non habet verificationem contradictoriorum, nisi contineat falsificantes propositiones: Certè enim animal hominis, secundùm quod est animal hominis, æque exigit esse hominis, ac exigit rationale; falsa ergo est negativa. Dixi: nisi contineat terminos se falsificantes; nam si animal hominis in una propositione accipiatur secundum se, seu in suppositione simplici, & in alia propositione sumatur in suppositione personali. Sic quidem verificabuntur dictæ propositiones sed per terminos falsificantes. Sine ulla autem falsificatione verum est: Natura Divina est communis, personalitates non sunt communes.

Manet ergo solvendum hoc argumentum: Tres personæ simul sumptæ non sunt quid commune; Natura est quid commune, ratione cujus tertii distincti realiter verificetur, quòd natura sit quid commune?

Noto IV. Circa responsionem ad instantias. Quod scilicet, si sumatur Natura ex una parte, & tres personæ simul sumptæ ex altera, tertium prædicatum non sit una persona vel duæ, nam hæc una persona vel duæ, sunt aliud istud extremum, positum in altera parte contradictionis; & sicut, quando verificatur quod filiatio sit producta, Natura non sit producta, recurritur ad tertium non inclusum in comparatione; ita & quando dicitur: quòd tres personæ non sint quid commune, Natura verò communis, recurri debet ad tertium non inclusum in personis; & si salvâ fide illud tertium ostendi non potest, hoc ipso falsum est, prædicta verificari à ratione distincti in tertio: recursusq; ad unam vel duas personas non satisfacit intento argumenti. Et certè, quando competit Naturæ compositæ ex corpore & anima rationali esse corruptibile, habetur id ratione corruptibilis Unionis; ita deberet ostendi aliquid commune tertium distinctum realiter, cui competat esse quid commune.

Quod inibi discurrit respondens de communitate Naturæ, de hoc nolo discurrere; hîc enim ea tantùm examino, in quibus agitur de articulo fidei; est autem Articulus Fidei: non esse ita communem Naturam tribus personis, ut est commune v. g. Animal homini & bovi.

Rursus Quæsivit argumentum Ratione cujus tertii Natura identificetur filio, non autem Paternitas? responsum est: Ratione Filii & Spiritûs Sancti, in quibus videlicet, tanquam in tertio natura discrepat tum à Paternitate tum à Trinitate. Sed hîc ego quæro, de identificatione, quomodo scilicet jus identificandi habeatur ratione Filii & Spiritûs Sancti, cum hæc non identificentur cum Paternitate; non autem de Discrepantia Personarum. De distinctione Naturæ Divinæ ratione Paternitatis à Filiatione, eaque reali mediata. Infra videbit sermo, quam distinctionem, hîc admittit respondens.

Manet ergo insolutum argumentum. Natura potest identificari: nec potest ostendi ratione cujus tertii distincti realiter, verificetur illa identificabilitas.

Restaurantur alia argumenta.

Noto V. Circa responsionem ad quintum: Ly omnipotentem, inquit, non dici contradictoriè de Natura & personis; secus autem ly esse distin-

distinctum virtualiter à personis, quod dicitur de Natura & negatur de Personis, hæc sunt verba respondentis. Redit enim argumentum: Ratione sui competit Naturæ esse omnipotentem, ergo & esse improducibilem: quod si conceditur totum, ergo non erit recurrere necesse ad improductam personalitatem, quæ sit distinctum realiter tertium, adeoque falsa erit respondentis assumptio: Ideo verum est, Naturam esse improductam, quia personalitas est producta. Nec video cur ita irrestrictè negetur: Omnipotentiam non dici contradictorie de Natura & personis, revera enim dicitur contradictorie, sic: Omnipotentia est communis Paternitas non est quid commune, ergo per respondentem debet esse falsum quod omnipotentia non dicitur contradictorie de personis. Immò cum omnipotentia indistinguatur virtualiter à Natura, sicut Natura dicitur contradictorie de Paternitate, ita identificata illi etiam virtualiter omnipotentia contradictorie dicitur.

Noto VI. Circa responsionem ad sextum. Ad illud, quod dicitur: quod in istis propositionibus: Essentia non generat filius non generat, si alietas significans distinctionem mediatam inter essentiam & filium, ad illud, inquam, quod dicitur opponere restabit; quod argumentum non quærat de distinctione mediata, sed de hoc; quòd scilicet, aliud sit: Filium non generare, & aliud, essentiam non generare: quærereque restabit, à quo distincto realiter habeatur essentia non generat; quod enim filius non generet sequitur illius personam; sicut quod Spiritus Sanctus non generet, sequitur ipsius personam, quod autem essentia non generet sequitur Naturam; adeoque, est non generare quoddam, sequens duas personas, aliud non generare sequens Naturam, & de hoc quæritur, à quonam distincto realiter tertio habeatur?

Rursus. Si verum est, Naturam prout est in filio non distingui realiter à Natura prout est in Patre. Ergo falsum est distingui eam realiter in tertio, hoc est in Patre, quod contra responsionem & intentum arguentis directe procedit.

Noto VII. Circa responsionem ad septimum: Assumere nos ex una parte, quamvis foret per impossibile, una persona, posse illam uniri non unita Natura immediatè; hoc enim non implicat: ex alia parte petitur à respondente principium, ex eo immediatè uniendam etiam Naturam, quia tunc non includeretur ulla distinctio realis, nego enim includi illam debere.

Rursus. Casu quo tres personæ unirentur immediatè, non autem Natura, non posset dici Natura non unita ratione cujuslibet seorsim personæ, defacto enim omnes essent unitæ; quod ergo esset tertium, ratione cujus diceretur non unita? sicut si omnes essent Albi, ratione cujus diceretur illa Collectio non Alborum?

Noto VIII. Non explicuisse respondentem: Cur, si aliter distinguitur Natura à Filio, & Pater à Filio, & cum hæc distinctio Naturæ à Filio habeatur ratione Paternitatis, cur inquam, non habeatur, quod non æqualiter distinguantur virtualiter Deitas & Paternitas. An autem æqualiter distinguantur Res & Modus, de hoc in Philosophia; hîc autem premuntur principia fidei. Est quidem verum, quod eadem sit via Thebas Athenis, & Athenas Thebis; quia hæc distinctio in nullo ostendi potest in ipsamet via; hîc autem ostenditur alietas modi distinctionis cur non inferet, quod non æqualiter distinguantur virtualiter Deitas & Paternitas.

Noto IX. Circa responsionem ad nonum. Argumentum quæsivisse non de phrasi, sed quæsivisse de ipsa re.

Rursus. Si respondens dicit se non abjicere phrases à Theologis receptas; commodiùs feciset, si illam non formasset propositionem sine ulla restrictione: ideo Natura Divina non producitur, quia Paternitas non producitur; item si illam propositionem non formasset: Natura divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à Filiatione. In Materia de distinctione Distinctionis Virtualis negatum est definitive illam esse æquivalentiam salvativam prædicatorum contradictoriorum. Assumpserat etiam argumentum, quod si per impossibile, ne in sensu quidem reali, discurreret Animal in homine, esset tunc Distinctio Virtualis, qualis in Divinis, & tamen sine ulla distinctione reali in tertio. Ad quod respondetur: fore tunc distinctionem intrinsecam ob verificationem contradictoriorum; ex alia parte non fore; quia alioqui tale animal esset possibile; siquidem possibile est verificari contradictoria physica de distincto virtualiter intrinsecè. Hanc responsionem censerem enucleandam esse; si enim Distinctio Virtualis potest haberi, ob verificationem contradictoriorum, non ostenso ullo distinctio realiter in tertio, quamvis in suppositione impossibili, sed non tollente se ipsam. Ergo falsa est illa major: ideo verificari duo contradictoria, quia est distinctio realis in tertio. Sed quid sibi vult illa positio: fore jam tale Animal possibile, siquidem, inquit, possibile est, verificari contradictoria physica de distinctis virtualiter intrinsecè; quæro enim quomodo ex suppositione impossibili potest inferri rei possibilitas.

Denique si distinctio virtualis est æquivalentia pluribus in ordine ad verificanda contradictoria primo-intentionalia, concedo hoc ipsum esse, suo modo in re distingui realiter in tertio, sed ita, ut in re sit identitas in tertio distinctorũ realiter, & ita ut non sit salvativa prædicatorum contradictoriorum illa alietas in tertio.

Argu-

Argumenta ex Articulis Fidei colliguntur.

JUvat in compendium redigere argumenta, quorum, tanquam ex articulis fidei desumptorum, quærebatur solutio, quæ non est allata, immò nec intento argumenti responsum.

Primum ARGUMENTUM ex hoc principio fidei deducitur: Præter improductum personale, de fide est, dari improductum commune omnibus tribus personis. Ergò non ideo natura divina est improducta, quia Paternitas divina est improducta. Recursus ad hoc quod natura divina sit exigitivè improducta, non solvit argumentum; redit enim sic: Præter improductum personale, datur improductum commune omnibus tribus personis exigitivè improductum. Ergò non ideo natura divina est improducta exigitiva, quia Paternitas est improducta; nec potest ostendi, quid sit istud distinctum realiter tertium, ratione cujus competat naturæ esse improductum commune & exigitivum. Recolantur dicta, & pensiculate ad singula respondeatur. Ille etiam recursus, quod natura sit capax subjectum ut sit improducta, nullo modo hîc tenet.

Secundum ARGUMENTUM ex alio principio fidei. Natura non est distincta realiter, sed commune quid per identitatem Tribus Personis. Ergò non ratione alicujus distincti realiter natura est communis omnibus tribus Personis. Personæ non sunt commune quid, seu quod idem est. Natura est quid commune per identitatem Personæ simul sumptæ, non sunt quid commune per identitatem, nec potest ostendi aliquid tertium distinctum realiter, ratione cujus competat illi esse commune omnibus tribus Personis? quod enim? Ergò falsum est, hoc prædicatum: Natura est communis, contradictoriè oppositum per Respondentem, huic prædicato personalitates non sunt quid commune, salvari ratione alicujus distincti realiter in tertio. Item est de fide: quòd sola Relatio multiplicet Trinitatem, & quòd solæ Personæ distinctionem realem in Trinitate imbibant in se, ergò cum non detur aut relativum, aut persona communis omnibus tribus Personis distincta realiter, falsum erit naturam divinam esse communem omnibus tribus Personis, ratione alicujus distincti realiter. Ergò falsum est: Omnem contradictoriam veram, nemine cogitante (ut est prædicta vera) salvari in divinis, ratione distinctionis realis in tertio. Recursus ad duas Personas vel unam non tenet; quia illæ ipsæ sunt alterum extremum, de quo prædicatum contradictorium formatum; non ergò licebit ex altero illo extremo, tertium commune connumerare; cùm illud tertium contineatur in altero extremo: & sicut quis male ex duobus numeraret tria, iterato repetendo numerum aliàs positum; ita & male assignabitur una vel duæ personæ, cum una vel duæ personæ, sint inclusæ in altero extremo.

Eò revoca & illud argumentum, quod inquirit, ratione cujus distincti realiter in tertio habeatur hoc, quod natura sit identificabilis, personæ non identificabiles.

Tertium ARGUMENTUM ex hoc principio fidei: Natura non est producta, filiatio est producta, & tamen deberet esse producta, quia si Paternitas habet jus, ut transfundat in naturam rationem improducti, cur filiatio non habebit jus transfundendi rationem productæ. Concedo, quod inter producens & productum debeat esse distinctio realis, non autem inter improductum & aliud improductum; sed quærere restat, si ex identificatione cum improducto, imbibit natura divina rationem formaliter improducti; cur non imbibet etiam rationem producti; ita ut in filiatione jam non maneat producta, cùm filiatio ipsa sit producta: Cur item si ex identificatione cum improducto salvatur ejus improductio, capacitasque hujus prædicati. Ergò & capacitas hujus prædicati productum, salvabitur per filiationem productam. Præcipuè cum natura causalium sit, ut mutato subjecto, seu materia de quocunque teneant; sic v. g. Hæc duo ligna sunt æqualia, quia huic sunt commensurabilia. Ergò & duo sericea vela sunt æqualia, quia huic sunt commensurabilia. Applica ad præsens. Ergò etiam si verum est: Ideo natura est improducta, quia identificatur Paternitati improductæ, verum etiam erit commutatis terminis: Ideo naturam esse productam, quia identificatur productæ filiationi.

Quartùm ARGUMENTUM est de fide, Deum esse Unum in essentia, Trinum in Personis. Ergò non datur distinctio realis mediata naturæ ratione Personarum. Est de fide, non esse tres Deos, sed Unum; ex quo principio fidei sic restauratur argumentum: Si natura divina distingueretur realiter immediatè, darentur tres Dii immediatè. Ergò & cùm detur mediata distinctio, ejusdem naturæ realis in tertio, dabuntur tres Dii mediatè, ratione tertii. Sed de hoc infrà.

Quintum ARGUMENTUM Est de fide. Naturam divinam non generare. Ergò non potest dici, quod mediatè ratione filiationis generet.

Quid sentiendum de illa propositione?

NOn solùm ideo natura divina est improducta, quia identificatur Paternitati, quæ est improducta, sed quia etiam de se est capax istius prædicati: Improducta.

Contra I. Ex argumentis, quæ & in prima parte, & hîc posita sunt, & ex confessione ipsius respondentis habitum est, falsam esse sub his terminis & erroneam illam causalem: Ideo naturam Divinam esse improductam, quia Paternitas est improducta; Cum ergò respondens in his terminis talem causalem in suis principiis primò posuerit, falsa illa & erronea erit.

Secundò. Si natura de se est capax prædicati *Improductum*, ita ut id non habeat præcisè ratione Paternitatis. Ergò etiam de se erit verificativa istius prædicati: Improductum, & non habebit hoc præcisè ratione Paternitatis, seu distinctionis realis in tertio.

Tertiò. Cùm per respondentem, nulla sit immediata alietas inter naturam & filiationem productam, inferet bene Ethnicus immediatè illam esse productam, quidquid sit, an mediatè dicatur improducta.

Quartò. Vel admittit Respondens hanc Majorem: Identificata realiter in divinis, quorum unum est absolutum, aliud relativum, possunt sibi non communicare prædicata ad invicem, vel non admittit? Si admittit? Ad quid erit recursus faciendus ad distinctionem realem in tertio. Si non admittit? Ergò poterit non solum identificata Paternitas communicare naturæ prædicatum improductæ, sed etiam poterit & filiatio communicare naturæ prædicatum productæ.

Quintò. Formentur hæ contradictoriæ: Natura est capax de se identificari producto & improducto. Personalitas non est capax identificari producto & improducto. Prior illa pars vel verificabitur ratione distinctionis realis in tertio? Si ratione distinctionis realis in tertio, Ergò & est capax de se, ut supponitur, & non est de se capax, quia illud non est de se capax; quod de se non verificat, quòd de se sit capax. Quærereque restabit, quòd sit istud distinctum realiter tertium, ratione cujus habet natura, ut de se sit capax identificationis producto & improducto? Si autem id habetur non ratione distinctionis realis in tertio, etiam aliæ verificationes in simili non habebuntur à distinctione reali in tertio.

Sextò. Rursùs posset dicere Filiatio; quare ego sum infelix ita identificor naturæ, sicut & Paternitas; Omnia mihi dedit Pater exceptâ Paternitate; & tamen Paternitas communicat sibi proprium prædicatum improducibilitatis, ego non communico, nec vim hanc habeo producibilitatis communicandæ, etsi natura, in tertio prædicato, quod est filiatio, distinguitur ratione illius realiter à Paternitate, cur ratione tertii prædicati, quod est Filiatio, non participabit natura rationem productæ.

Septimò. Accipio istum terminum: Natura de se est capax prædicati: Improductum; quæro, quis dicti termini sensus est? certè non iste: Natura est de se capax identificari Improducto; verè enim, secundùm fidem, est capax identificari etiam producto, verbi gratia Filiationi; debet ergò dicti termini iste esse sensus: Natura Divina ex se, independenter ab identificatione alteri virtualitati, involvit in se, prædicatum: Improducti. Ergò involvit ex se, independenter ab identificatione, etiam verificativum; nam esse, seu ens, & verum seu verificativum (addo etiam terminum respondentis) verificativum terminativum, non distinguentur inter se, nisi fortè nobis cogitantibus. Ergò ulterius hujus propositionis: Natura Divina est improducta, filiatio non est producta, non erit verificativum, quia paternitas est improducta: Et sicut natura divina ex eo non est producta in filiatione producta, quia de se non est capax ut sit producta, ita non ex eo erit improducta, quia Paternitas est improducta, sed quia de se est capax, ut sit improducta.

Addo. Positio est Respondentis: Nulla prædicata contradictoria intrinseca verificari in divinis, nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio, format nostra sententia has propositiones contradictorias per respondentem: Natura divina de se, exigitivè, non producitur, & est quid commune per identitatem omnibus tribus personis, Filiatio divina de se, exigitivè producitur, & non est quid commune per identitatem omnibus tribus personis; adstipulatur nobis fides, nihil dari in Trinitate commune per identitatem omnibus tribus personis distinctum realiter ab iisdem; adstipulatur & Metaphysica demonstrans: Nullum commune per identitatem, distingui realiter, identitas enim est negatio distinctionis realis: quomodo ergò tenebit illa propositio respondentis? Nulla prædicata contradictoria intrinseca verificari in divinis, nisi ratione distinctionis realis saltem in tertio.

In has omnes tam difficiles sequelas induxit Respondentem hoc principium: quòd putet has duas propositiones: Natura v. g. non producitur, Filiatio producitur, natura non generat, paternitas generat, esse contradictorias. Nonne facilius est, cum pristina antiquitate negare, quòd sint hæ propositiones contradictoriæ; eò quòd non ratione ejusdem virtualitatis procedant, quàm tot difficiles sequelas amplecti.

Quid

Quid sentiendum de hac Propositione ?

Natura divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à Filiatione mediatè.

Contra erit. Tum quia inseruimus in hoc tanquam articulo fidei, idque cum catechismis didicimus : Nullam esse distinctionem personarum in natura, modificandus erit hic articulus : Nullam scilicet distinctionem personarum esse in natura immediatè, esse mediatè, modificationes autem articulorum fidei, malè in Theologia audiunt. Tum quia pro eo quali quali usu; quem habui scripto & voce disputandi cum Arianis (viderique potest in illorum libris) satis percepi, illos arguere distinctionem in natura, quia est distinctio in personis ; en jam recens hæc Theologia, dabit hoc illis, quod à tota retrò antiquitate Theologica extorquere non potuerunt, ostendaturque, quid minus evicturi sint Ariani, si illis concedatur ratione personarum esse mediatam distinctionem realem in natura.

Tum quia inter fontes impugnandi Hæreticos, habet Ecclesia Catholica : Non est hoc doctum à Patribus, non est auditum in Ecclesia : & ubi unquam auditum, non esse summam identitatem personarum in natura divina ? quomodo autem erit summa, si est mediata distinctio realis in natura ; ubi unquam auditum, distingui personas in natura, distinguuntur autem mediatè. Ubi auditum, distingui realiter naturam divinam à Filiatione ratione Paternitatis :

Tum quia Assumebant Ethnici & Ariani hanc Majorem : Quando aliqua sunt idem realiter, quod competit uni competit & alteri ; dicebantque : Cum natura divina sit idem cum personis, si est distinctio realis in personis, erit distinctio realis in natura, & è converso ; jam autem Catholici assumebant hunc articulum fidei : Potest esse in divinis distinctio in personis, cum identitate in natura ; porrò hæc positio : Ratione verbi gratia Paternitatis distinguitur natura divina realiter à Filiatione, seu medietate, innititur illi Majori, cui tanquam in errorem inducenti, si accipiatur ut sonat, oppositerunt prædictum articulum Patres : Respondens autem sic de novo distingueret : Potest esse in divinis distinctio, in Personis, sed ita, ut sit mediata distinctio, etiam in natura.

Tum quia, si quis teneret hoc principium : quod potest distingui potest negari ; stante fide, posset negari hæc propositio : Personæ distinguuntur inter se, non in natura, distinguuntur enim mediatè realiter, etiam in natura.

Tum quia hæc propositio : Natura divina distinguitur verbi gratia ratione paternitatis à Filiatione realiter mediate, si faciat hunc sensum : Paternitas, cui identificatur realiter natura divina, distinguitur realiter à Filiatione, certè propositio continebit sanam doctrinam ; phrasis tamen erit dura. Si autem dicta propositio faciat hunc sensum : Ratione Paternitatis, etiam in naturam divinam refunditur distinctio realis, erunt jam contra hanc doctrinam adferenda argumenta immediatè posita, & infra ponenda. Porrò hunc secundùm sensum debere esse in principiis respondentis dictæ propositionis, evincit illa Major : Quando aliqua sunt identificata realiter, quod competit uni, saltem mediatè, debet competere & alteri ; unde & ad verificationem prædicatorum contradictoriorum in divinis, quæritur à Respondente distinctio realis in tertio.

Tum quia, quæcunque ratio probat non distingui realiter immediatè naturam divinam à Filiatione, ea proportionaliter probabit, nec distingui mediatè.

Tum quia, si verbi gratia ratione Paternitatis distingueretur realiter natura divina à Filiatione, sequeretur mediatè esse tres Deos in Trinitate ; idque ex eo, primò quia cum tres sint distinctæ realiter personæ, si ex identificatione verbi gratia cum Paternitate sequitur distinctio realis naturæ divinæ à Filiatione, ergò ex identificatione cum tribus personis, sequetur distinctio realis triplex, in ipsâ natura divina, licèt mediata.

Secundò. Si esset distinctio realis in natura immediata, connumerata personis, essent tres Dii realiter distincti immediatè. Ergò cum detur distinctio realis in natura mediata, connumerata personis, dabuntur tres dii mediatè distincti.

Tertiò. Natura divina ratione Paternitatis, distinguitur mediatè realiter à filiatione, en unum Deum, distinctum realiter mediatè. Natura divina ratione filiationis, distinguitur realiter à Paternitate, en unum Deum distinctum realiter mediatè. Natura divina ratione Spiritus sancti personæ, distinguitur realiter mediatè à Paternitate & Filiatione, en unum Deum distinctum realiter mediatè. Ex uno autem ter repetito, & quidem semper distincto realiter mediatè, non possunt consurgere, nisi tria realiter mediatè distincta, adeoque tres Dii distincti realiter mediatè.

Est quidem verum, quamvis dicam: Pater est DEUS, Filius est DEUS, Spiritus sanctus est DEUS, non sequi tres Deos dari, quia ly DEUS ter positum, supponit pro indistincta realiter Deitate; sed in distinctis realiter mediatè tribus Deitatibus, non potest consurgere, nisi distinctio realis mediata in Deitatibus.

Quartò. Cur verbi gratia à Filiatione, distinguatur realiter mediatè, natura divina, est ejus identificatio cum Paternitate; quando autem aliqua sunt idem realiter, quod competit uni identificatorum competit & alteri saltem mediatè. Ergò cum tribus distinctis realiter identificatur natura, quod competit tribus illis distinctis realiter competet & naturæ; competit autem illis tribus distinctis realiter, esse tres personas distinctas realiter. Ergò etiam competet naturæ divinæ, esse tres distinctas realiter mediatè naturas.

Quintò. Cùm identificatio Paternitati non sit identificatio Filiationi, utpote distinctæ realiter immediatè, & è converso; Cumque insuper identificatio spirationi passivæ, non sit idem realiter cum identificatione illis duabus Personis, à quibus spiratio passiva ex distincta realiter immediatè. Ergò sicut ex identificatione cum Paternitate, sequitur una distinctio realis mediata naturæ divinæ à Filiatione, ita ex identificatione cum tribus personis distinctis realiter, erit mediatè triplex natura divina distincta realiter mediata.

Sextò. Tenebit illatio Ariana: cum dico: Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona, sequitur esse tres personas distinctas realiter immediatè. Ergò etiam cum dico: Pater est DEUS Deitate distincta ratione sui mediatè realiter à Filiatione, Filius est DEUS Deitate distincta ratione sui, mediatè realiter à Paternitate, idem dic de spiratione passiva, erunt tres naturæ divinæ, distinctæ realiter mediatè.

Est quidem verum tenuisse Arriaga posse admitti in Trinitate tres Deos relativos; sed nego ex dictis alibi, admitti id posse; tolerabiliorque est hæc positio Arriaga; quia conceditur in suppositione quod ly Deus supponat non pro natura sed pro persona; sed distinctionem in divina natura realem mediatam non admisit.

Septimò. Accipiamus hos duos terminos: Natura divina ratione identificationis cum Paternitate, distinguitur realiter à Filiatione; & natura divina ratione identificationis cum filiatione distinguitur realiter à Paternitate; quæro: an illæ naturæ sic sumptæ, identificentur inter se, vel non identificentur. Si identificantur:

Contra erit Primò. Ergò non sunt distinctæ realiter mediatè; distinctio enim realis, importat inidentificabilitatem adeoq; immediata inidentificabilitatem mediatam.

Secundò. Quòd hæc sententia non tantùm (ut intendebat) non facilitabit mysterium Trinitatis, sed obscurabit, ponendo aliquid, non tantùm præter lumen rationis, sed & contra lumen rationis; nempe quòd distincta, mediatè quidem, sed tamen realiter, identificari inter se possint, in eo, in quo sunt distincta realiter, nempe in ratione naturæ.

Tertiò. Hæc distinctio mediata & stabit in hoc, ut identificari possint illi termini, ut supponitur, & non stabit, quia distincta realiter, in eo, in quo sunt distincta realiter, sunt identificabilia; cum distinctio realis & identificabilitas realis, verbis differant.

Quartò. Si identificantur illi termini, non poterit ostendi, quomodo in ipsam naturam divinam ratione personalitatum refundatur distinctio realis, quam debere refundi, ex principiis oppositorum supra illatum est.

Quintò. Ratione distinctionis immediatæ realis personarum inter se, sequitur, immediatè illas esse inidentificabiles inter se. Ergò cum ratione identificationis quod competit uni immediatè, debet & alteri competere mediatè, competit & ratio mediatè distinctæ realiter naturæ triplicis; cum ipsa distincta realiter, immediatè sunt tria, nempe tres personæ; adeoque competet & prædicatum inidentificabilitatis mediatæ, aliàs non quidquid competit immediatè distinctis realiter, competeret mediatè, ei quod identificatur sic distinctis realiter, mirabiturque orbis Catholicus se factum esse politheistam.

Si autem illi termini: Natura Divina ratione Paternitatis distinguitur realiter à filiatione, &c. Natura divina ratione filiationis distinguitur realiter à Paternitate, non identificatur inter se, sequitur, ex personis refundi in ipsam naturam distinctionem realem mediatam, evincitque hoc major ab oppositis assumpta; quod competit personis, competit naturæ, mediatè, ob identificationem realem cum personis, quibus competit esse plures.

Tum

Tum quia natura Divina vel distinguitur secundùm se spectata, realiter in Patre à Paternitate, vel non distinguitur? Si distinguitur, contradicetur articulo fidei de identificatione personarum cum natura; Si non distinguitur realiter natura Divina secundùm se spectata in Patre à paternitate. Ergò non est eadem cum natura filii; quia hæc ratione filiationis distinguitur realiter à Paternitate, eruntque illæ naturæ distinctæ realiter, quia impossibile est, unam eandemque entitatem, diverso respectu, hoc est, secundùm se sumptam, esse identificatam, & eandem realissimè sub alia formalitate non esse identificatam, sed distinctam realiter.

In communi & recepta Theologia hoc argumentum non habet difficultatem; quia dicere: Ratione filiationis distingui realiter naturam divinam à Paternitate, est dictio de termino non supponendo: Nam licèt personæ distinguantur inter se realiter; non tamen illo modo transfundunt sua prædicata in naturam, adeoque nec transfundent pluralitatem aut distinctionem realem, quam transfusionem prædicatorum mediatam assumit Respondens. In nostris principiis, beneficio distinctionis virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia Physica, vi cujus sine ulla pluralitate & distinctione reali præstatur hoc, quod præstaret distinctio realis; quæ, si intercederet, non esset necesse prædicata paternitatis, transfundi in naturam.

Tum quia præter naturam, quæ, verbi gratia, ratione paternitatis distinguitur à filiatione, & sic de aliis combinationibus personarum, vel datur natura nemine cogitante, verè absolvens, ab ista mediata distinctione reali à personis, vel non datur? Si datur; ergò datur natura divina nemine cogitante, verè non identificata personis; si enim identificaretur, traheret à personis distinctis realiter, distinctionem mediatam realem; eritque alia, divina natura, nemine cogitante absolvens à distinctione reali mediata, & alia, non absoleens; si autem non datur natura divina, nemine cogitante absolvens à distinctione reali mediata, modificandus erit articulus hic fidei: Deus est Trinus in personis, unus in essentia; quomodo enim erit unus in essentia, si hæc essentia imbibit distinctionem realem mediatam à Personis?

Concedo quidem posuisse Respondentem aliquas phrases conformes communi Theologiæ, sed non concordasse easdem cum suis positionibus. Talis est illa phrasis, Notato sexto. Natura prout est in filio, non distinguitur realiter à natura prout est in Patre; sed concordari hoc debet cum hac alia ejus propositione: Natura divina ratione filiationis, distinguitur realiter à Paternitate. Talis item est phrasis Notato octavo. Aliter distinguitur natura à Filio, & Pater à Filio; quæ propositio est vera, sed concordari debuit cum hac alia: Natura ratione, verbi gratia, Paternitatis distinguitur realiter mediatè à Filiatione, salvando sine modificatione articulum fidei: In divinis est distinctio in personis realis, non in natura.

Responsionibus satisfit.

Respondetur Primò. In divinis esse summam identitatem in natura præcisè secundùm se spectata, licèt natura sumpta cum Paternitate, distinguatur realiter inadæquatè à Filiatione mediatè, extensivè.

Contra est. Tum quia tota retrò Theologia agnovit summam esse Personarum Divinarum in natura Divina Identitatem, en jam articulus fidei distinguetur: summam scilicet esse identitatem in natura præcisè spectata, non autem summam Personarum Divinarum in natura identitatem si sumatur natura prout conjuncta Personalitati & comparata ad aliam personalitatem.

Tum quia est articulus fidei, quòd sit Filius consubstantialis Patri, nec tunc sumitur natura præcisè secundùm se, sed natura prout conjuncta filiationi, Filius enim dicitur esse consubstantialis Patri. Ergò hic articulus, agnoscit, non esse identitatem in Divinis in natura, tantùm secundùm se præcisè spectata, sed etiam in natura prout conjuncta Filio, & comparata ad Patrem. Item est articulus Fidei quòd in Trinitate sit summa identitas in natura salvis suis prædicatis, si est summa identitas Trinitatis in natura, ergò non tantùm est identitas in natura præcisè spectata, sed etiam in natura prout conjuncta personalitatibus, seu in Trinitate, ergò non dabitur locus distinctioni

ctioni naturæ divinæ conjunctæ Paternitati, à Filiatione.

Tum quia. Si nefas est dicere, quòd prædicata notionaria sua virtualitates, denominationes, formalitates communicent; vel derivent in naturam mediatè, extensivè, inadæquatè, cum distingui realiter, sit prædicatum rationale, illud nec mediatè nec extensivè derivabitur in naturam. Tum quia Pristina Societatis schola putabat eliminandam esse è scholis distinctionem formalem ex natura rei, quæ ponebatur à Scotistis in divinis, & tanquam pro absurdo inferebat: quòd hæc distinctio sit distinctio realis: modò autem hoc absurdum conceditur, & pro veritate defenditur, & ne quidem schola Scotistica concedebat usquam hanc sequelam, dicebatque ibi non esse distinctionem realem à Re, qualem isti concedunt mediatè & extensivè; sed realem à realiter, hoc est prout opponitur distinctioni fictæ vel intentionali merè.

Tum quia Natura illa divina præcisè secundùm se spectata, & seclusis Personalitatibus, cum quibus est idem realiter nemine cogitante, non est aliud, quàm natura ita sumpta ac sumitur natura, verbi gratia, humana præcisis suis Personalitatibus & hæccitatibus, & tamen majorem personarum in natura identitatem agnoscit fides quàm sit identitas Pauli & Petri in natura humana præcisè sumpta, illa enim identitas debet esse Physica, hæc autem est identitas intentionalis.

Tum quia Hæc natura præcisè sumpta, si detur nemine cogitante vel est eadem realiter cum natura conjuncta, verbi gratia, Paternitati vel non eadem; si non est eadem realiter & nemine cogitante, hoc ipso multiplicabuntur naturæ divinæ; si autem est eadem realiter & nemine cogitante, sicut in illa præcisè sumpta non datur distinctio, ita nec in illa comparata ad Filiationem, conjuncta autem Paternitati, dabitur ulla distinctio supple realis inadæquata, extensiva, mediata.

Respondetur. II. Posse hanc distinctionem admitti ratione personarum, cùm etiam admittatur in Hymnis Ecclesiasticis Trina Deitas.

Contra est. Tum quia imprimis ex Sedulii Hymno de communi Martyr. ubi habebatur: Te Trina Deitas unàque poscimus, expunxerunt id Correctores Hymnorum, substituerunteque vocem: Te summa Deitas, quod etiam antefecerat Hincmarus, ut videre est libro de non trina Deitate consequenter ille terminus Trina Deitas secundùm hanc correctionem etiam alibi sumi debet, positusque est ratione nonnisi metri, & non tam significando quam ex aliis aliàs notis præsupponendo quòd Trina pro Personis nonnisi supponat, non autem pro natura.

Tum quia si ratione istius distinctionis realis inadæquatæ naturæ conjuncta uni Personalitati, ab alia Personalitate concedi potest Trina Deitas, concedi etiam poterunt tres Deitates, imò & tres Dii, nam inter Deitatem & Deum distinguere error est Gilberti.

Tum quia dicatur clarè, an Ly Trina extendatur etiam ad naturam? si non extenditur cui bono responsio hæc ponetur? si extendetur etiam ad naturam hoc erit contra articulum de una eademque in Divinis natura Divina.

Respondetur III. Quòd pristina sit distinctio dari in Divinis distinctionem realem inadæquatam.

Contra est. Sicut quando dicitur pars distingui realiter inadæquatè à toto datur illic distinctio realis adæquata inter partes, ita tamen ut pars à se ipsa in toto, ne quidem realiter mediatè distinguatur: ita in Divinis datur distinctio realis adæquata inter Paternitatem & Filiationem, licèt in natura, nulla sit omnino distinctio realis etiam inadæquata, & mediata.

Et sicut hoc totum quod est homo, est ratione dissolubilis unionis mortale, quantumvis anima & materia, nequidem mediatè & inadæquatè, sit mortalis: Ita hoc concretum quod est Pater, distinguetur realiter à Filiatione, ita, ut tamen natura Patris, ne quidem inadæquatè & mediatè, distinguatur realiter, à Filiatione.

Respondetur. IV. Non esse tantam identitatem naturæ Divinæ cum Paternitate, quanta est identitas illiusmet ipsius ad se ipsam.

Contra. Concedo non esse tantam identitatem, nam in principiis nostris, ita identificatur realiter natura Divina Personalitati Patris, ut ab illa distinguatur virtualiter, cùm tamen à se ipsa, sit indistincta virtualiter; sed nego exinde sequi, quòd quantumvis natura Divina magis sibi identificetur intensivè quàm Paternitati, quòd in illam realiter inadæquatè, extensivè mediate derivetur realis distinctio.

Respondetur V. Quod concretum hoc Pater plus dicat quàm solam naturam Divinam, sed dicit etiam Paternitatem adeoque aliquid distinctum realiter.

Contra est. Tum quia concretum hoc Pater dicit quidem & naturam & Paternitatem, sed quia hoc

quia hoc concretum, est concretum ex indistinguibili realiter secundùm articulum Fidei, & ex distincto realiter, hoc ipso in illo concreto, non distinguetur realiter Natura, à Filiatione.

T. Q. Distingui realiter est Prædicatum vel notionale adeoque nec in concreto illo, in Naturam derivabile.

T. Q. Concretum hoc homo, ut dixi, dicit aliquid plus præter animam & materiam nempe unionem dissolubilem & tamen ex eo non derivatur in animam mediatè mortalitas, ergo nec ex paternitate derivabitur in Naturam Divinam distinctio realis mediata.

Punctum Difficultatis 4.

Demonstraturné, non posse dari Distinctionem virtualem in Creatis.

COnsentimus non posse dari Distinctionem virtualem in creatis talem, qualis datur in Divinis inter Naturam & paternitatem v. g. quia etiam consentimus, non posse dari Mysterium Trinitatis in creatis. Tota Difficultas in eo versatur, an id possit demonstrari. Cumque virtualis distinctio sine addito supponat pro ea, quam alii appellant intrinsecam, Nos appellamus distinctionem in ordine ad prædicata, primò intentionalia, de illa sic sumpta, tanquam de principali, veniente sub nomine distinctionis virtualis, procedet Difficultas.

Ad solutionem rationum infra ponendarum hoc assumitur: Nempe has rationes non debere peti ex impossibilitate distinctionis virtualis, sed ex impossibilitate hujusmodi distinctionis in creatis. Ratio est imprimis à simili. Quia si quis velit demonstrare esse impossibilem substantiam creatam infinitam, non debet id probare argumentis inferentibus impossibilitatem ut sic substantiæ infinitæ; qui item vellet probare creaturam, non posse esse immensam, non deberet id probare ex rationibus, impossibilitatem ut sic immensitatis inferentibus: & sic de reliquis. Ergò etiam in præsenti impossibilitas distinctionis virtualis in creatis non debet desumi ex impossibilitate ut sic distinctionis virtualis. Quod ipsum ulteriùs in hoc fundatur: quia quæ prædicata semel innexibilia sunt, semper innexibilia sunt, impossibileq; additione subjecti, cui illa prædicata competunt, possibilisari non potest: jam enim non esset quod esset; siquidem ex impossibili redderetur possibile, jungerenturque secum esse & non esse idem: consequenter, si quis aliquorum prædicatorum impossibilitatem ostendet, illa nec in Deo possibilia erunt; sicut si quis ostendat impossibilitatem substantiæ infinitæ, illa nec in Deo salvabitur; & in præsenti si quis ostendat impossibilitatem distinctionis virtualis, hoc ipso illa nec in Deo reperiri poterit.

Hoc præjacto, delabamur ad examinandas rationes.

I. Ratio P. Pauli Modzelovvski. Si aliquæ formalitates distinguerentur virtualiter, eo ipso non identificaretur realiter. Quod ipsum probat: quibus formalitatibus competunt prædicata contradictoria, illæ non identificantur realiter; sed formalitatibus virtualiter distinctis competunt prædicata contradictoria, ut conceditur: Ergò non identificantur realiter. Major probatur. Tum quia omnia prædicata contradictoria sibi realiter actualiter repugnant, lumenque rationis ostendit falsas esse has propositiones. Lux, est realiter actualiter non lux. Tum quia quando unus de rationalitate affirmat illam esse à parte rei, principium sensationum, & alter sub iisdem terminis negat, quæro an hi duo, dicant idem realiter: si idem, ergò sibi non contradicunt: si non dicunt idem realiter, ergò esse à parte rei principium sensationum, & non esse à parte rei principium sensationum non est idem realiter: ergò & alia omnia prædicata distinguuntur realiter. Tum quia oppositio relationis realis distinguit inter se realiter extrema inter quæ intercedit: ergò etiam oppositio contradictionis, sua extrema distinguet realiter.

Respondetur. Imprimis transeat hoc totum: quia non probatur intentum: nam argumenta procedere debebant de distinctione virtuali intrinseca in creatis. Hinc rursus dici potest, Argumentum probare multum: nam probat distinctionem virtualem non dari in Divinis: nam etiam in Divinis impossibile est ut esse & non esse sint idem. Quod si dicas aliud esse in Divinis, quia illic intercedit distinctio virtualis: nam etiã dicent oppositi, etiã in creatis intercedere illam, & quòd non intercedat probari debuisset. Unde jam directè quæri potest, vel in Divinis suppositâ distinctione virtuali identificantur inter se, est & non est, vel non identificantur: si identificantur, quid probabunt rationes adlatæ? restabitque probandum, cur in creatis identificari non possint; si non identificantur in Divinis nec in creatis identificabuntur.

In nostris Principiis dici potest. Cum contradictio non tantùm debeat esse ejusdem & de eodem, sed ratione ejusdem, sive, ut alibi dicitur, proportionata: cumq; suppositâ distinctione virtuali communicatur & non communicatur, cæteroqui prædicata secundùm hos terminos contradictoria, cùm inquam non sint verificanda ratione ejusdem, supple virtualitatis, evadent hoc ipso non contradictoria; adeoque etiam in creatis evaderent, si alioqui daretur in illis distinctio virtualis, quam non demonstras, dari non posse.

Ratio II. ejusdem est. Posita distinctione virtuali intrinseca inter aliqua duo prædicata, sequitur, posse affirmari contradictoria non solùm de illis inter quæ est ista distinctio, sed etiam de illis quæ à se virtualiter non distinguuntur. Sequela probatur; supponamus inter animal & rationale esse distinctionem virtualem intrinsecam, atq; vi istius distinctionis animalitatem verificare hoc prædicatum, est repræsentata realiter ex parte objecti cognitione A. rationalitatem autem verificare contradictorium ejusdem prædicati, nempe non est repræsentata realiter ex parte objecti cognitione A. per cognitionem A. illam significando, quæ objectivè præscindit rationale ab animali: Hoc supposito. Sic argumentor, inter animalitatem & inter hoc prædicatum esse repræsentatum ex parte objecti cognitione A. non intercedit distinctio virtualis intrinseca; sed de his formalitatibus possunt verificari contradictoria. Ergò. Major probatur, quia repræsentatum ex parte objecti cognitione A. est formalissimè animalitas ac proinde prædicatum & subjectum istius propositionis non distinguuntur virtualiter intrinsecè. Min. principalis probatur; Animalitas est verè affirmabilis de rationalitate: cum enim inter se identificentur realiter, vera est ista propositio, animalitas est realiter rationalitas. Jam verò ly repræsentata ex parte objecti cognitione A. non est verè affirmabilis de rationalitate: Falsa enim est ista propositio, rationalitas est realiter repræsentata ex parte objecti cognitione A. scil. illa quæ præscindit objectivè animal à rationali. Ergò animalitati, & formalitati repræsentatæ ex parte objecti, cognitione A. competunt contradictoria.

Respondetur Imprimis, quod Argumentum multum probet: probaret enim competere in divinis prædicata contradictoria iis formalitatibus, quæ inter se non distinguuntur virtualiter, nempe essentiæ, & illi prout repræsentatæ cognitione A. reflecteusque videbit multùm hoc argumento probari: quia probatio non petitur ex conditione præcisa objecti quà creati.

Deinde negari potest Sequela. Negatur item quòd de rationalitate non possit dici rationalitas est realiter repræsentata ex parte objecti prout est à parte rei physicè, licèt non sit repræsentata ex parte objecti prout considerata in statu intentionali. Si autem realiter repræsentatur rationalitas prout est à parte rei physicè, non conveniunt tunc prædicata contradictoria intrinseca seu physica, sed tantùm prædicata contradictoria (secundùm explicationem jam datam) intentionalia: Si autem conveniunt tantùm prædicata contradictoria intentionalia, non erit verum dicere quod sint futura distincta virtualiter, ea quæ non sunt distincta virtualiter.

Quod autem attinet ad istud objectum, an animalitas & esse repræsentatum præscindant inter se objectivè, dici potest in nostris principiis, omne illud præscindere objectivè, cujus ratio communis, non est aliûs ratio communis, seu definitivè; & quia nec animal definitur per esse præcisum, nec è converso: ideò hæc inter se præscindunt beneficio distinctionis virtualis in ordine ad prædicata secundo intentionalia; licèt realiter sumptum repræsentatum, hoc est ipsum animal, non sit præscindibile à seipso animali, sed etiam sic sumptum repræsentatum animal, est idem realiter cum rationalitate.

In suppositione autem præsenti loquendo, si animalitas & rationalitas distinguerentur virtualiter intrinsecè, sicut dum repræsentatur essentia Divina, non repræsentatur realiter virtualitas v. g. Paternitatis, ita nec repræsentaretur realiter virtualitas rationalitatis repræsentata animalitate. Quod autem cognitio A. repræsentat Essentiam (in præsenti animalitatem) & non repræsentat Paternitatem (in præsenti rationalitatem) parum refert: quia cùm cognitio sit distincta realiter ab ipsamet essentia, potest illa referre seu repræsentare Essentiam, non repræsentata Paternitate. Jam autem distincta virtualiter intrinsecè debent quidem habere identitatem realem in istis, quæ aliunde non supponuntur distincta realiter, ut cognitio A. repræsentans essentiam, distinguitur realiter ab essentia. Hinc jam in hoc quod est comparari essentiam ad se ipsam repræsentatam duo considerari possunt, ratio scilicet essentiæ, quæ repræsentatur, & hæc indubiè identificatur sibi, sed & identificatur Personalitati salva sua virtualitate; Deinde spectari potest ratio repræsentationis, quæ importatur in hoc, denominato repræsentata essentia, & hæc repræsentatio, distinguitur realiter ab essentia, mirumque non erit, illam non convenire ipsi v.g. personalitati, cùm convenire debeant in prædicatis identificationis realis. Quæ autem dicta sunt de divinis aut dicentur legitimè ab arguente de natura cognita, v. g. & comparata ad Paternitatem idem applica in præsenti.

Ratio III. ejusdem est. Ens creatum cui competit distinctio virtualis intrinseca est ens chimæricum: omne enim illud est ens chimæricum, quod has duas formalitates in se includit verificabilitatem duorum contradictoriorum & identitatem realem: hæ enim solæ duæ formalitates ita sunt constitutivæ entis chimærici in esse talis, ut nihil tertium requiratur: ponamus enim aliquod ens de quo verum sit dicere: est, & non est, & in quo hæc duo, scilicet esse & non esse realiter identificantur, eo ipso habebit totam essentiam entis chimærici.

Respond. Antecedens primum, planè intendit hoc probare quod hîc quæritur, sed ejus

probatio

probatio multum probat: quia procedit ut sic, adeoq; probat etiam in Divinis non dari distinctionem virtualem: quia illic esset chimæra: esset enim convenientia prædicatorum contradictoriorum cum identitate. Directè autem dici potest, quòd sicut in Divinis non est convenientia prædicatorum contradictoriorum formalis, quia ratione alius virtualitatis affirmatur Est, ratione alius Non est: ita & in præsenti fieret, solumque staret hæc distinctio virtualis in hoc, quia quod convenit uni virtualitati, non competeret alteri, etiam in sensu reali; salvo Physico eodem esse, sicut in sensu reali non communicatur Paternitas, quamvis sit idem Physicè cum natura, quæ communicatur.

Alia quæ adfert de forma syllogistica infringenda, alibi soluta. Quod item dicit ponendum fore tunc in creatis Mysterium Trinitatis id verum est: sed quæritur demonstratio, quòd Mysterium Trinitatis implicet in creatis.

Punctum Difficultatis 5.

Continuatur hoc Examen.

Ratio I. est Perez Disp. 1. sub initium Tract. de Deo, num. 77. Impossibile est duas formalitates creatas carere identitate virtuali intrinseca inter se, & habere inter se identitatem realem perfectam: sint enim entitates creatæ A. B. quia utraque est creata; utraque dicit in sua ratione defectum, consequenter B erit idem virtualiter cum sua entitate, dicente imperfectionem. Hæc identitas virtualis est defectus evidenter & hunc defectum habet A (supple scilicet quod sit A) hanc identitatem non habet B cum A ut supponitur, sed potiùs habet perfectionem simpliciter simplicem oppositam scil. entitatem propriam, identificatam secum virtualiter intrinsecè, non involventem in sua ratione defectum A hanc perfectionem non potest B communicare ipsi A ut est manifestum: fieri enim nulla ratione potest ut A non involvat in sua ratione id, quod est de ratione ipsius A. Quia ergo ad identitatem realem perfectam requiritur communicare perfectionibus simpliciter simplicibus quæ identificantur ex natura rei, patet impossibile esse, ut A sit idem perfecte cum B sit ut supponitur non sit idem virtualiter intrinsecè. Ne verò prædicta Ratio probaret etiam in Divinis implicare Mysterium Trinitatis dicit n. 79. assumi à se hanc propositionem pro Majori. Nullæ formalitates dicentes in sua ratione imperfectionem propriam, & non identificatæ virtualiter intrinsecè, possunt inter se communicare in omni gradu perfectionis simpliciter simplicis, ac proinde neque possunt esse idem inter se identitate reali perfecta: omnes creatæ formalitates non identificatæ virtualiter intrinsecè inter se sunt tales, quales Major proponit. Ergo. Quodsi idem velles applicare ad Divina, deberes Negativam Minorem adferre, essetque Argumentum constans omnibus Negativis.

Respondetur. Negando. Antec. Primum. Quod attinet ad hanc propositionem, sint entitates creatæ A. B. quia utraq; esset creata, utraq; diceret in sua ratione defectum conceditur hæc propositio modò per entitates intelligantur virtualitates diversæ, non autem distincta simpliciter entia: distincta enim simpliciter entia identificari non possunt: sicut non possunt identificari lignum & aqua: diversæ tamen entitates pro virtualitatibus acceptæ, identificari possunt. Concedo quòd entitas B sit idem virtualiter cum sua entitate dicente imperfectionem. Concedo quòd major sit identitas virtualitatis B. cum sua defectuositate quàm virtualitatis B. cum virtualitate A idq; ideo quia B à sua defectuositate non est distinctum virtualiter, est autem ut supponitur distinctum ab A. Et licet casu quo daretur distinctio virtualis in creatis, non haberet A & B identitatem virtualem nec defectuositas virtualitatis hujus esset defectuositas virtualitatis illius: Nego tamen quod secum realiter, sicut & virtualitates, ita & defectuositates, identificari non possent. Et licèt identitas illarum physica, & quoad realitatem esset perfectio simpliciter simplex, esset tamen perfectio creata, adeoque compariens identificationem illarum defectuositatum, in virtualitatibus incluſarum. Unde ulteriùs dici potest quod Nullæ formalitates dicentes in sua ratione imperfectionem propriam possint inter se communicare in omni gradu perfectionis simpliciter simplicis: Si enim in omni gradu est perfectio, quomodo erit imperfectio? sed quærere restat, cur creatæ virtualitates, dicentes suas defectuositates, identificari non possint in aliquo gradu perfectionis simpliciter simplicis; competentis enti creato, adeoq; cur repugnet in creatis distinctio virtualis intrinseca. Unde ulterius negatur illa Major Assumpta in ultimo argumento, nempe illa, nullæ Virtualitates dicentes imperfectionem &c. identificari possunt.

Ratio II. ejusdem I. P. Disp. 1. de Scientia Dei num. 131. Essentia Divina ob infinitam suam perfectionem, vim habet se communicandi infinitè, alteri formalitati virtualiter distinctæ, illamq; reddendi Deum, ac proinde infinitè in omni genere perfectam, est ergò ea communicatio summa in omni genere. At hæc est identitas summa; quæ ratio non potest in creatis formari: est enim quævis formalitas creata finita in perfectione, adeoq; non potest reddere aliam formalitatem, sibi virtualiter intrinsecè non identificatam, perfectam infinitè, sed finitè. Præterea quamvis illam alteram redderet in proprio genere perfectam, sequitur reddere minus perfectam quàm seipsam: licèt enim cætera

sint

sint paria, sibi ipsi ita communicatur ut sit secum virtualiter intrinsecè idem, nec ponantur prædicata contradictoria inter se & seipsa: at omne finitum si ei addas aliquid perfectionis crescit, ut ajunt, intensivè: crescit ergò illa communicatio, qua sibi se communicat illa formalitas, & est major quàm altera communicatio, quâ alteri formalitati communicatur. Quæ ratio nullo modo valet in infinita communicatione in omni genere: infinitum enim in omni genere nulla additione intensivè crescit. Quare quamvis essentia Divina sibi se communicet virtualiter, non verò Paternitati, hic accessus erit quasi extensivus, nec intensivè communicatio erit major.

Respondetur. Infinitatem materialiter non nisi habere se ad distinctionem virtualem: Pone enim Divinam essentiam infinitam, & pone implicare in Divinis distinctionem virtualem: jam non poterit communicari Natura, & non communicari Paternitas: Ergò apparet quod id non ex infinitate præcisè oriatur. Deinde ex responsione & sequitur non tolli identitatem realem vi distinctionis virtualis in divinis & tolli: non tolli quidem, quia est communicatio infinita, & non excrescit intensivè, tolleretur autem identitas realis, quia ita natura identificatur sibi, ut ne virtualiter quidem à se distinguatur, secus identificatur Paternitati. Deniq; quare implicat contradictionem perfectionem creatam esse identificatam alteri realiter, & reddere aliam finito modo, ut ipsa est, talem; & cur cum summa identitate reali, formalitatum, virtualis alietatis, non possit fieri, ut magis sibi se communicet aliquid creatum, quàm se communicet identificato sibi, ut in simili fit in divinis.

Addo, quòd infinitum additione finiti non crescat in ratione formali, crescit tamen in ratione materiali: quo supposito, non video quid proficiat illa infinitas ad præsentem difficultatem. Et certè vera est hæc propositio in Divinis: Natura non dicit negationem alietatis virtualis à Paternitate, Paternitas dicit negationem alietatis virtualis à seipsa. Rursùs magis est idem quod dicit omnem negationem alietatis, quam illud quod non dicit omnem negationem alietatis, nec istud videtur extingui posse per titulum infinitatis. Quod si dicas majorem esse non intensivè identitatem sed extensivè; dicam & ego majorem esse identitatem in ordine virtuali, sed non in reali.

In quantum autem hæc Ratio respicit, quòd illa solum inter se identificari possint realiter & non virtualiter, quæ sunt perfectio simpliciter simplex, nomine ipsius perfectionis simpliciter simplicis accipiendo perfectionem includentem in se omnem aliam perfectionem, etiam hæc Ratio non convincet. Nam imprimis negamus hunc conceptum esse perfectionis simpliciter simplicis. Rursùs quamvis hic foret conceptus illius, sequeretur quidem perfectionem simpliciter simplicem nulli competere nisi soli Deo, quærere tamen restaret, cur ea quæ non dicunt istam perfectionem simpliciter simplicem ita acceptam, identificari inter se non possint realiter, stante alietate virtuali.

Ratio III. Ejusdem de Trinit. d. 1. c. 2. quia scilicet si daretur in creatis Mysterium Trinitatis tum si duæ formalitates creatæ reciperent prædicata contradictoria, perfecta identitate carerent. Quod ipsum probatur, quia fieri non poterit ut sit perfecta unitas & communicatio inter ejusmodi formalitates, quas v. g. A. B. appellemus: nam formalitas A non potest magis communicari formalitati B majoremque cum illa unionem habere, quam est una sibi, & suæ definitioni: hoc enim est lumine naturæ perspicuum. Sed formalitas A præter unitatem quam habet cum formalitate B habet aliam peculiarem suam, ratione cujus non potest in se suscipere prædicata contradictoria: præterea formalitas A, ita sibi se habet conjunctam, ut nihil de ipsa dici possit, quod de ipsa negare possimus; quam conjunctionem ex hypothesi, non habet cum formalitate B. Ergò suam habet quasi duplicatam unitatem, & cum formalitate B quasi simplicem: habet enim cum formalitate B unitatem communicationis, & non aliam; secum verò habet & unitatem communicationis non minorem, & præterea unitatem repugnantiæ ad prædicata contradictoria. Major igitur est unitas & perfectio qua secum est una, quàm unitas quâ cum alia est una. Quæ consequentia probatur, nam unitas quâ habet cum altera est finita: impossibile enim est formalitatem finitam infinitè communicari, & unitas & communicatio finita qualibet additione unitatis & indivisionis fit major: cum igitur unitas quâ formalitas A secum est una addat aliquem gradum unitatis unitati finitæ, quâ est cum formalitate B major erit & perfectior.

Respondetur. Huic Argumento quod dato Mysterio Trinitatis in creatis formalitates creatæ, non carerent perfecta identitate Physica & reali, carerent tamen perfecta identitate, exclusiva etiam virtualis alietatis, dicique posset quòd non implicet contradictionem in creatis aliqua habere perfectam identitatem Physicam & realem, quamvis non haberent identitatem perfectam exclusivam virtualis alietatis: quod ipsum fuisset probandum. Deinde dici potest, majorem esse unitatem virtualitatis A secum, quàm cum B. sed quærere restat tali virtualitatum majori vel minori unitate positâ, cur implicet illarum identificatio realis: sicut major est identitas Paternitatis secum, quàm cum Natura: nam à se non distinguitur virtualiter, distinguitur à natura, & tamen hoc non obstante identificantur secum realiter: ita & in præsenti.

Ratio

Ratio IV. potest esse. Virtualitas A. habet suam perfectionem, quam non habet virtualitas B. & casu quo secum identificentur, tunc unaquæq; esset seipsa perfectior: quia ex identificatione haberet etiam perfectionem virtualitatis alius, quam non habet secundùm se spectata: Ergo unaquæq; esset perfectior seipsâ; quod implicat.

Respondetur. Si quis non ponat personalitates dicere perfectiones, diceret etiam quòd in Creatis, eo ipso, illæ virtualitates creatæ, non dicant perfectionem, & quia Nos etiam in personalitatibus Divinis ponimus perfectiones, debemus consequenter dicere, quòd etiam illæ virtualitates essent perfectiones, neque tamen ratione identificationis cũ altera redderetur unaquæq; virtualitas perfectior seipsâ: quia identificatio illa non auferret virtualitates, vi cujus virtualitas hujus, non est virtualitas alius: ita nec perfectio hujus, esset perfectio aliûs, adeoque titulo identificationis non perficeretur virtualiter ab alia virtualitate, adeoque nec evaderet perfectior seipsâ. Deinde retorquendum est argumentum in materia de divinis identificationibus, nam etiam in divinis, Natura Divina formaliter seipsa, non continet perfectionem trium personarum ex identificatione cum illis, redditurné formaliter perfectior seipsa.

Instabis I. Si ponantur virtualitates hæ distinctæ inter se realiter, ut personalitates Divinæ, & identificatæ in aliquo tertio, benè concipi potest, quomodo una perfectionẽ suam non tribuat alteri, adeoque nec evadat perfectior seipsâ. Sed qui non erit perfectior seipsâ, si identificentur illæ virtualitates, nec tamen inter se essent distinctæ realiter.

Respondetur. Eo casu videri implicari contradictionem illarum virtualitatum identificationem: hoc enim ipso evaderet unaquæq; perfectior seipsâ, & non evaderet: non evaderet quidem ut supponitur; evaderet autem, quia accessu illius virtualitatis secum identificatæ, perficeretur, & tamen illa, ut tu dicis, in seipsa spectata non diceret illam perfectionem aliûs virtualitatis. Absolutè tamen loquendo ex proportione ad Mysterium Trinitatis quod etiamsi non poneretur identificatio in aliquo tertio adhuc illæ virtualitates possent inter se identificari, nec evadere perfectior seipsa: nam non comparando Paternitatem divinam ad Filiationem; sed ad Naturam, sunt duæ virtualitates, unaquæque habet suam perfectionem, identificantur secum, nunquid ne vel Persona, vel Natura ex eo evadet perfectior seipsa.

Instabis II. Quòd non evadat perfectior Personalitas & Natura, ex eo est, quia illic est infinita perfectio: unum autem infinitum non est majus altero adeoque nec ab altero infinito perficitur.

Respondetur. Verum quidem est, quòd unum infinitum non sit majus altero in eo quod est carere terminis; quod tamen non perficiatur unum infinitum ab altero hoc non demonstratur: cur enim infinitum novem, non perficietur accessu infinitarum unitatum, adeoque evadendo decem. Deinde quamvis ex eo supponatur Natura Divina ex identificatione cum Paternitate non perfici, sed cur non perficietur ipsa Paternitas, quæ secundùm se, non dicit perfectionem infinitam: & tamen non potest dici, quòd perficiatur: quia evaderet dignior seipsâ, & perfectior.

Instabis III. Licet Paternitas ex titulo Personalitatis, non dicat perfectionem infinitam, dicit tamen titulo Paternitatis Divinæ conditinctæ ab ipsa virtualitate Naturæ, adeoque dicit rationem non perfectibilis ulterius: talem autem infinitatem non salvat virtualitas illa creata. Ergo ex identificatione cum altera virtualitate evadet seipsa perfectior.

Respondetur. Posito quòd Paternitas Divina secundùm quod Divina, dicat infinitatem, non eximetur per hoc præcisè à ratione perfectibilis: nam ut dictum, infinitum, licèt non sit majus altero, nunquid tamen non perficitur accessu aliûs infiniti. Quod si dicas perfici materialiter; redibit difficultas, cur etiam materialiter non perficiatur Paternitas, adeoq; nec evadat materialiter dignior seipsâ. Recurri ergo potius ad hoc debet, quia stante identificatione ut dictum retinentur adhuc virtualitates distinctæ, adeoque retinet unaquæq; perfectionem distinctam, consequenter stante identificatione reali, non communicatâ alteri suâ virtualitate, adeoque nec perficiente illam: Si autem una virtualitas non perficit alteram, non sequetur illas evadere perfectiores seipsis. Est quidem verum, quòd hoc superet captum humanum sicut superat captum humanum etiam Mysterium Trinitatis; sed jam si illud concedatur in creatis etiam hæc superantia captum concederentur in creatis. Quærere tamen restat, An hæc superantia captum forent contradictoria, sicut prædicta superant captum in Divinis, nec tamen sunt contradictoria.

Est & alius Modus toti huic difficultati satisfaciendi. Quod scil. una virtualitas alteri identificata non esset perfectior seipsa & virtualiter & realiter simpliciter spectata; esset tamen perfectior seipsa virtualiter v. g. nonnisi spectata, & non spectata simul Physicè.

Ratio V. est. Si daretur distinctio virtualis in creatis daretur infinita essentia creata, hæc implicat. Sequela probatur, quia quòd detur distinctio virtualis in Divinis, id ex eo arguitur, quia Deus cùm sit infinitus in essentia, debet illi competere omnis possibilis perfectio; possibilis autem est perfectio distinctionis virtualis in Divinis: quia nulla est in illa contradictio in Divinis.

Respon-

Respondetur. Distinctæ sunt hæ propositiones. Ex eo quòd Deus sit infinitus in essentia, sequitur debere etiam dari in illo distinctionem virtualem. Alia autem est hæc propositio, ex asserta distinctione virtuali sequitur infinitudo essentiæ, & hoc ipsum est, cujus demonstratio, hîc petitur. Unde primo concesso, quod solùm vult argumentum, negatur hoc posterius.

Putarem ergò potiùs nullam hujus adferri posse demonstrativam rationem: quia si hoc demonstraretur cur in creatis, idq; titulo creati, non possit dari Trinitas, demonstraretur titulo increati non repugnare eandem: adeoque & dari; quia in Divinis quoad intrinseca à posse ad esse, valet argumentatio, & tamen supponitur non posse demonstrari Mysterium Trinitatis. Quod ipsum ulterius sic declaratur. Sit enim perfectio A. ex cujus defectu in creatis, oritur ne sit Mysterium Trinitatis, demonstrat Metaphysica omnem possibilem perfectionem haberi in Deo, inferes ergò tu, hanc perfectionē esse in Deo, adeoq; inferes idq; demonstrativè, dari Mysterium Trinitatis, & tamen vel tu ipse negas, quòd hoc Mysterium in Divinis demonstrari possit. Et sicut si quis demonstraret, qualitatem aliquam non competere huic substantiæ quia corporea est, hoc ipso demonstraret, competere illam spirituali substantiæ, nam demonstrabile est, omnem qualitatem competere aut substantiæ corporeæ aut spirituali, ita si quis demonstrat non competere Mysterium Trinitatis. Creatis quia creata sunt, demonstrat illud competere Divinis, quia omnis perfectio, aut creato aut increato enti competit, & tamen supponimus quòd Mysterium Trinitatis demonstrari non possit.

DIFFICULTAS II.

De Præcisionibus objectivis in Divinis.

Præcisio secundùm Auctores Alia est ex parte actus seu formalis, alia ex parte objecti seu objectiva: *Objectiva præcisio dicitur*, ex vi cujus intellectus attingit formalitatem aliquam, quin eadem cognitione, attingat aliam formalitatem, illi identificatam realiter. Verbi gratia, quando intellectus attingit formalitatem animalis, & non attingit ullo modo formalitatem rationalis identificatam realiter in homine, tunc censebitur esse præcisio objectiva, ubi ut vides, non in hoc stat præcisio, quòd unum cognoscatur sine alio, potest enim cognosci Petrus & non cognosci lutum neq; tamen dicetur fieri præcisio Petri, à luto. *Formalis perscisio ex parte actus est*, vi cujus attinguntur immediatè & per se omnes formalitates, quæ identificantur sibi, dicitur tamen cognosci verbi gratia animal in homine & non rationale, quia illic rationale, nonnisi confusè attingitur. Confusè autem tunc cognoscitur objectum, quando ex vi illius cognitionis, non potest unum secerni ab alio, quod per eandem cognitionem attingitur. Verbi gratia. Cognosco hominem & equum per connotata communia, hoc est sensationes, tunc cognosco animal confundoq; equum & hominem: quæ confusio in hoc stat, quia ex vi illius cognitionis non valeo hominem ab equo, equum ab homine discernere, ita explicat Oviedo Controversia Logica Tertia punct. 5. Illustratq; tali instantia. Præcisio ex parte actus circa formalitates identificatas realiter, ita se habet, ac se haberet sensus circa alia objecta omnino similia, omnino æqualia, & quidem penetrata, in quibus non discerneret sensus unum ab alio, & eodem modo se haberet ad objecta distinguenda ac si unum tantum videret objectū, licèt in re duo distincta realiter attingantur.

Posset & alia acceptio haberi præcisionis formalis & objectivæ, ita ut nomine præcisionis formalis, veniat ipse actus præscindendi, nomine autem præcisionis objectivæ, veniat ipsa, ut ita dicam passio, vi cujus objectum se præscindi patitur, estque in re ipsum objectum, ita jam præcisum.

Cæterum in priori illo sensu agitabitur quæstio; an dentur præcisiones objectivæ consulanturque dicta in Logicis de actu confuso fabricativo universalis.

Punctum Difficultatis 1.

Deciditur de Difficultate.

Dicendum est *Dari*. Ita illi etiam, qui negant eas dari in creatis, ut Arriaga Disp. Quarta Logica Sectione Quarta. Ita Schola Thomistica, & Scotistica, & Nostri, contra aliquos ex Nominalibus, & contra aliquos recentiores, inter quos Oviedo Controversia Quarta Metaphys. punct. 8. Sed S. Thomas Opusc. 49. Et II. contra Gentes cap. 52. & Opusculo 43. cap. 6. nostram etiam sententiam innuit.

Probari solet I. Argumento ducto ab uno Attributo ad aliud. V. G. Deus per misericordiam parcit, per justitiam punit. Ergo ista attributa præscindunt inter se.

Responderi posset. Eundem hîc Deum in recto utrobique concipi, quia quando concipitur misericordia, concipitur Deitas prout est principium actuum misericordiæ; quando concipitur Justitia, concipitur Deitas prout est principium actuum puniendi. Si autem utrobique respondet Deitas, hoc ipso non est jam præcisio objectiva.

Probari

Probari solet II. Propositionibus ductis ab uno principio processionis in Divinis, ad aliud idem principium. v. g. Intellectus generat, voluntas non generat.

Responderi posset etiam ad idem argumentum ea via quâ ad illud respondetur prima parte in eadem materia.

Probatur III. Propositionibus quæ instituuntur de Natura Divina comparata ad personas. Ut formetur argumentum. Supponitur veram esse hanc Propositionem. Essentia Divina communicatur, Paternitas non communicatur. Supponitur item Naturam & personam Patris esse unam eandemque indivisibilem Entitatem. Hinc formatur argumentū. Quando dico communicari naturam, & non communicari Paternitatem, vel dico de uno eodemq; objecto, quod communicetur & non communicetur vel non de uno; si non de uno. Ergò intra unam eandemq; entitatem indivisibilem, est præcisio objectiva, quia intra unam eandemq; Entitatem, verificatur, de uno communicatur, de alio non communicatur. Si de uno verificantur duo contradictoria. Ergo non verificatur, cōmunicatur & non communicatur; quia nec duo contradictoria verificātur. Et ulterius tam verè dici potest ex parte objecti de eo quod communicatur non communicari, quàm de eo quod non communicatur, cōmunicari, non præscindunt enim hæc ex parte objecti, & sunt una eademq; ut dicis indivisa ratio. Sed non potest dici de eo quod non communicatur, illud communicari; quod probatur, quia non potest dici de natura Divina quod non communicetur, hoc enim est contra fidem, posset q; dici Filium non esse verè Deum, cùm sit Deus, ratione naturæ Divinæ communicatæ, de quo tamen per te potest dici, quod non communicetur. Item non potest dici de Paternitate, quæ nō communicatur illam communicari, aliàs verum esset dicere Filium esse Patrem, idq; ideo quia sicut dicitur Deus ob communicatam sibi naturā Divinam, ita verè dicitur Pater ob communicatam sibi Paternitatem, de qua tu dicis, posse affirmari, quòd communicetur.

Idem medius Terminus sic proponitur: Et suppono veras has esse Propositiones: Pater non est filius. Spiritus S. non est Filius. Suppono item Patrē & reliquas personas esse identificatas Naturæ Divinæ. His positis ita formatur argumentum. Quando dico Pater non est Filius vel respondet mihi ex parte objecti natura Divina, vel non respondet, si non respondet, Ergo intra unū eandemq; Entitatem indivisibilem dantur præcisiones; objectivæ, si correspondet, quæro in Conceptu illo Patris, in quo simul correspondet natura Divina, vel non correspondent personæ quæ sunt identificatæ naturæ Divinæ, vel correspondent, si non correspondent, Ergo intra unā eandemq; indivisibilem entitatem dantur præcisiones objectivæ, sic correspondent in conceptu Patris natura & Filius. Ergo cum dico Pater non est Filius, etiam dico natura Divina non est Filius, sub termino enim Pater respondet natura Divina. Et ulterius dico Filius non est filius, quia filius per te respondet sub Ly Pater, cum scilicet dico. Pater non est Filius.

Idem medius Terminus sic proponitur ex Arriaga. Si correspondent in conceptu Patris tam natura Divina quàm reliquæ personæ. Ergò sicut falsa est ista propositio, tota Trinitas non est Trinitas. Ita falsa erit hæc, Pater non est Filius & Spiritus S. non plus enim in conceptu Trinitatis per te respondet ex parte objecti, quàm in conceptu Patris.

Confirmatur. Datur in Divinis Distinctio virtualis. Ergò & dantur Præcisiones objectivæ. Antecedens colligi potest ex dictis de hac Distinctione, & certè de Fide est Naturam divinam communicari, Paternitatem non communicari, tunc quæro vel de eodem hæ verificantur vel non de eodem; si de eodem, Ergò non verificantur, quia impossibile est contradictoria verificari. Si non de eodem, Ergò de distincto, non de distincto realiter, quia id negat fides, nō de distincto Scotisticè ut infra dicetur, non de distincto per Rationem, quia id non sufficere colligetur infra, Ergò de distincto virtualiter. Consequentia principalis probatur. Tum quia non est major Ratio unius, quàm alterius. Tum quia concesso majori in eodē genere, debet dari & minus, major autem est virtualis Antonomasticon distinctio. Tum quia difformiter objecto nosceretur res, si datâ distinctione virtuali, non darentur Præcisiones objectivæ; nam vi distinctionis illius communicaretur natura, non communicaretur Paternitas, & tamen si nō dantur Præcisiones objectivæ, una attingeretur, & communicari & non communicari.

Responsiones variæ in Oppositum.

Respondetur I. Ut aliquid de aliquo verificetur, subjectum illud debet esse formaliter cognitum tam ex parte actus quàm ex parte objecti. Porrò cum dico natura Divina communicatur, quamvis ex parte objecti correspondeat etiam Paternitas, nec tamen verificatur de illa quod communicetur, quia ex parte actus non est cognita.

Contra. Tum quia quæro de ipsamet verificatione objectiva, ad quam non requiritur esse cognitum ex parte actus, cùm præcedat ipsummet actum. Si autem secundùm verificationem objectivam intra eandem entitatem Natura communicatur, Paternitas non communicatur, poterit etiam ex parte actus attingi; jamq; tunc nihil deerit, ad præcisionem objectivam. Tum quia si ex parte actus, non respondet in natura divina Paternitas, ex parte actus falsum erit communicari Paternitatem. Ergò quia ex parte objecti, respondet Paternitas, verum erit ex parte objecti, cōmunicari Paternitatem. Tum quia quod est fundamentum, quòd si desit cognitio

Paternitatis ex parte actus, tunc cùm concipio naturam, dicoque de illa quod communicetur, quod inquam si desit Cognito Paternitatis ex parte actus, hoc ipso jam Paternitas non communicabitur, præcipue cum cognitio & hoc Ly ex parte actus, ipsi objecto non tribuat rationem communicabilis vel nõ communicabilis; Si autem independenter à cognitione nostra habet vim natura divina ut communicetur, & vim Paternitas, ne communicetur, quare hæc prædicata verificari non poterunt, quamvis illud Objectum nõ sit formaliter ex parte actûs cognitũ.

Respondetur II. Inadæquatè naturam Divinam communicari, non quod non tota communicetur, tota enim communicatur, sed non communicatur adæquatè, hoc est non secundùm omnia quæ ipsi identificantur, adeoq; non secundùm Paternitatem.

Contra. Ergò ex parte objecti inadæquatè spectati est, ut Paternitas non communicetur. Ergò una eademque indivisibilis Entitas inadæquatè sumpta, ex parte objecti non communicabitur. Ergò cum dico natura communicatur, ex parte objecti non respondebit Paternitas. Consequenter dabuntur Præcisiones objectivæ. Totus succus medii termini in hoc est; cur inadæquata idq; ex parte objecti communicatio, non possit fundare præcisionem objectivam.

Responderi posset III. In conceptu Patris correspondere ex parte objecti & naturam divinam & totam Trinitatem, ex parte tamen actus non correspondere. Paternitas enim concipitur per modum Paternitatis creatæ, Trinitas autem non concipitur per modum Paternitatis creatæ. Hinc fit ut verè affirmari possit Patrem, non esse Trinitatem.

Contra. Quando dicis ex parte objecti in conceptu Pattis respondere naturam divinam, vel ex parte objecti non communicatur natura divina vel communicatur, si non communicatur ex parte objecti. Ergò dicis contra fidem; si communicatur ex parte objecti, quomodo ex parte objecti respondet, in eo quod non communicatur, si non dantur præcisiones objectivæ, jam enim per te contradictorium responderet in eodem objecto. Rursùs si ex parte objecti in conceptu Patris respondet natura divina, ergò ex parte objecti, dicis esse verum, quòd Filius sit Pater, quòd Pater sit Trinitas, dicis enim ex parte objecti in conceptu Patris respondere & naturam divinam & totam Trinitatem, tantùmq; dicis, quòd ex parte actus hoc non sit verum. Deniq; saltem Pater æternus, suam Paternitatẽ non concipit per speciem Patris creati, & tamen nec ille dicit: Paternitas mea communicatur.

Respondet IV. Oviedo. Controversia 4. Metaph. punct. 8. sub hoc conceptu natura divina communicatur, respondere Paternitatem ex parte objecti, nihilominus de Paternitate non potest dici quòd communicetur: quia per diversa media cognoscitur Paternitas & natura, & sicut positâ præcisione objectiva, inter naturã divinam & Paternitatem, ita de illis loquimur, ac si essent à parte rei distincta, ita posito diverso modo noscendi Paternitatem & Naturam, poterimus de illis loqui, ac de distinctis realiter.

Contra. Diversus iste modus concipiendi vel facit, ut su conceptu naturæ, non correspondeat objectivè Paternitas vel non facit. Si non facit, Ergò ex parte objecti communicabitur Paternitas, cujus oppositum docet fides; si facit. Ergò admittis præcisiones objectivas: parum enim refert, an hoc velis appellare præcisionem objectivam, modò dicas sub affirmatione prædicati: Communicatur, non respondere objectum identificatum, quod est Paternitas. Deinde diversus modus concipiendi præcisè spectatus, non potest facere, ut id quod est identificatum alteri realiter, non afficiatur eo prædicato, quo afficitur, aliud illi identificatum realiter. Sic v.g. licèt in homine diverso modo, concipiamus animal, diverso rationale, tamen quidquid affirmatur realiter de animali, affirmatur realiter de rationali. Cumq; diversus modus cognoscendi, teneat se ex parte cognitionis, quid conferret objecto, ut secundùm unam formalitatem communicetur, secundùm aliam non communicetur. Longè autem est alia ratio, quare positis præcisionibus, objectivis, non possit dici de Paternitate quòd communicetur, quantumvis id dicatur de natûra; idq; ideò, quia positis præcisionibus objectivis ex parte objecti, non respondet in conceptu Naturæ, Paternitas, adeoque prædicatum: Communicari, non dicetur de Paternitate, cùm illa non sit subjectum ex parte objecti hujus propositionis, quando dico: Natura communicatur.

Responderi posset V. ex eodem. Aliud esse subjectum Prædicationis, aliud verificationis, cùm enim dico Petro currente, aliquis homo currit, cursus verificatur de Petro, indifferenter tamen prædicatur de Petro, Joanne &c. adeoq; jam aliud est subjectum prædicationis; ita etiam inquit in Divinis cum dico Natura communicatur, subjectum prædicationis est Paternitas, & Natura, sed subjectum verificationis non est nisi sola natura.

Contra. Si subjectum verificationis quando dico Natura communicatur, non est Paternitas quamvis unam eandemq; indivisibilem Entitatem constituant natura & Paternitas, non appareret cur jam non possint dari, præcisiones objectivæ attingendo ex parte Objecti Subjectum verificationis, & non attingendo Subjectum non verificationis, licèt Subjectum verificationis & non verificationis, eandem Entitatem indivisibilem constituant. Deinde paritas adlata non tenet, quia quando dico: aliquis homo currit, Subjectum illud aliquis homo non sumitur determinatè, si non sumitur, de illo determinatum

tum quid, hoc est cursus, verificari non poterit; jam autem cum dico: Natura communicatur est Subjectum determinatum, consequenter illud solum debebit esse Subjectum prædicationis & verificationis.

Principale fundamentum Oppositorum.

Dices. Istæ in Deo præcisiones objectivæ sunt inutiles & non salvant Difficultates Theologicas. Ergò nõ dantur. Probatur Antecedens. In ista propositione Natura Divina communicatur, licèt sub conceptu naturæ Divinæ non respondeat formaliter Paternitas, falsum tamẽ est non respondere Paternitatem identicè, & realiter ad eum modum, quo concipiendo animalitatem hominis, quamvis non concipiã rationalitatem formaliter, falsum tamen est in re illam animalitatem non esse hominem, quia illa animalitas realiter ab homine non distinguitur, ita & in præsenti. Hoc posito ita ulterius urgetur. Quando dico Natura communicatur, respondet sub conceptu naturæ realiter Paternitas quamvis non respondeat formaliter. Ergò etiam realiter communicabitur Paternitas Filio, quamvis non formaliter, adeoq; Filius erit realiter Pater, quamvis non sit formaliter Pater, erit autem Filius realiter & formaliter Deus, quia illi & realiter & formaliter communicatur Natura.

Respondetur ad objectionem. Quando dico Natura Divina communicatur, respondet quidẽ hoc sensu Paternitas identicè & realiter, quia non distinguitur physicè à natura, quia tamen habet distinctionem realem virtualẽ, ideò tunc nec realiter nec identicè respondet hoc sensu. Quasi realiter & identicè communicetur Paternitas, idq; beneficio distinctionis virtualis, quæ distinctio hoc facit, quia sicut si distinguerentur realiter Natura & Paternitas, quando responderet Natura, non esset necesse respondere Paternitatem, ita cum distinguatur realiter virtualiter, non erit necesse respondere Paternitatem, faciente hoc distinctione reali virtuali, sine ulla alietate reali, quod faceret alietas realis: In hoc enim stat ista distinctio realis virtualis. Non nego tamen in re æquè difficile manere hoc mysterium positâ etiam distinctione virtuali & præcisione objectiva, quamvis non maneat æquè difficile in ordine ad nostros conceptus, jam enim ostendetur, quomodo non de uno prædicentur prædicata Contradictoria.

Instabis. Ergò etiam & Deus & beati in Patria præscindere debebunt Objectivè, nam etiam Deus & beati cum dicunt: Natura communicatur, non dicunt Paternitatem communicari.

Respondetur. Non præscindere Deum & beatos objectivè formaliter, præscindere tamen illos objectivè æquivalenter, quia uno actu hoc attingunt, quod nos pluribus. Plura de hoc vide primâ Parte.

Punctum Difficultatis 2.

Verane hæc Propositio? Nulla est perfectio realis, & prædicatum in Paternitate, quod negetur in sensu reali de Deitate.

Post hactenus dicta de Distinctione virtuali, accipio excerpta quædam ex manuscriptis alicujus Recentioris, qui negavit distinctionem virtualem in Divinis, formavitque prædictam propositionem, quam expedit hic examinare.

Præmitto I. *Idem esse negari aliquid, vel affirmari in sensu reali, quod affirmari vel negari realiter* supposita alioqui eorundem Identitate reali. Probat id Inductio. Quia quando dicimus Animalitatem Petri in sensu reali ratiocinari, hoc ipso dicimus, Animalitatem identificatam Rationalitati esse realiter principium Actuum ratiocinandi. Item quando dicimus Rationalitatem in sensu reali sentire, dicimus quòd realiter Rationalitas, sit Principium Actuum sensandi. Idem Præmissum negativo principio stabilitur, quia scilicet non differunt secundùm objectivam formalitatem dictum de aliquo Ly: in sensu reali, & dictum Ly: realiter, nec potest harum duarum phrasium ostendi objectiva diversitas, sicut nec ostendetur in hac dictione, cantat voce suavi, & cantat suaviter.

Applica Præmissum, si in sensu reali convenit naturæ Divinæ generare, realiter conveniet generare.

Præmitto II. *Interfuisse inter Petrum Lombardum, & Ioachimum Abbatem quæstionem*, an verum esset, Naturam non generare cùm generet Paternitas. Affirmabat Lombardus negabat Abbas, dicebatque si à primâ Persona, procedunt aliæ duæ Personæ, si Filio convenit generari, Spiritui Sancto spirari, & tamen nec à Natura producuntur illæ duæ Personæ, nec Natura generatur, nec spiratur inquiebat Abbas, non fore jam Trinitatem, sed Quaternitatem, cùm præter illa prædicata relativa, reperiatur Natura, de qua prædicta prædicata negantur. Res devoluta ad Concilium Lateranense, quod decrevit has propositiones Essentia non generat. Paternitas generat.

Præmitto III. *Errorem Ioachimi, duplicem fuisse*, imprimis, quòd voluerit Essentiam generare, ut ita salvaret, in Divinis Trinitatem esse, non Quaternitatem, deinde quia voluit Trinitatem Personarum salvare per Unionem quandam in voluntate & consensione. Rem ita habere ostendit cap. Firmiter de summa Trinitate. Legatur & glossa capitis.

Dicendum est. *Essentiam v. g. non generare in sensu reali, adeoque convenire aliquod prædicatum Paternitati, quod negetur in sensu reali de Natura.*

Probatur I. Auctoritate. Tum quia

Propositiones quæ sunt de fide, debent accipi ut sonant. Ergò cum absolutè definierit Lateranense: Essentiam non generare, non debet dici quòd in sensu reali, adeoq; realiter generet, hæc enim distinctio, quod in sensu reali, seu realiter generet Natura, non accipit Verba dogmatica ut sonant. Tum quia quando affirmabat Joachim Essentiam generare, quia generat Paternitas videtur voluisse indicare, quòd Essentia realiter generet, & hoc ex duobus colligi potest. Imprimis quia asserebat debere ex Identitate reali Paternitatis & Naturæ sequi, ut sicut Paternitas generat, etiam Natura generet, adeoque quod in sensu reali, seu realiter generet, idq; ob Identitatem realem. Deinde, quia non erat ita depositi ingenii Joachim, ut non admitteret formaliter, seu per rationem, distingui Naturam & Paternitatem. Si ergò distinguuntur formaliter, sequitur ut quod convenit uni in sensu formali, non conveniat alteri itidem in sensu formali. Ergò debuit solùm velle, quòd in sensu reali, Natura generet; & Concilium universaliter enuntiavit; Essentia non generat. Hinc opposita sententia deberet clariùs refellere mentem Joachimi. Tum quia dicendo quod in sensu reali communicetur v. g. Paternitas sicut communicatur Natura, non tantùm non facilitatur Mysterium Trinitatis, quod intendebat prædictus Recentior, sed magis obscuratur; si enim communicatur Filio Paternitas in sensu reali, quomodo Filius in sensu reali & realiter non est Pater, cùm tamen fide constet, non esse eum idem realiter cum Patre, in ratione Patris.

Probatur II. Ratione. Tum quia si in sensu reali communicatur v. g. Paternitas. Ergò ante omnem operationem Intellectûs, nullum datur verificativum hujus Propositionis, Pater non est Filius; si enim esset ante omnem operationem Intellectûs, aliquod verificativum hujus Propositionis, quòd Pater non sit Filius, deberet convenire, prædicatum aliquod ante omnem operationem intellectûs, Paternitati, quod nõ conveniat Filio, solùm enim tale prædicatum posset esse verificativum prædictæ Propositionis. Ergò cùm nullũ sit prædicatum conveniens Paternitati, quod in sensu reali nõ conveniat Filiationi, ratione naturæ, cum qua Paternitas in sensu reali communicatur, nullum etiam erit nemine cogitante verificativum hujus Propositionis; Pater non est Filius & tamen verificativum hoc debet ostendi, cum sit de fide Patrem & Filium, distingui realiter. Tum quia distinctum realiter, non communicatur in sensu reali. Sed Paternitas est distincta à Filiatione, ut fides docet. Ergò Paternitas non communicatur in sensu reali Filiationi. Major probatur. Non idem realiter, non potest esse idem realiter, ratione ejusdem, ut lumen rationis docet. Sed si distinctum realiter communicaretur in sensu reali, non idem realiter, esset idem realiter ratione ejusdem, in quantùm enim Paternitas in sensu reali communicaretur Filio, esset idem, hoc enim communicari idem est, ac identificari, & tamen in quantùm distingueretur à Filio, non esset idem, idque ratione ejusdem Paternitatis. Ergò idem realiter non esset idem realiter, ratione ejusdem. Tum quia falsa est hæc Propositio: Alia est realiter Natura Patris, alia Filii, idque ideò, quia ante omnem operationem Intellectûs realiter seu in sensu reali, communicatur Natura. Ergò etiam falsa erit hæc Propositio: Alia est realiter Persona Patris, alia Filii, quia realiter ante omnem operationem Intellectûs, communicatur Paternitas Filio. Tum quia si in sensu reali sumpta Paternitas communicatur, quia communicatur Natura, cum qua est idem realiter Paternitas, dicam etiam Naturam in sensu reali sumptam, seu realiter non communicari, quia ipsa Paternitas sumpta pro termino naturæ, seu pro distinctivo reali, ipsa inquam Paternitas non communicatur, cum qua tamen est idem realiter Natura Divina, dicam item esse tres Deos distinctos realiter, seu in sensu reali, quia sunt distinctæ realiter tres Personæ, cum quibus est idem realiter Deitas: quod erit omnes phrases sacras in hoc Mysterio subvertere. Tum quia ostendi possunt prædicata, quæ negantur in sensu reali de Natura, affirmantur de Paternitate, v. g. Paternitas est distincta realiter, falsum autem est, Deitatem esse distinctam realiter, falsa item: Paternitas est realiter communis omnibus Personis, vera autem hæc: Natura est communis realiter omnibus personis.

Probatur III. Quia posito quòd non detur distinctio virtualis, nec formalis ex natura rei. Item quod ad salvandum Mysterium Trinitatis non sufficiat distinctio Rationis, positoq; quod in sensu reali generet v. g. Natura Divina, non aderit modus salvandi hæc contradictoria: Natura non generat, Paternitas generat; & tamen est Theologici Instituti hæc salvare. Hæc ratio pondus accipit, ab impugnatione responsionũ.

Responsiones ad Argumenta.

Ad secundum Argumentum.

Respondetur I. Duplicem esse communicationem Paternitatis, alia est communicatio Paternitatis propter Identitatem realem Paternitatis, cum Deitate, vi cujus, sit unus idemque Deus Pater & Filius, & hæc communicatio datur. Nam Pater in sensu reali loquendo, communicat Filio suam Paternitatem, communicatione faciente utrumque, unum Deum. Alia est communicatio Paternitatis in sensu proprio & formali, vi cujus, fieri debeat Patris & Filii una Persona indivisibilis in plures personas, & hoc sensu non communicat Pater suam Paternitatẽ Filio, adeoq; solùm communicat Paternitatem suã accipiendo Paternitatẽ pro realitate Patris.

Contra. Tum quia quando Pater in sensu reali, communicat Filio Paternitatem, vi cujus uterq;

uterque est unus Deus, quæro: an ita in sensu reali communicat Paternitatem, ne in sensu reali communicat naturam, vel non ita? Si ita, ergò sicut titulo communicatæ in sensu reali naturæ, Filius & Pater sunt unum in natura, ita titulo communicatæ in sensu reali Paternitatis, erit in sensu reali una persona; quodsi non ita communicatur in sensu reali Paternitas, sicut communicatur natura, falsa erit propositio: Nullum prædicatur ut perfectio realis dicitur de Paternitate, quæ negetur in sensu reali, de Deitate.

Tum quia, tota hac doctrinâ pressius accepta, quando ponitur communicari realitatem Patris, & non communicari illam in sensu proprio, nihil plus exprimitur quàm communicari naturam, quæ est idem realiter cum Paternitate, cum quo tamen stet Paternitatem non communicari, in quocunque tandem sensu, qui tamen sit nemine cogitante, quem sensum ille appellat proprium. Quorsum ergò ad has phrases recurritur: Paternitas in sensu reali communicatur, natura generat in sensu reali, quæ phrases, non accipiunt Lateranensis verba, ut sonant. Sed hac doctrinâ positâ, quomodo salvabitur nullum esse prædicatum, quod nemine cogitante conveniat naturæ, & nemine cogitante non conveniat Paternitati; nam nemine cogitante convenit naturæ in sensu proprio communicari, & non convenit Paternitati, nemine cogitante in sensu proprio communicari. Hoc ipsum sic aliter proponitur, quæro: an in sensu reali communicetur Paternitas communicatione, vi cujus si esset in sensu formali, fieret verè & propriè persona Patris & Filii una Persona, vel non communicatur in sensu reali, si communicatur, ergò realiter licèt non formaliter, hoc est, non in ordine ad nostros conceptus, eadem est persona Filii & Patris, sicut enim esset formaliter persona Filii persona Patris, si in sensu formali communicaret Filio Pater Paternitatem, ita realiter persona Filii, erit persona Patris, si in sensu reali communicat Pater suam Paternitatem, si autem circumscripta superiùs Paternitas non communicatur, ergò aliquod prædicatum convenit Deitati, quod non convenit Paternitati, nempe communicatio formalis. Itemque communicatio vi cujus fiat unus Deus, Pater & Filius, & non communicatio, vi cujus fiat una persona. Cùm tamen Deitas & persona sint idem. Tum quia cùm sint idè realiter Paternitas & natura, conveniatq; communicatio naturæ, vi cujus fiat Filius unus Deus cum Patre, & non conveniat Paternitati communicatio vi cujus fiat persona Filii, una & eadè cum persona Patris, hoc ipso natura & Paternitas, cum illis prædicata contradictoria conveniant, debent distingui, non realiter, ut docet fides, non formaliter ex natura rei, quia hanc distinctionem negat hic Recentior, non per rationem, quia id non sufficit. Ergò virtualiter. Si enim nec virtualiter distinguuntur non salvabũtur contradictoria, sed de eodem, & ratione ejusdem verificabuntur, quia ratione extremorum indistinctorum, quod certè non esset defendere mysterium Trinitatis.

Hic ipse medius terminus expeditus adhuc urgetur sic. Non communicari in sensu proprio sunt duo contradictoria, ergo inverificabilia de eodem, ratione ejusdem, ut docet lumen rationis, per te essent verificabilia de eodem & ratione ejusdem, quia nullam ponis distinctionem, quæ sit nemine cogitante inter naturam & Paternitatem, hinc quod de Paternitate verificabitur, verificabitur & de natura, utpote indistinctis nemine cogitante. Tum quia cum per te in sensu proprio non communicetur Paternitas, nec communicabitur in sensu proprio natura, utpote indistincta à Paternitate, & tamen aliud contradictionis membrum, verificari de natura docet Fides. Recurrere autem ad distinctionem eminentialem, seu distinctionem non puram realem, est recurrere aliis verbis, ad distinctionem virtualem, quæ tamen negatur, aut si ad illam non recurritur, non ostendetur verificativum allatorum contradictoriorum, quòd sit nemine cogitante, debet autem verificativum horum prædicatorum communicatur, nõ communicatur in sensu proprio esse nemine cogitante, cum & illa prædicata sint nemine cogitante, prædicata inquam objectivè sumpta. Tum quia communicatio in sensu reali Paternitatis Filii, est cõmunicatio, qua sit Filius, eadem persona cum Patre. Nam etiam communicatio Paternitatis, quæ fit per identitatem ipsi Personæ primæ, facit primã personam Patrem. Ergò faciet & secundã, quod autem dicitur, non cõmunicari in sensu proprio & formali Paternitatem Filio, quærere restabit, iste sensus formalis & proprius, vel est nemine cogitante, vel non; si nõ est nemine cogitante, non salvat mysteriũ Trinitatis, quod est in suo esse independẽs à nostris cogitationibus; si autem iste sensus proprius & formalis est nemine cogitante, qui non invehet distinctionem inter hos terminos, quorum unus in sensu proprio & formali cõmunicatur, alter nõ, quæ distinctio si non est actualis, erit certè virtualis. Tum quia quæro. An præter communicationem naturæ divinæ, sit etiam communicatio in sensu reali ipsius Paternitatis, hoc est primi termini substantialis naturæ divinæ & non tantùm realitatis illius termini, quæ realitas sit ipsa natura, si non est, quomodo verum erit in sensu reali illã communicari, quomodo item non cõpetet unũ prædicatum naturæ, quod nec in sensu reali competit Personæ; si autem ipse terminus naturæ communicatur, quomodo illa communicatione, non fit una Persona utriusque sicut communicatione naturæ fit una natura, & sicut communicatio albedinis facit album, cui communicatio termini naturæ, non faciet, ut sit eadem Persona, cum illa, quæ communicatur.

Respondet II. Licèt se totum Pater communicaverit Filio, non ideò communicavit se totaliter, hoc est, non communicavit se per Identitatem, puram, sed per identitatem, qua sit uterque unus Deus, & non per identitatem, qua sint uterque una Persona.

Contra. Tum quia communicatur totaliter natura, in ratione naturæ & non communicatur totaliter Paternitas in ratione Personæ, quæ duo sunt contradictoria, quomodo illa salvari possunt, nisi admittatur, si non realis actualis, saltem realis virtualis distinctio, quomodo itẽ non conveniet unum prædicatum naturæ, quod non conveniat etiam in sensu reali Paternitati, cùm illi non conveniat ut conceditur totaliter, & quidẽ nemine cogitante cõmunicari. Quod adfertur de illa identitate non pura, redit quæstio cùm inter Personam, & inter Deitatem nulla sit distinctio, cur fieri potest, ut evadat utraq; Persona unus DEUS, & non una Persona, cum & natura & Persona communicentur. Tum quia videtur quod Pater, non se communicârit totum Filio, quia habet prædicatum Pater, vi cujus est unus DEUS cum Filio, habet & prædicatum vi cujus est una Persona, & tamẽ est de fide, hoc secundùm prædicatum non communicasse Patrem Filio. Ergò falsum est, quod se totum communicarit; hocq; innuunt locutiones Patrum, qui docent, Patrem omnia dedisse Filio, exceptaPaternitate. Tum quia si Pater communicavit se totum Filio, sed non totaliter, debet dari objectum ratione cujus verificetur illud ly non totaliter. Porrò hoc objectum ratione cujus verificabitur illud ly non totaliter, vel communicatur in sensu reali, vel non communicatur: Si communicatur. Ergò falsum est realiter loquendo, non totaliter illam communicari. Si non communicatur; Ergò aliquod prædicatum convenit naturæ, quod non convenit Paternitati, nam natura totaliter communicatur in ratione naturæ; non communicatur totaliter Persona in ratione Personæ.

Respondet III. Quando dicitur naturam in ratione naturæ. Ut natura est &c. communicari, tunc sumitur natura in sensu præcisivo, præcisio autem est post operationem intellectus, unde concedi hoc sensu potest, quod natura, ut natura est non generet, licèt alio sensu debeat dici illam generare.

Contra. Concedo sumi posse naturam divinam præcisivè, & prout subest nostris intentionibus, tamen verum est nemine cogitante naturam non generare, Paternitatem generare, quî ergò hic non verificatur unum prædicatum nemine cogitante de natura, quod non verificetur de Persona, & cùm dicis in sensu reali naturam generare, hoc solùm significas, quod Paternitas generet, nos autem disceptamus non de natura, prout significat & supponit Personam, sed de natura, prout illam sumpsit Lateranense, dum dixit naturam non generare; cui sic sumptæ jam competet prædicatum non generare, quod non competit Paternitati.

Ad tertium Argumentum.

Responderi I. potest. Non esse necesse, salvare istud contradictorium v. g. non communicatur Paternitas cum in sensu reali communicetur.

Contra. Concedis in sensu reali communicari Paternitatem sumptam scilicet pro natura, da obsecro secundum modum, quo modo sumpta non communicetur, debet autem aliquo modo sumpta non communicari ut salvetur decretum Lateranensis, & distinctio realis Personarum. Si autem aliquo modo sumpta Paternitas nemine cogitante non communicatur, quî id explicabis, si inter naturam, de qua verificatur ly communicatur, & inter Paternitatem, de qua verificatur ly non communicatur, non intercedit distinctio saltem virtualis, & si distinctionem in hanc aut aliam non ostendis, concedis absurdum verificari duo contradictoria de eodem, & ratione ejusdem, quia ratione naturæ & Paternitatis, quæ per te indistinctæ sunt. Salva item hoc: Si in sensu reali etiam Paternitas communicatur Filio, cur in sensu reali Filius non erit Pater.

Respondebis II. Reperiri illic eminentialem identitatem distinctarum & oppositarum Personarum.

Contra. Concedo reperiri hanc eminentialem identitatem, sed quærere restat cur detur identitas eminentialis Patris & Filii in natura, & detur distinctio realis in Personis, cùm tamen per te, illa natura communis, & Persona, non distinguantur etiam virtualiter.

Respondebis III. Etiamsi distincto realis, sit negatio realis identitatis, non tamen contradictoriè opponitur huic negationi realis identificatio.

Contra. Concedo quod negatio identitatis, & realis identificatio non opponantur contradictoriè, si de alio extremo, formalitate, virtualitate, &c. verificetur negatio identitatis, de alio identitas, sed si non detur distinctio ulla inter hæc etiam virtualis, quî non verificabuntur duo contradictoria de eodem, & ratione ejusdem, quod tamen Lumini naturæ repugnat. Concedo, quòd quando aliqua forma, in ratione sua formali, abstracta non consistit in divisibili, sed est divisibilis in plures gradus, sine ulla contradictione, eadem res indivisibilis, per se ipsam habet v.g. unum gradum, & excludit alios. Ea propter autem id concedo, quia ratione aliûs verificabitur habere gradum, ratione alius, non habere gradũ. Sed si non detur distinctio saltem virtualis inter naturam & Paternitatem, quî ostendes ratione unius Extremi verificari identitatem Patris cum Filio, ratione aliûs, negationem identitatis.

Concedo, quòd eadem cognitio possit esse obscu-

obscura & clara. Concedo unam differentiam posse esse & rationem differendi, & rationem conveniendi, sed id habetur ratione diversorum connotatorum, sufficitque id salvare per connotata diversa, sed si non datur distinctio saltem virtualis, quî non ratione unius verificabuntur hæc duo contradictoria, Negatio Identitatis, & Identitas Naturæ v. g. & Paternitatis, quarum distinctionem non sufficit per sola connotata explicare, ut colligi potest ex dictis, de hac distinctione.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

QUædam Objectiones istius Recentioris probant non dari distinctionem virtualem in divinis, quædam probant Paternitatem suo modo communicari.

Quoad Primum.

Objicit I. idem. Per sententiam admittentium distinctionem virtualem, ideò Pater communicando Essentiam Filio, non communicat Paternitatem, realiter identificatam cum Essentia, quia Essentia Divina, habet capacitatem realem ut illa communicata, non communicetur Paternitas; quantumvis sit Naturæ identificata realiter, quod est idem dicere, quia scilicet potest communicari Essentia, non communicata Paternitate, quod est respondere per idem ad idem.

Respondetur. Per nos distinctionem virtualem non esse definitivè capacitatem ad verificanda contradictoria, seu ad distincta realiter, consequenter per nos, non ideò potest communicari Natura, non communicata Paternitate, quia habet capacitatem Natura ut communicetur non communicata Paternitate, sed quia habet æquivalentiam ad plura, seorsim reperibilia, consequenter ad idem non per idem formaliter respondebitur: sed quantumvis distinctio virtualis foret definitivè capacitas verificandorum prædicatorum contradictoriorum, nec dum sequeretur ad idem, per idem formaliter responderi, quamvis responderetur ad idem per idem realiter, sicut non est respondere ad idem per idem, si quærenti, quare homo ratiocinetur respondeatur quia habet Potentiam intellectivam, quam suppono aliunde notam, sicut suppono aliunde hoc est ex fide notum, quod communicetur Natura, non communicetur Paternitas, & universaliter respondere ad quæstionem de actu per Potentiam seu capacitatem, non est respondere ad idem per idem. Hinc nec ad quæstionem, quare communicetur v. g. Natura respondere per Potentiam, capacitatem, virtualitatem communicationis, non erit respondere per idem formaliter, licèt respondeatur per idem realiter, eò quòd illa capacitas ad communicari non sit distincta realiter ab eo, cui communicatur; & sicut si respondeatur ideò Petrum esse hominem, quia est animal rationale, respondebitur ad idem per idem realiter, respondebitur tamen benè, ita & in præsenti.

Objicit II. Lumine Naturæ, secluſa Revelatione notum est, quod non possit eadem indivisibilis entitas, simul produci realiter, secundùm unam formalitatem, & non produci secundùm aliam formalitatem, quin simpliciter eadem res realiter producatur, & realiter non producatur, quia lumine Naturæ certum est impossibile esse aliquid simul esse & non esse. Atqui per tenentes distinctionem virtualem non componitur hoc Mysterium cum hoc Principio, quia negare Principium lumine Naturæ notum, non est componere illud cum Mysterio; hoc autem faciunt tenentes distinctionem virtualem, admittunt enim capacitatem ad verificanda contradictoria, de una indivisibili Entitate. Ergò admittunt idem posse esse, & non esse, consequenter negant illud Principium Lumine Naturæ notum.

Respondetur. Major videtur supponere, quòd aliquid possit esse lumine Naturæ notum, & tamen oppositum revelatio ostendere, indubiè autem quod semel Lumine Naturæ notum est, illi oppositum non potest revelari. Consequenter nego, Lumine Naturæ esse notum, quòd si sit aliquid distinctum virtualiter in ordine ad prædicata primò intentionalia & physica, non possit illud, secundùm unam Virtualitatem produci, secundùm aliam non produci, licèt ad istam doctrinam de Virtualite non pertingatur independenter à Revelatione, consequenter per nos non negatur ullum principium Lumine Naturæ notum, ut salvetur Mysterium Trinitatis.

Instat. Vel beneficio distinctionis virtualis datur simul res & negatio ejusdem rei, vel non; si primum tollitur principium Lumine naturæ notum; si secundùm, Ergò nulla datur capacitas, in re simplici ad verificanda duo contradictoria.

Respondetur. Beneficio distinctionis virtualis datur eadem res, sub una virtualitate, & negatio ejusdem rei, sub alia Virtualitate, si non secundùm eandem Virtualitatem, datur res & negatur, non jam tolletur principium Lumine naturæ notum. Nam contradictoria ut sint, debent verificari de eodem; ratione ejusdem, & licèt non detur in re simplici nec distincta virtualiter, capacitas ad verificanda contradictoria, datur tamen in re physicè simplici, multiplici virtualiter.

Objicit III. Admissa distinctione virtuali, sequitur nugatorias esse omnes veritates revelatas. Concedis verificari: Naturam commu-

nicari, Paternitatem non communicari: quæro cur verificari non poterit hæc Propositio. Deitas communicatur, Deitas non communicatur: Si enim habet Deus capacitatem verificandi duo contradictoria, de se contradictoria sine contradictione. Ergò etiam habebit capacitatem ut verificetur de illo; Deitas communicatur, & Deitas non communicatur.

Respondetur. Quod possit verificari, Deitas communicatur, Paternitas non communicatur, id exinde salvatur, quia ista non sint contradictoria vera, seu ut in prima parte dictum, proportionata, quia scilicet non affirmatur & negatur idem, ratione ejusdem, cùm illic reperiatur alietas virtualis; quia autem hæc duo: Deitas communicatur, Deitas non communicatur, sunt contradictoria proportionata, seu ratione ejusdem, ideò dicta prædicata, verificari non possunt. Ob quam rationem nec verificari possunt hæc prædicata, est immensus, non est immensus. Nego item in Deo dari capacitatem verificandi duo de se contradictoria, sed tantùm datur capacitas verificandi ea, quæ essent contradictoria, nisi interveniret æquivalentia ad duo distincta, seu virtualitas extremorum.

Instat. Etiam posita distinctione virtuali, non potest ostendi quonam pacto, per veram Identitatem, communicetur Essentiæ Paternitas realiter, & non communicetur generare, ut sicut vera est hæc: Essentia est Pater: ita sit vera hæc: Essentia generat. Nam inter esse Patrem & generare nulla est distinctio.

Respondetur. Quòd sit vera hæc Essentia est Pater, fides docet quod autem non sit vera hæc, Essentia generat, fides item docet per Lateranense explicata. Hinc objectio utriq; parti est solvenda. Directè dici potest: Communicatur Essentiæ generare, hoc sensu, quia generare non distinguitur realiter ab Essentia, sed non hoc sensu, quasi realiter generet Essentia, idq; ideò, quia ita communicatur Naturæ realiter Paternitas, itemque ita communicatur Naturæ realiter generare, ut simul sit & Paternitas & generare, distincta virtualiter, ratione cujus distinctionis virtualis competat Paternitati generare, non Essentiæ, & licèt si generare realiter negetur de Essentia, hoc sensu, quod generare non sit idem cum Essentia, certè tunc aliquod prædicatum relativum, distingueretur realiter ab Essentia, sed si generare realiter, negetur de Essentia, quòd scilicet Virtualitas generare, non sit Virtualitas Essentiæ, eo casu, non erit necesse, prædicatum relativum distingui realiter ab Essentia.

Quoad secundum.

Objicit I. Nulla est perfectio realis, & prædicatum in Paternitate, quòd negetur in sensu reali de Deitate, aliàs distinguerentur realiter. Et certè vel communicat Paternitas omnia sua prædicata realiter Essentiæ, cum qua est idem realiter, vel non; si non communicat, ergò non est idem cum Essentia; si communicat. Ergò sicut Paternitas in sensu reali generat, ita Essentia generabit.

Respondetur. Nullum dari prædicatum in Paternitate, quod negetur in sensu reali de Deitate, hoc est, quòd inferat Alietatem illorum realem absolutè, dari tamen prædicatum Paternitati conveniens, quod negetur in sensu reali de Deitate, inferendo alietatem realem virtualem, & quæ sit nemine cogitante, & eo modo Paternitas communicat omnia sua prædicata realia Essentiæ, ut tamen Virtualitas Paternitatis non sit Virtualitas Essentiæ, adeoque communicat se, salva sua Virtualitate, ratione cujus Virtualitatis conveniet Paternitati generare, & non conveniet Naturæ.

Objicit II. idem. Joannis 10. dicitur. Ego & Pater unum sumus. Ergò Filius & Pater absolutè & simpliciter sunt unum & idem.

Respondetur. Concedendo totum, secundùm acceptionem consequentis, quam fides docet, nempe Patrem & Filium esse unum & idem simpliciter in Natura, sed non esse unum in Persona, consequenter non erit necesse Filio communicari Personam Patris, etiam in sensu reali.

Objicit III. Quælibet Persona est in altera. Ergò quælibet communicatur alteri, non per Unionem, ergò per Identitatem.

Respondetur. Videri phrasim hanc modificandam, nam si una Persona, cum altera Persona est idem per Identitatem, sequitur eandem esse Personam Patris & Filii. Directè ad Argumentum dici potest, quòd una Persona sit in alia per circuminsessionem, aliàs explicatam, non autem per Unionem, nec per Identitatem personarum. Retineri etiam potest distinctio procedens per Articulum fidei, nempe unam Personam identificari cum aliâ, sed in Deitate.

Instat. Identificari in Deitate, nihil est distinctum realiter ab extremis identificatis Patre & Filio. Ergò identificari in Deitate, est identificari Patrem cum Filio, & quidem absolutè, ac sine ulla restrictione, quia in sensu reali, sine omni restrictione, Deitas est idem realiter cum Patre & Filio. Ergò datur in Deo realis Identitas distinctorum & oppositorum realiter.

Responsum. Absolutè ac sine ulla restrictione identificari Patrem cum Filio in Natura, hocque solùm secundùm Principia fidei, debet intendere objectio, non autem quòd sit absolutè ac sine ulla restrictione Identitas, etiam in Persona; non enim tantùm est necesse attendere, ut attendit arguens ad Identitatem in Naturâ, sed etiam ad alietatem in Personâ, consequenter non erit necesse unam Personam communicari alteri, in sensu reali. Unde directè ad

Argu-

Argumentum dici potest, distinguo Consequens. Ergo identificari in Deitate, est identificari absolutè, ac sine ulla restrictione in Deitate. Concedo, sine ulla restrictione, ita ut detur identificatio, seu communicatio in Persona. Nego Consequentiam, & tamen Vi argumenti quod posuit, quamlibet Personam esse in alia per Identitatem, videtur adstrui Identitas in Persona, dabiturq; in Deo realis Identitas, distinctorum & oppositorum realiter, hoc est, Identitas in Naturâ, ita tamen, ut stet oppositio in Personis, cùm tamen Argumentum velit invehere Identitatem in Persona, dicit enim utramq; Personam, esse in alia per Identitatem. Identificari item in Deitate à parte rei, nihil est realiter distinctum ab ipsis extremis, est tamen aliquid virtualiter distinctum, consequenter non erit identificatio sine ulla restrictione aut vi cujus identificatio invehatur alia, præter identificationem in Virtualitate Naturæ.

Objectr IV. Pater quà Deus, realiter identificatur Filio, sed Pater se toto realiter est Deus. Ergò Pater se toto realiter identificatur Filio, ut enim quod se toto Deus est, absolutè & sine restrictione Deus est ita, cui absolutè identificatur Deus, etiam id ei identificatur absolutè, quod Deus est.

Respondetur. Si Ly se toto, identificatur, sumatur etiam pro Persona Conclusionem negat fides, realiter enim distincta Persona Patris, non identificatur realiter Personæ, Filii, si autem Ly se toto non involvat Personam, propositio erit vera, sed non infert intentum arguentis, non infert enim Personam in sensu reali communicari, non infert nullum esse prædicatum conveniens Naturæ, quod in sensu reali non conveniat Personæ. Dici etiam potest argumentum hoc non esse Categoricum, nam imprimis in minori, non ponitur hoc quod subjiciebatur in Majori, debuisset enim sic formari Propositio. Sed Pater se toto, est Pater quà Deus, sicq; formato Argumento, falsa esset Minor, quia Pater præter formalitatem quam habet, quâ Deus, quæ importat Virtualitatem Naturæ, habet etiam Virtualitatem Personæ. Deinde, videtur in hoc Syllogismo non distribui medius Terminus. Neque enim Majoris sensus est. Omne quod dicit Pater realiter identificatur Filio, & si hunc sensum faciat, falsa erit Major. Denique stando in Principiis de Distinctione virtuali. Distinguitur Major. Pater quà Deus realiter identificatur Filio, etiam secundùm Virtualitatem Paternitatis nego Majorem, sine identificatione hujus Virtualitatis. Concedo Majorem. Et licèt quod se toto Deus est, absolutè & sine restrictione Deus est, quia in ratione Deitatis, seu in Virtualitate Essentiæ, non datur Distinctio virtualis, tamen cui absolutè identificatur Deus, hoc est, Deitas, non erit necesse identificari absolutè ei, quod Deus est, quia illud quod identificatur, potest virtualiter distingui à natura, adeoque v.g. habere titulum, ne communicetur, quantumvis illi identificatam, communicetur.

Instat. Pater quà Pater distinguitur à Filio, & ideò absolutè distinguitur. Ergò etiam quia Pater quà Deus identificatur Filio absolutè identificatur. Consequentia probatur, quia cùm denominatio, quæ competit Patri quà Deus est, sit essentialis, & substantialis ut dicunt Patres, & illa quæ convenit Patri, quà Pater est, saltem aliquomodo non sit essentialis, quia relativa, debet prævalere Denominatio essentialis, non essentiali, & consequenter, potius absolutè dicendus est Pater, esse idem, quàm distinctus à Filio & hoc Argumentum procedit in sensu reali non formali, post operationem intellectûs.

Respondetur. Sy Ly absolutè distinguitur, supponat pro Ly distinguitur secundùm omnia quæ dicit Pater, distinguitur inquam à Filio, negabit antecedens Fides. Consequenter negabitur Patrem quà Deum, secundùm omnia quæ dicit, absolutè identificari, cum non identificetur secundùm Paternitatem. Si autem Ly absolutè identificatur, & absolutè distinguitur supponat illud pro identificari in Natura, hoc autem pro distingui in Persona veræ sunt propositiones, sed contra nos non faciunt. Posito quod Relationes in Divinis sint transcendentales, falsum erit Relationes aliquomodo non esse essentiales. Quod attinet ad Regulam illam, de denominationibus traditam illa non tenet, etiam posito, quòd denominatio Patris non sit essentialis; idque ideò, quia esse idem, est denominatio, quæ debet esse ex integra causa, non esset autem ex integra causa, si absolutè dicatur Patrem esse idem cum Filio, licèt distinguantur realiter in ratione Personæ. Hoc autem, quod est esse distinctum, est prædicatum negativum quod verificatur, etiamsi nonnisi sub aliquo conceptu, aliqua non sint idem. Rursùs magis est quid principale in homine Anima quàm Corpus, & tamen ab hoc principali non denominatur homo spiritualis. Ergò etiam quamvis sit denominatio à Deitate, tanquam à principali & essentiali, non sequetur ob identificationem Filii & Patris in Deitate, debere dici absolutè illos identificari. Deniq; in Principiis tenentium distinctionem virtualem dici potest, quòd Filius à Patre distinguatur secundùm Virtualitatem Personalitatis identificatam Naturæ, secundùm autem Virtualitatem Deitatis identificari; adeoq; nec absolutè distingui, nec absolutè identificari, secundùm Virtualitatem Deitatis, & absolutè distingui secundùm Virtualitatem Paternitatis. Deinde quando sumitur Pater quà Pater, sumitur secundùm id quod distinguitur realiter à Filio, si sumitur secundùm id quod distinguitur realiter, sumitur secundùm id, quod absolutè

solutè distinguitur, sed quãdo sumitur Pater quà Deus, sumitur & secundum id quod distinguitur per ly Pater & secundum id quod non distinguitur hoc est per ly Deus, Ergo non debet dici absolutè identificari, nam absoluta identificatio, aufert distinctionem personarum.

Auctoritates in Oppositum.

Objicit V. idem. Varias Auctoritates.

I. Auctoritas est August. lib. 15. de Trinitate, cap. 14. ubi ait *Filium esse Essentiam, de Essentia, hoc omninò quòd Pater, non tamen Pater,* & libro de Fide & Symbolo cap. 3. ait: *Deus cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit*; & in fine capitis, *Hoc*, inquit, *genuit, quod est ipse qui genuit.*

Respondetur. Has & similes Auctoritates debere ab ipsomet objiciente solvi ob decretoriam auctoritatem Lateranensis, dicitq; Ruiz de Trinitate Disp. 80. Sect. 7. n. 9. quod Patres, qui hoc dicunt congruentes & sanas expositiones exigant & admittant. In particulari, id dici potest Filium esse Essentiam de Essentia, hoc est genitum ex fœcunditate naturæ, estque Pater, id quod ipse genuit secundùm Deitatem, licèt non sit idem secundùm Personam, quod significat illud Ly nõ tamen Pater. Si autem non est idem secundùm Personam, non erit necesse Paternitatem etiam in sensu reali communicari Filio. Posset etiam citari August. ex lib. 7. de Trinitate cap. 1. ubi dicitur quòd Pater genuerit Essentiam suam, sed illo loco, id sibi proponit Augustinus nonnisi per modum Objectionis de quo vide dicta 1. parte Disp. ult. n. 344. aliis autem quæ recitari possent locis solùm innuit, quòd Filius habeat Essentiam, sed viâ generationis sibi communicatam, hoc est, quia generatur Persona, quæ est idem cum Essentia. Auctoritates autem Augustini in Oppositum infra adferentur.

II. Auctoritas ex Richardi lib. 5. de Trinitate cap. 22. ubi damnat tanquam parùm tutam, & aberrantem à sententiis antiquorum Patrum doctrinam eorum Theologorũ, qui nullo modo concedunt, quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam, &c. *Adferant si possunt auctoritatem, non dico*, inquit, *plures, sed saltem unam, quæ neget substantiam generare substantiam.*

Respondetur. Imprimis ex Ruiz quod corrigenda sit hæc doctrina Richardi, qui etiam dicit supra Sect. 4. num. 6. ex obliquo sequi aliquid contra ejusdem sententiam, post damnatam doctrinam Joachimi. Quod attinet ad testimonia sacra pro nostra sententia.

Primum Testimonium est Lateranensis Concilii & Innocentii tertii cap. Damnamus.

Secundum Testimonium est Joannis Theologi in Concilio Florentino Sess. 19. col. 3. §. ut exemplum. *Communi*, inquit, *Doctorum sententia, divina substantia nequaquam generat. Vbi loquitur* Joannes ex communi sensu, quem tamen pro se dixerat esse Richardus.

Tertium Testimonium est Justini in Confutatione dogmatum Aristotelis de naturali auscultatione. *De Deo*, inquit, *cum dicitur ingenitus, negatur secundùm Essentiam Generatio.* Euthymius in part. 1. Panop. tit. 7. *Cigni non est Naturæ, sed Hypostasis, nam si esset Naturæ, neutiquam in eadem Natura genitum consideraretur & ingenitum.*

Quartum Testimonium Athanasii lib. 2. de Trin. contra Anomæum. Pater, Filius & Spiritus Sanctus ingenita sunt Essentiâ, similia habet & Ephrem Sermone de Pœnitentia, ubi inquit, *unam consubstantialis Trinitatis Naturam ingenitam.* Vide eundem de reprehensione suiipsius.

Quintum est, August. lib. 7. de Trinit. cap. 2. *Nata Sapientia, in uno eorum, quod nata est, & Verbum, & Imaginem, & Filium intelligi, & in his omnibus nominibus non ostendi Essentiam, quia relativè dicuntur.* Infer natum intelligi Verbum, Imaginem, Filium, non intelligi Essentiam natam, ob textum Augustini. *Et in his omnibus, nominibus*, inquit, *non ostendi Essentiam.* Favet & sermone 64. de Verbis Domini, secundùm Joan. c. 6. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, non participando, sed in semetipso.* Infer quomodo non participando habet Essentiam & vitam, si illius Essentia & Vita est genita. Lib. etiam de Fide & Symbolo c. 4. ait *de ipsa Patris Substantia natus est, idem existens, quod Pater.* Infer non existeret idem quod Pater, si Essentiam haberet genitam, cum Patris Essentia sit ingenita, nec tenebit illud, quod voluit prædictus Recentior, absolutè distingui Patrem à Filio, quomodo enim absolutè distinguitur, si idem existit quod Pater.

Possent & alia plura testimonia adferri. Explicando autem Auctoritates in oppositum, tenendum est quòd via generationis habeat Substantiam sibi communicatam, secundùm explicationem supra allatam, tenendum & hoc erit, quod frequenter sub nomine substantiæ acceperint Hypostasim Patres. Vera autem est Propositio, quod divina Hypostasis Hypostasim generet.

III. Auctoritas est Basilii apud S. Thomam de erroribus Græcorum. *Ipse Filius*, inquit, *quem dat nobis Pater, est Deus, de Deo essentialiter genitus, habens in se totam essentiam Patris genitam.*

Respondetur. Filium habere totam Essentiam Patris genitam, hoc est viâ generationis communicatam. In oppositum est idem lib. 5. contra Eunomium Ingeniti appellatio significat, quomodo se habeat substantia Dei, & quod nata non sit.

IV. Auctoritas est Hilarii lib. 4. de Trinitate, *Nihil nisi natum habet Filius.*

Respondetur. Ideò id dici, quia Esse habet viâ generationis communicatum.

V. Auctoritas est Florentini ubi fusè defenditur idem esse dicere Filium esse natum, ex Patre vel à Persona Patris, atq; dicere ex substantia Patris.

Patris. Ergò si ante omnem præcisionem est verum quòd Filius sit ex Persona Patris, verũ etiam erit quod sit ex Essentia, vel ab Essentia Patris.

Respondetur. Hoc solo sensu id verum esse, quem etiam inibi intendit Concilium, quod Filius sit natus, ex fœcunditate Naturæ divinæ. hoc autem sensu Filius est ab Essentia Patris.

Instat. Veræ sunt hæ Propositiones in sensu reali, sumendo Essentiam pro Persona. Essentia generat. Essentia generatur. Essentia procedit, sicut etiam hæ. Essentia non generat, Essentia non generatur. Essentia non procedit, sine ulla contradictione, nam licèt Essentia sit singularis, quatenus est realiter indivisibilis, in plures Essentias, quia tamen habet multiplicitatem realem Personalem, potest supponi indefinitè & particulariter, imò hæ Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, non sunt contradictoriæ, sed subcontrariæ, sicut non sint contradictoriæ. Persona generat, Persona non generat.

Respondetur. Sumendo Essentiam pro Persona, vera est Propositio Essentia generat. Sed nego ita illam sumi debere, ob phrasim Lateranensis, quod definit. Essentia non generat. Concedo has, Persona non producit, Persona producit non esse contradictorias, sed subcontrarias, quia pro alia Persona supponit affirmatio, pro alia Negatio. Non est autem alia Essentia generans seu genita, alia non generans seu non genita, consequenter hæ non sunt subcontrariæ sed contradictoriæ.

Colliguntur quædam.

Colliges I. Quis sit Processus totius hujus difficultatis, asserit communis sententia, si non detur distinctio formalis ex natura rei in Divinis, dari saltem Distinctionem virtualem, negavit utrumque hic recentior. Instat communis sententia per fidem, Essentia non generat, Paternitas generat si Ly Natura & Ly Paternitas non distinguuntur. Ergò implicabit Mysterium Trinitatis, quia de indistinctis, hæc duo verificari non possunt.

Respondet. Recentior, etiam Essentiam generare.

Instat. Communis sententia. Lateranense Concilium definivit, quod Essentia nõ generet.

Contra hoc inculcabatur. Debere aliquo sensu sumptam Essentiam non generare, & quidem nemine cogitante, ut ita salvetur & Mysterium Trinitatis, quod est nemine cogitante, & Decretum Lateranensis, casu autem quo ostendatur, in quo sensu sumpta Natura non generet, cùm Paternitas generet, sequenter duo. Imprimis inter Naturam sic sumptam & Paternitatem debere poni distinctionem, ne de eodem indistincto verificetur; generat, non generat, deinde sequitur unum prædicatum convenire Naturæ nemine cogitante, quod non conveniat Paternitati, nemine, inquam, cogitante, quia nemine cogitante, datur Mysterium Trinitatis, in quo est Natura Divina, de qua enuntiavit Lateranense non generat, & Paternitas, de quâ enuntiatur quòd generet.

Colliges II. Si quis cum Joachimo diceret, non esse in Trinitate unitatem veram, sed per consensionem &c. manifestè esset Hæreticus. Cæterùm ita enuntiat Ruiz, loco citato Sect. 4. n. 3. Si quis expresè profiteretur Essentiam divinam esse realiter unam, propriè ac verè &c. Si tamen assereret propriè loquendo, ac de rigore sermonis esse, veras hujusmodi Propositiones Essentia generat, Essentia non generat, &c. foret ejus sententia non modò temeraria, sed etiam periculosa, & errori proxima, casu autem, quo affirmaret eum modum loquendi non esse proprium, ac de rigore sermonis, in hoc eventu, Propositiones illæ, licet meritò censerentur inconsideratæ, impropriæ, ac temerariæ, non tamen essent erroneæ, nec periculosæ. Hæc ille.

Colliges III. S. Thomam in Joachimo, reprehendere in prima parte q 39. art. 5. in (.). quòd dixerit Essentiam generare. Verba Textus sunt: *Respondeo dicendum, quod circa hoc erravit Abbas Ioachim, asserens, quòd sicut dicitur, Deus genuit Deum, ita potest dici, quod Essentia genuit Essentiã, considerans, quòd propter divinam simplicitatem, non est aliud Deus quàm divina Essentia.* Inferriq; clarè potest mens hæc Joachimi ex illo quòd ajebat Joachim. Si essentia non generat quaternitatem fore, non Trinitatem, alii autem Auctores reprehendunt potius in illo, quòd posuerit essentias tres distinctas, inter quas sola sit consensio. Unde etiam dicunt per directum hoc solum esse damnatum in Joachimo, cùm etiam non sit damnatus Richardus, qui docuit ante Joachimum Essentiã generare. Videntur tamen posse complanari hi Auctores si attendatur ad duplicem in hac Materia errorem Joachimi. Primum errorem magis impugnandum accipit S. Thomas, posteriorem errorem alii Auctores.

DIFFICULTAS III.

Vtrum dentur in Creatis Præcisiones Objectivæ.

Dicendum est. *Dari Præcisiones objectivas in Creatis.* Videtur hæc sententia esse etiam Aristotelis, qui primo posteriorem text. 39. ait: Dari naturam talem quæ præter particulares & singulares naturas, & trianguli naturam, præter quosdam particulares triangulos, & tamen per oppositos trianguli natura, sunt ipsi trianguli particulares.

Probatur I. Quia nihil vetat illas dari. Si autem nihil vetat illas dari hoc ipso dabuntur, quia ea quæ sunt necessaria, si nihil vetat ut sint, hoc ipso erunt. Ut autem aliquid possit præscindi objectivè, est quid necessarium. Quod autẽ nihil vetet dari præcisiones objectivas exinde colligetur, quod ad solvendas objectiones adhibebitur, respiciendo autem ordinarium fundamentum Adversariorum illud non convincit. Si enim non darentur præcisiones objectivæ in Creatis,

Creatis, ideò non darentur, quia deberet dari distinctio virtualis in Creatis, quam asserunt illi non posse dari. Sed hoc non vetat ne adhuc dentur Præcisiones objectivæ, quia adhuc nil vetat dari ipsam distinctionem virtualem in Creatis in ordine ad prædicata secundò intentionalia illaq; data non sequetur adhuc mysterium Trinitatis in Creatis ut supra dictum. Nec sequetur ulla infinitudo in Creatura, nec enim est fundamentum id asserendi, & sicut ex præcisione formali non sequetur ulla infinitudo, ita nec sequetur ex præcisione objectiva, imò potius sequetur limitatio desumibilis ex ipsâ alietate virtuali, faciente & limitante hanc Virtualitatem, ut non sit alia Virtualitas.

Probatur II. A pari, Datur in Divinis præcisio objectiva. Ergò & in Creatis.

Respondet Arriaga. Plura posse Deo convenire propter ejus infinitatem, quàm Creaturæ, nec licitum esse, ab eo quod Deo competit, ut pari argumentari quod etiam Creaturæ competat: ita v. g. non est licitum dicere Deus intelligit per suam substantiam. Ergò & Creatura. Potest communicari Natura divina non communicata Personalitate, Ergo & Creata poterit. Si ergò hæ Consequentiæ non valent, nec valebit ex eo inferre, quia dantur præcisiones in Divinis dari etiam illas in Creatis.

Contra I. est. Dantur præcisiones objectivæ in Divinis nec hoc arguit infinitatem. Ergò & dabuntur in Creatis, non repugnat enim prædicatum hoc præcisionis objectivæ conjungi finitudini, non potest quidem Natura Creata communicari non communicatâ personalitate creata, si sit illi identificata realiter, quia hoc argueret Mysterium Trinitatis, sed hoc non contingeret ut dictum supra, positis præcisionibus objectivis. Deinde putatur communiter ab utraque parte implicare Creaturam per suam substantiam intelligentem actu, quia hoc ipso esset actus purus in intelligendo, ratio autem actus puri intelligendi arguit apud utramque partem Deitatem, datis autem Præcisionibus objectivis in Creatis, nõ apparet quod sequatur fore Creaturam actum purum, vel participantem prædicatum nonnisi Deitati innexum.

Contra II. Infinitas Dei est impertinens ad has præcisiones, quod probatur. Infinitas Dei vel tribuit vires intellectui præscindendi unum ab alio, vel non? si tribuit, Ergò ex perfectione objecti crescit perfectio intellectus intrinseca, & vis cognoscitiva, quod falsum est, aliàs etiam altissimum Objectum, quale est Deus, redderetur etiam quidditativè noscibile, idq; naturaliter ab intellectu Creato, siquidem perfectio objecti, auget vim intrinsecam cognoscitivæ potentiæ, si autem infinitas illa Dei, non tribuit Vires intellectui ipsi, Ergò hoc, quòd intellectus cognoscat naturam divinam, non cognitis personalitatibus, non proficiscitur id ex infinitate Dei essentiæ, sed ex ipsius intellectûs efficacia, positi in circumstantia objecti virtualiter multiplicis, quod virtualiter multiplex objectum non posse in creatis reperiri, tu non ostendis aliunde.

Contra III. est. Circa objectum infinitum, ex eo, quia multiplex est virtualiter pro sua parte, & pro sua parte intellectus, qui habet vim unam eandemq; Entitatem partiendi per plures Conceptus inadæquatos, sequitur dari præcisiones objectivas. Ergò etiam circa objectum finitum, si sit multiplex virtualiter in ordine ad nostras intentiones, accedens intellectus, cum sua vi præcisiva, poterit unam formalitatem cognoscere, non cognita alia ex parte objecti. Et certè, pone per impossibile Deum esse infinitum, & non habere distinctionem virtualem, non dabitur jam in Deo præcisio objectiva. Ergò apparet id ex infinitate non oriri. Et si per impossibile in Creatis secluſa infinitudine, daretur Mysterium Trinitatis, hoc ipso darentur & præcisiones objectivæ, cur non enim enuntiari posset, producitur personalitas creata ex parte objecti, non producitur ex parte Objecti natura, & tamen tunc ut ponit suppositio non foret ulla infinitudo. Ergò apparet præcisiones non arguere formaliter infinitudinem, & sicut non rectè quis responderet ex eo non dari præcisiones objectivas in Creatis, licèt dentur in Divinis, quia Creatura non est Omnipotens, eo quod immensitatis Formalitas non spectet ad præcisiones objectivas, ita nec per infinitudinem rectè respondetur, cùm etiam illa non habeat nexum formalem cum præcisionibus objectivis.

Probatur III. ex principiis Oppositorum. Potest in Principiis Oppositorum unum idemq; realiter cognosci clarè, & non cognosci clarè. Potest item respondere intra eandem Entitatem denominatum ab intellectu, quod est animal, & non respondere denominatum ab intellectu, quod est animal, sed respondere rationale. Potest concipi una eademque Entitas in ordine ad hæc Connotata, & non concipi in ordine ad alia connotata. Ergò poterit idem cognosci ex parte objecti & non cognosci, adeoque haberi præcisio objectiva, & si per Oppositos in Casu Antecedentis qui continet doctrinam Oppositorum, non sequitur de una eademq; re verificari duo contradictoria, ita nec sequetur in nostris principiis, qui etiam ostendimus non ratione ejusdem hoc esse v. g. formaliter animal & hoc formaliter rationale.

Addo, si quis attendat quo in sensu admittantur præcisiones objectivæ à nobis, vix superesse nisi quæstionem de voce, non enim hoc sensu admittuntur, quasi dum attingo animal, illud comparatè ad statum realem non sit rationale, sed quia animal in statu intentionali, & prout repræsentatur, est objectum tale, ut in illo prout repræsentato non respondeat rationale; ita ut tantùm illa cognitio animalis non repræsentet nobis rationale, sed ut & ipsum objectum prout repræ-

repræsentatum, qvod est animal, non repræsentet rationale, & per hoc qvia concedimus non tantùm cognitionem v.g. repræsentantem Animalitatem, non repræsentare rationalitatem, sed etiam qvod in ipso objecto prout respondente repræsentationi, non respondere Rationalitatē, differimus à Negantibus Præcisiones objectivas. Hinc per nos nec Cognitio ipsa animalis repræsentat rationale, nec ipsum animal, quod est repræsentatum, seu objectum repræsentationis repræsentat illud. Quod autem illud objectum, quod est animal, si sumatur prout repræsentatur, non repræsentet in se rationale, vel exinde habetur, quia experitur anima, ita sibi tunc non præsentari objectum, quod est rationale, sicut experitur sub eodem objecto quod est animal, non sibi repræsentari lapidem. Ergò apparet ex parte objecti, non esse illud repræsentatum.

Confirmatur Conclusio. Contra particulares aliquorum in hac materia modos loquendi, præcipuè eorum qui dicunt, ex parte objecti, quando cognoscitur animalitas, cognosci rationalitatem, licèt tunc non cognoscatur rationalitas ex parte actus, certè enim in intelligibile est, aliquid esse denominatum à cognitione, & non esse actum cognitionis circa illud, sicut non potest dici album aliquid, si illud albedo non dealbet, nec est quidquam visum ex parte objecti oculariter, quod non sit visum ex parte actus. Quæ omnia in hoc resolvuntur, quia illud cognitum, illud dealbatum, illud visum esset denominatum sine ratione sua formali, quod est Cognitio, Albedo, Visio. Unde jam ulterius urgetur hæc ratio. Id quod est cognitum ex parte objecti, debet habere rationem formalem constitutivam sui in esse cognito ex parte objecti, hæc autem constitutiva formalis ratio, non est nisi ipsa cognitio ex parte objecti, quæ enim alia esset & tamen tunc habetur negatio cognitionis ex parte Objecti secundùm dicta supra quomodo ergò habetur cognitum ex parte Objecti.

Punctum Difficultatis 1.

Respondetur oppositis Fundamentis.

Objicitur 1. Implicat idem produci & non produci. Ergò etiam implicabit idem cognosci & non cognosci.

Respondetur. Disparitatem esse, quia ex priori sequitur distinctio virtualis, in ordine ad prædicata physica, idq; in Creatis quod absurdum est. Non sequitur autem id ex Consequenti.

Objicitur. II. Per Cognitionem intuitivam non potest fieri præcisio objectiva. Ergò nec per abstractivam.

Respondetur Negando Antecedens in prima parte. Disparitas etiam est, quia quando intellectus concipit res intuitivè, concipit eas prout spectantur à parte rei & in esse physico, in quo nulla præcisio & inadæquatio, quæ inadæquatio potest esse in statu Logico & repræsentationis.

Objicitur III. Non datur distinctio virtualis in Creatis, alioqui res creatæ per mysterium Incarnationis essent explicandæ. Ergo nec præcisio.

Respondetur. Si daretur in Creatis Virtualis distinctio in ordine ad prædicata Physica verum tum non nisi fore Antecedens.

Instabis. Si detur quæcunq; virtualis distinctio in Creatis, sequitur nunquam nos posse procedere tutò in forma Syllogistica, antequam nobis cognitum sit, quæ membra sint distincta virtualiter & ita posito hoc Syllogismo: Omne risibile est animal, omne rationale est risibile. Ergo omne rationale est animal, poterit huic Syllogismo negari Consequentia, eo quod fieri possit, ut aliqua à medio termino non distinguantur virtualiter distinguantur autem inter se: sicut v. g. hic Syllogismus: hæc Essentia Divina est Paternitas. Filiatio est essentia Divina, Ergò filiatio est paternitas, hic inquam Syllogismus non tenet in sententia distinctionem virtualem in Divinis tenente. Ergo nec in Creatis tenebit.

Respondetur. Syllogismum illum in Creatis non æquè se habere ac in Divinis, quia Consequentia illa in Divinis non tenet ob distinctionem virtualem in ordine ad prædicata Physica, quæ non habetur in Creatis, Rursus vi hujus argumenti, sequitur etiam distinctionem rationis ratiocinatæ, destruere formam Syllogisticam; quia fieri potest ut aliqua à medio termino non distinguantur ratione ratiocinata distinguantur inter se. Denique concedi posset quòd inter, prænota de subjecto & prædicato debeat esse, an sint distincta virtualiter, & sicut alia prænota non officiunt formæ Syllogisticæ ita nec hoc. Addo num. 6. dicit Oviedo hoc argumento utens, distinctione virtuali non destrui formam Syllogisticam, & tamen numero 15. dicit: Negari posse Consequentiam ob distinctionem virtualem.

Objicitur IV. Cognitio sensuum non præscindit. Ergo nec Cognitio intellectiva.

Respondetur. Disparitatem esse quia sensus non attingit nisi sensibile. Rationes autem illæ ad quas attendit præcisio objectiva, non sunt sensibiles. Deinde quia sub intellectione ut sic, continetur præcisiva cognitio. Si ergo sensus non participat rationem communem præcisionis objectivæ, quæ est intellectio, nec poterit sensatio esse præcisio.

Objicitur V. Ita se habet cognitio animalis ad rationale, sicut se habet istius termini homo cognitio comparati ad rationale, & tamen rationale & homo non præscindunt objectivè.

Respondetur Communiter, disparitatem esse, quia inter hominem & animal rationale, non datur distinctio virtualis, quæ datur inter animal & rationale. Hinc quamvis rudis aliquis putaret Petrum esse hominem, sed non esse animal rationale, non præscinderet objectivè defectu ejusdem distinctionis. In nostris principiis disparitas est quia ratio communis animalis, non est ratio communis rationalis, jam autem ratio communis hominis est ratio communis animalis rationalis, præcisiones

autem objectivæ ſupple in creatis, dantur nonniſi inter rationes communes.

Instabis I. Illa cognitio animalis ejusdem præciſiva à rationali, vel eſt præciſio realiter hominis, vel non eſt præciſio realiter hominis; non primum, quia hoc ipſum non eſſet præciſum objective à rationali quod importat homo; non ſecundum, quia illud animal eſt realiter homo.

Respondetur. Cognitionem illam animalis, eſſe cognitionem realiter hominis ſed inadæquatè ſpectati, homo autem inadæquatè ſpectatus non dicit rationale. Deinde illa cognitio eſt cognitio realiter hominis pro ſtatu phyſico, illa enim animalitas pro ſtatu phyſico, eſt realiter homo; ſed non eſt realiter hominis, quaſi pro ſtatu Metaphyſico, totum hominem importet.

Instabis II. Ex Oviedo. Implicat ex duabus formalitatibus creatis unam identificari cum alia tertia, & non identificari alteram cum eadem. Ergo implicat animal identificari cum termino formali hujus cognitionis, quæ cognoſcit animal & rationale identificatum cum animali, non identificari cum eodem termino. Ergo implicat animal eſſe terminum cognitionis & rationale non eſſe terminum cognitionis.

Respondetur. Negando ſecundam illationem. Ratio, quia Concedo ipſum animal quod eſt terminus cognitionis identificari rationali pro ſtatu phyſico, ſicut identificatur homini, ſed ſi non cognoſcatur objectum adæquatè, nego quod omnia realiter identificata inibi cognoſci debeant, identificariq; ſibi realiter pro ſtatu Metaphyſico.

Instabis III. Si cognito animali hominis, non cognoſceretur rationale, hoc ipſo non cognoſceretur hæc animalitas, quia verus eſt iſte Expoſitorius: hæc Entitas eſt rationalis, at rationale eſt non cognitum. Ergo hæc Entitas eſt non cognita. Ergo ulterius hæc Entitas non eſt cognita; nam à ſenſu infinitante licitum eſt arguere ad Negativum in ſimili: Homo eſt non lapis, Ergo non eſt lapis.

Respondetur. Diſtinguendo Majorem hæc Entitas eſt rationalis ſumpta adæquatè, Concedo Majorem. Sumpta Inadæquatè, Nego Majorem. Diſtincto que Conſequenti, Nego Conſequentiam. Inadæquatè enim accepta hæc Entitas, dicit animalitatem cujus eſſentia non eſt eſſe rationale.

Objicitur VI. Impoſſibile eſt objectum unum & Indiviſibile ſecundùm aliquid ſui attingi & ſecundùm aliquid ſui non attingi. Si autem darentur præciſiones Objectivæ fieret hoc, nam Indiviſibilis Entitas hominis, poſſet in duos inadæquatos Conceptus hominis dividi.

Respondetur. Invertendo argumentum in quantum Oppoſiti dicunt ex parte actus idem indiviſibile objectum attingi clare, non attingi clare. Rurſus vera eſt Major, ſi objectum ita ſit indiviſibile ut excludat virtualem multiplicitatem & diverſa connotata.

Instabis. Non poteſt punctum indiviſibile ſecundùm aliquid tangi, & ſecundùm aliud non tangi. Ergò & in præſenti idem dicendum.

Respondetur. Diſparitas eſt, quia in Caſu Antecedentis ſequeretur dari partem tactam & non tactam realiter, adeoque non eſſet jam illud indiviſibile realiter, utpote involvens partes: cognitio autem noſtra non poneret in objecto indiviſibili partes aliquas diſtinctas realiter, adeoque præciſio ſtaret cum reali indiviſibilitate objecti, non ſtaret contactus ille. Deinde quia in Caſu Antecedentis ſaltem deberet admitti in creatis diſtinctio virtualis in ordine ad prædicata phyſica quod repugnat; non autem ſequetur illam admitti, poſitis præciſionibus objectivis.

Punctum Difficultatis 2.

Reſpondetur reliquis objectionibus.

Objicitur VII. Si animal ſine differentiis conciperetur, eſſet Ens rationis, ſed hoc eſt falſum. Ergo:

Respondetur. Quod non fieret tunc Ens rationis proprium, neque enim animal erit quid impoſſibile, per modum poſſibilis apprehenſum. Conjunctio item horum prædicatorum vivens ſenſitivum non eſt conjunctio impoſſibilium, fieret tamen Ens rationis quoad modum illud faciendi, quia ſicut Ens rationis, non fit niſi ab intellectu, ita nec fit præciſio objectiva.

Objicitur VIII. Diſtinctio debet eſſe in intellectu. Ergo nullæ dabuntur præciſiones objectivæ.

Respondetur. Diſtinctionem debere eſſe ſubjective in intellectu, terminativè in objecto, ex eo autem non ſequetur, nullas dari præciſiones objectivas.

Instat Quidam. Eſſe cognitum, eſſe viſum, eſſe amatum, ſunt denominationes extrinſecæ objectis, nec ſe tenent ex parte objecti, ſed tantum ex parte actus. Ergo ſimiliter hæc denominatio, eſſe præciſum ſeu eſſe diſtinctum per rationem animal à rationali, non ſe tenet ex parte objecti ſed ex parte actus; ſicut enim cognitio non eſt in objecto, ſed in intellectu, ita & præciſio cum ſit actus intellectûs, non eſt in objecto ſed in intellectu.

Respondetur. Indubie ſicut eſſe cognitum eſt quid extrinſecum objecto, ita & eſſe præciſum, eſt quid extrinſecum rei, à parte rei & Phyſicè ſpectatæ, ſed illud quod additur nec ſe tenet ex parte objecti explicari debuit; ſi enim facit hunc ſenſum: quòd non ex objecto cognitio oriatur quæ denominat cognitum, vera eſt propoſitio, ſed ſi ſit ſenſus nullum dari cognitum objectivum, amatum objectivum, falſa eſt propoſitio nec probatur, conſequenter dabitur etiam præciſum objectivum, adeoque & præciſiones objectivæ.

Ob.

Objicitur IX. Si darentur præcisiones objectivæ deberent esse veræ seu non difformes objectis; sed essent difformes objectis, ut probatur. Quia conciperetur animal, sine differentia rationalis V. G. in homine, quod in homine est cum differentia rationalis. Ergo conciperetur falso & difformiter objecto.

Respondetur. Præcisiones objectivas, hoc ipso quia sunt notiæ inadæquatæ, debere esse conformes, non objectis adæquatè sumptis, sed objectis inadæquatè sumptis, jam autem animal inadæquatè acceptum, dicit nonnisi vivens sensitivum, cui objecto est conformis notitia præscindens objectivè animal. Addi potest ex mente S. Thomę, quòd falso conciperetur animalitas hominis sine rationalitate, si de illa negaretur rationale, sed non falsò, si solũ tunc nõ attingatur.

Instabis I. Quando ratio communis abstracta conformatur objecto Metaphysicè seu inadæquatè spectato, conformaturne cum Petro V. G. vel homine, secundo intentionaliter spectato, vel cum eodem primo intentionaliter spectato, si conformatur cum illo, secundo intentionaliter spectato, ergo secũda intẽtio seu præcisio objectiva cõformatur non objecto prout est; ideoq; non erit jam vera, quia veritas dicit conformitatẽ cum objecto prout est; eritq; conformatio alteri secũdæ intentioni, de qua ipsa quærendũ restabit: cui cõformetur, dabiturq; processus in infinitũ; si autẽ præcisio objectiva cõformatur Petro primo intentionaliter spectato, ergò aliqua inadæquatio, erit nemine cogitante, aut aliqua distinctio inter animalitatẽ v. g. & rationalitatẽ.

Respond. Rationem communẽ v. g. animalis conformari Petro v. g. primo intentionaliter spectato, sed inadæquatè, quæ ipsa inadæquatio non est quidem nemine cogitante formalis, est tamen fundamentaliter & in potentia, sicut & universale, quæ ipsa fundamentalitas, salvat ne illic sit distinctio, nemine cogitante.

Dici etiam posset rationẽ cõmunem animalis conformari v. g. Petro secũdo intẽtionaliter spectato, in quantùm jam importat, ex vi intellectꝰ distinctionẽ, inter animalitatem, & rationalitatẽ. Ipsa verò distinctio non importabit secundã intentionem, sed importabit conformitatem cum fundamẽto, ut scil. illud dicatur esse actu distinctũ per opus intellectus, quod fundamentaliter, & potentialiter, & in radice erat distinguibile.

Instabis II. Non inest Petro communis ratio præcisa. Ergò illi conformis non est præcisio objectiva, ergò nec vera erit.

Respondetur. Non inest quidem Petro, ratio communis præcisa actu, tamen inest fundamentum præscindendi rationem communem, cui infundatur præcisio.

Instat quidam III. In Cameſtres. Animal Petri actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu Virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius animalis: Rationale Petri actu nemine cogitante non est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Animalis. Ergo Animal Petri actu nemine cogitante non est Rationale Petri.

Respondetur. Imprimis hoc Argumentum solvi debet ab ipsomet Arguente nè probet aliquid contra Mysterium Trinitatis adeoq; multum, sic enim retorquetur Argumentum: Paternitas actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionẽ expressivã solius Paternitatis. Natura Divina actu nemine cogitante, non ex capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Paternitatis. Ergò Paternitas actu nemine cogitante non est Natura Divina, aut potius directè inferendo, ponatur subjectum Majoris, pro prædicato Conclusionis: Ergo Natura Divina actu nemine cogitante non est Paternitas. Ubi ut vides infertur Conclusio falsa etiam in Principiis arguentis, falsùm enim est in illius principiis, imò & fidei, Naturam Divinam actu nemine cogitante (intellige realiter) non esse Paternitatem. Et si sine distinctione ulla admittendæ essent illæ præmissæ, negaret sibi ipsi Arguens consequentiam, quam nè neget distinguendæ essent præmissæ, & per proportionem consimili distinctione utentur illi, qui admittunt præcisiones objectivas. Concedo quidem non debere tribui Creatis, quod conceditur in creatis, sed nec nos similem admittimus distinctionem virtualem in Creatis; at tamen, etiam ab Arguente non debent assumi propositiones tales tanquam veræ, ex quibus servata forma & mutata sola materia, infertur falsum. Directè posset sic distingui Major. Animal Petri actu nemine cogitante est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius Animalis, ita ut non competat in sensu reali hæc capacitas etiam alteri virtualitati. Nego Majorem ita ut hæc capacitas competat in sensu reali alteri virtualitati concedo Majorem. Sed Rationale Petri nemine cogitante non est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionem expressivam solius animalis, ita ut tamen in sensu reali, sit capax ita cognosci Concedo Minorem. Ita ut nè in sensu quidẽ reali sit capax nego Minorem. Ergo animal Petri actu nemine cogitante non est Rationale Petri, nego consequentiam.

Utraque hæc præmissa, vel si mavis dicere Enthymena bipartitum in sua partitione imitans Cameſtres, supponit hanc Majorem: Quando virtualitas est capax cognosci in sensu virtuali per præcisivam cognitionemex pressivam sui, hoc ipso, altera virtualitas non est capax cognosci in sensu reali, vel non dicit identitatem physicam cum altera virtualitate, sed hæc Major negatur, ut videre fuit in aliàs dictis.

OBJICITUR X. Si darentur præcisiones objectivæ, tunc in conceptu animalitatis Petri & in conceptu rationalitatis Petri aliud ex parte objecti conciperetur. Sed non concipitur aliud,

Ergo. Minor probatur, quando concipio animalitatem Petri, cum non detur per connotantes distinctio ex Natura rei nemine cogitante, fit ut debeam tunc concipere ipsum Petrum, prout est prinipium actuum sensandi. Et quando concipio rationale concipio ipsum Petrum prout est principium actuum ratiotinandi. Ergo non aliud concipio ex parte objecti in animalitate, aliud in rationalitate cũ utrobiq; ex parte objecti, etiã prout repræsentati, respondeat Petrus.

Respondetur. Animalitas Petri dupliciter spectari potest, inprimis spectari potest animalitas Petri, quæ est à parte rei, prout est à parte rei. Secundò spectari potest animalitas Petri, quæ est à parte rei (nam etiam à parte rei est Petrus vivens sensitivum, hoc autem est à parte rei esse animalitatem) non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus. Animalitas ergò Petri, quæ est à parte rei, prout est à parte rei, non potest præscindere à rationalitate, quia utrobique ut probat objectio, respondet illi, idem Petrus ex parte objecti. Cæterum animalitas Petri, quæ est à parte rei, si spectetur non prout est à parte rei, sed prout subsstat nostris secundis Intentionibus fundamentum in re habentibus, jam tunc animalitas Petri præscindet objectivè à rationalitate, spectaturque animalitas secundùm rationes communes & Metaphysicas, quo casu non respondebit sub conceptu animalitatis rationalitas, quia nec respondebit ipse Petrus, à quo ipso tunc jam præscindetur.

Objicitur XI. Si darentur præcisiones objectivæ, non esset ratio cur inter aliquas potius rationes dentur & non inter omnes.

Respondet cõmunis sententia, illic dari præcisiones objectivas, ubi datur illarum fundamentum, illic autem datur fundamentum, ubi datur distinctio virtualis, illic autem est distinctio virtualis, ubi æquivalentia ad plura, ubi reperibilitas unius formalitatis sine alia.

Universalius adhuc dici potest illic esse præcisionem unius formalitatis ab alia, eamque objectivam, ubi ratio communis unius, non est ratio communis alterius.

Probatur, quia ex dictis præcisio objectiva datur inter rationes communes, & ubi est diversitas rationum communium, erit etiam & præcisio objectiva.

Instabis. Vel risibile præscindit à rationali vel non præscindit, si non præscindit, non erit hujus ratio, si præscindit. Ergò & reliqua omnia præscindent objectivè.

Respondet communis sententia non dari illic præcisionem objectivam, quia non datur reperibilitas risibilitatis sine rationalitate. In nostris principiis dici potest, etiam risibilitatem præscindere objectivè à rationabilitate. Ratio quia definitio risibilitatis, non est definitio rationalitatis, consequenter ratio cõmunis unius, non est ratio communis alterius. Admittimus autem præcisiones objectivas in rationibus cõmunibus. Et certè ratio effectus Metaphysici, non est ratio communis causæ Metaphysicæ, risibilitas autem est effectus, imò & accidens Metaphysicum: rationalitas autem est causa & essentialis differentia. Universaliter ergò hæc præscindunt objectivè, quæ non comparantur ad se sicut definitio & definitum, quomodo comparantur inter se, v.g. ratio communis hominis, & ratio communis animalis rationalis.

Noto. Fieri posse ut quædam rationes sub unâ formalitate non præscindant, & sub alia præscindant, & ita fundamentũ in circumstãtia termini positũ à relatione non præscindit objectivè, quia esse ad aliud est ratio communis & definitiva utriusque illius objecti, licèt fundamentũ sub formalitate absoluti spectatum, à relatione quæ importat esse respectivum, præscindi possit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta Recentiorum.

Objicit I. P. Modzelevvski, vir boni & applicati ingenii. Non est possibilis in rebus creatis distinctio virtualis intrinseca in ordine ad prædicata intentionalia. Ergò neque dantur præcisiones objectivæ.

Resp. Hos terminos secundùm quod hic sumũtur non stare secũ, quia non junguntur secum ly intrinsecum & ly intentionale: sicut non jungũtur secum ly intrinsecum & ly extrinsecũ: sicut enim si quid sit intrinsecum, extrinsecum nõ est: ita si intrinsecum sit, intentionale non est. Potest quidẽ dari aliquid extrinsecũ intrinsecè requisitum quia ly intrinsecè non excludit nisi modum extrinsecè, non autem ipsum extrinsecum, nec ratione ejusdem verificabitur extrinsecũ & intrinsecum: hic autem ratione ejusdẽ verificaretur. Immò ex hac ipsa instantia roboratur intentũ, tum quia non datur aliquid intrinsecè & extrinsecè simul ratione ejusd. requisitũ; ita & in præsenti non potest dari virtualis intrinseca seu ad prædicata intrinseca distinctio; & tamen ad prædicata sola intentionalia adeoq; extrinseca ordinata. Unde jã conc. Ant. & nego Conseq. Quod si intẽdat objiciens. Si non daretur talis distinctio in creatis, qualis habetur inter naturã divinã & Paternitatẽ, hoc ipso nec dandas in creatis præcisiones objectivas. Negabitur hæc sequela.

Instat I. Idem contradictoria intentionalia nequeunt identificari realiter. Ergò etiam formalitates, in quibus includuntur hæc contradictoria intentionalia, nequeunt identificari realiter: aliàs eo ipso & prædicata in illis inclusa, deberent identificari realiter: Atqui in formalitatibus distinctis virtualiter intrinsecè in ordine ad prædicata intentionalia includuntur prædicata contradictoria intentionalia: quia in una includitur cognitum in alia non cognitum per eandẽ cognitionem. Atqui propter hujusmodi contradictoria verificãda statuitur inter illas distinctio virtualis intrinseca: Ergò formalitates distinctæ virtualiter in ordine ad prædicata intentionalia nequeunt identificari realiter: aliunde verò

debent

debent esse realiter identificatæ ut conceditur: Ergò & sunt realiter identificatæ, & non sunt.

Respondetur. Non admitti per Nos distinctionem virtualem intrinsecam, & tamen ad prædicata intentionalia: Si enim esset Virtualitas ut hîc accipitur intrinseca, esset ad prædicata intrinseca non extrinseca, ordoque non ad intentionalia tantùm. Rursùs secundùm dicta superius in simili, immeritò imaginatur arguens, quod prædicata cogniti adæquatè identificentur, v. g. essentiæ, cùm prædicatum cogniti, importet cognitionem quæ distinguitur realiter ab essentia, quæ cognoscitur, sicut ergò illa cognitio non identificatur essentiæ; ita nec identificari debet iis quæ sunt idem physicè cum essentia, tantumq; essentia cognita secundùm essentiæ rationem, identificabitur sibi, secundùm quam rationem identificabitur etiam aliis, cum quibus est idem physicè.

Directè ad Argumentum dici potest Conc. Ant. sed nego formalitates quibus illa prædicata intentionalia competunt identificari secum non posse: Dico quibus illa prædicata intentionalia competunt, non autem in quibus includuntur; Nego enim in essentia, quæ cognoscitur includi seu identificari cognitionem. Nego ulteriùs casu, quo formalitates identificantur: quibus competunt prædicata contradictoria intentionalia, hoc ipso contradictoriâ intentionalia inter se identificanda. Concedo quòd uni formalitati competat esse cognitam, alteri competat non esse cognitam, sed non probatur quod hæ formalitates, quarum uni competit esse cognitam alteri non cognitam identificari non possint, quod debebat probare. Unde concedo hanc primam Propositionem, uni formalitati competit esse cognitam, alteri non cognitam. Concedo & hanc secundam quod propter prædicata contradictoria verificanda concedatur hæc distinctio. Sed nego Conseq. hanc, Ergò formalitates distinctæ virtualiter in ordine ad prædicata intentionalia nequeunt identificari: Nego inquam Conseq. quia in antecedentibus his duabus propositionibus nihil actum de identificatione. Alia paulò methodo ex dictis satisfit huic objectioni, quod intentionalia contradictoria, si sint ratione ejusdem Formalitatis intra eandem entitatem realem identificari non possint, secus si non sint ratione ejusdem formalitatis, nec enim jam tunc contradictoria erunt, consequenter & formalitates quibus competent, poterunt identificari præcisivè, quia dum competit uni Formalitati esse cognitum, competet & alteri in sensu reali, & identico loquendo de creatis. Si autem quod competet uni Formalitati competet & alteri in sensu reali quomodo & illæ non identificabuntur inter se. Addo, argumentum probare quod nec in Divinis dentur Præcisiones objectivæ.

Sed quidquid sit de modo prædictam difficultatem proponendi, attendi adhuc potest ad objectum difficultatis in hoc stantis. Cognitum & non cognitum non possunt identificari. Ergò nec formalitates seu Virtualitates, quibus competunt illa contradictoria identificari possunt. Sed retorqueo imprimis Argumentum. Album & non album identificari secum non possunt, numquidné paries nunc albus, postea non albus non potest esse idem realiter. Sicut autem albedo accidit ei quod denominatur album, & est distincta realiter à subjecto; ita & cognitio accidit ei quod noscitur, estq; distincta realiter ab essentia. Directè autem ex dictis in simili dici potest, quod cognitum, & non cognitum secundùm rationem materialem acceptum & secundùm id, supra quod cadit cognitio & non cognitio identificari possint: quia tam cognitum, quàm id quod non cognoscitur possunt esse quid positivum, adeoq; non comparari inter se sicut ens & non ens, quæ inidentificabilia: Et si potest unum idemq; exclusivum etiam virtualitatis nunc esse cognitum, nunc non cognitum, esseq; hoc non obstante, illa duo, sibi identificatur: cur ergò etiam identificari non poterit cognitum, quod est una Virtualitas, cum non cognito, quod est alia Virtualitas. Si autem accipiatur cognitum & nõ cognitum formaliter, ratione scil. cognitionis & non cognitionis, cùm hæc inter se comparentur, sicut esse & non esse, & unum sit positivum alterum negativum, nec unquam competet ut idem sit cognitio & non cognitio, etiã successivè; ideo hæc duo identificari secum non poterunt: licèt cognitum materialiter sumptũ seu pro eo quod cognoscitur, possit identificari cum eo quod non est formaliter cognitum. Et sicut ratione diversorum connotatorũ, potest attingi una eademq; entitas, nunc clarè nunc non clarè, potestque ipsum illud, cujus illa sunt connotata, unũ idemque esse, licèt ipsa connotata inter se, identificari non possint; ita & in præsenti. Quæ omnia ulteriùs in hoc resolvuntur, quia implicat cognitionem & non cognitionẽ identificari inter se, non repugnat autem, idem ratione unius Virtualitatis habentis diversa connotata nosci, non nosci aliam Virtualitatem, idq; ob disparitatem aliam.

Ne autem arguenti præscindatur filium, & redeundo ad principium aliàs usurpatum dici potest, quod cognitum & non cognitum non sint vera contradictoria, quia nec est illorum Verificatio ratione ejusdem Virtualitatis. *Hinc jam urgens*:

Instat II. Saltem animalitas quatenus est virtualiter condistincta rationalitati, est secum omninò idem etiam virtualiter. Ergò erunt verè hæc contradictoria, est idem virtualiter in ordine ad prædicata intentionalia, non est virtualiter idem in ordine ad prædicata primò intentionalia. Ergò hæc prædicata nequeunt inter se identificari. Ergò illæ formalitates in quibus includuntur, nequeunt identificari realiter.

Respondetur. Jam supra hæc phrasis de inclusione rejecta. Si autem ponatur ly formalitates, quibus illa prædicata competunt, sic correcto argumento conceditur totum. Neque enim per nos verificari hæc duo possunt, virtualitas animalitatis est cognita, virtualitas animalitatis non est cognita. Verificari autem potest hæc virtualitas rationalitatis non est cognita.

Instat II. Non possunt inter se identificari virtualitas animalitatis cognita, & virtualitas animalitatis non cognita. Ergò neque identificari possunt inter se animalitas cognita, rationalitas non cognita.

Respondetur. Imprimis retorquendo argum. in Divinis, ubi Paternitas quoad suam virtualitatem cognita, Paternitas quoad suam virtualitatem non cognita identificari non possunt, & tamen hoc non obstante Paternitas & natura identificantur, quarum uni potest competere esse cognitum, alteri non esse cognitum. Unde argumentum si quid probat, multum probat, quia urget etiam contra divina. Rursus repugnat animalitatem cognosci quoad hæc connotata, nec hæc duo identificari possunt, & tamen potest cognosci animalitas quoad hæc connotata, non cognosci rationalitas, quoad hæc connotata, possuntque hæc duo inter se identificari. Ita & in præsenti idem dicendum. Nam etiam præcisiones objectivæ attendunt ad diversa connotata. Directè autem dici potest, quia cum virtualitas animalitatis cognita, & eadem non cognita, comparentur inter se sicut esse & non esse, idque ratione ejusdem, adeoque contradictoriè, identificari secum non possunt. Jam autem rationalitas non cognita, animalitas cognita, non comparantur inter se sicut esse & non esse, sed sicut esse & esse, sunt enim hæ propositiones nonnisi contrariæ, ideò adhuc inter se identificari possunt.

Objicit II. idem. Supponitur dari præcisiones objectivas, inter formalitates pro statu intentionali & objectivo: hoc autem non potest dici. Quia animalitas Petri pro statu intentionali est concretum ex entitate Petri, quæ est à parte rei, & cognitione præcisiva respondente huic voci, animal: similiter rationalitas pro statu intentionali est alterum concretum ex eadē omninò entitate Petri, quæ est à parte rei, & cognitione præcisiva, respondente huic voci rationale: quæ duo concreta, sunt à se realiter distincta inadæquatè, ratione scilicet cognitionum præcisivarum. Ergo dum dicis dari præcisiones objectivas inter animalitatem & rationalitatem pro statu intentionali, non verò reali, sensus est, quòd inter concreta distincta realiter inadæquatè dentur, præcisiones objectivæ; non verò inter aliquas formalitates realiter adæquatè identificatas. Ergò conceditur quod intendunt objicientes, non inter formalitates adæquatè identificatas, adstruendo has præcisiones: nemo enim negat de concretis realiter inadæquatè identificatis, posse verificari contradictoria non tantùm intentionalia, sed etiam physica.

Respondetur. Quando conceditur pro statu intentionali dari præcisiones objectivas, negatur quod per statum intentionalem intelligatur animalitas & cognitio, sed intelligitur objectum, quod est à parte rei non ita respondens adæquatè, ut est à parte rei, sed inadæquatè, aut secundùm unam formalitatem, quæ si comparetur ad se prout est à parte rei, est idem realiter cum illa altera formalitate. Unde per animal in statu intentionali spectatum non intelligitur per nos concretum ex vivente sensitivo & cognitione: sed intelligitur potius objectum respondens & relucens illi notitiæ, illi præcisioni, licèt non ita prout est à parte rei. Deinde alia est hæc quæstio, quid est status intentionalis, & alia de eo quod respondet pro statu intentionali, indubiè status intentionalis realiter loquendi, est objectum & cognitio, hoc autem quod respondet pro illo statu, est solùm objectum, quod quia à se non distinguitur realiter etiam inadæquatè, fit ut concessis præcisionibus objectivis pro statu intentionali, non concedantur illæ inter formalitates inadæquatè realiter distinctas.

Continuatur Solutio.

Instat I. Animalitas & rationalitas pro statu intentionali, nihil aliud sunt, quàm animalitas & rationalitas in statu reali sumptæ! hoc est, ipsa entitas Petri quæ est à parte rei: Ergò præcisiones objectivæ, & verificatio prædicatorum contradictoriorum intentionalium, competunt juxta te animalitati & rationalitati sumptis in statu reali; quod ipsum negatur ab oppositis.

Respondetur. Animalitas & rationalitas, si comparentur ad se prout sunt à parte rei, & adæquatè spectentur, sunt ipsa entitas Petri, sed secundùm se, prout sunt in statu intentionali, non sunt entitas Petri adæquatè, sed inadæquatè: & quia res in statu reali, est nonnisi adæquatè, prout est; si dantur præcisiones objectivæ rei inadæquatè spectatæ, hoc ipso non dantur pro statu reali. Unde alia est hæc propositio. Objectum quod est pro statu intentionali si comparetur ad se prout est à parte rei est, v. g. rationalitas & hæc propositio est vera; alia hæc, objectum quod est pro statu intentionali, si sumatur prout est pro statu intentionali, prout relucet cognitioni, propositioni &c. est rationalitas, & hæc propositio est falsa; si falsa, hoc ipso sequetur præcisiones objectivas pro statu intentionali, non pro reali dari.

Instat II. Animalitas præscindens objectivè pro statu intentionali, est quidem illa animalitas quæ est in statu reali, attamen non prout est in statu reali, sed prout est objectivè in intellectu.

Atqui

Atqui animalitas prout est objectivè in intellectu, est concretum ex animalitate, quæ est à parte rei & cognitione: quia animalitas prout est objectivè in intellectu, nihil aliud est, quàm animalitas prout cognita. Ergò ulterius Verificatio contradictoriorum intentionalium, & præcisiones objectivæ non competunt formalitatibus realiter adæquatè identificatis, sed solùm concretis distinctis realiter.

Respondetur. Cùm verbis utamur sicut nummis, ly animalitas prout est objectivè in intellectu dupliciter sumi potest. Imprimis pro animalitate cognita, adeoque sumendo ut volunt oppositi cognitionem pro parte illius concreti. Secundò sumi potest animalitas, prout est terminus, & objectum cognitionum, quod objectum & terminus, non est pars cognitionis; si sumatur animalitas primo modo, non dabuntur nisi præcisiones formales, tota diversitate oriunda, à parte cognitionis; si sumatur secundo modo, dabitur locus præcisionibus objectivis; erit enim objectum notitiæ una formalitas, & non erit objectum alia formalitas illi identificata; licèt una, si comparetur ad se prout est à parte rei, sit idem realiter cum illo alio objecto.

Instat III. Etiam objecta illarum notitiarum non distinguuntur à parte rei nisi per rationem. Ergò in illis nequeunt includi (ob dicta superius, pone non possent illis competere) prædicata intentionalia, scil. cognosci non cognosci: quia hæc contradictoria distinguuntur magis quàm per rationem: non enim sibi per rationem opponuntur cognosci cognitione A, non cognosci cognitione A.

Respondetur. Quando dicitur quòd creatis aliquibus formalitatibus, competat distinctio virtualis in ordine ad prædicata intentionalia, non hoc ipso significatur, quod illa prædicata inter se nonnisi ratione debeant differre: indubiè enim cognosci & non cognosci, differunt nemine cogitante, sed quod sint prædicata de linea intentionalium: hinc licèt cognosci & non cognosci nemine cogitante differunt; ipsum tamen cognosci, est prædicatum de linea intentionali. Addo quamvis illa objecta distinguantur à parte rei nonnisi per rationem, Nego tamen, quòd pro statu intentionali distinguantur per solam rationem, scilicet ratio communis, v. g. Animalitatis, à ratione communis Rationalitatis, & tamen pro statu intentionali, concedantur à nobis in creatis Præcisiones objectivæ.

Instat IV. Animalitas & rationalitas distinctæ per rationem, sunt animalitas & rationalitas prout præcisæ. Ergò prout sic distinctæ & præcisæ, includunt intrinsecè præcisiones tanquam formas, eritque præcisio ratione formarum realiter distinctarum, adeoque non præcisio objectiva, sed formalis.

Respondetur imprimis. Distinctionam rationis ut vocant, ratiocinatæ non esse ipsem præcisionem, sed supponi ante præcisionem, illaque ad alietatem attendit, hæc ad depurationem ab iis, quibus identificatur, & non sunt de ratione ejus definitiva. Et sicut in divinis distinctio virtualis non est ipsa præcisio objectiva, sed supponitur ante illam: ita & in præsenti. Sed quidquid sit de hoc principio adhuc Argumentum non concludit: nam animalitas & rationalitas prout præcisæ, in nostris principiis, sumuntur prout sunt objectum præcisionum, prout autem sunt objectum præcisionum, non componuntur tanquam partibus præcisione; Consequenter non ratione alicujus distincti realiter, competet unum attingi non attacto altero, sed ratione ipsiusmet objecti, & formalitatis, identificatæ realiter alteri objecto, & formalitati.

Instat V. In nostris principiis dici potest, quòd licet præcisio activa non sit pars & forma denominans animalitatem præcisam, erit tamen forma & pars præcisio passiva: Contra autem est, quia præcisiones activæ distinguuntur realiter ab animalitate præcisa: Ergò & præcisiones passivæ: Præcisio enim passiva est identificata realiter, præcisioni activæ: actio enim & passio sunt identificata realiter, consequenter & contradictoria intentionalia, quæ verificantur de formalitatibus quatenus præcisis passivè, solummodo verificarentur de formalitatibus realiter inadæquatè distinctis.

Respondetur. Præcisio passiva dupliciter sumitur. Imprimis prout est ipsa actio, quæ prout recipitur, vocatur passio, adeoque passiva præcisio, & hæc indubiè non distinguitur realiter ab actione, estque in intellectu; & si intuitu hujus darentur præcisiones objectivæ, non essent objectivæ, sed essent formales. Deinde sumi potest præcisio passiva, pro objecto & termino præciso, respondente, & hic, non est actio ipsa, sed objectum illius; quod objectum v. g. animalitas, quia non est distinctum realiter, ab altero objecto, quod est rationalitas, ideò illud cognosci & non cognosci, competet ratione prædicatorum identificatorum realiter; adeoque adhuc salvabitur ratio præcisionis objectivæ, quæ est inter formalitates identificatas realiter.

Objicit III. idem. Etiamsi prædicata extrinsecè denominantia, secundùm id quod important in obliquo, sint extrinseca subjecto, tamen secundùm id quod important in recto, sunt intrinseca eidem: Ly enim cognitum in obliquo, importat cognitionem, in recto verò importat subjectum, quod subjectum est ipsum v. g. rationale, ac proindè maximè sibi intrinsecum. Ergò neque hæc duo, cognosci & non cognosci, competent formalitati identificatæ realiter, cum alia formalitate.

Respondetur. Quod in Ly cognitum, subjectum scilicet ipsum, sit sibi intrinsecum & quia in creatis non datur distinctio virtualis ut tu vocas intrinseca, ideò nunquam cognoscetur animalitas, quin in sensu reali, & comparatè ad se prout est physicè à parte rei, dicatur cognosci rationalitas, licèt non cognoscatur prout subest nostris intentionibus, sumiturque inadæquatè. Si autem dum cognoscitur formaliter animalitas, in sensu reali cognoscitur rationalitas, hoc ipso non datur adhuc in creatis Distinctio intrinseca, & tamen poterunt dari præcisiones objectivæ.

Instat I. idem. Axioma est Dialecticorum quod in omni prædicatione vera. Rectum subjecti cum recto prædicati debeat identificari. Atqui rectum hujus subjecti v. g. rationale, est idem realiter cum animali. Ergò etiam rectum hujus prædicati cognitum, est idem realiter cum animali. Ergò ly cognitum poterit verificari de animali sumpto ex parte objecti: cum rectum animalis & rectum illius, sint idem realiter.

Respondetur. Concedo Axioma, si adhuc sit axioma. Concedo Subsumptum. Nego illam illationem quod ly cognitum dictum de rationali inadæquatè sumpto, verificetur de animali quod est idem realiter; quia negatur non posse verificari cognitum de uno identificato realiter, & non verificari de altero: nec id probat Axioma, sed tunc probaret, si ita se haberet; rectum subjecti ita est idem cum recto prædicati & ita identificantur, ut nihil competat etiam intentionale huic subjecto, quod non competat illius identificatis. Quanquam concedi potest quòd ly cognitum verificetur etiam de animali sumpto prout est à parte rei, licèt non verificetur de eo sumpto pro statu intentionali, pro quo dantur præcisiones objectivæ.

Instat II. Æquè sibi repugnant contradictoria extrinseca atque intrinseca: tam enim uniri excludit id, quod est non uniri quàm cognosci, excludit id, quod est non cognosci. Ergò æquè hæc, atque illa, nequeunt verificari de eodem à parte rei subjecto.

Respondetur. Æquè contradictoria extrinseca, si sint contradictoria formaliter, & respectu ejusdem formalitatis, sibi repugnant, ac contradictoria intrinseca, sed non æquè hoc sensu, quasi sicut non sunt reperibiles formalitates in creatis, capaces unius prædicati primo intentionalis, quin & alteri formalitati idem in re competat; ita nec sunt reperibiles formalitates, quarum uni competat prædicatum aliquod secundò intentionale, quod non competat alteri: hoc enim negatur. Quare autem possit dari distinctio virtualis in ordine ad cognosci, & non ad uniri, jam alibi dictum.

Instat III. Etiam cognosci & non cognosci nequit eidem rationalitati convenire. Ergò quod aliqua denominatio desumatur à Forma extrinseca, hoc nihil impedit quominus opponatur æquè negationi sibi contradictoriæ, atque denominatio extrinseca opponitur suæ negationi.

Respondetur. Non impediri quidem ut æquè sibi opponantur cognosci & non cognosci supposito quod dicantur de eadem formalitate, tamen licèt sit impedimentum, ne in creatis detur formalitas unita, non unitâ altera identificatâ illi realiter, sed non est impedimentum ut una noscatur, non noscatur altera: quia priori concessa distinctione, sequeretur Mysterium Trinitatis in creatis, non sequitur concessa posteriori, ut alibi dictum.

Instat IV. idem. Vi præcisionis objectivæ immutantur intrinseca objecti. Ergò non dantur præcisiones objectivæ. Antecedens probatur, quia cognitio præscindens prædicata intrinseca objecti, quæ realiter & intrinsecè sunt unum aliquid, distinguit in plura intrinsecè adeoque immutat intrinseca objecti.

Respondetur. Ex eo prædicata intrinseca, quæ intrinsecè sunt unum aliquid non distinguet præcisio objectiva in plura intrinsecè, quia si formalitas cognita, comparetur ad seipsam, prout est à parte rei, non illa sola, sed & alia formalitas, dicetur cognosci, licèt non cognoscatur pro statu intentionali. Ex alio etiam capite non mutat intrinseca objecti, quia non facit rem in se physicè aliter se habere, numquidne quia inadæquatè cognoscitur Petrus v. g. secundùm animalitatem exiistit jam inadæquatè vel Petrus, vel animalitas; mutatio autem intrinseca prout hîc de illa, est mutatio quoad esse physicum & reale.

Instat V. Quantumvis intellectus subtilissimè operetur, tamen non potest suâ subtilitate præstare id, ut contradictoria intentionalia identificentur realiter.

Respondetur. Concedo Totum. Sed modus præscindendi, non facit identificari contradictoria, sed facit ut una contradictionis pars de uno verificetur, altera pars de altera formalitate, consequenter ne sit vera contradictio.

Instat VI. idem. In objecto realiter simplici, nullæ sunt partes ipsi intrinsecæ. Ergò nec potest per partes objectum præsentari, seu inadæquatè.

Respondetur. In objecto realiter simplici, nullæ sunt partes reales & physicæ ipsi intrinsecæ Conciliæ nullæ sunt partes Metaphysicæ. Neg. Ant.

Instat VII. Quando dicitur objectum aliquod simplex, repræsentari inadæquatè, non est sensus: quod inadæquatio, seu partialitas sit in ipso objecto, sed quod cognitio non habeat omnem illam claritatem, cum qua postulat objectum repræsentari.

Respon-

Respondetur. Non esse quidem in objecto partialitatem prout spectato à parte rei, esse tamen in objecto metaphysicè, & prout subest nostris intentionibus spectato, hæcque partialitas objectiva pro statu intentionali, non probatur quod repugnet.

Noto I. Quæ sit distinctio inter præcisiones objectivas, quas concessimus in Divinis à Præcisionibus, quas concessimus in creatis. *Prima* est ratione fundamenti quia Fundamentum Præcisionum objectivarum in Divinis est Distinctio virtualis in ordine ad prædicata primò intentionalia (supple inter extrema quorum unum est absolutum v. g. natura, aliud Relativum v. g. Paternitas.) In creatis autem Fundamentum Præcisionum objectivarum, est Distinctio virtualis nonnisi ad Prædicata secundò intentionalia. Unde etiam fabricat potius intellectus Objectum quod præscindit, in Divinis autem, reperit Virtualitatem absolutam, non esse Virtualitatem Relativam. *Secunda* Distinctio est, quia quando noscitur v. g. Natura communicari, tunc ne in sensu quidem reali, noscitur Paternitas communicari, quando autem noscitur v. g. Animalitas Petri esse vivens sensitivum, tum in sensu reali noscitur etiam Rationalitas esse vivens sensitivum. Conveniunt autem in hoc tam Præcisio objectiva Formalitatis absolutæ & Relativæ in Divinis quam Præcisio objectiva in creatis, quod in objecto prout attacto, & pro statu intentionali, prout respondente præcisioni formali &c. non respondeat Formalitas altera, illi identificata realiter. Cæterum inter Præcisiones objectivas in creatis & inter Præcisiones objectivas in Divinis inter Prædicata absoluta, inter se comparata, vel inter Prædicata & Relativa itidé inter se comparata, nulla est diversitas.

Noto II. Quæ sit distinctio nostræ sententiæ, à sententia præscindentium nonnisi ex parte actûs. Convenit utraq; sententia in hoc, quòd ex parte cognitionis, & verbi mentis, sit inibi diversitas: item, quòd status intentionalis, sit status oriundus à parte actûs: item, quòd actus, & status intentionalis infundetur entitati, habenti sua diversa connotata. Differunt in hoc, quia nostra sententia, in ipso objecto prout repræsentato, prout respondente, prout terminante cognitionẽ, admittit alietatem unius formalitatis ab alia, stantem in hoc; quia v.g. Animalitas, ita tunc repræsentatur, respondet, terminat cognitionem ac si in verum natura non esset Rationalitas: licèt si comparetur Animalitas ad seipsam prout est à parte rei, re vera in sensu reali cognoscatur tunc etiam Rationalitas.

Noto III. Quomodo distinguantur inter se Virtualitates, quæ admittuntur in Naturam & Personalitates, & Virtualitates quæ admittuntur in creatis. Distinguuntur imprimis: quia Virtualitates in Divinis sunt ad prædicata primo-intentionalia: in creatis, ad prædicata secundo-intentionalia. Deinde, quia alia est virtualiter nemine cogitante Virtualitas naturæ, alia Virtualitas Paternitatis, virtualiter nemine cogitante; idque ex eo, quia prædicatum *communicari* nemine cogitante competit naturæ, prædicatum autem *non communicari* nemine cogitante convenit Paternitati. Jam autem in creatis virtualiter quidem distinguuntur Animalitas & Rationalitas, in Petro; Virtualitas tamen unius in sensu reali est virtualitas alterius, idq; ex eo; quia quod competit in sensu reali & formali animalitati, in sensu etiam reali competit Rationalitati; ad eum plane modum, quo datur à parte rei Animal, sed non distinctum nemine cogitante.

QUÆSTIO IV.

De Distinctione Formali ex Natura rei.

Præmitto I. *Non quæri hic: an Formaliter ex Natura rei distinguantur Individua vel Species*, non est enim dubium, quod Bucephalus & Alexander, non solum realiter, sed etiam essentialiter seu ex natura rei sint distincti, aliàs non differrent specie, sed se haberent sicut Petrus & Joannes.

Quæritur ergò hic, An ea distinctio ex Natura rei reperiatur inter formalitates, intra unam eandemq; indivisam Entitatem reperibiles, v. g. An formalitas rationalitatis, non sit nemine cogitante actu formalitas animalitatis in eodem v.g. Petro.

Præmitto II. *Quando quæritur: an sint in uno eodemq; Petro plures formalitates, non quæritur an sint formæ distinctæ*, inter formas enim est distinctio realis, qualis est inter albedinem & nigredinem; sed quæritur: an sint plures formalitates, quæ stent cum identitate reali, habeant tamen quidditatem, essentiam, conceptibilitatem objectivam nemine cogitante distinctam.

Præmitto III. *In hoc esse Statum quæstionis*: Aliqui Auctores Scotum ut putant secuti, tenent distinctionem quandam, quæ non sit realis propriè, qualis est inter albedinem & dulcedinem; quæ item non sit distinctio rationis, qualis est inter definitivum & definitionẽ; quæ deniq; non sit modalis, eò quòd illæ formalitates non adferant ullam propriam Entitatem. Volunt tamen isti Auctores dictam distinctionem esse plus quam Rationis; quia est nemine cogitante, volunt esse minorem reali; quia non est inter Res & res; sed intra unam eandemq; rem non realiter sed formaliter diversam. Volunt esse Minorem distinctione modali, quia modus condistinctam Entitatem physicam importat, formalitates autem sunt intra eandem physicam Entitatem. De tali ergò distinctione quæritur an detur?

Præmitto IV. *Quæ sit istius Distinctionis definitio.*

definitio. Est enim alietas duarum rationum & formalitatum objectivarum, intra unam eandem realitatem v. g. quia alius est Conceptus objectivus animalis in Petro, alius Conceptus rationalis objectivus in eodem, ideò inter se ista distinguuntur formaliter ex natura rei.

Præmitto V. *Signum hujus distinctionis ex natura rei communiter statui, aliam & aliam definibilitatem*, ita ut illa sint distincta formaliter ex natura rei, quorum unum, alia, & aliud alia definitione, definibile est. Mastrius id hac phrasi exprimit: quod signum Distinctionis formalis sit Separabilitas duorum secundùm conceptibilitatem ex natura rei exigitam, in ordine ad intellectum propriè & adæquatè concipientem.

Præmitto VI. *Sensum Doctorum de Mente Scoti.* Aliqui cum Hurtado disp. 6. Metaph. Sec. 3. n. 27. docent Scotum admisisse nonnisi distinctionem virtualem qualis à nobis supra tradita. Colligitur id ex Verbis Scoti in primum distinct. 2. quæst. 7. sub finem numeri 43. Sed nunquid inquit hæc distinctio dicetur realis. *Respondeo*, inquit, *non est propriè realis, actualis &c. quia in una persona non est aliqua differentia rerum, propter Simplicitatem divinam, & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis, quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu. Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est objectum intellectus, vel alio modo potest vocari differentia virtualis: quia illud quod habet talem distinctionem in se non habet rem & rem, sed est una res, habens virtualiter sive eminenter, quasi duas realitates:* Rursus quia ibidem num. 44. ponit hæc Verba Scotus. *Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio? Respondeo*, inquit, *Melius est uti ista negativa: hoc non est formaliter idem, quàm quod est sic & sic distinctum*, quæ verba cur posuisset, si requisivisset distinctionem actualem? Et inferius: *Breviter igitur dico omittendo illa Verba de Distinctione Rationis, & de Distinctione virtuali, non quia sint malè dicta, sed quia non oportet eis uti.* Si autem voluisset ipse invehere distinctionem actualem, debuisset dicere quod illa de distinctione rationis sint dicta malè, quia contradictoriè ad suam doctrinam. Non actualis enim distinctio actuali distinctioni contradictoriè opponitur. Denique per ipsum sufficit ibide, mquod v. g. intellectus paternus considerans A. v. g. Paternitatem suam, & considerans B. supple essentiam suam habet ex natura rei, unde ista Compositio sit vera, A. non est formaliter B. non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B. quæ Verba & doctrina Scoti, salvabitur etiamsi illa distinctio non sit actualis, sed cum fundamento in re, nam etiam verificabitur tunc propositio, quod non præcisè ex aliquo actu intellectus circa A. & B. sit distinctio, sed ratione fundamenti in re.

Vide Raynaudum in Theolog. naturali distinct. 6. quæstione 2. art. 1. num. 66. qui recitat multos Scotistas idem sentientes. Nempe Rubionium in 1. D. 8. in fine Tartaretum Quod 1. A. 2. circa Concl. 3. & in 1. D. 2. p. 2. Q. 7. Oyra apud Gabr. in 1. D. 2. Q. 11. Phil. Fabrum cap. 8. Formalit. Picum Concl. 7. ex propriis Vales. Physic. cap. 3. Javellum 12. Metaph. Q. 19 licet Mastr. D. 6. Metaph. num. 26. soli id Herreræ tribuat.

Sed quod posuerit distinctionem hanc actualem, docet Vasquez, fatenturque passim alii Scotistæ. Fundamentum inter alia ex Vasquez est, quia si nonnisi distinctionem virtualem admisisset, quorsum diceret tam formidanter loco citato num. 41. quia scilicet id sine assertione, & præjudicio sententiæ melioris dicit. Ad quod ipsum respondet Hurtado illum cum formidine ideò locutum, quia se opposuit Thomistis & admisit præcisiones objectivas, seu formalitates correspondentes ex parte objecti ut colligitur ex Greg in primum quæst. 8. art. 2. quæ acceptio formalitatis erat tunc nova adeoque examini posterorum subjicienda.

Citat Mastrius textum Scoti desumptum in 1. Dist. 8. q. 4. §. ad quæstionem respondeo. *Dico quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis h. e. diversorum modorum concipiendi idem objectum formale, sic nec est ibi tantùm distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argutum est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, nisi sit in objecto intuitivè cognito, est ergò ibi Distinctio tertia* præcedens intellectum omni modo.

Sed etiam huic textui responderi possit, quòd præcedat actu ac quoad suũ esse fundamentale, quo etiam modo intelligi debent illa Verba Scoti. *Intelligo inquit sic quod intellectus componens ista: Sapientia non est bonitas: formaliter non causat actu suo collativo Veritatem istius compositionis, sed in objecto invenit extrema, ex quorum compositione fit actus verus.* Circa quem textum ut dixi, potest responderi, quod inveniatur Veritas istius compositionis, quoad suum fundamentum, adeoq; ut ipsum fundamentum, sit ex natura rei, non autem, quòd in Objecto inveniantur extrema actu distincta, importantiaq; actualium formalitatum multiplicitatem: Vel retinendo phrasim Scoti reperit illic actu distinctionem virtualem. Cæterum de mente Scoti, puto deferendum esse auctoritati Scholæ, constanter hanc sententiam statim à temporibus Scoti defendit, ipsaque traditione mentem Magistri didicit.

Præmitto VII. *Divisionem formalitatum.* Dividuntur formalitates in formales seu Essentiales proprias & Accidentales. Formales, sunt Gradus Metaphysici, ita dicti quia sicut per

gradus

gradus ascenditur & descenditur, ita ab inferioribus prædicatis v. g. à rationabilitate ad sensitivitatem tanquam ad superius prædicatum. Et è Converso à superioribus ad inferiora transitur. Formalitates autem propriæ, sunt proprietates Entis Metaphysici, ut Risibilitas. Relationes transcendentales & secundarii conceptus. Accidentales autem formalitates, sunt accidentia Metaphysica, ad quintum prædicabile pertinentia.

Rursùs dividuntur Formalitates in negativas ut Asseitas, & Positivas ut Abalietas. Dividuntur item in Formalitates ad intrinsecum ut similitas, & ad extrinsecum ut cœna. Dividuntur item formalitates Scotisticæ in quidditativas & modales. Formalitates quidditativæ, sunt rationes tales, quæ extrahunt naturam, cui adveniunt, extra suum gradum: ita rationalitas extrahit gradum animalis ad esse hominis. Formalitates autem modales non extrahunt, & ita Existentia addita Essentiæ non extrahit essentiam ultra gradum essentiæ.

Dividuntur ulterius Formalitates Scotisticæ in Formalitates extrinsecus advenientes, & intrinsecus advenientes. Extrinsecùs advenientes sunt per Scotum 6. posteriora prædicamenta: *His præmissis*

Dicendum est. *Distinctionem Formalem ex natura rei præcisè & secundum se spectatam, quæ tamen sit actu nemine cogitante, non dari.* Est Conclusio Thomistarum & Nostrorum excepto in oppositum ex antiquioribus inclinante Fonseca & ex recentioribus Mauro. Est autem contra non paucos Scotistas, & illorum sequaces.

Punctum Difficultatis I.

Examinantur Rationes.

Quod non detur Distinctio ex natura rei.

Probat I. Hurtado Disp. 5. Metaph. Sec. 3. Si à parte rei ante actum intellectus animalitas Petri distingueretur à rationalitate Petri, esset quid reale independenter à rationalitate, quia definitio Entis realis est, quod possit existere ante intellectum à parte rei. Sed hoc est absurdum. Ergo

Responderi potest huic argumento, Animalitatem esse quid reale nemine cogitante, id est independens à nostris Conceptibus, sed non esse reale, hoc est separabile, & ratum. Consequenter nec prædicta definitio illi conveniet. Idem alii ita solvunt. Animalitatem non esse quid realiter à re denominatum reale, sed esse quid reale denominatum à Ly realiter, hoc est nemine cogitante.

Instat I. Oviedo, si animalitas & rationalitas nemine cogitante distinguuntur actu in homine. Ergo erunt duæ formalitates. Ergo & duæ entitates. Ergo ita distinguentur sicut Materia & forma. Ergo realiter.

Responderi potest. Esse illic duas entitates hoc est aliqua duo independentia à nostris conceptibus. Sed non esse duas entitates, hoc est duo habentia jus existendi sine se, quocunque modo à parte rei; consequenter non erunt sicut Materia & Forma. Ex phrasi etiam quam attigit Oviedo, non erunt illic duæ entitates, hoc est duo entia realia & separabilia, sed tantùm illic fore duas entitates, hoc est quidditates, objicibilitates, definibilitatesque diversas.

Instat II. Animalitas & rationalitas si distinguuntur nemine cogitante actu in homine, nihil deerit quominus dicantur esse distincta realiter rigorosè.

Responderi potest. Deesse ipsam separabilitatem realem.

Instat III. Idem. Separatio unius entitatis non constituit distinctionem sed solum supponit. Ideò enim hæc Entitas potest ab alia separari, quia ab illa distinguitur. Ergo dicendum non est, entitatem animalitatis non distingui realiter ab entitate rationalitatis, quia non possunt separari à se.

Responderi potest. Quod prior sit distinctio quam separabilitas in ordine ad objectum, non verò in ordine ad nos. Separabilitas enim est signum distinctionis necessarium, unde si signum necessarium distinctionis realis, animal & rationale non habent in homine, neque distinctionem habebunt per ordinem ad nos.

Restitui tamen hoc argumentum posset via negativa, scilicet nihil illis formalitatibus deesse, ut denominentur reales à re, nihil deesse, ut sint separabiles si nemine cogitante una, non est formaliter alia.

Probari solet II. Ex Suarez, si daretur hæc distinctio actualis inter animal & rationale in homine, daretur etiam, inter essentiam existentem & ejus singularitatem. Hoc dici non potest, quia essentia existens, etiam ut distincta à singularitate, adhuc est singularis, omne enim quod est à parte rei, singulare est.

Responderi posset. In istis principiis quod essentia existens prout scilicet condistincta à singularitate non sit singularis formaliter, sicut nec animal prout condistinctum à rationali, est homo. Et licèt omne quod existit, debeat esse singulare realiter, hoc est singularitate sibi identificata realiter, non est tamen necesse, ut sit singulare formaliter seu ex natura rei, definibilitas enim unius & quidditas, non est ex natura rei quidditas alterius. Breviter ergo essentia existens etiam prout distincta formaliter ex natura rei, est realitas singularis, sed non est singularis ex natura rei.

Probari posset III. Ex Arriaga. Quia si una ratio distingueretur nemine cogitante actu ab alia,

ab alia, tunc nemine cogitante gradus superior, deberet esse per modum indifferentis ad hanc vel illam specificam differentiam. Hoc non potest dici, quia aliàs ratio Entis & substantiæ, quæ est in Angelo vel anima rationali, posset esse in lapide quod falsum est; aliàs neque Angelus, neque anima rationalis, omnino essent spirituales, siquidem continerent hanc rationem, quæ posset esse in lapide, quæ nullo modo est spiritualis.

Responderi potest. Esse aliquid in Angelo, quod ex natura rei potest non esse Angelus, sed & potest esse ex natura rei in lapide, idque ideo: quia ex natura rei, substantia, non est determinata, ut sit nonnisi Angelus, aliàs lapis non esset substantia. Continebit ergò rationem substantiæ Angelus, quæ ex natura rei posset esse, in lapide licèt propter identitatem realem, prædicatum Angeli, non possit esse physicè in lapide, quia physicè illa Substantia est Angelus, physicè spiritualis, lapis autem non est physicè Angelus, nec physicè spiritualis.

Plures in hac Materia probationes refutatas, vide in prima parte.

Punctum Difficultatis 2.

Probatur Conclusio.

Probatur I. Ratione mei in Philosophia Professoris, P. Pauli Kuhn, Viri in speculativis solidè docti, in humanioribus acutissimi. Ista distinctio & esset nemine cogitante actu ut supponitur, & non esset ut probatur, quia hi duo Termini ex natura rei & tamen nemine cogitante. Item, ut sic, & tamen præciso opere intellectus, repugnant sibi & falsificantes propositiones constituunt, quia particula *Ex natura rei* importat semper suppositionem simplicem Terminorum seu prædicatorum essentialium ut fatetur Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 6. quæst. 6 Hinc Hurtadus objicit Fonsecæ inconsequentiam, quòd gradus sumat in suppositione simplici, & tamen dicat eos præciso opere intellectus distingui.

Hic ipse medius Terminus sic aliter proponitur: quia & esset hæc distinctio actu nemine cogitante, & non esset nemine cogitante. Esset ut supponitur, non esset autem, quia nec objectum illius est nemine cogitante. Quod ipsum

Probatur. Objectum quod fit vi abstractionis non est nemine cogitante, quia nec ipsa abstractio utpote species intellectionis, est nemine cogitante: Sed objectum quod deberet distingui illa distinctione, fit per nostras abstractiones. Quod ipsum

Probatur. Tum quia si respiciantur Oppositum sentientium Summulæ, videaturq; exemplum Termini abstracti Metaphysici, illud erit: Animal ut sic, animalitas secundùm se spectata &c. Tum quia si comparentur inter se objectum quod fit vi abstractionis, & objectum illius distinctionis, quæ tamen debet esse actu nemine cogitante, nullo modo illa objecta distinguentur inter se. Ergò si objectum ipsius abstractionis, non est nemine cogitante, ita nec objectum illius distinctionis, erit nemine cogitante. Tum quia si prædictum objectum est nemine cogitante tolletur sententia tam de præcisionibus formalibus, quàm objectivis, de præcisionibus quidem formalibus, in quantum illæ habent jus, ut illis respondeant præcisiones objectivæ, quia non possent habere jam objectum à se præscindendum, tollerentur item præcisiones objectivæ, quia illæ respondent non nisi nostris cogitationibus, haberentur autem jam tunc sine nostris cogitationibus.

Respondebis I. Non fore tunc adhuc abstractum, quia ad abstractionem adhuc requiritur ut id quod est distinctum nemine cogitante, cognoscatur.

Contra est, quia stat adhuc impossibilem esse præcisionem formalem, cum jure, ut illi respondeat præcisum objectivè. quod probatur, quia cujus effectus est impossibilis, & ipsum si se habeat per modum causæ est impossibile, ut aliunde scitur. Præcisio autem formalis, cum jure præscindendi objectivè, habet se per modum causæ ut ostendit ipsa suppositio, in qua hîc agimus, effectus autem illius esset impossibilis; quia illa præcisio, non præscinderet seipsam, nec præscinderet objectum, cum jam inveniat præcisum. Et certè arguendo à manifestioribus ad ignotiora, ita se habet præcisio formalis in Intentionalibus, sicut se habet scissio physica in esse physico; sed si omnia essent scissa physicè, & impossibile esset scissibile de novo, impossibilis esset scissio physica de novo. Ergo etiam impossibili scissione objectiva de novo, cùm jam omnia præcisa inveniantur, impossibilis erit in Intentionalibus, præcisio formalis nova.

Rursus vi ipsius responsionis non in alio staret præcisio, abstractio &c. quàm in eo quod est jam præcisum & abstractum antecedenter, cognoscere præcisum & abstractum, hoc autem non est præscindere nec abstrahere, sed præcisum & abstractum attingere.

Respondebis II. Abstractionem præcisionemque objectivam, dari nemine cogitante actu.

Contra. Quia contra hoc redibunt argumenta tertio loco ponenda. Deinde quia hæc responsio sine ullo fundamento aufert intellectui potestatem, novas & non præcisas rationes, ponendi, cum fundamento in re.

Ra-

Respondebis III. Naturam secundùm se spectatam non arguere rationem abstractam, nam essentia Divina in sententia Scoti potest cognosci cognitione intuitiva, præcisa à personis.

Contra est, quia hæc responsio solùm ostendit, quod etiam ratio abstracta aliqua, suppositâ abstractione, possit notitia intuitiva etiam attingi, de quo hîc non quæritur. Deinde Virtualitas ipsa, conveniens Naturæ Divinæ, comparatæ ad Personas, facit ut una virtualitas non sit alia, idque cum identitate reali, quæ ipsa etiam specialiter facit, ut intuitivè videri possit, etiam non interveniente abstractione; similis autem virtualitas non habetur in creatis secundùm dicta supra. Quod autem per præcisionem maneat Natura depurata à differentiis dicit esse communem Scotistarum Mastrius D. 4. Logica num. 18. & num. 20. agens de universali Logico.

Probatur II. Ab Inconvenienti. Imprimis vi hujus distinctionis positæ in creatis, sequitur posse etiam in creatis, esse Mysterium Trinitatis. Quod ipsum

Probatur. Ponè non esse in Deo distinctionem formalem ex Naturâ rei, tunc non posset salvari, quod communicetur Natura Divina non communicata Paternitate, per hanc enim Distinctionem prædictam difficultatem salvant. Ergò cum per illos detur distinctio hæc in creatis, poterit etiam in creatis salvare ut communicetur Natura creata, & non communicetur identificata illi realiter v. g. subsistentia.

Responderi Posset I. Non dari Naturam creatam, quæ sit Capax communicari alteri non communicata personalitate.

Contra. Ideò non daretur cum tali capacitate Natura creata, quia & communicaretur & non communicaretur; si autem id formalis ex natura rei distinctio salvat in Divinis, cur non salvabit in creatis.

Respondetur. II. Non erit adhuc Trinitas in creatis, quia non erit à se.

Contra. Data distinctione hac in creatis, sicut datur in Divinis, quæro quare implicabit Trinitas creata seu ab alio.

Respondetur. III. Ideò in Divinis communicari Naturam non communicata personalitate, quia Natura Divina est infinita quæcunque autem Natura & Substantia creata debet esse finita.

Contra. Non ex infinitate habet hoc Natura Divina, quod sine contradictione possit communicari non communicata personalitate, sed beneficio distinctionis formalis ex Natura rei. Tum quia ipsi Scotistæ non per infinitudinem salvant ista contradictoria, sed per Distinctionem ex Natura rei. Tum quia concedimus nos in Deo infinitatem, & negamus Distinctionem actualem ex Natura rei nemine cogitante, & tamen Scotistæ objiciunt nobis quod non salvemus, quomodo Natura communicetur non communicata personalitate. Apparet ergò infinitudinem, non esse salvativam horum contradictoriorum. Tum quia si infinitudo est medium salvandi ista contradictoria prædicata, frustra jam poneretur Distinctio ex Natura rei in Divinis. Ex quibus ulterius infertur. Ergo cum contineat Natura finita distinctionem istam ex Natura rei, salvativam contradictoriorum poterit beneficio ejusdem communicari natura creata, non communicata personalitate, quæ illi identificatur.

Hoc in præsenti inculcatur; cur implicat Natura finita, potens communicari, non communicata personalitate identificata, modo sit, cæteroquin capax ejus distinctionis, quæ id salvat infinita.

Respondebis IV. Non posse communicari Naturam creatam, non communicatâ personalitate, quia in Deo est distinctio ex Natura rei conjuncta distinctioni virtuali, in creatis autem illi non conjungitur.

Contra. Quia posita sola distinctione virtuali in Divinis, & non posita distinctione scotistica, vel salvantur illa duo communicari & non communicari, vel non salvantur. Si salvantur, superfluet distinctio Scotistica: si non salvantur, hoc ipso non erit distinctio illa virtualis, aut si illa datur, superfluet distinctio ex Natura rei.

Respondebis V. Sunt aliqua prædicata quæ conveniunt essentiæ ex vi essentiæ, qualia sunt quod ex vi essentiæ suæ, animalitas sit principium sentiendi & non rationalitas: alia autem sunt prædicata, quæ conveniunt ex vi existentiæ, qualia sunt produci & non produci, communicari & non communicari. Datur ergo distinctio ex Natura rei in creatis, salvans prædicata contradictoria respectu eorum, quæ conveniunt essentiæ ex vi essentiæ, non verò quæ conveniunt naturæ creatæ, ex vi Existentiæ.

Contra. Quia ex vi essentiæ convenit Naturæ Divinæ communicari, quia ex vi Naturæ, quæ est communicabilis. Ergo cum detur in creatis distinctio ex Natura rei, ad prædicata convenientia ex vi essentiæ, quantumvis contradictoria, etiam ad communicari dabitur. Rursùs. Existentia vel distinguitur ex natura rei, vel non distinguitur; si non distinguitur, Ergo si convenit creaturæ habere distinctionem ex natura rei ad prædicata contradictoria ex vi essentiæ, habebit etiam ad convenientia ex vi existentiæ; si autem distinguitur Essentia ab Existentia ex Natura rei, stabit quærere. Cur in ordine ad hæc habeatur distinctio ex Natura rei, non in ordine ad illa? Denique quærere restat. Cur nonnisi ex vi Existentiæ conveniant in creatis communicari & non communicari, jam verò in Divinis, ex vi essentiæ? Cur item si

datur hæc distinctio formalis ex Natura rei in creatis salvans contradictoria ex vi essentiæ, non dabitur salvans contradictoria ex vi existentiæ.

II. Inconveniens est, quia si daretur nemine cogitante ista distinctio, daretur aliquid quod actu & nemine cogitante à parte rei neq; esset Creatum neque Increatum, cujus oppositum docent Patres; dum ajunt universaliter: quidquid est à parte rei, vel est Creatum vel Increatum. Neque damnandi sunt Patres quasi non attenderint ad Essentias rerum, quæ certè tunc non erant illis incognitæ, tanquam iis qui disputabant etiam cum Philosophis Ethnicis.

III. Inconveniens est, quia per aliquos datur hæc Distinctio in creatis non datur in Divinis, quod videtur inconsequenter dici; posset enim adferri DEUM esse simplicem Physicè sed non Metaphysicè adhucque etiam ipsius essentiam ex vi essentiæ secundùm se spectatæ non esse existentiam, probarique poterit implicare in illo simplicitatem etiam Metaphysicam, rationum communium.

Confirmatur. Quia videtur doceri aliquid ab hac Sententia impossibile. Erat v. g. ubi identificatum realiter locato, ita ut verum esset dicere: ubi est nemine cogitante hoc locatum, manet idem entitativè; mutat locum, veraque evadet Propositio: Illud ubi, non est nemine cogitante hoc locatum, & sic de reliquis Formalitatibus. Docet ergò hæc Sententia: Quod possit aliquid identificari alteri adæquatè, manente tamen illo nemine cogitante, non manere. Et tamen hoc nimium ferit imaginationem. Durum item videtur dicere, quod dum perit formalitas maneat in re, & tamen de illa manente in re verum est dicere: Non est nemine cogitante. Videtur enim per hoc auferri tota doctrina de rerum identificatione & prædicatione identificationem sequenti.

Probatur III. *Principiis Negativis.*

I. Principium est, quia esset actu nemine cogitante ista distinctio ut supponitur & non esset, quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec unitates, quæ sequuntur Ens, discerpendæ. Totum autem hoc quod illi volunt salvare, benè salvari potest, quòd non sit à parte rei actu, sed nonnisi fundamentaliter, & quòd totum id habeatur in solo statu intentionali, vel nobis cum fundamento in re, cogitantibus. Idem sic aliter proponitur. Non implicat Contradictionem talis identitas inter animal & rationale Petri, ut nulla sit eorum actualis alietas, sed tantũ fundamẽtalis & alietas actualis pro statu nonnisi intentionali, nec est ullum fundamẽtum, quo probetur talem identitatem de facto non dari. Ergo nulla est necessitas istius distinctionis ex Natura rei tanquam multiplicantis formalitates sine necessitate.

II. Principium est, quia nullum fundamentum est hujus distinctionis, quod ipsum sic proponitur. Quia & esset fundamentum hujus distinctionis actualis, & ipsum actuale, aliàs sine fundamento adeoque fictitia esset, & non esset fundamentum illius actuale, quia ostendi non posset.

Respondebis I. Diversam definibilitatem esse signum distinctionis dictæ.

Contra. Tum quia nego, quod animalitas Petri, habeat à parte rei, diversam actu definibilitatem à rationalitate Petri, sed nonnisi fundamentaliter, & prout subest nostris Intentionibus secundis Tum quia, aliter Acclive, aliter Declivè definiuntur, & tamẽ non distinguuntur ex Natura rei. Tum quia distinctio Rationis Ratiocinantis, non est nemine cogitante & tamen est inter extrema divertimodè definibilia. Nam definitio est clarior suo definito, aliter autem est definibilis definitio, aliter definitum, aut ad minimum, claritas competens definitioni, aliter definitur, à non claritate definiti, neq; tamen definitio & definitum distinguuntur ex Natura rei.

Respondebis II. Signum distinctionis ex Natura rei esse convenientiam prædicatorum Contradictoriorum.

Contra. Quia inter Acclive & Declive datur hæc convenientia contradictoriorũ nempe sursum & non sursum, & tamen hæc non distinguuntur ex Natura rei, imò id urgeri potest de quocunq;, quod tu ipse sentis non distingui ex Natura rei. Convenit item definitioni Ly: Est clarior suo definito, quod prædicatum non convenit definito, neque tamen in hoc duo distinguuntur ex Natura rei.

Respondebis III. Signum distinctionis hujus, esse separabilitatem unius ab alio secundùm conceptibilitatem ex Natura rei exigitam.

Contra. Quia de hoc ipso quæritur, quid sit actu illa separabilitas conceptibilitatis ex Natura rei exigitæ. Præcipuè autem, quia per multos ex Scotistis, risibilitas distinguitur ex Natura rei à rationalitate, nec tamen separabilia sunt. Idemque in aliis reperire est. Rursùs; Cur hæc separabilitas unius ab alio, secundùm conceptibilitatem, ex Natura rei exigitam, non potest fundare solam distinctionem rationis ratiocinatæ, quæ tamen non est actualis. Denique ipsa hæc separabilitas animalitatis in Petro v. g. non est actualis, sed fundamentalis, in quantùm scilicet reperitur animalitas in alio individuo, sed alia, sine rationalitate. Sed de hac separatione vide infra.

III. Principium est: Quia non habetur Principium per quod aliquid distingui ex Natura rei

ra rei actu possit. Quod ipsum sic proponitur.

Si daretur Distinctio formalis ex Natura rei nemine cogitante actu, tunc distinctum nemine cogitante actu, non esset distinctum nemine cogitante actu, quia non haberet principium distinctionis ex Natura rei actu, quia ipsum illud distinguendum ex Natura rei actu, distinguitur ab ipsamet distinctione ex Natura rei actu, cum alia sit ejus definibilitas, alia conceptibilitas &c. alia convenientia contradictoriorum, ipsimet distinctioni ex Natura rei, & alia conveniant ipsismet extremis. Ergo jam distinguentur illa extrema, ab ipsomet principio distinguendi, nempe distinctione ex Natura rei. Ergo cum illud Principium non habeant in se, eò quod illa extrema distinguantur, ab illo, non poterunt distingui: Sicut quia rationale non est principium per illos nemine cogitante sensandi, ideò non est nemine cogitante sensitivum: nec sensitivum formaliter ex Natura rei: Ita quia Distinctio ex Natura rei, est distincta ab eo, quod distinguitur, ideò illud quod distinguitur, non erit distinctum ex Natura rei nemine cogitante.

Vide Logica, ubi probatur non dari nemine cogitante actu universale à parte rei.

Punctum Difficultatis 3.

Respondetur Objectionibus.

Objicitur I. Animalitas in Petro & Rationalitas distinguuntur ante omnem operationem. Sed non realiter aut modaliter. Ergo formaliter ex Natura rei. Antecedens probatur, quia conveniunt illis prædicata contradictoria, animalitas enim v. g. Petri, habet convenientiam cum bruto, non habet rationalitas &c. Jam autem uni eidemque indivisibili entitati, nullam habenti in se distinctionem, convenire non possunt, aliàs idem esset & non esset.

Respondet I. Communis Sententia. Uni eidemque indivisibili realiter entitati multiplici tamen virtualiter, posse convenire duo contradictoria etiam prædicata.

Respondetur II. Uni eidemque indivisibili Entitati, habenti diversa connotata non posse ratione eorundem connotatorum diversa prædicata contradictoria convenire, posse ratione diversorum connotatorum. Et sic Petrus in quantum connotat operationes sentiendi convenit cum bruto, ratione cujus connotati non dicit disconvenientiam cum bruto, sed ratione alius connotati, nempe in quantùm est principium actuum ratiocinandi, unde etiam, non erit tunc contradictio ratione ejusdem.

Respondetur III. Animalitas Petri, habet convenientiam cum bruto, secundùm quod illa convenientia importat aliquod in recto. Negatur propositio; quia in recto illa animalitas est ipse Petrus, qui certè non est ratio conveniendi cum Bucephalo, unde est illic convenientia ratione connotatorum; Finge Petrum non exercere actus sensandi, imò impossibiles illi esse, non convenient Petrus & Bucephalus, sed se habebunt sicut Angelus & Bucephalus. Ergo apparet totam convenientiam esse ratione connotatorum actuum, & connotati principii, actuum sensandi. Accipiendo illud præcisè sub nomine principii actuum sensandi, non sub formalitat, equæ est à parte rei, talis scilicet principii.

Objicitur II. Quod ex natura sua ante omnem Operationem intellectus separari potest à differentiis specificis, distinguitur ab eis ex Natura rei, sed gradus superiores ab inferioribus v. g. animal secundùm se spectatum, ex Natura rei ante omnem Operationem intellectus separari potest à rationali, contingens enim illi est identificari rationali, aliàs ubicunque esset animal illic esset rationale. Ergo sic sumpta animalitas distinguetur ex Natura rei à rationali in Petro.

Respondetur I. Hanc totam probationem esse de subjecto non supponente, continereque terminos destruentes seipsos, hi enim termini, animalitas ut sic, animalitas ex Natura rei, & tamen ante omnem operationem intellectus, tollunt se.

Respondetur II. Negando, quod animal quod est in homine, secundùm id quod dicit in recto possit esse sine rationali.

Respondetur III. Contingens esse animali prout subest nostris conceptibus, prout sumitur in suppositione simplici, prout sumitur Metaphysicè, ut sit rationale, sed id non habetur nemine cogitante. Consequenter nec distinctio erit nemine cogitante, præterquam fundamentalis. Sed nego id esse contingens animali, prout independet à nostris Intentionibus, prout accipitur in suppositione personali, & prout est in statu Physico, quæ tamen nonnisi sunt nemine cogitante, nam nemine cogitante non est nisi Petrus, Paulus, Bucephalus &c. Petro autem non est contingens esse Petrum, nec Bucephalo Bucephalum, si sumantur prout existunt.

Instat I. Mastr. Log. D. 1. §. 73. proponendo eundem medium terminum, non jam de separatione, sed de continentia harum perfectionum. Multoties plures perfectiones in inferioribus dispersæ, reperiuntur in aliqua re superiori ob ejus eminentiam, unitæ realiter, ubi in inferioribus erant realiter distinctæ; & quia secundùm se sunt perfectiones simpliciter, adhuc in ea re manent secundùm suas pro-

prias Formalitates, unde continentur in eis formaliter & non virtualiter. Hæc perfectiones sic contentę non distinguuntur realiter, non virtualiter, quia non existunt ibi virtute tantùm. Ergò formaliter ex Natura rei actu.

Respondetur. Alia est hæc Propositio eademque entitas, est formaliter plura (subintellige ratione diversorum connotatorum) & alia una eademque entitas, continet plures formalitates; prior propositio est vera, nam indivisibilis entitas v. gr. Divina est formaliter justitia, & formaliter misericordia, quæ alias à se distinguuntur realiter. Posterior est falsa, quia invehens multiplicitatem actualem adeoque & distinctionem actualem, unde nec continentur formaliter illæ perfectiones sed indivisibilis entitas, est formaliter illæ perfectiones. Hinc formatur Distinctio, remanent secundùm suas proprietates, hoc est una entitas est formaliter illud, quod aliàs solet importare plures formalitates, concedo Prop. remanent secundùm suas proprias formalitates retenta aliqua pluralitate actuali. Negatur. Rursùs nego quod illæ formalitates non contineantur virtute tantùm, ne autem dicatur v.g. virtute tantum Deus, & non formaliter justus, hoc exinde est: quia virtus illa æquivalet formali illi multiplicitati formalitatum adeoq; idem formaliter præstat virtute, quod formaliter faceret in se distincta actu formalitas. Conformiter ad materiam de Connotatis remanent illæ perfectiones, ita ut idem dicant omnes in Recto, & diversa tantùm in Obliquo conceditur. Non dicentes idem in Recto. Negatur. Si autem dicunt idem in Recto, cùm *Idem* à se distinctionem sui non habeat, nec habebunt illæ perfectiones, erunt ergò ratione connotatorum distinctum quid. Unde in istis Principiis. Quid est formaliter Justitia divina idq; nemine cogitante? Est Deitas, quæ est principium activum puniendi, quid misericordia formaliter? Est Deitas, quæ est principium actuum miserendi. Si ergò utrobique respondet Deitas, non respondet alietas, si non respondet alietas, nec distinctio. Addo in nostris Principiis formaliter nemine cogitante esse tale, est realiter esse tale.

Instat II. Distinctio formaliratum, fundatur in modo, quo ibi sunt. Ergò si ibi sunt ex Natura rei actualiter, eodem modo distinctæ erunt actualiter.

Respondetur. Nego esse illas ex Natura rei actualiter plures. Rursus cum distinctio formalitatum fundetur in modo quo ibi est res, cum secundùm rectum, modus essendi illarum formalitatum sit idem, secundùm rectum non distinguentur, sed nonnisi secundùm obliquum.

Instat III. Formalitates Justitiæ & misericordiæ in Deo, vel sunt formalissimè una perfectio, & sic non existunt ibi, secundùm rationem formalem propriam vel sunt plures, & tunc necessariò infertur actualis distinctio inter illas.

Respondetur. Secundùm id quod dicunt formalitates illæ in recto & nemine cogitante, sunt una perfectio in eodem recto, nec existunt in Deo, secundùm rationem formalem, actu condistinctam. Licèt existant secundùm virtutem faciendi id formaliter, quod faceret distincta formalitas.

Objicitur III. Quæ habent diversos conceptus essentiales à differentiis, idque ante omnem operationem intellectus, ea distinguuntur à differentiis, idq; ante omnem operationem intellectûs, ex Natura rei formaliter. Sed in creatis, gradus non transcendentes, seu animalitas ut sic, habent diversos ante omnem operationem intellectus essentiales conceptus, à differentiis specificis. Ergò in creatis gradus non transcendentes, distinguuntur à parte rei formaliter à differentiis specificis. Major inquiunt, est definitio distinctionis ex Natura rei. Minor probatur. In creatis gradus non transcendentes, non includunt in suo essentiali differentias specificas, animal v. g. in suo conceptu non includit rationale.

Respondetur. Negando Minorem. Negando item ut sic dari animal, & tamen nemine cogitante, negando animal prout est à parte rei, prout est in suppositione personali non includere in suo conceptu rationale, & tamen hæc solùm dicunt non dependentiam ab opere intellectus. Concedendo tamen id convenire animali prout subest nostris intentionibus &c. de quibus jam dictum.

Instabis I. Si animal à parte rei includeret rationale, non posset ab illo abstrahi, sed potest abstrahi. Ergò. Sequela probatur. Nihil potest abstrahi ab aliquo sibi essentiali.

Respondetur. Negando sequelam cum sua probatione, quæ ulterius non probatur. Unde hæc propositio. Nihil potest abstrahi à sibi essentiali, nonnisi sano sensu permitti potest, quia nil potest abstrahi à sibi essentiali essentialitate accepta, prout subest nostris conceptibus, licèt possit abstrahi ab eo, quod est sibi essentiale, nõnisi pro statu Physico, & in suppositione personali.

Instabis II. Deus vel videt Petrum & Leonem convenire & differre, vel non videt, si non videt, Ergo videt alterutrum non esse animal, ex eo, quia non videt eos convenire in animalitate; Si videt. Ergò concipit gradus ex Natura rei distinctos, quorum unus est ratio conveniendi, alter differendi.

Re-

Respondetur. Non videre DEUM convenientiam in Petro & Leone, quòd dicit uterque in recto, sed videt convenientiam importatam ratione obliquorum & similium connotatorum. Deinde potest salvari hæc convenientia sine ulla distinctione actuali, ex dictis.

Instabis III. Si animal à parte rei non esset distinctum ex Natura rei à suis inferioribus, tunc animal identificatum homini & equo, non convenirent univocè, sed conveniunt; animal enim est terminus univocus. Ergo. Sequela probatur. Animal quod est in homine, per suam essentiam, esset determinatum, ad esse cum rationali; & animal identificatum hinnibili, per suam propriam essentiam, determinaretur ad esse cum hinnibili. Ergo.

Respondetur. Si animal non esset distinctum ex natura rei, &c. tunc animal identificatum homini & equo non conveniret univocè quoad id quod dicit in recto istud animal, & præcisè ratione suæ entitatis. Conveniret tamen univocè, quoad id quod dicit animal utriusque in obliquo & ratione importatæ denominationis propter similia connotata, hoc est actus sentiendi. Quanquam rationes etiam univocæ non dantur actu à parte rei, sed nonnisi fundamentaliter, idque ideò quia univocum debet esse ratio communis, rationes autem communes per nos, non dantur nemine cogitante.

Objicitur IV. Ex Amico. Inter quæ est ordo ex natura rei, inter illa est distinctio ex natura rei, ordo enim requirit distinctionem, cum nihil ad seipsum ordinetur. Sed in Creatis inter gradus transcendentes & differentias specificata, est ordo ex natura rei, idque ex eo, quia inter eos est essentialis subordinatio, rationem enim viventis, supponit sensitivum, & rationem sensitivi, hinnibile.

Respondetur. Inter vivens & sensitivum nullam esse subordinationem si spectentur, prout sunt à parte rei; licèt sit subordinatio, prout subsunt nostris conceptibus, seu Metaphysicè, sed sic sumptos gradus, nego dari nemine cogitante, sed datur illic ordo, nonnisi fundamentalis.

Instabis I. Inter Gradus Metaphysicos subsistendi consequentia ab inferiori ad superiorem gradum, non valet autem à superiori, ad inferiorem. Ergo apparet inter hos gradus dari dictum ordinem. Antecedens probatur, quia rectè dico: est hinnibile. Ergo sensitivum, non rectè autem dico: est sensitivum. Ergo hinnibile.

Respondetur. Illam subsistendi Consequentiam non dari actu nemine cogitante, sed nonnisi fundamentaliter. Consequenter ex illa non arguetur rectè distinctio actualis.

Instabis II. Inter Gradus superiores & inferiores, non sunt eædem definibilitates, sed diversæ, nam animal quod est in homine, non est definibile per rationale. Ergo & ordo, & distinctio, dabitur inter hos gradus.

Responsum est supra, quòd animal, quod est in homine, prout est à parte rei, sit definibile per rationale, licèt animal quòd est in homine, prout subest nostris conceptibus non sit definibile per rationale; sed nego sic sumptum animal, esse nemine cogitante.

Instabis III. Gradus superior comparatus ad inferiorem, itemque rationale comparatum ad risibile, habet se sicut causa ad effectum. Ergò dabitur ordo inter dicta, & distinctio ex Natura rei.

Respondetur. Rationalitatem v. gr. esse caulam ex modo concipiendi risibilitatis, adeoque arguere distinctionem non nisi ex modo concipiendi.

Objicitur V. Non potest esse idem æquale & inæquale alteri. Ergo nec potest esse idem simile & dissimile alteri. Ergo istud quòd est simile, ab eo quod est dissimile distinguentur saltem ex Natura rei, jam autem homo est similis leoni secundùm animalitatem, dissimilis secundùm rationalitatem.

Responsum supra pluribus viis, ostensumque hoc salvari posse ratione diversorum connotatorum. Addit Arriaga, quòd æqualitas consistat in indivisibili, significat enim habere tantùm, quantum alterum & non plus; similitudo autem hoc non dicit, sed tantùm dicit, esse instar alius, quod esse instar alius, potest suscipere majus & minus.

Punctum Difficultatis 4.

Continuatur Solutio Objectionum.

Objicit VI. Pater Chacrel. Ratione ante omnem operationem intellectus non est intra essentiam animalis. Ergo à parte rei est distinctum ex Natura rei. Probatur, quia hoc enim ipso, quia unum non est intra essentiam alterius, est extra essentiam alterius, aliàs & esset intra essentiam & non esset, quod autem est extra essentiam alterius, hoc ipso habet formalem negationem unitatis cum alio, quod autem habet negationem formalis unitatis, hoc ipso habet distinctionem formalem. Ergo à primo ad ultimum, quorum unum non est intra essentiam alius, est distinctum ab illo formaliter. Antecedens probatur. Illud est intra essentiam animalitatis quod in statu essentiæ tanquam præ-

dicatum essentiale convenit animalitati. Sed rationalitas ante omnem operationem intellectus, tanquam prædicatum essentiale non convenit animalitati. Ergo rationalitas ante omnem operationem intellectus, non est intra essentiam animalis.

Respondetur. Negando Antecedens. Probationi ejus minorem, quæ supponit ipsum statum essentiæ, dari nemine cogitante, cùm tamen non detur nisi illius fundamentum, nemine cogitante ut dictum supra. Deinde animal spectatum in statu essentiæ, non tamen secundùm rationes communes, sed secundùm rationes determinatas, dicit rationalitatem. Si autem spectetur animalitas in statu essentiæ, sed secundùm rationes communes, sic sumpta, non includit quidem rationale; sed id non est actu nemine cogitante, idque duplici titulo. Imprimis quia spectatur in statu essentiæ: Deinde quia secundùm rationes communes, utrumque autem hoc, est Intentionale. Dici etiam posset ex dictis, quod rationalitas ante omnem operationem intellectus, fundamentaliter & ratione diversorum connotatorum non sit intra essentiam animalis, licèt si spectetur secundùm id quod dicit in recto & secundùm quod est à parte rei, sit intra essentiam animalis.

Instat I. Mastr. cit. n. 75. Multa realiter identificantur, quæ tamen variis definitionibus exprimuntur. Definitio autem cum traditur per conceptus adæquatos, explicat esse formale, quod habet definitum à parte rei; licet non explicet esse reale, quod veluti materialiter se habet.

Respondetur. Realiter identificata variis definitionibus exprimuntur, non in quantùm res est à parte rei & nemine cogitante, sed prout res subest nostris conceptibus & intentionibus, qualis intentio, est & ipsa definitio. Addo rem quæ est à parte rei, semper definiri, hujus enim investigatur definitio, sed hoc quod est à parte rei potest dupliciter definiri. I. Prout est à parte rei & sic omnium identificatorum definitio, erit eadem ratione recti, ratione subjecti &c. sed non eadem ratione differentiæ, & connotatorum. II. Potest definiri res, quæ est à parte rei, non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus; & sic diversa erit definitio diversarum Formalitatum, sed inde non sequetur distinctio actualis illarum Formalitatum.

Instat II. Res diversimodè definiuntur, quia diversas habent Naturas in se ipsis, & non quia diversimodè ab intellectu concipiuntur; & per definitionem, exprimitur esse rei quidditativum, non autem esse, quod accipit per apprehensionem intellectûs.

Respondetur. Interdum definiri res non prout ab intellectu concipiuntur, & tunc in definitione identificatorum, non erit diversitas, nisi ratione connotatorum, sed nego interdùm non definiri res, prout subsunt nostris conceptibus, adeòque prout apprehenduntur cum fundamento in re. Unde ad diversas definitiones, sufficit ut definibilia diversas naturas non actu, sed fundamentaliter, non ratione Recti, sed ratione obliqui habeant, & per definitionem exprimitur quidditativum esse rei, quod est à parte rei, sed vel ita, prout est à parte rei, vel ita, prout subest nostris conceptibus cum fundamento in re.

Instat III. Licèt definitio fiat per actum intellectus, non propterea sequitur, quod explicet formaliter aliquid intentionale, sed verè explicet aliquid à parte rei. Sicut hæc propositio: Sol est lucidus, licèt fiat per intellectum enuntiantem, tamen exprimit rem, sicut se habet à parte rei actualiter.

Respondetur. Interdum quidem explicat definitio id quod est à parte rei, & prout est à parte rei, sed interdum explicat quidem id quod est à parte rei, sed non prout est à parte rei, sed prout subest nostris conceptibus. Instantia de Sole probat dari definitionem rei, quæ est à parte rei, etiam prout est à parte rei.

Objicit VII. P. Chacrel. Alietas actualis unius rationis ab alia independens omninò ab intellectu est distinctio formalis, ut patet ex earum definitione; sed datur à parte rei alietas actualis unius rationis ab alia independens ab omni intellectu. Ergo datur & formalis distinctio. Minor probatur. Unam rationem actu non esse de essentia seu quidditate alterius inde pendenter ab intellectu, est esse actualem alietatem, unius rationis ab alia independenter ab intellectu. Ergo datur à parte rei alietas actualis unius rationis ab alia independenter omninò ab intellectu. Minor probatur. Quod existentia vel Singularitas Petri actu non sit de Essentia naturæ Petri, hoc ab intellectu nullo modo dependet, cùm non intellectus, sed ipsa rerum natura faciat, quòd Deo sit essentialis Singularitas, & Existentia; Creaturis accidentalis.

Respondetur. Existentiam in creatis esse accidens Metaphysicum seu ex modo concipiendi, non esse tamen accidens actu, sed tantùm fundamentaliter ex eo, quia potest concipere essentiam intellectus, sine actuali existentia. Deo autem non est accidentalis existentia, cùm enim DEUS sit perfectionis illimitatæ, æquè formaliter debet illi convenire Essentia atque Existentia. Conformiter ad superius dicta respondeti potest, Existentiam Petri secundùm id quod dicit in recto esse essentialem Petro, est

enim

enim ipsa essentia Petri, licèt non sit essentialis secundùm id quod dicit in obliquo, quia existentia creata Petri connotat causas se liberè producentes, in quibus, tanquam effectus liber, continetur; Existentia autem Dei non dicit consimiles, pro obliquo causas.

Objicit VIII. idem. Si animal non esset distinctum formaliter ex natura rei à rationali, non posset explicari sufficiens distinctio in Analoga & Univoca. Sed hoc est absurdum. Sequela probatur. Quia non majorem haberent Univoca unitatem quam Analoga: Quod ipsum probatur, quia si haberent perfectiorem unitatem univoca præ Analogis, illa unitas vel esset ex vi conceptus nostri vel ex ipsa unitate à parte rei majori. Non ex vi conceptus nostri, quia tam perfectè est unus conceptus animalis, quàm perfectè est unus conceptus entis. Non item ex vi unitatis, quæ major in univocis à parte rei reperiatur, quia animal quod est in Petro supponiturque esse univocum, est ratio simul & conveniendi ut clarum est, & ratio differendi, ratione omnimodæ identitatis actualis, cum rationali, quod est ratio differendi. Ergo non est major unitas in univocis, quàm in Analogis, propter similem enim rationem, quia ens importat omnimodam identitatem cum differentiis dicitur esse Analogum, hoc est, ratio conveniendi & differendi.

Respondebis I. Analoga includi in differentiis formaliter, nam ens quod est Analogum includitur in differentia, certè enim differentia non est non ens, animal autem quod est univocum non includitur in differenti s. *Hæc Ratio*

Non Satisfacit. Tum quia si animal non includitur in differentiis à parte rei, hoc ipso admittes distinctionem Scotisticam, per quid enim ab illâ recedes. Tum quia si animal non includitur in differentiis vel non includitur, nonnisi in statu intentionali, & hoc non tenebit, quia per nos etiam in ente, in statu intentionali non includuntur differentiæ; si autem animal non includitur in differentiis à parte rei, ergo hoc ipso dicet ab illis distinctionem à parte rei. Tum quia si nemine cogitante animal non est rationale. Ergo nemine cogitante animal non dicet rationem identitatis cum rationali. Ergo distinctionem & non merè ratione connotatorum extrinsecorum.

Respondebis II. Non dari rationem communem à parte rei univocam nec rationem communem Analogam, adeòque cùm non dentur istæ rationes à parte rei, nec ostendenda erit à parte rei major unitas univocorum præ Analogis. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia debet dari major convenientia univocorum præ Analogis, hanc autem non salvas, ut habet responsio, pro statu physico & à parte rei. Non salvas etiam in statu intentionali, casu quo dicas dari conceptum Analogorum perfectè unum, nihil enim plus habebit univocum præ Analogis.

Respondetur. III. In hoc stare majorem unitatem univocorum præ Analogis, quia ea quæ univocè conveniunt, nullo modo sunt ratio differendi à parte rei sub eodem nomine, ea verò quæ sunt Analoga, sunt ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine; & ita animal, sub nomine animalis non est ratio disconveniendi viventibus sensitivis, Ly autem sanum, quod est Analogum etiam sub nomine sani, est ratio conveniendi & differendi; nam Ly sanum dictum de medicina, pulsu &c. erit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine, universaliterque Analogia non debet pensari, an una eademque indivisibilis entitas sit ratio conveniendi & differendi saltem ratione connotatorum, sed an sit ratio conveniendi & differendi sub eodem nomine quod exigit ipsa definitiva phrasis Analogorum.

Objicitur IX. Non desunt formalitates quarum una negetur de alia, non desunt formalitates, quarum una postulet aliter definiri quàm alia. Ergo datur distinctio formalis ex Natura rei.

Responsum. Ad hoc argumentum.

In cumulum colliguntur omnes distinctiones, in hac materia applicabiles. Non desunt formalitates, quarum una prout est à parte rei potest negari de alia. Nego Antecedens. Non desunt formalitates, quarum una prout subest nostris conceptibus, & secundis intentionibus negari potest de alia. Concedo Antecedens. Item non desunt formalitates quarum una negetur actu de alia. Negatur Antecedens; ut negetur fundamentaliter. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una negetur de alia ratione extrinsecorum connotatorum. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una negetur de alia, ratione ejus quod dicit in recto & pro intrinseco. Nego Antecedens. Non desunt formalitates quarum una sumpta in suppositione simplici negetur de alia. Concedo Antecedens. Non desunt formalitates quarum una sumpta in suppositione personali negetur nemine cogitante de alia. Nego Antecedens. Ergo datur distinctio ex Natura rei. Nego Consequentiam; nam hæc deberet esse independenter à nostris secundis intentionibus, deberet non esse tantùm fundamentalis, aut ratione solùm extrinsecorum connotatorum: cumque debeat esse nemine cogitante, deberet esse non in suppositione simplici, quæ suppositio simplex non est nemine cogitante.

Instabis. Quidquid negatur formaliter de altero semper negatur. Ergo nunquam est in potentia ad negari. Ergo non fundamentaliter distinguuntur animal & rationale sed actu. Sed non actu realiter aut modaliter. Ergo actu ex Natura rei.

Responsum jam, quidquid negatur de altero formaliter, idque de eo sumpto in suppositione simplici, illud semper negatur de eodem in suppositione simplici, sed non erit necesse negari in suppositione personali. Item, quidquid negatur de alio prout subest nostris secundis intentionibus, debet negari de eodem prout subest nostris secundis intentionibus, sed non debet negari de eo prout est à parte rei. Et ita negatur animal quod est in homine de rationali, prout animal subest nostris secundis intentionibus, sed non prout est à parte rei; quod ipsum à parte rei apud me non aliud est, quàm rem independenter à nostris conceptibus seu physicè sumere.

Colliges ex dictis. Gradus Metaphysicos non distingui actu intrinsecè ratione ejus quod dicunt in recto, distingui tamen actu à parte rei ratione ejus quod dicunt in obliquo & extrinsecè, quod est idem ac dicere distingui ipsa connotata & extrinseca, ad eum modum quando dicitur. Paries prout albus disgregat visum, sensus est: quòd albedo disgreget visum.

Punctum Difficultatis 5.

Argumenta Recentiorum.

Objicit I. Sylvester Maurus q. 32. Rationes quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, distinguuntur ex Natura rei, sed dantur multæ rationes genericæ ac differentiales, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, & ita animalitas non includitur in definitione rationalitatis adæquata.

Respondetur. Cùm in argumento non ponatur, quòd hæc distinguantur ex Natura rei, & quidem actu idque nemine cogitante, videtur argumentum principia nostra non petere. Ex dictis responderi aliter potest quod rationes, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, prout illæ subsunt nostris conceptibus distinguantur ex Natura rei. Neg. Major: Sic enim distincta debent distingui independenter à nostris conceptibus & intentionibus. Rationes quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, independenter à nostris conceptibus distinguuntur ex Natura rei. Concedo Majorem. Distinctaque minori neg. Conseq.

Instat idem. Rationes cognitæ conceptu quidditativo & adæquato, quarum neutra includitur in definitione adæquata alterius, distinguuntur ex Natura rei, sed tales sunt rationes genericæ & individuales alioquin nulla quidditas sensibilis & materialis esset, à nobis cognoscibilis quidditativè. Ergo.

Respondetur. Rationem hanc positam, post duo supposita, esse eandem cum priori, & ei fit satis eadem responsione. Ut autem salvetur quidditatem sensibilem esse cognoscibilem quidditativè, sufficit quod si detur definitio animalitatis & rationalitatis, prout est à parte rei, debebit definitio utrique competere, sicut & definitum homo utrique in re competit.

Objicit II. Comparando rationes genericas & differentiales quidditativè cognitas v. g. animalitatem & rationalitatem, non innotescit quod animalitas sit rationalitas, sed potius innotescit oppositum, eo pacto, quo comparando colorem & sonum, innotescit quod color non est sonus. Ergo.

Respondetur. Non innotescit animalitas ex rationalitate, prout subsunt nostris conceptibus, innotescit autem animalitas ex rationalitate, prout hæc est à parte rei, nihil enim est quidditas hæc à parte rei nisi in re, homo; hic autem homo, est hoc corpus ita organisatum, & anima hæc, ita se prodens, quod utrumque dicit animal, neque enim animal est solum corpus; utrumque etiam horum dicit rationale, neque enim rationale est sola anima, unde fit ut eadem quidditas in re sit animalis, & eadem rationalis, adeoque ex quidditate animalis, prout est à parte rei, innotescit quidditas rationalis, prout est à parte rei, nec se ista habent sicut sonus & color à parte rei, quia horum utrumque distinctam entitatem dicit, non alia autem est entitas animalis à parte rei, ab entitate rationalis; consequenter quidditas animalis, à quidditate rationalis different, prout hæc subsunt nostris conceptibus, si prout subsunt nostris conceptibus; ergo non ex Natura rei, nemine cogitante actu differunt.

Instat I. Intellectus non magis penetrat rationem entis & cæteras rationes transcendentes, quàm rationem animalis, sed de ratione entis certificatur, quòd includatur à parte rei in differentiis; ergo etiam de ratione animalis certificaretur, quòd includatur à parte rei in quidditate suarum differentiarum, si verò includeretur non certificaretur, ergo ideò quia non includitur.

Respondetur. Rationem animalis includi in differentiis, certificatur intellectus cùm considerat animal prout est à parte rei, & sicut certificatur includi ens in diversis differentiis ita certificatur includi animal, & in rationali & in irrationali, si sumatur animal prout est à parte rei; licèt non includatur, si sumatur prout subest nostris conceptibus.

Instat

Instat II. Noster intellectus minus penetrat differentiam Dei quàm differentiam creaturarum, sed de differentia Divina certificatur, quòd includat in sua quidditate omnes rationes absolutè prædicabiles. Ergo si differentiæ includerent rationes genericas in sua quidditate, certificaretur de tali inclusione.

Respondetur. Cum non detur animal ut sic nemine cogitante, sed nonnisi hoc & hoc animal, & tamen hoc & hoc habent suam quidditatem, certificatur intellectus quod hoc animal à parte rei, sit hoc rationale, & quidditas animalis hujus à parte rei, sit ut dixi quidditas rationalis à parte rei.

Instat III. Conceptus quidditativus adæquatus rationum, est perfectè repræsentativus ipsarum; Ergo cùm conceptus quidditativus non exprimat inclusionem; nec rationes se includunt à parte rei.

Respondetur. Neg. quòd conceptus quidditativus animalis, prout est à parte non exprimat inclusionem rationalis prout est à parte rei, hic enim conceptus est hoc corpus & hæc anima, hic autem conceptus idem est cum conceptu rationalitatis, prout illa est à parte rei revolvensque se intellectus dicit, aliud est animal prout subest nostris conceptibus à rationali, non autem à parte rei nemine cogitante.

Objicit III. Principia in quæ resolvitur, & ex quibus oritur cognitio quidditativa, debent cognosci quidditativè, eo pacto quo principia cognitionis evidentis, debent esse evidentia. Hæc autem cognitio, nonnisi in hac sententia salvatur: dum quæritur quid est homo? quæritur cognitio quidditativa hominis? & respondetur, animal rationale; quæritur quid quidditativè animal? & respondetur, vivens sensitivum: quæritur quid vivens? respondetur, corpus vegetabile, hoc in sententia opposita non potest salvari, nam rationes genericæ & differentiales minus quidditativè cognoscuntur, quàm res definitæ.

Respondetur. Si quæratur, quid est homo, ut sic; interrogationes & responsiones adlatæ sunt bonæ, & à nobis etiam adhibentur; sed negamus dari hominem ut sic nemine cogitante; sed nemine cogitante datur Petrus, Paulus &c. quorum quidditativa cognitio, resolvitur in principia evidentia & sub sensum cadentia, & ea quæ sunt & prout sunt à parte rei, & ex iis quæ sub sensum cadunt præsternitur via ad ea, quæ in sensum non cadunt, in se, ut rationalitas, anima &c. Quod si cognitio illa resolvitur in principia evidentia sensuum; magis adhuc est quidditativa, quia pauciores gradus habebit ad evidens per se, minus autem distans à noto per se, evidentius est: unde si quæras quid est hic homo? est hoc corpus ita organisatum, & anima prodens se per illud; si quæras quid est illud esse organisatum & quid prodere se animam, jam tantùm per ista quæ sub sensum cadunt, respondebitur.

Objicit IV. Intellectus debet esse dispositus ad cognoscendum suum proprium & proportionatum objectum, sed proprium & proportionatum objectum intellectûs nostri est quidditas materialis, Ergo intellectus debet esse dispositus ad cognoscendum quidditatem rei materialis prout est, sed intellectus cognoscit quidditatem rei materialis ut compositam ex rationibus genericis & differentialibus, Ergo verè quidditas materialis, componitur ex rationibus genericis & differentialibus, distinctis ex Natura rei.

Respondetur. Quidquid sit, an objectum intellectus nostri sit quidditas materialis, quod negari posset, quia sequeretur quod ad id, quod materiale non est vitaliter videndum, elevari non posset, sicut quia objectum adæquatum oculi est visibile, non potest, elevari, ad audiendum vitaliter. Directè dici potest quòd objectum intellectus nostri sit quidditas materialis non utcunque, sed quidditas, vel prout est à parte rei, vel prout subest nostris conceptibus: & prout subest nostris conceptibus accipiendo scilicet hominem ut sic, cognoscit illum compositum ex rationibus genericis & differentialibus, distinctis actu ex Natura rei, sed hæ rationes actu nemine cogitante, secundùm se spectatæ, non dantur.

Objicit V. Quia secundùm hanc sententiam, traditur ratio universalis de distinctione vel identitate rerum ac rationum, hæc ratio est finitas & infinitas: Infinitas est ratio, cur DEO identificentur omnes perfectiones, è converso limitatio essendi in creaturis, est ratio distinctionis.

Respondetur. Etiam hæc sententia non tradit regulam universalem, idque in duplici materia: Imprimis quia etiam sapientia quà talis, & justitia quà talis in Deo, diversa definitione definiuntur & tamen negat hæc in Deo distingui ex Natura rei objiciens, de quo aliàs actum. Deinde quia etiam in creatis finitudo non est ratio plurificandi omnia in creatis, sunt enim etiam in creatis rationes indistinctæ ex Natura rei. Addo quod hæc ratio videatur probare, ita in nobis distingui animalitatem à rationalitate, sicut distinguuntur in nobis justitia à misericordia.

Objicit VI. Mastrius Disp. 6. Metaph. a. num. 212. In homine ultra res physicas, quæ sunt ejus physicæ partes, reperiuntur etiam realitates Metaphysicæ, v. g. realitas animalis rationalis &c. quæ quidem rationes, non plurificantur per solas præcisiones formales, quia intellectus non producit per animam suam

has

has rationes in homine, sed illas jam formatas & plurificatas reperit, alioqui homo non esset animal rationale à parte rei, sed tantùm per opus intellectus, neque hujusmodi rationes plurificantur vel distinguuntur in homine per solas præcisiones objectivas, id est, per conceptus objectivos inadæquatos, quia aliàs si actu inadæquato intelligeretur, unica tantum ratio conceptibilis in ipso apprehenderetur; hoc autem falsum est, quia nulla creatura est simplex aliqua entitas à parte rei, est enim etiam ex variis gradibus essendi Metaphysicis composita, ideò quantumcunque inadæquatè concipiatur, concipi nequit nisi variis & distinctis rationibus.

Respondetur. Concedo in homine reperiri realitates Metaphysicas, sed non distinctas, distinctione illarum actuali, pendente à præcisionibus imprimis formalibus, sed cum fundamento in re præcedentibus, cumque harum formalitatum distinguendarum, detur fundamentum nemine cogitante, hoc ipso sequitur, quòd has rationes non producat per actionem suam intellectus, sed præscindit; quæ præcisæ jam se ipsis distinguuntur actu, ut alibi dicitur, ratione neque ejus fundamenti quod actu habetur, est à parte rei animal rationale, sed non distinctum v. g. à suis hæcceitatibus actu, nec distinctum actu animal, à rationali.

In sententia nostra tenente præcisiones objectivas, referri etiam id debet in præcisiones objectivas, caluque quo actu adæquato intelligeretur homo unica quidem re, & nemine cogitante, intelligeretur ratio, multiplex tamen fundamentaliter, æquivalenter &c. estque simplex entitas actu v. g. homo, multiplex æquivalenter, & est ex variis gradibus essendi Metaphysicis, non actu, sed fundamentaliter distinctis.

Objicit VII. idem. Multa realiter identificantur, quæ tamen variis definitionibus explicantur ut docet Aristotelis cum igitur definitio explicet esse formale & quidditativum, quod habent res à parte rei, antecedenter ad quodcunque opus intellectus, concedenda est inter plura illa, aliqua distinctio actualis.

Respondetur. Hoc quod est definiri, quod est, vel est definiri prout est, vel definiri quidem quod est, sed prout illud subest nostris conceptibus, non utcunque, sed fundamentum in re habentibus; unde quando variis definitionibus realiter idenficata explicantur, explicantur prout subsunt nostris conceptibus, explicaturque definitum esse quidditativum, quod habetur à parte rei, sed non prout habetur, sed fundamentaliter acceptum, & prout subest nostris conceptibus; talis autem definitio rei prout habetur fundamentaliter, & subest nostris conceptibus non arguit alietatem actualem & nemine cogitante, si autem definiretur id quod est & prout est, deberet una quidditate definiri.

Instat I. Separabilitas realis arguit distinctionem realem; ergo & separabilitas secundùm conceptibilitatem, exigita actu ex natura rei, arguit actualem distinctionem ex natura rei, majorem distinctione rationis, minorem reali.

Respondetur. Negando dari actu ex natura rei, nemine cogitante, illam separabilitatem secundùm conceptibilitatem; si enim est secundùm conceptibilitatem, non est independenter à nostris intentionibus. Deinde datur etiam per nos supposita distinctione virtuali & fundamento in re, aliùs & aliùs conceptibilitatis major distinctio, quàm sit in istis, quæ sola ratione differunt, indubiè enim etiam per nos magis distinguuntur animal præcisum & rationale, quàm definitio & definitum, sed negamus hanc distinctionem esse nemine cogitante. Denique ex conditione separabilitatis arguenda est conditio distinctionis, & ita ex ratione separabilitatis tam ratorum, quam modorum, major arguitur esse distinctio realis quàm modalis, quia autem hæc separabilitas est intentionalis, arguit etiam majorem distinctionem intentionalem, sed si illa separabilitas non esset intentionalis, argueret distinctionem non intentionalem, hinc non habetur in nostris principiis rigorosè actualis illa separabilitas, sed solum fundamentum separabilitatis.

Quæ arguit ex verificatione contradictoriorum tam in divinis quàm in creatis alibi solvuntur.

Instat II. Deus non cognoscit res nisi adæquatè & distinctè, sed Deus cognoscit differentiam & convenientiam inter hominem & brutum. Ergo concipere debet gradus adæquatè, ex natura rei distinctos.

Respondetur. Si Deus res nonnisi adæquatè cognoscit, non cognoscit gradus ipsos distinctos, quia res secundùm gradum accepta, semper est inadæquatè accepta, adæquatioque illius, stat in omnibus simul, unà cum individuatione. Admisimus item aliàs etiam in DEO præcisiones objectivas æquivalenter, quibus mediis, potest Deus illas convenientias & differentias salvare. Denique dici potest, quòd Deus cognoscat differentiam & convenientiam entium ratione extrinsecorum connotatorum, & quæ postea ducunt ad formandum conceptum in rectis ipsis conveniendi & differendi.

Instat III. Saltem distinguuntur passiones à subjecto distinctione hac ex Natura rei, quia scientia realis est cognitio rei per causam propter quam res est, & quoniam illius causa est, ergo necesse est quod affectiones ex Natura rei à subjecto pullulent, adeoq; & distinguantur,

& si

& si homo & risibile per solam habitudinem extrinsecam distinguuntur, cùm demonstramus risibilitatem de homine, per animal rationale, demonstramus hominem, potiùs sic concipi, puta, sub risibilitate, quia concipitur hoc alio modo, puta sub Conceptu rationalitatis.

RESPONDETUR. Scientia adde ut vis realis, est cognitio vel per causam physicam, vel per causam Metaphysicam, adeoque intentionalem, cum fundamento in re procedentem, hoc autem non arguit ullam distinctionem actualem, distinguuntur autem homo & risibile actu nemine cogitante, per sola connotata extrinseca, sed hæc connotata fundant distinctionem principii Mataphysici, & passionis Metaphysicæ, cumque dandi huic quidem rationem principii, huic rationem passionis, detur fundamentum nemine cogitante, non demonstramus concipi tantummodo arbitrariè, hoc esse passionem, illud principium, sed ratione fundamenti habiti; licèt non sit principium actu distinctum nemine cogitante, à suâ passione.

Pensendæ hîc veniunt auctoritates Arist. quas adducit Mastrius.

I. Locus. 4. Top. c. 1. dicit Aristoteles, Ens & unum distingui ratione quidditativa.

RESPONDETUR. Concedo, quia distinguuntur ratione diversæ definibilitatis, sed nego id esse nemine cogitante, quo etiam modo explicari debet locus ex 5. Rhet.

II. Locus. 3. Metaph. t. 10. dicit genus esse extra rationem differentiarum.

RESPONDETUR. Etiam hic locus intelligendus, quòd definitio entis, non sit propria definitio differentiarum.

III. Locus ex 3. Physic. t. 21. ubi ait passionem & actionem ratione distingui.

RESPONDETUR. Illa duo definitionibus distingui.

IV. Locus est ex 3. Ani. t. 3. quòd aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse.

RESPONDETUR. Illic loqui Arist. de distinctione essentiæ & existentiæ, quòd illa sit æterna, hæc temporalis, ex quo non arguitur distinctio actu ex natura rei, secundùm aliàs præexplicata.

V. Locus est ex 7. Metaph. t. 20. 21. & 41. ubi docet, quod in abstractis à Materia, id est, quod quid est, cum eo cujus est, in conceptu autem cum materia, non esse idem.

RESPONDETUR. Per quod quid, intelligitur forma, quæ in abstractis à materiâ non distinguitur realiter, secus in materialibus.

* *
*

QUÆSTIO VII.

De Distinctione rationis ratiocinatæ & ratiocinantis.

ASSERO I. *Nomine distinctionis Ratiocinatæ non esse intelligendam distinctionem*, ut ait Suarez di p. 7. Sectione 1. num. 4. *quæ præexistat antequam intellectus ratiocinetur*, & quæ sit quasi ex se ratiocinata, utque solum requiratur ad illam cognoscendam intellectus, non verò faciendam, hæc enim jam esset distinctio Scotistica, sed distinctio Rationis Ratiocinatæ, est distinctio cum fundamento in re, seu quæ sit ab intellectu præscindente objectivè.

ASSERO II. *Distinctionem rationis ratiocinantis esse distinctionem, quæ sit sine ullo fundamento in re, sed ex solo nostro concipiendi modo*, aliter & aliter rem concipiente. Explicat hoc idem Suarez. Illa censentur esse distincta ratione ratiocinante, quando in duobus conceptibus semper adæquatè idem concipitur, estque tantum quædam repetitio & comparatio apprehensionis de objecto, ad aliam apprehensionem. Et ita distinguuntur Petrus pro prædicato positus, à seipso posito pro subjecto: Quod si in duobus conceptibus eadem Entitas; sed per inadæquatos conceptus objectivos attingetur, ista distinguentur distinctione rationis ratiocinatæ. Et ita quando concipio animal quod est in Petro, non concepto rationali, conceptus iste est inadæquatus, nec secundùm totum esse Petri, qui præter animal, importat etiam rationale, h neque fiet, ut animal & rationale, distinguantur ratione ratiocinata.

Quod si quæras, quæ sit regula cognoscendi, quæ non distinguantur distinctione rationis ratiocinatæ? quæ distinctione rationis ratiocinantis? idem dicendum erit quod dictum de iis, quænam objectivè præscindere possint quæ non.

ASSERO III. *Distinctionem Rationis ratiocinatæ & rationis ratiocinantis bene posse salvari per sola Connotata*; ita ut res ipsa prout connotat fundamentum in re, suæ alietatis, censeatur esse distincta ratione ratiocinata, & res prout connotat alieratem ortam ex alio & alio modo concipiendi, censeatur esse distincta Ratione ratiocinante.

COLLIGES. Admitti posse, distinctionem ex Natura rei actualem inter rationes communes, jam in statu præcisionis & abstractionis spectatas. Rursùs admitti posse distinctionem ex Natura rei, eamque nemine cogitante, sed non actu inter animalitatem & rationalitatem Petri, idque

idque ideò, quia datur nemine cogitante fundamentum hæc distinguendi ex Natura rei, hoc est, ipsa re, fundamentum hujus distinctionis dante. Sed quia fundamentum quidem est actu, sed fundata distinctio non est actualis, ideò non est illic distinctio est Natura rei nemine cogitante actu, adeòque nec distinctio qualem adstruunt Scotistæ.

DISPUTATIO IV.

De Speciebus Entis.

IN hanc Disputationem inseri debebent ea, quæ sparsim in aliis materiis dicta de Prædicamentis. Restat nihilominus ut aliqua dicantur de Substantia & accidente.

QUÆSTIO I.

De Substantia.

AGetur de Substantia, prout illa condistinguitur accidentibus; nam sub aliis formalitatibus jam est alibi expensa.

QUÆRES I. *Quis sit Conceptus Substantiæ?* Non moror explicationem secundùm quam dicetur illud esse substantia, quod substare natum est accidentibus; cujus conceptûs illegitimitas ostenditur per substantiam, quæ est Deus, qui est substantia, nullis tamen subest accidentibus; quamvis enim per aliquos dicatur Deus non reponi in prædicamento substantiæ, eò quod in prædicamentis nonnisi entia finita ponantur, sine tamen inclusione in prædicamento substantiæ dicitur Deus verè substantia prout illa opponitur Accidentibus. Deinde in probabili sententia quantitas est subjectum accidentium, neque tamen per hos est substantia, hicque conceptus qui est receptio accidentium cùm sit respectivus, hoc ipso non erit enti absoluto, qualis est substantia primò essentialis. *Hinc aliter*

EXPLICAT I. Arriaga. Quòd scilicet substantia sit illud, quod primò constituit primam rem; prima autem res est, quod primò & per se existit, vel quod per se intenditur à natura, & quod est radix cæterorum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia si quæras, quare Deus sit substantia, non potest reddi ratio, quod sit radix cæterorum; quia per explicantem radix cæterorum intelligitur id, quod est causa physica efficiens vel emanans suas proprietates & accidentia, quod Deo respectu suarum proprietatum non competit. Non etiam Deus ideò est substantia, quia primò intenditur à natura, quia hic terminus ex communi acceptione accommodatur vel ad solum compositum physicum, vel ad maximum, ad formam, neutrum autem horum Deus. Et si primò intenditur à natura Deus, quid ergò secundò per ordinem ad Deum? Si creaturæ, hoc ipso illæ omnes erunt accidentia. Non etiam Deus ideò est substantia quia per se existit, quia de hoc, ipso quæritur, quid est hoc per se existere; quod si per se existere describas per non existere in alio, explicabis substantiam per negationem accidentis. Tum quia vi hujus explicationis non posset inferri, quòd unio entitativa si detur, sit substantialis? item subsistentia quæ etiam est aliquid substantiale in sententia modalium. Tũ quia aliqua etiam accidentia sunt radix cæterorum ut in extreitate partium in ordine ad se, radicatur extreitas in ordine ad locum &c. & tamen quantitas non est substantia; nec apparet ratio, cur non possit accidens esse radix & exigitivum aliûs, sine hoc, quòd sit substantia.

EXPLICAT II. Oviedo, & cum eo recentior Suar Quòd substantia sit id quod primò & propter se intenditur à natura, vel id quod non intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum: Si enim intendatur, cum quo saltem inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur, ut cùm materia & forma intenduntur, propter compositum, à quo inadæquatè distinguuntur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non apparet, quî hic terminus ad auctorem naturæ accommodari possit, quòd primò intendatur à natura. Tum quia creaturæ sunt propter Deum intendique possunt à Deo, propter semetipsum adæquatè ab illis distinctum, & tamen sunt substantiæ, ergo substantia per illud non intendi, non rectè explicatur. Ex probabili phrasi materia intenditur etiam propter formam, ad quam substantialiter ordinatur, & tamen materia est substantia. Quod si dicas creaturas esse propter Deum tanquam propter finem, sed non intendi eo modo quo intenduntur accidentia, redibit quæstio de illo ipso intendi, quid sit? Tum quia nutritio non per se intenditur à natura, sed

ra, sed ex accidenti restaurandi corruptionem, estque quid adæquatè distinctum, à præcedenti compositi integritate, & tamen est quid substantiale. Tum quia in generatione calidi, quà calidum est, primò & per se intenditur calidum, & tamen calidum, non est quid substantiale, nec refert quod ipsum calidum ordinetur ad ignem: nam formæ etiam partiales substantiales ordinanturad totalem, & tamen substantiales sunt. Gratia etiam aut visio beata nescio propter quid aliud intendatur, & tamen non est quid substantiale. Quod autem dicit Oviedo calorem non intendi propter calidum, sed propter subjectum, dicam etiam formam substantialem rugibilitatis, non intendi propter se, sed propter subjectum seu materiam, vel ad maximum materiam propter formam, vel dicam etiam calidum ut calidum, intendi propter se, licèt sub alia formalitate intendatur propter subjectum, ad eum modum, quo prima operatio diverso respectu est primò propter se appetibilis, licèt sub formalitate partis, appetibilis sit propter Syllogismum, & si intendi propter subjectum, dejicit formam à ratione substantialis, cur intendi propter compositum, quod illa forma ingreditur, sed cum compositum, quod illa forma ingreditur, sed cum comparte distincta realiter, non dejiciet à conditione formæ substantialis.

Explicat II. Perez. de Incarnatione, ponitque duplicem definitionem: *Prima definitio Substantiæ est Logica* desumpta ex Post. t. 9. Ens substantiale seu per se dicitur quod non de subjecto alio dicitur ullo, quod ut explicet.

Ponit. I. Quod videatur definitio hæc esse falsa, nam anima equi est substantia, & tamen dicitur de subjecto, quod est materia equi, benè enim dico: id quod animat materiam equi, est anima equi. Quod ut solvat.

Ponit. II. Nullam esse intelligibilitatem, quam non possimus pro arbitrio in recto vel in obliquo nominibus exprimere, esse tamen quasdam res, quæ in prima naturali & optima intelligendi ratione, intelliguntur ab omnibus, recto aspectu, alia obliquo: hac ita se habere clarum est, nemo enim primò sentiens & intelligens dulcedinem primò dicit dulcedo, sed dulce, id est, habens dulcedinem. Postea verò possumus pro nostro arbitrio illud concretum dissolvere, & formare nomen dulcedo, quam definientes dicemus, dulcedo, est qua aliquid est dulce. Hæc est notissima definitio dulcedinis, si autem non conciperemus prius dulce quam dulcedinem, ineptò definiretur dulcedo per dulce, res enim definire solemus per ea quæ notiora sunt, & priùs concipiuntur. Si quis autem velit formare concretum, in quo velit dulcedinem in recto collocare, & in obliquo subjectum, ut si dicatur dulcedo pomata, violentiâ quadam id fit, & quasi ordinem naturalem invertendo, multoq; melius oppositum sit, tanquam magis imitans naturam rerum, unde etiam demonstratio à priori præfertur demonstrationi à posteriori, quia illa magis imitatur naturam rei, & modus cognoscendi ipsius, sequitur modum essendi, cùm progrediatur à causis ad effectus concludendos, & incipiat à causis cognitionem; ut esse, natura incipit à causis.

Ponit. III. Quando Aristoteles dicit, est per se, vel substantiam, esse id, quod de nullo alio dicitur subjecto, intelligendum esse de subjecto prædicationum & denominationum intrinsecarum, quod est tale secundùm primam naturalem & optimam intelligendi rationem, tale autem est id, quod naturaliter & primò est rectum. Itaque accidens, est id, quod ne partialiter quidem, est rectum, secundùm naturalem intelligendi rationem, sed obliquum vel modus obliqui. Hinc accidens respectu nostri intellectûs, est Ens interminatum, in quo non potest firmari noster intellectus, & est simile diaphano seu perspicuo interminato; in quo nunquam figitur visio oculorum, sed ulterius progreditur, usque ad superficiem opaci, lucentem & coloratam. *Hæc illius explicatio.*

Non Satisfacit I. Attendendo ad ea quæ habentur posito II. Tum quia hujus ipsius primi & naturalis modi cognoscendi danda esset ratio, cur in illo semper prius attingatur substantia & non accidens. Tum quia id quod est de linea dulcis, primò in nobis movet sui intellectionem, quod primò movet sui sensationem, prius enim est esse in sensu postea in intellectu; casu autem quo primo esset in intellectu substantia, quàm accidens, quod primò movet sui sensationem falsum hoc redderetur principium. Quod autem primò moveat sui sensationem dulcedo, & non substantia dulcis, hoc exinde probatur, quia mediis accidentibus in ipsas notitias & differentias substantiarum devenimus, & in particulari per sensationem gustûs, quæ appellatur dulcefactio, vel dulcis perceptio, devenitur in notitiam dulcis, hoc autem quod illic sensu percipitur, non est substantia sed dulcedo. Unde primò gustans dulcedinem, nego quod dicat dulce, sed dicit dulcefactivum, hoc autem non est substantia sed dulcedo proximè, consequenter primò gustans, dicit: dulcedo æquivalenter. Tum quia sicut possumus dicere dulcedo, est qua aliquid est dulce, ita possumus dicere est dulcedo subjectum & Unio. Ergò non prius erit rectum ipsa substantia quàm accidens. Deinde cum res definiatur per ea quæ notiora sunt & prima, cum ipsum dulce definiamus per habens dulcedinem, substantia & erit primum rectum & non erit, erit quidem ut supponitur, non erit autem, quia definitur per dulcedinem, quæ hoc ipso erit prior & notior utpote definitiva dulcis, cum tamen definitiones fiant per priora & notiora. Denique cum prima operatio sit simplex qualitas, illaque repræsentet ly dulce, hoc est dulce fa-

cturum, aut habens dulcedinem, quomodo dulcedo habebit verè & realiter rationem prioris. Tota ergò imaginatio Auctoris est. Ex eo, quòd in lingua Hispanica hic ordo passim servetur, transferturq; ab Auctore ad conceptus, quod non esse universale, ostendit vel ipse ordo grammaticus, qui solet à Magistris fieri in lingua Latina.

Non Satisfacit II. Quoad ea quæ habes posito Tertio. Tum quia non apparet quando dicitur, anima equi de materia ejusdem, cur inquam non dicatur de aliis subjectis denominationum intrinsecarum, ergò quantùm saltem ex vi hujus termini Ly substantia, non dicitur de alio subjecto denominationum intrinsecarum, inferri deberet animam equi non esse substantiam, cùm de facto de alio denominationum subjecto dicatur, hoc est Materia. Tum quia rectum & obliquum sunt revera secundæ intentiones, quid ergò in re illud est rectum. Tum quia omne noscibile ex eo ipso quia noscibile est, potest terminare cognitionem, cùm tamen lucidum interminatum, non terminet visionem, si potest terminare cognitionem, potest firmare cognitionem; hæc enim verbis differunt, consequenter competit id etiam accidenti, jamque per Perez accidens transibit in naturam substantiæ, firmabit enim notitiam.

Non Satisfacit III. Quia hæc tota doctrina non exhaurit difficultatem, quæro quid est substantia sub terminis Perez. Est id quod in naturali cognoscendi ratione primo ponitur in recto: de hoc ipso quæro, non quidem quid sit poni in recto, sed quid illud est quod ponitur in recto, seu quæ res illa est.

Secundam definitionem substantiæ dat Metaphysicam, dicitq; ex Aristotele, quod substantia sit primo ens, vel primum subjectum. Dicit autem substantiam esse primum ens naturaliter, permanenter, & intimè esse primum. Naturaliter quidem, id est ex propria & naturali virtute, & non per solam potentiam obedientialem; omnes enim consentiunt albedinem miraculosè separatam à substantia & subjecto, non esse substantiam, quamvis tunc acquirat esse ens primum. Dicit substantiam esse ens primum permanenter, quia constat apud omnes, substantiam esse ens primum per modum fundamenti: Unde Aristoteles inter alias proprietates, tribuit substantiæ prioritatem rationis & naturæ. Dicit debere esse intimè primum, quia si definitio intelligeretur de ente omnino primo, non habente ullam sui causam, solus DEUS esset substantia. Nomine primi intelligendo, id, quod non habet aliud sibi unitum & intimum alicui posteriori, virtute ipsius existente. Primum etiam est dupliciter, ut *quo* & ut *quod*. Primum ut *quo*, appello ipsam primitatem actualem: ut *quod* autem, est primitatis causa formalis, quæ informando subjectum infert efficiaciter primitatem sibi & subjecto unitam. *Hæc explicatio.*

Non Satisfacit I, Quianec ex mente Aristotelis, nec secundùm limitationes adlatas recta adhuc statuitur definitio. Non secundùm mentem Aristotelis, quia verba ejusdem limitat Perez ad placitum quæ nec æquivalenter saltem omnia habentur in hac materia in Aristotele: præcipuè autem quia illic erat mens Aristotelis solùm definire, quòd substantiæ, adveniant accidentia. Limitatio non convincit, nam sicut id quod est res, non est necesse ut non nisi naturaliter possit existere sine alio; sufficitq; quòd possit existere divinitus & miraculosè. Ergò etiam & ad substantiam, sufficit quod potest existere saltē miraculosè, tanquàm primum. Rursus non satis intelligitur qui evadat ens primum accidens, miraculosè existens separatum. Limitatio Secunda non convincit quia non apparet implicantia, cur, si non substantia, saltem aliquid substantiale, non possit esse transiens quid, Aristotelesq; substantiæ tribuit prioritatem rationis & naturæ, in quantum substantia habet rationem causæ, sed hoc planè ad formalitatem causæ spectat, non autem ad Naturam substantiæ. Limitatio Tertia non convincit. Quia quæro quid sit hoc esse intimè primum, cum intimitas spectet vel ad identificationem vel ad coëxistentiam localem, per quæ duo prædicata utpote alterius Categoriæ, non apparet quomodo definiri possit prædicamentum substantiæ. Deinde in unione sub formalitate unionis spectata, non habetur ratio prioris vel posterioris, sed simultaneè se in unione habent, & in quantùm non simultaneè sunt, jam est exclusio unionis, & tamen supponit Perez prius & posterius in intima unione, illud scilicet posterius, quod virtute illius prioris existit. Denique non apparet, quid ille terminus primitas actualis, velit; qui item distinguatur à primitatis causa formali, cùm videatur primitatis causa formalis esse primitas actualis, sicut formalis albedinis causa, est forma albedinis seu actualis albedo.

Non Satisfacit II. Quia vi hujus doctrinæ, sequitur, formam materialem non esse substantiam etiam incompletam, certè enim illa non est subjectum primum, nec ens primum, cum supponat materiam, tanquam sui in suo genere causam, tanquam prius subjectum adeoq; primum, unituraq; illi tanquam quid posterius, virtute materialisationis existens; & sicut accidens, ita nec illa, habet jus naturaliter existendi sine subjecto, quod tamen requiritur ad substantiam ex limitatione prima.

Non Satisfacit III. Quia restitui possunt quæ sibi in contra objicit Perez.

1. Ratio Est. Vi hujus doctrinæ sequitur personalitatem Angeli, quæ est substantialis, non esse substantialem, quia illi non convenit hæc definitio, supponit enim naturam Angeli ut se priorem, & quia dependet tanquā à causa materiali ab ipsa.

Respondetur. Naturam Angeli secundum se, non esse actu ens intimè primum, potuit enim uniri Personæ divinæ.

Contra. Quia vi hujus doctrinæ, sequitur, ut

ut salvetur, quod personalitas Angeli, sit substantialis, ipsam naturam Angeli non esse substantiam, quia vi hujus quòd uniri possit Personæ divinæ, evadit ne sit ens primum intimè.

II. Ratio est. Præviæ dispositiones ad formam cadavericam, sunt quid intimè primum, ut quo; quia sunt causæ formæ cadavericæ & suppositalitatis consequentis.

Respondetur. Dispositiones illas habere præcedentiam momentaneam, quæ subitò præit, ac proindè non sufficit ad præcedentiam substantialem.

Contra. Præter jam dicta quia immeritò supponit dispositiones illas esse momentaneas, revera enim saltem illæ remotiores & quæ non sunt ultimæ, non habent præcedentiam momentaneam. Rursus cùm contingere possit; quòd aliquæ dispositiones tam diu durent ac formæ materiales, cur ergò non erunt substantiales, cùm ex eo dicantur dejici à conditione substantialium, quia habent momentaneam præcedentiam. Rursus hæc præcedentia momentaneâ est de linea durationis, quid conferet ad rationem substantialis, nec videtur posse inferri distinctionem genericam substantialis & accidentalis, quòd diu vel non diu duret.

III. Ratio Est. Creatio activa materiæ v. g. primæ est accidens, & tamen est ens primum, cum præcedat suum terminum vel certè non subsequatur.

Respondet Perez. Missis aliorum principiis, concedendo creationem esse modum accidentalem, & non esse primum intime, quia eadem primitas, id est, suppositalitas manere potest, etiam variata creatione materiæ.

Contra. Posito quod eadem suppositalitas materiæ manere possit, etiam variata creatione materiæ, nego adhuc creationem non habere rationem prioris, adeoque adhuc habebit rationem substantialis.

Explicatur IV. Substantia, fundamento habito in Hurtado. Substantia vel substantiale, est id, quod existit per se, per se autem illud existit, quo relicto & circumscriptis aliis, rejectisq; ab illo distinctis, non censetur ens quidquam essentiale, sibi amisisse. Et ita in DEO Misericordia est substantia, quia si eam auferas à DEO, non est DEUS, censeturq; aliquid essentiale sibi amisisse. Materia prima est substantia, forma item, quia si ad invicem à se circumscribantur & separentur, nihil essentiale materia, formaque amittit. Si autem circumscribas à composito formam, aliquid essentiale amittet compositum. Rursus accipe aliquod artificiale opus, cujus forma est non aliud, nisi quantitas, aliaq; accidentia sic vel ita terminata, circumscribe hæc accidentia à subjecto, nihil essentiale perdet subjectum. Per Ly autem essentiale, simpliciter excluduntur accidentia, quæ nonnisi cum certis reduplicationibus sunt essentialia, & ita calido quà calidum est, essentialis est calor, sed hæc essentialitas non est essentialitas simpliciter, sed cum addito reduplicationis vel intentionis nostræ.

Quæres II. *Quotuplex est Substantia?* Dividitur substantia in completam quæ est totum per se non ordinatum ad aliud, qualis est DEUS, Angelus, compositum substantiale. Et in substantiam incompletam, quæ est aliquid per se, sed essentialiter ordinatum ad aliud, quales sunt formæ substantiales. Substantia rursus completa dividitur in creatam & increatam, &c. Inter alias autem divisiones, est etiam divisio substantiæ in substantiam primam & secundam, nomine substantiæ primæ venit substantia individua, de hac sentit Aristoteles, quòd de subjecto non dicatur, intellige tanquam aliquid superius. Dicit rursus, quòd in subjecto non sit, quia individuum non recipitur in alio individuo. Substantia autem secunda est substantia universalis, de hac dicit Aristoteles, quòd non insit subjecto, hoc sensu quia quidquid existit, singulare est. Secundò quòd dicitur de aliquo subjecto, quia illi convenit habere inferiora & prædicari de illis. Sed circa substantiam nulla principalius agitari potest quæstio, quàm de termino substantiæ, qui est subsistentia, à cujus intellectione, multæ etiam fidei quæstiones pendent.

DIFFICULTAS I.

De Subsistentia secundùm se.

Præmitto I. *Explicationem terminorum in hac materia usitatorum.*

Substantia Est Ens Per Se Existens, & in præsenti non condistinguitur à natura & essentia, quorum terminorum differentia ex aliis locis supponitur, eadem enim entitas prout est ratio per se essendi vocatur substantia, prout est principium omnium perfectionum, vocatur natura. Unde etiam materia & forma dicuntur naturæ, quia illis competit ratio principii, & eadem entitas quatenus per eam responderi potest ad interrogationem quid est; vocatur quidditas, neque enim quando quæritur quid est hoc? licitum est respondere, per prædicamentum quantitatis; quod sit longum, vel qualitatis quod sit dulce, sed respondemus per ipsum rei esse, quòd sit homo, Leo &c. Nomen etiam græcum οὐσία appropriavit usus, ad secundam substantiam.

Subsistentia Variam Acceptionem Habet; 1. enim sumitur pro quocunq; verò & non deceptorio, & quia veritas alia est in rebus seu objectiva; alia in conceptu seu formalis, ita & subsistentia alia est rerum, alia conceptuum. De subsistentia rerum loquitur Aristoteles lib. de mundo ad Alexandrum, *quædam dicuntur in aëre habere hypostasin seu subsistentiam ut nubes, quædam verò non habere, ut Irides.* Subsistentiam

conceptuum exprimit illa usitata phrasis : hæc conclusio, probatio &c. non subsistit, seu non est vera. II. sumitur subsistentia pro carentia motus. III. pro eo quod fundamenti loco est, cui reliqua supponuntur. Et ita basis, est id, supra quod columna subsistit. IV. pro eo quod existit & excludit actualem inhærentiam. Et sic accidentia Eucharistica, dicuntur subsistere sine subjecto. V. sumitur etiam subsistentia pro quocunque in rerum natura existente. Cæterum subsistentia (prout hic de illa) accipitur potissimum pro complemento ultimo substantiæ mox explicando : sic subsistentiam sumptam, appellat usus hypostasim.

Addo tamen in rigore Philosophico loquendo malam esse hanc locutionem : Subsistentia Petri, subsistentia Pauli, sed dici deberet : subsistentia Petrus, subsistentia Paulus, Ly enim v. g. subsistentia Petri ex modo loquendi, significat subsistentiam, esse quasi partem aliquam Petri, esseq; illam in Petro haberiq; ab illo, cujus oppositum sentiendum est de subsistentia ut infra dicetur. Colligere id est ex S. Thoma 3. par. q. 2. ar. 3. in Th. Et in quodlibeticis quæst. q. 9. ar. 2.

Persona, Interdum Sumitur Pro Concreto, Interdum Pro Abstracto. Sumpta pro concreto dicit naturam & subsistentiam. Sumpta autem pro abstracto, dicit idem quod subsistentia, cum hoc tamen discrimine, quia ratio subsistentiæ est quid commune ad suppositum rationale & irrationale, nomen autem Personæ, denotat nonnisi substantiam rationalē. Hinc Personam definit Boëtius, rationalis naturæ individuam substantiam.

Suppositum. Multiplicem Habet Sui Acceptionem. Interdum enim suppositum sumitur physicè, quomodo se habet materia ad formam, interdum sumitur Logicè, quomodo particulare dicitur esse sub universali, seu suppositum universali, concretum sub abstracto &c. Sumitur deniq; metaphysicè & prout hic de illo h. e. pro concreto ex natura & subsistentia. Interdum etiam sumitur pro ipsa subsistentia. Cæterum qui admittunt subsistentiam absolutam in Divinis, non concedent idem esse subsistentiam & personam. Suppositum sic sumptum plures habet sui denominationes, vocatur enim res naturæ, quia cum hypostasis non conveniat nisi primis substantiis seu individuis, quæ sola realiter & non per intentionem existunt, hinc bene suppositum vocatur res naturæ, quia scilicet non convenit nisi realiter existentibus. Rursus idem suppositum vocatur hoc aliquid, ad significandum triplicem determinationem entis subsistentis. I. quæ excludat universalitatem substantiarum secundarum. II. quæ excludat rationem individui vagi. III. quæ excludat rationem partis, adeoq; indicet vel constituat hoc vel illud totum.

Præmitto II. *Aristoteles si non agnoscit dari altetatem inter substantiam & subsistentiam, saltem fundamentum dedit in sua purè naturali Philosophia, disceptandi : annon esset distincta*, nam in Logicis 1. Post. t. 9. inter 4. modos, quibus aliquid de alio per se dicitur, numerat hunc tertium : cùm aliquid non dicitur de subjecto aliquo, estque substantia, & hoc aliquid significat quod propriissime in subsistentiam cadit de quo infra. In Physicis 1. de anima t. 64. *Humanitas inquit non stat nec ambulat sed homo.* In Metaphysicis 5. Metaph. t. 16. duobus modis asserit substantiam dici in quantum est *Quod quid*, qualis est forma & species, & in quantum est ipsum ultimum subjectum, quod de alio non dicitur. Jam verò per nos esse ultimum subjectum, est ens per se, esse autem ens per se, est solum ac separatum ab omni alio existere, ita autem existere, est esse substantiam individuam per quam definitur subsistentia à Boëtio.

Præmitto III. *Quænam fuerunt controversiæ in Ecclesia de ista materia, I. Controversia fuit excitata ab Arianis*, quæ impugnabat naturam potius ipsam & Deitatem, quàm Personam, dum aliqui secundam Personam creaturam ab æterno conditam, alii nonnisi ex generatione materna productam, alii minorem DEUM dicebant. *Opposita illi controversia* fuit Sabellianorum quæ magis circa subsistentias & personas versabatur, tollebat enim distinctionem Personarum, quibus accesserunt Patropassiani, qui dicebant Patrem pro nobis passum esse. &c. *II. Controversia fuit excitata à Nestorio*, qui non solùm duas naturas sed & duas Personas in Christo ponebat, quanquam non tam id docebat quam id potius sequebatur ex doctrina Nestoris, pernegabat enim se admittere duas Personas in Christo, quod expressit Cyrillus Epist. 8. ad Clerum Constantin. &c. *Quandoquidem inquit scopum habent duos prædicare Christos ac duos Filios ac hominem seorsim & DEVM, seorsim constituere, eoq; stabilito solarum personarum unitionem asserunt, ideò versutè agunt & excusationes in peccatis fingunt.* Vide Petavium de Incarn. lib. 5. c. 9. Cui oppositus fuit error Eutichetis, duas personas cum Ecclesia negabat, sed contra Ecclesiam & contra Nestorium, etiam duas naturas Christo auferebat, quæ secta divisa fuit, alii enim dicebant ex duabus naturis factam esse unam, utebanturque similitudine Athanasii, qui adfert similitudinem unionis corporis & animæ ad explicandam unionem hypostaticam, alii dicebant non mutatas esse duas naturas, in tertiam, sed humanam integram, non mansisse. de sensu Eutichetis prolixè discurrit Lugo de Incarn. tota Disp. 9. *III. Controversia erat intra terminos Catholicæ fidei*, eratq; non de re, sed de sola voce quid scilicet hæc vox ὑπόστασις quid hypostasis significaret. Hieron. Epist. ad Damas. 57. renuebat admittere tres hypostases in DEO, ne videretur tres naturas admittere.

Gregor.

Gregor. Nazianz. Orat. 12. & Damasc. lib. 1. a. 8. etiam nomen θεὸς à DEO secernebat, eo quod nomen substantiæ importet rationem subjectantem accidentia; DEUS autem accidentium capax non est. Vide August. l. 7. de Tr. c. 5. Rursus Athanas. Epist. ad Afric. *Hypostasis ait est una.* Similia habet Orat. 5. contra Arrian. Cyrillus Hieros. Cat. 6. ait *DEVM esse multinominem & omnipotentem & unius modi hypostasis.* Concilia tamen Constantinopol. I. Chalcedon. II. distinxerunt illas voces & ante illa Dionis: Areopag. c. 2. de Ecclesiast. hyerarchia, ubi de baptismo loquens, *ter inquit ipsum mergit Antistes, ad tres ejus qui initiatur demersiones & emersiones trinam Divinæ felicitatis invocans hypostasim.* Gregor. Nazianz. Orat. 72. dicit de Deo, unum esse Usia, trinum hypostasibus. Quia ipsa in re duplex fuit controversia, prima mere græca, an idem sit Usia & hypostasis, alia autem controversia fuit de latina traductione an idem esset Usia & latinum substantia, an idem hypostasis & persona seu subsistentia. De hac secunda citatus Hieronymus discurrebat. *Interrogamus, inquit, quid tres hypostases, esse arbitrentur, intellige tres Personas subsistentes, ajunt, respondemus nos ita credere.* Et subdit, nihilominus taceantur tres hypostases si placet, & una teneatur.

Punctum Difficultatis I.

Quid definitivè Subsistentia?

Præmitto I. *Quid sit esse individuum seu substantiam primam?* revocoq; breviter aliud esse individuum primò intentionaliter de quo egi de Unitate, aliud individuum, secundò intentionaliter de quo in Logicis, utroq; modo sumptum concipi potest & tanquàm aliquid positivum, & tanquam aliquid negativum. Individuum primò intentionaliter positivè tamen acceptum, est ipsa entitas, radix indivisionis in aliud se, negativè autem acceptum, est ipsa negatio divisionis in aliud se. Individuum secundò intentionaliter positivè acceptum, est id quod subest speciei & prædicatur de uno. Negativè autem acceptum, est id quod non prædicatur de multis. Ex hoc autem collige individuum involvere incommunicabilitatem: nam nec plura esse, nec de pluribus prædicari potest. Et quia incommunicabilitas opponitur communicabilitati quot modis dicitur communicabile, tot modis dicetur incommunicabile individuum: jam autem communicabile aut communicatum, aliud est communicabile alteri, ut subjecto inhæsionis, & sic est accidens. Individuum autem quod est Petrus, non potest esse accidens, aut est communicabile alteri ut inferiori, & sic individuum incommunicabile est, quia nil habet se inferius, aut denique est communicabile ut toti, & hoc repugnat individuo, si per se stet. Porrò individuum spectare ad rationem Personæ, colligitur ex proportione & habitudinibus utriusque, sicut individuum, non potest prædicari de pluribus, sic nec Persona, individuum dicit incommunicabilitatem, dicit & Persona. Hinc S. Thom. 3. q. 3. art. 1. ad 2. Personam dicit appellari incommunicabile, quia non potest prædicari de pluribus. Rursus individuum coincidit cum particulari, rationem autem Personæ coincidere cum particulari infra videbimus. Deniq; individuum infert incommunicabilitatem, infert & subsistentia, quæ neque potest communicari alteri ut subjecto per modum accidentis, neque ut inferiori, cum non sit universalium, neque communicari potest toti ut pars, quia est rei totalitas ut dicetur.

Præmitto II. *Quid sit habere rationem totius;* Explicatur hoc inprimis in sententia Aristotelis, qui 5. Metaph. ait: *Totum est à quo nulla pars abest, eorum ex quibus totum natura dicitur.* Rursus quid sit habere rationem totius benè explicatur per negationem partis, seu per non habere imperfectiones partis, quæ omnia explicat Philosophus ibid. t. 30. *Partes esse ex quibus totum componitur aut in quas aliquid dividi potest, sive hoc sit quantum ut duo respectu trium, sive non quantum quomodo genus, est pars speciei,* unde ulterius inferebat infinitum quod appellabar, accipere extra, habere potius rationem partis, sicut enim pars, est id propter quod in toto est aliquid accipere extra. Numerat Aristot. imperfectiones partis has; I. perfectione & entitate minorem esse toto. II. habere se ad totum ut materiam ad formam ex 2 Phys. t. 31. III. quod se habet ad totum sicut habitum ad habens ex 5. Metaph. tex. 29. & quod inde sequitur pars non est sua sed totius, habeturq; non habet. Unde etiam dicit 1. Polit c. 3. *Pars, inquit, non solum est alterius, sed etiam omninò alterius, ut servus non solum est ad dominum, sed omninò Domini.* IV. quod esse potius toti competat quàm parti ex 2. Metaph. t. 46. & quia partes sunt potius inchoatio entis quàm ens, totumq; respectu illarum, habet rationem completi & integri. V. Quòd illam esse unitam melius sit ipsi, hinc etiam communicabilis est, perficiturq; in toto. Denique partis non est agere sed totius ex 1. de Anima t. 64. Porrò rationem substantiæ non habere rationem partis, ex antiquioribus docet Theodorus Abucara Opusc. 29. Hinc inter notas hypostaseos censet, quòd hypostasis inquit, non sit pars, & subdit, *non sufficit naturam componi ex propriis notis ad constituendam hypostasim, sed ad hoc concurrere insuper oportet ut non sit pars.* S Thom. Opus 2, contra Græcos c. 6. rationem reddit cur manus in homine non habeat rationem subsistentis, quia habetur à toto. Sed de hoc loco infra. Similia habet in 3. d. 5. q. 1. ar. 3. ad 3. & q. 2. a. 2. ad 2. ubi rationem reddens cur anima separata non sit Persona, quia potentia est pars. Et Leonti Bizantius lib. adversus Nestorium & Eutich. similia habet.

PRÆMITTO III. *Quid sit habere rationem perfecti*, quod explicat Aristoteles 5. Metaph. c. 16. perfectum est illud, extra quod, non potest ulla accipi particula, velut tempus, uniuscujusq; perfectum hoc dicitur extra quod non potest ullum tempus accipi, quod pars sit istius temporis, & subdit infra. *Unumquodq; enim tum est perfectum, & omnis substantia tunc est perfecta, cùm secundum propriæ virtutis speciem, nulla deest pars ejus magnitudinis, quam natura sua requirit.* Ly autem magnitudo sumitur hic non pro quantitate, sed pro tali vel tali connexione prædicatorum. In idem recidit doctrina Aug. qui tr. 102. in Joan. *Plenum, inquit, tantum est, ut aliquid ei jam non sit addendum*, unde colligis rationem perfecti coincidere cum ratione totius, licèt sint aliquomodo distincta. Notat autem Petavius lib. 5. de Incarn. c. 8. n. 6. Perfectum in triplici differentia sumi ab Aristotele; I. perfectum in quantitate hocq; descripsit. Perfectum inquit est extra quod nulla est pars illius. II. Perfectum in qualitate, quo nihil est in aliquo genere præstantius, quomodo dicitur perfectus medicus. III. sumitur perfectum per ordinem ad finem. Ea enim quæ finem suum obtinent, perfecta dicuntur terminataque. Jam autem ad hypostasim pertinere ut sit ratio perfecta, docet expresè S. Thom. loco citato contra Græcos: *Humana, inquit, natura in Christo non est accidens sed substantia, non universalis sed particularis, nec tamen hypostasis dicitur, quia assumitur à principaliori.* Idem habet 3. p. 9. a. 2. ad 3. Ubi prè ratione reddit cur manus non sit Persona, quia non per se existit, sed in quodâ perfectiori, scilicet in toto, his præmissis.

DICENDUM EST. *Subsistentiam esse substantiam primam seu ipsum individuum posse dici rationem totius & perfecti.*

PROBATUR I. Methodo resolutiva. Subsistentia non est nihil, subsistentiis enim differre, non est nihilo differre. Si autem subsistentia est ens, ergò est vel accidens, vel substantia, non est accidens, quia aliàs non esset completivum substantiæ in esse per se stantis, si ipsa non potest stare, nisi in alio sicut accidens. Si autem est subsistentia substantia, ergò vel est substantia prima vel secunda, sed non est substantia secunda, quia hæc est universalis, communicabilis, prædicabilis de multis, quæ omnia subsistentiæ non conveniunt. Rursus cui competit esse substantiam, vel est pars, vel totum, subsistentia non est pars, quia illi non competunt imperfectiones & prædicata partis supra recensita, ergò est subsistentia dicens rationem totius, adeoque & perfecta atque adeò colligendo in unum divisiones. Erit substantia prima, prout dicet rationem totius.

PROBATUR II. Quia enumerata prædicata conveniunt subsistentiæ quà tali, omni, soli & semper proceditque definitio per talia prædicata, quibus ex modo concipiendi non dantur priora.

PROBATUR III. Quia omnia alia prædicata, per quæ ab aliis definiri solet subsistentia, revocantur ad prædicta, quod signum est illam procedere per prima, includereq; radicem reliquorum. Et ita definitio illa subsistentiæ est terminus seu complementum naturæ, coincidit cum datâ definitione, quia sicut totum per Aristotelem, est id, cujus nihil est extra, ita idem terminum defin ens, dicit esse ultimum cujuscunq;. Revocatur item definitio Boëtii per substantiam individuam, intelligendo incommunicabilem alteri per modum partis. Revocatur definitio illorum qui subsistentiam definiunt per negationem unionis ad perfectius, si enim natura habet rationem totius, pars non est, si pars non est, nihil est in illo subsistente, quod sit perfectius cui illa uniri deberet. Non utor tamen hac definitione, quia procedit per prædicata negativa quæ in ente positivo non sunt prima.

ADDENDÆ HIC SUNT auctoritates PP. subsistentias Trinitatis per esse totius & perfecti explicantium. Talis est locus Nazianz. de fide Orat. 49. Col. 3. inter medium & finem ubi dicens Filium esse de Patre inquit *totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto.* Hilar. lib. 1. de Trinit. Column. antepenult. *Patrem in Filio & Filium in Patre esse, plenitudo Divinitatis in utroq; perfecta est.* Athanas Orat. contra Gregal. Sabel. *Universa plenitudo & integritas Deitatis, est Pater ut Pater, universa item plenitudo Deitatis, est Filius ut Filius.* Et tamen hæ reduplicationes de personis indubiè procedunt. Damasc. lib. 1. de fide c. 10. *Non ex tribus imperfectis unâ perfectam naturam compositam intelligamus, sed in tribus perfectis Personis unam simplicem substantiam, super perfectam, & ante perfectam.* Quem locum pulchrè commentatur Ruiz. Disp. 30. Sc. 7 Substantia non dicitur ante perfecta quasi sit perfecta prius quam adveniant subsistentiæ, sicut non dicetur superperfecta, quia perfectione superat subsistentias, sed illud ante & super dicitur comparatione cujuscunque perfectionis creatæ. Theorianus tom. 11. bibl. Patrum ut cum citat Petav. lib 2. de Incarnat. c. 3. n. 9. *Quid inquit est per se subsistens? quod per se est, non propter aliud, neq; in altero habet esse, hoc est, quod non indiget aliquo alio extra se, ut existat.* Planè quasi phrasi nostra diceret, quòd non habeat rationem partis in alio, sed rationem totius.

OBJICITUR I. Si subsistentia, est substantia individua, ergò quot sunt personæ, tot erunt substantiæ individuæ. Ergo in Divinis dabuntur tres substantiæ Divinæ, ergò & tres Dii individui.

RESPONDET I. S. Thom. q. 7. de potentia. Substantiam dupliciter sumi pro essentia, & hæc una in Divinis; secundò pro hypostasi, & hæ tres in Divinis, propter æquivocationem tamen, non debent dici tres substantiæ individuæ.

RESPONDETUR II. Neg. sequelam, quia ea quæ

ea quæ per connotata explicantur multiplicatis suis connotatis, non est necesse multiplicari secundùm id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari secundùm id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari entitates Patris, in relatione item transcendentali multiplicatis connotatis terminorum, v. g. effectuum & causabilium, non est necesse multiplicari ipsam entitatem causæ, & sic de reliquis connotatis, cum ergò à subsistentia, ratio substantiæ primæ, importetur nonnisi in recto, ratio autem totius pro obliquo, multiplicatis habentibus tribus rationem totius, non erit necesse multiplicari ipsas substantias, verè autem in Divinis dici potest, quod habeant tres rationem totius, neque enim ad se comparantur ut partes, quòd si non sunt tres substantiæ individuæ, non erunt tres Dii individui.

Instabis. Natura divina prout condistincta à subsistentia non est universalis, ergò est individua & tamen non Persona. Ergò ratio Personæ non consistit in ratione substantiæ individuæ.

Respondetur. Nomine naturæ individuæ duo venire. Primò ratio incommunicabilis alteri ullo modo, & hæc non competit naturæ Divinæ quæ communicatur tribus Divinis suppositis, & tamen ratio incommunicabilis, est ratio constitutiva subsistentiæ. II. Ratio individui supponit pro non divisibili in aliam entitatem; hæc ratio competit naturæ Divinæ, sed non constituit differentialiter Personam.

Objicitur II. Hæc definitio coincidit cum definitione Boëtii quæ admitti non debet. Nam humanitas Christi est substantia individua naturæ rationalis, & tamen non habet Christus Personam humanam.

Respondetur. Prædictam definitionem si rectè intelligatur admitti posse, nempe si nomine individui intelligatur natura, non illa quæ est indivisibilis in aliam entitatem, sed quæ nullo modo est communicata alteri.

Instabis. Formalitas illa quæ constituit subsistentiam, vel est totalitas prædicatorum essentialium, vel est aliqua alia totalitas, si est totalitas prædicatorum essentialium, Ergò natura humana Christi erat inassumibilis, quia implicat ut substantia prædicatis suis essentialibus careat. Quod si subsistentia importet aliquid aliud & non totalitatem prædicatorum essentialium, quæ illa totalitas est?

Respondetur. Totalitatem hîc accipi prout est radix negationis esse partem, esse in alio &c. similia.

Objicitur III. Patres ordinariè explicant subsistentiam per naturam, una cum accidentibus sumptam.

Respondetur ad explicandam subsistentiam, assumi accidentia, tanquam aliquid notius, non tanquam quidditativum quid, ad eum modum quoad explicandam individuationem accipit S. Thom. materiam signatam, nonnisi tanquam aliquid notius.

Objicitur IV. Si persona esset substantia individua prout habet rationem totius. Ergò quoties mutatur ratio totius ut mutatur in omni nutritione, toties mutabitur Persona.

Respondetur. Probaturum hoc argumentum quod toties mutetur relatio paternitatis, quoties mutatur entitas Patris qui est Pater. Directè autem dici potest quod quoties mutatur ratio substantiæ individuæ, secundùm quod individua est h. e. quoties ex incommunicata, communicata, ex tota in rationem partis transit, toties mutatur Persona, licet non mutetur mutatione alia posita.

Addo Hic ad non pauca solvenda, quod aliud sit habere naturam totam & aliud habere se illam per modum totius. Nam humanitas Christi est tota, non tamen habet rationem totius, hoc autem quod habet rationem totius, illud est subsistens. Et sicut quando gutta A & gutta B. uniuntur utraque est tota, nec habet rationem totius, ita & in præsenti

Punctum Difficultatis 2.

De Distinctione Subsistentiæ à Naturâ.

Durandus & Henricus *distinguunt subsistentiam à natura, sola ratione*, ita sicut distinguitur ens & entitas. *Scotistæ distinguunt illam ex natura rei*, & per certas quasdam negationes quas duas ponunt. Primam negationem aptitudinis ad dependendum ab alio, tanquam à supposito, quam negationem quia non dicit anima separata, non est Persona. Secundò negatio quam dicit substantia, est negatio actualis dependentiæ, ab alio supposito, quam negationem, quia non dicit humanitas Christi, fit, ut non habeat propriam Personam. *Modaliter subsistentiam distinguunt* ex nostris Suar. uterq; Vasq. Lugo. Realiter simpliciter distinguunt Hurtadus & Arriaga.

I. Sententia in hoc habet difficultatem, quia si subsistentia & natura ante actum nostri intellectus non distinguantur. Ergò nemine cogitante, quidquid competit uni, competit & alteri, aliàs si non competeret, ergò ratione illius non competentis, idq; nemine cogitante, alietatem habent adeoq; distinctionem. Porrò nemine cogitante competit naturæ assumi à verbo, ergò & personæ competit assumi, cujus oppositum fides docet.

II. Sententia in quantùm recurrit ad distinctionem ex natura rei, alias jam refutata manet, in quantum autem recurrit ad negationes non satisfacit. Tum quia hujus negationis talis, debet ostendi aliquod positivum fundamentum, & hoc potius salvabit rationem Personæ. Si enim illi negationem divisionis in plura, dicunt fundari iu aliquo positivo, consequenter etiam hic

idem

idem dicere debent. Procedit ergò ratio a pari in illorum principiis. Tum quia si negationes illæ, faciendo subsistentiam differre tantùm ex natura rei, à naturâ, nihilominus hoc præstant ut communicetur natura humana non communicata subsistentia humana, salvat hæc sententia in creatis contradictoria communicari & non communicari, quod est invehere mysterium Trinitatis in creata, de quo argumento aliàs. Tum quia hæ negationes supponunt id de quo quæritur: supponunt enim negationem aptitudinis uniri alteri tanquâ suppositò, de quo ipso formalissimè quæritur, quid tandem & quomodo distinctũ sit?

III. Sententia impugnari ordinariè solet quod non sint multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas modalis vel realis distinctionis inter naturam & subsistentiam. Inter has sententias mediam viam ineundo.

Dicendum I. *Subsistentiam secundùm id quod dicit in recto non distingui nemine cogitante à natura.*

Probatur I. Variis auctoritatibus quas lege apud Tiphanum opusc. de subsist. & apud Petav. tom. II. dogm. Theolog. lib. 2. &c.

I. Auctoritas est negativa, quia Patres disputantes cum Nestorianis & Eutychianis, nunquam leguntur meminisse superadditæ entitative Personæ. Et licet ordinariè auctoritates negativæ, parùm convincunt, tunc tamen convincunt, quando aliquid non est dictum à Patribus, & tamen locus erat proprius dicendi, & quando procedunt dogmatisando in illo genere. In his enim defuisset illis specialis illuminatio, si hoc non tetigissent: quod præsumi de DEO non debet. Hæc autem concurrunt in præsenti.

II. Auctoritas. Quia nunquam fuit negata à PP. hæc propositio. Persona est individua & completæ naturæ rationalis substantia cum proprietatibus, falsa autem est hæc propositio apud oppositos, cum subsistentia non sit ipsa substantia, sed superadditum substantiæ. Quod autem propositionem illam non negarint PP. inde colligitur, quia Acephalus quærebat ex Rustico Diacono ut habetur Tom. 6. Bibl. novæ PP. quid haberet minus natura Christi præ Personis humanis? non respondit Rusticus non habẽt entitatem superadditam, sed respondit nihil habet minus, sed tantùm ex hoc quod sit unita, ex hoc quod habeat rationem partis in Christo, non esse perfectam.

III. Auctoritas. Hypostasis præ Hypostatico dicit aliquam entitatem, nomine autem hypostatici, venit natura, & tamen per PP. hypostasis præ hypostatico non dicit aliquam entitatem. Ita B. Theodor. Tom. novæ Bibl. 9. *Est aliquid, inquit, quod dicitur hypostaticum, & aliquid quod dicitur hypostasis, & est commune utriq; componi ex natura & proprietatibus, differunt tamen, quia hypostaticum est pars alicujus, hypostasis autem, non est pars.* Similia habet S. Maximus in Epist. ad Georgium.

IV. Auctoritas. Falsa est per oppositos hæc propositio, quòd nemine cogitante non sit distincta Persona à substantia, vera autem per PP. Unde Maxim. Martyr. in Dial. X. contra Anomæos ut scribit Demetrius Cydonis in libro de processione Spiritus S. concessit dictam propositionem. Cum enim Anomæus dixisset inquit Demetrius aliud est substantia, aliud hypostasis, S. Maximus respondit, aliud & aliud, sed non ut res, illo verò objiciente, igitur fiet compositio. Sanctus occurrit, aliud & aliud dixi non ut rem, sed ita ut aliud significet substantia aliud hypostasis, sicut granum frumenti dicitur & est semen & fructus.

V. Auctoritas Est. Hypostasis ad naturam per oppositos non habet se per modum particularis ad commune & per modum speciei ad Genus, hæc enim non distinguuntur, realiter nemine cogitante, sed per Patres ita se habet hypostasis ad naturam quod probatur. Basil. Ep. ad Greg. Niss. & Epist. 149. *quæ est, inquit, ratio communis ad proprium, eandem habet Vsia ad hypostasim.* Et infra Epist. 191. idem repetit. Idem habet Cyrill. Alexand. dial. 1. de Trinit. Theodor. dial. 1. contra hæreticos. *Secundum, inquit, doctrinam Patrum quam habet differentiam à proprio commune, vel genus à specie & individuo, eam habet Vsia ab hypostasi.* Author libri de definitionibus qui adscribi solet Athanasio eadem repetit: *Vsia, inquit, genus, natura, forma, una res est, persona verò, character, hypostasis, individuum, proprium, etiam ipsa sunt unum.* S. Damasc. lib. 3. c. 6. *Commune est substantia, ut species, particulare verò hypostasis: particulare verò dicitur, non quod aliquam partem habeat naturæ, aliam non habeat, sed particulare numero, tanquam individuum.*

Quod attinet auctoritates S. Thomæ.

I. Est. Falsa est hæc propositio apud oppositos, quod deesse Personam Christo, non sit deesse perfectionem aliquam naturæ, unde enim excogitabiliter argui potest, quòd aliquid sit perfectio, inde inferetur, etiam subsistere, esse perfectionem. Per S. autem Thomam vera est hæc propositio, ergò apparet S. Thom. non esse pro illis. Minor probatur ex 3. parte q. 4. Artic. 2. ad 2. *Dicendum, inquit, quod naturæ assumptæ non defuit propria personalitas, ob defectum alicujus quod ad perfectionem naturæ humanæ pertineat, sed per additionem alicujus, quod est super naturam humanã, quod est unio, ad Divinam Personam.*

Respondebis non deesse quidquam perfectionis naturæ qua natura est, deesse tamen perfectionem, qua subsistens est.

Contra. Quia si sensisset aliquid reale abesse, dum abest Persona, non dixisset quod hoc fiat per additionem alicujus, sed dixisset, quod fiat deperditione alicujus, quia non habere personam per oppositos formaliter, fit per negationem alicujus entitatis.

II. Auctoritas Est. Falsa est per oppositos

positos hæc propositio ; quod si dimitteretur humanitas à Verbo, hoc ipso fore personatum, vera autem est per S. Thomam, ergò apparet oppositos non idem cum S. Thoma sentire. Minor probatur ex quæstion. de Unione VERBI, & in compend. Theolog. c. 211.

Probatur II. Ratione Theologica. Quia si concederetur subsistentia distincta à natura, non posset commode & ad mentem Patrum explicari mysterium Incarnationis. Quod ipsum probatur. Quia carentia Personæ humanæ in Christo vel poterat non esse, vel non poterat non esse, si primum. Ergò contra Nestorium non procedent efficaciter argumenta Patrum, quæ supponunt ordinariè, non posse assumi Personam humanam cum natura, si secundum contra erit, quia sequeretur repugnare DEO aliquid creatum contra August. lib. 12. de Civit. c. 2. lib. de fide & Symb. c. 4. Contra Maximum opusc. ad Marinum discip *Nihil enim naturalium, inquit, sicut & ipsa prorsus natura, auctori naturæ unquam repugnat*, etsi aliquid creatum dicit positivam contrarietatem ad assumi, dicent Monotelitæ, non potuisse assumi voluntatem humanam, locosq; Scripturæ, dicent non posse simpliciter accipi, quia repugnat voluntatem assumi.

Probatur III. Argumento negativo, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas ponendæ subsistentiæ, quæ secundùm id quod dicit in recto distinguatur à substantia. Si enim esset aliqua necessitas hæc esset, quia Christus assumpsit naturam humanam & non assumpsit subsistentiam, sed hoc totum salvari potest, sine distinctione entitativa subsistentiæ à naturâ, secundùm id quod dicit in recto, salvandoq; subsistentiam per hoc, quòd sit natura, habens se per modum totius. Quod ipsum probatur. Una gutta sola, additione ad aliam guttam, & sine productione ullius entitatis positivæ, amittit rationem totius, triangulus desinit esse triangulus sola additione novi anguli, litera desinit esse litera & incipit esse Syllaba sola additione literæ sine deperditione ullius positivi. Formæ totales, ossis, nervi, &c. desinunt esse totales, sola additione formæ viventis in sententia, tenentium formas partiales, ratio uniûs, exclusiva alterius, amittitur additione alterius, sine ulla deperditione. Quod ipsum in hoc universaliter resolvitur. Quia potest abesse ratio totius sine ulla deperditione alicujus entitativi.

Confirmatur. Contra eos qui eam distinguunt modaliter, effectumq; illius formalem, ponunt existere per se, non in alio. Non producat DEUS entitatem superadditam Personæ v.g. humanæ, & non uniat illam cum ullo alio, hoc enim non repugnat, quæro vel erit in alio vel non erit, si erit in alio, ergò supponetur unita, cum supponatur non unita, si non erit in alio. Ergò habebit effectum formalem non essendi in alio, qui est effectus formalis subsistentiæ sine subsistentia.

Dicendum II. *Ratione connotati nemine cogitante distinctam esse subsistentiam à natura non subsistente.*

Probatur. Quia subsistens nemine cogitante, importat connotatum : habentis se per modum totius, & natura non subsistens, dicit negationem hujus connotati, ergò ratione hujus connotati, nemine cogitante distinguuntur. Consequenter & ipsa subsistentia distinguetur nemine cogitante ratione connotati à natura, quia subsistentia ut probatur, importat rationem totius, non importat præcisè natura, subsistentia fundat esse nonnisi in se & non in alio, quod non fundat se sola natura.

Dicendum III. *Quoniam vis ex phrasibus PP. non colligatur distinctio entitativa subsistentiæ ut videre erit in solutione objectionum, planior tamen est modus defendendi illam esse distinctam entitative.*

Probatur I. Quia planius cognoscitur separatio entis ab ente quàm separatio nonnisi connotativa.

Probatur II. Quia posita distinctione entitativa subsistentiæ à natura, planius salvatur hoc principium, quomodo sint actiones suppositorum.

Probatur III. Quia planius salvatur, quomodo à Persona VERBI infinitantur & dignificantur, actiones, constituanturq; unum per se fundativum communicationis Idiomatum. Quia tamen maxima est difficultas de prima & secunda conclusione, illa præmunienda erit solutione objectorum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Lugo. Christus assumpsit naturam humanam, & non assumpsit Personam. Ergò persona addit aliquid positivum supra naturam humanam.

Respondetur. dist. conseq. Ergò Persona addit aliquid positivum ratione connotati Conced. ratione ejus quod dicit pro subjecto & in recto. Nego Conseq.

Instat I. Hujus propositionis definitæ à Conciliis; Verbum non assumpsit Personam humanam sed naturam, hujus inquam propositionis sensus esset, natura humana assumpta à Verbo, non mansit per se existens sine unione ad Verbum, quòd adeò clarum est, ut esset ridiculum & indignum omninò, quod ab Ecclesia universali ut fidei dogma definiretur.

Respondetur. Retorquendo argumentum quòd per Lugo reddantur ridiculæ definitiones Patrum, quia per illum dictæ propositionis hic foret sensus. Verbum assumpsit solam naturam humanã, & non assumpsit entitatem superadditam naturæ seu quæ non est natura humana, quod si ridiculum non est, nec prius ridiculum

lum erit. Rursus dictæ propositionis hic foret sensus. Verbum assumpsit naturam, quæ non mansit per se existens. Quis autem dubitat quod si assumpta unitaq; est, non manserit per se in se & independenter ab existendo in alio.

Categorice Ad Argumentum. Duplex potest cogitari unio inter naturam humanam & Verbum, una merè accidentaria, quæ sita sit in excellentia quadam gratiæ, cum quadam communicatione dignitatis, potestatis, retenta tamen tota ratione essendi in se ut explicat S. Th. 3. p. q. 2. ar. 6. Et talem admittebat Nestorius ut habetur in Concil. 5. Anthematismo 4. Ubi dicit Concilium: Unitionem naturarum duarum in sententiâ Nestoris, fuisse secundùm gratiam vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm æqualitatem honoris, vel secundùm auctoritatem vel relationem, aut affectum, aut virtutem, vel secundùm bonam voluntatem. Quando autem volebat Nestor, secundùm relationem factam esse unitionem in Christo, per relationem non intelligit dialecticam relationem, sed intelligit rejectionem in alium ut ad auctorem vel participem, ad eum modum, quo Moyses populo murmuranti dixit: non contra nos est murmur vestrum sed contra Dominum. Hunc fuisse sensum Nestorii testatur, Cyrill. dial. de uno Christo. Quando item dicit factam esse unitionem secundùm operationem, hoc solùm vult, quòd Christus fuerit instrumentum Divinitatis, quæ conjunctio, nullam substantialem unionem importat. Colligitur hic sensus Nestorii ex Gregor. Nazianz. Orat. 1. ad Cledonium. Immò docuit factam esse unitionem in Christo etiam secundùm Personam ut habetur apud Cyrill. lib. de recta fide, ubi ex sententia Nestorii dicit Christum hominem fuisse communem, ex muliere natum, qui per incrementum perq; propriam & humanam entitatem, honore se dignum præstitit personali cum divino Verbo consociatione. Idem docet de Nestorianis Cyrillus Epist. 2. ad Nestor. Joan. Damascen. 3. de fide quæ illius doctrina ita intelligenda est, quod voluerit unitionem factam duarum personarum, vel quod dixerit Personam Christi substituerit pro se DEUS, ut in Dialogo, sustinet aliquis personam Regis, ita Christus habebat personam DEI vide Petav. de Incarn. l. 3. c. 7. n. 15. Ex quibus dictis in illa propositione Verbum assumpsit non Personam humanam sed naturam nihil erit superabundans, nec facit sensum ridiculum. Sed hunc quod ita assumpserit naturam humanam, ut nulla interceserit Personarum unio, qualem adstruebat Nestorius. Item, ita assumpsit naturam humanam, ut non fuerit assumptio illa accidentalis, sed per exclusionem Personæ, cujus retentio facit semper unionem accidentalem. Et hæc de prima unione. Ad secundam quod attinet alia est unio substantialis, quam sequitur, ut per se non existat natura humana. Et hanc unionem ut declararet Concilium, præter assumptionem naturæ, exprimit etiam non assumptionem Personæ. Quia verò dicta objectio, non tam nostram sententiam tangit, quam explicantium subsistentiam per negationem unionis, requirenti sensum dicti axiomatis ex nostris principiis hoc responderi potest. Natura humana assumpta non habet rationem totius in Verbo, quia illi substantialiter unitur.

Instat II. Idem. Quia si præcisè ex eo natura humana amittit propriam Personalitatem, quia unitur Verbo, ergò etiam Verbum eo ipso quod uniatur humanitati amittet propriam Personalitatem.

Respondetur. I. à Pontio. Sicut si uniretur Persona humana, hoc ipso deberet manere Persona humana, sic quia humanitati unitur Persona divina, hoc ipso debet manere Persona divina. *Hæc Responsio.*

Non Satisfacit, quia reducit ad impossibile argumentum, nempe & mansuram Personam divinam utpote quæ uniretur, & non mansuram quia modus perdendæ subsistentiæ, est unio, qua etiam gaudet Verbum. *Hinc aliter.*

Respondetur. II. Hanc ipsam objectionem opposuisse sibi Maxentium Dial. 2. contra Nestorianos tom. 4. Bibl. PP. Col. 4. 7. 8. ut est apud Petavium lib. 3. de Incarn. c. 15. n. 7. *Omne compositum, inquiunt Nestoriani, partibus constare, partem autem minus esse, quàm totum. Ac proinde si DEVS Verbum pars est Christi, quem ex humanitate & divinitate compositum, asserebant Catholici, DEVM Verbum partem esse Christi & minorem Christo, quod si pars Christi DEVS est, quomodo DEVS, si imperfectus est?* Respondet Maxentius & cum eo nos, *non esse imperfectum DEVM quia non ut perficeretur assumptione actus indiguit. Sed ut caro perficeretur:* quasi diceret, non ex eo præcisè quia res unitur, amittit personalitatem, aliàs sequeretur intentum, scilicet etiam Verbum unitum humanitati, amisisse propriam personam, sed amittitur persona ex vi unionis in certis prærequisitis positæ, inter quæ requisita est, perfici per unionem, quod ipsum supponit, non esse infinitum in perfectione. Hinc quia DEUS illimitatus in perfectione est, habetq; se sicut circulus, cui nihil addi, nihil demi potest, fit ut unione cum natura humana, suam totalitatem non amittat & æquè immutatus persistat. Creatura autem quia finitæ perfectionis est, habetq; se sicut linea, quæ augmentum vel decrementum admittit, hinc fit ut perfici possit, & non habere rationem totius. Imò hæc objectio probat sententiam nostram esse sententiam PP. Siquidem contra eam id objicitur quod etiam contra sententiam PP. objiciebatur, & aliud responderi non debet quam quod responderunt PP. Duo hic addo. Inprimis imaginare circulum cuicunq; ille uniatur semper est totus & habet rationem totius, hoc ipso enim, si illi aliquid addas sive demas circulus non erit, sed aliquid circuli, quia figura rotunda perfectissima est, nec aliquid illi demi vel addi

potest.

potest, cum ergò DEUS sit ens perfectissimum, cui nihil demi nihil addi possit, fit ut unione illa, nec mutari nec perfici possit. Si autem imagineris lineam alicui lineæ addi, quia non est perfecta figura, demi ei & addi potest. Ita & creaturæ si uniatur alteri. Deinde id quod est immutabile & simul habet rationem totius, semper habet rationem totius. DEUS autem est immutabilis, unde ex quo principio colliges DEUM unione hypostatica non mutari, ex eodem colliges, illum habere rationem totius.

Addunt, Alii. Ideò natura humana per unionem cum Verbo, amittit potius rationem totius & Personæ, quia Persona est sui juris & ut loquitur Hugo de S. Victore, Richardus Bonav. dicit eminentiam dignitatis, quam quia habet potius Verbum præ natura humana, ideò potius natura humana amittit Personam. Idem habet Gregor. Naz. Orat. 22. Cyrill. Alexand. dial. de Incarn. Illustrat hoc. S. Thom. in Comp. Theol. *Subjectum, inquit, & accidens non sic uniuntur, ut ex his aliquod tertium constituatur. Unde subjectum in unione, non se habet ut pars, sed est integrũ quoddam.* Rursus S. Thom. Opusc. contra Græcos & Armen. c. 6. *Principalius, inquit, id semper habere dicitur, quod autem minus principale, haberi,* ut innuit Aristot. 4. Metaph. c. 23. Ex quibus omnibus colligitur verbum in unione non amittit propriam personalitatem, quia non habet rationem partis, non habet autem rationem partis, quia pars semper unione perficitur, Verbum autem unione illa non perficitur. Rursus semper pars haberi dicitur, Verbum autem non habetur sed habet: est enim principalius. Rursus quia etiam in Divinis non essentia habet Patrem, sed essentiam Pater, quia Pater habet se per modum termini, cùm ergò Persona Divina habeat se per modum termini in unione hypostatica, non dicetur haberi, consequenter nec erit pars. Vide Petav. de Incarn. Lib. 3. C. 14. Et quanquam Maximus Martyr apud Euth. Partes, inquit, Christi, sunt Deitas, ipsius, & humanitas ut citat Petav. citatus c. 15. diserte tamen id negat August. lib. 3. contra Maximum Arrian.

Instat III. Idem. Inter duo entia omninò in actu completa, quoad totam suam entitatem positivam, non potest intercedere aliqua unio positiva præsertim substantialis. Ergò ut inter Verbũ & Naturam humanam intercedat unio substantialis, debet fieri incompletio in natura humana, ergò debuit naturæ deesse aliquid substantiale.

Respondetur. Dist. secundùm consequens. Ergò debuit deesse aliquid substantiale entitativè distinctum nego. Saltem ratione connotati distinctum concedo, & ita naturæ humanæ unitæ cum Personâ Verbi deest ratio totius. Hanc instantiam aliter proponit Arriag. & dicit quòd nulla entitas positiva, relicta sit non assumpta à Verbo, ergò assumpta est natura omninò completa. Ad quod ex dictis responderi potest esse assumptam naturam omninò completam completione totam naturam importante, quoad prædicata essentialia, licèt non sit assumpta natura completa prout dicit rationem totius.

Objicit II. Ariag. In natura humana Christi vel mansit verè & realiter ejus subsistentia vel non mansit. Si mansit, ergò absolutè in Christo sunt duæ Personæ si non mansit, ergò subsistentia realiter separatur à natura.

Respondetur. Communiter separari subsistentiam à natura non separatione propria sed impropria, qualis est separatio existentis hodiè, à se existente cras. Conformiter autem ad dicta de connotatis aliter formatur responsio, quod separetur subsistentia à natura non ratione recti, & ejus quod dicit pro subjecto, sed ratione obliqui, & ratione connotati, quod ipsum connotatum, non est, merum nomen, sed modus habendi sese, seu ipsa totalitas quam dixisset illa natura, si unita non fuisset, & sicut non est perditio solius nominis cum gutta amittit unione ad aliam guttam, rationem totius, sic & in præsenti.

Instat Idem. Vox illa totalitas significatne ex parte objecti aliquid distinctum à materiâ & forma unitis an non? Si non, ergò habuit Christus totalitatem humanam, adeoq; per nos Personam hoc autem est Nestorianum. Si verò totalitas significat aliud ex parte objecti, distinctum à materia formaq; unitis; illud dicas esse subsistentiam.

Responsum Jam vocem illam: totalitas, secundùm id quod dicit in recto & pro subjecto, nihil distinctum importare à materiâ & formâ, sed importare aliquid distinctum ratione obliqui de quo actum Conclusione secunda.

Instat Oviedo. Hoc quod superaddit subsistentia naturæ, non potest sola ratione distingui, non etiam consistit in sola negatione, ergò debet distingui positivè.

Respondi, intercedere illic distinctionem positivam, ratione connotatorum.

Objicit III. recentior Suar. Hæretici idcircò errarunt in mysterio Incarnationis, quia inter naturam & Personam non distinxerunt ut testatur Vigilius Papa & alii.

Respondetur. Nos admittere distinctionem & quidem nemine cogitante ratione connotatorum, per terminos autem PP. distinguendo. Erraunt hæretici quia non distinxerunt inter naturam & Personam tanquam inter cõmune & particulare, totum & partem concedo, quia non distinxerunt distinctione entitativa. Nego.

Instat I. Idem. Hæc propositio. DEUS est Deitas in sensu identico vera est. Hæc verò altera: humanitas est homo, falsa est in sensu identico, ergò distinguuntur à parte rei.

Respondetur. Quia nunquam Deitas potest habere rationem partis, hinc fit ut semper sit hæc propositio vera. DEUS est Deitas, quia verò humanitas potest habere rationem partis, fit,

fit, ut non sit identicè vera hæc propositio; humanitas est homo. Quanquam etiam in Divinis non ubique pro eodem DEUS & Deitas sumitur. Hinc verè dicetur DEUS generat, & tamen falsum est Deitatem generare.

INSTAT II. IDEM. Quod non possit intelligi quomodo natura humana dependeat à Verbo, per solam additionem unionis hypostaticæ.

RESPONDETUR. Sicut in quacunque sententia explicabitur hæc dependentia, ita & in præsenti idem dicetur, illa enim unio trahet secùm personalitatem Verbi, virtualiter distinctam à natura Divina. Addi in hac materia solet, quòd totalitas & integritas dupliciter & amitti & acquiri possit: potest amitti totalitas additione, ut fit dum una gutta additur alteri, potest etiam amitti deperditione, ut totalitas decadis deperditione v. g. unitatis, priori modo amittitur persona humana.

OBJICITUR IV. Quando aliqua sunt idem realiter, si unum illorum assumatur necessariò debet assumi & aliud; sed subsistentia & natura sunt idem realiter. Ergò si natura assumatur, & Persona assumetur.

RESPONDETUR. Conformiter ad dicta de relatione: distinguo minorem. Sed subsistentia & natura sunt idem realiter in circumstantiis in quibus natura habet rationem totius, completi, perfecti &c. conced. extra has circumstantias neg. In idem recidit si dicas, subsistentiam secundùm id quod dicit pro subjecto & in recto esse idem cum natura, indubièq; subjectum subsistentiæ humanæ assumptum est, sed secundùm id quod dicit in obliquo, non est idẽ cum natura, connotat enim & imbibit in se rationem totius, quam non imbibit natura.

INSTARI POTEST I. Hoc quod pro obliquo dicit ratio totius, connotata à Persona, illamq; in esse formali constituens, est ne distinctum realiter à natura, vel per rationem? si realiter, habetur intentum, quia hoc erit entitas illa superaddita Personæ, si formaliter, ergò recedituur à principiis aliàs datis, si per rationem, ergò nemine cogitante etiam illud obliquum, & illud formale Personæ, erit assumptum.

RESPONDETUR. Illud obliquum cum sit connotativum ex dûobus coalescit nempe ex subjecto & illo quod connotat: Prius illùd non est distinctum realiter à natura, posterius autẽ non est quidẽ distinctum realiter simpliciter ratione entitatis, sed distinctum realiter ratione connotati. Neq; enim ex opere intellectus, vel importatur à natura ratio totius, vel non importatur.

INSTABIS II. Hoc quod est dicere aliquid in recto & hoc quod est dicere in obliquo non est nisi opus intellectus, quid enim rectum, quid obliquum nemine cogitante? ergò ostendere distinctionem naturæ à Persona ratione recti & obliqui non est ostendere distinctionem nemine cogitante.

RESPONDETUR. In hoc quod est rectum & obliquum duo reperiuntur. Ipsum dicere in recto & in obliquo, hocq; non est nemine cogitante. Deinde est objectum illius recti & obliqui, & hoc est nemine cogitante, & ita ratio totius, quæ in obliquo importatur, habetur nemine cogitante estque sufficienter distinctiva nemine cogitante.

Punctum Difficultatis 4.

Continuatur Solutio

OBJICITUR V. Ex doctrina hac sequitur duas esse in Christo Personas quoad entitatem, licèt non sint duæ, quoad esse formale Personæ, erit quidem Persona Divina & quoad entitatem, & quoad esse formale. Persona autem humana, non est quidem in Christo quoad esse formale, quia natura humana in Christo non habet rationem totius, erit tamen in Christo persona humana quoad entitatem. Quod ipsum probatur. Entitativè Persona humana, est ipsa natura humana. Tum quia actus DEI liber est idem quoad entitatem ab æterno cum cum actu necessario v. g. actus condonationis cum amore possibilium licèt non sit formaliter ab æterno, sed nonnisi posito requisito dolore v. g. Tum quia etiam relatio pereunte termino dicitur manere quoad entitatem, quod si dicas esse in Christo Personam humanam quoad entitatem videberis concedere Nestorio, quod intendebat, qui certè ad istas formalitates Scholasticas non attendebat.

RESPONDETUR. Hanc objectionem pendere ab explicatione connotatorum & relationis, dixi autem aliàs, fallam esse hanc propositionem, ablato termino manere relationem quoad entitatem, sed manere secundùm id quod dicebat pro subjecto, quod etiam in præsenti repeti debet, quod scilicet in Christo sit subjectum Personæ humanæ, sicut duabus guttis unitis, manet subjectum, quod habebat rationem totius, sublatis item terminis lineæ, additione quantitatis manet subjectum terminorum, sic etiam in præsenti. Videantur dicta de connotatis & relatione. Quorum omnium hæc ulterius ratio est, quia ea quæ duo ad sui esse requirunt, si unum absit, hoc ipso illa non sunt duo, nec habetur id, quod natum est pullulare ex illis duobus. Quia autem ratio Personæ pullulat ex duobus, ex natura, & ex habere rationem totius, cum hoc secundum desit naturæ humanæ in Christo, fit ut in illo non habeatur ratio Personæ humanæ.

INSTABIS. Formale Personæ humanæ & prout condistinguitur à natura, & quod supplet Persona Divina, vel est aliquid in se subsistantiale vel non? si prout condistinctum à natura est aliquid subsistantiale, ergò prout condistinctum à natura, est aliquid entitativum adeoque entitas. Quod si illud quod formaliter supplet Persona Divina non est aliquid subsistantiale. Ergò unio

inter

inter Naturam & Personam Verbi non est substantialis, in tantùm n. unio illa est substantialis, in quantùm id quod supplet, est substantiale.

RESPONDETUR. Falli imaginationem instantiæ, speculatur enim suppletionem quandam propriè dictam, qua ratione unus Magister supplet locum alius, quæ suppletio rigorosa, non habet in præsenti locum, quia suppletio rigorosa requirit præcedentiam actualem illius, cujus vices supplentur, & requirit entitatem, in cujus locum succedat, sic primogenitus non dicitur, supplere locum alius filii, qui potuisset nasci, sicut è converso moraliter loquendo secundo genitus dicitur supplere locum primogeniti, si fortè ille moriatur, cum ergò Persona creata non præcesserit increatam, supplere locum illius rigorosè non debet dici. Alia est suppletio non rigorosa, sed latius sumpta, sic v. g. negationem ulterioris extensionis quam dicere potuisset semiulna, si cum ulna continuata non fuisset, supplet negatio ulterioris extensionis, quam dicit ulna, suppletio item totalitatis illius, quam una gutta habuisset, si cum altera gutta conjuncta non fuisset, suppletur per totalitatem, ex unione duarum guttarum resultantem, prior illa requirit distinctionem inter se entitativam; Posterior suppletio, non requirit. Cum ergò posterioris generis suppletio, reperiatur in unione hypostatica, non erit necesse ipsam Personam quæ suppletur, ipsamque illam rationem totalitatis naturæ humanæ, quæ deest, est in se entitatem condistinctam. Ex quo etiam colliges, esse quidem consumptam Personam humanam à Persona Verbi, sed non consumptione propria, qualis reperitur, dum lignum ab igne consumitur, & quæ consumptio requirit distinctionem entitativam, sed consumpta est consumptione impropria, qualiter cõsumitur ratio totius unius guttæ ab alia gutta, cui unitur. Ulteriusq; infer es, quid sit ad hoc dicendum, dum quæritur; habetne aliquid minus natura humana unita verbo, quàm habuisset, si non fuisset unita? Dico enim non habere aliquid minùs propriè, quàm istud proprium minus habere requirit distinctionem entitativam, habere tamen aliquid minus impropriè, ut deest uni guttæ ratio totius, posita unione ad aliam guttam. Esse autem hanc responsionem ad mentem PP. colligitur ex Hugone de S. Victore in Apolog. de Verbi Incarnat. *Sicut in nocte lucerna est lumen Ecclesiæ; accedente autem Sole lumen Ecclesiæ est Sol, sic accessu Personæ Divinæ ratio totius à Persona confertur.* Et tamen indubiè, nec suppletur, nec minoratur Lumen candelæ accessu luminis solaris.

OBJICITUR VI. Variæ instantiæ & paritates ex Suar. & aliis.

PRIMA PARITAS est. Non potest aliquid esse in loco, per ubi indistinctum entitativè, ergò nec subsistens per subsistentiam indistinctam entitativè.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum in nostris principiis. Disparitas etiam est, quia scilicet supponitur à non esse in loco, ad esse in loco, sufficienter transiri non posse, sine aliquo superaddito, potest autem per rationem habendi se per modum totius, sufficienter transiri, à non esse subsistentis ad esse subsistentis.

II. PARITAS. Impossibile est corpus, quòd sit sua figura. Ergò.

RESPONDETUR. Impossibile esse corpus substantiale, quod sit sua figura, retenta ratione accidentis, esset enim substantia ut supponitur & non esset, quia idem esset cum accidenti. Sed non implicat corpus seipso extensum sicut tenuit Arriaga. Disparitas etiam est in nostris principiis. Quia corpus substantiale esse sibi figurã, est substantię identificari accidens, quod non sequitur, si substistentia non distinguatur entitativè à Natura.

III. PARITAS. Implicat effectum per actionem indistinctam produci.

RESPONDETUR. Falsum esse antecedens universaliter: Verbum enim mentis non producitur per actionem distinctam. Cur autem alii effectus non possint produci nisi distincta saltem secundùm connotatum actione, petatur ex alibi dictis. Disparitas autem eadem redditur, quæ primæ paritati, mutatis terminis.

IV. PARITAS. Implicat qualitas gradus intensionis identificans sibi. Ergò.

RESPONDETUR. Intensio ejusdem speciei cum nostrate, implicat nisi per gradus distinctos, quia definitur per additionem gradûs ad gradum, non definitur autem per esse condistinctum subsistentia, alia tamen specie intensio, potest esse, sine graduum distinctione.

V. PARITAS. Implicat substantia, operans, actione à se indistincta. Ergò.

RESPONDETUR. Anima producit Verbum actione à se indistincta. Quod si procedat de operationibus quibuscunq; indistinctis, recurri debet vel ad transitũ à non esse operantis ad esse operantis, qui nõ potest salvari sine actione distincta; transitus autem à non esse subsistentis ad esse subsistentis, sine superaddita Entitate, ob rationes allatas haberi potest, vel recurri debet ad hoc quod si daretur substantia operans actione à se indistincta, tunc substantia illa in genere agendi esset actus purus, cum tamen hoc prædicatum sit convertibile cum Deitate, hoc autem non sequitur, si habeat subsistentiam indistinctam entitativè humana Natura.

VI. PARITAS. Amici Disp. I. de Incarn. Sect. 2. ubi dicit, inhærentia quæ est positivum complementum accidentis, distingitur modaliter. Ergò & subsistentia.

RESPOND. Si nomine inhærentiæ unio actualis accidentis, cum subjecto intelligatur, verum est Antecedens, sed nõ tenet consequentia, quia à nõ esse uniti ad esse uniti, non potest transiri sine mutatione, quæ sit aliquid superad-

ditum entitativè, à non esse autem subsistentis ad esse subsistentis, sufficienter transitur, solâ importatione totius. Si autem nomine inhærentiæ intelligatur inhærentia aptitudinalis & constitutiva accidentis, quæ reperitur etiam in quantitate Euchatistica, hæc non est superaddita, unde per nos argumentatio exinde sumitur ad non superaddendam subsistentiam. Si enim inhærentia innexa Accidenti, non est quid superadditum, entitativè, nec subsistentia erit superaddita entitativè.

VII. PARITAS. Persona increata consistit in aliquo positivo superaddito naturæ, ergò & creata, cum personalitates creatæ, sint imitationes increatarum.

RESPONDETUR. Hoc argumentum est pro nobis, quia sicut personalitates increatæ, sunt quidem quid positivum, non tamen entitativè superadditum, sic nec nostræ erunt. Quod autem non sint nostræ subsistentiæ virtualiter intrinsecè condistinctæ, peti debet ex eo: quia non datur virtualis distinctio in creatis. Aliàs etiam idem argumentum non concludit, quia ex præciso titulo imitationis entis increati, nihil determinatè concludi potest. Ratio, quia illa imitatio stabit in solâ participatione perfectionum divinarum, suo modo, quæ participatio cum non sit determinata, & aliter aliterque haberi possit, nihil ex ea infertur. Et certè non implicabit contradictionem personalitas creata participans de increata, sed seclusò prædicato ratitudinis, sic enim imitabitur Divinam in formalitate inseparabilitatis saltem ad permanentiam; cum subsistentia Divina gaudeat inseparabilitate omnimoda, & sicut res ipsæ sunt imitationes Deitatis, itemque modalitates & similia; ita salva imitatione, potest esse etiam subsistentia modalitas. Posset etiam dari subsistentia creata, imitans divinam in Ratitudine; Subsistentiæ enim divinæ distinguuntur inter se realiter: En jam secundam imitationem subsistentiæ divinæ. Erit autem tertia imitatio, si ponamus indistinctam entitativè à naturâ, cum etiam personæ divinæ sint eadem, cum natura divina realitas. Idem alia instantia illustrari potest. Noscitivitas creata est participatio noscitivitatis increatæ, neque tamen inde determinatè inferri potest, quod sit noscitivitas non nisi spiritualis & intellectualis, cùm noscitivitas etiam sensitiva, suo modo sit imitatio noscitivitatis Divinæ. Ergò nec ex imitatione subsistentiæ divinæ, inferri determinatè potest, quod illam nonnisi rata subsistentia imitetur, cum adhuc etiam modalis illam imitaretur, imitaturq; indistincta entitativè.

OBJICIT VII. Amicus. Implicat formam quæ est eadem cum subjecto, non conferre illi suum effectum formalem, sed in nostra sententia creata personalitas est idem cum natura. Ergò.

RESPONDETUR. Inprimis retorquendo argumentum de continuatione duarum guttarum. In forma itidem jam supra respondi, Personam & Naturam in circumstantiis, in quibus dicit rationem totius, esse idem cum Persona, tribuereque hunc suum effectum formalem; non esse tamen idem extra has circumstantias, consequenter nec extra illas, tribuere hunc effectum formalem.

INSTAT IDEM. In nostra sententia non potest salvari, quomodo B. Virgo genuerit DEUM, quod ipsum probat, quia in nostra sententia prius natura genuit humanitatem, quàm fuerit unita Verbo; Ergò non potuit in illo priori gignere DEUM, quod ipsum probat. Quia in eo signo, humanitas fuit unita Verbo; in quo apta erat personari propriâ personalitate, sed non fuit in nostra sententia apta personari propriâ personalitate, nisi post naturalem unionem partium inter se, atquè adeò post causalitatem, qua humanitas fuit à beatâ Virgine genita, cum tamen in sententiis aliis prius natura fuerit unio cum Verbo, quam partium inter se.

RESPONDETUR. Generationem non secundùm prioritatem naturæ & rationis spectandam esse, sed secundùm physicum esse, sicut & ipsa est quid physicum, independens à nostris conceptibus. Unde sufficiet, quod pro eodem instanti reali, pro quo partes humanitatis uniebantur, terminaretur jam illa humanitas Verbo, pro illo instanti physico, ratione cujus, pro illo instanti physico, verum erat dicere: terminari humanitatem, Verbo, adeoque hoc quod generatur, terminatum est à Verbo, adeoque DEUM generari. Imò in nostra sententiâ melius salvatur, quomodo DEUM genuerit; siquidem in ipso instanti unionis, quo generabat, illud genitum fiebat DEUS, non verò supponebatur DEUS. Addo dubitare Arria[illegible] an prius unita fuerit persona Verbi animæ [illegible]orpori quàm fuerint unita inter se, quod si [illegible] factum est, dicit DEUM invertisse in hoc naturæ ordinem, præcipuè cùm ad Personam Verbi tam non habuerint proportionem illæ unitæ partes quàm non unitæ, quamvis quia verbum voluit utramque partem etiam in triduo mortis terminare, ideò immediatè utramque terminavit. Sed de hoc recensè dicta in Materia de Incarn.

OBJICITUR VIII. Supponamus, Positam esse unionem Verbi v. g. cum sola anima, & non cum corpore, informato ab illa anima, eo casu subsisteret anima duplici subsistentia, nempe verbi cui unitur, & subsistentia totius compositi creata. Si enim non subsisteret subsistentia totius quod componit, ergò neque corpus habebit tunc ullam subsistentiam.

RESPONDETUR. Cum per nos subsistentia sit ipsa natura habens rationem totius, eo casu anima non terminabitur persona creata, quia totum illud quod constituit anima cum corpore

pore non habebit rationem totius, quia ad hoc ut habeat rationem totius, nulla sui parte debet uniri alteri, quod ipsum probatur, quia cùm totum non aliud sit nisi ipsæ partes, si aliqua sui pars non sit in se, sed in alio, hoc ipso totum illud ratione partis alteri unitæ, non habebit rationem totius, consequenter nec rationem personæ.

Punctum Difficultatis 5.

Respondetur ad rationes Recentiorum.

OBJICITUR I. à Martinon auctoritas S. Th. quia S. Th. 1. parte q. 75. ar. 2. docet, animam rationalem dum est in corpore, subsistere, & tamen est tunc pars.

RESPONDETUR. Per auctoritatem ipsius S. Th. ead. quæst. & 4. ad 2. ubi dicit, non quælibet substantia particularis est hypostasis vel persona, sed quæ habet completam naturam speciei. Unde manus vel pes non potest dici hypostasis vel Persona & similiter nec anima, cùm sit pars speciei humanæ. Loco autem quem Martinon citat, non aliud vult, quàm quod subsistat subsistentia totius, quod nos admittimus, seu sit pars subsistentis.

OBJICITUR II. Quia hæc sententia non plus dicit quam Scotistica, quia deperditio totalitatis, non est deperditio alicujus positivi, sed tantum negativi, quia esse totum dicit habere omnia, & nihil amplius habere quorum primum, remanet in humanitate.

RESPONDETUR. Distingui nostram sententiam à Scotistica, quia non recurrimus ad duplicem negationem, quia negationem unionis dicimus esse, quid posterius ipsa ratione totius, adeoque hanc negationem infundari illi positivo, & licèt deperditio totalitatis, non sit deperditio alicujus positivi, h. e. positivè, entitativè distincti, est tamen deperditio alicujus positivi, h. e. ejus connotati, quod non primo per se dicit negationem, dicitque illud Nihil amplius habere, tanquam rationem subsequentem & infundatam negationem subsequentem & infundatam negationem illi positivo, quod est habere rationem totius, quæ secundùm objectivum esse, est aliquid positivum, & sequentium negationum fundamentum, licèt tanquam per aliquod notius, per illas negationes explicetur.

OBJICITUR III. Quia in nostris principii sequitur in Christo, non esse Personam Divinam. Quia in Christo Verbum non est totum id, quod est Christus, item manifestum est, quidquid componit aliquid cum altero per modum entitatis realiter ab illo distinctæ, esse partem compositi. Jam autem à PP. dicitur componere Verbum cum humanitate Christum.

RESPONDETUR, Verum quidem est Verbum non esse totum id quod est Christus, sed nego ratione VERBI non haberi rationem totius in Christo, adeoque personæ; quas duas propositiones esse distinguendas alibi diximus. Et quamvis intercedat unio seu compositio, inter humanitatem & Verbum; non sequitur esse Verbum partem, ut dictum supra, sed ad salvandam formalitatem compositionis, sequitur non nisi unum esse partem & aliud terminum, quod si non habet rationem partis, hoc ipso non amittit rationem personæ. Quando autem PP. dicunt, quod Verbum cum humanitate componat Christum; non volunt significare ut supra dictum, quod Verbum habeat rationem partis; sed solum sentiunt intervenire illic unionem, quæ non est necesse, ut sit inter partes & partes formaliter; sed potest esse inter partem & terminum.

OBJICITUR IV. Ex vi hujus explicationis, sequitur in DEO non esse tres Personas, sed unam, nam essentia Divina est infinita simpliciter, nec fit perfectior additione proprietatum personalium; nam infinitum in perfectione accessu cujusque perfectionis, non crescit. Et sicut Filius & Spiritus S. non sunt quid perfectius quàm Pater, ita nec illorum proprietates ut docet Th. 1 par. q. 42. ar. 4. ad 3. ergò illæ perfectiones nihil addunt perfectionis essentiæ, ergò essentia est tota, & retinet suam totalitatem, non obstante adventu proprietatum; præcipuè verò, quia nos supponimus, Personam Verbi non esse partem, quia non acquisivit perfectionem in Christo.

RESPONDETUR. Negando Sequelam. Et licet essentia Divina sit infinita simpliciter in perfectionibus absolutis; se ipsa tamen, non habet perfectiones relativas, illarumque accessu non perficitur in ratione absoluta, perficitur in relativis. Per hoc tamen non crescit propriè; quia incrementum fit ratione ejus additæ perfectionis, quæ eminenter non continetur; Continentur autem eminenter, perfectiones relativæ in essentia, quæ ex sui fœcunditate, communicabilis est interventu processionum. Et licèt Divina essentia sit se ipsa tota, retinetque suam totalitatem se ipsa, tamen non habet rationem totius, cum dicat adhuc rationem terminabilis ab originibus, adeoque nec dicit se ipsa rationem subsistentis, cumque sit terminabilis à tribus subsistentiis, iisque de facto terminetur; fit ut non sit una, sed tres personæ, quia sunt tres, habentes rationem totius. Et licèt natura Divina, comparata ad subsistentiam Patris v. g. non habeat rationem partis, hoc enim imperfectionem importat, nihilominus licèt sit tota, non habet rationem totius, quia habet rationem ulterius communicabilis tribus personis.

OBJICITUR V. In Divinis nomina concreta substantiva non multiplicantur, nec efferuntur in numero plurali, nisi multiplicetur

forma per illa directè significata ; ergò, si persona directè significat totalitatem,& totalitas illa, re & ratione est ipsa prima substantia tota, adhuc,ut nomen Personæ multiplicetur in Divinis, necesse erit in Deo plures esse substantias totas & primas. Et cum nomine substantiæ intelligatur ipsa essentia; necesse erit esse in Deo tres essentias.

Respondetur. Imprimis retorquendo argumentum & inquirendo cur multiplicatis relationibus Paternitatis, quæ sunt ipsamet entitas v. g. Petri, non multiplicetur entitas Petri. Quod si hic recurras ad connotata, idem & nos faciemus. Deinde Persona directè significat totalitatem, h. e. rationem totius, & quia hæc in tribus multiplicatur, omnes enim tres pro sua parte habent rationem totius, fit ut sint tres Personæ, sed Persona non significat totalitatem simpliciter .Nego ulterius, quod ratio totius,secundùm connotata spectata, sit ipsa prima substantia tota, ut explicatum supra reperies, consequenter nec erit necesse multiplicari istam totam essentiam Divinam, sed solum multiplicabuntur rationes habendi se per modum totius,& perfecti.

Objicitur VI. In hac sententia, explicari non potest, quomodo faciunt unum per se, natura Divina & humana, magis quàm duo liquores permixti, & quomodo possint natura Divina & humana prædicari de se invicem in concreto substantivo, imò quod Persona Divina retineat suam totalitatem, impedit potiùs, ne prædicari possit de natura humana in concreto substantivo, cum totum de parte prædicari nequeat.

Respondetur. Unum per se tripliciter contingit, primùm cum unum se habet per modum materiæ,& aliud per modum formæ substantialis; item cum duo sunt ejusdem rationis, continuanturque inter se quod contingit in homogeneis. Denique cum unum se habet per modum terminabilis substantialiter, & aliud per modum terminantis, quo tertio modo, facit unum per se, natura humana & Persona Verbi; nec se habent sicut duo liquores diversæ rationis, quia inter illos non fit unio per se, quia nec continuatio, sed sola permixtio, imò nec se habent sicut duo liquores ejusdem rationis, quia non habet ordinem perfectivi & perfectibilis. Prædicatio ad invicem fundatur in comunicatione idiomatum, quæ etiam in præsenti materia tota subsistit; & licèt physicum totum, de parte physica prædicari nequeat, secus totum Metaphysicum, vel habens rationem totius substantialis. Addo, quando de concreto Naturæ humanæ, quod est Homo, prædicatur Deus, Ly Homo non supponit pro Natura humana, utcunque, sed pro terminata. Cum autem persona terminans, & Deus, habeant identitatem, ideò dici poterit, Homo est Deus.

Objici. VII. Ex vi nostrorum principiorum sequitur, non implicare, ut naturæ Divinæ immediatè uniatur natura humana, & non alicui personalitati. Sequel. videtur inconveniens.

Respondetur. Si res sit de unione per quam non constituatur unum per se, vera est sequela. Si autem res sit de unione per quam constituatur unum per se, falsa est propter hanc rationem, quia & constitueretur tunc unum per se ut supponitur, & non constitueretur, quia unum per se, ad hæc tria revocatur, ad unum per se compositi physici ex actu substantiali & materia, talique perfectione unitum illud non gauderet,nam nec natura humana, est materia, nec forma, Deitas. Aliud est unum per se continuabilium, quæ unitas stat in hoc, ut extrema duorum sint idem. Natura autem Divina non habet extrema, & si haberet, non essent idem cum creatura. Tertium est unum per se terminabilis & terminativi,suppositabilis & suppositi, quia ergò natura Divina seclusis personalitatibus, non habet rationem suppositi, nec uniri per se potest. Fundatur hoc ulterius in hoc principio, quia sine incompletione substantiali, non potest salvari unitas per se substantialis, quia ergò natura humana,& natura divina in ratione naturæ sunt completæ, fit ut ex illis non possit resultare unum per se.

DIFFICULTAS II.

De Subjecto, Causativitate, & Effectu formali Subsistentiæ.

Quæres I. *Quid sit sentiendum de Subjecto Subsistentiæ ?*

Assero I. *Non dari partiales Subsistentias.* De hoc latè Lugo de Incarn. Disp.12.S.4. Arriag. hîc Disp. 4. S. 9. Ovied. Cont. 8. p. 4. Ratio. Tum quia S. Thom. in 3. Dist. 5. q 34. ad 3. & alibi dicit, rationem partis contrariari Personæ,idemque clarè docet in prima parte loco citato. Tum quia cum parti quà tali,non competat habere rationem totius, hoc ipso quà tali non competet esse Personam. Tum quia præter has partiales subsistentias, esset necesse comminisci aliquam tertiam totalem, per modum unius se habentem, quod est multiplicare entia sine necessitate.

Dices I. Verbum unitum fuit animæ in statu separationis, itemque corpori, nam quod semel verbum assumpsit,nunquam dimisit, ergò apparet utrumque separatum, esse capax subsistentiæ : nam ei tantùm uniri potuit Verbum, quod erat capax subsistentiæ propriæ.

Respondetur. Certum esse in omni sententia, Verbum unitum corpori non tribuisse illi rationem Personæ; quia ex communi phrasi, ratio personæ,non nisi substantiæ rationali convenit,

venit, hoc tamen non impedit quominus Verbum fuerit unitum corpori post separationem. Unde etiam Amic. Disp. 2. de Incarn. Sect. 3. n. 33. quamvis teneat partiales subsistentias, negat sanguinem dici potuisse DEUM in triduo mortis nec animam rationalem. Hoc posito in variis sententiis solvitur hoc argumentum, Admisso enim quod detur forma cadaverea, aut formæ partiales substantiales, quæ tunc habeant rationem totalium, poterit tunc habere corpus rationem totius, adeoque rationem subsistentis. De anima etiam rationali dici possit, quod in statu separationis, sicut acquirit novum statum, novum operandi modum, ita etiam acquirat, quod ita sit totum quoddam hîc & nunc capax subsistentiæ. Casu autem quo materia omni forma careret, adhuc in illo statu depurationis, posset habere subsistentiam, quia adhuc tunc acquireret novum modum essendi, adeoque rationem integri. Esset & alius modus occurrendi huic difficultati, disting. Consequens. Ergo apparet utrumque separatum esse capax subsistentiæ, hoc est, unionis ad subsistentiam. Conced. capax denominationis subsistentiæ, & extractionis ab esse incompleti. Nego. Quod ut intelligatur; dico aliud esse formam uniri, & aliud formam, extrahere id, cui unitur, ad suum modum essendi; sic v. g. uniri potest divinitus albedo, vel anima sensitiva Angelo, non potest tamen extrahere Angelum ad rationem sensitivi, eodemque planè modo, partes illæ separatæ, sunt capaces supernaturaliter unionis ad subsistentiam, non sunt tamen capaces, ut per Personam Divinam, stante separatione extrahantur ad esse completi, stantis per se &c. cùm essentialiter dicant rationem incompleti substantialiter, ordinati ad illud, tanquam compartem, potentisque stare in alio h. e. in composito. Quod si per unionem illam cum persona, non potest v. g. anima extrahi ad rationem, completi, totiùs, integri, nec poterit dici esse Persona, eò quòd hæc denominatio fundetur supra esse totale & non supra partem, hinc parti, unitur quidem Persona Divina, sed non tribuit rationem totius; & licèt uniatur Persona & subsistentia Divina ad supplendum specialem & propriam subsistentiam creatam, non est tamen necesse, ut substituatur speciali subsistentiæ, pro semper habendæ, sed sufficit ut substituatur subsistentiæ, tunc cùm ens est substantialiter completum in ratione substantiæ, præcipuè cùm in ipso statu separationis animæ Petri, nulla sit, in sententia probabili S. Thomæ supra citati, subsistentia partialis naturalis.

Instabis. Saltem erunt partes separatæ capaces subsistentiæ, quæ illis non tribuat rationem totius & completi.

Respondetur. Attendendo ad secundam responsionem, partes separatæ, non erunt naturaliter capaces partialium subsistentiarum, quia earum naturaliter ens capax est formarum, quæ subjectum cui uniuntur, extrahere possunt ad modum suum essendi, & sicut naturaliter Angelus, non est capax albedinis, quia non extrahitur ad esse Albi, ita & præsenti, quia partes etiam separatæ, non possunt extrahi ad rationem totius, nec erunt capaces naturaliter subsistentiæ. Quòd si hæc illis capacitas tribuatur, erit capacitas non ad denominare, sed ad uniri.

Dices 2. Partes creantur, quæ creantur subsistunt. Ergo.

Respondetur. Hoc argumentum in omni sententia solvendum esse, si enim subsistentia sit modalitas, vel realitas distincta, potest aliquid DEUS creare, quin subsistat, si autem subsistentia sit indistincta entitativè, secunda propositio hunc nonnisi sensum faciet, quòd quæ creantur subsistunt, latius loquendo, h. e. ponantur pro statu existendi.

Dices 3. Materia & forma etiam in statu seperationis sunt substantiæ, ergò per se stantes.

Respondetur. Sunt per se stantes per se stantiâ exclusiva inhærentiæ, sed non perse stantes perse stantiâ ultimi complementi, quod accipe cum limitatione supra allata.

Assero 2. *Non esse possibilem substantiam completam, non tamen subsistentem.*

Ratio. Quia & subsisteret & non subsisteret, non subsisteret quidem ut supponitur, subsisteret autem, quia non haberet rationem partis, utpote completa, ergò haberet rationem totius, adeoque subsistentis.

Assero 3. *Accidens non potest esse subjectum subsistentiæ.*

Ratio. Quia per nos subsistentia est in recto ipsamet natura substantialis, accidens autem non est natura substantialis, cumque per locum intrinsecum, substantia sit complementum substantiale, adeoque substantiæ, quomodo competet accidenti. Potest nihilominus hîc esse quæstio de voce, si comminiscaris aliquam subsistentiam accidentalem.

Dices. Potest compleri natura creata per subsistentiam increatam, ergò compleri potest & accidens, quia magis distat natura creata à Persona increata, quàm accidens à subsistentia.

Respondetur. Majorem hanc distantiam esse in ratione entis, non in ratione terminabilis. Quando autem dicuntur accidentia in Eucharistia per se existere, Ly per se, significat, quòd dicant rationem non subsistentis in subjecto, quod ad subsistentiam impertinens est, nam materialis forma existit in subjecto, nihilominus subsistit subsistentia totius, sed non existunt per se, quia non existunt tanquam quid completum substantialiter, hoc enim ex dictis repugnat accidenti.

Quæres 2. *Quid sentiendum de Causativitate Subsistentiæ?*

Assero 1 *Non esse principium effectivum operationum, Subsistentiam.* Ita recentior Suar. Lugo & alii.

Ratio. Tum quia ex probabili prætacta responsione, anima separata, non habet propriam substantiam, & tamen non operativa. Tum quia in Verbo incarnato, natura humana est operativa, & tamen non habet propriam subsistentiam, nec debet dici, quòd subsistentiæ creatæ in ordine ad agendum, suppleat vices subsistentia increata, quia operationes ad extra sunt communes toti Trinitati, non ergò hoc suppleret sola ut supponitur subsistentia Verbi, quando autem infinitus valor tribuitur operibus Christi, non inde hoc sequitur, quasi suppleat Verbum, concursum effectivum subsistentiæ creatæ, sed inde quia proficiscebantur à natura, quæ terminabatur Persona Divina. Tum quia si subsistentia sit distincta, spolieturque natura omni subsistentia, num quid hoc ipso deberet cogitari, v. g. Angelus nihil operans, nihil intelligens, nihilque volens, adeoque mortuus quodammodo spiritualiter, quia sine ullo motu existens. Quando autem dixi, actiones ad extra, esse communes toti Trinitati, nõ est ita supponendum, quòd ab ipsis formaliter Personis egrediantur, egrediuntur enim formaliter ab Omnipotentia communi; sed hoc, eo sensu dicitur; quia nulla est actio, quæ sit ad extra, quæ tribuatur alteri. De actionibus Divinis ad intra, posset esse aliqua difficultas, quia cùm detur in Divinis ratio producentis & producti, adeoq; distinctio realis, quæ in Divinis est ratione Personarum, etiam Personis ratio producentis & producti tribui debebit, quæ ratio non urget pro naturis creatis, quæ in se ipsis produci possunt & producere. Quanquam reflectendo ad ea quæ dicuntur in Materia de Trinitate, ubi docetur, Personas non relationibus sed originibus constitui, originibus etiam tribui poterit ratio producentis & producti ab intra. Personis autem tribuetur productio in sensu nonnisi reali & identico tanquam non distinctis à Virtualitate originis activæ.

Restat discutiendum; an substantia requiratur ad operandum saltem per modum conditionis? Porrò conditiones ad operandum requisitæ, aliæ sunt per se, ut approximatio ad utendum, aliæ per accidens, quæ scilicet quamvis non essent, adhuc agens operaretur. Subsistentiam esse conditionem per se requisitam, tenet Suar. & Lugo. Esse verò requisitam nonnisi per accidens, tenet Vasq. & rec. Suar. Hoc ut expediatur.

Assero 2. *Respectu principii operativi, tanquam conditionem per se, requiri subsistentiam.*

Ratio, quia prius est esse in se completum, quàm agere, cùm ergò subsistentia compleat principium, fit ut ex parte principii, per se requiratur. Ex quo ulterius colligendum est, quis sit sensus illius axiomatis; Actiones sunt suppositorum. Si enim faciat hunc nonnisi sensum, actiones sunt naturarum singularium, quomodo in actiones Christi, derivabitur infinitudo à Persona Verbi? si autem faciat hunc sensum, actiones denominant suppositum, restat quærere, quod sit fundamentum hujus denominationis, quod sit tractivum, in operationes ejus dignitatis, quam dignitatem dicit ipsum suppositum, ita ut illa dignitas, non sit mera imputatio. Est ergò tertius sensus isque legitimus, Actiones sunt suppositorum, quia subsistentiæ adferunt naturis complementum substantiale, quo non nisi posito, procedetur ad agendum, ita ut illa subsistentia, requiratur tanquam substantiale complementum, complens principium activum in ordine ad se, ut postea exire possit, ad operandum.

Assero 3. *Respectu ipsius operationis præcisè non esse conditionem per se requisitam, substantiam.*

Ratio. Quia entia sicut non sunt multiplicanda sine necessitate, ita nec conditiones per se requisitæ. Erit autem subsistentia ad operationem conditio per accidens requisita, quia requirit principium prius perfici in se, quàm agere.

Quæres 3. *Quis sit effectus formalis subsistentiæ?*

Assero 1 *Effectus formalis primarius subsistentiæ, est reddere naturam stantem per modum totius.*

Ratio. Quia effectus formalis primarius, est ipsa forma sive Metaphysica sive Physica. unio ejusdem, subjectum capax. Cùm ergò ipsa forma metaphysica, quæ est subsistentia, sit forma, quæ est perfectantia per modum totius, fit ut effectus illius formalis primarius, sit reddere per se stans, per modum totius. *Sed quis effectus formalis secundarius subsistentiæ.* Sunt proponendæ aliorum explicationes.

Explicat 1. Suar. Disp. 34. Metaph. T. 5. n. 40. quod effectus secundarius subsistentiæ ut sic, sit naturam reddere independentem ab alio sustentante, seu constituere ipsam in ea incommunicabilitate, quæ opponitur inhærentiæ. *Hæc explicatio*

Non satisfacit. Tum quia independenter ab omni subsistentia, substantia est substantia, neque enim esse accipit à subsistentia, ergò independenter à subsistentia, non est substantia accidens, adeoque opponitur inhærentiæ, quæ propria est accidentis. Tum quia ut benè advertit Oviedo, Materia & ipsa est subjectum primum, adeoque independens ab alio subjecto sustentante, Anima item rationalis, eò ipso quia creatur, independens est à subjecto sustentante.

Idem

Idem dic de Angelo. Ergo apparet exclusionem inhærentiæ, non haberi à subsistentia, & sicut prædicta non negativè, sed positivè sunt substantia, ita positivè excludunt inhærentiam. Tum quia nulla est necessitas, nullumque fundamentum ab alio, quàm ab ipsa substantia, præcisè, desumendi independentiam ab alio sustentante.

Explicant 2. Aliqui per incommunicabilitatem, quòd scil. effectus formalis secundarius subsistentiæ, sit reddere naturam incomunicabilem alteri ut supposito. Est explicatio Suar. utriusque. *Sed*

Non satisfacit 1. Quia persona Patris in Divinis, est vera persona, & tamen non reddit naturam ulterius incommunicabilem. Neque valet si dicas cum recent. Suar. quod subsistentia solùm impediat, ne ipsa ab alia subsistentia terminetur, & mediante illa non terminetur natura, non inquam valet, quia immeritò diceretur naturam incommunicabilem reddi, sed potius debuisset dici, ipsam Personam reddi, vel potius esse incommunicabilem. Sic v.g. albedo denigrari non potest, immeritò tamen dicitur, ab illa reddi in denigrabilem parietem. Impenetrabilitas item, est effectus quantitatis, si tamen stante quantitate, aliunde æquè bene penetrari posset, immeritò diceretur, impenetrabile, à quantitate, reddi corpus, quamvis ipsa impenetrabilitas non possit penetrari; sic & in præsenti, si substantia stante conjunctione cum subsistentia, est communicabilis, licèt ipsa subsistentia non communicetur, non debebit dici, quòd ab illa subsistentia, reddatur incommunicabilis natura divina. Et certè id, quod dicitur mediante subsistentia non posse communicari naturam, vel habet hunc sensum, quod dum est conjuncta cum una subsistentia, non possit conjungi cum alia, & hoc falsum est, quia de facto natura divina pluribus subsistentis terminatur, vel dicta propositio habet hunc sensum, quia ipsa subsistentia terminari non potest, & hoc non valet ad intentum, quia quærimus de effectu secundario, communicato ipsi naturæ.

Non satisfacit 2. In principiis Suar. quia ipse admittit subsistentiam absolutam in Divinis, quæ non reddit naturam divinam ulterius incommunicabilem, ergo apparet, non esse hunc effectum subsistentiæ ut sic.

Non satisfacit 3. Quia incommunicabilitate datur prior conceptus, qui tamen non importat effectum formalem primarium, ergo apparet illam incommunicabilitatem esse non secundarium, sed alium formalem effectum.

Explicatur itaque aliter effectus formalis subsistentiæ, dicoque esse habere negationem partis, seu dicere negationem essendi in alio tanquam in toto, quod illustratur tali discursu. Nomine effectus secundarii non intelligitur quidquam aliud in formis metaphysicis, nisi id quod cum fundamento in re intelligi potest, tanquam emanans, & consequens rem, jam in suo esse constitutam; qui effectus secundarii interdum nomine attributorum, interdum nomine effectuum veniunt, vocanturque attributa, quia ad ipsum principale, tanquam fontem, radicem, & originem attribuuntur. Vocantur passiones, quia illas subjectat adeoq; patitur in se illud esse. Vocantur denique effectus, quia ab ipso esse, tanquam à causa Metaphysica profluunt. Porrò inter ipsos effectus secundarios, alii sunt, ut ita dicam primò secundarii, alii secundò secundarii, primò secundarii effectus sunt, qui censentur profluere ab aliquo esse, illique advenire, quamvis respectu aliarum formalitatum advenientium præsupponantur, adeoque habent rationem priorum. Sic v. g. admirativitas, est secundarius effectus rationalitatis, prior tamen & præsuppositus ante risibilitatem, prius enim est mirari postea ridere, & inter attributa entis secundariosque ejus conceptus, prior est ratio veri, quàm ratio boni. Jam verò inter effectus secundarios, illa formalitas est primò secundaria, quæ est negatio oppositi esse, ei, quod ipsum illud esse, importat effectus primarius. Sic v.g. primò importatur rationalitas ab homine, negatio autem irrationalitatis, est quid secundarium, tanquam negatio oppositi rationalitati, primò importatæ, quæ negatio, est negatio irrationalitatis. Rursùs illud est effectus primò secundarius, qui non est quidem primus, non tamen ex reliquis, habet aliquem priorem se. Ex quibus regulis concluditur effectum primò secundarium subsistentiæ esse negationem partis: nam imprimis, non est quidem hic effectus formalis primarius, quia negativis semper sunt priora positiva in entibus positivis, qualis est subsistentia, est tamen effectus primò secundarius, quia nullus alius, illo prior est. Deinde nihil est aliud negatio partis, quàm negatio non totius, quæ tamen negatio non totius, seu negatio partis, est negatio oppositi illi esse, quod importat subsistentia, & cum esse, quod importat subsistentia, sit esse totius, negatio non totius, seu negatio partis erit negatio oppositi illi esse, quod dicit subsistentia. Si autem est negatio partis, est negatio oppositi illi esse, quod importat subsistentia, hoc ipso est primo secundarius conceptus illius. Nec tantum habet subsistentia ipsa in se, ut non habeat rationem partis, sed etiam, ut ipsa natura unita illi subsistentiæ, non habeat rationem partis, hinc natura divina nec in Patre, nec in Filio, nec in Spiritu S. habet rationem partis. Ad quod postea consequitur, ut non communicetur alteri, supple simul cum subsistentia, tam in creatis, in quibus non datur distinctio virtualis inter communicabile & non communicabile intra eandem entitatem physicam, quàm in increatis.

DIFFICULTAS III.

De variis subsistendi modis.

DUplex subsistendi modus, alius per subsistentias creatas, alius per increatas, de utroque hîc agendum.

Punctum Difficultatis 1.

De modis subsistendi subsistentia creata.

ASSERO 1. *Quod in sententia nostra, non possit subsistentia creata, terminare naturam increatam.*

RATIO. Quia si subsistentia creata posset terminare naturam increatam, natura increata & non haberet rationem partis, & haberet, haberet quidem, quia se haberet ita, sicut natura humana in Christo non terminans, sed terminata, terminatum autem non habet rationem totius. Rursus suppositâ illa unione, natura divina non diceret rationem totius se sola, idque ob interventum unionis cum natura creata, ergo habet rationem partis: non haberet etiam natura divina unita naturæ humanæ, & terminata per personalitatem humanam rationem partis, quia illi non competerent imperfectiones partis ut perfectibilitas, ratio imperfectioris &c. similia; hocq; ipso videretur natura divina perfici à creato, si ab aliquo creato, acquireret rationem totius.

ASSERO 2. *Quod in sententia distinguente entitativè subsistentiam à natura, non sit possibile à subsistentia creata, terminari naturam increatam.* Examinandæ hîc sunt communes implicantiæ.

1. IMPLICANTIA. Quia natura dependet à subsistentia; à nullo autem creato potest dependere natura increata.

RESPONDERI potest. Hoc argumentum multùm probare, probaret enim etiam à subsistentia increata, non posse terminari naturam divinam, quia illa, à nullo increato etiam, dependere potest. Deinde dici potest, dependentiam quandam esse rigorosam, qualis est dependentia creaturarum à Deo, alia autem est dependentia largiori modo seu dependentia termini, quia ergo dependentia à subsistentia, est dependentia à termino, bene Deo tribui potest.

2. IMPLICANTIA est, ex recentiori Suar. &c. quia id repugnat; & ex parte personæ creatæ, quia nulla subsistentia creata potest terminare naturam alienam. Repugnat etiam ex parte naturæ divinæ, quia illam repugnat mutari, mutaretur autem, quia deberet in se recipere unionem cum illa persona. Quod ipsum probat. Quia unio hypostatica recipitur in natura assumpta non in termino, omnisque unio recipitur in extremo, non in termino.

RESPONDERI potest. Hoc ipsum erat probandum, quòd implicet subsistentiam creatam, terminare naturam alienam, & sicut unũ idemque lumen gloriæ, & respicit intellectum tanquam subjectum in quo recipitur & respicit Deum, ad cujus solius repræsentationem concurrere primariò potest, ita cur non erit possibilis persona creata supernaturalis, quæ tanquam subjectum respiciat naturam creatam, & tanquam terminabile intrinsecum, naturam increatam?

Non etiam repugnat talis terminatio ex parte naturæ increatæ, quia in sententia plurium, unio materialis recipitur in materia, terminatur autem ad ipsam animam rationalem, cur ergo idem dici non potest de subsistentia creata terminante naturam increatam, quod scilicet reciperetur in natura vel persona creata, terminaretur ad increatam, & ad eum modum quò unio hypostatica recipitur in natura humana terminatur ad personam Verbi, & sicut non mutatur per hoc persona Verbi, ita nec mutaretur natura divina.

3. IMPLICANTIA est. Quia si natura divina terminaretur subsistentia creata, destrueretur simplicitas Dei, idcircò enim non admittuntur subsistentiæ divinæ distinctæ realiter, quia destrueretur Dei simplicitas.

RESPONDERI potest. Ideò non admittitur subsistentia divina distincta realiter, quia ipsa etiam deberet esse Deus, & tamen distingueretur realiter à natura divina, sed hoc non eveniret, si subsistentia creata terminaret naturam increatam. Deinde quia illæ subsistentiæ divinæ distinctæ realiter à Deitate, deberent esse quid intrinsecum Deo, pertinensque per se ad Deum, adeoque ratione suæ intrinsecitatis, destruerent simplicitatem Dei, non destruitur autem simplicitas Dei per hoc, quod est extrinsecum Deo, & quod ita se haberet posita hac terminatione, ut nunc natura humana, in unione hypostatica Verbi, cujus simplicitatem non destruit.

4. IMPLICANTIA. Natura divina est infinita, ergo non potest terminari per terminum finitum.

RESPONDETUR. Quod non sit materialiter imaginanda ratio termini in persona, quasi sit per aliquam coëxtensionem, in qua facilè convincitur, quod res infinita à finito non possit terminari; sed terminatio quæ habetur à subsistentia, non aliud vult quàm quòd faciat naturam per se stare communicata à se per se stantia, quàm quid implicat communicari ab aliquo creato?

In idem recidit illa implicantia, quia ad personalitatem spectat sustentare, natura autem divina non potest sustentari, quia nullo fulcimento indiget, sed nunquid re ipsa subsisten-

sistentia increata, est fulcimentum naturæ Divinæ, præcipuè cum hoc sustentare, nihil aliud faciat, quàm quod reddat naturam per se stantem. *Sit itaque*

V. Implicantia. Quia & posset personare naturam Divinam subsistentia creata, & non posset: posset quidem ut supponitur, non posset autem, quia omne Personativum, debet adferre ultimam perfectionem & completionem substantialem, nihil autem creatum potest esse ultimo completivum Divinæ naturæ, de se completissimæ.

Assero III. *Non posse subsistentiam creatam terminare aliam à se naturam creatam.*

Ratio. Quia & esset tunc una utriusque subsistentia, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia altera Natura non acquireret rationem totius, ratione alius, quod ipsum probatur. Utraque tunc amitteret rationem totius, quod probatur. Quia ex eo solùm in unione hypostatica Verbum non amittit rationem totius, quia non perficitur, nec acquirit tunc ullam perfectionem, jam autem habens duas naturas creatas, perficitur per hoc.

Dices. Si non potest una subsistentia terminare aliam naturam, dæmones videntes naturam humanam Christi, bene intellexissent terminari illam subsistentia Divina.

Respondetur. In Principiis nostris ponentibus subsistentiam esse in Recto Naturam, non poterant videre Dæmones, Christum caruisse propriâ subsistentiâ.

Assero IV. *Per nos non posse naturam unam creatam terminari pluribus subsistentiis propriis.*

Ratio. Quia & terminaretur pluribus subsistentiis propriis, & non terminaretur, terminaretur ut suppon; tur, nõ terminaretur autem, quia non est intelligibile, quomodo haberet pluries rationem totius, nihil enim plus haberet, quam si uniter haberet rationem totius. Aliud est de natura Divina, quæ tribus propriis subsistentiis terminatur, quæ distinguuntur realiter vir tualiter adeoque *sunt non mera formalitas*, ratione suarum virtualitatum adferunt plus, quam foret, si uniter subsisteret natura Divina. Et sicut sive plures, sive duæ guttæ uniantur interse, non est illis nisi semel ratio totius, ita & in præsenti, non nisi semel subsisteretur.

Assero V. *In sententia condistinguente modaliter subsistentias posset una natura pluribus subsistentiis subsistere*, quia nulla videtur esse in hoc implicantia, arbitrarium tamen est, non nisi tribus illam subsistere, sicut subsistit natura Divina, ad eum modum quo paries albus, si insuper alia albedine potest dealbare, non est ratio, cur non etiam tertia possit dealbari, nec tunc una subsistentia terminaret aliam, sicut nec in Divinis terminat.

Punctum Difficultatis 2.

De variis Modis subsistendi Subsistentiâ increatâ.

Non est hujus loci agere de subsistentiis increatis, in quantum terminant naturam increatam, hoc enim spectat ad materiam de Trinitate. Quanquam multa de illis prænosci possunt ex istis, quæ dicta de distinctione virtuali. Sed agendum hic de illis in quantum terminare possunt naturam creatam. Discutiendum imprimis est, an eandem naturam creatam, plures Personæ Divinæ terminare possint? Affirmat Suar. uterque & alii ex nostris, contra Lugo loco citato n. 80. & contra Amicum, qui dicit, si adæquatè terminaretur natura creata à subsistentia increata, jam non poterit terminari ab alterâ, secus si inadæquatè terminaretur.

Dicendum I. *Inadæquatam terminationem à Persona Divina impossibilem esse.*

Probatur I. Quia & esset inadæquata illa terminatio ut supponitur & non esset, quia adæquatè terminare, nihil aliud est, quàm adæquatè dare esse per se, adæquatè autem dare esse per se, nihil aliud est, quàm ita dare esse per se, ut nihil sit naturæ, cui non sit data ratio essendi per se. Hoc autem in omni unione hypostatica contingit, quod probatur. Vel enim hæc unio erit cum substantia spirituali completa, & hæc cum sit indivisibilis, non apparet quomodo inadæquatè terminari possit, sicut non apparet, qui punctum inadæquatè terminetur. Si autem hæc unio erit, cùm substantia completa, sed composita habenteque partes etiam hæc divisibiliter quidem in indivisibili tamen consistet, ita ut si dicatur terminari anima & non terminari corpus non debeat dici assumptus homo, ergò in talibus non habet locum inadæquata assumptio.

Probatur II. Quia inadæquata terminatio vel hoc sensu est inadæquata, quia non totum terminat, v. g. unam partem & non aliam, & de hoc in præsenti non est difficultas, quia illæ partes habent se in hoc genere sicut disparata unibilia, indubiè autem unito Petro, non repugnat uniri Paulum, eritque adhuc responsio non secundùm statum quæstioniis; non enim idem terminabitur pluribus subsistentiis, sed plures subsistentiæ, plures partes vel tota; vel in isto sensu erit inadæquata illa terminatio, quia subsistentiæ illæ attemperabunt suum concursum, suamque terminationem, ut locus detur alteri terminationi: & hoc dici non potest, quia terminatio illa nihil aliud est, nisi unio Personarum, quæ utpote indivisibiles inadæquatè se dare non possunt, sicut anima rationalis indivisibilis,

visibilis, pro sua parte inadæquatè informare non potest.

Probatur III. Persona Verbi unita naturæ humanæ, non potest ejusdem actiones inadæquatè inæqualiterque dignificare, sed se tota tenetur, dignificare. Ergò nec potest eadem inadæquatè terminare.

Objicitur I. cum Amico. Concursus sustentativus attemperari potest, adeoque facere inadæquatè sustentari naturam, quod ipsum probat, quia ille concursus consistit in quodam nisu, quo natura humana in hypostasi Divina, media unione innititur & sustentatur.

Respondetur. Neg. Antecedens cum sua probatione, & iste nisus personæ in sustentando, non est rationabiliter imaginabilis.

Objicitur II. Accidens, licèt non possit unitum pluribus subjectis, totum suum effectum formalem tribuere; potest tamen ab unoquoque non totaliter sustentari, ergò idem in præsenti dicendum. Antecedens probatur. Quia unio ab una tantùm parte sustentatur, & tamen utrique extremo confert suum effectum formalem, ergò etiam licèt non possit Divina Persona non totum effectum suum formalem communicare naturæ creatæ, potest tamen natura assumpta non totaliter, sed tantum partialiter ab una sustentari.

Respondetur. Imprimis indistincta hæc duo esse, totum suum effectum communicare subsistentiam, & eandem non partialiter, sed totaliter & adæquatè sustentare naturam, proindeque si concedatur primum, concedi debet & aliud. Deinde Antecedens cum sua probatione hoc tantùm sensu verum esset: quòd scilicet accidens, vel unio, nonnisi ab una parte possit recipi, & non recipi ab alia, quod etiam verum est de Persona Divina. Hinc distingui potest consequens. Ergò potest natura creata partialiter sustentari h. e. cum una tantùm naturæ (si sit compositum) parte uniri. Conceditur, potest partialiter sustentari, h. e. non habere totum id, quod ad esse per se stantis spectat. Negatur, hoc enim est quid indivisibile. *Hinc*

Addo. Distinguendæ sunt hæ duæ propositiones. Potest Persona Divina uniri non adæquatè, sed uni non nisi parti. Et alia hæc est, potest ei cui unitur, nonnisi inadæquatam persistantiam tribuere, & hæc Propositio est falsa, prior vera.

Dicendum II. *Posse terminari adæquatè unam creatam naturam, à pluribus Personis Divinis.* Antequam probetur Conclusio.

Suppono I. Quod Ly adæquatum interdum sumatur pro Lysolum, & ita adæquatum fidei objectum est v. g. suprema veritas, quia sola ipsa, est motivum fidei. Interdum Ly adæquatum, non importat Ly solùm, sed importat exclusionem partialitatis, & sic v. g. duæ causæ totales ejusdem generis, dum miraculosè eundem effectum causant, utraque causa est adæquata, non importando solitudinem, sed importando exclusionem partialitatis, totus enim effectus & non pars illius, pendet à singulis. Secundoque sensu accipitur in præsenti Ly adæquatum.

Suppono II. Quamvis ratio formalis subsistentiæ, sit per se subsistere, hoc tamen potest dare æquivocationis causam, nam si subsistere per se pro eodem sumatur, ac non subsistere in alio à se, hoc sensu non jam subsisteret natura humana Christi, quia illius subsistentia, est in alio, h. e. in Verbo. Hinc ita intelligendum est illud per se stare, ut & illis quæ subsistunt in alio, seu per subsistentiam alienam, quadrare possit, & iis quæ subsistunt per subsistentiam propriam, quos modos subsistendi Lugo dicit univocè non convenire, ut autem salvetur istud per se subsistere, est necesse intervenire unionem substantialem ad Personam cæteroqui non propriam, *his positis*

Probatur I. Conclusio. Quia id non implicat contradictionem, ut probabit solutio objectionum.

Probatur. II. Una eademque natura increata, potest terminari pluribus subsistentiis increatis, ergò & creata poterit eisdem terminari.

Respondet I. Lugo. Quia natura Divina subsistit per tres subsistentias proprias, subsistere autem per propriam subsistentiam, non est naturam sistere in tali supposito, sed sistere in se ipsa, quare cùm non repugnet, ut natura sistat in se ipsa per triplicem subsistentiam, nec repugnat etiam, tres subsistentias proprias, eandem habere. At verò quando natura subsistit per subsistentiam alienam, non sistit in se, sed in ultimo supposito, quare cùm repugnet naturam sistere in tali supposito ultimo, & adhuc progredi ulterius ad sistendum in alieno supposito, consequens est ut repugnet, quòd natura humana, quæ semel subsistit in supposito Verbi, subsistat ulterius in supposito Patris & Spiritus Sancti.

Contra est. Tum quia potest natura sistens in supposito uno sibi identificato, sistere postea in alio supposito, distincto realiter à priore, licèt sibi identificato, nec repugnat, ut sistat in hoc supposito sibi identificato, & progrediatur ulterius ad sistendum secundò in alio supposito, quantumvis sibi identificato, distincto tamem realiter ab altero supposito. Ergò etiam semel non sistens in proprio supposito, poterit & secundò non sistere tantùm in se, sed in alio supposito, adeoque pluribus Personis terminari. Tum quia inter subsistentias divinas inter se comparatas distinctio & alietas realis non impedit, quo minus natura pluribus subsistentiis terminetur, veraque hæc est propositio; Quod natura Divina in alio supposito subsistat subsi-

stens

stens subsistentia Verbi, & in alio dum subsistit, subsistentia Patris, & tamen hoc non impedit, ut pluribus subsistentiis terminetur natura Divina, ergò non impediet ut terminetur natura creata, iisdem. Tum quia adhuc tunc verum esset dicere : natura creata per se subsistit. Ergò pluribus illis terminari poterit, ex hoc enim solo, non posset terminari natura creata pluribus subsistentiis Divinis, quia non per se subsisteret. Antecedens probatur de natura Divina sistente per plures subsistentias increatas semper verum est dicere, sistit in se & per se quamvis sistat in subsistentiis, quarum una non est alia, ergò etiam si subsistat natura creata, subsistentiis increatis, semper verum erit dicere : sistit in se & per se, quærereq; restabit, quare natura sistens in seipsa, possit tamen subsistere per triplicem subsistentiam & id non possit habere sistens in alio.

Respondet II. Amicus Disp. 14. de Incarn. Sect. 6. Quòd natura Divina non exigat suas personalitates ad sistendum purè, sed per modum principii fœcundi ad intra, utque sit fœcunditas ad intra per principium intellectivum & volitivum requiritur personalitas Patris qua fiat fœcunda ut principium intellectivum Filii, utque Persona Filii una cùm Patre fiat completa in ratione principii volitivi, & simul terminetur intrinsecè Verbo substantiali producto, & Spiritu S. tanquàm amore notionali spirato, ea propter requirit, & personam Filii & personam Spiritus Sancti: Natura verò creata, non indiget personalitate nisi ad purè subsistendum, cùm alias ex se, tota ad intra quàm ad extra, supponatur fœcunda.

Contra est. Tum quia quamvis natura creata non exigat subsistentiam increatam, tanquam principium fœcunditativum, tamen hoc non obstante, potest terminari subsistentia increata una. Ergò poterit terminari & pluribus, idque non ex indigentia fœcunditatis. Tum quia si subsistentiæ increatæ non possent secum consistere absolutè, non possent exigi à natura Divina tanquam principia fœcunditativa. Ergo prius est illas posse secum consistere, quàm exigi ad fœcunditatem; cur ergo non conveniet illis hæc secum consistentia & compatibilitas, in una etiam natura creata. Tum quia quamvis natura creata indigeat non nisi una subsistentia, cur non titulo indigentiæ, sed divinitus & ex placito assumentium naturam creatam personarum, pluribus etiam Divinis subsistentiis terminari non poterit?

Respondet III. Idem. Personalitas v.g. Patris, quamvis sit sufficiens ad terminandam naturam Divinam in ratione existentiæ relativæ Paternitatis, non est tamen sufficiens, ad terminandam illam in ratione existentiæ relativæ Filiationis.

Contra est. Terminans Persona Verbi, naturam humanam, sufficit non nisi ad terminandam illam, ut natura illa dicatur Verbum Caro factum, & non est sufficiens ut natura illa dicatur Pater. Caro factus ergo adhuc dabit locum subsistentiæ Patris sicut dat in Divinis.

Respondet IV. Idem. Rem semel substantialiter completam, non posse ulterius substantialiter compleri; jam enim illud aliud complementum substantiale, adveniret post ultimum complementum substantiale; sicut materia non manet incompleta substantialiter, si sit adæquatè completa per formam, & è converso forma unita materiæ non manet incompleta, alias anima rationalis completa, per materiam hominis, posset compleri per materiam equi, & materia hominis completa per formam hominis, compleri posset per formam equi, sicque natura integra hominis, poterit compleri substantialiter per naturam integram equi, & è converso.

Contra est. Tum quia potest uni eidemq; materiæ, uniri divinitùs duplex forma substantialis, ut probatum in Physicis, cujus oppositum videtur supponere præsens responsio, ergo & duplex poterit uniri subsistentia Divina. Tum quia una forma substantialis advenies subjecto, altera forma præinformato, ut ibidem dicitur, constituet unum per se cum eadem, ergo & in præsenti idem dici poterit. Tum quia Natura divina semel completa substantialiter per personam Patris, est adhuc complebilis per personam Verbi, & Spiritus Sancti. Ergo erit ita complebilis etiam Natura creata.

Respondebis V. Quod hoc sit proprium solius naturæ Divinæ, subsistere pluribus subsistentiis.

Contra est. Tum quia concedo solius esse naturæ Divinæ connaturaliter & indispensabiliter, non nisi tribus subsistentiis subsistere, sed nego divinitus id non posse etiam naturæ creatæ competere. Tum quia proprium est solius naturæ increatæ subsistentia Verbi subsistere, & tamen divinitùs, humanitas Christi, subsistit per eandem, ergo idem dicendum de aliis, simul naturam creatam terminantibus. Tum quia recentiores negabunt, proprium esse soli naturæ Divinæ pluribus subsistentiis subsistere, licèt sit proprium soli naturæ Divinæ subsistere subsistentiis identificatis naturæ realiter, inter se autem distinctis realiter.

Probatur III. Conclusio. Paritatibus quas etiam proponit sibi Amicus.

I. Paritas est. Materia adæquatè informata una forma, est adhuc adæquatè informabilis alia forma. Ergo & natura adæquatè terminata una Persona Divina, est terminabilis ab alia.

Respondet Amicus. Disparitatem esse quia

quia materia est substantialiter perfectibilis. Contra est. Ergo & natura creata, perfecta perfectione terminationis acceptibilis à Verbo, manet adhuc perfectibilis perfectione terminationis, acceptibilis ab alia Persona.

II. Paritas est. Potest idem effectus bis accipere esse, à duplici totali causa & adæquata; ergo & terminari bis substantialiter à pluribus Personis Divinis.

Respondet. Negando Antecedens, sed hoc est impugnatum in Physicis materiis.

III. Paritas. Potest Persona Divina faciens unum substantiale cum hac natura creata, componere aliud unum substantiale cum alia natura creata, ergo & è converso natura componens unum substantiale cum persona Verbi, poterit componere unum substantiale cum Persona v. g. Patris.

Respondetur. Disp. esse quia Persona Divina faciens unum cum illis naturis semper illas inveniet incompletas, adeoque substantialiter perfectibiles, si autem accedat Persona Patris terminatæ naturæ à Verbo, nihil inveniet complebile & perfectibile substantialiter.

Contra est. Quia quamvis inveniat Paternitas naturam completam, non tamen completam à se, cur ergo implicabit ut illam compleat sua personabilitate, & certe quæ est capacitas materiæ ad plures formas substantiales, quamvis altera inveniat materiam ab alia forma completam, ea est ad plures subsistentias, sed priorem illam reduci in actum non implicabit, ergo nec implicabit posterius : & sicut terminans Naturam divinam Persona Verbi, invenit illam ut ita dicam completam prius origine à Persona Patris, & tamen Persona Verbi terminat Naturam divinam, ergo & terminabit, quamvis invenerit præterminatam à Persona Patris.

Objicit I. Lugo. Subsistentia v g. Verbi, ita terminat naturam humanam, ut non faciat illam quidem per se subsistentem, faciat tamen illam in supposito subsistentem h. e. in verbo, ergo illa natura, non potest jam terminari alio supposito. Consequentia probatur quia sicut repugnat terminari in se & terminari in alio sic etiam repugnat terminari in supposito Verbi, & terminari in supposito Spiritus S. quia terminari in supposito verbi adfert virtualem contradictionem, ad non terminari in supposito Spiritus Sancti.

Respondetur. I. Retorquendo argumentum : cur scilicet terminatio per Verbum non adferat virtualem contradictionem ad non terminari (idque in natura Divina) à Persona Spiritus S. Directè autem nego consequentiam; nego item quod terminari in supposito Verbi, dicat virtualem negationem negantem posse terminari, à Persona Spiritus Sancti.

Objicit II. Amicus. Non potest ex duobus entibus ultimò completis substantialiter, fieri unum substantiale per se : quia in compositione substantiali, saltem unum extremum debet esse incompletum.

Responsum. Huic argumento in Physicis, ubi actum : an una materia possit pluribus formis substantialibus informari, agendo etiam de causis, hinc dici potest, quòd non ex indigentia ulterioris perfectionis, terminanda sit illa natura, altera subsistentia Divina; sed ut ita dicam per excessum, & ut idem habeatur, pluribus titulis. Deinde potest dici quod natura creata subsistentia Verbi non indigeat eâdem, cum supponatur jam illam habere, indigeat tamen altera (indigentiam largius accipiendo) cum supponatur illa altera subsistentia carere, eritque respectu illius secundæ subsistentiæ incompleta, cum nec dum habeat illam.

Instat Idem. Ideo natura adæquatè completa in ratione naturæ, nequit componere unum substantiale cum alia pariter completa natura, quia nullam habet exigentiam, nec indigentiam, ulterioris perfectionis substantialis, spectantis ad complementum naturæ. Ergo nec una substantia completa per unam subsistentiam, habebit indigentiam alius subsistentiæ.

Responsum. Supra, non ex indigentia hoc futurum, quanquam & indigentia sit ostensa. Probat etiam argumentum multum, quia probat etiam Naturam divinam, non posse à pluribus subsistentiis terminari. Negari etiam potest argumento Paritas, qui cum natura non habeat obedientialem capacitatem, ut cum altera natura uniatur substantialiter, non est mirum, quod non possit cum altera natura componere unum totum substantiale. Jam verò quia habet natura capacitatem obedientialem, ut possit cum Persona divina uniri substantialiter, non erit ratio, ut si uniatur cum una persona divina, non jam simul uniri possit, cum altera.

Objicitur III. Si naturam assumptam à verbo posset terminare persona Patris, una persona posset per communicationem idiomatum prædicari de alia, adeoque habere identitatem cum alia, quod ipsum probatur. Verum esset hoc argumentum : Hic homo est Pater. Hic homo est Filius. Ergo Pater est Filius.

Respondetur. Hoc argumentum non habet difficultatem contra nos specialem, sed idem solvi deberet ab omnibus in materia de Trinitate, simile enim faciam argumentum; Hic Deus est Pater. Hic Deus est Filius. Ergo Filius est Pater, & quidem magis in materia de Trinitate valeret, si valeret quia in Trinitate, Persona dicit identitatem realem cum Natura, quam non dicit Persona in creata, respectu naturæ creatæ, vi unionis cum eadem. Directè

tum

tum dico, omnem communicationem idiomatum fundari in unione subſtantiali; unionem autem subſtantialem dico fundari in incompletione perfectibilitateque subſtantiali, completivitateque ac perfectivitate subſtantiali: Quia autem natura creata eſt complebilis in ratione perſonæ & perſona Divina completiva ejusdem, ſit, ut comunicatio idiomatum, inter hæc duo, poſitâ unione, ſequi poſſit: Quia verò una perſona reſpectu aliûs non eſt complebilis & alia completiva, ſitut inter illas nec unio ſubſtantialis, nec communicatio idiomatum intervenire poſſit. Ex iſtis etiam quæ dicta ſunt in materia controverſa Trinitatis, negatur illi expoſitorio, conſequentia.

Punctum Difficultatis 3.

Poteſtné Perſona Divina, ſolam Perſonam creatam aſſumere?

DICENDUM I. *Non eſt id poſſibile in noſtris principiis.*

PROBATUR. Quia & aſſumeret ſolam perſonam creatam & non aſſumeret, aſſumeret, & quidem ſolam ut ſupponitur, non aſſumeret autem, quia illa Perſona in recto eſt ipſamet natura, hinc ſi aſſumitur Perſona, deberet aſſumi natura; aliàs intra eandem entitatem phyſicam, eſſet unum idemque quod aſſumeretur, & idem phyſicè quod non aſſumeretur, hoc autem eſt diſtinctionem virtualem phyſicam invehere in creata.

DICENDUM II. *Etiam in principiis diſtinguentium entitativè ſubſiſtentiam, implicat aſſumi à Perſona Divina, ſolam Perſonam creatam.*

PROBATUR I. Quia Perſona eſt ultimus terminus, ergo ulterius terminari non poteſt.

PROBATUR II. à pari. Anima non poteſt animari ab alia anima, nec albedo dealbari ab alia albedine, nec quantitas quantiſari ab alia quantitate, ergo nec ſubſiſtentia terminari ab alia ſubſiſtentia, ergo nec à Divina, non eſt enim major ratio unius quàm alterius. Quod ſi comminiſceretur aliquis ſubſiſtentiam abſolutam creatam, conſimilem ei, qualem Suar. attribuit Deitati, illa ulterius poſſet dici terminabilis.

PROBATUR III. ex Amico, quia aliqua incommunicabilitas eſt de eſſentia Perſonæ, ſed nulla altera, niſi incommunicabilitas alteri ut ſuppoſito, quæ enim alia? & tamen hæc incommunicabilitas tolleretur ſi aſſumeretur Perſona à Perſona, quia aſſumi nihil aliud eſt, quàm aſſumi, ad communicandum cum alio ſuppoſito, &c. ſimilia.

OBJICITUR I. Unio quæ eſt inter corpus & animam Chriſti, unitur unioni hypoſtaticæ ad Verbum aliâ unione. Ergo & ſubſiſtentia poteſt ſubſiſtere alia ſubſiſtentia.

RESPONDETUR. Diſparitatem eſſe in noſtris principiis, quia tunc in caſu antecedentis non ſequeretur idem uniri & non uniri, quod tamen ſequeretur caſu quo ſola Perſona aſſumeretur. In Principiis aliorum dat diſparitatem recentior Suar. quia unio compoſiti non ſe ipſa eſt unio ad Verbum, poteſt ergo uniri per alteram unionem; ſed ultimus terminus ſe ipſo eſt ultimus terminus. Deinde quando unio unitur alia unione in caſu Antecedentis benè adhuc ſalvari poteſt, quomodo retineat conditionem unionis, non enim facit illam per ſe unitam, unire extrema, ſed ſi ſubſiſtentia creata, terminetur aliâ ſubſiſtentiâ v. g. Divinâ, non retinebit conditionem ultimi termini ſubſtantialis, cum ulterius terminetur, & ſicut non manent termini prioris quantitatis appoſitis novis, ita nec prior ſubſiſtentia erit terminus, ſi ab alia ſubſiſtentia terminetur: Supponit autem hæc diſparitas, quod ſit de ratione ſubſiſtentiæ, eſſe ultimum Terminum.

OBJICITUR II. Una relatio refertur per aliam relationem, & ita relatio tranſcendentalis fundat prædicamentalem. Ergo & ſubſiſtentia, poteſt ſubſiſtere per aliam ſubſiſtentiam.

RESPONDETUR. Poſito quod una relatio fundet aliam (de quo in Logica) adhuc una relatio ſeipſa referetur; ſed hîc una ſubſiſtentia, non per ſe ipſam ſubſiſteret, ſed per aliam ſubſiſtentiam.

OBJICITUR III. Poſſibile eſt ut Perſona increata, aſſumat naturam creatam cum ſua perſonalitate. Ergo & ipſam Perſonam ſolitariè aſſumere poteſt.

RESPONDETUR. Quod attinet ad Antecedens. Duplex unio inter naturam creatam ſubſiſtentem cogitari poſſet. I. Unio merè accidentalis, ita ut ex illa unione, nulla communicatio idiomatum, nulla in naturam creatam derivatio complementi, perfectionis, excellentiæ perſonalis derivetur, & quæ unio ita ſe habeat, ſicut ſe habuit unio corporis Chriſti, & januæ clauſæ in inſtanti penetrationis, quam etiam finge poni permanentem, ita ut nec janua ſine corpore Chriſti, nec corpus Chriſti ſine janua movere ſe poſſit, ita tamen ut hæc conjunctio naturæ creatæ ſubſiſtentis cum Perſona Divina ſit condiſtincta ab intima præſentia, quam creaturæ habent ad Trinitatem, ſed proveniat ab unione aliqua accidentali, ratione cujus fiat ſpecialis determinatio & alligatio. Talis unio naturæ creatæ ſubſiſtentis ad Perſonam Divinam, videtur eſſe poſſibilis. Tum quia ſic deſcripta alligatio non implicat. Tum quia difficilior eſt conjunctio naturæ creatæ, quæ fundat communicationem idiomatum, præ non fundante illã, Ergo ſi illa prior eſt poſſibilis, poſſibilis erit & hæc ſecunda: quæ non apparet quî perfici poſſit, niſi ſola alligativa illa unione. Tum quia quamvis talem unionẽ admiſerit Neſtorius, non ideò eſt

damnatus, quia illam admisit possibilem, sed quia eam de facto admisit, cùm tamen unionem cum communicatione idiomatum, proponit credendam, fides.

Ex quo ulterius colliges, etiam naturam creatam, habituram tunc rationem totius, sicut & corpus Christi & januæ clausæ in instanti penetrationis; vel si invicem localiter alligarentur rationem totius haberent, unaquæque singillatim. Secunda unio inter naturam creatam subsistentem, & inter Personam cogitari potest, quæ sit substantialis, fundans communicationem idiomatum, perficiensque naturam creatam in ratione totius, talis unio implicat retenta propria subsistentia. Ratio quia illa natura creata subsistens propriâ subsistentiâ, & haberet rationem totius & non haberet, haberet quidem, quia per nos subsistentia coincidit cum formalitate, habentis se per modum totius, non haberet autem rationem totius. Tum quia perfectibilitas, completio &c. quæ convenit parti, conveniret tunc ei naturæ. Tum quia si haberet rationem totius in se spectata, quomodo subsisteret subsistentia Divina. Tum quia si haberet una natura propriam subsistentiam, quomodo non foret tunc nonnisi illa prior, h. e. merè accidentalis unio, & tamen supponitur, debere esse substantialem. Et hæc distinctio applicanda Antecedenti, sed sine ulla distinctione negant universaliter Suar. Vasq. Lug. Amic. licèt oppositum sentiat Hurtad. Arriag. Ovied. recentior Suar.

I. Ratio. Lugonis & Valent. probantium non posse Naturam creatam subsistentem assumi à Persona divina, est hæc. Concilia ex eo solùm colligunt non esse in Christo propriam personalitatem, quia ejus humanitas fuit assumpta à Verbo, ergo sentiunt non posse illam assumi, retenta propria personalitate.

Responderi potest. Quod Concil. definiverit id, quod de facto est, non quod possibile est. Sicut definivit transsubstantiationem Tridentinum, licèt possibilis fuerit impanatio. Quod autem de facto non fuerit talis unio, collegit Ecclesia ex Doctoribus, traditione, Scriptura, quæ meminit etiam communicationis idiomatum, quæ si intervenire debeat, non erit jam connaturale, imò erit impossibile manere; in Christo personam humanam.

II. Ratio. Suar. Vasq. Lug. Effectus formalis primarius subsistentiæ, non est alius, quàm reddere naturam per se existentem, & in ipsa terminatam, ergo implicat naturam tunc habere propriam subsistentiam & non esse actu per se; quod si haberet alienam subsistentiam & suam, tunc & esset per se & esset in alio, qui sunt virtualiter contradictorii termini.

Respondetur. Sicut ratio formalis albedinis, est subjectum capax, cui unitur dealbare, adeoque tollere negationem albedinis consequenter nigredinem, cum hoc tamen stat, ut in eodem subjecto concurrere possint divinitus, nigredo & albedo, diversoque respectu illud subjectum erit album, diverso nigrum, sic & in præsenti diverso respectu natura esset in se, diverso esset in alio.

III. Ratio est. Quia subsistentia est ultimum complementum substantiale, idque modale, concursus autem modalis, ne divinitus quidem modificari potest.

Responderi potest. Quòd subsistentia sit ultimum complementum, sit ut alia subsistentia ipsamet, subsistere non possit; sed non facit ne simul uniatur cum natura, idemque solùm exigit Ratio modi, & sicut non dicitur modus modificari quando natura humana unita, unitur ulterius subsistentiæ Verbi, sic nec modificaretur modus, si natura cum subsistentia uniretur. Addo non esse certum quòd subsistentia sit modus.

QUÆSTIO II.

De Accidenti.

Quæres I. *Quis sit primo essentialis conceptus accidentis.*

Assero I. *Actualem inhærentiam non esse de primo essentiali conceptu accidentis, imò nec de essentia.* Ratio, quia quod est de essentia accidentis, ubicunque accidens est, convenit accidenti; jam autem in Eucharistia sunt accidentia panis, sine actuali inhærentia. Quod si dicas inhærere illa in quantitate, redibit difficultas de ipsa quantitate, quæ non inhæret actu in Eucharistia & tamen est accidens.

Assero II. *Aptitudinalem inhærentiam si sumatur simpliciter pro quacunque inalietate non esse de essentia accidentis quà accidens est.* Ratio, quia quod convenit accidenti qua accidens est, idque tanquam aliquid ejusdem essentiale, non potest convenire ei, quod non est accidens, inalietas autem aptitudinalis, potest convenire ei quod non est accidens, nam formæ materiali, convenit esse in alio, nempe in materia, & utrique convenit suo modo, esse in toto. Natura item humana dicitur esse in alio h. e. in Verbo &c.

Assero III. *Aptitudinalem inhærentiam mox explicandam per inalietatem rigorosam esse de essentia accidentis.* Quia convenit omni, soli, & semper ut inductione patebit. Quando autem dicimus esse de ratione accidentis, esse in alio, sufficit ut respectu cujuscunque sit in alio, & sic actio, quamvis non sit nec possit esse in agente, salvatur tamen ejus inalietas, quia est in passo, actio enim est actio agẽtis denominativè, non subjectivè. Sufficit rursùs ut quale est accidens, talis

lis sit & ejus inalietas, & sic si sit accidens impropriè seu per solam denominationem extrinsecam, sufficit ut in subjecto denominationis sit extrinsecè. Et ita vestis est accidens vestiti, estque accidens nonnisi denominationis, quia vestis in re, substantia est, hinc & in vestito, est tanquam in subjecto denominationis.

Addo. Hanc ipsam aptitudinalem inhærentiam, debere sumi radicaliter, nam formaliter sumpta, non esset de primo essentiali conceptu accidentis. Ratio. Tum quia prior est aptitudinali inhærentia, sumpta ipsa radix illius aptitudinis. Hinc valet argumentatio: accidens, est aptum inhærere, ergo habet radicem, ex quâ fluit hæc aptitudo. Tum quia in substantia, aptitudine subsistendi formaliter sumpta, datur prior conceptus, nempe ipsum illud esse, cui debetur ipsa illa aptitudo, ergo & aptitudinalis inhærentia formaliter sumpta, non est primo essentialis conceptus. Tum quia conceptus absolutus prior est respectivo, sed radix illa est quid absolutum, aptitudo autem inhærentiæ, est quid respectivum, ergo radix illa, ex qua fluit formalis illa aptitudinalis inhærentia prior erit.

Hinc bene sic conciperetur primo essentialis conceptus accidentis quod sit radix, ex qua fluit aptitudinalis inhærentia.

Quæres II. *Quomodo formandus sit conceptus inhærentiæ debitæ accidenti?*

Explicat I. Pontius Disp. 13. n. 5. Quod est in alio tanquam in subjecto informationis, est tale, ut cum eo in quo est, faciat unum per se, quod autem est in alio tanquam in subjecto inhæsionis, quod propriissimum accidenti est, est in alio, cum quo non facit unum per se, sed unum per accidens, tunc autem facit unum per se, quando ratione ejus, toti conflato ex illa forma & subjecto, conveniunt, aut saltem naturaliter convenirent (nisi ponatur impedimentum extrinsecum) qualitates deservientes, ad constitutionem istius formæ, in subjecto illo. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia idem per idem explicat. Si enim quæram quid est, forma accidentalis? Dicitur quæ componit esse accidentale; si quæram quid est componere totum accidentale? Respondetur, quòd sit componere totum ratione formæ non exigentis determinatas qualitates; quòd si ulterius quæram, sintne istæ qualitates accidentia? Respondebitur affirmativè, consequenter à primo ad ultimum forma accidentalis est quæ, non exigit alia accidentia, de quo ipso quæritur, quid ejus accidentia? Tum quia per Pontium Disp. 12. n. 9. Non est primò essentialis conceptus substantiæ substare accidentibus, quia si per impossibile daretur aliquod ens finitum, quod non posset substare accidentibus, nec tamen inhæreret, adhuc esset substantia. Sic & in præsenti dici posset, si daretur substantia nulla accidentia requirens, adhuc esset substantia, ergo ratio substantiæ, non rectè explicatur per exigentiam determinatarum qualitatum, quod tamen ipse in hac explicatione supponit. Ergo ulterius, si potest esse substantia non requirens determinata accidentia, etiam accidens, non per hoc constituetur, in ratione accidentis, quia non requirit determinata accidentia, cum illa possit non requirere, etiam substantia. Tum quia non repugnat ut accidens requirat alia accidentia ut dictum supra. Tum quia Corpus simplex est totum per se, & tamen non exigit ad sui conservationem certa accidentia; ex alia parte calor, est forma accidentalis, nihilominus ad sui conservationem, exigit siccitatem, ergo apparet, quod exigere qualitates, non sit quid condistinctivum formæ substantialis ab accidentali.

Explicat II. Lugo. Disp. 12. de Incarn. Sect. 3. Accidens est idem, quod ens in alio, est autem ens in alio, quod advenit alicui constituto in suo esse completo. Nam licèt forma materialis adveniat materiæ, & unio, utrique, non tamen Forma materialis est in alio, quia materia absque forma, nondum est aliud, nec hoc aliquid, sed entitas partialis & incompleta, at verò albedo v. g. advenit homini, qui est aliud, & ens totale completum. Subjungit, omnis inquit forma, sive substantialis, sive accidentalis videtur indigere aliquo sustentaculo, hoc tamen discrimine, quòd forma accidentalis exigat sustentari & fulciri ab alio, natura verò substantialis propter suam perfectionem non indiget hoc, sed sustentat se ipsam, quia à se ipsa habet per emanationem, sustentaculum illud. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia etiam forma substantialis divinitus potest advenire enti completo, nec tamen desinere per hoc esse substantialis, Ergo ratio constitutiva accidentis, non est advenire enti completo, præcipuè quia hîc quæritur de tali constitutivo, quod etiam per potentiam obedientialem, non possit convenire alteri, sicut nec per obedientialem potentiam convenit homini, ut sit rugibile; & sicut non esset constitutivum hominis animal rationale, licèt hoc saltem divinitus competeret alteri. Ita & in præsenti, cùm divinitus possit advenire Enti completo Forma substantialis, hoc quod est advenire Enti completo, non constituet accidens, in ratione accidentis. Tum quia sunt accidentia, quæ exigunt advenire enti ante completionem, hocque verificatur in omnibus dispositionibus ad formas substantiales; imò si materia fuisset creata, & tamen spoliata omni forma substantiali, prius illi advenire debuissent accidentia. Ergo non convenit unicè accidenti advenire Enti completo,

cum advenire possint enti incompleto, imò nata sint advenire. Tum quia redit totum argumentum, quia in fulciri & sustentari æquè se habent forma materialis & accidentia, illarumque priorum prius ostendi debet substantialitas, quàm quòd possunt emanare substistentiam. Ergo & in præsenti prius debet ostendi quid sit Accidens quam quòd natum sit advenire.

Explicatur aliter forma accidentalis ejusque inalietas, proportionatè ad ea quæ dicta de substantia, quòd scilicet ita sit in alio, ut licèt absit nihil essentiale subjecto censeatur abesse, hocque respicit tota illa definitio accidentis, quòd possit adesse & abesse sine subjecti corruptione.

Addo. Posita entitate accidentis cum sola radicali inalietate, sine ulla actuali inhærentia, non est necesse superaddi modalitatem vel entitatem aliquam quæ sit inhærentia. Ratio, quia nulla hujus necessitas. Hinc nos nec substistentiam dicimus esse quid superadditum entitativè ipsi substantiæ, licèt unio non possit esse sine aliquo superaddito, propter rationes alibi adlatas.

DISPUTATIO V.

De Oppositis Enti reali.

Enti reali oppositum I. est nihil, seu non esse entis. II. Opponitur enti quæcunque negatio, quæ si sit cum capacitate subjecti ad oppositum erit privatio, sine autem capacitate subjecti, mera negatio. III. Quod opponitur enti, est ens rationis.

Nihil autem & negatio hîc pro eodem sumuntur, condistinguuntur tamen eo, quod inprimis nihil spectat ad non esse, negatio autem spectat ad non dici, vel dici cum negatione; hinc nihil, opponitur esse, negatio autem opponitur affirmationi. Unde nihil est quasi quid prius, considerationisque metaphysicæ, negari autem & negatio, est posterius quid, spectansque ad dici. Rursùs rigorosè loquendo, nihil non requirit fundari in positivo sicut nihil creatum erat ab æterno, in nullo autem positivo fundatum. Negatio autem fundatur in aliquo positivo, ne detur negatio negationis.

Quod attinet ad ens rationis, illud etiam duplex est. Quoddam ens rationis Logicum & de hoc egimus in procemialibus Logicis. II. Ens rationis antonomasticè dictum, seu ens rationis Metaphysicum, & de hoc in præsenti tractandum erit.

* *
*

QUÆSTIO I.

De Natura Entis rationis.

Sicut de aliis entibus ordinariè quæritur, ita & de entibus rationis quæretur, quid sint? & an sint?

DIFFICULTAS I.

Explicatur: quid sit ens Rationis.

Multas explicationes entis rationis refutatas vide apud alios, hîc specialiores perstringentur.

Punctum Difficultatis 1.

Quid per alios ens Rationis?

Explicat I. Pontius. *Ens rationis est id, quod nequit aliquid efficere, nec inexistere alicui potenti efficere, nisi per considerationem potentiæ potentis aliquid considerare. Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia datur in ente rationis aliquid prius, ex quo fluit, quòd non possit quidquam efficere, neque inexistere potenti efficere, hæc enim prædicata, sunt quasi relativa, quæ fundari debent in absoluto. Tum quia per Pontium duo entia rationis, quando à duobus

duobus distinctis cogitantur, habent similitudinem inter se, non minùs quàm quæcunque entia realia, quantumvis ut ille loquitur, nemo cogitet de illa similitudine. Et quia in principiis Scotistarum relatio similitudinis, est quid distinctũ realiter à similibus, non erit ratio cur illã similitudinem, entia rationis non efficiant, ita ut non tantùm ipsæ fabricationes entium rationis, sint similes, productivæque illius similitudinis, sed & ipsa fabricata, quæ relatio, ut ipse dicit, debet esse nemine cogitante, ergo jam entia rationis, contra quam voluit Pontius, aliquid efficient. Tum quia negatio potentiæ ad effiere, nequit aliquid efficere, nec inexistere potenti efficere, & tamen illa negatio non est ens rationis. Tum quia ut urget Mastrius ab eodem adductus. Ens reale, non rectè per hoc describitur, quia potest aliquid facere aut inexistere potenti efficere, ergo nec ens rationis est id, quod nihil potest efficere, nec potest inexistere, potenti efficere. Neque valet quod dicit Pontius. Potuisse aliter adeoque dicto modo explicari ens reale: nam definitiones explicationesque rerum debitæ, sunt tales, ut aliter fieri non possint, sicut & ipsæ naturæ rerum, aliter fieri non possunt.

Explicat II. Alarcon apud rec. Suar. Tr. 2, Log. Disp. 1. Ens rationis esse ens fictum, repræsentans entitatem rerum, ad eum modum, quo Tragædus repræsentat Hectorem, qui non est fictus, sed verus. Et ita format aliquis conceptum veli, quo vult significare tenebras, Ens rationis consistit in hoc velo, repræsentante tenebras. Et sicut pictor pingens noctem, delineat nubes nigras, quæ delineatio repræsentat noctem; sic fictio rationis, consistit in hoc, quòd velum nigrum tenebras exprimat. Et sicut nubes in imagine depictæ, sunt signum ex instituto rei. Et sicut omne signum ad placitum fit per actum judicii, sic & omne ens rationis. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia quamvis certum sit, interdum per entia rationis, repræsentari res veras, falsum tamen est, quod nullum ens rationis sit, nisi quod verũ repræsentat cum fictione, nam qui dicit Deus, non est, vel non est Trinus, per multos, facit ens rationis, & tamen non repræsentat sibi verum. Tum quia ut infra videbitur, falsum est ens rationis nonnisi per secundam operationem fieri. Tum quia aliàs etiam ars fabricare posset entia rationis. Tum quia ex generico suo prædicato ens rationis, debet esse aliquid impossibile. Porrò fictio illic, non est aliquid impossibile, verum enim illud repræsentatum erit aliquid possibile, in quo ergo stabit impossibilitas entis rationis? & quodcunque assignaveris impossibile, repræsentatum ut verum, in illo potius stabit natura entis rationis.

Explicat III. Suar. Illud esse ens rationis, quòd cùm nullam entitatem habeat, cogitatur tamen ut ens. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia non explicatur cur ens rationis fieri non possit cogitando illud ut non ens, cùm tamen habeat entitatem, quod si ens rationis sic etiam formari possit, dari debet superior ratio entis rationis, cujus hæc sunt membra; Cogitari ut ens, cogitari ut non ens.

Explicant IV. alii, quod ad rationem entis rationis sufficiat v. g. negationem realem apprehendere per species entis positivi, v. g. tenebras, per speciem nigri coloris, sparsi per aërem. *Hæc explicatio* sic ut sonat accipiatur.

Non Satisfacit. Tum quia non apparet, cur usus præcisè specierum indebitarum, faciat ens rationis, imò quando fingitur hircocervus, fingitur ens rationis, & tamen utimur specie hirci debitè, quia ad repræsentandum hircum, & specie cervi ad repræsentandum cervum, quod si dicas, uti nos adhuc indebitè illis speciebus, scilicet tanquam repræsentativis identitatis, hoc ipsum est dubitabile, illæné solæ species ad hoc concurrant, & non species identitate, quæ certè non negationem realem, sed identitatem realem, licèt impossibilem repræsentabit. Tum quia cùm possit formari ens rationis per speciem entis negativi, apprehendendo positivitatem realem, debebit dari alius communis conceptus entis rationis, superior utraque hac specie. Tum quia licet enti rationis innectatur semper cognitio essentialiter falsa, tamen aliud est, ens Rationis, aliud cognitio essentialiter falsa, quæ duo, non apparet quî distinguenda sint, si ens Rationis nihil aliud sit, quam negatio realis apprehensa, per species entis positivi.

Addo. Explicari debere quid sit ista negatio realis, si enim intelligitur nomine negationis realis, vera negatio; certè veram negationem apprehendere per species entis positivi, non est facere ens Rationis, quando enim concipio tenebras esse, est tunc negatio realis, hoc est vera, & tamen concipio eam per speciem lucis, nam tenebræ sunt negatio lucis. Quod si per negationem realem intelligas debere scilicet fabricando ens Rationis concipi id quod non est, esse, hoc habet difficultatem, de qua infra, & insuper non rectè dicto termino prædictum objectum explicatur. Cæterum hæc explicatio habet aliquid veri; dupliciter enim negationem illam possumus concipere. I. non utendo tantùm illis speciebus tanquam medio cognoscendi, sed insuper affirmando vel apprehendendo tenebras, esse colorem nigrum, & tunc revera fieret ens rationis; nam erit simile objectum, quo compono & identifico albedinem DEO, dicendo: DEUS est albedo. II. Possum concipere tenebras, utendo speciebus coloris nigri, tanquam medio seu instrumento co-

gnoscendi: nam cum nihil sit in intellectu nisi prius sit aliquo modo in sensu, cùm tenebræ sensum se ipsis non moveant, utimur colore nigro & speciebus ipsius, ad percipiendam notitiam tenebrarum. Et tunc subdividi debet formalitas objecti cogniti, & formalitas modi noscendi, objectumque cognitum non erit ens rationis, sed privatio, modus tamen cognoscendi involvet ens rationis.

Difficilius est decernere: an quando sedente Petro dico Petrus currit, faciamné tunc ens rationis? In quo casu cogitans multipliciter se habere potest. Imprimis si cursum identificet sessioni, facitque indubiè ens rationis. Deinde si per errorem de sedente prædicet cursum, sed tunc falsum quidem dicit, sed non facit ens rationis, aliàs omnis falsitas esset Ens rationis, & hæc in particulari, non habet per quod extrahatur ad conditionem entis rationis. Denique potest intellectus considerare cursum Petri cum sessione, tantùm sibi objiciendo cursum, cùm non est existens, & tunc docet Oviedo cum recent. Suar. contra Hurtad. & Arriag. non fieri ens rationis, Ratio, quia meræ considerationes prædicatorum non sunt ens rationis.

Dubitari hîc etiam posset an cum dico: Chimæra non existit faciam ens rationis, dicíque potest illic secundùm rationem inadæquatam fieri ens rationis, in quantum scilicet concipio Chimæram, quam nisi conciperem, non possem de illa dicere: Non existit, ita ut illa propositio, secundùm inadæquatam rationem respondentem, subjecto, det esse, enti rationis, licèt auferat illi esse, secundùm aliam rationem inadæquatam, respondentem prædicato: Non existit. Et licèt Chimæræ negatio, detur à parte rei, quam negationem illa propositio importat, quia tamen secundùm rationem inadæquatam, dat esse objectivum Chimæræ, illa propositio; fit ut secundùm inadæquatam rationem, fiat tunc ens rationis; & sicut eadem propositio vel terminus, secundùm inadæquatam rationem non esse; ita potest secundùm inadæquatam rationem repræsentare Chimæram, & ejusdem negationem, seu non existentiam.

Explicant V. Alii communiter, quod ens rationis sit id quod habet esse tantùm objectivè in intellectu. Hæc explicatio cæteris est præferenda, imprimis enim convenit, omni, soli, & semper, deinde quia prædicata, per quæ ab aliis explicatur ens rationis, huc, commodè revocari possunt. Si enim non habet esse nisi objectivè in intellectu, ergo non potest aliquid efficere, nec inexistere potenti efficere, ergo debet habere rationem ejus, quod habet esse tantùm objectivè in intellectu &c.

Cæterum etiam hæc explicatio non satisfacit. Tum quia hoc quod habere esse nonnisi objectivè in intellectu, est quid respectivum ad intellectum adeòque non primum, si possit assignari fundamentum illius talis respectus ad intellectum. Tum quia in ente reali, ratio cognoscibilis non est primò essentialis, daturque prior radix illius cognoscibilitatis, ergo idem inquirendum in explicanda natura entis rationis. Ut ergo tandem explicetur natura entis rationis, *sit*

Punctum Difficultatis 2.

Præmittuntur quædam ad explicandam Naturam Entis rationis.

Præmitto I. *Non esse idem formaliter & absolutè, ens impossibile & ens rationis.* Quamvis possint sub aliqua formalitate in idem recidere. Sicut non est idem formaliter animal & rationale, licèt in idem recidant in homine.

Ratio est. Tum quia diversis formaliter opponuntur. Impossibile enim opponitur possibili, ens autem rationis enti reali, sicut ergo ea quibus opponuntur, ita & illa inter se distinguentur, oppositorum enim eadem est ratio. Tum quia Ly impossibile potest accipi pro genere ad ens rationis, & tanquam ratio superior. Impossibile item si non sumatur pro modo Logico, est oppositum ly *Posse* sive Posse spectetur in causis sive in se ipso, in se ipso enim etiam, dicit impossibile, quòd non possit esse. Jam autem ens rationis, dicit referibile ad ly: nosci. Tum quia retineri debet communis apprehensio, licèt sit illi aliquid addendum, quod ens rationis sit, quod habet esse nonnisi objectivè in intellectu, ratio autem impossibilis non est objectivè tantùm in intellectu, ratio autem impossibilis non est objectivè tantùm in intellectu. Cum hoc tamen stat, ut impossibile in partem venire possit descriptionis, Entis rationis.

Præmitto II. *Non esse formaliter idem ens rationis & negationem.*

Ratio. Tum quia nemine cogitante dantur negationes, v. g. tenebræ, non extendi ulterius &c. Entia autem rationis non dantur nemine cogitante, unde existentiâ negationum licèt abusiva, est, non esse; existentia autem entis rationis, licèt abusiva, non est non esse, sed fingi. Tum quia negatio bis dicta de subjecto, extrahetur à ratione negationis fietque affirmatio, imò id habet etiam impossibile, quod est species negationis: si enim dicam, impossibile est quod hoc sit impossibile, resultat hæc veritas; est hoc possibile. Item si dicam: Petrus non est non homo, resultat conceptus: Petrus est homo. Dixi autem illas repetitiones debere

debere fieri circa aliquod subjectum, quia si negatio vel impossibile prædicetur de se ipso, sine extractione ad aliam veritatem, fiet nonnisi prædicatio identica. Jam autem bis dictum ens rationis, non extrahit unquam à formalitate entis rationis. Tum quia ex communi proloquio, omne ens positivum fundat in se negationes, includitq; quodammodo; & ita v. g. esse hominis, includit negationem in se Leonis, cum tamen nullum positivum includat ens rationis in se.

Præmitto III. *Omne ens rationis est, quid compositum per rationem, compositione non quidem formali semper, semper tamen saltem æquivalenti.*

Ratio. Quia nullum est ens rationis, quod non sit impossibile, si impossibile involvit duo membra, nempe esse & non esse, si enim impossibile involveret solum esse, impossibile non esset, si item involveret solùm non esse, impossibile non esset, quia reincideret in negationes, quæ se ipsis non sunt impossibiles, aut saltem non sunt formaliter quid impossibile. Probat hoc inductio in omni ente rationis, ut in hircocervo & aliis. Ly autem Chimæra est nomen universale impositum ad significandum ut sic, Ens rationis, quod ut sic, non debet importare compositionem, sicut animal non importat compositionem, licèt quæcunque species animalis importet compositionem. Quanquam Chimæra ex primæva institutione supponebat pro Lemuribus, hoc est Diis compositis cum corpore marino, ut quidam dicunt. Sed Calepinus dicit significasse fabulosè bestiam, caput Leonis, ventrem Lupæ & caudam Draconis habentem. Ex quo inferes quod salvari hoc sensu possit dictum illud Alarcon, quod ens rationis sit quid fictum, exprimens aliquid verum.

Noto. Ens Rationis, secundùm quamcunque partem singillatim acceptum, non esse impossibile, sed simpliciter possibile, componiq; ex possibilibus, & ita in Hircocervo partes componentes Hircus & Cervus sunt possibiles, sed identitas illorum impossibilis. Casu autem quo fiat ens Rationis, impossibilitatem possibilitati identificans adhuc partes Entis rationis compositivæ, saltem mediatè sunt possibiles; quia ipsum impossibile, componitur ex Esse & non esse. Singillatim autem hæ partes sumptæ, sunt possibiles. Nam non tantùm verificativum sui habet Ly Deus, sed etiam ly non Deus, omnes enim Creaturæ sunt non Deus. Et tamen impossibile quoddam est, Deus non Deus. Item, Casu, quo duo entia rationis componãtur ut Hircocervus & Leocornix, partium ipsarum partes singillatim acceptæ possibilitatem importabunt.

Cæterum. De illo ente rationis, quod potest fabricari in hac propositione: Non est Deus, notandum id venit. Dupliciter posse intellectum habere circa dictam propositionem. I. Non faciendo ens rationis ullum, ut si dicat; creatura non est Deus, quæ propositio non potest esse ens rationis, cum sit propositio de ente reali, cum prædicato æternæ veritatis, possibilitatem & veritatem illius negationis importante. II. Possum pronunciare, non est Deus faciendo ens rationis, stans in simplici apprehensione, virtualiter composita non existentiæ cum Deitate, hæc enim sola formalisabit rationem entis rationis.

Præmitto IV. *Quod in fabricatione entis rationis duo spectari possint.* I. Conceptus formalis entis rationis, qui est ipsa mentis actio, & hæc est quid reale. II. Ipsum objectum hujus conceptus, quod ipsum rursus dupliciter spectari potest. I. pro ipsa expressione pro ipso verbo mentis, quod verbum mentis, ab actione mentis in nostris principiis re non differt, & hoc verbum mentis adhuc est reale, in ente rationis. II. potest spectari illud ipsum expressum illo verbo mentis, adeoque ut alibi dico, objectum objectivi conceptus, de hocque solo verificatur, quòd habeat esse nonnisi objectivè in intellectu, conceptus enim formalis & Verbum mentis, etiam subjectivè, habent esse, cum vera & physica efficientia, ab intellectu.

Præmitto V. *Sicut in entibus realibus distinximus supra triplicem statum, statum possibilitatis, statum essentiæ, & statum existentiæ, ita in præsenti cum quadam proportione improportionatissima facere possumus* de quo toto ut discurratur distinctius.

Assero I. *Possibilitatem entis rationis extrinsecam stantem in posse fingi, omnino esse realem.*

Ratio. Quia posse fingi accipitur hîc pro potentia fingendi, quæ est quid reale cùm sit ipsemet intellectus, potens fingere, inde tamen non sequitur quod aliqua realitas conveniat enti rationis, æquivocus enim effectus, non est necesse ut participet eandem rationem cum causa, & sicut posse intelligi spiritualiter, non tribuit objecto esse spirituale, sic nec posse fingi, tribuit objecto aliquod esse reale, præcipuè verò, quia causa causat effectum, eo modo, quo ipse est causabilis; nam taxa conditionis existentiæ effectus, non est causa, sed ipsa conditio effectus, non enim ideo effectus est talis, quia causa non potest illum producere nisi talem, sed potius ideo causa non potest effectum producere nisi talem, quia ipse effectus, non est nisi talis producibilis; cùm ergo conditio entis rationis sit talis, ut non nisi objectivum esse possit habere, fit ut nec potentia intellectiva, possit illi dare aliud esse. Et licèt omnis causa realis, tam

quoad entitatem, quàm quoad modum causandi, producat nonnisi effectum realem, causa tamen realis quoad entitatem, intentionalis & fictiva quoad modum, non debet semper producere effectum realem, poteritq; fingere ens rationis, solumq; causa realis in nominativo & genitivo debet producere effectum realem, non autem causa realis, nonnisi in nominativo.

Assero II. *Necessariò dari proportionatam intrinsecam possibilitatem, licet æquivocè dictam entis rationis.*

Ratio. Tum quia pone quòd nihil possit concipi tale, quod nonnisi in conceptu objectivo potest habere esse, non erit possibile ens rationis, ergo posse habere esse nonnisi objectivum in intellectu, erit illa possibilitas intrinseca, æquivocè accipiendo possibilitatem. Tum quia possibilitas rei intrinseca, est connexio prædicatorum essentialium, quod competit etiam enti rationis; est enim illi essentiale, ut habeat disconnexa prædicata, habentia nonnisi esse objectivum. Tum quia datur possibilitas extrinseca entis rationis. Ergò respondere illi debet possibilitas proportionata intrinseca, quomodo enim intellectus dare potest esse nonnisi objectivum in intellectu, si nihil potest habere esse nonnisi objectivum intellectu, hocq; solùm appellatur nomine possibilitas intrinsecæ entis rationis. Hæc tamen possibilitas non confert ullum esse reale enti rationis, quia est possibilitas æquivoca ad eum modum, quo dicimus de dissidentibus, concordes sunt in hoc ut dissideant. Item impossibilitas in hoc consistit non esse possibile, universaliterq; affirmari potest; possibile est, aliquid esse impossibile, alioqui nullum esset impossibile.

Assero III. *Etiam essentiam suo modo competere enti rationis.*

Ratio. Tum quia habet suam definitionem. Tum quia quærimus de hoc vel illo, an illud sit ens rationis, quæ quæstio institui non posset, si nullam haberet essentiam ens rationis. Tum quia dantur etiam de ente rationis propositiones æternæ veritatis, habentesq; veritatem non fictam, benè enim dico & sine fictione, quod habet esse nonnisi fictum, est ens rationis. In idem recedit doctrina illorum qui docent in hac propositione: Chimæra est impossibilis duo contineri Chimæram & ejus impossibilitatem, ejus impossibilitas non est quid fictum, esse autem Chimæram est quid fictum. Vide Arriag. Sect. 4. de ente Rat. n. 47.

Assero IV. *Existentiam entis rationis dupliciter spectari posse* proportionaliter ad dicta superius de existentiâ. I. Intrinsecè secundùm quod dicit in esse actu. II. Extrinsecè, secundùm quod dicit esse extra causas, secundùm quod dicit esse actu. Ens rationis sic sumptum, nihil aliud erit, nisi ipsum illud esse, tantùm objectivum actu habitum, secundùm quod autem dicet ipsum illud esse extra causas, sic sumptum Ens rationis est, quod habet esse tantùm objectivum, h. e. in quantùm jam est extra potentiam fingentem, objicientem &c.

Assero V. *Ante actuale esse existentiale ut ita dicam entis rationis, præcedit esse existentiale, potentiale*, ut ita dicam.

Ratio. Supponamus Petrum primò fingere ens tationis, quo posito sic urgetur. Vel erat id ens rationis antequam primò fingeretur vel non erat, si erat, ergò primò fictum non est, deberetque esse æternum, quia non esset ratio, cur non esset prius semper, se primò ut supponitur ficto; si autem non erat, quæro vel supponebatur posse fingi vel non, si non supponebatur ante fictionem posse fingi, ergò fingi actu non potuit, quia quod non potest fingi actu, non fingitur actu, si supponebatur posse fingi, habetur intentum, hoc enim solum hîc intelligitur.

Dices. Cum Ovied. Quamvis unio possit intelligi ut potens esse seu ut possibilis, ex eo tamen nemo dicit, non esse de essentia unionis actu unire. Ergo nec ex eo quòd possit intelligi ens rationis potens cognosci, sequitur essentiam illius non esse, actu cognosci.

Respondetur. Esse essentiam unionis actu unire si existat, sed non esse essentiam illius actu unire, quasi non sit in statu possibilitatis adu niri, & quasi semper exercere debeat actum uniendi, ergo idem in præsenti etiam dicendum. His præmissis sit.

Punctum Difficultatis 3.

Decidit ur ie Difficultate.

Dicendum est. *Quod ens rationis sit ens dicens disconnexionem prædicatorum in quantum illa est radix essendi tantum objectivè in intellectu. Dicitur ens rationis, ens*, quia aliàs diximus posse ens, in tam lata significatione accipi, ut extendatur etiam ad entia rationis. *Est autem ens dicens disconnexionem prædicatorum* ut ostendatur, quòd pro generica ratione dicat rationem impossibilis, ipsum autem Ly Impossibile non ponitur pro Genere Entis Rationis, quia erat necesse, potius Ly ens pro Genere ponere, ob expresse, rationem Entis, in his ipsis terminis Ens Rationis positam, & sicut rectè definitur Ly Homo aliquis per Hominem individuum quia ipsum Ly: Homo aliquis importat Hominem, ita & Ens rationis debuit definiri per Ens, quia Ens rationis, in ipso suo nomine importat Ens. *Est autem illa disconnexio radix*, ut ponatur, pro illius differen-

differentiali aliquid absolutum, nam præcisa, ut dixi supra, ratio habentis nonisi esse objectivum, est ratio respectiva. *Est autem radix essendi* & non existendi, quia essentia prior est existentia, conceptus autem definitivus debet procedere per prima. *Est autem radix essendi tantum objectivè in intellectu*, ut condistinguatur ab impossibilibus, quæ dantur etiam extra intellectum. *Ut id melius explanetur*

NOTO hîc aliquas distinctiones propositionum v. g. I. Ens habet esse in intellectu tantùm objectivum, hæc propositio non explicat naturam entis rationis, quia de facto lapis cognitus, non habet aliud esse in intellectu, quàm objectivum, neque tamen lapis cognitus, est ens rationis. II. Ens habet esse objectivum tantùm in intellectu, hæc etiam propositio non explicat naturam entis rationis, quia convenit etiam entibus realibus, nam res spirituales, non habent esse objectivum nisi in intellectu, hic enim solus res spirituales agnoscit, & tamen res spirituales qua tales, non sunt Ens rationis. III. Ens rationis est id, quod habet esse tantùm objectivum in intellectu: Ly tantùm potiùs cum esse construendo, quod scilicet sit talis natura, ut nullum illi esse competat, nisi quod est objectivum in intellectu.

Quæres, an saltem similitudo duorum entium rationis sit realis, hoc ex alibi dictis solvi debet, physicè enim spectata illa ratio non est realis, cùm sic spectata, sit ipsa extrema, quæ non sunt realia, sed entia rationis. Metaphysicè autem spectata illa relatio, est formalitas, sed exilla nihil ad realitatem, argui potest.

DIFFICULTAS II.

An detur Ens Rationis?

NOn est quæstio de hoc an dari possit à parte rei ens rationis, sed an possit fabricare intellectus noster ens rationis, quale jam descriptum est. Negat Durand. Valesius, Mirandulanus. Communis sententia affirmat.

DICENDUM est. *Fabricari posse Ens rationis.*

PROBATUR I. Qui negat ens rationis vel cognoscit id quod negat, posse ab intellectu fabricari, vel non cognoscit, si cognoscit ergò illud fabricat, quia illi dat tantùm esse objectivum in intellectu, si autem illud non cognoscit, quid negat?

RESPONDEBIS. In probabili sententia Deus cognoscit entia rationis, nec tamen facit, ergò probabile est cognoscentes entia rationis, non hoc ipso ipsa facere. Deinde cum dico ne quidem concipi potest, quod uno eodemq; actu idem affirmetur, & simul sit negatio affirmationis, numquidne sequetur cognosci jam id, quod est affirmatio, esse negationem affirmationis, ita etiam negare quod possit formari ens rationis, non est formare ens rationis.

CONTRA est. Tum quia nego, hoc ipso, non facere Deum ens rationis. Tum quia quando nego posse concipi ut affirmatio sit negatio, nego id posse concipi, conceptibilitate debita entibus realibus, sed non nego, posse id concipi conceptibilitate indebita.

RESPONDEBIS II. Quando dico incognoscibile non potest cognosci, vel cognoscitur, quod negatur vel non? si cognoscitur inconceptibile non est. Si non cognoscitur, quomodo de illo negatur, quod nosci non possit.

CONTRA. Incognoscibile etiam nunc cognosco, sed quod illic non cognosco, est ipsum materiale, & quod latet sub illo incognoscibili, cocognoscibile autẽ, nonisi in ipso incognoscibili.

RESPONDETUR III. Quando dicitur: Nego impossibile cognosci, ly nego impossibile cognosci duplicem habet sensum: I. ut propositio hæc mea, negãs impossibile cognosci, sit reflexa supra aliquod judicium falsum de rebus possibilibus, & hæc propositio hoc sensu est vera. Deinde potest habere sensum, quòd propositio negans, sit actus directus, habent pro objecto aliquid implicatorum, & hæc propositio hoc sensu est falsa, adeoq; falsum erit, quòd possit concipi impossibile per modum possibilis. Quod ipsum alia distinctione exprimitur. Nego impossibile cognosci, ita ut mea hæc propositio negans, faciat sensum *primò* intentionalem, licet faciat sensum *secundò* intentionalem, hoc est, quod tunc habeatur pro objecto, ipsum illud judicium.

CONTRA. Tum quia quando nego impossibile cognosci, licet possim pro objecto habere ipsum meum judicium, cur non possum habere pro objecto objectum ipsum implicatorium? cur item illa propositio non habebit sensum primò intentionalem? Tum quia non tantùm experior me dicere habeo judicium falsum, sed etiam experior me apprehendere ipsum impossibile seu involvens contradictoria. Tum quia illius judicii (de quo infra) essentialiter falsi debet haberi objectum, quod jam non erit reale quia esset verum, ergò illius judicii objectum debet esse non reale, seu impossibile quod intenditur.

PROBATUR II. Ens rationis est illud quod habet esse tantùm objectivè in intellectu. Sed multa sunt talia ut hircocervus, Leomus &c. similia.

RESPONDEBIS. Hoc argumentum procedere à definitione ad definitum, sed qui negat definitum, negabit & definitionem, ad eum modum quo dum aliquis negat Angelum corporeum, negabit & definitionem Angeli corporei.

CONTRA. Falsum est quod qui negaret Angelum corporeum, negaturus sit definitionem Angeli corporei hypotheticam, sub conditione impos-

impossibili, ad eum modum quo qui negat infinitum, non negat definitionem hypotheticam infiniti, imò ex ea arguitur impossibilitas infiniti. Et certè is qui negat Angelum corporeum debet scire quid negea, prius saltem natura noscendo quid sit negaturus priusquam neget, quod si scit quid sit negaturus, debet illius conceptum legitimum sibi formare. Quod si formet sibi conceptum legitimum entis rationis, hoc ipso illud formabit.

Probatur III. argumento negativo. Non implicat contradictionem posse formari ens rationis. Quod si non implicat illud formari, poterit ab intellectu formari.

Respondebis. Non implicare quidem contradictionem ut formetur ens rationis sed nesciri modum ejus formandi, consequenter nesciri, quòd de facto concipiatur, ad eum planè modum quo asserit aliquis posse Angelum transire ab extremo ad extremum sine medio, licèt non intelligatur modus hujus transitus, idemq; contingit in aliis materiis, præcipuè verò in mysterio Trinitatis & Incarnationis.

Contra. Tum quia qui novit definitionem entis rationis, hoc ipso novit modum ejus formandi, nempe ut sibi objiciat objectum, quod habet esse, tantùm objectivum in intellectu. Tum quia simili jure dicerem præcisiones formales vel objectivas esse possibiles, nesciri tamen modum earundum formandarum. Tum quia quando modus faciendi non innectitur ipsi deliberationi de modo faciendi, tunc nescitur faciendi modus, hic autem deliberationi de modo faciendi, id quod esse habet tantùm objectivum in intellectu innectitur hic modus, nempe præsentatio objecti, quod habet esse, tantùm objectivum in intellectu.

Objicitur I. Hircocervus ut sit ens rationis debet apprehendi per modum unius, vel simplici apprehensione, vel via enunciativa, quod neutrum fieri potest, quia vel sciet impossibile hoc esse vel non sciet. si nesciet, non plus faciet quàm is, qui enuntiat aliquid, quod non est verum, si sciet hoc esse impossibile, extrinsecus quidem dicet hircum esse cervum, sed interius nunquam id dicere poterit, intellectus enim qui est potentia necessaria, nunquam potest assentiri falso.

Respondetur ad hoc, ut fiat ens rationis ex objecto, sufficit concipi id, quod habet esse tantùm objectivum in intellectu, ut autem etiam ex parte subjecti fiat ens rationis, debet judicare, esse illud objectum Impossibile, sed non impossibile, ut habeat esse tantùm, objectivum in intellectu, licèt impossibile judicet, ut illud objectum habeat esse aliud: hinc identitati illi hirci & cervi assentietur tanquam habeat esse tantùm objectivum in intellectu. Sed non assentietur tanquam alicui objecto reali.

Objicitur II. Quando dico homo est lapis, vel dico tantùm homo, identitas lapis, vel affirmo hominem esse identificatum lapidi, Si primum, ergò sensus illius dicti erit, homo homo, identitas identitas, lapis lapis consequenter nihil erit in illa propositione quod chimæricum sit, nec erit affirmatio ulla, sed mera terminorum congeries. Quod si dictæ propositionis sensus sit: homo dicit identitatem cum lapide. Contra est. Quia nihil hîc erit impossibile non homo, non lapis, non etiam identitas, quia hæc identitas est conjunctio facta per intellectum, quæ non est impossibilis, sed de facto datur.

Respondetur. Identitatem prædictam duplicem esse, I. acceptam pro actu intellectûs conjungente illa duo & hæc est possibilis, eamq; solam evincit objectio. II. Identitas est objectiva, & hæc est chimærica.

Instabis. Si huic propositioni homo est lapis, respondet objectiva identitas ficta, illa affirmatio esset vera, consequenter nec faceret ens rationis. Sequel. probatur. Quia affirmaretur dari unio & identitas ficta inter hominem & lapidem, verum autem est esse illic identitatem fictam.

Respondetur. Negand. Sequel. cum sua probatione, quia illius propositionis homo est lapis, non est sensus, homo dicit identitatem fictam cum lapide, sed sensus est quod dicat identitatem simpliciter, quæ tamen non est, nisi ficta per intellectum in hocq; stat formalitas, entis rationis.

Objicitur III. Impossibile est intellectum determinari ad duo contradictoria. Sed si intellectus concipiat homo est lapis determinabitur ad duo contradictoria.

Respondetur. Non posse intellectum determinari ad duo contradictoria per assensum utrique, sed posse per apprehensionem utriusque. Hunc qui scit hominem non esse lapidem, non potest affirmare hominem esse lapidem, per secundam operationem, potest tamen apprehendere per primam. Quanquam dici etiam potest quòd sicut datur locus duobus fictis contradictoriis quasi vera essent, sic potest dari etiam locus fictæ determinationi ad duo contradictoria, licèt non detur locus determinationi veræ.

Objicitur IV. Nihil est intelligibile nisi sit reale, ens rationis non est reale aliquid, ergò nec est intelligibile, nec dari poterit. Major probatur. Quia omne intelligibile prius est quàm intelligatur.

Respondetur. Id quod assumitur, verum est de intelligibili speculativo, non de practico, vel ad maximum verum est de intelligibili reali, non autem ficto, seu de intelligibili quod ipsum fit per rationem. Quanquam radix ipsa esse tantùm objectivi in intellectu, ex dictis, reperibilis in ente rationis, potest dici prior præesse ipsius actuali.

Objici-

Objicitur V. Assumendo hoc principium, quia concurrentia ad ens rationis non sunt ens rationis. *Exquibus*

Primum est Principium, quod fit à causa reali; Ens rationis fit à causa reali. Ergò.

Respondetur. Missis aliorum variis responsionibus, quòd ens rationis secundùm id quod importat cognitionem se repræsentantem sit quid reale, non autem secundùm id quod repræsentatur. Ne autem id quod sit reale, quamvis illam repræsentationem faciat causa realis, hoc obest, quia tunc causa realis, ponit effectum realem, quando operatur modo suæ realitati proportionato, secus si non tali modo operetur. Et sicut dum aliquid facit causa spiritualis non est necesse, ut sit semper spirituale, ita nec erit necesse reale esse semper, quod faciet causa realis, præcipuè causa quæ est principium intentionum, quæ se possunt extendere etiam ad non realia. Hoc quod facit reale illa causa realis, est ipsa repræsentatio, seu verbum mentis, hæcq; sola repræsentatio, propriè fit.

II. Principium. Ordo realis arguit extrema realia, est autem ordo realis inter cognitionem & ens rationis.

Respondetur. Est ordo realis, & habitudo, privationis ad subjectum capax, nec tamen privatio, est quid reale. Quod si dicas importationem alicujus realis, per modum connotati, non arguere utriusque extremi realitatem, idem in præsenti dicam. Item, est ordo realis cognitionis noscentis nihil ad nihil, & tamen nihil, non est quid reale. Quodsi dicas hunc ordinem esse de linea intentionali, qui potest haberi realis etiam ad non Est; idem in præsenti dici poterit. Dici etiam potest ordinem ad maximum realem prædicamentalem, exigere extrema realia, non autem ordinem transcendentalem, qualis est Notitiæ entis rationis, ad ens rationis.

III. Principium. Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, ens autem rationis non fuit in sensu.

Respondetur. Nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu vel in se vel in aliquo sui, hoc est, specie deservitura ad ejusdem repræsentationem, deserviunt autem sub sensum cadentia ad entis rationis repræsentationem, fabricationem &c. Concedo tantùm esse in ente rationis, quantum in eo cognoscitur, vel quantum directè vel reflexè cognosci potest; ratio autem ficti saltem reflexè potest illic nosci, & quando componitur ens rationis, partes quidem illius secundùm se spectatæ sunt reales, sed non sunt reales, prout componentes, importantesq; unionem seu identitatem.

Objicitur VI. Non potest concipi ex parte objecti tam impossibile positivum v. g. identitas hominis & cervi, quàm impossibile negativum v. g. negatio Dei. Ergò nec potest formari ens rationis. Antecedens probatur, quia cum tu concipis identitatem inter equum & hominem, vel concipis aliquid distinctum ab equo & homine, & sic non concipis identitatem, quia hæc nihil addit supra id cujus est identitas, vel concipis ut nihil distinctum, & sic non concipis identitatem, sed potius distinctionem, siquidem distinctio nihil aliud est, quàm ipsæ duæ entitates distinctæ.

Respondetur. Neg. Antecedens, concipiendoq; illam identitatem non concipio quid distinctum ab equo & homine simul sumptis, licèt concipiam quid distinctum ab homine singillatim. & equo singillatim sumpto.

Objicitur VII. Omne intelligibile objectum est ens reale, ens rationis non est ens reale. Ergò. Major probatur. Illud est ens reale, quod habet aliquod esse independenter à cognitione. Sed omne intelligibile, habet aliquod esse independenter à cognitione. Ergò. Major probatur, quia id quod est independenter, à cognitione jam non habet, esse tantùm objectivè. Minor autem probatur, quia omne intelligibile antecedit cognitionem suam, sicut omne producibile antecedit productionem. Et ratio est, quia prius est posse cognosci, quod significat intelligibile, quàm actu cognosci.

Respondetur. Omne intelligibile antecedit cognitionem suam, non quoad esse suum actuale, sed antecedit vel quoad esse actuale, vel quod suum originativum & quod aliud imitatur; Ens autem rationis imitatur Entia realia. Unde si non esset intelligibile hircus & non esset intelligibile cervus, non esset hircocervus, quæ duo simul imitatur hircocervus, importando realem identitatem ipsius hirci & cervi. Comoda est & illa responsio quòd scilicet intelligibile cognitione speculativâ antecedat cognitionem, non autem intelligibile cognitione practica.

Instat I. Quod est intelligibile cognitione practica, est tale ab æterno, & tamen non est ab æterno ejus cognitio practica, ergò etiam intelligibile cognitione practica, præcedet suam cognitionem practicam.

Respondetur. Sicut illud intelligibile practicum ab æterno est, ita & cognitio practica possibilis ab æterno est, habetq; talem suam essentiam, ut dicat se non antecedere sui cognitionem, adeoq; in sua essentia involvendo fieri abilla; ita etiam & ens rationis, in sua essentia, ab æterno, involvit habere non nisi esse objectivum in intellectu, adeoq; involvit fictionem sui.

Instat II. Debet per nos concedi quod ens rationis, habeat essentiam & quidem necessariam, immutabilem, æternam, ergò ens rationis habet essentiam realem, quandoquidem esse æternum, & nec essarium est reale, utpote habens suum esse independenter à cognitione fingente, quæ est in tempore, habebitq; existentiam suam realem,

tealem, siquidem essentia & existentia, non distinguntur realiter.

Respondetur. Ens rationis habere suam essentiam, sed tantùm in disconnexione prædicatorum, quibus connexio, non possit, nisi ab intellectu, dari, convenitq; hoc illi, non ex libertate sed necessariò, non contingenter sed immutabiliter; immutabile est enim, quòd non possit habere esse nisi objectivè, incipitq; hæc existentia non in tempore suo ab æterno, sed quia dicit disconnexionem prædicatorum, non erit hæc illius essentia realis, cum in suo esse involvat cognitionem possibilem fingentem; nec habebit existentiam suam realem, quia nec habet essentiam realem; sed sicut in sua essentia exigit fingi, ita & in sua existentia, pendebit à fictione.

Instat III. Omnis notitia causatur realiter ab objecto tanquam à causa, nulla autem Chimæra potest esse causa vera.

Respondetur. In communibus principiis: Objectum causat realiter notitiam, ratione specierum impressarum, si objectum in notitiam per se ipsum non influat. Species autem inveniuntur etiam in fabricatione entis rationis, terminativus autem concursus, cum non involvat efficientiam realem, potest competere etiam iis, quæ non sunt ens reale. Quanquam si non admittatur concursus effectivus specierum in notitias, ipsum Antecedens indigeret explicari.

QUÆSTIO II.

De Causis entis rationis.

VNiversalissima divisione duplex causa entis rationis cogitari potest creata & increata. De utraque inquirendum est.

DIFFICULTAS I.

De Causa Creata Entis Rationis.

ASSERO I. *Sensus externos non facere ens rationis.* Est conclusio plurium contra Arriag.

Ratio. Tum quia sensus non attingunt nisi sensibile, sicut intellectus intelligibile. Ens rationis autem, non est quid sensibile, sensibile enim debet esse aliquid reale, puta color, sonus &c. Tum quia quomodo faciant sensus Ens rationis explicari non potest, nullaq; necessitas & fundamentum tribuendi illis hanc virtutem. Tum quia quæcunque ratio probat, quòd universale non fiat per sensus, eadem probabit quòd nec ens rationis fiat per sensus.

Dices I. Cum Arriag. Casu quo uni loco alligatum unum colorem, per species alias, alibi intuerer, ut fit in speculo & tamen impossibilis esset visio illius objecti in illo loco, verè tunc faceret sensus ens rationis. Quia videret objectum non reale, & quod nullum habet esse, præter objectivum in potentia vitiva.

Respondet Oviedo. Colorem qui sit ejusdem speciei, & tamen alligatum certo loco, non posse à Deo creari, ex se enim est indifferens, ad esse in hoc vel illo spatio. Quod si tamen decreto Dei alligaretur uni loco, non esset simpliciter impossibilis, hinc oculus illum videns, non haberet objectum simpliciter impossibile. Quod si Deus crearet colorem distinctum specie & non ejusdem rationis cum coloribus, qui nunc dantur, non spectaret ad potentiam hujus ordinis, adeoq; ab illa videri non posset. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Cur enim colorem etiam distinctum specie, à præsentibus, non posset præsens videre oculus. Deinde sicut ponibilis est color distinctus specie, alligaturq; uni loco, ita ponibilis est potentia perceptiva illius coloris, & de hoc quæro, cum possit videre illum colorem per alias species ut fit in speculo, cur tunc non videat ens rationis.

Respondet aliter recent. Suar. quòd colorem essentialiter alligatum uni loco, non possit videre in alio loco oculus. Rationem dat, quia illum nec per proprias, nec per alienas species videre potest. Non per alienas, quia oculus abstractivè non cognoscit, non etiam per species proprias, quia illæ cum objecto, sunt alligatæ nonnisi uni loco. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia non implicat species transferri in alium locum.

Respondetur aliter. Oculum non facturum tunc ens rationis; sed quæ est ratio cur apparens nonnisi objectum videri possit, eadem tunc reddi poterit, & sicut, dum nonnisi apparens aliquid videtur, referri id debet in species, medium, potentiæ affectionem, ita in eadem principia referri debet, quare color alligatus uni loco, videri possit alibi. Addo hoc argumentum non esse evolutum, si enim impossibile est objectum in alio loco videri, qui supponi potest quod videatur, ad eum modum, quo si impossibile est concipere Intellectum, id quod habet esse, tantùm objectivum in intellectu, qui supponi posset, nosci illud.

Dices II. Impossibile potest intelligi per species alienas, ergò & videri v. g. tenebræ per species nigredinis.

Respondetur. Casu quo intellectus intelligat per species alienas, non extrahẽdum illum extra suam speciem, secùs si oculus videret tenebras. Et certè intellectus habet vim naturalem noscendi per species alienas, oculus autem non habet vim noscendi non coloratum, verè autem illæ tenebræ non essent coloratæ, quodsi non essent coloratæ, non illæ viderentur, si non illæ viderentur,

derentur, non videretur quidquam quod esset impossibile.

Assero 2. *Etiam Phantasiam, non posse facere ens rationis.* Est assertum contra Suar. & Arriag.

Ratio. Quia etiam illa non percipit plus, quàm percipiant sensus externi, nec ad aliud se extendit, quàm ad sensibilia. Ens autem rationis non est sensibile. Quod ipsum sic aliter proponitur. Si sensus communis, phantasia, &c. faceret ens rationis, & haberet objectum idem collectim quod sensus particulares & non haberet, haberet quidem ut supponitur, non haberet autem, quia extenderetur etiam ad id, quod non percipitur sensu, nempe ad ens rationis.

Dices 1. Sensus internus habet vim comparandi objecta specie distincta, apprehendereq; potest hircum tanquam cervum. Ergo potest facere tam benè ens rationis, quàm intellectus, dum componit hircum cum cervo.

Respondetur. Sensum internum habere vim noscendi speciem externam hirci & cervi, compositio autem ejus externa non facit ens rationis, sed est possibilis.

Dices 2. cum Arriag. Demus aliquod objectum, quod nec divinitus potest esse nisi in hoc loco, nihilominus phantasia potest illud imaginari in alio loco.

Respondetur. Imaginationem solum efformaturam sibi speciem externam illius rei, conjunctam cum sensibilibus illius loci; jam autem ad rationem entis rationis, non sufficit unio externorum speciei, aliàs pingeretur etiam ens rationis, inveniretur que in monstris. Consulatur Pontius hanc objectionem solvens.

Dices 3. Fallitur canis, umbrâ hominis, & si tunc percutiatur occultè ab altero, putabit se percussum ab illa umbra hominis, hinc umbram illam allatrabit & refugiet. Ergo conjungit ille canis duo impossibilia.

Respondetur. Eo casu non imaginari canem quòd sit illic umbra, sed quod sit homo, nec imaginatur identificationem illorum duorum, quod tamen requiritur ad rationem entis rationis. An autem negationes cognoscat sensus, de hoc aliàs actum.

Assero 3. *Per secundam & tertiam operationem non posse ens rationis fieri ab illis, qui tenent oppositum.*

Ratio. Quia impossibile est fieri secundâ & tertiâ operationem, sine proportionato assensu & dissensu, nullo enim distingueretur à prima operatione, consequenter nec potest fieri per illas ens rationis, sine assensu vel dissensu. Sed si oppositum constat, non potest fieri assensus vel dissensus, intellectus enim est potentia necessaria, ergo nec fieri eo casu, per illas operationes ens rationis.

Assero 4. *Per primam operationem posse fieri ens rationis, etiam ab illis qui oppositum sciunt.*

Ratio. Quia ex una parte habetur in intellectu vis apprehendendi oppositum ei quod scitur, ex alia parte non repugnat etiam identitatem horum concipi, ut dictum supra, Ergo verè tunc fiet ens rationis.

Assero 5. *Quamvis voluntas possit ferri in impossibile conditionatè, hoc tamen ferri ipsius, non est propria & rigorosa datio esse, enti rationis.* Prima pars asserti aliunde supponitur, statque pro illa experientia, aliàs nunquam possemus dicere: vellem non peccasse, vellem amare Deum amore infinito &c. Secunda pars asserti sic

Probatur. Si fieret ens rationis à voluntate, fieret ex eo, quia aliquid impossibile, haberet in voluntate, esse tantùm voliti. Sed per hoc non fieret ens rationis, quod ipsum probatur, quia si esse nonnisi voliti, daret voluntas, vel daret esse nonnisi voliti in actu primo, seu potius volibilis, & hoc non, quia hoc habet ex sua entitate ficta, prout proposita ab intellectu, sicut & alia, rationem volibilis in actu primo, desumunt ab ipsamet entitate. Non dat etiam esse voliti in actu secundo, quia in hoc esse voliti, est actus volitionis, qui est quid reale, est etiam objectum, circa quod versatur volitio, cui Esse, non dat voluntas, sed supponit datum ab intellectu, ergo non dat volitio, esse voliti Chimæræ.

Quod ipsum ulterius in hoc principium resolvitur, quia voluntas dat esse objecto, sed trahitur ab objecto, cùm tamen esse, possit tribuere enti rationis, intellectus; quia voluntas ex suo modo tendendi trahitur, non dat esse: & sicut esse visi, dextri, nullum dant esse, sed supponunt circa quod versantur vel illud circumstantionant, ita & esse voliti, non dat esse.

DIFFICULTAS II.

De Causa increata Entis Rationis.

Sensus tituli est: An Deus faciat ens rationis, qua in re divisi sunt auctores, aliqui dicunt Deum nec cognoscere, nec facere etiam indirectè ens rationis. Ita Vasq. & Alarcon. Alii censent Deum cognoscere entia rationis, sed non facere. Ita Herize, Ruiz & alii: Alii docent Deum & cognoscere & facere directè entia rationis. Ita Fonseca Molin. & Ovied. Nomine indirectè facti entis rationis, intelligunt cognitionem, cognitionis, facientis ens rationis; nomine autem directè facti entis rationis, intelligitur, si illi detur esse, independenter ab omni intellectu creato. Si quis assumeret non posse

fieri ens rationis nisi per judicium falsum, indubiè sequeretur à Deo illud non posse fieri, quia implicat eum facere judicium falsum, sed nego aliter illud non posse fieri. Ut tota difficultas perstringatur.

Assero 1. *Deum cognoscere entia rationis à nobis facta.*

Ratio 1. Quia vel scit Deus omnem cognitionem, quam habeo, vel non scit; si non scit, omniscius non est; si non scit, & est omniscius, deberet nescire, ex eo, quia objectum scibile non est, est autem scibile ens rationis, quia aliàs nec ab intellectu creato sciri posset: si autem scit me facere ens rationis, ergo debet cognoscere & ipsum ens rationis, quia ad illud, cognitio, dicit ordinem transcendentalem.

Ratio 2. Ex Pontio. Quia si non cognosceret Deus ens rationis, non posset de aliqua propositione judicare, quòd esset vera, quia non posset judicare, an sit conformis objecto: Si objectum ipsum non noscit, consequenter nec posset judicare; an sit verum, Chimæram esse impossibilem, si non noscit chimæram.

Ratio 3. Ex absurdis. Quia Deus interrogatus, de quo cogitet homo, casu quo cogitet ens rationis, deberet respondere nescio. Cum item in multis occasionibus blasphemiæ committantur cum entibus rationis, puniens pro illis Deus, puniret pro eo, quod nesciret. Unde cùm Deus cognoscat meam cognitionem, quæ repræsentat non solùm extrema realia componentia ens rationis, sed & ipsam identitatem illorum, etiam hanc omniscius intellectus noscere debet. *Ad solvendas objectiones*

Noto. Deum cognoscentem entia rationis à nobis facta, non daturum extremis componentibus identitatem veram, sed tantùm pro statu fictionis, cognosceret illa extrema, sibi identificari fictè. Unde Deus non fingeret tunc propriè, quia fingere, propriè est dicere aliter, quàm in mente habeas, sed fingeret abusivè, in quantùm fingere, supponit pro dare esse tantùm objectivum; ita tamen ut in Deum non cadat fingere entia rationis ex necessitate, quàm importat imperfectus modus noster cognoscendi, nec ex deceptione erronea; sed ex titulo noscendi, quæ à creatura noscuntur.

Assero 2. *Quando cognoscit Deus cognitiones nostras, quæ faciunt ens rationis, & ex consequenti quando cognoscit ipsa entia rationis à nobis facta, & ipse facit ens rationis indirectè, ut vocant.*

Ratio 1. Asserti est. Quia cognoscens entia rationis à nobis facta, vel dat illis esse objectivum tantùm, vel non dat. Si dat illis esse tantùm objectivum, ergo illa facit, quia facere entia rationis, est dare illis esse tantùm objectivum, quòd solùm illis convenit; si autem non dat illis esse objectivum, ergo illa non cognoscit, quia cognoscere tantum esse objectivum, nihil aliud est, quàm dare objecto, esse tantùm objectivum.

Ratio 2. Quia si Deus cognoscens entia rationis à nobis facta, non faceret ens rationis indirectè ut dicunt, hoc ideò esset, quia daret illis non esse, judicando scilicet eodem actu rem non ita se habere, ut à nostro intellectu concipitur. Sed hoc non obstat, quia adhuc illis dat Deus esse tantùm objectivum, quod ipsum probatur. Quia non potest negare quòd aliquid se ita, vel ita habeat, quin illi det esse, quod negat. Hinc, si sit esse tantùm objectivum, etiam hoc dare debet, negareque quòd illud esse, sit esse verum, simileque quid contingit, cum dat Deus esse cogniti negationibus, quas attingit.

Ratio 3. Desumitur ex dictis supra. Quando ego dico me non posse facere ens rationis, do esse tantùm objectivum enti rationis, ergo etiam cùm Deus negat esse, entibus rationis à nobis factis, hoc ipso debet illis dare, esse tantùm objectivum. Et certè priùs est ratione noscere, quid sis negaturus, vel cui sis esse negaturus, quàm negare, aliàs nescires cui aliquid negares, ergo & Deus debet scire, dareque esse illi in suo intellectu, cui debet negare esse verum. Hoc autem esse entis rationis, est esse tantùm objectivum. Et sicut, dum ego dico, chimæra non est possibilis, non do esse chimæræ, facio tamen ens rationis, ita faceret & Deus.

Est quidem verum, quòd quando ego dico: non cognosco Paulum, non sequitur, quod hoc ipso illum cognoscam, ut suppono cognitione clara & germana, quia ad hoc non sufficit habere qualem qualem conceptum objectivum Pauli, sed est necesse, esse reale Pauli, habere cognitum, ad hoc autem ut fiat ens rationis, non est plus necessarium, quàm dare illi esse objectivum, extra quod esse objectivum, nullum habet nec habere potest esse. Denique congnoscendo Deus meam cognitionem, tribuit esse illi cognitioni in suo intellectu, ergo & ei, quod repræsentat, idque propter essentialem cum objecto connexionem, jam autem id quod repræsentat, est quod habet esse tantùm objectivè in intellectu.

Dices. Sequitur posità veritate asserti, non posse à nobis fieri entia rationis, quia impossibile est à nobis fieri ens rationis, quod jam factum manet, nihil enim fit, quod jam factum est. Sed si Deus agnoscendo entia rationis à nobis facta, facit ens rationis, omne ens rationis, antequam fiat à nobis, jam factum maneret ab æternitate à Deo, ab æterno noscente cogitationes nostras, factivas entis rationis.

Respondetur. Imprimis argumentum multum probare, quia probaret etiam cognitionem nullam, posse nos habere, essent enim jam factæ, utpote præcognitæ à Deo. Deinde

de cùm Deus faciat ens rationis, nonnisi ex suppositione nostræ factionis, hoc ipso debet supponi, factio illius à nobis. Denique nego sequel. probatio illius distinguitur. Impossibile est fieri ens rationis à nobis, quod manet factum à nobis. Conced. Impossibile est fieri à nobis ens rationis, quod factum est ab alio. Subdistinguo: Impossibile est fieri idem omninò, & eadem cognitione qua factum est ab alio conced. diverso modo, diversa cognitione, nego. Diversa autem cognitione nos fabricamus Ens rationis, à cognitione, quâ Deus cognoscit Ens rationis.

Noto. Quod Deus sua cognitione neget esse reale entibus rationis, sed non negat esse tantùm objectivum; & licet cognoscens amorem vitiosum, non hoc ipso amet, quia amare non est dare objectivum amori, sed facere ens rationis, non aliud est quam dare illi esse objectivum, quod re, est tantùm objectivè in intellectu

Assero 3. *Deum directè & independenter à nostris conceptibus facere aliqua entia rationis.*

Ratio 1. Asserti est. Independenter ab omni nostra cogitatione, vel scit Pater æternus Personam suam non esse Personam Filii vel non, si nescit, ergò intrinseca sua non novit, si scit non esse identitatem inter suam Personam, & Personam Filii, quæro, an sciat quid esset illa identitas, vel non sciat? si non scit, ergo non scit quid neget negando identitatem, si autem scit, ergo cognoscit illam identitatem, sed illa identitas non est nisi ens rationis, ergo cognoscit illud ens rationis, ergo tribuit illi esse objectivum, sed illud esse, est esse tantùm objectivè, ergo tribuit illi esse requisitum ad ens rationis, adeoque facit ens rationis.

Ratio 2. Est communis, quia Deus videt repugnantiam hircocervi independenter à nostro intellectu, non potest autem cognoscere repugnantiam, seu negationem hircocervi, quin cognoscat hircocervum.

Ratio 3. Omnis possibilis noscendi modus, non involvens imperfectionem, Deo est tribuendus. Nulla autem imperfectio est, si Deus faciat ens rationis affirmativum, dicendo, Chimæram potest concipere intellectus humanus; vel si faciat ens rationis negativum v.g. Chimæra non est possibilis. *Ad solvenda quæ in contra possent objici.*

Noto 1. Si Pater potest dicere, mea Persona est diversa, à Persona Filii, poterit etiam indubiè negativè dicere: mea Persona non habet identitatem cum Persona Filii, consequenter (ut dictum) noscit, quid sit illa identitas, facit autem dictum ens rationis, non virtualiter tantùm sed & formaliter, quia negationem identitatis, noscit in illa ipsa.

Noto 2. Quòd concedamus negationem Leonis rationalis, cognosci à Deo in omnipotentia, in qua videt non contineri Leonem rationalem, sed cur non poterit dicere absolutè, hircocervus est impossibilis, adeoque noscere impossibilitatem illius, non virtualiter, sed formaliter.

Noto 3. Quòd non possit quidquam cognoscere Divinus intellectus, quin cognoscat, consequenter quin det esse objectivum prædicatis cognitis, consequenter etiam prædicatis entis rationis, quæ prædicata Entis rationis, non tantùm neganter cognoscit Deus, quod ipsum sufficeret, ut dixi ad ens rationis, sed etiam affirmanter, ut cùm dicit: Chimæra est ab intellectu humano fingibilis. Addo falsam esse hanc causalem: ideo nos facere entia rationis, quia cognoscimus res per alienas species: nam licet hoc in aliquibus entibus rationis fiat, qualia concedimus Deum non facere, sed id non evenit in omnibus entibus rationis. Imò Pater æternus non per alienas species cognoscit negationem identitatis inter suam & Filii Personam, & tamen facit ens rationis, attingendo illam identitatem.

DIFFICULTAS III.

Potestne cognosci objectum distinctum ab omni Ente reali?

COntra hactenus de ente rationis dicta assumitur hoc principium: Non potest ab intellectu cognosci, aliquod objectum, distinctum ab omni ente reali.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

Dicendum est. *Posse.* Ita antiquitas contra Recentiores.

Probatur 1. Quia id non excedit vim noscitivam creatam, estque secundùm exigentiam Entis definiri post Aristotelem, & à sententia communi, Entis inquam, quod habet, esse tantùm objectivum in intellectu. Vis hujus probationis stat in solutione argumentorum.

Probatur 2. Si intellectus objectum non posset esse quidquam ab omni ente distinctum, id ideò esset, quia in illa cognitione, quæ dicitur esse statuitiva entis rationis, iidem sunt termini, qui habentur dum attingitur objectum reale. Sed hæc ratio non convincit. Tum quia iidem sunt termini in propositione affirmativa, qui in negativa opposita, si demas copulam, & tamen hoc non obstante, hæc propositio est affirmativa, illa negativa, Ergo etiam quantumvis utrobiq; sit objectū reale, si mutetur copula, po-

terit importari duorum realium, non realis identitas, esseque illa non realis identitas, objectum intellectûs. Tum quia licet eadem sit via Athenis Thebas & Thebis Athenas, hoc non obstante, dum itur Athenas, non itur Thebas, ergo etiam quantumvis in cognitione statuitiva entis rationis, idem sit objectum subjecti & prædicati, quæ sunt realia, itio illa per affirmationem vel negationem tanquam motus intellectus, potest versari circa aliquod non reale, cum altera versetur circa reale. Tum quia nihil sibi suum contradictorium identificat, nec idem identificat sibi oppositum, hoc ipso enim non esset idem, quo posito sic urgetur. In una propositione, quæ sibi non contradicit, sunt iidem termini, cum ea quæ contradicit, excepto v.g. negatione, & tamen hoc non obstante, hæc est contradictoria illius, cùm illa sibi non contradicat, Ergo quantumvis utrobique sint termini reales, poterit esse alterum, dicens, non reale aliquid. Quæ omnia hoc respiciunt, quod alietas modi habendi se eorundem terminorum, possit varietatem adferre, adeoque & alietatem, ita ut cùm fuerit attactum reale, non attingatur reale.

Probatur 3. Tum quia cùm omnis propositio, non tantùm dicat subjectum & prædicatum, sed etiam enunciet per copulam identitatem, vel neget eandem, consequenter non erit jam idem objectum alietate orta à copula: illud enim non esse idem, potest oriri ab ipsamet objectivè sumpta copula: Hoc supposito sic urgetur. Dum dico homo est cervus, quod idem est: Esse identitatis hominis, est esse identitatis cervi, illa identitas vel est realis vel non est realis; si est realis, ergo vera non falsa erit propositio, nam identitas realis est identitas vera; si est illa identitas non realis, vel est objicibilis vel non est objicibilis, si non est objicibilis: ergo nec illic est Ly *identitas* cùm non attingatur, nec attingibilis sit, si enim attingibilis esset, attingeretur à notitia; si est objicibilis, ergo potest esse objectum intellectus aliquid non reale, ergo distinctum ab omni ente reali, non reale enim, est distinctum ab omni reali.

Quod ipsum sic proponitur. Vel potest intellectus apprehendere identitatem Entium, quæ non possunt esse idem realiter, seu non dualitatem, dualitatum realium, vel non potest apprehendere; si potest, habetur intentum, nempe posse habere intellectum pro objecto, aliquid, distinctum ab omni ente reali; si non potest apprehendere, detur hujus implicantia. Rursus si non potest apprehendere identitatem realem Entium, quæ non possunt esse idem, ergo dum enuntiat dualitas realium, est identitas duorum seu non dualitas, dum inquam enuntiat non enuntiat, quia non enuntiat, quod non apprehendit. Tum quia illi cognitioni quam appellant oppositum sentientes necessariò falsam, vel respondet objectum necessariò falsum vel non respondet, si non respondet, ergo nec est cognitio necessariò falsa, nulla enim cognitio sine objecto, si respondet objectum necessariò falsum, Ergo distinctum ab omni ente reali, nullum enim ens reale est necessariò falsum: hoc ipso enim non esset ens reale, reale enim identificat sibi verum. Tum quia habere, esse tantùm objectivum in intellectu, importat objectum distinctum ab omni ente reali, nullum enim ens reale est, quod habeat, esse tantùm objectivum in intellectu, Tunc quæro vel potest aliquid habere esse tantùm objectivum in intellectu, vel non potest? si non potest, cur non? quæ in hoc implicantia? cur identitas cervi & hirci non dicetur habere esse tantùm objectivum in intellectu, totaque suppositio post Aristotelem totius communis Philosophiæ, nulla erit; si potest, ergo aliquod distinctum ab omni enti reali, potest esse objectum intellectûs, nullum enim ens reale est, quod habeat esse tantùm objectivum in intellectu.

Punctum Difficultatis 2.

Impugnantur Responsiones.

Respondebis 1. Illam identitatem realem duorum realium, esse nonnisi necessariò falsam.

Contra. Quæro, illa identitas duorum realium necessariò falsa, vel est realis vel non realis, si non realis, ergo distinctum ab omni ente reali, quare illud, non reale, erit objectum intellectus; si est realis, quomodo necessariò falsa, vera enim erit, quia Enti reali convenit Veritas.

Respondebis 2. Identitas hominis secum, est identitas realis, identitas etiam cervi secum; est realis, & talis enuntiatur inter hominem & cervum, Erit ergo identitas realis, adeoque objectum illud non erit distinctum ab omni ente reali.

Contra. Conced. quòd identitas cervi secum sit realis; hominis item secum; sed quæro: an identitas illorum inter se, sit realis? si realis, ergo est vera & non ficta. Si non realis, & tamen illa est objectum, ergo intellectus attingit objecta distincta ab omni ente reali. Deinde distinguenda est una identitas realis, h.e. Entitatis realis, seu in genitivo, alia identitas realis nominativè ut ita dicam, est ergo concessibile illam identitatem hirci & cervi esse entis & entis realis, quia ex similitudine ad entia realia, ponitur inter hæc, quæ non possunt esse realia; sed quomodo realis est illa identitatis h.e. non ficta, h.e. non habens, esse tantùm objectivum in intellectu? Denique conced. quòd identitas hominis & cervi simul sumptorum

sit

sit realis hoc sensu, quia est desumpta ex similitudine & penetratione, quid sit hominem esse secum idem, translata ad illam impossibilem identitatem, sed quæro hominem & cervum esse idem, sic, sicut homo est sibi idem, vel est quid reale, vel non est quid reale? si non est quid reale, ergo aliquod objectum distinctum ab omni ente reali, potest esse objectum intellectus. Si autem illa identitas est realis, ergo vera, & si identitas realis, quæ est necessariò vera, translata ad hircum & cervum simul sumptos, evadit essentialiter falsa, quare identitas realis, translata ad hircum & cervum simul sumptos, non evadit essentialiter non realis, in ipsis ut dico objectis spectata, & in istis ad quæ transfertur, licèt in istis, à quibus transfertur, sit realis. Et sicut esse aurum verum, est quid reale, translatioque illius ad aurichalcum, est translatio realis auri, neque tamen reddit aurichalcum aurum realiter, ita identitas realis hominis, quæ transfertur ad hominem cervum, est identitas realis, non faciet tamen hominem & cervum esse realiter idem, & tamen apprehenduntur esse realiter idem, illaque illorum ficta identitas realis, est distincta ab omni ente reali, sicut aurichalcum est distinctum ab omni auro vero.

Respondebis 3. Illa identitas realis non eorundem realiter, est quid extrinsecum, estque denominatio extrinseca à cognitione essentialiter falsa.

Sed Contra. Quod attinet ad cognitionem falsam essentialiter, de illa actum supra, nunc discutienda est ista denominatio extrinseca, ad quam sit à respondente non rarus recursus, ut videre est dum dicit etiam possibilitatem creaturarum esse denominationem extrinsecam: Sic ergo urgetur. Tum quia denominationi extrinsecæ, debet respondere necessariò denominatum extrinsecum, ut videre est in aliis, nam cognitioni respondet cognitum, visioni visum, &c. Præter inductionem ostendit id paritas, quia denominationi intrinsecæ respondet denominatum intrinsecum, quod ulterius in hoc fundatur, quia denominatio, cui non responderet denominatum, & esset denominatio ut supponitur, & non esset, nihil enim denominaret, *si autem respondet* denominationi extrinsecæ denominatum extrinsecum, quæro illud denominatum extrinsecum, vel est inter entia realia tale esse, quale est solus homo, solus bos, solus Deus &c. vel non est, tale esse. Si est, ergo est æque possibile illud denominatum extrinsecum ac dicta entia, consequenter non erit impossibilis homo cervus. Si non est inter entia realia, ergo objectum distinctum ab omni ente reali, potest esse objectum intellectus, nempe illud denominatum extrinsecum. comparatum v.g. ad hominem & cervum, sit illis extrinsecum seorsim sumptis, neque enim illa impossibilitas, reddit hominem, in se, vel cervum impossibilem, sed illa impossibilitas illorum possibilitati, illa non realitas, illorum realitati, est quid extrinsecum, ipsum tamen denominatum extrinsecum, non est sibi extrinsecum, esse enim cognitum, sibi cognito, non est extrinsecum, quod ipsum fundatur in hoc, quia nihil sibi ipsi est extrinsecum, adeoque extrinsecum, sibi non extrinsecatur, quo posito quæro: illud denominatum extrinsecum, proveniens ex cognitione essentialiter falsa, vel est quid in se reale, adeoque non distinctum ab omni ente reali, cùm sit indistinctum à se, vel est quid in se reale, vel non est quid in se reale. Si est in se quid reale, ergo & est possibile, adeoque illius possibilitas erit Deus, habebitque se quoad suam possibilitatem hircocervus ita ac homo, ab æterno utrumque considerando; si non reale, ergo potest aliquid distinctum ab omni ente reali, esse objectum intellectus, nempe illud denominatum extrinsecum. Tum quia denominatum illud extrinsecum, vel pullulat ex cognitione essentialiter falsa attingente objectum reale, quod est cervus, vel non pullulat; si non pullulat, ergo illa cognitio non est essentialiter falsa: nam objectum illius homo & cervus singillatim spectati est objectum verum, cognitionis autem essentialiter falsæ, objectum, debet esse essentialiter falsum. Cùmque in omni denominatione alia extrinseca, pullulet ratione nostra denominatum extrinsecum, etiam hîc pullulare debet, sicut pullulat cognitum ex cognitione & objecto; si pullulat, estne illud objectum distinctum ab omni ente reali vel non? si non distinctum, ergo ex cognitione essentialiter falsa pullulat objectum verum, quia reale; quomodo ergo illa ipsa notitia erit essentialiter falsa: si pullulat ex cognitione essentialiter falsa objectum non reale, ergo habetur intentum, nempe posse intellectum attingere objectum distinctum ab omni ente reali. *Totum hoc sic aliter proponitur.*

Identitas hominis & cervi, talis, qualis est inter hominem ad se & cervum ad se, denominatum item extrinsecum hominis & cervi à cognitione essentialiter falsa, objectum item cognitionis essentialiter falsæ & cætera similia, ad quæ alternatim recurritur, vel est reale, spectatum penes illud conflatum & totum, non autem penes illius extrema, (quæ sunt indubiè realia) vel non est reale, si non est reale, ergo potest intellectus attingere objectum distinctum ab omni ente reali; si est reale, quî est impossibile? Concedo ut dixi hominem esse objectum reale, concedo cervum esse objectum reale, concedo identitatem realem hominis transferri à cognitione essentialiter falsa, ad hominē cervum, sed quærere restat, conflatum illud ex

homine cervo, factum , ratione translationis identitatis realis, quam translationem facit cognitio essentialiter falsa, vel est reale vel distinctum,ab omni ente reali, si distinctum , cùm illud objiciatur intellectui , ergo intellectus est attactivus objecti, distincti ab omni ente reali, si est reale,ergo erit verum,ergo possibile, ergo ab æterno Deus quoad possibilitatem, quod inferebatur supra. Insuper si illud objectum est reale,ergo indistinctum in ratione realis ab homine & cervo, sejunctim sumptis, & tamen non dicuntur illa seorsim sumi , sed per modum unius,ergo non accipitur illud objectum contra suppositionem, tanquam idem , cùm non sint idem,ergo non accipitur ut conflatum. Denique dum dico : homo est cervus, ponoque cognitionem essentialiter falsam, illi formali , debet respondere objectivum, adeoque identitas eorum, quæ non idem realiter; quomodo cùm verum sit & reale , non esse illa idem realiter, reale erit esse idem realiter,id certè esset difficilius mysterio Trinitatis, quia esset duorum contradictoriorum formalium,identificatio,& verificatio,si autem non erit reale,esse idem realiter, ergo intellectus potest attingere objectum distinctum ab omni ente reali, nempe attingendo objectivum illud Est, propositionis essentialiter falsæ, quæ dicit: homo est cervus.

Quæ adferri solent ex S. Thoma hoc tantùm volunt,quòd nullus rectè dispositus intellectus, possit assentiri duobus contradictoriis,& formare verbum assensivum illis , sed inde nihil sequitur contra nos.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Sicut objectum adæquatum potentiæ visivæ,est color , & circumscribit & comprehendit omnes actus illius; ita objectũ adæquatum intellectûs, est verum, ita ut objectum formale motivum sit id , quod participat rationem veri. Porrò objectum, quod per adversarios est distinctum ab omni ente reali, nec est verum, nec participat quidquam de veritate,constat enim juxta ipsos, ex terminis repugnantibus , ac mutuò se falsificantibus, & destruentibus intentionaliter , puta, hircocervus constat ex esse hirci, & ex esse cervi,qui cervus est,non esse hirci, ex qua mutua destructione intentionaliter horum terminorum , uterque remanet destructus intentionaliter , ac proinde neutrum remanet verum ; scilicet , nec esse cervi, nec esse hirci,non secus ac ex mutua physica destructione duorum,utrumque remanet physicè destructum.

Respondetur. Sicut in divisione latissima entis, datur ens commune & entibus rationis & negationibus , ita dabitur & verum commune illis, taleque verum, est objectum adæquatum intellectus , sicut color visivæ , cumque non ostendatur non inesse vim intellectui statuitivam ita communis rationis entis, quæ extendatur etiam ad entia rationis & negationes, hoc ipso non ostenditur, quod sub eadem latitudine verum,non sit objectum intellectus. Deinde per nos,ex habitis aliàs objectum intellectus est intelligibile , quod non posse extendi ad ens, quod non est reale, necdum ostensum. Rursùs objectum adæquatum intellectus est verum cum omnibus ad se revocabilibus ; & sicut datur in scientiis revocabilitas imbibita objecto attributionis,quæ deposcit attingentiam etiam oppositorum objecti,ita & intellectus objectum, est verum,sed una cum revocabilibus ad illud,non est autem ratio , cur inter revocabilia tanquam oppositum,non sit objectum distinctum ab omni ente reali. Unde jam aliter se habet sensus, aliter intellectus : sensus enim attingit quidem speciem coloris , sed ex sua essentiali determinatione, orta fortassis ex materialitate, deposcit non attingere oppositа colori, nec novit oculus,quid sit illius objecto oppositum,& sicut id,quod non est attingibile ab oculo,remittit (si sit sensibile) natura, ad noscitivitatem debitam sensui communi, ita quod non attingit, etiam sensus communis, remittit ad potentiam immaterialem universalissimam , hoc est,intellectum, ut etiam oppositum enti reali attingat , nec est ratio cur attingere non possit. Et sicut quamvis noscendo colorem,non noscat gustabile oculus, non licèt argumentari , quod id non noscat intellectus , quia est universalior potentia; ita ex eo quod oppositа colori vel ad illud revocabilia non noscit oculus,argumentari non licebit, quod oppositа enti reali , non noscat intellectus. Addo, arguentem immeritò supponere , quod per nos in fabricatione entis rationis ponatur destructio intentionalis terminorum hirci & cervi, cum potiùs ponatur identitas eorundem , licèt in re sit destructio illorum terminorum, in re non identitas. Denique objectum intellectus est verum non utcunque,sed vel verum simplex, vel verum ut ita dicam compositum ex veris, & sicut in Physicis, aliqua sunt simplicia aliqua composita , & quidem aliqua composita debite,aliqua indebite ut monstra , vel adulterina in artificiatis ; ita quædam sunt simplicia vera , alia ex veris composita , sed si sint debite composita, erunt vera realia , si autem non sint debite composita, non erunt realia vera , veritatemque in hoc participabunt , quia non erunt realia vera.

Objicitur 2. Illud objectum implicatorium, vel resultat quasi effectus ex cognitione fingen-

gente, vel constituitur per cognitionem fingentem tanquam per formam extrinsecam. Non primum. Quia esse objectum seu esse cognitum, est denominatio extrinseca, à cognitione, absque ullo ente diminuto resultante ex cognitione, ut docetur contra Scotistas, & si cognitio confusa non efficit quidquam, vel quasi efficit ex parte objecti, sed solùm seipsam addendo, objectum extrinsecum denominat confusum, idemque est de cognitione conditionata aut disjunctiva respectu sui objecti, cur etiam cognitio fingens nihil efficiendo, vel quasi efficiendo ex parte objecti, non poterit suum objectum extrinsecè denominare fictum. Si autem dicatur extrinsecè constitui per cognitionem fingentem. Contra est. Quia objectum implicatorium non solùm dicitur fictum præcisè, sed etiam dicitur tale fictum, atqui per cognitionem fingentem objectum non constituitur tale, licèt cognoscatur ut tale, cognitio enim non facit tale, sed solum termino tali, superaddit se ipsam præcisè, & sic terminum aliunde talem, facit extrinsecè cognitum, consequenter illa denominatio extrinseca, nullum dicit subjectum denominationis, quod habeat actu vel possit habere esse, præter id quod recipit à forma extrinseca, adeoque forma extrinseca nihil denominabit nisi se ipsam.

Respondetur. Illud objectum implicatorium resultat quasi effectivè ex cognitione, non quidem quoad terminos, quorum identitas fingitur, qualis est cervus & hircus, sed quoad identitatem eorundem, non inquam quoad terminos illius, quia illi ante omne opus intellectus, habent suum esse reale, secus illa identitas. Esse quidem objectum & esse cognitum, si formaliter sumantur, est denominatio extrinseca, non tamen esse objectum, si sumatur secundùm id quod objicitur, vel secundùm id quod resultat, est denominatio extrinseca, sicut denominatio visi est denominatio extrinseca, sub ratione visi formaliter, non autem sub ratione ejus, quod videtur. Et licet negetur ens diminutum contra Scotistas, de quo supra, ubi de essentiis rerum; non negatur tamen per nos objectum aliquod resultans, præsuppositis nostris intentionibus. Sicut nec negatur universale respondens præcisionibus objectivis, quæ non dantur actu nemine cogitante, per nosque actui (qui non est confusus ut alibi dictum) sed deputativus objecti à differentiis, respondet objectum, quod non est nemine cogitante actu, cùmque per nos, cognitio fabricativa entis rationis, sit cognitio practica, nec repugnat illam esse practicam, consequenter licet in aliis notitiis, non respondeat quidquam, quasi productum à nostra cognitione, respondere poterit in hac notitia practica. Addo immeritò supponere arguentem, quod Ens rationis fiat absolutè per secundam operationem. Formabuntur tamen responsiones, quasi hoc illi concedendo, ne alio avocetur difficultas.

Instabis. Identitas hirci cum cervo vel concipitur ut quid superadditum objecto hircocervo, vel non ut superadditum. Si secundum, ergo objectivè concipitur solùm dualitas realis; si primum, ergo tunc nulla concipitur identitas inter hircum & cervum, quia de ratione identitatis est, ut non concipiatur tanquam quid objectivè superadditum, extremis, quorum est identitas.

Respondetur. Identitatem illam hirco & cervo divisim & non uniter sumptis, concipi ut quid superadditum, vel potius ut quid illis extrinsecum, à ratione importatum, hireo tamen & cervo unitim sumptis, seu prout sunt jam chimærisati, non est quid extrinsecum illa identitas, cum Chimæræ esse Chimæram, non sit extrinsecum, chimærisatur autem, per illam identitatem concipieturque dualitas realis, si non identificati hircus & cervus concipiantur, sed non concipietur dualitas realis, si concipiantur identificati.

Objicitur 3. Propositiones contradictoriæ v.g. Homo est Leo: Homo non est Leo, sunt de eodem objecto terminativo, atqui secunda vera est de objecto reali, nempe de homine & Leone realibus, ergo & prima fingens, Ergo & propositio fingens non attingit quidquam impossibile ex parte objecti, nec differt à non fingente, ex parte objecti terminativi, sed ex modo tendendi quatenus una procedit modo compositivo, secunda modo divisivo.

Respondetur. Propositiones illas contradictorias, esse quidem de objecto eodem, sed non eodem modo se habent, de eodem inquam objecto, quia tam in affirmativa sunt duo termini: Homo & Leo, quàm in negativa, sed non eodem modo se habent, habitudine diversa, orta, ex ipsamet particula *Est*. Cùm enim identitas & non identitas seu alietas non sint idem, identitatemque importet *est*; non identitatem, *non est*, ideò faciunt illos duos terminos: Hominem & Leonem non eodem modo se habere, si faciunt non eodem modo se habere, ergo possunt facere, ut cùm non habeant identitatem, habeant identitatem, quæ in illis non est realis, poteſtque una esse de objecto reali, alia non reali, oriunda illa non realitate, ex modo aliter se habendi objecti, quàm se habeant realiter. Et si cum dico Pater est Filii, Filius est Patris eorundem terminorum diversa positio, fundat distinctionem realem; cur affirmatio & negatio, non poterit fundare, esse hoc objectum reale, & hoc, non esse objectum reale.

Instat 1. Non potest esse aliud objectum propositionis, nisi quod importatur per subjectum & prædicatum, cùm omnis propositio nihil aliud faciat, nisi componat aut dividat inten-

tionaliter, seipsa, objectum significatum ex parte subjecti, cum objecto significato ex parte prædicati.

Respondetur. Objectum propositionis, non solum est subjectum & prædicatum, nam subjectum & prædicatum sunt præcisè termini, adeoque ad primam operationem quid spectans, sed objectum propositionis, est subjectum, copula & prædicatum objectivè sumpta, consequenter si copula non importet realitatem, quantumvis eam importet subjectum & prædicatum adhuc tota propositio non importabit realitatem: nam in propositione vel maximè attendendum ad rationem copulæ, objectivè autem sumpta copula, seu secundùm identitatem, quæ affirmatur Leonis & hominis, non dicit reale quid.

Instabis 2. Quando dico: Homo non est Leo, attingo negationem identitatis objecti, per Ly: *Non est*, significatam, quæro vel illam affirmo vel nego? si primum, ergo est propositio affirmativa nec contradictoria huic: Homo est Leo; si secundum. Ergo est falsa, utpote negans negationem identitatis inter hominem & Leonem.

Respondetur. Affirmat, sed abusivè negationem identitatis, hoc est, suo modo affirmando negationem identitatis, hoc est affirmando quod neget. Et quia illam affirmationem specificat, negatio, transit in conditionem negativam adeoque est negativa, affirmatioque negationis erit ipsa negatio, adeoque contradictoriè opposita. Sed hæc difficultas est communis omnibus propositionibus negativis veris, dicam enim vel affirmat illa negativa illam negationem vel negat, si affirmat negativa non est, si negat vera non est.

Colliguntur quædam.

Colligo, quid sit sentiendum de hac propositione: quòd ens rationis nihil sit aliud, quàm ens reale vel entia realia, quatenus substantia cognitioni necessario falsæ, ita ut ens rationis sit denominatio extrinseca pro materiali, & in recto dicens entia realia, pro formali & in obliquo, cognitionem necessariò falsam, tanquam formam extrinsecam, à qua id, quod secundùm se intrinsecè & objectivè est reale, denominatur extrinsecè non reale. Et si hoc objectum confusum, Animal ut sic, sunt entia realia extrinsecè denominata à cognitione confusa, nihil producente ex parte objecti, ita & hoc objectum: hircocervus, sunt entia realia, præcisè denominata extrinsecè à cognitione fingente.

Quod attinet ad has propositiones, quod ens rationis nihil aliud sit, quàm ens reale vel entia realia, id universaliter non procedit. Si enim dicas quòd tenebræ sint lux, vel quòd privatio sit negatio, poterit fieri ens rationis, & tamen non erit tunc objectum ens reale, (ut supponitur simpliciter) sed aliquid negativum. Deinde quamvis saltem ut plurimum Ens rationis conflctur ex entibus realibus, non sequitur pullulans ex illis ens rationis, esse quid reale, in quo tamen pullulante, stat illud habere esse tantùm objectivè in intellectu. Est quidem verum, quòd ens rationis involvat cognitionem etiam necessariò falsam: nam si non esset per nos etiam illa notitia necessario falsa, deberet habere objectum reale, quod negamus. Sed quærere restat; cur illa notitia necessario falsa, non possit habere pro objecto identitatem realium entium, quæ tamen identitas non sit realis? Concedo quod entibus illis realibus duobus, extrinseca sit illa identitas, hoc etiam demus, quod dicat pro formali cognitionem necessario falsam, sed quid repugnat, ut posita cognitione essentialiter falsa, versante circa duo entia v.g. realia, quid inquam repugnat ut versetur circa illorum duorum realium identitatem ipsam, quæ certè in illis non est realis, adeoque habet, esse tantum objectivum in intellectu. Quid item repugnat, ut cognitio essentialiter falsa, attingat v. g. identitatem cervi & hirci, quæ entibus realibus, sit quid extrinsecum, sed non sibi ipsi, & tamen illorum duorum, extrinseca Entibus realibus, intrinseca sibi ipsi identitas, sit distincta ab omni Ente reali. Quid item repugnat ut illud extrinsecum non reale, apprehendatur tanquam reale, adeoque ut habeatur tunc objectum non reale, quid item desit illi extrinseco non reali, ne salvet, quod possit cognosci objectum distinctum ab omni ente reali, cùm certè extrinsecum illud non reale, sit distinctum ab omni ente reali.

Qui ipse medius terminus sic proponitur. Illa denominatio extrinseca non realis vel objicitur intellectui vel non objicitur, si non objicitur, ergo tantum manet attactio intentionalis, stans præcisè in attactione duorum entium realium, nihilque habetur, quod salvet illud extrinsecum non reale, adeoque nec erit extrinsecum, non reale ut supponebatur. Imò si non objicitur intellectui illa denominatio extrinseca non realis, quomodo si sibi non est objecta in intellectu, potuit de illa in argumento loqui objiciens, si autem objicitur illud extrinsecum non reale, vel est illud distinctum extrinsecè ab omni ente reali, vel non est, si non est distinctum, ergo non est non reale extrinsecum, sed reale quid, adeoque non est, quod est, non enim est non reale extrinsecum, cùm non sit distinctum à reali, si autem illud non reale extrinsecum, est distinctum ab omni ente reali, & sit ut probatum, objectum intellectui, ergo intellectûs objectum, poterit esse distinctum ab omni ente reali.

Quod attinet ad instantiam de cognitione con-

confusa, imprimis in nostris principiis præscindentibus objectivè respondet natura, quæ non fit sed supponitur à parte rei, sed respondet præcisa & depurata à differentiis, quæ depuratio non est à parte rei, ergo etiam in ente rationis, respondentibus duobus v.g. entibus realibus, potest respondere duorum entium non dualitas, quæ non est realis, adeoque poterit esse objectum intellectûs distinctum ab omni ente reali. In sententia autem admittente actum nonnisi confusum, disparitas est, quia cum universale non sit quod habeat tantùm esse objectivum in intellectu, non est necesse, ut quidquam producat tunc intellectus, quia autem ens rationis habet esse tantùm objectivum in intellectu, debet aliquid producere, aliàs etiam extra intellectum, haberet esse objectivum.

QUÆSTIO III.

De Opposito Enti non Ente.

FOrmatur ab aliquibus hæc Thesis. Nullæ negationes distinguuntur à parte rei ab omni ente positivo. Circa hanc Thesin *sit*

DIFFICVLTAS I.

Quid tenendum.

DICENDUM est 1. *Nullam negationem distinctam esse à parte rei, ab omni ente positivo & in particulari ab Ente à se negato, seu quod negat negatio.*

PROBATUR 1. Nulla res distinguitur à parte rei, ab omni eo quod est, sed omnis negatio à parte rei, est ens positivum negatum, seu quod negatur, ergo nulla negatio distinguitur à parte rei ab omni ente positivo negato. Major innititur illi principio: Quodlibet est quod est, si quodlibet est quod est, ergo non distinguitur à parte rei ab eo, quod est, in quantùm enim distinguitur, in tantùm illud non est. Minor principalis seu subsumptum probatur, inquisitione quid aliud sit? est enim positivi dejectio ad non positivum, reductio esse ad non esse &c. similia. Hæc autem omnia idem sunt ac quod negatio semper positivum neget, & si neget negativum jam non est negatio, sic v.g. tenebræ sunt privatio lucis, negantque lucem, si negant lucem, & lux est quid positivum, non dicunt distinctionem, ab illa luce negata, cum per illam definiantur.

PROBATUR 2. inductione. Quia nulla potest ostendi negatio, quæ non neget aliqui positivum, ergo nulla est negatio distincta à parte rei, ab omni Ente positivo negato, & ita tenebræ, sunt privatio lucis, termini, sunt negatio extensionis &c.

PROBATUR 3. Omnis negatio debet negare aliquid, hoc ipso enim non esset negatio, tunc quæro illa negatio vel negat negationem, vel negat aliquid positivum, præter enim negationem, vel negat aliquid positivum, præter enim negationem & positionem, seu præter negativum & positivum, nihil datur, sicut præter esse & non esse, nihil datur, ergo illa negatio vel negat negationem, vel negat aliquid positivum. Sed negatio non negat negationem, quia non datur negatio negationis, & si daretur, esset illa aliquid positivum, nam ut alibi dictum cum negationis sit destruere, si negat negationem, destruit negationem, si destruit, destruit non esse, non esse autem, non destruitur, nisi per esse, adeoque per positivum, eamque positivitatem infert negatio, negationem negans. Quod si negatio non negat negationem, debet, ut dixi negare aliquid positivum, ergo essentia illius stabit in negare positivum, stat enim essentia negationis in negando, sed non in negando negationem, ergo in negando positivum, ergo non distinguitur negatio, ab eo, quod negat positivo, cùm non distinguatur à sua essentia, essentia autem illius est, negare positivum.

DICENDUM 2. *Dari aliquas negationes inexistentes subjecto, quæ non sunt distinctæ ab omni ente positivo.* Prior conclusio procedebat de negatione indistincta ab ente positivo quod negatur. Præsens procedit de positivo, cui à parte rei inexistit negatio. Sic explicata conclusio.

PROBATUR 1. Negationes inexistentes subjecto, dicunt semper in recto aliquid positivum, & ita negatio Leonis in homine est ipse homo, prout dicit incompossibilitatem rugibilitatis secum. Idem dic de aliis similibus negationibus, ergo secundùm id, quod dicunt in recto, non sunt distinctæ ab omni ente positivo, cùm illud dicant in recto.

PROBATUR 2. Quia v.g. homo vel dicit se ipso negationem Leonis vel non dicit seipso, si dicit se ipso, ergo illa negatio non est distincta ab illo ente positivo, quod seipso, dicit illam negationem, seipsum enim, non distinguitur à seipso. Ut quia albedo se ipsa est albedo, albedinem esse albedinem, non est quid distinctum ab albedine, si autem homo seipso non dicit negationem Leonis, ergo non se ipso affirmat se, consequenter nec erit quod est, id quod est. Sequel. autem probatur, quia seipso affirmare se, est se ipso negare negationem sui, adeoque negare ea, quæ sunt negatio sui, esse autem Leonis, est negatio quædam hominis.

PROBATUR 3. Quia si negatio Leonis in homine esset distincta ab omni ente positivo cui inexistit, adeoque si esset distincta ab homine, vel esset distincta realiter seu entitativè, vel distincta formaliter ex natura rei actu, vel ratione.

Si

Si est distincta realiter seu entitativè, ergo posset separari ab homine negatio Leonis, consequenter posset esse verè homo, & non negare Leonem, ergo posset esse verè homo & affirmare Leonem, cùm contradictoriorum alterutrum debeat illi competere. Non etiam distinguitur distinctione ex natura rei actu formaliter, quia hæc distinctio alibi negata. Quod si distinguitur distinctione rationis, illa negatio, hoc ipso non erit illa negatio distincta ab omni ente positivo, & in particulari ab eo cui inexistit; quia sic distincta, in re, sunt illud ipsum cum certis connotationibus & certis *prout*. Et hoc ostendit inductio: sic enim etiam rationale, distinctum ratione, ab animali hominis, est idem realiter cum illo. Quod ipsum in hoc fundatur, quia distinctum ratione sola, hoc ipso non esset sola ratione distinctum, si entitas illius, esset alia à positivo, à quo distinguitur ratione sola.

Dicendum 3. *Præter negationes inexistentes subjecto positivo, dari nemine cogitante negationes distinctas ab omni ente positivo* (subintellige distinctas non ab omni ente positivo, quod negent, sed ab omni ente positivo cui inexistunt.)

Probatur 1. Quia si non darentur negationes distinctæ ab omni ente positivo, falsum esset illud principium divisivum. Quodlibet est aut non est, solum enim esset Est, esset enim nonnisi positivum, quia indistinctum à positivo, si positivum, ergo tantùm esset *Est* nullumque daretur membrum de Linea *Non est*, sed tantùm de Linea *Est*.

Probatur 2. Dantur vera contradictoria, ergo datur negatio distincta ab omni ente positivo, nam contradictoria debent esse distincta ab omni ente positivo, positivo enim, contradictoriè, non opponitur positivum, sed sola negatio.

Probatur 3. Tum quia ab æterno falsa erat objectivè hæc propositio. Est lux, ergo vera erat hæc, non est lux, contradictorium enim alterum, debet esse verum. Procedit autem illatio non de veritate formali creata, hæc enim non dabatur, cum nec datus fuerit ab æterno intellectus creatus enuntiativus hujus propositionis: Non est lux, sed procedit de veritate objectiva; si autem vera erat objectivè ab æterno hæc propositio: Non est lux, ergo & verificativum illius, quod est negatio lucis, eaque passiva, debebat esse ab æterno, sensu aliàs adlato, hoc verificativum est distinctum ab omni ente positivo, ergo & negatio lucis est distincta ab æterno ab omni ente positivo. Subsumpti antecedens probatur, quia ab æterno non erat quidquam positivum nisi ipse Deus, qui non est verificativum illius propositionis: Non est lux. Ergo si dabatur verificativum illius propositionis ab æterno; Non est lux, dabatur condistinctum ab omni ente positivo. Antecedens, quoad primam partem, quod ab æterno non erat quidquam positivum, nisi ipse Deus est de fide, quod Deus non sit verificativum illius propositionis non est lux præter dicta alibi de verificationibus propositionum sic urgetur. Verificativum illius propositionis: Non est lux, est negatio lucis passiva, loquimur enim de non luce, quæ est objectum & terminus decreti divini volentis non esse lucem ab æterno, nec intelligimus activam non lucem, seu id quod facit ne produceretur lux, sed intelligimus non lucem passivam. Sed negatio lucis passiva, non est ipse Deus, ergo nec verificativum illius propositionis non est lux; est ipse Deus. Quod negatio lucis passiva non sit ipse Deus probari potest, quia passiva etiam possibilitas non est ipse Deus; quia terminus ut dictum debet non esse ipsum decretum; quia negatio lucis activa & passiva non sunt idem, ergo cùm negatio lucis activa sit ipse Deus, negatio lucis passiva non erit Deus, casuque quo darentur entia positiva ab æterno, verificativum illorum esset ipsum illorum positivum, ergo cum detur ab æterno Ly: non est lux, verificativum hujus erit negatio lucis, non autem Deus sicut non esset verificativum in casu priori. Tum quia si verificativum ab æterno hujus propositionis; Non est lux, non esset, quid distinctum ac omni ente positivo, ideo non esset, quia non esset distinctum à Dei decreto decernente ne sit lux ab æterno, tunc quæro vel potuit Deus dicere, non tantùm hoc; decrevi ne sit lux, sed etiam hoc; non est lux? si potuit dicere etiam hoc; non est lux, idque verè, debuit dari verificativum hujus propositionis, quod jam non est decretum Dei, quia hæc propositio est alia, non est lux; ab hac: decrevi ne sit lux ergo & verificativum prioris debebit esse distinctum à verificativo posterioris, ergo non erit jam decretum verificativum illius propositionis, ergo aliquid distinctum à Deo, ergo distinctum ab omni ente positivo, cùm solus Deus ab æterno sit ens positivum. Si autem non potuit Deus dicere non est lux, ergo non respondebit activæ negationi lucis, passiva negatio lucis.

Hoc ipsum sic aliter proponitur. Deus non tantum cognoscit creaturas ex se & in se, sed & in illis ipsis, ergo & negationes non tantùm Deus cognoscit activas seu in decreto &c. sed etiam in illismet ipsis. Ergo & verificationem habent in seipsis, ergo distinctè ab omni ente positivo, quia hoc ipso, jam in ente positivo, & non in seipsis, haberent verificationem.

Rursus hoc ipsum proponitur. Ex hoc, quia Deus decrevit, ut sit negatio lucis ab æterno, rectè infert intellectus creatus, ergo datur negatio lucis ab æterno, ergo etiam ex hoc, quia Deus

perfectionem, ergo dantur frustrà, & sunt o- Deus decrevit, ut sit negatio lucis ab æterno, rectè Deus inferet, ergo datur negatio lucis ab æterno: nam virtualis discursus Deo non repugnat. Si autem dicit Deus non est lux ab æterno; hujus dicti debuit dari verificativum, quod jam non est decretum Dei, quia decretum est, ex quo inferebat non esse lucis, hîc autem quæritur de ipso illato virtualiter, ex illo decreto, nempe negatione lucis; quæroque quis sit, sensus illius illati virtualiter: Non est lux. Ne ergo dicatur, nullum esse sensum illius dicti divini, debebit dari verificativum distinctum à decreto Dei, adeoque distinctum ab omni ente positivo, cum ab æterno nihil detur nisi Deus. Neque valet si dicas quod respondeat verificativum lux negata, non inquam valet, quia lux negata est quid distinctum ab omni ente positivo, est enim in re negatio lucis, quæ quia est contradictoriè opposita, debet esse distincta ab omni ente positivo. Deinde ipsa lux negata, est quid distinctum à Decreto, vis enim dare verificativum distinctum à Decreto, est etiam distinctum à luce positiva, quia non esset lux negata, ergo lux negata est distincta ab omni ente positivo, quod ipsum intenditur. Denique lux negata quantumvis quoad vocem, sit quid positivum, tamen quoad formalitatem, nullo discernitur à negatione lucis, negatio autem ejusdem, est distincta ab omni positivo, quod ipsum negat, hoc ipso enim illud non negaret. Deinde ponamus per impossibile non dari Deum vel erit verum dicere, non est lux vel non? si non verum, ergo erit lux: nam non lux, falsificari non potest nisi per esse lucis; si verum, ergo verificativum illius tunc haberetur jam, non Deus. Idem proponi potest sic. Vera hæc est propositio, negatio Dei, negat Asseitatem. Hæc propositio non potest habere verificativum sui Deum, quia nihil per suum contradictorium verificatur, habebatque veritatem ab æterno, & tamen ab æterno, non erat ullum positivum præter Deum, qui jam supponitur non esse verificativus illius propositionis. Si autem illa propositio, negatio Dei negat asseitatem, non habet verificativum sui ab æterno Deum, habebit seipsam, & tamen negatio Dei, non est quid positivum.

DIFFICULTAS II.

Argumenta in Oppositum.

Objicit 1. Maurus q. 49. Log. vel istæ negationes ponunt aliquam perfectionem, & conducunt ad pulchritudinem universi vel non, si ponunt, jam sunt participationes divinæ bonitatis, adeoque entia: si nullam ponunt mnino superfluæ; quid enim magis superfluum, quàm quod nullam perfectionem ponit in universo.

Respondetur. Quod nullam ponunt perfectionem, & cum illarum esse, sit, non esse illarum, etiam dari, erit non dari, ergo illa illatio, dantur frustra, falsificantem constituit propositionem. Rursùs dici potest sicut datur ens commune ad entia & negationes, ita dabitur & pulchritudo, quæ est quid sequens bonum, adferentque illæ negationes pulchritudinem negativam, talisque est pulchritudo negatio in homine, alterius capitis.

Objicit 2. Negationes impossibilium dantur necessariò v.g. necessariò datur negatio alterius Dei, sed nihil positivum & abusivum, contra distinctum à Deo necessario datur, ergo negationes necessariæ rerum impossibilium, non sunt quidquam distinctum à Deo, sed identificantur cum Deo, qui est unica necessitas omnis necessarii, possibilitas possibilis, impossibilitas impossibilis.

Respondetur. Immeritò ponere argumentum quod negationes dicantur per nos, esse aliquid positivum, quod tamen supponit minor. Rursùs dici potest cùm negationem dari, sit non dari, & non existere, quamvis nihil detur quod extra Deum necessario existat, potest dari extra Deum, quod necessario non existat. Assumit etiam rerum impossibilitatem, identificari cum Deo, & hoc alibi refutatum.

Objicit 3. Si darentur negationes abusivæ contingentium, Deus haberet necessitatem ponendi extra se aliquid abusivum, eo enim ipso, quòd non ponit aliquod ens, ponit ejus negationem, sed habet necessitatem non ponendi omnia entia, cum sint multa invicem incompossibilia, ergo habet necessitatem ponendi multas negationes abusivas, sed talis necessitas repugnat Deo, quia Deus est ens sufficientissimum, tunc autem aliquid sufficit cum non necesse est aliud esse, præter illud, ergo non necesse est dari negationes abusivas.

Respondetur. Cum ponere, significet influxum physicum, positivum, & eductivum extra causas & cum talis influxus Dei, non detur in negationes nec illas ponit. Deinde illarum negationum poni, est non poni, si illarum poni, est non poni, adhuc erit Deus ens sufficientissimum, siquidem negationum esse, est non esse, nec erit necesse aliud quid esse præter Deum, sed erit necesse, quia est ens sufficientissimum, non esse, quod ipsum non esse, est ratio formalis negationum.

Instat 1. Deus videns se continere omnem perfectionem, potest dicere; sufficit mihi mea infinita perfectio; nolo ut sit quidquam extra me imperfectum ac defectuosum, sed non posset hoc dicere, si necessitaretur ad ponendas distinctas negationes à se.

Respon-

Respondetur. Negando Deum necessitari ad ponendas illas negationes, illarum enim poni est non poni, quod autem non ponitur, ad illud ponendum, non necessitatur Deus.

Instat 2. Deus est ita primus fons ex quo fluit omne ens, ut possit liberè claudere talem fontem, sed ex opposita sententia sequitur, non posse hoc Deum, cum eo ipso quod velit, nihil producere, effluant infinitæ negationes abusivæ.

Respondetur. Neg. minorem, & cum effluere infinitarum negationum, sit non effluere, nihil absurdi sequitur. Influxus positivus in creata, debet subjacere Deo ut si velit, utatur illo, secus si nolit; sed negationes sunt independentes à divino influxu, utpote quarum esse, sit non esse.

Instat 3. Aristoteles dicens primam causam necessario potuisse mundum; posset arguere: Vos non putatis inconveniens quod prima causa necessitetur ad ponendas ab æterno infinitas negationes abusivas, ergo multo minus debetis putare inconveniens, quod necessitetur ad ponendum aliquem mundum. Valebitque argumentum Manichæi ex concesso, quod Deus non condiderit muscam; inferentis ergo neque mundum: Si enim Deus necessitatur ad ponendas vilissimas negationes, cur non ad ponendum mundum.

Respondetur. Negando suppositum; quod ponantur negationes, & quod ad illas ponendas, necessitetur Deus. Quod autem independenter à Dei positione sint necessario negationes, & non necessario mundus, id ex eo est, quia ex necessariis negationibus adhuc stabilitur hæc propositio: Nullum est ens, quod non sit à Deo, liberè operante, quod esse à Deo, & liberè operante, exaltat Dei omnipotentiam; non exaltaretur autem, si aliquid faceret, ex necessitate.

Objicit 4. Probando, quod negationes æternæ & necessariæ impossibilium identificentur cum divina essentia. Divina essentia est prima & necessaria necessitas, ut non detur alter Deus & omnes Chimæræ, sed prima & necessaria necessitas, ut non detur alter Deus & omnes Chimæræ, est ipsum non esse alterius Dei & Chimærarum. Ergo. Minor probatur nam non esse alterius Dei & chimærarum, est ipsa formalis exclusio alterius Dei & chimærarum. & est formale verificativum propositionis dicentis: non datur alter Deus nec ulla chimæra; sed necessitas ut non detur alter Deus & ulla chimæra, per se ipsam excludit alterum Deum & chimæras ac verificat propositionem negativam, ergo.

Respondetur. Usurpando terminos ipsius Mauri: alias esse negationes & impossibilitates activas, & hæ sunt ipse Deus, alias impossibilitates passivas, quæ non sunt ipse Deus sed objectum & termini activæ impossibilitatis; quæ impossibilitates passivæ dantur & non sunt ipse Deus nec est ratio, cur non sint verificativæ propositionum æternæ veritatis. Ex vi cujus doctrinæ dist. assumptum; negationes æternæ veritatis. Ex vi cujus doctrinæ dist. assumptum; negationes æternæ activæ identificantur cum Deo, conced. assumptum; passivæ nego assumptum.

Objicit 5. Probando quòd negationes contingentium æternæ, sed non necessariæ, identificentur cum decretis divinis exclusivis contingentium. Negatio æterna mundi nihil est aliud, quàm exclusivum mundi, verificans ab æterno quod mundus non est; sed exclusivum æternum mundi, nihil est aliud, quàm id, quod formaliter impedit ne mundus effluat ex Deo tanquam ex fonte, hoc autem est decretum, quo Deus dicit. Nolo mundum.

Respondetur. Negatio activa æterna mundi & exclusivum activum, est istud decretum, sed non exclusivum passivum, hoc enim est ipsum illud objectum, illius decreti; quod objectum, non est ratio, cur non sit verificativum illarum propositionum. Et certè vel datur objectum illius decreti vel non datur, si non datur, ergo non est decretum, quia non est de quo decernat; si est objectum decreti, illud, vel est ipsum decretum, vel non, si est ipsum decretum, ergo decretum se decernit, aut non habet sui objectum; si objectum decreti, non est ipsum decretum, cur non erit illud objectum, ille terminus decreti, verificativumque propositionum distinctum ab ipso decreto, & saltem ponendo, quòd indirectè voluerit non existentiam mundi, adhuc illa indirecta non existentia mundi volita, non erit Deus, cur ergo illa indirecta, non erit verificativa hujus propositionis: non est mundus.

DIFFICVLTAS III.

Argumenta Recentiorum.

Objicit 1. P. Joannes Morawski, qui suo excellenti opere Philosophico, Provinciam hanc nostram primus post Smigletium illustravit, & pluribus sententiis ingeniosè adductis, scenam aperuit rimandi verum. Negationibus exclusivis sive creaturarum sive chimærarum (sola enim negatio Dei dari nequit) quæ dantur à parte rei, conveniunt à parte rei, in se ipsis intrinsecè prædicata reipsa convertibilia cum ente reali positivo, nempe esse unum, quia negatio objectiva, exclusiva v.g. Antichristi nemine cogitante, & pro priori ante omnem nostram cognitionem, est indivisa à se & divisa v.g. à negatione alterius solis, quod est definitivè esse unum, eadem negatio habet, quod sit cognoscibilis, adeoque quod sit verum, sunt item prudenter appetibiles, excepta sola negatione, constituente malitiam moralem peccati.

Re-

Respondetur. Quòd detur ens, ita modo lato sumptum, ut etiam extendatur ad negationes & non entia, cumque detur ens ita lato modo sumptum, etiam debitur veritas, bonitas & unitas, ita lato modo sumpta, utpote attributa proportionata conditioni entis, adeoq; sequentia ejus vel rigorem vel latitudinem. Quod autem detur Ens ita lato modo sumptum, ut extendatur etiam ad negationes, & quidem non æquivocè, docuit Aristoteles 4. Metaph. Tex: 2. *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, unamque quandam naturam, & non æquivocè.* Et infra; *Et ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad unum principium.* Asseritq; infra illud extendi ad non entia; *quædam, inquam,* (supple dicuntur ens) *quoniam via ad substantiam, aut corruptiones, aut privationes.* En privationes per Aristotelem entia; Subdit infra, *quare & ipsum non ens, esse non ens dicimus.* Inter si Aristoteles esse tribuit non enti, tribuere etiam ei rationem entis: esse enim & ens indistinguuntur. Attendendo ad negationes inexistentes entibus positivis, ex dictis etiam immediatè responderi potest, quod hæc attributa conveniant à parte rei negationibus, in quantùm dicunt in recto aliquid positivum & ens. Attendendo autem ad negationes non inexistentes entibus positivis, conveniunt hæc attributa imitativè & secundùm esse positivum, quod negant ut dictum. Si enim negationes non negarent positivum, nec negationes essent, consequenter, nec illis conveniret esse veram negationem, habent ergò esse verum negationes, ratione positivi quod negant, sed inde non sequetur, quòd non dentur negationes, nisi inexistentes rebus positivis, licèt non dentur nisi negationes, negantes positiva.

Supponit hæc responsio, aliquas negationes esse quæ non sunt à parte rei adeoque esse aliquas vel fictas vel intentionales. *Negatio ficta* est Negatio v. g. lucis, sparsa per modum veli, vel fumi, vel coloris nigri. *Intentionalis* negatio cùm pono suppositionem, si per impossibile Deus non existeret, vel cum de Petro existente dico, Non existit Petrus, porrò *illæ negationes sunt intentionales*, quarum contrarium est verum nemine cogitante, quale est v. g. Deus existit, Petrus existit. Si enim contradictorium est verum, adeoq; positum, negatio illius, est ablata; adeoq; positio negationis, non potest esse, nisi intentionalis. *Aliæ autem sunt negationes quæ non sunt fictæ nec intentionales.* Sic negatio bovis dicta de Petro non est intentionalis sed independenter habetur ab omni nostra cogitatione, ex sua enim essentia homo, non est bos. Circa has negationes quæ non sunt intentionales, hoc ipso quod illæ negationes non sint fictæ & intentionales, debent esse negationes actuales suoq; modo reales. Hoc enim residuum est membrum, quod opponitur ficto & intentionali.

Porrò alia est actualitas & realitas negationum inexistentium subjecto, alia realitas & actualitas negationum in se, *Actualitas & realitas negationum inexistentium subjecto* petitur imprimis ex actuali reali positivo & Physico esse, quod dicunt illæ negationes in recto, mera autem negatio seu non existentia, non dicit jam illud subjectum in recto, ut cùm dicitur ab æterno non existit creatura, illius non existentiæ passivè sumptæ, non potest ostendi actuale reale physicum esse importatum, *Petitur rursus actualitas & realitas negationum* inexistentium subjecto, ex eo, quòd ad illas, non in illis, sed in subjecto, detur motus actionis physicæ. Cùm enim negatio v. g. Leonis inclusa in Petro, sit indistincta realiter ab ipso Petro, sicut datur motus actionis physicæ ad ipsum Petrum, ita datur motus ad indistinctam realiter, identificatamq; illi esse positivo, negationem Leonis.

Quod autem attinet ad actualitatem & realitatem negationum non inexistentium subjecto, illa imprimis peti potest ex amplitudine acceptibilitatis hujus termini actualitas & realitas. Sicut enim potest accipiens, ita lato modo, ut sit commune ad negationes etiam, cur non etiam accipi potest Ly actu & realiter ut sit commune, etiam ad negationes, quæ non sunt fictæ & intentionales. *Peti item potest hæc realitas* & actualitas ex eo, quia etiam negationes tales, dicunt positivum negatum, neque enim negatio potest esse ut dixi Concl. 1. nisi positivi, ratione ergò illius positivi, participant de realitate & actualitate, ita ut sicut lux, & odor non sunt idem nemine cogitante, ita & negatio lucis, à negatione odoris, sit alia nemine cogitante, per imitationem ut ita dicam positivorum quæ negantur. *Peti denique potest* ex eo, quia datur objectivum, *Non est*, præsuppositum omni possibili negativæ enunciationi, & sic ab æterno negatio existentiæ hominis, erat illud *Non est* objectivum præsuppositum. Ex his

Inferes. Quomodo se habeant comparatæ inter se negationes inexistentes subjecto, & non inexistentes quoad suum esse actuale, conveniunt enim in hoc quia utraque negatio, est nemine cogitante, differunt autem subjecto, imputatione recti, terminatione actionis physicæ, saltem in alio, quæ competunt inexistentibus negationibus. Differunt denique, quia inexistentes, possunt dici habere esse physicum & positivum, non inexistentes autem non habent esse physicum & positivum, nisi illud esse, latius sumptum.

Objicit II. Sequitur in sententia oppositâ dari nunc de facto simul infinitam cathegorematicè multitudinem negativam, siquidem tot

nunc actu & simul dantur nemine cogitante, quot sunt possibiles res creatæ, quæ de facto nunc non existunt. Unde cum hæ sint Syncathegorematicè infinitæ, negationes illarum, quæ nunc simul omnes dantur, dabuntur cathegorematicè infinitæ, infinitum autem negationum iisdem argumentis impugnatur, quibus & infinitum entium. Et ratio est, quia illæ implicantiæ desumuntur, ex solo præcisè numero, non ex materia positiva.

Respondetur. Non fore illas negationes, inexistentes enti positivo infinitas cathegorematicè, secundùm id quod dicunt in recto, cum ipsa entia positiva, quibus infundantur non sunt infinita actu, secundùm autem id, quod dicunt terminativè & tanquam objectum sunt infinitæ, sed non cathegorematicè, quia negant esse positivum, quod ipsum, quia non est infinitum cathegorematicè, nec negationes illæ accommodantes se negatis positivis, erunt infinitæ. Præcipuè autem, quia esse talium negationum, est ipsum non esse, actualitasque illarum, est non esse actu. Et per hoc ostenditur, quòd etiam negationum non inexistentium subjecto, nulla sit actualis infinitudo, cum illarum actualitas, sit, non esse actu. Retorqueri etiam idem argumentum posset, an relatio diversitatis, quam dicit Petrus ab omni alio ente possibili, claudat sub se infinitum relationum cathegorematicè, an infinitum relationum syncathegorematicè. Quæ adferuntur ex august. & S. Thoma, non plus volunt, quàm quòd in recto negationes, dicant aliquid positivum, illique infundentur, vel quòd positivum negent, & nunquam sint summum malum. Quanquam aliqua loca, quæ adferuntur non inferunt thesin. Concedo enim loco illum de Natura Bonic. 14. quòd Deus quarundam rerum privationes decenter faciat, sed nego inde inferri, ergò non dantur negationes distinctæ, ab omni ente positivo.

Objici III. sic potest. Per nos non dantur propositiones æternæ veritatis actu veræ, sed nonnisi fundamentaliter, ergò idem dicendum de negationibus.

Respondetur. Si revolvat se mens in se ipsam, advertet se negationes non concipere, nisi præconcepto positivo, experirique hoc, quisque in se potest, circa negationes, quarum nunquam in ante, formavit conceptum. Quo facto si daretur intellectus creatus ab æterno, elevatus ad videndum Deum, non haberet fundamendum concipiendæ negationis lucis nisi in Deo, cujus essentia, non potest identificari luci, ergò jam in essentia divina, cognita, non identificante sibi lucem, haberet fundamentum intellectus noscendæ negationis lucis, haberet idem fundamentum in intellectu, non noscēte actualitatem lucis, fundamentum in voluntate nō decernente productionem lucis, in omnipotentia non concurrente ad productionem lucis; sed hoc fundamento posito, diceret etiam intellectus: non est lux ab æterno, idque ideò: quia licèt illam actualitatem negationis lucis, fundamento nonnisi habito, in positivis, enuntiare possit, quia tamen de facto independenter à nostris notitiis, est negatio lucis ab æterno, fit ut illa aliæque omnes negationes, præter fundamentale illud esse ab æterno, habeat non esse suum actuale, nihil autem simile est nemine cogitante actu circa essentias rerum. Et certe nemine cogitante, vel est ab æterno negatio lucis, vel non est, si est, habetur intentum, si non est, ergò est lux: nam non esse non potest tolli, nisi per esse, tale autem quid non potest proponi de essentiis actu.

De negationibus temporalibus sic discurrit idem. Quod sint temporale positivum impedimentum rei negatæ.

I. Argumentum est inductio. Privatio formæ ignis in ligno, v.g. activè sumpta, est realiter ipsa forma ligni, impediens in omni eventu naturali, formam ignis. Passivè autem sumpta, est ipsa forma impedita, tenebræ seu privatio lucis activæ sumpta, est interpositio corporis opaci, inter illuminabile & corpus luminosum, passivè autem sumpta, est ipsa lux quatenus impedita per talem interpositionem.

Respondetur. Concedo quod tenebræ requirant lucem impeditam. Sed quærere restat: posita luce impedita vel sequitur necessariò, negatio lucis vel non? si non? ergo nec sequuntur tenebræ, quæ supponuntur sequi, in sensuque composito cum impeditione lucis, ne sit, erit adhuc lux, quia non erunt tenebræ; Si sequitur necessariò negatio lucis, quæro: an negatio lucis sit distincta ab omni ente positivo lucis vel non? si est distincta habetur contrarium intento arguentis: si non distincta ergò non lux quæ est aliquid contradictoriè oppositum luci, non erit distinctum à positivo lucis, quanquam rigolè loquendo, malus videtur formari conceptus tenebrarum lux negata, quia de re contradictoria luci nullus formatur conceptus, non contradictorius rigorosè, luci autem lux negata opponitur rigorosè seu quoad vocem contradictoriè. Rursus quia jam tenebræ dicerent in recto lucem, sed lucem in recto tenebræ dicere non possunt, quia quod dicit in recto lûcem, dicit in recto illuminativum, de tenebris illuminativum dici non potest. Jam autem rectum, etiam sine addito, dici solet de illis, quorum est rectum, ita in recto animalitas Petri dicit Petrum, diciturq; sine addito Petrus, & sic de reliquis In re tamen, est hæc oppositio contradictoria, quia sicut enti opponitur non ens, & si facias meram vocalem tran positionem, Ens non erit adhuc contradictio, ita & in præsenti. Deinde quia negatio cui jungitur, subdit illud sibi & malignat illud

illud debellatque quamvis vocaliter ipsa subdatur, verè ergo illa lux negata, non erit quid positivum, sed negatio lucis.

II. Argumentum ejusdem est. Nullus purus defectus, distinctus realiter ab omni bonitate, & consequenter ab entitate, potest incipere esse à parte rei de novo. Ergo cum negationes temporales, incipiant esse à parte, non sunt puri defectus, distincti ab omni bonitate & entitate, sed potiùs identificantur realiter in aliqua entitate, incipiente esse à parte rei. Consequentia patet. Antecedens probatur. Quia omne quod incipit esse à parte rei, incipit esse ex vi principii alicujus, ex quo resultat, & à quo determinatur, ut incipiat esse, nihil enim se ipsum determinat ut incipiat esse in tempore, quod autem resultat, quomodocunque ex aliquo principio, à quo determinatur ut sit, debet in illo principio aliqualiter contineri, illique assimilari, licèt defectuosè. Cum ergo nullus purus defectus, distinctus ab omni ente, contineatur ullatenus in ullo principio, nullique principio etiam defectuoso, assimiletur; non enim Deo qui est purum bonum, non etiam ulli causæ secundæ, quæ itidem est bona, ergo nullus defectus distinctus realiter ab omni entitate, potest incipere esse à parte rei.

Respondetur. Concedo totum, quòd ordinariè temporales negationes non adveniant, quin simul veniat aliquod positivum naturaliter, quia nulli creaturæ inest vis annihilativa, sed inde non sequitur, non dari ullas negationes, quæ sint nemine cogitante distinctæ ab omni ente positivo; Nec sequitur casu quo fieret annihilatio, id non eventurum. Denique cum etiam negationes sint latiori modo ens, habebunt adhuc suam bonitatem, continerique in causis, latiori modo poterunt.

III. Argumentum. Omne contingens quod datur à parte rei, est ex amore innato vel elicito sui principii erga se, omne enim agens intendens ad bonum operatur, ita ut omnis effectus causæ sit, vel bonum finaliter intentum ab agente, vel saltem medium utile ad bonum finale. Cùm igitur tenebræ, peccatum, & similes negationes contingentes, habeant causam & quidem bonam ut probat S. Th. oportet ut habeant aliquam bonitatem saltem in ratione medii, vi cujus sint amabiles à sua causa. Idem probatur inductione, quod nullum ita sit defectuosum, quin competat illi aliqua perfectio.

Respondetur. Duplices sunt effectus, aliqui effectus proprii, & hi requirunt causam perfectivè agentem, ponitur que tunc aliqua in se entitas, ad quam terminatur actio propria. Alii effectus sunt improprii, talis improprius effectus, sunt tenebræ, silentium &c. Supponuntque ut ita dicam causam defectivè agentem, hoc est non operantem. Hi defectus non est necesse ut in se terminent actionem, possuntque non proficisci ex actione, amore; sed proficisci ex eo, quia non amantur, quia nihil agitur. Rursùs, etiam illis, conceditur à nobis, sicut entitas, ita & bonitas latiori modo sumpta. Addo hoc argumentum tractat de negationibus inexistentibus subjecto, de quibus supra dictum, quod non sint distinctæ ab omni ente positivo, ejusque bonitate in recto.

Denique Addo hanc categoriam, negationum. Est negatio ut sic, sub illa ponitur negatio nemine cogitante & aliquo cogitante, sub negatione nemine cogitante ponitur negatio quodammodo physica actualis, & tales sunt negationes inexistentes subjecto, & aliæ actiones actuales non physicæ, talesque sunt negationes æternæ in se spectatæ.

Post disceptationem de Negationibus succedit negatio tractandi Metaphysica. Utinam hic de Ente Tractatus cedat ad honorem Entis Entium.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b.M.

INDEX I.
IN METAPHYSICA CONTENTORUM.

TRACTATUS I.

DISPUTATIO I.

De ente in Communi. pag. 1
QUÆSTIO I. De Ente secundùm se. 5
Difficultas I. Quid definitivè Ens. ibid.
Difficultas II. Cui competat esse ens formaliter. 7
Punctum Difficultatis 1. Deciditur quæsitum ibid.
Punctum Difficultatis 2. Respondetur oppositis. 9
Punctum Difficultatis 3. Alia argumenta contra conclusionem. 11
Difficultas III. De conceptu entis secundum se. 13
Punctum Difficultatis 1. An possit dari conceptus entis perfectè unus. ibid.
Argumenta Reliqua in contra. 15
Punctum Difficultatis 2. An conceptus ille entis sit Analogus. 17
Punctum Difficultatis 3. Quomodo salvari possit Analogia Entis? 19
QUÆSTIO II. De Ente prout possibile est. 21
Difficultas I. Quis sit possibilitatis conceptus per alios. 22
Difficultas II. Quis sit conceptus possibilitatis. 23
Difficultas III. Attinguntur aliquæ possibilitatem concernentia contra Recentiores. 25
Punctum Difficultatis 1. Solvuntur objectiones. 29
Punctum Difficultatis 2. Respondetur Recentioribus Argumentis. 31
Punctum Difficultatis 3. Continuatur solutio. 33
Punctum Difficultatis 4. Expenduntur aliquæ propositiones. 35
Punctum Difficultatis 5. Restaurantur argumenta. 36
QUÆSTIO III. De Ente prout est essentia. 40
Difficultas I. Quale esse non habeant creaturæ ab æterno? ibid.
Punctum Difficultatis 1. Proponuntur suppositia adstruentium statum realem essentiarum ab æterno. 41
Punctum Difficultatis 2. Impugnatur hæc sententia. 42
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur argumenta in oppositum. 44
Difficultas II. Qualenam Esse habeant Essentiæ ab æterno? 46
Punctum Difficultatis 1. De sensu propositionum æternæ veritatis. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Deciditur de esse competente essentiis ab æterno? 49
Punctum Difficultatis 3. Quod verificativum propositionum æternæ veritatis? 50
QUÆSTIO IV. De ente prout Existentia est. 52
Difficultas I. An sit distincta realiter Essentia ab Existentia? ibid.
Difficultas II. Quomodo distinguatur Essentia ab Existentia? 54
Difficultas III. Solvuntur rationes pro distinctione reali Essentiæ ab Existentia.
Punctum Difficultatis 1. Rationes Thomistarum, ibid.
Rationes Recentiorum. 58

DISPUTATIO II.

De Attributis Entis. 60
QUÆSTIO I. De Attributis in Communi. ibid.
QUÆSTIO II. De Attributis in Particulari. ibid.
Difficultas I. De Unitate. 61
Punctum Difficultatis 1. Qualem divisionem neget Unitas? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Esse unum, estne quid positivum, an negativum? 63
Continuatur solutio. 67
Punctum Difficultatis 3. An unitas possit præscindi ab Ente? 69
Punctum Difficultatis 4. Quotuplex sit Unitas in particulari, quid hæcceitas? 71
Punctum Difficul. 5. De reliquis individualem unitatem concernentibus. 72
Difficultas II. De Veritate. 73
Difficultas III. De Bonitate. 74

DISPUTATIO III.

De distinctionibus. 75
QUÆSTIO I. De Distinctionibus in Communi. ibid.
Difficultas I. Explicantur quidam termini huc concernentes. ibid.
Difficultas II. An detur & quid sit distinctio? 76
Difficultas III. De Divisione Distinctionis & Natura Extremorum ejusdem. 77
QUÆSTIO II. De Distinctione Reali rigorosa inter Rem & Rem. 78
Difficultas I. Quid sit distinctio Realis rigorosa. ibid.
Difficultas II. De Signis Distinctionis Realis per alios. 79
Punct. Diffic. 1. De Signo distinctionis quod est Separabilitas. 80
Punct. Diff. 2. De Signo Distinctionis quod est Oppositio producentis & producti, suppositorumque diversitas. 81
Punct. Dif. 3. De Signo Distinctionis Realis quod est, posse habere propriam Existentiam. ibid.
Difficultas III. Adfertur Signum Universale distinctionis Realis. 82

QUÆ-

QUÆSTIO III. De Distinctione per Connotata. 84
Diffic. I. Præmittuntur quædam de Connotatis. ibid.
Dif. II. An dentur & quid sint connotata. 86
Diff. III. Solvuntur objectiones. 89
Difficultas IV. Solvuntur aliæ objectiones. 90
Difficultas V. Notantur alia de Connotatis. 92
QUÆSTIO IV. De Distinctione Modali. ibid.
Difficultas I. Proponitur primum fundamentum Modorum. 93
Difficultas II. Probatur bonitas allati Principii & reliqua principia referuntur. 95
Difficultas III. Solvuntur argumenta Philosophica contra principia Modorum. ibid.
Difficultas IV. Solvuntur instantiæ Theologicæ. 97
Diff. V. De Definitione & Essentia Modorum apud alios. 98
Difficultas VI. Proponitur definitio Modorum & mens Suarii. 99
Diffic. VII. De proprietatibus Modorum, signo, Divisione. 100
QUÆSTIO V. De Distinctione Virtuali. 101
Difficultas I. Quid distinctio Virtualis. 102
Punctum Difficultatis 1. An Distinctio Virtualis sit Distinctio realis in tertio, & aliis distinctionem Virtualem concernentibus. 103
Punctum Difficultatis 2. Restituuntur duæ rationes pro eadem Conclusione. 106
Punctum Difficultatis 3. Adduntur aliqua. 109
Punctum Difficultatis 4. Demonstraturnè non posse dari distinctionem virtualem in creatis. 121
Punctum Difficultatis 5. Continuatur hoc Examen. 123
Difficultas II. De Præcisionibus objectivis in Divinis. 126
Punctum Difficultatis 1. Deciditur de Difficultate. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Veranè hæc propositio? Nulla est perfectio realis & prædicatum in Paternitate, quod negetur in sensu reali de Deitate. 129
Responsiones ad Argumenta. 130
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur objectiones. 133
Difficultas III. Utrum dentur in Creatis Præcisiones objectivæ. 137
Punctum Difficult. 1. Respondetur oppositis fundamentis. 139
Punct. Difficultatis 2. Respondetur reliquis objectionibus. 140
Punct. Difficultat. 3. Argumenta Recentiorum. 142
Continuatur solutio. 144
QUÆSTIO VI. De Distinctione Formali ex Natura rei. 147
Punct. Difficultatis 1. Examinantur rationes. 149
Punct. Difficult. 2. Probatur conclusio. 150
Punct. Difficult. 3. Respondetur objectionibus. 153
Punct. Difficult. 4. Continuatur solutio objectionum. 155
Punct. Difficult. 5. Argumenta Recentiorum. 158
QUÆSTIO VII. De Distinctione Rationis ratiocinatæ & ratiocinantis. 161

DISPUTATIO IV.

De Speciebus Entis. 162
QUÆSTIO I. De Substantia. ibid.
Difficultas I. De Substantia secundùm se. 165
Punctum Difficultatis 1. Quid definitivè substantia? 167
Punct. Difficult. 2. De distinctione Subsistentiæ à Natura. 169
Punctum Diffic. 3 Solvuntur objectiones. 171
Punct. Dif. 4. Continuatur solutio. 174
Punct. Diff. 5. Respondetur ad rationes Recentiorum. 177
Difficultas II. De Subjecto, Causativitate, & effectu formali subsistentiæ. 178
Difficultas III. De variis subsistendi modis. 182
Punct. Diff. 1. De modis subsistendi subsistentia creata. ibid.
Punct. Dif. 2. De variis modis subsistendi subsistentia Increata. 183
Punctum Difficultatis 3. Potestnè Persona divina Personam creatam assumere. 187
QUÆSTIO II. De Accidenti. 188

DISPUTATIO V.

De oppositis Enti Reali. 190
QUÆSTIO I. De Natura Entis rationis. ibid.
Difficultas I. Explicatur quid sit Ens Rationis. ibid.
Punctum Difficultatis I. Quid per alios Ens Rationis. ibid.
Punctum Difficultatis II. Præmittuntur quædam ad explicandam Naturam Entis Rationis. 192
Punctum Difficultatis III. Deciditur de Difficultate. 194
Difficultas II. An detur Ens Rationis. 195
QUÆSTIO II. De Causis Entis Rationis. 198
Difficultas I. De causa creata Entis Rationis. ibid.
Difficultas II. De causa increata Entis Rationis. 199
Difficultas III. Potestnè cognosci Objectum distinctum ab omni Ente reali. 201
Punctum Difficultatis I. Quid tenendum. ibid.
Punctum Difficultatis II. Impugnantur Responsiones. 202
Punctum Difficultatis III. Solvuntur Objectiones. 204
QUÆSTIO III. De opposito Enti non Ente. 207
Difficultas I. Quid tenendum. ibid.
Difficultas II. Argumenta in oppositum. 209
Difficultas III. Argumenta Recentiorum. 210

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX II.

CONCLUSIONUM IN METAPHYSICA.

DISPVTATIONE I.

De Ente in Communi.

Præmittuntur notiones Terminorum. Ly Ratio non debet accipi prout hîc de illa, pro solo actu Intellectûs, aut denominatione ab illo orta. Nec est formaliter, omne illud quod solum vel principaliter tanquam aliquid simplex potest concipi. Et quamvis exacta definitione definiri non possit, potest sic circumscribi quod sit illud, quod Entis, objectivè acceptum. Formalitas non rectè describitur per hoc, quod sit ratio identificata objecto, adeoque quodlibet intelligibile entitativè cum altero idem, quod solum vel principaliter tanquam aliquid simplex concipi potest. Sed est ratio habens se per modum actûs.

Res est concretum quoddam ex ente & ratitudine. Sicut & modus est concretum ex ente & modalitate.

Nomine Quidditatis venit formalitas quæ competit objecto secundùm se spectato. Spectaturque abstractè & concretè. Esse Musicum v.g. non est quidditas Petri, est tamen quidditas quà Musici.

Positivitas non rectè explicatur per hoc quòd sit affirmabilitas in suo Esse, non ex solo cognoscendi modo, sed est formalitas secundùm Quod ipsum esse est.

Præmittitur explicatio Principiorum merè Metaphysicorum.

Primum Principium est quodlibet est vel non est. Sed Ly est vel non est, non debet sumi contrariè nec in diversa suppositione. Unde vis dicti. Principii stat in hoc, quod debeat esse contradictio ngando & affirmando idem de eodem, ratione ejusdem.

Secundum Principium est Impossibile, est idem esse & non esse, & hoc secundum principium, est universalius priori. Et utroque est universalius licèt identicum Principium omne Ens est Ens.

Discurrendo de Ente secundum se, distinguenda sunt Ens & Entitas. Quod ipsum Ens variè accipitur. Cæterum Ens nominaliter acceptum non rectè definitur, quòd sit omne illud quod chimæra non est Ibid. Nec est id, quod primo in se formaliter non est nihil. Nec est id quod dicit aptitudinem ad existendum. Nec est id, quod à parte rei est Unum, verum, Bonum; Nec est Principium distinctionis motivum formale Potentiæ intentionalis, vel unde incipit numeratio contradictoria. Sed nominaliter acceptum Ens, est Ens prout est radix Esse primo formaliter. Ens autem participialiter est Ens prout habet, primò formaliter existentiam. Ens autem commune ad utrumque est Ens, cui competit esse indefinitè & non restrictè illud accipiendo.

Differentiæ sunt formaliter Ens, accipiendo illud contractè determinatè &c. Non sunt tamen formaliter Ens accipiendo illud pro ratione communi Entis. Ens tamen contrahitur à differentiis, sed non vera contractione.

Potest dari conceptus Entis perfectè unus.

Hoc

Hoc ipsum Ens prout consideratum in statu Præcisionis non est Analogum. Nec item Analogia ejusdem desumi potest ex statu reali Entis, Salvabitur tamen illius Analogia, si ratio illa quæ fuit abstracta, comparatè sumatur ad Differentias.

De Ente prout possibile est.

Possibilitas sumi dupliciter potest, primò prout contra ponitur existenti, & hæc appellatur possibilitas Physica. Secundò prout est quid commune tum actu existenti, quàm ei quod non existit, est tamen aptum existere, & hæc appellatur possibilitas Logica. Hæc possibilitas Physica præter formalitatem possibilitatis sibi communem cum possibili Logico, etiam dicit carentiam actualis existentiæ. Non tamen dicit carentiam sui.

Possibilitatis Conceptus non est definitivè posse à Deo creari.

Nec item rectè explicatur possibilitas tanquam per aliquid primum quòd sit entitas non involvens contradictionem si existat. Sed potius possibile, est Ens ipsum prout est radix nexus essentialium prædicatorum, ad quem nexum sequitur non implicare contradictionem.

Inferes possibilitatem rerum ab æterno nihil in se actuale esse, quod sit actu, nemine cogitante. Sed tantum est actu ab æterno quoad suum fundamentum. Quod fundamentum potest reduci intentionaliter.

De fide est possibilitatem activam creaturarum esse omnipotentiam. De fide item est possibilitatem passivam non esse omnipotentiam. Hinc non est cautum dicere indiscriminatim possibilitas est Omnipotentia.

Possibilitas non est mera denominatio extrinseca. Sed est in aliquid se intrinsecè, sed Metaphysicè. Expenduntur propositiones Recentiorum de hac materia. Præter possibilitatem activam dari etiam debet possibilitas passiva.

De Ente prout Essentia est.

Essentia definitivè est ipsum Ens, prout est radix primò & formaliter essendi.

Essentiæ non habent ab æterno esse diminutum, prout illud explicant Scotistæ. Nec datur status essentiæ ab æterno.

Propositiones æternæ Veritatis, quo sensu absolvunt à tempore. Sensus illarum non est Hypotheticus. Sensus earundem ostenditur. Habent Essentiæ ab æterno, esse aliquod reale, condistinctum ab Esse objectivo in mente Dei, & Esse contento in omnipotentia, licet illud esse, non habeant realiter.

Verificativum Propositionum æternæ veritatis non est sola Deitas. Consequenter nec illa est unicum Divinarum, cognitionum & volitionum motivum.

De Ente prout Existentia est.

Ens prout existens, est ipsum Ens, prout est extra causas. Non est existentia distincta realiter ab essentia. Sed connotativè. Potest præscindi ab essentia.

DISPUTATIONE SECUNDA.

de Attributis Entis.

Q*uid sint Attributa.* Dantur, sunt tria. Nullus datur inter illa ordo realis, datur rationis.

Vnitas non est quid distinctum ab Ente realiter, neque formaliter ex natura rei actu. Negatio divisionis in se accusativè, seu à se, est negatio importata ab Unitate. Hinc unum non est quid positivum simpliciter, & absolutè.

Unum ut sic potest præscindi ab hoc & illo uno; licèt non possit præscindere, ab illis pluribus in quæ divisionem negat unitas, potest autem præscindere ab Ente.

Explicantur varii modi unitatis. Non est idem formaliter unitas Hæcceitatis, & unitas transcendentalis. Principium constitutivum Hæcceitatis non est collectio accidentium. Nec materia signata. Distinguuntur aliquo-

modo Hæcceitas & unitas individualis, & accipiendo illas ut ita distinctas, adhuc dupliciter spectari possunt.

Actio secundùm quod importat modalitatem, requirit essentialiter principium hoc. Licèt idem effectus possit produci, à diversis numero actionibus, sicut & Unio secundum quod non est sine modo, potest unà per diversas numero actiones produci.

Veritas est duplex objectiva & formalis, objectivè sumpta non constituitur primò negatione falsi, relativè spectata, est conformitas ad intellectum cognoscentem objectum sicuti est. Absolutè autem spectata est ipsum esse, sicut esse debet.

Bonitas multipliciter accipi potest. Per rationem convenientis non constituitur primò Bonitas. Sed potius per radicem, ex qua fluit appetibilitas.

DISPVTATIONE III.

De Distinctionibus.

QUid Differentia, Diversitas, Divisio, Distinctio: Quæ ratio hujus partitionis. Distinctio & alteritas, non sunt idem, & ab alietate, differt suo modo & cum eadem convenit.

Datur distinctio. Ea definitivè, non est exclusio Entis, vel modi, ab eo esse, vel essendi modo, non quo Ens, vel modus entis est. Sed definitivè est Alietas unius ab alio, vel carentia identitatis. In re autem distinctio, est ipsum subjectum distinguibile.

Dividitur distinctio in Realem & Rationis. Non datur inter illas media, nisi hoc sensu quòd sit aliqua distinctio, quæ neque est rigoroſè realis, neque rigoroſè rationis. Variè dividitur distinctio realis ibid. Sicut & distinctio rationis. Duo Entia rationis distinguunturne nemine cogitante realiter? Universaliter si nomine distinctionis actualis, intelligas distinctionem nemine cogitante, illa non requirit existens utrumq; extremum.

Species nobilissima distinctionis, est distincto realis, ejus natura pernosci non potest, nisi sciatur quid sit res. Quæ non rectè explicatur per opinabile, aut per rationem prædicati transcendentalis, aut ejus, quod habet esse independens ab intellectu. Nec est id formaliter, quo stante, mutatis reliquis manet idem Ens. Nec est formaliter id, quod conjunctum cum altera ratione, extrahit illam, ad aliam Entis speciem. Res est quid concretum ex Ente & realitate, realitas autem, est aptitudo existendi sine alio. Quæ realitas potest prædicari de Re abstractè accepta, non autem concretè.

Distinctio Realis, est Alietas realis unius extremi ab alio. Signum hujus distinctionis in communi sententia, est separabilitas, ad utriusque extremi permanentiam. Oppositio producentis & producti. Diversitas item suppositorum. Sed hæc signa non sunt universalia, nec item est universale signum ejusdem distinctionis, posse habere propriam existentiam. Sed in creatis signum universale ejusdem est, separabilitas entitativa. In Divinis oppositio producentis & producti, vel si novitas phraseos non est vituperabilis, posset signum distinctionis in Divinis poni separabilitas personalis. Ex separatione quomodo arguitur distinctio realis. Tenetnè consequentia à negatione distinctionis realis, ad identitatem realem, vel à negatione identitatis realis, ad realem distinctionem.

Loquendo de distinctione per connotata, quid connotans, connotatum, connotatis, connotativum? Relativum & connotativum distinguuntur, & Genus ad illa, est ly respectivum. Quando est subjectum connotans, & id quod connotatur, solet oriri nova denominatio. Rectum quod dicit connotatio est subjectum fortiens denominationem. Habetque se per modum materialis. Id autem quod dicit in obliquo, habet se per modum formalis. Licèt non sit quid principale & primarium in connotato. Obliquum quod connotatur, interdum est quid reale, interdum modale, interdum negativum, Quis status quæstionis, inter affirmantes, & negantes connotata. Obliquum importatum à connotatione, vel relatione, non solum subjecto Relato, aut connotanti, sed & ipsi relationi, & connotationi, est extr nsecum. Est tamen intrinsecè requisitum. Non dico tamen, subla-

to

to obliquo, manere connotationem, quoad entitatem.

Dantur Connotata. Triplex de illis formari potest conceptus. Si connotatio accipiatur secundum obliquum, interdum inferet distinctionem realem actualem. Datis entibus Connotativis, non auferentur entia absoluta. In hac sententia aliud est rigorosè Petrus & Paulus similes, & aliud Petrus est similis Paulo. Dantur aliqua connotata, quibus mutatis, mutatur est ipsa Entitas connotantis.

De Distinctione modali loquendo, nomine modi multa veniunt. Alii sunt modi essendi, alii Entitativi. Quod fundamentum principale modorum? Plures definitiones modi non tenent. Sed benè definitur. Quod sit determinatio Physica indifferentis rei. Modos tenuit Suarez. Quæ proprietates modorum? Quod signum. Dicit essentialem ordinem ad hoc modificatum. Potest habere rationem rei. Creaturæ respectu Dei nec Personæ Divinæ inter se sunt modi. Quomodo Modi inter se distinguuntur.

Quod attinet ad Distinctionem Virtualem quis illius ortus. Quid nomine distinctionis virtualis non debeat venire. Quid debeat. Duplex est distinctio virtualis. Quod illius signum. Distinctio Virtualis in Divinis non est distinctio realis in tertio. Non posse dari distinctionem Virtualem ut vocant intrinsecam increatis demonstraturne?

Quid Præcisiones objectivæ. Dantur in Divinis, Defenditur essentiam v. g. non generare in sensu reali. Dantur Præcisiones objectivæ etiam in creatis.

Quid venit nomine Distinctionis formalis ex natura rei actu. Quis status quæstionis in præsenti. Quæ illius definitio, signum. Tenuitné illam Scotus. Quomodo dividantur formalitates. Cæterum tamen distinctio formalis ex natura rei præcisè & secundùm se spectata, quæ tamen sit nemine cogitante non datur. Ostenditur sensus, quo admitti posset. Nomine Distinctionis Ratiocinatæ non est intelligenda distinctio, quæ præexistat antequam Intellectus ratiocinatur. Sed est distinctio, quæ est cum fundamento in re, sicut distinctio, quæ est ex solo concipiendi modo, est distinctio rationis ratiocinantis. Utraque bene salvari potest, per sola connotata.

* * *

DISPUTATIONE IV.

De Speciebus Entis, Substantia, & Accidente.

Quis conceptus substantiæ. Explicantur Termini materiam de subsistentia concernentes. Agnovitne Aristoteles distinctionem subsistentiæ. Quæ controversiæ in Ecclesia fuerunt in hac materia.

Quid est esse Individuum, seu substantiam primam. Quid habere rationem Totius. Quid habere rationem perfecti.

Definitivè subsistentia, est substantia prima seu ipsum Individuum, prout dicit rationem totius. Non distinguitur subsistentia sola ratione. Nec ex natura rei Scotisticè, nec modaliter. Subsistentia secundum, id quod dicit in recto, non distinguitur nemine cogitante à Natura. Distinguitur tamen nemine cogitante ratione connotati. Quantumvis tamen ex Phrasibus Patrum, non colligatur distinctio Entitativa subsistentiæ, planior tamen est modus defendendi, illam esse distinctam entitativè.

Non dantur partiales subsistentiæ. Non est possibilis substantia completa non tamen subsistens, Accidens non potest esse subjectum subsistentiæ. Subsistentia non est principium effectivum operationum. Requiritur tamen, tanquam Conditio per se ad operandum.

Effectus formalis Subsistentiæ, est reddere naturam stantem, per modum totius. Formalis autem effectus secundarius ejusdem, non est constituere naturam in ea incommunicabilitate, quæ opponatur inhærentiæ. Nec reddere Naturam incommunicabilem alteri ut suppositio. Sed effectus formalis secundarius subsistentiæ est, reddere naturam substantialem: non habentem rationem partis. In nostris Principiis Substantia creata, non potest terminare, Naturam increatam, imò nec in aliorum. Imò nec potest subsistentia creata, terminare naturam creatam, nec in nostris Principiis, eandem naturam plures Subsistentiæ propriæ. Secus Subsistentiæ distinctæ.

Inadæquata terminatio à Persona Divina impossibilis est. Potest terminari adæquatè Natura creata à pluribus Personis Divinis. Cæterum non est possibile, & in nostris, & in aliorum Principiis, ut Persona Divina, solam Personam creatam assumat.

Primo essentialis conceptus Accidentis, non est actualis inhærentia. Imò nec aptitudinalis, sumpta pro quacunque inalietate.

Formatur conceptus debitus Accidentis. Non rectè per plures explicatur conceptus inhærentiæ. Adfertur hic conceptus.

DISPUTATIONE V.

De oppositis Enti Reali.

QUænam opponantur Enti Reali. Nihil & negatio opposita Enti, quomodo inter se distinguantur.

Enti Reali opponitur etiam Ens Rationis. Quid per alios Ens rationis. Non est idem formaliter & absolutè ens impossibile & ens rationis. Nec est idem formaliter ens rationis & negatio. Ens rationis est quid compositum per rationem compositionis saltem æquivalenti. Quid in fabricatione entis rationis spectari possit.

Convenit enti rationis possibilitas extrinseca, stans in posse fingi, & hæc est realis. Convenit illi quædam licèt æquivoca intrinseca possibilitas.

Essentia idem. Et suo modo etiam existentia. Antequam præcedit, esse existentiale potentiale suo modo.

Ens rationis, est ens, dicens disconnexionem prædicatorum inquantùm illa est radix essendi tantùm objectivè intellectu. Potest fabricari ens rationis. Sed non à sensu externo. Nec à phantasia. Impossibile est fieri Ens rationis, per secundam & tertiam operationem ab illis, qui tenent impossibile esse illud ita fieri. Licet per primam operationem fieri possit ab his, qui oppositum tenent. Voluntas autem licèt ferri possit in impossibile conditionatè, non tamen fabricat rigorosè ens rationis. Deus cognoscit entia rationis à nobis facta. Facitque tunc ens rationis indirectè. Facit tamen aliqua entia rationis, etiam directè. Potest cognosci objectum distinctum ab omni ente reali. Estné ens rationis, non aliud, quàm Ens reale, vel entia realia substantia cognitioni necessariò fallæ.

Aliud enti oppositum sunt Negationes. Nulla negatio distincta, est à parte rei ab omni ente positivo, quod negat. Dantur aliquæ negationes inexistentes subjecto, quæ non sunt distinctæ ab omni Ente positivo, cui inexistunt. Præter negationes inexistentes subjecto positivo, dantur nemine cogitante negationes distinctæ, ab omni ente positivo, licèt indistinctæ ab omni ente positivo quod negant. Quæ doctrina etiam supponit quasdam esse negationes fictas, quasdam intentionales, quasdam nec fictas, nec intentionales, adeoque suo modo actuales, quarum actualitas est, non esse actu.

* * *

TRACTATUS II.
LOGICUS.
De Proœmialibus & de prima Operatione Intellectûs.

Præsens Disceptatio erit bipartita. Primùm disceptabimus de Proëmialibus Logicæ. Deinde de prima Operatione Intellectus tanquam Objecto partiali Logicæ; Et quidem tractatio de Proëmialibus extendet se ad omnes alias scientias & ad habitum etiam Theologiæ. Et quia opuscula mea ita vellem edita, ut ex illis unus quisque discere posit ea, quæ passim ea tempestate tractantur in Scholis, cumque discenda speculativè incipiant à Logica, ita difficultates temperandæ erunt, ne sub initium obruant ingenia, huic labori se accingentium. Sit

DISPUTATIO I.
De Natura Scientiæ & Objecti in Communi.

LIcèt quidem in Speculativis præsupponatur Objectum Scientiæ, quia tamen Objectum habet rationem differentiæ: Ipsa autem Scientia, ponitur pro genere in definitione habituum scientificorum, hinc prius de Scientiâ tanquam universaliori, quàm de Objecto tractabitur.

QUÆSTIO I.
De Natura Scientiæ.

NAtura rei definitione innotescit. Definitio constat Genere & Differentia, ut ergò innotescat, quid sit Scientia, quærendum hîc erit de Genere in Definitione ejus ponendo, accedemus postea ad differentiam. Ne tamen sit quæstio de subjecto non supponente. *Sit*

DIFFICULTAS I.
An sit Scientia?

PRÆMITTO I. *Aliquos veteres Academicos non agnovisse ullas novas Scientias.* Sed dicebant, esse aliquem intellectum omnium unum, qui quando unitur alicui, facit illum intelligentem, quando recedit ab illo, facit illum ignorantem.

CONTRA est I. Quia vel habebant unitum hunc sibi intellectum hi Auctores, quando asserebant, per conjunctionem illiùs intellectus nos fieri Scientes, & per separationem ab eodem fieri ignorantes, vel non habebant tunc sibi unitum hunc intellectum; si non habebant unitum sibi tunc, hunc intellectum. Ergò non sciebant, se scientes fieri, unione illius intellectus, si verò habebant unitum, quæro: cur non potius habebant sibi hunc intellectum unitum, illi, qui negabant nos fieri scientes per unionem cum isto intellectu: Quod si huic potius parti erat unitus, sequetur ab hac parte veritatem stare, nosq; non reddi scientes per unionem cum isto intellectu.

RESPONDEBIS. Illi parti uniri hunc intellectum, quæ habet phantasmata melius disposita.

CONTRA. Rediret quæstio; an hæc ipsa responsio supponat in respondentibus potius, & non in oppositum sentientibus, meliora phantasmata, adeoq; & scientiam.

CONTRA est II. Iste intellectus vel est unus, vel multiplex, si multiplex? non erit ratio cur non erunt tot intellectus, quot intelligentes; non etiam potest dici unus intellectus; quia sequeretur duos dissitos, non posse unum idemque intelligere & scire, quomodo enim unus intellectus, in pluribus foret locis, imò sequeretur uno sciente omnes debere esse ignorantes, quia cum uno tantùm, unus intellectus, potest conjungi.

Ex quo ulterius sequitur, duos dissitos non posse scire, quòd scientes reddantur per unionem istius intellectus, duobus enim dissitis non potest unum idemq; uniri.

Respondebis. Hunc Intellectum esse toto orbe fusum.

Contra. Tum quia, hujus asserendi nullum est fundamentum. Tum quia si intellectus est toto orbe fusus. Ergò & ignorantia est toto orbe fusa, præsertim cum longè plures sint ignorantes, reddiq; debebit ratio, cur non ductu ignorantiæ asseruerint, hoc sentientes dum dixerunt: nos fieri scientes per unionem cum isto intellectu. Tum quia si intellectus est toto orbe fusus qui reddit per illos scientes, jam erunt omnes scientes, & si toto orbe est fusus, quomodo separari à nobis poterit, vi cujus separationis, dicis homines reddi ignorantes.

Contra III. Quia cognoscere est aliquid intrinsecum & vitale. Ergò principium cognoscendi, quod est intellectus, non potest esse aliquod extrinsecum.

Præmitto II. *Pyrrhum & Heraclitum Philosophos, docuisse: non dari ullas Scientias, ex eo quod omnia in universo fluxa sunt* & labilia, hinc iidem nutu solo respondebant, ne antequam rem verbis exprimerent, res illa diffluaret ac mutaretur.

Contra hoc est I. Dantur multa immutabilia, quales sunt essentiæ rerum, nec enim mutatur, quòd homo, sit animal rationale.

Contra II. Vel dantur aliqua principia seu propositiones necessariæ, vel non dantur, si non dantur, Ergò ista propositio: Totum est majus sua parte, non est necessaria, poteritq; pars, major esse toto. Item hæc propositio: Quodlibet est aut non est, si non est necessaria, poterit aliquid esse & non esse, quod si dantur aliqua principia necessaria, Ergò poterunt sub illis subsumi Minores, v. g. sed Petrus est. Ergò falsum est quod non sit. Quod si sub illis principiis necessariis, possunt subsumi certæ minores. Ergò & dari Scientia, sciretur enim jam, Petrum dum est, falsum esse, quod non sit.

Contra III. Quia si nihil certò sciri potest. Ergò nec hoc scitur, quod nihil certò sciri possit. Ergò nec scitur nihil nos scire posse.

Præmitto III. *Platonem negasse dari Scientias ullas de Novo*, sed dicebat, ante unionem animæ cum corpore, dari in anima Scientias rerum omnium, sed quando jam uniuntur corpori obfuscari hanc Scientiam. Unde per illum aliquid scire, non plus erat, quàm habere reminiscentiam eorum, quæ in ante cognoverat.

Contra est I. Quia animæ illæ, si præexistunt ante unionem in corpore, deberent esse ab æterno productæ, ut etiam supponit hæc sententia, non sunt autem ab æterno productæ, quia oppositum docet fides, & ratio, quia animæ sunt essentialiter ordinatæ ad corpus; corpus etiam seu Materia essentialiter ordinatur ad formam, quamvis sub disjunctione; debebat ergò dari exigitivum aliquod, per quod illi ordines complerentur: hoc autem exigitivum non aliud est, quàm ipsæ dispositiones, quæ quia non erant ab æterno, nec productio animarum connaturaliter poterat esse ab æterno, quia si non erat ab æterno corpus dispositum ut de facto non erat, (solæ enim animæ dicuntur præfuisse ab æterno.) hoc ipso fuissent illæ animæ productæ, non ad exigentiam Causarum secundarum, innaturalisq; fuisset ista animarum productio. Idem medius Terminus negativa via proponi posset. Licet non repugnaret animas præexistere corpori, nullum tamen est fundamentum illas præexistisse.

Contra est II. Ista Scientia animabus præexistentibus, vel est naturalis vel acquisita, si naturalis. Ergò sicut natura etiam post unionem animarum non mutatur, alias non præexistentes animæ, sed aliæ hoc est mutatæ unirentur, ita & naturalia earum mutari non debent, si autem illa scientia erat acquisita. Ergò in ante illam animam non habuit. Ergò ex ignorante facta est in illo statu sciens: cur ergò etiam non poterit Scientiam acquirere de novo, posità unione ad corpus.

Contra III. Si Scientiæ de novo non darentur, sed sola reminiscentia, posset cœcus judicare, de coloribus, quod falsum. Sequela probatur: quia si ante unionem ad corpus præcognovit v. g. lac esse dulce & album, percipiendo dulcedinem lactis occurrentem hîc & nunc, per reminiscentiam, posset judicare de albedine, utpotè jam in ante præcognita.

His præmissis

Dicendum est I. *Dari Scientias de novo.*

Probatur I. Auctoritate Aristotelis 1. enim Metaph. cap. 1. *Omnes inquit homines naturaliter scire desiderant*, hic verò appetitus frustra esset, si non darentur de novo Scientiæ, expleri enim non posset, aut jam remaneret expletus, solumq; homo desideraret esse reminiscens, non verò sciens; similia habet 4. Metaph. tex. 22. & S. Thomas 1. parte 9. 84. art. 4. & August. lib. 3. contra Academicos cap. 4.

Probatur II. Dantur principia lumine naturæ nota, ex quibus possunt deduci infallibiles Conclusiones ut dictum supra. Ergò poterunt dari & Scientiæ de novo, ipsaq; experientia ostendit de novo dari Scientiam.

Probatur III. Nullum est fundamentum negandi, quod scientiæ de novo dentur, ut visum est in præmissis. Ex alia parte sicut quia videmus nunc accendi ignem, qui antea non erat incensus, inferimusq; illum de novo incendi, ita inferetur ex allata experientia, de novo dari Scientiam.

DIFFI-

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Plato. Illud quod de novo scire volumus, vel scivimus, vel non scivimus: si scivimus. Ergò de novo nihil scitur; si non scivimus. Ergò frustra illud scire volumus, & nunquam agnoscceremus, etiamsi fortè occurreret, quia nesciretur illud, quod scire desideratur: sicut qui nunquam vidit Regem, etiamsi illi occurrat Rex, non scit esse illum Regem.

Respondetur. Hoc argumentum probare, quòd etiam sensus nostri nihil de novo percipiant, directè autem dici potest ipsum Objectum determinare ad sui notitiam. Deinde dici potest, illud quod de novo scire volumus, si scivimus clarè, nihil nos de novo cognoscere, secus si scivimus confusè & in principiis; & sic qui non vidit Regem, habet tamen in ante ejus descriptionem, & occurrat illi Rex, noscet eundem, quod multo magis procedit circa Scientias, quæ infundantur principiis lumine naturæ notis, ipsa autem principia, se manifestant si occurrant, sicut lux, manifestat se videnti.

Objicit II. Idem. Si darentur de novo Scientiæ; vel acquirentur per sensus, vel ope Magistri, non per sensus, quia hi ad multa se non extendunt, & in multis errant. Non ope Magistri, quia Magister infundere species scibilium non potest, quæ tamen ad Scientiam sunt necessariæ.

Respondetur. Utroque modo acquiri Scientias, sensu quidem, quia ad quæ se ille objecta non extendit, tamen illa vel ratione effectuum procedentium ab illis objectis, quos attingit sensus, vel in aliquo simili noscit; nec erat in sentiendo, si auferantur impedimenta, quorum ablationem dictabit intellectus, præ informatus aliis sensationibus, rectè procedentibus. Addo quamvis cognitio intellectiva dependeat à cognitione sensuum, nihil enim est in intellectu, quod non præfuerit in sensu; non est tamen necessarium, ut cognitio intellectiva sit conformis cognitioni sensuum, quod si potest esse illi diformis, poterit illo errante, non errare intellectus. Ope etiam Magistri possunt Scientiæ acquiri, quia licèt ille per se ipsum non fabricet Species; exhibitione tamen doctrinæ, determinat extrinsecè phantasiam & intellectum agentem, ad fabricandas debitas Species.

Objicitur III. Intellectus noster frequenter errat. Ergò non potest esse principium actuum scientificorum.

Respondetur. Frequenter etiam non errare intellectum, & ut non erret, posse informari propositionibus scientificis, sibi innotescentibus.

Objicitur IV. Saltem nulla dabitur habitualis nova Scientia, quæ sit facilitas nova ad eliciendos actus scientificos consimiles antea factis; quod

Probatur à pari. Visus qui est potentia naturalis non indiget habitu ad videndum. Ergò non indigebit etiam intellectus habitu ad sciendum.

Respondeti potest I. Quia potest intellectus eidem propositioni nunc assentiri, nunc dissentiri, indigebit habitu, visus autem, objectum, semper videt, nec potest non videre. *Hæc Responsio*

Non satisfacit. Quia potest eadem statua apparere, nunc rotunda si à longè aspiciatur, nunc non rotunda, si de propinquo, nihilominus ad hoc tollendum, non datur ullus habitus vivivæ. Ergò nec dabitur ullus habitus intellectivæ. Immeritò etiam supponitur, quòd intellectus possit eidem propositioni nunc assentiri nunc dissentiri: id enim fallit in principiis lumine naturæ notis, si penetrentur.

Respondet II. Quidam. Non dari habitum ullum ad assentiendum Conclusioni demonstrativè deductæ: sed tantùm ad scientificam propositionem objecti, nam in hac sola propositione, sentimus difficultatem, posita verò jam ista propositione objecti, necessariò intellectus objecto assentitur & sine difficultate. *Hæc Responsio*

Non satisfacit. Tum quia ut visus attingat suum objectum, non datur ullus habitus in vivivа. Ergò nec dabitur ad scientificam propositionem objecti. Tum quia hæc responsio tollit habitum conclusionum, & ponit solos habitus præmissarum: quia scientifica propositio objecti, fit v. g. per præmissas; Et tamen respondens, ad solam scientificam propositionem objecti, adeoq; ad solas præmissas, & non ad conclusiones admittit habitum, cujus oppositum doceri solet. Tum quia si non admittitur habitus conclusionum, nec admitti debet assensus principiorum & præmissarum, quia horum assensus, à longè evidentiori objecto causatur. *Hinc aliter*

Respondetur III. Disparitatem esse quia visus non tantum est potentia necessaria, sed etiam determinata ad eundem operandi modum. Consequenter nulla supererit difficultas, tollenda ab habitu, nam determinatio ipsa facilitatem infert, cumq; nihil aliud sit in actu nisi substantia actus, & modus actûs, si ad hæc sit determinatio, adeoq; facilitas, nulla erit, quæ superetur ab habitu, difficultas; & ita quia determinatus est ignis ad eundem operandi modum, non indiget habitu ut urat, nec indigebit aqua habitu, ut humectet. Intellectus autem, licèt sit potentia necessaria, quia tamen non est determinata ad eundem operandi modum, ideò relinquit adhuc difficultatem superabilem ab habitu, eiq; locum facit. Quod verò eadem statua nunc rotunda nunc non rotunda appareat, id non arguit in visu diversitatem operandi; sed id referri potest in malam dispositionem vel organi, vel medii, vel in applicationem indebitam. Quando autem intellectus non necessariò assentitur objecto

conclusionis ex probabili medio deductæ, vel quia assentitur tali objecto cum difficultate, hoc non potest referri in dispositionem malam potentiæ, quia Deus, qui ut ita dicam dispositissimus est ad veritates penetrandas, judicat tamen ex medio probabili, non nosci certò objectum. Et ad has difficultates ex diversitate modi operandi ortas, quas difficultates dari etiam experientia docet, concedendi erant habitus.

OBJICITUR V. Aristoteles 2. Metaph. tex. 1. Ubi ille vult intellectum nostrum ita se habere ad ea, quæ sunt manifestissima sicut vespertilionum oculi ad lumen diei. Ergò sicut hi nil possunt videre, ita & intellectus nil potest scire.

RESPONDETUR explicando Aristotelem. Comparat illic Aristoteles nostrum intellectum cum triplici differentia objectorum. I. Si objecta sint *maximæ intelligibilitatis*, ut v. g. Deus, Angeli &c. ad talia objecta hebescit intellectus, sicut oculus nimia luce perstrictus. II. Si objecta sint *minimæ intelligibilitatis*, uti sunt influentiæ occultæ. Circa hæc etiam objecta fatiscit intellectus, sicut & oculus in videndis pulmonibus formicæ. III. Si objecta sint *mediæ intelligibilitatis*, quale est objectum si æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia &c. respectu horum non dicit quod se habeat intellectus sicut oculus vespertilionum, imò sicut oculus objectum debitè approximatum & illuminatum optimè aspicit; ita & intellectus objecta mediæ intelligibilitatis optimè agnoscit.

DIFFICULTAS III.

Quid sit Scientia & cujus Objecti.

IN quæstione quid sit aliquid, semper veniunt duo explicanda: 1. quid nominis? 2. quid rei?

QUOAD quid nominis. Triplex potissimum est acceptio Scientiæ I. pro Cognitione quacunque intellectuali, præsertim certa, sive illa evidens sit, sive inevidens; quo sensu dicit August. lib. 1. de libero arbitrio, *id nos scire quod certò cognoscimus*; & in hoc sensu fides & humana & divina, potest dici Scientia. Unde etiam August. lib. 5. de Doctrina Christiana. *Non est inquit verendum dicere, quod idoneis testibus novimus nos scire.* II. Accipitur Nomen Scientiæ pro cognitione certa & evidenti sive illa per discursum habeatur, sive non. III. Pro cognitione certa & evidenti per discursum habita.

QUOAD quid rei definit tertio hoc modo sumptam scientiam Aristoteles primi posteriorum tex. 5. *Scire arbitramur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cùm causam existimamus cognoscere propter quam res est, quod illius causa est, & non contingit hoc aliter se habere.*

EXPLICATUR DEFINITIO. Loco generis ponitur Ly *Cognitio*, quia hæc est genus, & competit illis etiam acceptionibus Scientiæ, quæ numeratæ superius. Dicitur *Cognitio rei per Causam*, ut denotetur progressus à cognitione causæ ad effectum, per hocque condistinguetur à scientia Dei & Angelorum qui formaliter non discurrunt. Item dicitur esse cognitio rei per causam ut denotetur, in scientia, de qua hîc, reperiri causam, propter quam connectitur prædicatum cum subjecto, connexione quadam ostendente evidentiam, per hocque distinguitur à fide, quæ non ostendit causam connexionis prædicati cum subjecto; cùm enim revelatur quòd Deus sit Trinus, non aliud relucet nobis, nisi nexus cum hoc extrinseco, quia est revelatum. Dicitur, quòd debeat esse per causam, *ut cujus non contingit rem aliter se habere*, ut excludatur error, qui contingeret, si aliquis cognosceret rem per causam, quæ revera non esset causa; & ita erraret aliquis qui pro causa pluviæ diceret baculum, stantem in angulo. Denique dicitur quod non contingat hoc aliter se habere, quia objectum scientiæ debet esse necessarium & immutabile.

Si tamen cui videretur quòd non definierit hic Scientiam Aristoteles nisi particulariter, eo quod definierit illam procedere per causam, cum possit etiam procedere per effectum, posset sic clarius dicere, *Scientia est Cognitio certa & evidens per discursum habita.* Definiendo autem Scientiam, in quantùm ad Deum & Angelos extendi potest, imò & ad prima principia est *Cognitio certa & evidens.*

QUÆRES I. *An causa quæ si sumatur cum suis requisitis, est adæquata ad aliquid operandum estque de se determinata ad producendum illum effectum, sit causa sufficiens ad scientiam habendam, quamvis hæc causa à Deo impediri possit ne producat effectum*, v. g. sint duo equi, qui sunt causa determinata & adæquata tractionis alicujus stipulæ, cum tamen Deus possit facere, ne illi duo equi, summo etiam connisu adhibito, moveant illam stipulam, eritne sufficiens causa ad scientiam de motu stipulæ, robur illud equorum, quod causare potest tractionem stipulæ. Indubiè *erit sufficiens talis causa ad scientiam.*

RATIO. Quia nulla esset scientia physica, quæ procedit per causas à Deo impedibiles. Deinde quia quod illas possit impedire Deus; non impeditur per hoc, naturalis connexio causæ cum effectu & tamen hæc connexio est fundativa scientiæ. Est enim ipsa connexio non mutabilis, utpote fundata in transcendentali respectu causæ ad effectum. Denique quia dantur scientiæ etiam sub conditione, adeoque dabuntur & per illam causam, sub hypothesi, nisi Deus impedierit, unde erit illa notitia absoluta, si aliunde constet, non esse facta impeditio.

QUÆRES II. *An Scientia possit esse de contingentibus?* De cõtingenti specificativè seu materialiter hoc est pro ipsa Entitate contingentis sumpto,

pto, non potest dari Scientia. Ratio, quia Scientia, ut dictum, exigit rem non aliter se habere, contingens autem entitativè, potest aliter se habere. Si autem sumatur reduplicativè, reduplicationem sic accipiendo, ut vi illius contingens transeat in essentiale, de sic sumpto contingenti sub reduplicatione, ita explicata, potest dari Scientia. Ratio, quia contingens, quà contingens habet necessitatem, invariabilitatem, immutabilitatem suæ contingentiæ. Ergò de ista invariabilitate contingentis, in sua contingentia potest benè dari Scientia. Tum quia omnis reduplicatio ex hoc ipso qua reduplicatio est, fundat titulum immutabilitatis, suaq; reduplicatione, extrahit rem ad alium modum. Ergò si contingens simpliciter non est scibile, extractio illius ad alium modum, reddit illud scibile; & ita si formæ accidentales spectentur specificativè, accidentales sunt subjecto, v.g. albedo albo parieti: si autem sumatur paries albus quà albus, est illi essentialis albedo. Consequenter & contingenti, quà contingens erit essentialis contingentia, habebitq; jam illud objectum immutabilitatem, requisitam ad scientiam. Tum quia vel scitur de contingenti posse dari Scientiam vel non scitur, si scitur. Ergò de contingenti datur scientia; Si non scitur. Ergò frustra negatur de illo non posse dari scientiam.

Dices I. Esse communem Sententiam, quòd contingentium nulla sit Scientia.

Respondetur. Communem sensum procedere, in quantùm per aliquem modum contingentia non extrahitur ad rationem immutabilis & essentialis.

Dices II. Vi allatæ responsionis sequi quòd etiam de specificativè sumpto contingenti possit dari Scientia.

Respondetur. Eo casu dabitur Scientia de contingenti specificativè sumpto, in quantùm jam in illo ipsa specificatio reduplicabitur, vel sumendo rationem specificativi ut sic.

Dices III. Si potest dari de contingentibus scientia, deberet potius dari de illis specificativè acceptis & materialiter.

Respondetur. Posse dari explicationem termini Ly specificativè sumptum contingens, quæ ostendat transire contingentiam in essentiale, & hoc casu, de sic explicato specificativè accepto contingenti dabitur potius scientia, sed non ita sumitur in præsenti. Et sicut non specificativè sumpto albo essentialis est albedo; ita & in præsenti non specificativè sumpto contingenti, est essentialis contingentia, sed sumpto reduplicativè, si autem contingenti sumpto reduplicativè est essentialis contingentia, hoc ipso tantùm reduplicativè sumpta, erit scibilis. Consequenter hæc propositio: contingens est contingens, si faciat hunc sensum, impossibile est, ut id quod contingens est, sit necessarium, erit objectum scientiæ nonnisi negativæ. Ratio, quia & ipsa modalis, est negativa, faciendo autem hunc sensum: necesse est ut contingens sit contingens, erit illa propositio Objectum scientiæ affirmativæ. Ratio, quia & ipsa illa modalis est affirmativa.

Quæres III. *An de singularibus possit dari Scientia?* De singularibus secundùm rationem communem singularitatis spectatis dari potest scientia. Ratio, quia de universali dari potest scientia, ergò & de ratione communi singularium. Rursus si spectentur singularia secundùm rationem singularitatis, vel spectari possunt secundùm rationem specificativè acceptam vel reduplicativè, & sic idem tenendum ac de contingentibus. Cæterum etiam de specificativè sumpto singulari, si sit illi essentialis singularitas, ut Deo, & Angelis in multorum sententia, potest dari scientia. Ratio, quia ita essentialis singularitas, habet sufficientem immutabilitatem & necessitatem.

Addo. Per hoc non negari, quòd de singulari etiam mutabili, possit dari scientia experimentalis. Ratio, quia potest quis scire & experiri, se dum actum habet, habere actum, qui tamen actus contingens est. Bonus item est iste Syllogismus in Darii, & scientificus, sed fundatus in scientia experimentali, quoad minorem: Quidquid existit à parte rei est singulare & individuum. istum Syllogismum formans existit à parte rei. Ergò istum Syllogismum formans, est singulare & individuum.

Dices I. Artis nonnisi est, & non scientiæ, attendere ad singularia.

Respondetur. Artem quà ars est, non procedere de singularibus secundùm rationem communem vel reduplicativè spectatis, sic autem procedit scientia.

Dices II. Objectum ad scientiam requisitum debet esse tale secundùm naturam, sed singularia & contingentia non sunt tale quid secundùm naturam, accidit enim illis contingentia. Ergò non possunt esse objectum scientiæ.

Respondetur. Non accidere singularibus secundùm rationem communem vel reduplicativè spectatis contingentiam, contingens enim sic sumptum, semper contingens est. Consequenter de talibus, dari poterit scientia.

Dices III. De Ente per accidens non potest dari scientia. Ergò nec de prædictis.

Respondetur. Etiam de Ente per accidens, secundùm rationem communem spectato, vel reduplicativè, posse dari scientiam, hoc enim probant rationes supra adlatæ. Deinde nomine Entis per accidens potest intelligi Ens fortuitum & sine ullo ordine de tali Ente ex 6. Metaph. 4 non potest dari scientia, quia non habet Causam sui necessariam; si autem nomine Entis per accidens intelligas ea, quæ habent Causam suam certam, licèt ex pluribus coalescant, de talibus potest dari scientia. Unde etiam

multa Medici demonstrant de Pharmacis, de temperamento humorum &c.

DIFFICULTAS IV.

Quid sit Evidentia quid Certitudo Scientiæ.

DIfficiliora de hac Materia, videnda erunt & inferius, ubi de præmissis Demonstrationis, & in Materia de fide. Tractabimusq; hîc de Evidentia & certitudine tenente se à parte actus, quia à parte scientiæ, quæ ipsa scientia, actus est.

Nomine Evidentiæ venit Claritas & Perspicuitas, qua cognoscitur objectum, quæ definitio convenit soli, omni, & semper: Et sicut Evidentia corporalis, est claritas & perspicuitas visionis, ita eandem claritatem dicet, Evidentia intellectualis.

QUÆRES I. *Quod sit entitativè Evidentia actus?*

RESPONDETUR. Esse ipsummet actum intellectûs, prout clarè & perspicuè repræsentat objectum, cognoscenti. Ratio, tum quia secluso omni superaddito, & positâ sola prædicta connotatione, salvatur sufficienter tota Evidentia. Nec potest ostendi quid plus requirat. Tum quia etiam visio corporalis, per suam entitatem est evidens. Ergò & Evidentia intellectualis; nulla enim est necessitas cujuscunque superadditi. Tum quia si Evidentia non est ipsa entitas actûs, Ergò per aliud redditur evidens, quod ipsum illud aliud, debet esse per se evidens, ne detur processus in infinitum. Jam autem quæcunque ratio fundabit in illa Evidentia Evidentiam indistinctam, fundabit etiam in actu prædicto, indistinctam evidentiam.

EXPLICARI posset. Formalis ratio Evidentiæ tali discursu. Hoc quod in Corpore oculus, est in rationali substantia intellectus. Unde etiam vocatur oculus mentis. Porrò corporalis oculus indiget perspicuò, quod fit à lumine; unde & visio ab Aristotele vocatur: actus perspicui. Intellectus etiam ex propositione indiget suo lumine, hinc & ad visionem beatificam requiritur lumen gloriæ, ad fidem lumen fidei, ad assensum conclusionis requiruntur præmissæ, quæ dicuntur lumine naturæ notæ. Hoc autem lumen non solum vocatur Claritas illuminativa objecti, potentiæ vitivæ, & medii, sed etiam vocari solet lumen & ipsa potentia. Unde dicitur: habet lumina clausa, id est oculos clausos, ita etiam & lumen intellectûs non solum denotat claritatem, hoc est propositionem evidentem objecti, & ejus ad intellectum applicationem; sed notat & ipsam potentiam intellectivam; ideoq; dicimus; dictat hoc illi lumen naturale, lumen rationis. Hoc autem ipsum perspicuè, clarè, evidenter propositum, optimè inter alia intelligitur ex Analogia clari, perspicui, evidentis, oculari visioni debiti, v.g. per expulsionem oppositi, hoc est, tenebrarum & obscuri, ita ut ea, quæ videntur sine obscuritate & tenebris, clarè dicantur videri. Proportionaliter ergò dicentur clarè intelligi quæ intelliguntur sine nube & tenebris, obscurum autem nubes & tenebræ intellectûs sunt, cum objectum nec in se videtur, nec in principiis lumine naturæ notis, sed vel in nube attestationis ut contingit in fide, vel simpliciter non videtur, ut contingit in errore. Evidentia ergò objecti erit Cognitio objecti in se, aut in principiis suis intrinsecis.

QUÆRES II. *Quotuplex sit Evidentia.*

RESPONDETUR. triplicem esse. *I. est Moralis*, quæ est Claritas objecti juxta regulas prudentiæ, expellens omnem formidinem in genere moris, talis est evidentia ex tot testimoniis, quod sit Roma. *II. Evidentia est* Physica, quæ est Claritas objecti, juxta exigentiam naturæ, fundatur hæc claritas in connexione naturali unius cum alio, quantumvis impedibili à Deo. Talis est evidentia, quòd ignis applicatus urat. Casu autem quo non urat, in tali suppositione non jungetur falsum cum evidentia, sed tantùm inferetur, quòd evidentia causet proportionatam sibi certitudinem, non majorem se, proportionata autem certitudo physicæ evidentiæ, est certitudo naturalis, certum est autem naturaliter, quòd ignis applicatus urat. *III. Evidentia est* Metaphysica, quæ est claritas omnem formidinem expellens, fundaturq; in connexione extremorum adeò necessaria, ut nec divinitus impediri possit, & sic non potest impediri à Deo, ne bis duo, sint quatuor.

QUÆRES III. *An Evidentia Certitudinem, an Certitudo Evidentiam præsupponat.*

Si sensus quæsiti sit: an possit aliquid esse certum & tamen inevidens in hoc sensu certum est, posse aliquid esse certum, & non esse illud ipsum in se evidens, qualis est actus fidei. Si autem sensus quæsiti sit, quod habeat rationem prioris Evidentiane an Certitudo?

ASSERO. *Quod Evidentia habeat rationem prioris.* Ratio, tum quia scientia, de qua hîc, est in ipsamet conclusione demonstrativa, & tamen conclusio præsupponit ante se, sicut præmissas, ita & Evidentiam illarum. Tum quia non ideò aliquid est evidens, quia est certum, sed ideò aliquid est certum, quia est evidens; Supple vel in se vel in aliquo antecedente. Tum quia, si certitudo non supponeret evidentiam, maximè actus fidei non supponeret eam, & tamen etiam is, præsupponit evidentiam motivorum credibilitatis ut alibi docetur, quæ Evidentia, in hoc discrepabit ab Evidentia Physica, quia evidentia motivorum credibilitatis, est nonnisi moralis, Evidentia autem scientiæ, est Physica aut Metaphysica. Item Evidentia, quam supponit fides, est in alio assensu, nec refunditur in actum fidei. Evidentia autem in actu scientifico, ingreditur ipsummet actum. Regula autem universalis, per quam dignosci debeat; an in ipso actu certo includatur evidentia, hæc est, si res certò in se, vel per sua principia intrinseca cognoscatur.

DICES.

Dices. Potest Objectum fidei esse certum, quantumvis nulla sit evidentia motivorum credibilitatis. Ergò non omnis certitudo supponit evidentiam. Antecedens probatur, quia infallibilitas illius, quæ est plus quàm Metaphysica, non debet ab ullo fallibili ex suo genere pendere; Jam autem evidentia motivorum credibilitatis, est fallibilis ex suo genere.

Respondetur. Posse esse objectum fidei certum in se, sine evidentia motivorum credibilitatis, sed non per ordinem ad nos, ad quod tamen respicit præsens doctrina. Rursùs præter evidentiam Motivorum credibilitatis datur illic, vel necessaria, vel ex suppositione antecedens certitudinem, evidentia objectiva, & per ordinem ad objectum, quæ evidentia stat in ipso nexu prædicatorum intrinsecorum objecti fidei, qui nexus adeoq; & evidentia præ certitudine prior est, licèt nobis sit ignota. Quod autem dicitur actum fidei utpotè infallibilem non posse pendere ab aliquo fallibili, qualis fallibilitas est in motivis credibilitatis, ad hoc dici potest. Licèt actus fidei non possit pendere ab aliquo fallibili, tanquam à ratione formali assentiendi, à qua sola habet infallibilitatem, potest tamen pendere ab aliquo fallibili, tanquam à supposito prærequisito, id enim non repugnat, & de facto actus fidei pendet ab intellectu, qui de se est fallibilis.

Quoad Certitudinem.

Certitudo cogitari potest duplex, quædam objectiva, & de hac agitur in materia de certitudine fidei. Alia est certitudo formalis, quæ definitivè est adhæsio firma intellectûs ad objectum, ejusq; Veritatem attingens. Dixi debere esse adhæsionem firmam, quia quantumvis sit objectum certum, si illud non firmè sed cum formidine apprehenderetur, erit probabilitas, non scientia. Dixi item istam adhæsionem, rem ut est debere attingere, quia interdum error trahit firmam adhæsionem (ut patet in aliquibus Hæreticis) adhæsio tamen hæc, est error; quia est difformitas cum objecto revelato.

Non rectè hæc certitudo explicatur per Cognitionem reflexam, qua quis judicet se non potuisse decipi, in primo actu directo, quia etiam actus iste reflexus, potest esse falsus ut patet in Hæreticis, reflectentibus se, & putantibus, quod non fallantur. Unde consequenter dico reflexionem esse necessariam, per quam formaliter reflectat hanc non se intellectus, ad istud suum scire.

Addo firmam istam adhæsionem, vel oriri ex principiis intrinsecis, hoc est ex Evidentia & necessitate objecti, vel ex principiis extrinsecis, hoc est, ex testimonio alterius, ita ut si testis sit summè infallibilis, qualis est ipse Deus, hoc ipso & illud quod dicit Deus, est summè certum; quod si sit testis cui valdè competat, ut non fallatur, erit etiam illud objectum, quod testatur, certum moraliter.

Quæritur I. *Quod sit in re Certitudo actus?* Certitudo actus est ipsemet actus intellectus firmus, rem ut est attingens. Ratio ex dictis in simili, quia nulla est necessitas superaddendæ, certitudinis, distinctæ realiter.

Quæres II. *Quotuplex sit Certitudo?* Multiplex est Certitudo. Moralis, Physica, Metaphysica. Fidei Divinæ & visionis beatæ, sed has postremas ex parte objecti esse æquales, dicetur in Materia de fide.

Quæres III. *An unus actus possit esse certior alio?*

Indubiè certitudo formalis datur una major præ alia, quia illam etiam experimur in nobis; si res sit de certitudine ex parte objecti, potest etiam esse major una præ alia, nam certo morali, certius est certum physicum, & præ hoc, certum Metaphysicum. An autem & quomodo fides sit certior certitudine Metaphysica, tractatur in Materia de fide.

Addo. Certitudinem latius patere quàm Evidentiam Antonomasticon dictam quia certitudo conjungitur & Evidentiæ in scientia, & inevidentiæ in fide.

DIFFICULTAS V.

De specificativo Scientiæ.

Non quæremus hîc de Specificatione Actuum ut sic, sed maximè attendemus ad id, per quidnam differt una scientia ab alia. *sit*

Punctum Difficultatis 1.

Rejiciuntur modi quidam explicandi specificativum Scientiarum.

Explicari solet I. Specificatio scientiarum per objectum formale, ita ut illæ scientiæ sint specie distinctæ, quæ habent aliud objectum formale. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit I. Quia ratio formalis unius scientiæ, v.g. ratio formalis, *quæ* potest esse ratio materialis alius scientiæ. Ergò non sufficienter scientia per solam rationem formalem distinguetur. Consequentia probatur. Quia quod potest transire à scibilitate unius scientiæ, ad scibilitatem aliûs scientiæ, non potest esse sufficienter unius scientiæ ab alia distinctivum, aliàs per aliquod utrique scientiæ commune, distinguerentur illæ scientiæ, quod repugnat. Antecedens principale probatur. Quia supposito, quòd rectificabilitas Operationum intellectus, sit objectum formale Logicæ, adhuc hæc poterit considerari à Physica sub formalitate motus animæ; à Metaphysica sub ratione Entis. Ergò ratio formalis, Quæ, unius scientiæ, potest esse ratio materialis alius scientiæ.

Non satisfacit II. Quia hæc explicatio, non ostendit cur multitudo actuum scientificorum, quos constat esse physicos, & multitudo

actuum scientificorum quos constat esse Metaphysicos, non referatur ad aliquod aliud formale commune utrique, ita ut ex utraque quasi partiali scientia, confletur una totalis.

Non satisfacit III. Quia Ratio formalis Objecti triplex ordinariè numerari solet. Prima Ratio formalis, *Quæ*, & hæc rationem materialis suo modo restringit, & per hoc formalisat. Alia Ratio formalis *propter quam* & est ratio motiva assensuum scientificorum. Alia Ratio formalis *sub qua*, & hæc est Ratio, sub qua, scientia objectum suum attingit, nulla harum rationum est sufficienter specificativa scientiarum. Non *Ratio quæ*, quia ratio formalis Quæ; sub ratione formalis Quæ; non habet rationem ultimi, sed se habet sicut risibile, quod non est ratio formalis Quæ hominis, sed est aliquid ejusdem, cum revocetur ad rationale, radicaliter sumptum. Non etiam hoc specificativum est ratio formalis *propter quam*, quia in unaquaque scientia, dantur plura motiva distincta specie, aliud enim motivum est in physica, quod detur materia prima, & aliud quod non detur vacuum. Neque valet si recurras quod reliqua omnia motiva revocentur ad unum, quod enim istud unum est motivum in physica. Imò sequetur omnes scientias esse ejusdem speciei, omnes itidem actus, quia omnium horum assensus, resolvitur in principium: Impossibile est idem esse & non esse, aut aliud simile. Non etiam hoc specificativum est *Ratio sub Qua*, quia ratio *sub qua* ordinariè dicitur esse diversa abstractio, quæ non est specificativa ut dicetur infra. Deinde Ratio *sub Qua* est ratio sub qua ipsa jam, scientia, tendit in objectum. Ergò debet dari aliud specificativum ejus, quod ipsum sub illa ratione tendit, cum præsupponatur ipsum tendens, esse, ipsi rationi *sub qua* tenditur.

Dices I. Constituitur per rationem formalem Quæ objectum. Ergò & differt per rationem quæ.

Respondetur. Argumentum multum probare, quia probaret specificari scientiam per objectum pluribus conveniens materiale, cum objectum totale ingrediatur & constituat, ipsa etiam ratio materialis. Directè autem dici potest per rationem formalem Quæ, ultimatè, non constitui objectum.

Dices II. Non considerari v.g. rectitudinem Logicam à Metaphysica & sic de reliquis. Ergò ipsum formale illius Scientiæ seu Ratio formalis Quæ, non potest esse ratio, ab alia Scientia attingibilis.

Respondetur. Negando Antecedens, quia rectitudo v. g. illa adhuc est Ens adeoq; considerabilis à Metaphysica.

Dices III. Specificari Scientias per Rationem formalem propter quam considerationis, hoc est per rationem ad quam, cætera in cognoscendo, attribuuntur: quamvis non specificentur per rationem propter quam illationis, hoc est, non per principia motiva assensuum.

Respondetur. In re rationem illam propter quam considerationis esse rationem propter quam Illationis, utraque ergò specificativa erit saltem in re. Deinde quænam talis est v.g. in Physica ratio. Denique ut dixi, sequetur omnes actus, esse eosdem Specie, ponendo quod principium: Quodlibet est vel non est, sit principium considerationis.

Explicant II. Thomistæ. Specificationem Scientiarum per diversas abstractiones. Triplex autem per illos fieri potest Abstractio *I. à Materia singulari non tamen sensibili*, hoc est, ab hæccitatibus, non tamen à ratione materialis, sensibilis, & hæc abstractio convenit Physicæ, nam illa non speculatur hoc Corpus, consequenter non speculatur hæccitates, speculatur tamen Corpus materiale, sensibile, hoc est capax, sensibilium, capax v.g. frigoris, caloris, albedinis, quæ omnia sunt sensibilia. *II. Abstractio est quæ abstrahit à singulari & sensibili*, non tamen ab imaginabili seu intelligibili materia, & talis abstractio per illos convenit Mathematicæ, quæ non considerat hunc circulum, nec considerat, an sit niger vel calidus; considerat tamen aliquid materiale, certè enim circulus non est spiritus. *III. Abstractio est à Materia singulari, sensibili & imaginabili*, & hæc convenit per illos Metaphysicæ, quæ res à materia depuratas considerat.

Impugnat I. hanc Explicationem Arriaga & Oviedo, quando abstractio fit à materia singulari, hoc ipso fit à Materia sensibili, nihil enim sentiri potest, nisi sit singulare. Ergò nulla est abstractio à Materia singulari, quæ non sit à Materia sensibili, cujus oppositum docent Thomistæ.

Respondetur. Negando Antecedens. Ratio, quia hæc abstractio, fit per actus intellectus, nec est neganda intellectui vis, per quam abstrahat & depuret rationem singularis à Materia, non depurando eandem à Materia sensibili. Deinde nomine sensibilis, venit, non solum id, quod actu afficitur qualitatibus sensibilibus; sed etiam id, cui natura sua convenit affici istis qualitatibus, quantumvis actu non afficiatur, actuq; non sentiatur: hinc habetur fundamentum, ut positâ abstractione à ratione singularis, possit adhuc non fieri abstractio à ratione sensibilis.

Impugnat II. Oviedo. Si per abstractiones essent Scientiæ adæquatè specificandæ, tunc Metaphysica tres adæquatas Species haberet, haberet enim tres adæquatas abstractiones. I. Est abstractio rerum communium, quæ licèt à materiâ abstrahant præcisivè, non tamen abstrahunt negativè, hoc est non repugnat illis componi cum materia, hinc ratio entis, licèt præscindat à materiali, non enim ubicunq; est ens illic est esse materiale. Sed tamen non negat ens materiam; aliàs nunquam posset esse, materia, ens. II. Abstractio est intelligentiarum quæ & præscindunt à materia, & negant materiam. Angeli enim

enim non possunt esse corpora, quamvis non abstrahant à compositione Metaphysica ex substantia & accidentibus. III. Abstractio est, quæ & præscindit à materia, & negat materiam, insuper non admittit ullam compositionem & talis, est Deus. Has omnes abstractiones & illarum objecta, considerat Metaphysica, nec tamen triplex est.

Respondetur. Negando Sequelam & ejus probationem. Ratio, quia abstractio adæquata specificativa Scientiarum, non est quæcunque reperibilis in objecto abstractio, sed talis, quam & consideret illa Scientia per se & ad quam reliqua omnia referat. Porrò abstractionem, quæ circa Deum est, refert Metaphysica ad universalem ab omni materiaabstractionem, ad abstractionem verò, quæ circa Deum fit, alios actus circa alia objecta non refert Metaphysica. Unde istæ diversæ abstrahibilitates, quas argumentum attulit, sunt abstrahibilitates exigitæ à ratione entitativa objecti, non verò à ratione scibilis Metaphysici; aliàs ubicunque scibilitatem suam inveniret Metaphysica, illic deberet v. g. abstrahibilitatem ab omni materia, & incomponibilitatem etiam cum accidentibus, invenire, quod tamen soli Deo competere, & fides & ratio docet.

Impugnat III. idem. Sed hæ impugnationes solvi possunt si hæc teneantur. I. quod abstractio à materia corruptibili non possit dare speciem condistinctam scientiæ ex eo: quia incorruptibilitas revocari potest ad Physicam, quæ, cùm consideret Corruptionem, oppositam etiam incorruptionem potest considerare, vel incorruptibilitas revocabitur ad Metaphysicam, quæ hoc ipso, quia à quacunque materialitate abstrahit, censebitur etiam incorruptibilitatem considerare. II. Teneri hoc potest quod fieri possit, ut aliqua, ratione suæ entitatis eodem modo à materia abstrahant, & tamen non eandem in ratione scibilis abstractionem habeant, & ita operatio nostri intellectûs, æquè est spiritualis cum consideratur à Logica, quam cùm consideratur à Metaphysica vel Physica, secundùm tamen diversas abstractiones in ratione scibilis ad diversas pertinet Scientias. *Cæterum hæc Explicatio*

Non Satisfacit I. Dantur Specie distinctæ Scientiæ, quæ non diversificantur abstractionibus. Ergò in abstractiones à Materia specificativum Scientiarum reduci non potest. Antecedens probatur. Logica est specie distincta à Metaphysica, & tamen non habet distinctam Specie abstractionem ab abstractione Metaphysica, quod ipsum probatur. Non habet Logica speciem ab abstractione, quæ sit à Materia singulari non tamen sensibili, quia aliàs Logica esset Physica, utpotè eandem cum illa habens abstractionem. Item non specificatur Logica ab abstractione à materia singulari & sensibili, non tamen imaginabili aliàs idem esset quod Mathematica. Ergò specificari debet ab abstractione à Materia tam singulari quàm sensibili, quàm imaginabili, quæ tamen abstractio seu specificativum convenit Metaphysicæ.

Non Satisfacit II. Quia quæcunque assignata fuerit abstractio debita Logicæ, ea vel non distinguet Logicam ab Ethica, vel certè intra eundem v. g. physicæ habitum diversificabit specie adæquata, etiam ea objecta, quæ non debent diversificari.

Respondebis. Logicam abstrahere à materia etiam intelligibili, non tamen à Materia operabili.

Contra. Sequetur jam Ethicam quæ non abstrahit ab operabili esse Logicam. Sequeturque contra sensum Thomistarum, plures jam esse species abstractionum præ illis tribus.

Non satisfacit III. Quia etiam res materiales sunt scibiles. Ergò abstractio à materia non est necessaria ad scienda objecta. Ergò abstractio à materia non specificat scientias. Antecedens probatur, quia de facto demonstrantur aliqua de materialibus, & si res materiales non essent scibiles, vel ideò non essent scibiles, quia sunt singulares, & hoc non concludit; quia etiam res spirituales sunt singulares, & tamen sunt scibiles; præsertim cum ratio communis, etiam materialium, ab intellectu, cum fundamento in re formari possit, vel ideò non essent scibiles res materiales, quia de re materiali enuntiari possunt propositiones contingentes, & hoc non convincit; quia etiam de spiritualibus formari possunt propositiones contingentes, v.g. Angelus cogitat, & tamen spiritualia sciri possunt: præcipuè autem cum enunciatio unius propositionis contingentis, facere non possit ne enuntientur propositiones de eodem objecto necessariæ; vel ideò res materiales non essent scibiles, quia intellectus materialia non per modum materialium, hoc est non per species materiales, sed immateriales apprehendere debet: & per hoc Scientiæ specificari non possunt, quia in unaquaque scientia, species objectorum, ab intellectu, per modum æquè immaterialium formantur, & sic æquè est spiritualis species, quæ repræsentat mihi Angelum tanquam juvenem alatum, atque est species immaterialis, quæ repræsentat lapidem. Ergò à sic sumpta materialitate, non possunt specificari scientiæ.

Dices I. Aristoteles 6. Metaph. Tex. 2. & 3. ex ista diversa abstractione distinguit Physicam, Mathematicam, Metaphysicam.

Respondetur. Aristotelem solùm hoc velle, quod dictæ abstractiones in dictis scientiis reperiantur, non autem quòd specificent.

Dices. II. Actus specificantur non ab objecto materiali. Ergò à formali, sed objectum formale dicit abstractionem. Ergò ab abstractione specificantur.

Re-

Respondetur, quòd formale objectum, dicat abstractionem tanquam conditionem sub qua, non autem tanquam aliquod prædicatum specificativum: conditio autem sub qua, non specificat; sicut nec ustio specificatur ab approximatione ignis.

Dices III. Materialitas objecti officit scientiæ. Ergò ut cognoscatur objectum debet abstrahi.

Respondetur. Etiam posito quòd debeat abstrahi objectum, non sequitur abstractionem illam specificaturam. Arriaga etiam advertit materialitatem non officere scientiæ, nam nihil nos cognoscimus nisi dependenter à sensibus. Imò si materialitas obest scientiæ, sequitur, quòd Physica & Mathematica non sint scientiæ; verè enim dicunt aliquam materiam, jam autem aliqua materia, est verè materia.

Punctum Difficultatis 2.

Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

Explicat IV. Arriaga hic disp. 1. sec. 11. num. 17. quòd Scientiæ specificentur ab objecto, tam Attributionis quam Attributo. Ratio, scientia non solum respicit objectum Attributionis, sed etiam objecta Attributa. Ergò etiam per illa specificatur. Additq; etiam ab objecto materiali proximo, specificari scientias: quia actus respiciunt etiam objectum proximum materiale, ita, ut saltem numero mutetur actus, pro mutatione objecti materialis proximi. Sed tamen ait ab objecto materiali remoto non specificari scientias, quia in se, nullo modo attingitur, perinde ac visio albedinis, non specificatur à pariete, eritq; eadem numero, sive albedo sit in papyro sive in homine, paries enim est objectum remotum ad visionem. *Hæc explicatio*

Non satisfacit. Quia nomine specificativi, venit hîc formalitas, quæ ulterius non revocetur in illo genere: jam autem objectum Attributionis solum, non revocatur ulterius in scientia: si ergò specificabit, solum specificabit, adeoq; non specificabit scientias objectum Attributum. Præcipuè cum cognitio objecti Attributi, referatur ad objectum Attributionis, nec sistitur in Attributo.

Deinde hic quæritur de specificativo, quod sit solum, ratio differendi, jam autem materiale objectum, nisi ulterius quid addatur, est ratio etiam conveniendi.

Explicat V. Oviedo. Specificationem scientiarum per subjectum formale, ita ut illæ sint distinctæ scientiæ, quæ distincta habent subjecta formalia, de quibus sub tali ratione demonstrat scientia passiones, causas, proprietates &c. Si autem quæras, per quid hoc ipsum subjectum, sit distinctum, ab alio subjecto scibili, dicit desumendum id esse ex ipsa rei natura, juxta quam instituitur scientia adæquata, hinc incongruum est Conclusiones Logicas & Mathematicas in unum confundere, quæ ex natura sua adeò sunt diversæ, non tamen hæc Unitas scientiarum ita est constituta, ut aliter inquit ille, non potuerit à Scientiarum Principibus taxari, attenta etiam ipsa rerum convenientia & disconvenientia. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit I. Quia ipsum subjectum formale ut dictum supra potest habere rationem materialis, adeoq; non distinctivi à reliquis scientiis.

Non satisfacit II. Quia ex una parte dicit quòd debeat desumi species scientiæ ex ipsa rei natura, ex altera parte, dicit, potuisse aliter speciem suam habere scientias, si alia taxa Doctorum accessisset; cum tamen quæ ex rei natura sunt talia, placitis humanis mutari non possint.

Non satisfacit III. Logica v. g. non potest habere actus Metaphysicos aut Ethicos, si enim definitio non potest esse Syllogismus, nec Syllogismus definitio. Ergò actus Logici v. g. non possunt esse actus Metaphysici & è converso. Ergò non stat jam in placito Philosophorum, ut hæc scientia, habeat hanc speciem.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur specificativum Scientiæ.

Dicendum est. *Specificari Scientias per naturam objecti attributionis*, ita ut illæ scientiæ dicantur specie distingui, quæ habent objecta attributionis distincta. Videtur hanc sententiam docuisse Suarez. disp. 44. Sec. 11. num. 63. & 68. Ut explicetur Conclusio.

Præmitto I. *Quod objectum formale attributionis non desumatur à placito Philosophorum*, idq; tali discursu proponitur. Objectum non ideò est tale, quia cognoscitur, sed ideò tale cognoscitur, quia tale est, cùm enim objecti cognoscibilitas sit ipsa rei entitas, prout objicibilis actibus intellectus, si nostra cognitio, rei entitatem non facit nec faciet scibilitatem objecti. Consequenter nec faciet objectum esse tale, quia cognoscitur ab intellectu, cum potius ideò tale cognoscatur, quia tale est.

Quod si talitatem suam objectum in communi, non sumit à cognitione, certè neque hoc ab intellectu desumet objectum aliquod, quia exigit has species, has proprietates, hæc principia, non est enim major ratio unius, quàm aliûs, semperq; cognoscibilitas objecti, antecedit notitiam scientiæ. Consequenter non pendebit hoc à nostris conceptibus, quòd corpus habeat partes compositi-

positivas materiam & formam, nec pendebit hoc à nostro placito, quòd Elementa, Cœli &c. sint species corporis, quod item Quantitas sit ejusdem proprietas. Porrò si non pendet à nostris conceptibus, quod hoc objectum has causas, has proprietates, hæc opposita habeat &c. Consequenter non pendebit ab arbitrario placito, quod hoc & non aliud, sit objectum attributionis, esse enim objectum attributionis, est esse tale, ad quod omnia, dictis ut numeravi modis in scientia revocantur.

Præmitto II. *Pendere id à Natura ipsa Objecti.*

Ratio. Si enim non pendet ab arbitrario nostro placito, quod hoc sit objectum attributionis. Ergò hoc debet proficisci ab ipsa rei natura, quidquid enim est, est aut per rationem nostram, aut realiter, hoc est, non per rationem nostram. Si ergò rationem objecti attributionis, res non habeat beneficio conceptuum nostrorum, habebit id necessariò, adeoque ex natura, realitate, essentia sua. Jam verò si pendet hoc ab ipsa rei natura, quòd hoc sit objectum attributionis, pendebit etiam ab ipsa rei natura, quod hoc objectum sit in hac vel illa specie: cùm enim res non per aliud à se, sint res, nec per aliud à se, sint in hac specie, esse enim illam, & esse in hac specie, est idem entitativè & realiter; hinc si se ipsa, & non beneficio conceptuum nostrorum, est hæc res, objectum attributionis, se ipsâ & non beneficio conceptuum nostrorum, hoc objectum, habebit speciem suam condistinctam, à specie, quam habet objectum aliûs scientiæ, & sicut homo habet hoc ex exigentia suæ naturæ, quòd homo sit, quodq; sit in hac specie animalis rationalis, habet hoc itidem ex essentia & natura hominis; ita & in præsenti, si objectum attributionis, quòd sit objectum Attributionis habet hoc ex essentia & natura sua, consequenter & quòd species illius sit differens specie, ab objecto aliûs scientiæ, habebit hoc ex essentia & natura sua.

Præmitto III. *Quòd esse hoc objectum Attributionis, non sit quid distinctum re, ab ipsomet objecto materiali & formali, simul sumptis.* Hujus enim nulla necessitas, imò nec ostendi potest quid sit illud; tamen hæc ratio distinguitur ratione ab objecto materiali & formali; nam formale revocatur adhuc ad objectum Attributionis, habetq; formalitatem contenti, habet formalitatem inadæquati &c. hæc autem præstant fundamentum, hæc duo inter se distinguendi. Formalitasq; constituens objectum in esse objecti Attributionis, est referibilitas ad illud omnium, in illa scientia contentorum. Quam referibilitatem ad se, non dicunt objectum materiale & formale sub ratione materialis & formalis, quamvis illa ipsa referibilitas nihil sit in re, præter ipsum materiale & formale simul sumpta. *His præmissis*

Probatur I. Conclusio argumento negativo, quia scientiæ debent per aliquid specificari, non specificantur autem per aliquid commodius, quàm per objectum Attributionis, per quid enim?

Probatur II. Quia secundùm persuasionem Doctorum, quæ attendit ad nexum, quem habent scientiæ cum objectis tanquam cum terminis suarum relationum, debent scientiæ distingui per objecta, sed non per aliud, quàm per objectum attributionis ut colligi potest ex impugnationibus allatis. Ergò.

Probatur III. Ex proportione ad alia specificativa, quia in aliis ea specificant, quæ sunt radix reliquorum, ad quæ, omnia reliqua, tanquam ad ultimum revocantur, & quæ faciunt alteri illud non convenire. Sed solum objectum Attributionis est tale, hoc enim deposcit ipsa natura & formalitas attributionis.

Objicitur I. Si scientiæ sumerent suam speciem ab objecto attributionis natura sua tali, sequeretur scientiarum inventores nihil invenisse, cum scientiis objecta non invenerint, sed hoc est falsum. Ergò.

Respondetur. Nihil quidem inventores scientiarum objectis contulisse à priori, non enim fecerunt, quòd hoc objectum tales causas, talia principia, tales species, exigat: contulerunt tamen aliquid à posteriori, quia sua speculatione adverterunt ad hoc objectum &c. ad eum modum quo venatici canes feram in sylvis non ponunt, sed investigant.

Objicitur II. Si objectum attributionis daret speciem scientiæ, non essent plures objectorum species intra eandem scientiam, sicut non sunt plura objecta attributionis, sed sunt plures species.

Respondetur. Esse plures species inadæquatas objectorum in scientia; unam tamen adæquatam & ultimam, desumibilem ab objecto attributionis; multoq; magis erunt plures species objecti, secundùm rationem entitativam.

Instabis I. Si possent esse plures species objecti etiam in ratione Entis, hoc ipso non revocarentur ad unum specie objectum attributionis, quia species non revocantur ad species, sed ad genera.

Respondetur. Veram esse propositionem de speciebus adæquatis adeoque non subordinatis; non autem de speciebus inadæquatis seu subordinatis ad eum modum quo ex pluribus speciebus medicis, conficitur una specie medicina.

Instabis II. Si possent revocari plures species objectorum ad objectum attributionis, etiam objectum attributionis, posset alio revocari & sic in infinitum.

Respondetur. Disparitatem esse: quia & esset illud objectum attributionis ut supponitur, & non esset attributionis, quia de essentia objecti attributionis est, aliò non revocari.

Instabis III. Saltem non adesse causam: cur objecta scientiarum non possint revocari ad unam scientiam, & unum objectum, quod sit Ens

specu-

ſpeculabile ut ſpeculabile, & hoc docuit Mirandulanus. Probabileque putat Oviedo.

Respondetur. Negando Sequelam, quia non debet eſſe idem objectum ſcientiarum, quod & ipſius intellectus: quia intellectus latiùs ſe extendit, quàm ſcientiæ; hinc extendit ſe intellectus, & ad opiniones & ad ſophiſmata, ad quæ ſe per ſe, non extendit ſcientia. Jam verò ſi ſcientia, ad quam tu vis revocari alias ſcientias, haberet objectum Ens ſpeculabile, illa ſcientia ſe tam latè per ſe extenderet, atque ipſe intellectus. Deinde hoc ipſo, ſequeretur jam in ſcientiis particularibus, non dari rigoroſum objectum attributionis, ſed nonniſi in illa ſcientia, ad quam reliquæ omnes revocarentur, quæ ſaltem ipſa, adhuc per objectum attributionis ſpecificaretur ex dictis, quod ſufficeret ad verificandam Concluſionem de ſpecificatione ſcientiæ. Deniq; cum dentur ſcientiæ etiam practicæ, ſaltem illæ, non referent ſuum objectum, ad Ens ſpeculabile.

Objicitur III. Objectum attributionis eſt ſcientiæ extrinſecum. Ergò illam ſpecificare non poteſt.

Respondetur. Si quid ipſum ſit ad extrinſecum, ab extrinſeco tanquam ſibi proportionato, ſpecificari poterit. Cùm ergò ſcientia ſit ad aliud, nempe ad objectum, ultimatò autem ad objectum attributionis, bene ab illo ſpecificari poterit. Deinde etiam ſpecificatio in ſcientia alia eſt extrinſeca, & hæc habetur ab objecto, alia intrinſeca, & hæc habetur ab ipſa entitate ſcientiæ, fundante talem habitudinem ad objectum.

Objicitur IV. Si ſcientia haberet unum objectum attributionis natura ſua tale in ſpecie, ſequitur ſcientiam eſſe ſimplicem qualitatem, ſed non eſt ſimplex. Ergò.

Respondetur. Ipſum objectum attributionis, non eſſe ſimplicem qualitatem, nam dicit cognitionem cauſarum, effectuum, ſpecierum &c. quæ nec in ratione entis, nec in ratione ſcibilis ſunt idem. Cæterum ſi objectum attributionis præciſivè ſumatur, nondum ſcientia erit ſimplex qualitas, quia ratio ſimplicis qualitatis, non eſt penſanda ex præciſionibus & intentionibus noſtris, ſed ex eo quod eſt à parte rei, cum & ipſa ratio qualitatis ſimplicis, ſit quid phyſicum. Jam autem à parte rei objectum attributionis ſpectatum, importat plura.

Objicitur V. Hanc ſententiam non condiſtingui à ſententia per rationem formalem *Quæ* diſtinguente ſcientias.

Respondetur. In re quidem rationem objecti attributionis, non diſtingui realiter ab objecto formali; diſtingui tamen ratione; quia competunt aliqua prædicata rationi attributionis, quæ non competunt rationi formali quæ, & hæc ipſa prædicata ſunt proportionata iis, quæ competunt manifeſtè ſpecificativis rationibus. Nam v. g. ratio ſpecificativa ultimo, non refertur ad aliud, in eo, quod ſpecificatur, ut videre eſt in rationalitate, quæ in homine ad nihil aliud refertur, cùm tamen ad illam viſibilitas v. g. referatur. Jam autem ratio formalis quæ, præcisè ſpectata, id non importat, imò depoſcit ut referatur ad objectum attributionis quà tale. Ratio item ſpecificativa ultimo petit ut ad ſe alia referantur, hoc autem non dicit ratio formalis Quæ, quà talis, cum id tamen dicat ratio attributionis. Non nego tamen etiam in objecto attributionis poſſe aliquod commune aliis ſcientiis reperiri: neq; hoc obſtabit quominus per objectum attributionis ſpecificentur ſcientiæ; ſicut non obeſt ut rationalitas ſpecificet hominem quantumvis in ea aliquid commune involvatur; nempe ratio Entis.

Objicitur VI. Unus intellectus ſufficit ad omnia cognoſcibilia, unus ſenſus communis ad omnia ſenſibilia. Ergò & una ſcientia ſufficiet ad omnia ſcibilia.

Respondetur. Diſparitatem eſſe, quia abſurdum eſt idem eſſe objectum ſcientiarum & intellectus, ut dictum ſupra, quod abſurdum non ſequitur, ſi intellectus ſufficiat ad omnia cognoſcibilia, & ſenſus unus communis, ad omnia ſenſibilia. Deinde, quia potentia hoc ipſo, quia potentia eſt, cenſetur communiter ad omnia illius lineæ objecta, ſe extendere, eſſetq; illa multiplicatio potentiarum ſine neceſſitate, hinc unus v. g. intellectus, extendit ſe ad omnia intelligibilia. Jam autem eſt neceſſitas multiplicandi ſcientias, nec ſcientia, ex eo, quia ſcientia eſt, extendere ſe debet ad quodvis ſcibile.

Objicitur VII. Si ſpecificarentur ſcientiæ ab objecto, deberent illa objecta quocunq; modo ſumpta, habere unitatem phyſicam.

Respondetur. Negando Sequelam. Ratio, quia hujus unionis phyſicæ nulla neceſſitas, præcipuè quia hæc pertinentia objectorum ad unam ſcibilitatem, nihil aliud eſt, quàm revocabilitas eorundem ad unum attributionis objectum; & ex parte objecti exigentia, ut ſi cognoſci perfectè debeat, debeant etiam cognoſci illius ſpecies, cauſæ, proprietates, &c.

Instabis. Arbitraria eſt diviſio mundi in 4. plagas, ergò & arbitraria Diviſio ſcientiarum.

Respondetur. Diſparitatem eſſe, quia iſtius quaternarii, nullum fundamentum eſt in natura, quod autem materia & forma ſint principia corporis naturalis, quod Quantitas ſit illius paſſio &c. fundatum eſt hoc in natura, & quia objectum attributionis in hoc ſtat, quòd ad illud revocetur, hoc quidem tanquam principium, illud tanquam paſſio &c. ideò objectum Attributionis, non erit ex placito.

DIFFICULTAS VI.

De Unitate Scientiæ.

MAximè hic attendemus ad hoc; an Scientia ſit ſimplex qualitas, *de quo ſit*

PUN-

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur quædam de eo: an Scientia sit simplex qualitas.

PRÆMITTO 1. *Quod hic procedat quæstio non de uno actu scientifico*, qui habetur per unam numero operationē intellectûs, hæc enim, quia est unus adeoq; indivisibilis actus, hoc ipso simplex qualitas est. Sed procedit quæstio de facilitate, quæ oritur ex frequentatis actibus, proceditq; circa plura objecta, & vocari solet scientia habitualis, est item quæstio de scientia totali, abstrahendo ab hoc, quòd habitualis sit vel non, an scilicet illa sit impartibilis, indivisibilis &c.

PRÆMITTO 2. *Quando quæritur: an scientia sit simplex qualitas non quæritur: An habeat scientia partes entitativas materiales:* scientia enim est spiritualis & intellectualis perfectio, sed quęritur, an sit coalescens ex pluribus entitatibus spiritualibus.

PRÆMITTO 3. *Aliud est quærere:* an scientia sit simplex qualitas quoad intensionem, scilicet an excludat gradus, majorem & majorem facilitatem adferentes, & de hoc in præsenti non est lis. *Et aliud est quærere:* an scientia sit simplex qualitas, hoc est, an una eademque indivisibilis, extendat se ad plura specie objecta, ad eum modum, quo unus & indivisibilis intellectus, extendit se ad quodcunque noscibile.

DICENDUM est 1. *Nullam esse unitatem scientiæ, quæ oriatur ex compositione physica illius scientiæ.*

PROBATUR. Quia compositio physica, est ex actu & potentia, hoc est ex forma & materia, aut consimilis, ei, quæ est inter partes continui. Tantùm enim hi sunt modi compositionis physicæ, neutra compositio est in scientia totali. Ergo nec ulla. Minor probatur quoad primam partem. Quia actus scientiæ, non comparantur inter se sicut materia & forma physica: quia nullus actus recipitur in alio ut in subjecto, neq; actuat illum, sed uterque actus, est perfectio scientis. Tum quia, non est ratio: cur hic potius actus habeat rationem materiæ & alter formæ physicæ; hocque ipso alteruter actus non esset physicè actus, si alteruter esset materia. Tum quia, si unus actus comparatur, respectu alterius ut materia, quæro: an iste actus sit unus, an multiplex? si multiplex quæro; cur non sit unus? sicut materia in physicis est una; quòd si ille actus habens se per modum materiæ, est unus. Ergo plures actus scientiæ in una totali scientia, non sunt possibiles naturaliter, sicut non essent plures homines, si non esset possibilis, nisi unius hominis materia. Secunda Minoris Pars probatur. Si haberent inter se actus scientifici continuationem, talem, qualem partes continui, continuatio illorum esset, aut destructio tantùm terminorum, sicut continuatio unius guttæ cum alia, per multos, est sola destructio terminorum utriusq; guttæ, aut esset modus aliquis entitativus superadditus qui uniat guttas; neutro modo est continuatio in scientia totali. Non per destructionem terminorum, quia res spirituales, quales sunt actus sciendi, nullos habent terminos, non item per Entitatem modalem unitivam, quia hujus ponendæ inter actus scientificos, nulla est necessitas.

DICENDUM 2. *Necesse est in anima dari aliquos habitus & scientias, qui sint simplices qualitates.* Ita Suarez disp. 44. sec. 11. n. 23.

PROBATUR. Quia scientia totalis, vel est simplex qualitas, vel aggregata ex pluribus, si est simplex qualitas, Ergo vera conclusio; si est aggregata ex pluribus, quæro: illa ipsa plura vel sunt aggregata ex pluribus, vel simplex qualitas, si simplex qualitas. Ergo dantur habitus, qui sunt simplices qualitates; si verò sunt aggregatæ ex pluribus, de illis ipsis redibit quæstio, devenitriq; debebit ad aliquid simplex: quia omne compositum, in aliquid simplex, & omnis numerus, in unitatem resolvitur.

RESPONDEBIS. Dantur qualitates constantes ex multis, quę tamen non resolvuntur in simplices qualitates. Sic v. g. sanitas constat ex recto habere ventriculi, cordis, capitis &c. & tamen hæc sanitas, non resolvitur in unam qualitatem simplicem, in quam enim?

CONTRA. Etiam sanitas resolvitur in unum aliquod simplex non quidem tale quod seipso & sua entitate, sit totum id, quod dicit illud aggregatum ex pluribus, sed resolvitur in aliquid simplex, quod tamen est sanitas inadæquata, & sic calor naturalis non est sanitas completa & adæquata, est tamen sanitas inadæquata & simplex quid, in ratione sanitatis oriundæ ex calore naturali.

DICENDUM est 3. *Scientia totalis quæ haberet unum idemque objectum formale immediatum, esset simplex qualitas.*

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis 1. posteriorum tex. 7. ubi ait scientias esse diversas, quarum principia non ex eisdem sunt. Ergo scientiæ illæ, quarum principia ex eisdem sunt, seu quarum unum motivum formale est, sunt eædem, habetq; id etiam S. Th. 1. 2. 2ª q. 54. art. 4.

PROBATUR 2. Tum quia scientiæ quæ habent unum idemq; formale motivum, neq; multiplicantur ratione formalium objectorum, est enim idem formale ut supponitur, nec ratione materialium objectorum, quia hæc ut suppono non multiplicant scientias, ergo absolutè non multiplicantur. Tum quia fides, est simplex qualitas, idque non ex eo, quòd habitus fidei sit per modum potentię, nam etiam intellectus noster est potentia, & tamen indiget pluribus habitibus scientificis, ex eo quia procedit ex diversis motivis specie, hinc & fides si haberet motiva specie distincta, indigeret pluribus habitibus fidei. Ergo quòd sit fides simplex qualitas, peti id debet ex eo, quòd unum idemque formale motivum immediatum habeat. Ergo idem dicen-

dum de scientia, quæ idem formale motivum haberet. Tum quia unica demonstratio secundùm conclusionem est simplex qualitas. Ergo & scientia habens unum formale erit simplex qualitas.

Probatur 3. Quia si ponatur scientia habens nonnisi unum motivum formale, nullum erit principium illam plurificandi, quod enim? & certè si se habeat cognitio hujus, ita, sicut alterius v. g. si cognitio effectus aut passionis, ita se habet sicut causæ, sicut scientia est simplex qualitas respectu hujus causæ, ita erit simplex qualitas etiam respectu v. g. effectus & passionis, cum ita se habeat respectu aliorum objectorum, sicut respectu unius causæ.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Si scientia totalis habens unum motivum formale, esset simplex qualitas, tunc aucto habitu, respectu unius objecti materialiter diversi, augeretur etiam respectu alterius; sicut habitus fidei, æquè intenditur respectu unius objecti, atq; aliùs, hoc autem scientiæ, sine fundamento tribueretur.

Respondetur. Posito quòd illa scientia uni motivo inniteretur, si semel ponatur intensio respectu illius motivi, non poterit non esse intensio, cuicunq; tandem materiali applicetur illud motivum, fundamentumq; esset id asserendi, ipsa unitas motivi.

Instabis 1. Intellectus quamvis sit indivisibilis potentia, tamen uno habitu non perficitur respectu omnium objectorum. Ergo etiam & habitus, licèt sit simplex qualitas potest intendi respectu unius objecti, & non intendi respectu alius.

Respondetur. Disparitatem esse quia in casu antecedentis habetur, unde desumatur pluralitas, nempe ex diversis formalibus motivis, quæ in præsenti non haberetur.

Instabis 2. Habitus charitatis est simplex qualitas, & tamen inclinat ad magis amandum Deum quàm proximum. Ergo simplex qualitas, potest intendi magis respectu unius, quàm alius objecti.

Respondetur. Habitum charitatis respectu Dei inclinare ad amandum Deum magis appretiativè, quàm proximum, sed non inclinat quasi totam suam intensionem etiam ad amandum propter Deum proximum, impendere non possit.

Instabis 3. Experimur magis pueros faciles esse ex habitu temperantiæ ut non comedant carnes feria sexta, quàm ut ex eadem virtute temperent sibi à dulciariis &c. quamvis habitus temperantiæ, sit simplex qualitas. Ergo simplex qualitas, potest esse respectu unius objecti, magis intensa, quàm respectu aliûs.

Respondetur. Fieri potest ut qualitas simplex, respectu aliquorum objectorum magis facilitet ex accidenti v. g. quia præsentatur aliquid minus difficile, & minus molestum; licèt facilitas quantum est ex illa, æqualiter se ad utrumq; extendat. Sic calor facilius calefacit lignum siccum, quàm humidum, quantumvis æquali intensione, in utrumq; agat. Defectus ergo ille facilitatis quæ non sentitur tunc, oritur ratione materiæ, non autem ex eo, quòd alia qualitas ad hoc, alia ad illud inclinet, ut communius in hac materia dici solet.

Objicitur 2. Si habitus ille qui habet unum formale motivum, esset simplex qualitas, habitus principiorum & scientiæ, esset unus idemque habitus.

Respondetur. Negando Sequelam. Distinguentur autem habitus principiorum & scientiæ, quia principia in seipsis habent rationem assentiendi, scientiæ autem ob principia non ergo habetur idem motivum formale in utroque habitu.

Objicitur 3. Quæ referuntur ad idem objectum attributionis, non est necesse esse simplicem qualitatem. Ergo nec ea, quæ eidem immediatè motivo innituntur.

Respondetur. Disparitatem esse, quia ea quæ ad idem objectum attributionis referuntur, non habent connexionem eandem, nec habent eadem motiva immediata, huic enim objecto fit assensus; quia est causa, huic: quia est effectus. Jam autem in istis quæ habent idem formale, hæc diversitas non reperitur.

Instabis. Ergo saltem non universaliter scientiæ per objectum attributionis distinguentur, sed etiam aliquæ distinguentur per objectum formale, in omnibus actibus idem.

Respondetur. Cum illud formale quatale, ad nullam aliam scientiam sit revocandum, conveniet ei jam una formalitas objecti attributionis. Ex alia parte erit illic attributio omniũ ad idem sed intransitivi, nihil enim melius attribuitur, quam idem ad seipsum. Attributio enim est de linea unius, cùm etiam ad salvandam unitatem adhibeatur, nihil autem est magis unum, quàm idem sibi. Quodsi illi motivo sic descripto, conveniet ratio objecti attributionis, non erit mirum, quòd illud motivum, sit specificaturum scientiam illam.

Objicitur 4. Si simplicitas scientiæ arguitur ex identitate motivi formalis, sequitur omnes scientias esse simplices qualitates, quia omnium idem tantum motivum est, quodlibet est aut non est.

Respondetur. Conclusionem procedere de eodem immediato motivo, omnium actuum, dictum autem principium, non est nisi motivum mediatum, res autem non specificantur à mediatis & communibus, sicut nec ab ente communi, specificatur homo.

Obji-

Objicitur 5. Si scientia quæcunque posset esse simplex qualitas, intendi non posset, sed potest intendi. Ergo. Sequela probatur. Quia si simplex qualitas intenderetur, hoc ipso non esset simplex, sicut si unitati additur alia unitas, hoc ipso non est unitas.

Respondetur. Negando Sequelam. Non enim dicimus illam scientiam fore simplicem qualitatem per exclusionem graduum, sed per exclusionem impotentiæ, ad extendendum se, ad quæcunque illâ scientiâ attingibilia.

Addo. Quod non asseramus dari talem scientiam, sed quod si esset, simplex qualitas esset, idq; titulo unitatis motivi formalis. Porrò esset adhuc illa scientia simplex qualitas quantumvis respiceret diversam materialiter connexionem. Sic v. g. eadem simplex qualitas, inclinare potest ad assentiendũ quod cauda gliris non sit major glire, & quod digitus non sit tantus, quantũ totum corpus, nam utrobiq; idem est immediatum. Formale; nempe: Totum est majus sua parte. Sufficiet item simplex qualitas ut acquisito habitu hujus Conclusionis: homo est risibilis, expositoriè inferas: Petrus est risibilis, Paulus est risibilis, quia ad has singulares idem erit motivum, nempe quia est rationalis. Identitas autem motivi formalis præter alia spectanda est penes immediatam formalem connexionem, hinc v. g. alius habitus debet inclinare ad assensum huic conclusioni: quòd rationale sit homo & alia, quòd risibile sit homo. Quia ly homo, immediatè connectitur cum rationali, cum risibili, mediante rationalitate. Ideò enim homo est risibilis, quia est mirativus, ideò mirativus, quia est rationalis. Sed si & unum sit motivum & connexio formalis eadem, tunc certè habitus utens illo motivo, simplex erit qualitas.

Punctum Difficultatis 3.

Decernitur de Scientiæ Simplicitate.

Dicendum est. *Nullam Scientiam totalem, ex iis quæ dantur, esse simplicem qualitatem,* ita Scotistæ Suar. Hurtad. Arriaga. Citari enim solet S. Thom. 1. 2. q. 52. art. 1. & art. 2.

Probat 1. Hurtadus, si posset esse habitus simplex qualitas, tunc possent esse duo habitus contrarii æquè intensi sed hoc falsum est. Ergò. Sequela probatur posset esse in aliquo habitus, quod materia sit incorruptibilis, potest item esse habitus circa hanc conclusionẽ quod Cœli sint corruptibiles, qui habitus erunt contrarii, motiva enim illorum formalia, hoc est corruptibilitas & Incorruptibilitas sunt contraria. Ergo possent dari duo habitus contrarii & quidem simul, nam simplex qualitas tota simul acquiritur, poteruntque hi habitus esse æquè intensi, quia simplex qualitas non recipit majorem respectu unius, & minorem respectu alterius objecti intensionem.

Responderi posset, quòd ille habitus esset adhuc simplex qualitas, virtute tamen sua potens extendi ad cognitionem tam hujus quàm illius objecti, sicut unus idemque intellectus, qui est simplex qualitas, id facit.

Probatur 2. Quia nulla de facto scientia utitur motivo nonnisi uno; non ergo sumet ab unitate motivi, rationem simplicis qualitatis. Nulla item scientia quæ de facto datur, habet se per modum potentiæ, ut se habet habitus fidei, qui supponitur esse simplex qualitas. Ergo non est fundamentum dicendi, quòd de facto detur scientia, quæ sit simplex qualitas.

Probatur 3. Experientia. Experimur nos difficultatem subire in eliciendis aliquibus actibus intra scientiam, quantumvis jam ad alios eliciendos simus faciles. Ergo apparet habitum non contrahi, frequentatione unius actus, neq; illum esse simplicem qualitatem.

Responderi posset. Hanc difficultatem esse ex difficultate materiæ, specierum diversitate, sed hæc aliàs refutabuntur.

Confirmatur. Si scientia totalis esset simplex qualitas, daretur effectus ante suam causam, sed non potest dari effectus ante suam causam. Ergo. Sequela probatur. Esse habitum ante actus elicitos, est esse effectũ ante causam, quia ab actibus suo modo, de quo aliàs, causantur habitus. Sed si scientia esset simplex qualitas, daretur habitus ante actus elicitos. Quod ipsum probatur. Ponamus elici unum actum Logicum, hoc ipso acquireretur habitus Logicę totus, quia simplex qualitas, per partes acquiri non potest, & tamen quando elicitur unus actus ut supponitur, nondum sunt alii actus Logici. Ergo dabitur habitus, ante actus elicitos.

Respondetur 1. Habitum qui producitur uno actu, non inclinare ad diversos actus, ab eo, à quo est productus, nisi ei addatur novus quidam modus, quo posito tum primum diversos actus à primo eliciet. Quod si novus tantum modus producitur, non producitur jam novus habitus, sed tantùm perficitur.

Contra. Ergo saltem ex illa qualitate, & illo novo modo, non constituetur simplex qualitas, erit enim divisibilitas, etiam existentiarum. Quod si admittis non esse simplicem qualitatem, conjunctum illud ex habitu, & modo illo de novo acquisito, consequenter admittere debes etiam illam scientiam non fore simplicem qualitatem; quia ille novus modus, nullo distinguetur ab ipsomet habitu, quo enim? Hinc si conflatum ex habitu & illo modo, non est simplex qualitas, nec erit simplex qualitas habitus ille.

Respondebis 2. Posita acquisitione habitus per unum actum, non reddimur faciles ad alios actus diversos: quia desunt habitus in aliis potentiis, qui facilitent ad apprehensionem Terminorum.

Contra. Tum quia primam difficultatem, quam experimur in noscendis scientificè objectis, non rejici merè in defectum v. g. apprehensionum. Ergo & posteriores difficultates, non debes rejicere. Tum quia potest haberi facilitas in apprehensionibus terminorum, & esse difficultas in ipsis assensibus. Tum quia dicam elicito uno actu scientifico, omnes scientias acquiri, & solum esse difficultatem, in apprehensione terminorum.

Respondebis 3. Posse referri facilitatem novam, idque ad diversos actus, in intensionem ejusdem habitus.

Contra. Quia intelligibile quidem est, elicito uno actu, alium similem, fieri postea intensiorē, idque ratione intensionis in habitu reperibilis, non est tamen intelligibile, quòd conferat intensio, ad eliciendum actum specie distinctū.

Objicitur 1. Logica est una scientia. Ergo unus habitus, est una qualitas; una qualitas, est simplex qualitas. Ergo à primo ad ultimum, Logica, est simplex qualitas. Consequenter & aliæ scientiæ.

Respondetur. Logicam esse unam scientiam per attributionem ad unum objectum, non per indivisionem ejusdem qualitatis.

Objicitur 2. Una potentia sufficit ad actus plures specie. Ergo & unus habitus, cum debeat proportionari potentiæ.

Respondetur. Disparitatem esse, quia potentia non nascitur ex suppositione actuum, sicut scientia habitualis, ex quarum jam suppositione non nasceretur, si posito uno actu, acquireretur tota. Ut autem proportionentur inter se scientiæ, & intellectus: sufficit proportio in ratione Entis spiritualis, proportio in ratione attingentiæ talis objecti, proportio in modo attingendi &c.

Instabis. Una est justitia, & tamen est complexio omnium virtutum. Ergo & una simplex qualitas scientiæ, poterit idem facere.

Respondetur. Negando Antecedens. Nam justitia sumpta pro complexione virtutum, sunt plures distinctæ omnino virtutes.

Objicitur 3. Scientia totalis si esset quid aggregatum ex pluribus partialibus habitibus specie distinctis, vel fieret hoc augmentum extensivum per actus solo numero distinctos, & sic habitus nunquā posset inclinare ad actus specie distinctos, non etiam per actus specie distinctos, quia actus specie distinctus, nō potest intendere habitum, inclinantē ad actum, specie distinctū.

Respondetur. Quod partes extensivæ habitûs, producantur ab actibus specie distinctis. Gradus verò intensionis ab actibus numero distinctis.

Instabis. Aqua extenditur nonnisi additione alius guttæ numero distinctæ, quantitas item extenditur, mole solo numero distincta. Ergo & habitus extendi potest, ab actibus, solo numero distinctis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia sunt aliqua augmenta, quæ nata sunt idem in specie facere, quod faciunt ea, quæ præcesserunt, aut saltē nata sunt intendere vires ad producendum simile omninò. Sic v. g. secundus gradus caloris, additus primo, natus est ad id faciendum, quod facit primus hoc est ad calefaciendum, cum hoc solo discrimine, quòd junctus gradus primus secundo, habeat jam vires majores ad calefaciendum; & talia augmenta dico fieri per gradus eosdem specie, & solo numero distinctos; alia augmenta sunt talia, quæ non sunt nata ad id producendum, quod producunt præcedentia, ut v. g. piper additum croco non est natum ad id faciendum quod faceret solus crocus, & tale augmentum dico fieri per specie distincta, quia autem in scientiis, una pars habitûs, non potest facere id, quod facit alia pars habitus, ideò augmentum scientiarum debet fieri per habitus partiales, distinctos specie.

Objicitur 4. Si scientia totalis non esset simplex qualitas, possent dari duæ formæ oppositæ, simul in eodem subjecto, æquè intensæ. Hoc non potest dici, aliàs posset esse etiam idem ferrum calidum in summo, & frigidum in summo. Ergo. Probatur Major. Posset dari habitus de objecto, & posset dari habitus de ejus opposito, idque æquè intensus. Ergo possent dari duæ formæ oppositæ &c.

Respondetur. Negando. Majorem & Probationis ejus Consequentiam. Ratio negandi est, quia habitus de objecto, & habitus de opposito objecti, non sunt formæ oppositæ, cum ad idem objectum attributionis revocentur, adeoq; ad idem suo modo specificativum, quantumvis ipsa objecta materialiter accepta, sint revera opposita, sed forma opposita v. g. scientiæ de objecto, est error de objecto. Si ergo daretur æquè intensus habitus scientiæ de objecto, & æquè intensus habitus erroris de eodem, tunc primum darentur duæ formæ oppositæ, quod nos non asserimus.

Objicitur 5. Scientia est qualitas, qualitas est simplex. Ergo & scientia est simplex.

Respondetur. Quod scientia partialiter accepta sit qualitas, jam autem totaliter accepta, est aggregatum ex qualitatibus.

Noto. Si Deus infunderet habitum scientiæ, consimilem speciebus universalibus, quales in perfectiorum Angelorum intellectibus admittuntur, in tali casu illa scientia, quantumvis ex diversis motivis formalibus procederet, posset esse simplex qualitas. Ratio quia nec in suo produci, præsupponeret diversos specie actus, nec repugnat simplicem qualitatem, vel si magis potentiam, procedere ex diversis motivis.

DIFFI-

DIFFICULTAS VII.

Notantur quædam de Scientia in Communi.

NOTO 1. *Quomodo comparari possit Scientia cum aliis habitibus intellectualibus.* Indubiè si comparetur cum errore opposito, comparabitur tanquam perfectio, cum defectu, malũ cum bono, si comparetur cum opinione, comparabitur tanquam perfectũ cum imperfectiori, cum imperfectiori inquam, quia melior est scientia quàm opinio magisque perfectiva intellectûs, quia est consecutio finis, ad quem ordinatur intellectus, nempe perceptionem veri, quã perceptionem formalem veri, non habet opinio, quia tamen melius est opinari quàm errare, quia errare, est simpliciter recedere à vero, secus opinari. Hinc comparatio scientiæ ad opinionem, est comparatio perfectioris ad imperfectius. Comparatio autem scientiæ ad errorem erit comparatio ad oppositum. Non nego tamen imperfectionem in opinione ita imbibitam esse. Ut ab ea separari non possit; hinc in Deo nunquam à Theologis ponitur opinio, utpote aliquid essentialiter imperfectum.

NOTO 2. *Quæ sit comparatio inter intellectum & scientiam.* Si comparetur scientia ad intellectum, comparabitur tanquam aliquid perfectũ ad perfectius, perfectior enim est intellectus. Nam objectum illius est intelligibile, vel verum ut sic, jam autem objectum scientiæ, est tale intelligibile, tale verum, adeoq; reliquæ scientiæ, habent participatum bonum, bonum autem quod spectat ad intellectum, est bonum quod participatur. Meliùs autem quia universalius est bonum participatum quàm bonũ participans, (supple inadæquatè.) Deinde potentia melior est suis actibus, jam autẽ scientiæ actuales, comparantur ad intellectum, sicut actus ad potentiã. Scientiæ autem habituales, comparantur ad intellectum, sicut perfectiones exigitæ & principiatæ à sua radice, quas sibi comparat ipsa radix, radix autem in talibus est melior, quemadmodum melior est ignis, quàm calor. Non nego tamen, quòd præcisè in prædicato actûs melior sit actus, præ potentia.

NOTO 3. *Quæ sit comparatio scientiæ ad fidem divinam.* Si comparetur scientia cum fide divina, comparabitur tanquam imperfectius ad perfectius, licèt enim careat fides evidentia, quę est quædam perfectio lineæ intelligendi, carentia tamen hujus perfectionis, non dejicit fidem à gradu excedendi scientiam, tam ex eo, quia id supplet alio prædicato, nempe tanto excessu certitudinis, quàm ex eo, quia evidentia ordinatur ad certitudinem, ut supposuimus in ante, si ergo habeatur aliunde hæc certitudo, non erit jam necessaria illa evidentia, defectusque illius, non arguet imperfectionem.

NOTO 4. *Quæ sit comparatio scientiæ ad fidem humanam.* Si comparetur scientia cum fide humana, comparabitur tanquam perfectius ad longè imperfectius, quia evidentia & certitudo, sunt perfectiones lineæ noscendi, & quidem nullam dicentes imperfectionem, hinc & in Deo reperiuntur, fit ut defectus harum perfectionum, in fide humana, isque nulla perfectione alia suppletus, arguit imperfectionem.

NOTO 5. *Quæ sit comparatio scientiæ ad sapientiam.* Si comparetur scientia ad sapientiam, comparabitur tanquã particulare ad universalius, nam scientia non debet procedere, per causas altissimas & universalissimas: secus sapientia.

NOTO 6. *Quæ sit comparatio scientiæ ad visionem beatam.* Si comparetur scientia cum visione beata, comparabitur tanquam perfectum ad perfectissimum, nam evidentia & certitudo visionis beatæ. sunt longè majores, quàm certitudo & evidentia Demonstrationis, quòd Deus sit. Universaliter autem, quando aliqua perfecta sunt, ex convenientia talium prædicatorum, si aliud, dicta prædicata perfectius habeat, hoc ipso perfectius erit, idque ostendit inductio, & ita, quia homo ex eo habet perfectionem, quod intellectivus sit, cùm Deus sit supremum & perfectissimum intellectivum, perfectissimè excedet hominem, hocq; ipso non ex illis prædicatis sumeretur perfectio, si dato excessu in illis prædicatis, non daretur excessus perfectionis. Et quia ex eo est perfecta scientia, quia est notitia certa & evidens, cum certitudinem & evidentiam longè perfectius participet, visio Dei, hoc ipso perfectior erit.

NOTO 7. *Quæ sit comparatio scientiæ creatæ ad increatam.* Sed hanc adumbratam habebis, ubi in Animasticis tractatur de distinctione Verbi mentis creati à Verbo mentis increato.

QUÆSTIO II.

De Divisione Scientiæ.

ATtingemus imprimis divisiones communes.

DIFFICULTAS I.

Divisio in communi Scientiarum.

MItto divisionem scientiarum quas solemus Deo attribuere, quia hæ explicantur in prima parte, attingemus divisiones alias.

DIVIDITUR imprimis scientia in Actualem & Habitualem. Actualis est ipse actus scientificus. Habitualis est facilitas & inclinatio ad similes actus scientificos, iis à quibus hæc facilitas producta.

DIVIDITUR utraque in Mediatam & Immediatam. Immediata est, quæ sine discursu habetur, saltem formali. Mediata cum discursu.

Dividitur rursùs utraque in Intuitivam, quæ ita noscit objectum sicuti est, & abstractivam, vi cujus attingitur unum, non attacto alio.

Dividitur item in Totalem & Partialem. Totalis est quæ attingit omnem scibilitatem talis objecti, cùm Partialis attingat nonnisi partiale objectum.

Dividitur item scientia. In scientiam Comprehensivam, qua cognoscitur res quantũ cognoscibilis est. Et quidditativam, quæ proprium conceptum de Deo v. g. format, coincidit que cum scientia, Intuitiva, per multos.

Dividuntur scientiæ divisione celebri in scientiam Practicam & Speculativam. Subalternantem & subalternatam. Hæ divisiones pensiculatius hîc examinandæ.

DIFFICULTAS II.

De Divisione Scientiæ in Practicam & Speculativam.

In harum scientiarum explicatione divisi sunt Authores. Ut Status quæstionis penetretur, tenendum est, quòd nomine Practici veniat actus vel habitus opus respiciens, objectum verò istius actûs vel habitûs vocatur Praxis, quod objectum debet esse operatio aliqua. Praxis enim significat actionem. *Sit*

Punctum Difficultatis 1.

Rejicuntur modi quidam explicandi Praxim & Practicum.

Explicant 1. Scotistæ Praxim: quod sit actus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi ad hoc ut sit rectus. Consequenter negant Scotistæ quod operationes intellectus possint esse praxes, licet id affirment de actibus voluntatis. Eandem doctrinam modificat Mastrius disp. 12. Log. part. 5. art. 5. & docet nullum actum intellectus, imò nec ullum alium esse praxim, si præcedat voluntatis imperium, quantumvis posito imperio possit esse praxis. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. ex Suarez disp. 44. Metaph. sec. 13. Actus intellectus dirigens actus voluntatis, ut rectè fiant in suo ordine, est practicus. Ergo & actus intellectus dirigens alium actum intellectus est practicus. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia actus intellectus dirigens alium actum intellectus, non comparatur ad illum tanquã ad aliquod speculativum, non enim sistit in sola veritatis speculatione. Ergo comparabitur ad illum, ut actus practicus ad praxim.

Non satisfacit 2. Operatio quatenus dirigibilis moraliter, hoc est, quatenus dirigibilis per regulas prudentiæ, potest esse praxis, prudentia enim est virtus practica, estque virtus intellectus. Ergo & operatio intellectus, quatenus dirigibilis artificiosè, potest esse praxis, potest autem dirigi artificiosè v. g. à Logica.

Non satisfacit 3. Actus intellectus, post imperium voluntatis potest esse practicus, sed non quocunque modo post actum voluntatis positi, neque enim omnis sequela actus intellectus post actum voluntatis arguit rationem practici, cum possit voluntas imperare etiam speculationem, sed tunc intellectus induit cum illa sequela rationem practici, quando præscribit certum ordinem & methodum operandi. Hæc autem methodus præscribi potest, ante actum voluntatis. Et certè detur quæcunque forma constitutiva Praxeos & Practici, illa quadrabit actibus intellectus aliquibus, etiamsi non sequantur imperium voluntatis.

Dices 1. In oppositum esse auctoritatem.

1. Auctoritas est Aristotelis. Tertio de Anima cap. 10. tex. 50. Intellectus extensione fit Practicus.

Respondetur. Tot Capita illo libro non reperiri, sed retinendo auctoritatem hujus dicti quod usurpatur tanquam axioma. Explicari sic posset. Intellectus extensione fit practicus, non quidem extensione ad actum alius à se potentiæ, sed extensione ejusmodi. Quia scilicet actus ille qui dirigit non est praxis, sed extendi debet ad alium, à se entitativè actum, quem dirigit. Deinde tunc res aliqua extendi dicitur, quando limites suos & terminos quos potest, attingit, arctatur enim, si illos non attingat. Limites autem intellectus sunt veritas, seu intelligibilitas objectorum, & quidem proximior, si solum speculetur veritatem, remotior si etiam se ipsum dirigat, si ergo intellectus non coarcet se ad hoc, ut solum speculetur veritatem, sed procedat usque ad directionem suæ vel aliûs operationis, hoc ipso extendet sese.

2. Auctoritas S. Thomæ 1.2.q.57. art.1. ad 1. Practicum dicit sumi ab operatione exteriori, cum tamen actus intellectus nunquã possit esse nisi immanens, adeoq; non potest esse quid exterius, adeoq; nec potest esse practicus.

Respondetur. Si verba S. Thom. sumantur ut sonant, probabunt etiam actum voluntatis non posse esse praxim, nam neque hîc est quid exterius. Solum ergo S. Doctor intellexit Practicum, debere esse quid externum, hoc est condistinctum ab actu, à quo dirigitur.

Dices 2. Cum Capreolo. Operatio quævis in tantùm est praxis, in quantùm subest electioni voluntatis ut innuit Aristotel. 6. Metaph. cap. 1. At nihil subest electioni voluntatis, nisi in quantùm est moraliter dirigibile. Ergo omnis praxis, debet esse moraliter dirigibilis unde etiam ipse Aristoteles 6. Eth. cap. 3. & 6. Scientiam practicam nonnisi in ordine ad voluntatem explicat.

Respon-

Respondetur. Praxim ita ex Aristotele & aliis explicari tanquam per aliquid notius, non autem quasi in hoc solo stet.

Dices 3. Si actus intellectus potest esse praxis, sequitur quamcunque speculationem, esse praxim.

Respondetur. Negando sequelam, si enim sistatur in sola veritatis attactione, non potest esse talis Actus practicus, si tamen aliquis actus intellectus fiat ex regulatione alius actus, ille actus poterit esse praxis.

Dices 4. cum Mastrio. Cognitio quæ potiùs vera vel falsa est, non bona vel mala dicitur, non potest esse praxis. Sed omnis operatio intellectus ante imperium voluntatis elicita, dicitur potius vera vel falsa, & non bona vel mala. Ergo talis Operatio nõ potest esse praxis. Major probatur. Quod potius verum vel falsum est, & non bonum vel malum, illud potiùs est speculabile: ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinet. Sed nullum speculabile est praxis. Ergo & nullum est praxis, quod potius verum vel falsum dicitur, & non bonum vel malum. Minor principalis probatur. Ad voluntatem spectat bonum vel malum. Ergo ante voluntatis imperium, nihil est bonum vel malum.

Respondetur imprimis negando Majorem. Ad speculationem enim veritas vel falsitas pertinent, in quantùm hæc ipsa non ordinantur nec regulantur ab alio actu, secus si regulentur. Minor etiam non concludit, quia rectitudo orta ex regulis ad agendum præscriptis, quæ est aliqua bonitas, spectat etiam ad intellectum, licèt bonitas moralis, imputabilis ad laudem vel vituperium, potiùs spectet ad voluntatem.

Dices 5. cum eodem. Cognitio directa prout cognitio est, spectat ad genus speculationis, intendit enim attingere veritatem objecti. Ergo etiam ut directa, non spectat ad praxim.

Respondetur. Quòd attingentia veritatis ut sic, non dicat sistentiam in illa veritate, adeoq; speculationem, sed dicit aliquid commune ad speculationem & praxim. Et licet cognitio quæ simpliciter attingit veritatem objecti, ad praxim non spectet, spectat tamen ad praxim notitia, quæ attingit veritatem objecti, præscribendo regulas illam attingendi, & modum versandi circa objectum. Deinde videtur hic committi fallacia accidentis, quia quamvis dicatur non convenire id cognitioni, quà cognitio est, non sequitur, quod ei non conveniat quà directæ, & tamen arguens ab eo quod non convenit cognitioni, quà cognitio est, arguit non convenire ei quà directæ.

Explicant 2. Alii praxim per hoc, quod debeat esse opus liberum. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit ex iis quæ immediatè sunt allata, contra priorem

Confirmatur ex Arriaga, quia hæc sententia supponit, quòd praxis involvat ut circa illud objectum errare possit voluntas, hoc autem non convincit: nam Angelus non potest errare in motu cœlorum, & tamen ille motus, est paxis, habetq; de illo Angelus cognitionem practicam, cognitio boni in communi potest esse practica, itemque visio beatifica; & tamen & cognitionem boni in communi, & Visionem beatam, sequitur actus amoris necessarius &c. sed de hoc etiam infra.

Dices. Si ad rationem praxis non requiritur esse liberam. Ergo & Operationes brutorum poterunt esse praxes.

Respondetur. Negando sequelam, quia id quod est propriè praxis, debet esse factum ex directione intellectus, & cum præscriptione regularum agendi, hoc autem non convenit brutis.

Punctum Difficultatis 2.

Rejiciuntur alii modi idem explicandi.

Explicant 3. Thomistæ. Quòd praxis importet compositionem cum materia & forma. Speculatio verò resolvit conclusiones in principia. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. Quia nomine hujus compositionis cum materia & forma, vel intelligitur materia & forma physica vel intentionalis, si intelligitur materia & forma physica: Ergo nulla jam dabitur scientia practica, quia nulla componit materiam & formam physicam, sed solum est cognitio compositionis materiæ & formæ physicæ, quæ ipsa cognitio compositionis, non est compositio. Et si importare compositionem cum materia & forma physica: per te, sit cognoscere hanc compositionem, per te etiam Metaphysica erit practica, quia hanc compositionem, modo suæ scibilitati debito, attingit. Quod si ad rationem praxis sufficit compositio cum materia & forma intentionali, omnes scientiæ erunt practicæ, quia omnes habent pro objecto, compositionem cum materia intentionali, hoc est, cum objecto materiali, ordinato ad formale, tanquam ad formam.

Non satisfacit 2. Quia scientia simplicis intelligentiæ de possibilitate Angelica, est practica, & tamen pro objecto non habet compositionem materiæ cum forma, hanc enim excludit spiritualitas Angeli. E contra etiam practica scientia resolvitur in sua principia, & tamen adhuc est practica. Imò & omnis cognitio mechanica resolvitur in principia artis, quæ resolutio facta ab ipsamet arte, non arguit in illa ipsa speculationem.

Non satisfacit 3. Quia non repugnat importari à notitia speculativa compositionem cum materia & forma, & aliquid practicum resolvere conclusionem practicam, in principia

practica. Ergo nec praxis per compositionem, nec speculatio per resolutionem rectè definitur, & certè resolutio illa deberet esse conclusionis non practicæ sed speculativæ, de quo ipso quæritur per quid constituatur illa conclusio in ratione speculativæ.

Explicat 4. Arriaga Cognitio practica est, quæ natura sua ordinatur ad sui objecti effectionem, ordinari autem ad sui objecti effectionem, est, habere objectum factibile à cognoscente, ut tali, idque nondum existens. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. Sumo hæc omnia, & quæro: quid sit habere objectum factibile à cognoscente ut tali.

Non satisfacit 2. Accipio hanc demonstrationem metaphysicam, qua advertitur quod amoris sit nexus cum bono & sic habet. Omne bonum est amabile. Deus est bonus. Ergo Deus est amabilis. Et quæro, quare hæc demonstratio in Metaphysica sit speculativa, & eadem materialiter demonstratio, in quantum est ab Ethico sit practica, & movens ad amandum Deum.

Non satisfacit 3. Quia tota hæc explicatio aut non explicat in quo est difficultas, ut non explicat; quid sit iste cognoscens ut talis? aut diminutam tradit doctrinam; nam quærere restat quid implicet ut versetur cognitio cæteroqui practica, circa objectum jam existens: nam licèt circa jam existens non detur deliberatio, tamen potest existens esse objectum, ex quo procedatur de deliberatione circa futurum; ita, licèt jam existens, non possit esse objectum cognitionis practicæ, ut illud faciat existere, potest tamen esse objectum cognitionis practicæ hoc sensu; quia scilicet non sistetur in sola illius objecti veritate: sed ordinabitur illa cognitio, ad similis objecti v. g. argumenti effectionem.

Explicat 5. Oviedo. Cognitio practica est, quæ ex se ordinatur ad praxim, ordinari autem ad praxim est esse cognitionem, quæ proponit objectum non quomodocunque, sed ita, ut ex vi illius, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, potentiæ huic, cui incumbit talis objecti productio. Et ita cognitio quâ nosci artifex ligna vel lapides, sic vel sic esse collocandos; proponit operationi, eo modo objectum, ut ex vi ipsius cognitionis, possit artifex elicere actum voluntatis, qui imperet potentiæ executrici, talem vel talem lignorum constructionem. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. Quia sumptis his omnibus, quærere restat, quod signum sit istius; quando scil. ex vi cognitionis potest imperari vel non, executio.

Non satisfacit 2. Quia quærere restat: cur demonstratio de Dei amabilitate supra relata, Metaphysico non proponat objectum, ita, ut ex vi illius cognitionis, possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, possit autem Ethnico.

Non satisfacit 3. Quia non implicat aliquid esse praxim, quamvis ad illud voluntas non se extendat, nam ratio praxis in voluntate non stat, ut dictum, potestque unus actus intellectûs regulare alium, & independenter à voluntate ponere illum, qui tamen verè adhuc possit esse practicus; Et ex altera parte potest esse aliquid speculatio, quamvis ita proponatur objectum, ut ex vi illius possit voluntas imperare ipsius objecti executionem, & tamen ille actus non esse praxis. Certè enim præmissæ conclusionis, respectu inferendæ consequentiæ, ita proponunt objectum, ut ex vi illarum, potentia intellectiva progrediatur ad conclusionem inferendam, voluntasque illam imperare possit, & tamen præmissæ respectu conclusionis, non sunt practicæ, alias etiam Metaphysica esset practica, habet enim præmissas respicientes conclusionem.

Punctum Difficultatis 3.

Explicatur ratio Practici & Praxis.

Aristoteles 1. Metaph. cap. 1. docet speculationem esse quæ sistit in gratia sui seu gratia objecti. *Ex quo jam*

Explicatur speculativum, idque etiam attendendo ad 2. Metaph. tex. 3. ubi dicit: *Speculativæ etenim finis veritas. Practica autem opus.* Speculativum illud est: quod sistit in sola contemplatione objecti, considerando ejus causas, effectus, proprietates, solùm in veritate contemplanda sistendo. Practicum autem illud est, quod respicit opus, quà operabile, adeoque non sistit in sola contemplatione objecti. Et sic demonstratio illa de Dei amabilitate si consideretur à Metaphysico erit speculativa, quia sistet in sola contemplatione objecti. Practica autem in Ethico; quia non sistit in sola veritatis illius contemplatione, sed ulterius imperat opus seu operationem, hoc est amorem. Quòd autem aliqua in particulari scientia sistat in ipsa speculatione objecti, hoc inde colligendum est, si enim reliquis in objecto circumscriptis & impossibilibus redditis, solaque speculatione veritatis in illo objecto contentæ relicta, tamen maneat invariata ratio, primo & per se intenta, in versando circa illud objectum, ab illo habitu seu scientia, jam hoc ipso illa scientia, censebitur esse speculativa; illa verò in particulari scientia censebitur esse practica, quæ relicta tota speculatione objecti, variabitur ex hoc solo, si illi non sit integrum procedere ad opus, jam illa scientia, & erit & dicetur practica. Atque ita cognitio illa Metaphysica de Dei amabilitate est spe-

est speculativa, quia impossibili amore adhuc in illa demonstratione habebit à se intentum finem Metaphysica hoc est veritatem. Impossibili verò amore non haberet Ethica finem intentum in illa demonstratione; quia intendit regulationem amoris. Porrò finis intentus à scientia ex duobus pensari debet: scilicet ex necessitate talis habitûs ad perficiendum intellectum: si enim illo habitu indigeat intellectus, ut possit præscribere modum rectè attingendi objecta, censebitur ille habitus, non sistere in speculatione sui objecti. Pensari item debet, an aliquis habitus sit practicus ex principio negativo, si enim potest aliquid sistere non in speculatione, sed ordinari ad opus, tenendum erit illud ordinari, quia aliàs dignificarentur Entia sine necessitate, ponerenturque omnes habitus in digniori serie, nempe speculatione, sine necessitate.

Noto hîc, quænam sint Conditiones practici habitus, sunt enim hæ 1. ut respiciat objectum agibile. Ratio, quia practicum debet aliquid ponere in actu, quod autem agibile non est, non potest poni in actu. 2. Debet esse operabile ex vi notitiæ, non verò tantum ex vi principiorum naturalium. Ratio quia aliàs: Cognitio nutritionis, esset cognitio practica, quantumvis nutritio non ex vi illius notitiæ ponatur. 3. Debet versari circa illud objectum notitia practica, operabili modo: operabili autem modo versari ex Suarez disp. 54. sec. 13. est, vel elicere ipsum actum, qui est praxis, sicut temperantia elicit abstinentiam, vel certè actum dirigendo & regulando, quod ipsum dirigere vel regulare opus, fit dupliciter vel formaliter, ut cum dictat Architectonica: tale vel tale fundamentum ponito, ut sit bonum ædificium, vel dirigere æquivalenter, ut cum dicit Architectonica: Omne firmum ædificium tali vel tali debet niti fundamento, quod dictum æquivalet huic: Pone tale fundamentum.

Cæterùm notitia practica, quamvis versetur circa Agibile, est contenta, quòd constet prædicato practicabili seu agibili quamvis non subjecto. Ratio, quia sicut propositio est contingens, quæ prædicatũ habet contingens, quamvis subjectum non sit contingens, qualis hæc est propositio: homo est albus, homo enim non est quid contingens licèt albedo sit contingens. Ergo & notitia erit practica, quæ habebit prædicatum practicum, qualis est v.g. hæc Deus est amandus, ubi Ly amandus est quid agibile. Deus verò ipse, non est agibilis. Quanquam quantumvis practicæ cognitionis debeat esse objectum operabile seu praxis, ipsius tamen praxeos non est necesse objectum esse operabile sic v. g. objectum practicæ cognitionis imperantis amorem Dei, est objectum operabile, hoc est amor Dei, sed objectum ipsius amoris, hoc est Deus, non est quid operabile. *Ex dictis*

Inferes 1. *Quare cognitio Dei de peccato commisso non sit practica.* Licèt enim quodam modo Deus dirigatur illâ, ad infligendam pœnam, quia tamen ex accidenti est, quòd dirigatur Deus ad infligendam pœnam, nam etiamsi Deus non decrevisset punire peccata (cum illa Deo liberum sit punire) mansisset tamen in Deo cognitio de peccatis, quia æquè esset Omniscius. Quod si mansisset eadem cognitio Dei etiam si non direxisset Deum ad puniendum peccatum, apparet per accidens esse illi cognitioni, dictam directionem; si autem per accidens est huic cognitioni ista directio, certè jam per se non erit practica, ea enim quæ sunt per accidens, non immutant naturam Actus, quæ importat esse per se.

Inferes 2. *Præmissas respectu Conclusionis non esse quid practicum.*

Ratio. Quia conclusio respectu præmissarum, neque est objectum agibile physicè, unus enim actus non producit alium physicè, nec etiam conclusio respectu præmissarum est objectum agibile moraliter, nam imprimis moralitatis ea censentur capacia, quæ sunt libera, quod non competit conclusioni. Deinde quia potiùs intendunt præmissæ determinare ipsum intellectum ut formet conclusionem, non autẽ immediatè respiciunt ipsum opus, quod est conclusio. Addo ex principio hoc, quia practicum debet habere pro objecto aliquod agibile, sequi, quod præmissæ per ordinem ad conclusionem non sint practicæ, quia conclusio non est objectum præmissarum, sed illud, de quo illæ præmissæ procedunt.

Inferes 4. *Quod Cognitio præcedens actum amoris necessarium, non sit practica,* quia nihil refert illi cognitioni, quod sequatur ex illa amor, totaque illius essentia & finis intentus, salvari potest, quantumvis non sequatur amor; econtra cognitio Dei de creaturis effectibilibus, est practica, non enim ex accidenti illi est dirigere Deum in effectione creaturarum, hinc si impossibiles essent creaturæ, neq; Deus scientiam de producibilitate illarum habuisset.

Inferes 5. *Quod Cognitio quam habet Petrus v.g. de Angelo producendo, quantumvis Deus illi communicaret vim producendi Angelum adhuc per se esse, speculativa,* & nonnisi per accidens practica.

Ratio. Quia quamvis Petrus hac cognitione dirigeretur in illa productione; adhuc tamen illa cognitio posset esse in illo salva, quamvis non haberet vim producendi Angelum. Ergo apparet hanc directionem, per accidens esse illi cognitioni. E contra cognitio in Medico, quà Medicus est, licèt intentio illius non referat cognitionem aliquam ad praxim, adhuc est practica; quia ex accidenti est, quòd non referat ad opus illam cognitionem: cum cognitio in Medico, quà Medicus est, natura sua petat

tat referri ad opus, hocq; inde est ex dictis, quia relictis omnibus speculationibus de objecto medicinæ, & sublata illius ad opus, hoc est ad sanativitatem, intentione, hoc ipso non erit hęc, sed alia specie medicina. Dixi hanc cognitionem in Medico qua Medicus est esse practicam, quia fieri potest, ut habeat cognitionem de sanitate, non ex habitu medicinæ, sed ex habitu Physicæ, quæ est speculativa.

Punctum Difficultatis 4.

Satis sit quæsitus aliquibus.

QUÆRITUR 1. *An Divisio in Practicum & Speculativum sit in membra contradictoriè opposita, saltem illativè.*

CONFIRMATUR. Quia sistere in sola speculatione objecti, quod est speculativi; & non sistere in sola speculatione objecti, quod saltem illativè competit, practico, sunt membra contradictoriè opposita.

QUÆRES 2. *An possit idem habitus esse practicus & speculativus?*

POTEST. Ratio, quia si idem indivisibilis intellectus potest esse principium actuum speculativorum & practicorum: cur non idem poterit esse in scientia totali, quæ supponitur esse aggregatum ex pluribus partialibus habitibus.

QUÆRES 3. *An possit esse idem actus practicus & speculativus?*

POTEST. Ratio, quia una eademque cognitio, qua Deus se & creaturas cognoscit respectu Dei est speculativa, respectu creaturarum practica, nec ulla in hoc est implicantia habent se enim speculativum & practicum, sicut sensitivum & intellectuale. Porrò sicut sensitivum tantùm, non potest simul reperiri cum intellectuali tantùm, cùm unum dicat vel inferat negationem alius; licèt sensitivum & intellectuale simpliciter, possint secum conjungi, ut conjunguntur in homine, sic & speculativum tantùm, nunquam potest esse practicum tantùm, secus sine hac restrictione.

QUÆRITUR 4. *Vnde desumenda sit differentia inter Practicum & speculativum.*

EXPLICANT 1. Aliqui. Quòd practicum habeat pro objecto opus. Speculativum autem procedit de re non operabili à nobis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quia potest rei operabilis, solum veritas investigari, ita ut in illa sola sistatur. Ergo falsum est quod operabile, non possit esse objectum speculativi. Et sicut de probabili potest dari scientia, quia demonstrabile est ex medio probabili, non posse sequi scientificum assensum, ita & de operabili, potest esse speculatio.

EXPLICAT 2. Soncinas Javellus Vasq. 1. parte disp. 8. cap. 5. Practicum desumi non solùm ab operabili objecto, sed etiam ab intentione discentis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia intentio, quæ ordinat physicam ad discendam medicinam, & postea practicandam, non facit physicam practicam. Ergo neque etiam intentio non practicandi habitum, qui est practicus, faciet illum speculativum.

NON SATISFACIT 2. Quia sequeretur nullam scientiam esse determinatè de se practicam, nullam determinatè speculativam. Siquidem determinatio practici vel speculativi, pendet ab intentione discentis.

NON SATISFACIT 3. Quia hæc intentio videtur jam accedere & præsupponere objectum, modum item versandi circa objectum, nexumque cum objecto. Ergo supponit jam & non adfert rationem practici vel speculativi. Et sicut Sacramenta non sunt practica ex intentione suscipientis vel conficientis illa, nam non est necesse ut Sacerdos dum v.g. absolvit, intendat producere gratiam sanctificantem, sed hęc ratio practici signi, supponitur in Sacramentis; ita supponetur speculatio vel praxis intentioni discentis, illamq; præcedet. Unde quando Philosophi communiter docent, quod ratio practici vel speculativi desumatur ex fine, accipiendum est dictum illorum, de fine intrinseco non extrinseco, hoc est intentione discentis.

EXPLICAT 3. Arriaga, quòd hæc differant ex subjecto specie distincto, ita ut si unum subjectum possit ex specie & natura sua facere aliquid, & aliud non possit, hoc ipso cognitiones illæ distinguantur. Sic v.g. cognitio, quam habet Deus de Angelo, quem potest facere, est practica, speculativa verò, quam ego habeo, de eodem objecto. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Scientia in communi. Ergo nec scientiæ tales, sument speciem ex tali specie subjecto.

NON SATISFACIT 2. Quia eadem specie qualitas potest esse in diversis specie subjectis, nec diversificatur ex subjecto. Ergo idem dicendum de scientiis.

NON SATISFACIT 3. Quia nomine hujus subjecti, vel intelligitur id, quod recipit illam scientiam, & hoc non videtur, unde habeat vim diversificandi, cum in scientiis respectus essentialis & specificativus, sit penes objectum; vel nomine subjecti venit, quòd si res non sit operabilis, nec sub modo operabili attingatur, hoc ipso illud subjectum sit futurum speculabile, si autem res sit operabilis & modo operabili attingatur, jam illa res erit subjectum practicum: certè hæc differentia est bona, sed est potius appellanda ex objecto. *Hinc*

EXPLICATUR cum Suarez, quòd practicum & speculativum fine intrinseco discernantur

tur & distinguantur, ita ut finis speculativæ, sit veritas seu esse gratia sui, finis autem practicæ, opus. In idem recidit si conformiter ad dicta supra, differentiam practici & speculativi sumas, ex ipsa natura illorum, contenta in ipsismet prędicatis definitivis. Quod ipsum sic proponitur. Omne quod differt, differentiâ differt, cum differentia, sit ratio formalis & unica differendi, sicut convenientia, est ratio unica, & formalis, conveniendi, & si aliquid differret non differentiâ, illud faciens differre, & non esset differentia, per te enim differentia non facit differre, & esset differentia, quia faceret differre. Hæ tamen differentiæ aliquæ sunt ultimæ, aliquæ non ultimæ, nam differentia hominis est etiam sensitivum, licèt non sit differentia ultima, sed determinabilis ulteriùs & ultimò à rationali. Hinc ut aliquid dicatur simpliciter differre, accipienda erit ultima differentia, quæ ipsa ultima differentia, tanquam à posteriori colligitur, si ponatur in definitione alicujus, quæ enim est recta definitio, constat ex genere proximo & differentia ultima. Porrò cum in definitione scientiæ speculativæ, ponatur, quòd sistat in speculatione sui objecti: Item, cum in definitione practici ponatur, quod procedat ulterius ad opus, bene per procedere ad opus practicum, & persistere in veritate, differet speculativum. Quod si differentiis in definitione positis differunt, seipsis differunt, nam definitio objectivè accepta, hoc est prædicata definitiva & definitum, hoc est natura, sunt idem. Bonitas hujus explicationis pendet ab ipsâ defensione datæ definitionis.

Dices. Si differentia practici & speculativi desumeretur ex ipsa natura, sequeretur non posse eundem actum esse practicum & speculativum, quomodo enim tam diversa eidem Entitati convenirent.

Respondetur. Sicut una Entitas potest habere diversas habitudines, ita & idem actus, poterit similiter habere diversas habitudines, cumque ratio speculativi sit habitudo ad objectum, sistendo in sola illius veritate, & ratio practici sit habitudo ad opus qua operabile, ideò ratio practici & speculativi, poterunt in eandem entitatem coire, quæ entitas erit idem realiter, sed cum ista habitudine diversa.

Quæres 5. *An Practicum debeat definiri per opus quod respicit; An per id, quòd non sistat in speculatione sui objecti.* Definiri debet priori modo. Ratio, quia cum esse practicum, sit quid positivum, per prædicata positiva definiri debet, non autem per prædicata negativa. Hinc jam praxis definitivè erit objectum notitiæ practicæ, ab ipsa natum dirigi aut operari, juxta dictamen rectæ rationis. Scientia autem practica, erit notitia certa & evidens nata respicere opus, qua operabile. E contra speculativa scientia, est notitia certa & evidens, sistens in sola speculatione sui objecti, vel procedens gratia sui.

Punctum Difficultatis 5.

An detur aliqua Scientia Practica.

Dicendum est: *Dari aliquam Scientiam practicam.* Est contra Joan. Sanchez. & contra P. Adrianum Pikarski, Regium Ecclesiastem, Virum in omni literatura incomparabilem.

Probatur 1. Auctoritate Aristotelis 6. Metaph. tex. 2. *Speculativæ*, inquit, *aliis scientiis præferendæ sunt, hæc verò* (intellige Metaphysica) *speculativis.* Ergo datur aliqua scientia practica, scilicet cui practicæ speculativa præponenda. Et ibidem textu 1. probat, Physicam esse scientiam nec activam nec factivam. Ergo supponit aliquam esse activam scientiam, præcipuè cum ulterius dicat intellectum esse activorum. Idem 2. Metaph. tex. 3. *Rectè autem se habet*, inquit, *Philosophiam veritatis scientiam contemplatricem appellasse. Speculativæ enim finis Veritas, Practicæ autem* (subaudi commune substantivum scilicet scientiæ) *opus, etenim si* (intellige practici) *quomodo se habeant considerent, non causam per se* (id est, non sistant in sola speculatione) *sed ad aliud* (hoc est propter opus considerant) *& eo in tempore practici speculantur*; (intellige noscunt scientificè, noscere enim scientificè, est cognoscere rem per causam, speculari autem apud illum hîc, est noscere per causam, unde & addit) *non scimus enim verum absque causa.* Quæ auctoritas hoc habet argumentum. Cognoscere verum per Causam, est scire. Sed practici cognoscunt verum per Causam. Ergo Practici sciunt. Idem habet 7. Metaph. tex. 23. & ibidem indicat tex. 1. & 2. Tertio item de Anima tex. 49. 6. Ethicorum cap. 6. cum negâsset primorum principiorum dari scientiam, negat etiam: prudentiam esse primorum principiorum, ideò autem negat primorum principiorum esse scientiam, eo quod scientia sit demonstrativa, principia autem non demonstrantur. Supponit ergo, quòd etiam Prudentia, quæ est quid practicum, possit habere suas demonstrationes.

Quod si alicubi videatur negare practicos habitus, esse scientias, intelligendus est quòd negaverit illas esse perfectissimas seu universalissimas scientias, non est enim dubium speculativas scientias universalius de suo objecto procedere.

Probatur 2. ex S. Th. quem vide 1. parte q. 1. art. 1. & ibidem art. 50. & prima parte q. 10. art. 160. Supponit hoc Thomistica Schola, quæ

Theo-

Theologiam ita appellat speculativam scientiam, ut dicat etiam esse practicam saltem eminenter. Supponunt & nostri, quia per nos scientia simplicis intelligentiæ est scientia practica. Sed datur scientia simplicis intelligentiæ. Ergo datur aliqua scientia practica, & si id quod est, eminenter scientia, potest esse practicum, cur & non aliqua alia formalis scientia, erit practica.

Probatur 3. Argumento negativo, quia nulla est implicantia, quominus possit dari scientia practica. Ergo possibilis est, & quæcunque dabitur nota scientiæ practicæ, ea jam reperietur in aliquibus, qui de facto dantur habitibus.

Confirmatur. Si daretur habitus non sistens in sola demonstrationum speculatione, sed ulterius ordinaret illas ad praxim ille habitus esset scientia practica, hoc enim nomine scientiæ practicæ hic intelligitur. Sed datur habitur aliquis non sistens in sola speculatione suarum demonstrationum, sed ulterius ordinans illas ad praxim quod probatur. Formetur hæc demonstratio. Honesta actio est usurpanda refrænatio passionum irrationabilium est honesta actio. Ergo refrænatio passionum irrationabilium est usurpanda. Ethica v.g. formata hac demonstratione, non sistit in sola speculatione illius, sed illam ordinat ad praxim. Ergo datur habitus non sistens in sola speculatione suarum demonstrationum. Antecedens probatur. Habitus qui procedit vel per modum imperii formalis scilicet jubendo ut fiat illud quod est illatum in conclusione vel procedens per modum imperii virtualis, æquivalenter id dicendo; si deberes refrænare passiones, faceres actionem honestam taliter inquam procedens habitus, non sistit in sola speculatione objecti, nam etiam artes mechanicæ, ratione talis imperii formalis vel virtualis, exercent rationem practici. Sed Ethica procedit per modum imperii formalis vel virtualis ex dicta demonstratione. Ergo non sistit in sola speculatione. Minor probatur. Si ex dicta demonstratione non procederet Ethica ad imperium formale vel virtuale, non consequeretur finem suum, quod est rectificare operationes, quomodo enim eas rectificaret sine directione, sine imperio formali vel virtuali &c.

Objicitur 1. Omnis demonstratio qua demonstratio ordinatur solum & præcisè ad scire. Ergo nulla est practica demonstratio. Antecedens probatur. Præmissæ demonstrationis nihil aliud intendunt, quam assensum prębendum conclusioni imperturbabiliter. Ergo omnis demonstratio ordinatur ad scire tantùm.

Respondetur. Id verum esse de præmissis demonstrationis speculativæ, non de præmissis demonstrationis practicæ, quas nihil vetat dari. Deinde fieri potest ut præmissæ sint speculativæ, quæ possunt esse conclusiones Metaphysicæ, ad quam spectat probare principia reliquarum scientiarum, & tamen adhuc poterit esse conclusio practica.

Objicitur 2. Per demonstrationem, quæ dicitur practica, vel possunt investigari prædicata intrinseca rei, vel non possunt, si possunt. Ergo per accidens est illam esse practicam; si non possunt per illam investigari prædicata intrinseca, quomodo erit demonstratio.

Respondetur. Per demonstrationem practicam, investigari etiam prædicata intrinseca rei, sed ita, ut illa investigatio per se ordinetur ad opus: si autem per se ordinabitur ad opus, hoc ipso non per accidens erit practica.

Objicitur 3. Prius est verum, quam sit operabile, illud enim est passio intrinseca; operabilitas autem est quid extrinsecum. Ergo & quælibet cognitio rei, ut res est, primariò tendit ad speculationem, quàm ad praxim. Ergo similiter omnis demonstratio.

Respondetur. Concesso, quod per ordinem ad nostros conceptus prior sit veritas quam operabilitas, non sequetur, quòd per accidens sit alicui habitui circa operabile versari, quia potest per se ordinari notitia veri ad operabile. Et sicut datur prioritas inter passiones & prædicata, neque tamen ex eo sequitur illas passiones & prædicata per accidens convenire, ita nec per accidens erit alicui habitui, esse practicum, licèt ex modo concipiedni, ab operabili præsupponatur verum.

Objicitur 4. Nulla demonstratio ex natura sua est ista directiva, ut nisi esset directiva alicujus operis, eo ipso non esset demonstratio. Ergo nulla scientia per se primo & formaliter est practica. Si enim non habet formaliter practicas demonstrationes, quo ex principio erit formaliter practica scientia? Antecedens probatur. Demonstratio, quæ haberi potest per principia ædificandæ domus, non exigitur à domo facienda ut domus ab eadem demonstratione dirigatur, aliàs omnis ædificator, deberet esse Logicus.

Respondetur. Demonstratio secundùm suam naturam dupliciter spectari potest: vel secundùm quod abstrahit ab hac vel illa specie, ab esse v.g. practici & speculativi, & sic accepta demonstratio, quamvis non sit practica, potest esse demonstratio speculativa. Deinde potest demonstratio accipi secundùm naturam, sed contractè ad certum genus scibili spectatam, & tunc si Demonstratio contracta ad esse practici, non esset Demonstratio intendens opus, hoc ipso non esset Demonstratio practica, non enim per illam finem suum intrinsecum hoc est operari scientia illa consequeretur. Addo quamvis domus non exigat, ut à

Demon-

Demonstratione dirigatur, potest tamen ipsa demonstratio exigere, ut mediante imperio formali vel virtuali, dirigat opus, nulla enim in hoc repugnantia. Domus autem quæ est indifferens ut arte vel scientia ædificetur, non exigit à scientia dirigi, nisi fortè domus scientificè ædificabilis

Objicitur V. De ratione scientiæ est ex 6. Ethic. cap. 3. ut sit de iis quæ sunt talia secundùm naturam non ex nobis, seu quæ non in nobis, sed in sua natura principium habent. Scientiæ autem practicæ habent talia objecta, quæ habent in nobis principium, hoc est, à nobis fieri possunt.

Respondetur. Loqui Aristotelem de scientia perfectissima & abstractissimè speculativa. Deinde etiam in objecto scientificè operabili, quod sic non nisi rectè fiat, habetur id ex natura ipsius operabilis, de quo, ubi: an Logica sit scientia. Denique qui tenent Logicam esse speculativam quamvis sit circa Syllogismum, qui habet principium in nobis, non possunt contra nos, hac auctoritate uti.

Instabis. Scientia abstrahit ab existentia objecti, quod non potest convenire practico.

Respondetur. Etiam practica suo modo abstrahit ab existentia objecti, sufficit enim quod sit causativa, ut existat objectum.

Cæterum in scientia practica cum Suarez disp. 8. sec. 5. partiendæ sunt duæ formalitates: Formalitas Notitiæ & Formalitas Causæ: Formalitas Notitiæ importat repræsentationem intentionalem objecti. Formalitas Causæ dicit vim producendi efficiendo Ideam, exhibendo rem &c.

DIFFICULTAS III.

De Divisione Scientiæ in subalternantem & subalternatam.

Scientia Subalternans est *Scientia quæ alteram sub se ponit.*

Subalternata autem *dicitur quæ est sub altera posita.* Et hæc explicatio est quoad quid Nominis.

Scientia Subalternans Et Subalternata. Tripliciter considerari potest. *I.* Potest una scientia esse subalternata alteri quoad finem extrinsecum, & sic potest Logica & Metaphysica subordinari Medicinæ, ut scilicet Medicus, benè de rebus Medicinæ discurrat. *II.* Potest una scientia esse subalternata alteri, ratione principiorum quia videlicet ua, suas conclusiones probat, rationibus ab altera desumptis, ut dum probat, Chyrurgica, circulare vulnus difficile curari, ex illo Geometrico principio; quia latera circuli, difficile coeunt, & hæc subalternatio, dicitur ratione principiorum. *III.* Potest una scientia esse subordinata alteri, quia utraque habet idem objectum formale, nisi quod subalternata conditionem aliquam accidentalem superaddat, & sic Physicæ subalternata dicitur esse Medicina, quia utraque corpus considerat, qua corpus, superaddita conditione accidentali sanabilitatis.

Dicendum Est. *Ad subalternationem rigorosam requiri, ut subalternata habeat idem objectum formale cum subalternante, & nonnisi conditionem accidentalem addat.*

Probatur. I. Auctoritate Aristotelis 1. Posteriorum tex. 23. & 30.

Probatur II. Inductione in omnibus manifestè Subalternatis v.g. Perspectiva & Geometria. Perspectiva enim addit conditionem accidentalem, quia scilicet considerat lineam visualem. Musica numeris superaddit conditionem accidentalem, hoc est sonum, & habet idem formale cum Arithmetica, quæ etiam numerum considerat.

Probatur III. Ex una parte si subalternata non haberet idem formale cum subalternante, non esset unde subalternatio desumeretur, non enim ex eodem materiali, cum multæ scientiæ idem materiale habeant, nec sint sibi subalternæ. Ergò ex eodem formali: Ex altera parte, debent habere aliquod sui distinctivum, quod quia non est in formali & essentialibus, aliàs simpliciter essent disparatæ scientiæ. Ergò debet id haberi ratione accidentalis superadditæ conditionis.

Objicitur I. Ex vi allatorum sequi, quòd subalternans & subalternata scientia non sint specie distinctæ. Hoc autem dici non potest, quia alias habitus adæquatè practicus qualis est Medicina, & adæquatè speculativus qualis est Physica differrent specie.

Respondetur. Scientiam subalternatam & subalternantem non distingui quidem specie substantiali, petibili ex vi objecti substantialiter ejusdem, seu ejusdem in specie objecti Attributionis, distingui tamen ratione practici & speculativi, quæ rationes non sunt petibiles ab objecto Attributionis, sed ex sistentia in sola veritate illius vel non. Nec oberit quod aliqua sint in eadem specie sub certo respectu, & sub alio respectu sint distincta specie, nam forma ossis & forma carnis ex probabili scientia distinguuntur specie, in ratione partialium formarum, & tamen habent communem speciem, quæ est constituere corpus humanum, quod vel maximè procedit de specificatione oriunda ex diversis habitudinibus, quæ indubiè plures esse possunt, qualis est habitudo fundativa speculationis & fundativa praxeos.

Objicitur II. Si scientiæ subalternatæ objectum à subalternante sola tantum aliqua accidentali conditione differret, sequeretur scientiam de colore, & scientiam de colore albo, de colore nigro, esse scientias subalternatas, sed hoc falsum est, quia eadem Physica & de colore ut sic, & de colore albo, scire potest.

RESPONDETUR. Cum commune non aliud sit, quàm ipsamet particularia, in re loquendo, quæ scientia considerat commune hoc ipso nata est se extendere etiam ad particulare, quod ex illo communi participat. Sicut visiva, quia attingit coloratum, attingit & hoc coloratum, quod est album, consequenter quæ scientia considerat colorem, eadem etiam considerat talem colorem. Quia autem objectum scientiæ subalternantis & subalternatæ, non comparantur inter se, sicut commune & particulare, sed sicut non involvens accidentales rationes, ad involvens, rationes accidentales, ideò objectum subalternantis dat locum objecto subalternatæ, quod involvit rationes aliquas accidentales, ad quas, non se extendit subalternans.

OBJICITUR III. Ex dictis sequi quod habitus Fidei & habitus Theologiæ non sint specie distincti.

RESPONDETUR. Negando Sequelam, nam objecto fidei non additur aliqua accidentalis conditio, ad quam attendat Theologia, sed aliquod essentialiter specificativum, nempe scientifica notificatio veri, ad quam scientificam notificationem veri attendit Theologia.

OBJICITUR IV. Posito quòd subalternata addat rationem aliquam accidentalem, formali subalternantis, inexplicabile erit, quod sit istud accidentale, si enim sufficit quod accidens consideretur, sequitur quod Mathematica sit subalternata Physicę, nam considerat quantitatem quę est accidens; si autem aliter sumatur illa ratio accidentis, hoc ipso reddet illam scientiam considerantem objectum simpliciter distinctum specie, non enim minus specie differt album à nigro, quàm homo & brutum.

RESPONDETUR. Illud accidens non debere desumi à ratione entis, nec etiam debet concipi, quasi ingrediens rationem formalem objecti, sic enim faceret verè differre specie, sed debere concipi per modum conditionis tantùm. Conditiones autem sub formalitate conditionum non specificant. Et quamvis de illo accidenti dentur demonstrationes aliquæ, dantur tamen de illo non ut de objecto formali, sed ut de conditione.

OBJICITUR V. Cum & subalternatæ & subalternantis sint eadem principia non erit ratio, cur dicatur accipere principia subalternata à subalternante esseque illi subalternata, quàm è converso.

RESPONDETUR. Ideò potiùs dicitur accipere subalternata principia à subalternante, quia potius universalia dicuntur sub se habere singularia, non dicuntur autem singularia, habere sub se universalia, quia verò subalternans scientia, est scientia universalior, plura enim scit Physica quam Medicina, ideò à subalternantibus potius dicuntur accipi principia quam è converso à subalternatis.

QVÆSTIO III.

De objecto & ejus Divisionibus.

SOla hic adferetur fermè Explicatio Terminorum.

DIFFICULTAS I.

Explicatur quid sit Objectum.

OBjectum interdum significat idem quod Oppositum. Unde dicere communiter solemus, Objectum est hoc contra Conclusionem, sensusque est, opposita est Conclusioni hæc Difficultas. Pressius tamen objecti nomine venit, illud, quod alicui potentiæ, vel principio, habitui, vel actui, respondet tanquam Scopus & Terminus, habetque rationem ut ita dicam, sistendi actum vel potentiam, ut ultra se non exeat, sed circa se occupetur. *Vt sic autem objectum definiri posset: quod sit ratio ejus circa quod.* De quo in Materia de fide sub initium.

NOTO HIC I. Ex Arriaga *rigorosè loquendo subjectum & objectum aliud significat.* Subjectum enim est id, de quo cognoscitur. Objectum verò est illud, quod de illo cognoscitur, dicique solet alias Prædicatum; quia tamen debet subjecto inesse, illud quod prædicatur affirmativè, ideò ratione istius connexionis, confundi solet nomen subjecti & objecti.

NOTO II. *Quæ sit ratio quod idem sit objectum actuum & potentiæ.* Quia scilicet potentia non aliter versatur circa objectum nisi actibus. Ergò idem debet esse objectum actuum & potentiæ. E converso idem etiam debet esse objectum actuum scientificorum, quia si aliud esset objectum actuum & habitus, non haberet jam, quo circa objectum versaretur potentia.

NOTO III. *Nullum in specie objectum determinatè acceptum esse æquale potentiæ intellectivæ.* Æquale enim illud est, cujus Termini nec excedunt terminos aliûs, nec ab aliûs terminis exceduntur, nullum autem in specie objectum tam diductos habet terminos, atque est potentia intellectiva. Termini enim intellectus sunt quodcunque cognoscibile: unaquæque autem species determinatè accepta, non est quodcunque cognoscibile. Consequenter nec est quid æquale & commensurabile potentiæ intellectivæ ad eum modum quo viridis v. g. color non est objectum adæquatum visivæ.

DIFFICULTAS II.

Explicantur aliquæ Divisiones Objecti.

DIviditur objectum in Complexum & Incomplexum. Incomplexum Objectum est illud, de

de quo aliquid scitur poniturque pro subjecto conclusionis scientificæ, deque tali objecto inquiritur præcipuè in scientiis, quando de objecto inquiritur. Vocatur autem hoc objectum incomplexum, quia non intelligitur esse conjunctum, per unionem seu copulationem cum prædicato. Complexum autem objectum, est totum complectens in se & adunans prædicatum cum subjecto

Dividitur tam Incomplexum quam Complexum Objectum. In Materiale & Formale. Materiale objectum est objectum considerabile à pluribus scientiis. Formale autem est ratio circumscribens illam rationem materialem, ad certam scibilitatis speciem.

Explicatur. *Ratio Materialis & formalis objecti.* Nomina etiam in Philosophia alia sunt Derivativa, alia Primitiva. Primitiva nomina in Philosophia usurpabilia, conveniunt primò rebus, ad quas significandas sunt imposita; vocarique possunt hæc Nomina Grammaticæ acceptionis, & sic in Philosophia æquè ac Grammatica, nomen Homo non bovem, sed animal rationale significat totaque hujus nominis impositi ratio, est placitum imponentium. Cæterum nomina Derivativa Philosophica, usurpantur ex proportione ad res, ad quas significandas sunt imposita. Et ita v. g. Ly Conclusio, est nomen derivatum ex proportione ejus, quod significatur Grammaticè per Ly Conclusio, sicut enim Conclusio Grammaticè sumpta includit aliquid, ita Conclusio scientifica includit & complectitur assensum scientificum ex præmissis, & sicut Conclusio terminat res, ita ultima illa propositio, terminat discursum. Nomen etiam v. g. Subjecti est nomen derivatum ex proportione ad res, ad quas significandas primitus est impositum nomen subjecti, sicut enim subjectum est illud, quod alteri subjicitur, ita Subjectum vocatur ille terminus, cui superponitur Prædicatum. Dico ergò nomen hoc objecti materialis & formalis esse etiam nomen Derivatum ex proportione ad eam rem, quæ vocatur Materia, & ex proportione ad eam rem, quæ primitus vocatur Forma.

Porrò proportio inter Objectum Materiale & Materiam est talis, quia sicut Materia nunc his nunc illis subjicitur formis v. g. nunc est sub una forma ligni, postea sub forma ignis, postea sub forma cineris, &c. ita Objectum Materiale nunc hujus nunc illius potest esse scientiæ Objectum, & sicut Materia (excepta forma rationali) dicitur in se præcontinere formas materiales, ita objectum materiale, præcontinet in se varias scibilitates, quas educunt scientes, quasi formas è potentia Materiæ, & suis actibus, circa illam scibilitatem versantur. Jam verò propositio quæ est inter formam & formale potest esse talis, quia sicut determinat forma Materiam, ita determinat Formale Objectum rationem materialem. Sicut forma suæ Materiæ, ut ita dicam superimponitur, ita & Formale Objectum substratam sub se habet rationem Objecti materialis, & denique sicut forma facit materiam pulchram, ita & Objectum Formale facit & tribuit scibilitatem objecto, talem vel talem.

Explicat paulò aliter Arriaga rationem Objecti Materialis & Formalis, & dicit Objectum materiale, est illud in cujus amorem vel cognitionem ducimur ab objecto formali, sic v. g. præmissæ, quæ sunt objectum formale, ducunt nos in amorem seu illationem conclusionis. Est quidem hæc Explicatio bona, sed quia rem Metaphoricam, quale est Objectum materiale & formale per alias Metaphoras, hoc est per amorem & tractionem explicat, ideò illa non utor.

Noto Hic I. *De objecto materiali, quod aliud sit Proximum & Immediatum*, illud scilicet, quod immediatè attingitur actibus scientiæ. *Et aliud Mediatum* seu Remotum, quod cum non attingatur immediatè, quia tamen est connexum cum eo, quod immediatè attingitur, ideò dicitur mediatè attingi & ita in Logica Operationes intellectus res attingentes, sunt objectum immediatum, res verò ipsæ sunt quid mediatum.

Noto II. *Materiale complexum Objectum est ipsa Conclusio quæ cognoscitur*, & cui assentimur. Formale verò Objectum complexum, est medium seu Ratio propter quam assentimur.

Noto III. *In Objecto formali tres communiter rationes statui*, unam quæ vocatur Ratio formalis *Quæ*, aliam quæ vocatur Ratio formalis *Propter Quam*, & tertiam quæ vocatur Ratio formalis *Sub Qua. Nomine rationis formalis Quæ, venit illa ratio quæ aliquod Materiale ad certam scibilitatem determinat.* Sic v. g. Entitas, Naturalitas, Sanitas &c. sunt rationes formales Quæ, determinativæ Objecti materialis quod est Corpus, & sic Corpus sub ratione Entis, est considerationis Metaphysicæ, sub ratione naturalis, est considerationis Physicæ, sub ratione sanabilis est considerationis Medicinæ. S. Thomas hanc rationem Quæ, respectu aliarum dicit esse quasi materialem 2. 2. q. 1. articulo 1. *Ratio formalis Propter Quam dicitur Medium seu Motivum assensus*, & hoc motivum secundùm diversitatem assensuum diversum est, hinc fieri potest, ut uni eidemque propositioni ex diversis motivis quis assentiatur, v. g. huic propositioni: Deus est, possum assentiri ex eo quia id dicit Deus, & erit assensus fidei, possum assentiri eidem propositioni, & ex eo, quia hoc est demonstrabile, & erit assensus scientificus, possum assentiri ex eo, quia id mihi dixit puero adhuc, vir probus Parens meus, & erit assensus fidei humanæ.

Ratio Formalis sub Qua variè à variis explicatur. Thomistæ eam explicant, quod sit diversa objecti scibilis abstractio, de quo egi superius, potestque hæc explicatio admitti, modo, non tanquam specificativa scientiarum. Rursus ratio

formalis sub Qua describi potest, quòd sit conditio sine qua non, sub qua scilicet à potentia objectum est cognoscibile, & sub qua notitia cognoscit objectum tali vel tali modo. Illustrari hoc potest Instantia desumpta ab igne. Sicut e. g. approximatio ignis non est ratio formalis ignitionis, hæc enim procedit ab ipsa ratione formali ignis, hoc est vi igniendi, tanquam à ratione Quæ. Non est item approximatio, ratio formalis Propter Quam, quia ratio formalis Propter Quam ignitionis est actio igniendi, cum tamen approximatio non sit actio, sed est tantum ratio formalis sub qua & conditio sine qua non agendi.

In Logica Ratio formalis Quæ, erit rectitudo Operationum. Ratio propter Quam, erunt principia, ratio sub Qua, erit ut communiter dicitur abstractio ab omni materia, non tamen à ratione operabilis. Signanter dico quod non abstrahat à ratione operabilis, & non dico quod non abstahat à materia operabili, cum nullam materiam operabilem Logica habeat, sed Entitates spirituales, hoc est operationes intellectus. Aliquis dicit rationem formalem sub qua Logicæ esse abstractionem ab omni materia & omni Ente reali prout contradistinguitur intentionali, considerat enim Intentiones Logicas, seu actus intellectus nostri.

Dividitur item Objectum in Adæquatum & Inadæquatum. Nomine adæquati objecti venit illud objectum, quod includit in se totalitatem omnium scibilium, & est æquè primò de omnibus in illa scientia contentis prædicabile. Et tale objectum potest esse in Logica Ens denominabile Logicè, nam & tres Operationes sunt Entia denominabilia Logicè, & æquipollentia aut conversio &c. sunt Ens denominabile Logicè. Hinc per tale suum prædicari distinguitur inter alia objectum adæquatum ab objecto attributionis. Nam corpus naturale v. g. in Physica suppositio, quod sit objectum attributionis, nunquam prædicatur de passionibus, proprietatibus, & aliis scibilibus in Physica. Hoc objectum solet etiam appellari objectum adæquatum simpliciter. Item objectum Considerationis.

Cæterum si detur habitus, in quo singula considerabilia possunt transire in speciem per se objecti, in tali habitu objectum adæquatum seu considerationis non erit distinctum ab objecto Attributionis. Objectum autem inadæquatum est objectum partiale non adæquans latitudinem scientiæ.

Hanc Divisionem ultimam advertit Arriaga non esse rigorosam, quia una pars divisionis nempe objectum inadæquatum continetur in altera parte divisionis, hoc est in objecto adæquato.

Inadæquati Objecti species est objectum primarium seu Principale, nomine cujus prout illud condistinguitur ab objecto Attributionis, venit nobilissima species Entis, considerabilis in illa scientia, quale objectum in Physica est homo, in Metaphysica DEUS.

DIFFICULTAS III.

Explicatur Ratio Objecti, Attributionis & Attributi.

Objectum Attributionis est illud, ad quod omnia, quæ tractantur in aliqua scientia referuntur. Objectum autem Attributum est illud quod refertur ad Objectum aliud. Porrò ea quæ referuntur ad objectum Attributionis. *I.* Sunt Principia eaque duplicia aut complexa, hoc est propositiones lumine naturæ notæ, aut incomplexa, hoc est causæ constitutivæ objecti, sive illæ constituant Physicè, ut corpus constituitur ex materia & forma, sive constituant Metaphysicè, quo modo animal & rationale constituunt hominem. *II.* Revocantur species, suntque id, de quibus solis objectum Attributionis dicitur in recto. *III.* Revocantur proprietates. *IV.* Effectus. *V.* Opposita objecto, nam oppositorum eadem est scientia. Hoc objectum appellatur ab Ocham objectum continentiæ, quia scibilia in se continent. A S. Bonavent. appellatur objectum integrale, quia omnes scientiæ partes integrè complectitur. A D. Thoma appellatur objectum commune. Ab aliis universale.

Explicatur I. *Tali discursu Natura Objecti Attributionis*, quam fundo in Aristotele 1. Eth. c. 1. *Omnis*, inquit, *ars & doctrina bonum quoddam appetit*, si scientia appetit bonum, certè habitus scientificus, erit quoddam appetitivum, approprians sibi certa objecta, ad quæ habeat innatum appetitum ad eum modum, quo v. g. levitas est appetitus innatus loci sursum. Quod si habitus quicunque est quoddam appetitivum, necessariò respondere illi debet, appetibile, appetibile enim & appetitivum sunt correlativa: adeoque posito uno correlativo, poni debet & aliud. Porrò hoc appetibile habitûs vocatur communiter Objectum, quia verò in appetibilibus alia appetuntur per se, alia appetuntur propter aliud, & ita per se appetitur sanitas, propter illam verò pharmacum, eodem modo in habitibus scientificis, quædam appetuntur & considerantur propter se, quædam appetuntur & considerantur propter aliud. Dico ergò illud quod consideratur propter se, ita, ut reliqua ad considerationem illius ordinentur, illud inquam taliter appetibile, est, & vocatur objectum Attributionis, reliqua verò quæ non appetuntur propter se considerari, sed referuntur ad illud, primò & per se appetibile, vocantur & sunt objecta Attributa.

Explicatur II. Tali discursu ratio objecti attributionis. Sunt aliquæ perfectiones divinæ secundariæ, quæ meliores sunt ipsæ, quàm earum oppositæ. Sic v. g. melius est esse imme-

mensum DEO quàm esse loco adstrictum, melius est esse omniscium, quàm aliquiscium, talesq; perfectiones vocantur simpliciter simplices. Hæ perfectiones simpliciter simplices quantumvis intelligantur ex modo concipiendi advenire naturæ divinæ in suo esse constitutæ, correspondereque passionibus & proprietatibus, ex natura creata profluentibus, nihilominus non appellantur passiones Dei, quia passio notat imperfectionem, dependentiam &c. Quæ nomina non usurpat fides circa Divina, sortiuntur tamen hæ perfectiones, ex modo nostro concipiendi, advenientes essentiæ divinæ in suo esse constitutæ, sortiuntur inquam nomen Attributi, eo quod exigantur ab essentia divina eique attribuantur. Essentia verò, est ipsum illud, cui hæc attributa attribuuntur. Sic & in præsenti materia, est objectum quoddam, quod est quasi essentia scientiæ, natura illius, specificativum illius, estque hoc tale objectum, objectum attributionis, scibilitasque illius exigit & deposcit tanquam aliquid sibi debitum, tanquam conveniens attributum, cognitionem reliquorum objectorum, quæ vocantur secundaria, partialia, attributa.

Explicatur III. Natura Objecti Attributionis per proportionem, & Analogiam, quam habet objectum Attributionis, cum Analogia attributionis. Porrò sicut in Analogia attributionis est aliquod principale, ad quod aliqua referantur, & alia sunt minus principalia seu relata. Sic v. g. sanitas est Analogum attributionis, ad quam attribuitur pharmacum tanquam causa, pulsus arteriarum tanquam index, econtra verò ad pulsum arteriarum non refertur sanitas animalis, nec attribuitur, ad pharmacum. Sic & in præsenti objectum attributionis est, ad quod omnia referuntur objecta minus principalia, & ipsum non refertur ad minus principalia, idque in ratione scibilis, quia fieri potest ut in ratione Entis, referatur ad aliud ita Rectitudo in ratione Entis refertur ad Metaphysicam, sed non in ratione scibilis Logicè.

Noto I. *Quæ sint conditiones objecti attributionis. I.* Ut sit aliquomodo unum saltem Analogicè vel per rationem ordinis, sumitur id ex Aristotele 1. posteriorum c. 21. Et ratio est, quia scientia sumit unitatem ab objecto attributionis, quomodo autem una erit, si objectum unum non erit. *II. Conditio est, ut cætera in scientia considerentur per ordinem ad aliud. III. Vt per illud scientia distinguatur à reliquis scientiis*, quod nescio quam consequenter docere possint, qui scientias non per Objectum attributionis specificant.

Noto II. *Objectum attributionis non debere esse primarium in ratione Entis*, quantumvis sit primarium, in ratione scibilis. Sic communiter Deus non censetur esse objectum Metaphysicæ, quantumvis sit primarium in ratione scibilis Entis. Neque dicas res eo modo scibiles sunt quo sunt, proinde si primario sunt, primario esse scibiles, hinc enim tantummodo sequitur, Rem, quæ primariò est, scibilem esse, quod primariò sit, non autem scibilem esse, quod primariò scibilis sit.

Noto III. *Non rectè explicari à quibusdam rationem objecti attributionis, quod objectum attributionis sit tale, quo sublato tollatur scientia.* Multa enim sunt in scientiis, quibus sublatis tollitur scientia, quæ tamen non sunt objectum attributionis, sic v g. sublata Materia tollitur Physica, & tamen Materia, non est objectum attributionis Physicæ. Certum tamen est, quòd de ratione objecti attributionis sit, quod eo manente impossibile sit, non manere alia objecta partialia, quæ revocantur ad ipsum objectum attributionis, manere enim objectum Attributionis, est manere Causas, Species &c. Scientia autem nihil præter hæc complectitur.

Noto IV. *Rationem objecti Attributionis cadere immediatè supra rationem formalem*, non supra rationem materialem. Ratio est, quia Attributio ratione scibilitatis, non convenit objecto materiali, sed ratio attributionis in scientia, est attributio ratione scibilitatis. Ergò attributio in scientia non convenit objecto materiali. Major probatur, quia absolutè & ipsa scibilitas determinata non convenit objecto materiali, sed habet hoc à formali. Minor probatur Consensu Doctorum, & Nomenclatura nominis attributionis, quod est impositum ad significandam referibilitatem reliquorum ad unum, in scientiis.

Noto V. *Objectum attributionis supra materiale & formale non addere quidquam realiter distinctum*, sed tantùm connotare exigentiam, ut ad se reliqua referantur, estque hæc exigentia non realiter sed formaliter condistincta, de quo actum supra.

Noto VI. *Dari de facto aliquod objectum attributionis, quod sit individuum*, Quia Theologia est scientia, & tamen habet pro Objecto DEUM, qui est quid individuum, nec implicat contradictionem, quominus & alia sit possibilis scientia, circa objectum individuum attributionis.

Noto VII. *Dari aliqua objecta partialia & attributa, ad quæ alia attribuantur*, sic v. g. ad mistum attribuitur consideratio elementorum. Censerem tamen hæc non esse appellanda objecta attributionis. Ratio est, quia nomen attributionis est impositū ad significandum non quamcunque referibilitatem, unius ad aliud in esse scibilis, sed ad referibilitatem omnium in illa scientia scibilium, restringereq; hoc nomen attributio per ly partialis, est idem facere ac terminum universale, restringere per terminum singulare.

Dices. Esse istos terminos implicatorios: Objectum adæquatum attributionis.

Respondetur. Prædictos terminos non esse implicatorios. Tum quia nulla implicantia ostendi potest, modo id teneatur quod aliud sit

objectum adæquatum simpliciter, illud scilicet, quod nec excedit scientiam, nec exceditur ab eadem scientia, & insuper est prædicabile de omnibus in illa scientia contentis objectis, in recto; & aliud objectum adæquatum attributionis, quod nihil aliud sit, nisi id, ad quod omnia referuntur, ita, ut & nihil sit quod non referatur ad illud, & ipsum illud objectum non sit majus, quàm ipsa illa objecta, quæ ad illud referuntur. Tum quia rogo, quomodo appellatur mistum, in quantùm est id, ad quod elementa tanquam partes & causæ referuntur; quæro estne istud mistum objectum attributionis, ad quod referuntur hæc elementa? Negari non potest, quod referantur elementa ad mistum. Ergò nec negari potest, quod attribuantur ad mistum, si attribuuntur ad mistum. Ergò Objectum attributionis est mistum. De hoc ipso misto quæro rursus, estne istud Objectum adæquatum an non? dices est inadæquatum, quæro Cur? certè propterea quod non omnia ad illud referantur, quæ sciuntur in Physica. Hoc ergò, ad quod omnia referuntur, cur non potest benè appellari adæquatum attributionis objectum. Ego quidem non usurpo hunc terminum: Objectum attributionis inadæquatum vel partiale, quia Phrasis id communis non fert, dico tamen debere usurpari hunc terminum, Objectum adæquatum Attributionis, quia est consuetus in Scholis loquendi modus.

DISPUTATIO II.

De Natura Logicæ & ejus Objecto

PRæexplicatis Majoribus de Scientia & objecto ut sic, subsumenda erit Minor de Logica.

QVÆSTIO I.

De Genere in Definitione Logicæ ponendo.

GEnus hoc à quibusdam ponitur scientia tantum, à quibusdam scientia & ars & facultas, sit.

DIFFICULTAS I.

An Logica sit Scientia.

DICENDUM EST. *Logicam esse scientiam*, ita S. Thomas in 4. Metaph. cap. 4. Suarez, Hurtadus, Oviedo, Arriaga contra Vallium & Smiglecium qui videntur sese opponere Aristoteli 1. priorum cap. 1.

PROBATUR I. Logica habet prædicata requisita ad rationem scientiæ quæ ex 6. Eth. cap. 3. & 4. sunt necessitas objecti & demonstrationes veræ. Quod habeat objectum necessarium Logica. Probari solet. Objectum quod non est agibile simpliciter, & cujus principium non est in nobis, sed in natura, est objectum necessarium, sed objectum Logicæ est tale. Minor probatur. Objectum universale seu ratio communis abstracta à singularibus, non est agibile simpliciter, neque ejus principium est in nobis, actiones enim sunt singularium, nihilque omninò fieri potest, nisi quod potest non esse, corrumpi &c. singularia autem sola corrumpi possunt, sed objectũ Logicæ est universale, seu ratio communis abstracta à singularibus. Ergò Logicæ objectum non est agibile simpliciter neque illius principium est in nobis. Quod autem Logica habeat veras demonstrationes, probatur ipsa illarum exhibitione v. g. Syllogismus qui nititur dicto de omni est bonus; Syllogismus in Barbara nititur dicto de omni. Ergò est bonus. Item: medius terminus positus pro subjecto in Majori universali affirmativa, & positus in Minori universali affirmativa pro prædicato, exigit conclusionem affirmativam. Syllogismus in Barbara est talis. Ergò &c. Quod autem hæ demonstrationes sint Logicæ, vel exinde deducitur, quia procedunt, de subjecto Logico, attendunt ad præcepta Logica, nihilque habent quod non sit de linea Logicæ.

RESPONDEBIS I. Logicæ Objectum est inventum nostrum, si est inventum nostrum, non habet tantam necessitatem, quantam habent objecta aliarum scientiarum. Nam objecta aliarum scientiarũ, non sunt inventum nostrum. Quod si non habet tantam necessitatem, quantam alia objecta. Ergò neque potest habere rationem scientiæ.

CONTRA EST. Tum quia concesso, quòd non habeat tantam necessitatem objectum Logicæ, quantam objectum aliarum scientiarum, nego adhuc illud objectum, modo habeat suam necessitatem, non posse esse objectum scientiæ. Certè enim major est necessitas in objecto Theologiæ, vel in objecto Metaphysicæ, quam in objecto Physicæ, & tamen hoc non obstante, Physica est scientia. Unde etiam dicitur, certitudines Physicas non esse tantas, atque sunt Theologicæ vel Metaphysicæ, & tamen certitudines Physicæ, sunt certitudines. Ergò etiam quamvis objectum Logicæ, non sit ita necessarium, ac aliarum scientiarum, poterit esse objectum

ctum sufficiens, ad scientiam salvandam, modo sit necessarium. Esse autem necessarium. Esse autem necessarium supra ostensum. Tum quia nego inventum nostrum esse objectum Logicæ, ex ipsa enim natura rei, Syllogismus constat tribus terminis, & Conclusio v. g. sequitur debiliorem partem. Tum quia quamvis actus intellectus habeant principium in nobis, possunt esse objectū Physicæ, cur non ergò etiam possunt esse objectum Logicæ. Quando verò Aristoteles id quod habet principium in nobis, negat posse esse objectum scientiæ, intellexit hoc de artificiatis rigorosè, quæ circa singularia versantur, & per nullas veras demonstrationes ab ipsis probantur.

Respondebis II. Etiam artes ex Aristotele 2. posteriorum c. 1. & 1. Metaph. c. 1. circa universalia versantur, & tamen non sunt scientiæ.

Contra. Quia dictum illud Aristotelis procedit de arte, in quantùm conjunctam habet rationem scientiæ practicæ.

Respondebis III. Objectum Logicæ habere necessitatem complexam, non verò incomplexam, quod si habet complexam non habet requisitam ad objectum scientiæ.

Contra. Tum quia nihil vetat ut quod habet necessitatem complexam, possit esse objectum scientiæ, nec apparet cur non competat objecto Logicæ, etiam necessitas incomplexa, spectata penes prædicata essentialia & necessaria. Tum quia vel potest DEUS facere, ut Syllogismus constans tribus negativis benè concludat, vel non potest facere, si non potest facere? Ergò Syllogismus habet necessitatem immutabilitatemque sufficientem ad scientiam, quia talem, cui oppositum nec DEUS facere possit; si autem hoc potest facere DEUS. Ergò Deus potest facere, ut hoc quod est demonstratum, verè non sit demonstratum, sed falsum. Demonstratio enim est, Syllogismum tribus negativis constantem, non concludere. Tum quia vel poterant invenisse hoc Philosophi, ut Syllogismus constans omnibus negativis esset bonus, vel non poterant, si non poterant. Ergò non ab inventione illorum pendet hoc; si poterant; Ergò Demonstratio, quòd ex negativis nihil sequatur, non est demonstratio, sed quod nihil sequatur, est sola, eaque destruibilis conventio. Ostendat ergò oppositum tentiens, posse probari, quòd Syllogismus constans tribus negativis, bene concludat. Unde ulterius negabitur quod objectum Logicæ, licèt haberet necessitatem ex suppositione finis, non habeat necessitatem sufficientem ad conditionem scientiæ. Materia enim in Physica habet necessitatem ex suppositione finis, quod debeat constituere compositum, & tamen habet necessitatem sufficientem ad rationem scientiæ.

Probatur. II. Conclusio. Si Logica non esset scientia, non scirent homines se scire bonitatem consequentiæ, quam si non scirent, nihil omninò discursivè scirent, immò nec hoc scirent, quod nesciant bonitatem consequentiæ, quia id scire deberent ex discursu, qui requirit si sit scientificus, scientiam bonitatis consequentiæ. Sequela probatur, quia si scirent homines, scirent vel per Logicam naturalem, vel per acquisitam, nam bonitas consequentiæ ad Logicam spectat: Si sciunt hoc per acquisitam; Ergò contra te concedis Logicam, de qua est quæstio esse scientiam; si dicis hoc sciri per naturalem Logicam. Ergò Logica naturalis est scientia, nonnisi enim scientiâ, aliquid scitur. Si Logica naturalis est scientia. Ergò & acquisita, ad eum modum, quò Physica naturalis est scientia, ita & acquisita.

Probatur III. Objectum Logicæ non habet essentiam suam dependenter à nostra fictione & operatione. Ergò habet necessitatem sufficientem ad scientiam, in qua tamen neganda fundant se oppositi. Antecedens probatur, quod habet essentiam suam, debet habere independenter ab intellectu & nostra fictione, quia eo ipso non haberet essentiam, nec de illo verificarentur propositiones æternæ veritatis, quæ enuntiant aliquod independens à nostris fictionibus. Sed Objectum Logicæ habet essentiam suam, nam & definiri potest & non implicat contradictionem, adeoque non habet essentiam ex essentiis disconnexis, qualis habetur in Ente rationis.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Auctoritas Aristotelis.

I. Locus Est ex 6. Metaph. cap. 1. & 2. ubi enumerans scientias nullam facit mentionem Logicæ.

Respondet. Arriaga, authoritatem hanc esse negativam, proinde non convincere, præcipuè cum de mente Aristotelis aliunde constet. Deinde dici potest Aristotelem ibi dividere scientias, quæ sunt circa res, non verò circa nostros Conceptus. Quod verò scientiam Logicam dixerit, quamvis versetur circa nostros Conceptus, Colligere est ex 1. Topicorum c. 2. & 2. de genere animalium c. 6. ubi dividit quæstionem in naturalem Moralem & Logicam, & tamen tot sunt scientiæ, quot quæstiones, imò 2. de Demonstratione c. 1. docet, & de Topico Syllogismo sciri posse, quia est Topicus.

II. Locus Est ex 5. Metaph. cap. 1. Ubi problemata instrumentalia dicit pertinere ad Logicam, esseque eam instrumentum. Ergò non est scientia.

Respondetur. Hoc quod est instrumentum, & quidem adhuc secundariò, posse esse diverso respectu scientiam.

III. Locus Est ex Metaph. cap. ultimo ubi ait: *Absurdum esse quærere scientiam & modum sciendi.* Per Logicam autem intelligit modum sciendi.

Respondet Arriaga. Absurdum esse quærere scientiam distinctam à modo sciendi, & simul quærere modum sciendi pro ipsa scientia; sed non dicit absurdum esse quærere scientiam & modum sciendi, qui in ipsa scientia imbibitur, ante quem modum sciendi, non est necesse præcedere alium modum sciendi, sed illum, vi sua intellectus principiabit.

IV. Locus Est ex 1. Rhetor. c. 2. *Si quis Dialecticam & Rhetoricam & Scientias & non facultates pertractat imprudenter earum naturam subvertit.* Habet similia 1. Top. c. 12.

Respondetur. Nomine Dialecticæ intellexisse Philosophum illas partes, quæ tractant de Topico Syllogismo: ubi non negat Aristoteles habitum, qui de Syllogismo Topico scientificè disputat, esse scientiam, sed solum dicit, non esse hoc habitus, modo scientifico docendos, hoc est non debere doceri, quòd Syllogismus Topicus requirat præmissas necessarias, sed quod procedat ex motivis probabilibus, apparenter veris.

V. Locus Est ex 4. Metaph. tex. 5. *Circa idem Genus Sophistica & Dialectica versatur cum Philosophia, verum Philosophia ab hac quidem modo potestatis, ab illa verò electione vitæ differt.*

Respondetur. Hic Locus est potius pro nobis, si enim circa idem genus versatur Logica & Philosophia: Ergò si respectu Philosophiæ habet objectum in se sufficientem necessitatem, cur non habebit respectu Logicæ. Vel ad maximum agit de Logica, in quantùm est tentativa ut inquit ipse inferius, quæ in quantùm tentativa, docet pro utraque parte disceptare probabiliter, disceptare autem probabiliter, non est actus scientiæ. Non ergò hic agit de Logica, in quantùm habet demonstrationes de suo objecto, sed in quantùm probabiliter de objectis discurrit, & sicut non obest Physicæ, quamvis circa aliqua probabiliter objecta discurrat, sic nec oberit Logicæ. Quod autem Logica possit habere demonstrationes, dictum supra.

Objicitur II. Illa scientia, quæ est circa Entia simpliciter, est scientia simpliciter. Ergò scientia, quæ est de Ente, secundum quid, est scientia secundùm quid. Sed Logica est scientia circa Ens secundùm quid, hoc est circa conceptus nostros, Ergò est scientia secundùm quid.

Respondetur. Ratio scientiæ non se accommodat debilitati & infirmitati Entis: hinc de re materiali, potest esse scientia immaterialis; quòd si non accommodat sese debilitati entis scientia, benefieri potest, ut de Ente secundùm quid, sit scientia simpliciter, si versetur circa illud, modo requisito, ad rationem scientiæ simpliciter, hoc est, modo demonstrativè procedat.

Objicitur III. De Essentia Scientiæ est: Certitudo objectiva, quæ est in ipso objecto inclusa, & Certitudo formalis, hoc est Certitudo, qua sciat cognoscens, se scire. Logica nullam talem habet certitudinem. Ergò non est scientia. Minor probatur. Logicæ objectum habet principium in nobis. Ergò non habet certitudinem objectivam intrinsecam, non habet item certitudinem formalem, quia hæc est ex conformitate ad præcepta Logica, quæ sunt merum placitum hominum.

Respondetur I. Negando Minorem. Nego item, quòd objectum Logicæ cum sit universale, habeat principium in nobis. Nego item regulas Logicas esse placitum humanum, cum dixerim nec Deum illas mutare posse, nec potuisse aliter invenire Doctores.

Respondetur. II Distinquendo. Objectum Logicæ habet principium in nobis tam quoad elici, quam quoad suam essentiam. Nego Majorem. Habet principium in nobis, quoad elici tantum. Concedo Majorem, distinctaque Minori, Nego Consequentiam. Explico distinctionem, & dico aliqua habere principium in nobis, tam quoad suum elici, hoc est produci, & à parte rei poni, quam quoad suam essentiam, & ita v. g. essentia calcei qua calceus est, habet principium in nobis, placitoque & inventis nostris, aliqua verò nonnisi quoad suum elici dependent à nobis, & ita pendent operationes intellectus, neque hoc enim pendet à nobis quod Syllogismus non possit, constare quatuor terminis, quod rectè concludat in Barbara &c.

Objicitur IV. Quod non ex se sed ex nobis principium habet, illud non est simpliciter necessarium. Logicæ res seu objectum, non habent principium ex se, sed ex nobis. Ergò non sunt necessarium simpliciter. Minor probatur. Res Logicæ sunt figmenta intellectus nostri cum iidem termini, quantumvis nihil illis accedat, possint nunc esse Syllogismus, nunc Propositio, nunc simpliciter terminus.

Respondetur I. Negando Minorem & ejus probationem, dicoque quod iidem termini non possint esse Syllogismus, nisi accedat judiciũ, quo judicetur prædicatum conclusionis inesse vel non inesse subjecto, ad propositionem item requiritur affirmatio vel negatio, præter ipsos terminos.

Respondetur II. Distinguendo sicut supra. Quod non ex se sed ex nobis habet principium tam quoad elici, quàm quoad essentiam, illud non habet principium ex se. Concedo Majorem, si habeat principium tantum quoad elici non habet ex se principium. Nego Minorem.

Instabis I. Non habere majorem necessitatem objectum Logicæ quàm habeat objectum Grammaticæ, quia tam ex lumine naturali petitur adjectivum debere cum substantivo concordare in Genere, quàm lumine naturali constat definitionem debere esse clariorem definito.

Re-

Respondetur. Negando Antecedens certè enim sicut ex placito verba significant res, ita etiam ex placito habent istam concordiam, æqnè enim benè exprimi possent Conceptus: si diceremus & conveniremus in hoc quod templum sit firmus, non possumus autem convenire sine errore, ut Syllogismus constans quatuor terminis, benè concludat.

Respondetur. II. Transito Antecedente nego consequentiam, deficit enim Grammatica à ratione scientiæ, quia non habet demonstrationes.

Instabis II. Logicæ objectum vel esset necessarium necessitate complexa, hoc est quoad connexionem prædicati cum subjecto, vel haberet necessitatem incomplexam, hoc est quod habeat causam necessariam, & non possit aliter se habere. Neutrum fundat in Logica rationem scientiæ. Ergò &c. Minor probatur. Si necessitas complexa fundaret necessitatem scientiæ, fundaret etiam in artibus, certè enim lateres vel lapides, sunt quid necessarium ad faciendam domum, si ergò necessitas hæc complexa, non fundat rationem scientiæ in artibus, nec fundabit in Logica. Non habet item objectum Logicæ necessitatem incomplexam, hæc enim ostendi non potest.

Respondetur. Dicendo utramque haberi necessitatem à Logica, sed in artibus necessitatem complexam, non fundare rationem scientiæ, quia artes qua tales, non procedunt demonstrativè, habet item objectum Logicæ necessitatem incomplexam, quia est quid universale, immutabile &c.

Instabis III. Syllogismus qui est objectum Logicæ, est Oratio, Propositio item est Oratio, hæc habent principium in nobis. Ergò & Logicæ objectum.

Respondi supra, Syllogismus si sumatur secundùm rationes communes non habet principium in nobis, item quod habeat principium in nobis, quoad elici tantum.

Objicitur V. In Logica ex modo operandi Logico, nihil est simpliciter necessarium. Ergò Logica non est scientia. Antecedens probatur. Si quid esset simpliciter & scientifice necessarium, vel maximè esset necessaria forma syllogistica. Hæc non est necessaria ut probo: Datur Syllogismus probabilis, qui non est necessarius etiamsi habeat formam. Ergò forma in Syllogismo, non est necessaria.

Respondetur. Negando Antecedens. Probationem ejus distinguo. Datur Syllogismus probabilis ratione materiæ & causæ conclusionis in præmissis expressæ. Concedo Majorem. Datur Syllogismus probabilis ratione formæ. Nego Majorem. Explico. In Syllogismo probabili duo sunt, Materia & Forma. Materia ejus dico quòd non sit necessaria, formam tamen syllogisticam dico esse necessariam, æquè enim respectu demonstrationis habet se forma syllogistica, ac respectu probabilis Syllogismi, nam in utraque innititur illi principio infallibili. Quæ sunt eadem uni tertio &c. It. Dici de omni &c. nec est novum Syllogismum ratione materiæ esse probabilem, necessarium autem ratione formæ, nam Syllogismos format Aristoteles etiam in Materia erronea.

Objicitur VI. Nullus discursus Logicæ, qua talis, est certus & evidens. Ergò Logica non est scientia. Antecedens probatur. Si esset aliquis discursus Logicus, qua talis certus & evidens, maximè esset certus & evidens factus in prima figura. Sed etiam in hac figura contingit error, unde erroneus est iste Syllogismus. Omne quod movetur currit, cadaver cum effertur movetur. Ergò cadaver currit.

Respondetur. In prima figura posse contingere errores ratione materiæ, vel ob non benè ponderatam vim præmissarum. Concedo Majorem. In prima figura possunt contingere errores formæ & servatis regulis. Nego Majorem. Nec obest ut aliquid sit vera scientia, quantumvis ratione non benè ponderatarum præmissarum possit contingere error, est enim hoc evidens principium. Omne totum est majus sua parte & tamen si non rectè intelligatur, potest quis induci in errorem. quod cauda gliris sit totum, est enim major reliquis partibus.

Objicitur VII. Si Logica esset scientia, etiam artes essent scientiæ. Hoc falsum est. Ergò. Sequela probatur. Etiam artifices habent aliqua universalia principia v. g. in sutoria principium hoc: crassiora non ita citò possunt deteri. Ergo pro inferiori parte calceorum, ponendum crassius corium.

Respondetur. Negando Sequelam asseroque ad artifices, qua tales, non pertinere universalia principia, sed solum modum operandi præscribere: hinc & pueris ut inquit Arriaga dum discunt sutoriam, non dicitur ideò corio utaris pro solea, quia fortius est, sed præcisè ostenso corio, dicitur, hoc utaris pro solea, hoc pro superiori parte.

Objicitur VIII. Si Logica esset scientia, vel esset scientia, quà docens, & hoc non, quia multi, sunt habitus doctivi, qui non sunt scientiæ, vel quà utens, & hoc non, quia quà utens, dicit tantùm respectum ad dirigibile non tamen ad scibile, cum tamen scientia, dicat respectum ad scibile. Non item Logica est scientia, quà speculativa, quia absolutè non est speculativa, & multa sunt speculativa, v. g. error, quæ non sunt scientia. Non item Logica est scientia quà practica, quia quà practica dicit nonnisi operis effectionem, multa item sunt practica, quæ non sunt scientia. Ergò Logica qua practica non est scientia. Ergò absolutè non est scientia.

Respondetur. Neutro ex his modo Logicam esse scientiam, sed est scientia, quâ est no-

notitia certa & evidens, cui connectitur, quod in hac notitia non sistat, sed eam referat ad objecti productionem.

Instabis cum Mastrio quæst. Proæmi. n. 42. Logica utens propriè loquendo est habitus, quo instructi facilè agnoscimus definitiones, enunciationes &c. juxta præcepta docentis Logicæ, cum ergò circa singularia versetur, & res à nobis operabiles, non erit scientia sed ars.

Respondetur. Sicut dum habet Logica pro objecto tres operationes, hoc non obstante, considerat illas per modum unius objecti, ad quod cætera revocantur, ita & utens Logica dirigit singulares operationes, prout habent rationem unius in hoc genere objecti, adeoque adhuc erit scientia.

Objicitur IX. Objectum Logicæ potest benè vel malè fieri. Ergò non habet ex se determinata prædicata, de indeterminatis autem non datur scientia.

Respondetur. Objectum Logicæ seu operationes intellectus, antecedenter antequam sint objectum, posse benè vel malè fieri, prout tamen jam fiunt secundùm regulas Logicæ non nisi benè fieri, acquiruntque jam tum prædicata determinata.

Instabis Cognitiones scientificæ habent objectum æternæ veritatis, hoc autem, quod in tempore fit, qualiter fiunt operationes intellectûs, quomodo est objectum æternæ veritatis.

Respondetur. Quando dicitur objectum scientiarum, esse veritatis æternæ non significatur, quòd tale objectum debeat esse existens ab æterno; sed tantùm significatur, quòd habeant objectum scientiæ sive illud sit contingens sive necessarium quoad existentiam, tale nihilominus, quod sit necessarium, quoad essentialia sua prædicata; ita ut in æternitate, nullum sit instans, in quo de illo, essentialia illius prædicata non verificentur, ex eoque sint æternæ veritatis. Jam autem & Logica, habet de objecto suo propositiones æternæ veritatis, nam æternaliter est verum Syllogismum constare tribus terminis, definitionem esse Orationem constantem genere & differentiâ.

DIFFICULTAS III.

An Logica sit Scientia Practica an Speculativa.

TRes sunt hac in re sententiæ. *I.* Dicit Logicam esse speculativam, ita Scotus, Durand. & alii. *II.* Sententia dicit Logicam esse practicam & est S. Th. Opusc 10. in Boet. Fonf. Molina, Arriaga. *III.* Sententia dicit Logicam esse partim practicam, partim speculativam ita Suar. disp. 44. sec. 58. num. 54. Vasq. Rubio & alii.

Dicendum Est. *Logicam esse practicam Scientiam.*

Probatur I. Si Logica non esset scientia practica, nulla scientia esset practica, sed est aliqua scientia practica, nam ex una parte nihil vetat ut scientia sit practica, ex altera, quodcunq; signum practicæ scientiæ inveniri posset, hoc ostendet de facto Logica esse talem. Major probatur, quia quæcunque ratio probaret Logicam non esse scientiam practicam, probaret etiam quamcunq; aliam scientiam non esse practicam.

Probatur II. ex Arriaga. Logica deseruit ad omnia sua objecta efficienda. Ergò est practica. Antecedens probatur, quia omne objectum Logicæ aut est Terminus aut propositio aut argumentatio, & tamen hæc omnia fiunt ex directione Logicæ.

Probatur III. Habitus qui versatur scientificè circa opus operabile & modo operabili est scientia practica, hoc enim definitivè intelligitur nomine scientiæ practicæ. Sed Logica est talis, quod enim versetur scientificè probatum supra. Quod versetur circa operabile modo operabili. Probatur. Quia ad tale versari duo requiruntur. *I.* Efficiendo rem ipsam & sic facit v. g. scriptor, dum manum pueri characteres formantis ducit. *II.* Præscribendo regulas faciendi, ut cum Magister dicit, si hoc vel illud feceris erit bona constructio. Utrumque horum competit Logicæ. Ergò Logica versatur circa operabile modo operabili.

Objicitur I. Illa scientia cujus finis est veritas ad nullum opus relata, non est practica. Sed Logicæ finis est talis, quia idem finis est instrumenti & principalis agentis. Sed Logica est instrumentum scientiarum speculativarum, quarum finis veritas ad nullum opus relata. Ergò & Logicæ idem erit finis.

Respondetur. Habitum, qui nonnisi est instrumentum scientiarum speculativarum, estque natus esse non nisi subordinatus per se speculativus, & ipse debet esse speculativus. Logica autem est nonnisi permissivè instrumentum, nec per se subordinatur, quia impossibilibus aliis scientiis benè stare posset Logica.

Objicitur II. Habitus sistens in cognitione, est habitus sistens in vero ut verum est. Sed Logica est habitus sistens in cognitione. Ergò.

Respondetur. Quod habitus sistens in cognitione, sed directiva operis, non sit sistens in vero ut verum est. Talis autem Logica.

Objicitur III. Potest solius veritatis gratia inquiri de Syllogismo quare ita rectè concludat, quæ inquisitio est speculativa, & tamen spectat nonnisi ad Logicam.

Respondetur. Hoc argumento multum probari, quia probatur nullam scientiam esse practicam. Directè autem dici potest, quod in quantùm hoc faceret. Logica, inveniretur illic æquivalenter ratio non sistendi in objecto, veritatis gratia, licèt à Metaphysico fieret id, veritatis nonnisi gratia.

Obji-

Objicitur IV. Si Logica esset practica respiceret operabile, operabile respicere non potest, quia respiceret singulare, singulare autem respicere non potest, respicit enim rationem communem & universalem.

Respondetur. Quod Logica non respiciat singulare quoad præceptionem, licet respiciat singulare, quoad executionem, hocque est operabile. Deinde dici posset quod Logica, qua scientia, respiciat rationem communem, & per hoc salvatur ex sensu communi ratio scientiæ, sed non respicit, qua practica, quia qua practica, respicit singulare, sed etiam qua practica non importat formalitatem scientiæ.

Objicitur V. Logica in Angelo non est practica. Ergò nec in homine est practica.

Respondetur. Etiam in Angelo Logicam, in quantùm illa utitur in directione suarum operationum, præcipuè circa objecta, quæ intuitivè non videt, esse etiam practicam. Cæterum in quantùm Angelus noscit Logicam nostratem, nonnisi sic sumpta in illo notitia Logicæ, non est practica, quamvis in nobis sit Logica practica. Ratio, quia objecto cognito non debet se accommodare cognitio nec sequi conditionem illius, sed tantum illam repræsentare; & ita de objecto materiali potest esse cognitio immaterialis & circa stupiditatem alicujus, potest ingeniosissima Angeli versari cognitio. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia hoc ipsũ esset extra sphæram cognitionis, cum ejus sphæra sit repræsentare objectum, quale sit: non autem æquare suæ entitatis conditione conditionem entis seu objecti circa quod versatur. Quia verò in Angelo Logica, quam ille cognoscit nobis inesse, & ejus regulæ, habent se per modum objecti cogniti, quantumvis illæ sint practicæ, non erit necesse, ut cognitio Angeli circa illas sit practica. Logica verò in homine non se habet precisè per modum objecti cogniti, sed quando modo Logico procedit, procedit per modum dirigentis, regulantis, præcipientis, adeoque per modum practici.

DIFFICULTAS IV.

An Logica sit purè Practica.

Dicendum Est. *Legicam esse purè practicam.*

Probatur. I. Quia ut patebit solutione objectionum, nulli actus speculativi in Logica ostendi possunt.

Probatur II. Quia si Logica esset scientia aliquo modo speculativa, sequeretur absurdum, quod etiam artes mechanicæ sint ex parte, scientiæ speculativæ, ut videre erit retorquendo argumenta oppositorum.

Probatur III. Quia ex una parte nihil repugnat dari aliquam scientiam purè practicam, repugnantiaque quæ id ostenderet, potiùs probaret nullam scientiam posse esse practicam, ex altera parte quidquid pro nota purè scientiæ practicæ adferri potest, illa serviet pro Logica.

Objicitur I. Actus qui non versantur circa objectum operabile, non sunt practici. Sed dantur aliqui actus Logici qui non versantur circa objectum operabile Ergò illi non sunt practici. Ergò speculativi. Minor probatur. Actus, qui versantur circa objectum jam factum, non versantur circa objectum operabile, sed dantur actus, qui versantur circa objectum jam factum Ergò &c.

Respondetur. I. Retorquendo argumentum de calceo jam facto quem considerat sutor, quæ consideratio in sutore per objicientem esset speculativa.

Respondetur II. Negando minorem. Probationis ejus distinguitur Major. Actus qui versantur circa objectum jam factum, non dirigendo hanc cognitionem ulterius ad alius objecti effectionem, non versatur circa operabile. Concedo Majorem. Dirigendo hanc cognitionem ad alius objecti effectionem. Nego Majorem, distinctaque Minori. Nego consequentiam.

Responderi Potest Aliter ad imaginationem Arriaga hic disp. 3. sec. 3. num. 25. distinguendo Majorem. Sed dantur aliqui actus Logicæ, qua Logica est, qui versantur circa jam factum objectum. Nego Minorem; sed dantur aliqui actus Logicæ prout illa est conjuncta cuidam experimentali scientiæ, qui versentur circa jam factum objectum. Concedo Minorem, Distincto; consequenti, Nego consequentiam.

Explico Distinctionem. Interdum pro se sola accipitur Logica, interdum prout conjungitur scientiæ experimentali, quę noscit, rem jam existentem, quà existens est. Logica ergò quà Logica est, nego quòd cognoscat jam factum; sed prout experimentali scientiæ jungitur Logica, dico quod ex accidenti & ratione alterius cognoscat jam factum. Res ut clarior fiat accipiamus sub exemplum definitionem bonam, quæ prout jam facta est cognoscatur, & exprimamus hanc cognitionem his verbis: *Hæc definitio est bona*, intercedet hic talis discursus: Definitio quæ explicat rei naturam est bona, & hæc cognitio est Logica. Sed hæc definitio explicat rei naturam, hæcque cognitio non est Logica, sed est scientiæ experimentalis inferturque conclusio. Ergò hæc definitio est bona. Portò hanc Minorem non esse Logicam, ita probo: Similis est hæc Minor, Minori hujus Syllogismi. Fundamenta supra petram sunt fundamenta solida, quæ cognitio est architectonica. Sed hæc fundamenta sunt supra lapidem, & hæc Minor ad visum pertinet, qui nihil scit de architectonica. Ergò hæc fundamenta sunt bona. Quod si hæc Minor, ut videre est, non est architectonica, Ergò neque illa Logica.

Instabis I. Illa objecta jam facta ex motivo Logico considerantur. Ergò considerantur à Logica, quà Logica est.

Re-

Respondetur. Negando Antecedens, sicut enim ex motivo architectonico non consideratur fundamentum supra petram positum, ita nec ex motivo Logicæ, considerabitur objectum, jam factum.

Instabis II. Fieri potest ut consideratio v. g. definitionis jam factæ, nullo modo ordinetur ad similis definitionis effectionem. Ergò cognitio illa verè erit speculativa.

Respondeo I. Invertendo argumentum de calceo jam facto, de quo jam speculatio per se poterit esse in sutore.

Respondetur II. Fieri potest ut consideratio definitionis jam factæ non ordinetur formaliter ad alius objecti effectionem. Concedo Antecedens. Fieri potest, ut non ordinetur vel formaliter vel æquivalenter & virtualiter. Nego Antecedens & consequentiam. Dicoque dupliciter posse ordinari cognitionem objecti jam facti ad effectionem similis. Primò formaliter hoc est per modum imperii, dicendo si volueris facere definitionem, fac talem qualem factam vides. *II.* Potest ordinari ad opus cognitio definitionis factæ æquivalenter & virtualiter; quia scilicet illa cognitio objecti jam facti est talis, vi cujus & virtute, moveri potest cognoscens, ad imperium illud formale imperans effectionem similis operis.

Quod si quæras quid repugnet dicere sutoriam esse speculativam in re. Respondeo repugnare, dici sutoriam esse speculativam, quia quicunque illius actus, est aut formalis aut virtualis aut æquivalens directio operis, & si quæ illis intercedit speculatio, illa non spectat ad sutoriam, sed ad Physicam naturalem aut alium aliquem habitum.

Instabis III. Si cognitio illa de objecto jam facto, est æquivalenter practica, dicam omnem cognitionem esse practicam quod est absurdum.

Respondeo. Negando fore omnes actus practicos, quantumvis æquivalenter sit practicus actus Logicæ definitionem jam factam considerantis, quia multi actus sunt, qui nullo modo possunt esse practici, ut quod DEUS sit DEUS, quod album sit album. Tradidi supra, ubi explicui rationem practici regulam universalem dignoscendi, qui actus essentialiter sit practicus, quòd hoc sit internoscendum ex eo; an circumscripta omni speculatione, & retenta sola ratione practici habeat adhuc scientia finem per se intentum in versando circa illud objectum. Consulantur dicta superius, ubi de ratione communi practici & speculativi agebamus.

Objicitur II. Actus qui versantur circa proprietates necessariò ex subjecto dimanantes, non sunt circa objectum operabile, sed dantur actus Logici, qui versantur circa proprietates necessariò ex subjecto dimanantes. Ergò dantur actus, qui non sunt circa operabile. Ergò sunt speculativi. Major probatur. Illud, quod necessariò est, non est objectum operabile. Ergò actus, qui versantur circa proprietates necessariò ex subjecto dimanantes, non sunt circa operabile. Minor probatur. Actus Logici, qui demonstrant definitionem clariorem esse definito; Item, quòd scientiam generet demonstratio, sunt actus circa proprietates necessariò fluentes. Ergò &c.

Respondetur distinguendo Majorem. Actus, qui versantur circa passiones necessariò dimanantes non ordinando hanc cognitionem ad similis objecti, ex quo similes fluant passiones effectionem, illi actus non versantur circa operabile. Concedo Majorem. Si ordinetur hæc cognitio ad similis objecti effectionem, ex quo fluant similes passiones. Nego Majorem, Distinctaque minori nego consequentiam. Vel secundò distinguo Minorem: Dantur actus Logici quà Logici, circa passiones necessariò dimanantes, Nego Minorem. Dantur actus Logici, prout conjuncti scientiæ experimentali. Concedo Minorem, Distinctoque consequenti, Nego consequentiam.

Objicitur III. Actus, qui appellantur æquivalenter practici, vel sunt ita æquivalenter practici, ut sint formaliter practici, vel tantum ut sint virtualiter practici, si actus illi Logici æquivalenter practici, sunt formaliter practici. Ergò & principium hoc Physicum: Ignis approximatus calefacit, utpote æquivalens huic: Si vis calefieri aliquid, approxima igni, erit inquam hoc principium formaliter practicum; Si autem actus ille Logicæ æquivalenter practicus, est virtualiter practicus. Ergò est formaliter speculativus, nam quod non est formaliter practicum, est formaliter speculativum.

Respondeo. Illos actus æquivalenter practicos, non esse formaliter practicos, sed virtualiter, non sequitur tamen esse illos formaliter speculativos, Ratio est, quia ex Termino negativo (excepto infinitante) non potest inferri terminus positivus, & ita v. g. quia de aliquo dicitur non est album, non rectè infertur esse illud nigrum, hinc dicitur viride non esse album & tamen rectè non infertur. Ergò est nigrum. Cum ergò de virtualiter practico dicitur, tanquam terminus negativus, quòd non sit formaliter practicum, non rectè infertur: esse formaliter speculativum. Ad illum actum quod attinet: ignis approximatus urit, dico hunc actum in Physica esse speculativum, ille enim non attendit effectionem operum, quantumvis in aliquo alio habitu subordinato, possit hoc esse Principium practicum.

Quæres. *An domus v. g. quæ est objectum demonstrationis architectonicæ, exigat pro sua parte dirigi à demonstratione*, ita, sicut demonstratio architectonica de domo, exigit esse directiva architecti.

Re-

Respondeo. Domum scientificè ædificabilem, exigere scientificè ædificari, & dirigi ab illa vel simili demonstratione, quantumvis domus, simpliciter non exigat fieri, & dirigi in sui positione, aliqua demonstratione; neque enim implicat ut fiat domus à fabro, non scientificè operante. Addo posse plura exigere demonstrationem de domo facienda, quàm exigat ipsa domus, hinc demonstratio exigit esse spiritualis, non verò domus, Syllogismus item non exigit fieri à Logica artificiali, cum possit fieri ab ipso intellectu, licèt ægre & cum difficultate, & tamen Logica artificialis, de Syllogismo, necessario & essentialiter respicit Syllogismum.

Cæterum quando nego Logicam esse speculativam, non ago hic de Logica, prout à Professoribus traditur, nam ita accepta habet multas materias metaphysicas, adeoq; speculativas, sed ago de Logica, in quantùm agit de terminis, propositionibus, argumentatione &c.

DIFFICULTAS V.

An Logica sit ars, an facultas.

Suppono I. Aristotelem 6. Metaph. cap. 4. Artem ita definivisse. *Est habitus cum recta ratione effectivus, circa ea, quæ esse possunt & non esse, quorum principium est in eo, qui facit non in eo quod efficitur.*

Suppono II. *Quid sit actio quid factio,* & dico inprimis has duas voculas condistinctas esse ab Aristotele 9. Metaph. ut eum citat Suarez. disp. 44. Sec. 13. num. 28. *I.* Per actionem significatur actus moraliter dirigibilis, per factionem verò significatur actus artificiosè dirigibilis. Hunc sensum Aristoteles innuit 6. Metaph. cap. 1. ubi dicit: *Idem esse agibile & eligibile. II.* Per actionem sumit Aristoteles, actus immanentes, per factionem autem actus transeuntes, sumitur hæc acceptio ex 9. Metaph. cap. 9. *III.* Per actionem significatur actio quæ non relinquit post se opus. Factio autem significat actionem quæ relinquit post se opus externum, ita innuit Aristoteles lib. 1. Magnorum Moralium cap. ultimo.

Suppono III. Aristotelem divisisse artes in serviles seu Mechanicas, qualis est sutoria, sartoria &c. & in liberales qualis Rethorica, Poetica &c. & in medias qualis architectonica, militaris, nautica &c. His suppositis.

Dicendum Est I. Logicam prout dirigit operationes sine demonstratione esse propriè artem. Ita Suarez initio disp. 36. Vasquez. Rubio contra Vallium.

Probatur I. Ratione fundata in divisione habituum facta ab Aristotele. Logica prout dirigit operationes sine demonstratione neque est prudentia, cum non dirigat actus prout sunt moraliter honesti, neque est scientia practica, cum supponatur procedere non demonstrativè. Neque est habitus principiorum, cum attendat etiam ad Conclusiones neque est tunc cum dirigit scientia speculativa, cum directio sit Praxis. Ergò est Ars.

Respondebis. Sufficit quod revocetur ad scientiam, sed

Contra Est. Non potest revocari ad scientiam, quod nullo modo est scientia, sed quod demonstrativè non procedit ut hic supponitur Logica non procedere demonstrativè. Ergò non potest revocari ad scientiam. Per hoc tamen non nego diverso respectu, prout scilicet demonstrativè procedit Logica, illam esse scientiam.

Probatur II. Habitus cum recta ratione factivus, est Ars. Sed Logica est habitus cum recta ratione factivus. Ergò est Ars. Major est Aristotelis. Minor probatur. Habitus qui habet pro objecto actiones artificiosè dirigibiles, est habitus factivus. Sed Logica habet pro Objecto operationes artificiosè dirigibiles. Ergò &c. Minor inferius probabitur. Major autem probatur authoritate Aristotelis, qui 6. Metaph. cap. 1. factionem appellat artificiosam directionem.

Probatur III. Omne practicum est aut factivum aut activum. Ergò & Logica aut est factiva aut activa, Sed non est activa, non enim est circa voluntatis actus. Ergò est factiva. Omne factivum est ars. Ergò & Logica est ars. Confirmatur. Ob quamcunque rationem habitus versans circa materiam externam est Ars, ob eandem benè potest dici esse Ars etiam habitus, quia habet pro materia operationes immanentes, circa quas non demonstrativè versatur.

Objicitur I. Ars est circa factibilia quæ relinquunt post se opus. Logica non est circa factibilia, quæ relinquunt post se opus. Ergò Logica non est Ars.

Respondetur. Negango Majorem, non enim hoc exigebat Aristoteles, ut vidimus supposito primo.

Objicitur II. Si Logica esset Ars non esset scientia. Sed est scientia. Ergò non est Ars.

Respondetur. Diverso respectu habitum practicum, posse esse scientiam, & posse esse artem, erit scientia in quantùm demonstrativè procedit; erit Ars quatenus inducit formam quandam artificiatam per sua dictamina & regulas, quando verò negat Aristoteles, Artes esse scientias, negat hoc de artibus vel mechanicis, vel de artibus reduplicativè acceptis.

Objicitur III. Si Logica esset Ars, & simul scientia. Ergo omnis Ars potest esse scientia.

Respondeo. Nullam esse consequentiam, quia est à particulari ad universalem, & sicut mala est hæc consequentia. Petrus sedet. Ergo omnis homo sedet. Mala item ista. Metaphysica est sapientia. Ergo & omnes alii habitus. Ita

& ista Consequentia est nulla, Logica, ita est Ars, ut simul sit scientia. Ergò & omnis Ars, potest esse scientia. Porrò non convenit (ut dixi supra) aliis artibus procedere modo scientifico, & demonstrativè, quod quia competit Logicæ, hinc Logica ita est Ars, ut simul sit scientia.

Instabis. Bona est hæc consequentia. Petrus est homo rationalis. Ergò & omnis homo est rationalis. Ergò etiam bona est hæc consequentia. Logica, quæ est Ars, potest esse scientia. Ergò & reliquæ possunt esse scientiæ.

Respondetur. Negando consequentiam, & dico bonam esse consequentiam à particulari ad universale, quando prædicatum convenit subjecto reduplicativè accepto v.g. Bucephalus qua Bucephalus, est hinnibilis. Ergò & omnis equus est hinnibilis. Mala autem hæc consequentia. Pegasus currit. Ergò omnis equus currit, quia currere non competit subjecto reduplicativè accepto. Cum ergò Logicæ, qua Ars est, non competat hoc prædicatum: Scientia, ideò quantumvis illa sit scientia, malè inferetur alias artes esse scientias.

Objicitur IV. Si Logica est Ars. Ergò & Physica & Metaphysica est Ars. Sequela probatur. Ideo Logica est Ars, quia efficit operationes rectas. Sed etiam Physica & Metaphysica efficit operationes rectas. Ergo &c.

Respondetur. Negando Sequelam. Logica enim non ideo est Ars, quia operationes rectas efficit elicitivè, sed quia efficit operationes rectas directivè & regulativè, quod nulli competit, præter Logicam.

Instabis. Ethica non est Ars. Ergo neque Logica.

Respondetur. Negari posse quod in re, Ethica non sit Ars, inducit enim formam quandam bonitatis, in voluntatis actus, per sua dictamina.

Objicitur V. Si Logica esset Ars, deberet habere pro objecto ea quæ esse, & non esse possunt, & quorum principium in nobis est. Sed Logica non habet objectum tale, versatur enim circa universale, cujus principium non habetur in nobis.

Respondetur, Logicam qua scientia est, versari circa universale, secus qua Ars.

Dicendum Est II. *Dari suppositiones in quibus Logica non potest appellari facultas.*

Probatur. Conclusio, quia si per facultatem, intelligas potentiam naturalem dantem simpliciter posse, hoc sensu Logica artificialis, non est facultas. Ratio, quia Logica artificialis est solum facilitans, & solum præsupponens, non dans posse, si per facultatem, intelligas dispositionem indifferentem, ad bonum & malum, verum & falsum, hoc sensu Logica, non est facultas. Ratio, quia Logica est virtus intellectus, si virtus intellectus, debet esse dispositio perfecti ad optimum; si per facultatem, intelligas habitum probabiliter non nisi circa utramque partem discursivum, hoc sensu Logica non est facultas; Ratio, quia artificium formæ non est probabile, sed demonstrativum & necessario concludens posito assensu præmissarum.

Dicendum Est III. *Posse suo modo Logicam appellari facultatem.*

Probatur. Quia nomine facultatis venit etiam facilitatio potentiæ ad actum perfectum, ut videre est in facultate Oratoria, Poetica &c. Jam autem facilitat Logica potentiam in definiendo, dividendo, &c.

QVÆSTIO II.

De Differentia Logicæ.

Differentia Logicæ petenda ex objecto, hoc autem aliud est Materiale, aliud Formale.

DIFFICULTAS I.

De Objecto materiali Logicæ.

Materia Physica habet rationem prioris respectu formarum materialium, quæ educuntur è potentia Materiæ, habet etiam rationem prioris respectu animæ rationalis, quia quamvis anima rationalis creetur, creatur tamen ad exigentiam dispositionum in Materia receptarum, ratione quarum exigentiarum Materia, etiam respectu animæ rationalis, habet rationem prioris. Ex hac proportione objectum materiale, præ formali, habet rationem prioris. Hinc etiam de objecto materiali, præcedet tractatio, tractationem de objecto formali.

Punctum Difficultatis I.

An Operationibus Intellectus competat esse materiale Objectum Logicæ.

Dicendum Est. *Operationes intellectus esse objectum Logicæ*, ita Schola Thomistica & Nominales cum illis Suar. disp. 19. Metaphysica.

Probatur I. Conclusio autoritate Aristotelis, qui Logicæ suæ partialis quam elaboravit, objectum, ponit operationem intellectus, hoc est argumentationem, totusque est de reliquo in præscribendis regulis definitionis, divisionis, adeoq; dirigendis operationibus intellectus. &c. Idem sentit D. Th. 1. poster. lect. 1. *Sicut ex hoc quod Ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars ædificatoria vel fabrilis, per quam homo ordinatè & faciliter hujus actus exercere potest. Eadem ratione Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè & faciliter & sine errore procedat, & hæc est Ars Logica, id est rationalis scientia, quæ non solum rationalis est, ex hoc quòd*

est

est secundùm rationem (quod est omnibus artibus commune) *sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.*

PROBATUR II. In quod primò & per se inducitur ratio formalis principaliter & per se intenta à Logica, illud est objectum materiale Logicæ, hoc enim venit nomine materialis, sed in operatione intellectus primò & per se inducitur ratio formalis, principaliter intenta à Logica, hoc est rectitudo operationum, de quo infra. Ergò

PROBATUR III. Si Objectum materiale Logicæ non sunt operationes, vel fiunt omnes bonæ, & sic impossibile erit ponere Syllogismum non in forma, vel omnes malæ, & sic non erit possibile ponere argumentum in forma, vel fiunt interdum bonæ, interdum malæ. Ergò sequitur illas esse objectum materiale. Quod ipsum probatur. Operationes quæ se habent per modum materiæ physicæ, sunt objectum alicujus scientiæ, quæ autem possunt habere nunc hanc formam bonæ operationis, nunc hanc formam malæ, habent se per modum materiæ physicæ. Ergò erunt objectum alicujus scientiæ, non alius autem, quàm Logicæ. Cujus enim?

RESPONDEBIS I. Operationes considerari ab Animastica.

CONTRA EST. Tum quia concedo illas considerari ab Animastica, secundùm quod sunt motus animæ, sed non qua rectas vel non rectas. Tum quia Animastica est scientia speculativa, hic autem agitur de considerativo practico. Tum quia ex eo, quòd considerentur ab Animastica, non rectè infertur eas non considerari à Logica, cum materiale objectum, ad plures scientias referatur.

RESPONDEBIS II. Intellectus non est capax erroris positivi, sed solum negativi, quia tunc solum censetur intellectus positivè errare circa objectum, quando aliter illud concipit, quàm illud sibi sit unitum. Errare autem negativè dicitur, quando intellectus non omninò pertingit ad medullam rei.

CONTRA EST. Quidquid sit an positivè errare possimus, cur ad hunc errorem negativum tollendum, non objicientur Operationes, ipsi Logicæ, tanquam abolitivæ illius erroris.

RESPONDEBIS III. Posito errore intellectus sufficit quod intellectus dirigat seipsum. Consequenter huic directioni tanquam materiale, non erit necesse objici operationes intellectus.

CONTRA. Concedo sufficere intellectum ad posse simpliciter se dirigere, sed nego, quòd sufficiat ad facile posse; & sicut sufficit intellectus ad simpliciter posse demonstrationum Metaphysicarum, & tamen ad facile posse earundem requiritur scientia Metaphysica, ita requiretur Logica ad facile posse dirigere Operationes.

OBJICITUR I. Operationes Logicæ non sunt objectum Logicæ. Sed operationes intellectus sunt operationes Logicæ. Ergò non sunt objectum Logicæ. Major probatur. Illud quod non potest esse specificativum Logicæ, non est objectum Logicæ. Objectum enim specificativum debet esse. Sed operationes Logicæ non sunt specificativum Logicæ. Ergò non possunt esse objectum Logicæ. Minor immediata probatur. Quod est specificativum Logicæ debet esse, prius Logica, nam specificativum, est per modum causæ formalis, causa autem est prior suo effectu cum tamen operationes Logicæ non sint prius Logica, utpote effectus & productum à Logica. Quod autem operationes intellectus sint operationes Logicæ exinde probatur. Quia simplex Apprehensio, Compositio & Divisio, Illatio item, sunt operationes intellectûs, & tamen eædem sunt Operationes Logicæ.

RESPONDETUR. Argumentum non petere conclusionem directè, cum procedat de specificativo scientiæ, quod non competit per se loquendo & ordinariè materiali objecto. Ipse etiam medius terminus non concludit, quia licet operationes Logicæ elicitivè & in genere efficientis, sint posteriores Logica, præsuppositivè tamen & in genere causæ finalis sunt priores Logica, imò contingit universaliter in omnibus habitibus practicis, ut ponant & efficiant suum objectum, adeoque ut in genere causæ efficientis, sit objectum, posterius illis.

INSTABIS. Operationes artis non sunt objectum artis. Ergò nec operationes intellectus & Logicæ, erunt objectum Logicæ.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum de artibus, quæ mediis operationibus relinquunt post se opus, ut v. g. Sartoria vestem, in qua illa ultimo conquiescit, sed si sit ars non relinquens post se opus, ea habebit pro objecto operationes, ut ars saltandi operationes saltus. Idq; ex eo, quia cum non sint natæ relinquere post se opus, poterunt tanquam in fine adeoq; tanquam in objecto quiescere in illis operationibus. Jam autem Logica non relinquit post se opus ullum.

OBJICITUR II. Materiale objectum Logicæ sunt præcepta Logica. Ergò non operationes intellectus. Antecedens probatur. Instrumenta Logicæ debent esse objectum Logicæ. Præcepta Logicæ sunt instrumentum Logicæ. Ergò debent esse objectum Logicæ. Major probatur. Artis instrumentariæ objectum, debent esse instrumenta. Logica autem est ars instrumentaria.

RESPONDETUR. Id ad maximum procedere de arte per se instrumentaria, quod non competit Logicæ, quia quamvis deessent aliæ scientiæ, posset adhuc esse Logica. Deinde etiam ars instrumentaria, debet habere pro objecto instrumenta quæ facit, non per quæ facit; jam autem præcepta sunt instrumenta, per quæ operatur Logica, & sicut artis instrumentariæ,

quæ sit procusiva malleorum, malleus cudendus est objectum, non quo cudit, sed qui cuditur, ita & in præsenti non id quo facit Logica, erit objectum; Sed quod facit: præcepta autem sunt id quo facit, seu dirigit ōperationes.

Objicitur III. Frænifactoriæ objectum v. g. est frænum, fræni autem objectum est equus regendus, qui nullo modo spectat ad frænifactoriam, nisi remotè. Ergò & ipsæ operationes intellectûs, non spectabunt ad Logicam, nisi remotè, licèt ipsa præcepta ordinentur ad operationes.

Respondetur. Cum Logica per se non sit ars instrumentaria, non debet subesse omnibus proprietatibus artis instrumentariæ. Deinde artes instrumentariæ sunt quædam, quæ pro ultimo fine habent nonnisi instrumenta, ut adducta frænifactoria & aliæ instrumentariæ sunt quæ per se expetunt tanquam finem & bonum suum, objecta ipsorum instrumentorum. Sic fabri instrumenta sunt mallei, forcipes &c. quorum instrumentorum objecta, sunt etiam alii mallei, forcipes &c. Logica ergò ita habet pro objecto instrumenta, hoc est præcepta, ut simul etiam habeat pro objecto, & ipsum illud ad quod tendunt illa instrumenta, hoc est operationes intellectus. Tunc autem instrumentaria Ars habet pro objecto objectum instrumenti, quando ipsum illud objectum, est simile ipsi instrumento, potestque etiam in illo consequi finem, quem intendit.

Objicitur IV. Objectum sensuum non est sensatio sed sensibile, & auditus objectum non est auditio sed sonus. Ergò & objectum Logicæ non est operatio sed operatum potius aliquod.

Respondetur. Hoc operatum esse ipsam operationem, quo autem operatur esse præcepta, sicut quo auditur est auditio, sonus autem est id, quod auditur. Deinde cum præter operationes nihil possit ostendi in Logica ad quod attendat, non erit necesse recurrere ad opus aliquod in Logica; in auditione autem præter auditionem ipsam, est ostendere sonum, seu quod auditur. Denique disparitas est, quia objecta sensuum debent esse quid extrinsecum sensibus & sensationibus, proindeque sensationes hoc objectum esse non possunt, non est autem necesse ponere objectum Logicæ aliquod extrinsecum.

Objicitur V. Operationes artis à nullo alio fiunt quam ab arte, ut cantatio artificiosa non fit nisi à Musica, & tamen operationes intellectûs, fiunt ab aliis scientiis v. g. Metaphysica.

Respondetur. Operationes artis cum suo formali spectatas, non fieri nisi ab arte, secus si sint sine formali suo. Jam autem cum formali Logicæ, qua tali, nulla scientia producit operationes intellectus, sed id spectat ad Logicam.

Punctum Difficultatis 2.

An prima operatio sit Objectum materiale Logicæ.

Præmitto I. *Quid sit prima Operatio*, quod scilicet sit simplex apprehensio objecti.

Præmitto II. Ex Arriaga hic disp. 2. num. 36. *Esse aliquas apprehensiones necessario rectas.* Ratio, quia etiam sunt aliqua judicia omninò & necessariò recta, v. g. Judicium de notitia, quam in me experior.

Præmitto III. Ex Oviedo hic Controv. 2. num. 25. *duplices esse apprehensiones*, alias simplices, alias compositas. Simplices sunt, quæ rem apprehendunt per modum unius, sive in re unum sit quale est, Ens ut sic, sive sit per modum nonnisi unius, quale est rationale continens in se plures formalitates; Compositæ autem apprehensiones sunt, quæ objectum instar duorum apprehendunt, ut cum apprehenditur animal rationale per modum condistinctorum, etiamsi hæc realiter identificata sint.

Præmitto IV. *Veritatem esse conformitatem cum objecto*, falsitatem verò esse difformitatem cum eodem, quæ conformitas si sit per modum affirmationis aut negationis, erit veritas complexa, si verò non sit per modum affirmationis aut negationis, erit veritas incomplexa.

Præmitto V. *Dari in prima apprehensione veritatem incomplexam.* Ratio. Tum quia ita Aristoteles lib. 3. de Anima, tex. 26. ubi expressè ait: *Intellectum, qui est intellectus ipsius Quid est*, seu essentiæ, *verum esse & non aliquid de aliquo enuntiare.* Ergò habet veritatem prima apprehensio, non complexam, quia hæc est secundum affirmationem & negationem. Ergò incomplexam. Tum quia non apparet ex quo fundamento connectantur tantùm inter se conformitas cum objecto & enunciatio aut illatio. Ergò poterit connecti etiam cum apprehensione. Tum quia veritas est conformitas cognitionis cum objecto. Sed potest esse conformitas cognitionis cum objecto, sine omni affirmatione & negatione. Ergò illo etiam in prima operatione dabitur. Ex hoc explicabitur Aristoteles, qui 9. Met. tex. ultimo videtur sentire, quod in simplicibus non sit verum & falsum, intelligendus enim est de vero vel falso complexo.

Dices cum Mauro, qu. 58. Veritas non est quæcunque similitudo, sed similitudo perfecta, per quam res dicitur esse sicuti est, simplex autem apprehensio non dicit rem esse sicuti est, quia cum nihil affirmet, nihil dicit.

Respondetur. Neg. Major. Veritas enim non definitur per perfectam conformitatem sed per conformitatem. Probaret etiam hoc argumentum, quod nec in secunda operatione sit veritas, quia rem ita se habere perfectius dicit

cit tertia operatio, quia nunquam negabiliter. Hinc sufficiet similitudo perfecta, non per inclusionem similitudinis alicui alteri debitam, sed similitudinis, cui nihil desit debiti, ad talem modum similitudinis, hoc autem competet etiam primæ operationi.

RESPONDEBIS. Cum Vasqv. esse in prima operatione veritatem, ita sicut in Medicina sanitatem, causando illam: ita prima operatio causat veritatem assumpta ad rationem secundæ operationis.

CONTRA. Tum quia non est ratio, cur in se ipsa prima operatio non sit vera. tum quia illi etiam in se ipsa spectatæ competit conformitas cum objecto. Tum quia prima operatio non solum est similitudo intentionalis causaliter sed & formaliter. Ergò & conformis erit objecto non solum causaliter, sed & formaliter.

PRÆMITTO VI. *Non dari per se falsitatem in prima operatione.* Ratio ex 9. Metaphysicorum tex. 22. Quando intellectus apprehendit aliquod objectum vel apprehendit illud, quod apprehendit, vel non apprehendit, non potest dici quod non apprehendit, cum supponatur apprehendere. Ergò apprehendit illud. Ergò verè apprehendit, alias non illud apprehenderet quod apprehendit. Idem sic proponitur. Nulla prima apprehensio, potest esse difformis objecto apprehenso. Ergò nulla potest esse falsa. Antecedens probatur. Si aliqua apprehensio esset per se difformis objecto, & esset apprehensio objecti illius & non esset, esset ut supponitur, & non esset, quia hoc ipso non illud objectum apprehenderet, cui tu dicis illam difformari apprehensionem, sed apprehenderet objectum longè aliud.

PRÆMITTO VII. *Primam Operationem esse per accidens falsam.* Ratio, quia si comparetur illa apprehensio cum alio objecto condistincto ab illo, quod apprehendit, vel quod apprehendere deberet, erit illi difformis. Sic v. g. repræsentatio assæ columbæ in esse volantis, est repræsentatio vera assæ columbæ volantis, si tamen comparetur cum columba, quæ assa non volat, erit illi difformis. Jam autem comparatio operationis intellectus, ad objectum, circa quod illa non versatur, est comparatio per Accidens.

DICES I. Potest prima apprehensio repræsentare rem non sicut est in se, videlicet repræsentare aurum pro aurichalco. Ergò potest esse per se falsa.

RESPONDETUR. Potest prima apprehensio repræsentare rem comparata ad objectum non apprehensum, non ita sicuti est. Concedo Antecedens, potest comparata ad objectum apprehensum. Nego Antecedens & Consequentiam. Vide præmissum 7.

DICES II. Si in prima operatione non esset per se falsitas. Ergò neque erit in secunda.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia difformitas, quæ deberet esse in prima operatione, quæ est apprehensio objecti, non debet comparari ad rem prout est à parte rei, sed ad rem, prout est quid apprehensum, apprehensio namque & apprehensum sunt correlativa, se necessario & non aliud quid respicientia, ad eum modum, quo ratio Patris, non aliud respicit quam rationem Filii. Quia autem difformitas, quæ deberet esse per se in prima operatione, quæ definitivè est apprehensio objecti, est impossibilis respectu apprehensi, necessario enim apprehensum apprehendit, impossibilis etiam erit illi operationi & falsitas. Jam autem difformitas secundæ operationis, non debet spectari, secundum ordinem apprehensionis ad apprehensum, sed secundùm rem prout est à parte rei, hinc dicere solemus cum falsum aliquid asseritur; Tibi ita videtur, sed res aliter se habet. Et hoc deposcit vel ipsa natura secundæ operationis, quæ est per modum compositionis vel divisionis rerum ipsarum prout sunt, non nostrarum apprehensionum, proceditque per modum Judicii, judicium autem non debet esse ex apprehensione de re quam Judex habet, sed de re, prout de facto se habet. Ita debet etiam procedere ipsa secunda Operatio. Et quia potest esse difformis per se, rei, prout est à parte rei secunda operatio, ideò potest esse, per se falsa, cum tamen non possit esse difformis apprehensio, apprehenso per se, licèt possit esse difformis, comparatè ad aliud objectum, quæ comparatio est illi per Accidens.

DICES III. Potest esse veritas incomplexa per se in prima operatione. Ergò & falsitas, quia cui unum contrariorum competit, rectè potest competere & aliud.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia habetur unde desumatur veritas incomplexa primæ operationis: nempe ab ipsomet objecto, non secundùm se spectato, sed prout repræsentatur prima apprehensione apprehendendum, cui objecto sic spectato quia est conformis, repræsentatio, hinc habetur fundamentum, unde inferatur: haberi veritatem incomplexam in prima apprehensione. Non potest enim ostendi, unde desumi possit falsitas primæ operationis; cum illa sic apprehendens prout objectum repræsentatur, prima apprehensione apprehendendum, semper sit conformis objecto sic sumpto; & ita cum v. g. aurichalcum præsentatur ut aurum, apprehenditurque ut aurum, hæc apprehensio, non erit falsa sed vera, quia conformis aurichalco, præsentanti se ut aurum, cumque impossibile sit ut aurichalcum, quod se repræsentat ut aurum apprehensioni, aliter apprehendatur quàm ut aurum, quomodo enim aliter apprehenderetur, quàm ut se apprehendendum præsentat? hinc non est fundamentum ut aliquando difformis sit apprehenso objecto, prout apprehendendum repræsentatur; si non est fundamentum

ut aliquando apprehensio difformis sit objecto, prout apprehendendum repræsentatur, nec erit fundamentum ut aliquando apprehensio sit falsa, comparatè ad objectum, prout apprehendendum præsentatur.

Dices IV. Imago Cæsaris dicitur per se non vera, quando illa objectum difformiter repræsentat. Ergò idem dicendum de apprehensione, quæ est prima operatio.

Respondetur. Etiam Imago Cæsaris comparata ad ideam quam habuit pictor, est vera, licèt comparata ad ipsum Cæsarem sit difformis.

Instabis. Illa imago est repræsentatio per se difformis Cæsari. Ergò per se est imago Cæsaris falsa.

Respondetur. Quod per se etiam illa imago nihil aliud velit exprimere, nisi talem vultum, qualem illa repræsentat, sed per accidens dat occasionem cogitandi de Cæsare, exprimitque eum occasionaliter; sed Cæsari illam esse difformem per accidens est, eo ferè modo, quo imago alicujus alius, non dicitur imago falsa Cæsaris, quia Cæsari est difformis, cum illa imago, non sit ad hoc facta, ut Cæsarem repræsentaret. Casu etiam, quo intentio pictoris fuerit Cæsarem pingere, si imago ad illum non accedat, non debet dici per se falsa imago Cæsaris, nam sicut qui intendit ferire scopum, & ab eo aberrat, non dicitur scopum tetigisse falso, sed dicitur tetigisse aliquid vicinum scopo, ita & hîc, si Philosophicè loqui velimus, non dicetur hæc Imago Cæsaris esse falsa. Imaginare in speculo repræsentari vultum Petri, similis Cæsari, imago illa in speculo resplendens, sicuti est per se imago Petri, ita est per se conformis Petro, quamvis sit per accidens imago Cæsaris, quod det occasionem cogitandi de Cæsare, estq; per accidens nonnisi falsa imago Cæsaris. Idem dic de apprehensione in prima Operatione.

Dices V. Visio potest esse falsa. Ergò & prima Operatio. Antecedens probatur. Quia fallitur oculus, dum videt colores in collo columbæ, qui nulli illic sunt.

Respondetur. Veritatem non spectare ad sensus, sed hoc misso. Dici potest visionem illam esse posse falsam, si comparetur ad objectum, prout in se est, supponitur enim varietatem colorum esse illic ex sola refractione lucis, non esse tamen falsitatem, comparatè ab objectum, prout est repræsentatum.

Instabis. Quare non potest dici, quòd etiam Judicium secundæ Operationi debitum, sit Judicium conforme objecto non nisi prout apprehenso, & non objecto prout est in se.

Respondetur. Hujus rationem adlatam esse ad objectionem secundam, deposcitque hoc vel ipsa natura providens perfectiorem modum operationis, adeoque veritatis intimius attactivum, & ex presuppositâ conformitate apprehensionis ad repræsentatum, procedens ad conformitatem cum objecto, per modum Judicii.

Dicendum Est. *Primam operationem esse etiam objectum materiale Logicæ.*

Probatur I. Auctoritate S. Th. opusculo 9. in libro post Anal. lect. 1.

Probatur II. Etiam posito quod prima operatio non possit esse per se falsa, potest adhuc esse per se recta & procedere secundùm regulas Logicæ. Ergò & esse objectum materiale ejusdem.

Probatur III. Quia quamvis non possit esse per se falsa prima operatio, comparata ad apprehensum, indiget tamen rectificari ut rectè procedat per ordinem ad ipsum objectum ut est in se, cum enim illa prima operatio debeat esse definitiva verè, & verè divisiva, verè debet esse conformis rebus. Ergò adhuc dabit in se locum directioni Logicæ.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Quod non potest esse per se falsum, non potest per se dirigi. Prima operatio non potest esse per se falsa. Ergò non potest per se dirigi.

Respondetur. Negando Majorem propter dicenda inferius, & quamvis non possit esse per se falsa, sufficit quod dirigatur ut possit esse per se conformis vel difformis præceptis Logicis intendentibus, non tantùm ut apprehensio, sit conformis rei, prout repræsentata, sed etiam rei, prout est in se.

Instabis. Independenter ab omnibus præceptis Logicis definitio habet hoc quod sit bona.

Respondetur. Independenter à præceptis Logicis absolutè, potest esse definitio bona, non tamen ut dictum supra cum facilitate potest esse bona, independenter à præceptis Logicis.

Objicitur II. Phantasia & sensus non indigent directione. Ergò neque prima operatio.

Respondetur. Disparitatem esse quia nec apparent præcepta, quibus phantasia & sensus dirigantur, dantur autem præcepta Logica. Deinde, quia potentia determinata etiam ad modum operandi, non potest non uniformem habere semper operandi modum; jam autem intellectus circa primas apprehensiones, non habet eundem determinatum agendi modum, nunc enim definit, nunc dividit, potestque conformiter vel difformiter operari objecto ipsi, adeoque dat locum directioni.

Objicitur III. Dialectica nulla tradit præcepta ad apprehensiones simplices eliciendas.

Respondetur. Cum Oviedo. Nulla dari præcepta ad simplices apprehensiones prout sunt nonnisi cognitio, licet dentur regulæ ad eas-dem, prout sunt definitivæ, divisivæ, universalis conceptivæ &c.

In-

INSTABIS. Corrigere apprehensiones pertinet ad alias scientias.

RESPONDETUR. Sicut ipsa definitio & divisio qua talis, non spectat ad alias scientias, ita nec correctio talium apprehensionum.

Punctum Difficultatis 3.

An secunda Operatio & non solus Syllogismus sit materiale Logicæ.

DICENDUM EST. *Etiam secundam Operationem, & non solum Syllogismum, esse objectum materiale Logicæ.*

PROBATUR I. Quia etiam secunda operatio potest benè vel malè fieri, fitque tam variè. Ergò est capax directionis.

PROBATUR II. Si secunda operatio non esset objectum Logicæ, remanente secundâ operatione & impossibili tertia operatione syllogisativa, non esset possibilis Logica saltem partialis, nam est nexus essentialis, scientiæ, ad objectum. Hinc manere scientiam sine objecto, esset manere essentiam sine essentiali, sed manente secunda operatione & impossibili syllogisativa, maneret adhuc partialis Logica, quia adhuc manerent regulæ rectificativæ Æquipollentiarum, adeoque possent esse æquipollentes regulæ, item de Oppositione, Conversione &c. Ergò

RESPONDEBIS I. Actus illos seu præcepta, quæ informarent intellectum, de Æquipollentia, Conversione, Oppositione propositionum, & operationes secundùm illas factas, non fore actus Logicæ.

CONTRA. Quia actus, qui essent circa elementa, secundùm quòd sunt corpora naturalia, impossibili etiam reddito misto, adhuc essent Actus Physicæ, reperiret enim adhuc in illis Physica, suam scibilitatem, cur non enim? Ergò etiam Definitiones & Divisiones in dicto casu, essent actus Logicæ. Tum quia nec Physica nec Metaphysica tunc practicè dictaret, quomodo illi actus essent faciendi. Ergò dictaret Logica. Ergò adhuc illi actus forent Logicæ. Tum quia nulla esset disparitas inter præsentem Æquipollentiam & illam quæ nunc fieret. Ergò utraq; spectaret ad Logicam.

RESPONDEBIS II. Cum Conimbricensibus. Logicam quæ modo est, esse inventam ad id emandandum, quo deficimus ab Angelis, deficimus autem ab Angelis in hoc, quia ex uno inferimus aliud, cum illi omnia simul cognoscant, cum ergò Enunciatio non syllogiset, nec eam dirigere, nata erit Logica.

CONTRA. Quia deficimus ab Angelis etiam in hoc, quòd malas contradictorias formemus, quod ad secundam spectat Operationem. Ergò etiam in hoc corrigi debemus,

RESPONDEBIS III. Mansuram illam Logicam in dicta suppositione, non ejusdem speciei, quæ modo est.

CONTRA. Quia si hoc sensu non manebit Logica ejusdem speciei, hoc est, quia non habebit eandem totalitatem, vera est responsio, sed non est contra nos. Si autem hoc sensu non erit ejusdem speciei, quia nihil manebit de formali intento Logicæ, hoc ipsum probandum fuit; & si, ut dictum supra non posset disparitas tunc in æquipollentiis assignari, siquidem illi actus iisdem præceptis inniterentur, consequenter nec esset ulla specifica diversitas.

PROBATUR III. Tum quia independenter à tertia operatione, secunda Operatio est Operatio intellectus. Ergò independenter ab illa, erit etiam materiale Logicæ. Tum quia non est ulla specialis operatio voluntatis, quæ sit materiale Ethicæ, exclusis reliquis. Ergò nec excludi debet ab objecto materiali Logicæ secunda operatio. Tum quia ponamus DEUM nolle concurrere ad ullum actum tertiæ operationis vel producere creaturam non potentem argumentari, potentem tamen affirmare & negare, æquipollentias & conversiones facere &c. Tunc quæro, vel poterit homo elicere actus malos Conversionis vel Oppositionis Propositionum vel non poterit? si non poterit, cur non? cum possit cum tali defectibilitate, stare suppositio allata, si poterit etiam malos elicere. Ergò dabitur Locus directioni secundæ Operationis. Ergò illa est objectum materiale Logicæ.

OBJICITUR I. Auctoritas Aristotelis 1. priorum cap. 1. ubi dicit investigandum esse. Quid & cujus sit consideratio, respondetque quod sit consideratio Demonstrationis, & postea inquit, quid est propositio & quid Terminus.

RESPONDETUR. Hoc ipso, quia saltem posterius Propositio & Terminus ab Aristotele considerantur in Logica, ostenditur illa esse materiale Logicæ. Syllogismusque est objectum Logicæ, in quantùm perfectæ & illustratæ ab Aristotele, non autem Logicæ simpliciter. Est autem Logicæ, ab Aristotele illustratæ, solus Syllogismus objectum, quia artificium syllogisandi, primus ille enucleavit. Jam enim definitionem perfecerat Socrates. Divisionem Plato, restabat illi, perficiendus Syllogismus.

OBJICITUR II. Secunda operatio non facit formaliter scire, sed id competit non nisi tertiæ operationi. Ergò secunda operatio, non potest esse materiale Logicæ.

RESPONDETUR. Secundam operationem sicut & primam, non facere formaliter scire per discursum, & modo maximè hominibus proprio, facere tamen formaliter scire sine discursu, & modo non obvio hominibus nec proprio. Est enim quidam modus cognoscendi merè & obviè humanus, qui in duobus consistit, primò in

usu phantasmatum materialium, eo quòd nostræ scientiæ dependeant à sensibus. *II.* In modo rerum cognoscendarum, qui est ex uno noto, devenire in cognitionem ignoti, & hæc cognitio vocatur discursus. Alter verò cognoscendi modus, est quædam imitatio modi cujusdam Divini & Angelici cognoscendi, qui modus cognoscendi in hoc est dissimilis Angelico, quia dependet à phantasmatibus materialibus & sensibus, in hoc autem est similis, quia sicut uno actu & intuitu plura noscunt, ita & nos unico actu indivisibili, plura etiam interdum cognoscimus, idq; conformiter ad objectum, & sine ullo discursu & illationibus formalibus, quas etiam non faciunt Angeli, & hoc maxime apparet in definitione, quæ licèt in ante prærequirat ordinatè cognitionem v. g. animalis & rationalis, in ipso tamen actu definiendi utrumque hoc uno intuitu cognoscit. Nec officit, quod non discurrat, quia & DEUS Angelique non discurrunt, & tamen salvatur in illis ratio scientiæ, ipsæq; propositiones possunt esse certæ & evidentes, unde propositionibus tribuitur, quod sint æternæ veritatis, adeoque scientificæ, licèt usus communis, nomen scientiæ potissimum discursui applicet, tanquam magis obvio modo. Definitiones enim v. g. non sunt obviæ, & pauciſſimæ habentur. Ex quo deduces licet secunda operatio non faciat formaliter scire discursive & modo hominibus proprio antonomasticon, facit tamen formaliter scire, modo ut ita dicam Angelico & divino.

Instabis I. Propositio non est Ratiocinium, quantumvis sit certa & evidens, neque est cognitio per causam. Ergò secunda operatio non facit formaliter scire.

Respondetur. Negando solùm Ratiocinium facere scire. Deberque scientia esse per causam, ea, quæ est magis obvia in humanis, sed non scientia absolutè.

Instabis II. Per secundam operationem tanquam per instrumentum sciendi, non deveniunt scientiæ ad cognitionem conclusionum de suis objectis.

Respondetur. Tam per definitiones in suis materiis, quam per enunciationes, consequi finem suum scientias; nec est necesse omnem modum scientiæ deservire ad cognitionem conclusionum, cum non sola cognitio conclusionum sit modus sciendi. Et si istud deservire conclusionibus, sit unicè ad scientiam necessarium, sufficiet deservire aptitudinale & in potentia, licèt non deserviat actu, quod deservire aptitudinale, competit enuntiationi comparatè ad syllogismum

Instabis III. Nec divisio & enunciatio divisiva, facit formaliter scire, habet enim se per modum interrogationis nihil determinatè adstruentis, nihil autem determinatè adstruere, est utique nescire, perinde, ut nescitur, qualis est hic vel ille, dum dicitur est aut ruber aut niger.

Respondetur. Falsum esse quod nihil determinati adstruat divisio aut enunciatio divisiva, quia si conclusio per discursum illata, quæ infert animal aut esse rationale aut irrationale, facit rem determinatè scire, etiam divisio id habebit. Determinatione illa non orta quidem quasi unum non plura notificentur, sed ex eo, quod de illis pluribus determinatè notitia certa & evidens habeatur, qualis determinatio non habetur, dum nescio an Petrus sit ruber, cum possit esse albus, determinatè autem scitur animal esse aut rationale aut irrationale.

Quanquam formaliter scire, in quo se fundat medius terminus, non est formale, Logicæ, cum id potius spectet ad scientiam in communi.

Objicitur III. Ita se habet argumentatio in Logica, sicut Oratio in Rhetorica, sed objectum attributionis Rhetoricæ est Oratio. Ergò & hic argumentatio. Secunda autem operatio non est argumentatio.

Respondetur. Etiam Orationem in Rethorica sumptam pro illo opere Rhetorica, quod constat Exordio, Confirmatione &c. non esse objectum attributionis, sed potius Orationem sumptam, pro quacunque locutione copiosa & ornata, ex quo sequetur operationem intellectus non tantùm sumptam pro tertia operatione, sed & aliàs esse objectum Logicæ.

Punctum Difficultatis 4.

An tertia Operatio, & non sola demonstratio sit Objectum materiale Logicæ.

Dicendum Est. *Materiale Objectum Logicæ esse, tertiam etiam Operationem, & non solùm demonstrationem.*

Probatur. Conclusio Iisdem argumentis, quibus & superior.

Confirmatur. Conclusio ex Oviedo. Objectum attributionis debet esse tale, ad quod omnia in scientia revocentur. In Logica, non omnia revocantur ad demonstrationem. Ergò non est Objectum attributionis. Minorem probat. De syllogismo probabili agit Logica, qui non revocatur ad Demonstrationem, neque enim syllogismus probabilis est pars Demonstrationis, neque præsupponitur ad Demonstrationem, imò est species essentialiter opposita & dividens syllogismum in communi. Partes autem essentialiter oppositæ, non ordinantur ad se.

Respondebis. Syllogismum probabilem non ordinari ad Demonstrationem, cognitionem tamen syllogismi probabilis ordinari ad cognitionem demonstrationis. Cognitio enim contrarii ducit ad cognitionem alterius.

Contra Est. Ergò etiam & cognitio demonstrationis referretur ad cognitionem Syllogismi

gismi probabilis, quia æquè demonstratio est opposita syllogismo probabili, atque illa demonstrationi. Consequenter non sola demonstratio, sed & syllogismus probabilis, erit Objectum Logicæ. Deinde ex vi hujus responsionis innuitur, quòd cognitio Demonstrationis, sit potius objectum Attributionis, ad quam ipsa cognitio syllogismi probabilis referatur. Denique si cognitio syllogismi probabilis referretur ad Demonstrationem, vel referretur ratione dispositionis terminorum, quam habet probabilis syllogismus; vel ratione materiæ. Non ratione dispositionis terminorum, quia hæc utrobiq; scientifica & demonstrativa est: non ratione cognitionis materiæ, quia hoc ipso non referretur cognitio Syllogismi probabilis ad cognitionem Demonstrationis, cognitio enim materiæ syllogismi probabilis, non est cognitio syllogismi probabilis. Addo (quod in hac Materia pro fundamento repeti debet) quamvis concederetur posse revocari syllogismum probabilem ad Demonstrationem, quia tamen independenter ab hac revocabilitate potest informari syllogismus probabilis formali Logicæ, fiet ut syllogismus probabilis sit per se considerabilis in Logica.

Respondebis II. Non ordinari cognitionem Demonstrationis ad cognitionem probabilis syllogismi, quia Demonstratio est quid principalius.

Contra Est. Ex eodem Oviedo. Tum cognitio speciei imperfectioris v. g. muscæ non ordinatur ad cognitionem speciei perfectioris, hoc est hominis. Ergò & in præsenti idem dicendum. Tum quia æquè conducit cognitio syllogismi probabilis, ad cognitionem demonstrationis, quàm cognitio demonstrationis, ad cognitionem syllogismi probabilis, cum sit cognitio objecti, quod est commune, & demonstrationi, & topico syllogismo, nempe Artificium Logicum, seu bonitas consequentiæ. Ergò quamvis Demonstratio sit quid nobilius; cognitio tamen illius nobilioris, in hac consideratione, non excedet cognitionem illius ignobilioris. Tum quia syllogismus probabilis, comparatus ad demonstrationem non habet se ita, sicut Ens rationis comparatum ad Ens, aut sicut oppositum comparatum ad objectum attributionis in quibuscunque scientiis. Ens enim rationis vel non Ens, non est verè Ens, syllogismus autem probabilis, est verè syllogismus, sed habent se isti duo syllogismi, ita sicut calor & frigus, quæ quantumvis sint opposita, quia tamen utrumque est qualitas, ideò utrumque per se consideratur à Physica. Ergò etiam & syllogismus topicus, per se considerabitur à Logica.

Cæterum si nomine objecti attributionis veniat, ut apud aliquos venire solet principalis species objecti, & nobilissima. Hoc sensu demonstratio esset objectum attributionis, sed non debet eo sensu accipi ly objectum attributionis.

Objicitur I. Sola demonstratio est finis ultimus Logicæ. Ergò & sola objectum. Antecedens probatur. Illud est finis ultimus Logicæ, in quo continetur adæquata perfectio intellectus, sola autem demonstratio supponit, aut includit, omnes tres operationes.

Respondetur. Negando illas supponi aut includi in sola demonstratione, cum hoc competat etiam syllogismo cuilibet. Deinde tam in syllogismo quam in demonstratione includuntur omnes tres Operationes sub aliqua scibilitate, sed non sub omni, possunt enim considerari tanquam tota quædam; sicut in Physica considerantur elementa, non tantum tanquam partes misti.

Instabis. I. Per solam demonstrationem exhauritur cognoscibilitas objecti, quod ipsum probatur. Quia per illam solam cognoscimus partes, essentiam, passiones, effectus objecti. Ergò sola demonstratio est finis ultimus Logicæ.

Respondetur. Negando Antecedens cum sua probatione. Et quamvis concedam per demonstrationem potissimè & principaliter exhauriri cognoscibilitatem objecti, dico tamen etiam per definitionem qua totum quoddam est artificiale, exhauriri scibilitatem definibilitatis objecti.

Instabis. II. Exercitium intellectuale ultimæ differentiæ hominis, est ultima perfectio intellectus humani, sola demonstratio est hoc exercitium. Ergò & sola est ultima perfectio intellectus humani. Sed perfectio ultima intellectus humani est objectum Logicæ. Ergò & demonstratio.

Respondetur. Quod ad maximum exercitium adæquatum intellectuale, sit ultima perfectio, non autem inadæquatum, quale est demonstratio. Dixi etiam supra, quod quædam sit in nobis participatio modi cognoscendi Angelici, quæ elucet in definitione, quæ indubiè non est demonstratio, & tamen in suo genere, ultima perfectio.

Instabis III. Si non ponatur demonstratio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Ergò illa sola complet perfectionem intellectus humani.

Respondetur. Etiam, si non ponatur definitio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Hinc falsa est hæc Major. Omne illud & solum, quo non posito non quietatur intellectus, sed nititur ad illud habendum, est ultima perfectio intellectus humani.

Objicitur II. Definitio & Divisio natura sua sunt partes demonstrationis. Ergò in ordine ad illam considerantur. Cognitio enim partis, refertur ad cognitionem totiûs, jam autem definitioni, non accidit esse partem demonstrationis.

Respondetur. Cognitionem partis ordinari ad cognitionem totius, ita tamen ut sub diversa considerabilitate possit illa pars, habere

ratio-

rationem totius, adeoq; habere rationem considerabilitatis, non tantùm per modum partis. Nego autem quod definitioni non competat ratio considerabilis à Logica, in quantùm totum quoddam est, rei naturam explicans, independenter ab hoc, quòd ingrediatur demonstrationem.

INSTABIS. Definitio natura sua est illativa conclusionis demonstrativæ, est enim illativa cognitionis de proprietate illius naturæ, cujus est definitio.

RESPONDETUR. Non sub omni considerabilitate, definitionem esse illativam conclusionis, sed nonnisi sub aliqua.

OBJICITUR III. Habitus instrumentarii objectum est illud, quo habitus principales, quales sunt, Physica & Metaphysica finem suum consequuntur. Atqui hi habitus per solam demonstrationem finem suum consequuntur. Ergò hæc sola est objectum.

RESPONDETUR. Negando, quod Logica rigorosè sit habitus instrumentarius. Negando item quod Metaphysica non habeat pro fine etiam cognitionem, quæ in suo genere est perfecta cognitio, qualis est cognitio definitiva.

Punctum Difficultatis 5.

Colligitur Objectum materiale Logicæ, ubi & de Conceptibus objectivis.

COLLIGES. Ex hactenus allatis omnes tres operationes esse objectum materiale Logicæ. Præter jam soluta opponuntur adhuc quædam.

DICES. I. Cum præ Adriano Picarski, Nomina ista numeralia, prima, secunda, & tertia Operatio, non exprimunt id, quod est in re hæc, aut illa in specie Operatio intellectus, sed solum ordinem unius ad aliam; & sicut non rectè assignaretur in Physicis Objectum, Materia prima & secunda, esse enim primam, aut esse secundam, non exprimit rationem corporis ut sic. Ergò neque benè tres operationes assignantur Objectum Logicæ.

RESPONDETUR. An aliqua nomina rem aliquam exprimant vel non exprimant, pensandum est ex acceptatione humana. Cum enim voces sint signa ad placitum, si placitum accesserit has vel illas res, his vel illis nominibus designare, hoc ipso designant bene. Tres ergò dictæ Operationes, si sumantur secundùm id, quod dicunt etiam implicitè, & secundùm acceptationem usu jam tritam, benè exprimunt id quod est in re, hoc est, actus simpliciter apprehendendi, qui pertinent ad primam operationem, actus enuntiandi, qui ad secundam operationem, & actus inferendi, quod officium tertiæ operationis, licet explicitè non importent id illa nomina numeralia. Porrò objectum Physicæ, nomine materiæ primæ & secundæ, non rectè exprimeretur, quia quamvis non sit corpus nisi Materia prima & secunda, usus tamen communis & acceptio ad significandam rem corporis, non determinavit voces illas, primam & secundam materiam. Illustratur hoc Instantia. Forma baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & tamen hæc forma: Ego te baptizo in nomine DEI, invalida est. Quia licèt in re DEUS, sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, usus tamen communis pro distincta omnium personarum compellatione, nomen hoc DEUS non acceptavit. Ita & hic usus, non acceptavit nomen materiæ primæ & secundæ, ad significandum corpus, acceptavit autem nomen trium operationum, ad rem apprehendendi, enuntiandi, inferendi significandam. Jam verò acceptasse usum communem nomen hoc trium operationum, ad rem operationum significandam, vel inde colligitur, quia si quæratur ex oppositis independenter à disputatione, an teneant pro objecto tres operationes intellectus? non sunt quæsituri, quid significant tres operationes, sed tantùm sunt dicturi non tenemus.

DICES II. Cum eodem non constat inter Animasticos, an tantum tres sint operationes intellectus. Ergò falsò supponitur tres operationes esse objectum Logicæ.

RESPONDETUR. A Classicis tres tantum teneri, conclusioque procedit ex suppositione, quod non nisi tres sint.

INSTAT. Datur in quolibet syllogismo judicium de bonitate consequentiæ, quod sit specie diversum à judicio purè enuntiativo & purè illativo. Ergò dantur plures operationes quam tres.

RESPONDETUR. Etiamsi illud Judicium foret specie distinctum à purè enuntiativo, nego quod revocari non possit ad judicium illativum, ut sicut judicium negativum, specie differt à judicio affirmativo, & tamen utrumque continetur sub specie judicii. Ita & illud judicium de bonitate consequentiæ, revocabitur ad judicium illativum ut sic. Parum etiam referret, si velles ita circumscriptum judicium revocatum ad judicium enunciativum, si teneas illo judicio nihil inferri.

DICES III. Cum eodem possibilis est intellectus, qui solis prima & secunda operatione polleat, non indigens unum inferre ex alio, componendo tamen ac dividendo judicaret, contra quam de facto fiat in Angelico intellectu. Ergò immeritò assignantur pro objecto tres operationes.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Logica enim inventa est, ut perficiat intellectum humanum hunc qui est, qui autem est, habet tres operationes intellectus, & respectu illius possibilis intellectus, Logica nonnisi inadæquatum objectum haberet.

DICES

DICES IV. Cum eodem etiam volitio potest dici operatio intellectus, quia ex probabili sententia, docetur, efficienter causari ab intellectione volitionem. Ergò operatio intellectus, est nomen ambiguum.

RESPONDETUR. Non esse hoc nomen ambiguum spectata acceptatione communi, quæ significationem Ly: operationi intellectûs, applicuit ad significandos actus nonnisi intellectus, quamvis posset hoc nomen esse ambiguum non spectata acceptatione communi.

DICES V. Cum eodem si objectum materiale Logicæ essent operationes, haberent se per modum specierum objecti. Sic se non habent, quia species objecti, debent esse oppositæ, ut rationalitas brutalitati, prima autem operatio includitur in secunda, secunda in tertia: Opposita autem se non includunt.

RESPONDETUR. Sufficere ut species objecti opponantur sibi formaliter, secundum quod tota quædam sunt, quamvis in quantum partes diverso respectu sunt, non sibi opponantur. Sic v. g. species numeri scilicet binarius, ternarius, &c. opponuntur sibi, si formaliter sumantur, materialiter tamen accepti, includunt se.

QVÆRES. *An soli Conceptus formales, an objectivi etiam, vel utrique sint objectum materiale Logicæ.*

Nomine Conceptus formalis in quantum hic de illo decidetur, venit operatio faciens & formans cognitum in cognoscente, seu producens verbum mentis, posset que vocari Intellefactio, & formalis repræsentatio ut Quo. Nomine autem conceptus objectivi duo venire possunt, inprimis ipsa repræsentatio ut Quod, eaque intentionalis, ipsum verbum Mentis, & hoc, cujus repræsentationem intentionalem, intendit conceptus formalis; sic sumptus conceptus objectivus, in sententia negante verbum mentis per distinctam actionem produci, idem est in re cum formali conceptu. Consequenter jam sic sumptus conceptus objectivus, cum sit ipsum verbum mentis, producitur ab intellectu. Deinde nomine conceptus objectivi, venire potest ipsum objectum reale, & objectum ut ita dicam ipsius illius supra definiti objectivi conceptus. De conceptu objectivo, in hac secunda acceptione sumpto, agetur inferius, ubi tractabitur: an res sint objectum Logicæ. Comparando autem conceptum formalem cum objectivo in priori acceptione sumpto, videntur immediatius objectum esse formales conceptus, quia immediatius illius præscribitur modus operandi, immediatiusq; in illos inducitur rectitudo Logica.

DIFFICULTAS II.

De Objecto formali Logicæ & de Objecto attributionis.

NOn quæretur hic de objecto formali motivo, sed de objecto formali terminativo materialis, & restrictivo ad rationem hujus vel illius scientiæ.

Punctum Difficultatis I.

Præmittuntur quædam de rectitudine Logicæ.

PRÆMITTO I. *Quid sit rectitudo Logica ex modo nostro concipiendi:* Rectitudo concipitur à nobis tanquam ratio formalis recti. Rectum verò in communi dupliciter accipitur. *I.* Participialiter, hoc est, derivatum à verbo Rego, ut dicitur: recta est hæc Provincia ab hoc Duce. *II.* Accipitur rectum pro eo, quod non est inflexum, curvum, flexuosum. Utraq; hac acceptione possunt dici operationes rectæ, nam etiam operationes, quas direxerunt regulæ Logicæ, possunt vocari rectæ, sed & secundo modo possunt vocari rectæ, per negationem declinationis & abscessus ab eo, à quo debent non abscedere. Hoc ipsum, ut proportionaliter ad rectitudinem materialem explicetur, attendendum erit quid doceant Mathematici de linea recta.

LINEAM RECTAM APPELLANT MATHEMATICI EAM, quæ ex æquo sua interjacet puncta, quod idem est, ac dicere, quod æqualiter inter sua puncta extendatur, hoc est, in qua nullum punctum ab extremis sursum aut deorsum deflectit, & ita si assurgat aliquid sursum, non erit linea recta, quia neque erit æqualitas, cui æqualitati contrariatur excessus, quem importat sursum. Si etiam minuatur aliquid deorsum de cursu interjectorum lineæ, non erit linea recta, quia nec æqualis, cui æqualitati opponitur defectus. Eam rectitudinem ut imaginentur Mathematici fingunt indivisibile aliquod punctum fluere, ita ut nec in hanc nec in illam deflectat partem, sed æquabilem quendam motum ac incessum teneat. Dicuntque tunc describendam lineam, quæ perfectissimè recta foret, de qua etiam enuntiant, quod scilicet per lineam rectam à termino ad terminum brevissimum sit iter. Et hac rectitudine lineæ ut sic constituta, ea quæ cum hac linea concordabunt recta dicentur, quæ non concordabunt, flexuosa & non recta erunt.

APPLICANTUR HÆC ad præsens. Datur rectitudo objectiva operationum v. g. Definitionis, scilicet, quæ nec per excessum nec per defectum deflectit, attendit ad hanc rectitudinem præceptum Logicæ, præscribitque regulas excessus abjiciendo, & defectus subrogando, si enim ponatur genus supremum, erit excessus sursum, si non ponatur ultima differentia, erit defectus. Adeoque conficitur jam regula, cui quidquid circa definitionem conforme erit, rectum Logicè in definiendo erit. Unde horum præceptorum rectitudo, est quasi fluxus æquabilis

ad

ad veritatem objecti, ad quam indagandam sunt inventa; & sicut recessus à linea recta facit flexuram, curvitatem & irrectitudinem; ita recessus à præceptis, facit irrectitudinem operationum. Rursus sicut per lineam rectam à termino ad terminum brevissimum est iter: ita ad indagandam veritatem & faciendos actus artificiosos, brevissimum est iter, conformitas cum præceptis. Breviter ergò Rectitudo operationum in eo erit: ut sit conformitas operationum cum præceptis, & non sit recessus ab ista regula, à quâ recessus, irrectitudo est.

Præmitto II. *Quid sit in re rectitudo Operationum*, & dico rectitudinem hanc non esse Ens rationis, quia nec rectitudo moralis est Ens rationis, quia aliàs facere operationes rectas moraliter, esset facere Ens rationis, & DEUS præmiando istas operationes, Ens rationis præmiaret. Ex modo tamen nostro concipiendi in ista conformitate involvitur Ens rationis. In re autem hæc rectitudo, nihil aliud est nisi Entitas actûs continens ea, quæ continenda dictant præcepta Logica. Hinc hæc rectitudo, indicat ipsam Entitatem actus esse, quid intrinsecum actui, quid enim magis intrinsecum actui, quàm ipsa Entitas, importat tamen etiam aliquod connotatum, nempe ipsa præcepta quibus conformatur.

Præmitto III. *Rectitudinem operationum in quantùm sunt considerationis Logicæ duplicem esse.* Quandam rectitudinem activam, quandam passivam. Rectitudo activa ex Oviedo est, Dictamen illud vel præceptum vi cujus præscribitur modus, quo faciendum est Opus. Et sic præceptum illud: Definitio debet constare genere & differentia, est directio activa; directio autem passiva vel formalis, est illa, quæ respondet ipsi dictamini vel præcepto, adeoque ipse actus noster formaliter.

Præmitto IV. *Rectitudinem activam, quæ oritur ex præceptis duplicem esse.* Sicut & ipsa præcepta duplicia sunt. Quædam enim sunt affirmativa, ut cum dicitur definitio debet constare genere & differentia, quædam negativa: ut cum dicitur: syllogismus non debet constare quatuor terminis, hæc præcepta positiva respiciunt immediatè rectitudinem, negativa autem primo & per se intendunt vitationem irrectitudinis, mediante autem hac vitatione, ipsam rectitudinem.

Præmitto V. *Quomodo ipsum dirigi & rectificari operationum perficiatur.* Fit id dupliciter: *I.* Remotè, quando intellectui præscribuntur regulæ faciendi v. g. si Definitio facienda sit, fiat per genus infimum & differentiam ultimam. *II.* Fit proximè directio per influxum immediatum in ipsammet formalem operationem. Hic influxus aliter fit in habente habitum Logicæ, aliter in illo qui non habet habitum Logicæ. Iste qui non habet habitum Logicæ, quamvis sit præceptis Logicis instructus, in ipso actu eliciendi, facit actualem reflexionem circa præceptum, & mediante hac reflexione, dirigunt illum præcepta ad faciendas operationes rectas, & si illum non dirigerent, dicerem illum nunquam v. g. posse argumentari, ante cognitionem enim præceptorum, nesciebat argumentari, præcepta etiam quæ scit nihil illum juvant, quia non est intelligibile qui illum juvent, nisi mediante illa operosa reflexione, aut saltem directa sui penetratione, quâ si non habeatur, æque ut ante, nesciet argumentari. Imò si illum in ipso actu argumentandi non dirigunt præcepta, unde fit ut interrogatus, cur ita faciat? citet præceptum Logicum. Ille verò qui habet habitum Logicæ, licet sine reflexionibus, dirigitur tamen ipsis præceptis, quamvis se ad hæc non reflectat, & sicut conferens Sacramenta Sacerdos, dicitur virtualiter dirigi, in collatione Sacramentorum, per intentionem virtualem, seu habere intentionem virtualem, quando interrogatus, quid faciat ex vi præsentis dispositionis, est expeditus dicere: Confero Sacramentum. Ita ex facilitate operans, dirigetur adhuc præceptis, nam interrogatus, quare ita operetur? dictamina Logica, tanquam regulam faciendi citabit. Contingit hoc in Logicis ad eum modum ut in pictoribus, qui nondum perfecti, imagines ante se ponunt, ad easque frequenter oculis & mente se reflectunt, qui verò ex ipsa eaque propria idea operantur, tales refleviones non faciunt, nec istas imagines ante se habere curant. Sic & habituales Logici non curant actuales reflexiones ad dictamina Logica, sine quibus incipientes nihil operantur. Quomodo fiat hæc directio; ut concipias melius, imaginare sagittarium, qui discipulum suum dirigit in sagittando, primò remotè, dando illi præcepta tenendi arcus, sagittæ locandæ, pedum figendorum; secundò proximè, quando ipse, secundùm illa præcepta arcum tendit, sagittam collocat. Neque dicendum est, quod tunc in ipso actu tendendi arcûs, non dirigatur illis præceptis, aliàs æquè semper malè tendet arcum, ante enim præcepta non sciebat illum tendere, nunc etiam illum præcepta non juvant, Ergò & nunc illum malè tendet. Applica idem ad præcepta Logica.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur Objectum Formale Logicæ.

Dicendum Est. *Objectum formale Logicæ esse rectitudinem Logicam.* Ita Suarez, Arriaga, Oviedo &c.

Probatur Conclusio I. Quia in habitibus practicis illud est objectum formale, quod est forma, quæ fit vel inducitur ab illa scien-

scientia practica. Sed Logica est habitus practicus, ut supra probavi, forma etiam quam inducit est dicta rectitudo. Ergò dicta rectitudo, est objectum formale Logicæ. Major probatur Inductione. Domifactoriæ objectum formale, est, forma domus, Musicæ formatio vocis, Sutoriæ forma calcei. Hæc ipsa Major probatur. Ratione. Finis intrinsecus scientiæ practicæ, est objectum illud formale; unde specificantur practicæ scientiæ fine ex mente Aristotelis. Sed forma inducenda ab habitu practico, est finis illius intrinsecus, sicut enim fine habito res ulterius non procedit, ita forma illa quam intendit practicus habitus inducta, non procedit ulterius habitus. Ergò forma quam inducit habitus practicus, est objectum illius. Minor verò principalis scilicet nihil aliud inducitur à Logica nisi dicta rectitudo. Probatur. Tum quia Logica inducit aliquam Formam, non potest autem ostendi quam aliam inducat, nisi rectitudinem dictam. Tum quia illud est forma, quam inducit Logica, quo habito conquiescit Logica & sicut motus Physicus, ad inductionem Formæ ordinatus, dum conquiescit, signum est à posteriori, illud esse formam intentam, ita illud erit Forma Logicæ, qua habitâ, conquiescit Logica. Hæc autem forma est Rectitudo. Tum quia media ostendunt intentionem finis, media autem quibus utitur Logica, sunt præcepta, quæ omnia nihil aliud intendunt, nisi rectitudinem operationum, Ergò & Logica, quæ illis præceptis tanquam mediis agit, nihil aliud intendit, nisi rectitudinem operationum.

Probatur II. Conclusio. Si rectitudo Logica non esset objectum formale. Logicæ, ideò non esset, quia operationes non possunt habere rectitudinem dictam à præceptis Logicis. Sed possunt habere. Ergò &c. Major est oppositorum. Minor probatur. Quæcunque ratio probat habere rectitudinem operationes intellectus ab intellectu, eadem probat posse illam non simpliciter, sed facilius haberi à dictaminibus Logicis.

Respondebis I. Ideò non possunt operationes rectitudinem habere à Logica, quia otiosa esset rectitudo, cum haberi possit ab intellectu.

Contra Est. Habitus dantur tantum ad facile posse. Ergò & Logica erit tantum ad facile dirigere. Dico ergò simpliciter posse haberi rectitudinem ab intellectu, sed faciliùs haberi illam per præcepta Logica; & sicut nemo dicit habitus esse otiosos, eò quòd dent tantùm facile posse, ita nemo dicet esse otiosam directionem Logicam.

Respondebis II. Non possunt operationes habere rectitudinem à Logica, quia non sunt indifferentes ad benè vel malè fieri, & intellectio elicita, non potest emendari in meliorem,

Contra Est. Assumo hoc. Ergò neque ab intellectu dirigi possunt, nam etiam ab illo, non possunt mutari in meliores.

Respondebis III. Cum Patre Adriano Pikarski, cujus etiam argumenta infra ponentur. Ideò operationes non posse habere rectitudinem à Logica, quia non possunt mutari in meliores manente sua Entitate, intellectio enim vel ea futura erat, quæ jam est elicita hîc & nunc, vel alia, si primum, tunc sicut elicita non poterat mutari in meliorem, ita nec elicienda, si posterius. Ergò emendari vel dirigi intellectionem idem erit, quod pro mala, bonam substituere, nemo autem emendare dicitur vestem laceram, si pro lacera, bonam substituat.

Contra Est. Assumo hoc & nego ab intellectu dirigi operationes, quæram enim an ea futura erat quæ nunc est, an alia intellectio elicienda: & ex utroque inferam, non posse eam ab intellectu dirigi, solutio hujus argumenti infra patebit.

Respondebis IV. Ideò non potest dirigi operatio à Logica, quia consistit bonitas illius intrinseca in indivisibili.

Contra Est. Assumo quod datur. Ergò neque ab intellectu dirigi possunt, quia bonitas illorum consistit in indivisibili.

Respondebis V. Disparitatem esse, quia primum actum rectum ante omnem Logicam elicuit intellectus sine ullo dictamine Logico. Ergò & reliquos elicere potest.

Contra Est I. Concedo quod reliquos actus sine Logica elicere possit, sed nego facilè id fieri posse sine Logica, in quo solo, est quæstio.

Contra Est II. Concedo primum actum aliquem rectum elicitum esse ante omnem Logicam: idque ideò, quia causa debet præsupponi effectui, cum ergò primus actus cum reliquis sit causa Logicæ inventæ, & in præcepta reductæ, necessariò à Logica dirigi non poterit; sed si nunc jam operationes dirigat Logica, non sequetur, effectum præsupponi, ante causam.

Probatur III. Conclusio urgendo Minorem eandem syllogismi secundi, quæ est talis. Si rectitudo Logica non posset esse objectum formale Logicæ, ideò non esset, quia rectitudinem operationes non possunt habere dependenter à præceptis Logicis. Sed possunt habere. Ergò. Si non possent habere rectitudinem dependenter à præceptis Logicis operationes, ideò illam non possent habere, quia non sunt indifferentes ad illam habendam vel non habendam, sed id non obstat. Tum quia sufficit, quod in priori naturæ antequam fiant, & in suis causis spectatæ, potuerint non fieri tales, quamvis in suppositione sui ad se, seu in se à parte rei spectatæ, non possint esse jam indifferentes. Ad eum modum, quo sufficit ad libertatem actionis, in ipso fieri, quod in priori naturæ, spectata in sua

causa operatio, potuerit fieri vel non fieri, quamvis spectata in se, prout est à parte rei, non possit non esse. Tum quia potest ars sagittandi dirigere ictum tactivum metæ, quamvis ictus tactivus metæ, non possit non esse illius tactivus, quia hoc ipso, non esset tactivus metæ? Tum quia in uno eodemque indivisibili instanti temporis, quo fit definitio v. g. possunt cogitari duo instantia naturæ, aliud instans prioritatis naturæ, aliud posterioritatis naturæ: censetur res in instanti prioritatis naturæ considerari, quando consideratur in ipso suo fieri; tunc autem in signo posterioritatis naturæ consideratur, quando consideratur in ipso facto esse, licèt in instantaneis, qualis est v. g. Definitio idem sit fieri physicè, & factum esse. Quamvis considerabilitate differant. Pro illo ergò priori signo considerabilitatis, præcipuè si fieri spectetur in ipsismet causis, est operatio indifferens ut possit benè vel malè fieri, licet in posteriori signo, sit jam determinata.

Secundùm ergò considerationem physicam, si spectetur in suis causis operatio, est indifferens; secundùm autem considerationem metaphysicam, est indifferens, etiam pro priori illo naturæ & in fieri spectata, partiendo unum instans physicum, in duo instantia rationis.

Punctum Difficultatis 3.

Respondetur Objectionibus.

Objicitur I. præ Adriano, Intellectiones non possunt esse indifferentes ad benè vel malè fieri, nec manens in sua Entitate potest mutari intellectio. Ergò neque dirigi.

Respondetur. Quod intellectiones spectatæ in suis causis sint indifferentes possintque mutari, licèt id illis non competat spectatis in se.

Instabis. Intellectio elicita non potest mutari & emendari. Ergò & elicienda, cum eadem sit.

Respondetur. Etiam intellectiones elicitas spectatas in sua causa potuisse emendari, licèt non sub formalitate elicitarum, sed eliciendarum.

Objicitur II. Ab eodem si rectitudinem induceret Logica, ita induceret, quod substitueret unà cum intellectu pro operatione, quæ poterat esse mala, bonam. Sed hoc non est emendare operationem, aliàs pro lacera veste, dare bonam, esset emendare vestem.

Respondetur. Negando Minorem. Ad illud de veste dico, quod pro lacera veste bonam substituere, non sit emendare vestem, quia ad talem substitutionem vox emendationis non usurpatur. Licet aliæ substitutiones, gaudere etiam soleant nomine emendationis, ut cum Magister substituit pro erronea bonam constructionem, & propositione fracta, non fractam, dicitur emendare compositionem. Sic & in præsenti. Præcipuè autem hoc tenet de operationibus, quæ cum non sint materia permanens, sicut vestes, hoc ipso emendationi non subsunt, sed integrè de novo poni possunt.

Objicitur III. Quando dirigit Logica argumentantem, aut novit argumentans rectitudinem syllogismi, aut non novit, si novit? Ergò sufficiens est facere syllogismum si non novit, ergò etiamsi illi præcipiatur talis syllogismus, poterit adhuc hærere an rectus sit. Ergò per Logicam non satis dirigitur.

Respondetur. Argumentantem esse sufficientem simpliciter, ut sine præceptis faciat syllogismum rectum, sed non esse sufficientem, ut id facilè præstet sine præceptis Logicis, sine quibus novit remote, sed cum iis novit proximè, & de faciliori, rectitudinem syllogismi.

Objicitur IV. Ab eodem hæc operatio etiam spectata in sua causa, non poterat fieri nisi hæc, si enim hæc non fuisset facta, hoc ipso non fuisset hæc.

Respondetur. Hanc objectionem involvere se, quia ex una parte vult spectari operationem in causa, ex altera parte non vult spectari operationem in sua causa, quia vult spectari operationem, prout est in se, quia spectari operationem, prout est hæc, est illam spectari, prout est in se. Revolvatur mens ad instantias adlatas de libertate, tactione metæ &c. Addo, quod facere ut hæc potius quàm illa operatio, fiat, idque mediis dictaminibus, & præscribendo regulas operandi, non tantum sit determinare intellectum, ut eliciat bonam operationem, non malam, sed etiam dirigere eundem ad eum modum quo determinatio, quam facit per certas regulas ars cytharisandi, ad bonos potius quam malos pulsus cytharæ, vocatur directio facta ab arte. *Quicquid sit de istis Principiis.* Dico operationem hanc spectatam in suis causis non posse esse nisi hanc, sed non debent sumi causæ inadæquatè, sed omnes ad esse hujus concurrentes, hinc ad operationem hanc rectam, concurrit aut Logica sola naturalis, dans simpliciter posse esse operationi rectæ, aut concurrit Logica artificialis, dans esse rectæ, sed requisita non ad posse esse simpliciter, sed ad facilius posse. Unde hæc operatio non fuisset bona, si ad illam concurrisset intellectus utcunque, & non qua habet rationem Logicæ naturalis, & si defectum concursus exhibendi à Logica naturali, non supplesset Logica artificialis; si autem alterutra concurrat, non est mirum, quod hæc operatio non potuerit esse nisi hæc bona. Quod si ad operationem v. g. hanc, quæ non potest esse nisi bona, requiritur Logica aut naturalis aut artificialis, datur adhuc directioni locus, ut ex vi directionis, bona vel mala fiat.

Instat. Si operationes intellectus solum in causa

causa diriguntur. Ergò potiùs intellectus prout operans, est objectum Logicæ.

Respondetur. Operationes intellectus, solùm quidem in causa spectatæ indifferentes sunt ad benè vel malè fieri, non tamen solum in causa diriguntur, sed etiam in seipsis, modo supra prætacto; imò cum dirigatur intellectus non nisi prout Definitivus, Enuntiativus, Illativus; necessariò & ipsæ Definitiones, Enuntiationes, Illationes dirigi debent, & sicut cum dico: mel qua dulce dulcorat, dico dulcedinem dulcorare ut Quo; ita cum dico, intellectus, quà definitivus dirigitur, datur intelligi, quòd definitiones dirigantur. Unde ulterius si quæras: An in rectas an in pravas operationes inducatur hæc rectitudo, non pones adæquata divisionis membra, inducitur enim rectitudo non in rectas, nec in pravas, utrasque jam factas operationes, sed in operationes, quæ fiunt, cumque ipsæ operationes rectæ, habeant quidem rectitudinem, sed dependenter à præceptis Logicæ, hoc ipso dici debet, ex directione Logicâ, haberi illam rectitudinem.

Objicit V. Item. Quo impossibili adhuc possibilis est Logica, illud est non formale Logicæ. Sed impossibili dirigibilitate vel rectitudine adhuc possibilis est Logica. Ergò dirigibilitas vel rectitudo non est formale Logicæ. Minor probatur. Impossibili communi errore intellectus possibilis est Logica. Sed impossibili omni errore intellectus, impossibilis est dirigibilitas vel rectitudo. Ergò impossibili dirigibilitate possibilis est Logica. Quod autem possibilis sit Logica impossibili errore, vel hoc probat, quia in intellectu Christi non erat possibilis error intellectus, & tamen Christo inerat Logica.

Respondetur negando Minorem. Probatur illius, (quidquid sit de forma illius expresè loquendo, de quo in Ethicis actum) adhuc habet minorem falsam. Ratio negandi, quia possunt dari aliquæ formæ, licèt earum oppositæ ab illis expellendæ, sint impossibiles. Illustratur hoc Instantiis. Instantia est Theologica, possibilis est gratia impossibili peccato expellendo, possibilis in DEO scientia, in quo impossibilis est error ab illa expellendus. Ergò etiam possibilis erit Logica, impossibili omni difformitate intellectus, seu errore expellendo. Instantia Metaphysica est, quòd possit dari scientia, impossibili ignorantia expellenda. Instantia physica est, quòd possibilis sit calor, impossibili frigore expellendo. Ergò & rectitudo Logica possibilis erit, impossibili omni difformitate expellenda. Et Ratio est, quia per prius forma confert eam pulchritudinem & bonum, quod in se continet, quam opponatur malo posito, sufficitq; ut quantum est ex se, sit illius depulsiva, licèt ex accidenti aliquo non expellat illud.

Instat I. Impossibili uno correlativo, redditur impossibile aliud correlativum. Ergò etiam impossibili errore intellectus, impossibilis est rectitudo.

Respondetur. Errorem intellectus & rectitudinem esse sibi opposita & non correlativa, potest autem unum oppositorum, possibile esse, altero impossibili.

Instabis II. DEUS dirigitur intransitivè, non enim dirigitur ab aliquo quod non sit ipse.

Respondetur. Concesso hoc, redibit paritas, potest DEUS erroris incapax dirigi tamen, licèt intransitivè, & cur non possit dirigi subjectum transitivè à scientia, licèt sit incapax erroris.

Instat III. Si esset possibile subjectum capax directionis Logicæ, quod sit incapax difformitatis. Ergò etiam possibile erit subjectum capax erroris, quod sit incapax rectitudinis. Atqui hoc falsum est. Omne enim defectibile, potest corrigi saltem à primâ causâ, & quia sequitur dari aliquam naturam ab intrinseco eroneam, seu physicè ac metaphysicè malam, si quidem nulla vi rectificabilis esset.

Respondetur. De facto in omni errore reperitur id, ut ipse qua talis, & in se non sit capax rectitudinis, cumque error non per accidens, sed per essentiam sit defectibilis, non poterit corrigi à prima causa, quæ essentias rerum non mutat. Deinde Disparitas etiam est, quia in casu antecedentis nulla est imperfectio, quæ habetur in casu Consequentis. Et sicut quamvis sit possibilis scientia, quæ procedat per Conclusiones, demonstrativas, neque tamen possibilis est error, qui per easdem procedat, quia scientia est quid perfectum, imperfectus error, ita quamvis possit DEUS aliquid perfectum producere, non hoc ipso per se poterit producere etiam aliquid imperfectum, quod DEUM dedeceat.

Objicitur VI. Præ Thoma Rostoga. Si operationes intellectus essent objectum Logicæ, vel essent eæ, quæ jam sunt rectæ, & hæ non sunt capaces dirigibilitatis, jam enim illam habent. Non etiam hæ quæ nondum sunt, quia hæ dirigi non possunt. Non item operationes infieri, quia fiunt instantaneè, in instantaneis autem idem est fieri, quod & factum esse, sed factum esse non potest dirigi. Ergò nec fieri ipsum.

Respondetur. Logicæ in actu primo dirigentis esse objectum operationes in actu primo dirigibiles, Logicæ verò in actu secundo dirigentis, esse objectum operationes in ipso fieri rectificabiles, modo jam præscripto. Axioma illud in Instantaneis idem est fieri quod & factum esse, hoc sensu solum est verum; quòd scilicet totum simul producatur, quòd instantaneè producitur, sed non sequitur illud ita producibile in eodem instanti dirigi non posse, non autem habet hunc sensum, quasi quæ prædicata

conveniunt facto esse, debeant convenire ipsi fieri, quòd si possunt diversa prædicata convenire, illi fieri, & illi facto esse, poterit dirigi operatio sub formalitate fieri, licèt non dirigatur sub formalitate, facti esse.

OBJICITUR VII. Quia si tres Operationes sint Objectum Logicæ, non salvabitur conditio objecti attributionis, quod est dare unitatem scientiæ; operationes autem non dant hanc unitatem, nam & sunt Ens per accidens, & non nomine singulari exprimuntur.

RESPONDETUR etiam posito, quod operationes sint Ens per accidens, & quod nomine plurali exprimantur ad dandam unitatem scientiæ, sufficit quod conveniant in una ratione scibilitatis, qualis hic est rectificabilitas operationum scientifica, in quantùm illa habet rationem objecti attributionis.

INSTABIS. Saltem non possent prædicari de speciebus objecti operationes, nam de syllogismo non potest dici, quod sint operationes rectæ, & tamen objectum attributionis debet prædicari de speciebus objecti.

RESPONDETUR. Sufficere quòd objectum attributionis, vel in numero plurali vel singulari prædicari possit de speciebus objecti potest autem dici, quòd syllogismus sit operatio recta.

DIFFICULTAS III.

Respondetur quibusdam quæstionibus de Objecto Logicæ.

QUÆRES I. *Qualiternam sumpta Rectitudo sit objectum formale Logicæ.* Sumi debet rectitudo in fieri. Ratio, tum quia Logica est habitus practicus, habitus autem practici objectum debet esse factibile vel dirigibile, ut in simili vult Aristot. 6. Eth. c. 2. Tum quia illa & taliter sumpta rectitudo est objectum formale Logicæ, quæ est radix & origo totius amplitudinis Logicæ. Jam autem rectitudo operationum in fieri est talis radix, & origo; Sicut libertas in actu, est, in qua apparet amplitudo libertatis. Et certè sublata rectitudine in fieri, non esset jam ulla rectitudo præterita, præteritum enim sumit ratio præteriti, à præsenti, quod fuit, sublata item rectitudine in fieri, nulla esset rectitudo futura, futurum enim dicitur ratione præsentis ponendi. Ergò rectitudo in fieri, est radix & origo amplitudinis totius, debitæ considerabilitati Logicæ. Tum quia per solam rectitudinem in fieri, salvatur ratio practici in Logica, imò quantumvis nunquam se reflecteret Logica, supra operationes jam factas, posset benè uti præceptis apprehendendi, enuntiandi, argumentandi; considerat-que Logica operationes jam factas, sed non nisi propter operationes in fieri.

DICES I. Operationes rectæ, prout abstrahunt ab omni tempore, sunt quid universalius, sunt per modum generis, operationes autem in fieri, sunt, quasi species illius rectitudinis. Ergò illa potiùs abstracta rectitudo est objectum Logicæ, non enim genus debet revocari ad species, sed species ad genus.

RESPONDETUR. Negando in ratione scibilis Logicè; hoc est practicè, operationes abstractas habere se per modum generis nam habitus practici objectum, assignatur agibile, non abstrahens ab agibili quamvis in aliqua alia consideratione, possit sortiri rationem generis operatio recta.

DICES II. Rectitudo operationum in ultimo instanti ante fieri, vel est objectum Logicæ, vel non est, si non est, Ergò Logica habitualiter sumpta non habet objectum, si est. Ergò Rectitudo est objectum non in fieri, sed ante fieri accepta.

RESPONDETUR. Operationes ante fieri præcedentes immediatè, esse objectum Logicæ, immediate post operaturæ; & sicut dum operatur Logica, habet operationes in fieri pro objecto; ita proximè operatura, habet operationes pro objecto in proximo fieri, adeoq; utrobique operationes in fieri erunt objectum, sed aliter & aliter sumptæ. Per hoc tamen non negatur, quòd operationes rectæ jam in facto esse, sint objectum experimentalis scientiæ; licèt operationes rectæ in fieri sint finis intrinsecus, adeoq; objectam Logicæ formale.

DICES III. Operationes rectæ in fieri ordinantur ad rectas. Ergò rectæ, sunt objectum attributionis.

RESPONDETUR. Ordinari operationes rectas in fieri ad simpliciter rectas, non tanquam ad objectum scibile per se, licèt ordinentur tanquam ad aliquid se posterius & effectum.

QUÆRES II. *Quo præstet nomine hanc rationem formalem exprimere.*

ASSERO I. *Non benè illam exprimi sub nomine operationum rectarum.* Ratio, quia cæteris paribus, si nihil obstet, præstat sub eo nomine assignare objectum habitus practici, quod nomen ex modo significandi, magis exprimat tempus futurum, quam præteritum. Nam & Aristoteles factibile & agibile, non verò factum aut actum assignat pro objecto practico habitui. Et si scientiæ, quæ etiam circa scita actibus reflexis versantur, tamen non scitum sed scibile habent pro objecto, ita & nomine, significante rectitudinem futuram quodammodo, exprimi debet objectum Logicæ.

ASSERO II. *Non benè illam exprimi sub nomine Operationum dirigibilium.*

RATIO, quia dirigibilitas ex modo significandi, exprimit conditionem tenentem se ex parte operationum, earumq; tractabilitatem, & ad præcepta Logica inflexibilitatem designat, ad eum modum, quo scissibilitas ligni, est conditio tenens se ex parte ligni, dicitque ejus aptitudinem

tudinem ad scindi. Deinde ratio formalis objecti Logicæ, debet significare illud, quod inducit Logica in operationes, non inducit autem dirigibilitatem, quia cum hæc sit aptitudo ad dirigi, præsupponitur in ante, sed potius dirigibilitas, est ratio sub Qua hujus scientiæ.

ASSERO III. *Commodè exprimi Rationem formalem objecti Logicæ, per Ly Rectificabilitas*, ita ut operationes rectificabiles, sint objectum Logicæ.

RATIO, quia operationes in fieri sunt objectum Logicæ. Sed operationes rectificabiles sunt operationes in fieri. Ergò &c.

QUÆRES III. *An operatio aliqua in communi abstrahens à prima, secunda & tertia sit Objectum Logicæ.*

ASSERO, *quod non.*

RATIO. Tum quia, si nihil obstet, assignandum est objectum habitus practici, circa quod & executivè & præceptivè versetur Logica. Sed operationes tres sunt tales, nam executivè circa singularia, versabitur, & præceptivè, circa tres illas operationes, sed circa unamquamque in communi acceptam. Tum quia si nihil obstet potius est assignandum objectum Logicæ tale, quod ex modo suæ significationis, ostendat Logicam non esse speculativam, quod non hâberetur, si operatio in communi, assignetur pro objecto Logicæ. Tum quia in assignando objecto Logicæ concordanda sunt duo, quòd Logica sit practica, & quòd sit scientia: utrumque hoc concordatur, nam ut salvetur ratio scientiæ, & unitatis scientiæ, assumitur ratio communis, jam autem quælibet illarum in suo genere est una, hoc est, tres operationes. Ostenditur etiam ratio practici, particularius ipsas operationes assignando pro objecto. Quòd autem debeant operationes secundùm rationem communem spectari, Ratio est. Quia objectum uniuscujusq; scientiæ, non debet esse simpliciter quid aggregatum, sed debet uniri in ratione aliqua una. Unde & Aristot. 1. posteriorum tex. 43. unam scientiam dicit esse, quæ est circa unum genus.

QUÆRES IV. *An intellectus ut dirigibilis Logicè in operando, sit objectum Logicæ.*

ASSERO. *Intellectum esse objectum Logicæ, sed non esse objectum Attributionis.* Quòd sit objectum. RATIO est, quia causæ objecti, sunt etiam objectum scientiæ, revocanturque ad objectum attributionis. Quòd autem non sit ita sumptus intellectus objectum attributionis. Ratio est. Quia intellectus in tantùm esset objectum Logicæ, prout esset dirigibilis in operando, hoc autem significat, ipsas operationes esse hoc objectum, ut in simili supra dictum. Deinde objectum Logicæ tanquam habitus practici, debet esse agibile à Logica. Intellectus autem non est agibilis à Logica. Denique etiam in aliis habitibus, principium effectivum specierum objecti, non est objectum proximum habitûs, sic non est objectum cytharisandi cythara, sed pulsus aut sonus artificiosus, objectum sutoriæ non est manus sed calceus, nec saltatoriæ pes, sed saltus. Quod ulteriùs in hoc fundatur, quia non est necesse confundere causam objecti, cum objecto.

DICES I. Logica dirigit Operationes intellectus in ordine ad perfectionem intellectus. Ergò intellectus erit objectum primarium.

RESPONDETUR. Quòd dirigat illas ad perfectionem intellectus non merè subjectivam & receptivam illarum operationum, sed ad perfectionem intellectus, prout operativi, quod ostendit potius operationes esse hoc objectum.

DICES II. Objectum habitus practici non debet esse operativum, sed operabile, jam autem intellectus, est potius operativus.

RESPONDETUR. Quòd operativum possit esse in scientia practica, objectum attributum, licèt non attributionis.

DICES III. Subjectum habitus non est objectum habitus, intellectus autem est subjectum habitus Logici. Ergò non est objectum illius.

RESPONDETUR. Subjectum habitus, quod est simul tanquam causa objecti considerabilis, potest esse objectum habitus, consideratio enim, causarum objecti, spectat ad scientiam, licèt subjectum habitus, acceptum merè pro receptivo habitus, non sit objectum habitus.

QUÆRES V. *Quodnam tandem sit objectum Attributionis adæquatum Logicæ.*

ASSERO esse *Operationes intellectus rectificabiles*, seu ut vulgò dicitur dirigibiles. Ratio asserti petenda ex dictis hactenus.

QVÆSTIO III.

De iis quæ non sunt definitiva Logicæ.

SUb hoc titulo agemus de iis, quæ non sunt objectum Logicæ, *sit*

DIFFICULTAS I.

An Ens rationis sit objectum Logicæ.

PRÆMITTO I. *Ens rationis, quantùm ad præsens, duplex cogitari potest.* Primum Ens rationis, quod habet tantum esse objectivum in intellectu, v. g. Hircocervus; secundum Ens rationis Logicum, estque aliquid sortiens denominationem extrinsecam à Logica, seu secunda nostra intentio.

PRÆMITTO II. *Quid sit intentio? Quid secunda Intentio, Quid Denominatio?* Intentio alia spectat ad voluntatem, alia ad intellectum. Intentio spectans ad voluntatem est Ordo, Motus, Progressus, Tendentia voluntatis in ob-

jectum. Et proportionaliter, Intentio spectans ad intellectum est tendentia intellectualis. Porrò sicut in motu quod movetur, habet finem sui motus, seu terminum & rationem formalem movendi, ita etiam in intellectu, cujus motus sunt cognitiones, sunt aliquæ Intentiones formales, quæ sunt ipse actus tendens in objectum, vocaturq; hic actus: Intentio formalis, & præter hoc, est terminus istius motus, qui terminus vocatur Intentio objectiva, nihilq; aliud est, nisi ipsum illud, quod cognoscitur.

Rursus Intentio tam formalis quam objectiva, Alia est Intentio prima, alia Intentio secunda. Intentio prima formalis est cognitio cognoscens objectum, directè, secundùm prædicata, quæ in se habet. Prima autem Intentio objectiva, est ipsum illud objectum. Deinde verò Intentio secunda formalis, est cognitio objecti ab intellectu sortiens aliquam denominationem. Intentio verò secunda objectiva, est ipsum illud objectum sortiens ab intellectu illam denominationem, vocaturq; hæc Intentio secunda, quia sicut id quod secundùm est, supponitur alteri se priori, estq; geminatio, unitatis; ita secunda intentio præsupponit primam, prius enim est esse v. g. hominem, postea posse prædicari.

Quod ad denominationem attinet, illa est forma nominis cuipiam inditi. Sic denominatur pannus ruber, qui obtinet nomen à rubedine, quæ est forma rubri. Hæ denominationes aliæ sunt Extrinsecæ, aliæ Intrinsecæ: Intrinsecæ proveniunt à forma denominato unita. Sic v. g. denominatur ruber pileus à rubedine unita pileo. Denominatio autem extrinseca, est appellatio proveniens à forma extrinseca, referibili tamen ad denominatum. Sic v. g. visum denominatum à visione, quæ est in vidente, quæ nihilominus visio, refertur ad visum, tanquam ad objectum. Ulterius, denominationes extrinsecæ aliæ sunt Logicæ, aliæ non Logicæ. Denominationes non Logicæ sunt, quæ proficiscuntur, aut ab aliis potentiis, quam ab intellectu, aut ab intellectu, sed præscindente à præceptis Logicis v. g. simpliciter cognitum; Logicæ autem Denominationes extrinsecæ, sunt actus intellectus, importantes ordinem ad præcepta Logica.

PRÆMITTO III. *Quæ sint placita asserentium, Ens Rationis Logicum esse objectum Logicæ.*

DOCENT I. Objectum sortiri denominationem extrinsecam ab intellectu v: g. prædicati, subjecti, Definitionis, hocque dicunt esse Ens rationis.

DOCENT II. Ipsum istud Ens rationis, rectitudinem suam habere, si sit conforme rebus, ita ut prædicatum sit superius, subjectum autem inferius.

DOCENT III. Ista Entia Rationis, in tantùm spectare ad Logicam, in quantùm sunt directiva Operationum intellectus. Diriguntautem istas operationes, inprimis ut refert Amicus tract. 1. Logicæ quæst. 5. d. 3. c. 4. per modum ideæ & objectivè, quia scilicet ut rectè definiamus, debemus nobis proponere definitionem, quæ est Ens rationis Logicum, ut videamus quid in illo, pro genere, quid pro differentia, sumatur, ut definitionem formando, accomodemus nos illi Ideæ. Deinde Ens rationis Logicum dirigit operationes à posteriori, per modum signi, ut vult Vallius p. 2. prolog. 93. c. 2. eò quòd sequatur ad operationes, quas facimus, easq; vel rectas, vel non rectas. Sic v. g. quando in communi apprehenditur hic terminus Homo, si in hac apprehensione sequitur & consurgit Ens rationis Logicum, quod est species, signum est rectam fuisse apprehensionem; si verò sequatur ut illius apprehensionis, Ens rationis Logicum; quod est genus; Sequitur illam apprehensionem fuisse malam, nam Ens rationis malum est secutum.

DICENDUM EST I. *Ens rationis Chimæri cum non esse objectum Logicæ.*

PROBATUR. Quia illud potius ad Metaphysicam spectat, quæ sicut Ens reale considerat; ita & oppositum illi Ens fictum, considerare debet, & quæ rationes probant operationes intellectus esse objectum Logicæ; eædē evincunt, quod Ens chimæricum non sit tale objectum.

DICENDUM EST II. *Ens rationis Logicum, tam illud directivum, quam illud per modum signi acceptum, non èsse objectum Logicæ.*

Quoad primam Partem.

PROBARI POTEST CONCLUSIO I. Illa Idea quæ dirigeret operationes, non dirigeret primam operationem. Ergò & reliquas. Antecedens probatur. Hoc ipso enim illa non esset prima, cum supponeret aliam priorem se, quæ illi esset, per modum Ideæ.

RESPONDERI posset huic argumento. Retorquendo illud, quod primus actus Logicæ non posset fieri à Logica artificiali. Ergò & reliqui non dirigentur à Logicâ artificiali.

PROBARI II. POSSET. Illa ipsa Idea non habet rectitudinem ab alia idea, alias iretur in infinitum. Ergò hæ ideæ non sunt tale objectum.

RESPONDETUR. Sicut primus actus Logicæ potest habere rectitudinem non à Logicâ artificiali, sed à naturali, nec erit necesse in hoc ponere processum in infinitum. Ita & in præsenti. *Hinc aliter*

PROBATUR III. CONCLUSIO. Quia non experimur nos necessariò & semper istas Ideas inspicere. Et deinde, quia sufficiens est intellectus independenter ab istis Ideis unà cum Logicâ, facere istam rectitudinem. Ergò est superflua inspectio illarum Idearum tanquam objecti. Et si reliqui habitus Practici ideas tales non habent pro objecto, sed potius opera, ita & in præsenti.

Quod verò Entia Rationis per modum signi accepta non sint objectum.

PROBATUR. Entia rationis directiva per modum

modum signi habent rectitudinem ab operationibus rectis, vel pravitatem â pravis : illud quippe Ens rationis est rectum, quod consequitur ad operationem rectam, illud verò Ens rationis est pravum, quod ad operationem pravam consequitur. Ergò non operationes ab Entibus rationis Logicis, sed Logica Entia rationis, ab illis operationibus, debent habere rectitudinem.

Deinde pro illo priori, quo illud signum antecedunt operationes, competit illis rectitudo. Ergò illa non rectè desumetur à dictis signis.

DICENDUM EST III. *Ens rationis Logicum si ad mentem S. Thomæ sumatur, est objectum Logicæ.* Supponit Conclusio quod nomine Entis rationis venire possint etiam ea, quæ efficiuntur ab intellectu immanenter, & sic operationes & conceptus nostri erunt entia rationis. Hoc supposito.

Probatur Conclusio. Operationes intellectus rectificabiles, sunt objectum Logicæ. Sed istæ ad mentem S. Thomæ sunt Ens rationis, ut videre est 1. 2. q. 90. art. 1. ad 2. Et primo poster. lect. 1. dicit Logicam esse de operationibus Rationis, seu Intentionibus rationis. Et in primum dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 3. *Ens rationis*, inquit, *seu Ratio dupliciter sumitur, quandoque enim Ratio est ratiocinante scilicet ipse actus rationis, vel potentia, quæ est ratio, quandoque ratio est nomen Intentionis, sive secundùm quod significat definitionem rei, prout Ratio est Definitio, sive prout Ratio dicitur Argumentatio.* Item S. Th. apud Sanchez. citatus 9. proœmiali l. 7. titulo Decisio quæstionis expresse ait: *Quemadmodum ratio artem fabrilem invenit, ut actus, qui per manum exercentur, secundùm rationem dirigantur, eodem pacto ratio ipsa invenit artem Logicæ, quæ directiva esset ipsius rationis actuum, per quam homo in actibus Rationis ordinatè, & faciliter & sine errore procederet.* Hinc quando 4. Metaph. lect. 4. & opusculo de natura Generis c. 4. assignat pro objecto Ens rationis Logicum, hoc ipso intelligere est, quod operationes intellectus, cum illæ cum Entibus rationis Logicis apud illum sint idem. Cæterum sub nomine Entis Rationis Logici etiam ad mentem S. Thomæ sumpti, non debet statui objectum Logicæ. Ratio, quia hoc nomen est æquivocum.

OBJICITUR I. ab Auctoritate.

I. AUCTORITAS EST Arist. 4. Metaph. tex. 4. Ubi ait Dialecticam & Metaphysicam tractare de omni Ente. Atqui Dialectica non tractat de omni Ente reali. Ergò de Ente Rationis.

RESPONDETUR. Sicut dum Metaphysica tractat de omni Ente, non debet intelligi non nisi Ens Rationis, hoc ipso enim non tractaret de omni Ente, ita nec Dialectica æquiparata ab Aristotele Metaphysicæ, de eodem tractabit. Dici etiam potest quod tractet Dialectica de omni Ente reali, præscribendo regulas illud attingendi.

II. AUCTORITAS est S. Thomæ, sed ea explicari debet secundùm Conclusionem tertiam.

III. AUCTORITAS axioma commune. Quod contratiorum sit eadem disciplina.

RESPONDETUR. Argumentum multum probate, quia probaret Physicam de Cœlis etiam fictis discurrere. Deinde quamvis contrariorum eadem sit disciplina, sequetur quidem, quod contraria ad idem objectum attributionis revocentur, non autem quod sint ipsum objectum attributionis.

OBJICITUR II. Definitio est ordo Generis ad differentiam, ejusque rectificabilitas in hoc ordine stat, hic autem ordo est Ens rationis, & sic de reliquis. Ergò Ens Rationis erit objectum.

RESPONDETUR. Dirigibilitatem ex modo nostro concipiendi esse ordinem quendam, sed non in re. Dirigibilitas autem in re, est ipsa operatio intellectûs, conformis præceptis.

OBJICITUR III. Logica considerat Prædicamenta & prædicabilia, Et prædicamenta, secundùm quod considerantur à Logica, non sunt Entia realia, aliàs considerarentur sub eadem ratione, sub qua considerantur à Metaphysica. Ergò considerantur à Logica prædicamenta, ut sunt Entia rationis. Prædicabilia etiam sunt entia rationis, ergò Logica considerat entia rationis.

RESPONDETUR. Prædicabilia esse Universalia, adeoque non Entia Rationis. Et licèt Logica consideret prædicamenta, secundùm quod sunt Entia realia, differret à Metaphysica, quia considerabit ea, secundùm quod subsunt Definibilitati, Divisibilitati &c.

OBJICITUR IV. Logica accipit speciem ab ENTE Rationis, unde & vocatur Rationalis scientia.

RESPONDETUR. Sicut voces non sunt objectum Logicæ, licèt à vocibus Logica denominetur Logica; ita, quamvis Logica sit scientia rationalis, non erit necesse ut pro objecto dicat entia rationis. Præcipuè cum etiam denominetur rationalis scientia Logica à Ratione, hoc est, Operationibus intellectus, non ab Entibus Rationis Logicis.

OBJICITUR V. Si Logica tractans de Definitione, Divisione &c. tractaret de ENTE reali. Definitio & Divisio, vel esset Substantia vel Quantitas, vel Qualitas.

RESPONDETUR. Esse Qualitatem.

INSTABIS. I. Ergò non distinguetur Logica à scientiis realibus.

RESPONDETUR. In quantum conceptus mentis, non sint quid fictum, in tantum possunt dici res, & hoc sensu erit etiam Logica realis; licèt sit rationalis, in quantùm Ratio sumitur pro Intentione.

INSTABIS II. Si objectum Logicæ est quid reale, vel abstrahit ab omni materiâ, vel non, si abstrahit, Ergò est Metaphysica; si non abstrahit, Ergò coincidit cum Physica.

Respondetur Quamvis abstraheret ab omni materia, non esset Metaphysica, quia scientiæ, ut probavi ante, non per abstractionem specificantur, quæ verò abstractio competat Logicæ, superius habetur.

Instabis III. Si objectum Logicæ est quid reale, sequitur illam nobiliorem esse Mathematicâ & Ethicâ. Mathematicâ quidem, quia nobilior est quantitate, operatio intellectus: Erit etiam præ Ethica nobilior, quia nobiliores sunt actus intellectus, actibus voluntatis.

Respondetur. Diverso respectu nobiliorem esse præ his Logicam. Vincitur tamen à Mathematica in hoc; quia illa non nisi demonstrativè procedit. Ab Ethica etiam vincitur, quia præstantius est habere & rectitudinem naturæ, & rectitudinem artis, & rectitudinem moralem, quæ rectitudines competunt actui Ethico; Actui verò Logico, competit rectitudo, non nisi naturæ & artis.

Objicitur VI. Definitio & Divisio, scripta, vel vocalis, spectat ad Logicam, non spectaret autem, si Ens rationis non esset objectum, quid enim commune esset scripto, voci, &c. cum operatione intellectus.

Respondetur. Revocari hæc tanquam signa manifestativa conceptuum.

DIFFICULTAS II.

An Voces sint Objectum Logicæ.

Præmitto I. *Nomine Vocum venire posse vel voces Internas, vel Externas.* Vox interna est: Verbum mentis & locutio, per quam manifestat sibi ipsi intellectus objectum: ut fusius in Animastica, & aliquid DEO volente innuetur in materia de Universalibus. Vox autem externa est sermo, qui conceptus nostros internos manifestare natus est alicui.

Nominales censentur voces internas pro objecto Logicæ statuisse. Nam Occham Princeps nominalium conceptus mentis dicit esse objectum Logicæ. Voces autem externas, censentur pro objecto statuisse, Aureolus & Aphrodisæus;

Præmitto II. *Voces externas quæ sint sonus articulatus, spectare ad Animasticam,* in quantùm tractat de sensibus. Quà verò sunt certo modo pronuntiabiles, construibiles, spectant ad Grammaticam: quà faciunt ornatam locutionem, ad Rhetoricam, qua poscunt habere numerum & concentum, spectant ad Musicam & Poeticam, quà sunt Entia, ad Metaphysicam, quà sunt quid corporeum, spectant ad Physicam.

Præmitto III. *Restare ut quæratur, an voces manifestativæ conceptuum spectent ad Logicam.*

Dicendum Est. *Voces non esse objectum Attributionis Logicæ per se & adæquatum.*

Probari Solet I. Sublatis & impossibilibus vocibus, potest esse Logica, nam sublatis vocibus, potest fieri apprehensio, enuntiatio, syllogisatio. Ergò non sunt per se objectum Logicæ. Objectum enim per se & Attributionis Logicæ, est tale, ut illo sublato, tolli debeat Logica.

Probari Solet II. Passiones quas demonstrat Logica de suo objecto, non conveniunt per se vocibus, nam generare scientiam, est proprietas objecti Logici, & non est proprietas vocum. Veritas item & falsitas non est propriè in vocibus, unde & mendacium non est contra vocem, sed contra mentem: quod si definitiones primò & per se convenientes objecto Logicæ, non demonstrantur de vocibus, jam voces non sunt per se objectum, nam de eo, quod est per se objectum, per se debent demonstrari passiones.

Confirmatur. Quia multa sunt considerationis Logicæ, quæ non sunt voces, ut operationes internæ Logicæ. Deinde Logica naturalis potest esse sine vocibus, ut in mutis, qui utique discursus naturales faciunt. Ergò & Logica artificialis, nam Logica artificialis & naturalis, habent se, sicut Perfectum & Imperfectum, porrò perfecti idem est objectum, quod & imperfecti ut v. g. Oratoris perfecti objectum est Oratio, ita etiam imperfecti objectum est Oratio. Quod si imperfecti habitus, hoc est naturalis, objectum non sunt voces, nec etiam erunt objectum perfecti habitus, hoc est, artificialis Logicæ.

Probatur III. Conclusio. Datur actus aliquis Logicæ, qui non habet pro objecto voces. Ergò &c. Antecedens probatur. Primus actus Logicus, antequam exprimatur vocibus, est verè Logicus, & tamen non habet pro objecto voces. Quod actus Logicus antequam vocibus exprimatur, sit verè Logicus. Probo. Antequam exprimatur actus Logicus, illa vox expressiva actus Logici, vel est expressiva actus Logici, vel actus non Logici; non potest dici quòd sit expressiva actus non Logici, quia ejus actus est expressiva, antequam eum exprimat, quem postea de facto exprimit: sed exprimit Logicum. Ergò de facto antequam exprimat, ille actus est Logicus. Quòd verò actus Logicus antequam vocibus exprimatur, non habeat pro objecto voces. Probatur. Illud est objectum primi actus Logici, v. g. hujus Definitionis: Homo est animal rationale, circa quod versatur ille actus. Sed non versatur circa voces, objectum enim istius Definitionis est essentia hominis: Quod si actuum Logicæ objectum non sunt voces, nec habitus Logici objectum erunt voces. Idem enim debet esse objectum habitus quod & actuum.

Non Nego tamen pertinere voces ad objectum Logicæ reductivè, quia nulla ars v. g. docet medium terminum in prima Figura subjici debere in Majori.

Unde Logica ordinando conceptus internos ordinat simul voces illorum conceptuum expressivas

pressivas ; non spectant tamen illæ voces ad objectum Logicæ, nisi per accidens, quia impossibilibus illis ut dixi, posset adhuc Logica esse in se, ut ante integra.

Objicitur I. Si quis immemor definitionis mentalis, eliciat cognitionem definitionis vocalis, qua dicat : Definitio vocalis est Oratio vocalis, vocaliter manifestans naturam rei per genus & differentiam : hæc cognitio habet pro objecto voces, nec potest pertinere ad aliam scientiam, nisi ad Logicam. Ergò Logica pro objecto habet voces.

Respondent aliqui apud Arriagam non omnes cognitiones, quæ dantur, debent esse cognitiones, quæ habeant propriam scientiam. Vide illum disp. 2. Sec. 3. num. 21.

Respondetur. aliter distinguendo subsumptum. Sed hæc cognitio non potest ad aliam scientiam pertinerere nisi ad Logicam saltem reductivè, Concedo. per se & primario Nego. Distincto; Consequenti, nego Consequentiam.

Objicitur II. Quidquid considerat Logica, est aut Terminus, aut Propositio, aut Syllogismus. Hæc omnia sunt voces. Unde Terminus definitur : esse vox terminans propositionem. Propositio est Oratio verum aut falsum enuntians. Ergò voces sunt objectum Logicæ.

Responderi Solet I. Distinguendo. Hæc omnia sunt voces propriè, & rigorosè. Nego. Figuratè concedo. Assumuntur enim voces ad significandos conceptus internos, & eorum ordinationem ; ad eum modum, quo signum pictum in Sphæra, vocatur Gemini Cancer, Leo, quantumvis hæc signa in Cœlo sint, & in ejus zodiaco.

Respondetur II. Hæc omnia esse voces internas, quæ voces internæ idem sunt cum operationibus intellectus nostri. Hinc & Logica vocatur sermocinalis scientia, à nomine Græco Logos, quod significat verbum internum.

Objicitur III. Habitus Progymnasmaticus seu Præexercitatorius debet versari circa materiam fictam consimilem veræ. Ita habitus gladiatorii præexercitatorii objectum sunt gladii lignei, cum postea ipsa gladiatoria, utatur ferro. Sed Logica est habitus Præexercitatorius. Ergò objectum illius debet esse aliquid fictum, non commodius quam voces externæ ; nam hæ consimilitudinem habent cum internis vocibus seu conceptibus. Ergò voces externæ, sunt objectum.

Respondetur. Logicam impropriè esse habitum præexercitatorium. Nam habitus propriè præexercitatorius, essentialiter habet idem objectum, cum eo habitu, ad quem præexercitat ; essentialiter autem aliud est objectum Logicæ ab aliis scientiis. Est tamen Logica habitus progymnasmaticus impropriè, quia scilicet ad perfectius acquirendas scientias, præsupponitur.

Objicitur IV. Ethica, & instrumentum ejus Prudentia, non solum dirigit actiones internas, sed etiam externas. Ergò & Logica non solum dirigit voces internas sed etiam externas.

Respondetur. Nec Ethica primo & per se dirigit actiones externas, sed tantùm reductivè spectant ad Ethicam actiones externæ : sicut & voces ad Logicam.

Instabis I. Voces si non considerantur per se, nec reductivè spectabunt jam ad Logicam, quod probatur. Ad Grammaticam tanquam ad instrumentum generale omnium scientiarum spectat directio vocum.

Respondetur. Directio Grammatica spectat ad Grammaticam, non verò Logica.

Instabis II. Nulla directio vocum est Logica, quia constructio vocum externa correspondens interiori conceptuum coordinationi, spectat ad solam Grammaticam.

Respondetur. Coordinationem prædictam vocum externarum prout secundùm leges Grammaticæ fiunt, spectare ad Grammaticam ; non verò prout secundùm leges Logicas, quæ enim rogo æquivalens est regula in syntaxi, huic : Prima prius subjicit, ad quam solam spectat dicere, subjectum substantivum concordat cum adjectivo prædicato, in Genere, Numero & Casu. Et sicut bona coordinatio vocum, prout connotat numerum & pedes, propriè est ex legibus Poeticæ ; ita coordinatio vocum, prout secundùm leges Grammaticas spectat ad Grammaticam, prout verò fit secundùm leges Logicas, spectabit ad Logicam. Ita sphæra, prout fit secundùm leges architectonicæ spectat ad Architectonicam, prout verò repræsentat sydera, spectat ad Mathematicam. Unde & voces secundùm constructionem Grammaticam ad Grammaticã spectabunt, prout verò secundùm leges Logicas fiunt, pertinebunt ad Logicam.

Instabis III. Si aliquomodo spectat ad Logicam vocum coordinatio, surdus & mutus esset imperfectus Logicus, nam hanc notitiam vocum non habet, per quam aliquem actum Logicum exercere possit.

Respondetur. Cum perfectio sit spectanda non secundùm ea, quæ accidunt. Diximusque supra, per accidens spectare ad Logicam directionem vocum, benè salvabitur perfectio Logicæ sine vocibus : & sicut esse capronatum, non est imperfectio hominis, quia esse capronatum accidit illi, ita nec erit imperfectus Logicus mutus, quia per Accidens spectant voces ad Logicam.

Objicitur V. Omne manifestativum ignoti ex noto, est modus sciendi. Voces sunt manifestativæ. Ergò sunt modus sciendi : Modus sciendi est objectum Logicæ. Ergò & voces.

Responderi Solet I. Falsa est Major, nam frons & vultus manifestant ignotum, nec tamen sunt modus sciendi, saltem non sunt sciendi modus, pertinens ad Logicam.

Responderi Solet II. Per accidens voces esse manifestativas ignoti, quia scilicet conceptus

ceptus noſtros non in illiſmet ipſis manifeſtamus aliis, ut faciunt Angeli, & beati, ſine corpore in cælo exiſtentes.

RESPONDETUR III. Tranſito toto argumento. Nego ſubſumpti Antecedens. Nego enim omnem modum ſciendi, eſſe objectum per ſe Logicæ.

NOTO. Non poſſe cognoſci cognitionem vocum, quin cognoſcantur voces, quia cognitio vocum eſt repræſentatio vocum, ſi eſt repræſentatio vocum, neceſſario voces cognoſci debebunt, tanquam repræſentatum, tanquam terminus, ad quem dicit ordinem eſſentialem, repræſentatio. Sed nego illas hoc ipſo fore objectum immediatum, & per ſe, ad eum planè modum, quo definitio cœli ſpectat ad Logicam, conſequenter, neceſſariò tunc cœli cognoſcuntur, cœli tamen, non niſi remotè, ſunt objectum Logicæ.

DIFFICULTAS III.

An res ſint Objectum Logicæ.

DICENDUM EST. *Res non eſſe objectum Logicæ proximum & immediatum, eſſe tamen remotum.* Ita Arriaga, Oviedo & cæteri Eſt contra Jandunum.

Quod non ſint Objectum immediatum.

PROBATUR I. Si Logicæ objectum immediatum eſſent Res; eſſent objectum ut cognitæ. Sed ut cognitæ non ſunt objectum immediatum. Ergò &c. Major conſtat confeſſione adverſariorum, & probatur. Quia habitus cognoſcitivi objectum, debent eſſe res ut cognitæ, ſicut objecti viſivæ potentiæ, ſunt res ut viſibiles. Sed Logica eſt habitus cognoſcitivus. Ergò objectum illius debent eſſe res ut cognitæ. Minor principalis probatur Quia immediatum objectum Logicæ ut dictum ſupra, ſunt operationes, intellectus, Res autem non niſi in tantùm, in quantùm præſentantur ab illis operationibus. Ergò non ſunt immediatum objectum. Objectum enim immediatum, non eſt quod attingitur ratione alterius. Res autem attinguntur à Logica ratione operationum.

PROBATUR II. Quia circa illud practicè verſatur & immediatè Logica, in quod immediatè inducit rectitudinem ſuam, ſed immediatè inducit rectitudinem ſuam, in operationes intellectus, non in Res. Ergò &c. Minor probatur. Inintelligibile enim eſt, quomodo res dirigantur immediatè.

PROBATUR III. Logica eſt habitus reflexivus, ſi eſt habitus reflexivus, jam immediatum ejus objectum non erunt res, non enim in res, ſed in noſtras operationes fit reflexio.

Quod verò ſint objectum remotum. Hoc inde, Probo. Quia impoſſibile eſt cognitionem attingi ab aliqua ſcientia, & ulterius illa mediante, objectum cognitionis illius non attingi. Ergò cùm cognitiones noſtræ attinguntur à Logica, illis mediantibus attinguntur & ipſæ res cognitæ.

ADDO tamen res quidem cognitas eſſe objectum Logicæ remotum, ſed non illas tantùm, quia Logica conſiderat remotè etiam modos, & formalitates rerum, item Entia rationis, quæ non ſunt res.

ADDO item. Res eſſe quidem remotum de facto objectum Logicæ, quia de facto cognitiones ejus, ſunt de rebus; ſed non ſunt neceſſariò de rebus, quia poſſunt operationes Logicæ verſari circa cognitiones noſtras. Hinc & Ariſtoteles ut oſtenderet non neceſſariò verſari circa res Logicam, ſyllogiſmorum exempla, aut in falſis materiis, aut in alphabeto oſtendit.

OBJICITUR I. Auctoritas Ariſtotelis qui 4. Metaph. tex. 35. docet Dialecticam de omni re, ſeu Ente agere. Ergò res ſunt objectum Logicæ.

RESPONDETUR. Me non negare res eſſe objectum Logicæ, ſed tantum nego illud eſſe immediatum.

OBJICITUR II. Auctoritas D. Thomæ & doctrina communis Theologorum. Ex viſione DEI, & ipſo viſo DEO, conflatur unus finis totalis. Ergò etiam ex cognitionibus, & rebus cognitis, conflabitur unus finis Logicæ, finis verò Logicæ eſt objectum Logicæ. Ergò objectum Logicæ, ſunt res & cognitiones.

RESPONDETUR. Ex illo Antecedenti ſi valeret univerſaliter Conſequentia multa abſurda ſequerentur. Sequeretur enim de aſino cognitionem in Phyſica, & aſinum eſſe finem Phyſicæ, ſicut cognitio de DEO, & DEUS eſt finis noſter. Diſparitas ita in forma aſſignari poſſet, quia ſcilicet ſi DEUS non eſſet finis noſter, hoc ipſo beatitudo non eſſet finis ultimus, nullus enim ut demonſtrant Ethici, eſt finis ultimus, niſi DEUS. Falſum autem eſt niſi res ſint finis Logicæ, Logicam finem ſuum non habituram. Deinde aliud eſt quærere: An cognitionis repræſentantis DEUM, intrinſecus finis, ſit DEUS, & indubiè eſt, dicit enim Viſio DEI eſſentialem ordinem ad DEUM, ex qua proportione, finis etiam intrinſecus, ſeu dic ſi placet terminus intrinſecus, hoc eſt eſſentialis cognitionis, rem repræſentantis, res erit. Quia tamen hæc repræſentatio dicit illum finem eſſentialem, non qua dirigitur à Logica, ſed non niſi qua repreſentatio rei eſt, ideò adhuc res, non erunt immediatum objectum Logicæ.

OBJICITUR III. Poteſt ex objecto materiali & formali, conflari una ratio objecti, æquè immediata. Ergò ex cognitione & re cognita, poteſt conflari ratio una objecti Logicæ.

RESPONDETUR Diſparitas eſt, quia quando ex objecto materiali & formali fit unum objectum, non apparet quid mediet inter materiale & formale objectum. Quid enim illud? inter res autem ut cognitas mediat ipſa cognitio ut dixi ante.

OBJI-

Objicitur IV. Idem est objectum artis, quod & operationum artis, sed operationum artis v. g. Logicæ, objectum, sunt Res. Ergò & Logicæ objectum sunt Res.

Respondetur. Duplices esse operationes artis. Alias elicitas, hoc est: dictamina & præcepta. Et alias imperatas, hoc est, quæ diriguntur ab illis præceptis & dictaminibus. Dico ergò idem esse objectum artis, quod & operationum elicitarum seu præceptorum, & quia præceptorum objecta, in Logica, sunt ipsæ operationes, dico ipsas operationes esse objectum Logicæ. Sed nego idem esse objectum Artis, quod operationum directarum & imperatarum, quarum objecta, non nego esse Res. Non est autem idem objectum artis, quod & operationum imperatarum ab arte, quis enim dicat plumbum vel lignum esse objectum fabri ferrarii, quia est objectum securis, illud secantis.

Instabis. Hoc complexum ex cognitione & re, est ab aliquo habitu considerabile, & non ab alio, quàm à Logica. Ergò Logicæ objectum sunt res & cognitiones.

Respondetur. Non esse necesse ut hoc complexum ex re & operatione æquè primò sit in aliqua scientia, quæ de facto datur considerabile, sed sufficere quod immediatè considerentur cognitiones à Logica, mediantibus autem cognitionibus, Res.

Objicitur V. Instrumenti & utentis instrumento, idem est objectum, & ita v. g. aurifabri, & ejus mallei, idem est objectum, hoc est aurum. Item; est idem objectum fabri lignarii, hoc est lignum, quod & objectum instrumenti ejus, hoc est securis, sed Logica est instrumentum scientiarum, quarum objecta sunt Res. Ergò & ipsius Logicæ objectum sunt Res.

Respondetur negando Minorem. Negavi enim supra Logicam esse essentialiter instrumentum.

Respondetur. II. Distinguendo Majorem. Idem est objectum instrumenti, quod dirigitur ab utente & utentis instrumento. Concedo. Idem est objectum instrumenti quod dirigit utentem & utentis instrumento. Nego Majorem. Distinctaque Minori. Nego Consequentiam. Quod idem sit objectum instrumenti, quod dirigitur ab operante, & ipsius utentis instrumento, bene probant allata exempla; quòd verò instrumenta, quæ dirigunt operationem, non habeant pro objecto Res, sed operationes agentis; patet in perpendiculo, linea &c. cujus objectum, non est nisi operatio architecti, non autem illud lignum cui applicatur perpendiculum. Logica est instrumentum dirigens operationes, hinc operationes erunt objectum illius, & non Res, circa quas versantur illæ operationes.

Objicitur VI. Finis Logicæ est veritas, Veritas est in rebus. Ergò finis Logicæ & consequenter objectum erit in rebus.

Respondetur negando Majorem. Finis enim Logicæ non est veritas, quæ est conformitas cum rebus, nam hæc pertinet ad illam scientiam, in cujus materia, fit aliquis actus, rectus Logice; sed est veritas, quæ est conformitas cum præceptis Logicis. Aliis Terminis idem dices. Finem Logicæ non esse veritatem in essendo, nam hæc est in rebus, sed veritatem ex modo cognoscendi quam præscribunt dictamina Logica. Et licet habitus cognoscitivi objectum, ex genere suo sit veritas, habitus tamen determinati, certam etiam speciem veritatis sibi determinant, & ita Logica determinat sibi certam veritatem, hoc est, veritatem, quæ sit conformitas cum præceptis Logicis.

Objicitur VII. Ethica habet pro objecto partiali Attributionis Res. Ergò & Logica. Antecedens probatur. Quia actus aliqui Ethici, habent pro objecto Res. Syllogismus enim iste: Bonum sine admixtione mali est melius, quam bonum cum admixtione mali, sed omne creatum bonum est cum admixtione mali, increatum est sine hac. Ergò bonum increatum, est melius quam creatum. Syllogismus inquam iste habet pro objecto Res.

Respondetur negando Antecedens. Probatio ejus secundùm id quod dicit explicitè, habet pro objecto rem. Hoc est bonum increatum, non secundùm id quod dicit implicitè. Implicitè enim dicit operationem voluntatis, talem esse eliciendam, quæ præferat bonum increatum, creato. Quòd verò implicitè ille actus importet operationem voluntatis, hoc inde est, quia in isto actu debet rationem suam formalem invenire Ethica, hoc est conformitatem cum recta ratione à se inducibilem, & cum hæc conformitas, non sit inducibilis in res, seu in bonum increatum, sed potiùs est inducibilis in operationem voluntatis, ideò illam respicere debet, saltem implicitè. Non nego tamen quòd directio, fieri possit, tam per hoc dictamen: præfer bonum increatum creato, quàm per hanc propositionem; Bonum increatum melius est creato. Hæc enim secunda propositio, est imperium æquivalens, ut ostendi supra, habens tamen pro objecto operationem voluntatis, implicitè ut dixi.

QVÆSTIO IV.

De Divisione Logicæ.

EX communi consensu dividitur Logica, in Artificialem & Naturalem. Naturalis Logica est ipse intellectus, qui lumine suo adjutus, sine alio superaddito principio artificiali, potest facere rectas apprehensiones, rectas enuncitationes, rectas illationes. Logica autem artificialis est, quæ præter intellectum & lumen naturale, importat regulas quasdam & dictamina

dictamina practica, quibus informatus intellectus, longè quàm ante, faciliùs, operationes rectas facere potest Rursus Logica Artificialis dividitur, in Actualem & Habitualem. Actualis est ipsa apprehensio, enunciatio, illatio. Habitualis autem Logica est Qualitas ex actibus Logicæ nata, inclinans ad similium actuum productionem.

Actualis deinde & habitualis dividuntur in Totalem & Partialem. Denique tam actualis quam habitualis Logica. Alia est Docens. Alia Utens. Docentem Græci Philosophi appellant Logicam avulsam ab omni materia; Utentem autem volunt esse immersam materiæ. Porrò in re. Logica Docens, est quæ tradit præcepta de rectificatione operationum intellectus. Utens autem Logica, quid sit? variè varii explicant. Sit

DIFFICULTAS I.

Quid nomine Logicæ utentis veniat apud alios.

EXPLICANT I. ALIQVI. *Quòd Logica utens, sit habitus Logicæ, inclinans intellectum, ad usum præceptorum Logicorum, in sola materia propria Logicæ.* Unde docent quod hæc Definitio Physica: Homo est compositum ex materia & forma, nullo modo pertineat ad Logicam utentem. Idem cum his sentiunt qui docent Logicam, nullo modo elicitivè concurrere, ad actus aliarum scientiarum, sed tantùm directivè: Directivè autem concurrere, est concurrere dando præcepta faciendi, sicut facit Magister, quando dicit, sic & sic formandos characteres. Elicitivè autem concurrere, est concurrere coefficiendo, quod faceret Magister, una cum puero formando illos

Hæc Explicatio.

NON SATISFACIT I. Rogo enim quando sentimus facilitatem ab initio, circa objectum physicæ, definiendo, dividendo, enunciando &c. unde hæc facilitas oriatur? hæc facilitas non potest referri in habitum physicæ, quia supponimus eum nondum nos habere. Ergò in Logicam utentem. Neque potest facilitare Physica, hon enim ipse esset Logica, quia in modo facilitandi, cum Logica conveniret.

CONFIRMATUR. In materia Logica, id quod facilitaret ad usum præceptorum, est Logica utens. Ergò & in materia aliena, idem quod facilitabit, erit Logica utens.

RESPONDEBIS. I. Disparitas est, quia neque Definitiones facit, neque Divisiones in materia aliena, Logica.

CONTRA EST. Hoc est petere principium, de hoc enim quæritur. Deinde unde illa facilitas in usu præceptorum Logicæ etiam in materia aliena?

RESPONDEBIS II. Facilitatem referri in ipsam directionem & in præcepta, in quibus nos frequenter exercemus.

CONTRA EST. Non potest hæc facilitas referri in Logica, circa usum præceptorum, in ipsam Logicam docentem, alias tolleretur distinctio inter illas, contra quam docebimus. Ergò neque potest referri in materiis aliarum scientiarum.

RESPONDEBIS III. Disparitatem esse, quia si Logica utens, in materia aliena, inclinaret intellectum ad usum præceptorum Logicorum, tunc & esset Logica, & non esset, esset ut dicimus, non esset, quia circa alienum objectum, ultra suam abstractionem versaretur.

CONTRA EST. Concedo, quòd circa alienum objectum versaretur tunc Logica utens; sed nego, quòd non sub abstractione sibi debita, nego quòd non sub ratione formali sibi competente, id est sub ratione rectificabilis operationis in usu.

NON SATISFACIT. II. Hæc explicatio. Quia potest Logica utens rationem formalem, circa quam versatur, reperire in materiis aliarum scientiarum, quod ita probo. Ratio formalis Logicæ utentis est rectitudo, in quantum est in usu, sed potest esse in usu rectitudo operationum in materiis aliarum scientiarum. Ergò potest in materiis aliarum scientiarum, esse ratio formalis, utentis Logicæ.

DICES I. Logica est Ars. Ars non efficit suum objectum, sed ad illius effectionem tantùm potentiam dirigit. Ergò & Logica. Minor probatur, quia certè actus intellectus architecti, domum physicè non facit.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multum probat. Probaret enim quòd etiam in materia propria, his præceptis non utatur Logica, nam etiam tunc est Ars.

RESPONDETUR II. Negando Minorem. Probatio ejus est vera de effectis, quorum positio, pendet à potentia condistincta, intellectus enim non ædificat sed manus. Falsum tamen id est in illis, quorum executio & directio, ab eadem potentia pendet, nec oppositum probatur, intellectus autem dirigit & ponit suas operationes.

DICES II. Prudentia in actus aliarum virtutum, nonnisi directive influit. Ergò & Logica utens.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam Quia in actibus virtutum qua tales sunt, non invenit rationem suam formalem prudentia, quid enim commune est prudentiæ & pauperati? Rationem autem suam formalem in materiis aliarum scientiarum, invenit Logica.

RESPONDETUR II. Negando Antecedens & dicendo, quod actum v.g. fortitudinis, eliciat, & habitus fortitudinis, in quantùm ille actus est erectio animi, & simul eliciat habitus

pru-

prudentiæ, in quantùm actus fortitudinis, est conformis rectæ rationi, sed quia rarò fit ut fortitudinis actus, etiam sub formali ratione prudentiæ, procedat in suo elici, ideò negati etiam potest Consequentia.

Dices III. Habitus Logicæ utentis non producitur usquam ab actibus aliarum scientiarum. Ergò nec facilitat ad illos.

Respondetur. negando Antecedens. In quantùm enim actus scientifici v.g. physici, sunt per rationem formalem debitam objecto Physicæ, in tantùm augent habitum physicum, in quantùm verò sunt conformes dictaminibus Logicis, augent habitum Logicum. Logica etiam utens, non censetur dissimiles sibi producere actus, quando ad actus aliarum scientiarum concurrit, quia elicit illos, in quantùm sunt similes in rectitudine. Per hoc tamen non assero, quòd actus utentis, producant actus aliarum scientiarum, Actus enim non producunt physicè alios actus, sed hoc pertinet ad potentiam & ad habitum. Unde etiam nonnisi ipse habitus utentis, concurrit ad actus aliarum scientiarum.

Explicant II. Aliqui. *Logicam utentem, & cum his Oviedo. Quòd sint omnes aliæ scientiæ, quæ utuntur præceptis Logicis*, ita ut Physica & Metaphysica, & Mathematica, in quantùm in suis actibus, utuntur directione Logica, sint non tantum in ablativo casu utentes Logicâ, sed etiam in Nominativo, sint Logica utens. Probantq; Quia nihil obstat.

Hæc Explicatio

Non Satisfacit I. Quia non potest dici utens Logica, quod non est Logica, sed alii habitus v.g. Physica, Metaphysica, non sunt Logica. Ergo neq; sunt utens Logica. Major Probatur à Pari. Non potest dici animal rationale, quod non est animal. Ergo etiam non potest dici utens Logica, quod non est Logica. Ratio hujus à priori est, quia membra dividentia totum aliquod potestativum, debent in recto participare divisum; cum ergo Logica dividatur in Utentem & Docentem, hæc membra dividentia, debent participare rationem hujus divisi, quod est Logica. Hic discursus est ex Arriaga.

Respondebis I. Quod divisum, si sit univocum, debeat participari à membris dividentibus, ut cum à rationali & irrationali participatur ratio animalis; sed si divisum sit Analogum, nihil officiet, etiamsi non participetur à membris dividentibus, sic v.g. sanum, dividitur rectè in animal quod est sanum & in medicinam; quæ causat sanitatem, & in pulsum, qui est index sanitatis &c. Et ita inquiunt divisio Logicæ in Docentem & Utentem, est divisio totius potestativi Analogi.

Contra est, hujus Analogi divisio ita dividitur à suis membris, ut semper prædicari possit sine addito de suis dividentibus membris, quamvis cum alia & alia explicabilitate, & ita v.g. & medicina dicitur sana, id est causa sanitatis; & pulsus dicitur sanus, id est index sanitatis. Ergo etiam & de dividentibus suis membris, hoc est de Physica & Metaphysica, prædicari poterit sine addito, Logica.

Respondebis II. Quod Physica & Metaphysica secundùm substantiam non sit Logica, sunt tamen secundùm formam artificialem Logicam.

Contra. Quia substantia Logicæ, est forma artificialis Logica. Ergò si physica & Metaphysica sunt Logica, secundùm formam artificialem Logicam, erunt in substantia Logica: & sicut si aliquid entitatem alicujus haberet, rectè diceretur esse illud Ens, id enim deposcit identificatio; ita si physica & Metaphysica, habent substantiam Logicæ, hoc ipso sunt substantialiter Logica. Quòd autem substantia Logicæ, sit forma artificialis Logica, colligitur ex eo, quia quid aliud est substantia illius? cùm ipsas operationes per formam Logicam sibi determinet.

Respondebis. III. Quod Logica ut sic contineat sub se Metaphysicam & Physicam, & est genus ad illas, nihil enim aliud est, nisi artificium logicum.

Contra. Tum quia si Logica est genus ad alias scientias, tunc jam non erit universalissima scientia Metaphysica, utpote, contenta sub Logica, nec jam scientiæ abscindent sibi particulam Entis, quod est objectum Metaphysicæ, sed abscindent sibi particulam Logicæ. Tum quia videtur esse hæc responsio, contra communem Philosophiæ sensum, contra quem nulla evidenti ratione probatur, & in nostris principiis falsum est, quod ad illas scientias spectet illo artificio uti, sed utuntur aliæ scientiæ, ipsa Logicâ influente in aliarum scientiarum actus. Tum quia multa hic explicari deberent. Imprimis, ista Logica ut sic spectata, estne practica an speculativa? si practica, ergò & aliæ scientiæ ex hoc suo genere erunt practicæ, si speculativa, quomodo illa ipsa erit practica simpliciter? Explicari rursus deberet illa Logica, quæ est genus ad Metaphysicam, Physicam &c. vel est genus ad se ipsam, vel non est genus ad se ipsam: si est genus ad se ipsam, non erit jam hæc Logica, de qua quæritur: an illa dici possit in recto de Metaphysica, quia hæc non est sibi genus, sed in se, certus modus sciendi: si non est genus ad se ipsam, cur cum sit conspecies generis hujus, quod est scientia, evadit postea genus, suarum conspecierum. Quod autem de Deo, qui est quid universalissimum possit prædicari Ens reale, exinde habetur, quia ens reale non est conspecies Dei, sed semper genus, jam autem Logica, est conspecies Metaphysicæ.

Non Satisfacit II. Non potest dici, quod utens securi, sit in recto utens securis, utens gladio, sit in recto utens gladius, neq; id excusari potest per ullam Analogiam. Ergo & aliæ scien-

tiæ utentes Logicâ, non possunt dici utens Logica.

Respondetur. Dispar esse, quia securis non potest esse ratio analoga, respectu instrumenti ferri, & respectu manus utentis instrumento, sicut Logica ut sic, potest esse ratio analoga, respectu artis docentis, & respectu habitus definientis: stabit autem Analogia in similitudine artificii Logici & in dissimilitudine, quia in Logica forma illa invenitur activè, passivè in aliis scientiis.

Contra. Securis, non est Analogum quid ad manum utentem, ergo nec Logica est quid Analogum ad alias scientias, quæ ea utuntur. Hocq; ipsum negatur, formam Logicam inveniri in aliis scientiis passivè, quasi non Logica ad illos actus secundùm artificium concurrat, qua aliæ scientiæ utuntur.

Non Satisfacit III. Neq; enim potest dici, quòd Logica, sit Physica, qua utens Logica. Ergò etiam non potest dici quod Physica sit utens Logica, quia sicut confunderetur ratio Logicæ, si de illa quomodocunque diceretur Physica, ita confunderetur ratio Physicæ, si de illa diceretur, quod sit utens Logica, non confunditur autem ratio Physicæ, quando de illa dicitur, quod utatur Logicâ, nam non confunditur ratio Logicæ, si dicatur esse instrumentum scientiarum, si dicatur esse Organum, quod idem est, ac quod Logicâ, utantur scientiæ.

Dices I. Actus externus humilitatis vocatur humilitas. actus externus prudentiæ vocatur prudentia, idq; ideò, quia actus externi sunt Consummationes internarum virtutum. Ergò & scientiæ vocari possunt utentes Logicæ, quia sunt consummationes.

Respondetur. Negando Consequentiam. Quia argumentum multum probat, si enim ex eo quia actus externus humilitatis vocatur humilitas, sequitur scientias utentes Logica, esse utentes Logicas; sequeretur etiam Dominum utentem servo, posse vocari servum utentem, scriptorem calamo scribentem, posse vocari calamum scribentem. Disparitas ergo in forma est, quia usus obtinuit, ut ea quæ habent honestatem derivatam ab actu interno, habentq; eandem formalitatem bonitatis, & sunt velut indicia eorum & signa, eandem honestatem participant, sicut participant & nomen; jam verò non habent eandem formalitatem Logica docens & utens. Et insuper, ea, quæ ad aliud per modum instrumenti comparantur, non solent vocari eodem nomine, ut patet in adlatis de servo, quem instrumentum animatum appellat Aristoteles, de sera, calamo & cæteris instantiis. Logica autem respectu aliarum scientiarum, habet se per modum instrumenti.

Dices IV. Quod recipit formam Logicam veluti quoddam sigillum, potest dici Logica passivè, adeoq; Logica utens, sed omnis definitio v.g. in materia aliarum scientiarum, est quod recipit formam Logicam, seu est usus principiorum Logicorum. Ergò. Major probatur, nam quod fit juxta regulas statuæ, seu quod recipit formam statuæ, vocatur statua, & sic de similibus.

Respondetur. Argumentum multum probare, quia probat alias scientias & actus illarum, esse Logicam docentem, recipiunt enim formam Logicæ docentis, ita vel ita argumentandum esse. Vi ergò hujus, negatur minor. Deinde diximus aliàs, quòd ad omnem actum scientificum, procedentem secundùm regulas, influit ipsa Logica per se, qua utuntur scientiæ; unde quòd recipit formam Logicam ex influxu ipsius Logicæ proprio, est actus Logicæ utentis; sed nego hanc receptionem formæ Logicæ, haberi ab ipsismet aliis scientiis, consequenter nec illæ erunt, utens Logica. Addo etiam posito influxu proprio Logicæ utentis, prout condistinctæ ab omnibus aliis scientiis, actus illius non dicentur Logica utens, sed actus Logicæ utentis, cujus oppositum ponit objectio.

Ex occasione hujus argumenti, confirmatur conclusio imprimis, ut scientia à non esse Logicæ utentis transeat ad esse Logicæ utentis, debet dari sufficiens mutatio, usus autem principiorum, facit quidem ut dicantur illæ scientiæ utentes Logicâ, sed per quid transibunt ut dicantur Logica utens. Deinde videtur hæc quæstio esse de voce, & cùm alia quæ utuntur, non dicantur ipsum illud, quo utuntur, nec hîc id eliciendum. Instantia de statua pro nobis servit, nam etiam statua, non dicitur utens statuaria.

Dices V. Quamvis marmor secundùm substantiam non sit statua Cæsaris, secundùm talem figuram, est statua Cæsaris. Ergò & aliæ scientiæ, secundùm talem usum Logicæ, erunt Logica utens.

Respondetur. Marmor appellari statuam, usus habet, non habet autem usus, quod utens, dicatur illud quo utitur. Deinde quia marmor recipit in se formam statuæ, jam autem nulla scientia recipit in se formam Logicam, nec ullus actus; & sicut statua Cæsaris, non appellatur utens statuaria, ita nec scientiæ utentes Logica, possunt appellari, utens Logica.

Explicant Alii III. Quòd Logica utens sit habitus ex sequenti reflexione supra præcepta Logica genitus. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Aliud est reflexio, aliud usus, hic ergo habitus erit inclinativus ad reflexionem Logicam, non verò ad usum. Deinde potest esse usus Logicæ præceptorum sine ulla prævisa reflexione. Ergo reflexio, non est utens Logica. Probatur Antecedens. Potest aliquis descendere in usum præceptorum sine reflexione ad præcepta, sed per solum dictamen, informans intellectum, ut sic vel ita operetur.

DIFFICULTAS II.

Quid nomine Logicæ utentis venire debeat.

Explicatur tandem ratio utentis logicæ. *Quòd sit habitus Logicæ inclinans intellectum, ad*

ad usum præceptorum Logicorum, sive in propria, sive in aliena materia. Est hæc Explicatio communis.

Probatur. Quia datur Logica utens, datur enim usus præceptorum Logicorum, & hæc Logica utens non sunt scientiæ distinctæ à Logica ut probavi, nec etiam est Logica prout præceptis suis utitur, in sola sua propria materia. Ergo Logica utens, est Logica prout utitur suis præceptis sive in propria sive in aliena Materia.

Quæritur I. *An Logica utens utatur suis præceptis in Materiis aliarum scientiarum*, non solum circa probabiles, syllogismos, sed etiam circa demonstrationes aliarum scientiarum. Alii hanc quæstionem ita proponunt: An rectè dividatur Logica in Utentem & Docentem, quoad partem Analyticam seu demonstrativam, quàm quoad partem Topicam & Sophisticam. Respondetur, quòd Logica utatur suis præceptis circa Syllogismos etiam demonstrativos aliarum scientiarum? Est contra Fonsecam, Conimbricenses, & alios apud Oviedo. Ratio est quia utitur Logica suis præceptis in syllogismis probabilibus aliarum scientiarum. Ergo etiam in demonstrationibus. Ratio Consequentiæ est. Quia ideo utitur præceptis in syllogismis probabilibus Logica, quia præcepta sua circa Syllogismi formam in materia probabili exercet, sed idem facit circa demonstrationes. Ergo etiam circa demonstrationes utitur suis præceptis. Quod ipsum Probatur. Quia non alia est forma argumentandi in probabili, quàm in demonstrativo syllogismo.

Dices I. Si Logica utitur suis præceptis in materiis aliarum scientiarum tam circa demonstrationes quam circa probabiles syllogismos, sequeretur illum esse habitum disserendi de omnibus quæ in Theologia, Metaphysica, & cæteris scientiis continentur.

Respondetur. Quod Logicus quà talis, habet habitum in omnibus materiis disserendi, in quantùm discursus requirit rationem formæ syllogisticæ, quæ nonnisi ad solam Logicam spectat.

Instabis. Si Logica uteretur suis præceptis in materia aliarum Scientiarum, circa demonstrationes illarum, sequeretur, quod Logica omnes demonstrationes efficeret, illaq; sola scientia esset, sed hoc falsum est. Ergo & illud ex quo sequitur.

Respondetur. Concedo, quòd Logica demonstrationes omnes conficiat, sed non ipsa sola, totaliter efficit, quia licèt ipsa sola ad dispositionem terminorum concurrat, concurrit tamen v.g. Physica in demonstratione de objecto Physico, tales propositiones, rationes, motiva ad inveniendo ex suis principiis, & ex iisdem principiis deducendo id, quod sub tali præcisè ratione nonnisi à Physica attingibile est. Sic v.g. in hac demonstratione, compositum sensibile debet constare materia & forma. Lignum est compositum sensibile. Ergò debet constare materia & forma. In hac inquam demonstratione dispositio terminorum pertinet ad Logicam, sed medius terminus ordinatur ad objectum physicum, hoc est ad corpus naturale vel Ens mobile. Unde ulterius negatur, quod tota substantia demonstrationis in Metaphysica, pertinet ad Metaphysicam, ratione enim usus formæ syllogisticæ, illa demonstratio spectat ad Logicam utentem.

Dices II. Nulla est necessitas affirmandi quod in materiis aliarum scientiarum utatur suis præceptis Logica, & cur id non potest tribui ipsis scientiis, in quantùm informantur dictaminibus Logicæ docentis.

Respondetur. Hanc esse necessitatem, quia illi actus sunt tribuendi Logicæ utenti, in quibus reperitur ratio formalis usus Logici actus, quod habet Logica utens, in materiis aliarum scientiarum. Quare autem non sufficiat hæc referre in solam docentem, dixi difficultate præcedenti.

Dices III. Logica non utitur in materia propria demonstrativa, suis præceptis. Ergò nec in aliena. Antecedens probatur. Si Logica circa syllogismum in sua materia demonstrativum, uteretur suis præceptis, deberet usus hic condistingui à doctrina Logicæ. Sed non potest condistingui ut probo. Quia demonstrationes, quæ sunt in materia propria Logicæ, non distinguuntur à doctrina Logicæ, quia omnes actus Logicæ, sunt præcepta, quibus docemur conficere instrumenta sciendi.

Respondetur. Negando Minorem. Probationem etiam ejus utramque nego. Propositionem verò illam, omnes actus Logicæ sunt præcepta, distinguo. Omnes actus Logicæ dirigentis seu docentis, sunt præcepta concedo. Omnes actus Logicæ etiam utentis, sunt præcepta, nego.

Quæritur II. *Cur propriissime competat uti præceptis Logicis.*

Respondetur. Propriissimè competit ipsi intellectui. Ratio est, quia illi propriissimè competit uti præceptis Logicis, cui competit ab iisdem instituti, informari, præceptis imbui: Præceptis autem imbui, competit intellectui non Logicæ. Deinde Logica est qualitas inanimata, non cognoscitiva, quomodo ergò utetur propriè præceptis, quæ non cognoscit, ad eum modum quo non posset uti Caji præceptis Personius, si præcepta à Cajo tradita, non cognosceret. Logica tamen vocatur Logica utens, quia causa Logicæ utentis, hoc est intellectus, cognoscit illa præcepta, & utitur illis, ex quo usu nascitur qualitas ad usum similem inclinans. Vocaturq; hæc qualitas Logica utens. Ad eum modum, quo habitus virtutis, dicitur inclinare ad actus honestos moraliter, quantumvis illos non cognoscit, utpote inanimatum quid.

DIFFICULTAS III.

Quomodo Logica docens ab utente distinguatur.

PRÆMITTO I. *Certum esse apud omnes actus Logicæ utentis à Docente distingui connotatis extrinsecis.* Nam actus Docentis dicit dictamen seu præceptum actuale, de opere faciendo, non connotando ipsius operis effectionem. Actus autem Logicæ utentis, connotat ipsius operis effectionem, directam, à docentis Logicæ, dictaminibus.

PRÆMITTO II. *Certum esse apud omnes actum Logicæ Docentis de Definitione, ab actu Logicè utentis de Demonstratione, esse alium realiter.* Ratio est, quia fieri potest, ut aliquis habeat habitum de definitione & non habeat illum habitum de demonstratione. Consequenter nec habitum utentis Logicæ.

PRÆMITTO III. *Habitum Logicæ utentis, qui est productus non ex directione profecta à Logica docente, sed merè ex dictaminibus luminis naturalis, habitum inquam talem Logicæ utentis, ab habitu docentis Logicæ, esse distinctum realiter.* Ut clarescat præmissum. Dico aliquam in usu facilitatem oriri ex directione facta per dictamina Logicæ docentis seu præcepta ejus. Deinde aliqua in usu facilitas oriri potest per dictamina luminis naturalis. Quod aliqua facilitas oriri possit in usu, quæ fiat directione facta, per sola dictamina luminis naturalis. Ratio est, quia devenire tandem erit ad talem directionem, quæ à solo intellectu & lumine illius fiat, ne sit processus in infinitum, unde deveniri debebit ad ultimum resolutorium directionis, quod est lumen naturale. Et cur exercitium frequens ex illis & ita directis actibus, facilitatem seu habitum non pariat? Quantumvis non negem facilitatem illam, quæ sic acquiritur ex actibus, per solum lumen rationis directis, longè gravius molestiusq; obtineri, si quis enim non studens Dialecticæ, solo lumine naturali vellet pervenire ad cognitionem eorum, quæ Dialectica docet, insignem difficultatem pateretur. Ad eum modum quo si quis vellet aliquam artem, sine præceptis discere, acquireretq; habitum per solum suum ingenium, inveniendo id, quod Ars docet, magnam certè difficultatem pateretur. Hunc habitum Logicæ utentis directum à solis dictaminibus rationis, distinctum esse realiter ab habitu Logicæ docentis artificialis. Probatur, quia isti habitus sunt separabiles realiter, inveniri enim potest, ut quis ex solis dictaminibus naturalibus, facilitatem habeat in usu, quamvis non habeat ullam docentem Logicam artificialem, cum tamē alius Logica artificiali informatus, talem facilitatem acquisiverit, consequenter reperitur inter hos habitus separabilitas, adeoq; & distinctio.

PRÆMITTO IV. *Habitum Logicæ utentis, non esse distinctum realiter adæquatè, ab habitu Logicæ totalis.*

RRTIO est. Quia nulla pars est adæquatè distincta à suo toto. Sed Logica utens, est pars totalis Logicæ, conflatæ ex utente & docente. Ergo non sunt distinctæ realiter adæquatè.

PRÆMITTO V. *In hoc esse difficultatem*; An Logica docens & Logica utens superius explicata, quæ sunt quasi species Logicæ totalis, sint inter se distinctæ realiter.

DICENDUM est. *Esse distinctas.*

Probari hæc Conclusio solet variis argumentis, sed inefficacibus, quæ refutata apud impressos videbis.

PROBARI tamen solet & potest I. Alia est realiter difficultas quam tollit Logica utens, & alia realiter quam tollit Logica Docens. Ergo habitus Logicæ utentis & docentis, sunt distincti realiter. Consequentia probatur, nam ex distinctione reali difficultatum distinguuntur realiter habitus, neq; est major ratio, cur tollendæ unī difficultati, opponatur unus habitus, & non opponatur, alteri difficultati tollendæ, alter habitus. Antecedens probatur. Alia est realiter difficultas quam experimur in cognoscendis præceptis syllogismi, & alia difficultas quam experimur in actibus syllogisandi. Hinc potest aliquis scire regulas illas: prima prius subjicit &c. & tamen in prima figura non conficere cum facilitate argumentum, imò experimur eundem medium terminum facilius poni in prima figura, quam in tertia, eo quod major sit usus argumentandi in illa, quam in hac figura.

RESPONDEBIS I. Huic argumento cum Oviedo hic num. 14. quod duplex sit difficultas in actu Logicæ utentis, alia ex parte materiæ, & alia ex parte artificii, difficultas verò, quæ est ex parte artificii, hæc tollitur sufficienter per sola præcepta, difficultas verò, quæ est ex parte materiæ, hæc tolli debet per alios habitus.

CONTRA est. Potest aliquis scire hanc regulam: tertia bis subjicit &c. potest item habere materiam facilem, hoc est A. B. C. & tamen sentiet difficultatem in applicatione hujus regulæ, & positione argumenti hujus in tertia figura. Ergò sola Logica docens, etiam in materia facili, non adfert facilitatem in exercitio actuum Logicorum. Deinde ad tollendas difficultates ratione materiæ ortas, concedi debet distinctus habitus à Logica docente, & cur non dabitur etiam in habitu Logicæ, distinctus realiter habitus à Logica docente, qui superet difficultates ratione materiæ Logicæ, & ratione usūs, sitq; Logica utens.

RESPONDEBIS II. Non sentiri ullam unquam difficultatem in usu præceptorum Logicorum, quando jam sunt cognita præcepta.

CONTRA est. Rogo, an aliquando sentiant homines in aliquo difficultatem? si sentiunt? nego ego, & quod tu pones argumentum ad probandum sentiri in his difficultatem, eodem ego probabo, sentiri in usu præceptorum, & non in sola illorum cognitione difficultatem.

PROBATUR II. Conclusio. Docens causat saltem

tem directivè utentem. Sed non causat seipsam. Ergò docens ab utente distinguitur realiter. Confirmatur, intellectus frequenter se exercendo in dictaminibus docentis, potest acquirere habitum docentis Logicæ. Ergò & frequenter se exercendo in usu Logicæ, potest acquirere habitum utentis.

Probatur II. Et supponitur aliquem esse facilem in cognoscendis præceptis Dialecticis, v. g. in cognoscendo illo præcepto: tertia bis subjicit, vel certè supponamus Deum fecisse decretum, dè concurrendo cum homine ad actus solos cognoscitivos præceptorum, non verò ad actus, qui sint usus præceptorum. His suppositis. Ita argumentor. Ille qui se exercuit & facilitavit in solis cognitionibus præceptorum, jamq; habet habitum Logicæ docentis, vel se facilitavit in usu præceptorum vel non facilitavit, habetq; jam eo ipso Logicam utentem vel non habet; si non habet, Ergò docens & utens sunt sine se reperibiles. Ergò & distinctæ realiter; si verò habet hoc ipso Logicam utentem, qui se exercuit in solis cognitionibus præceptorum, & nunquam habuit illorum usum; tunc quæro? Ille habitus, qui est productus sola cognitione præceptorum, nunquam in usu reductorum, vel esset ad similium actuum, à quibus productus est productionem inclinativus, vel non esset inclinativus; si non esset inclinativus ad similes actus? jam non haberet naturam habitus; si esset inclinativus ad similes actus, à quibus productus est? Ergò esset inclinativus ad solam præceptorum cognitionem, cum à sola præceptorum cognitione sit productus. Ergò non inclinabit ad usum præceptorum, quia supponitur non fuisse usus illorum. Ergò consequenter nec erit illic facilitas in usu. Ergò nec habitus utentis. Quod eo magis robur habet; quia præcisè usus præceptorum, potest esse & non esse scientificus; ut si quis ex usu argumentaretur, quomodo ergò habitus scientificus, qualis est docentis Logicæ, inclinabit ad actus, qui de se possunt non esse scientifici?

Respondebis. In Casu illo suppositionis fore habitum docentis Logicæ formaliter, utentis autem habitum fore virtualiter seu æquivalenter.

Contra est. Posito habitu Logicæ docentis nato ex solis cognitionibus præceptorum, rogo, in quo sensu intelligis, illum habitum esse Logicam utentem virtualiter seu æquivalenter? si enim ille habitus ideò est æquivalenter & virtualiter utens, quia potest causare utentem, libens concedo, quod si causare utentem possit, potest & esse sine causanda utente, nec plura volo ad arguendam distinctionem realem istorum habituum, quàm quòd docens, sit causans, utens autem Logica, sit causatus habitus.

Dices. Hic actus: Definitio est clarior suo definito, quantumvis ut docui de practicitate Logicæ, tantùm sit æquivalenter practicus, verè tamen est practicus. Ergò & habitus ille Logicæ docentis, quamvis sit æquivalenter & virtualiter utens, verè erit utens.

Respondetur. Quando asseruimus actum æquivalenter practicum, esse verè practicum, asseruimus illum esse causaliter practicum, & ordinari ad opus, non tamen asseruimus, quod cum eo ad quod ordinatur, sit idem realiter. Ita etiam quando tu dicis, nec ego dissentio, actum Logicæ docentis esse æquivalenter seu virtualiter utentem, id est causare utentem, debes dicere distinctos esse hos habitus, hocq; causari à docente, utentem, arguit distinctionem.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Nulla est necessitas distinguendi realiter docentem & utentem. Ergo non distinguuntur realiter.

Respondetur. Ostendi necessitatem propter diversarum difficultatum superationem, & quia aliàs habitus non ad similes actus inclinaret à quibus productus est, ut probavi probatione tertia. Dicoq; tunc, quando materia est facilis, & cognitum artificium Logicum, licèt jam non sit difficultas ex parte materiæ & ex parte formæ; supereſt tamen difficultas, ex parte modi applicandi, & reducendi in praxim formam, & præcepta de illa, quod videre est in puero sciente Grammaticæ regulam, & habente verba in promptu, & tamen in compositione errante.

Instabis. Habitus inclinans & facilitans ad faciendum v. g. syllogismum, est Logica utens habitualis, sed Logica docens habitualis, est habitus inclinans & facilitans ad faciendum v. g. syllogismum. Ergo Logica docens habitualis, est Logica utens habitualis.

Respondetur. Distinguendo Majorem. Habitus inclinans & facilitans præceptivè ad faciendum v. g. syllogismum est Logica utens. Nego Majorem. Habitus facilitans per modum principii executivi, est Logica utens. Concedo Majorem, distinctaq; Minori, Nego Consequentiam.

Objicitur II. Quantumvis ut probavit probatio secunda, possit reperiri docens sine utente, utens tamen non potest reperiri sine docente. Ergo saltem realiter inadæquatè distinguuntur.

Respondetur. Ad realem distinctionem sufficit per multos separabilitas ex una parte, modo aliud extremum non sit modus ut dictum in Materia in Distinctionibus. Quod verò utens sine docente reperiri non possit, id est, non propter identitatem Entitatis, sed propter connexionem, quod non officere distinctioni reali, ibidem dictum. Esse autem connexionem inter utentem & docentem certum est, quia inter dirigibile & directivum est connexio, dirigibile autem est utens, docens directivum.

Instabis I. Si Logica utens est distincta adæquatè realiter à docente, annihilet Deus ha-

bitum Logicæ docentis, jam tunc manebit habitus utentis: sicut si intellectus & voluntas sint potentiæ distinctæ realiter, posset annihilato intellectu, manere voluntas, quamvis intellectus sit directivus voluntatis, quemadmodum docens, est directiva utentis. Posito autem quòd non annihiletur Logica utens, vel ille habitus utentis Logicæ erit vel non erit; si non erit. Ergò apparet nec ante annihilationem docentis fuisse habitum utentem; si erit, Ergò independenter erit inclinativus à docente ad actus Logicos. Sed hoc falsum est, nam actus Logicæ non potest esse, qui non sit ex directione Logica, ex directione autem Logica non erit, quia supponitur annihilari Logica docens.

Respondetur. In tali casu remanentem habitum utentis fore inclinativum, non proximè, sed remotè, & quantùm est de se ad actus Logicæ, non fore tamen inclinativum pro tunc, ratione defectus ejus rei, quam necessario requirit ad actus suos, requirit enim necessariò ad actus Logicæ, directionem Logicam, quæ fit à docente, quæ supponitur annihilata. Ita planè, sicut posito quòd intellectus & voluntas sint potentiæ distinctæ realiter, si sola maneret voluntas, tunc temporis quantùm de se, remotè esset principium actuum volendi, proximè tamen non esset principium volendi, propter defectum prærequisiti ad agendum voluntati, Prærequisiti inquam luminis, quod lumen est ipsa ratio.

Instabis II. Concessimus habitum Logicæ docentis, esse virtualiter habitum Logicæ utentis, vicissim habitum utentis concedere debemus esse habitum docentis virtualiter, quia ex usu præcepti, potest erui quale sit præceptum. Ergo utens & docens non sunt Logicæ distinctæ realiter.

Respondetur. Negando consequentiam. Sit v.g. glans est virtualiter arbor, causat enim arborem, arbor item est virtualiter glans, generat enim glandem, tamen glans & arbor distinguuntur realiter, ita quamvis docens causet utentem, & vicissim utens, possit etiam dare fundamentum intellectui, ut formet dictamen Logicæ docentis, non sequetur Logicam utentem & docentem, non esse distinctas realiter.

Objicitur III. Quorum habituum actus non sunt distincti realiter, illi habitus non sunt distincti realiter. Sed actus utentis ab actibus docentis, non sunt distincti realiter. Ergò nec habitus erunt distincti. Major probatur. Quorum principiorum actus non sunt distincti realiter, illorum actuum principia, non sunt distincta realiter, & sic, quia potentiæ intellectivæ & intellectus, potentiæ volitivæ & voluntatis, hominis & animalis rationalis, actus, non sunt distincti realiter, ideò & principia horum actuum, non sunt distincta realiter. Ergò & quorum habituum actus, non sunt distincti realiter, illi etiam habitus, non sunt distincti realiter. Minor principalis probatur. Illatio syllogismi in Barbara, est & actus utentis, in quantùm proficiscitur ab utente Logica, & simul est actus docentis, in quantum proficiscitur à Logica docente, directivè enim non pertinet ad utentem sed ad docentem. Ergò istorum habituum Actus non sunt distincti realiter.

Respondetur. Negando Majorem. Probationis item Antecedens, multum enim probat, probaret enim Deum & Creaturam non esse distincta realiter principia, quia unum eundemq; actum habent, ut quando v.g. eadem illuminatio, pendet à sole & Deo, eadem animatio ab anima & Deo. Quod attinet ad exempla adducta. Respondeo tunc illa principia non sunt distincta realiter, quæ habent eosdem actus, quando hæc principia solis nominibus distinguuntur: ut solis nominibus distinguuntur potentia intellectiva & intellectus, & reliqua supra adducta: utens autem à docente non distinguitur solis nominibus. Rursus si ex mera identitate Actuum argueretur identitas principiorum, sequeretur inter Deum & Creaturam non esse distinctionem realem, nulla enim est actio creaturæ, ad quam non concurrat Deus. Quòd si dicas aliud esse de principiis subordinatis ut subordinantur Deo creaturæ, sed id pro nobis est, quia etiam Logica utens subordinatur docenti, & sicut Deus habet aliquam propriam actionem, in quam non influit creatura, nempe creationem; ita formatio præceptorum spectat ad Logicam docentem, nec in illam influit utens. Deinde nego etiam Minorem. Neque enim actus, qui dirigitur à docente, est propriè actus docentis, nam proprius & elicitus actus docentis, sunt ipsa præcepta.

QUÆSTIO V.

De necessitate Logicæ.

Præmitto. *Quædam esse necessaria simpliciter: quædam necessaria secundùm quid.* Necessaria simpliciter sunt, quæ suppleri nullo modo possunt, & sine quibus res absolutè poni non potest, & sic existentia est necessaria simpliciter, ad simpliciter operandum, intellectus ad intelligendum. Quædam sunt necessaria secundùm quid, seu ad melius, perfectius, facilius esse. Et sic equus est necessarius ad iter faciendum, cibi delicati ad nutritionem.

Dicendum est I. *Logicam naturalem, esse necessariam simpliciter ad omnes scientias.*

Probatur. Quia Logica naturalis est ipso intellectus informatus principiis lumine naturæ notis, vel certè sunt ipsi actus intellectus, intentes principiis lumine naturæ notis. Sed intellectus informatus principiis lumine naturæ notis, est simpliciter necessarius ad scientias. Ergò & Logica naturalis.

Dicen-

DICENDUM II. *Logica artificialis tam habitualis quàm actualis, non est simpliciter necessaria ad alias scientias.* Quod habitualis non sit necessaria:

PROBATUR. Quia habitualis Logica sequitur naturam reliquorum habituum, habitus autem reliqui exceptis infusis, dant tantum facile posse, si autem esset necessaria simpliciter, jam non solum facile posse, sed simpliciter posse daret.

Quod Actualis non sit simpliciter necessaria hoc inde probatur. Ad scientiam sufficit cognitio præmissarum evidentium & necessariarum, & illarum cum conclusione connexio. Sed hoc potest haberi sine Logica artificiali, ut probo. Quia multi rudes faciunt actus scientificos, sine ulla actuali Logica artificiali, ut cum dicunt: vivit adhuc percussus serpens, quia se movet, ubi est talis involutus syllogismus. Omne quod se movet vivit, serpens percussus se movet. Ergò adhuc vivit. Item cum dicunt pueri: Redde mihi Alvarum tuus non est? ubi involvitur talis syllogismus: Alienum est restituendum. Iste Alvarus est alienus. Ergò est restituendus.

OBJICITUR. Plurimi sunt syllogismi demonstrativi, in quibus ex ipsis terminis non appareret bonitas Consequentiæ. Ergò saltem requiretur Logica artificialis, quæ ostendat bonitatem Consequentiæ.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Bonitatem enim Consequentiæ possumus penetrare per solum lumen naturale sine Logica artificiali de Consequentia, ut penetravit Aristoteles. Benèq; possunt scire homines, se scire, sine Logica artificiali, ut scivit Aristoteles, cum demonstravit artificium syllogismi. Et certè ut aliquis dicatur per Logicam artificialem scire, quod sciat, debet præsupponere regulas artis, ante illam cognitionem factas & præscriptas, quibus conformetur, quod non est omninò necessarium ut aliquis sciat se scire, ut ante præscriptas regulas de illatione scivit illas fore bonas Aristoteles, dum illas præscribebat.

DICENDUM III. *Logicam artificialem esse necessariam secundùm quid, seu ad facilius discendas scientias.*

PROBARI solet. Imbecillitate intellectus nostri ad faciendos discursus non erroneos, & difficultate ipsius objecti, quam sentiremus, si ipsi per nos, artificium syllogismi invenire vellemus. Cæterum neque ad facilitatem in scientiis omninò requiritur Logica, quia hæc facilitas haberi posset ex actibus, non per Logicam artificialem, sed per naturalem directis, modo hi actus frequenter usurpentur, ut dixi supra.

OBJICITUR I. Patres sæpè Logicam ut inutilem damnant.

RESPONDETUR. Damnant abusum qui erat dum ex Dialectica fides oppugnabatur. Laudat eam Hieronymus supra Ezechielem. *Verè quidquid perversorum dogmatum est, & putatur esse robustum, in terrena sapientia, hoc Dialecticæ arte subvertitur.*

OBJICITUR II. Si Logica esset necessaria ad alias scientias, esset necessaria & ad se, cur enim non? Sed hoc est absurdum, aliàs prærequireretur ante seipsam.

RESPONDETUR. Est Logica necessaria ad seipsam, partialis ad totalem, imperfecta ante se perfectam. Hinc dantur summulæ ante Logicam, & ante summulas prærequiritur naturalis Logica.

OBJICITUR III. Ante Logicam utentem requiritur docens artificialis, ante artificialem docens naturalis. Ergò dabitur processus in infinitum in istis Logicis.

RESPONDETUR. Non fore processum in infinitum, quia sistetur in principiis lumine naturæ notis & in ipsa Logica naturali.

COLLIGES *Hinc Definitionem Logicæ, Quod sit scientia practica, quæ versatur circa operationes intellectus rectificabiles.*

DE PRIMA OPERATIONE.

ARistotelis hîc Logicam, seu Organum explicamus, qui ad dirigendam primam Operationem scripsit librum de Prædicamentis, continetq; treminorum explicationem. Ad dirigendam secundam Operationem, scripsit libros de Interpretatione duos seu Perihermenias. Ad tertiam Operationem dirigendam scripsit tres libros Analyticos, seu priorum resolutoriorum, in quibus agit, de Syllogismo in communi, & duos posteriorum resolutoriorum, in quibus agit de Demonstratione, insuper octo Topicorum, in quibus agit de Syllogismo probabili, & Elenchorum duos, in quibus agit de Syllogismo sophistico. Hoc tractatu dabitur etiam explicatio Terminorum, sed una cum resolutione quæstionum circa illos; Morabimur autem præcipuè, circa explicationem Universalis, Relationem, &c. sit

DISPUTATIO III.

De Natura Universalis in Communi.

INprimis disputabitur de Universalibus in communi, accedemus postea ad Universalia in Particulari.

PRÆMITTO I. *Debere admitti Vniversalia.*

RATIO. Quia dantur Individua, datur enim Petrus & Paulus, non essent autem Individua, si non haberent rationem communem, adeoq; si non daretur Universale. Et licèt, quidquid à parte rei in se existit, sit singulare, non tamen quod existit in alio, est singulare. Jam autem Universalia, existunt in particularibus.

PRÆMITTO II. *Quod ly Vniversale, sit terminus concretus, adeoq; dicens aliquid pro Materiali, aliquid pro Formali.*

RATIO materialis est hîc Natura, cui Universalitas, tanquam Forma quædam ex modo nostro concipiendi advenit, eamque universalisat. Porrò hæc universalitas duo dicit: Unitatem, & Aptitudinem ad multa. Aptitudinem requisivit Aristoteles 7. Metaphys. tex. 45. & primo Periherm. c. 5. Unitatem autem requisivit. 1. Posterior. 62. Et hæc acceptio universalis pro natura una apta inesse multis, est materia hujus tractationis.

PRÆMITTO III. *Quænam sit Divisio universalis?* Si spectetur natura una apta inesse multis, idq; secundùm ipsum esse, erit Universale in Essendo, seu Universale Metaphysicum, Metaphysicæ enim est considerare Essentias, si autem spectetur eadem natura, secundùm quod est prædicabilis, erit Universale Logicum, seu universale in prædicando, ad Logicam enim spectant prædicationes. Accipi etiam potest, nomine Universalis, non tantùm natura, apta inesse multis, vel de illis prædicari, sed quodcunque unum commune multis, quod ipsum sic commune, aliud est Complexum, aliud Incomplexum; Complexum est propositio universalis, v.g. Omne totum est majus sua parte. Aliud Incomplexum, & hoc si Logicè sumatur, erit subjectum, vel prædicatum propositionis universalis. Ipsum Incomplexum largius spectando, si sit commune causaliter, erit Universale in Causando, sic Sol, & Deus sunt universale in causando, Deus qui est causa communis omnibus, Sol quia plura causat, quod si sit commune repræsentando, erit Universale in Repræsentando, quæ ipsa repræsentatio, si fiat per imaginem sensibilem, erit repræsentatio sensibilis; quomodo unus Arabs pictus, repræsentat reliquos, si fiat per imaginem intelligibilem, erit repræsentatio intellectualis, qualis est species expressa, & impressa plurium objectorum notificativa. Quod si plura significet, ut vox Homo, erit Universale in Significando, si verò sit natura una complectens omnes perfectiones inferiorum, erit Universale in Perfectione, alii appellant universale in Essendo.

INFERES I. *Quare natura divina realiter identificata, tribus Personis, non sit universale*, de quo hîc, quia non multiplicatur in Personis, tanquam in inferioribus, sed illis communicatur, per identitatem.

INFERES II. *Quare Anima rationalis existens in pluribus partibus subjecti, non sit universalis*, quia in

in illis est, sine sui multiplicatione imò etiamsi poneretur in pluribus subjectis, eo modo, quo ponitur Essentia divina in Personis, id est cum identificatione, nec dum esset Universale. Ratio, quia nec Deitas est Universale.

Infertur III. *Quare Aqua v.g. una, in se habens plures partes, in quibus salvatur ratio aquæ, respectu illarum merè partium, non sit universale.* Quia scilicet non multiplicatur illud totum, in illis partibus, sed ex illis tantum constituitur.

Præmitto IV. *Nullum universale dari separatum à singularibus seu non dari Ideas Platonicas.* Ratio. Quia quidquid in se est, singulare est, omne enim Ens, aut est productum, aut improductum, si improductum, ergò singulare, hoc est Deus, si productum, ergò etiam singulare, quia respondet determinatæ actioni. Deinde, quia si universale essent Ideæ, ex eo essent, quia deberent esse utiles ad prædicandum de singularibus, & ad causandum singularia, sed ad hoc non sunt utiles. Non ad primum, quia cum sint extra singularia, non affirmari de illis, sed negari deberent, distincta enim, de se affirmari non possunt; non ad secundum sunt utiles, quia deberent esse unitæ agentibus, adeoq; toto mundo, & extra mundum sparsæ, ubicunque agentia esse possunt. Nec sufficit, quod uniantur Intellectui agentis quia jam non esset opus, existere illa extra singularia, sed tantùm uniri intellectui, concesso autem, quòd uniantur intellectui per modum Ideæ, quomodo Ideæ causabunt generationem, cùm generans in similitudinem naturæ, non Ideæ gignat. Quomodo item causabunt effectus, procedentes à principiis intellectum non habentibus, adeoque Ideatum non attractivis. Rursus universalia sunt essentiæ rerum, si essentiæ rerum, ergò ab illis inseparabiles. Deinque si universalia sunt ideæ, ergò idea v.g. hominis sunt Petrus, Paulus, hoc non potest dici, quia si idea, sunt Petrus & Paulus, tunc identificantur sibi Petrus & Paulus, vel non identificantur? si identificantur, ergò non sunt Petrus & Paulus, sicut idem Petrus sibi identificatus, non est plura; si non identificantur, ergò sunt singularia, ergò illud universale, & est universale ut supponitur, & non universale, quia singularia.

Dices I. Universalia debent esse incorruptibilia ac immutabilia, ergò in singularibus esse non possunt, quia in illis quidquid est mutabile est.

Respondetur. Quidquid est in singularibus, est mutabile quoad existentiam, non tamen quoad essentiam.

Dices II. Genita debent esse similia generanti, ergò extra illa debet dari similitudo, vel idealis causa, cui sint similia, & ita plures imagines, quando sunt similes, debet dari extra illas, saltem idea, cui assimilentur.

Respondetur. Negando Consequentiam. Nam genita debent esse similia generanti in natura, quæ natura non est extra generantem; secus imagines materiales, quæ non debent esse similes in natura.

Dices III. Plures visiones & intellectiones similes, requirunt Objectum extra se existens, cui assimilentur, ergò & plures naturæ similes, requirunt objectum extra se existens.

Respondetur. Quod ad intellectiones attinet de illis falsum est Antecedens, quia intellectio potest se ipsam intelligere, & tamen non potest esse extra se ipsam. Visio, non titulo ut sit similis requirit objectum, extra se existens, sed ex conditione sui modi agendi, à posteriori nobis cogniti, hinc quamvis visio qualis modo datur, per impossibile una nonnisi posset esse, adhuc visio præsens requireret objectum distans, quod si id non deposcit titulo similitudinis visio, poterunt esse individua similia sine ideis.

Præmitto V. *Naturas universales, non esse solas voces, aut conceptus.*

Ratio, quia quando fiunt prædicationes, non ipsæ voces aut conceptus prædicantur, quomodo enim verificaretur particula, *est*, sed potius verificaretur particula *dico*, & particula *concipio*.

Præmitto. VI. *Naturas universales esse realiter divisas in particularibus.*

Ratio. Tum quia, si non divideretur realiter natura humana in singularibus, sequeretur unum tantùm esse hominem, quia & Deus est unus, ex eo quod non multiplicetur Deitas in personis. Tum quia daretur in humanis mysterium Trinitatis, scilicet natura una realiter, in distinctis realiter personis. Tum quia Natura humana Petri, est idem realiter, cum hæcceitate Petri, sed natura humana Pauli, non est idem realiter, cum hæcceitate Petri, ergò natura humana Pauli, non est idem realiter, cum natura humana Petri.

Præmitto VII. *Quod naturæ divisæ realiter, habeant aliqua prædicata propria, & alteri non convenientia, aliqua convenientia,* illa prior ratio vocatur differentia numerica, hæcceitas, posterior ratio vocatur gradus Metaphysicus, ratio communis, prædicatum universale. His præmissis, *sit*

QUÆSTIO I.

De Vnitate Vniversalis.

VNitas est idem quod Indivisio, quæ ipsa Unitas, alia est quæ appellatur hæcceitas, unitas numeralis, individuatio, &c. vi cujus habetur, ut res non possit dividi, in aliam realiter. Alia Unitas appellatio Formalis (licèt hæc diversimodè sumi possit) minor numerali, ratio per quam unum individuum cum alio individuo, aut una species cum alia, convenit, vocatur minor numerali, quia trahit secum aliquam multiplicitatem, nempe convenientiam plu-

rium,

rium, quod non convenit unitati numerali, de hac in præsenti disputabitur, in quantum illa debita est universali.

DIFFICULTAS I.

An habeat natura à parte rei actu Vnitatem ortam ex Indivisione Vnitatis Formalis?

DIcunt aliqui Scotistæ, quòd Natura humana, dividatur à parte rei Individuis, unitatem tamen formalem, seu unitatem, speciei humanæ competentem, non dividi.

DICENDUM est. *Vnitatem formalem Naturæ dividi à parte rei.* Ita Suar. d. 6. Metaphys. s. 1.

PROBARI potest I. Natura Petri est idem simpliciter, cum hæcceitate Petri, Atqui natura Pauli non est idem simpliciter, cum hæcceitate Petri. Ergo natura humana Pauli, non est idem simpliciter cum Natura Petri.

RESPONDERI posset. Naturam Petri non esse idem simpliciter cum natura Pauli, id est non esse idem realiter, sed est adhuc unam formaliter.

PROBARI potest II. Natura humana ut sit Universalis, debet ita existere in suis singularibus, ut per hanc sui in illis existentiam, constituatur homo, & homo, sed nisi esset diversa simpliciter, non constitueretur homo & homo, ad eum modum, quo natura divina, non constituit Deum, & Deum, quia non dividitur in personis.

RESPONDERI posset. Constituendum hominem, & hominem, quia natura dividitur realiter, sed non est necesse, dividi Unitatem formalem, unde in divinis natura non constituit Deum & Deum, quia non dividitur realiter.

PROBARI posset III. Quidquid à parte rei existit singulare est, illa Unitas formalis existit à parte rei, ergò est singularis adeoque divisa.

RESPONDERI potest. Quicquid in se existit singulare est, non verò quod existit in alio, unitas autem formalis, existit in singularibus.

PROBARI potest IV. Quia nisi illa unitas formalis esset divisa, quomodo unus homo sine alio viveret, siquidem uterque naturam formaliter indivisam haberet, imò Antichristus, jam esset in cœlo, quia natura ejus est una formaliter, cum natura S. Petri, qui est in cœlo, & S. Petrus esset in inferno, quia est ibi Judas, uterque verò habet unam naturam formaliter. Eundem medium terminum sic proponit Maurus Q. 28. si dicatur natura humana secundum se, esse indistincta in Petro & Paulo. Ergo ponitur in creatis mysterium Trinitatis, quia etiam una natura divina datur in pluribus divinis personis. Immò asseritur aliquid mirabilius, nam una natura divina est in tribus personis quæ non sunt separatæ loco, cùm tamen homines sint ita separati.

RESPONDETUR. Si diceretur illa natura esse indistincta realiter & non divisa realiter, sequeretur mysterium Trinitatis, aut aliquid illo mirabilius, secus si dicatur divisa & distincta realiter, una tamen formaliter, & si distinguantur ipsæ naturæ, quamvis sint idem formaliter.

Hæ Probationes evincunt Naturam Humanam, esse divisam realiter in Individuis, quod dictum in Præm. 7. Quod attinet ad unitatem formalem.

PROBATUR hæc conclusio. Natura humana in Petro est divisa realiter, ergò & unitas formalis naturæ humanæ, est divisa realiter; Consequentia probatur. Quando aliqua sunt idem realiter, si unum illorum dividatur realiter, & ipsum debet dividi, hoc ipso enim non essent idem realiter, sed natura humana, & unitas illius formalis, sunt idem realiter, ad eum modum quo unum transcendentale, est idem realiter cum Ente, neque est ulla necessitas, hæc distinguendi realiter. Ergò si natura est multiplicata realiter, multiplicabitur realiter etiam unitas formalis. Neque est recurrere ad divina, ubi multiplicata persona, non multiplicatur realiter natura, quia in divinis est distinctio virtualis in ordine ad prædicata Physica, quæ non datur in Creatis.

CONFIRMATUR. Si unitas formalis non esset divisa in Petro & Paulo, Petrus & Paulus, non essent unum formaliter, & tamen hanc unitatem adstruunt Scotistæ. Sequela probatur, quia si natura humana non esset in illis divisa realiter, non essent illi homines. Ergò etiam, si non esset in illis divisa realiter unitas formalis, non essent unum formaliter.

OBJICITUR I. Natura humana in Petro & Paulo est solum divisa individualiter, non autem formaliter. Ergò datur à Parte rei unitas universalis, stans in indivisione unitatis formalis.

RESPONDETUR. Naturam humanam, hoc sensu non esse in Individuis divisam formaliter, quia individua, non differunt secundùm prædicata specifica, sed non hoc sensu, quasi ipsa prædicata specifica, non sint in individuis divisa, ac multiplicata realiter.

OBJICITUR II. Natura humana in pluribus existens, de se, ac positivè est Ens, ergò de se & positivè, est una; Sed non est una unitate individuali, aliàs non esset communicabilis inferioribus, individua enim non communicantur inferioribus. Ergò est una unitate formali.

RESPONDETUR. Naturam humanam in pluribus existentem, non esse Ens, sed entia, nec naturam, sed naturas individuales, consequenter & unitas illius multiplicata est.

OBJICITUR III. Natura humana, & equina v. g. ex se, secluſis omnibus individuantibus principiis, sunt distincta realiter, & essentialiter. Ergò unaquæque earum, est una formaliter.

RESPONDETUR. Unamquamque earum, esse unam formaliter, sed unitate in se multiplicata.

OBJI-

Objicitur IV. Natura humana v. g. est communis, ergò & unitas illius est communis, ergò non est necesse illam multiplicari.

Respondetur. Sicut natura humana, quamvis sit communis, multiplicatur realiter, ita multiplicari debet & unitas formalis, cum ipsa illa communitas, perficiatur ipsa multiplicatione unitatis formalis.

Objicitur V. Si unitas formalis divideretur, & multiplicaretur, aut multiplicaretur in plures unitates formales, & hoc non, quia de ratione ejus est, ut sit formaliter indivisa, & in hoc consistit ejus unitas, aut multiplicaretur in plures unitates individuales, & sic non dividitur unitas formalis ut sic, sed potius communicatur multis.

Respondetur. Multiplicari unitatem formalem, in plures unitates formales, naturæ autem v. g. humanæ, competit, ut in inferioribus sit formaliter indivisa, in hoc tantum sensu, quod illius inferiora, non sint specie distincta, non autem ut excludat sui multiplicationem realem. Quanquam potest etiam dici multiplicari unitatem formalem, in plures unitates formales, communicariq; illam, titulo multiplicationis realis, unde natura illa est communis, non ita sicut est commune hypocaustum, quod non multiplicatur respectu eorum, quibus est commune, sed est commune multis, sicut habitus religiosus, communis omnibus, multiplicatur in singulis.

Instabis. Quod est unum multiplicari non potest, unitas formalis est una, ergò multiplicari non potest. Item, unitas non includit plura, ergò nec potest dividi in plura.

Respondetur. Unum per convenientiam, posse multiplicari, includereq; plura; licèt unum per divisionem, seu unum individuale, multiplicari non possit.

Objicitur VI. Si unitas formalis multiplicaretur, non esset condistincta ab unitatibus individualibus.

Respondetur. Has duas unitates non esse realiter distinctas, adeoq; unâ multiplicatâ, multiplicari & aliam; sed distinguuntur conceptu, quia unitas formalis, ex proprio conceptu, dicit indivisionem in prædicatis specificis. Individualis dicit indivisionem in ipsâ realitate hæcceitatis.

Objicitur VII. Natura de se indivisa, & una formaliter, est ubique indivisa, sed natura universalis de se est indivisa, & una formaliter, ergò natura universalis est ubique indivisa. Ergò & in individuis. Minor probatur. Natura humana de se, non habet divisionem, aliàs ubique illam haberet. Ergò de se est indivisa.

Respondetur. Naturam de se, hoc est Metaphysicè spectatam, adeoque prout illud de se, subest nostris conceptibus, esse indivisam, & unam formaliter; non autem de se, prout est à parte rei, & prout illud de se, spectatur independenter à nostris conceptibus.

Instabis. Ex propositione negativa, de prædicato finito, benè potest inferri propositio affirmativa, de prædicato infinito, ut homo non est albus, ergò homo est non albus, ergò etiam ex ista propositione, unitas formalis de se, non est indivisibilis, benè inferretur, ergò de se est non divisibilis, ergò dividi realiter non poterit.

Respondetur. Bonam esse illationem, si termini eodem modo in Antecedenti & consequenti sumantur, hic autem, non eodem modo sumuntur, quia Ly de se, in Antecedenti importat solam non exigentiam divisionis, adeoque importando indifferentiam ad dividi realiter, in consequenti autem importatur exigentia, ut nullo modo dividi possit.

DIFFICULTAS II.

An habeatur à parte rei Unitas, orta ex statu Præcisionis?

Auctores aliqui ex Fonseca 5. Metaphys. c. 28. q. 3. §. 2. ut ponant universalem unitatem à parte rei, recurrunt ad statum Essentiæ, quem appellant, statum solitudinis, indifferentiæ, antecessionis, secundùm quem natura, præcedit sui contractionem, multiplicationemq; in individuis, & ratione hujusmodi antecessionis, volunt illi convenire, unitatem universalem, quæ tamen unitas non descendat cum ea, ad statum contractionis, vocatur hic idem status & unitas orta ex illo, unitas præcisionis, quia convenit naturæ præcisæ à singularibus.

Dicendum est. *Naturam non habere unitatem, Universalem, ortam ex statu præcisionis, quæ sit nemine cogitante.*

Probatur I. Præcisiones à singularibus naturæ, quæ spectetur secundùm sola essentialia, non dantur nemine cogitante actu, sunt enim præcisiones illæ actus nostri intellectus, ergò nec unitas orta ex illo statu præcisionis, datur nemine cogitante actu.

Probatur. II. Quia hæc unitas præcisionis, vel est realis, vel intentionalis, si realis, ergò multiplicatur & dividitur, unà cum hæcceitatibus: si intentionalis, ergò non est nemine cogitante sicut & ipsæ intentiones nostræ.

Probatur III. Illa unitas vel ita sequitur naturam humanam v. g. sicut rationalitas, vel alio modo, si sequitur ut rationalitas, ergò non est necesse illam quærere, ex statu præcisionis sicut nec ex præcisione habetur, quòd homo sit rationalis, si alio modo, ostende quo, ita ut appareat, quòd ille status & unitas, non sit ex opere intellectus, cùm non sit modus distinguendi illam ab intentionalibus.

Objicitur I. Natura humana, non solum quatenus abstracta, sed etiam quatenus præscindit à dif-

à differentiis individualibus, estq; naturæ ordine, prior illis, habet unitatem quandam, non est enim plures, sed una natura. Ergò datur in statu præcisionis universalis naturæ Unitas.

Respondetur. Negando hoc ipsum quod est esse naturam, quatenus præcisam, haberi nemine cogitante.

Objicitur II. Natura in statu præcisionis est Ens, & una definitione definibilis, ergò est una.

Respondetur. Naturam in statu præcisionis esse Ens, sed non esse ens nemine cogitante.

Objicitur III. Natura non potest esse una per denominationem extrinsecam, scilicet quia per unum numero conceptum repræsentatur, conceptus enim potius habet unitatem ab objecto, quam è converso, & sicut natura, multiplici conceptu repræsentata, pro multiplicitate conceptuum non multiplicatur, ita nec unitate conceptus una reddetur. Ergò talis unitas, conveniet naturæ ex se, non per intellectum.

Respondetur. Naturam non posse esse unam, ratione unius numero conceptus, tanquam propter formam, unitatem tribuentem, posse tamen acquirere unitatem, ratione unius conceptus, tanquam alicujus prærequisiti ad eandem, de quo infra. Quod attinet ad propositionem illam, conceptus potius habet unitatem ab objecto, de illa sic posset discurri, quod sint aliqua objecta, quæ intellectus præsupponit, ut dum cognoscit Deum, alia objecta non præsupponit sed facit, in priori eventu objecta possunt tribuere, unitatem notitiæ, sed in posteriori eventu, sicut esse, ita & unitatem accipiunt actu Objecta à conceptu, licet Unitatem fundamentalem de se habeant.

DIFFICULTAS III.

An habeatur à parte rei Unitas negativa universalis?

Distinguebat Cajet. Unitatem universalis in positivam, & negativam. Nomine positivæ, accipiebat unitatem, quæ competat naturæ, ita ut sit indeterminata ad plura individua per separationem, & abstractionem, à differentiis individualibus, involvendo proximam potentiam ad prædicari de illis, nomine autem unitatis negativæ, intelligebat unitatem, quam habet natura ex eo præcisè, quod non sit singularis. Dicit ergò Cajet. quod non habeatur in natura, unitas positiva universalis, quæ sit à parte rei, haberi tamen unitatem negativam.

Dicendum est. *Non dari unitatem negativam universalis à parte rei.*

Probatur I. ex Arr. & Ovied. Hæc unitas negativa, non convenit realiter hæcceitati. Ergò non datur nemine cogitante. Antecedens probatur, quia unitas hæc negativa, dicit non esse singularis, hæcceitas autem, dicit esse singularis. Consequentia probatur. Quod convenit realiter hæcceitati, quæ est nemine cogitante, debet etiam convenire realiter iis, quæ sunt idem realiter cum hæcceitate.

Probatur II. Quia si unitas illa negativa, non est apta prædicari de multis, quomodo erit unitas universalis.

Probatur III. Quia hæc sententia coincidit cum Scotistica, admittit enim formalitates, nemine cogitante condistinctas, intra unam eandemq; Physicam Entitatem, condistinguit enim illam nemine cogitante à singularitate, admittit enim nemine cogitante singularitatem, quia admittit individuationes, & admittit nemine cogitante, intra eandem entitatem realem non singularitatem, idq; nemine cogitante, quia admittit, unitatem negativam, nemine cogitante, quæ non est singularis.

Objicitur I. De conceptu quidditativo naturæ, non est singularitas, ergò ante operationem intellectus, convenit naturæ unitas negativa, seu non esse singularem.

Respondetur. De conceptu naturæ, spectatæ prout subsstat nostris intentionibus & metaphysicè, non est singularitas; est tamen de conceptu naturæ, prout est à parte rei, à parte enim rei, nihil sunt nisi singularia.

Objicitur II. Natura quæ est in Petro quatenus est ex se, non est incommunicabilis, aliàs non posset, sine incommunicabilitate cognosci, ergò de se non est singularis, ergò habet unitatem negativam.

Respondetur. Natura, quæ est in Petro, quatenus ex se metaphysicè spectata, non est incommunicabilis, secus si spectetur prout est à parte rei, hinc natura Petri, in quantùm acquirit statum intentionalem, non est ex se incommunicabilis, quamvis independenter ab hoc statu, sit incommunicabilis, consequenter si spectetur natura, quæ est in Petro adæquatè, non potest sine incommunicabilitate cognosci.

Objicitur III. Creatura debet habere prædicata opposita Creatori, Creatoris autem natura, dicit prædicatum singularis, ergò Creatura debet dicere negationem singularis. Ergò habet unitatem negativam.

Respondetur. Non omnia prædicata opposita, prædicatis Creatoris, debet dicere Creatura, aliàs non deberet esse Ens; sed id verificatur de solis prædicatis divinis differentialibus, qualis non est singularitas, aut si est, est talis, quæ fundamentum non præbeat, quòd multiplicari illi conveniat, per sibi simile, singularitas enim divina, non dat fundamentum, quod multiplicari possit in similibus numero Diis, convenit autem multiplicari naturæ creatæ.

DIFFICULTAS IV.

De Unitate universali, & Convenientiæ.

Nomine unitatis convenientiæ intelligitur similitudo, in eadem natura sive specifica, qua-

qualis est inter Petrum & Paulum, sive generica, ut cum in ratione Animalis conveniunt Petrus & Bucephalus; Nomine autem Unitatis formalis, venit unitas, vi cujus v.g. Petrus non hoc tantum habet, ne possit dividi in Paulum, quod formaliter habetur ab hæcceitate, sed etiam, quod non possit dividi in aliam essentiam, v.g. quod Petrus non possit dividi in essentiam Leonis, & hæc appellatur unitas formalis. De his Unitatibus duo quærenda veniunt. 1. an illæ dentur à parte rei. 2. an sufficiant ad universale constituendum.

Punctum Difficultatis 1.

Dantur ne à parte rei, Unitas Convenientiæ, & Vnitas formalis?

DICENDUM est 1. *Dari actu nemine cogitante unitatem convenientiæ.*

PROBATUR 1. Vel nemine cogitante actu differunt specie Petrus & Paulus, vel actu nemine cogitante non differunt specie, si nemine cogitante actu Petrus & Paulus differunt specie, ergo nemine cogitante, vel alteruter, vel uterque non est homo; si enim uterq; eandem speciem haberent, non differrent specie, ergo nemine cogitante conveniunt specie, hæc enim pro præsenti idem valent.

PROBARI 2. solet. Fundamentum Relationum realium, debet esse nemine cogitante, sicut & ipsæ relationes reales debent esse nemine cogitante, hoc ipso enim non essent reales; sed unitas convenientiæ, similitudinis, communicationisq; in natura, est fundamentum Relationum realium: Ergo est nemine cogitante dicta unitas. Major probatur. Fundamentum Relationum realium in ratione v. g. Hominis, non potest esse Unitas individualis, secundùm quod individualis est, ergò fundamentum hoc debet esse Unitas convenientiæ. Antecedens probatur. Id quod facit ultimo differre, & non facit plura convenire, non potest esse fundamentum Relationum realium in natura v. g. ideò enim aliqua dicuntur eadem, quia conveniunt, non quia differunt; sed Unitas individualis, qua individualis, facit ultimò differre, hoc ipso non esset differentia ultima, ergò non potest esse fundamentum dictarum relationum.

PROBATUR 3. Nemine cogitante verum est, quòd Petrus sit individuum humanum, quia nemine cogitante est, quod est, esse enim, est independens à conceptibus, quod ipsum verificatur etiam de Paulo, ergo illi dicunt inter se unitatem convenientiæ, quia sicut similia & convenientia in albedine sunt, quia hoc album, & illud album est; ita convenientia in natura humana non aliud est, quàm quia hoc individuum Hominis, & illud individuum ejusdem est.

OBJICITUR 1. Inexplicabile est quid sit ista Unio convenientiæ.

RESPONDETUR. In re nihil aliud esse, nisi individua plura, ex modo autem concipiendi, Convenientia, est, quasi forma, faciens illa convenire, seu similia esse in natura.

OBJICITUR 2. Ista unitas convenientiæ, nihil dicit ultra unitatem individualem. Ergo si unitas individualis non est fundamentum relationum realium, nec Unitas individualis erit.

RESPONDETUR. In re à duabus unitatibus v.g. individualibus, non distingui unitatem convenientiæ, eorundem individuorum. Cæterum Unitas individuationis, non qua individualis est, est formaliter unitas convenientiæ, quâ enim individualis est, dicit solam rationem differendi, sed unitas individualis, in quantum est talis ac alia unitas individualis, est unitas convenientiæ.

OBJICITUR 3. Unitas fundatur in Ente, ergo & unitas convenientiæ fundabitur in Ente.

RESPONDETUR. Fundari unitatem convenientiæ in hoc Ente, quod individua dicant similia prædicata essentialia, vel in genere, vel in specie.

DICENDUM 2. *Dari nemine cogitante in unoquoq; individuo Vnitatem formalem.*

PROBATUR 1. Ubi est negatio divisionis formalis, ibi est unitas formalis, sed in unoquoque individuo datur negatio divisionis formalis, ergo in unoquoq; individuo datur unitas formalis. Major constat definitione unius, unum enim idem est, quod & indivisum, ergo indivisum formaliter, erit unum formaliter. Minor probatur. In quo non dantur rationes & principia divisa, essentialiter, in eo est negatio divisionis essentialiter, aliàs sine suis principiis daretur divisio. Sed in unoquoque individuo non dantur rationes & principia divisiva essentialiter; quia principia divisiva essentialiter, sunt differentiæ essentiales & specificæ, quæ in nullo individuo, plures dantur.

PROBATUR 2. Datur in unoquoq; individuo hominis natura generica, & natura specifica, v. g. datur ratio animalis & ratio hominis, ergò datur etiam in unoquoq; individuo unitas formalis animalis, & unitas formalis hominis, quia unitas formalis animalis, & unitas formalis hominis, non sunt quid distinctum re.

PROBATUR 3. Quot sunt negationes divisibilitatis in individuo, tot sunt unitates in individuo, sed præter negationem divisibilitatis in plura entitativè, est etiam negatio divisibilitatis in plura essentialiter, ergo etiam est in individuis unitas essentialis, ergo & unitas formalis.

COLLIGES. Tres admitti debere unitates nemine cogitante. Unam individualem, vi cujus non potest dividi natura in aliud individuum simile in specie, admitti item debere unitatem

formalem, quæ est indivisio prædicatorum essentialium, vi cujus non potest dividi v.g. Petrus in individuum Leonis; Denique tertiam unitatem admitti debere relativam, quæ est unitas convenientiæ.

Punctum Difficultatis 2.

An Prædictæ Unitates sint sufficientes ad universale formaliter?

Dicendum est 1. *Non esse sufficientem Unitatem Formalem explicatam, ad constituendum universale.*

Probatur 1. ex Suar. d. 6. Metaph. sect. 3. Unitas universalis ut universalis est, debet esse talis, ut sit illi propria, & rei singulari, qua singularis est, convenire non possit, sed unitas formalis, est unitas, quæ rei singulari ut singularis est convenire potest, ergo unitas formalis non est unitas universalis. Major probatur. Ratio constitutiva differentialiter universalis, ut universale est, convenire non potest rei singulari, ut est singularis, hoc ipso enim non esset ratio differentialiter constitutiva, jam autem ratio universalis, formaliter constituitur unitate. Minor principalis probatur. Quia etiam rei singulari, ut singularis est, convenit, non posse dividi in alia essentialiter prædicata, convenit enim Petro non tantum non dividi in Paulum, sed nec posse dividi in Leonem.

Probatur 2. Unitas formalis multiplicatur in individuis pro illorum multiplicatione, ut probatur supra. Unitas universalis non multiplicatur in individuis. Ergo unitas formalis, non est unitas universalis. Minor probatur. Quia si unitas universalis quà universalis, multiplicarentur in individuis ipsa universalia, multiplicatis enim rationibus rem aliquam constituentibus, & ipsa res multiplicatur, jam autem, ab unitate universali, constituitur universale, & qui concedit hanc unitatem à parte rei, concedit etiam aptitudinem universalem.

Probatur 3. Potest alicui enti competere, unitas formalis, & tamen illa unitas formalis, exigit non esse universalis: Ergo unitas formalis, & unitas universalis non sunt idem. Antecedens probatur. Deus habet unitatem formalem. Angelus item, si est inmultiplicabilis numero, nam convenit illis negatio divisibilitatis, secundùm prædicata Essentialia, & tamen non est universalis illa unitas, siquidem in plura inferiora non multiplicabilis.

Responderi posset 1. Quod dicta unitas sit insufficiens, ad universale Logicum, licèt sit sufficiens, ad universale Metaphysicum.

Contra. Quia argumenta allata probant, etiam ad universale Metaphysicum, non sufficere dictam unitatem.

Responderi potest 2. Unitatem formalem, non quamcunque requiri, sed conjunctam aptitudini ad essendum in multis, hæc autem non convenit singulari, quà singulare, &c.

Contra 1. est. Quæro, habetné aliquod prædicatum ista unitas formalis, per quod universalisetur, idque independenter ab ipsa aptitudine ad inessendum multis, vel non habet? si non habet, ergo sola aptitudo, est ratio universalisans formaliter, quod esse non potest, cum universale definiatur, non solum per aptum inesse multis, sed etiam per unum. Quod si habet aliquem suum conceptum, ipsa unitas, independenter ab aptitudine, tunc quæro: conceptus iste independens ab aptitudine, vel potest convenire singularibus, vel non potest? si potest, redeunt argumenta facta, si non potest, ostende quisnam ille sit? indubieque poterit inferri, quod ille non detur à parte rei, ergo ulterius immeritò recurristi in responsione ad aptitudinem, tanquam ad universalisativum unitatis. Ergo ulterius duas unitates formales in Petro assignas, quod & novum est, & sequitur duas esse essentias in homine, quia duas unitates formales, quæ erunt duæ negationes divisionis in prædicata essentialia, quæ negationes, idem sunt cum duabus essentiis.

Contra 2. Si unitas formalis, esset unitas universalis, & esset universalis ut supponitur, & non esset, quia unitas formalis universalis, debet esse conjuncta aptitudini ad inessendum multis, sed unitas formalis non est talis, indistinguitur enim ab hæceitate Petri, quæ non dicit aptitudinem ad esse in multis.

Contra 3. Unitas ista formalis, non est distincta nemine cogitante actu, ab unitate individuali, ut suppono ex materia de distinctionibus. Subsumo. Sed unitas individualis non est unitas universalis, ergo nec unitas formalis, erit unitas universalis. Et certè, si unitas formalis condistincta esset actu nemine cogitante ab unitate individuali, individuum illud prout condistinctum ab unitate formali, vel esset individuum hominis, vel non esset, si non est individuum hominis, ergo nec est hæceitas hominis, adeoque non est, quod est, nam hîc quæritur de hæceitate hominis; si autem unitas individualis, prout condistincta unitati formali, est individuum hominis, ergo prout condistincta, dicit essentialia prædicata: Ergo & negationem non esse hominis, ergo & negationem divisionis in id, quod non est homo, adeoque adhuc prout condistincta individualis unitas, dicit unitatem formalem.

Dicendum est 2. *Unitatem convenientiæ, non esse unitatem universalis formaliter.* Ita Suar. &c.

Pro-

Probatur 1. Singularia convenientia & similia in natura, non constituunt universale formaliter, ergo nec unitas convenientiæ, nam hæc in re & nemine cogitante, non sunt actu distincta, præcipuè apud illos, qui unum non distinguunt actu, à re una. Antecedens probatur. Universale debet esse unum, aptum inesse multis, sed singularia convenientia & similia in natura, non sunt unum aptum inesse multis, ergo singularia, non sunt universale formaliter. Minor probatur. Quia quod debet esse unum aptum inesse multis, debet esse ratio, quam participent multa, non verò ipsa participantia, jam autem singularia, non sunt ratio quæ participatur.

Idem medius terminus sic proponitur. Si nomine universalis intelligas non aliud, quam plura convenientia in natura, indubiè sic sumptum universale datur à parte rei. Sed quæro, vel vis retinere definitionem communem universalis, vel non vis? si non vis; extra statum quæstionis disputas; si vis, ergo universale non debet esse formaliter plura similia in natura, nam unum aptum inesse multa & plura similia in natura, non sunt idem formaliter, nam negatio divisionis, cum esse divisionis, non sunt idem, plura autem sunt esse divisionis, & unum negatio divisionis. Et certè plura adeoque apta esse multa, & unum aptum inesse multis, non sunt idem formaliter, vel ex oppositione ipsius Ly plura cum Ly unum. Jam autem plura convenientia, seu habentia unitatem convenientiæ, sunt plura adeoq; apta esse multa. Ergo plura dicentia unitatem convenientiæ, non sunt unum formaliter.

Probari 2. solet. Unitas universalis non debet esse passio pluralitatis, Unitas convenientiæ est passio pluralitatis, ergo unitas convenientiæ, non est unitas universalis. Minor probatur. Unitas sequens multiplicitatem, est unitas, quæ est passio pluralitatis, unitas convenientiæ, est unitas sequens multiplicitatem, quia est unitas relativa, seu ad aliud, adeoq; necessariò involvens plura. Major principalis probatur. Tum quia unitas universalis, debet esse unitas naturæ non naturarum, & in definitione universalis, ponitur pro genere natura, non naturæ. Tum quia unitas universalis, debet esse unitas sine addito, sine addito enim ponitur in definitione, jam autem unitas, quæ est passio pluralitatis, est unitas cum addito. Tum quia si unitas universalis, esset passio pluralitatem sequens, esset unitas vel universalis Metaphysici tantùm, vel Logici etiam; neutrum dici potest: Non primum; Quia si alia esset unitas universalis Metaphysici, nempe unitas involvens pluralitatem, alia unitas universalis Logici, erunt & ipsa universalia, distincta nemine cogitante actu, adeoq; non idem erit Universale in Prædicando, quod est universale Metaphysicum, cùm diversa habeant constitutiva, consequenter non id prædicabitur quod est; non potest dici secundum, quia universale Logicum, excludit pluralitatem, de quo infra.

Probatur 3. Si unitas convenientiæ, esset unitas universalis formaliter, universale illud esset aggregatum ex pluribus, naturam similem participantibus, sed universale formaliter non est aggregatum ex pluribus similem naturam participantibus. Tum quia non est ita definitum ab Aristotele. Tum quia si nihil obsit, debet poni universale, cum sua passione, quod est prædicabilitas de singulis, sicut ponitur & aptitudo ad inessendum singulis, ut ita esse & dici, proportionentur. Jam autem si unitas convenientiæ, esset unitas universalis formaliter, non esset universale cum passione prædicabilitatis, siquidem plura, quæ involvit unitas convenientiæ, non possent dici de uno, sine falsificatione propositionum; & si esse aptum inesse multis, spectat ad universale formaliter, spectabit etiam, dici de multis. Tum quia, si universale est aggregatum, ex pluribus similem naturam participantibus, hoc ipso debet dari illis omnibus ratio communis, quæ participetur ab illis, quæ ratio cum non sit singularis formaliter, debebit esse illa communis multis, quæsita ratio formalis, universalis formaliter.

Addo, sicut formatur à nobis conceptus animalis rationalis, qui est conceptus, Metaphysicè definitivus hominis, de quo ipso si quæratur, quid in re & Physicè sit, respondeturq; quod sit corpus v.g. & hoc & illud, hæc & illa anima rationalis, ita ratio illa participata in pluribus similem naturam habentibus, quæ est ratio quædam Metaphysica, si quæratur, quid in re & Physicè sit, non aliud erit, quàm & hoc & illud individuum. Universaliterq; quæcunq; rationes communes, & Metaphysicæ, in re & Physicæ sunt id, quod præbet fundamentum conceptus illius Metaphysici, & ratio communis.

Dicendum est 3. *Unitatem ad universale sufficientem, esse indivisionem, in plura, sive numero, sive specie distincta, cum aptitudine ad inessendum multis.*

Probatur 1. Quia debet esse Unitas aliqua universalis, alias nec universale daretur: quæ unitas, cum non sit unitas præcisionis, unitas negativa, unitas formalis, aut convenientiæ, ergo debet esse unitas in conclusione expressa, nulla enim alia.

Probatur 2. Quia hæc sola indivisio, constituit universale, cum passione sua necessaria, hoc est prædicabilitate, si enim ita unum & indivisum prædicabitur, non prædicabitur aliquid, quod non insit subjecto.

Probatur 3. Quia sic definitæ unitati, nihil deest, ad rationem unitatis universalis formalis.

Hæc Conclusio totam suam probationem sumit, ex refutatione alienarum sententiarum, &

iis, quæ infra dicentur. Hisq; verbis docetur à S. Thom. 1. Metaph. L. 1. *Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, sed intellectus apprehendit, ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt, & sic in apprehensione intellectûs, species fit indivisibilis, quæ realiter est diversa in diversis individuis.*

Inferes. Hanc unitatem non esse à parte rei.

Ratio. Quia omnia quæ sunt à parte rei, sunt aut solo numero, aut specie divisa, ergo non dicunt indivisionem in plura. Porrò unitas hæc universalis, in eo est dissimilis unitati individuali, quia hæc non solum dicit indivisionem, sed & ineptitudinem ad divisionem in plura; differet autem ab unitate formali, quia hæc reperitur in subjectis, quæ non exigunt, imò nec possunt multiplicari, ut vidimus supra.

Punctum Difficultatis 3.

Fundamenta Oppositorum.

Objicitur 1. Nulla unitas præter formalem, est unitas universalis, ergo ista est sufficiens ad constituendum universale. Antecedens probatur, quia nulla alia facit universale unum in multis, si enim aliqua alia id faceret, faceret vel illa, quæ solum est objectivè in intellectu, vel illa, quæ solum est subjectivè in intellectu, Neutra: non illa quæ est tantum objectivè in intellectu, quia hæc est ens rationis, neque illa quæ est subjectivè in intellectu, quia unitas hæc, est in actu intellectus, repræsentans plura per modum unius, consequenter sicut ipse actus non est in multis, ita nec unitas ipsius, est in multis.

Respondetur. Etiam permisso quòd illa unitas, quæ est subjectivè in intellectu, sit unitas formalis universalis, negabitur, quod hæc unitas, sit unitas in actu intellectus, repræsentantis plura per modum unius, non enim tunc repræsentantur per nos, etiam confusè plura. Deinde negatur, quod unitatis universalis nomine, veniat per nos unitas actus intellectûs.

Hinc jam conformiter ad dicenda infra, negatur Antecedens cum suis probationibus. Neque enim unitas, quæ sit tantum objectivè in intellectu, neque unitas, quæ sit subjectivè in eodem facit naturam universalem unam, sed unitas & indivisio inclusa in ipsa natura, licèt non extra circumstantias nostræ abstractionis, quæ abstractio facit, ut unitas illa, quæ fundamentalis tantùm, postea in actum, pro statu Metaphysico, deducatur.

Instabis. Si ista unitas est unitas ipsius naturæ, debet esse illi intrinseca, intrinseca esse non potest, quia abstractio non potest ullam rationem intrinsecam naturæ addere, nisi fictitiè.

Respondetur. De intrinsecitate istius unitatis, infra agetur. Quantùm ad præsens dici potest, abstractionem, quæ est cum fundamento in re, posse facere, ut natura aliquam rationem intrinsecam fundamentaliter, actu habeat via abstractionis, quod fieri potest, sine ulla fictione; neque enim status Metaphysicus aut intentionalis, si procedat cum fundamento in re, est status fictitius, licèt fictitia esset hæc unitas, si haberetur sine fundamento in re. Quamvis autem nihil conceptus meus tribuere possit rebus, extra intentionalem statum habentibus, potest tamen aliquid tribuere rebus in intentionali statu. Et sicut oppositi unitatem universalis Logici, quam dicunt abstractione fieri, non dicunt esse fictitiam, ita & in præsenti idem dicendum.

Objicitur 2. Illa sola unitas est sufficiens ad universale formaliter, per quam natura habet, ut sit actu in multis, sed per nullam aliam, habet natura, quòd sit una actu in multis, præter unitatem formalem vel convenientiæ. Ergo illæ sunt sufficientes ad universale formaliter. Major probatur, quia arbitrariè dicitur, naturam debere esse in multis, solâ aptitudine, præcipuè cum à parte rei per Aristotelem, debeat esse universale, nolebat enim ille formas rerum, esse extra multa, ut patet 1. Poster. tex. 26. & 7. Metaph. tex. 51. Minor etiam probatur, quia natura in statu abstractionis, est unum extra multa.

Respondetur. Sufficere ad universale, ut sit natura una, non actu in multis, sed apta inesse multis, quia hoc ipso non esset una, si esset actu in multis; & si deberet esse actu in multis, esset universale non aliud, quàm plura eandem naturam participantia, cujus oppositum probant argumenta. Aristoteles non plus voluit, quam quod non dentur universalia actu & realiter extra singularia existentia, quod voluit Plato, & à nobis non asseritur. Cæterùm unitas illa universalis per nos, debet esse præter multa, non in hoc sensu, quasi debeat esse unitas, cum exclusione capacitatis ad multa, sed in hoc sensu debet esse præter multa, id est non cum differentiis & hæcceitatibus.

Objicitur 3. Si natura universalis non deberet esse una in multis actu, sed una in multis aptitudine, non potest enim quidquam aptitudine esse tale, quale nequit esse actu. Atqui natura universalis, non potest esse una, cum multiplicitate actuali: Ergo nec aptitudine, esse una in multis.

Respondetur. Diversas esse propositiones: Natura quæ est una, habet aptitudinem ad esse in multis, & alia est hæc propositio; Natura unà cum unitate retinenda, habet aptitudinem ad inessendum multis, prior est vera, posterior falsa, unde quando dicitur universale est

unum

unum aptum inesse multis, in priori sensu est accipiendum, consequenter ly una componi debet cum natura, non cum ly apta inesse multis, neque enim retenta unitate, est apta, poni in multis.

Instabis. Si unitas universalis esset unitas in multis aptitudine, ly in multis, construxisset Arist. cum ly aptum inesse, non verò cum ly unum, sed construxit cum ly unum, ut habetur 1. poster. tex. 25.

Respondetur. Etiam sub illo ly unum in multis, subaudiri aptum inesse.

Addo. Si quis non aliam unitatem requireret ad universale, nisi eam, quæ etiam rei singulari, qua singularis est conveniret; Si item nullam aliam nisi unitatem convenientiæ, cum isto his est de solo nomine: an scilicet hoc sit vocandum universale? nam in re idem dicimus: dari scil. hanc unitatem convenientiæ. Et solum tale universale admisit Mastrius Scotista D. 4. N. 3. *Per universale in essendo &c. non intelligitur universale in Actu, sed Natura communis, quæ possit esse fundamentum intentionis universalitatis, & ob suam communitatem præbeat occasionem intellectui, ut ipsam concipiat verè & positivè unam in multis.* Quid si id dixisset Mastrius, de distinctione Scotistica.

DIFFICULTAS V.

Proponitur tenenda sententia de Universali.

Post Conclusionem, superius Punct. Diff. 2do traditam, constitit, quòd hæc unitas universalis non habeatur, nisi per Intellectum, discutiendum tamen, & in particulari impugnandum venit. Quod non detur universale, hoc est natura communis, nemine cogitante condistincta à differentiis, & quidem, quod non detur universale Logicum nemine cogitante, consentiunt omnes, cùm ad illud requirant vel actum intellectus confusum, vel comparativum vel abstrahentem objectivè. Imò Scotista Mastrius Disputatione 4. n. 18. hîc, docet, solum universale in prædicando, esse propriè universale, consequenter inferri potest, nullum universale verum & proprium, haberi nemine cogitante. Tota Difficultas est, de universali Metaphysico, de quo

Dicendum est. *Non dari actu à parte rei universale formaliter Metaphysicum, seu non dari Naturam communem, nemine cogitante condistinctam à differentiis*, dixi non dari actu à parte rei universale formaliter, quia indubiè, datur à parte rei nemine cogitante actu, fundamentaliter acceptum universale, datur enim fundamentum sufficiens, concipiendi Naturam unam, aptam inesse multis; intellectus enim videndo sensatione nos convenire cum brutis, differre ab iisdem rationalitate, habet sufficiens fundamentum, concipiendi naturam secundùm solam convenientiam, seu secundùm solam animalitatem, adeoq; faciendi universale generis, habet item fundamentum concipiendi naturam, secundùm solam rationem, quâ differt à brutis, adeoque faciendi universale differentiæ. Tota ergo quæstio erit, de universali formaliter.

Probari solet 1. Conclusio ex 1. de Anima tex. 8. *Vniversale autem aut nihil, aut posterius, Anima*, ad quem locum commentatur Avicenna quòd Intellectus faciat in rebus universalitatem. Et 12. Metaph. conc. 8. idem inquit: *Universalia esse collecta ex particularibus, in intellectu, qui facit ea unam intentionem.* Responderi posset, Aristotelem loqui de universali Logico, quod non est nemine cogitante, addit enim Arist. *Similiter autem* (intellige posterius est anima) *si quid commune aliquid prædicetur.* Restaurari posset hoc argumentum, quia in eo solo statu natura est universalis formaliter, in quo est etiam prædicabilis, prædicabilitas enim est passio necessaria universalis; consequenter universalis actu, debet esse passio, prædicabilitas actu, sed secundùm respondentem natura nonnisi in statu abstractionis habet prædicabilitatem actu, ergo nonnisi in eodem statu, habebit & universalitatem actu.

Probat 2. Arriaga. Implicat naturam aliquam à parte rei esse unam in se unitate rigorosa, & eandem esse multiplicem & divisam, in eadem ratione, sed hæc requiritur ad universale, ergo illud implicat à parte rei. Major inquit est evidens. Minor ab omnibus conceditur. Consequentia legitima.

Respondetur. Minorem à multis negari, ut ab iis qui dicunt unitatem convenientiæ sufficere ad universale. Item ab iis, qui dicunt sufficere unitatem formalem, quam appellant Minorem numerali.

Probatur 3. Conclusio. Non datur à parte rei in individuis nemine cogitante actu natura, ab individuis & differentiis distincta, quæ sit per modum unius indivisi formaliter, ergo non datur universale à parte rei, hoc enim quod continet Antecedens venit nomine universalis, apud oppositos. Antecedens probatur. Quia & esset nemine cogitante actu, ista natura ab individuationibus & differentiis distincta, ut supponitur, & non esset nemine cogitante distincta, quia id quod correspondet objecto, vi abstractionis actualis, non est nemine cogitante, Natura autem sic distincta, est illud, quod respondet abstractioni actuali, quod totum probatum est, ubi actum de distinctione ex natura rei.

Confirmatur Probatio. Quia si daretur natura dicto modo distincta, sequeretur aliquid implicatorium, implicat enim, quando aliqua sunt idem realiter in creatis, & si quid formaliter uni formalitati competat, ut non competat

in sensu reali, etiam alteri formalitati, sibi identificatæ, & ita realiter animalitas Petri, est rationalitas, sed si esset natura animalis condistincta nemine cogitante ab hæcceitatibus, conveniret aliquid uni formalitati, quod in sensu reali, non conveniret alteri sibi identificatæ, ergo si daretur natura universalis à parte rei, sequeretur aliquid implicatorium. Minor immediata probatur. Conveniret naturæ esse commune formaliter, & ne in sensu quidem reali conveniret id hæcceitati, non enim illa potest esse realiter communis, hoc ipso enim, non esset hæcceitas, ergo conveniret aliquid uni formalitati, quòd non conveniret alteri, etiam in sensu reali.

Item per oppositos non datur à parte rei universale Logicum, ergo nec dabitur universale Metaphysicum, quia utrumque importat naturam unam, distinctã à differentiis, & individuationibus, ergo si implicat natura talis in ordine ad universale Logicum absque mentis operatione, implicat & in ordine ad universale Metaphysicum.

Probatur 4. ex Suar. Si esse universalem convenit naturæ realiter, aut convenit per se, aut per accidens, si per se, ergo hoc conveniet etiam omnibus individuis, quod enim convenit per se superiori, convenit & inferioribus ejusdem, consequenter, unicuique individuo, conveniet esse universale; si autem id convenit per accidens, cum hoc accidens non sit futurum reale, debet esse accidens rationis, adeoque non nemine cogitante.

Probatur 5. Non datur nemine cogitante actu natura è parte rei distincta à differentiis, ergo nec dabitur actu à parte rei universale Metaphysicum. Antecedens probatur, quia aliàs daretur etiam natura præscindens ab esse rationali, & irrationali, idque nemine cogitante, quod non potest dici, quia non datur natura, nemine cogitante actu præscindens ab esse creati & increati, ergo nec præscindens, ab esse rationalis, & irrationalis. Consequentia probatur, quia natura, vel præscindit ab omnibus differentiis. Ergo præscindet etiam ab esse creati & increati, vel non præscindit ab omnibus, da ergo rationem, cur potius ab his, quam ab illis abstrahat. Deinde doctrina oppositorum probat, naturam actu distingui ab esse creato & increato, de facto enim reperitur in Deo natura, & non cum differentia creati, quando autem una est formalitas apud illos sine altera reperibilis, aliaq; definitione definibilis, hoc ipso est nemine cogitante actu distincta, parumque refert, quod illa formalitas sit Analoga, quia allata fundamenta ostendunt, etiam in talibus, reperiri debere distinctionem actualem, si autem concesseris, dari actu à parte rei, naturam, quæ neque sit creata, neque increata, in contra erunt, phrases Patrum, universaliter asserentium, quidquid est, aut est Deus, aut creatura. Rursùs hoc ipso non dabuntur per oppositos analoga actu nemine cogitante, quia actu nemine cogitante distinguentur à ratione conveniendi, & disconveniendi, sicut distinguentur & ipsæ inter se convenientiæ, & disconvenientiæ. Ergo ulterius dabitur natura, de qua nemine cogitante actu verum sit dicere: est nemine cogitante, & tamen non est Deus nemine cogitante, nec est creatura nemine cogitante.

Respondebis 1. Sufficeret quòd sit realiter creatura.

Contra est, hoc ipsum videtur esse durum, ut id quod est realiter creatura, non sit nemine cogitante creatura, meliusq; subderentur creaturæ Deo in esse dependentis, si de eo quod est realiter creatura, non possit nemine cogitante verificari independentia, quæ verificatur, de quo dicitur; nemine cogitante non est creatura, imò sequetur verificatio duorum contradictoriorum, est nemine cogitante actu creatura, quæ propositio verificabitur, ratione sensus realis; non est nemine cogitante actu creatura, quæ altera pars verificabitur titulo formalitatis ex natura rei, vi cujus, natura distinguitur ab esse creati.

Respondebis 2. Quod esse creati, transcendat rationes, & formalitates creaturarum, ideoque ab illis nemine cogitante non præscindat.

Contra est. Concesso quòd esse creati, transcendat entitatem creatam, ex principiis tamen oppositorum, falsum est, quod transcendat rationem communem naturæ, si enim esset transcendens rationem communem naturæ, impossibile esset reperiri naturam, sine esse creati, cujus oppositum est in Deo; quod si non transcendit naturam communem, ergo ab illa distinguetur, cum ex sola transcendentia, deberet non distingui.

Respondebis 3. Non dari conceptum unum naturæ nemine cogitante.

Contra. Quia probat ratio allata debere distingui in principiis respondentis, naturam à differentiis creati & increati, si distinguetur, idq; nemine cogitante, hoc ipso dabitur conceptus unus essentiæ nemine cogitante. Deinde principia oppositorum probant, dari debere conceptum unum naturæ, quia datur definibilitas, ejusdem una, eaq; distincta, à definibilitate creati vel increati.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Arist. 5. Met. tex. 8. & 12. Inter modos unius, quatenus aliquomodo unitatem speciei, & generis, quatenus aliquomodo unitates reales sunt, nam ibi, non erat sermo de intentionibus nostris, unde etiam, 7. Met. tex. 5. dicit, eandem esse rationem animalis, in omnibus speciebus.

Respon-

Respondetur. Arist. voluisse significare, quòd omnia sensitiva in ratione animalis habeant unitatem convenientiæ, sed non dicit illam esse sufficientem ad universale formaliter, nec loquitur de genere, & specie, formaliter sumptis.

Instabis. Aristoteles 1. poster. c. 5. divisit res in universales & singulares, quæ divisio esset mala, si universale non daretur à parte rei, esset enim divisio in membra, quæ non sunt actu distincta, cum non sit eorum alterum scilicet universale actu, prius est autem esse, postea condistingui.

Respondetur. Posse bonam fieri divisionem in membra, quorum unum sit actu, & aliud non sit actu ante opus intellectûs, ut dividi potest unum, in unum reale, & in unum intentionale, & ut dividitur Ens, in ens reale, & in ens rationis. Deinde dici potest, quòd sufficiat, ut unum membrum divisionis sit actu, & aliud conditionatum, ita sicut dividitur Quantitas in finitam & infinitam, quia si esset possibilis Quantitas infinita, esset membrum dividens Quantitatem.

Objicitur 2. Ex S. Th. Natura Petri & Pauli potest definiri propriâ definitione, Ergo habet unitatem aliquam. Nam ex 4. Met. tex. 10. nihil definitur, nisi quatenus unum, sed unitatem, hanc non habet ab intellectu, quia nec definibilitatem, ex qua unitas hæc oritur, habet ab intellectu.

Respondetur. Naturam Petri & Pauli, prout est à parte rei, non posse una definitione definiri, sed sicut duo sunt, ita duabus definitionibus debent definiri; possunt tamen definiri una definitione, prout substant nostris intentionibus, quæ possunt divisiones illas deputare, unde nemine cogitante, fundamentaliter tantum, sunt unâ definitione definibiles, non verò formaliter, & proximè.

Objicitur 3. Natura Petri & Pauli, non differunt essentialiter, non differunt enim ita sicut Petrus, & Bucephalus, ergo sunt unum specie.

Respondetur Disting. Consequens. Ergo sunt unum specie, id est conveniunt specie. Conced. Conseq. Sunt unum specie, rigorosè, & nemine cogitante, & unitate sufficienti ad universale. Nego Conseq.

Responderi aliter solet. Neg. Conseq. ex hoc principio, eo quod similis sit huic: Gabriel & Michael, non sunt differentes Quantitativè, ergo sunt unum quantitativè, quæ consequentia etiam per te non tenet, ita nec tenebit consequentia adlati argumenti; sicut enim non potest alicui tribui unitas Entis alicujus, sine illo ente, cujus est unitas, unde quia in Angelo non reperitur entitas quantitatis, nec tribui ei potest unitas quantitativa; cum ergo in Petro non sit entitas essentiæ Pauli, nec potest ei tribui unitas essentiæ Pauli.

Objicitur 4. Natura humana, ex se habet formalem indivisionem, ergo habet unitatem formalem, quia in indivisibilitate unitas consistit. Antecedens probatur. Non habet ex se formalem divisionem, aliàs ubique eam haberet, & sine illa concipi non posset, ergo ex se habet formalem indivisionem.

Respondetur. Naturam ex se, prout subest nostris conceptibus, habere indivisionem formalem, non autem prout est à parte rei, à parte enim rei, sunt ex se nonnisi singularia, formaliter divisa.

Objicitur 5. Universale fundamentaliter acceptum, non est formaliter singulare. Ergo est formaliter universale, quia omne, quod non est singulare, est formaliter non singulare, adeoque formaliter universale.

Respondetur. Neg. Conseq. Ratio, quia non licèt argumentari à termino negativo ad positivum, v. g. non est album, ergo est nigrum, nam viride est non album, & tamen non est nigrum, consequenter, nec ex eo, quia concederetur universale fundamentaliter acceptum, non esse formaliter singulare, rectè arguetur, quod sit formaliter universale. Hæc Consequentia tenet: universale fundamentaliter acceptum, est formaliter singulare. Ergo universale fundamentaliter acceptum, non est formaliter singulare, tenet in quam consequentia, quia est à contradictorio ad contradictorium. Porrò ut vera sit hæc propositio, universale fundamentaliter acceptum non est formaliter singulare, non est necesse, ut jam sit formaliter universale, sed sufficit ut sit plura formaliter singularia. Unde secundùm superiùs dicta, debet negari, quod universale fundamentaliter acceptum, non sit formaliter singulare, supple, conveniens cum alio singulari.

Objicitur 6. Identitas realis materiæ respectu ejusdem materiæ ad formas non impedit, quominus essentia actu possit abstrahere, à respectu ad formas actuales, ergo & identitas realis essentiæ cum individuis, non impedit, quo minus essentia actu possit abstrahere, ab actualibus individuis.

Respondetur. Neg. Antecedens. Nemine enim cogitante datur non nisi fundamentum hujus abstractionis, sed actu non abstrahit ab illo respectu.

Instabis. Si non abstrahit nemine cogitante actu entitas materiæ, ab esse respectivo, ergo æquè intimus & intrinsecus, est respectus ille, tam ad formas possibiles, quàm ad formas actuales vel accidentales.

Respondetur. In re, æquè intimos esse illos respectus, neq; enim alia sui entitate respicit materia possibilia, & alia sui entitate actualia, tota ergo diversitas erit, nonnisi in ipsis terminis extrinsecis. Consequenter dicitur respectum ad illas formas duo dicere: Unum in recto, aliud

in obliquo; in recto dicit entitatem materiæ, & in hoc recto, tam respectus secundò essentiales, quos dicit materia ad formas possibiles, quàm respectus accidentales ad formas accidentales convenirent, nec ab hoc respectu abstrahit nemine cogitante materia, quia nec abstrahit nemine cogitante, à sua entitate. Aliud autem ille respectus dicit in obliquo, nempe ipsos terminos, nempe formas possibiles, vel actuales, ita ut diversitas respiciendi, sit penes terminos, & ab istis terminis dicit materia distinctionem nemine cogitante.

Objicitur 7. Quod non est essentiale alicui nemine cogitante, non est illi essentiale, sed ipsi v. g. esse hominis, non est essentiale esse Petrum, ergo nemine cogitante, non est hoc illi essentiale, consequenter nemine cogitante, distinguetur à Petreitate.

Respondetur. Quod à parte rei, homini alicui, sit essentiale esse Petrum, adeoq; indistinctum ab illo, ita ut ly homo independenter à conceptibus nostris acceptum dicat, tanquam quid essentiale, in Petro Petreitatem, in Paulo Pauleitatem, totaque collectio illorum individuorum, erit homo independenter à nostris conceptibus acceptus.

Instabis. Datur nemine cogitante singulare, quod est relativum ad universale. Ergo debebit dari, & ipsum universale, ergo non erit necesse, ut sit homini essentialis Petreitas, quia hoc ipso non esset nemine cogitante universale, sed sola singularia.

Respondetur. Hoc nonnisi sensu singulare est correlativum universalis, quia est illi oppositum suo modo, sed inde non sequitur, dari etiam debere à parte rei universale, quia datur singulare, nam finitæ quantitati est opposita infinita quantitas, & tamen data à parte rei quantitate finita, non est necesse dari quantitatem infinitam.

QUÆSTIO II.

De Actu Intellectus, per quem fit Natura universalis una.

Tota hæc quæstio manca erit nisi legantur in Metaphysica, dicta de Præcisionibus objectivis. Auctores, qui non tenent dari universale à parte rei, abeunt in hac quæst. in partes, cum quibus disceptandum erit.

DIFFICULTAS I.

An universale fiat, per actum confusè singularia cognoscentem?

Hurtadus, & cum secuti Arr. & Ov. docent, ita imbibi singularitates in natura humana, ut sine illis non possit cognosci, quamvis non sit necesse, dum cognoscitur natura humana, clarè etiam singularitatem cognosci, licèt sit necesse cognosci eandem confusè & implicitè.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum.

Dicendum est. *Naturam universalem, non fieri unam, per actum confusè singularia cognoscentem.*

Probatur 1. Iis rationibus, quibus suadentur in distinctionibus Præcisiones objectivæ.

Probari solet 2. Si natura universalis non aliud esset, quam singularia confusè cognita; sequeretur istius propositionis universalis, Petrus est animal, hunc esse sensum, Petrus est & Bos, & Homo, & Asinus, quia prædicatum universale generis non aliud esset, quàm species confusè cognitæ, quod est absurdum. Deinde, si singularitates, & differentiæ cognoscuntur confusè in universali, sequitur bis cognosci differentias, quando concipio Animal-Rationale, semel in animali, & postea in se ipsa, quod tamen est contra experientiam; Deniq; sequeretur, quod quando concipio animal, concipiam totum hominem confusè, quia scilicet confusè concipio rationalitatem, non dabiturq; ex parte objecti aliud universale generis, ab universali speciei, sed erit tantum universale speciei. Neque est recurrere ad actum confusè cognoscentem, quia confusa cognitio non facit, quominus ex parte objecti, non respondeat differentia conjuncta generi, ergo nec faciet, quominus ex parte objecti universale generis, non sit universale speciei.

Probatur 3. Tum quia si non fieret universale, nisi per actum confusum, vel id ideò esset, quia non habet vim intellectus præscindendi objectivè, & hoc non, quia nec divina posset præscindere, quod est contra Arr. vel quia creatum objectum, non posset præscindi, & hoc non, quia creatum objectum præscindi objectivè, nullam involvit implicantiam. Tum quia titulo diversorum connotatorum potest apprehendi & denominari entitas per modum animalis, & titulo diversorum connotatorum, potest apprehendi & denominari rationalis. Ergo etiam titulo eodem, respondere potest ex parte objecti animalitas, & non respondere, ex parte objecti rationalitas; & sicut tu recurres ad diversa connotata, in salvando hoc, quod est clarè, & non clarè nosci; ita & in præsenti, recurretur ad diversa connotata, formalitatesq; ex illis pullulantes. Tum quia si se ex parte objecti, prout repræsentati, ita se haberet animalitas & rationalitas, sicut se habet ex parte objecti, prout repræsentati lignum & Angelus, fieret tunc præcisio objectiva objecti, prout repræsentati, sed de facto

facto ex parte objecti prout repræsentati, ita se habent. Nam æquè non experior sub termino lignum, respondere mihi, confusè Angelum, ut sub termino Animal, prout repræsentato non experior respondere mihi terminum Bucephalitas, videturq; quod hoc sibi sit imponere, dicendo: quòd hoc confusè cognoscam, licèt experiar, nullo modo illud mihi repræsentari, idq; non tantùm quoad vocem, sed & quoad essentialia prout repræsentata.

OBJICITUR 1. Si non præsentantur in natura universali singularia confusè, sed sola ratio communis præcisa, ergo poterit à Deo produci, hæc ratio præcisa, sine singularitatibus.

RESPONDETUR. Non omnia quæ separantur intentionaliter, posse separari, & seorsim esse realiter.

OBJICITUR 2. Non minus contradictoriè opponuntur cognosci, & non cognosci, quàm produci & non produci, existere & non existere, sed repugnat existerè animalitatem Petri, & non existere rationalitatem Petri. Ergo etiam repugnabit, cognosci animalitatem Petri, & non cognosci rationalitatem Petri. Major probatur, quia particula non, quæ facit contradictiones, posita est in utroque exemplo supra id quod affirmabatur prius.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, non minus contradictoriè, repugnat cognosci distincte, & non cognosci distincte, quam produci, & non produci, & tamen per oppositos, potest cognosci distincte animalitas & non cognosci distincte rationalitas.

Deinde argumentum multum probat, quia rationem substantiæ, probat ab oculo corporeo videri, dicerem enim, impossibile est produci Petrum & non produci, secundùm rationem entis, & substantiæ, ergo impossibile est videri Petrum coloratum, & non videri secundùm rationem entis & substantiæ, non minus enim contradictoriè hæc opponuntur.

Directe autem dici potest, quod non minus contradictorie opponantur, cognosci, & non cognosci, respectu ejusdem formalitatis, quam produci, & non produci, secus si sumatur illud cognosci, & non cognosci respectu diversæ formalitatis, & disparitas est: quia si sumantur, cognosci, & non cognosci, respectu diversæ formalitatis, hoc ipso non erit vera contradictio propter alietatem, diversarum formalitatum; jam autem non potest in creatis idem produci, & non produci, quia non haberetur principium, per quod eximi posset à contradictione, ne de eodem verificentur illa contradictoria. Hoc enim principium, non possent esse diversæ Metaphysicæ formalitates, quia sunt ordinis Metaphysici, produci autem, & non produci, est ordinis physici, non etiam illud produci, & non produci, eximeretur à contradictione, ratione diversarum virtualitatum in ordine ad prædicata Physica, seu primo intentionalia: quia in creatis, talis distinctio non datur, aliàs daretur in creatis mysterium Trinitatis.

Ad illa contradictoria, existit, non existit, ne in divinis quidem datur virtualitas, quia existit, & non existit, est purum: *est & non est*, si est purum *est*, & *non est*, non poterit de uno verificari *est*, de alio *non est*. Si de alio verificari hæc non poterunt, verè contradictoria hæc erunt, adeoque implicabunt.

OBJICITUR 3. Nulla contradictoria possunt verificari de creatis, si autem, non per actum confusè cognoscentem singularia, universalia fierent, verificarentur contradictoria.

RESPONDETUR. Si nulla contradictoria possunt verificari de creatis, quomodo verificantur, clarè cognosci, non cognosci clarè, quomodo verificantur de eodem, acclive, non acclive, sed declive, quomodo verificantur, clarius se, quod dicitur de definitione, non clarius se, quod dicitur de definito, &c.

Deinde si rigorosè loqui velimus, non tantum in creatis, non possunt verificari duo contradictoria, sed nec in divinis, maximè enim inter alia verificarentur in his prædicatis: communicatur, non communicatur, producitur, non producitur, distinguit realiter, non distinguit realiter, quæ omnia non sunt contradictoria, nam non dicitur, natura non communicatur, natura communicatur, sed Paternitas v. g. non communicatur, nec dicitur natura non distinguit, natura distinguit, sed Paternitas v. g. distinguit, quod si affirmationis illius, & negationis, alia sunt verificativa, hoc ipso affirmatio illa & negatio, eximitur à conditione veræ contradictionis.

Denique si concedi deberet quod in creatis, non possent verificari duo contradictoria, id verum esset eo sensu, quia scilicet non potest v. g. verificari affirmatio de uno, quin in sensu reali verificetur de altero, identificato realiter.

Punctum Difficultatis 2.

An de eodem realiter possint verificari duo contradictoria?

AD defendendam hanc sententiam, examinanda sunt aliqua à recentioribus objecta, quæ in hoc fermè fundantur principio: De eodem realiter non possunt verificari duo contradictoria. Circa quam difficultatem.

ASSERO 1. *In omni sententia verificari duo contradictoria, si præcisè contradictio spectetur penes terminos oppositos.*

RATIO. Quia sententiæ in hac materia dividi possunt in sententiam tenentem præcisiones objectivas, & negantem præcisiones objectivas: sententia admittens præcisiones objectivas adhuc

huc est duplex; una Scotistarum tenentium formalitates ex natura rei actu distinctas, alia eorum qui admittunt distinctionem nonnisi ratione connotatorum, solumq; ponunt fundamentum, actu hæc distinguendi. Omnes hæ admittunt contradictoria penes terminos præcisè oppositos. Nam in primis admittitur verificari hæc duo in divinis: produci, non produci: in sententia Scotistica admittitur hoc contradictorium, est formaliter animalitas, non est formaliter animalitas: quod etiam contradictorium pro statu intentionali admittitur à Connotatistis. In sententia negante præcisiones objectivas & admittente nonnisi formales, admittuntur hi termini, cognoscitur clarè, non cognoscitur clarè sed confusè, cognoscitur in ordine ad hæc connotata, non cognoscitur in ordine ad hæc connotata: Potest item totus Petrus concipi in ordine ad hæc connotata, & totus concipi non in ordine ad hæc connotata: possum item cognoscere eundem Petrum clarè claritate discernente eum ab omnibus brutis dum cognosco rationale, & claritate non discernente eum ab omnibus brutis, dum cognosco animal.

Assero 2. *In nulla sententia verificantur duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.*

Ratio. Tum quia impossibile est idem esse & non esse. Tum quia nullum argumentum probat id teneri ab aliqua Schola. Tum quia quando verificatur de divinis produci & non produci, non verificatur ratione ejusdem virtualitatis, quando verificatur de creatis respondet animalitas, non respondet rationalitas, idq; ex parte objecti, verificatio illa est ratione diversorum connotatorum, ad quæ attendendo, formatur à ratione, nunc quidem formalitas animalitatis, nunc formalitas rationalitatis, ut alibi dicitur. Ergo in nulla sententia verificantur duo contradictoria formaliter & simpliciter talia.

Assero 3. *Tum primum verificarentur duo contradictoria simpliciter & præcisè, quando non tantum verificarentur termini contradictoriè oppositi, sed etiam verificarentur de eodem, quod ipsum adhuc non sufficit, sed est necesse verificari ratione ejusdem, unde debet verificari idem, de eodem, ratione ejusdem.*

Ratio. Quia illud ly impossibile est idem esse & non esse, nonnisi tenet, si dicto modo circumscribatur contradictio, unde v. g. produci & non produci est contradictorium in creatis, quia idem nempe produci, & non produci, de eodem v. g. homine, ratione ejusdem nempe realitatis, cum non habeat distinctionem virtualem, in ordine ad prædicata primò intentionalia, ratione inquam ejusdem realitatis verificabuntur, quod est impossibile; quæ virtualitas, quia intercedit in divinis, non sunt hæc simpliciter contradictoria. Sed hæc virtualitas non debet esse ratione distinctionis realis in tertio, ut dictum in prima Parte contra Perez, & Esparsa, quibus aliqui adnumerant Lugo & Arriaga, sed nullo fundamento, nam Arriaga ut constabit legenti nostram nonnisi sententiam tuebatur, nullusq; locus pro hoc citatur Lugonis.

Dices 1. Quibus conveniunt duo prædicata contradictoria iis necessariò convenit distinctio realis. Ergo impossibile est ut eidem rei realiter conveniant duo prædicata contradictoria. Antecedens probatur. Cui convenit aliquod prædicatum, convenit etiam id, quod est essentialiter inclusum in illo prædicato, v. g. cui convenit substantia, & in substantia includitur ens, eo ipso illi convenit esse ens, sed in prædicatis contradictoriis essentialiter includitur distinctio realis: quod ipsum probatur, quia in istis prædicatis invenitur est & non est, in hoc autem complexo est & non est, invenitur distinctio realis: quid enim patentius potest esse, quam quòd esse, distinguatur realiter à suo non esse.

Respondetur. Habito imprimis respectu ad divina, negatur Major, nam Natura divina & Paternitas præcisè inter se comparata, habent prædicata contradictoria, nempe est communis, non est communis &c. neq; tamen inter hæc est distinctio realis: & licèt est & non est, respectu ejusdem virtualiter, arguat distinctionem realem, impossibile enim est idem esse & non esse, non tamen eam arguit, in diversis virtualitatibus, hocque significat ille terminus arguentis; esse distinguitur realiter, à ly, suo non esse. Si enim non sit suum non esse, hoc est ratione ejusdem, non erit necesse ponere distinctionem realem.

Habito rursus respectu ad creata. Distingui potest Major, quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione diversorum connotatorum convenit distinctio realis, ratione etiam connotatorum distinctorum. Concedo Majorem: quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione diversorum connotatorum, convenit illis distinctio realis, quoad id, quod dicit in recto illud connotatum. Neg. Major. Et ita convenit esse indivisibili entitati Petri, formaliter animal, ratione connotatorum operationum sentiendi, convenit item non formaliter animal, ratione operationum intelligendi, quæ duo connotata sunt distincta realiter: nihilominus ipsum rectum quod est Petrus, non admittit distinctionem realem, nec ex eo admittere debet.

Habito respectu ad divina & creata, itemque ad assertum præjactum distinguitur iterato Major. Quibus conveniunt duo prædicata contradictoria ratione ejusdem. Conced. Major, si non competunt ratione ejusdem. Neg. Major. Quia nec tunc erunt jam contradictoria. Vel si vis distingue: quibus conveniunt duo prædicata

dicata contradictoria præcisè sumpta contradictione, ex oppositione terminorum, illa distinguuntur realiter. Neg. Major: quibus conveniunt duo prædicata contradictoria simpliciter & formaliter talia. Conced. Major. Idem est quod dicitur in prima parte duo contradictoria proportionata arguere distinctionem realem, secus improportionata.

Instat 1. Cum duo homines dicunt, unus, Petrum esse in foro, alter, Petrum non esse in foro, non idem realiter dicunt, non alia de causa, nisi quia sibi contradicunt. Ergo signum est, quod in duobus contradictoriis, inveniatur distinctio realiter.

Respondetur. Distinguendo consequens distinctionibus præjactis.

De antecedente cum limitationibus sentiendum, nam si Petrus replicetur, & sit in foro, simulq: templo, qui illum videt in templo, potest dicere non est in foro, sed verificatio hæc, arguet quidem connotatam locorum distinctionem realem, non tamen distinctionem realem ipsius Petri.

Instat 2. Cur produci & non produci includat distinctionem realem, ratio est, quia in illis est aliquid esse, & simul negatio ejusdem esse, ergo verificatio contradictoriorum arguit distinctionem realem.

Respondetur. Negando universaliter produci & non produci arguere distinctionem realem, nam reperitur in Natura & Filiatione, non tamen distinctis realiter, sed includere distinctionem realem si non detur virtualis distinctio, in ordine ad prædicata primò intentionalia, jam enim esset verificatio ratione ejusdem, unde quia hæc virtualitas non habetur in creatis, ideò in creatis productum & non productum distinguuntur realiter.

Instat 3. Posito quod affirmetur aliquid identificari realiter, & tamen convenire ei duo prædicata contradictoria, hoc ipso dum dicitur non de eodem verificari duo contradictoria, dicitur de eodem verificari duo contradictoria, quia affirmantur de subjecto involvente, duo contradictoria.

Respondetur. Ad formalem, & simpliciter contradictoriam, non tantùm requiritur ut affirmentur de subjecto eodem, sed etiam si sint prædicata primò intentionalia, necesse est illa verificari ratione ejusdem virtualitatis, si autem sint prædicata secundò intentionalia, ut verificentur ratione ejusdem formalitatis, vel ratione ejusdem connotati. Quando autem de Petro non potest dici produci cum ratione Petreitatis, non produci ratione humanitatis, id oritur ex eo, quia illi non convenit virtualis distinctio in ordine ad prædicata primò intentionalia, quæ illi convenire potest in ordine ad prædicata secundò intentionalia. Argumentum quod petitur ex eo, quia destrueretur tota forma syllogistica alibi solvitur.

Dices 2. Etiam duo contradictoria secundò intentionalia non possunt verificari de formalitatibus realiter identificatis. Quod probatur. Non minus sunt repugnantia sibi cognosci & non cognosci, ac sunt mutuò sui destructiva currere & non currere, quia utrumq; includit esse & negationem ejusdem esse, quæ negatio cum sit malignantis naturæ, destruit illud oppositum sibi esse, unde quælibet contradictoria, est maxima, nec suscipit minus, ergo si currere & non currere de eodem verificari non possunt, nec de eodem verificari poterit cognosci & non cognosci. Quod ipsum in hoc fundatur, quia tota vis contradictionis non consistit in ratione intrinseci & extrinseci, sicut non consistit in ratione spiritualis vel materialis, sed consistit in conjunctione & negatione conjunctionis ejusdem prædicati cum subjecto.

Respondetur. Retorquendo argumentum. Cum arguens admittit cognosci clarè animalitatem ratione diversi connotati, & non cognosci clarè sed confusè dum cognoscitur rationalitas per ordinem ad diversum connotatum, nos etiam admittimus diversa hæc connotata, cur ergo contradictoria illa, salvantur in principiis arguentis, & non salvabuntur in nostris, & si ad hoc confert diversitas connotatorum, cur non conferet virtualitas in ordine ad prædicata vel primò intentionalia, vel secundò intentionalia.

Ex dictis distingui debet major: quòd procedat dē cognosci & non cognosci ratione ejusdem virtualitatis, formalitatis, connotationis, datur tamen virtualitas in creatis ad cognosci & non cognosci, quia hæc sunt secundò intentionalia; non tamen ad currere & non currere non replicati. Quia non datur in creatis virtualitas in ordine ad prædicata primò intentionalia. Dixi non replicati, quia alibi dicitur, replicatum, posse in uno loco currere, in alio non currere. Et licèt negatio sit malignantis naturæ, malignat tamen nonnisi supra quod cadit, cadit autem non supra unam virtualitatem, quia cadit non supra id, quod affirmabatur, affirmabatur autem una virtualitas, supra aliam autem virtualitatem cadit negatio, & licèt præcisè consistat contradictio in conjunctione, & negatione conjunctionis ejusdem prædicati de subjecto, debet tamen id esse ratione ejusdem virtualitatis, formalitatis, connotationis.

Instat 1. Non potest Petrus respectu ejusdem esse dexter & sinister, quantum vis hæc sint contradictoria extrinseca, quod sit à me visus & non visus, & tamen hæc sunt contradictoria extrinseca, & si agatur de prædicatis contradictoriis intentionalibus, non potest dici quod Petrus aliquo modo cognoscatur, & quod nullo modo cognoscatur, ergo nec possunt verificari secundò intentionalia contradictoria.

Respon-

Respondetur. Defendendo terminos eorum qui admittunt distinctionem virtualem in ordine ad prædicata extrinseca, negabitur Antecedens, nam potest replicatus Petrus in uno loco esse dexter, in alio sinister, secundùm aliam & aliam collocationem, si illi in illo loco conveniat sed replicato. Sed attendendo ad terminos quos in hac materia tanquam prios usurpamus, cùm esse dextrum & sinistrum non sint contradictoria secundò intentionalia, h. e. petita per ordinem ad intellectum & voluntatem, falsum erit in nostris principiis Antecedens, imò in nostris principiis, si posset Petrus non replicatus esse dexter & sinister simul, hoc ipso haberet virtualem distinctionem in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia. Potest tamen per nos hoc convenire ut Petrus aliquo modo cognoscatur secundùm unam formalitatem, & non cognoscatur secundùm aliam ullo modo. Concessa nihilominus hac distinctione virtuali in ordine ad prædicata secundò intentionalia, non erit necesse concedere eam, ad hæc duo salvanda: aliquo modo cognosci nullo modo cognosci, quia hæc sunt formalia contradictoria, Ly enim nullo modo cognosci, excludit, cognosci ratione cujuscunque formalitatis cognosci: non cognosci autem ratione Animalitatis, non excludit cognosci ratione rationalitatis. Et sicut data in divinis distinctione virtuali in ordine ad hæc prædicata: Natura communicatur, Paternitas non communicatur, non est necesse concedere distinctionem virtualem, in ordine ad hæc prædicata: Natura communicatur, Natura non communicatur; hæc enim essent formalia contradictoria; ita neq; est necesse admittere hæc contradictoria: aliquo modo cognosci, nullo modo cognosci, quamvis ut dictum à nobis concedatur distinctio virtualis in ordine ad hæc prædicata secundò intentionalia salvanda: Animalitas noscitur, non noscitur Rationalitas.

Instat 2. Tam non potest idem subjectum indivisibile, subjici per partes prædicatis intrinsecis, quam non potest subjici per partes, prædicatis extrinsecis seu secundo intentionalibus. Ergo neutra horum contradictoriorum verificari possunt.

Respondetur. Si aliquid sit indivisibile etiam per ordinem ad prædicata secundo intentionalia, nec habet in ordine ad hoc virtualem distinctionem, nego quod secundùm unam partem subjici, secundùm aliam possit non subjici prædicatis secundò intentionalibus, secus si habeat in ordine ad hoc distinctionem virtualem.

Instat 3. Produci & non produci sunt contradictoria sive comparentur cum animalitate sola, sive cum animalitate & rationalitate: itemque sunt contradictoria produci & non produci inadæquatè. Ergo & cognosci & non cognosci, æquè ac illa, erunt contradictoria adeoque inverificabilia.

Respondetur. Cùm non detur virtualitas in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia, fit ut supra idem, & ratione ejusdem, cadat illud produci, & non produci; sed quia datur distinctio virtualis in ordine ad prædicata secundò intentionalia, poterit supra unam virtualitatem cadere cognosci, supra aliam non cognosci, adeoq; hoc fieri poterit, sine ulla contradictione, nisi spectando contradictionem, penes ipsos præcisè terminos oppositos.

Instat 4. Tam sunt idem realiter omnes formalitates, cum omnibus formalitatibus in eodem objecto indivisibili, quàm sunt idem realiter, una formalitas cum altera formalitate in eodem objecto. Ergo sicut repugnat cognosci omnes formalitates sine omnibus formalitatibus ejusdem objecti, repugnabit etiam cognosci unam formalitatem sine alia.

Respondetur. Tam formalitas cum re, cujus est formalitas, quàm formalitates inter se sunt idem realiter, sed ita sunt realiter idem, ut in ordine ad cognosci vel non cognosci dicant distinctionem virtualem adeoque attingibilitatem in ordine objecti, non attingendo aliam; quam distinctionem virtualem in ordine ad prædicata physica non dicunt in re indivisibili. Est quidem verum quod repugnat cognosci omnes formalitates non cognitis omnibus formalitatibus, vel aliqua non cognita, quia jam accipitur cognosci & non cognosci ratione ejusdem, secus si cognoscatur una formalitas non cognita alia; jam enim cognosci & non cognosci, non erit ratione ejusdem virtualitatis. Ut etiam supra dictum.

Instat 5. Negatio cadens supra modum tam facit contradictoriam modalem propositionem, quàm faceret si esset simplex contradictio. Ergo si non possunt verificari hæc duo contradictoria cognosci & non cognosci nec verificabuntur hæc adæquatè cognosci non adæquatè cognosci.

Respondetur. Æquè quidem sunt ista contradictoria quoad terminos præcisè oppositos, sed neutrum horum erit contradictorium, si posita distinctione virtuali in ordine ad prædicata secundo intentionalia, cadat supra unum cognosci, supra aliud non cognosci, si item cadat adæquatè supra unam virtualitatem unius realitatis, & non adæquatè supra aliam virtualitatem. Addo ista prædicata adæquatè cognosci non adæquatè cognosci, quoad omnes virtualitates, sunt contradictoria inverificabilia. Quia procedunt ratione ejusdem, adeoque non præcisè secundùm terminos oppositos, sed involvunt insuper formalem & simpliciter contradictionem: estque similis contradictio huic: ratione virtualitatis, A. cognoscitur, ratione virtualitatis, A. non cognoscitur.

Con-

Continuatur Solutio.

Dices 3. Impossibile est verificari duo contradictoria extrinseca & intentionalia, quin simul verificentur de eadem re contradictoria, physica & intrinseca. Ergo si hoc repugnat, repugnabit & illud. Antecedens probatur, nam supposito quod cognoscatur animalitas Petri per hanc meam cognitionem expressivam hîc & nunc solius animalitatis, & non cognoscatur rationalitas Petri, sequitur quòd animalitas Petri sit capax cognosci per hanc meam cognitionem expressivam solius animalitatis, & è contra rationalitas Petri, non sit capax cognosci, per hanc meam cognitionem expressivam solius animalitatis. Atqui esse aliquam rem capacem cognosci, & simul non esse capacem cognosci per eandem cognitionem, sunt prædicata physica & realia, omnis enim aptitudo & capacitas ad aliqua, est essentialis, & intrinseca rei. Ergo si eidem rei conveniunt prædicata intentionalia, conveniunt physica.

Respondetur. Hoc argumentum ursit primus contra nostra principia, meus in Philosophia & Theologia condiscipulus, perillustris & admodum R. D. Moszynski, solutio illius data 1. parte disp. 2. n. 84. quæ hîc repetitur. Neg. Antecedens. Major illius vera est, si cognita formaliter animalitate, non esset hoc cognitum in sensu reali rationalitas, secus si sit in sensu reali hoc cognitum rationalitas, consequenter & capacitas animalitatis ad cognosci, est in sensu reali capacitas rationalitatis ad cognosci, cum enim careant distinctione virtuali in ordine ad prædicata physica, & primò intentionalia, fit ut in sensu reali, capacitas unius, sit capacitas alterius. Jam autem in divinis capacitas distinctionis realis à Filio competit quidem virtualitati Paternitatis, sed ne in sensu quidem reali competit virtualitati Naturæ.

Aliâ methodo eidem difficultati ibidem satisfactum, quòd capacitas physica ad aliquid physicum invehat distinctionem virtualem, in ordine ad prædicata primo intentionalia physica, qualis est capacitas ad comunicari non communicari, produci non produci; sed capacitas physica ad aliquid intentionale, v. g. cognosci non cognosci, non inchit nisi distinctionem in ordine ad prædicata secundò intentionalia, quia capacitas specificatur ab eo, cujus est capacitas, ergo si sit capacitas intentionalium, fundabit distinctionem in ordine ad intentionalia. Rursûs capacitas proportionatum aliquid debet invehere, hinc si sit capacitas intentionalium, non invehet distinctionem nisi circa intentionalia, hęc enim sola, sunt illi capacitati proportionata.

Instabis. Saltem sequerentur duo contradictoria intrinseca in ipsa cognitione, quæ solum terminaretur ad animalitatem & non rationalitatem Petri. Quod ipsum probatur: ista cognitio est expressiva intrinsecè & essentialiter animalitatis, & non esset expressiva rationalitatis Petri, quæ est idem realiter cum animalitate. Ergo huic cognitioni convenirent duo contradictoria intrinseca respectu ejusdem termini.

Respondetur. Imprimis non ostenduntur hîc duo contradictoria, quia ostenduntur ratione quidem ejusdem realiter Petri, sed non ostenduntur ratione ejusdem formalitatis & objecti, qua repræsentati, consequenter non jam verificabuntur duo contradictoria, præcisè & simpliciter.

Sed etiam posito, quòd essent hæc duo contradictoria præcisè & simpliciter, nondum sequetur intentum, quia ad hoc ut sequatur in ipsa cognitione virtualitas intrinseca ut dictum etiam immediatè, hoc quod competit uni realiter & formaliter, non debet competere, alteri etiam in sensu reali, quamvis sit idem cum illo realiter: ita enim habet in simili virtualitas divina, quæ sola est norma virtualitatis in ordine ad prædicata physica. Quia autem notitia expressiva animalitatis, in sensu reali est notitia rationalitatis, in sensu enim reali animalitas illa, est rationalitas; ideò adhuc in ipsa etiam cognitione, non erit virtualitas, in ordine ad prædicata primò intentionalia.

Hoc idem ex alio capite defenditur, si esset virtualitas in ordine ad prædicata physica & primò intentionalia in illa expressione, tunc deberet esse illa cognitio & animalitatis & non animalitatis seu rationalitatis, idque ita, ut in sensu reali, illa eadem physicè cognitio, non attingat rationale, deberet enim illa notitia habere proportionem cum virtualitate divina, in qua eadem physicè, includitur produci & non produci, non produci v. g. naturæ, produci Filiationis; quia autem non ponitur illa notitia talis, ideò nec in illa ponetur distinctio virtualis, in ordine ad prædicata primo intentionalia. Et sicut in animalitate hominis identificante sibi negationem lapidis, non est distinctio virtualis, ita nec erit in notitia attingente animalitatem, negante autem attingentiam rationalitatis.

Addo pressius secundùm nostra principia loquendo, animalitas Petri secundùm rationem contractam spectata non potest præscindi objectivè, indubièq; in sensu reali notitia illius animalitatis, est notitia rationalitatis, est enim illa animalitas contractè spectata, ipse Petrus, qui etiam est rationalitas. Quod autem præscindit objectivè, est animalitas ut sic, quæ nec realiter ut sic spectata, est rationalitas, habentque se ista, sicut realiter distincta, sed pro statu Metaphysico, & æquè ad se comparantur ut signum & Angelus pro illo, ut dixi statu, si autem pro illo statu non sunt idem realiter tunc cognitio non poterit jam dici habens virtualem distinctionem intrinsecam, hæc enim deberet esse respectu objecti indistincti realiter.

Colliges. Quid sit sentiendum, de doctrina illorum, qui dicunt propositiones quidem contradictorias, debere esse de eodem subjecto, non tamen prædicata contradictoria, & ulterius inferunt si in creatis verificarentur, similia prædicata contradictoria, concedendum esse in creatis Mysterium Trinitatis. Siquidem concederetur verificatio prædicatorum contradictoriorum, licèt non de eodem subjecto.

Quod attinet ad hanc propositionem illorum, non poterit esse lis inter nos, & illos nisi de voce. Nam quod contradictoria vera, debeant procedere de eodem subjecto, hæc doctrina id solum dicit, quod id debeat affirmari & totum, quod negabatur in altero, & hoc verificatur in veris contradictoriis, sive illa contradictoria sint propositiones contradictoriæ, sive prædicata contradictoria, adeoq; etiam in prædicatis contradictoriis, ut salvetur contradictio, debent illa procedere de eodem subjecto, accipiendo subjectum, ut à nobis immediatè acceptum est.

Rursùs quando dico, Ens & non Ens, non sunt per oppositos propositiones contradictoriæ, sed tamen sunt termini contradictorii, tamen de eodem subjecto implicito, & æquivalenti procedit illa contradictio, quia subjectum implicitum, est ipsum Ens, supra quod, si non caderet negatio, non essent illa prædicata contradictoria, & ita si quis diceret: Ens & non album, non essent prædicata contradictoria, quia subjectum supra quod cadit *Non*, non est idem cum eo, quod altera contradictiones pars inferebat. Porrò tam Propositiones contradictoriæ, quàm prædicata contradictoria, ut sint vera contradictoria, debet totum negari in altero membro, quod ponebatur in priori, quia autem sive sit subjectum formale, sive virtuale & implicitum, aliud & aliud, non totum, imò non hoc negabitur, quod inferebat alterum membrum, ideò nec foret vera tunc contradictio.

Dando autem rationem communem in qua conveniant, tam propositiones contradictoriæ, quàm prædicata contradictoria, ea quantum ad præsens, hæc dari potest, quia scilicet supra id, debet cadere negatio, quod affirmabatur. Unde in prædicatis contradictoriis, supra id cadit negatio, quod affirmabatur, v. g. in hoc contradictorio prædicato, Ens & non Ens, cadit negatio supra Ens, quod affirmabatur. Quia autem si de alio subjecto verificetur v. g. noscitur, de alio verificetur non noscitur, non supra idem cadet negatio, ideò sicut si in prædicatis contradictoriis, non supra id caderet *Non* quod affirmabatur, seu importabatur, non essent vera contradictoria, ita si non de eodem subjecto verificentur, non erunt etiam vera contradictoria prædicata.

Neque valet si dicas, si in contradictoriis, ad identitatem subjecti attendi debet, sequi exinde, quod possibilis sit Hircocervus, dici enim poterit, quod sub alia formalitate sit Hircus, sub alia Cervus. Non inquam valet, nam imprimis Hircus & Cervus, non se habent ut formaliter contradictoria prædicata. Rursùs si ex identificatione Ly communicatur, cum Ly non communicatur, non sequitur in divinis similis identificatio ac est Hirci & Cervi, in Ente rationis, nec sequetur in creatis, datis præcisionibus objectivis in iisdem, & distinctione virtuali, in ordine ad prædicata secundò intentionalia. Imò cum careant creata, distinctione virtuali, in ordine ad primò intentionalia prædicata, qualia sunt Hircus & Cervus; ideò in creatis non poterit dari similis identificatio, identificationi Hircocervi in Ente rationis.

In divinis autem, data identificatione Ly communicatur, & Ly non communicatur, si dicas non dari identificationem similem Hircocervo, ideò quia conceptus objectivus Hirci, non est conceptus objectivus Cervi, adeoque quod nec conceptus ipsius *Communicatur*, sit conceptus objectivus ipsius Ly *Non Communicatur*, idem & nos dicemus, in nostris principiis. Quia etiam conceptus objectivus in creatis unius formalitatis, non est conceptus objectivus, alius formalitatis. Si item dicas, ideò in divinis, data identificatione ipsius Ly communicatur, & ipsius Ly non communicatur, non dari identificationem similem Hircocervo, quia Ly communicabile non est per modum speciei completæ, sed se habet per modum complebilis, ab ipso, quod non communicatur: Ita & nos similem complebilitatem, inter formalitates præscindibiles ostendemus.

Punctum Difficultatis 3.

Alia Argumenta pro actu confuso.

Objicitur 1. Natura universalis formaliter est prædicabilis de singulis suis individuis, siquidem proprietas inseparabilis universalis est prædicabilitas de multis. Atqui natura humana, una objectivè seu abstracta ex parte objecti à suis differentiis individualibus, non est prædicabilis de singulis individuis: Quod probatur; illa natura abstracta à singulis suis individuis vel esset prædicabilis tota & adequatè sumpta de Petro, & tota de Paulo, vel esset prædicabilis inadæquatè & secundùm aliam partem de Petro, secundùm aliam de Paulo: non primum, quia natura illa abstractè & objectivè, est natura omnium hominum, sed natura omnium hominum, non potest dici de Petro tota, & tota de Paulo, aliàs cum Petro identificaretur adæquatè natura omnium, & sic totum non esset majus sua parte, ergo natura illa abstracta objectivè, non est prædicabilis adæquatè de quolibet individuo: si autem dicis esse prædicabilem inadæqua-

adæquatè & per partes, ergo illa natura abstracta ex parte objecti, constat pluribus partibus, quarum una sit idem adæquatè cum Paulo.

Responsio communis est, totam naturam prædicari de Petro, nempe genus & differentiam, sed non totaliter, consequenter adæquatam prædicari naturam humanam, sed non adæquatè, si non totaliter, nondum sequetur totum, non esse majus sua parte. Rursùs dici potest totam naturam humanam & adæquatè prædicari de Perro, sed totam totalitate Metaphysica, non physica, quia totalitas physica naturæ humanæ importat individua, totalitas autem metaphysica importat solum genus & differentiam, seu definitiva prædicata hominis; quia autem dum prædicatur tota natura humana metaphysicè spectata de Petro, retinet insuper suam universalitatem, adhuc totum, quod est universale, erit majus sua parte singulari Petro. Deniq; ly natura hominis abstractè & objectivè spectata, est natura omnium hominum, si hoc sensu accipiatur: includit in se omnes homines, hoc est singula individua falsa est propositio, si autem hoc sensu accipiatur: est quid commune singulis, vera est propositio: si autem singulis commune, hoc ipso erit majus singulis.

Objicitur 2. Unitas hæc naturæ abstractæ à singularibus dependet à cognitione nostra tanquam à causa. Quæro igitur vel hæc unitas dependet à cognitione nostra tanquam à causa efficiente, vel tanquam à causa formali. Non à causa efficiente, quia cognitio nihil efficit in suo objecto, ergo nec efficit unitatem in objecto, & si illam efficeret, certè non efficeret nisi singularem, nihil enim efficitur nisi singulare: si autem fit à cognitione tanquam à causa formali, ergo unitas illa naturæ, non se tenet ex parte objecti, sed ex parte cognitionis, & nihil aliud est, quàm ipsa cognitio una, à cujus unitate natura denominatur extrinsecè una. Quod ipsum probatur: Quia quando effectus aliquis dependet ab alio in genere causæ formalis, ipsa causa formalis, est forma constituens & denominans talem effectum.

Respondetur. Quicquid sit de hoc: an abstractio per ordinem ad constituendum universale, habeat se per modum causæ an per modum solius conditionis, sine qua non, indispensabiliter requisitæ: quantum ad præsens dici potest, quòd universale sit à cognitione præscindente, tanquam à causa efficiente, sed impropriè dicta: habet quidem formalitatem effectionis, quia ipsius opus est, depurare naturam à differentiis, sed non habet formalitatem effectionis propriè, quia non dat esse physicum & reale, sed merè intentionale, & reale nonnisi prout opponitur ficto: & licèt cognitio nihil physicum efficiat vel conferat objecto, efficit tamen & confert aliquid intentionale, & si illam efficeret physicè, indubiè non efficeret nisi singularem, secus si efficiat intentionaliter, licèt enim nihil efficitur physicè nisi singulare, effici tamen intentionaliter potest, id, quod non sit singulare, sed depuratum à singularibus adeoq; universale.

Objicitur 3. Universale nihil est aliud nisi unum & multa, in illa ipsa ratione, in qua sunt unum, sed multa individua confusè cognita, sunt unum quid & simul sunt multa in illa ipsa ratione in qua sunt unum. Ergo multa individua confusè cognita, sunt universale. Major est definitio universalis. Minor probatur: Nam imprimis illa individua sunt multa intrinsecè & ex parte objecti, sunt etiam unum quid in ratione hominis, extrinsecè & ex modo concipiendi.

Respondetur. Explicando definitionem, quod unum sine addito, accipi debeat pro uno simpliciter, adeoq; non pro uno per solam denominationem extrinsecam, debet autem illud unum esse multa non actu, sed aptitudine, in conceptu autem confuso, sunt multa actu objectivè. Deinde non apparet, quî si aliqua sunt multa, unâ cognitione reddantur unum, sicut dum cognoscitur decem una cognitione, non evadit decem, unitas.

Objicitur 4. Per quam cognitionem aufertur pluralitas in objecto, in ratione hominis, per illam inducitur eo ipso unitas in ratione hominis, per actum autem confusum hoc fit, quia ex modo tendendi illius non apparent Petreitas, Pauleitas.

Respondetur. Apparent confusè, & etiamsi non apparerent, solum non apparere, faceret apparere universale, non autem esse universale.

Objicitur 5. Per cognitionem claram multorum v. g. Petri & Pauli fit divisio in Petrum & Paulum. Ergo è contra per cognitionem confusam multorum, fit indivisio.

Respondetur. Fit indivisio confusa, adeoque adhuc est illic divisio, consequenter non est unitas. Deinde non per cognitionem claram fit divisio, sed per multiplicitatem in se, quam advertit intellectus. Ergo & indivisio per negationem multiplicitatis in se, ad quam advertit intellectus. Non est autem indivisio per negationem multiplicitatis in se, si lateant in objecto differentiæ.

DIFFICULTAS II.

Per quem Actum fiat Natura universalis una?

Tota hæc difficultas, nectit secum eorum cognitionem, quæ dicta in Materia de distinctionibus, & in Materia de Attributis in Theologiâ, *sit.*

Punctum Difficultatis 1.

Post Præmissa proponitur defendenda sententia.

Præmitto 1. *Intellectionem produci à potentia intellectiva, indigere tamen compleri.* Ratio, quia intellectus non est seipso completus ad cognoscenda objecta, siquidem ea quorum species non habet, non noscit, debuit ergo aliundè compleri, quæ completio debet referri in ipsummet objectum, unde cognitio dicitur esse partus potentiæ & objecti.

Præmitto 2. *Hanc completionem potentiæ intellectivæ ab objecto, hoc modo* fieri. Cognoscit sensus singularia, quibus cognitis generantur phantasmata materialia, objectis cognitis similia; quod si objectum nunquam sit sensu perceptum, tunc ad similitudinem objecti sensu percepti, cuditur phantasma materiale, ut cum sub specie venerandi & coronati senis concipitur Deus Pater, hoc ipsum phantasma, quia est materiale, non est sufficienter proportionatum & completivum ad faciendam cognitionem spiritualem, hinc complent hæc phantasmata materialia intellectum, ad objecti cognitionem, solum remotè & extrinsecè, quia scilicet posito phantasmate materiali, movetur intellectus ad faciendam qualitatem quandam immaterialem & spiritualem, quæ loco objecti non præsentis, compleat intellectum ad cognitionem objecti, quæ qualitas vocatur species impressa. Hæc ipsa species impressa, vocatur species, non quod sit similitudo, species, & imago formalis objecti, sed quòd causet cum intellectu similitudinem, speciem & imaginem objecti, quæ appellatur species expressa; dicitur item impressa, quia non est quid transiens, sed imprimitur, manetque in intellectu.

Præmitto 3. *Intellectum, qui ad imitationem phantasmatis materialis efficit speciem impressam, vocari intellectum agentem, eò quod efficiat hanc speciem.*

Præmitto 4. *Intellectum, in quantùm præcompletus specie impressâ, producit speciem expressam, seu intellectionem, vocari intellectum patientem,* vel possibilem, non quod revera non sit agens, cum physicè producat intellectionem, sed quia sumitur, pro recipiente speciem impressam, & ipsam à se productam intellectionem, licet hi ipsi intellectus, inter se re non differant, de quo alibi &c.

Præmitto 5. *Quod intellectio nihil aliud sit quàm repræsentatio in intellectu,* eorum prædicatorum, quæ objectum in re continet, adeoque, est intellectualis expressio, & similitudo objecti, tunc enim hominem cognoscimus, quando prædicata illius, nobis in intellectu repræsentantur, quod complexus est Aristoteles, docens, quòd Intellectio, sit cognitum in cognoscente.

Ex quibus

Inferes. Naturam universalem, non fieri unam proximè per Intellectum agentem. Ratio, quia per illum non fit formaliter objectum unum universale, cum potius compleat, ut possit fieri unum per Intellectum, consequenter fiet id proximè per intellectum possibilem. Ratio, quia ille producit speciem expressam, universalis naturæ repræsentativam. Ut autem decidatur, per quemnam & qualem actum id fiat.

Dicendum est. *Naturam universalem fieri unam, per actum abstractivum seu præcisivum, ex parte Objecti.* Ita Suar. d. 6. Met. s. 6.

Probatur 1. Auctoritate Arist. 5. Metaph. tex. 11. *Vniversè*, inquit, *quæcunque divisionem non habent, quâ ratione non habent, eatenus unum dicuntur, ut si quatenus homo divisionem non habet, unus homo, si quatenus animal, unum animal, si quatenus magnitudo, una magnitudo.* Hinc sic formatur argumentum. Quatenus divisionem non habet natura universalis, eatenus fit una, sed per abstractionem, à quibuscunq; singularitatibus divisionem non habet natura universalis, tota enim divisio est à differentiis, ergo per abstractionem fit una. S. etiam Thomas op. 55. sic habet, *natura, quæ ante erat singularis, fit universalis, per actionem Intellectus, separantis eam ab hic & nunc, & cæteris conditionibus individuantibus.*

Probatur 2. Suar. Homo fit singularis per differentias individuantes, ergo hoc ipso, quia ab omnibus illis præscindit, per actualem conceptum abstractivum, fiet universale unum formaliter. Et certè, si existeret à parte rei natura, ita, sicut objicitur Intellectui, esset universale in essendo tale, quale Plato fingebat, ergo & tunc est universale, licèt in statu intentionali.

Probatur 3. Universale cùm non habeat unitatem in statu reali, debet eam habere in statu intentionali, sed non habet illam, per actum confusè cognoscentem singularia, ergo debet habere, per actum præscindentem objectivè, nam inter hæc duo nihil datur in re medium, habent se enim, sicut non præscindere, ex parte objecti, & præscindere ex parte objecti, quæ duo sunt contradictoria.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicit 1. Pontius. Natura, quæ per operationem Intellectus concipitur sine differentiis, vel est una in multis, & apta inesse multis, ante operationem Intellectus, vel non: si non, ergo nec per operationem Intellectus, erit una, apta inesse multis, quomodo enim operatio intellectus, facit illam talem, si non est de se talis? si verè est una apta inesse multis, ante operationem intellectus, ergo non fit talis per operationem abstractivam.

Respon-

Respondetur. Retorquendo argumentum de Universali Logico; Directè dici potest, quòd ante omnem operationem intellectus, sit natura & universalis & una, fundamentaliter, non formaliter.

Instat. Homo non ideò sit equus, quia intelligitur ut equus, ergo & natura non ideò sit una, quia intelligitur ut depurata, sine differentiis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia homo non præhabet in se fundamentum, ob quod concipiatur ut equus, præhabetur autem fundamentum, ob quod concipiatur natura una apta inesse multis, si scilicet concipiatur, secundùm rationem communem conveniendi, depurando eam à differentiis.

Objicitur 2. ex Ovied. Incredibile est, quomodo fieri possit, ut ad positionem actus, quo à me concipitur animal sine differentiis, v. g. hominis & equi, confluant realiter, & intrinsecè, animalitas hominis, & equi, in unam realiter, & intrinsecè animalitatem, quomodo item positâ cognitione, quâ cognoscam rationem communem animæ rationalis, confluant animæ damnatorum cum anima Christi, & Beatorum, in unam massam, & faciant unam animam.

Respondetur. Id esse incredibile, sed non sequi, ut positis præcisionibus objectivis debeat esse conventio realis & intrinseca in eandem massam.

Instat 1. Cognitio singularia cognoscens, nihil producit reale intrinsecum in illis, ergo cognitio cognoscens Petrum & Paulum simul, non potest illis dare unionem realem.

Respondetur. Falsè supponi, quòd in universali cognosci debeant simul Petrus & Paulus, nec sequitur vi actus præcisivi objectivè, debere dari unionem realem Petri & Pauli, sicut nec datur per actum confusum, licèt ab illo habeatur in illorum sententia aliqua unitas.

Instat 2. Si natura v. g. Hominis, universalis fieret per abstractionem, deberet fieri talis, quæ prædicari posset de Petro & Paulo, sed non potest fieri talis, quia nihil est in Petro, quod sit realiter in Paulo, ergo implicat conceptus objectivus, qui secundùm id quod importat, possit prædicari, de Petro & Paulo. Conceptus enim objectivus, potens prædicari de Petro & Paulo, debet inesse Petro & Paulo, sed nihil est in Petro, quod est in Paulo, ergo nullus est conceptus, qui possit dici de Petro & Paulo.

Respondetur. Nihil est in Petro contractè, prout est à parte rei, & physicè spectato, quod idem physicè sit in Paulo. Conced. Minorem. Nihil est in Petro, secundùm rationes communes spectato, quod non insit in Paulo, secundùm easdem rationes communes spectato. Nego Minorem.

Instat 3. Positâ abstractione naturæ humanæ à Petro & Paulo, non resultat aliqua realis identitas in Petro & Paulo, ergo tantùm resultat identitas intentionalis, quæ non potest ad hoc deservire, ut verificentur hæc prædicata de Petro, quæ ei non conveniunt ante abstractionem, quid autem Petrus & Paulus habent commune ante abstractionem.

Respondetur. Identitatem intentionalem, quæ non habet fundamentum in re, non posse deservire ad verificationem prædicatorum; secus eam, quæ est cum tali fundamento. Unde conceditur ulterius, licèt ego fingam Petrum cum equo habere identitatem, non poterit verificari, hominem esse equum, sed nego quod fingatur Petrum & Paulum in ratione hominis esse unum quid, cum hujus habeatur fundamentum; quamvis fictum hoc foret, si dicerem; Petrum & Paulum habere eandem physicè realitatem.

Instat 4. Quando deficit abstractio, totum id habet Paulus & Petrus, quod habebat, quando erat abstractio, & tamen, quando deest abstractio, nihil est commune Petro, & Paulo, ergo nec est quidquam commune, cum est abstractio.

Respondetur. Deficiente abstractione totum id habere Petrum & Paulum physicè, quod habebat, quando erat abstractio, licèt non habeat totum id, quod habebat Logicè, seu Metaphysicè, quando enim abstractio non est, actu ratio communis non est.

Instat 5. De illa natura jam abstracta posset dicere Petrus; est mea Natura, Paulus etiam posset dicere: est mea, rursus non posset dicere Petrus; est mea natura, quia non est meum, quod Paulus habet.

Respondetur. Posset dicere Petrus, naturam illam abstractam, esse suam, secundùm rationes communes, potestq; dicere Petrus, est meum, secundùm rationes communes, quod Paulus habet, licèt physicè natura Petri, non sit physicè natura Pauli.

Objicit 3. Arriaga. Natura sic præcisa objectivè, non potest prædicari intrinsecè, de quolibet individuo, ergo non est universalis. Antecedens probatur. Natura illa universalis, est natura realis omnium hominum, sed natura omnium hominum non potest prædicari intrinsecè de Petro tota, Petrus enim non habet naturas omnium, ergo.

Respondetur. Universale esse naturam realem omnium hominum, non Physicè, sed Logicè, quia scilicet est ratio communis per intellectum depurata, idq; ex præhabito fundamento, propter quod est quid reale illa natura, prout reale opponitur ficto, estque natura realis omnium hominum, hoc est conceptus objectivus, naturæ hominum, communis omnibus individuis; sed non est natura realis, id est, natura conflata ex singularitatibus, & realitatibus plu-

rium naturarum, prioriq; modo sumpta, prædicari potest, de singulis individuis, licèt posteriori modo sumpta, non possit prædicari.

Instat 1. Illa natura, etiam præcisa, potest intrinsecè de Petro prædicari, sed de Petro, & Joanne, non potest prædicari nisi ejus natura, ergo quod correspondet etiam in natura abstracta, erat ipsamet natura Petri, sed per nos, quod correspondebat in natura abstracta, potest intrinsecè de aliis prædicari, ergo ibi correspondet, realiter natura reliquorum.

Respondetur. De Petro & Joanne, non tantùm prædicari potest ejus natura, secundùm esse physicum reale, contractum spectata, sed etiam secundùm esse Logicum, seu rationem communem; in natura autem universali, est esse Petri Logicè spectatum, hoc est esse naturæ communis Petro, & Joanni, adeoque de utroque dicetur.

Instat 2. Implicat realiter, idem intrinsecè, prædicari de Petro & Paulo, & tamen Petrum & Paulum non convenire in illo realiter, & identicè; intrinseca enim prædicata realiter identificantur, ergo si idem omninò de Petro & Paulo realiter intrinsecè prædicatur, erunt eadem res, realiterq; identificabuntur.

Respondetur. Implicat idem realiter & intrinsecè, secundùm rationes suas communes spectatum prædicari de Petro & Paulo, & tamen Petrum & Paulum, non convenire realiter & identicè in illa ratione communi; licèt possint non convenire in ratione Physica contracta, & individua, consequenter de Petro & Paulo, idem Logicè prædicatur non Physicè. Repetito hæc dicta.

Explicatur distinctio. Copula propositionis de necessitate indicat prædicatum inesse, aut non inesse subjecto, & ita in propositione, in qua Universale prædicatur de Individuo affirmativè, v. g. Petrus est Homo, indicat subjecto inesse rationem hominis; & in propositione negativa; homo non est lapis, indicatur ratio lapidis, homini non inesse. Cæterum tota indicatio fundatur in ipsa reali connexione vel disconnexione prædicati cum subjecto, neque enim particula Est, potest facere, ut quod non inest subjecto, insit illi, vel particula: Non est, quæ negat aliquid de subjecto, potest facere, ut à subjecto, perfectio illa absit. Porrò prædicata quæ insunt realiter subjecto dupliciter spectari possunt. I. Prout res spectatur secundùm quod est physicè, contractè, à parte rei, &c. Et de re sic spectata, sic spectata prædicata, prædicantur, nonnisi particulariter & singulariter, cum nonnisi singularia, à parte rei existant. II. Prædicata, quæ insunt realiter subjecto, spectari possunt, secundùm rationes suas communes, Metaphysicas, abstractas, & sic erit jam prædicatio universalis. Quod autem illâ prædicatione prædicandum aliquid, sit reale & intrinsecum, exinde desumitur, quia ratio communis seu ratio universalis formaliter, nonnisi solo statu, seu esse objectivo, differt ab universali fundamentaliter, certè enim idem est universale in statu actuali, seu esse objectivo, quod erat in statu fundamentali, seu Physico, utrobiq; enim est v. g. homo, & quia ratio universalis formaliter, est ratio intrinseca singularibus, ideò rationes communes & universales formaliter, erunt etiam intrinsecæ & reales.

Instat 3. Implicat ut ex partibus dividentibus aliquod totum, quælibet earum, sit idem adæquatè cum toto, ita ut dici de illa possit totum, sed si universale esset unum per abstractionem, partes ejus divisivæ, essent v. g. Petrus & Joannes, & quilibet eorum esset idem adæquatè cum toto, siquidem de quolibet eorum posset dici verè: Homo, ergo universale, esse unum per abstractionem, implicat.

Respondetur. Implicare, ut pars integrativa vel aliter constitutiva compositivè, alii dicunt subjectiva, sit adæquata toti, v. g. pars corporis; sed non implicare, ut pars potestativa, sit adæquata toti, nam in parte potestativa, continetur tota essentia divisi, unde etiam tota essentia conceptus hominis, habetur v. g. in Petro, consequenter de illo prædicari poterit.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

Objicitur 4. Conceptus abstractivus, non potest conferre, ad unitatem universalis formaliter, quia si conferret, sequeretur quod universale Leonis, & universale Hominis, essent duo specie universalia, quod est absurdum, aliàs, essent jam plura, quam quinque universalia. Sequela probatur, quia cognitio per quam fit universale specificatum à Leone, differt specie, à cognitione, per quam fit universale, specificatum ab Homine, ergo & ipsa illa universalia differunt.

Respondetur. Neg. à cognitionibus, specificari universalia, cùm specificentur à suis prædicatis, quæ sunt nonnisi quinque, sicut & definitiones universalium sunt nonnisi quinque; licèt depuratio universaliter à differentia, habeatur, nonnisi à cognitione. Ex Ovied. etiam dici posset, quod cognitiones hæ differant specie Physica, quæ multiplex haberi potest, non differant autem specie Logicâ.

Instabis 1. Abstractio à singularitatibus non potest naturam facere unam, ergo abstractio non confert ad universalitatem. Antecedens probatur. Quia abstractio non attingit naturam, solùm enim illius est præscindere hæccceitates.

Respondetur. Non quomodocunque hæccceitates præscindit abstractio, sed præscindit à natura, adeoque facit illam unam.

Insta-

Instabis 2. Conceptus abstractivus non facit naturam communem, ergo nec universalem, consequenter non confert ad universale. Antecedens probatur. Abstrahit naturam, à singularitate, & pluralitate, ergo & à communitate, quia communitas est, ex pluralitate.

Respondetur. Communitatem physicam esse totam ex pluralitate, est enim non aliud, quàm plura singularia; sed Logica communitas, hoc est universalis, habetur ex ratione, non determinata ad unum, quod in universali v.g. Hominis, habetur nonnisi ex conceptu abstractivo.

Instabis 3. Abstractio non confert ad universalem unitatem, quia universalis unitas debet esse positiva, unitas autem, quæ est per abstractionem, est solum negativa, quia est repræsentatio naturæ, sine differentiis.

Respondetur. Non probari, quòd unitas universalis debeat esse unitas aliqua positiva, & si positivitas aliqua illi tribui deberet, sufficit ut quid sit positivum in Recto, scil. quia est ipsamet Natura. Nec tamen sequetur inde naturam divinam, fore universalem, si sine differentiis cognoscatur, quia nec abstrahitur à pluribus, in quibus plurificata fuerit, nec in statu Physico, per plura inferiora multiplicatur.

Objicitur 5. Natura secundùm se nec est una, nec multiplex, ut docet S. Th. c. 4. de Ente & Essentia, sed in statu abstractionis est natura secundùm se, ergo in statu abstractionis nec est una nec multiplex.

Respondetur. Naturam secundùm se nec esse unam unitate individuali, nec multiplicem per individuationem, quia in illo statu & ab una, & à pluribus hæccitatibus præscinditur; falsum tamen est, quod natura secundùm se, non sit una, unitate formali, vi cujus non potest dividi in plures essentias, præscinditq; à differentiis.

Objicitur 6. Universale non potest præscindere à differentiis, ergo per abstractionem præcisivam, non fit. Antecedens probatur, vel fit universale v.g. Homo, debet esse alicubi, ergo in aliquo individuo, non in uno, ergo in omnibus.

Respondetur. Objectum istius cognitionis: Homo, secundùm quod cognitio universalis est, habetur nonnisi in statu intentionali, actu & formaliter, licèt objectum illius, fundamentaliter sit pro statu Physico.

Instabis 1. Id quod dicit Relationem transcendentalem ad objecta singularia, non potest fieri ab actu abstractivo, universale dicit relationem transcendentalem, ad objecta singularia, definitur enim per aptitudinem ad multa sibi essentialem. Aptitudo autem, est quid relativum ad singularia.

Respondetur. Aptitudinem essendi in multis duplicem spectari posse, imprimis positivam, quæ dicit inclinationem appetentiamque pluralitatum, & hæc necessariò debet esse relativa; alia est aptitudo negativa, quæ est negatio determinationis ad unum, quæ nullam dicit formaliter relationem, sicque sumpta, competit universali, quod vel titulo verificandarum propositionum debet præscindere à multis, adeoque ab ordine ad multa. Deinde dici posset, aptitudinem formaliter acceptam, esse quid relativum, non autem radicaliter acceptam, & pro priori ad formalem aptitudinem, ita ut istud esse Ad, accedat radicali illi aptitudini, ad eum modum, quo rationalis, formaliter accepta, est quid respectivum, secus si sumatur radicaliter. Denique dici posset universale quod est relativum, fieri quidem ab actu abstractivo, sed non cognosci ab actu abstractivo, sed à reflexo; potest autem bene ab uno actu aliquid fieri, ab alio cognosci, fieri scil. ab actu directo, nosci autem à reflexo.

Instabis 2. Universale & præscinderet à differentiis, & non præscinderet, quia si præscinderet à differentiis, concipi deberet, non in multis, nam hoc ipso non præscinderet à multis, & tamen concipi debet in multis, vel ipsa definitione universalis id poscente.

Respondetur. Si natura in multis concipiatur, negativè, hoc est non determinata ad unum, non erit tunc necesse importari differentias, cum ab illis intelligatur depurata natura: quod si concipiatur natura, una in multis positivè, non concipietur sine pluralitate, sed negò id fieri, cum fabricatur universale.

Instabis 3. Universale prout fit ab actu abstractivo, est totum, ergo habet partes, ejus partes sunt individua, ergo ab illis non potest abstrahere universale.

Respondetur. Quòd universale sit totum non subjectivum, quale est Corpus, quod indubiè sine suis partibus non potest concipi totum, sed est universale totum potestativum, stans in hoc, quòd non sit determinatum ad unum, & quòd de pluribus dici possit, hoc autem in se, non involvit pluralitatem. Ad maximum concedi potest, quòd universale sit totum, habens partes, non individua, ut vult objectio, sed genus & differentiam sui definitivam. Quod si quæras, cur uno individuo impossibili reddito redderetur universalis natura impossibilis, cùm tamen per nos natura universalis non dicat individua, hoc exinde est, quia uno individuo reddito impossibili, redduntur illius prædicata impossibilia, redduntur etiam rationes communes impossibiles, cùm prædicata individui, sint etiam rationes communes. Oritur ergo hoc, non quia universale includit particularia, sed quia ratio communis universalis, est etiam ratio

individuis competens. Hinc æquè utrumque impossibile reddi debet, uno reddito impossibili.

Objicitur 7. Si per abstractionem fieret universale, sequeretur Petrum & Joannem, identificari realiter, identificarentur enim sibi, in aliquo tertio, nempe in illa ratione abstracta.

Respondetur. Identificari illos realiter non physicè, sed realiter prout realiter, opponitur ficto, estq; commune ad aliquid intentionale, non enim fictè habent Petrus & Joannes rationem communem.

Punctum Difficultatis 3.

Inferuntur quædam ex dictis.

Subnectentur aliqua quæsita, quasi Corollaria, Conclusionis prædefensæ.

Quæres 1. *An in Conceptu Formali, an in Objectivo consistat Vniversale?*

Inferes. *Consistere in Objectivo.* Ita Suar. D.6. S.3. Smigl. D.4. q.4. citans pro se S. Thomam & Scot. Formalis conceptus est ipsa mea cognitio attingens objectum; Conceptus autem objectivus hic sumitur, pro objecto cognitionis illius, seu pro eo, quod attingitur ab illa cognitione.

Ratio. 1. Auctoritas Aristotelis, qui 1. Poster. tex. 25. *Non esse, ait, universale præter multa,* certè verò esset præter multa, si esset conceptus formalis, qui non esset multa, sed conceptivus multorum.

Ratio 2. Tum quia universale est natura una, apta inesse multis, conceptus meus formalis, non est natura una apta inesse multis, non enim conceptus hominis, qui est motus intellectus, est natura hominis. Tum quia natura universalis, est unum aptum dici de multis, conceptus meus formalis, non est unum aptum dici de multis, id enim quod est aptum dici de multis, debet inesse multis, conceptus autem meus, non inest multis, sed concipit id, quod inest multis. Tum quia sequeretur per oppositos propositionis hujus: Homo est animal, hunc esse sensum: Homo est conceptus meus formalis, de vivente sensitivo.

Ratio 3. Illi conceptui formali, concipienti naturam universalem, vel respondet natura universalis, vel non, si non respondet. Ergo ille conceptus formalis, est sine objecto, conceptusque formalis concipiens naturam universalem, non esset conceptus formalis concipiens naturam universalem, cùm objectum ipsum, seu natura universalis illi non respondeat. Si autem respondet natura universalis conceptui illi formali, sic formabitur argumentum. Id quod correspondet conceptui formali, concipienti naturam universalem, est conceptus objectivus, sed universale est id, quod respondet conceptui formali concipienti naturam universalem. Ergo universale est conceptus objectivus.

Dices 1. Conceptus objectivus, non est quid unum in multis, ergo non est universale. Antecedens probatur. Est quid singulare, quidquid enim respondet ex parte objecti, est quid indivisibile.

Respondetur. Quicquid respondet ex parte objecti, sed prout illud est à parte rei, est quid indivisibile, secus si sumatur, prout subest nostris conceptibus, prout repræsentatur, &c.

Dices 2. Si sufficit ad universale, ut tantum repræsentetur aliquid, sine differentiis, sequitur pingi posse universale, quia etiam v. g. Rosa, repræsentat rosam sine differentiis.

Respondetur. Neg. Sequel. quia quod est universale, debet, pro statu physico, physicè multiplicari, illa autem rosa picta, non est multiplicabilis physicè.

Dices 3. Quando Deus dicit: Petrus est Homo, prædicat universale, & tamen non est ibi conceptus prædictus, objectivus, nam Deus non præscindit.

Respondetur. Deum non præscindere formaliter, præscindere virtualiter, de quo alibi.

Addo. Hoc quod in præsenti negatur, non est, quòd universale non fiat per conceptum formalem, sed quòd non sit conceptus formalis.

Quæres 2. *An Vnitas universalis sit Vnitas intrinseca?*

Inferes. *Vnitatem universalem, non esse quid Extrinsecum, sed Intrinsecum universali.*

Ratio. Tum quia in ipso illo conceptu objectivo, respondente conceptui formali, attingenti naturā universalem, vel latent differentiæ vel non; si latent, ergo fiet nonnisi, per conceptum confusum, quod impugnatum est; si autē in conceptu illo objectivo, nō latent jam, ut suppono, intrinsecè differentiæ, ergo est ibi intrinsecè negatio differentiarū, ergo ulterius est negatio intrinseca divisionis, quæ à differentiis habetur, ergo & est intrinseca unitas. Unitas enim est negatio divisionis, cōsequenter unitas intrinseca, erit negatio divisionis intrinseca. Tum quia vel in solo conceptu formali, est depuratio activa à differentiis, vel etiam in ipso objecto, prout repræsentato est passiva depuratio, non potest dici, quòd sit tantùm depuratio activa à differentiis, aliàs esset actio sine passione; non potest etiam dici, quòd sit depuratio passiva differentiarum, quia ista depuratio à differentiis, esse non potest, nisi in natura, quid enim depuraretur si non natura, si autem fieret depuratio à differentiis, ergo esset & negatio differentiarum in natura, si esset negatio differentiarum in natura, etiam negatio divisionis esset in natura, nam solæ differentiæ, faciunt divisionem, si autem esset negatio divisionis in natura, ergo esset & unitas in natura, ergo non esset unitas extrinseca,

seca, quæ est, à solo conceptu formali. Tum quia (redigendo prædictos terminos, ad viam negativam, id dici posset) si unitas universalis, esset unitas extrinseca, non intrinseca, nullo differret sententia hæc à negantibus præcisiones objectivas.

Cæterum per hoc non negatur, quod unitas hæc intrinseca, in suo fieri, pendeat à conceptu formali.

Dices 1. Non hoc ipso, quia respondet natura sine differentiis, est jam una, sed id debet haberi, à conceptu formali.

Respondetur. Sunt aliqua talia, ut uno illorum concepto necesse sit concipi & aliud, licèt illud non sit relativum formaliter, & sic qui concipit calvum, concipit negationem capillorum, qui concipit animal, concipit vivens sensitivum, quantumvis supra talia, nulla fiat reflexio. Sunt verò alia, quorum uno concepto, non sit necesse concipi & aliud, qualia sunt distincta realiter, & quale per nos est animal, quo concepto, non est necesse concipere rationale. Porrò ea, quarum uno concepto necesse est concipere & aliud, licèt nulla fiat supra hoc reflexio, sunt quæ nunquam præscindunt à se, vel quorum unum, est definitio aliûs, & sic concepto v.g. Homine, sine ulla reflexione concipitur animal rationale; est enim hæc definitio hominis. Quia verò unitas, est negatio divisionis, hinc concipere negationem divisionis, erit concipere unitatem. Et quia quando concipitur natura universalis, concipitur cum negatione divisionis per differentias, hoc ipso concipitur una.

Instabis 1. Natura universalis cognita, tantùm habet, quantùm in illa concipitur, non concipitur autem in illa unitas.

Respondetur. Concipi illic unitatem, licèt non explicitè.

Instabis 2. Non eo ipso quia concipitur animal sine rationali, animal est irrationale, aliàs animal ut sic, diceret negationem rationalitatis, seu irrationalitatem. Ergo etiam, non ex eo, quia natura concipitur sine divisione, concipitur ut una.

Respondetur. Disparitatem esse, quia animal præscindens à rationali, non est definitio irrationalis, vel ejus quod negat rationalitatem, jam autem, negatio divisionis, est definitiva unitatis; si definitiva, concepta negatione divisionis, concipietur unitas.

Instabis 3. Negationem divisionis esse objectivè in intellectu, est eam concipi ab intellectu, sed unitas est negatio divisionis, ergo eam esse in intellectu, est eam concipi ab intellectu.

Respondetur. Ut sit negatio divisionis in intellectu sufficere, quod id implicitè attingatur, attingendo naturam sine differentiis, si enim quæratur, quid sit cognitum? respondebitur cognitam esse naturam præcisè secundùm se, secundùm rationes communes. Si quæratur ulterius, quid est hoc cognoscere, naturam secundùm se, respondebitur, est naturâ cognoscere sine differentiis, adeoq; esse cognitam negationem differentiarum, consequenter & unitatem. Ulterius quòd cognoscatur ibi non esse differentiarum, hoc inde est, quia non habituatus aliquis in construendo conceptu objectivo universalis, si se legitimè reflectere velit, advertet ad istud non esse differentiarum, consequenter id, etiam per actum directum faciet, nam reflexio ostendit, quid factum directo actu sit.

Dices 2. Si unitas esset intrinseca universali, esset illi intrinseca, extra intellectum, vel in intellectu, non extra intellectum, quia intellectus, & mea cognitio, nihil potest intrinsecum in re adferre rei, non etiam unitas ista, est intrinseca universali, in intellectu existenti, quia non attingitur.

Respondetur. Hæc unitas intrinseca fundamentaliter accepta, est extra intellectum, formaliter autem accepta, convenit objecto prout repræsentato, attingiturq; licèt non clarè, hoc est in actu signato, attingitur tamen in actu exercito.

Dices 3. De natura in statu abstractionis solum verum est dicere; quod non habeat divisionem, non autem quod dicat negationem divisionis.

Respondetur. Non habere divisionem, & habere negationem divisionis verbis differunt, sicut ipsum: Non, & Negatio. Si ergo natura abstracta non habet divisionem, habet negationem divisionis; consequenter quando cognoscitur natura non habere differentias, cognoscitur cum negatione divisionis.

Dices 4. Implicat aliquid esse unum intrinsecè, & tamen dividi, in plura intrinsecè, ergo & implicat naturam illam esse intrinsecè unam, & tamen dividi intrinsecè.

Respondetur. Quod implicet esse unum intrinsecè in statu objectivo, & dividi in plura objectivè; licèt non implicet esse unum objectivè, intrinsecè, & dividi physicè in statu reali.

Dices 5. Illa unitas intrinseca debet esse dependens à meo intellectu, si est dependens à meo intellectu, vel dependet in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis: non primum, quia nihil intrinsecum in cognito, potest ponere mea cognitio; non secundùm, quia ratio formalis cogniti, est ipsa cognitio, quæ se non ex parte cogniti tenet.

Respondetur. Quòd illa unitas intrinseca pendeat à cognitione, in genere causæ efficientis impropriæ, quæ licet nihil intrinsecum physicè in cognito ponere possit, potest ponere intrinsecum intentionale, in objecto intentionaliter spectato, præsertim si ipsum illud fundamentaliter, nemine cogitante præhabeatur.

Potest

Potest etiam dici, quòd dependeat unitas illa, tanquam à causa formali extrinseca à nostro intellectu, cum quo stat intrinseca unitas, resultans ex suppositione abstractionis objectivæ.

Dices 6. Nihil intrinsecum, potest poni in objecto à cognitione, sed illa unitas ponitur à mea cognitione: Ergo non est intrinseca.

Respondetur. Nihil intrinsecum physicè, potest poni à me cognitione, potest autem poni intrinsecum intentionale.

Instabis. Quod est intrinsecum alicui, semper est intrinsecum.

Respondetur. Quod est intrinsecum physicum, semper est illi intrinsecum physicè, & intrinsecum intentionale, est illi intrinsecum pro statu itidem intentionali, quod etiam competit unitati universali, quæ pro statu intentionali, in quo natura est depurata à differentiis, semper competit universali.

Dices 7. Negatio divisionis ponitur à mea cognitione. Ergo & unitas.

Respondetur. Conced. totum. Inde tamen non sequitur, hanc unitatem non esse intrinsecam, nam etiam entitas hominis ponitur à Deo, & tamen est intrinseca homini.

Punctum Difficultatis 3.

An requiratur actus comparativus ad universale formaliter?

Voluerunt aliqui naturam abstractam universalem debere referri, tam ad actum quo est abstracta, quàm ad inferiora, quibus est communis, sive hoc fiat per primam operationem, sive per judicium affirmativum.

Dicendum est. *Natura universalis non fit una per actum comparativum.* Ita Arriag. d. 6. S. 8. &c.

Probatur 1. Actu hoc comparativo, vel refertur ad inferiora, & actum abstractivum, natura jam universalisata, vel nondum universalisata, si universalisata, ergo ad illam universalisandam, non requiritur comparatio; si non universalisata, ergo potest aliquid esse commune & comparabile ad plura, quod non est universale, quod est absurdum, nam ratio singularis, non comparatur ad plura.

Respondebis. Quòd cognitio reflexa cognoscat universale factum, non verò directa, sufficit autem ad istam cognitionem comparativam, directus actus.

Contra. Redit argumentum, quando sufficit ad istam cognitionem comparativam actus directus, vel comparabitur factum universale, vel non; si primum: Ergo ante comparationem, jam est universalitas; si secundum, ergo potest esse comparatio ad multa, ejus, quod non est cum multis.

Probatur 2. Nulla est necessitas hujus comparationis, si, quæ enim esset necessitas, esset, ut salvetur aptitudo universalis ad existere in multis, hæc salvari potest sine comparatione dicta, quia mea comparatio non facit illam aptam inesse multis, sed supponit.

Probatur 3. Quia comparatio ista, vel debet esse in actu exercito, vel in actu signato: si in actu exercito, præter rationes allatas in contra, id etiam faciet, quod comparatione illa dejiciendum sit universale ab esse prædicabilis, quæ tamen prædicabilitas, nectitur cum universali formaliter. Sequela probatur. Quia facit universale illud, non absque differentiis, nec absq; multitudine, ergo dejicit abesse prædicabilis, non enim de uno, differentiæ in aliis reperibiles, verè prædicantur; quod si agatur de comparatione in actu signato, ostende in quonam Actu posito signetur, ut ita dicam hæc comparatio, duo insuper salvando, ut sit comparatio Naturæ, quæ sit universalis, & insuper quòd sine hac comparatione, non foret objectum hoc universale.

Aliqui abstractivam comparationem, requirunt ad universale, qui terminus & aliquid inutile requirit, & involvit seipsum, requirit aliquid inutile, quia cum universale per illos, fiat per actum confusum, ad quid requiretur ista comparatio ad plura, cùm confusè reperiantur ibi plura, item involvit aliquid implicatorium, quia actus ille, & esset unitivus differentiarum cum natura, siquidem esset comparativus, & non esset unitivus differentiarum, quia esset actus abstractivus.

Objicitur 1. S. Th. op. 55. dicit universale non ex eo est, quòd sit in anima, sed ex eo, quòd comparetur ad plura singularia eodem modo se habentia.

Respondetur. S. Th. hoc solum significare, quod ad universale, non sufficiat illius aptitudo ad multa, quæ sit in anima, hoc est fictitiè, sed quòd debeat esse vera aptitudo ad plurificari physicè.

Objicitur 2. Sola comparativa habitudo, stat cum aptitudine inessendi multis, ergo sola facit universale. Antecedens probatur, Abstractio illa, quæ non tollit pluralitatem, stat cum aptitudine inessendi multis, sed sola comparativa multitudo, unit pluralitatem. Ergo.

Respondetur. Negando Antecedens probationi ejus Majorem, quia in universali formaliter, non debet esse pluralitas sed abstractio ab illis ut dictum.

Objicitur 3. Per quod solum cognoscitur universale unum in multis, per illud fit universale, per solam comparationem, cognoscitur unum in multis. Ergo per solam comparationem fit universale.

Respondetur. Negando per actum comparativum cognosci unum, cum potius dejiciatur unitas & negatio differentiarum, & tamen hæc

hæc unitas, stans in negatione differentiarum, requiritur ad universale.

Objicitur 4. Quando dico: Petrus est homo, ly homo respicit subjectum, & tamen prædicatio hæc est universalis, ergo universale potest dicere comparationem ad inferiora, & tamen manere universale.

Respondetur. Dum prædicatum respicit subjectum, adhuc in illo prædicato non est unio differentiarum, non enim universale singularisatur in prædicato, si non est unio differentiarum, est adhuc in illa natura abstracta, negatio differentiarum, si in illa natura abstracta, est negatio differentiarum, est adhuc unitas. Jam autem quando comparatur universale abstractum ad inferiora, non est jam negatio differentiarum, adeoque nec unitas. Si autem vi actus comparativi non est jam unitas, actus ille comparativus non requiretur ad universale formaliter, sed potiùs destruet universalitatem.

Objicitur 5. Si non fieret universale, per notitiam communem comparativam, sciri non posset, quando communem rationem v.g. albedinis concipio; an illa sit universale Accidentis, an speciei.

Respondetur. Sine ulla comparatione fieri id potest, per antecedentem cognitionem, quæ noscit, in quali sint conditione Entis, singularia, à quibus fit abstractio, & quomodo inter se comparentur prædicatum & subjectum.

Punctum Difficultatis 5.

Notantur quædam de Fabricatione universalis, & ejus Vnitate.

Noto 1. *Successionem actionum influentium ad universalis fabricationem.* Omnis cognitio nostra dependet à speciebus impressis nisi sit cognitio objecti intimè naturâ suâ præsentis. Species impressæ à phantasmatibus, phantasmata à sensationibus, ideò primò sensus percipit singularia, hoc singulare Equi, hoc singulare Asini, hoc singulare Hominis, attingitque similitudinem & convenientiam in actionibus, & motibus. Posita hac sensibili cognitione, formatur in phantasia materialis similitudo horum singularium & actionum, motuumque, post formatam similitudinem horum materialem, intellectus agens, format sibi speciem prædictorum, circa quæ discurrendo intellectus, advertit ea singularia in aliquibus convenire, in aliquibus differre, v.g. advertit intellectus, habere unitatem convenientiæ in vita, equum, asinum, hominem &c. quia de singulis verificatur vivens, sicut verificatur, & ratio sensitivi. Rursus advertit intellectus differre hæc singularia, quia v.g. Petrus ratiocinatur, equus non ratiocinatur, & advertendo in his singularibus rationes conveniendi, secernit illos, & depurat à rationibus differendi, formatq; sibi rationem communem, in qua illa singularia conveniant, & hæc erit ratio universalis pro genere sumpti, vel in qua differant, & hoc erit universale differentiæ, &c.

Noto 2. *Quæ sit Natura unitatis requisitæ ad Vniversale.* Universale, est unum aptum inesse multis, hinc posito quomodo evadat natura una, penetranda venit conditio ipsius unitatis. Natura illa in qua conveniunt v. g. individua hominis & equi, habet quandam indivisionem, essentialem, seu negationem divisionis essentialis, exigit enim non dividi in plures essentias, quæ exigentia non dividi in plures essentias, est unitas formalis, quæ quia non est conjuncta divisioni individuali, hæccetatibus, aut aliis differentiis, quomodo est conjuncta à parte rei in statu existentiæ physicæ, ideò, non solum est ibi unitas formalis, sed etiam eadem, est universalis formaliter.

Noto 3. *Qualis debeat esse abstractio naturæ,* an v.g. quando abstraho rationem animalis, debeat fieri abstractio, à rationali, tanquam parte constitutiva speciei, quæ est homo, an verò debeat fieri hæc abstractio ab inferioribus hoc est Petro, Paulo, Andrea: de quo secundùm diversas conditiones universalis decidendum est. Nam ut fiat universale generis, non solum ab individuis, sed etiam à differentiis debet abstrahi, quæ ipsæ sunt, quasi inferiora generis, cum sint constitutiva specierum, quæ sunt inferius genere. Si autem debeat construi universale speciei, sufficit fieri abstractionem ab hæccetatibus.

Punctum Difficultatis 6.

Quid tenendum de Recursu ad diversa Phantasmata in Præcisionibus Objectivis.

Pater Joannes Hostinski vir non solum claro sed & præclaro ingenio in explicandis præcisionibus Objectivis secutusq; Guierdo, quem in fonte legere non licuit, recurrit ad diversa phantasmata, ita ut apud illum præscindere objectivè v.g. Animal à Rationali, sit, uti phantasmate Animalis, & non uti phantasmate Rationalis. *Circa quam doctrinam illius.*

Noto 1. Non videri exactam hanc phrasim recurrere ad diversum phantasma Animalis in salvanda præcisione ejusdem à Rationali, potiùs enim debuisset fieri recursus ad speciem impressam Animalis idque ex eo; quia cum illa præcisio objectiva sit Actus intellectûs qui vel tanquam comprincipium, vel tanquàm complementum supponit speciem impressam, cùm phantasma sit nonnisi ad imaginationem seu sensum communem spectans, non debuit ad illud recurri immediatè. *Sed quidquid sit de phrasi, Insuper*

Noto 2. Debere omninò tam tenentes præcisiones objectivas, quàm eos, qui tuentur non-

nisi

nisi formales, recurrere ad diversa phantasmata seu diversas species.

Ratio, quia cùm nonnisi Deus intuitivè visus sine specie impressa noscatur, & in hominibus in hac vita nonnisi ipsi experimentaliter noti motus animæ, sine specie impressa noscantur (quicquid sit de eo, quænam objecta Angeli sine speciebus noscant, & nos in altera vita noscituri sumus) hinc etiam notitiæ, hæc quidem Animal, illa Rationale repræsentans, haberi non poterit, sine specie impressa & quidē diversa, quia diversæ sunt notitiæ. Concesso tamen quòd in Præcisionibus objectivis, recurri debeat ad diversas species impressas. *Nihilominus*

Noto 3. Supposito, quòd dentur præcisiones objectivæ, non sufficit recursus ad solas species impressas, nisi recurrendo ad illas, merè tanquam ad Comprincipia vel complementa noscendi.

Ratio. Tum quia quæro vel præscindit homo ab animali & Rationali simul sumpto, vel non præscindit, si præscindit. Ergo tu non tenes præcisiones objectivas, cum hîc ne quidem formales admittantur; si non præscindit objectivè homo ab animali & Rationali simul sumptis: Ergo neq; per diversam speciem impressam cognoscitur homo, per diversam animal Rationali hoc ipso enim præscinderet objectivè, cum per te præscindere objectivè sit nosci per diversas species. Quodsi non noscitur per diversas species, quærere restabit cur non? quæ item sit ista identitas? exclusiva etiam diversæ speciei impressæ in attingendo prędictum objectum. E diverso debebit dari negatio istius identitatis, quæ fundabit diversitatem specierum impressarum, & hoc fundamentum quodcunq; erit, cur non fundabit etiam in ipso objecto prout repræsentato, & in statu intentionali relucente, diversitatem, adeoque præcisiones objectivas, quales à nobis defenduntur. Recurres ad diversa connotata; quærere restabit, cur hîc diversa annotata non sint sufficiens fundamentum earum, quas communiter defendimus præcisionum. Quodsi adhuc recurres, ideo dari diversas pecies impressas, quia datur distinctio virtualis, magis adhuc firmabis sententiam defendentem Præcisiones objectivas. Hæc Ratio id intendit, quòd scilicet fundamentum sufficiens ad diversas species impressas, sit etiam sufficiens ad præcisiones objectivas, tales, quales à nobis defenduntur.

Tum quia diversæ speciei impressæ de animali, & distinctæ à specie impressa de Rationali, vel respondet notitia diversum objectum repræsentans, licèt in re idem realiter, vel non respondet; si non respondet diversum objectum: Ergo otiosa illa erit diversa species, cum sicut species ordinatur ad repræsentandum objectum, ita species diversa, debeat ordinari diversum objectum repræsentandum, aut priùs alio modo repræsentandum. Imò si non respondet diversum objectum, nec jam tenebis præcisiones objectivas, cum præcisiones objectivæ stent in notitia diversum objectum repræsentante, licèt cæteroqui cum alio objecto sit idem realiter; si autem diversæ speciei impressæ respondet diversum objectum, cæteroqui identificatum à parte rei alteri firmalitati, quærere restat, quid hîc ultra asseratur, quod non sit assertum in defendendis (ut supra) præcisionibus objectivis, cum agendo de fabricatione universalis, longè ante motam litem de recursu ad diversa phantasmata, suppositum à nobis sit, esse diversam speciem impressam Animalis, à specie impressa Rationalis.

Tum quia accipiamus speciem impressam animalis videtur, quòd illa ipsa in individuo, possit repræsentare animal sive illud comparetur ad rationale, sive comparetur ad lapidem, esset enim hoc multiplicare species sine necessitate, & si esset inter has species aliqua diversitas, esset ea, quia species de Animali, comparatè ad Rationale est species involvens in se identitatem Animalis cum Rationali, hoc autem involvere, destruit totam rationem præcisionum objectivarum, quia in se importabit relucescentiam etiam differentiarum, ex illo ordine, quem dicit identificationis cum illis. Unde etiam infra dicetur, aptitudinem Universalis, non esse aptitudinem Positivam, quia aptitudo Positiva, infert Differentias, quæ destruunt rationem Præcisionis objectivæ à differentiis. Hoc supposito quod eadem species quæ repræsentat Animal comparatum ad lignum, quæ repræsentat animal comparatum ad Rationale. Ergo illud cum suavi, cum modo sibi repræsentandi proprio repræsentabit illud. Ergo excepto hoc, quòd Lignum & Animal in statu reali non dicant identitatem, cum dicat identitatem Animal in statu reali cum Rationali nulla alia erit diversitas, nam si quæ esset jam non eadem species, illa repræsentaret, alia enim vi & modo repræsentaret, & tamen vis & modus repræsentandi est identificatus speciei impressæ. Quodsi pro statu intentionali ita se habet animal comparatum ad lignum ac comparatum ad Rationale pro statu intentionali, dabuntur Præcisiones objectivæ planè eæ, quas defendimus.

Tum quia, sicut potest Deus producere homines solo numero distinctos, & saltem divinitus ponere duas albedines in eodem pariete, ita potest producere in eodem intellectu duas species impressas repræsentativas Animalis, distinctas autem numero & realiter. Producat intellectus informatus illis speciebus, duas notitias ejusdem animalis, illæ notitiæ erunt distinctæ realiter, cum tamen repræsentent idem animal, non erit ibi Præcisio objectiva, sed tantùm duæ diversæ notitiæ, & tamen procedent à diversis & distinctis realiter speciebus: Ergo recursus ad di-

ad diversas realiter species impressas, non salvat Præcisiones objectivas, sed est necesse in ipsis objectis ponere diversas formalitates, virtualitates, Præscindibilitates, quæ est ipsissima Sententia Præcisionum objectivarum prout defenduntur.

Tum quia sicut dantur in intellectu Angelico species impressæ Universaliores, ita possunt dari & in intellectu humano, & si eas neges possibiles in intellectu humano, procedat argumentum de intellectu Angelico, qui potis est præscindere objectivè in aliqua saltem materia; quo posito sic urgetur. Ponatur species impressa virtute continens & speciem impressam Animalis, & speciem impressam Rationalis, cum vi & energia ita præsentandi Animal, & ita præsentandi Rationale, sicut cæteroqui species distinctæ realiter natæ sunt repræsentare; ad eum modum quo faciunt species universaliores Angelicæ vel sensus communis adunans in se perfectionem sensuum particularium, potensq; producere sensationes consimiles illis, quas producunt sensus particulares. Si illa species universalis continet in se perfectionem speciei impressæ animalis & speciei impressæ Rationalis, tunc illa species æquè repræsentabit præcisum objectivè animal & Rationale ac repræsentarent species distinctæ realiter, hoc ipso enim si non posset illas species repræsentare Animal præcisum objectivè non esset species universalior nec virtute continens illas alias. Quodsi illa species quantumvis una realiter, potest repræsentare objectum præcisum objectivè: Ergo in præcisionibus objectivis, non habetur ratio Præcisionis, à phantasmatibus diversis, cum posito uno phantasmate adhuc possit intervenire Præcisio objectiva. Tum quia potest Deus assumere, ut species Animalis, comproducat cum intellectu vel compleat eundem miraculosè in ordine ad ponendam cum intellectu notitiam Rationalis, præcisam objectivè ab Animali, si enim potest divinitus in genere Efficientis assumi ad hoc lignum (suppositâ potentia obedientiali) multo magis id poterit species prædicta. Quodsi ad notitiam præcisæ objectivè Rationalitatis ponendam, potest assumi species animalis, quæ cæteroqui viribus suis relicta potest comproducere vel complere intellectum in ordine ad ponendam notitiam Animalis præcisi objectivè: Ergo præcisio objectiva, non stat illo solo recursu ad diversa phantasmata, sed est necesse partibilitatem in ipso objecto reperire, quod est ipsissima sententia præscindentium objectivè. Tum quia nulla particula definitiva speciei impressæ deposcit id ut species impressa non supponat sed conferat partibilitatem objecto: Ergo per recursum ad illam immeritò salvatur partibilitas objecti, licèt ad partibile objectum, ut in actum reducatur, sit necesse ponere re aut virtute speciem impressam diversam.

Punctum Difficultatis 7.

Satisfit suppositis in oppositum.

PRædictus sacræ Theologiæ Professor.

SUPPONEBAT primò ex Izquierdo intellectum nostrum pro hoc statu omnia objecta insensata (qualia sunt formalitates secundùm se spectatæ & respondentes pro statu intentionali) concipere ad instar sensibilium, subserviente tunc intellectui vi imaginativâ, ac pro re insensata intelligenda, speciem materialem seu phantasma substituente: in quo tanquam exemplari & imagine, objectum illud intellectus contemplatur, ad eum modum, quo dum cognoscimus Angelum, fingimus illum tanquam juvenem alatum, & per modum aliûs aliter quam est in se, per alienas species cognoscimus. *Hoc suppositum*

NON SATISFACIT plenè. Quia licèt ex modo operandi animæ essentialiter determinatæ ad corpus, sequitur etiam intellectionem illius debere esse dependentem à phantasmatibus, idque etiam circa objecta insensata. Cæterùm hoc contemplari objectum in specie sensata tanquam in exemplari, parit suam difficultatem: nam vel est res de specie sensata impressa, hæc non est exemplar nisi causativè completivè &c. ut scitur ex Animasticis, quomodo ergo in illa, tanquam in exemplari, contemplabitur intellectus objectum insensatum. Si autem sit res de specie sensata expressa, explicandum fuisset, cum intellectus concipiendo v. g. Angelum, sub specie juvenis alati, altius quid rimetur & censeat, interponatque judicium, quod ille sit non aliquis juvenis alatus, illius notitiæ debet dari altior species impressa, quæ coëfficit vel complet intellectum ut formet speciem expressam illius ipsius altioris objecti, cur ergo non dicetur in illa etiam specie tanquam in exemplari noscere objectum insensatum, non sistendo solùm in illo sensato exemplari.

SUPPONEBAT 2. Ut intellect⁹ aliquid per speciem alienam cognoscat, à pluribus ad hoc principiis induci ac determinari potest: quæ principia aut sunt naturalia, quales sunt præviæ species rerum, quas mediis sensibus anima requirit, aut artificialia, quales sunt Scripturæ, Voces, & omnia signa ad placitum. Hinc quoties intellectus intendit rem intelligere, cujus speciem non habet, determinatur ad hoc à speciebus alienis, ex quibus format speciem sensibilem, in qua tanquam imagine objecti illud speculatur.

Hoc suppositum inexplicatum adhuc relinquit id, quod tetigit impugnatio suppositi primi.

Supponebat 3. Objectum in ſtatu intentionali ita multiplicari in plures formalitates realiter diſtinctas, utpote in pluribus realiter ſpeciebus ſenſibilibus repræſentatas, ſicut de facto multiplicatur in vocibus ſive ſcriptura: Voces enim ſunt ſigna conceptuum internorum, unde ſicut diſtincta, realiter eſt vox Animal, & diſtincta Rationale, ita etiam in mente, objectum Animalis, diſtinctum erit ab objecto Rationalis. Cæterum ut hæc multiplicatio ejusdem objecti in mente per plures formalitates realiter diſtinctas ſit præciſiva, debent prædictæ formalitates non repræſentare totum objectum neq; ſe habere ſicut voces Synonimæ, quæ plures exprimunt idem objectum, cum tamen ipſus Una non ſignificat quàm alia. *Hoc ſuppoſitum*

Non satisfacit. Quia contra illud faciunt argumenta quæ ſuperiùs ſunt formata Notato tertio, quæ hoc præcipuè intendunt ut inquirant. Unde acquirat intellectus jus per plures diſtinctas ſpecies impreſſas noſcendi idem objectum, ſi illud non habet in ſe tam actualem quam virtualem multiplicitatem, quam tamen negat Izquierdo (ut fertur) non admittendo diſtinctionem virtualem. Deinde cum univerſale fabricandum per ſpecies impreſſas non ſit ipſamet ſpecies expreſſa, ſed illud quod repræſentat illa ſpecies: Ergo & præciſio objectiva, licet inferat conceptus diſtinctos realiter, tamen etiam attendi debet ad ipſum objectum quod illæ repræſentant, quod objectum ſi excludit diſtinctionem virtualem, quomodo partibilitatem illam ſui, per diſtinctos realiter actus ſe repræſentantes patietur, quod item eſt fundamentum, ne diſtinctę realiter ſpecies & phantaſmata ita ſe habeant, ac ſe habeant, cùm plures voces Synonimas repræſentant. Denique ad ſalvandas præciſiones objectivas, ſecundùm ſtatum quæſtionis hujus attendendum eſt non tantùm ad notitias diſtinctas realiter, ſed etiam ad idem realiter objectum: quæ attendentia ad idem realiter objectum, hîc non explicatur cum illi diſtincti realiter actus, non identificentur in aliquo tertio actu realiter, cum tamen præciſiones objectivæ inferant identitatem realem ſuarum Formalitatum. Quando autem dicit prædictus Profeſſor ſe admittere aptitudinalem quandam diſtinctionem in objecto, ad hoc ut poſſit aliter quàm ſit in ſe repræſentari in mente, poſſeq; illam vocari in latiori ſignificatione virtualem diſtinctionem: quando inquam id dicit, videtur tandem relabi in ſententiam noſtram, licet præexplicârit uſum ſpecierum impreſſarum, deſervientem præciſionibus objectivis, quem etiam nos non negamus.

Dices cum eodem. Etiam ſuppoſitâ virtuali diſtinctione negari non poteſt quod præſcindendo aliquam formalitatem in objecto, ab alia realiter ipſi identificata, non attingatur tunc objectum ut eſt in ſe; hæc autem attingentia objecti aliter quàm ſit in ſe, non poteſt commodiùs ſalvari, quàm dicendo, quòd objectum in ſe quidem indiviſum, diviſum tamen ac multiplex realiter appareat in mente per plura phantaſmata. Virtualis autem diſtinctio, quia relinquit illæſam identitatem ac ſimplicitatem realem, non videtur evadere hanc ſequelam, quòd ſcilicet de eodem objecto, verificentur realiter duo contradictoria.

Respondetur. Concedo quod in præciſione objectiva attingatur objectū aliter quam ſit in ſe actu, licèt non aliter quam ſit in ſe virtualiter: ſi enim virtualem multiplicitatem non haberet, nec præſcindi poſſet: etſi præſcinderetur fieret tunc cognitio erronea & falſa, quia difformis objecto. Concedo quidem quod interveniant tunc temporis diſtincta realiter phantaſmata, ſed ex præſuppoſita. Ut dixi Notato tertio multiplicitate virtuali. Et certè ſi objectum illud eſt indiviſum, diviſum tamen realiter apparet, ut aſſerit objiciens, omnis præciſiva cognitio, falſa erit & affinget multiplicitatem realem formalitatibus, non habentibus multiplicitatem realem. Neque tamen in noſtris principiis de eodem objecto verificabuntur duo realiter contradictoria, idq; ex eo: quia Animal v. g. pro ſtatu illo intentionali ſpectatum, & præciſum objectivè, in ſenſu reali eſt idem cum Rationali, ſi idem realiter: Ergo non infert duo contradictoria realia.

QUÆSTIO III.

De Univerſalis Aptitudine, & Prædicabilitate.

Siquidem univerſale, eſt unum aptum ineſſe multis, cùm jam de illius unitate egerimus, tractandum reſtat de ejus aptitudine. Hinc

Præmitto 1. *Duplicem eſſe aptitudinem.* Quandam Poſitivam, quandam Negativam. Negativa aptitudo eſt, negatio repugnantiæ ad aliquid. Poſitiva autem aptitudo eſt inclinatio & appetentia alicujus. Rurſùs hæc non repugnantia negativa, ſi concipiatur cum naturali inclinatione ad aliquid, vocatur aptitudo naturalis, qualis eſt aptitudo in igne, ut eat ſurſum; ſi verò conjungatur cum poſſibilitate quidem ad aliquid, ſed contra ſuam inclinationem, vocatur aptitudo inquieta, qualis eſt in lapide non repugnantia ad motum ſurſum, licèt ille potiùs vergat deorſum. Deniq; ſi hæc non repugnantia, conjungatur indifferentiæ, vocabitur aptitudo neutra, & ſic ad albedinem & nigredinem paries, habet aptitudinem neutram, ſeu indifferentiam.

Præmitto 2. *Si rigoroſè loqui vellemus, ad ſignificandum aptitudinem negativam, non ſatis commodus terminus uſurpatur: Negatio repugnantia,* ſeu non repugnantia. Ratio eſt, quia repugnan-

tia

tia est quid negativum, ex modo communi usurpandi, idem enim sonat repugnare hoc alicui, quod non convenire, non aptari, non consentire, quod si repugnare, est quid negativum in præsenti, addita illi negatio, vel ly non, hoc ipso jam non exprimet, negativum aliquid, quia duæ negationes faciunt unam affirmativam, adeoque non erit quid commodum, ad significandum aliquid negativum, sed in hac difficultate, quæ est circa phrasim, loquendum cum multis.

PRÆMITTO 3. *Communiter auctores non requirunt aptitudinem aliquam Positivam*, sed solam Negativam ad universale; certè enim Sol & Luna aliaque incorruptibilia, non habent positivam inclinationem ad multiplicationem suorum individuorum, aliàs violentum esset Soli, quod non sit multiplicatus individualiter, & tamen, Sol & Luna, sunt naturæ universabiles.

PRÆMITTO 4. *Posse adhuc poni aliam Positivam, aliam Negativam aptitudinem.* Negativa Aptitudo erit indeterminatio ad unum. Positiva autem stabit in ordine ad plura, illorumque appetentia.

PRÆMITTO 5. *Divisos esse Auctores in decidenda Quæstione præsenti*, aliqui enim licèt dicant unitatem formalem universalem non esse à parte rei, sentiunt tamen aptitudinem universalis, esse à parte rei; aliqui autem & unitatem, & aptitudinem debitam universali, negant à parte rei reperiri.

DIFFICULTAS I.

An detur à parte rei aptitudo Naturæ universalis?

DICENDUM 1. *Si nomine aptitudinis nihil aliud intelligas, nisi in inferioribus carentiam prædicati, impedientis multiplicabilitatem, talis aptitudo datur à parte rei, nemine cogitante.* Eadem Conclusio, sic formatur: Si nomine aptitudinis intelligas, hoc, quod individuum, possit habere sibi simile individuum, item quod unum inferius, possit habere aliud simile inferius, talis aptitudo datur à parte rei.

PROBATUR 1. Quia id non à meo intellectu pendet, quod Paulus sit similis Petro, nec à meo intellectu hoc pendet, quod careat Petrus prædicato impediente, ne simile sibi in natura individuum habeat, ergo non à meo intellectu pendet descripta aptitudo.

PROBATUR 2. Licitum est argumentari ab actu ad potentiam, ergo & ab actu ad aptitudinem. Ergo cùm detur actu nemine cogitante multiplicitas individuorum v. g. dabitur eorundem & aptitudo ad multiplicari, nemine cogitante.

PROBATUR 3. Independenter à cognitione creata, vel habet Deus vim multiplicativam hominis, vel non habet; si non habet, ergo à cogitatione nostra habet, quòd sit omnipotens; si habet, ergo illi multiplicativo, respondebit multiplicabile nemine cogitante, tanquam terminus multiplicativi, quod ipsum multiplicabile, est prædescripta aptitudo. Ergo sicut hoc multiplicabile datur nemine cogitante, ita & prædicta aptitudo, dabitur nemine cogitante.

DICENDUM 2. *Prædescriptam aptitudinem, non esse sufficientem ad universale formaliter.*

PROBATUR 1. Unitas convenientiæ non est sufficiens ad universale, ergo nec aptitudo dicta, illius enim convenientiæ est quasi radix aptitudo prædescripta: Ergo multò magis illa ipsa aptitudo, non debet esse sufficiens ad universale.

PROBATUR 2. Aptitudo proxima ad prædicari, non habetur nemine cogitante, proximè enim evadit natura prædicabilis, jam depurata à differentiis: Ergo nec prædicta aptitudo, quæ habetur nemine cogitante erit sufficiens ad universale, ut ita proportionentur inter se, (cum nihil obsit) aptum esse, & aptum dici.

PROBATUR 3. Aptitudo universali formaliter debita, est illius differentialiter constitutiva, proindeque nulli alteri debita, jam autem aptitudo prædicta, convenit & singularibus, ut habeant simile sibi singulare.

DICENDUM 3. *Si nomine aptitudinis intelligas, potentiam quandam actuabilem per plures differentias, nemine cogitante condistinctam à singularibus & differentiis, talis aptitudo non datur nemine cogitante.* Ita Suar. d. 6. Met. s. 4. n. 12.

PROBATUR 1. ex Suar. Aptitudo illa posita à parte rei, in uno individuo, vel est existens, vel non existens; si non existens, ergo nec est à parte rei; si existens, ergo singularis & individua, consequenter non dicit capacitatem ad plurificari.

PROBATUR 2. Non datur distinctio ex natura rei. Ergo nec potentia actuabilis nemine cogitante condistincta differentiis.

PROBATUR 3. Si daretur aptitudo, quæ esset potentia quædam actuabilis per plures differentias, illa aptitudo & esset idem realiter cum natura humana singulari, ut supponitur, & non esset idem, ut probatur: si enim esset idem realiter, cum natura humana singulari, etiam singularitas in sensu saltem reali, deberet dicere aptitudinem ad esse in multis; sed non dicit, quia hoc ipso non esset singularis. Sequela probatur à pari. Quia est idem animalitas cum rationalitate, verum est in homine, etiam animalitatem ratiocinari in sensu reali, ergò etiam si idem est realiter, singularitas & aptitudo, verum erit in sensu reali; singularitatem dicere aptitudinem ad plurificari. Quod totum in hoc fundatur, quia quando aliqua sunt idem realiter cum exclusione virtualitatis, in ordine ad prædicata primò intentionalia, tunc quidquid convenit uni formalitati, debet convenire & alteri in sensu reali saltem.

Respondebis. Ex adjuncto convenire singularitati, ut sit apta inesse multis.

Contra. Ei quod alicui est essentiale, nec ex adjuncto oppositum convenire potest, quia essentialia sunt immutabilia: Ergo, cùm essentiale sit singularitati, esse singulare, nec ex adjuncto poterit reddi non singularis, seu plurificabilis.

Objicitur 1. Quòd plura individua possint sub eadem specie multiplicari, non provenit hoc ab intellectu, sed ab ipsa rei natura: Ergo & aptitudo essendi in multis, non provenit ab intellectu.

Respondetur. Conced. totum, & neg. hanc aptitudinem esse sufficientem ad universale; unde etiam consequentia procedit de aptitudine prima Conclusione expressa.

Objicitur 2. Quod est in multis, est aptum inesse multis, natura autem v. g. humana, est de facto in multis.

Respondetur. Etiam hoc argumentum procedere de aptitudine admissa à nobis, sed tanquam insufficienti ad universale.

Objicitur 3. Si natura ante omnem operationem, non habet aptitudinem ad plurificari in multis, nec meâ cognitione eam habere potest.

Respondetur. Etiam hoc argumentum procedere, de aptitudine, de qua prima Conclusione aptitudinem autem tertio loco positam, potest habere à nostra cognitione natura, quæ à parte rei nemine cogitante, præstat fundamentum intellectui, ut illa natura sic plurificata, cognoscatur, sine determinatione ad unum, adeoq; cum aptitudine.

Inferes. Aptitudinem tertia Conclusione expressam, esse aptitudinem exigitam ab universali formaliter. Ratio, quia universale debet esse aptum inesse multis, & cum hæc aptitudo non sit ea, de qua Conclusione prima, debet esse ea, de qua Conclusione tertia, quæ enim alia?

DIFFICULTAS II.

Decidiuntur quædam ad aptitudinem Naturæ universalis spectantia.

Assero 1. *Quod in recto aptitudo, ista sit ipsa natura, in obliquo autem dicit, non determinationem ad unum, ex suppositâ plurificatione.*

Ratio. Quia ita explicata aptitudine, Entia sine necessitate non multiplicabuntur.

Assero 2. *Non solum aptitudinem, adesse in multis, sed & ad existere in multis, requiri ad rationem aptitudinis debitæ universali formaliter.*

Ratio. Quia essentia & existentia non distinguuntur, hinc data aptitudine ad esse in multis, debet dari & aptitudo ad existere in multis. Cæterum per prius, dicit aptitudinem ad essendum in multis. Ratio, quia ipsum esse est prius, ipso existere.

Assero 3. *Illam ipsam aptitudinem negativam, à nobis admissam, esse aptitudinem universali debitam.*

Ratio. Quia aptitudo illa debet esse proportionata universali, non est autem proportionata, nisi aptitudo negativa, quia cum universale formaliter, præscindat à differentiis, etiam aptitudo illius, debet præscindere à differentiis, à quibus cùm non præscindat nisi aptitudo negativa, illa nonnisi erit debita universali formaliter.

Assero 4. *Posse hanc ipsam negativam aptitudinem suo modo dici positivam.*

Ratio. Quia ipsa aptitudo negativa, in recto est ipsa natura humana, quæ est quid positivum.

Dices. Affirmationes priores sunt negationibus, & ipsum esse, hoc est, prædicata positiva, priora sunt ipso non esse, hoc est prædicatis negativis. Hoc supposito. Consideretur natura humana universalisata, in eo statu, in quo est prior, ex modo nostro concipiendi omni negatione, certè hæc natura, in quantùm est prior omni negatione, erit distincta à natura divina, in hoc, quòd natura divina, sit multiplicabilis, & non plurificabilis, universale autem & multiplicabile, & plurificabile; quòdsi erit distincta tunc natura universalis, à natura divina, ergo distinguetur aptitudine, ad plurificari, supponeturque eam habere, ante omnem negationem.

Respondetur. Pro illo priori, non posse supponi naturam humanam universalisatam, tamen discernetur à natura divina, ipsa connexione prædicatorum. Quia v. g. natura humana etiam sine aptitudine considerata, dicit nexum, prædicatorum Animal Rationale, quem nexum non dicit Deus, nihilque vetat in aliquo statu intentionali, considerari naturam, prout non dicentem distinctionem à natura divina, in aliquo prædicato, in quo cæteroqui nata est dicere distinctionem: & ita natura creata, pro illo priori, pro quo prius est esse naturam, tanquam quid universalius, & posterius creatam, considerata natura creata, non dicit distinctionem à Deitate, à qua tamen nata est dicere distinctionem pro statu reali.

Assero 5. *Hanc aptitudinem ad essendum in multis debere esse realem.*

Ratio. Tum quia non debet esse fictitia unitas universalis, nec fictitium universale, ergo nec aptitudo ad inessendum multis, debet esse fictitia. Tum quia, si sufficeret aptitudo fictitia, etiam natura divina posset esse universale formaliter. Tum quia, si non requireretur aptitudo realis, sed sufficeret fictitia, sufficeret etiam chimærica; non enim major est ratio unius quàm alterius. Hoc autem dici non potest, quia posset esse universale formaliter, id quod

quod est contradictoriũ universali formaliter, quia posset fieri v. g. ex singulari universale formaliter, quod singulare, est contradictorium universali formaliter, singulareq; dicens ineptitudinem inessendi multis, si universalisaretur, diceret aptitudinem inesse multis.

DIFFICULTAS III.

De Prædicabilitate Universalis?

DUo hic specialiùs inquirerentur; an prædicabilitas sit essentia universalis? & an universale singularisetur in prædicando? Ut utrumque decernatur.

PRÆMITTO 1. *Quod prædicabilitas, nihil aliud sit ex modo nostro concipiendi, nisi aptitudo quædam, & capacitas ad prædicari*, sicut è contra prædicatio, est actuatio istius capacitatis & aptitudinis.

PRÆMITTO 2. *Prædicabilitatem quandam tenere se ex parte intellectus* potentis aliquid prædicare, possetq; hæc dici prædicabilitas activa, vel si mavis dicere prædicativitas; & alia prædicabilitas, tenet se ex parte objecti, potentis prædicari; possetque hæc dici prædicabilitas passiva, de qua hîc agetur.

PRÆMITTO 3. *Prædicabilitatem passivam, in re nihil aliud esse, quàm ipsam entitatem Objecti*, potentis assumi ad prædicationem. Hinc eadem prædicabilitas, cum universali natura, in re, est idem; quia in re, est ipsamet natura, quæ prout est unum aptum inesse multis, est universale formaliter, prout autem est apta prædicari de multis, dicit prædicabilitatem, consequenter solis connotatis differunt.

PRÆMITTO 4. *In universalitate rationem prædicabilitatis, non esse rationem primariam.* Ratio, quia id quod fundatur in alio, non est in illo primarium, sicut & risibilitas fundata in rationalitate, non est primarium in homine, quod in hoc resolvitur: quia illud in quo aliquid fundatur, debet esse radix ejusdem, adeoq; continere eminenter perfectionem illius fundati, & insuper continere suam, prædicabilitas autem fundatur in ipso Esse, prius enim est esse, postea dici, consequenter prædicabilitas, non erit quid universale.

PRÆMITTO 5. ex Hurt. d. 3. Log. s. 1. *Actus intellectus dupliciter spectari posse.* 1. Ut respiciunt objectum, illudque denominant, unà cum potentiis, cognitio enim, & cognitum denominat, & cognoscentem. 2. Ut se mutuo respiciunt actus, sicut discursus respicit judicium, judicium autem respicit simplicem apprehensionem. Ex his duobus respectibus duæ consequuntur denominationes, in casu quo formatur universale; ex primo respectu: resultat denominatio universalis, quia actus respicit objectum repræsentans communem rationem pluribus; ex secundo respectu, resultat denominatio prædicabilis, verè enim illud objectum potens est prædicari, & actus prædicativus, respicit actum ponentem objectum, in statu proximè prædicabilis.

Quod attinet ad hoc: an prædicabilitas sit de Essentia universalis.

ASSERO 1. *Accepta prædicabilitas pro eo quod dicit in recto, est de Essentia universalis Metaphysici.*

RATIO. Quia nihil est magis de essentia universalis Metaphysici, quàm illius Entitas, prædicabilitas autem pro eo, quod dicit in recto, importat naturam, ut dictum.

ASSERO 2. *Accepta prædicabilitas pro formalitate conceptibili per modum capacitatis ad prædicari, non est de essentia universalis Metaphysici.*

RATIO. Tum quia, quod non est de ratione definitiva alterius, nec est de essentia illius, definitio enim fit per Essentialia; jam autem per prædicabilitatem, non definitur universale Metaphysicum. Tum quia dici, non est de Essentia esse, hoc ipso enim non esset dici, sed esse. Ergo & prædicabilitas non erit de essentia universalis Metaphysici, utpote quæ est de linea dici. Tum quia Essentiâ non datur aliquid prius in universali Metaphysico, nempe ipsum esse; non enim ideò est aliquid, quia dicitur, sed ideò dicitur, quia est.

ASSERO 3. *Prædicabilitatem esse Passionem universalis Metaphysici, si sumatur pro prædicta capacitate.*

RATIO, quia convenit soli, & semper.

ASSERO 4. *Prædicabilitatem esse de essentia universalis Logici.*

RATIO. Tum quia universale Logicum, est unum aptum dici seu prædicari de multis, ut habetur l. Periherm. c. 5. proceditque assertum de sic definito universali Logico; sed prædicabilitas est essentia unius apti dici de multis, est enim ratio definitiva ejusdem, ergo prædicabilitas est essentia universalis Logici. Tum quia nulla esset ratio constitutiva universalis Logici, si essentia illius non esset prædicabilitas. Tum quia, si de essentia universalis Logici, non esset prædicabilitas, ideò non esset, quia est proprietas universalis Metaphysici, sed hoc non obstat, quia etiam risibilitas est proprietas hominis, & tamen risibili quà tali, risibilitas est essentialis, universaliterque formæ, quæcunque etiam accidentariæ sunt essentiales suis concretis, hoc ipso enim jam non esset illud concretum, suntque definitivæ concreti illius, adeoque essentiales.

DICES 1. Quando concipitur natura ut communis pluribus, concipitur ut prædicabilis; sed per notitiam abstractivam, quæ est factiva uni-

versalis, concipitur natura communis pluribus, ergo concipitur prædicabilis.

Respondetur. Quòd tunc concipiatur ut prædicabilis natura, hoc est apta prædicari, sed non concipitur prædicabilis, hoc est definita per prædicabilitatem.

Dices 2. Præmissæ per seipsas immediatè determinant intellectum ad prædicandum: Ergo & conceptus concipiens universale, seu naturam convenientem pluribus, determinabit intellectum ad illud universale prædicandum.

Respondetur. Transeat totum, quia non infertur quòd prædicabilitas sit de essentia universalis Metaphysici. Deinde argumentum multùm probat, quia probat actualem prædicationem, esse de essentia universalis Metaphysici. Certè enim ita determinant intellectum præmissæ ad conclusionem, ut necessariò moveatur intellectus ad actualem conclusionis assensum.

Dices 3. Per unum eundemq; actum natura fit universalis, & prædicabilis. Ergo prædicabilitas, est de essentia universalis.

Respondetur. Neg. Conseq. quia per eandem actionem producitur hominis risibilitas & rationalitas, & tamen risibilitas, est non-nisi proprietas hominis, sufficitq; dicere, quod prædicabilitas secundùm id quod dicit in recto, sit de essentia universalis Metaphysici.

Assero 5. *Prædicabilitatem, de qua hîc controvertitur, sumi debere, pro prædicabilitate passiva*, supra explicata.

Ratio. Quia prædicabilitas, de qua hic agitur, est prædicabilitas tenens se à parte universalis, jam autem prædicabilitas activa, tenet se potius à parte intellectus.

Quod attinet: An Vniversale singularisetur in prædicando? in hoc divisi sunt auctores, Scotus dicit singularisari universale in prædicando, & cum eo Smigl. d. 4. f. 6. idque docent consequenter ii, qui per actum confusum, docent fieri universale, consequenter per illos propositionis hujus: Petrus est animal, est sensus: Petrus est hoc animal. Alii censent, non singularisari universale in prædicando, suntque divisi, quia propositionis hujus: Petrus est animal; aliqui dicunt esse hunc sensum, Petrus est vel hoc, vel hoc animal. Aliqui hunc ponunt sensum. Petrus est vivens sensitivum. De quo

Assero 1. *Vniversale non prædicari de suo inferiori, ut universale, neque ut singulare.*

Ratio. Ubi in prædicatione non noscitur universale, ut universale, neque singulare ut singulare, in prædicatione, non prædicatur universale ut universale, neque singulare, ut singulare; cognitio enim illa ita reduplicativè noscens objectum, (& non quidquam aliud, quid enim illud?) debet formalisare prædicationem universalis ut universale, & singularis ut singulare; sed in prædicatione universalis de inferiori, neque cognoscitur, universale, ut universale, neq; singulare ut singulare. Ergo. Minor probatur experientiâ. Et certè non ex eo, quia repræsentatur natura præcisa à differentiis, præsentatur ut universalis: unde etiam potest præcisè repræsentari natura divina sine personis, & tamen non præsentabitur tunc natura divina ut universalis, indubieq; de natura sic spectata v. g. humana, potest prædicari universalitas, quod ipsum ostendit, aliam esse formalitatem universalitatis reduplicativè sumptæ, & aliam formalitatem naturæ secundùm se.

Assero 2. *Quando fit prædicatio universalis de suo inferiori, prædicari naturam secundùm se.*

Ratio. Tum quia ita voluit S. Th. op. 56. ubi ait, *Homo secundùm quod particularis, non prædicatur de Sorte, sed ipse terminus Homo, significat naturam humanam, absque omni participatione, & particulari ratione. Ergo sic prædicabit eam, non tamen universaliter*, intellige ut addunt Interpretes, non distributivè.

Assero 3. *Hoc ipso quia prædicatur natura præcisa à differentiis, prædicatur universale.*

Ratio. Quia quando prædicatur unum aptum inesse multis, prædicatur universale; sed quando prædicatur natura secundùm se præcisè à differentiis, prædicatur unum aptum inesse multis, ergo quando sic sumpta prædicatur natura, prædicatur universale.

Respondebis. Sufficit quòd hoc sit prædicatum universale, quoad modum significandi & æquivalenter.

Contra. Quia secundùm dicta supra, non solum ex modo significandi, sed revera in illo objecto prout repræsentato, nullæ sunt differentiæ, æquè in prædicatione ac in abstractione, ergo non tantum ex modo significandi est illic universale: & non tantùm æquivalenter, sed formaliter non habet differentias, cur ergo non dicemus prædicari universale?

Assero 4. *Quando prædicatur universale, non prædicari illud universaliter.*

Ratio. Quia prædicari universaliter, est prædicari distributivè, & explicabiliter, per descensum, ita ut hæc propositio: Petrus est animal, explicetur: Petrus est, & hoc animal, & illud animal. Indubiè autem dictæ propositionis, non est hic sensus.

Assero 5. *Quamvis non prædicetur universale universaliter, non singularisari tamen illud in prædicando.*

Ratio. Quia licèt, non prædicetur universale universaliter, prædicatur tamen natura secundùm se, ergo non singularisata: non enim esset secundùm se spectabilis, si esset singularisata.

Colliges. Non singularisari universale in prædicando, sed nec prædicari universaliter, aut ut universale, licèt prædicetur natura secundùm se, consequenter hujus propositionis.

Homo

Homo est animal, non erit hic sensus, homo est aliquod animal, neque, quòd sit, & hoc, & illud animal, neque, quòd sit vel hoc vel illud animal, sed quòd sit vivens sensitivum.

Solvuntur Objectiones.

Dices 1. Quando determinatur natura ad particulare, jam non manet natura secundùm se; sed in prædicatione actuali, determinatur natura ad particulare, ergo non manet secundùm se, ergo nec prædicatur secundùm se.

Respondetur. Quando natura determinatur, determinatione primò intentionali ad particulare, non manet natura secundùm se, nam determinatio primò intentionalis, est determinatio ad statum realem, & existentiam, quæ est nonnisi particularium; si autem sit determinatio secundò intentionalis, potest non determinari ad unum, quia secundæ intentiones, possunt versari, etiam circa non determinata ad unum.

Instabis 1. Si vera est distinctio, sequitur non esse identitatem prædicati cum subjecto, quia rationis intrinsecè particularis & ad differentiam determinatæ, non potest esse identitas, cum ratione indeterminata, & præcisa à differentiis.

Respondetur. Quòd si ratio determinata, fundamentaliter dicat prædicata præscindibilia à determinatione, poterit de illa verificari ratio indeterminata, conformis illi fundamento: cui enim bono esset illud fundamentum? consequenter erit jam tunc identitas prædicati cum subjecto, cæteroqui non futura, si non adesset dictum fundamentum.

Instabis 2. Id debet prædicari quod inest, non inest autem animalitas præcisa. Ergo nec prædicari debet.

Respondetur. Id quidem debet prædicari, quod inest, sed non eo modo quo inest, adeoque non singularisando prædicatum.

Instabis 3. Si non prædicatur id quod inest, eo modo quo inest, ergo modus dicendi, non sequitur modum essendi. Modus enim essendi Petri, est particularis.

Respondetur. Sufficere ut modus cognoscendi, sequatur modum essendi, vel Physicum, vel Metaphysicum: sequetur modus prædicandi modum essendi Physicum, quando de Petro particulariter animal dicetur; sequetur modus dicendi, modum essendi Metaphysicum, quando de Petro, prout dante fundamentum præcisionum, prædicabitur ratio præcisa.

Instabis 4. In propositione illa, Petrus est Homo, non prædicatur omnis Homo, ergo prædicatur aliquis Homo; sunt enim hæc signa contradictoria.

Respondetur. Natura secundùm se spectata importat sola essentialia sua prædicata, cum ergo omnis & aliquis, sint accidentalia prædicata absolvet ab illis, quamvis in statu Physico, ab illis non absolvat. Dixi quod absolvat à contradictoriis accidentalibus, quia non abstrahit à contradictoriis essentialibus. Hinc falsum est, quod Homo neq; sit animal, neque non animal. Verum autem est hominem in statu abstractionis, neq; esse omnem, neq; aliquem, nisi nomine aliquis, uti velis etiam pro significatione naturæ præcisæ sumptæ. Quanquam immeritò assumitur, Ly Omnis & Aliquis esse contradictoria, cum Ly aliquis, sine apposita negatione possit esse non contradictorium. Hinc huic termino omnis, contradictorium est in præcisa ratione termini, Non Omnis, verumq; est non omnem hominem prædicari de Petro, sed inde non sequetur aliquem hominem prædicari, quia in ista contradictione præcisè terminorum, Aliquis, habet se per modum positivi, consequenter sicut non est licitum argumentari à non esse albi ad esse nigri, ita nec à Ly Non omnis, licitum erit argumentari ad Ly Aliquis. Dixi in ista præcisè contradictione terminorum, non esse contradictoria Omnis & Aliquis, quia in propositionibus cum addito Non, contradictoria sunt Omnis, & Aliquis non.

Instabis 5. Si quando dico Petrus est animal, ponitur animal præcisè secundùm se, ergo sensus erit, Petrus est animal præcisè secundùm se.

Respondetur. Quando dicitur animal præcisè secundùm se spectatum prædicari, non dicitur, quòd hoc ipsum debeat prædicari, sed nonnisi modus ostenditur quo debeat prædicari, nempe importando sola essentialia prædicata.

Dices 2. In hac propositione: Petrus est Homo, vel prædicatur tota natura de Petro, vel aliquid illius, si aliquid ergo singularisatur; si autem tota natura prædicatur, falsa erit prædicatio, certè enim Petrus, non est tota natura.

Respondetur. Tota natura humana prædicatur de Petro, secundùm rationem communem spectata seu Metaphysicè, sed non tota Physicè, quia non secundùm omnes rationes individuales, quæ illi in, & pro statu Physico conveniunt.

Dices 3. Si non singularisatur universale in prædicando, ergo unum & idem de realiter distinctis prædicari potest, hoc est una ratio hominis abstracta.

Respondetur. Unum & idem secundùm rationem communem, & Metaphysicam, de realiter distinctis prædicari potest, si enim ratio communis de distinctis realiter dici non posset, hoc ipso non esset ratio communis, licèt unum & idem Physicè de realiter distinctis dici non possit; quia si verificaretur prædicatio unius realiter, de distinctis realiter, auferretur illorum distinctio realis.

Dices 4. Prædicari de alio nihil aliud est, quàm unire prædicatum cum subjecto, atque ita uniendo prædicatum universale, subjecto particulari, unirentur plures naturæ, quod est absurdum.

Respondetur. Cum per nos universale, non sint plures naturæ, uniri illud particulari, non est uniri plures naturas.

Dices 5. Universale nihil aliud est per nos, nisi natura abstracta à differentiis; illic prædicatur talis natura, ergo prædicatur universale.

Respondetur. Concedend. totum, non nego enim, specificativè acceptum universale prædicari, sed nego prædicari quâ universale reduplicativè acceptum.

Instabis. Si universale quâ universale non prædicatur, non esset universale prædicabile, tanquam universale, sed hoc est absurdum, quia passio universalis, non esset prædicabilitas.

Respondetur. Passio, universalis est prædicabilitas, sed non est passio, prædicabilitas, quâ universale est.

DISPUTATIO IV.

De Universalibus in particulari.

Porphyrius Apostata scripsit introductionem in Philosophiam, quæ continet cognitionem Universalium in particulari, de quibus *sit*

QUÆSTIO I.

De Numero Prædicabilium.

Numerantur ordinariè quinque Universalia, Genus, Species, Differentia, Proprium & Accidens.

Dicendum 1. *Si velis Ly prædicabile, impositum esse nonnisi ad significanda prædicata essentialia & quidditativa, duo tantum sunt prædicabilia*, hoc est genus, & species.

Probatur 1. Quia nonnisi per genus & speciem respondetur ad interrogationem quid est? prædicata autem quidditativa ista dicuntur quibus satisfit interrogationi, quid est? & ita si quæratur quid est Petrus? & respondeatur est animal, erit responsio per prædicatum quidditativum; hoc est per genus; quod si iterum quæratur, quid est Petrus? & respondeatur homo, erit responsio per prædicatum quidditativum hoc est per speciem.

Probatur 2. Quia per ly Quid, intelligitur id cui advenire intelliguntur reliqua: jam autem generi advenit differentia, & speciei, advenit accidens & proprium.

Probatur 3. Quia non potest ostendi, cuinam conveniat, Quid, aut cui convenire possit præter Genus & Differentiam?

Dicendum est 2. *Hoc nomen Prædicabile, non est impositum ad significanda sola prædicata Quidditativa.*

Probatur 1. Quia in quæstione de voce, cum pluribus loquendum; communis autem sententia ly prædicabile, non ad sola quidditativa prædicata restringit.

Probatur 2. Ideò Genus & Species sunt universalia prædicabilia, quia ab inferioribus per actum præscindentem vel confusum abstrahi possunt, sed idem fieri potest cum Differentia, Proprio, Accidente. Ergo & hæc possunt esse universalia Prædicabilia.

Probatur 3. Quia nulla necessitas est restringendi nomen hoc Prædicabile, nonnisi ad prædicata quidditativa; sicut nulla est necessitas restringendi nomen Animal nonnisi ad hominem.

Dicendum est 3. *Hoc nomen Prædicabile, impositum esse ad significanda tam Prædicata quidditativa, quàm ad Prædicata in Quale*, consequenter quinque esse Prædicabilia.

Probari solet 1. Omne quod dicitur de alio, vel dicitur in Quid, vel in Quale; si in Quid, tunc dicitur vel in Quid de pluribus differentibus specie & numero, & sic est Genus; vel de pluribus differentibus numero & sic est Species; si autem dicitur in Quale, vel dicitur in Quale essentiale, & sic est Differentia; vel in Quale convertibile, & sic est Proprium; vel in Quale non convertibile, & sic est Accidens.

Probat 2. Suarez. Quidquid est in multis, vel est in illis tanquam aliquid essentiale, vel tanquam aliquid accidentale; si est tanquam essentiale, habetque se per modum partis materialis, & illud erit Genus; si verò se habet tanquam pars determinans, erit Differentia; si autem tanquam totum essentiale erit Species. Porrò quod ineat accidentaliter pluribus, vel est

tale

tale quod necessariò ab essentia promanat, & erit Proprium ; vel est quod ab extrinseco provenit, estque ipsum extrinsecum, & hoc est Accidens. Idem sic proponi potest : quidquid prædicatur de alio vel prædicatur in Quid, vel in Quale, si prædicatur in Quid tanquam tota essentia, hoc erit species ; si prædicatur in Quid, tanquam pars materialis, hoc erit Genus ; quod si prædicetur in Quale, vel prædicabitur in Quale essentiale, & erit Differentia ; vel in Quale necessariò fluens ab essentia, & erit Proprium ; vel in Quale ab extrinseco, & hoc erit Accidens.

Respondebis 1. ex Aversa. etiam speciem esse partem materialem ; nam ab hæcceitatibus determinatur ; Ergo non rectè sequitur, Genus à specie distingui, quia Genus habet se per modum partis materialis.

Contra est : quia hîc agitur de Determinativo faciente specie differre, quod non faciunt individuationes. Hinc à posteriori, non esse prædicatum Quidditativum hæcceitates, vel exinde colligitur ; si enim quæratur, quid est homo ? bene ad interrogationem Quid ? respondetur, per prædicatum quidditativum, est animal : ad interrogationem autem, Quis est hic homo ? non respondetur per animal, sed est Petrus, Paulus &c. ubi ut vides, per Petrum, non respondetur ad interrogationem Quid est ? sed ad interrogationem Quis est ?

Respondebis 2. Etiam Differentiam esse partem materialem ; est enim v. g. animatum determinabile per rationale ; item Differentia Generica, cum Genere subalterno, est eadem entitativè, si ergo Genus subalternum contrahetur, contrahi debebit & ipsa Differentia.

Contra est. Concedo quod Differentia, in quantum est ulterius perfectibilis, transeat in conditionem Generis subalterni, nec sic sumitur quando prædicatur ut Differentia, sed sumitur, quà facit differre.

Respondebis 3. cum Arriaga. Proprium & Accidens solum differre materialiter ; quia differunt solùm necessitate & contingentia, quę differentiæ non spectant ad Logicam.

Contra est ; non tantùm esse hic differentiam, secundùm necessitatem & contingentiam ; sed etiam esse differentiam ex modo prædicandi essentialiter, quomodo prędicatur Proprium ; & ex modo prædicandi contingenter, sicut prædicatur Accidens. Quod autem hi modi prædicandi differant, colligit ex eo Oviedo, quia si essentialiter differunt necessarium & contingens, different etiam modi prædicandi ; & si ratio partis materialis & formalis, distinguit prædicabile Generis & Differentiæ, distinguere etiam poterit, ratio necessarii & contingentis.

Probatur 3. Quia ex quinque enumeratis, nullum est quod deficiat in formalitate prædicabilis, quod enim ? ex altera parte nulla ostendi poterit ratio, præter adlatas, cui competat esse universale prædicabile.

Rationes pro Prædicabilium numero minuendo.

Objicit 1. P. Venceslaus Darowski. Tantùm sunt duo prædicabilia per modum superioris de inferiori. Ergo tantum duo universalia. Antecedens probatur. Quidquid prædicatur per modum superioris, vel de pluribus specie prædicatur, & erit Genus ; vel de pluribus numero, & erit Species.

Respondetur. Neg. Anteced. Probatio ostendit, quod ea quæ prædicantur in Quid, & tanquam aliquid essentiale, sint nonnisi duo : sed non ait de Prædicabilibus in Quale.

Objicit 2. Differentiam, non est necesse prædicari de pluribus inferioribus ; nam supposito, quòd Angeli omnes sint immultiplicabiles numero, habebunt differentiam, & tamen illa de pluribus dici non poterit. Risibile item, respectu hominis ut sic, est Proprium, & tamen de illo non prædicatur, ut superius ; denique Accidens ut Accidens, non poscit nisi abesse & adesse, prædicari autem, illi non magis convenit, quam substantiæ, quæ tamen non ponitur pro sexto prædicabili.

Respondetur. Si Angeli sint immultiplicabiles numero, differentia uniuscujusque prædicabitur de illo, sed non tanquam quid universale : Risibile item quamvis non prædicetur tanquam quid universale, de homine ut sic, habet tamen alia sua inferiora, de quibus prædicatur tanquam quid universale. Accidens item physicè spectatum, poscit nonnisi abesse vel adesse, sed Logicè spectatum, poscit prædicari.

Objicit 3. Tot sunt universalia, quot unitates univocæ, unientes plura univocata ; hæ tantum duæ, quia & oppositæ eis pluralitates tantum sunt duæ, nempe pluralitas invehens solam numericam alietatem, vel pluralitas invehens etiam specificam differentiam.

Respondetur. Tot sunt universalia quot unitates univocæ, non tantùm essentialiter & in Quid prædicabiles, sed etiam prædicabiles accidentaliter, vel in quale, hæ autem sunt plures.

Objicit 4. Potest revocari ad Genus generalissimum, Genus subalternum ; Ergo & species infima, poterit revocari ad speciem subalternam ; sed species subalterna constituit idem prædicabile cum Genere, Ergo & species infima.

Respondetur. Disparitatem esse, quia tam Genus subalternum, respectu Generis generalissimi, quàm Species subalterna, respectu Generis, eundem modum prædicandi habent ; nec mirum est si ad se revocentur : omnia enim hæc dicuntur in Quid, & exprimunt partem materialem : jam verò species infima, non habet eundem modum prædicandi cum Genere ; dicitur

citur enim Species, in Quid totale, non dicitur Genus; si non dicitur Genus in Quid totale, non poterit ad illud revocari Species, quæ dicitur in Quid totale.

Instabis. Ergo saltem cùm Genus & Differentia contineantur in Specie, non constituent ab illa diversum Prædicabile.

Respondetur. Genus & Differentia continentur in Specie, non in Genere Prædicabilis, sed tanquam partes in toto, si autem non continentur Genus & Differentiæ in Specie, in ratione seu modo Prædicabilitatis, poterunt adhuc constituere diversum Prædicabile.

Objicitur 5. Omne Accidens, vel est Genus, vel Species; Ergo inutiliter ponuntur quinque Prædicabilia.

Respondetur. Accidens esse Genus vel speciem, respectu propriorum inferiorum; & ita Accidens, est Genus ad albedinem, nigredinem; Albedo autem est species; sed si comparentur ad subjecta, v.g. ad lignum, aquam, pomum &c. quibus subjectis insunt accidentia, respectu eorum accidens, non est Genus, neque Species, sed formalissimè Accidens.

Objicitur 6. Potest hæc tota divisio ad bimembrem reduci, ut si dicatur Prædicabile, aliud est essentialiter, aliud accidentaliter.

Respondetur. Si tradita fuisset divisio, per solas rationes generales & immediatas, ita universale dividi debuisset ut vult objectio; sed hîc agitur non solum de divisione prædicabilium immediata, sed de divisione absoluta prædicabilium; divisio est mediata nihilominus talis, ut non sint plura, præter hæc Prædicabilia.

Objicitur 7. Auctoritas Aristotelis.

1. Auctoritas est ex 1. Top. cap. 4. Ubi Aristot. numerat tantùm quatuor Prædicabilia.

Respondetur. Aristotelem ibi numerare hæc prædicabilia, quæ solent adhiberi in Problematis; Hoc est Genus, Proprium, Accidens, & Differentiam, quam ibi nomine Termini intelligit, Speciem omittit, quia illa in Problemate subjecti ut plurimum locum habet.

2. Auctoritas est ex cap. 2. de Antepræ-dicamentis. Ubi Ens universale, dicit Prædicabile in Quid, Prædicabile autem in Quid, non est nisi Genus & Species.

Respondetur. Aristoteles ibi accipit ens universale, pro eo quod ponitur in recta linea prædicamentali; hoc autem concedo, non esse nisi, Genus & Speciem, cum Differentiæ ad latera ponantur.

3. Auctoritas est ex cap. de Substantia, ubi tria tantum prædicata univoca, adeoq; universalia agnoscit.

Respondetur. Aristot. illic agere de univocis essentialibus, quæ sunt tria Genus, Differentia, Species.

Est & alia quasi negativa Auctoritas. Quia tot sunt Prædicabilia universaliter, quot sunt ea, quæ Aristoteles opposuit idæis Platonicis: his autem opposuit nonnisi Genus & Speciem.

Respondetur. Negando quod ea solum sunt universalia, quæ opposuit idæis Platonicis Aristot. nec erat necesse ut opponeret plura; quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora.

Rationes pro pluralitate Prædicabilium.

Objicitur 1. Prædicamenta sunt decem, Ergo & Prædicabilia.

Respondetur. Disparitatem esse; quia aliunde sumitur numerus Prædicabilium, aliunde Prædicamentorum; numerus enim Prædicamentorum, sumitur ex modo essendi; numerus autem Prædicabilium, sumitur ex modo ineessendi. Porrò modus inessendi est, qui explicatur per ipsam copulam, in Propositione. Modus autem essendi, explicatur per ipsum Prædicatum v. g. in hac Propositione: Homo est quantus, significatur per prædicatum, quod est quantitas, significaturque per hoc Prædicatum modus essendi, qui est quantitas, adeoque significatur Prædicamentum. Si autem quæratur, Quomodo homo sit Quantus? respondebitur, Homo est accidentaliter Quantus; significabiturque modus, quo illi inest quantitas, nempe quod illi accidat. Quodsi non ex eodem principio, sumitur numerus Prædicamentorum, & Prædicabilium, quantumvis erunt Prædicamenta decem, non erit necesse Prædicabilia esse decem; supponitur enim, Modos essendi rerum, esse decem; aut enim est substantia aut Quantitas &c. Modi autem sunt quinque inessendi; quia quod inest, vel inest per modum partis materialis, & erit Genus; vel inest per modum formalis determinativi & erit Differentia, &c.

Instabis. Non esse rationem, cur numerus Prædicamentorum sumatur ex modis essendi. Prædicabilium autem ex modis inessendi.

Respondetur. Hanc esse rationem, quia Prædicabilia non attendunt ad rem quæ prædicatur, sed solùm ad modum prædicandi, qui est quinarius, tamque verè ut Species prædicatur albedo de hac albedine, quam verè prædicatur homo de Petro, licèt illa sit Accidens, hic substantia. Jam verò Prædicamentum ad ipsas res attendit; unde vocatur series rerum certo ordine dispositarum.

Objicitur 2. Videtur hic numerus merè esse factus ex placito Philosophorum, cur ergo augeri non poterit?

Respondetur. Hanc rationem probare, quòd etiam diminui possit. Quod autem non ad placitum sit hic numerus, exinde deducitur; quia non ad placitum est, quod omne quod prædicatur, prædicetur in Quid, aut in Quale, si in Quid &c. reassumatur ratio supra dicta.

Obji-

Objicitur 3. Multa posse ostendi, quæ prædicantur universaliter, & tamen non revocantur ad quinque prædicta.

Respondetur. Omnia revocari posse: Ens enim revocari potest ad Genus, quando dicitur essentialiter incompletè, licet deficiat à ratione generis in univocatione. Unum revocari potest ad Proprium. Subsistentia, Persona, Unio, si sunt modi, possunt revocari ad Prædicabile Accidentis; nam etiam aliquid substantiale, potest prædicationem habere Accidentis: ut cum dico: Animal est homo; prædicatio est Accidentis, licèt homo sit substantia, non Accidens. Istæ propositiones: Christus est homo, & Christus est Deus, prior revocabitur ad prædicationem speciei, de individuo; posterior revocari solet ad prædicationem Accidentis; naturæ enim humanæ, non est essentiale terminari à persona divina, quanquam alii ponunt pro dictis propositionibus, sextum Prædicabile, quod vocant Assumptivum. Definitio autem dum prædicatur in quantum dicit Genus, revocabitur ad Prædicabile Generis; in quantùm autem dicit Differentiam, revocabitur ad Prædicabile Differentiæ, ut vult Arriaga; quanquam posset dici, quod prædicabile Definitionis revocetur ad Speciem, à qua vix distinguitur ratione.

QUÆSTIO II.

De Genere.

INquiremus imprimis de definitione Generis, postea ad alia delabemur.

DIFFICULTAS I.

An & quomodo Genus definiatur?

LY Genus tripliciter sumitur. I. Pro collectione plurium ab eadem origine proficiscentium, ut Genus v. g. Græcorum. II. Accipitur Genus, pro Capite, à quo est hæc collectio; ut cum dicimus, Casimirus Rex est Jagello genere. III. Translatè, pro universali, quod sit veluti origo & principium specierum. Unde & Porphyrius dicit, Genus est id in quo species cognationem habent. De tali sumpto genere.

Dicendum est 1. *Quod definiri possit.*

Probatur 1. Quia nihil vetat.

Probatur 2. Quia de facto definitur, à facto autem ad potentiam, tenet illatio.

Probatur 3. Quia sic sumpti Generis, datur Genus & Differentia, Ergo & definibilitas.

Objicitur 1. Si Genus posset definiri, definiretur per Genus; per Genus non potest definiri, quia jam daretur generis genus, daretur q; processus in infinitum in generibus.

Respondetur. Istius generis quod hîc definitur, dari genus, nempe universale, cujus ipsius generis quod est universale, non datur jam Genus, in illo ordine superius; si autem agatur de Generibus in alio Ordine, etiam in his non dabitur processus in infinitum, sed devenietur ad Ens latissimè.

Instabis. Si Genus definiretur per Universale tanquam per quid superius, posset dici de illo Universali, quod contineatur sub prima specie Prædicabilium; posset q; de illo dici, Universale est Genus, consequenter & contineretur sub Genere, & contineret Genus.

Respondetur. Concedendo, hanc Prædicationem esse bonam, si dicatur, Universale est Genus; bonam etiam hanc Prædicationem, Genus est Universale. Sed in priori, prædicatur de Universali ratio Generis accidentaliter; accidit enim Universali esse Genus, cùm possit esse Species: in posteriori autem, est prædicatio quidditativa; de essentia enim Generis est, ut sit Universale. Deinde diverso respectu ab Universali continetur Genus, tunc cum Genus, induit rationem speciei, diverso respectu Universale continetur à Genere, in quantum verum est dicere. Universale est Genus.

Objicitur 2. Si Genus posset definiri, esset Species; haberet enim Genus & Differentiam; sed Genus non est species.

Respondetur. Diverso respectu Genus potest esse Genus, respectu suorum inferiorum, si de illis modo sibi debito dicatur; diverso autem respectu erit Species; in quantum habet Genus & Differentiam.

Objicitur 3. Si posset definiri Genus, vel definiretur ut Genus, vel ut Species; si definitur ut Species, hoc ipso non definitur ut Genus; si autem definitur ut Genus, hoc ipso definiri non potest, non posset enim habere Genus & Differentiam, cum hæc ipsa Speciem constituant.

Respondetur. Si quæratur de ratione quæ definitur, illa erit Genus. Si quæratur de ratione sub qua definitur, erit ratio Speciei.

Dicendum est 2. *Rectè ita definiri Genus: Est id quod de pluribus specie vel numero differentibus in eo quod quid prædicatur.* Per particulam Id, intelligely universale, est q; hoc pro Genere. Reliqua sunt loco differentiæ.

Probatur 1. Bonitas definitionis, auctoritate Aristotelis 1. Top. cap. 4. & 5. Metaph. cap. 28. textu 33.

Probatur 2. Quia hæc definitio convenit omni, soli, & semper.

Probatur 3. Quia possibilis est talis Prædicabilitas; ex altera parte necessario illa erit genus, quia Specie non est quid superius nisi Genus, quod ipsum si quidditativè dicatur de individuo, idque incompletè, non erit nisi Genus; Species enim completè dicitur.

Obji-

Objicitur 1. Auctoritas Aristot. qui 5. Metaph. tex. 26. docet, Genus esse partem Speciei 3. item Metaph. tex. 15. docet Genus, esse quasi Materiam. 7. item Metaph. tex. 37. docet. Universalia, esse quasi formam; jam verò, neq; pars, neq; forma, possunt dicere totum esse subjecti.

Respondetur. Materiam & formam Metaphysicam importare totum esse, licet illud non importet pars & forma Physica.

Objicitur 2. Si Genus in quod quid prædicaretur de suis inferioribus, prædicaretur in recto; prædicari in recto non potest, nam pars, non potest prædicari in recto de toto: hinc non potest dici, homo est manus, homo est digitus; sed genus est pars suorum inferiorum: Ergo de illis in recto dici non potest.

Respondetur. Verum id esse de partibus, quæ desumuntur à toto Physico, non verò de partibus, quæ desumuntur à toto Metaphysico, quod ipsum explicatur. Essentiæ rerum, ex Aristotele sunt sicut numeri, quibus nihil addi, nihil demi potest; consequenter constituunt in indivisibili. Hæ tamen essentiæ indivisibili consistentes, prout considerantur à parte rei, non excludunt partes realiter separabiles Physicas, hoc est materiam & formam; quæ ita rem componunt, ut nihil sit in re constitutivum illius, quod non sit materia & forma. Quod verò attinet ad partes Metaphysicas, hæ etiam nullam realitatem important, condistinctam à materia & forma; sed penitissimè illis & realiter identificantur. Porrò hæc identificatio partium Metaphysicarum cum partibus Physicis materia & forma, non est talis, quasi animalitas identificetur materiæ, rationalitas formæ, aliàs sicut illæ partes sunt separabiles realiter, ita & animal, à rationali esset separabile realiter, quod tamen est absurdum. Et certè de essentia animalis est, Vivens sensitivum; cùm tamen de essentia materiæ non sit Vivens sensitivum: rationale item præsupponit Sensitivum, quod Sensitivum non est præcisè ipsa Anima; hinc & Rationale non identificabitur soli Animæ; quod si animal non identificatur soli Materiæ, & Rationale soli animæ, & tamen identificantur cum re Physicè spectata, ideò partes Metaphysicę ipsi toti identificari debent: quod si identificatur unaquæque ex ipsis partibus toti, tunc quoties dico de toto animal, dico id quod est identificatum toti illi, consequenter dico id quod exprimit etiam Differentiam, saltem consequenter. Quomodo autem genus importet differentiam consequenter & implicitè, quamvis à Differentia per nos præscindat, id ita explanari potest. Animal dictum de Homine est tale prædicatum, quod desumitur à tota rei entitate Physica, & non uni tantum parti, sed toti Physico est identificata; quod si desumetur à tota entitate Physica, totam illam entitatem Physicam importabit, & quia huic entitati est identificata realiter rationalitas, ex consequenti dicet & ipsam rationalitatem, unde licet genus ipsum, nec confuse includat differentiam, sed perfecte ab ea objectivè præscindat, quia tamen ipsum subjectum Physice spectatum, à sua non præscindit differentia, sed eam importat, ideò Animal, dicendo illud Physicum à quo desumitur, dicet ex consequenti omnia illi identificata, consequenter & Differentiam, & licet quando prædicatur Animal de Homine, prædicetur ut aliquid quod est in Homine, non inde sequetur, quod non possit prædicari de Toto, est enim pars, sed desumibilis à tota Entitate Physica.

Instabis. Sequeretur, quod etiam Risibile importaret totam essentiam, quia importaret Hominem, qui in quantum est subjectum propositionis, dicit totam essentiam.

Respondetur, à risibili quoad rem importari totam essentiam, sed non quoad modum prædicandi & concipiendi; non enim prædicamus Risibile in Quid, & concipimus illud per modum accidentis, quamvis in re Risibile, sit ipsa essentia hominis.

Objicitur 3. Quando prædicatur Animal de Homine, prædicatur Animal quod est ipse Homo, Animal autem quod est ipse Homo, non est Genus.

Respondetur. Animal quod est ipse Homo, sub ratione hominis, non est Genus, licet sit Genus acceptum Animal secundùm quod est quid commune specie & numero differentibus.

Noto ad reliquas Objectiones solvendas. 1. quod etiam rationalitas dicta de homine, importet totum esse hominis; desumitur enim à tota essentia, non prædicatur tamen in Quid: quia non importat totam essentiam per modum per se stantis, sed facit id per modum advenientis. 2. Quando genus v.g. Corpus, prædicatur de animato & inanimato, quæ sunt genera, non sequitur, genus prædicari etiam de differentibus genere; non prædicatur enim de illis ut genera sunt, sed ut species sunt subalternæ. 3. Quando prædicatur genus v.g. Animal de Rationali, non prædicatur de Differentia, nisi materialiter & in concreto, sic autem sumpta supponit pro Homine, consequenter tunc Genus prædicatur de Specie non de Differentia; nam de Differentia formaliter sumpta, non prædicatur, nam non possum dicere, Rationalitas est Animal.

Colliges. An genus prædicetur ut totum potestativum, an ut pars; Certè enim cum nomine totius potestativi, veniat quiddam commune suis inferioribus, ad quæ quia se extendit, dicitur habere potestatem supra illa; & ex altera parte cùm verum sit, quod genus sit quid commune inferioribus, cùm item verum sit per Genus totam essentiam rei importari, verum

verum erit Genus prædicari ut totum potestativum. Non nego tamen, quod etiam genus ut pars prædicetur, v. g. de animali quod est compars illius, nec repugnabit ut aliquid diverso respectu sit pars, & diverso respectu sit totum; quia Petrus in se spectatus, est totum quoddam, spectatus autem in ordine ad exercitum, est pars illius.

DIFFICULTAS II.

De Nexu Generis cum Speciebus & individuis.

Duo hic attingentur, an genus requirat plures Species? deinde perstringentur aliqua de Individuis.

Quod attinet ad nexum Generis cum Speciebus.

Genus dupliciter spectari potest: vel primo intentionaliter, hoc est, pro ipsa Natura cui competit esse Genus, vel secundo intentionaliter, hoc est, Genus quà Genus est, accipiendo scilicet Naturam, in quantum subest nostris conceptibus, acquiritque vi conceptuum nostrorum, rationem Universalis, rationem Prædicabilis &c.

Dicendum est 1. *Genus prout genus est, seu prout est universale de pluribus dicibile, requirit plures species.* Ita Oviedo & alii.

Probatur 1. Auctoritate Aristotel. 6. Top. loco 29. *Omne*, inquit, *genus tis, quæ è diverso dividuntur differentiis, dividitur; ut animal gressibile, volatile*, &c. & 4. Top. cap. 3. Quoniam inquit omnis generis plures species & 10. Met. tex. 14.

Probatur 2. Ratione, fundata in auctoritate Porphyrii. Genus est, quod debet prædicari de pluribus specie differentibus, sed si impossibiles essent plures species, genus non posset prædicari de pluribus specie differentibus, ergo nec posset esse genus.

Probat 3. Oviedo. Illud genus, & esset genus, & non esset data impossibilitate specierum; esset, ut asseris, & non esset, quia non esset prædicabile in Quid incompletè, per modum partis materialis, quod est de essentia generis, ut genus est. Quod verò non esset jam ita prædicabile, probatur. Quod se non haberet per modum partis contrahibilis, & magis latè patentis, non posset habere se per modum partis materialis; contrahibile enim & materiale in idem recidunt, sed genus in illo casu, non haberet se per modum contrahibilis & magis latè patentis, non enim essent plures species, ad quas contrahi posset; ergo jam tunc non esset prædicabile in Quid incompletè per modum partis materialis. Confirmat idem, in illo casu sensitivum & rationale, ita se haberet, sicut nunc habet se intellectivum & rationale, quorum neutrum est magis latè patens, nec se habet per modum partis materialis ad aliud.

Respondebis. Sicut potest dari materia, quæ sit determinata ad unam formam, & tamen verè sit materia, cur non etiam verè genus poterit esse genus, adeoq; pars materialis, quantumvis erit ad unam tantùm speciem determinatum, cæteris speciebus impossibilibus?

Contra ex Oviedo. Genus vocatur Materia, similitudine ducta non à quacunq; possibili materia, sed à materia, quæ modo est, adeoque à materia per plures formas contrahibili. Disparitas etiam est, quia ex antecedenti, nullum sequitur absurdum, absurdum autem esset, esse genus, & non habere possibiles species plures; quod ipsum probo; quia & esset Genus, & non esset, esset, ut dicis; non esset, quia de pluribus specie distinctis prædicabile non esset. Addo si quis novam aliquam definitionem Generis ut Genus est sibi commiscetur, fortassis tale Genus posset dari, etiam unica tantùm specie possibili.

Objicitur 1. Etiamsi una tantùm esset species possibilis, adhuc in illius speciei individuis, homo haberet eadem essentialia prædicata; sed nunc unum ex essentialibus prædicatis hominis est animal, quod est genus, ergo & tunc esset genus.

Respondetur. Eadem quidem in homine futura prædicata essentialia, sed non eodem modo se habentia; jam enim universalitate privarentur, ob impossibilitatem specierum, secundùm dicta supra.

Objicitur 2. Nunc quando ab unius speciei individuis abstrahitur animal, prædicari potest ut genus, ergo etiam & in casu quo nonnisi possibilis esset una species, posset prædicari ut genus.

Respondetur. Disparitatem esse, quia nunc abstractum Animal ab unius speciei individuis, est æquivalenter abstractum à pluribus speciebus, posset enim exiri in actum, quo à pluribus speciebus abstrahi posset, & de pluribus dici; in casu autem, quo reliquæ species essent impossibiles, non posset exiri in actum à pluribus speciebus, rationem genericam abstrahentem.

Objicitur 3. In casu, quo essent impossibiles plures species animalis extra hominem, alia esset hæc prædicatio. Petrus est homo, & alia esset hæc prædicatio: Petrus est animal; hæc autem alietas, non aliunde esset, nisi quia tunc Animal per modum partis diceretur, & Homo per modum totius; consequenter hæc alietas inde esset, quia illud Animal diceretur per modum generis, Homo verò per modum speciei.

Respondetur communiter. Non fore distinctas has prædicationes, quia sicut ubicunque esset homo illic esset animal, ita ubicunque esset animal illic esset homo, & neutrum, haberet se per modum partis materialis, & magis latè

patentis; imò tunc animal, non significaret vivens sensitivum solum, sed significaret vivens sensitivum rationale, idque propter non reperibilitatem viventis sensitivi sine rationali ad eum modum, quo, idem significat homo, & animal rationale, propter irreperibilitatem animalis rationalis, sine ratione hominis.

Instabis. Adhuc tunc animal dictum de Petro non diceret rationale, ergo adhuc tunc per modum partis prædicaretur, & certè etiam tunc homo haberet principium & sentiendi & discurrendi, quod tamen discurrendi principium, non exprimeret animal.

Respondetur. Ita acceptum Animal sicut nunc accipitur à nobis & concipitur, non inferre rationale, sed animal quale tunc esset, inferret rationale, quantumvis vi vocis illud non exprimeret; unde dico has prædicationes; Petrus est animal, & Petrus est homo, fore casu distinctas merè vocaliter. Concedo item, tantùm unam partem expressè dicendam tunc à ly animal, sed nego, tunc prædicandum illud ut genus, ex rationibus allatis, sed esset tantùm prædicatio æqualis de æquali, adeoque non universalis; præcipuè cùm tunc Animal, rationem partis materialis non importaret. Et sicut nunc cum dicimus; Homo est intellectivum, Homo est volitivum, sunt propositiones distinctæ, etiamsi volitivum nunquam sit reperibile sine intellectivo, ita & Propositiones, Petrus est Animal, Petrus est Homo, erunt propositiones distinctæ, quantumvis jam Animal sine Rationali, non esset reperibile.

Objicitur 4. Natura Gabrielis, est non plurificabilis in plura individua, & tamen est universalis; ergo ad universalitatem plures species possibiles non sunt requisitæ. Antecedens probatur. Adhuc natura Gabrielis potest præscindi à singularitate, jam verò ita præcisa, non esset singularis, quid enim absque singularitate singulare est? Ergo universalis. Respondent alii, non posse naturam Gabrielis abstrahi ab ejus singularitate, supposito, quòd Natura Gabrielis sit seipsa individua. Sed

Responderi potest. Concesso quod abstrahi possit natura Gabrielis ab ejus singularitate, concesso, quod non erit tunc in statu præcisionis natura Gabrielis singularis, sed nego naturam tunc fore universalem; cùm enim per meam præcisionem, id quod est impossibile ut sit in pluribus, non acquirat aptitudinem essendi in multis, nec eam natura Gabrielis præcisa acquiret. Cæterum si natura Gabrielis prædicetur de sua singularitate, non erit prædicatio superioris de inferiori, sed æqualis de æquali.

Instabis. Adhuc Gabriel constaret tunc genere & differentia, esset enim species. Ergo esset prædicabilis de pluribus, natura illius.

Respondetur. Negando Conseq. Quia vi compositionis ex genere & Differentia, solum habebit Natura Gabrielis ut sit species subjicibilis, non verò habebit ut sit species prædicabilis, quia ad hoc caret requisito, nempe ut latiùs individuo pateat. Addo tamen signanter, naturam Angelicam pro genere sumptam, fore verè genus, quantumvis Gabrielis & Raphaëlis natura non sint plurificabiles in individuis; sicut & animal esset genus, etiamsi non esset possibilis nisi unus homo, unus leo, unus asinus &c. Ratio est, quia nullum est fundamentum id negandi; & quia verè tunc Animal, haberet se per modum partis materialis determinabilis, per specificas differentias.

Dicendum 2. *Genus prout natura est, bene potest in unica Specie conservari.*

Probatur 1. Auctoritate S. Thomæ, qui ex mente Aristotel. 1. parte, q. 77. art. 1. ad. 1. hoc statuit discrimen inter totum integrale, & totum essentiale, quia totum integrale, in unaquaque parte solitariè sumpta non salvatur, salvatur autem totum essentiale.

Probatur 2. Impossibilibus reliquis speciebus nisi v. g. humana, quæro ille homo vel esset homo vel non esset? esset homo, supponimus enim esse possibilem hominem, & non esset homo, ut probo; quia ille homo vel esset animal, vel non esset; si non esset animal, ergo neque esset homo, cùm homo sit animal rationale; si esset animal, ergo natura animalis, in una specie conservaretur.

Probatur 3. Quia si ipse tantum homo possibilis esset, nullum deesset in homine prædicatum spectans ad definitionem animalis, verè enim diceretur, Homo est substantia corporea, vivens, sensitiva. Ergo in uno individuo Genus, prout est natura conservaretur.

Respondebis. Sublatâ proprietate naturæ genericæ tollitur & ipsa natura generica, sed in tali casu tolleretur potentia ad contrahi per plures species, quæ est proprietas naturæ; Ergo tolleretur & natura generica.

Contra est. Potentia ad contrahi per plures species, est prædicatum conveniens naturæ genericæ, non quà natura, sed quà generica est; ergo impossibilibus omnibus speciebus extra unam, adhuc tunc natura generica quà natura est, conservari posset.

Addo 1. Perfectiones Animalis quasdam esse formales, quasdam materiales: formales perfectiones censentur esse rationes specificæ gradui generico superadditæ: perfectiones autem materiales, sunt ipsæ individuationes, & hæcceitates, quarum officium non est gradum genericum formare, sed solùm ab aliis intra eandem speciem dividere. Supposito ergo quod aliæ sint perfectiones & complementa formalia, alia complementa materialia; Dico genus secundùm quod est complebile per complementa

menta formalia, ad hoc ut censeatur habere actu omnia sua complementa formalia, dico inquam requirere, ut habeat plures perfectiones specificas; & hoc puto voluit S. Thomas in primum Distinctione 19. quæst. 4. & 1. Par. q. 77. art. 1. Ratio additi est; quia Differentiæ specificæ sunt complementa formalia; sed in una specie, cùm non sint omnes differentiæ specificæ, neque erunt omnia complementa formalia. Tum quia in uno Physico, materia Physica non habet omnia complementa, quæ habere potest, quia non habet omnes formas; ergo & in uno composito Metaphysico, materia Metaphysica, hoc est genus, non habet omnia complementa, quæ habere potest formalia. Tum quia Genus, tunc est Genus, quando est quid totum ad quod erat potentia, sed erat potentia, non ad unam speciem, ergo in una specie non habet omnia complementa formalia.

Addo 2. Si Deus non potest ponere omnia possibilia etiam in certo genere, non poterit etiam ponere genus habens omnia sua complementa formalia; quia aliàs deberet ponere omnes possibiles species.

Addo 3. Cur Species in uno individuo conservari possit, quoad omnia sua complementa formalia, non possit autem genus: quia Species est potentia nonnisi ad unum tantùm complementum formale, ergo illo habito erit completa, potest autem illud habere in uno individuo; genus autem est potentia ad plura complementa, & quia plura complementa non sunt in una specie, ideò nec in illa, actu completum quoad omnia, manet genus. Cæterùm etiam species, secundùm quod est universale, si in uno tantum contineretur individuo, cæteris impossibilibus individuis, contineri non posset per modum speciei; non enim in illo haberet se per modum magis latè patentis.

De Nexu cum Individuis.

Noto 1. ex Oviedo. Aliud esse completum individuum, aliud incompletum; Completum individuum est, quod continet in se rationem specificam, & rationes omnes superiores, quæ possunt contrahere rationem genericam: Ita Petrus est individuum completum; habet enim rationem specificam hominis, & habet rationem viventis, sentientis, &c. Individuum autem incompletum est, quod non continet totam essentiam speciei, sed rationem genericam sub eodem nomine contrahit, ad rationem singularis, v. g. hoc Animal, hæc Substantia, hoc Ens; ubi ut vides ratio communis, sola additione termini singularis contrahitur.

Noto 2. Ex Pontio hîc Disp. 6. q. 6. non posse dari à parte rei, seu in statu existentiæ, individuum incompletum: v. g. non posse dari hoc Animal, quod neque sit homo, neque Leo, neque Sus, &c. Ratio est; quia non possunt dari à parte rei universalia existentia extra singularia, ergo neque ista incompleta individua. Deinde illud individuum genericum, hoc v. g. animal, vel esset à parte rei ejusdem rationis cum rationali, vel diversæ rationis; si est ejusdem rationis, ergo præter rationem animalis & hæcceitatis, dicit rationalitatem; se sola enim animalitas, & se sola hæcceitas, non est rationalitas; si autem est diversæ rationis à rationali; ergo habebit aliquod prædicatum essentiale, quod non reperiretur in rationali, consequenter habebit aliquam differentiam, præter animalitatem.

Respondetur 1. Illud Animal, fore distinctum à rationali, non per aliquid positivum, sed per aliquid negativum, hoc est per negationem rationalitatis, quæ rationalitas est in homine: ad eum modum, quo paries non albus, à pariete albo, distinguitur per solam negationem. *Sed*

Contra est, ex eodem Pontio. Quia omne negativum, debet fundari in aliquo positivo, hoc autem negativum quod est non esse ejusdem rationis cum rationali, in quo oro fundabitur? non in hæcceitate secundùm se spectata, quia hæc nonnisi determinationem ad esse individui importat; non item in animalitate secundùm se spectata; quia aliàs ubicunque esset animal, illic esset ista negatio; quod enim rei secundùm se spectatæ convenit, ubique illi convenit.

Respondetur 2. Animal quod est in homine, fundare identitatem realem cum rationali, & negationem talis identitatis cum brutalitate; quantumvis Animal quod est in bruto, non fundet istam negationem; Ergo etiam Animal, quod erit in individuo generico incompleto, poterit fundare negationem rationalitatis, quantumvis eam non fundet in homine, aut alio individuo.

Contra est. Quia quando Animal, quod est in homine, fundat negationem identitatis cum brutalitate, fundat illam, propter identitatem realem cum alio à se & quidem positivo, quod istam negationem necessariò exigit; istud autem positivum, est Rationalitas, quæ dicit necessariò negationem brutalitatis: jam verò tu non potes ostendere, quòd animal inclusum in individuo incompleto, fundet istam negationem rationalitatis.

Noto 3. Ex Arriaga, & novissimè ex Mastrio Disp. 8. Log. q. 1. art. 3. Posse dari per intellectum, individua, incompleta, & quidem immediata. Præmissum duas partes continet. Primam. Quòd possint dari individua, incompleta per intellectum. Secunda Pars. Quod possint esse immediata hæc individua. Prima pars probatur. Quia de facto dantur tales prædicationes, hoc animal est animal; hæc Substantia est Substantia; hoc Ens est Ens. Ergo dan-

tur individua incompleta ; Pro secunda parte præmissi ratio est. Quia non denegandum est intellectui , quod possit dividere in communi Animal, in hoc , & hoc animal immediatè, cum experiamur nos talem divisionem facere. Tum quia natura generica , est singularis in individuis,sicut & natura specifica,Ergo si natura specifica, potest immediatè dici de suis individuis, etiam ratio generica , poterit immediatè dici, de hac v. g. animalitate. Consequentia probatur: Ideò dicitur immediatè natura specifica, de individuo specifico , quia nihil mediat inter naturam specificam , & individuum specificum, sed etiam nihil mediat inter animal , & hoc animal,in ratione Animalis , quid enim illud? Ergo. Tum quia,quando quærimus quid est hoc? ly Hoc non supponit pro individuo speciei infimæ,aliàs frustra quæreretur , cum sciretur jam ejus species infima. Ergo ly Quid est hoc? tantùm supponit pro individuo incompleto. Item cum à longè video animal esse quod movetur, & nescio an illud sit rugibile, an rationale , verè tunc concipio individuum incompletum.

Dices 1. ex Suarez Disp. 6. n. 15. Ratio generica præcisè sumpta,est indifferens , & quasi in potentia essentiali,ut per differentiam specificam determinetur. Ergo donec intelligatur determinata per individuationem specificam seu completam,non potest intelligi determinata per individuationem incompletam.

Respondetur. Esse quidem rationem genericam in potentia essentiali, ad determinari à parte rei,nonnisi per solam differentiam specificam,falsum tamen est quòd objectivè , nonnisi per solam differentiam specificam, determinari possit.

Instabis ex eodem. Non potest differentia specifica etiam per intellectum dividi in plures differentias specificas ; Ergo neque possumus partiri unam realiter differentiam individualem specificam,in plures individuales , quarum singulæ,singulis gradibus superioribus respondeant.

Respondet Mastrius n. 35. quia non quilibet gradus superior præcisus ab alio , est capax effectûs formalis differentiæ specificæ ; quodsi gradus superior non est capax differentiæ specificæ, non poterit de gradu superiore dici. v. g. Corpus , non est capax effectûs formalis differentiæ,quæ est rationalitas , unde non possum prædicare rationalitatem de corpore v. g. dicendo corpus rationale, quodsi non poterit hoc dici , consequenter nec poterit una differentia specifica dividi in plures, singulis rationibus genericis convenientes : jam verò unus gradus præcisus ab alio,est capax individuationis ; unde dicitur,hoc Animal,hoc Corpus , hæc Substantia.

Instabis ex eodem. Non potest contrahi corpus etiam per intellectum per differentiam hominis,nisi mediante animali; ergo nec potest contrahi animal per differentiam incompletam,nisi mediante v. g. rationali.

Respondetur. Adferendo eandem quam supra ex Mastrio disparitatem.

Dices 2. Gradus superiores, ita prædicantur de inferioribus , sicut sunt dispositi in linea prædicamentali; sed in ea linea, inter individua mediant species ; Ergo gradus de individuis nonnisi mediante specie dicentur.

Respondetur. Nonnisi respectu individuorum completorum , mediare speciem in linea prædicamentali , inde etiam de illis nonnisi mediante specie prædicabitur. Et licèt verum sit,commune,& individuum incompletum,esse duo extrema , ab uno tamen extremo quod est commune , ad aliud extremum quod est individuum incompletum , transiri potest sine ullo medio ; cùm nihil inter illa ut probavi mediet, & sicut quia inter contradictoria extrema non datur medium,transiturque ab uno ad aliud sine medio,ita & hic.

Dices 3. Hæc individua incompleta non sunt à specificis distincta ; nam cùm dico, Hoc animal,idem est ac si dicam. Petrus est animal, quia ly Hoc designat aliquod singulare existens. Ergo de illis incompletis,individuis,nequit genus prædicari.

Respondetur. Individua incompleta, non esse quidem re distincta à completis,esse tamen objectivè,ut dixi distincta ; unde , & cum dico , hoc animal , ly hoc animal , referendo ad statum realem, idem erit dicere , ac , Petrus est animal,sed non erit idem , per ordinem ad nostras intentiones & statum objectivum.

DIFFICULTAS III.

De quibus genus prædicetur ut Genus.

Dicendum est 1. *Genus de incompletis individuis prædicari ut speciem.*

Probatur Concluſ. Quod prædicatur de individuis incompletis per modum totius, illud prædicatur per modum speciei, ut constabit ex dicendis de specie,sed ly Animal, dictum de hoc animali, prædicatur per modum totius , ergo prædicatur per modum speciei. Minor probatur ; ista prædicatio,Petrus est homo; est prædicatio per modum totius ; Ergo & hæc prædicatio,hoc Animal est animal. Tum quia ad prædicationem completam , sufficit explicare totam essentiam,relictâ individuatione) ad individuationes enim & singularitates non attendunt scientiæ,sed ad solas essentias) sed in prædicatione de individuo incompleto , explicatur tota essentia,relictâ individuatione ; Ergo.

Respondet 1. Comptonus. Prædicari in Quid incompletè,esse proprietatem generis ra-

lem,

lem, quòd scilicet nil ita prædicetur, sed non esse proprietatem talem, quæ inferat genus nonnisi ita prædicari. Sed per illum quotiescunque Animal de specie differentibus dicitur, toties prædicatur ut genus.

Contra est. Hoc ipsum probandum esset, quòd scilicet sufficiat ad hoc ut dicatur prædicari genus, quà genus, si prædicetur de specie differentibus, præcipuè quia non ex subjectis, de quibus fit prædicatio, spectanda sit diversitas universalium; aliàs differentia generica, & differentia specifica, constituerent duo diversa Prædicabilia, cùm diversa subjecta, de quibus prædicantur, habeant; sed diversitas hæc spectanda est ex modo prædicandi, Animal autem de hoc animali, prædicatur per modum totius, adeoq; per modum speciei.

Respondetur 2. Hoc animal confusè involvere speciem.

Contra est. Quia licèt speciem involvat à parte rei hoc animal, falsum tamen est, quòd involvat in statu objectivo.

Objicitur 1. Quando video à longè duo individua hominum, & duo Leonum, sed non adverto ea esse individua hominum, & individua leonum, possum abstrahere ab illis omnibus rationem communem animalis, quæ ratio erit generica; quia conveniet specie differentibus, possumque illam de his animalibus prædicare; Ergo de hoc animali, & de hoc animali, potest prædicari Animal tanquam genus.

Respondetur. Illam rationem abstractam, non fore genericam; quia non abstrahitur à specie differentibus cognitis ut talibus, quantumvis illa in statu existentiæ, sint specie distincta.

Objicitur 2. Si Ens prædicaretur per modum speciei, de hoc ente; item substantia de hac substantia, prædicaretur species absque genere, quod est absurdum. Sequela probatur. Quia ens illud esset species, per modum enim speciei prædicaretur, & tamen non haberet genus, quia Ens, genus se superius non habet.

Respondet Oviedo. Speciem subjicibilem esse absque genere, absurdum est, sed non est absurdum, esse absque genere speciem prædicabilem; hic verò Ens esset species prædicabilis. Dat rationem responsionis Arriaga, quia species subjicibilis, definitur per ordinem ad genus; dicitur enim est id, quod subest generi. Species autem prædicabilis, non definitur per genus, solumque requirit, ut prædicetur in Quid completè, de solo numero differentibus; quod potest stare, etiamsi proprium genus, illa species non habeat.

Objicitur 3. Quando dico hoc animal est animal, nulla facta mutatione, idem potest dici de Sue, Leone &c. adeoque de specie distinctis; ergo apparet rationem illic genericam prædicari.

Respondetur. Idem quidem Animal, sed non eodem modo dicendum de Sue, Leone &c. quia de illis per modum partis materialis dicetur, quodsi alio modo dicetur, jam apparet aliam rationem universalis induisse illud, cum ex modo dicendi, ratio universalium diversa desumatur.

Objicitur 4. Si de illis individuis incompletis, non prædicatur Genus ut Genus; quorsum, hæc individua dicuntur generica? cùm præstet potiùs, illa dici individua specifica.

Respondetur. Hæc individua si spectentur ratione modi quo prædicatur de illis genus, potius appellari debere specifica; sed appellantur generica, ratione modi contrahendi genus, quod scilicet illud non mediante specie contrahant.

Objicitur 5. Si in hac Propositione, hoc animal est animal, esset prædicatio speciei, tunc omnia inferiora in quantum conveniunt in ratione hujus animalis, essent solo numero distincta; sed hoc non potest esse; quia aliàs aliquid à parte rei esset in Petro, quod specie differret à Bucephalo, & non esset aliquid, quod differret specie; quæ sunt contradictoria: esset quidem aliquid, quod specie differret, ut supponitur; non esset autem aliquid quod specie differret; quia in Petro non esset nisi hoc animal, hoc autem animal, contentum sub Ly Animal tanquam specie, non differt nisi individualiter, ab alio, hoc animali.

Respondetur. Quamvis à parte rei hoc animal, & hoc animal, sint distincta realiter, & unum, contineat prædicatum, quo caret alterum, pro statu tamen intentionali differunt solo Numero. Unde ulterius dico non esse quidem realiter actu aliquid in homine, quod sit solo numero distinctum à Bucephalo, cùm realiter quidquid est in homine, est realiter rationale; esse tamen fundamentaliter aliquid in homine, quod sit solo numero distinctum à Bucephalo; quia potest præscindi hæcceitas à rationali, solique animali attribui, idque non ita sicut qui attribueret homini hinnibilitatem; quia nullum habet fundamentum ut intellectus attribuat hinnibilitatem homini, habet autem fundamentum conjungendi hæcceitatem cum animalitate.

Objicitur 6. Differentia numerica individui equini, etiam incompletè sumpti, est prædicatum notabiliter diversum, à differentia numerica individui humani; illa enim petit realiter identificari cum differentia hinnibilis, quod non petit alia.

Respondetur. Differentias incompletas si sumantur Physicè, vel certè per ordinem ad statum realem, omninò non differre solo numero, si autem sumantur prout substant nostris conceptibus, non sunt plus quàm numero distinctæ.

Dicendum est 2. *De Speciebus prædicari genus ut genus.*

Probatur. Quia prædicatur de illis in Quid essentialiter incompletè partem materialem significando; Ergo de illis prædicatur genus ut genus.

Dicendum est 3. *Genus prædicari ut genus etiam de individuis completis*, hoc est de Petro v. g. Bucephalo &c.

Probatur. Quia in hac prædicatione, Petrus est animal, & in hac prædicatione, Homo est animal, nulla apparet differentia; Ergo utrobique prædicatur genus, ut videbitur solvendo argumenta.

Objicitur 1. Aristoteles 4. Top. c. 6. dicit. *De nullo genus quam de speciebus prædicatur.*

Respondetur. De nullo genus prædicari principaliùs quàm de speciebus, nam etiam in individuis id quod principale est, species est; ad eum planè modum quo dicitur Dominus Palatinus est in prandio, cùm & alii cum illo sint in eodem prandio; ita principaliter dicitur genus de speciebus, quantumvis & de alus dicatur.

Objicit 2. Porphyrius, qui dicit. Genus prædicari de pluribus specie differentibus, individua autem non sunt specie differentia.

Respondet Oviedo. Non dixisse Porphyrium genus prædicari de speciebus, sed de differentibus specie, rectè autem individua v. g. equina, dici possunt differre specie ab individuis leoninis.

Objicitur 3. Si de differentibus numero potest prædicari Genus, ergo est species.

Respondetur. Non esse speciem, quia per modum partis, non per modum totius, de his inferioribus dicitur: Differentia autem Prædicabilium, & supra dixi, non ex terminis de quibus dicuntur, sed ex modo dicendi pensanda.

Objicitur 4. Animal dictum de Petro & Paulo non prædicatur ut genus, ergo nec dictum de Petro & Bucephalo, propter rationis paritatem. Anteced. prob. quia ly Animal, nec prædicatur de Petro & Paulo tanquam de pluribus speciebus, neque tanquam de pluribus specie differentibus.

Respondetur. Negando quod Animal dictum de Petro & Paulo non prædicetur ut Genus, prædicabiturque de illis tanquam specie differentibus, non respectu sui, sed respectu aliorum individuorum.

Instabis. Ergo Animal non absolutè ut genus prædicatur de Petro & Paulo, cùm illi non sint absolutè specie differentes.

Respondetur. Negando illatum; ut enim dixi, ratio generis non sumenda ex subjecto de quo prædicatur præcisè, sed sumenda ex modo prædicandi.

Objicitur 5. Genus tantùm respectu specierum est Genus; quia si non essent possibiles species, non esset genus; ergo de illis tantùm prædicatur genus, ut genus.

Respondetur. Negand. Anteced. & probat. ejus Conseq. Quia etiamsi non essent possibilia individua, non esset etiam genus; ergo etiam de illis prædicabitur ut genus. Deinde. Quando duo sunt ad aliquid requisita, non licèt argumentari à positione unius, ad negationem alius, v. g. homo est animal, ergo non est rationale; & sic quia ad Genus requisita est possibilitas specierum & individuorum, neque enim species nisi in individuis sunt, non licèt argumentari, à positione specierum, ad negationem individuorum.

Instabis. Alia est prædicabilitas de solo numero differentibus, alia prædicabilitas de specie differentibus; ergo si genus & de specie & de numero differentibus dici potest, duplicem prædicabilitatem habebit.

Respondetur supr. Negand. Antec. quia non ex subjecto de quo fit prædicatio, sed ex modo prædicandi pensanda prædicabilium diversitas; Genus autem tam de individuis, quam de speciebus, eodem modo prædicatur.

Quæres. *An immediatè prædicetur genus de individuis?*

Respondetur. Posse genus prædicari de individuis mediatè. Quia potest ut medium assumi ad probandum, quòd Petrus sit animal, quia scilicet est homo. Et quia species immediatè subjicitur generi in linea prædicamentali. Sed potest etiam genus prædicari immediatè de ipsis individuis, ita Oviedo. Ratio, tum quia potest intellectus dividere animal, in Petrum & Bucephalum, nihil cogitando, quod homo & equus sint species; quod enim est fundamentum, quare id facere intellectus non possit? Tum quia: hæ prædicationes, Homo est animal, Equus est animal, sunt immediatæ, quantumvis animal, immediatiùs dividi potuerit, in brutum, hominem. Tum quia. Potest ratio animalis, immediatè abstrahi ab ipsis individuis specie distinctis; possunt enim cognosci in ordine ad operationes omninò similes, ergo & prædicari de illis. Addit idem num. 12. posse mediis individuis genus prædicari de ipsis speciebus; Quia hujus termini; homo est animal, potest fieri explicatio, per descensum distributivum v. g. dicendo. Petrus & Paulus, & Joannes &c. sunt animal; Ergo homo est animal, quo casu individua immediatè attingentur, & illis mediantibus, species.

QUÆSTIO II.

De Differentia.

Præmitto 1. *Differentiæ nomine, id venire, per quod unum differt ab alio.* Proprietates Differentiæ numerat Porphyrius. I. Quod dividat

vidat Genus. 2. Quod constituat Speciem. 3. Quod discriminet unam speciem ab alia. 4. Quod referatur ad inferiora.

Præmitto 2. *Quod idem Apostata, diviserit Differentiam, in Propriissimam sive Specificam; quale est Rationale: in Propriam, qualis est proprietas quarti modi, v.g. Risibilitas: & in communem, qualis est differentia per accidentia, Albedinem, Nigredinem &c.*

Præmitto 3. *Certum esse respectu unius ejusdemq; gradus, aliam esse differentiam Divisivam, aliam Constitutivam.* Nam Constitutiva differentia respectu Animalis, est Sensitivum. Divisiva autem est Rationale & Irrationale. Certum item, respectu diversorum graduum, eandem differentiam posse habere & rationem Divisivæ, & rationem Constitutivæ; & ita Rationale est divisivum Animalis, & constitutivum Hominis. Certum item est, omnẽ differentiam constitutivã, esse simul divisivam, ut inducenti patebit; sed non omnem divisivam quà talem, esse constitutivam; quia divisivæ differentiæ, possunt etiam esse formaliter negativæ; quale est formaliter sumptum insensitivum, & tamen constituere non possunt res positivas formalitates negativæ. Certum denique est constitutivam differentiam debere esse suo modo radicem.

Præmitto 4. *Fieri posse, ut unum quod est respectu unius Differentia, sit respectu alius genus*; & id quod est respectu uniûs genus, sit respectu aliûs differentia; & ita in definitione hominis, Animal rationale, respectu Angelorum Rationale, aut intellectivum potest se habere per modum generis, Animal verò per modum differentiæ.

Præmitto 5. *Divisionem Differentiæ si fieri debuisset immediata, formandam fuisse, in Differentiam Genericam, & Specificam.*

Ratio. Quia hæc divisio, est per membra universalissima.

DIFFICULTAS I.

Quid, & de quo prædicetur Differentia.

Quicquid sit de definitione tradita à Porphyrio, qui fortè differentias rigorosas non agnovit, sed tantùm Combinationes accidentium.

Dicendum est 1. *Differentiam in communi, esse id quod prædicatur de pluribus in Quale quid*, ita, ut si prædicetur de pluribus specie differentibus in quale quid, erit differentia generica, si de pluribus numero, erit differentia specifica.

Probatur. Bonitas definitionis, quia convenit soli, omni, & semper: procedit q; per prima in linea Logica, sive in linea dicendi: Ubi ut vides definitur Differentia, prout est species, per differentiam essentialem, scil. talem prædicandi modum.

Objicies 1. Aristot. 4. Top. c. 1. ubi dicit, cacidens in Quale Quid prædicari.

Respondetur. Arist. loqui de Quali quid accidentali, non autem de Quali quid essentiali, quod competit differentiis, de quibus hîc. Dici etiam posset quod ly Quale quid, sumi potest vel conjunctim, significabitque ista complexio modum prædicandi differentiæ debitum; spectat enim differentia ad Quidditatem. Deinde sumi potest Quale, Quid, etiam disjunctim, ita ut Quale, exprimat id quod dicitur, Quid autem importet nonnisi subjectum illud, de quo fit prædicatio; & in isto sensu, Accidens in Quale, quid prædicatur.

Objicitur 2. Id quod est substantiale, non potest prædicari in quale, sed in quid. Differentiæ autem sunt, saltem infimæ, quid substantiale.

Respondetur. Id quod est substantiale, sed per modum advenientis, posse prædicari in quale, modo ita adveniat, ut adferat ei cui advenit, rationem aliquam essentialem, licèt non possit prædicari in quale ratio essentialis, quæ non concipitur per modum advenientis.

Objicit 3. Impossibilis est talis modus prædicandi; prædicatio enim in quale, est prædicatio Accidentis. Prædicatio autem in quid, est prædicatio essentialis.

Respondetur. Impossibilis est prædicatio in quale, quod sit quale quoad rem, & tamen in quid: quia quale quoad rem, est Accidens; Quid autem, semper est substantiale: possibilis tamen est prædicatio in quale, si quale sit nonnisi ex modo concipiendi, quid autem seu substantiale quoad rem: jam autem Differentia est, quid adveniens ex modo concipiendi, non re ipsa; nam adveniens re ipsa, non potest prædicari in quid, qualia sunt omnia accidentia physica.

Dicendum est 2. *Quando prædicatur Differentia in genere, non prædicatur ut Differentia; nec quando prædicatur de Specie; sed quando prædicatur de inferioribus speciei, quam constituit*, v.g. de Petro, Paulo.

Probatur 1. Pars. Quia respectu generis, Differentia se habet vel per modum compartis, vel per modum inferioris: Differentia autem quando ut differentia prædicatur, debet dici per modum superioris.

Probatur 2. Pars. Quia respectu speciei Differentia non est quid superius, ergo nec de illa prædicabitur ut universale. E contra quando dicitur, hæc rationalitas est rationalitas, prædicatur quidem ut universale, sed non ut differentia.

Ratio. Quia prædicatur in quid; totum esse subjecti importando, adeoque prædicatur ut species.

Probatur 3. Pars. Quia respectu eorum

differentia, & ut ſuperius, & ut in quale quid dicitur.

Objicitur 1. Genus, cum prædicatur de ſpecie, prædicatur ut Genus: Ergo etiam Differentia cum prædicatur de ſpecie, prædicatur ut Differentia.

Respondetur. Diſparitatem eſſe, quia genus ad ſpeciem, comparatur ut ſuperius; Differentia autem, non comparatur ad ſpeciem tanquam ſuperius.

Instabis. Species, continet ſub ſe plura & inferiora: Ergo quando differentia prædicabitur de ſpecie, prædicabitur ut ſuperius, quia de pluribus.

Respondetur. Continere quidem ſpeciem ſub ſe plura, & quando prædicabitur de illa differentia, prædicabitur de eo, quod poteſtate continet multa, ſed non prædicabitur tanquam continens quid illam ſpeciem ſub ſe, adeoque non prædicatur tanquam ſuperius ſpecie.

Objicitur 2. de ſpecie, Differentia non dicitur ut ſingulare: Ergo ut univerſale.

Respondetur. Dari medium, nempe prædicari tanquam convertibile & æquale.

Objicitur 3. De illo prædicatur Differentia ut Differentia, de quo immediatè prædicatur, immediatè autem prædicatur de ſpecie.

Respondetur. Immediatè prædicatione univerſali dici differentiam de inferioribus ſpecici, quamvis prædicatione non univerſali, immediatiùs dicatur de ſpecie.

Dicendum eſt 3. *Quod Differentia generica & ſpecifica non conſtituant duo diverſa prædicabilia.*

Probatur 1. Quia nulla eſt neceſſitas, hoeque ipſo eſſent plura prædicabilia, quàm quinque.

Probatur 2. Supremum & infimum genus, ſunt idem prædicabile. Ergo & differentia generica, cum ſpecifica.

Probatur 3. Quia utraque differentia, eundem prædicandi modum habet, quantumvis generica de pluribus prædicetur.

Objicitur 1. Genus & Species, conſtituunt duo diverſa prædicabilia: Ergo & Differentia generica & ſpecifica conſtituent etiam diverſum prædicabile.

Respondetur. Caſum Antec. verum eſſe: quia alius eſt modus prædicandi generis, nempe in quid, partem materialem importando; jam autem ſpecies prædicatur in quid totale, jam autem idem modus eſt prædicandi, utriusque differentiæ.

Objicitur 2. Differentia ſpecifica completè prædicatur; quia completè conſtituit individuum, cùm tamen incompletè conſtituat Differentia generica.

Respondetur. In hoc ſenſu completè conſtitui à Differentia ſpecifica individuum; quia ſcilicet nulla alia ratio ſpecifica accedit individuo poſt illam; non tamen in hoc ſenſu, completè conſtituit individuum, quaſi illud adæquatè conſtituat, cum etiam genus conſtituat ſpeciem; hocque ſenſu differentia ſpecifica incompletè prædicatur, adeoque retinet eundem modum prædicandum cum differentia generica.

Objicitur 3. Differentia generica, comparatè ad ſpecificam eſt conſtitutiva illius: Ergo ſpecifica differentia reſpectu genericæ, habet rationem totius, illa verò rationem partis: Ergo & diverſum prædicabile conſtituet.

Respondetur. Differentia ſpecifica, ſecundùm quod eſt ſubjicibilis, eſt per modum totius, ſed non ſecundùm quod eſt prædicabilis; quod ſi ſecundùm quod eſt prædicabilis, non eſt per modum totius, hoc ipſo, cum generica differentia eundem prædicandi modum habere poterit.

DIFFICULTAS II.

An una Differentia formaliter includat aliam.

Dicendum eſt 1. *Quod una differentia formaliter accepta prout eſt à parte rei & phyſicè, includat formaliter aliam.* Ita Nominales, Thom. & alii.

Probatur 1. Quia nulla datur diſtinctio formalis ex natura rei actu inter formalitates prout ſunt à parte rei ſpectatas; eſſet autem, ſi una differentia formaliter accepta, non includeret aliam formaliter à parte rei: Ergo. Major probatur alibi.

Probatur 2. Omnis homo formaliter, eſt formaliter animal. Omne formaliter rationale, phyſicè & prout eſt à parte rei ſpectatum, eſt formaliter homo: Ergo omne rationale formaliter, phyſicè prout eſt à parte rei ſpectatum, eſt formaliter animal, adeoque eſt formaliter ſenſitivum; cùm ipſum formaliter animal, ſit formaliter vivens ſenſitivum. Major ex eo probatur, quia aliàs homo formaliter, non eſſet homo formaliter, cum ipſum homo formaliter, ſit formaliter animal rationale; formaliter autem animal rationale, eſt formaliter animal. Minor eadem ratione probari debet.

Probatur 3. Quia in quantùm una differentia formaliter non includeretur in alia actu à parte rei, hoc ipſo multiplicarentur formalitates actu à parte rei; cujus multiplicationis nulla neceſſitas.

Dicendum eſt 2. *Differentia ſuperior formaliter ſumpta, ſpectata tamen Metaphyſicè quatenus ſubeſt noſtris conceptibus fundamentum in re habentibus, non includit differentiam inferiorem.*

Probatur 1. Auct. Genus apud Ariſtot. 4. Top. cap. 2. loco 18. & 6. Top. loco 38. non includit differentias: Ergo nec generica Differentia, Differentias inferiores.

Proba-

Probatur 2. Si Differentia superior includeret inferiorem, non posset præscindi ab illa, sed potest, ut dictum in materia de Præcisionibus: Ergo.

Probatur 3. Si Differentia superior formaliter sumpta includeret inferiorem, & sumeretur formaliter, (ut suppono) & non sumeretur formaliter; quia sumi formaliter, est sumi condistinctim ab iis; quæ non sunt ipsum; non sumeretur autem tunc condistinctim, quia formalitas unius, per te, esset formalitas alterius: hocque ipso non esset jam illa differentia generica, sed inferior; cum ratio generica formaliter, includeret formaliter rationem non genericæ, hoc est inferioris.

Dicendum est 3. *Quod inferior Differentia formaliter sumpta, non includat superiorem formaliter.*

Probari solet 1. Si Differentia inferior formaliter sumpta, includeret formaliter superiorem, omnis definitio esset vitiosa, quia bis in ea idem repeteretur; nam definitionis hujus. Homo animal rationale, esset iste sensus, Homo est animal, animal rationale. Deinde docet Aristot. bonam esse definitionem, si ponatur cum proximo genere Differentia infima, abjectis intermediis; quomodo autem abjici possunt, si formaliter includuntur? Denique bona est definitio quæ fit per omnes differentias à genericis descendendo ad specificam, quæ mala esset si formaliter in infima reliquæ includerentur; Jam enim non esset modus salvandi descensum genericæ differentiæ ad specificam.

Responderi posset his omnibus probationibus quod non evincant; nam ne dicatur bis idem in eadem definitione repeti, sufficit rationem genericam, clarè & distinctè non exprimi, eritq; hujus definitionis, Homo est animal rationale, sensus: Homo est animal, quod etiam includitur in rationali, ponenturq; infima differentia in definitione explicitè, abjiciendo intermedias, eritq; genericæ differentiæ ad specificam descensus, secundùm explicitam significationem, licet implicitè in illis involvantur; & sicut quamvis per omnes differentia superior includatur materialiter in inferiori, non sequitur in definitione nugaciter repeti differentias, aut illas abjici non posse, ita & in præsenti.

Probari solet 2. Si inferior differentia formaliter includit superiorem, sequitur, inferiorem, à specie, non esse distinctam; jam enim etiam genus, contineret in se differentia inferior.

Responderi posset. Quod in re non distinguerentur, distinguerentur tamen per ordinem ad nostros conceptus, eò quod differentia, quâ differentia, debeat concipi per modum partis; Species per modum totius, item species postulat definiri, ponendo explicitè genus, v.g. Animal, in definitione hominis; differentia autem non postulat definiri per genus explicitè positum.

Probari solet 3. Quia differentia, ut differentia est, solùm debet esse principium differendi: Ergo differentia inferior, superiorem non debet includere formaliter; aliàs includeret rationem conveniendi; nam superior differentia, est ratio conveniendi.

Responderi posset, quòd differentia, ut differentia, quoad id quod dicit explicitè, debeat esse ratio differendi, non verò quoad id, quod dicit formaliter quidem, sed implicitè: & sicut non obest, ut differentia sit solum principium differendi, quantumvis materialiter involvat differentiam genericam, licèt illa sit principium conveniendi; ita nec oberit, si illam implicitè dicat. *Hinc aliter*

Probatur Conclusio. Tum quia ratio communis sentiendi, non est ratio communis rugiendi, præscinduntque hæc à se: Ergo etiam cùm ratio communis rugiendi, non sit ratio communis sentiendi, differunt enim definitionibus, præscindent etiam à se, neque se includent formaliter. Tum quia ratio rugitus, superaddit ex modo nostro concipiendi, id quod non habet ratio sensationis, aliàs hoc ipso non esset illa differentia inferior: tunc quæro secundùm illam rationem quam superaddit, vel potest concipi vel non potest; si non potest concipi, ergo nec superaddit quicquam; nectuntur enim secum, Ens, & concipi; si potest concipi, ergo non includit jam illud formaliter; cùm non sit formaliter illud ipsum, sed formaliter illi ipsi superadditum. Tum quia superaddita illa formalitas, vel est ipsum formaliter cui superadditur, vel non est ipsum formaliter; si non est ipsum formaliter: Ergo in inferiori non includitur formaliter superius; si est ipsum formaliter, ergo idem sibi ipsi superadditur, adeoque idem sibi ipsi non idem est, cùm inter superadditum, & cui superadditur, debeat esse distinctio. Omnia hæc in hoc fundantur. Quia definitio inferioris differentiæ, non est formaliter definitio superioris Differentiæ.

DIFFICULTAS III.

Fundamenta in Oppositum.

Objicitur 1. Auctor. Aristot. qui 7mo Metaphys. tex. 43. docet. Differentiam infimam bene posse poni in definitione solam, eò quod includat superiores: appellatque illam totam rei substantiam; imò ipse Philosophus facit talem prædicationem, fissio pedum est aliqua pedalitas.

Respondetur. Loqui Aristotelem de inclusione materiali, non autem formali, estque differentia infima tota rei substantia; non totaliter, sed completivè ultimo; prædicatio etiam

illa

illa pedalitatis de fissione, non habet hunc sensum, quod fissionis pedum definitio, ut sic; quod tamen requireretur, si differentia inferior, formaliter includeret superiorem, sed hoc solum significatur, quod species pedalitatis, sint pedes fissi.

Instabis. Differentia superior per Aristot. dividitur in inferiorem; Ergo includit illam formaliter, nam divisum includi debet formaliter in dividentibus membris.

Responderi solet communiter, quòd inferior differentia dividat superiorem, materialiter sumpta, seu in quantùm est species quæ formaliter includit genus suum: v.g. Animal rationale quod est species, includit formaliter Animal; sed inferior differentia non dividit superiorem, formaliter sumpta. Quòd autem nonnisi materialiter sumpta differentia dividat superiorem, hoc inde est, quia sensitivum non dividitur in rationalitatem & irrationalitatem, sed concretè dividitur in rationale & irrationale. Quanquam etiam dici posset, quod divisum non sit necesse ut formaliter includatur in ratione superaddita ipsi diviso.

Objicitur 2. Rugibile est formaliter sensitivum: Ergo differentia includit formaliter superiorem. Antec. prob. Rugibile seu rugibilitas, est formaliter principium sensationis, rugitus enim sensatio est.

Respondetur. Rugibile est formaliter sensitivum, id est rugibile Metaphysicè spectatum, seu ratio communis rugibilis, est ratio communis sensitivi, Nego Antec. rugibile Physicè spectatum est formaliter sensitivum, Concedo Antec. & Nego Consequent. Addo Rugibilitatem non esse principium sensationis ut sic, sed talis; deberet autem Rugibilitas esse principium sensationis ut sic, quia esset idem formaliter cum sensitivo ut sic, quod sensitivum ut sic, est principium sensationis ut sic; Quæ responsio supponit, quòd quando nos tractamus de differentiis formaliter acceptis, tractemus de rationibus illarum communibus.

Instabis 1. ex Arriaga. Si rugibilitas condistincta à sensatione per impossibile poneretur, esset formaliter virtus cujusdam sensationis: Ergo esset formaliter virtus sentiendi, ergo ulterius esset formaliter animalitas. Rursùs rugitus est formaliter motus ab intrinseco: Ergo est formaliter vita in actu secundo.

Respondetur. Disting. Consequens. Ergo esset rugibilitas formaliter virtus sentiendi, ita ut ratio comunis rugibilitatis, sit ratio communis sentiendi: Nego Consequent. ita ut rugibilitas sit formaliter virtus sentiendi per sensationem contractam, determinatam &c. Concedo Conseq. à qua ut infra dicetur, non distinguitur formaliter: eodemq; modo de Vita Philosophandum.

Instabis 2. Impossibile est concipere Hominem, quin concipiatur Animal: Ergo etiam impossibile est concipere rugibilitatem, quin concipiatur sensatio.

Respondetur. Id verum esse de sensatione contractè sumpta.

Instabis 3. Si præscinderet differentia rugibilis à sensatione, id ideò esset, quia ratio communis rugibilis, non est ratio communis sensationis; sed hæc ratio non suadet differentiam rugibilis præscindere à sensitivo; quia ratio communis Hominis, non est ratio communis Animalis, & tamen homo non præscindit ab animali: Ergo etiam quantumvis ratio communis rugibilis, non sit ratio communis sensationis, non præscindet tamen rugibile à sensitivo.

Respondetur. Negando minorem: & licèt quidem ratio communis hominis, non sit ratio communis animalis præcisè secundùm rationem suam communem spectati, est tamen ratio communis hominis ratio animalis, sed contractè jam spectati, per additum rationale, à quo sic contractè spectato & in definitione posito non præscindit; sic etiam rugibile à sensatione contractè sumpta non præscinderet, quia nihil à seipso præscindit; sensatio autem contractè sumpta, est ipsum rugibile; sed hîc agitur de hoc; an à sensatione ut sic sumpta, præscindat rugibile, seu inferior differentia à generica differentia?

Instabis 4. Rugibile formaliter, vel est sensitivum formaliter, vel insensitivum formaliter, ergo est sensitivum formaliter.

Respondetur. Retorquendo argumentum lapis vel est formaliter rationalis, vel formaliter irrationalis, non est formaliter irrationalis; quia formaliter irrationale per oppositos est formaliter sensitivum, quod non competit lapidi: Ergo est formaliter rationalis: & sicut in hac retorsione non tenet argumentum, quia rationale & irrationale non sunt contradictoria, hinc potest fieri ut neutrum membrum necessariò comperat, ita etiam nec sensitivum & insensitivum sunt contradictoria.

Instabis 5. Rugibile formaliter definitur per sensitivum, ergo ab illo abstrahere non potest.

Respondetur. Rugibile formaliter prout est species, definitur per sensitivum, & sic non potest abstrahere à sensitivo, ut dixi, sed non prout est differentia formaliter; sub ratione enim differentiæ nihil definitur, cùm definibile debeat constare genere & differentia, omne autem constans genere & differentia, est species.

Objicitur 3. Bonus est iste Syllogismus in Darapti. Omnis homo formaliter, est animal: Omnis homo, est formaliter rationalis: Ergo aliquod rationale, formaliter est animal.

Respon-

Respondetur. Hunc syllogismum non esse in forma: quia si per reductionem ad Darii revocetur, prodibit talis syllogismus. Omnis homo formaliter est animal, aliquod formaliter rationale est homo, ergo aliquod formaliter rationale est animal; in quo syllogismo formaliter rationale, & in minori, & in conclusione tenet se ex parte ly Rationale, estque omninò in forma. Positus autem iste syllogismus in Darapti conjungitur ly formaliter cum animal, cùm tamen in præmissis non fuerit conjunctum cum ly animal.

Objicitur 4. Restaurando quasi argumentum supra positum. Omnis homo formaliter, est animal formaliter, omnis homo formaliter, est rationalis formaliter, ergo aliquod formaliter rationale est animal formaliter.

Respondetur. Missis aliorum placitis. Omnis homo formaliter, est formaliter animal, quasi ratio communis hominis sit ratio communis animalis irrestrictè accepti, Nego Majorem: Omnis homo formaliter, est formaliter animal, restrictè & contractè acceptum, Concedo Majorem; Distinctaque Minori, Nego Consequentiam.

Objicitur 5. ab Aversa apud Mastr. hic disp. 5. n. 150. Substantia dividitur in spiritualem & corpoream, & hæ rationes spiritualis & corporei debent dici substantiales, quia si à tali ratione præscinderent, essent etiam dum dividitur, includitur in membris dividentibus.

Respondetur. Licèt rationes spiritualis & corporei debeant dici substantiales, non ita tamen dicuntur, ut ratio communis spiritualis, sit ratio communis substantialis; si ratio communis spiritualis, non est ratio communis substantialis, hoc ipso præscindere à se possunt; idem dic de quantitate. Quamvis autem præscindant ratio spiritualis & corporei à substantiali, non erunt ex eo jam commune quid accidenti, sed tum primùm erunt quid commune accidenti, spirituale & corporeum, si præscindant à substantiali in se incluso.

Instat Idem. In tantùm potest aliquod prædicatũ præscindi à subjecto, de quo dicitur, in quantùm etiam potest dici de alio; ut animal potest præscindi ab homine, quia potest dici de leone, ergo si datur propria differentia alicujus generis, ita quod nequeat alteri applicari, sanè non poterit ab eo præscindi.

Respondetur. Negando causalem; sed ideo aliquid præscindit, quia non habet eandem definitionem.

Objicit 6. Idem. Saltem hæcceitas in communi, in ordine ad hunc & illum nonnisi imperfectè præscindit, quia sine dubio quidquid est in singulis hæcceitatibus, essentialiter involvit talem conceptum.

Respondetur. Cùm per nos hæcceitas & individuum pro eodem sumantur objectivè, cumque admiserimus infra, rationem communem omnibus individuis eamque perfectè præscindentem, idem dicendum de hæcceitate; quia etiam ratio communis hæcceitatis, non est ratio communis hujus hæcceitatis & è converso. Cæterum sumendo hæcceitatem hanc, non pro differentia, sed pro specie, involvit genus secundùm dicta supra.

Objicitur 7. Si differentia inferior includeret superiorem, esset actus purus, utpote entitas simplicissima; inferior item differentia esset suprema, quia nullam superiorem haberet quam includeret.

Respondetur. Rationem actus puri esse prædicatum Physicum; non potest autem ostendi, quî differentiæ competat physicè, ratio actûs puri. Dici etiam solet, non esse actus puros differentias infimas; quia licet careant compositione ex his, non carent tamen compositione cum his; hinc præsupponunt tanquam aliquid materiale differentias superiores, imò sine illis, tanquam sine præsuppositis intelligi non possunt; non sunt item differentiæ inferiores genera suprema, quia ad rationem supremi requiritur, sub se potestate habere plura, quod non competit differentiæ infimæ; est item neceesse ut suprema differentia, nec materialiter præsupponat ante se priorem, præsupponit autem infima.

QUÆSTIO III.

De Specie.

De ipsa specie, nihil admodùm disputabile erit, sed de Individuis, restabunt quædam expendenda.

Explicatur 1. *Nomen speciei.* Species ex primitiva acceptione, non aliud est, quàm pulchritudo quædam, unde & speciosum vocatur pulchrum: transtulerunt hoc nomen Philosophi, ad significandum concretum ex genere & differentia, appellaruntq; illud speciem: cùm enim genus sit turpe quoddam & informe, utpotè se habens per modum materiæ, decoratur, formatur, speciosum fit, accessu differentiæ, quæ differentia pulchritudo generis dicitur, & species pulchrum. Porrò cùm concretum hoc ex genere & differentia, comparari possit tùm ad genus, tùm ad differentiam, tùm ad individua, hinc & ratio speciei illius seu pulchritudo ad hæc omnia se extendit, & respectu generis dicitur species pulchrum, imò & pulchritudo in abstracto, eò quod in ea genus pulchrum, formatum differentiâ & completum appareat. Rursùs comparatum hoc concretum ad differentiam, est etiam pulchrum, quia ipsa differentia est etiam pulchritudo completiva & perfectiva generis. Deniq; si comparetur idem concretum ad individua, erit pulchritudo illorum absolutè; species enim infima, est tota essentialis perfectio individuorum.

Expli-

Explicatur 2. *Divisio Speciei.* Dividitur species in Primointentionalem, seu prout species sumitur pro natura totali Metaphysicè completa, & in Secundòintentionalem, seu prout à Logica species considerabilis est. Rursùs secundòintentionalis alia est species subjicibilis seu pro subjecto ponibilis; alia prædicabilis, seu pro prædicato ponibilis. Deniq; dividitur in speciem subalternam, & infimam. Subalterna est, quæ respectu superiorum quibus subjicitur, species est, respectu autem inferiorum, est genus; & quia hæc ut genus prædicatur, ideò non potest ei convenire ratio speciei, nisi in quantum subjicibilis est. Species autem infima est, quæ tantum sub se individua habet, potestque & subjici & prædicari.

Explicatur 3. *Definitio Speciei.* Speciem subjicibilem definivit Porphyrius. Est quę subjicitur generi, & de qua genus in eo quod quid est prædicatur: duæ hîc sunt definitiones, sed per modum unius, ab auctoribus sumuntur. Species autem prædicabilis, est id quod de pluribus differentibus numero, in eo quod quid est prædicatur.

Dices 1. Committitur hic circulus vitiosus; alibi enim genus definivit Porphyrius, esse id, quod sub se habet species, nunc autem definit speciem, quod sit sub genere; estque hæc similis definitio huic, si quis definiret Patrem, & diceret, pater est qui habet filium; definiendo autem filium diceret, filius est qui habet patrem.

Respondetur communiter. Non committi hîc circulum, quia genus positum in definitione speciei, non ponitur ut cognitum per speciem, sed ut cognitum aliunde; hinc genus Porphyrius etiam aliter notificat, dicendo illud esse id, in quo species cognationem habent, quod est aliunde cognoscere genus, & non ex sola specie &c. quanquam nihil vetat unum relativorum cognosci per aliud, vel unà cum alio; relativè autem se habent, genus & species.

Dices 2. Hæc definitio convenit etiam individuis; nam & ea subjiciuntur generi: Ergo ista definitio est mala.

Respondet Arriaga, esse bonam, si subintelligatur, quod species immediatè subjiciatur, mediatè individua.

Contra est ex Oviedo. Animal de homine dicitur immediatè, & de eodem nonnisi mediatè dicitur corpus, & tamen hoc non ostante, & corpus prædicatur ut genus, & animal. Ergo etiam quantumvis immediatè subjiciatur generi species, & mediatè individua, non oberit, quominus individua sint species subjicibilis, cùm illis etiam competat subjici generi.

Respondet 2. Oviedo n. 5. addendas hîc esse ad definitionem has particulas, quod species sit natura multiplex physicè & intentionaliter una, quæ generi subjicitur.

Respondetur 3. ab aliis. In definitione illa speciei subjicibilis, subintelligi ly Universale, ut ita currat definitio, species subjicibilis est universale, quod subjicitur generi; de individuo autem non potest dici quod sit universale.

Contra utramque hanc responsionem est. Imprimis, quia species subjicibilis quà talis, etiam per Oviedo n. 10. non est universale: Ergo frustra ad eam definiendam pro genere addetur ly universale. Tum quia species subjicibilis, non habet abstractionem debitam universali; abstrahitur enim à genere tanquam à parte, universale autem ab inferioribus abstrahi debet; nec potest ex eo poni universale pro genere in definitione speciei subjicibilis, quia species subjicibilis est universale materialiter; nam & individua sunt materialiter universalia, quando eandem rationem communem participant, & tamen non possunt definiri per ly universale. Tum quia nullum est fundamentum asserendi, speciem subjicibilem esse verè universalem; quod enim dicitur ly universale, dividi per speciem subjicibilem & prædicabilem, hoc falsum est; species enim quæ dividitur in subjicibilem, & prædicabilem, est indifferens ut sit formaliter vel materialiter universalis species illam dividens; imò quantumvis species subjicibilis sit inferius universali, non sequitur illam esse universalem; est enim inferius etiam singulare, respectu universalis, & tamen singulare non est universale. Nec dubium est, quod species subjicibilis & prædicabilis, ad nomen speciei, habent se tanquam membra æquivoca; nunquam enim species subjicibilis quà talis, habet sub se inferiora, adeoq; nunquam est universalis: cùm tamen species prædicabilis habeat, sub se inferiora: hinc quando species subjicibilis prædicatur, & de hac, & de illa specie subjicibili, non prædicatur ut subjicibilis est formaliter, sed prout induit rationem prædicabilis.

Respondetur 3. Cum Hurtado, Bonam esse prædictam definitionem, si per illam priorem partem, quòd scil. species est quæ subjicitur generi, intelligatur ly soli; Certè enim individua non soli generi, sed & speciei subjiciuntur.

Dices 3. Nulla est species prædicabilis, ergo mala est divisio in subjicibilem & prædicabilem. Antec. prob. Auctoritate Aristot. qui dicit in Top. speciem semper subjici.

Respondeo, & dico: Speciem semper subjici, quando de ea fiunt problemata & quæstiones, sed non subjicitur in quantum respicit inferiora.

Instabis 1. Ex mente Aristotel. species est substantia completa, ergo non potest esse in alio, ergo nec dici de alio, ergo & nulla est prædicabilis species.

Respondetur. Speciem non posse esse in alio tanquam in subjecto inhæsionis, licet sit in alio tanquam in subjecto prædicationis.

Insta-

INSTABIS 2. Ex mente ejusdem, species componitur ex genere & differentia: Ergo prædicatur ut genus & differentia, ergo in quale quid, & quale: Ergo ulterius nulla datur species prædicabilis, quæ sit in quid prædicabilis.

RESPONDETUR. Species ita componitur ex genere & differentia, ut constituatur ex illis totum; non enim species est genus & differentia, sed totum ex illis compositum; inde quamvis sigillatim acceptum genus prædicetur in quid, & differentia in quale, quando tamen jam unitim accipiuntur, hoc ipso prædicabuntur non in quale quid vel quale, sed poterit prædicari in quid totaliter.

DICES 4. Est in oppositum Auctoritas Theologica. Docent Theologi, ly Deus dici de Patre, dici de Filio, dici de Spiritu Sancto, & quidem in quid: cum tamen Deus, non sit species.

RESPONDET S. Thom. ly Deus non dici de Personis tanquam aliquid in illis, de quibus dicitur personis multiplicabile; consequenter non dici tanquam universale, hîc autem agimus de Prædicatione Naturæ multiplicabilis.

DICES 5. Species dicta de individuo non dicit rationem individui, ergo species non tanquàm totum quid prædicatur.

RESPONDETUR. Disting. Consequens. Non tanquam totum quid prædicatur species, si subjectum de quo fit prædicatio Physicè spectatur. Conced. Nam in statu Physico, non solum dicit naturam, sed etiam hæcceitatem; si subjectum hoc spectetur Metaphysicè, hoc est solum secundùm essentialia prædicata non dicet species totum, nego Conseq. Dici etiam potest speciem prædicari tanquam totum, inferendo substantialia prædicata, non autem accidentalia; ratio autem individui, est quid accidentale.

DIFFICULTAS I.

De Individuo primo intentionaliter sumpto.

INdividuum non est idem quod indivisibile; Indivisibile enim accipitur pro eo quod caret omni extensione: Individuum autem vocatur natura singularis non divisa in plures tales. Hoc individuum considerari potest, vel secundùm quod natura singularis est; & ita acceptum est individuum primò intentionaliter; vel considerari potest secundùm quod subjicibile & prædicabile est, & sic acceptum est individuum secundointentionale. Individuum primointentionaliter sumptũ, descripsit Porphyrius; est id cujus omnes simul proprietates alteri convenire non possunt; descripsit inquam, quia saltem divinitùs, duobus individuis simul proprietates eædem convenire possunt, porrò hæc accidentia ad quæ attendit Porphyrius, hoc Versu inclusit Boëtius:

Forma, Figura, Locus, Tempus, cum Nomine Sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus & alter.

Individuum secundointentionaliter acceptum, descripsit idem, qua prædicabile est, est id quod de uno solo prædicatur; quà verò subjicibile, est id quod continetur sub specie. Metaphysica individuum primointentionale correctiùs pro Porphyrio describit: quod sit Ens ex natura specifica & hæcceitate compositum, quid autem illa hæcceitas, alibi dicitur.

An possit dari ratio communis omnibus individuis?

DICENDUM est. *Dari rationem communem omnibus individuis:* est Concluſ. Suarii. Disp. 6. sect. 8. n. 14 & 15. Arriaga, Hurtadi, Contra Fonsecam. Tolet. & alios. Oviedo in sententia præscindentium tantùm ex parte actus, dicit, posse dari rationem communem omnibus individuis, non tamen in sententia præscindentium ex parte objecti.

PROBATUR 1. ex Arriaga. Possumus concipere omnia individua, quatenus sunt similia in hoc, quod sint indivisa in se, & divisa à quolibet alio; in hoc enim non distinguuntur, quantumvis disconveniant in ratione talis individui; Ergo potest dari ratio communis omnibus individuis.

PROBATUR 2. Quia quæcunque ratio ostendet dari rationem communem præcisam ex parte objecti in aliquibus prædicatis, eadem ostendet dari rationem communem omnibus individuis.

PROBATUR 3. Tum quia vel omnia individua habent hoc quod sint indivisa in se, & divisa à quolibet alio, vel non omnia habent, si non omnia, ergo non omnia individua; si autem omnia sunt talia: Ergo datur ratio communis omnibus individuis, id enim intelligitur nomine rationis communis. Tum quia quando negas dari rationem communem omnibus individuis, id quod negas, vel negas de omnibus individuis vel de aliquibus; si de aliquibus, ergo tibi non constas; hoc ipso enim non negas dari omnibus communem rationem, sed nonnisi aliquibus; si de omnibus hoc negas, ergo est illis dabilis ratio communis, infirmabunturque argumenta, quæ supponunt, in nulla ratione posse illis dari rationem communem. Tum quia hæ propositiones: Omne individuum est ratio indivisa in se & divisa à quolibet alio; aliquod individuum non est ratio indivisa in se & divisa à quolibet alio, hæ inquam propositiones sunt contradictoriæ, in quibus particularis est falsa, nam poneret definitum, & negaret definitionem: Ergo ve-

ra esset affirmativa universalis: Ergo ulterius dabitur ratio communis omnibus individuis, quia datur propositio universalis de illis verificabilis; ratio autem communis, & propositio universalis affirmabilis, verbis differunt. Tum quia si non daretur ratio communis omnibus individuis, non posset unquam poni argumentum in forma, quod Petrus sit individuum; quia hoc argumentum deberet habere propositionem universalem, ne argumentum constet ex particularibus; propositionem autem universalem non posset habere, quia non potest haberi ratio communis omnibus individuis; quæ duo Verbis differunt. Tum quia, si non daretur ratio communis omnibus individuis, hoc inde esset, quia non esset ratio per quam individuum esset indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Sed hæc ratio probat dari rationem communem omnibus individuis; quia adfert definitionem omnium individuorum, definitio autem omnibus individuis competens, est ratio communis eorundem.

Objicitur 1. Si posset ratio communis individuis abstrahi ab individuis, abstracta illa ratione communi, posset adhuc iterato abstrahi ratio communis, & sic in infinitum. Si autem non potest abstrahi iterato ratio communis, ergo dicam illam potius esse differentiam individualem, à qua jam non potest abstrahi ratio communis.

Respondetur. Fundamento sumpto ex Hurtado; abstractâ intentionaliter ratione communi, jam ulterius non posse abstrahi rationem communem, sicut abstractâ ratione animalis à rationali, jam in esse intentionali, ita repræsentato rationali, non potest abstrahi animal. Quod autem abstractâ ratione communi individui nõ sit ulterius abstrahibilis ratio communis individui, hoc non inde est, quasi per abstractionem magis illæ differentiæ sint in re & Physicè individuæ, sed quia sunt magis in conceptu & intentionaliter individuæ; cum in illis maneat sola tantum ultima ratio differendi, & nulla jam ratio communis; præcipuè quia apud me, præcisiones objectivæ dantur tantum secundùm rationes communes, non verò secundùm rationes contractas, prout contractæ sunt; cum ergo jam tunc nulla maneat intentionaliter ratio communis individuis, nihil etiam manebit, quod præscindi possit. Cæterum quia in re etiam post meam præcisionem remanet illa ratio communis, ideo poterit iterato ab alio intellectu, imò & ab hoc abstrahi ratio communis, quantumvis non sub hac formalitate, sub qua jam concipitur esse abstracta ratio communis.

Objicitur 2. Quia si individuatio numerica quà talis, esset ratio communis pluribus individuis quà talibus, non esset ratio individuis iisdem differendi à se invicem, sed solum conveniendi; sed individuatio numerica, qua talis; est ratio differendi: Ergo individuatio numerica qua talis, non est ratio communis.

Respondetur. Concedendo totum; nam ratio individui, non sub formalitate qua talis est, sed sub formalitate, sub qua omnia individua, eodem modo sunt definibilia, sub qua conveniunt, & similia sunt, potest habere rationem communem. Concedo ulterius individuationem esse rationem ultimam differendi, nec esse sub ratione ultimæ, rationem conveniendi, sed sub alia formalitate ut dixi, in quantum scilicet sunt similia in definitione conceptuque communi.

Instabis. Ergo hæc ratio numerica qua talis, contrahet rationem illam communem individui.

Respondetur. Contrahet contractione materiali, non verò contractione formali; contrahet inquam contractione materiali, quia non adfert illa ratio ultima, ullum prædicatum, nisi quod sit per modum particularis; ad eum modum, quo unitatem, ut sic, hæc unitas contrahit, bonitatem ut sic, contrahit hæc bonitas; cæterum ratio illa ultima, non contrahit rationem communem individui, non contrahit inquam formaliter, quia non adfert prædicatum aliquod specificum; hinc rationale comparatum ad animal, non est ratio particularis ad animal, quia adfert prædicatum specificum, non adfert autem prædicatum specificum hæc individuatio, rationi communi identificationis.

Instabis 2. Ergo hæc ratio ultimo differendi illam rationem communem individuis ita contrahet, sicut ipsa ratio individui contrahet rationem specificam; contrahit enim illam contractione materiali.

Respondetur. Contractiones dictas esse sibi in aliquo similes, dissimilantur tamen in hoc, quia ratio illa individui communis, contrahitur per se ipsam reduplicativè acceptam; hoc est, ratio individui, per individuum, quia individuum est; contractio autem quæ fit per individuationem, respectu speciei, non est per idem reduplicativè acceptum. Consequenter nec ratio individui contracti, est species rigorosè; quia tunc illud quod est contrahibile per differentias individuales, habet rationem speciei, quando contrahens, non est reduplicatio contracti, ut supra dixi, sed adfert rationem particularem, non eodem nomine & conceptu gaudentem; rationem autem communem ut dixi individuationis, contrahit ratio individuationis, qua individuatio est, adeoque qua contrahens, est reduplicatio contracti.

Objicitur 3. Hæc ratio communis individuis, & esset communis, & non esset communis; esset ut dicitur, non esset; quia singularis esset, ideò autem singularis esset, quia formalitatem individui haberet; sed absurdum est dicere,

cere, idem esse commune, & non esse: Ergo ratio communis individuis non datur.

Respondetur. Diverso respectu illam rationem communem esse singularem, & diverso respectu communem; esset communis, in quantùm in ea ratione omnia assimilantur individua, & esset ratio singularis, in quantùm est idem realiter cum ratione conceptum communem individui contrahente.

Objicitur 4. Si daretur ratio individui communis, posset concipi v. g. natura humana cum hac ratione communi individui; compositum autem illud ex ratione communi individui, neq; esset singulare, aliàs illa ratio communis individui, non esset ratio communis; neque esset comune quid illud compositum, cùm jam illi esset ratio individuationis conjuncta. Quæ omnia sunt absurda.

Respondetur. Illud compositum (quod nonnisi per rationem fieri potest) fore commune: tunc autem compositum ex ratione specifica & individui non est commune, quando illi conjungitur ratio ultima, qua ultima est differendi. Hinc ratio communis individui, inter speciem, & se, in quantùm est ultima ratio differendi, habet se per modum medii per rationem facti, licèt in re hæc ratio communis, non mediet inter speciem & individuum, quà individuum est.

Objicitur 5. ex Oviedo. Differentia individualis non est resolubilis in duos conceptus, quorum unus sit ultima differentia, alter verò ratio conveniendi cum aliis differentiis: Ergo non potest dari conceptus communis omnibus individuis. Antec. prob. Quia si in Petreitate v.g. assignes duos conceptus formaliter inter se distinctos, unum, ex vi cujus conveniat cum Pauleitate, & alterum, ex vi cujus differat; differentia individualis, constituetur adæquatè in illo ultimo conceptu, quo differt à Pauleitate.

Respondetur. Neg. Antec. Probationem ejus distinguo. Differentia individualis, si sumatur quà individualis, quà ultima, quà reduplicativè accepta &c. constituitur illo conceptu quo tantum differt. Conc. Antec. Differentia individualis specificativè accepta & quà est una definitione definibilis, constituitur adæquatè illo ultimo quo differt, Nego Antec. & Consequentiam.

DIFFICULTAS II.

De Definitione Individui Secundo-Intentionalis.

Dicendum est. *Bonas esse adlatas superius definitiones individui.* Omni enim, soli, & semper individuo conveniunt.

Objicitur 1. ex Aristot. qui 7. Metaph. cap. 17. dicit non posse individua definiri, sicut nec aliquid de illis sciri.

Respondetur 1. ad hunc locum. Individua non sciri ordinariè, nec definiri, licèt interdum definiri & sciri possint.

Respondetur 2. Consequenter ad dicta. Individua secundùm rationes communes spectata posse definiri, licèt non secundùm rationes contractas; hæ enim nobis ignotæ.

Instabis ex eodem. Qui in Antepræd. cam c. 2. docet individuum de nullo subjecto prædicari: Ergo falsum est, individuum de uno solo dici.

Respondet Toletus. Individuum ut sic de individuo hoc prædicari identicè in re, sed non identicè formaliter, hocque voluit Aristoteles. Distinctio sic explicatur, Ratio propositionis identicæ, non ex eo spectanda est, quia habet identitatem realem cum subjecto; aliàs omnes prædicationes verè identicæ essent; omnes enim important identitatem Prædicati cum Subjecto; sed ratio formaliter identicæ propositionis spectanda est, si prædicatum non aliter concipiatur, quàm conceptum sit subjectum; aliter autem concipitur subjectum aliter prædicatum, cum dico v. g. Petrus est individuum: Consequenter hæc prædicatio, non est identica formaliter.

Dici & hoc potest. Individuum in actu signato, quatenus in actu signato est, non de uno solo prædicari. Cæterum individuum in actu signato, non tamen de actu signato, sed pro actu exercito acceptum, de uno solo prædicatur. Explicatur hoc ipsum. Individuum sumitur in actu signato, & pro actu signato, quando sumitur secundùm rationem suam communem, secundùm quam rationem, non de uno solo individuo dicitur, sed & de hoc, & de hoc, &c. imò prædicatur, quodammodo velut quædam species de inferioribus: individuum autem sumptum in actu signato, sed non pro actu signato, sed pro actu exercito, est: quando per rationem communem omnibus definiuntur individua sigillatim; seu clariùs, quando definiuntur singula individua distributivè, distributivè autem accepta singula individua, nonnisi de uno dicuntur; v. g. de hoc homine, nonnisi hoc individuum Petri: & de illo homine, nonnisi illud individuum Pauli dicitur &c. Quoad locum Aristot. attinet, vi hujus distinctionis debet consequenter individuum de nullo subjecto dici universaliter, si accipiatur ratio illa communis, pro actu exercito individui.

Objicitur 2. Quod non est species, non potest definiri, individuum non est species: Ergo.

Respondetur. Quod non est species non potest definiri definitione rigorosa, constante verò genere & vera differentia idque univocis: potest tamen definiri definitione non rigorosa, accipiendo pro genere v. g. particulam Id, Quod, & cætera loco differentiæ apponendo.

Objicitur 3. Hoc genus v.g. Animal prædicatur de pluribus, scil. & de hac & de illa specie; sed hoc genus est individuum: Ergo aliquod individuum prædicatur de pluribus.

Respondetur. Hoc genus non quà hoc est, prædicatur de pluribus, sed quà genus.

DIFFICULTAS III.

De Individuo Vago.

Individuum determinatum est v.g. hic homo. Individuum autem vagum est, v.g. aliquis homo; vagatur enim & per Petrum, & per Paulum &c. quia & Petrus est aliquis homo, & Paulus est aliquis homo. De hoc Individuo agemus hîc.

Quæritur 1. *An detur Individuum Vagum?*

Respondetur. *Dari.*

Ratio. Quia comuniter supponitur, quod subcontrariæ propositiones in materia contingenti, possint esse veræ, veræ autem jam non essent, si individuum vagum tolleretur: & sic v.g. in hac propositione aliquis homo bibit, aliquis homo non bibit; si non sumatur ly homo pro individuo vago, sed pro Petro, certè si verum est de Petro quòd bibat, falsum erit quod non bibat, consequenter falsum erit subcontrarias propositiones in materia contingenti ambas posse esse veras; consequenter si non datur individuum vagum, tollitur tota suppositio confusa. Hæc ex communi suppositione.

Quæritur 2. *Quid sit individuum vagum?*

Respondetur. Est individuum indeterminatè cognitum, aut volitum, explicabile per particulam disjunctivam, Vel, v.g. aliquis homo bibit, vel Petrus, vel Stanislaus.

Quæritur 3. *Quotuplex sit individuum vagum?*

Respondetur. Duplex esse Determinatum; & Indeterminatum. Determinatum individuum vagum est, quod explicando per particulam *Vel*, tandem ad aliquod certum devenietur, ut cum dico: aliquis non attendit, vel hic, vel hic, vel hic, sed non hic, ergo ille. Hæc explicatio vocata est in Dialecticis Descensus disjunctivus. Indeterminatum autem individuum vagum est, quod explicando per particulam Vel, nusquam ad determinatum devenitur, v.g. aliquis calamus ad scribendum est necessarius, vel hic, vel hic, vel hic; nullusque futurus talis ut ille solus, & non alius sit necessarius. Hæc explicatio in Dialecticis vocatus descensus disjunctus.

Quæritur 4. *An in divino intellectu possit esse individuum Vagum?*

Respondetur. Determinatum Individuum Vagum, non potest esse in divino intellectu.

Ratio. Quia illud oritur ex imperfectione intellectûs, quod v.g. Petro occiso, si nesciatur Petrus esse occisus, oritur hoc inquam ex imperfectione intellectûs, quod dicatur: aliquis homo est occisus. Indeterminatum autem Individuum Vagum, potest esse in divino intellectu. Ratio est: quia si in divino intellectu non daretur tale Individuum, divinus intellectus, res cognosceret non secundùm exigentiam illarum; quod absurdum est, Sequel. probatur. Si Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cujus præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam, cognosceret rem non secundùm exigentiam subjecti; sed si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus rem quæ in se non habet ullum prædicatum, ratione cujus præferri alteri potest, cognosceret tanquam præferendam: Ergo si in divino intellectu non daretur individuum Vagum, Deus non secundùm exigentiam subjecti cognosceret. Minor probatur. In hac propositione, aliquod sacrum est necessarium, ad satisfaciendum præcepto, si Deus determinatè cognosceret aliquod Sacrum præ aliis necessarium, præferret unum alteri Sacro, cùm tamen unum præ alio, nullum prædicatum ratione cujus alteri præferri debeat, haberet. Deinde potest divina voluntas indeterminatè aliquid præcipere, ut v.g. oblationem duorum pullorum columbarum, vel paris turturum: Ergo & intellectus divinus indeterminatè illa cognoscere, cùm ita præcipiat voluntas divina, sicut præluceati apparet intellectui.

Quæritur 5. *Quomodo prædicetur individuum Vagum?*

Respondetur. Individui Vagi prædicationem, non posse propriè reduci ad universale; quia hic terminus, aliquis homo, non significat rationem comunem à differentiis abstractam, sed significat plures & distinctas. Disjunctio enim illa quam adfert ly Aliquis, extremorum distinctionem indicat, saltem tamē impropriè revocari potest ad Universalia, id quomodo fiat explano. Ly Aliquis vel quidam additum generi, dejicit illud à ratione generica ad speciem: v.g. ly Animal significat genus, si addidero illi ly aliquod, hoc ipso jam rationem specificam designabit. Ly Homo est species, filli addatur ly Aliquis, non speciem, sed individuum significabit. Dico itaque, si genus subalternum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio generis Vagi, si genus immediatum & proximum contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio speciei Vagæ; si species contrahatur per terminum Aliquis, erit prædicatio individui de individuo; & hæc prædicatio procedit quando est prædicatum Vagum in materia necessaria, nam in materia contingenti, prædicatum Vagum, semper est individuum Vagum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Proprio.

PRoprium Quadruplex est. 1. Quod accidit alicui naturæ soli, sed non omni; ut homini esse medicum. 2. Quod convenit omni sed non soli; ut convenit homini esse bipedem. 3. Quod convenit omni soli; sed non semper; ut convenit homini canescere propter curas, quamvis interdum aliqui cum curis, non canescant. 4. Quod convenit omni, soli & semper; ut homini esse risibilem, hocque vocatur proprium quarti modi.

DICES 1. Supponantur corrumpi omnia alba, relinquatur sola nix, eo casu nivi soli, omni, & semper, conveniet albedo, & tamen albedo non est proprium nivis: Ergo proprium quarti modi non rectè definitur quod competat omni, soli, & semper.

RESPONDETUR. Solis nivibus ex accidenti tunc competet albedo, sed non ex intrinsecis principiis, quæ nectant albedinem cum nive.

DICES 2. Lux est proprietas Solis quarti modi, & tamen convenit non Soli tantùm, sed & candelæ.

RESPONDETUR. Proprietates genericas, non convenire Soli, secùs specificas: jam autem lux est proprietas generica Solis, adeoq; distinctis à Sole conveniens, quantumvis lux solaris sit proprietas illius quarto modo, & nulli alteri competens.

DICES 3. Differentia convenit soli, omni, & semper; & tamen non est Proprium: Ergo mala est prædicta definitio Proprii.

RESPONDETUR. Cum Differentia non accidat speciei, sed illi sit essentialis, accidat autem Proprium, rectè inferetur, quod distincta sit differentia à Proprio.

Præter positas divisiones Proprii, dividitur adhuc Proprium quarti modi, in Proprium Primointentionale, & Proprium Secundointentionale, & quidem incipiendo.

De Proprio Primo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. *Quid sit Proprium primo intentionaliter?*

RESPONDETUR. Esse accidens quod convenit omni, soli & semper.

QUÆRITUR 2. *Quotuplex sit Proprium primo intentionaliter acceptum?*

RESPONDETUR. Proprietates aliæ sunt Physicæ, aliæ Metaphysicæ. Proprietates Physicæ distinguuntur realiter ab essentia à qua dimanant, ut frigus ab aqua. Metaphysicæ autem proprietates sunt, quæ nonnisi sola ratione ab essentia distinguuntur. Priores illæ proprietates semper conveniunt subjecto, si causæ naturales spectentur, & absit violentia; sicut aqua semper est frigida, si absit extrinsecum calefactivum.

QUÆRITUR 3. *Quod sit signum Proprii quarto modo?*

RESPONDETUR. Proprii qualiscunque signum est, si postulet definiri per subjectum: ex 1. Poster. c. 4. & ita simum, est proprietas nasi, cùm definiri per nasum postulet; non est tamen hoc signum Proprii quarto modo; certè enim simitas non omni naso convenit: Signum itaque Proprii quarto modo est, si conveniat per se subjecto, si sit adæquatum principio, seu essentiæ à qua profluit, ita ut de illa conversim & reciprocè dici possit v. g. Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo.

DICES. Proprietas quarti modi effluit ex essentia: Ergo non convenit semper.

RESPONDETUR. Proprietas Metaphysica quarti modi, sicut ex modo nonnisi concipiendi effluit, ita & ex modo nonnisi concipiendi est non semper cum essentia, in re autem semper est cum illa; quod sufficit ad salvandum, quod Proprium semper conveniat. Proprietas autem Physica effluit ex essentia, sed effluxu qui in re simul sit tempore cum essentia, adeoq; adhuc conveniet semper, modo causæ naturales non impediantur.

De Proprio Secundo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. *Quid veniat nomine Proprii Secundo-Intentionaliter?*

RESPONDETUR. Venire Proprium pro universali prædicabili acceptum.

QUÆRITUR 2. *Quæ sit Definitio Proprii secundum quod est Vniversale quoddam Prædicabile?*

RESPONDETUR. Esse universale, quod prædicatur de pluribus in Quale accidentale, profluens necessariò ab essentia. Non definitur Proprium per hoc, quod sit convertibile cum subjecto; quia risibile licèt sit convertibile cum essentia hominis, non est tamen convertibile cum iis de quibus prædicatur; quia licèt verum sit, Petrum esse risibilem, falsum tamen est risibile, esse Petrum. Idem alia phrasi dici potest, quod scil. Proprium non sit convertibile cum subjecto, de quo dicitur, sed tantùm cum essentia subjecti, secundùm se spectata.

QUÆRITUR 3. *De quibus Proprium Vniversaliter prædicetur?*

RESPONDETUR. Non prædicari Proprium de Natura universaliter; quia respectu illius non se habet proprium ut superius quid, sed se habet tantùm ut convertibile, & æque latè patens. Prædicabitur ergo universaliter de inferioribus naturæ, v. g. risibilitas de Petro, Paulo, &c.

DICES 1. Implicat idem esse Proprium, & Commune; cōmune enim multa respicit: Proprium autem excludit multa: Ergo Proprium non potest esse universale.

RESPONDETUR. Implicat idem esse Proprium & Commune, eodem respectu, secus diverso. Unde etiam proprium, erit proprium Naturæ; proprium autem prout universale, erit respectu suorum subjectorum.

DICES 2. Non potest prædicari, de multis ut proprium, quod non est multis proprium; Sed Proprium quarto modo, non est multis proprium, sed uni naturæ: Ergo nec potest prædicari de illis.

RESPONDETUR. Non potest prædicari de multis ut Proprium, quod ita multis non est proprium, ut nec sit essentiæ multorum proprium; licèt ita prædicari possit, si sit proprium essentiæ multorum: & ita risibile est proprium animalis rationalis, quod est commune suis individuis.

DICES 3. Vi dictorum sequi, quia & prædicaretur Proprium Universale; est enim unum ex quinque Universalibus, & non prædicaretur Proprium Universale; quia nec habet modum prædicandi sibi debitum, & respectu eorum, respectu quorum prædicatur universaliter, respectu inquam eorum, non est proprium.

RESPONDETUR. Sufficere, quòd sit proprium respectu naturæ eorum, de quibus universaliter dicitur. Habet etiam modum prædicandi sibi Proprium, quia prædicatur in Quale accidentale, necessario ab essentia profluens.

QUÆSTIO V.

De Accidente.

SIcut Proprium, ita & Accidens, dupliciter sumi potest; nempe pro Accidenti Primo-Intentionaliter; & pro Accidenti, Secundo-Intentionaliter.

De Accidenti Primo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. *Quid sit Accidens primo intentionaliter acceptum?* Definit illud Porphyrius. Accidens est id, quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione.

QUÆRES 2. *Quomodo intelligenda hæc sit definitio?* ratio dubitandi; quia dantur Accidentia, quæ non possunt sine subjecti corruptione adesse, ut morbi, mors, vulnera; sunt etiam aliqua quæ non possunt abesse sine subjecti corruptione, ut sexus ab animali, simitas à naso, albedo à nive. Multis hic agitur ab aliis. Sufficerit dixisse, Accidens illud esse, quod vel realiter, vel saltem intentionaliter potest adesse & abesse; & ita si adsit mors, intentionaliter non corrumpitur ille homo, quia manent prædicata essentialia hominis, nempe animal rationale, ita ut nec arguitivè corrumpantur, sicut arguitivè corrumpitur homo, si vel per intentionem dicas illum non esse risibile. Videtur hæc explicatio ad mentem Porphyrii, qui dividens Accidens in Separabile, & Inseparabile, cùm ex altera parte docuisset, omne accidens posse separari, mox subdit, potest enim intelligi corvus albus, & Æthiops abjiciens colorem; Ubi vides, recurrit ille ad intelligibilitatem.

QUÆRITUR 3. *Quotuplex sit Accidens Primò-Intentionaliter?* Aliud est Accidens Physicum, quod est accidens distinctum realiter à subjecto, idque vel separabile, uti est frigus respectu aëris; vel inseparabile, uti putatur respectu corvi nigredo. Aliud Accidens est Metaphysicum, seu accidens ex modo significandi. Hoc ipsum accidens Metaphysicum; aliud est non necessario fluens ex essentia, qualis est ratio Patris, aliud necessariò fluens, & hoc coincidit cum Proprio. Rursùs Accidens aliud est Prædicamentale, aliud Prædicabile; Prædicamentale est, quod est accidens divisum ab Aristot. in reliqua novem prædicamenta distincta à Substantia; Prędicabile autem accidens, est accidens secundo-intentionaliter acceptum, de quo mox.

De Accidenti Secundo-Intentionaliter.

QUÆRITUR 1. *Quid sit Accidens Secundo-Intentionaliter?*

RESPONDETUR. Est universale, quod prædicatur de pluribus, in Quale Accidentale contingenter.

QUÆRITUR 2. *Quid est hoc prædicari in Quale contingenter?*

RESPONDETUR. Quale non est hîc sumendum pro Quali ex solo prædicamento Qualitatis, sed debet sumi liberaliùs pro omni eò cui opponitur Quidditas rei, & necessariò cum illa connexa; hæc enim prædicatio: Petrus est tricubitalis, est prædicatio in Quale Accidentale, quantum vis tricubitalitas sit Quantitas, non Qualitas.

QUÆRITUR 3. *De quo universaliter prædicetur Accidens ut Accidens?*

RESPONDETUR. Indubiè accidens de rufo, albo, nigro, &c. prædicatur ut genus, consequenter non prædicatione accidentis; prædicatur enim in Quid incompletè partem materialem significando. Albedo item, de hoc, & de hoc albo, prædicatur ut species, quia prædicatur in Quid tanquam tota rei essentia. Prædicatur ergo Accidens ut Accidens, de concretis ex subjecto, & illo accidente; ut cum dico Papyrus est alba, nix alba, linum album. Ratio. Quia respectu horum ita illud accidens est universale, ut simul de illis in Quale omninò contingenter dicatur; hæc autem prædicatio est genuina quinti universalis.

DISPU-

DISPUTATIO V.

De Anteprædicamentis, Prædicamentis, Postprædicamentis in communi.

TRactaturus Philosophus de Prædicamentis, præmisit explicationem quandam vocum, hoc est quid sit Univocum, Æquivocum, Analogum, quæ Anteprædicamenta appellavit; quibus adjunxit denominativa. Egit postea de Prædicamentis, & demum de Postprædicamentis. Nihil hic disputabile erit, solæ Notiones terminorum, & divisiones ponentur.

QUÆSTIO I.

De Anteprædicamentis.

ID quod hîc faceſſeret difficultatem, de Analogia Entis, alibi tractatur. Hinc ea quæ hîc adferentur propter incipientes & methodi causa.

DIFFICULTAS I.

De Univocis.

QUÆRITUR 1. *Quid sint Univoca?*

RESPONDETUR. Sic ea definit Arist. Univoca sunt, quorum & nomen commune est, & secundùm nomen eadem Substantiæ ratio: Ubi ut vides ad univocationem requiritur unitas nominis, & præter hoc convenientia in eadem essentia seu natura; qualis est convenientia specierum in nomine animal, & in nomine v. g. Homo, convenientia individuorum quæ sunt Petrus, Paulus &c. Quando verò Aristotel. dicit sub genere latere æquivocationes; per æquivocationes intellexit differentias, quæ componunt cum genere speciem, quibus tamen non obstantibus differentiis, seu æquivocationibus, potest dari adhuc ratio communis conveniendi sub uno nomine, adeoque Univoca.

QUÆRITUR 2. *Quæ sit Univocorum divisio?*

RESPONDETUR. Univoca alia sunt Univocata, seu participantia, alia sunt Univoca Univocantia, seu participata. Univoca Univocantia, seu participata, sunt ipsa illa nomina, & secundùm nomina, una Substantiæ ratio: v. g. Animal est univocum univocans, seu participatum; item ly Homo est univocum univocans, seu participatum, quod scilicet ab inferioribus participatur. Univoca autem Univocata seu participantia, sunt ipsa multa participantia idem nomen; & eandem naturam; & ita Petrus & Paulus sunt univoca univocata, seu participantia eandem rationem hominis. Item dividuntur univoca, in univoca substantialia, & univoca accidentalia. Univoca substantialia sunt, quæ conveniunt in una ratione essentiali; ut omnes homines in ratione Animalis sibi essentiali: Alia univoca sunt accidentalia, quæ conveniunt in una ratione accidentali; ut papyrus, nix, lac, in una ratione albi. Sed hæc divisio secunda, non est omnimodè ad mentem Philosophi; nam ille rationem illam communem, quæ participatur, substantiam appellat; ratio autem Substantiæ, accidentibus non convenit.

QUÆRITUR 3. *An univoca excludant disconvenientiam?*

RESPONDETUR. Excludere disconvenientiam univoca ex ratione nominis univoci, & ex ratione Substantiæ illo nomine significatæ; hinc in ratione Animalis, nullam habent disconvenientiam, Homo, Bos, Leo, &c. Cæterum univoca non excludunt disconvenientiam, quæ importetur ex alio nomine, rationeq; illo nomine significata, v. g. Bos, & Leo, disconveniunt in ratione rugibilis, & mugibilis, cùm sint univoca in ratione animalis.

DIFFICULTAS II.

De Æquivocis.

QUÆRITUR 1. *Quid sint Æquivoca?*

RESPOND. Arist. Æquivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò, ratio Substantiæ diversa, & ita nomen v. g. Canis, dictum de sidere, de latrabili, & de pisce marino, est nomen commune, sed ratio Substantiæ omninò diversa. Ly Nomen, accipiendum hic liberaliùs, sive pro verbo, sive pro quocunque alio termino, modò sive verbum, sive nomen, in quantùm dicitur commune, accipiatur in suppositione materiali, hoc est dictione ex literis composita; non verò accipiatur in suppositione formali; hoc est non accipiatur pro significato: certè enim latrabile significatum nomine Canis, non est commune nomen Sideri.

QUÆRITUR 2. *Quot sint æquivoca?*

RESPONDETUR. Dividuntur imprimis æquivoca in Æquivoca Æquivocantia & Æquivocata, proportionaliter intelligenda sicut ex-

plicui univoca, univocantia & univocata. Rursus æquivoca, alia sunt à casu, alia à Consilio, ex 7. Metaph. tex. 31. Æquivocum à casu est, quod sine ulla proportione unius ad aliud plura significat, ut cùm verbum Edo, significat comestionem, & evulgationem; alia sunt æquivoca à Consilio quæ cum proportione unius ad aliud, significant plura ut v. g. quia rabie, nocet & sidus, & latrabile, & piscis, ideò illis tribuitur nomen commune Canis, & hujus generis æquivoca, cum Analogis confunduntur.

Quæritur 3. *An æquivoca excludant omnem convenientiam?*

Respondetur. In ratione Substantiæ quæ nomine æquivoco significatur, excludunt omnem convenientiam; & ita ly Taurus dictum de Monte & Animali excludit omnem convenientiam. Cæterùm sub alio nomine possunt habere convenientiam v. g. sub ratione animalis corporis &c. Non nego tamen, quòd æquivoca conveniat in uno illo nomine, licèt illud nomen sit unum nonnisi in suppositione materiali, accipiendo scilicet dictionem pro ipsis literis; quantumvis non sit unum in suppositione formali; quia suppositio formalis, est ipsa significatio, quam unam, non habent æquivoca. Neque erit necesse ut unum nomen, uno materiali, & uno formali constet; potest enim nullo formali constare, & tamen esse unum nomen; sic Blictri, nihil significat, & tamen est unum nomen: cumque significatio sit forma accidentalis, & ex placito, non verò aliqua essentialis, ideò poterit vox, retenta sua unitate, nunc hoc, nunc illud significare. Quando verò Aristoteles 4. Metaph. cap. 2. tex. 11. docet, unum nomen unum significare, intelligendus est quòd dicat hoc de uno nomine, quod facit nos aliquid certi & determinati intelligere; aliàs si unum non significaret, nihil determinati significaret, hinc & non suspensè accipiuntur, nec in actu exercito, ut sunt æquivoca, seu exercent æquivocationem, aliàs definiri unâ definitione non possent; sed accipiuntur in actu signato, seu secundùm rationes communes omnibus æquivocis.

DIFFICULTAS II.

De Analogis.

Quæritur 1. *Quid & an sint Analoga?*

Respondetur. Analoga sunt, Quorum nomen commune est, ratio verò nomine significata, nec omninò eadem, nec omninò diversa. Sub qua ipsa definitione pro majori posita, subsumenda minor, sed dantur talia, ut patebit ex dicendis; ergo dantur Analoga. Voluit idem Aristoteles, qui licèt ea hîc intellexerit nonnisi sub nomine æquivocorum à Consilio, alibi tamen clarè illa ponit ut Imi Ethico, c. 6. 1. Post. tex. 23. 4. Metaph. tex. 2. 12. Metaph. tex. 22. Ostendit idem vis nominis: nam analogia latinis est proportio & convenientia in aliquo; dantur autem ita sibi proportionata, ita convenientia &c. Denique non omnia sunt ita diversa, ut in nullo conveniant; saltim enim convenirent in eo, quod non conveniant; dantur item non ita convenientia, quin etiam differant; aliàs auferetur prædicamentum differentiæ, & tamen possunt eodem nomine significari, cur non enim? ergo dantur analoga.

Dices. Si darentur Analoga, daretur medium inter Univoca & Æquivoca, si daretur medium inter Univoca & Æquivoca, daretur medium inter contradictoria; nam daretur medium inter omninò similia, quæ sunt Univoca, & omninò non similia, quæ sunt Æquivoca. Jam verò Analoga sunt partim similia, partim non similia.

Respondetur. Analoga esse medium inter Univoca & Æquivoca, sed non erunt medium inter contradictoria: quia omninò simile, & omninò non simile, sunt contraria, non contradictoria. Ratio: Quia utrumque extremum positivè significatur; & sicut datur medium inter omninò album, & omninò non album, hoc est nigrum, datur inquam medium, hoc est fuscum, ita in præsenti dari poterit. Contradictoria ergo nonnisi sunt omninò simile, non omninò simile; quo casu analoga non erunt medium, sed spectabunt ad negativum membrum, nempe non omninò simile. Quod si analoga non sunt medium, inter omninò simile & non omninò simile, hoc ipso non erunt medium inter contradictoria.

Addo 1. In quo stet ratio Analogiæ, & dico, quod stet in ratione conveniendi & disconveniendi, in ipsa ratione illo nomine significata, non verò in ratione alio nomine significata: hinc Animal non est Analogum, quia ratio differendi v. g. in rationalitate, est ratione formalitatis illi adjunctæ, & non significatæ nomine Animal. Sanum autem, dictum de pulsu, medicina, &c. est Analogum; quia indicatio sanitatis conveniens pulsui; causatio sanitatis, conveniens medicinæ, sani nomine appellatur.

Addo 2. Quæ sint fundamenta Analogiæ. 1. Est Transcendentia, quia Transcendens in quantùm est transeendens, est commune pluribus, & est ratio conveniendi; in quantùm autem identificatur formaliter differentiis, est ratio differendi. 2. Est Similitudo imperfecta. Ratio: quia ly similitudo, erit ratio communis, ly imperfecta, erit ratio differendi. 3. Est Ordo prioris & posterioris, ut voluit Aristoteles 3. Physicor: tex. 70. & 7. Metaph. tex. 14. & 15. & ratio est quia hic ordo, involvit dependentiam ab aliquo communi, quod erit ratio conveniendi; ratio autem prioris & posterioris, erit ratio differendi.

Addo

Addo 3. Quæ sint Signa Analogiæ. 1. Diversæ explicabilitas Copulæ; nam ly sanum, dictum de Animali, significat subjectum sanitatis; dictum de pulsu, significat indicare sanitatem; dictum de cibo, significat servari sanitatem &c. 2. Signum. Posse prædicari in sensu formali de pluribus differentibus. 3. Signum. De Uno dici propriè, de altero, minùs propriè; ut cum dicitur ly ridere de homine, & bruto.

Quæritur 2. *Quotuplicia sint Analoga?*

Respondetur. Dividuntur Analoga in Analoga Analogata, & Analoga Analogantia; quæ explicanda proportionaliter ad dicta de Univocis. Rursùs. Alia sunt intrinsecè participantia rationem nomine Analogo significatam alia extrinsecè, alia sunt Analogo nomine Metaphorico significata; ut cùm dicitur Risus de prato, & homine. Et alia sunt Analoga, in quibus nomine proprio significatur ratio Analoga. Famosa divisio est, in Analoga Attributionis, & Analoga Proportionis. Analoga attributionis sunt; Quorum nomen commune est, & ratio secundùm nomen, est eadem secundùm terminum, diversa secundùm habitudines ad illum. Sic Sanitas Animalis est terminus, sed habitudo ad hanc sanitatem, est diversa; vel habitudo Indicii, quam dicit pulsus sanus, vel habitudo causalitatis, quam dicit medicina &c. Hic terminus solet etiam appellari Principale Analogatum de quo illud axioma: Nomen analogum absolutè prolatum, stat pro principaliori seu famosiori analogato: Unde audito hoc nomine sanum, statim relucet in mente sanitas animalis. Proportionis autem Analoga sunt; quorum Nomen commune est, & secundùm illud nomen, ratio substantiæ proportionaliter eadem: sic v. g. ly Principium est Analogum, & dictum de linea habente principium, significabit extremum à quo incipit linea; si dicatur de corde, cor est principium, significabit quod sit principium vitæ. De priori Analogia agit Arist. 4. Met. tex. 2. De altera 1. Ethic. c. 6. 2. Poster. tex. 23. 5. Met. tex. 12. & 12. Met. tex. 22.

Addo 1. Quæ distinctio sit Analogorum Proportionis, ab analogis Attributionis. Est in hoc distinctio, quia Analoga Attributionis, unam rationem respiciunt, v. g. sanitatem animalis, respiciunt reliqua; de quibus dicitur sanitas. Proportionis autem Analoga, non respiciunt unam rationem, sed habent diversas rationes, proportionaliter tantum easdem; certè enim, alia ratio Principii in fonte, alia in corde, licet proportionaliter eadem. Deinde in Analogis Attributionis, est dependentia ab uno reliquorum Analogatorum, nulla autem est dependentia fontis à corde, cordis ab aurora &c.

Addo 2. Non omnem proportionem arguere analogiam; nam est proportio, cùm dico. Sicut se habet homo ad operationes sensandi, ita & leo ad operationes sensandi; & tamen hæc proportio est univoca non Analoga; sola ergo proportio secundùm idem nomen & rationem illo nomine significatam, arguit Analogiam.

Addo 3. Analoga Proportionis, quædam sunt Propria, quædam Impropria. Principium dictum de corde, & fonte, est Analogum Proprium; Risus autem dictus de prato, est Analogum Metaphoricum.

Quæritur 3. *Quid sentiendum de Analogis Inæqualitatis?* Hæc excogitavit & definivit Cajetàn. quod sint Analoga, quorum nomen commune est, & ratio secundùm illud nomen omninò eadem, inæqualiter tamen participata. Exemplificabat hoc Cajetan. in nomine Animal, quod secundùm se omnibus animalibus inest, sed pefectiùs homini. Sed hæc Analoga, si Metaphysicè spectentur, sunt Univoca. ratio est; quia ratio illa Animalis præcisè spectata, erit jam sine differentiis, à quibus hæ diversitates oriuntur; Unde licèt habeatur Ordo prioris & posterioris inter hominem v. g. & leonem; Ordo tamen hic, non arguet Analogiam, quia non est ordo dependentiæ, sed ordo dignitatis; Physicè tamen & materialiter si spectentur hæc Analoga inæqualitatis, transire potest, quòd sint Analoga; quia ratio generica, est idem physicè cum ratione differentiali v. g. rationalitatis, rationalitas autem dicit rationem perfectioris comparata v. g. ad rugibilitatem. Sunt & alia anteprædicamenta, quæ denominativa appellavit Aristot. sed de his egimus, ubi de ente rationis Logico. Reliqua videantur in Aristotele.

QUÆSTIO II.

De Prædicamentis.

Quæritur 1. *Quid sint?*

Responsum ad hoc adhuc in Dialectica, quod sint series Prædicatorum, deducta à summo genere, & species intermedias usque ad individua.

Quæritur 2. *Quot sint?*

Respondetur. Decem: ea in Dialectica numerantur, & eorum definitiones traduntur. Hæc divisio non est omninò exacta; Cæterùm ad finem à Divisoribus intentum sufficiens, hoc est ut assignentur modi essendi, quibus substantia vel est ipsa, vel alia sunt in ipsa, & eam afficiunt, tribuuntque ei denominationes. Ut tribuit Qualitas denominationem Qualis substantiæ. Quantitas denominationem quantæ. Ubi denominationem Locatæ &c. Non incommodè tamen, reliqua revocari possunt ad hæc decem prædicamenta; & ita denominationes extrinsecæ, v. g. Visum Cognitum &c. revocari possunt ad Actionem vel Passionem &c, Cælibatus autem, qui est carentia matrimonii, licèt

licèt non comprehendatur in decem his prædicamentis, sustineri tamen hæc divisio potest, quia scilicet hîc dividitur Ens; Carentia autem Matrimonii est non ens, hinc mirum non est, quod ad nullum prædicamentum, Cœlibatus revocetur.

QUÆRITUR 3. *Quænam ponantur in recta linea prædicamentali?*

RESPONDETUR. Hæ Conditiones ad ponendum aliquid in linea prædicamentali numerari solent. I. Ut sint Ens reale. II. Ut sit per modum per se stantis. III. Ut sit Ens per se, & saltem in confuso sui conceptu, non involvat pluralitatem; & sic Exercitus, quia inconfuso sui conceptu involvit pluralitatem, ad nullum certum revocatur prædicamentum; Vestitum autem revocatur ad prædicamentum habitus; quia saltem in rudi suo conceptu pluralitatem non involvit. IV. Ut rudi suo conceptu non sit Ens complexum. V. Ut sit ens finitum, id est ens creatum; Certè enim infinitum si crearetur, ad prædicamentum Quantitatis pertineret.

Hîc de Prædicamentis in particulari nihil agendum erit; Substantia enim ad Metaphysicam, Quantitas, Qualitas, &c. ad Physicam spectabunt; sola Relatio, ex communi consuetudine, hîc explicanda erit. De qua infra.

QUÆSTIO III.

De Post-prædicamentis.

QUÆRITUR 1. *Quid sint?*

RESPONDETUR. Postprædicamentorum nomine, veniunt voces quædam, quas explicat Aristot. post Tractatum de Prædicamentis.

QUÆRITUR 2. *Quod sint & quæ Postprædicamenta?*

RESPONDEO. Primum Postprædicamentum est; Oppositio, cujus oppositionis nomine, non venit oppositio complexa, de qua in secunda Operatione in Dialecticis, sed hic oppositionis nomine, venit Repugnantia ad se pertinentium; hoc est, quæ se excludunt, ut Nigredo, & Albedo; vel quæ se inferunt, ut est Pater & Filius. Secundum Postprædicamentum est; Prius. Quinque autem Modis aliquid est prius, ut Versiculi hi exprimunt:

Tempore, natura, prius Ordine, dic & honore
Et causa effectis dicitur esse prior.

Nihil hîc explicandum esset nisi Prioritas naturæ, sed de hac alibi. Tertium Post-prædicamentum est, Simul, atque alia sunt simul tempore, ut duo Coætanei; alia simul natura, scilicet ea, quæ ad convertentiam dicuntur, & unum non est causalitas alius. Quartum Postprædicamentum est, Motus, de quo in Physica. Quintum Post-prædicamentum est, Habere, sive illud habere sit Morale, ut habere Opes, Virtutes, &c. sive Physicum, hoc est, accipiendo, habitum pro vestitu; accipitur ergo habere hîc pro quocunque modo se habendi, adeoque non jam ita, ut accipitur pro Prædicamento, de quo consule Mastrium in Summulis.

DISPUTATIO VI.

De Prædicamentis in Particulari, & in Specie, de Relatione.

POst tractationem brevem de Prædicamentis in communi, deberet sequi tractatio de Prædicamentis in particulari, quæ si exacta dari deberet, absumeret quidquid in particulari aliæ scientiæ tractant, nunc de more Logici anni, attingetur Prædicamentum Relationis.

QUÆSTIO I.

De Existentia & Subjecto Relationis.

POno imprimis explicationem, Terminorum in hac materia usurpabilium.

FUNDAMENTUM, prout condistinguitur Subjecto, est causa seu ratio, propter quam, una res ad aliam refertur; & ita, vis productiva effectûs, est fundamentum, ut referatur causa ad effectum.

SUBJECTUM est istud extremum, quod continet istam causam, soletque appellari fundamentum remotum.

RATIO FUNDANDI est istud, quod complet subjectum, ut ad aliud referri possit, qualis est causalitas. Hæc tamen ratio fundandi, in relatione

relatione præcipuè transcendentali, indistinguitur à fundamento v. g. in Deo vis creandi est & fundamentum & ratio fundandi relationem transcendentalem in Deo ad creaturas.

Relatio est ipsa illa Formalitas, quæ facit unum referri ad aliud. Ita ut subjectum referatur ut Quod, Relatio ut Quo.

Correlativum, est quodlibet relativum mutuum.

Terminus est id, quod terminat relationem, qui non est idem cum correlativo; fieri enim potest, ut Terminus mutuo non referatur.

Quod attinet ad Existentiam & Subjectum Relationis. Non est dubium dari relationes rationis seu respectus, quos noster intellectus fabricat, quasi una res referatur ad aliam. Descendendo ad difficiliora.

Dicendum 1. *Dari Relationes Reales in Creatis.*

Probatur 1. Si Relationes Reales non darentur in Creatis, non darentur ex speciali repugnantia, hæc nulla ostendi potest, quæ enim illa? & certè si repugnarent Relationes reales in Creatis, vel repugnarent ex ratione Relationis, & hoc non; quia nec in divinis darentur, nec repugnant ex vi Realis relationis creatæ; quia reliqua prædicata in Creaturis possunt componi cum prædicato Realis, ut patet in Substantiis, accidentibus realibus. Ergo componi poterit cum realitate in Creatis, & Relatio realis.

Probatur 2. Dantur in divinis Relationes reales, Paternitatis, Filiationis, Spirationis, ut fides docet; Ergo dabuntur Creatis; nam ex una parte referri ad aliud non arguit infinitatem perfectionis; ex altera, ideò dantur in divinis relationes reales, quia illic est verè Pater, qui verè generat Filium, hoc autem reperitur etiam in Creatis.

Respondebis. Relationes in divinis sunt Substantiæ, in Creatis autem deberent esse Accidentia.

Contra. Tum quia non omnes in Creatis Relationes sunt accidentia, unde non sunt Accidentia Relationes transcendentales; ergo saltem illæ dabuntur. Tum quia hæ rationes quæ sunt in Deo substantiæ, possunt esse Accidentia in Creatis, ut ratio sapientiæ, ratio sanctitatis. Ergo etiam poterunt in Creatis esse accidentia, quæ in divinis sunt substantiæ. Tum quia non repugnat Relationem esse, & tamen accidens esse.

Probatur 3. Vel nemine cogitante, bicubitum est æquale alteri bicubito, vel nemine cogitante non est æquale; si nemine cogitante non est æquale, ergo apparet alterum non esse bicubitum, adeoque non stas in suppositione argumenti: imò sequitur, bicubitum nunquam posse esse æquale alteri bicubito; non est enim æquale nemine cogitante, ut asseris; nec potest esse æquale aliquo cogitante; quia cogitatio non addit molem. Si autem bicubitum nemine cogitante est æquale alteri bicubito, ergo habet rationem æqualitatis, à qua denominatur æquale. Ergo ulterius datur aliqua Relatio æqualis; æqualitatis enim nomine venit ipsa Relatio realis.

Objicitur 1. Entia sine necessitate non dantur; Relationes reales sunt entia sine necessitate; nam & nullam dicunt perfectionem, & si Relatio Domini ad Servum potest esse, & non esse realis, ergo idem dicendum de reliquis.

Respondetur. Cum Fons. quòd relatio nullam dicat perfectionem, quæ sit principium aliquid agendi vel patiendi; dicit tamen relatio perfectionem purè formalem, quia denominat subjectum, & est ratio referendi, ut Quo, perficitque subjectum, non in se, sed in ordine ut sit ad aliud, & sicut character manens post mortem, non est quid otiosum, quamvis nec agendi, nec patiendi sit principium, ita & in præsenti. Quod attinet, ad relationem Domini ad servum. Dominium hîc duplex cogitari poterit, naturale quoddam', & *est supra eos, quorum* ut inquit Aristotel. 1. Polit. cap. 2. *est opus in corporis usum*, tale dominium est in bruta & sapientum in rudes: aliud est dominium morale seu ex pacto, quo se unus subdit alteri; prius illud dominium est reale, fundatque Relationem realem; quia & ratio fundandi est Realis; fundatur enim in conditione naturali extremorum. Secundum dominium non est reale; non fundatur enim in conditione naturali extremorum, præterque ipsos Voluntatis actus, nihil ibi reale ostendi poterit; non est etiam Realis Relatio inter Magistrum & Discipulum, si hîc nihil eum docuerit, hic nihil didicerit; sed non sequitur relationem non fore realem si hîc revera docuerit, iste didicerit.

Objicitur 2. Relatio nullam dicit perfectionem, ergo non potest esse realis. Antec. probatur. Si diceret Relatio aliquam perfectionem, tunc Pater æternus habens relationem Paternitatis ad Filium haberet aliquam perfectionem, quam non haberet Filius.

Respondetur. Hanc perfectionem quam habet Pater, æquivalenter haberi à Filio; partim quia habet perfectionem essentiæ divinæ, omnes illas perfectiones relativas eminenter complectentem; partim quia habet Relationem Filiationis, quæ æquivalet relationi Paternitatis.

Objicitur 3. Comparatio unius ad aliud, est actus intellectûs, & non reale aliquid; sed omnis Relatio est comparatio, ergo omnis Relatio est actus intellectûs;

Respon-

Respondetur. Comparationem formalem esse actum intellectûs, sed non comparationem objectivam.

Dicendum 2. *Dari in Deo relationes reales ad Creaturas.* Ita Hurt. d. 15. Met. s. 2. n. 19. quoad relativum prædicamentum. Contra non paucos.

Probatur 1. Ante omnem operationem Intellectûs, vel Deus est Creatura, vel non creatura, vel neque Creatura, neque non Creatura, non primum; quia aliàs Deus ante omnem operationem esset non Deus, siquidem esset Creatura; non tertium, quia ante omnem operationem Deus abstraheret à ratione Dei, & non Dei; cùm æquè sit intrinseca Deo ratio Deitatis, atque ratio Increati, à qua tamen per te Deus præscinderet; non secundum; quia si Deus ante omnem operationem Intellectûs non est Creatura, ergo est quid diversum, seu dissimile Creaturæ; ergo ulterius dicit Relationem dissimilitudinis ad Creaturam; ergo denique dicit aliquam realem relationem, realiter enim est dissimilis Creaturæ.

Probatur 2. Dantur Relationes reales in Creaturis, ergo dabuntur Relationes Dei ad Creaturas, ob paritatem Rationis.

Probatur 3. Quia si saltem per impossibile Deus haberet, quicquid requiritur ad relationem realem ad Creaturas, referretur ad Creaturas; sed de facto id habet. Nam si saltem per impossibile referretur ad Creaturas, deberet esse extremum quod referretur, seu subjectum, & hoc habetur nempe esse Dei; deberet haberi ratio fundandi, & hæc de facto habetur, scilicet conservatio, creatio, deberet habere terminum, & hic est esse vel possibilitas Creaturarum.

Dicendum 3. *Dari etiam Relationes Creaturarum ad Deum.*

Probatur iisdem Rationibus proportionaliter aptatis.

Respondebis 1. Sufficit ad hoc Relatio rationis, aut quod fundamentaliter dicat relationem.

Contra. Quia non per meam rationem Deus non est creatura, ergo nec per meam rationem dicet relationem dissimilitudinis à creatura. Item non fundamentaliter est non creatura, sed formaliter; ergo formaliter dicet relationem dissimilitudinis.

Respondebis 2. Potest Deus aliquid velle, sine ulla sui mutatione, ergo & esse dissimilis sine relatione.

Contra. Quia prius illud in Deo argueret imperfectionem, Deus enim mutari non potest; esse autem dissimilem creaturæ non arguit imperfectionem; consequenter nec referri relatione dissimilitudinis, arguet imperfectionem, cùm relatio dissimilitudinis, nihil sit in re, præter dissimile.

Respondet 3. Mastrius. Deum non esse Creatorem realiter, & non esse distinctam relationem Creatoris à Creatura intrinsecè, & subjectivè, sed solum extrinsecè, & terminativè, quatenus realiter terminatio passiva terminatur in Creatura existenti: docetque ulterius posse fieri, ut relatio Creaturæ, denominet Deum Creatorem, & tamen non sit in Deo subjectivè hæc relatio; ad eum modum quo visio subjectivè est in oculo, terminativè, est in visibili, & tamen visum, denominatur à visione, ad quam nonnisi terminativè se habet. Poterit ergo consequenter Creatio passiva, Deum, Creatorem; & Creaturam, denominare Creaturam.

Contra. Tum quia redit argumentum factum; nam negatio Creaturæ Deo competens, nullo modo intrinsecè, & subjectivè est in Creatura. Tum quia in re, relatio est ipsemet Deus Creator, connotans Creaturam; esse autem Deum Creatorem, non recipitur intrinsecè, & subjectivè in Creatura. Tum quia Creationi passivæ, vel respondet vis creativa, vel non respondet, idque ante omnem operationem intellectûs; si non respondet, ergo datur passio sine actione; si respondet, ergo jam erit relatio Creatoris intrinsecè ad Creaturam; nihil enim volumus plus esse in re hanc relationem, præter vim in Deo creandi subjectivè, & intrinsecè existentem, & passivam Creationem Creaturæ. Tum quia durum est dicere Deum non esse Creatorem realiter, æquè ac dicere, non esse sapientem realiter. Instantia de visione, non tenet; nam cum esse visi, non supponat vim videndi in viso, potest non esse subjectivè & intrinsecè in viso; jam autem relatio Creatoris; supponit vim creandi, intrinsecè, & subjectivè in Deo. Rursûs non nego, quòd visio denominare possit & videntem, & visibile; sed nego, quod visibilitati passivæ, non respondeat visio activa, idque extra visibile; consequenter nego, Creationi passivæ, non respondere in Deo vim creativam, à qua denominetur Creator, licèt Creatoris ratio, terminetur ad Creaturam; consequenter erit intrinsecè, & subjectivè relatio Creatoris in Deo, utpote sequens vim creandi, cui daretur illa relatio. Tum quia Creatio activa, non potest denominare Creaturam, nisi terminativè, quia terminatur ad Creaturam, sed tantùm creatio activa, denominat Creatorem: Ergo nec passiva Creatio, denominabit Creatorem, licèt respiciat Creatorem; ita, sicut Filiatio non denominat Patrem, licèt terminetur ad Patrem; & si relatio Paternitatis non est necesse ut ponatur intrinsecè, & subjectivè in Filio, imò nec poni potest, ita nec relatio Creatoris, poterit intrinsecè poni.

Objicitur 1. ex Scoto. Deus est perfectè simplex, nihilque est in eo, quod non est ipsum; Ergò relationes Deus novas ad Creaturam dicere non potest.

Respon-

Respondetur. DEUM non posse dicere relationes novas, quæ sint novæ secundùm id, quod dicunt in recto, licet sint novæ secundum id quod dicunt in obliquo; de quo actum in Connotatis.

Objicitur II. Si daretur in DEO relatio realis ad Creaturas, coexigeret illas, coëxigere non potest, quia dependeret ab illis.

Respondetur. Quòd non sit imperfectio dependere ab alio, tanquam à termino, seu tanquam eo, quod indiget DEO, cujus ille indigentiam explere possit; licèt sit imperfectio, dependere ab alio, dependentiâ causalitatis, perfectivi, &c.

Instabis. Ex iis quæ opponit Maurus hic q. 63. Esse absolutum, est esse non connexum cum alio esse, & tale ut possit esse, sine quolibet alio esse; è converso, esse relativum, est esse connexum, cum alio esse, & quod dari non potest sine alio esse; sed divina essentia & perfectio debet habere esse non connexum cum alio ullo esse, adeoq; excludere omnem relationem. Deinde licet divina essentia sit potentia omnis producibilis, scientia omnis scibilis, tamen producibile, & scibile creatum, non habet necessariò, & ab æterno ullam productibilitatem, & intelligibilitatem, nisi per denominationem purè extrinsecam, à divina potentia, & scientia.

Respondetur. Neg. Minorem, An autem ipsa producibilitas, & intelligibilitas passiva, habeatur in objectis creatis? actum ubi de Possibilitate. Rursus cum detur possibilitas passiva potentialis in Creaturis, cur saltim ad illam non erit relatio transcendentalis divina? præcipuè cum relatio transcendentalis non exigat existentiam actualem sui termini, sed terminationem solam actualem, quæ exerceri possit sine existentia. Ex dictis etiam aptari, posset responsio & distinctio, quòd divina essentia habeat esse connexum cum Creaturis, tanquam cum termino perfectibili indigente se, non habet autem connexum cum Creatura, tanquam à qua dependeat, dependentiâ causalitatis perfectivi &c. in priori autem nexu non tantum nulla est imperfectio, sed potiùs statuitur perfectio DEI.

Objicitur III. Etiamsi omnis Creatura repugnaret, adhuc Deus esset possibilis; necessarium enim non coexegit esse contingentis, ergò DEUS non dicit relationem ad Creaturam.

Respondetur. Quod necessarium possit coexigere esse contingentis, tanquam termini, & ejus quod indiget necesario.

Instabis. Ergò non magis esset necessaria existentia DEI, quàm saltim possibilitas Creaturarum; implicat enim aliquid exigere ad sui existentiam aliud, & tamen illo, esse magis in existendo necesarium.

Respondetur. Implicare ut aliquid exigat ad sui existentiam, coexistentiam alius, exigentiâ causæ, & tamen illo esse magis in existendo necesarium, licèt id fieri possit, si sit exigentiâ solius termini, & tanquam se indigentis, dicentisque ordinem effectus ad causam.

Objicitur IV. Mastrius, negans tales Relationes, quia relationes istæ, vel darentur, in DEO novæ, vel ab æterno: non novæ, quia enim DEUS perfectè simplex est, nihil est in eo, quod non sit ipsum. Ergò Relatio nova in DEO ad Creaturas, nequit admitti in tempore, cum veram compositionem faceret cum eo; non etiam darentur ab æterno, quia perfecta necessitas esse divini, est ex se esse tale, quod non variabitur ejus esse, quacunque hypothesi posita, sive possibili, sive impossibili circa aliud à se, quia alia non sunt necesaria, nisi secundario, ergò nulla potest in eo admitti realitas, neque in tempore, neque ab æterno.

Respondetur. Si sumatur argumentum ut sonat, Concedo totum; neque enim per nos relatio sive in tempore, sive ab æterno est aliqua realitas, superaddita ei quod refertur. Ad Objectionem attendendo, potest in DEO dari nova relatio, novitate alicujus extrinseci intrinsecè requisiti, sed non novitate ejus, quod dicit illa relatio pro subjecto, hoc enim est DEUS sibi non novus. Dantur etiam in DEO relationes ab æterno; necessitas autem esse divini facit quidem, ut quacunque positâ suppositione impossibili, non mutetur physicè DEUS, quia ejus existentia non pendet à nostris intentionibus; sed non facit ne intelligatur DEUS mutari suppositâ aliquâ suppositione impossibili.

Quod attinet ad 1y, Creaturæ sunt necesariæ secundario; indubiè est verum, quia illarum quoad possibilitatem necessitas, non est necessitas conjuncta necessitati absolutè existendi; deinde quia illarum necesitas, dicit intrinsecè in se imbibitam indigentiam DEI, sed non est hoc sensu secundaria necesitas, quasi sit re ipsâ variabilis.

Instat Idem. Si DEUS esset necessario coexigens aliud à se, non esset DEUS, illo coexigito non existente; sed Relatio realis de necesitate coexigit ad suum esse terminum ejus, ergo in DEO, salva ejus indemnitate, constitui nequit relatio realis ad aliud à se.

Respondetur. Si DEUS coexigeret necesario aliquid coexistens, illo non coexistente, non esset DEUS; sed negamus necesario coexigere Deum aliquid existens; nam quod attinet ad relationes æternas Dei ad Creaturam, illæ non exigunt existentiam termini utpote Transcendentales; Relationes

autem temporaneæ seu Prædicamentales; non sunt necessariæ, nisi ex suppositione existentiæ.

Objicitur. V. Creatura etiam quoad esse possibile considerata, adhuc non est in eo gradu necessitatis, in quo est DEUS; semper enim ejus necessitas, erit participata. Ergo ad Creaturam etiam in tali statu necessitatis consideratam, admitti non debet Relatio Realis, quia DEUS esset, etiamsi omnis Creatura repugnaret.

Respondetur. Cum necessitas prædicatorum DEI involvat necessitatem existendi, necessitatem item, ut eâ, etiam possibilis Creatura ad existendum indigeat, consurgit exinde major necessitas divina; sed inde non sequitur DEUM non posse referri ad aliquid, secundario necessarium. Negatur item repugnante Creatura, fore DEUM, de quo alibi.

Instabis. Necessarium non coexigit ad suum esse, contingens. Ergo neque magis necessarium, quod est DEUS; pendet in suo esse, à minus necessario, aliàs si concedatur magis necessarium posse deficere, minus necessario deficiente, & è contra, jam illa duo essent æqualis necessitatis.

Respondetur. Antecedens esse falsum; quia à necessario licèt non exigatur contingens, tanquam pars compositiva, tanquam identificabile, tanquam causa, exigitur tamen tanquam terminus & effectus; ut, cum anima quæ est substantialis, exigit actiones, & operationes suas, tanquam terminum & effectum. Pendebitque etiam DEUS à minus necessario, sed pendentia impropriâ, id est, tanquam à termino; & licèt deficiente possibilitate deficiat DEUS, non sequitur æque esse necessariam Creaturam, ac DEUM; quia deficere est malum, adeoq; potest haberi ex singulis defectibus; sed esse necessarium est bonum, adeoque ex integra causa; quæ integra causa non competit possibilitati; quia possibilitas Creaturæ, non dicit necessitatem existentiæ sed dicit imbibitam dependentiam à DEO, ejusque indigentiam.

QVÆSTIO II.

De Quidditate Relationis.

Displicuit Aristoteli veterum definitio, quam relativis dabant, eratque talis: Relativa sunt, quæcunque & ipsa quæ sunt alia, esse dicuntur, & quomodo libet aliter ad alterum. Rejicit illam, quia convenit etiam relationibus Rationis, ut patet ex termino, Quomodolibet, & ex termino, Dicitur. Adfert propriam Aristoteles de qua sit.

DIFFICULTAS I.

Quid Definitivè Relatio?

Dicendum Est. *Benè definiri Relativa.* Relativa sunt quorum hoc ipsum est esse, ad aliud se habere. ubi ut vides relativa in concreto definiuntur. Relatio in abstracto definitur à Suar. Est accidens reale, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Dicitur relatio accidens Reale, non quia est quid realiter distinctum à subjecto, sed quia est ratio extraessentialis, nemine cogitante conveniens subjecto. Cæterum quia relationes transcendentales non sunt Accidentia, utpote secundò essentiales, hinc ut ratio communis definitiva Relationis tradatur, sic poterit formari cum Hurt. Relatio est formalitas, cujus totum esse, est ad aliud se habere.

Probatur I. Auctoritate Aristotelis.

Probatur II. Convenit omni, soli, & semper, proceditq; per prima in hoc genere.

Probatur III. Tota hæc definitio duo complectitur: quod Relationis Esse est ad aliud, & quod totum illius esse, sit ad aliud. Quoad primam partem probatur: quia si Relationis esse, non esset ad aliud se habere, & esset relatio, ut supponitur, & non esset Relatio; quia cum nihil referatur ad seipsum, non referretur ad aliud, ut dicis, & tamen relatio referre debet, cum sit ipsa referentia, seu ratio referendi. Secunda pars probatur. quia si non totum esse relationis esset ad aliud se habere, nonnisi pars aliqua referret se ad aliud, alia non referret hæc autem, hoc ipso, quia se non referret, non esset, ex probatis immediatè, de linea Relationis.

Objicitur I. Relatio definiri in communi non potest. Ergò prædicta definitio est mala. Antecedens probatur: quia definiretur, per esse ad aliud; illud aliud vel esset relativum, vel absolutum, si relativum, ergò relativum referretur ad seipsum, cum referatur ad relativum, nihil autem verè & realiter refertur ad seipsum; si autem illud aliud est quid absolutum, ergò supremum genus prædicamenti Relationis non erit, unum, sed duo, unum Relativum & aliud absolutum, ad quod relativum illud in communi, referretur.

Respondetur. Quod ly aliud significet absolutum; nec sequetur esse duo genera prædicamenti relationis, quia non est accipiendum ex una parte, relativum in communi, & ex altera illud aliud ad quod refertur, sed simul hæc debent accipi: quod autem illud aliud ad quod refertur relativum in communi, sit quid absolutum ratio est, quia infra dicetur, relationes terminari ad absolutum;

tum; eritq; genus unum, sed cum habitudine ad aliud.

Objicitur II. Illud esse ad aliud, vel est aliud realiter, & sic excludentur relationes rationis; vel aliud ratione, & sic excluderentur relationes reales; Ergò per se relatio ut sic, definiri non potest.

Respondetur. Ly ad aliud sumi pro ratione communi ad utrumque membrum, si fortè mereatur nomen relationis, relatio, quæ est per rationem.

Objicitur III. Si relationis totum esse est ad aliud se habere, relatio deberet excludere Esse In, si excludit esse In, ergò excludit rationem accidentis, quam excludere saltim relatio prædicamentalis non potest.

Respondetur. Quod relationis totum esse differentiale, sit ad aliud se habere, licèt tanquam rationem genericam dicat Esse In, saltem relatio prædicamentalis.

Instabis. Ergò relatio partim dicit Esse, In, partim esse Ad, ergò erit Ens per accidens, cum ex duobus, quorum neutrum est actus, neutrum potentia, Ens per se, fieri non possit.

Respondetur. Quod relatio metaphysicè partim dicat In, partim Ad, sed non physicè, quia hæc in relatione non distinguuntur realiter, Deinde in Metaphysica consideratione, Esse In, erit per modum potentiæ Metaphysicæ, esse Ad, per modum actus; unde per prius se habebit esse In, per posterius esse Ad, posterius inquam, si comparetur ad esse Ad; est enim esse In, magis universalis formalitas, adeoq; prior; sed non posterius aliis formalitatibus in relatione spectabilibus, nulla enim datur in hoc genere prior, consequenter esse Ad non se habet ut Risibilitas in homine, quæ supponit quid prius in illo, nempe rationalitatem, esse autem Ad, nihil differentiale prius supponit.

Objicitur IV. Illud Esse ad aliud, vel est esse ad aliud actu, & hoc non potest dici, nam nullum accidens definitur per actu afficere, sed per aptitudinem afficiendi actu subjectum: non etiam definitur per Esse ad aptitudinale, quia dicerem etiam modos definiri per aptitudinalem determinativitatem.

Respondetur. Definiri relationem per esse actu, probatio illius infringitur in modis, qui non aptitudine determinant, in quantitate, quæ non dicit aptitudinalem extreitatem partium in ordine ad se, sed actualem extreitatem.

Instabis. Homo non definitur per actum ratiocinandi, sed per aptitudinem ratiocinari, Ergò & relativa, debent definiri per aptitudinale Esse ad.

Respondetur. Actus ratiocinandi est effectus, ut ita dicam ipsius rationalitatis, (quæ in homine non est aptitudinalis; alias homo non esset actu, sed aptitudine Homo) si autem est effectus rationalitatis, non potest esse definitivus rationalitatis, jam autem esse ad aliud actu, non est effectus alicujus prioris actualitatis. Rursus aliter se habet actus ratiocinandi ad potentiam ratiocinandi, & aliter se habet Esse ad, ad relationem. Nam imprimis experientia ostendit, esse defectum actualis rationis in pueris amentibus, &c. qui defectus ipsius esse Ad, actualis, non potest ostendi in relatione. Rursus quia potest ostendi per quid transeat potentia ratiocinandi, ad actum ratiocinandi, nempe per Verbum mentis de novo productum, non potest autem ostendi, per quid transiret relatio ad Esse actus referentis; si enim per aliam relationem transiret, rediret difficultas, de illa secunda, per aptitudinale nè Esse ad, definiretur, an per actuale, si per aptitudinale, ergò deberet per aliam relationem referri, & sic in infinitum. si per actuale, ergò & prior relatio, per esse Ad actuale definiri poterit. Est quidem verum, quod albedo non definiatur per facere subjectum actu album, sed in hoc duo sunt partienda; nam ipsa albedo, non est potentia, sed actu albedo, & ita relatio etiam non deberet esse potentiâ esse Ad aliud, sed actu. aliud autem, quod partiendum est, nempe ipsum dealbare, quod dealbare, non pendet à sola albedine, sed etiam à subjecto apto; hinc albedo per actu dealbare, non potest definiri, cum non sit actu subjectum illud; jam autem ad esse Ad aliud, quando jam habebitur fundamentum, subjectum, ratio fundandi, & terminus, nihil aliud requiritur. consequenter poterit per esse Ad actu definiri.

Quanquam dici etiam posset, quod cùm possent relativa concipi per modum actu relatorum, & per modum referibilium potentiâ, si cætera desint, posset quis dicere, definiri hic relationem per esse Ad, commune ad Esse actuale Ad, & aptitudinale, licèt si jam detur fundamentum Relationis cum ratione fundandi, non possit dicere, nisi esse Ad actuale.

Objicitur V. Potest concipi paternitas Divina, ut constituens primam Personam, priusquam concipiatur referens Patrem ad Filium, ergò de ratione relationis, non est actu referre.

Respondetur. In nostris principiis; relationes non constituunt personas, sed origines, unde negatur antecedens. In aliorum principiis dicit Suar. posse fieri ut relatio concipiatur, tanquam forma afficiens subjectum, & non concipiatur distinctè secundùm suum totum esse adeoq; secundùm esse Ad. Addo non agi hìc de Conceptibilitatibus.

DIFFICULTAS II.

Quid sit in re apud alios Relatio?

REs erit de Relatione prædicamentali, quam Thomistæ, & Scotistæ dicunt rem, alii modum Entitativum, alii formalitatem ex natura rei nemine cogitante distinctam.

Punctum Difficultatis I.

An Relatio sit quid distinctum re?

DICENDUM EST. *Relationem non esse realiter distinctam à Fundamento, cum Ratione fundandi sumpto, & Termino.* Ita Suar. Hurt. Arilt. Oviedo.

PROBATUR I. Auctoritate Arist. 5. Metaph. tex. 20. ubi dicit: *Similia verò quorum Qualitas est una.* Ex quo principio sic arguitur; Posito pariete albo Romæ, & alio Cracoviæ, & non posità relatione, quæ per oppositos, ab his extremis distincta realiter, vel illi duo parietes habebunt eandem Qualitatem, vel non habebunt: si non habebunt, ergò uterque non est albus, quod est contra suppositionem. Et certè Relatio superaddita, non est dealbativa parietis, ergò apparet parietem illum esse album, ante omnem superadditam Relationem: si uterque eandem Qualitatem habet, ergò sunt similes, absque omni superaddito, similia enim sunt ex Aristotele, quorum Qualitas est una. *Idem sic proponitur*: Supponamus quod Cajus genuerit Personium, supponamus annihilari illam relationem Paternitatis superadditam, quæro: annihilato superaddito vel verum est, quod Personius acceperit esse, per veram generationem à Cajo, vel non est verum, quod acceperit ab illo esse: Si est verum; ergò independenter, à superaddita relatione Cajus est Pater, & Personius est Filius; ergò etiam tunc, referentur ad se, cum per relationem paternitatis, nihil intelligatur, nisi quod hic, sit hujus Filii, Pater; si autem sublatâ superadditâ relatione, non est verum, quòd per veram generationem Cajus dederit Esse Personio, Ergò quod tu negas, relatio Paternitatis, erit ipsum Esse Patris, habentis Filium, quod probatur. Quando annihilatâ relatione superadditâ, annihilatur ipsum esse Patris, sequitur relationem superadditam esse idem cum Entitate Patris; sicut si annihilato Jacobo, hoc ipso annihilatur Petrus, sequitur Jacobum & Petrum, esse idem entitativè, præcipuè cum annihilatio illa non foret ex connexione aliqua, simili ei, quæ est inter Causam, & Effectum possibilem, sed annihilata relatione, annihilatur esse Patris, quia annihilatur id quod dedit esse per Veram Generationem. Ergò sequitur relationem superadditam esse idem cum entitate Patris, quod negabatur.

RESPONDET I. Mastrius. Fore tunc similitudinem nonnisi fundamentalem, itemq; Paternitatem nonnisi fundamentalem, non autem formalem; sicut passim inquit dicimus, sublata subsistentia non esse formaliter subsistentem, sed tantùm fundamentaliter, ac etiam humanitatem præcisâ risibilitate, remanere risibilem tantùm fundamentaliter.

CONTRA. Tum quia ut urget Hurt. duo similia fundamentaliter, sunt formaliter similia; illa enim sunt formaliter similia, in quorum uno, est formaliter qualitas formaliter talis, qualis est in alio, hoc enim vult definitio Arist. suppositio autem ponit, & hunc & illum habere albedinem. Tum quia ut urget Arriaga ponendæ hujus duplicis similitudinis, nullum est fundamentum à priori, quod enim? nullum & à posteriori, quia ad hoc neque per experientiam devenimus, nec per effectum, dicamq; quod præter corpus & animam rationalem, eorumq; unionem, requiratur forma superaddita realis Hominis. Tum quia in principiis Scotistarum, relationes transcendentales non sunt distinctæ formaliter à fundamento & Termino, nec est in illis, partiri fundamentum & formalem relationem. Ergò idem dicam in præsenti; in ipsaq; formali relatione, non est ponere non nisi fundamentalem relationem, Ergò & aliàs non erit ponere fundamentaliter similitudinem. Quod attinet ad instantiam de subsistentia, potest ostendi quid obsit, ne dicatur tunc natura formaliter subsistens, nempe per illos positio unionis, cum perfectiori; in præsenti autem non potest ostendi, posità Qualitate duorum eâdem, quid desit ad formalem relationem; & sicut posità naturâ, & negatione, unioniscum perfectiori non est necesse ponere superadditam realem formam subsistentiæ, nec est necesse ponere quòd posità naturâ, & dictâ negatione, sit solum fundamentaliter subsistens natura, ita & in præsenti. Quod attinet ad risibilitatem præcisam, illâ præcisâ non intelligetur quidem formaliter risibilis homo, erit tamen in re formaliter risibilis, hinc ita arguitur, non datur ulla formalis risibilitas, quâ præcisa, non sit homo in re formaliter risibilis. Ergò neque dabitur formalis similitudo, quâ præcisâ, in re non sit adhuc simile formaliter. Addo sunt aliqua, quæ non sunt formaliter talia, nisi ratione superadditæ Entitatis, v. g. nihil est formaliter album, sine superadditâ formaliter albedine, realiter distincta: Alia sunt formaliter talia, sine superadditâ entitate, v. g. homo est risibilis, sine superaddita realiter risibilitate. aut quodcunque aliud pone exemplum. Quæcun-

que

que ergò dabitur taxa dignoscendi, quodnam formale possit salvari, sine superadditâ entitate, idem salvabit, non esse superadditam entitativè rationem formalem relationis. Taxa inter alias. hæc potest esse, quando nihil minus habet illud fundamentale, quàm habeat formale superadditum, signum est non dari illud superadditum, jam enim habetur præidentificatum. Hoc autem est in præsenti; nihil enim minus habet, Fundamentalis similitudo, præ Formali, superadditâ. Hoc enim ipsum quod non minùs habeat (exceptâ Entitate de qua lis est superaddenda) fundamentalis relatio præ formali, signum est identitatis; quia habere, hoc quod aliud habet, est signum, hoc esse, esse, hoc esse.

Respondet II. Mastrius: Hunc effectum qui est dicere habitudinem ad aliud, non posse haberi ab entitate absoluta, adeoq; & debere haberi ab entitate relativi;

Contra. Nego habitudinem ad aliud non posse haberi ab entitate absoluta, in circumstantia termini, & rationis fundandi positâ.

Respondet Idem III. Quando Aristoteles dicit, quod similia sint, quorum Qualitas eadem, (in qua auctoritate argumentum datum fundatur) definit Relationem per fundamentum; quia cum relatio inse sit minimæ Entitatis aut intelligibilitatis, faciliùs per fundamenta dignoscitur & definitur.

Contra. Tum quia nullum fundamentum adfertur, quod illic non definiatur, ut est relatio, adeoq; quod in re, non sit relatio v. g. duæ Qualitates. Tum quia si est minimæ entitatis & intelligibilitatis, intelligiturq; v. g. similitudo per duas Qualitates, cur non dicetur etiam illis Qualitatibus identificata similitudo. Tum quia definitio indistinguitur realiter à re definita. Ergò si relatio definitur per illa duo, erit illa duo.

Probatur II. Auctoritate S. Th. q. 7. de poten. a. 8. Item op. 48. tr. 5. c. 2. ait Similitudo Sortis, non est aliqua res in Sorte, alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo, ut se habet ad albedinem Platonis. Ejusdem locain oppositũ explicat Hurt. d. 15. Metaph. s. 2.

Probatur III. Nulla est necessitas superaddendæ realiter distinctæ relationis. Confirmatur communiter; quia non posset ostendi agens quod esset productivum similitudinis distinctæ.

Respondent I. Aliqui cum Rub. quod distantia impediat, ne aliquid producatur absolutum, non impedit, ut producatur relativum; consequenter, paries albus Cracoviæ, producet similitudinem in pariete albo Romæ, cum fundamentum relationem producat, actione Metaphysica, non Physica.

Contra. Distantia impedit, ne quid producatur absolutum in distanti; ergò etiam impediet, ne quid relativum producatur, & si producitur actione Metaphysica, relatio à fundamento, hoc ipso nec erit distincta realiter; sicut quia à rationalitate producitur risibilitas actione Metaphysicâ, risibilitas, nõ est à rationali distincta realiter.

Respondet II. Mastrius. Produci relationem ab ipso fundamento, posito tamen termino, velut conditione necessaria, quamvis ille terminus non influat physicè, tamen requiretur ad productionem relationis, eo modo, quo requiritur actus Intellectûs, ad producendum actum Voluntatis, licèt in eum non influat physicè.

Contra. Posito albo pariete Romæ de novo, quæro quid parietem Cracoviæ existentem determinabit, ut procedat ad effundendam relationem realem? cum fundamentum nesciat, an sit, vel non, in rerum natura ille paries.

Responderi Posset III. ex Ovied. Quod sit in entitate fundamenti exigentia, quia exigit à DEO concursum ad productionem novæ Relationis, si fortè ponatur terminus.

Contra. Concedo quidem præsuppositâ tali exigentiâ, sufficientem fore determinationem, per oblationem novi concursus, sed hujus ipsius exigentiæ ponendæ, nullum adest fundamentum, urgetq; Ovied. sequi quod DEUS possit formalitatem relationis producere sine termino; potest enim DEUS præstare concursum, ultra exigentiam fundamenti. Denique recurrere ad DEUM sine necessitate, Philosophicum non est.

Punctum Difficultatis 2.

Fundamenta Oppositorum.

Objicitur I. Potest adesse, & abesse à fundamento relatio. Ergò relatio est accidens realiter distinctum. Antecedens probatur. Si existat Terminus, erit relatio, si tollatur terminus, non erit. Ergò.

Respondetur. Potest adesse, & abesse relatio à fundamento, in circumstantia termini posito, negatur. Extra hanc circumstantiam. Concedo. Conclusio autem identificat relationem fundamento, in circumstantia Termini posito.

Objicitur II. Omnis denominatio positiva, nova, & realis, debet provenire à forma nova, positiva, & reali, sed denominatio v. g. similis in albedine, est denominatio nova, positiva, & realis. Ergò. Sed hæc forma, est relatio, ergò illa est novum quid, positivum, & reale.

Respondetur. Denominationem novam, positivam, & realem, si sit realis rigorosè, debere provenire à forma reali rigorosa, si autem sit realis non rigorosè, hoc est supponens nonnisi pro non ficto, potest requirere nonnisi formam Metaphysicam, qualis etiam forma, est relario. Jam autem denominatio relati, est denominatio realis, prout reale opponitur ficto, non autem prout reale, opponitur Metaphysico.

Objicitur III. Impossibile est simul & semel, eandem formam intendi & remitti; intensio enim, & remissio, sunt contrariorum; sed si non esset quid distinctum realiter relatio, esset forma, quæ simul & semel posset intendi & remitti; supposito enim, quod Sortes sit magis albus quàm Plato, supposito; quod Sortes quatuor gradus albedinis habeat, Plato verò duos, si remittatur albedo Sortis, Sortes erit magis similis Platoni albo, quem supponimus esse album ut duo; Posito verò, quod intendatur albedo Sortis, fiatq; albus ut 5. fiet minus similis Platoni, qui tamen est albus ut duo. Et tamen intensius albus erit, Ergò ulterius similitudo, non est ipsa albedo.

Respondetur. Impossibile esse simul & semel, eandem formam Physicam intendi & remitti Physicè, licèt possit eadem forma Logica, Logicè intendi, & remitti Physicè, jam enim diverso respectu intensio & remissio verificabitur. Porrò relatio est forma Logica, concipiturq; intendi Physicè quia intenditur albedo, cum qua identificatur Physicè, quamvis concipiatur remitti, non in ordine Logico, sed physico, in quantum albedo remittitur. Tota autem Logica intensio, vel remissio relationis, stat in majori convenientia graduum.

Instabis. Potest esse intensio in relatione, & remissio in fundamento, Ergò relatio & fundamentum, non sunt eadem Entitas. Antecedens probatur, quia, quando album ut octo, comparatur ad album ut 4. si albedo ut 8. remittatur ad gradus tres, erit remissio in fundamento, & Major intensio in relatione, magis enim intensè refertur album ut tria, ad album ut quatuor, quam album ut octo, ad album, ut 4. sunt enim sibi magis similia tria, & quatuor, quam quatuor & 5.

Respondetur. Quando remanebunt tantum gradus tres ex gradibus octo, intendetur similitudo non Physicè, sed Logicè; similitudo enim Physicè, hujus albi, cum hoc albo, est ipsa albedo, quæ ut supponitur non augetur, sed minuitur; intenditur autem logicè, quia magis est simile tria cum quatuor, quàm octo, cum eodem quatuor; non repugnat autem, ut illa, eandem entitatem constituant, quæ augentur Logicè sumpta, remittuntur Physicè sumpta.

Objicitur IV. Quando in DEO, & Creatura, aliqua ratio est reperibilis, eaq; realis, tunc semper in DEO, est idem realiter cum illo, in Creatura autem est distincta realiter; ut patet in misericordia, sapientia, quæ in DEO sunt idem, distincta verò realiter in nobis. Sed dantur in DEO relationes reales, identificanturq; DEO, Ergo etiam cum dantur in creaturis, debebunt esse distinctæ in Creaturis.

Respondetur, Negando Majorem, est enim in DEO unitas, veritas, bonitas, identificata DEO; quæ etiam non distinguuntur realiter in creaturis; taxa autem colligendi, quod aliqua sint indistincta; est principium Negativum, Non sunt multiplicanda Entia &c. &, si posità hac entitate sine ullo superaddito salvari potest ratio quæsita, apparebit indistingui illa realiter; potest autem esse, entitas hominis & non esse in illo misericordia, non potest autem esse fundamentum in circumstantia termini, sine relatione.

Objicitur V. Pr. Laurentius Pillavski Si paternitas non distingueretur entitativè ac realiter à fundamento, non contradistingueretur adæquatè paternitas à filiatione, sed contradistinguitur, ut exigit oppositio relativa, & probat contradistinctio Æterni Patris à Filio. Sequela probatur. quia si Paternitas non est quid distinctum à Patre, sed est ipsa Patris entitas, cum entitate Filii, & Filiatio est entitas Filii cum entitate Patris, sequitur hæc non magis differre, quàm panem cum vino, & vinum cum pane, hæc autem realiter non distinguuntur inter se.

Respondetur. Quod vinum cum pane, & panis cum vino, si ipsa membra propositionis inter se in eadem propositione comparentur, sint distincta realiter; certè enim vinum cum pane duas res inportat, Panem & vinum. Cæterum si aliter comparatio instituatur, non erunt distincta realiter, hoc est, si comparetur unum membrum propositionis in recto positum, ad aliud membrum propositionis positum in obliquo, tunc non erit distinctio realis; panis enim in recto positus, à pane eodem in obliquo posito, non sunt distincta realiter. Sic etiam Entitas Patris in recto posita, habens se ad entitatem Filii, in obliquo positam, sunt membra in eadem propositione distincta realiter, licet paternitas in recto posita, non sit distincta à paternitate in obliquo posita, ad eum modum; quo cum assidet Petrus Paulo, etiam Paulus assidet Petro, & tamen Petrus & Paulus sunt distincti realiter, licèt alia & alia combinatio Petri & Pauli, præcisè ratione ejusdem Petri in

in recto, vel obliquo positi, non adferat distinctionem realem.

Objicitur VI. Si relatio est idem cum fundamento, sequeretur idem physicè, produci primo, & non produci primo, hoc est absurdum. Sequela probatur Posito termino & fundamento, post accessum rationis fundandi producitur relatio, & non producitur fundamentum.

Respondetur. Produci relationem Logicè, non autem Physicè, productio autem Logica, non arguit distinctionem realem producti.

Objicitur VII. Auctoritas S. Th. q. 1. parte. q. 28. à. 2. docet relationem habere esse accidentale in subjecto, & in 1. senten. dist. 33. q. 1. a. 1. dicit; relationes inesse subjectis, & facere cum illis compositionem; & q. 8. de poten. ait relationem in Creaturis esse accidens, nec posse esse idem, quod substantia.

Respondetur. Omnia hæc eo sensu accipi posse quòd relatio sit accidens Metaphysicum, faciatq; cum subjectis compositionem Metaphysicam, dicitq; relationem Prædicamentalem, non posse esse idem, quod substantiam, quia hoc ipso non esset accidens Metaphysicum, cum v. g. non sit de substantia hominis esse Patrem.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur reliqua Argumenta.

Objicit. I. Mastrius. hîc d. 8. n. 19. nisi ponatur relatio prædicamentalis esse accidens ab extremis reipsâ distinctum, tolletur prædicamentum Relationis, & omnes relationes ponentur mutuæ, quod est absurdum.

Respondetur. An sit aliquod constinctum ab aliis prædicamentum, pensari inde non debet, quod sit in se distincta reipsa entitas, aliàs passio ab actione, situs, ubi, &c. deberent esse Entitates superadditæ, quod multi negant; sufficit ergo, ut sit ens reale, prout opponitur ficto, & reale, realitate illorum, quibus imbibitur, extrahendo illas ipsas realitates, ad diversum prædicamentum, per formalitates, connotationesq. alias, quæ per suas series deduci possunt, adeoq; constituere diversum prædicamentũ. Quod autem ex his principiis sequatur, tolli relationes mutuas, hoc ipsum probandum fuisset; Addo, in divinis dantur verè relationes reales ad intra, & per nostram sententiam ad extra, neq; tamen est necesse ponere illas relationes realiter superadditas. Ergo apparet realitatem relationum pensari non debere, ex superadditione entitativa relationum, & quamvis rationes identificatæ Deo, in nobis sint distinctæ realiter, id tamen non est verum universaliter, ut dictum est supra, aliàs unitas, existentia, &c. essent distinctæ realiter in nobis, & quod horum indistinctorum classem, sequantur relationes creatæ, probant argumenta.

Objicit II. Idem. Dantur, in Creaturis denominationes purè relativæ, ergo dantur puræ Relationes, quæ sũt Prædicamentales.

Respondetur. Dari purè relationes, sed ita, ut spectentur tunc Metaphysicè, & prout subsunt nostris conceptibus, sicq; sumptas relationes, sequentur purè denominationes relativæ; sed si spectentur relationes prout sunt à parte rei, sic non sunt purè relationes, nec dantur denominationes ab illis oriundæ sic spectatis, quæ sint purè relativæ.

Objicit III. Idem. Quidquid est in duabus albedinibus simul existentibus, totum est in duabus sibi succedentibus invicem, Ergo si similitudo non dicit aliquid reale supra Entitates absolutas illarum, ita similis erit albedo existens alteri futuræ, sicut alteri eodem tempore existenti.

Respondetur. Quidquid est in duabus albedinibus simul existentibus totum est in duabus succedentibus, quoad rationem &c. in linea albi, sed non in ratione denominationum fundatarum, insimul existentia duorum alborum, & quiâ denominatio similis est fundata in existentia duorum alborum, non habebitur jam, si unum sit non nisi album. Addo sicut dantur denominationes fundatæ in singularitate albedinis, ita dantur fundatæ in coexistentia duarum; sicut ergo non data singulari albedine, non dantur denominationes fundatæ in singulari albedine, ità, non datis coexistentibus albis, non dabuntur denominationes exinde oriundæ; talis autem est denominatio similis.

Objicit IV. Idem. Vel relatio habetur in fundamento, ad positionem termini, de novo, vel supponebatur jam in fundamento quoad totum suum esse; si primum, vel erit sola amborum extremorum coëxistentia, aut denominatio inde sumpta, quæ est Nominalium opinio, vel forma aliqua de novo resultans, in fundamento, ad positionem termini, quod vult Mastrius, si verò dicatur secundum, nempe supponi fundamento identificatam, ante adventum termini, tunc præterquam quòd non salvetur, esse verum accidens, sequitur etiam quod semper denominet subjectum actu relativum &c.

Respondetur. Relatio habetur in fundamento ad positionem termini de no-

vo, ita tamen, ut existente uno albo, supponeretur illa relatio, secundum id, quod dicit pro subjecto, in recto; & secundùm esse subjecti, tota quoad subjectum supponebatur. sed quia requirit intrinsecè aliquid extrinsecum, nempe terminum, ideo, nec denominat subjectum sinè termino, nec subjectum ipsum referri potest. Quoad alia quæ tangit objectio, ex dictis habetur, relationem Physicè non esse nisi duo Extrema, ex quibus pullulat forma de novo, non Physica, ut vult Mastrius, sed Metaphysica, quæ est formalitas relationis, quam esse Physicam, & esse accidens inidentificabile, probare debuisset.

Instabis. Per relationem in esse completo, vel intelligitur sola entitas absoluta fundamenti, ex qua, posito termino, nata est resultare relatio; sed inde non infertur identitas relationis cum fundamento, sed potius vera à parte rei distinctio, vel intelligitur vera forma relativa, ratione solum distincta; ergo secluso termino habetur tota relationis essentia, refertúrq; subjectum, ante existentiam termini, eritq; terminus necessarius, non tantùm ad denominationem relativam sed etiam ad ipsam entitatem relationis, quia ante terminum ponitur inchoata solum.

Respondetur. Non asseri à nobis identitatem relationis cum fundamento simpliciter sumpto, sed cum fundamento in circumstantia termini positi, adeoq; dum habetur, etiam extrinsecum, intrinsecè requisitum; pullulat ergo tunc forma Metaphysica, quæ est relatio, sed non independenter à termino, seu ab extrinseco, intrinsecè requisito consequenter illo excluso, non habetur tota relationis essentia, quia nec ordo ad terminum, eritq; ad entitatem relationis necessarius terminus, sed necessarius tanquam aliquid extrinsecum, intrinsecè requisitum, quodsi in fundamento posito in circumstantia termini pullulat relatio, quæ est forma Metaphysica, hoc ipso non erit necesse ponere Relationem distinctam realiter.

Objicit V. Idem. Potest relatio Prædicamentalis alicui fundamento superaddi, quod prius sine illa exstiterat, & etiam ab eo tolli; ergo cum possit abesse & adesse distinguetur realiter.

Respondetur Relationem nec posse addi, nec posse auferri in circumstantia termini, ratione cujus non habiti, erat defectus alicujus extrinseci intrinsecè requisiti, & distincti realiter à fundamento.

Instabis. 1. Ergo fundamentum denominabitur relatum, per denominationem meram extrinsecam, ex positione termini extrinseci, & tamen denominatio termini relati, est nova, realis, intrinseca.

Respondetur. Cum in re denominatio relationis, dicat aliquid pro intrinseco, intrinsecè etiam requisito, & aliquid extrinsecum, intrinsecè tamen requisitum, non debebit dici simpliciter denominatio simpliciter extrinseca, est autem illa denominatio nova, & realis Metaphysicè.

Instabis II. Non desunt, qui putent, posse separari similitudinem à duobus albis, ut ita maneant non nisi fundamentaliter similia.

Respondetur. Nullam esse rationem, cur non manebunt tunc illa duo formaliter similia, ut alibi ursimus.

Instabis III. Licèt separabilitas arguat distinctionem realem, non tamen indistinctionem, inseparabilitas; Ergo quamvis inseparabilis foret relatio, posset distingui.

Respondetur. ex dictis in Metaphysica, quod inseparabilitas entitativa arguat identitatem realem. Jam autem relationem esse inseparabilem Entitativè, supra probatum.

Punctum Difficultatis 4.

An Relatio sit Modus.

Dicendum. *Relationem non esse modum, entitativè superadditum.*

Probatur I. Quia nulla necessitas evehendi relationem, usq; ad gradum entis Physici. Item non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Nulla autem necessitas hujus modalitatis.

Respondet. Maurus qv. 54. Log. Principium hoc indigere examine. si enim sit sensus, quòd non debeamus multiplicare entia sine probabili ratione, principium est verum: si sit sensus: quòd non debeamus illa multiplicare sine ratione demonstrativa, est principium falsum, quia si ad alia, ita in hac quæstione, sufficiunt rationes probabiles. si sit sensus: quòd DEUS & natura nihil faciunt superfluum h. e. non conducens ad finem intentum, est etiam principium verissimum; Si sensus sit: quòd natura sit velut Anus avarissima, est principium falsum & injuriosum divinæ munificentiæ, nonne enim nobis dedit duos oculos, cum unus sufficiat ad videndum.

Contra. Quia ipse respondens qui movit litem, huic principio, debuisset adferre sensum illius principii proprium; nam recursus ad rationes probabiles in præsenti non est explicatio principii, quia est nonnisi expressio modi versandi circa objectum non multiplicabile sine necessitate, non autem expres-

expressio ipsius objecti. Et cum hæc ratio sit inter potissima principia, & quasi quædam demonstrativa ratio, procedens per principia negativa, debet dari Metaphysica ejus necessitas, posset prædicti principii esse hic sensus. Quæ possunt secum identificari, pro identificatis habenda, & non multiplicanda: quod principium est Metaphysicè certum. Et quia sunt aliqua, quæ sunt distincta realiter v. g. oculus ab aure, alia quoad vim idem præstandi indistincta v. g. sensus communis non hic erit illius principii sensus, quasi seligat Deus nonnisi identificabilia; aliàs cum sit possibilis oculus identificans sibi etiam auditivam, non deberet distingui oculus & auris. Sed hic erit sensus quando constat aliquid positum esse, si illi possit aliquid identificari, ex istis de quorum esse jam constat, hoc ipso debere supponi, esse identificatum; hocq; ostendit etiam inductio. Quia autem fundamento in circumstantia termini & rationis fundandi potest identificari relatio constatq; illamdari censenda est identificari.

Probatur II. Proportionaliter applicando rationes præcedenti puncto formatas.

Probatur III. Si hoc ipso quia poneretur Materia & Forma & dispositiones poneretur Unio, nulla esset necessitas superaddendæ Entitatis modalis, ut scitur ex principiis Modalistarum, ergo cum posito fundamento & termino rationeq; fundandi, non possit non esse relatio, hoc ipso indistinguetur modaliter; Deinde illi ipsi aliqui ad ponendam unionem, requirunt novum concursum divinum, condistinctum à concursu productivo Materiæ, Formæ, & dispositionum quem non requirunt ad productionem relationum, Ergo apparet relationem non esse Entitatem, etiam Modalem novam, deniq; modi sunt inventi ad salvandos aliquos transitus à contradictorio ad contradictorium, potest autem à contradictorio non relati, transiri ad relatum, sine modo, vel per positionem solius termini, vel per positionem novæ rationis fundandi.

Objicitur I. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium, sine entitate saltim modali, Ergo etiam impossibile est, à non esse relati, ad esse relati saltim sine entitate modali transire.

Respondetur Neg. Antecedens secundùm dicta de hoc principio in Materia de Distinctionibus.

Objicitur II. à pari; unio est modus, aut non sine modo; Ergo & relatio.

Respondetur. Disp. esse, quia nisi unio ponatur esse modus, aut non sine modo, non ostenderetur sufficiens mutatio transitus, à non esse uniti, ad esse uniti, quâ positâ, necesse sit inimpedibiliter, etiam divinitùs illa uniri, potest autem sine ulla superaddita entitate ostendi, quare duo extrema debeant referri ad se, & quidem inimpedibiliter, etiam à DEO; hoc est, vel propter novam rationem fundandi, vel per appositionem termini.

Instabis. Visio non est ipsa potentia in circumstantia objecti visibilis. Ergo nec relatio, est ipsum fundamentum, in circumstantia termini.

Respondetur. Disparitatem esse, quia potest esse potentia visiva, in circumstantia objecti visibilis, & non esse visio. Ergo circumstantia objecti visibilis, non est sufficiens mutatio, pro transitu ad esse visi; impossibile autem est, ut posito fundamento in circumstantia termini, & rationis fundandi, non sit relatio, ut probatum supra.

Objicitur III. Magis differt relativum ab absoluto, quàm absolutum, ab absoluto, sed absolutum ab absoluto, realiter differt, Ergo & relativum ab absoluto, realiter differt, sed non differet realiter absolutè, ergò saltim differet realiter modaliter.

Respondetur. Falsum esse universaliter, quod absolutum ab absoluto differat realiter, nam ratio Entis, Substantiæ, Corporis, sunt rationes absolutæ, identificatæ tamen v. g. in homine. Sed quicquid sit de hoc, potest id concedi, quòd relativum ab absoluto magis differat Metaphysicè, & secundùm rationes definitivas, quàm absolutum ab absoluto, licèt possint non magis differre Physicè; cum non repugnet identificari rationes diversis definitionibus definibiles, ut cum in homine identificatur Animalitas & Rationalitas, quæ diversas habent definitiones, licet non identificentur secum rationes, quæ eadem definitione definiuntur; ut non identificantur secum Petrus, & Paulus, licèt eâdem definitione definiantur.

Addo. Relationem, non esse quidem modum, interdum tamen pro rationibus fundandi exigere modalitates, adeoq; non esse semper sine modo; imò in relatione Similitudinis, in Qualitate, vel in relatione Quantitatis, non sine realitate esse.

Argumenta Recentiora.

Maurus ponit etiam quæst. 54. hîc relationem prædicamentalem distinctam modaliter, & ad propositum.

Objicit IV. Quando Scholastici post Arist. propugnarunt Relationes contra Occhamum, qui cum Zenone illas negabat, non est verisimile Zenonem & Occhamum aliud negasse

negasse, quam accidentia totaliter intrinseca fundamentis, & contradistincta à fundamento, termino, & ratione fundandi, Ergo Scholastici & Arist. ponunt talia accidentia. Minor probatur : quia quis credat Zenonem, dum negavit dari relationem coexistentiæ, negasse coexistentiam consistentem in hoc, ut illa plura existerent eodem tempore, cum talis coexistentia negari nequeat ab homine sanæ mentis.

Respondetur. Quod attinet ad Aristotel. illum voluisse quidem relationem esse accidens, sed Metahpysicum, adeoq; indistinctum realiter, dum ait, similia sunt quorum qualitas eadem est. Mens Zenonis non liquet quæ fuerit, sed forte voluit negare, non duo coexistentia, sed habitudinem illorum ad se, in qua tamen habitudine, stat relatio. Occhamus est verum quod propugnavit relationes indistinctas realiter, idq; contra sententiam Thomist. & Scotistarum communem, à quibus inferebatur illum sustulisse prædicamentum relationis, sed hoc ipsum probari deberet; dicimus enim casu quo non distinguatur relatio realiter, adhuc fore relationis prædicamentum.

Instat. Arist. 14. Metaph. t. 3. & alibi docet *ad aliud minime omnium prædicamentorum natura quædam est*, ac posterior, tum quanto, tum quali; Ergo putavit habere illam esse debilissimum, quod verificati non posset, nisi relatio prædicamentalis distingueretur à reliquis prædicamentis.

Respondetur. Hanc auctoritatem pro nobis esse; si enim debilissimum esse habet, non habet esse æque inhærens, ac accidentia, haberet autem esse æquè inhærens, si foret entitas superaddita. Debilitas autem vel exinde arguitur, quia quod debile est, indiget fulciri; positio autem relationis indiget hoc fulcro, nempe aliquo extrinseco tanquam termino, Rursus, quia quamvis etiam accidens Physicum indigeat aliquo tanquam subjecto, id simpliciter ejus debilitatem non arguit, quia nec arguit debilitatem in forma materiali substantiali, quæ etiam existere non potest sine subjecto; quia tamen utrumque habet esse suum proprium, ideo non potest adhuc debilissimum appellari. jam autem esse relationis, non est esse distinctum. Rursus reflectendo mentem ad alia prædicamenta etiam illa non sunt distincta entitative, ut situs, passio, &c. cur ergo erit necesse relationem distinguere entitative. Rursus habet etiam præ illis debilius esse relatio, quia adferunt suum proprium esse alia prædicamenta; neq; enim ex præsuppositio aliquo esse, passio pullulat, esse idem dicendo; relatio autem pullulat ex præsuppositio esse, duorum v. g. qualium, & quidem esse idem dicendo; & in his stat debilitas Esse, quod dicit Relatio.

Objicit V. Ut unum objectum referatur intentionaliter ad aliud v. g. Petrus ad Paulum, non sufficient duæ cogitationes absolutæ, quibus dicam: Petrus Paulus, sed requiritur cognitio comparativa indivisibilis, per quam Petrus comparetur cum Paulo; ergo ut duo entia referantur realiter per relationem coexistentiæ, non sufficiunt duæ existentiæ absolutæ, sed requiritur una coexistentia indivisibilis, quæ sit forma, per quam Petrus coexistat Paulo, & referatur ad ipsum: ordo enim intentionalis, & ordo realis, debet inter se proportionari.

Respondetur. Etiam concessa distincta entitate relationis realis, non videtur concedenda coexistentia distincta realiter, non tantum ex eo quod si existentia (quidquid ille in oppositum dicat) non sit distincta realiter, ita nec coexistentia; sed etiam exinde, quia si aliquid esse par, non est quid distinctum realiter in ratione præcisa paris, cur esse coexistens, sit distinctum realiter à duobus coexistentibus. Rursus jam unumquodq; deberet bis existere, sua existentia superaddita, & illi superadditæ alia superaddita coexistentia, nam non posset facere coexistere, nisi etiam faceret existere: consequenter quando duo sunt alba, ut detur similitudo, deberet superaddi coalbedo, adeoque deberet etiam illa dealbare, distinctæque dari deberent albedines specie, una albefactiva, altera autem essentialiter coalbefactiva. Sed quidquid sit de hoc, directè ad argumentum dici potest: cum per nos relatio sit accidens nonnisi Metaphysicum, dabitur forma Metaphysica per quam referantur Petrus & Paulus coexistentes. Proportionabuntur autem inter se ordo mere intentionalis (supple formalis) cum ordine Metaphysico intentionali quidem, sed objectivo: quia sicut ordo intentionalis formalis, debet esse attactivus habitudinis Petri ad Paulum, non autem merè attactivus Petri & Pauli, ita & ordo Metaphysicus, dicet indivisibilem habitudinem: & per hoc solvitur etiam prima confirmatio, quam ibidem ponit.

Instat. Ut ego affirmem Petrum & Paulum simul existere, non sufficit ut dicam: Petrus existit, Paulus existit, sed debeo addere copulam *Et* dicens: Petrus & Paulus existit. ergo requiritur & in relatione coexistentia seu simultas correspondens copulæ *Et*.

Respondetur. Requiri objectivam correspondentem simultatem, sed distinctam Metaphysice, non autem Physice; nam etiam per nos relatio Formaliter, non est duo

mera

mera absoluta, sed habitudo absoluti ad aliud de quo infra.

Objicit VI. Cum plura quæ possunt facere & non facere unum, faciant unum, non pluribus, sed uno faciunt unum, quod non potest esse, quin illa faciat unum: & ita unus homo fit per unam unionem, continuum fit unum per unum indivisibile; sed partes universi possent facere unum & non facere unum, ergo faciunt unum aliquo uno, quod non potest esse, quin faciat unum universum.

Respondetur. Hoc argumentum probabit quod detur inprimis una coexistentia Petri & Pauli, altera coexistentia Petri & Joannis, & simul tertia coexistentia Petri, & Pauli, & Joannis. Rursus dabitur coexistentia coexistentiæ unius in Paulo, alius in Petro. Item debet dari coexistentia omnium universalis: & quidem si vel unum ens intereat mutabilis, mutabilis item ad motum singulorum, quia locum importat in se, illa relatio coexistentiæ. Directe autem ad argumentum. ut pluta faciant unum sufficit additio unius Metaphysicè superadditi, si etiam sit unum Metaphysicum, unum autem relatum, est unum Metaphysicum. Compositum quia est unum Physicum, requirit unionem Physicam. Quare autem hic nulla debeat superaddi entitas, cùm superaddatur in composito, alibi dictum. De continuatione dicetur in Physicis.

Objicitur VII. Relatio coexistentiæ ponit in rebus pulchritudinem & perfectionem condistinctam à perfectione & pulchritudine entitatum absolutarum; sed quod ponit distinctam perfectionem & pulchritudinem, ponit distinctam entitatem, quia perfectio & pulchritudo, necessario est entitas.

Respondetur. Quod relatio ponat pulchritudinem Metaphysicam, adeoq; nec entitatem Physicè distinctam, sed entitatem Metaphysice distinctam, hoc est formalitatem. Quod crescente perfectione absoluta non crescat relativa, alibi solvitur: Sed insuper.

Instat. Implicat ut res evadat simpliciter pulchrior per hoc, quod nihil addatur pulchritudinis, sed solum auferatur aliquid pulchritudinis; sicut non potest aliquid evadere magis album, per solam diminutionem albedinis, quam ante non habebat; ergo ideo quia auferendo pulchritudinem absolutam, additur nova pulchritudo relativa debet aliquid addi.

Respondetur. Additionem posse esse & Physicam & Metaphysicam; diminutaq; pulchritudine Physica, potest addi pulchritudo Metaphysica, nempe relatio; aliudque est evadere simpliciter pulchrum, aliud evadere comparativè & per habitudinem ad aliud; simpliciter pulchrum non evadit majus sine additione entitatis, sed comparativè pulchrum, potest evadere magis pulchrum, sine additione, si scilicet posita diminutione, magis sint similia formaliter, ut alibi dictum. Et Ratio est, quia comparativa pulchritudo stabit in non plus & in non minus quàm aliud, ad quod diveniri potest, etiam diminutione.

Punctum Difficultatis 5.

An relatio sit Formalitas.

Dicendum Est. *Relationem non esse formalitatem, ex natura rei distinctam actu.*

Probatur. Omnibus illis rationibus, quibus probatum est non dari distinctionem ex natura rei actu. Objectiones petuntur ex loco citato. Sed Insuper.

Objicitur I. Alia est ratio intelligibilis, seu formalitas relationis, alia fundamenti; alia enim est formalitas absoluti, alia essentialiter relativi. Ergo Relatio à fundamento distinguitur formaliter ex natura rei; illa enim distinguuntur formaliter ex natura rei, quorum Rationes intelligibiles, seu formalitates sunt distinctæ.

Respondeo. Alia est formalitas relationis spectatæ prout est à parte rei, & alia fundamenti positi in circumstantia termini, & rationis fundandi. Nego antecedens. alia est formalitas relationis Metaphysicè spectatæ, & prout subest nostris conceptibus. Concedo Antecedens. Nego Conseq.

Objicitur II. Quæ se duæ formalitates à parte rei non transcendunt, formaliter distinguuntur à parte rei formaliter, sed formalitas relationis & fundamenti, non se à parte rei transcendunt. Ergo.

Respondetur. Negando Minorem.

Objicitur III. Petrus potest esse à parte rei formaliter Petrus, & non formaliter Pater. Ergo formaliter Pater, formaliter Petrus, distinguuntur formaliter ex natura rei.

Respondetur. Petrum posse esse formaliter Petrum, & non formaliter Patrem, si non habeat circumstantiam Filii, & rationis fundandi, secus si habeat; Unde in priori casu, non erit Petrus formaliter Pater, secus in posteriori.

Objicitur IV. Absolutum, & relativum diferunt nemine cogitante. sed, fundamentum & relatio, habent se sicut absolutum & relativum, Ergo.

Respondetur. Nego quòd fundamentum in circumstantia termini & rationis fundandi

dandi positum ; comparatè ad relationem, habeant se sicut absolutum , & relativum. Major etiam est falsa , quia potest aliquid diverso respectu esse absolutum , diverso relativum.

Objicitur V. Illud quod causatur Physicè, ab eo quod causat, debet distingvi Physicè,& realiter; quod verò causatur Metaphysicè, debet distingvi formaliter ex Natura rei; Sed relatio causatur à fundamento in circumstantia termini , & rationis fundandi posito , causatur inquam Metaphysicè , Ergo & distingvitur formaliter ex natura rei actu.

Respondetur. Quòd cum causari Metaphysicè, sit causari ex modo nostro concipiendi, hoc ipso non erit necesse, ut causa talis, & causatum tale , distinguantur nemine cogitante.

DIFFICULTAS III.

Proponitur Quid sit Relatio?

Præmitto I. *Præter sententias allatas, restare duas alias I.* quam innovavit Hurt. Arr. Ov. qui relationem dicunt esse , duo absoluta v. g. Paternitatem esse Patrem , & Filium. similitudinem item, esse duo alba. II. Suar. & aliorum, qui relationem per connotata explicant , hoc est per fundamentum in circumstantia termini positum , ita ut Paternitas sit ipsa Entitas Patris , in circumstantia Filii posita; & Filius in hac sententia, non est pars constitutiva relationis , quæ est Paternitas, sed solum quid extrinsecum , quantumvis ut additur in connotatis , intrinsecè requisitum. Hæ duæ sententiæ ut concordari possint.

Præmitto II. *Unam eandemq; rem dupliciter spectari posse , primò Physicè , & prout est à parte rei ; II. Metaphysicè , & prout subest nostris conceptibus.* ita v. g. Homo, si spectetur Physicè, non aliud est, nisi corpus ita dispositum , & anima rationalis, & illorum unio , si autem spectetur Metaphysicè , erit animal rationale.

Præmitto III. *Quòd videatur etiam Aristot. dupliciter spectasse Relationem.* I. Physicè , ut loc. cit. 5. Metaph. tex. 20 , ubi dicit , *Similia esse , quorum Qualitas est una.* II. Eandem relationem spectasse videtur Metaphysicè : dum relativa definivit : *Relativa sunt , quorum hoc ipsum esse, ad aliud se habere.* ad quæ attendendo.

Punctum Difficultatis I.

Tenenda Sententia.

Dicendum Est. *Si relatio Physicè spectetur , nihil aliud est in re , quàm ipsa duo absoluta* , aut potius duo Extrema , ut ita explicetur relatio universaliter etiam per Ordinem ad divina, intercedit enim relatio inter personas divinas , quæ non sunt quid absolutum sed relativum. Usurpabimus tamen frequentius quòd Relatio Physicè spectata sit duo absoluta , quam duo extrema , quia prior illa Phrasis , in Scholis invaluit. Seu potius nihil aliud est , Relatio quam fundamentum , supple cum ratione fundandi acceptum , & terminus. Relatio autem Metaphysicè spectata , seusecundùm quòd formari ejusdem conceptus debet , est ipsum fundamentum,connotans terminum: vel alia phrasi : Relatio Metaphysicè spectata , non est Compositum ex fundamento & Termino , tanquam partibus, sed terminum dicit, tanquam quid extrinsecum , intrinsecè requisitum.

Prima Pars Conclusionis.

Probatur I. Qualitas in hoc,& Qualitas in hoc , sunt duo absoluta; sed ex Arist. similitudo in re , est Qualitas in hoc , & Qualitas in hoc ; similia enim sunt,Quorum Qualitas est eadem. Ergo similitudo in re, est duo absoluta.

Probatur II. Relatio nihil est reale supra fundamentum , & terminum , ut probatum supra, ergo Physicè spectata , nihil est in re nisi fundamentum & terminus. Conseq: probatur. Quod nihil est reale præter fundamentum & terminum ; illud nihil est in re, nisi fundamentum & terminus, sed relatio Physicè spectata nihil est reale præter fundamentum & terminum. Ergo.

Probatur III. Per oppositos relatio est fundamentum prout connotat terminum,seu fundamentum in recto , terminus in obliquo. Item est fundamentum in circumstantia termini. Infero. Ergo relatio Physicè spectata , non est aliud nisi duo absoluta , quia hoc prout connotat terminum , quid in re est, præter fundamentum & terminum? Rursus quid in re est hoc in recto , illud in obliquo, nisi ipsum fundamentum , & terminus? rectum enim & obliquum non dantur, nemine cogitante , sed illorum objecta ; objecta autem illorum, quid aliud in re, nisi fundamentum & terminus,ipsum fundamentum & terminum non nisi objectivè spectando ; fundamentum enim formale , & terminus formalis , sunt denominationes nostræ , in re autem sunt Entitas , quæ genuit v. g, &

Entitas

Entitas genita. Item fundamentum in circumstantia termini positum, quid aliud in re, & Physicè est præter fundamentum, & terminum hocq; quod est esse terminum & circumstantiam, quod aliud in re est, præter ipsum terminum, præcipuè cum terminus ille sit talis circumstantia, ut sine illo, nec concipi, nec definiri possit relatio.

Secunda Pars Conclusionis.

Probatur I. Omnibus illis rationibus quibus actum est pro Connotatis in Met. de Distinctionibus, & in particulari, quod relatio Transcendentalis, non componatur Termino, tanquam parte.

Confirmatur. Ex dictis in Materia de Sacram. in communi; ubi de Constitutivo Intrinseco ut sic, ubi de Institutione, Intentione & in Materia de Pœnitē. An peccata sint pars? Ex quibus colligis terminū non esse partem Relationis.

Probatur II. Tum quia si fundamentum & Terminus essent formaliter relatio, essent formaliter id, cujus esse totum, est ad aliud se habere, sed fundamenti & termini, non est esse totum se ad aliud habere; Probatur Minor. Quia ille terminus, vel se habet ad aliud, vel non se habet ad aliud; si se habet ad aliud, Ergo non est terminus, quia terminus est, ad quod se habet aliquid: si non se habet, ergo non est pars ejus, quod se habet ad aliud, cùm neget se habere ad aliud, adeoq; negat quod sit relatio, cum ejus esse totum, sit, ad aliud se habere. Tum quia non identificatur terminus ipse fundamento, etiam partialiter, utpote distinctus, realiter à fundamento. Ergo nec identificabitur, etiam partialiter relationi; non enim magis distant inter se, fundamentum & terminus, quam id, cujus esse est ad aliud se habere, & id cujus esse, non est ad aliud se habere, sed ad quod se habere, debet totum. Tum quia illud est intrinsecè relatio, quod facit concretum istud relatum, tanquam forma; sed concretum hoc quod est relatum, est solum fundamentum in circumstantia termini positum, Ergo relatio intrinsecè est solum fundamentum in circumstantia Termini. Tum quia urgeri potest argumentum superiùs præc. diff. II. positum: Si relatio componeretur intrinsecè, tanquam parte termino, etiam Paternitas componeretur intrinsecè, tanquam parte Filio; sed hoc non potest dici, quia sequeretur Filium & Patrem non esse distinctos inter se realiter, quia quando aliqua non plus, nec aliud dicunt, sunt idem inter se, jam autem nihil tunc diceret Paternitas plus, aut aliud, si componeretur Filiatione. Tum quia non definivit Arist. relativa esse, quorum esse, est cum alio esse, nec definivit formaliter sumpta relativa, quòd sint aliud & aliud, quod debuisset dicere, si relatio formaliter essent duo absoluta, consequenter ponere formaliter relationem, quod sit formaliter duo absoluta, est ponere definitum, longè aliud, à definitione objectiva.

Respondet Quidam. quòd terminus nullo modo referatur ad terminum, est tamen inadæquatè ordo, & constituit inadæquatè ordinem fundamenti ad terminum. Additq; quòd relationis prædicamentalis esse, sit ad aliud à fundamento, sed non ad aliud ab ipsa relatione; esse enim relationis non debet esse adæquatè distinctum à termino, sed terminus debet esse adæquatè distinctus à fundamento.

Contra. Tum quia fundamentum debet esse ad aliud; Ergo & ordo illius debet esse ad aliud, & si fundamentum quod refertur non componitur termino, nec ordo componetur. Tum quia non fundamentum definitur, cùm dicitur relatio est cujus esse, est ad aliud se habere, sed definitur relatio seu ordo illius. Ergo & ordini terminus est ad aliud. Tum quia redit Argumentum factum aliàs. Ordo de quo hîc, est cujus esse est, ad aliud se habere: Solum fundamentum est cujus esse est, ad aliud se habere: Ergo solum fundamentum, est ille ordo, si fundamentum refertur ad aliud à se, & ordo refertur. Vel si mavis, dic, Relatio est, cujus esse est ad aliud se habere: Ordo de quo hîc, est relatio: Ergo ordinis hujus esse, est ad aliud se habere: si ad aliud; Ergo non componetur ordo, illo alio: quia compositivum nunquam est aliud illi, quod componit; licèt sit aliud, ab eo, cùm quo componit.

Probatur III. Si relatio formaliter esset duo absoluta, tunc prædicamentum unum, & quidem definitione distinctum, constitueretur per prædicamentum aliud, definitione similiter distinctum; nam alia est definitio absoluti prædicamenti, alia definitio relativi, sed non potest, unum prædicamentum constitui formaliter per aliud prædicamentum, quia non potest album formaliter constitui per nigrum; quod ipsum in hoc resolvitur; quia hoc ipso non essent diversa prædicamenta, siquidem unum prædicamentum formaliter, esset aliud prædicamentum formaliter.

Adfero hîc aliqua excerpta ex Isquerdi Tomo 1. disp. 9. q. 5. prop. 19. ipsum enim auctorem legere non licuit.

Objicit Ille. Impossibile est, Essentiam deficere, quin vel ipsa tota, vel pars illius deficiat, aut enim Essentia est simplex, aut composita; si simplex impossibile est eam beficere, quin tota deficiat; si composita aliqua saltem pars illius deficere debet, ut deficiat ipsa, alioquin habentibus esse omnibus & singulis illius partibus, ipsa non haberet esse, quod est impossibile. Atqui deficiente termino Relationis & cæteris omnibus manentibus deficit Relatio, ut fert Connotatistarum sententia, Ergo terminus vel est Essentia ipsa Relationis, vel pars illius.

Respondetur. Concedo, Impossibile esse Essentiam deficere, quin vel ipsa tota, vel pars illius deficiat, sed nego defectum hunc Essen-

tiæ semper oriri debere ex defectu ejus, quòd pars sit, cum possit oriri ex defectu alicujus Extrinseci, sed intrinsecè, seu necessariò requisiti. Concedo omnem Essentiam vel esse simplicem vel compositam, sed una retinendo rationem Essentiæ, aut absolutæ, aut respectivæ, & quidem si sit Essentia simplex, sed Relativa, impossibile est eam deficere, quin tota deficiat, sed defectu oriundo, ex eo quòd desinat illud extrinsecum, sed intrinsecè & necessariò requisitum, ponendo autem, quod relatio sit compositum quoddam sumptum pro aggregato, ex eo quòd dicit intrinsecè, & tanquam intrinsecum, & ex eo, quod dicit tanquam extrinsecum, licèt intrinsecè seu necessariò requisitum, eo casu ut dicatur deficere relatio, non erit necesse deficere partem aliquam intrinsecam, sed sufficit desinere aliquid extrinsecum intrinsecè tamen requisitum; jam enim tunc non manebit aggregatum illud, quod conflatur ex aliquo intrinsecè requisito, & ex illo extrinseco, cum supponatur illud extrinsecum perire, consequenter dum deficiente termino Relationis deficit Essentia Relationis, non erit necesse ponere, quòd terminus sit pars Relationis, sed quod sit in toto illo aggregato Extrinsecum, sed necessariò requisitum, quod si Extrinsecum, hoc ipso non Pars, nihil enim componitur per sibi extrinsecum. Quare autem terminus sit Extrinsecum, ostendunt rationes, adlatæ. Et hæc Responsio ostendit quomodo desinat Relatio sumpta Metaphysicè, seu sumpta pro formalitate pullulante in fundamento proximo circumstantionato per terminum proportionatum. Quod si loquamur de Relatione Physicè spectata, indubiè deficiente termino deficit aliud Extremum Relationem ingrediens, cum ipsa Relatio Physicè, sit illa duo extrema. Licet illud ipsum extremum ingrediens Relationem Physicè spectatam, non sit pars, de quo alibi.

Objicit idem. Si Terminus non esset, vel Essentia ipsa Relationis, vel pars illius, sed aliquid adæquatè distinctum, & nihilominus solo termino deficiente deficeret Relatio, fieret ut deficiente solo termino, non deficeret solus terminus, quod est contradictio; deficeret solus terminus ut supponitur, dicitur enim solus deficere; non deficeret solus, quia deficeret Essentia Relationis adæquatè ab illo distincta. Ergo.

Respondetur. Retorquendo Argumentum deficiente solo Termino, qui sit pars compositiva Relationis, & deficeret solus terminus, non enim supponitur altera compars deficere; & non deficeret solus; quia etiam tunc desineret Relatio. Quod si dicas, hoc sensu affirmati, quòd deficiat solus Terminus, quia non tantùm deficiente alia comparte, perit Relatio, ità etiam & nos dicimus, deficiente solo termino deficere Relationem, quia scilicet non tantùm ut ob defectum solius fundamenti, illa desinat.

Collige. Hoc totum quod est Relatio, dicere unum & intrinsecè, & tanquam intrinsecum & hoc est fundamentum seu subjectum Relationis; deinde hoc totum quod est Relatio dicit aliquid Extrinsecum, seu ly ad aliud, hocq; ipso dicit illud non tanquam partem; casu ergo quo pereat terminus, perit vel pars termini compositiva, si sit terminus quid compositum, vel tota simpliciter Entitas termini; consequenter mutatis illius intrinsecis, mutatur & terminus; sed non est necesse vel perire partem, vel totum quod est ipsum fundamentum, quia Essentia termini, non est Essentia fundamenti. Ubi ut vides, admitti à nobis inconcussum hoc principium. Impossibile esse rem manere, non manente ejus Essentiâ; cum hoc tamen stat, ut mutatione in alterutro posita, non maneat tamen Relatio, quia hæc, est totum quoddam, non tantùm dicens à se intrinsecè requisita, sed etiam dicens aliqua Extrinseca, seu ly Ad Aliud, tale tamen Ad aliud, quod definitionem Relationis ingrediatur, adeoq; sit intrinsecè, seu necessariò requisitum.

PUNCTUM DIFFICULTATIS II.

Componiturne creata Paternitas, creata Filiatione:

Assumptum est supra in argumento, quod si relatio formaliter est duo absoluta, hoc ipso paternitatem & Filiationem non distinguendam realiter.

Respondet Aliquis huic argumento. In Creatis Paternitatem & Filiationem non distingui realiter, sed solùm differre, ex modo concipiendi & significandi, licèt Paternitas Increata à Filiatione increata distinguatur realiter, quia illic interveniunt relationes transcendentales, vel certè est illic relatio prædicamentalis, sed inseparabilis, adeoq; cum ratione identificabilis, suo fundamento. Et licèt, quæ opponuntur relativè, distinguantur realiter, sed negatur Paternitatem & Filiationem opponi relativè, solum enim sunt id, quo Pater & Filius opponuntur relativè. Paternitas quidem divina opponitur relativè Filiationi, quia est realiter ipse Pater, qui opponitur ut Quòd Filio; & sicut malè quis argueret, ex eo opponi relativè actionem, & passionem in Creatis, quia in divinis productio activa & passiva, opponuntur relativè, ità & in præsenti. Pater ergo, ut est formaliter Pater, non distinguitur realitet à Filio, Pater tamen materialiter, quatenus est Homo, vel quatenus est causa generans, distinguitur realiter à Filio. Et licèt abstractè sumpta Paternitas non distinguatur realiter à Filiatione, concretum tamen, Pater & Filius, distinguuntur realiter; ad eum modum, quo si una albedo foret in tribus parietibus, essent tria alba; quanquã etiam Paternitas & Filiatio, non sunt abstractum à Patre & Filio divisim sumptis, neque enim Paternitas, est abstractum à solo Patre, sed Paternitas est abstractum à Patre & Filio, conjunctim sumptis.

Contra

Contra. I. Tum quia propter hoc ipsum non est ponendus terminus, pro parte intrinseca relationis, ne inauditum hoc concedatur, nempe, Paternitas & Filiatio est idem, & si non ex modo significandi, est paternitas, est enim realis Paternitas, ita nec ex modo significandi debent distingui. Tum quia labefactabitur, fundamentum distinctionis realis, inter Paternitatem, & Filiationem divinam, quia hanc rimamur homines, ex distinctione Paternitatis creatæ à sua Filiatione, quæ jam in creatis, non erit distincta per te realiter. Tum quia posità relatione prædicamentali in divinis, eaq; inseparabili est ratio identificandi illam fundamento, ergo etiam, cùm relatio Creata, sit inseparabilis à fundamento, in circumstantia termini positi, erit ratio illam identificandi, sic posito fundamento, præcipuè, cum denominationes connotativæ, pendeant ab aliquibus extrinsecis.

Contra II. Tum quia si Pater & Filius opponuntur relativè, distinguunturq; realiter, etiam Paternitas, & Filiatio distinguentur realiter. Item ipsum ut quod relativum distinguitur realiter ut Quod, Ergo & relativum ut Quo, distinguetur realiter Ut Quo. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia illa distinctio realis, non oritur ex Ut Quo, & Ut Quod, sed ex oppositione relativa, Ergo si opponuntur relativè ut Quo, Paternitas, & Filiatio, Ut Quo, distinguetur realiter. Quod autem Paternitas opponatur Ut Quo relativè, Paritas probat: quia Pater opponitur ut Quod relativè, Ergo & Paternitas opponetur Ut Quo relativè. Et certè opponi ut Quo relativè, est esse rationem abstractam, formalem, ipsius ut Quod, oppositi relativè, hæc autem ratio abstracta & formaliter v.g. Patris, est Paternitas. Videtur hîc favere principium: Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis, propter autem Paternitatem, ut propter rationem formalem, pater distinguitur realiter à Filio, & si oppositio relativa inter Patrem, & Filium ideo est; quia Pater seipsum inadæquatè non generat, certè & Paternitas non est ratio Ut Quo generationis sui inadæquata. Tum quia Paternitas divina opponitur relativè Filiationi, quia est realiter ipse Pater, sed etiam in Creatis, Paternitas realiter est ipse Pater, neq; enim entitativè distinguitur Relatio Paternitatis creatæ à Patre. Ergo etiam creata Paternitas opponetur relativè Filiationi. Tum quia quod posita distinctione reali, inter productionem Activam & Passivam in divinis, non rectè arguatur, distinctio inter actionem & passionem creatam, hoc exinde est, quia non datur Actio, quæ non sit realiter & Physicè, Passio in Creatis. Datur autè realiter Paternitas, quæ non est realiter Filiatio. Rursus quia productio activa, & passiva in divinis, sumendo illas ut sumi debent pro Originibus, sunt constitutivæ personarum, actio autem & passio in Creatis, non sunt constitutivæ personarum, ideo ab activa & passiva productione in divinis, non rectè arguetur ad actionem & passionem in Creatis; jam autem æquè datur in Divinis ac in Creatis, Paternitas, & Filiatio; ergo bene inferetur, si hæc in divinis sunt distincta realiter, erunt etiam distincta in Creatis. Tunc ergo in divinis ad Creata non tenet argumentum, quando vel involvitur Mysterium Trinitatis, vel infinitudo, vel quando non constat, prædicatum illud haberi in Creatis.

Contra III. Tum quia quod dicitur Patrem, ut Pater est formaliter, non esse adæquatè distinctum à Filio, non convincit, nam inprimis concessum supra, non quidem Paternitatem, Patrem tamen esse oppositum relativè Filio; sed quidquid sit de concesso, sequetur ex responsione, nullam dandam in Creatis, oppositionem relativam Patris; non oppositio Patris quâ Pater est formaliter, ut concedunt; non etiam Patris materialiter sumpti. Ratio. quia Pater materialiter sumptus est Pater, quâ Homo; sumptus autem, quâ Homo, dicit relationem disparitatis, sed non relationem Paternitatis, nec potest aliud quicquam ostendi ratione cujus salvetur oppositio Relativa Patris. Addo si est distinctio adæquata inter generantem, quâ generantem, & genitum in divinis, etiam est distinctio adæquata inter Patrem, seu genitorem, quâ Patrem, seu quâ genitorem, cum duo hæc verbis differant. Ratio est, quia in Deo principium generans, quâ generans, ideo adæquatè realiter distinguitur, quia genitum nec inadæquatè est generans, nihil enim etiam inadæquatè generat seipsum, sed etiam Pater nec inadæquatè est Filius; Ergo par utriusq; ratio. Tum quia. quod posità unica albedine dicantur tria alba, hoc exinde est, quia illius triarii abstractum formale, non est albedo sed ratio subjecti; hinc poterunt esse tria alba seu tria subjecta, licèt sint una nonnisi albedo. Jam, autem ratio formalis abstracta Patris, est Paternitas: hinc si Pater opponitur relativè Filio, etiam paternitas opponetur relativè Filiationi. Tum quia si paternitas non est abstractum à solo patre, licèt circumstantionato entitate Filii, Ergo pater constitutus paternitate, est Filius inadæquatè, quia ipsa paternitas constituens Patrem includit inadæquatè Filiationem. Ad hæc autem concedenda, nullus articulus fidei premit, imò potius est negandum ut melius salvetur distinctio paternitatis divinæ.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Contra primam partem Conclusionis. Similitudo physicè spectata, est duo absoluta; Ergo & Metaphysicè spectata erit duo absoluta.

Respondetur. Multum probat argumentum, quia probaret etiam Metaphysicè spectatum Hominem, non esse nisi Corpus & Ani-

mam; quòd autem aliter spectari possit relatio, & non tantum Physicè, ostendit Arist. auctoritas, ostendit & alia definitio de facto exhibita. Deniq; id deposcit fundamentum, quod habetur in ipso subjecto & termino, ad sic formandum Relationis conceptum; nam v.g. Pater generat Filium, à se distinctum, qui se ipsum nullo modo generat, daturq; fundamentum concipiendi, quod Paternitatis esse, sit, ad aliud se habere.

Instat I. Mastr. hîc d. 8. n. 21. Similitudo non dicit præcisè conceptus duarum albedinum, sed aliquid ampliùs, scilicet habitudinem illarum, quæ explicatur, per Sicut, unde etiam similitudo dicitur de unoquoq; extremorum sejunctim, duæ autem albedines simul existentes non ita prædicari possunt; non enim dici potest quod hæc albedo, sint duæ albedines, simul existentes, nec simile, idem quod duo alba, simul existentia.

Respondetur. Similitudo (non quidem conceptus duarum albedinum, quia conceptus spectant ad Metaphysicam relationis considerationem) requirit duas albedines, requiritq; habitudinem, quæ Physicè non sit aliud, quàm illa duo, ipsumq; illud Sicut, est in re illa duo; similitudo dicitur de utroq; extremo, sed non ita, ut Physicè similitudo sit unum extremum, unde ita dicitur similitudo, de uno extremo, ut importetur aliud extremum, importatioq; extremi, salvat, ut in re involvantur duo; non dicitur autem de una albedine, duæ albedines, quia una albedo, non est alia albedo, nec albedo est prædicatum importativum, aliûs albedinis. Negatur autem quòd simile Physicè spectatum non sit duo alba simul existentia.

Instat II. Per hanc copulativam Petrus est albus, & Paulus est albus, explicatur coexistentia duorum alborum, non tamen similitudo, sed insuper requiritur quòd Petrus sit albus sicut Paulus.

Respondetur. Requiri comparationem, ita tamen, ut Petrum esse album, sicut Paulum, Physicè non sit aliud, nisi Petrus & Paulus, uterq; albus.

Instabis III. Ex hac copulativa, Petrus est albus, & Paulus est albus, absq; petitione principii, deducitur consequens: Ergo sunt similes; non ergo formaliter similitudo, est illa coexistentia, alborum.

Respondetur. Similitudo est formalitas pullulans ex duobus albis, recta ergo erit ad illam consequentia, ita tamen ut similitudo illa Physicè non sit aliud, quàm copulatum duorum alborum.

Instabis IV. Albedo Pauli, & Albedo Petri coexistentes, secundùm suos conceptus absolutos, non efficiunt plus quàm binarium albedinum; sicut enim una albedo facit unum album, sic duæ albedines faciunt duo alba, quæ denominatio, non est relativa.

Respondetur. Negando quòd duæ albedines faciant tantum duo alba, sed primò quidem faciunt duo alba, consecutivè tamen faciunt duo similia, similia enim sunt, quorum Qualitas eadem: binario itaq; illi, tanquam absoluto infundatur relativum similitudinis, cum albedo primo facit unum album, consecutivè & fundativè, facit, potentiâ simile, altera autem albedine posita, actu simile.

Instabis V. In hac sententia non potest explicari, quare hoc album & illud album extrema dicantur, nisi detur aliquod medium inter ea, cujus extrema dicantur, cur enim hoc extremum dicatur fundamentum, & illud terminus?

Respondetur. Hoc medium potest dici ipsa pullulans formalitas relationis; erit autem adhuc denominatio relativa, denominatio realis, sed realitate extremorum, vel realitate prout realitas supponit pro non ficto, neq; enim formalitas illa est quid fictum, licèt sit Metaphysicum, vel quod idem est in præsenti Intentionale, nam etiam Intentiones ad Metaphysicũ spectant, quia ad eã spectãt rationes abstractissimæ. Potest etiam hoc medium assignari; ratio fundandi. Denique hæc extrema appellantur imitativè, non autem in omnibus id servando, sed in hoc, quòd sicut ante extremum inchoativum nihil est prius, illiq; debet unicè tribui inchoatio; ita referri ut Quod unicè tribuitur fundamento, & sicut ultra extremum terminativum nihil est, ita & ultra extremum, ad quod est relatio: sicut in fundamento aliquid fundatur, ita formalitas relationis fundatur in uno extremo; & sicut ultra terminum res non progreditur, ita nec relatio ultra suum terminum.

Objicitur. II. Quod hanc sententiam nemo doceat.

Respondetur. Docere illam Arist. cumque sit media inter duas sententias, habet pro utraq; parte auctores.

Objicitur. III. *Contra Secundam Partem Conclusionis.* Multis ab Arr. & Ov. Sed ad hæc solutio videnda in Materia de Connotatis.

Objicit IV. Contra eandem Partem Mastr. n. 22. quia vi hujus sententiæ sequitur, quod relatio non erit una res relativa, sed duæ absolutæ, in recto una, alia in obliquo, imò cùm non magis esse In, quàm esse Ad, sit de concepture relationis, malè ponitur terminus esse connotatum, & fundamentum solum, principale significatum.

Respondetur. Relationem Physicè spectatam, non esse unam rem relativam, sed duas, licèt Metaphysicè spectata sit una res, rem accipiendo pro eo, quod non est fictum; quod autem debeat esse relatio, res una Physicè, probari debuisset; Ut salvetur, quod magis spectat ad relationem Esse ad, sufficit dicere, quod terminus ille, licèt in obliquo ponatur, habeat se nihilominus per modum distinctivi.

Instabis. I. Etiamsi dicamus hoc album esse simile

simile illi, adeoq; quòd unum importetur in recto aliud in obliquo, tamen per hoc nihil aliud significatur, nisi quia hoc album est, & illud est album.

Respondetur. Hoc solum significatur Physicè spectata similitudine, secus Metaphysicè illa spectatâ.

Instabis II. Ergo Arist. non debuit definire relativa, quæ hoc ipso quod sunt, ad aliud sunt; potiùs enim debuit definire: Quorum esse, est cum alio esse.

Respondetur. Priori modo relationem definiri Metaphysicè spectatam, posteriori autem modo, recurrendo ad absolutum, definitur relatio Physicè, ut dictum supra.

Instabis III. Cùm non minus sit de conceptu relationis esse Ad, quam esse In, malè docetur, relationem importare entitatem fundamenti, & connotare terminum.

Respondetur. Hoc ipsum probandum esse.

Instabis. IV. Aut ista connotatio est idem prorsus cum entitate fundamenti, sicq; etiam destructo termino, stabit denominatio; aut est quid distinctum ab ea, & hoc idem dici poterit de Relatione.

Respondetur supra, quòd relatio Physicè, non sit idem cum entitate fundamenti, sine circumstantia accepta, nec connotatio.

Instabis V. Quia si effectus connotativus pendet à termino, idem dicendum, & de relatione, & addit quòd forma relativa, etiam secundùm se sumpta, pendet à termino. Ergo non potest conservari sine suo termino.

Respondetur. Concedendo id totum in nostris Principiis.

Instat. VI. Quidam. Terminus non se habet in relatione Prædicamentali ut conditio extrinseca necessariò requisita, nam conditio, est ad aliquid ponendum conditio, sed terminus, v.g. Filius, non est conditio ad ponendum suum fundamentum, nempe Patrem, quia Pater est ante Filium, non est etiam conditio ad ponendam relationem Paternitatis, quia illa per se nihil aliud est, quàm solus Pater, ad quem ponendum non sufficit conditio, nec demum Filius ad ponendum seipsum est conditio; Et ratio à priori est; quia dum est causa formalis unita subjecto capaci, nulla datur amplius conditio extrinseca. Unde quicquid requiritur ad tribuendum effectum formalem in genere Causæ formalis, sive veniat in recto, sive in obliquo, sive sit extrinsecum subjecto, sive intrinsecum, nunquam est conditio, sed forma partialis denominans; unde etiam in hoc concreto: Cognitum, licèt cognitio sit extrinseca objecto, & licèt veniat in obliquo, est pars intrinseca.

Respondetur. Posset quidem Terminus relationis condistingui à conditione, habereq; proprium nomen quòd sit extrinsecum intrinsecè requisitum, sed non relegando terminum, à ratione conditionis, dici potest quòd terminus sit conditio ad ponendam relationem Paternitatis, quæ nihil aliud est, nisi Pater, sed non quomodocunq; spectatus, sed in circumstantia termini, & rationis fundandi positus; sufficitq; illa conditio, si supponatur Entitas Patris, ratioq; fundandi. Illa ratio à priori habet sui retorsionem in relatione Transcendentali, cujus terminus non est pars, & tamen ratio relationis inclusa quoad sua intrinseca, in ipso fundamento, requirit essentialiter terminum, ut sit relatio. Directè autem dicitur; Majorem veram esse de forma absoluta, non autem de respectiva, quæ potest aliquid extrinsecum, quia ad aliud, intrinsecè tamen exigere, scilicet tanquam ingrediens suam definitionem. Quod attinet ad cognitum, illud non est totum quoddam rigorosum, sed aggregatum, cujus potest dici pars, abusivè cognitio, sola enim respondentia passiva ad cognitionem, est pars Metaphysica cogniti. Sed sumendo pro aggregato totum quod spectat ad relationem, sicut illud aggregatum, non est totum rigorosum, ita nec terminus est pars rigorosa, sed erit aliquid aggregati illius, nempe extrinsecum intrinsecè requisitum. Loquendo autem de cognitione, quæ est verè totum quoddam in se, illius pars non est objectum, & tamen nisi ponatur illius objectum, cognitio non erit cognitio.

Instat VII. Cognitio est extrinseca objecto cognito, & tamen est pars cogniti, Ergo quamvis ponatur terminus esse quid extrinsecum, poterit esse pars.

Respondetur. Sicut si sumatur generatio pro toto suo aggregato, includit etiam dispositiones, quæ possunt quidem, sed nonnisi abusivè, dici partes, ita & in præsenti. Sed quidquid sit de hoc? Directè dici potest, quod cognitum dupliciter sumi possit, materialiter, & specificativè, sic non est pars illius cognitio, sed pars illius, sunt prædicata partialia objecti, in eodem reperibilia, & ab illa cognitione attacta. Secundò, cognitum sumi potest, formaliter, & reduplicativè, sic sumpto, non est quid extrinsecum cognitio, nulla enim forma est extrinseca, suo formato, sicut nec Accidens, sibi accidens est, sed est sibi essentiale; risibilitas sibi non est proprium, sed essentiale; ita etiã cognito reduplicativè spectato, non est quid extrinsecum cognito, consequenter poterit esse ejus pars. Jam autem relationi Terminus, semper est quid extrinsecum, quia toti illius esse, est ad aliud, relatio enim est, cujus totum esse, est ad aliud se habere. Et hoc dictum esto, secundùm communiores imaginationes, secundùm quas, cognitio dicitur esse pars cogniti, accipiendo cognitum, ut dixi pro quodam conflato, quo sensu totius conflati ex Causa & effectu, pars erit Causa, rigorosè autem dici deberet, quòd cognitio sit nonnisi actus, & cognitum sit nonnisi objectum, nec habent inter se habitudinẽ partiũ. Porrò id quod

est pars cogniti, est respondentia passiva objecti, ad cognitionem actualem, quæ respondentia passiva, est pars Metaphysica cogniti; Salvabitur autem ratio denominationis extrinsecè, quia illa passiva respondentia, indiget actu extrinseco, actus autem appellantur Formæ, ipsaque respondentia passiva, est perfectio quædam extrinseca, ipsismet prædicatis objecti; possunt enim omnia intrinseca salvari v. g. animalis rationalis, sine hoc quod cognoscatur.

Punctum Difficultatis 4.

Solvuntur argumenta Recentiorum.

SOlvendæ restant aliquæ objectiones, petitæ ex definitione Partis. Hîc tamen dicenda, præsupponunt ea, quæ tractata sunt sub initium de Sacramentis in Communi. Attingentur nihilominus & hîc aliqua.

Objicit I. Quidam Constitutivum intrinsecum alicujus denominationis, est id, quo solo ablato, & manentibus per possibile vel impossibile aliis omnibus requisitis ad esse rei, eo ipso formaliter & immediatè tollitur denominatio: & quo posito cum aliis ejusdem quoad hoc generis, sublatis verò etiam reliquis per possibile vel impossibile, eo ipso formaliter & immediatè ponitur denominatio. v.g. Corpus, anima rationalis, & unio, sunt intrinseca constitutiva hominis, quia istis solis præcisè positis, tametsi per impossibile nihil aliud daretur, etiam voluntas Dei de existentia hominis, eo ipso formaliter & immediatè poneretur homo. Sublata autem v.g. anima sola, aliis manentibus, etiam voluntate creatoris, eo ipso formaliter & immediatè auferretur seu intelligeretur auferri homo. Econtra autem voluntas creatoris de existentia hominis, est extrinsecum connotatum necessario requisitum, quia posita tali voluntate, arguitivè solùm & mediatè ponitur homo, eademque ablata arguitivè aufertur.

Respondetur. Inquirendo imprimis quid significet istud ly formaliter & immediatè: recursusque ad illam instantiam de compositione hominis in præsenti non tenet: quia prius est necesse describere universalem, postea per inductionem eandem probare. Et ita prius est dicere quòd homo sit animal rationale, & posterius, quòd homo sit Petrus, Paulus, Concedo quòd ablata sola anima auferatur totum, quod est homo, quia istæ sunt manifestæ partes, sed quærere restabit, in istis quæ non sunt manifestæ partes quodnam sit taxativum, quæ Regula, investigandi istius Ly formaliter Ly immediatè. Unde quæro universaliter, cur Aliud importatû in relatione transcendentali, non sit tale, ut illo ablato, non formaliter & immediatè auferatur Relatum transcendentaliter, & in relato Prædicamentaliter ablato Aliud, cur formaliter & immediatè aufertur. In Particulari cur hoc concretum, quod est creatura dependens à Deo, item cognitio cognoscens objectum, aufertur ablatione Dei, ablatione item objecti, materialiter & mediatè. Jam autem Paternitas creata, ablata Entitate filii cur formaliter & immediatè aufertur. Est & alia via satisfaciendi eidem Principio, concedendo illud interim, & tantùm inquirendo, cur solo ablato extrinseco termino, secundum esse suum physicum & reale, non possit postea subsequi desitio constitutivi intrinseci relationis, ita ut desinentia relationis non referatur, in desinentiam termini tanquam partis intrinsecæ, sed potius in desinentiam constitutivi intrinseci relationis subsequentem nemine cogitante, ad desinentiam termini extrinseci. Et tamen per nos desinente termino, desinit ratio fundandi, desinitque fundamentum esse in circûstantia termini idque nemine cogitante quod esse illius in tali circumstantia, est constitutivum intrinsecum relationis. Denique cum per nos physicè relatio sit fundamentum seu intrinsecum. Ratio fundandi, Extrinsecum seu terminus, inimaginabile est, ablato illo solo extrinseco, illo Solo Aliud, manere adhuc conflatum ex illis tribus, & tamen si Extrinsecum, si Aliud est pars Rigorosa non erit.

Respondebis I. Ex eo colligi relationem transcendentalem non componi termino tanquam parte, quia ablato terminos est necesse auferri aliam entitatem, nempe ipsum Relatum.

Contra. Quia quod ablato termino Relationis transcendentalis auferatur Entitas relati transcendentalis, hoc exinde est; quia relatio transcendentalis, est Relatio essentialis, quæ quia aufertur, non poterit manere essentia, sine suo essentiali. Cæterum si per impossibile Relatio transcendentalis non esset essentialis, omnino illa ablata non esset necesse auferri ipsum relatum transcendentale, seu Fundamentum Relationis. Deinde per nos, etiam ablato termino relationis transcendentalis prædicamentalis, aufertur & quidem nemine cogitant se Ratio constitutivi intrinseci Relationis: quia aufertur positio fundamenti in circumstantia termini, quæ positio fundamenti in circumstantia termini, est constitutivum intrinsecum Relationis.

Respondebis II. Ex eo, in Relatione transcendentali terminum non esse partem intrinsecam, quia si per impossibile ablato termino hoc est v.g. objecto maneret cognitio, adhuc nihil desideraretur de constitutivis intrinsecis cognitionis.

Contra. Eodem Jure dicam, si maneret per impossibile Paternitas, & non maneret filius, nihil desiderandum, quòd constituat intrinsecè ipsammet Paternitatem. Deinde quæcunque Regula tradetur ostendens quid sit suppositio impossibilis tollens se ipsam, ea ostendet passim in istis exemplis quæ afferuntur ab oppositis formari

mari suppositionem impossibilem, tollentem se ipsam: & sicut est suppositio impossibilis tollens se ipsam dicere, si per impossibile maneret A B sine B, nihil desideraretur de constitutivis intrinsecis A B, Ita est suppositio compossibilis tollens se ipsam dicere, si per impossibile maneret cognitio Dei ablato per impossibile Deo, nihil desideraretur de constitutivis entrinsecis cognitionis Dei. Nam quantumvis per nos etiam, illud Ly Dei, non sit pars intrinseca cognitionis, est tamen tale, ut ablato illo Ly Dei, sit suppositio impossibilis adhuc ponere quòd maneat illud complexum Cognitio Dei, manente Ly Dei, sine Ly Dei.

Respondebis. III. Creaturam v. g. pendere a Deo nonnisi mediante actione, hinc ablato Deo, non nisi mediatè auferretur creatura.

Contra. Inprimis non ita est certum, quòd creatura pendeat à Deo mediante actione: Nam in physicis negatum est, quòd creatio sit modus, aut non sine modo. Deinde saltem ipsa actio non pendet à Deo media alia actione, & tamen concretum hoc ex actione & Deo aufertur immediatè ablato Deo, cum tamen Deus, non sit pars hujus concreti.

Addo. Etiam in Principiis oppositorum non posse dici, quod hoc concretum *Creatura dependens à Deo* dicat Deum tanquam Partem Item hoc concretum *Cognitio noscens objectum*, non dicit pro parte objectum: quia prædicta concreta, sunt formalissime relatio transcendentalis, nulla autem Relatio transcendentalis, componitur termino tanquam parte.

Colliges. His omnib⁹ pensatis adhuc desiderari, quid sit istud auferri formaliter & immediatè.

Objectt. II. Omne totum qualecunque sit identificatur adæquatè realiter, cum solis præcisè omnibus suis intrinsecis constitutivis simul sumptis: implicatque poni intrinseca constitutiva, ablatis per possibile vel impossibile aliis, quin eo ipso formaliter & immediatè ponatur totum. Ergo quæ ita se habent, ut illis solis positis formaliter & immediatè ponatur totū, quidquid sit de aliis, ea necesse est esse omnia, & sola intrinseca constitutiva.

Respondetur. Antecedens esse Verum: indubiè enim quod est intrinsecè constitutivum, illud est pars, impossibileque esse poni intrinseca omnia constitutiva, & non poni totum, cum indistinguatur totum à suis intrinsecis simul sumptis. Unde etiam hoc principium per nos salvatur: nam ablato termino auferuntur constitutiva intrinseca termini, ablato item constitutivo relationis, quod est fundamentum in circumstantia Rationis fundandi & termini positum, auferetur relatio, sed manet tantum fundamentum, certè tamen non sine constitutivis fundamenti. Concesso ergo antecedenti, negatur consequentia: quia licèt definitivè pars possit dici intrinsecum constitutivum, non tamen potest dici pars, quòd ea posita cum reliquis formaliter & immediatè ponatur totum, nisi explicetur istud Ly formaliter & immediatè. Hinc non tenebit consequentia ab antecedente, quod continet definitionem partis, ab consequens, quod non continet definitionem partis. Negatur enim ulterius, quòd formaliter & immediatè non ponatur v. g. cognitio Dei, si cum reliquis omnibus ponatur Deus, v. g. si ponatur Deus, ut terminans expressionem sui vitalem, ponaturque ipsa expressio, & tamen Deus non est pars cognitionis.

Instat. I. Etiam Ens connotativum, non distinguitur realiter ab omnibus & solis suis intrinsecis constitutivis simul sumptis, & hoc assumptum diutius promovet.

Respondetur. Concedendo totum, Jetenim immeritò imponitur nobis quasi ablato termino, dicamus manere constitutiva intrinseca relationis, & non manere relationem, cùm per nos ablato termino, & intrinseca relationis constitutiva, (suppositis definentia termini) auferantur, & ex sublatis constitutivis relationis, auferatur relatio. Quod constitutivum per nos est ipsummet fundamentum in circumstantia rationis fundandi & termini positum, quod tale poni, fundamenti, nemine cogitante tunc definit: adeoque definet relatio, ob ablationem termini tanquam alicujus extrinseci necessario requisiti, ob ablationem autem illius positionis fundamenti in circumstantia termini & rationis fundandi, ob inquam istam ablationem, definet relatio, tanquam propter defectum constitutivi intrinseci.

Instat. II. Ablato solo extrinseco connotato totius, ea quæ remanent constitutiva intrinseca totius, collectivè sumpta manent in ratione adæquatè identificati cum toto, neque enim aliquid in ratione adæquatè vel inadæquatè identificati cum aliquo, constituitur per aliquid extrinsecum. Ergo ablato solo extrinseco, ea quæ manent omnia constitutiva intrinseca, manent in esse partium.

Respondetur. Immeritò imaginari arguentem, quòd censeamus ablato termino, manere tamen constitutiva intrinseca relationis, vel partes compositivas relationis, non manente relatione; quod nusquam docetur: cum per nos constitutivum intrinsecum relationis, sit positio fundamenti in circumstantia termini & rationis fundandi, quæ positio tunc non habetur.

Instat. III. Deficiente solo extrinseco connotato totius, illa constitutiva totius quæ remanent, vel in esse partium constituuntur per illud quod deficit, tanquam per aliquid quod sit intrinsecum in tali denominatione, & sic hoc ipsum quod deficit, erit intrinsecum; vel constituuntur in esse partium per illud quod deficit, tanquam per aliquid extrinsecum, & jam quæro, quomodo tunc remanentia constitutiva totius non maneant in esse partium.

Respondetur. Negando quod per nos deficiente extrinseco connotato, maneant constitutiva relationis, non enim manet posito fundamenti in circũstantia rationis fundandi & termini; Solumque deficit connotatum hoc sensu, quia sola illa Physica realiter supera ddita entitas perit, sed non solus, quasi nemine cogitante non deficiat tunc positio fundamenti in circumstantia Rationis fundandi & termini, quæ positio ex eo tunc perit, quia est *Ad* extrinsecum, quod extrinsecum jam tunc deficit.

Instat IV. Omne extrinsecum requisitum ad esse alicujus totius, (quale solet esse causa efficiens, finis, conditio, terminus & similia ut talia sunt) requiritur utique ad esse totius non ratione sui præcisè, sed ratione alterius, à se adæquatè distincti, quatenus videlicet seu producit aliquid seu determinat ad producendum aut ad existendum aliquid, quod est extra entitatem ipsius requisiti. Ergo hoc remanente, ratione cujus requisitum extrinsecum requiritur, etiamsi ipsum requisitum extrinsecum per possibile vel impossibile non maneat, non propterea tollitur formaliter & immediatè totum. E contra verò constitutiva intrinseca requiruntur ad esse totius, non ratione alterius ab ipsis distincti sed ratione sui. Ergo remanentibus solis entitatibus ipsorum omnibus, quicquid sit de reliquo, eo ipso immediatè necesse est remanere totum.

Respondetur. Imprimis immerito supponere arguentem ablato termino requisito ad relationem, manere adhuc constitutiva intrinseca ejus ad quod terminus requiritur, non ergo manet id, ratione cujus requisitum extrinsecum requiritur. Deinde ultima illatio continet terminum qui non fuit in antecedentibus: nam nihil fuit ante positum de remanentia entitatum: quanquam per nos falsum est manere sublato termino relationem quoad entitatem, nec manet per nos quoad entitatem positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi & termini, quæ positio est constitutivum entitatis relationis. Denique physicè spectata per nos relatio, est fundamentum, est ratio fundandi, est extrinsecum seu aliud hoc est terminus: quod aliud à toto illo complexo non est distinctum realiter adæquatè, sed ratione sui requiritur ad illud complexum, & hoc æque contingit in relatione prædicamentali ac transcendentali, licet in utraque, terminus quia est extrinse cum, quia aliud, hoc ipso pars non sit.

Instat V. Proponendo Argumentum in Camestres manente solo adæquato intrinseco constitutivo Paternitatis, manet à parte rei paternitas: sed manente sola entitate Patris, non manet à parte rei Paternitas. Ergo sola entitas Patris non est adæquatum constitutivum intrinsecum paternitatis, Major est evidens quia potest nihil à parte rei manere, sine se ipso dicereque quòd tunc non maneat paternitas terminativè, & secundùm id quod dicit in obliquo, est petere principium; de hoc enim est quæstio, an relatio paternitatis dicat intrinsecè id quod dicit terminative, & in obliquo, sic enim iteratò urgetur in Camestres. Per te, entitas filii est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat tota relatio paternitatis. Sed per se etiam entitas filii, non est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat sola entitas Patris, Ergo sola entitas Patris, non est tota relatio paternitatis. Major & minor est adversariorum, Consequentia est in Camestres.

Respondetur. Concedendo totum. Sola enim Entitas Patris non est adæquatum intrinsecum Paternitatis, sed sola illa entitas exclusiva quidem est ne terminus sit pars ejusdem; deposcit tamen ut in circumstantia rationis fundandi sumatur, vel si placet distingue ex dictis minorem. Manente sola entitate Patris in circumstantia rationis fundandi & termini non manere à parte rei paternitatem, licet manente sola entitate Patris extra circumstantias non maneat à parte rei paternitas, consequenter sola entitas Patris extra circumstantias, non est adæquatum constitutivum Paternitatis secus intra has circumstantias. Nego ulterius peti principium, si quis diceret non manere tunc paternitatem terminativè potius enim ita dicendo staret in principio, probandumq; fuisset objicienti, quòd istud terminativè, transeat in conditionem extrinseci. Hac tamen distinctione non utor, quia alterum illius membrum subintelligitur quod tunc maneat paternitas quoad entitatem, quod aliàs est à nobis negatum.

Idem argumentum retorqueri sic potest de Relatione transcendentali Manente solo adæquato intrinseco constitutivo relationis creaturæ ad Deum manet à parte rei relatio, sed manente sola entitate creaturæ v.g. Impossibili Deo non manet à parte rei creatura. Ergo sola entitas creaturæ, non est adæquatum constitutivum intrinsecum relationis. Quod attinet ad secundum argumentum, consequentiam non habet contra nos quia per nos sola entitas Patris utcunque posita, non est tota relatio Paternitatis sed sola entitas Patris, posita in circumstantia rationis fundandi & termini, est tota relatio Paternitatis. Porrò de constitutivis intrinsecis discurrendum est proportionatè ad ipsamet constituta: hinc si constitutum sit absolutum, & in ordine physico, constitutiva etiam illius debent esse absoluta & in ordine physico: adeoq; ex accessu vel recessu entium absolutorũ pendentia. Quando autem constitutum est connotativum, respectivum, &c. idq; connotatione & respicientia nõ supperaddita realiter, etiam constitutiva intrinseca non debent esse superadditiva realiter. Quia autem omnis relatio, est constitutum respectivum, & in ordine non superadditi realiter, etiam constitutiva illius non debent esse superaddita realiter, si non superaddita realiter, tunc benè poterit esse relatio constituta, tanquam per suam consti-

constitutivum intrinsecum, per ipsam positionem fundamenti in circumstantia rationis fundandi & termini, quæ positio talis fundamenti, non est positio alicujus superadditi realiter, sed ipsius fundamenti *talis se habentia, vel Tale Ad, Tale circumstantionatum*: Ita tamen ut ipsæ illæ circumstantiæ, non sint id quod refertur, sed ratione cujus fundamentum refertur. Deinde secundum hoc Argumentum, cum sit in Camestres, debuit pro prædicato in minori ponere non illud Ly *Sola entitas Patris*, quia istud Ly Sola entitas Patris non erat pro prædicato positum in Majori; hinc si formetur minor ponendo prædicatum, secundùm quod fuit positum in Majori, prodibit talis propositio: Sed per te etiam entitas filii, non est conditio extrinseca requisita ad hoc ut existat tota relatio Paternitatis, quæ propositio non est ut ait objiciens nostra, sed potiùs negatur à nobis. Rursus in Camestres Prædicatum Majoris, est etiam Prædicatum Minoris, si prædicatum minoris, non debet ingredi conclusionem, medius enim terminus qui in secunda figura bis prædicatur, non debet (sicut & in aliis syllogismis) ingredi conclusionem: & tamen ingreditur Ly enim *sola entitas Patris* positum in minori, positum etiam est in Conclusione ut legens advertet. Si autem in Forma ponatur hoc argumentum, fiet illi prædicta distinctione satis, vel continebit Conclusionem quæ non erit contra nos.

Quod autem attinet ad hoc, cur in relatione transcendentali, terminus non sit pars, quamvis sit pars in relatione prædicamentali hujus, certe non videtur ab illo dari legitima disparitas. Quod enim dicit in relatione transcendentali requiri terminum extrinsecè, ad existentiam solius fundamenti de hoc quæritur, cur in relatione prædicamentali non requiratur etiam terminus extrinsecè ad existentiam solius fundamenti. Deinde quod dicit si per impossibile daretur fundamentum relationis transcendentalis sine suo termino, puta entitas hominis sine Deo, adhuc solvaretur formaliter tota relatio Abalietatis in sola entitate hominis, utpote limitata quod inquam dicit non convincit. Imprimis quia videtur hic formari suppositio impossibilis, tollens se ipsam: supponere enim, quòd entitas hominis sit sine Deo, est supponere quòd sit sine Ab alio, illud enim *Ab* illud *Alius* est Deus; Si est sine Ab alio, quomodo sine suppositione impossibili tollente se ipsam, dicet Abalietatem. Nec ex eo illa creatura erit ab alio formaliter, qui erit limitata, alia enim est formalitas limitati, & relatio, alia formalitas & relatio Abalietatis: hinc si per impossibile vel possibile daretur infinitum creatum in aliquo genere, esset illimitatum in illo genere, & tamen in illo genere Abalio. Deinde dici potest, si per impossibile esset positio Fundamenti in circumstantia rationis fundandi sine termino, esset tunc relatio.

Punctum Difficultatis 5.

Continuatur Solutio.

Objicit III. Si prædicta definitio non teneret partes, si terminus non ingrederetur relationem tanquam pars &c. sequeretur in aliqua linea entis, idem à parte rei manere sine se ipso, nempe manere omnia & sola constitutiva intrinseca totius, identificata adæquatè toti, nec tamen manere ipsum totum; quod evidenter implicat. Et hæc est implicantia quæ toties requiritur cur ablato intrinseco auferatur totum, non autem ablato extrinseco.

Respondetur. Negando sequelam, probatio sequelæ supponit aliquid quod à nobis non docetur: nempe ablato termino, manere omnia & sola constitutiva intrinseca relationis. Nec videtur cui usui serviat dare implicantiam cur ablato intrinseco auferatur totum, non auferatur ablato extrinseco: cum in hac thesi, utraq; pars conveniat; differt autem in hoc quod si aliquo ablato immediatè aliquid auferatur, jam hoc ipso difinitivè argui quod auferatur pars. Differimus item in hoc, cur ex ablato extrinseco, non posset sequi ablatio constitutivorum relationis, adeoq; & relatio.

Instat I. Doctrina nostra involvit combinationem terminorum repugnantiũ, nam illa positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, est ens Logicum, quod ens Logicum, sicut suum esse ita & distingui habet solum per rationem: ac proinde nullum accidens Logicum est separabile à parte rei à suo subjecto: aliàs eo ipso haberet propriam essentiam & existentiam, esset que accedens physicum, quomodo ergo per nos ablato termino non manebunt constitutiva intrinseca relationis? & quomodo positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, nemine cogitante tunc perit.

Respondetur. Duplicia sunt entia Logica, quædam quorum & esse & distingui, pendet à ratione, & qualia admittit objiciens: alia autem sunt entia Logica, quorum quidem est esse nemine cogitante, distingui tamen non est nemine cogitante: & ita rationalitas respectivè accepta, risibilitas item, sunt accidentia, danturque nemine cogitante, & tamen per eos qui non tenent distinctionẽ ex natura rei, non sunt distincta nemine cogitante. Dantur idem gradus metaphysici superiores & inferiores, indubiè enim nemine cogitante pluribus convenit vivere quam sentire, & tamen gradus superiores & inferiores non distinguuntur nemine cogitante. Ita etiam datur positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, idque nemine cogitante, quæ tamen non sit distincta nemine cogitante ab entitate fundamenti & entitate rationis fundandi.

De

De ablatione autem entium discurrendo, ablatio etiam illorum est duplex: quædam enim auferantur nemine cogitante, ita, ut nemine cogitante desinat physica aliqua entitas, & sic auferetur v. g. anima bovis dum separatur ab ejus corpore. Alia autem auferuntur nemine cogitante, hoc est non fictè, hoc est non me cogitante, licet non auferantur nemine cogitante, quasi ablatione alicujus entitatis physicæ. Et ita v.g. si per impossibile maneret homo non manente Deo, si item per impossibile nemine cogitante non diceret relationem ad Deum, nihilominus ablatio illius relationis, non esset ablatio alicujus entis physici distincti. In sententia item terminos quantitatis explicante per ipsam negationem ulterioris extensionis, posita continuatione partium nemine cogitante periret terminus, & tamen ille non esset quid physicum superadditum. Rursus quando perit unio perit etiam nemine cogitante v.g. in materia denominatio compartis, & quidem nemine cogitante: licèt hæc denominatio Compartis non sit quid superadditum & distinctum physicè. Denominatio item coexistentis Paulo Petri prout condistincta à conduratione Paulo Petri si moriatur Paulus perit nemine cogitante, & tamen illa coexistentia non est quid physicè & entitative aut distinctum aut superadditum Paulo & Petro. Ita & in præsenti perit nemine cogitante ablato termino positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi: licèt hæc positio, non sit quid physicè superadditum, distinctum à fundamento & ratione fundandi. Et certè per ponatur argumentum modalisticum, sic probans distingui modaliter relationem. Quod nemine cogitante perit, nemine cogitante advenit, illud distinguitur saltem modaliter: sed relatio v.g. paternitatis, voca illam si placet denominationem, perit nemine cogitante & advenit. Ergo paternitas est distincta modaliter hoc argumentum quocunque modo placuerit solvere Objicienti, ostendetur quod aliud sit perire & advenire entium physicorum, & aliud sit perire & advenire entium Logicorum, quæ sunt nemine cogitante hoc sensu quòd non sint ficta, sed non sunt nemine cogitante, quasi trahant secum aliquam entitatem physicam, superadditam & distinctam nemine cogitante. Neque in solutione argumenti prædicti modalistici, sufficiet recurrere, quòd tunc pereat terminus: urgebunt enim Modalistæ, quòd præter terminum, fundamentum, & rationem fundandi, detur relatio, quæ perit & advenit nemine cogitante. Erit ergo illa modus.

Et hoc est quod supra diximus quod constitutiva debeant esse proportionata suis constitutis. Hinc si constituta sint physica, etiam constitutiva erunt physica & superaddita. Si autem constituta sint Logica, etiam constitutiva erunt Logica, erunt tamen nemine cogitante, hoc est non ficta, licèt non sint nemine cogitante, quasi physicam super additam entitatem importent.

Instat. II. Istud accidens reale Logicum, vel est realiter adæquatè identificatum cum sola entitate Patris extra circumstantiam filii vel non: Si primum; Ergo manente Sola entitate Patris, & constitutiva relationis & relatio manebit. Si autem hoc accidens reale Logicum, non est adæquatè realiter identificatum cum Sola entitate Patris, existente extra circumstantiam filii. Ergo hoc accidens reale Logicum, non solum identificatur entitati Patris existenti extra circumstantiam filii, sed etiam identificatur alteri, quod certe non erit aliud, nisi ipsa circumstantia filii uti volumus. Nisi fortè dicatur, hoc accidens, nullo modo ne quidem inadæquatè identificari realiter cum entitate Patris, existente extra circumstantiam filii, hoc tamen si dicatur jam istud accidens reale Logicum, erit omnino accidens physicum, habens propriam essentiam & existentiam.

Respondetur. Positionem fundamenti in circumstantia non tantum termini debere esse, sed etiam in circumstantia rationis fundandi, & quidem per prius; cujus tamen non meminit arguens. Sed quicquid sit de hoc. In principiis nostris relatio adæquatè identificatur cum sola entitate Patris, existente intra circumstantiam rationis fundandi & termini: sed nego hoc ipso, debere illam identificari illi circumstantiæ; si enim circumstantia est, si aliud est, jam prædicato indentificationis gaudere non potest. Hinc huic argumento negatur consequentia, quæ ipsissima probari debuit, nempe quod implicet ut aliqua denominatio, sit ipsum illud denominatum, in tali circumstantia positum; in qua tamen probanda consequentia, vertitur totius difficultatis cardo. Deinde si discurratur de relatione physicè spectata, dico illam esse conflatum ex fundamento, ratione fundandi, & ex aliquo extrinseco seu termino, ipsoque *Ad aliud*: quòd si est extrinsecum, si aliud, pars rigorosa non est. Sed debet ne dici quod denominatio relati, seu relatio inadæquatè identificetur fundamento extra circumstantiam rationis fundandi, & termini posito! ad quod antequam respondeatur, quæri potest, an in denominatione coexistentiæ, quam habet Petrus Paulo, ablato Paulo, dicendus sit inadæquatè illi coexistere Petrus. Item sublata unione, remanens materia, amittit denominationem compartis; an tamen debeat dici tunc materia inadæquate compars: & si has locutiones probarit respondens, poterit dici inadæquatè etiam, identificari relationem soli præcise entitati fundamenti: si autem improbarit priores locutiones Objiciens; ex quo fundamento illas improbarit, ex eodem fundamento etiam nos dicemus, nec inadæquatè identificari fundamento extra circumstantias posito relationē. Posito tamen quod aliquis diceret nequidem inadæquate identificari relationem fundamento extra

extra circumstantias positio, non sequetur quod relatio sit jam futura accidens physicum, habent propriam essentiam & existentiam neque id probat objiciens: sed tunc relatio evaderet accidens physicum, si ita non identificaretur fundamento etiam inadæquate ut superadderet novam entitatem physicam, secus autem si non identificaretur eo sensu quod nemine cogitante adveniret hoc est non ficte, dum fundamentum ponitur in circumstantia termini.

Objicit IV. Explicabile esse, quomodo ad ablationem connitati extrinseco auferatur mediatè totum, non quasi debeat mediare tertia entitas, inter connotatum & inter totum, quæ auferri debeat, sed quia præter connotatum, debet aliquid auferri adæquatè distinctum ab ipso, ut auferatur totum: puta ut auferatur ratio creaturæ, debet auferri v.g. homo, distinctus à Deo adæquatè verò præter partem v.g. præter animam, nihil ab ea adæquatè distinctum auferri debet, ut auferatur totum, nempe homo. Unde etiam Ly *Id ratione cujus ponitur immediatè totum* non potest esse genus supremum, in sua categoria, commune parti & connotato.

Respondetur. Videtur hæc circumscriptio ipsius Ly *formaliter & immediate* potiùs ostendere quod in relatione transcendentali terminus sit pars: idq; ex eo: quia esse intrinsecũ, est commune & toti & parti, hinc quod accedit magis ad intrinsecum, illi competit magis esse vel partem vel totum: quid autem est magis intrinsecum, quàm illud, quod si auferatur, hoc ipso debeat tota omnino entitas deperire: & tamen hoc contingit in relatione transcendentali: cujus ablato termino, tota entitas relati perit, magisq; revera illud est extrinsecum, quo ablato, non est necesse totum illud quod dicebat relatio perire, ablato autem termino relationis prædicamentalis, remanet aliquid quod dicebat relatio nempe subjectum relationis. Deinde quod ablato termino relationis transcendentalis, necesse sit auferri totum, hoc nõ ex eo proficiscitur, quia terminus est quid extrinsecum: potius enim quia extrinsecum est, deberet sequi quod non auferatur totum, sed id ex eo evenit quia illa relatio est essentialis, hinc si pereunte termino pereat relatio, peribit aliquid essentiale, nihil autem sine suo essentiali esse potest. Unde si supponeretur relatio paternitatis esse essentialis, ablato filio, necesse etiam esset auferri entitatem Patris. Consequenter non ex eo præcisè anima est pars, quia illa sola ablata jam hoc ipso perit totum. Rursus cum relatio sit ens Logicum vel potius metaphysicum, etiam constitutiva illius, cum sint Logica seu metaphysica, ostendi potest quomodo ablato termino in principiis objicientis, debeat admitti, auferri præter ea aliquid, ut tum demum dicatur auferri relatio: ablatio enim termino aufertur constitutivum relationis, nempe positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi, quæ debet intelligi tum auferri, tuncq; primum desinit esse relatio: ita ut si positio fundamenti in circumstantia rationis fundandi esset entitas physica superaddita, non posset intelligi ablato termino auferri relatio, nisi supponeretur in super ablata illa entitas superaddita quæ est positio fundamenti in circumstantia termini. Unde ulterius colligi potest, quod possit fieri talis categoria: aliud erit tolli proprium esse physico, & tale tolli competit, dum ablato v.g. Deo perit entitas creaturæ: & aliud tolli competens enti metaphysico, ut scilicet debeat intervenire ablato termino ablatio constitutivi metaphysici v.g. positionis fundamenti in circumstantia rationis fundandi: qua categoria formata, sicut terminus relationis transcendentalis non est pars relationis, ita nec terminus relationis prædicamentalis pars erit.

Instat I. Fieri nequit ut propter variationem solius extrinseci aliquid nunc adæquatè realiter identificetur alicui, nunc verò non identificetur realiter adæquatè eidem: cùm identitas rei, sit ipsum esse rei, præscindendo ab omnibus extrinsecis.

Respondetur. Non tantùm propter variationem solius extrinseci, non potest evenire ut aliquid nunc adæquatè identificetur nunc non identificetur. Sed id evenire non potest etiam propter variationem alicujus intrinseci. Certè enim anima est quid intrinsecum, composito illa tamen ablata, impossibile est ut quod erat identificatum materiæ, evadat postea non identificatum. Hinc extrinsecitas vel intrinsecitas non potest ex eo colligi, quod nũc identificetur realiter nunc nõ identificetur. Directè verò ad argumentũ dici potest: propter variationem quamcunque non posse evenire, ut aliquid adæquatè realiter identificetur, hoc est accedendo physicè identificetur, & recedendo, physicè non identificetur? concedoque id esse impossibile: sed nego impossibile id esse, ut propter variationem solius extrinseci, non pereat vel non adveniat denominatio, quæ in re sit ipsum illud, in tali circumstantia positum, implicareque æque talem idẽtificationem, deberet ostendi.

Instat II. Si non manent omnia intrinseca totius ex defectu intrinseci, ergo præter illud extrinsecum, aufertur etiam aliquid intrinsecum: hoc autem est contra suppositionem, quia nos non negamus ablato aliquo intrinseco auferri totum, sed solum contendimus sic non auferri, ablato solo extrinseco.

Respondetur. Ablato termino relationis prædicamentalis auferri per nos etiam constitutiva intrinseca relationis, unde ante etiam dictum, immeritò nobis imponi, quòd ponamus manere constitutiva intrinseca relationis, non manente relatione. Restabit tamen totus difficultatis cardo, an ablato extrinseco, debeat hoc ipso in relatione prædicamentali intelligi subsecuta

cuta indispensabiliter ablatio etiam constitutivorum relationis, quod affirmamus nos, negant oppositi ex eo inferentes, jam illud extrinsecum debere esse partem.

Instat III. Immeritò à nobis supponi quod sit suppositio impossibilis tollens se ipsam si ponatur per impossibile v.g. manere cognitionem objecti per impossibile ablato objecto: certè enim in hac suppositione nõ affirmatur & negatur idem sub eodem conceptu, supponitur enim manere repræsentatio objecti, & non manere objectum realiter distinctum à repræsentatione.

Respondetur. Nego quod in hac suppositione non affirmetur & negetur idem sub eodem conceptu; affirmatur enim Ly objecti in termino Repræsentatio objecti, & negatur Ly objecti, cùm supponatur illius impossibilitas. Quod ipsum Ly objecti, quod supponitur impossibile, comparatè acceptum ad se inclusum in Ly Repræsentatio objecti, majorem dicit identitatem, quàm rationale cum homine adæquatè sumptus, dicat etiam animalitatem, quæ magis distinguitur à rationali, quàm objectum à se ipso. Concedo quidem quòd objectum & ejus repræsentatio differant etiam realiter, sed nego quod Ly Objecti inclusum in repræsentatione Objecti, & Ly Objecti, quod supponitur esse impossibile, nego inquam distingui hæc realiter cùm nec ratione distinguantur magisque identificentur secum quàm definitio & definitum, sed se habent potius sicut homo ad hominem non ad animal rationale: qui homo à se homine minus distinguitur, quàm ab animali rationali, cùm nec per rationem distinguantur homo & homo. Idem dic in præsenti.

Instat. IV. Imperceptibile videtur ut aliquid hodie retonendo suum totum esse (siquidem nihil supponitur amisisse nisi aliquid extrinsecum) non retineat identitatem cum quo illam heri habuit, id est, non retineat identitatem secum.

Respondetur. Immeritò supponi quod ablato termino nihil supponatur aliud amitti, amittitur enim constitutivum intrinsecum relationis, quod jam repetito dictum: concedoque impossibile esse ut aliquid non retineat identitatem cum eo cum quo illam habuit, sed identitatem secundùm quod supponitur illam habuisse, adeoque identitatem proportionatam: & quia identificabatur relatio fundamento in circumstantia rationis fundandi & termini positò; si fundamentum ita se non habeat, nec relatio illi identificabitur: cùm identificatio secundum quod competit relationi, adeoq; identificatio proportionata, sit identificatio in circumstantiis suis positò: ita ut sit impossibile, esse fundamentum ita circumstantionatum, & non esse identificatam illi relationem, quæ quia non identificatur fundamento simpliciter sumpto, hinc illo manente simpliciter sumpto, non manet relatio: tuncque identificatum maneret non identificatum, si posito fundamento in suis circumstantiis non maneret relatio. Sic esse compartem identificatur realiter materiæ, & tamen ablata forma jam non est compars materia coexistentia item Petri cum Paulo identificatur Petro & tamen ablato Paulo ut dictum supra non manet coexistentia Petri.

Instat V. Esse partem actu seu compartem, non est idem realiter adæquatè cum materia: quia esse partem actu præter entitatem materiæ, dicit intrinsecè unionem modalem, ac proinde materia per se ipsam est pars actu, non adæquatè sed inadæquatè. Exemplum etiam coexistentiæ non urget: hæc enim coexistentia, cùm sit relatio prædicamentalis, non identificatur adæquatè meæ soli coexistentiæ, sed etiam partialiter identificatur existentiæ Petri, à quo proinde partialiter desumitur.

Respondetur. Condistinguenda hæc esse duo; habere rationem uniti, & habere rationem compartis: hinc quantumvis ratio uniti non habeatur independenter ab unione, poterit ratio compartis haberi & non ab unione: imò & debebit, quia si constitutiva uniti habentur dependenter ab unione, constitutiva compartis non debent esse eadem, cum diversarum formalitatum, debeant esse diversa constitutiva. Et certè independenter ab unione, competit prædicatum v.g. materiæ, quod sit constitutivum intrinsecum compositi, imò hoc prædicatum præsupponitur ab unione substantiali, nam nisi esset materia constitutivum intrinsecum, non posset uniri in composito unione substantiali: quia autem compars nihil aliud est, nisi præter illud constitutivum intrinsecum, esse etiam hoc constitutivũ intrinsecum, cumque illud præter, sit extrinsecum, per suammet entitatem, in circumstantia illius extrinseci, habebit rationem compartis sibi identificatam: licèt hoc prædicatum illi non competat nisi in circumstantia illius extrinseci. Et ne vis fiat in unione illa, certè binarii hominum, est per arguentem compars unus homo, identificaturque hoc illi, & tamen ablato extrinseco, hoc est alio homine, non est jam compars: neque tamen identificatur ratio compartis identificatione, quę sit per accessum alicujus entitatis, sed identificatione, quòd sit denominatio, quæ in re est ipsum illud, in tali circumstantia positum. Illud quod dicitur de coexistentia non tenet: quia quantumvis detur arguenti, quod coexistentia secundum quòd relatio est, constituatur alia existentia tanquam parte, certè tamen hujus existentiæ alia existentia non est pars & tamen coexistentia nihil aliud est, nisi hæc existentia, & hæc existentia, consequenter coexistentia identificatur, hoc est, denominatio, quæ est ipsum illud existens, in circumstantia alterius existentis.

Objicit

Objicit V. Vi harum responsionum sequi, quod possit dari identificatio accidentalis, et tamen quid est magis essentiale rei, quàm esse id, quod est; cum in hac propositione identica, subjectum à prædicato ne quidem ratione nostra distingvatur.

Respondetur. Non posse esse identitatem accidentalem hoc sensu, quasi aliquid accessu suæ entitatis identificetur, recessu non identificetur: id enim implicat: sed potest esse identificatio accidentalis; hoc sensu, quòd possit dari denominatio, quæ sit illud ipsum in tali circumstantia: & quia illa denominatio identificatur huic in tali circumstantia posito, si poneretur non identificata tunc, cum ponitur illud in tali circumstantia, verè identificatio illa esset accidentalis: quod quia in principiis nostris non evenit, hinc nec ponimus hoc sensu identificationem accidentalem.

Noto. Contra objicientem bonam esse hanc instantiam. Si per impossibile auferretur Deus, & per impossibile maneret homo, immediate desineret in illo relatio creaturæ, quantumvis relationem creaturæ non compleat DEUS per modum partis. Quod enim dicit objiciens, relationem transscendentalem creaturæ ad Deum esse primo essentialem rei absolutæ puta homini, id à nobis negatur, sed quantumvis etiam concederetur nihilominus supponere *Si per impossibile maneret homo & non referretur ad Deum relatione creaturæ*, non foret adhuc suppositio impossibilis tollens se ipsam, Quia tunc ablato primo essentiali conceptu alicujus, ponere illud metipsum, esset suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando illud metipsum secundum quod supponitur esse, definiretur sub illa formalitate per illum primo essentialem conceptum, qui supponitur auferri: nam verè tunc subqua formalitate affirmaretur, sub eadem nègaretur, Jam autem homo, qui supponitur in hac suppositione impossibili, manere in ratione hominis, non definitur per relationem creaturæ ad DEUM. Et certe in particulari loquendo, tunc est suppositio impossibilis tollens se ipsam, quando idem eodem modo sumptum affirmatur & negitur v. g. si definitum de se ipso definito affirmetur & negetur, Ut si dicas si per impossibile esset homo, & non esset homo. Item si de definito negetur definitio tota, vel si definito negetur pars definitionis verè enim idem affirmaretur & idem negaretur: quia autem homo & creatura, nec sunt sicut definitum & definitum idem, revera enim duplex est hoc definitum. Item cum homo sub formalitate hominis, non sit definibilis per creaturam totaliter vel accipiendo pro parte definitionis creaturam, cum homo pro partibus dennitionis dicat animal & rationale: Ideo hoc supponere, quòd maneat homo per impossibile, sine relatione creaturæ ad DEUM, non est suponere suppositione impossibili tollente se ipsam. Illud etiam quod addit. ablato per impossibile solo DEO, & manente homine, non mansuram rationem creaturæ, solum arguitivè & mediate; quia scilicet tunc tolleretur aliquid realiter adæquatè distinctum non quidem ab homine, benè tamen à Deo, nempè definitio objectiva creaturæ hoc unquã quod dicit non convincit. Negò enim arguitivé & mediate auferendam tunc relationem creaturæ, nec constat quid sit & quid significet ablato DEO, auferri definitionem objectivam creaturæ; & quàmvis hoc explicetur, adhuc ostendetur non arguitivè & mediatè tunc auferendam relationem creaturæ: Nam cum relatio creaturæ non sit in DEO, sed in homine, non in DEO sed in homine ostendendum esset, quod auferatur aliquid præter ablationem termini hoc est DEI: si autem non ostendetur in dicta suppositione auferri aliquam entitatem, cum auferatur relatio, verè non per hoc ablato termino relationis transcendentalis, vere inquam non per hoc eximetur à conditione partis, quòd mediatè tunc auferatur relatio: verè enim nulla alia entitate præter entitatem termini sublata, aufertur, cum tamen mediate auferri per hoc explicetur, quia præter terminum, aufertur alia entitas.

QVÆSTIO II.
De Divisione Relationis.

Dividitur I. Relatio in Realem & Rationis; Realis est cujus fundamentum, subjectum, ratio fundandi, Terminus datur à parte rei nemine cogitante. Relatio rationis, est relatio, quæ verè non est in re, apprehenditur tamen esse, ut cum apprehendimus animalis rationem, respicere inferiora, cum animal istud superius, non sit, nemine cogitante.

Circa hanc divisionem in particulari quæri posset: an relatio prioris & posterioris sit realis; an rationis.

Assero I. *Nulla ex his relationibus est de se prædicamentalis.* Ratio: quia relatio prædicamentalis exigit extrema realia Physica existentia, potest autem esse relatio prioris & posterioris, quin sibi coexistant licèt sibi coexistere possint; ut Pater cum filio convivens.

Assero II. *Potest quis tueri non esse hic relationem sed meram denominationem.* Ratio quia non est relatio prædicamentalis, casu ut dixi quo non existat terminus; nec transcendentalis; quia potest poni subjectum hujus relatio-

nis quod est prius, & non habere rationem prioris, ergo ex fundamentis de Relatione transcendentali dicendorum, non erit illa relatio transcendentalis. Ergo tantum debet poni denominatio.

Assero III. *Posito quod quis tueretur intervenire hic relationem, tunc in linea meré prioris & posterioris erit relatio transcendentalis.* Ratio quia impossibile est poni prius & non respondere illi posterius; nec se ista habent, in hac linea sicut entitas Patris, quæ poni potest quin ponatur filius. Dixi in linea merè prioris & posterioris, quia specificativè acceptum prius, poterat esse posterius, in alio enim ordine poterat Adam, esse filius Abelis, ut aliàs etiam dictum.

Assero IV. *Posito quod hic sit relatio, erit relatio realis*, ratio quia non pendet à nostris conceptibus quod hoc sit prius illud posterius, ergo si hic est relatio, erit relatio realis.

Assero V. *Posito quod Relatio posterioris ad prius sit realis, etiam relatio prioris ad posterius erit realis.* Ratio tum quia non est major ratio unius quàm alterius. Tum quia vel supponitur aliquid realiter esse prius, vel non realiter prius, si non realiter prius de illo non est disceptatio, si realiter prius, quid illi deerit ne habeat relationem realem? Tum quia si referretur relatione reali posterius ad prius, non autem prius ad posterius, illud posterius vel non haberet prius reale, ergo nec ipsum esset posterius reale: vel illud posterius si haberet prius reale, quare habitudo illius prioris realis, in ratione prioris realis, vel esset realis vel non esset: si non esset habitudo realis, quomodo erit prioritas realis. si esset habitudo realis, ergo & relatio realis, hæc enim verbis differunt, & certe prius istud reale, est non ad se realiter, nihil enim respectu sui est prius, ergo prius realiter ad aliud, ergo prius realiter relativè ipsum enim ad aliud, est istud relativè.

Dices I. Cum Mauro qu. 54. hic Ordo prioris & posterioris addit rebus pulchritudinem & perfectionem; sed quod addit novam pulchritudinem ordinis addit entitatem distinctam, ergo ordo prioris & posterioris addit entitatem distinctam. Sed talis ordo & relatio non potest dari in re priori, sed solùm in posteriori; nam res naturaliter loquendo, nullam perfectionem aut pulchritudinem possunt acquirere, ab aliquo futuro, quod non est, sed erit, quo pacto non potest fecundari terra de præsenti, à pluvia futura, potest autem acquirere perfectionem & pulchritudinem à re præterita, quo pacto terra de præsenti est fecunda, à pluvia præterita.

Respondetur. Videtur hoc Argumentum se ipsum involuere, nam si ut asseruit in majori, non tantum est pulchritudo ex ordine posterioris, sed etiam ex ordine prioris, hoc ipso tueri debet, quod relatio, quia & pulchritudo, debet admitti in ordine prioris. Directè autem dici potest, quod ordo præcisus prioris & posterioris addat rebus pulchritudinem & perfectionem Metaphysicam, adeoq; sine superadditione novæ entitatis, quam pulchritudinem Metaphysicam, nego quòd res accipere non possint, ratione alicujus posterioris, ita tamen ut pulchritudinem, secundùm quod dicit illa in recto res, habeat ab aliquo præsenti, hoc est entitate quæ denominatur prior, in obliquo autem ab aliquo futuro. De fecunditate pluviæ aliud est, quia fecunditas illa est quid Physicum, tamen etiam in Physicomoralibus futura dignitas, est motivum reverentiæ & honestioris tractationis, futura fecunditas agrorum, est materia contractuum præsentium, & anticipatæ solutionis.

Dices II. Si non esset relatio realis posterioritatis, ideo inter alia non esset, quia non apparet, quomodo talis relatio v. g. ad Julium Cæsarem propagata fuerit: sed hoc non obstat, sicut enim gesta illius, consequuntur sui memoriam, quæ est quædam relatio intentionalis, ita relinquunt relationem sui, quæ est memoria non intentionalis, totaque historia rerum, est impressa in natura, per relationes impressas entibus, unde in die judicii, sicut aperientur libri conscientiarum, ita aperientur libri relationum.

Respondetur Inprimis hoc argumentum potius probat relationem prioris esse perpetuam & descendentem usque ad nos, quia etiam non posteriorum memoria seu relatio, sed priorum tanquam objectorum, sicut memoria, ita & relatio est. Posito quod relinquatur relatio posterioris, dico non esse rationem cur non relinquatur relatio priois. Item negatur relationes imprimi rebus, de libris autem relationum aperiendis, est mera imaginatio.

Dices III. Debere explicari quid sit fuisse: id autem quam facillime explicatur in nostra sententia, explicari non posset in contraria.

Respondetur. Per nos Fuisse, est entitas quæ habuit præsentiam, qua modo caret, quod est facilius, quàm ponere illos relationum libros, quos nec ratio nec autoritas firmat.

Dividitur II. Relatio. In relationem secundum Esse, & in relationē secundum Dici. Relatio secundum Esse, est eadem quæ & realis; relatio secundum Dici variè explicata videatur ab Oviedo. Potest dici quod relatio secundum dici, sit ea, quæ intercedit inter extrema, quæ non possunt explicari sine ordine ad aliud, licet illum ordinem in se non dicant primo.

Divi-

Dividitur III. Relatio. In Mutuam & non mutuam. Mutua relatio est, quando utrumque extremum, respectivum est realiter, adinvicem; & ita Pater Filium, Filius Patrem respicit. Non mutua relatio est, quando ex una tantum parte, correspondet relatio realis. Sic v. g. non est mutua relatio inter Scientiam, & Ens rationis. Relativa mutua, subdividuntur in Relativa Disquiparantiæ, quæ non habent æqualem comparationem, atque appellationem, ut Pater, Filius. Relativa autem Æquiparantiæ sunt, quæ sunt relativa æqualis comparationis, quali comparatione referuntur duo similia.

Dividitur IV. Relatio à Scot. in 4. dist. 17. q. 1. in Relationem Extrinsecus advenientem, & Intrinsecus advenientem. Relatio Intrinsecus adveniens, est, quæ posito fundamento & Termino, illico necessariò consurgit, & talis est relatio similitudinis. Relatio extrinsecus adveniens est, quæ non necessariò consurgit, sed desideratur aliquid ut pullulet relatio, & ita v.g. posito agente, & posito passo, nondum est actio, quam ille vult, esse extrinsecus advenientem relationem, sed erit ubi adfuerit debita applicatio passi, & agentis. Posteriora 6. Prædicamenta voluit esse Scotus Relationes extrinsecus advenientes. Relatio autem Intrinsecus adveniens, constituit per Scotum prædicamentum Relationis.

Contra hanc divisionem est, ex Suar. Tum quia sunt aliquæ relationes; extrinsecus advenientes, quæ tamen non sunt ex illorum numero, sex Prædicamentorum, & ita Unio est per illum Relatio extrinsecus adveniens, & tamen non nisi ad formæ prædicamentum revocatur. Tum quia Propinquitatis relatio, inter Petrum & Paulum, est relatio Prædicamentalis, consequenter per Scotum intrinsecè adveniens; & tamen non hoc ipso, quia Petrus & Paulus ponuntur in rerum natura, sunt sibi propinqui. Tum quia ex eodem Suar. & Arr. quando dicit Scotus esse aliquas relationes, quæ posito fundamento & termino non necessario resultant, suntque extrinsecè advenientes, vel loquitur de fundamento remoto, vel de fundamento proximo, si de fundamento remoto, hoc est accepto non cum ratione fundandi, hoc ipso omnes relationes erunt extrinsecus advenientes, omnes enim sine ratione fundandi esse non possunt. Et certè sicut potest esse hic ignis & hic ignis, sine eo, quòd unus causet alium; ita potest esse hic paries, & hic paries sine eo, quòd sint similes, si absit ratio fundandi, si verò loquitur de fundamento proximo, accepto scilicet cum ratione fundandi, nullæ erunt relationes extrinsecus advenientes, impossibile enim est esse hunc, & hunc ignem, in circumstantia rationis fundandi, quin ignis producens, dicat relationem ad ignem productam.

Dividitur V. Relatio in Transcendentalem, & Prædicamentalem. de qua sit.

DIFFICULTAS I.

Quæ sit Distinctio apud alios inter Relationem Prædicamentalem & Transcendentalem.

Explicatur I. Aliqui apud Suar. d. 47. s. 4. n. 2. distinctionem inter Relationem Prædicamentalem, & Transcendentalem ex parte termini ponunt, *quod scilicet Transcendentalis, non requirat* actu existentem Terminum, sed possit ad possibilem tantum terminari, secus relatio Prædicamentalis.

Hæc explicatio.

Non Satisfacit. Quia ut ait Suar. dantur aliqui respectus Transcendentales, qui esse non possunt sine termino actuali, & ita Modi, qualis est apud Modalistas Unio, actio, &c. sunt tales, qui sine termino actuali esse non possunt, & tamen dicunt ad Terminum Relationem transcendentalem. Deinde ut ait Ovied, mala erit hæc consequentia; Hæc relatio non potest existere sine termino, Ergo est Prædicamentalis, erit inquam mala, quia dantur relationes Transcendentales, quæ non possunt sine Termino actuali existere. Ex quo colliges, non omni relationi Transcendentali, convenire hoc, quod possit esse sine termino. Bona verò erit hæc consequentia. Hæc relatio existit sine termino. Ergo est Transcendentalis.

Respondebis. Ex conceptu communi Relatio Transcendentalis non exigit terminum actualem, quantumvis aliqua specialis Relatio Transcendentalis hoc exigat.

Contra. Ergo non ostendis regulam unde in particulari dignosci debeat, quod hæc Relatio sit transcendentalis, sicut si posset aliquis Leo in particulari esse hinnitivus, quamvis ratio communis Leonis, non exigat rationem hinnitivi, non ostenderes indicium, unde colligi debeat, quod hoc in particulari animal, sit Leo, & non equus; cum & equo huic in particulari, & huic in particulari Leoni, hinnire conveniret.

Explicant II. Aliqui cum Hurt. Arr. Ovied. Distinctionem inter Transcendentalem & Prædicamentalem Relationem ex parte Fundamenti, *ut illa scilicet Relatio sit Transcendentalis quæ adæquatè & essentialiter identificatur fundamento*, unde etiam provenit, ut sine illa nec esse, nec concipi possit, qualis

est relatio Creaturæ ad DEUM, unionis ad extrema. Prædicamentalis verò est illa, quæ subjecto merè accidit, & ab eo separari potest, ut Paternitas ab Adamo. Idem in re aliis verbis tradit Oviedo, eò, quod relatio Transcendentalis adæquatè identificetur subjecto; Prædicamentalis autem inadæquatè distinguatur, eò, quòd componatur ex termino.

Hæc explicatio.

Non Satisfacit. Tum quia supponit, quod relatio Prædicamentalis, idque Metaphysicè spectata (nam de tali hîc quæritur) componatur Termino, tanquam parte. Tum quia Relatio ista Prædicamentalis, vel accidit accepto fundamento in circumstantia termini, & rationis fundandi posito, & sic falsum est, relationem separari, à fundamento ita sumpto, imò si impossibile est esse relationem & non dicere esse ad, ita impossibile erit accipi ita fundamentum, & non dicere, Esse ad, cum esse Ad, sit ipsum ita acceptum fundamentum, si autem accidit Relatio Prædicamentalis fundamento, extra circumstantias Termini, & Rationis fundandi, posito, Ergo etiam Relatio Transcendentalis, erit Relatio Prædicamentalis, nam etiam Relatio Transcendentalis, si terminum, quem respicit non habeat, & rationem fundandi, certo Relatio Transcendentalis non erit. Tum quia Relatio diversitatis, quam dicit Creator ad actualem Creaturam, est Relatio Prædicamentalis, & tamen essentialiter identificatur fundamento, nec potest unquam abesse à Creatura & DEO, Ergo relatio Transcendentalis, non est sola talis, quæ nunquam possit abesse à fundamento.

Explicant III. Aliqui discrimen, inter Relationem Prædicamentalem, & Transcendentalem, *quod Transcendentalis sit, cujus ratio fundandi, est intrinseca subjecto*, in quo est, in Prædicamentali autem ratio fundandi, est extrinseca subjecto.

Hæc explicatio.

Non Satisfacit. Tum quia Petrus & Paulus, referuntur ad se in ratione similis actu in natura humana, & quidem referuntur relatione Prædicamentali, & tamen ratio fundandi hanc relationem, est intrinseca subjecto, ipsa scilicet convenientia in ipsa natura humana. Tum quia vel ista ratio fundandi, est extrinseca subjecto, in circumstantia requisitorum posita, vel extra circumstantias requisitorum; si extra circumstantias, etiam erit extrinseca ratio fundandi, in relatione Transcendentali, siquidem etiam hæc, si requisita tollantur, esse non potest; si verò sumatur ratio fundandi in circumstantia requisitorum, non videtur illi fore extrinseca, jam enim hoc ipso subjectum erit simile, simili autem esse simile, non est extrinsecum, sicut nec accidenti esse accidens, est extrinsecum. Tum quia. Si in prædicamentali relatione ratio fundandi, est extrinseca subjecto, ideo videretur esse extrinseca, quia deberet esse distincta entitativè, hoc autem de omnibus relationibus Prædicamentalibus falsum est, quia ex probabili sententia termini quantitatis, non sunt superadditi realiter, & tamen etiam sunt ratio fundandi relationem in quantitate, è contra unio, Materiæ unitæ, est ratio superaddita extrinseca, hoc est entitativè in multorum sententia distincta, & tamen saltem ipsa unio, refertur ad unibilia relatione transcendentali, quantumvis sit quid extrinsecum unibilibus hoc est ab illis distinctum quid.

Explicant IV. Scotistæ; *Quod relatio Prædicamentalis, in solo prædicamento ad aliquid contineatur, vagetur autem per plura prædicamenta, relatio Transcendentalis,*

Hæc explicatio.

Non Satisfacit. Tum quia Relatio hæc in particulari hominis ad Deum, est relatio Transcendentalis, & tamen hæc numero relatio, non vagatur per plura prædicamenta. Tum quia non satis explicari potest, quid sit istud vagari Relationem Transcendentalem cum etiam Prædicamentalis, & Substantiæ, & Quantitati, & Qualitati, & reliquis prædicamentis competat. Tum quia ut ait quidam accidens vagatur per novem Prædicamenta, Accidens autem Quarti modi non vagatur, & tamen non dicitur Accidens non esse Transcendentale, aut unum esse Transcendentale, aliud Prædicamentale, ergo etiam & relatio ex eo, quia vagatur per plura Prædicamenta non debet dici Transcendentalis.

Explicant. Alii cum Thomistis præcipuè cum Cajet. in op. de Ente & essent. c. 7. 9. 15. cum Suar. & aliis. *Quod relatio Prædicamentalis respiciat aliud ut purum terminum*, relatio autem Transcendentalis non respiciat ut purum terminum. Idem hac phrasi alii explicant, quod relatio Transcendentalis non importet formalem rationem essendi ad aliud, sicut prædicamentalis, sed rationem formalem essendi ab alio, ex quo aliud &c.

Hæc explicatio.

Non Satisfacit 1. Tum quia vi hujus explicationis sequitur, nullam esse relationem quæ non sit Transcendentalis, quia nulla erit, quæ respiciat purè terminum; quod probatur. Quando cognitio respicit suum Objectum non respicit illud ut purum terminum, quia respicit ut cognitum

& ta-

& tamen respicit Transcendentaliter, ideo item Unio hypostatica transcendentaliter respicit verbum, non ut purum terminum quia respicit ut unitum. Ergo & relatio convenientiæ in albedine, non respicit, parietem ut purè terminum, sed respicit ut habentem aliam albedinem. Tum quia si respicere aliud ut Subjectum, Objectum, Efficiens, Finem &c. facit, non respicere ut purè terminum: quare, respicere ut participans aliam albedinem, non faciet, ut non dicatur respici pure terminus. Tum quia simile non respicit terminum æqualem, sed tantùm similem, nec æquale respicit similem terminum sed æqualem, si autem purum terminum respiceret, & æqualitas, & similitudo, non esset ratio, cur æquale, non respiceret, eundem terminum, cum simili. Tum quia si relationes in particulari, respiciunt purum terminum, Ergo omnes eundem terminum habent, sicut quando parietem hunc qui est in Schola, respiciunt omnes alii parietes, in quantùm habet etiam v.gr. albedinem, censentur habere omnes illi parietes, eundem terminum. Tum quia si relatio transcendentalis, per doctrinam oppositorum non distinguitur per fundamentum non purum, per rationem fundandi non puram, ergo nec distinguetur, per terminum non purum.

Non Satisfacit. II. Quia non obstat, quominus similitudo, dicatur respicere purum terminum quamvis respiciat illum habentem, talem Qualitatem. Ergo etiam non obstabit, quominus Creatura respiciat Deum ut purum terminum, licèt eum respiciat ut principium effectivum, præcipuè, cum possit dari Relatio Prædicamentalis, generantis, & geniti, actu producentis, & actu producti, quæ relatio importat respicientiam ad principium effectivum.

Non Satisfacit. III. Ideo Relatio Prædicamentalis, v.g. Relatio similitudinis respicit purè terminum quia non ex eo quod respiciat illum, est similis; sed etiam Creatura, quando respicit Deum ut principium effectivum, non ex eo præcisè, quia illum respicit, est Deus Creaturæ principium effectivum neque enim ex eo quia Deum Creatura respicit, Deus est omnipotens. Ergo Creatura ad Deum refertur ut ad purum terminum.

DIFFICULTAS II.

Assignatur hoc distinctivum.

Relatio Transcendentalis, Per Hoc Condistinguitur à Prædicamentali, quod Relatio Transcendentalis sit rebus essentialis, & ita, innectitur rebus, ut si res conceptu adæquato deberet concipi, non possit unquam concipi sine illa, & ita, si homo conceptu adæquato concipi debet, non potest concipi sine esse Creaturæ; unio item sine ordine ad unibilia, & ipsa relatio quâ talis, sine ordine ad terminum; Et quia Essentiæ rerum sunt indivisibiles, nec potest illarum una pars poni, alia non, hinc jam relatio Transcendentalis à Prædicamentali, per hoc distinguetur à posteriori, quia posito subjecto, vel extremo transcendentaliter referibili, hoc ipso quia illud ponitur, inimpedibiliter etiam à DEO, debet habere Terminum, seu aliud extremum, ad quod exigit terminari, debetque eo ipso habere, proportionatam rationem fundandi. Cæterum subjectum relationis Prædicamentalis, non est tale, ut sit illis, essentialis relatio, nec ex eo quia ponitur, subjectum illius relationis hoc ipso, & illius relatio ponitur; certè enim, potest esse paries albus, & non ex eo statim dicere Relationem similitudinis: nec exigitur, ut quia ipsum subjectum ponitur, ponatur & extremum quod terminet Relationem ejusdem subjecti.

Dixi. Non Relationem Transcendentalem, sed illius subjectum esse tale, ut posito illo, necessarium sit respondere, & terminum & rationem fundandi; quia nulla esset condistinctio à relatione Prædicamentali, nam & illa si ponitur, necessario fundandi ratio, & terminus ponitur, quod etiam urgebatur supra contra Explicationem tertiam.

Dixi. Quòd eo ipso, quia ponitur subjectum Relationis Transcendentalis, poni debeat terminus, sed non intelligendo per ly poni, quòd scilicet existere debeat terminus, quia Relatio Transcendentalis, etiam ad terminum possibilem potest referri. Sed per ly poni, intelligitur, quod hoc ipso quia ponitur subjectum Relationis, non careat termino proportionato, & sic v.g. posita Omnipotentia Divina, hoc ipso est relatio ad Creaturas exigens possibilitatem illarum tanquam terminum, positâ scientiâ respondere illi debet scibile, non dico actu existens, sed saltem possibiliter, consequenter etiam agnosco scientiam ad scibile referri relatione Transcendentali, licet sciens referatur ad scibile relatione Prædicamentali eò quòd possit esse subjectum hujus relationis, & non esse sciens.

Dixi. Quod Relatio Transcendentalis à Prædicamentali non penes rationem fundandi intrinsecam distinguatur, sed penes inimpedibilem positionem omnium requisitorum, posito quòd ponatur subjectum relationis Transcendentalis; ita ut si inter duos parietes, similitudo esset relatio transcendentalis, hoc ipso, quia unus paries qui est subjectum relationis ponitur, deberet poni & alius, quod

non est in relatione prædicamentali, hinc quia posità unâ albedine, nõ est necesse poni aliam inimpedibiliter, etiam à Deo, duæ albedines, non est necesse, ut referantur ad se relatione Transcendentali. Est item relatio Convenientiæ, in natùra humana, quam habens Petrus & Paulus, actu existentes; quia tamen non est necesse, ut posito subjecto hoc Relationis, quod est Petrus, ponatur etiam Paulus; ideo, nec referuntur ad se, Relatione Transcendentali.

PROBARI potest Bonitas hujus Explicationis; quia id videntur sentire omnes ut plurimum, quantumvis id expressis verbis non doceant, omnes enim Relationem Transcendentalem, volunt esse Essentialem relato, secus de Relatione Prædicamentali sentientes. Tum quia Relatio Transcendentalis, ex vi nominis est relatio imbibita, adeoque innexa essentialibus prædicatis, opponiturque Relationi advenienti, opponetur autem relationi advenienti, si dicatur esse talis, ut posito ejus subjecto, non possit abesse ab illo, sed necessario debeat adesse; necessario autem adest, si posito Relationis Transcendentalis subjecto, seu referibili, hoc ipso poni debeat, totum quod ad illam relationem requiritur. Tum quia convenit hæc explicatio omni, soli, & semper.

DICES posità Paternitate necessario debet ei respondere Filiatio, & quidem hoc ipso; & tamen Paternitas, & Filiatio, non referuntur ad se relatione transcendentali, ergo non ex eo aliquid est relatio Transcendentalis, quia posito subjecto referibili, hoc ipso ponitur, & ratio fundandi, & terminus quem coexigit illud subjectum.

RESPONDETUR. Cum hoc ipso quia ponitur subjectum, quod est postea Pater, non sit necesse poni Paternitatem & Filiationem, hoc ipso Pater ad Filium, non referetur relatione Transcendentali, licèt Paternitas præcipuè si poneretur formalitas nemine cogitante distincta, referatur ad Filiationem relatione Transcendentali; non minor est enim nexus Filiationis cum Paternitate, quam Unionis cum unibilibus, Omnipotentiæ cum possibilibus. Ergo si hæc dicunt relationem Transcendentalem dicet eam etiam Paternitas ad Filiationem.

DIFFICULTAS III.

An Relationes Transcendentales, sint rebus absolutis primo Essentiales?

SEnsus tituli est: An ratio v. g. Creaturæ, sit Primo essentialis, Homini? Item, an ratio Causæ, sit primo v. g. essentialis Materiæ? Negativam contra torrentem Doctorum probavit Smiglec. & ostendit, Relationes Transcendentales, non esse primo essentiales, rebus absolutis. Non est autem quæstio, quòd Relationes Transcendentales, sint rebus absolutis identificatæ realiter, aliàs esset aliquid verè à parte rei in homine, quòd non esset dependens à Deo, scilicet illud, quod distingueretur realiter ab esse Creaturæ in Homine. Sed est quæstio: an Relationes Transcendentales non tantùm sint identificatæ, rebus absolutis, sed etiam an sint de primo illarum conceptu. Jam ad controversa accedendo.

DICENDUM I. *Relationes Transcendentales neg. esse primo, neque secundò essentiales rebus absolutis, prout sunt nemine cogitante*, seu prout Physicè spectantur.

PROBATUR I. Non datur ulla distinctio Scotistica inter formalitates, jam autem, si aliquid esset primo, & aliud secundo essentiale, nemine cogitante, daretur hæc distinctio. Revolvantur dicta de hac distinctione.

PROBATUR II. Ratio primò & secundò essentialis, sunt conceptus nostri & Intentiones, quas habito in re fundamento, intellectus sibi fabricat; ergo sicut nostræ Intentiones, non dantur nemine cogitante, ita nec dabitur ratio primò, vel secundò essentialis.

PROBATUR III. Posito quòd relatio Transcendentalis, esset secundò essentialis primò illud essentiale, vel est in re, & nemine cogitante, illud secundò essentiale, vel non est nemine cogitante; si non est, ergo distinguuntur, vel realiter, vel Scotisticâ distinctione; si autem illud primò essentiale, est realiter secundò essentiale, ergo quod est ipsum illud secundò essentiale, est realiter primò essentiale, adeoq; non est dicendum, quod unum sit primò essentiale nemine cogitante, & aliud secundò essentiale; cum hæc nemine cogitante sint idem realiter.

DICENDUM II. *Relationes Transcendentales non esse primo essentiales rebus absolutis, Metaphysicè spectatis.*

PROBATUR I. Auctoritate.

PRIMA AUCTORITAS ARISTOTELIS. Qui c. de Qual. ad hanc thesim. An aliqua Qualitas sit ad aliquid? Respondet. *Non decet conturbari, ne quis nos dicat, de Qualitate propositum facientes multa eorum quæ sunt ad aliud connumerasse*, ubi ut vides sentit Arist. de ratione Qualitatis rationem Relativi non esse. Idem habitum scientificum qui dicit ordinem ad actus, numerat inter Qualitates, quod non potuisset facere, si sensisset primò essentiale esse habitui referri ad actus, sed potiùs, reposuisset illum, in prædicamento ad aliquid. Ex qua auctoritate, sic formatur argumentum: In eo prædicamento res reponi debet, ad quod

quod primo essentialiter spectat, sed absoluta, quamvis dicentia relationem aliquam, non ponit Arist. in prædicamento ad aliquid, ergo istud ad aliquid, non est illis primo essentiale.

II. Auctoritas est St. Aug. 7. de Prin. c. 1. & S. Th. 1. part. q. 44. a 1. ad primum & ibidem q. 13. a. 7. ad 1. ex qua auctoritate St. Aug. sic formatur argumentum: agebat ille contra Arrianos loc. cit. asserentes, essentialiter tres personas differre. Id quod advenit essentiæ, jam constitutæ, non est primo constitutivum essentiæ, sed relationes divinæ adveniunt essentiæ jam constitutæ, ergo non sunt primo essentiales illi. Minor probatur quia essentia prior est omni relatione, quælibet enim essentia, prius est in ordine ad se, quam in ordine ad aliud.

III. Auctoritas est Scoti. In quartum dist. 12. q. 1. ex quo sic formatur argumentum: Implicat relationem, esse primò de essentia absoluti, quia implicat naturam essentialiter non requirentem terminum, esse essentialiter requirentem terminum; sed si de ratione prima absoluti foret relatio, absolutum, quod non requirit essentialiter terminum; requireret primò essentialiter terminum, jam enim esset primò relativum adeoq; dicens essentialiter, ordinem ad aliud.

Probat. II. Smigl. Quod est primo essentiale rei absolutæ, constituit eam in illo esse absoluto, sed Relatio, non constituit rem in esse absoluto, Ergo. Major probatur. Primo essentiale rei, vel genus est, vel differentia hæc autem sunt constitutiva. Minor probatur. Implicat per respectū constitui absolutum in esse absoluto. Ergo Relatio non constituit rem in esse absoluto. Antecedens probatur cujus effectus formalis est, dare esse requirens terminum, illud non potest dare esse, non requirens terminum, sed respectivi effectus formalis est, dare esse, requirens formaliter terminum; nam est essentialiter ad aliud. Ergo

Probat. III. Idem. Cum aliqua differunt formaliter & definitione, unum non est de essentia alterius primo, distinctæ enim definitiones, distincta primo essentialia indicant; sed absolutum, quà absolutum, & relativum, quà relativum, differunt formaliter & definitione, ergo unum non est de essentia aliûs primo.

Confirmatur. Differentia specifica uniûs, ultima, non potest esse ultima differentia specifica aliûs, dabitur alioqui Ens rationis & Chimæra, poteritq; differentia Cervi esse differentia Hirci; sed ratio absoluta, est ratio ultimò differentialis absoluti, & ratio respectiva, est ultimò differentialis relativi; ergo primò essentialiter una, non constituit aliam.

Respondetur. P. Paulus Kaczinski qui Ingenium speculativis aptissimum, transtulit ad curas concionatorias, quæ prælo jam destinatæ, æquant plausibiles S. Scripturæ Interpretes: quod purè absolutum, non possit differentialiter constitui respectivo, essèque illi primò essentiale, sed impurè absolutum benè potest constitui, idque primò à relativo.

Contra I. est, Tum quia responsio hæc salvaret, quòd differentia Cervi, possit esse differentia Hirci, impurè accepti. Tum quia principium petit, de hoc enim quæritur; an dari possit tale impurè absolutum. Tum quia argumentum S. Augustini nullum esset, nec posset dicere S. August. divinam essentiam, solam esse, purè absolutam; quia argumentum illius non haberet propositionem universalem, adeoq; nihil concluderet.

Contra II. Quia de illo impurè absoluto, posset verificari, est respectivum, & non est respectivum; in hoc enim stat ratio illa impurè absoluti, seu misti, ex absoluto, seu non respectivo, & ex respectivo, quo posito, sic quæritur: Vel de eodem verificantur hæc contradictoria, vel non de eodem; si de eodem, ergo istud impurè absolutum implicat; si non de eodem, ergo de diversis; ergo diversa erit ratio absoluti & respectivi; ergo ulterius idem non erit primo de essentia aliûs, nam nihil est diversum, à suo primo essentiali.

Contra III. Impurè absolutum, est compositum ex absoluto, & relativo, ergo est resolubile, saltim per præcisionem objectivā in respectivum, & absolutum; si enim non esset resolubile impurè absolutum, in respectivum, & absolutum, quomodo esset compositum, ex absoluto, & respectivo: Posito autem, quod possit resolvi impurè absolutum, in absolutum, & respectivum, sic poterit formari argumentum. Præcisâ ratione relativi, vel manet, intentionaliter in illo absoluto ratio respectivi, vel non manet; si manet intentionaliter, ergo non est præcisa; si nō manet intentionaliter, in illo esse absoluto ratio relativi, ergo non est illi primò essentialis, etiam in præciso conceptu debet manere, ut v. g. Quia Homini est primo essentiale animal rationale, nō præscindit homo, ab animali rationali. Et admissis solis præcisionib⁹ formalibus, restaret quærere, utrum clarè respondeat respectivum, sub termino absolutum, vel non respondeat clarè; si non respondet clarè, ergo non est iste primo definitivus absoluti conceptus, sicut quia non respondent in animali differentiæ vel individua, ideo nec individua sunt de primo essentiali conceptu, si autem clarè respondet in conceptu absoluti respectivum, quî illud dicetur non simpliciter respectivum?

Dicendum III. *Absolutis quâ suo modo Relativa sunt, est primò essentialis relatio.*

Probatur I. Quia omni reduplicato, ratio reduplicata, est primò essentialis, ut parieti albo, quâ albo, est essentialis albedo, sed dum absolutum sumitur, qua relativum, reduplicatur esse relativum, ergo istud esse relativum, est primo essentiale absoluto, quâ relativum est.

Probatur II. Relationi, quâ relatio est, est primo essentialis relatio, nihil enim quidquam prius, se ipso est, nec quidquam prius essentiale, se ipso; ergo & absolutis, quâ relativa sunt, erit essentialis.

Probatur III. Quia si absolutis, quâ relativa sunt, non esset primo essentiale esse relativum, non esset, per quid constitueretur, primò, in esse quâ relativo, non enim constitueretur, primò, per absolutum, ut supra probatum, ergo deberet primò constitui per relativum.

Objicitur I. Dantur absoluta, quæ sine Relationibus Transcendentalibus, nec esse, nec concipi possunt. v. g. Homo non potest esse, nec concipi, sine respectu ad DEUM, ergo de ratione absoluti, sunt relationes Transcendentales.

Respondetur Adæquato conceptu, & non præscindente, non posse concipi hominem, sine ordine ad DEUM, secus conceptu inadæquato, præscindenteque, vel verum id de homine reduplicative, quâ Creatura est sumpto, adeoque sumendo absolutum qua relativum est.

Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur à P. Joanne Moranski. Illud est de primo essentiali conceptu alicujus, sine quo res illa non potest concipi & definiri, siquidem modus definiendi qui est juxta exigentiam rei, sequitur modum essendi : atqui nulla creatura potest concipi nec definiri sine ordine ad Deum, idque postulante natura ipsius creaturæ, & solum per accidens ex nostra ignorantia, ergo ordo creaturæ ad Deum est illi primo essentialis. Probatur minor, tum à posteriori quia de facto sicut Deus definitur per Ens à se, ita creatura definitur, per esse ens ab alio, tum à priori quia omnis creatura est ordinata ad hoc ut ducat in cognitionem Creatoris.

Respondetur Minorem veram esse de creatura, secundùm quod creatura est, de qua acceptione loquebatur conclusio *tertia*, sed non esse veram de creatura, specificativè spectata. Et certè ponamus Atheum, ille negabit ordinem essentialem ad Deum, & tamen non negabit definitionem hominis, Animal rationale, ubi in re quidem latet ordo ad Deum, non tamen in ipsa formaliter sumpta definitione, quod ipsum est signum à posteriori, non definiri res omnes creatas per ordinem ad Deum. Negatur ulterius omnem rem primo essentialiter, esse ad hoc ordinatam, ut ducat in Creatoris notitiam.

Instat. Dum concipis creaturam aliquam, vel concipis ens illimitatum vel limitatum, vel indifferens ad esse limitatum & illimitatum : si primum exi ex infidelitate ; si secundum ergo concipis creaturam, eo ipso esse ab alio, nam nihil à se ipso limitatur, aliàs esset invidum boni alicujus sibi ipsi : si tertium ergo eo ipso concipis ens limitatum & finitum, quia ipsa indifferentia & periculum limitationis, est formaliter limitatio.

Respondetur. Quando concipitur creatura qua creatura est, concipitur quid limitatum, secus si concipiatur creatura specificativè sumpta, tunc enim non concipitur ut indifferens ad limitari ; quia non concipitur indifferens ad esse Dei. Animal enim v. gr. non est indifferens ut sit illimitatum, seu DEUS, sed concipitur secundum se, præscindendo ab esse limitati & non limitati, Propositio illa. Nihil à se ipso limitatur, in genere causæ efficientis vera est. præsupponeretur enim sibi ipsi, limitatur tamen unumquodque à se ipso : secundùm exigentiam Metaphysicè spectatam, nam limitatur à se ipsa essentia hominis, ne exigat esse essentia leonis, nec invidebit sibi bonum, cum illum habere essentiam leonis, non sit bonum, sed malum illius. Indifferentia ad esse limitatum & illimitatum, non est periculum tantum limitationis, sed exspectatio determinationis ad illimitatum vel limitatum, quod non est formalis limitatio tantum, sed & capacitas illimitationis, taleque est omne illud quod est indifferens ad Deum & creaturam, ut Substantia. Unde consequenter, nego etiam tali absoluto, si specificativè sumatur esse primo essentialem relationem. Nego item.

Creaturam specificativè acceptam, definiri posse sine ordine, ad Deum, ut cum dicitur homo est animal rationale, sed id est verum de creatura reduplicativè accepta.

Objicitur II. Omnibus à Creatura v. g. præcisis, & relicto esse absoluto, seu specificativa ejus acceptione, adhuc Creatura erit ens ab alio, ergo Creatura, quocunque modo sumpta primo essentialiter dicet relationem.

Respondetur. Præcisis omnibus, in re, & Physicè, fore illud Ens ab alio, non autem secundùm quod spectatur Metaphysicè, certè enim communis ratio v. g. animalis, non importat rationem Creaturæ.

Objicitur III. Id quod specificat aliud, debet esse illi primo essentiale, sed dantur aliqua absoluta, quæ specificantur per respectum ad aliud, ut Actus specificantur, ab objectis, Potentiæ ab actibus.

Respondetur. Specificativa intrinseca esse primo essentialia, non autem specificativè extrinseca ; actus autem specificantur ab ob-

objectis extrinsecè, intrinsecè autem à sua entitate, licèt nobis ignota. Vel certe sumitur etiam tunc actus, secundum quod relativum quoddam est.

Objicit. IV. Maur: hic qu. 53. probando potius non dari Transcendentales relationes aut si dantur debere esse superadditas, quicquid sit de mente illius, pensanda sunt argumenta. Si daretur quocunque sensu relatio Transcendentalis, deberet esse identificata absolutæ substantiæ, sed non potest esse identificata quia Arist. dicit cap. de Relativis quod Substantiæ completæ, non sint relativæ per se ipsas. Et 14. Metaph. t. 4. docet etiam partiales substantias, non esse relativas per se ipsas.

Respondetur. Ad hos textus salvandos sufficit dicere, quod ly per seipsas, supponat pro primo essentialiter. Concedimus autem quod substantiæ non sunt primo essentialiter relativæ: quod autem inde non debeat inferri, quòd relativa transcendentaliter referantur relatione distincta, colligi debet ubi actum de distinctione relationis.

Objicit. V. Idem. Videtur per se notum, quod sicut esse In alio, est esse proprium accidentis, & fundatur in esse per se, quod est proprium Substantiæ, sic esse Ad aliud quod est proprium relationis, fundatur in esse absoluto: sed si relatio identificaretur cum Substantia, esse relativum non fundaretur in ullo absoluto, nam esse substantiale est esse primùm, & non fundatum in alio esse priori Ergo.

Respondetur. Ad hoc ut salvetur quod esse relationis fundetur in aliquo absoluto sufficit dicere quod relatio transcendentalis supponat primo essentialem conceptum absolutum.

Instat. I. Ex debilitate esse *in* sequitur ut non possit cum Substantia identificari: esse autem *ad* est debilius præ esse *in*.

Respondetur. Non apparet qui esse *ad* sit istud esse debilissimum & in identificabile, cum de facto identificetur Substantiæ divinæ. Etiam posita ista debilitate esse *ad* non ex debilitate hoc habet accidens, quòd non possit identificari Substantiæ sed ex separabilitate entitativa, quæ non potest ostendi circa esse *ad*. Denique etiam esse *in* Metaphysicum, potest identificari cum Substantia, ergo idem dicendum de relatione transcendentali.

Instat II. Etiam in DEO esse relativum v. g. Patris fundari debet in esse absoluto Dei, cum quo licèt identificetur realiter, non identificatur omnimodè, ergo multo minus id erit in creatis.

Respondetur. Quod relatio distinguatur virtualiter à Deitate, id oritur præcisè ex eo, quia aliquod prædicatum reale primo intentionale, debet convenire relationi, quod non convenit Deitati v. gr. esse distinctum realiter, & quia nihil simile ostendetur in relatione transcendentali, poterit illa identificari absolutis, licèt non sit de primo essentiali conceptu eorundem.

Instat III. Omnis relatio definitur per additamentum, ponendo in definitione terminum, Substantia autem debet definiri sine ullo additamento.

Respondetur. Substantiam primo essentialiter spectatam debere definiri non per terminum, potest tamen ita definiri secundo essentialiter spectata.

QUÆSTIO III.

De Fundamentis Relationum & requisitis.

Quod attinet ad fundamenta, tria numeravit Arist. 5. Met. tex. 20.

Prima Fundamentum Relationum est, Unitas & Numerus, hoc est Convenientia & disconvenientia, & quia convenire possumus vel in substantia, vel in Qualitatibus, vel in Quantitate, Unitas, in Substantia fundabit identitatem, Unitas in Qualitate similitudinem, Unitas in Quantitate Æqualitatem.

II. Fundamentum est Actio & Passio, quorum enim unum agit, & aliud ab illo efficitur, necessario hæc referuntur inter se.

III. Fundamentum est Mensura, & Mensurabile, & hoc fundat omnes Relationes Potentiarum, Habituum, Scientiarum, Actuum ad Objecta. Nomen enim hoc Mensura, non indicat Quantitatem, sed adæquationem duorum, secum connexorum, unumque per aliud determinatur. Cæterum fundamenta hæc, non sunt verbis accuratis expressa, unitas enim & numerus, non sunt fundamenta, sed potius ratio fundandi; Item nec actio aut passio, quæ quidem sunt ratio fundandi, unde potius potentia activa & passiva, dici deberet fundamentum.

Ad prædicta fundamenta, revocantur quæcunque aliæ Relationes. Unde Propinquitas, cum sit unitas secundum locum, Coætaneitas, seu coexistentia, cum etiam sit unitas secundum tempus, revocabitur ad unitatem; Convenientia item Accidentium revocabitur ad Identitatem, nam quamvis duo alba, ad se referantur unitate similitudinis, quia similia sunt, quorum Qualitas eadem est, duæ tamen albedines, quæ habent in suo genere talem convenientiam, qualem homo, & homo, ideo etiam referuntur ad se relatione identitatis. Distantia item, quæ est discon-

disconvenientia in loco, antiquitas item comparata ad modernitatem, cum sit disconvenientia in tempore, revocabitur ad disconvenientiam seu numerum, Unio & cætera quæ habent se, quasi per modum Causæ, revocabuntur ad actionem. Materiæ autem & Formæ relationes, revocabuntur ad Mensuram, Formæ enim & Materia, sunt secum connexa, capacitasque Materiæ, mensuratur à forma; Vel certè revocantur ad Actionem & Passionem, Materia enim & Forma sunt causæ. Relatio etiam dimidii, & dupli, potest revocari ad actionem, causat enim dimidium, rationem dupli, dando se ei in partem, vel certè revocatur ad Mensuram. Denique relationes Transcendentales, revocantur vel ad tertium, vel ad secundum fundamentum seu ordinem.

Quod attinet ad Requisita, idq; ut supponitur, Relationis realis, ea tria potissimum numerantur. 1. Ut illius extrema sint realia, ita quod in ratione fundandi, & terminandi ab intellectu non dependeant, 2. Ut sint realiter distincta, idem enim ad se ipsum referri non potest. 3. Ut relatio illorum non oriatur, per aliquam Comparationem ab intellectu institutam, sed ex Natura Extremorum. Et quidem, quod Relatio realis, debeat esse inter distincta realiter, exigit vel ipsa definitio relationis, nempe ly, ad aliud, nihil autem sibi ipsi aliud est, unde etiam Theologi, ex relatione Patris ad Filium, arguunt distinctionem realem in Divinis.

DIFFICULTAS I.

An idem possit ad se referri Relatione saltim Transcendentali?

DICENDUM EST. *Quod non possit.* Ita Suar. Ovied. contra Ruiz. d. 5. de scient. s. 2.

PROBATUR I. Quia & esset illa Relatio Transcendentalis, Relatio realis, de hac enim instituitur quæstio, & non esset realis, quia Relatio realis, requirit esse ad aliud realiter, ergo & relatio realis Transcendentalis requirit esse ad aliud realiter Transcendentaliter. Et certè non haberet illa relatio, per quid condistingueretur à relatione non nisi Rationis, quod quidem procedit magis in sententia, quæ solam adhuc relationem Transcendentalem, dicit esse relationem realem.

PROBATUR II. Sola distinctio Rationis, non sufficit ad ponendam Relationem Transcendentalem, quia implicat ut identitas rigorosa, seu non ad aliud, sit ad aliud, & tamen rigorosa identitas, per te, esset respectiva, seu ad aliud.

PROBATUR III. Ovied. Illud per oppositos refertur relatione Transcendentali, quod non potest intelligi sine alio. Ergo respectus Transcendentalis, semper est respectu aliûs, ergo non ad se ipsum.

OBJICITUR I. Auctoritas S. Thomæ, 1. parte, q. 19. a. 3. in 6, ubi docet S. Th. quod divina voluntas, necessariam habeat habitudinem, ad bonitatem suam, quæ est proprium ejus objectum, Ergo aliquid potest ad se ipsum referri.

RESPONDETUR. In illo loco intentionem fuisse S. Th. ostendere, quòd DEUS aliqua amet, necessitate antecedenti, & hoc est, ipsamet bonitas illius essentialis, & alia amat necessitate consequenti, ut ergo S. Th. significaret DEUM amare semet ipsum, necessitate antecedenti, dixit divinam voluntatem habere habitudinem ad suam bonitatem. Deinde nihil loquitur S. Th. quòd illa habitudo sit realis.

OBJICITUR II. ex Ruiz: Ratio Transcendentalis in eo consistit, ut res absoluta, non possit cognosci, sine alio cognito in obliquo, sed divina cognitio divinam essentiam cognoscens, cognosci non potest, quin cognoscatur in obliquo, ipsa essentia divina. Ergo cognitio divina non potest cognosci sine relatione ad essentiam divinam adeoque ad seipsam.

RESPONDETUR. Inprimis, non in hoc consistit relatio Transcendentalis, sed posito, quod in hoc consistat, tunc illa erit, si res absoluta non possit cognosci, sine alio, quod sit aliud realiter, non autem quod sit aliud sola ratione, non autem est aliud à se, ipsa essentia divina, se cognoscens.

OBJICITUR III: A pari.

I. PARITAS. Cognitio cognoscens objectum à se distinctum realiter, refertur ad illud objectum, relatione Transcendentali, ergo, & referetur sic, etiam cognoscens objectum à se non distinctum:

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia in casu Antecedentis ob distinctionem realem salvatur esse ad aliud reale, adeoque Relatio realis, hoc autem non habetur in casu consequentis:

II. PARITAS. Identitas non obstat, quominus divina cognitio denominet essentiam divinam cognitam, ergo & relatam.

RESPONDETUR. Quia non est de definitiva ratione cognitionis esse ad aliud, est de definitiva ratione relationis.

III. PARITAS. Cognitio potest cognoscere se ipsam, ergo & referri ad seipsam.

RESPONDETUR. Per allatam immediatè disparitatem.

DIF-

DIFFICULTAS II.

An ad realem relationem, diversa ratio fundandi, sit necessaria?

SEnsus tituli est: Ponatur una eademq; numero albedo in Petro & Paulo, quæritur, an illi sint referendi inter se relatione reali? Thomistæ negant, affirmant Scotistæ.

DICENDUM EST. *Interventuram tunc Relationem Realem.*

PROBANT I. SCOTISTÆ. In dicto casu, reperiuntur, omnes tres conditiones ad relationem requisitæ, scilicet essent Extrema realia, Realiter distincta, citra item comparationem Intellectus essent Similia. Ergo illic esset Relatio realis.

RESPONDERI POTEST, deesse diversam Rationem fundandi, unde hoc fundamentum, deberet aliter proponi.

PROBARI II. POTEST. Similitudo fundatur supra unitatem, major autem esset unitas convenire in una numero, Ratione fundandi, quam in una vel genere, vel specie, cur ergo hæc major unitas, non erit sufficiens ad fundandam Relationem realem; & certè major est unitas inter Petrum & Paulum, quia Ratio fundandi, est una Specie, minor autem est unitas inter Petrum, & Bucephalum, quia Ratio fundandi, est una genere, & utraq; hæc ratio unitatis fundat Relationem Realem, cur ergo eam non fundabit albedo eadem numero, & in hoc & in illo extremo posita.

RESPONDERI POTEST, ex unitate quidem convenientiæ argui Relationem, hæc enim plurium est, non tamen ex unitate, quæ est identitas, aliàs quia maxima est identitas, ejusdem ad se, referri quidpiam posset realiter ad se. Solùm ergo admitti posset, quòd identitas cæteris paribus fundet Relationem, quæ hîc non habetur ob defectum diversæ Rationis fundandi.

PROBARI SOLET III. Possunt extrema habentia eandem Specie albedinem ad se referri, Relatione reali, ergo & habentia eadem numero Qualitatem possunt ad se referri.

RESPONDERI POSSET. Extrema habentia eandem Specie albedinem ideo ad se referri, quia habent, per quod salvent ly ad aliud, nempe diversam albedinem seu Rationem fundandi, quæ non esset, si eadem numero albedo poneretur in duobus extremis. Potiùs ergo.

PROBANDA EST CONCLUSIO IV. Per Principium Negativum, quando sunt Termini realiter distincti, & in quolibet termino est effectus formalis albedinis, nempe quod termini denominentur albi, quantumvis ab eadem albedine numero, non est inquam fundamentum, quare illi Termini, & denominata, non referentur ad se, Relatione reali. Ergo referentur ad se, Relatione reali.

PROBATUR V. Quia quantumvis albedo illa in duplici subjecto posita, non sit & hæc, & illa albedo, adeoq; nec interveniat illius ad se Relatio realis, tamen est illic & hoc album, & illud album, Ergo & erit illic Relatio realis, ipsorum subjectorum, quia Relatio realis in albedine est hoc album, & illud album, quod tamen tunc reperitur.

OBJICITUR I. Deest illic Ratio fundandi distincta, ergo & deerit Relatio vera realis.

RESPONDETUR. Non repugnare, ut sint diversæ Relationes, etiam posità eadem ratione fundandi, modo sint diversi Termini, eòq; quòd diversitas hæc non debeat spectari penes rationem fundandi, sed penes ipsa extrema diversa.

INSTAB. Relatio non potest esse, sine Ratione fundandi, ergo & Relatio diversa, sine diversa Ratione fundandi.

RESPONDETUR. Etiam illic suo modo ostendi diversam fundandi Rationem, non quidem diversam, quoad entitatem, rationis fundandi, est enim eadem numero albedo, sed est diversa, ratione diversi modi unionis, unientis illam Rationem fundandi, aut potiùs est diversa, ratione diversi Subjecti, cui se communicat.

OBJICITUR II. Priùs debent ad se Rationes fundandi referri & illis mediantibus ipsa Subjecta, sed Rationes fundandi in casu in quo in duobus subjectis, eadem albedo poneretur, non referentur ad se. Ergo neque illa extrema referentur ad se.

RESPONDERI posset ex doctrina Mastrii d. 8. Log. q. 7. ad finem. *Subjectum inquit ille, non dicitur simile relatione fundata, v. g. in albedine abstractè accepta, sed in albedine ut tribuit subjecto, effectum suum formalem: in casu autem posito alium effectum formalem, albedo posita in pariete A, & alium effectum Formalem in pariete B. præstaret, ita ut effectus illi sint inter se à parte rei distincti, quia destructo, effectu formali, qui est in pariete A, potest manere effectus formalis, qui est in pariete B.*

HÆC RESPONSIO NON SATISFACIT. Tum quia hoc ipsum probandum esset contra Thomistas, quod extrema non dicantur similia ex præsuppositâ relatione, quam inter se albedines abstractè acceptæ habent. Tum quia malè ex hoc arguitur distinctio à parte rei, eaq; realis, quia scilicet, destructo effectu formali albi, in pariete A, maneret tamen, effectus formalis in pariete B, certè enim, destructâ sacramentali præsentia Christi, sub speciebus Sacramentalibus hîc, non destruitur præsentia ejusdem alibi, non tamen sequetur inde, Christum hîc existentem, & Christum ibi existentem, esse quid à parte rei distinctum:

Tum

Tum quia negatur esse à parte rei distinctionem simpliciter inter effectum formalem in isto & illo pariete positum. Ratio est, quia effectus formalis involvit etiam formam, quæ tamen est eadem ibi posita, quomodo ergo, dicetur effectus formalis, simpliciter, & sine addito distinctus.

Respondetur II. Ordinariè debent prius referri ad se, ipsæ Rationes fundandi v. g. albedines ipsæ, cum enim ipsæ albedines inter se possint referri, & in diversis subjectis naturaliter non ponantur nisi diversæ, hinc prius ordinariè ad se referuntur, tanquam priores in linea albi, sed negatur de essentia Relationis realis esse, ut priùs inter se rationes Fundandi referantur, quia etiam non intelligendo, illas ad se referri, adhuc ibi sunt duo alba, adeoq; adhuc habentia Relationem albi, quæ in re non aliud est, quàm duo alba.

Objicit. III. Illa ipsa albedo posita in pariete A, & in pariete B, non refertur ad se, ergo nec illa duo extrema, quæ eandem habent albedinem.

Respondetur. Disp. esse, quia in casu Antecedentis non posset salvari ad aliud, nihil enim sibi ipsi est aliud, adeoq; nec salvari posset Relatio, quia autem duo alba, licèt eadem albedine dealbata, sunt aliud, & aliud album, ideo etiam salvare possunt rationem Relationis.

DIFFICULTAS III.

An una Relatio possit esse fundamentum alius?

Negat S. Th. 1. par. q. 42. a. 1. ad 4. Affirmat Scot. in 2. dist. 1. q. 4.

Dicendum Est. *Quod una Relatio non fundet aliam.*

Probari Solet I. Non potest esse idem principium Formale, & Radicale in eodem genere, sed si Relatio una fundaret aliam Relationem, referreturq; per aliam Relationem idem esset principium Formale & Radicale, Formale quidem, quia Relatio est formalitas, unum ad aliud referens, Radicale autem, quia fundaret aliam Relationem. Major probatur. Substantia non potest esse Substantia per aliam Substantiam, Quantitas non potest dici quanta, per aliam Quantitatem. Unio non potest dici unita per aliam Unionem, ergo non potest esse idem principium Formale & Radicale in eodem genere.

Respondeti Posset, Quòd non potest esse idem principium Formale & Radicale reduplicativè acceptum, secus acceptum materialiter & specificativè, jam autem una Relatio fundat aliam, non reduplicativè accepta, quâ est v. g. Relatio similitudinis, sed fundat illam, specificativè, in quantùm scilicet fundat similitudinem, cum aliis similitudinibus. Substantia verò non potest esse Substantia per aliam Substantiam, nec Quantitas quanta, per aliam Quantitatem, quia hæc sunt entia absoluta, quorum unum non potest ostendi, quod habeat fundamentum, ad fundandum aliud Ens tale ac ipsum: fundare autem potest similitudo, similitudinem ipsarum similitudinum. Ex Instantia de Unione Oppositum sequitur, nam unio, quæ se habet ut Quo ad unitum, habet se ut Quod respectu actionis, quam terminat; & sicut cognitio repræsentativa lapidis habet se ut Quo in ordine ad repræsentandum, habet se autem ut Quod in quantum noscitur à reflexu actu, sic & Relatio poterit se habere ut Quo in quantum est ratio referendi, & ut Quod in quantum fundabit aliam Relationem.

Probari Solet II. Relationes Divinæ, non fundant alias Relationes, & ita, quamvis Relatio Paternitatis, sit diversa à Relatione Filiationis, tamen Relatio Paternitatis, non fundat distinctam à se Relationem diversitatis, alias plures essent Relationes in Divinis quàm eas admittat Theologia, ergo & Creatæ Relationes non fundabunt alias Relationes.

Respondeti Posset. Disp: esse, quia si una Relatio in Divinis fundaret aliam Relationem, darentur plures Personæ in Trinitate quàm tres, cum Relationibus constituantur Personæ, nihil autem simile eveniret in Creatis.

Probatur III. Relatio quæcunq;, vel est similitudo, vel Identitas, vel æqualitas, si fundetur in unitate, vel est Relatio agentis & passi, mensuræ & mensurabilis, sed nulla ex his fundat aliam Relationem: Minor probatur. Relatio Identitatis nemine cogitante, nihil est præter duas substantias, sed duæ substantiæ non fundant alias duas, ergo non fundant Relationes identitatis. Rursus æqualitas in re, est duo quanta, sed duo quanta non fundant alia duo quanta, ergo nec fundant, rationem distinctam Relationis, & sic de reliquis.

Confirmatur, argumento communi. Si una Relatio fundaret aliam daretur processus in infinitum in Relationibus, sed hic dari non debet. Ergo. Minor probatur, Tum quia Arist. 2. Met. c. 2. probat non posse dari processum in Infinitum in causis, quia verò una Relatio causaretur ab alia, hoc ipso daretur processus in Infinitum in causis, imò daretur Relatio quæ causaret infinitas Relationes, & aliqua quæ præsupponeret infinitas, & causaretur ab illis. Tum quia istæ Relationes & essent infinitæ ut supponitur, & non essent infinitæ, quia multitudo infinita, versus unam

partem

partem, finita versus aliam, debet & ipsa esse finita, eadē enim est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, cum ergò ex una parte sint istæ relationes finitæ devenitur enim ad primam, quâ non datur prior, ergò & versùs aliam partem, debent esse finitæ. Et certè duo alba sunt sibi similia, & quidem duabus similitudinibus realiter distinctis. Hę rursùs similitudines sunt sibi similes, ergò fundabunt, similitudinem similitudinum. Hæ ulterius similitudines similitudinum quia conveniunt in ratione similitudinis similitudinum fundabunt aliam similitudinem similitudinum, & sic in infinitum. Nec se haberent hæ Relationes ita sicut negationes; namnegationes accommodant se in nostris principiis entibus quæ negant, si autem una relatio fundaret aliam, non jam illæ relationes accommodarent se ipsis suis Physicis & entitativè sumptis fundamentis.

Responderi solet 1. istas Relationes esse infinitas solum potentia.

Contra est. Tum quia una Relatio non est potentia, sed actu talis, ergo & infinitæ illæ Relationes, non sunt potentia sed actu infinitæ. Tū quia unâ Relatione posita actu, necessario ponuntur aliæ actu, Ergo si sunt infinitæ, nō erunt in potentia, sed actu infinitæ. Tum quia si partes continui palmaris, quæ sunt infinitæ potentiâ, ponerentur omnes actu, essent infinitæ actu, Ergo & cum Relationes antequam sint, sunt infinitæ in potentia, si omnes ponantur actu, infinitæ erunt actu.

Responderi solet 2. Alba esse similia similitudinibus à se realiter distinctis, similitudines verò ipsæ, sunt se ipsis similes.

Contra est. Quia hoc ipso jam non agnoscis Relationes fundari per Relationes, cùm per te similitudo, quæ est Relatio, non fundet similitudinem similitudinum, adoque nec fundabit una Relatio aliam. Deinde ut urget Smigl. Similia per oppositos, per distinctam similitudinem, sunt similia, ergo similitudines similitudinum per distinctam similitudinem sunt similes; certè enim primæ similitudines, sunt similitudines alborum, posteriores autem, non sunt similitudines alborum, sed similitudines similitudinum, non enim fundantur v. g. in essentia albedinis, sed in essentia similitudinis.

Respondet 3. Mastr. d. 8. q. 5. a. 2. Datur inquit status, seu consistentia, in ea scilicet Relatione, cum qua cæteræ, quæ conciperentur cōsurgere, conveniunt, in Ratione fundandi, & in Ratione referendi, v. g. Duæ Paternitates, fundant Relationem similitudinis inter se, si autem similitudo hæc conferatur cum alia quæ reperitur inter alias duas Paternitates, se ipsis erunt similes.

Contra. Tum quia quæ Relationes habent distincta Fundamēta & distinctos Terminos, illæ Relationes sunt aliæ & multiplicatæ & distinctæ, sed duarū paternitatum similitudines, comparatæ ad alias similitudines Paternitatū, habēt distinctū Fundamētum, & distinctos Terminos. Ergo duæ paternitatū similitudines, comparatæ ad alias paternitatū similitudines, sunt Relationes aliæ, multiplicatæ, distinctæ. Minor probatur principiis Mastrii, qui ad numericā Terminorum multiplicationem, sentit contra Thomistas multiplicari Relationes. Major probatur. quia ipsæ paternitates, dum fundant diversam relationem similitudinis, sunt diversum fundamentum, & Terminus, habentq; diversam rationem fundandi, Ergo & ipsæ similitudines paternitatum, erunt fundamentum distinctum, & Terminus distinctus, habebuntq; diversam rationem fundandi, quod ipsum resolvitur in principium negativum. Quæ ratio probat duarum identitatum, intra eandem speciem esse distinctas numero relationes, distinctasque rationes fundandi, eadem probabit, similitudines duarum paternitatum, esse distinctis similitudinibus similes.

Contra 2. Quia per Mastr. Potest esse distincta & Realis relatio, etiamsi ratio fundandi sit eadem, ut dictum supra. Ergo quantumvis duæ paternitates eandem numero rationē fundandi haberent, possent esse distinctæ, & reales relationes.

Contra 3. Potest esse Relatio similitudinis paternitatum A, & non esse relatio similitudinis paternitatum B. si illæ paternitates v. g. non existant, Ergo alia realiter relatione referuntur inter se similitudines A, & alia referuntur similitudines B, Consequentia probatur. Quia per Oppositos ex eo arguitur distinctio realis relationis à fundamento & Termino, quia potest esse fundamentum & Terminus sine relatione.

Objicitur 1. Relatio Similitudinis comparata ad aliam relationem similitudinis, fundat similitudinem similitudinum, ergo una relatio fundat aliam.

Respondetur. Dist. Antecedens. Relatio similitudinis comparata per intellectū ad aliam similitudinem, fundat per rationem similitudinem similitudinum; Conc. Anteced. Relatio similitudinis, secundùm id, quod dicit à parte rei, fundat realiter similitudinem similitudinum. Nego antecedens & Conseq. realiter enim spectata similitudo, sunt ipsa alba, ipsa autem alba non fundant alia alba.

Instat. Similitudines similitudinum sunt sibi nemine cogitante similes. Ergouna si militudo seu relatio fundat aliam.

Respondetur. Nego antecedens, similitudines enim similitudinum non sunt nemine cogitante, præter ipsa similia, consequenter, nec sunt nemine cogitante sibi similes. Similitudines enim alborum extra ipsa alba, nihil sunt in re distincti, nec est ulla nemine cogitante similitudo similitudinum, distincta ab illis.

Objicitur 2. Relationes ipsæ susciplunt ve-

ras denominationes relativas, non minus quàm Entia absoluta, nam tam verè sunt sibi duo alba similia, quam verè ipsæ similitudines, sunt sibi similes. Ergo si Entia absoluta fundant relationes reales, fundabunt & ipsæ relationes alias relationes.

RESPONDETUR. Nego anteced. cum sua probatione propter dicta ad primam probationem, & ejus Instantiam.

OBJICITUR 3. Entia absoluta possunt fundare relationem, ergo & ipsæ relationes poterunt.

RESPONDETUR. Nego Conseq. Disparitas est, quia Entia absoluta sunt quid ratum, positivum, nemine cogitante propriam existentiam habens, quod non competit relationibus. Disparitas alia est, quia si absoluta fundent relationem, non sequitur processus in Infinitum, qui sequeretur, si una relatio fundaret aliam. Disparitas denique est, quia fundare absoluta relationem similitudinis, est illa habere qualitatem eandem, quia verò habere qualitatem eandem & esse sibi similia, non fundat habere qualitatem aliam eandem, ideo nec una relatio fundabit aliam.

INSTAT. Binarius hominum, & binarius leonum, sunt numeri diversi, rursùs binarius binariorum non est binarius tantum hominum aut binarius tantum leonum, sed est quid conflatum ex duobus binariis: Ergo est quid ab utroq; distinctum: Ergo ulterius binarius hominum & binarius leonum fundabit binarium binariorum. Ergo ulterius una relatio aliam.

RESPONDETUR. Concedo antecedens quoad utramq; partem. Conseq. autem Dist. primum. Ergo binarius binariorum est quid realiter ab utroq; binario distinctum. Nego Conseq. Est quid ratione distinctum. Conced. Conseq. Certè enim binarius ille binariorum, non est quid reale ultra binarium hominum, & binarium leonum, sed in re binarius binariorum est binarius leonum & binarius hominum.

OBJICITUR 4. Proportionalitatis analogia, est realis, cùm tamen illa sit convenientia convenientiarum, seu fundata convenientia, supra convenientias. Ergo una convenientia potest fundare aliam. Ergo & una relatio aliam.

RESPONDETUR. Proportionalitatis analogia est in hoc realis, quia non est merè ficta, sed non est realis, hoc est nemine cogitante, actu, ultra ipsa proportionalia, imò in re nihil est, præter ipsa proportionalia. v. g. Proportionalitas in ratione Principii conveniens cordi, fonti, auroræ, nihil est, præter fontem, cor, auroram &c. quæ convenire advertendo Intellectus in ratione Principii, potest concipere convenientiam convenientiarum.

OBJICITUR 5. Formalis effectus paternitatis est referre filium ad patrem, & non est effectus illius formalis primarius esse similem, alteri paternitati. Ergo ad illam paternitatem, alia relatione referri, debet. Ergo una relatio fundabit aliam.

RESPONDETUR. Formalis effectus paternitatis, quæ est forma ex modo nostro concipiendi, est referre filium, ad patrem. Conc. antecedens formalis effectus paternitatis, quæ sit forma nemine cogitante ultra patrem & filium distincta. Nego antecedens. Consequens autem subdistinguo. Ergo ad illam paternitatem, aliâ relatione realiter referri debet. Nego Cons. alia relatione per rationem. Transeat. Ergo ulterius una relatio fundabit aliam realiter. Nego. Per rationem. Transeat.

QUÆSTIO IV.

De Termino Relationis.

PRÆMITTO 1. *Quid sit Terminus?* quem dixi supra esse illud aliud, ad quod terminatur relatio.

PRÆMITTO 2. *Relationem transcendentalem non requirere Terminos actu Existentes*, hinc relatio causæ, est ad effectus quantumvis illi actu non existant, imò potest esse relatio transcendentalis potentiæ cognoscitivæ ad non Ens, ad Chimæram, in quantùm illa est cognoscibilis.

PRÆMITTO 3. *Relationem prædicamentalem requirere Terminum actu existentem.*

RATIO. Tum quia relatio prædicamentalis, si spectetur secundùm quod est nemine cogitante, duo requirit actu, quomodo enim erit pater, qui nunquam genuit? quomodo erit paries similis, si nullum habeat alium parietem, cui sit similis. Tum quia, si est pater qui non habet filium, sed tantùm habet possibilem: Ergo & possibilis filius, qui nondum est, habet patrem, hæc enim sunt correlativa, consequenter erit genitus antequam sit. Tum quia si potest esse relatio prædicamentalis etiamsi non existat terminus: Ergo nullæ sunt de novo relationes prædicamentales.

CÆTERUM non existente utroq; Termino, quantumvis sine ulla jam reali Relatione (nisi forte ampliativa) possunt tamen aliqua relativas denominationes habere, & ita v. g. dicitur Joannes esse filius Petri, etiamsi Petrus sit mortuus, & non existat, non quòd nunc verè sit Relatio, sed quòd ratione habitæ Relationis, hæc denominatio perseveret, adeoque ampliativè. Aliqua tamen, non existente, utroq; termino, non habent denominationes relativas, & ita non dicitur pupillus habere Patrem, non dicuntur infantes occisi pro Christo, esse Patres, quantumvis potuerint esse Patres, nec dicitur filius esse pater sui patris, quantumvis possibile foret, ut eum quem aliquis habuit pro patre, haberet pro filio, si aliter Deus ordinasset. Quare autem aliqua fortiantur denominationes relativas, non existente utroque extremo, aliqua non fortiantur, reddit pro ratione Arriaga, consuetudinem, & usum humanum, qui aliquibus pro mero

mero hominum placito tribuit denominationes relativas, aliquibus negat. Rationem paulò aliam reddit Ovied. Conv. 9. Metaph. par. 3. v. 11. Rationes fundandi relationes, sunt duplices, quædam sunt per modum actûs, seu actionis, quæ ex se est transiens, qualis est Ratio fundandi ad Relationes, secundi fundamenti, seu secundi, ut vocant Ordinis, quædam sunt Rationes fundandi, quæ sunt per modum habitus, quæ quiete & mortuo ut ita dicam modo, subjectum denominant. Relationes secundi generis, non requirunt actu existentem terminum, ut subjectum denominetur relatum, requiritur tamen ut ratio fundandi, vel existat, vel exstiterit. Unde, quamvis jam cesset, ratio fundandi, adhuc subjectum denominabitur relatum, eò quòd ratio fundandi, censeatur virtualiter durare in genere Moris: ad eum plane modum, sicut dicuntur permanere actus voluntatis, in effectibus, qui ab actu voluntatis, originem trahunt, & sicut censetur durare intentio finis, durante executione mediorum: sic etiam hîc, cessante jam alteratione generativa, Joannes dicitur filius Petri, eò quòd censeatur moraliter durare, quia durat Entitas Joannis, quæ est per veram generationem producta. Rationes autem fundandi, quæ sunt per modum habitûs, & spectant ad relationes primi fundamenti, seu prioris Ordinis, nec durant nec adferunt denominationes relativas, ratione fundandi sublata, & ita non dicitur, subjectum simile in albedine alteri subjecto, si alter paries denigretur, nec dicitur æquale lignum alteri, sublatis aliquibus, in altero partibus. Neque juvat ut dicatur nunc paries similis, quia fuit ante similis, nam ex una parte tam verè id quod fuit, sed nunc non est, tam verè inquam non est, quàm verè non est id, quod nunquam fuit: ex altera parte non est usus hominum tribuendi talibus denominationes Relativas.

Dices. Relatio transcendentalis, potest esse & quidem realis ad terminum non existentem: Ergo & relatio prædicamentalis.

Respondetur. Nego Conseq. Disparitas est in nostris principiis, quia absurdum esset, si Relatio transcendentalis non posset esse ad terminum non existentem, sequeretur enim quod posito subjecto Relationis transcendentalis, non esset hoc ipso Relatio transcendentalis, quod dici non potest, aliàs adveniret relatio hęc subjecto, non esset que illi essentialis, siquidem potest esse subjectum sine illa; nullum autem est absurdum ut Relatio, quæ de se est adveniens, si terminus illius absit, hoc ipso non sit Relatio. His præmissis, *sit*

DIFFICULTAS I.

An Relatio terminetur ad relativum esse, an verò ad absolutum?

Sensus quæsiti est: An Relatio v. g. paternitatis referatur ad Entitatem filii, an verò ad ipsam relationem filiationis? Jam verò cùm dixerim in re relationem non esse quidquam supra Fundamentum & Terminum, seu duo absoluta aut extrema, consequenter dico, nihil esse in Termino relativum, quod non sit absolutum, adeoq; quod ad rationem absolutam relatio terminetur: Procedet ergo quæstio, de solis conceptibus; an scilicet relationem, quam concipimus per modum Formalitatis, referentis unum ad aliud, an inquam hanc Formalitatem concipere debeamus, respicientem aliud ut relativum, an verò ut absolutum.

Dicendum 1. *Relationem non mutuam terminari ad Absolutum.*

Probatur 1. Ex Arist. 6. Met. tex. 15. ex quo textu sic arguitur. Mensurabile terminat relationem, non sub relativa ratione. Ergo relatio non mutua, ad absolutum terminatur. Antecedens probatur. Si mensurabile terminaret relationem per aliquid relativum referretur ad mensuram, sed non refertur. Ergo. Minorem textus Arist. probat.

Probatur 2. Si relatio non mutua terminaretur ad relativum, daretur in Termino non relato mutuò, daretur inquam ratio relativi, sed non datur in Termino non relato mutuò, ratio relativi. Ergo relatio non mutua non terminatur ad relativum. Minor probatur. Si in Termino non relato mutuò, daretur ratio relativi, hoc ipso non relatum mutuò, esset relatum mutuò, impossibile enim est dari in aliquo rationem relativi, & tamen illud non esse relatum. Major principalis probatur. Daretur in non relato mutuò ratio terminativa relationis. Sed ratio terminativa relationis, est ratio relativa. Ergo daretur in non relato mutuò, ratio relativi. Habendum hîc præ oculis exemplum relationum non mutuarum, quomodo refertur mensura ad mensurabile, scientia ad scibile, non è contra, & in sententia Thomistarum refertur creatura ad Deum, non Deus ad creaturam.

Respondet 1. Cajet. Relativa non mutuò invicem referri, quamvis relatio utrique non insit. Unde non ideò appellantur non mutuò relativa, quasi utrumque non referatur extremum, sed ideo appellantur non mutuò relativa, quia non utriq; inest relatio, hinc etiam relativum non mutuò, terminat relationem aliûs extremi, in quantùm vicissim ad illud refertur.

Contra est 1. Ergo relativa non mutuò, sunt & relativa, & non sunt relativa, non sunt relativa ut supponitur, & sunt relativa, quia referuntur ad se invicem: neq; dici potest unum extremum relatione in alio recepta referri, quia certè, non potest esse quis albus albedine in alio existente, & sibi non unita, nec potest aliquid esse æquale æqualitate aliûs subjecti: Ergo nec relatum relatione aliena.

Contra est 2. ex Hurt. Deus per Cajet. est id, ad quod formaliter refertur creatura. Ergo in Deo debet esse Ratio formalis terminandi. Consequens probatur. Quia si in Deo, non esset Ratio formalis terminandi, hoc ipso non denominaret Deum formaliter terminantem, ratio enim formalis terminandi, denominat formaliter Terminum. Supponitur enim hæc Relatio creaturæ ad Deum, esse ad Deum, quod si est in Deo ratio formalis terminandi: Ergo & in Deo est relatio, cum per Cajet. Relatio terminet Relationem.

Contra 3. Relatio Dei terminans Relationem, A, quam creatura dicit ad Deum, vel est eadem, cum relatione, A, creaturæ, vel non est eadem, si est eadem, ergo Relatio A creaturæ refertur ad se ipsam, quod repugnat, unde ne hoc absurdum sequatur, necessarium est, ut agnoscat Cajet. illam Relationem, ad aliquid absolutum terminari. Si autem Relatio A creaturæ non terminatur ad se ipsam, & tamen terminatur ad Relationem. Ergo Deus dicet Relationem qua terminet relationem A creaturæ, quod est inconsequenter dicere, cum Cajet. nullam in Deo agnoscat relationem ad creaturam, cum inquam, non agnoscat Relationem distinctam à Relatione creaturæ. Quando verò Arist. 5. Met. tex. 16. sentit extremum scibile dici ad aliquid, non quia ipsum dicatur ad aliquid, sed quia aliud, dicitur ad ipsum, non sentit per hoc, quod possit aliquid referri ad aliud relatione non sua, seu relatione alius extremi, sed tantùm sentit, ex eo, quia ad scibile refertur scientia, ex eo inquam scibile referri, hoc est revocari, reduci, & pertinere ad Prædicamentum ad aliquid, tanquam Terminum.

Respondent 2. alii. Deum terminare Relationem creaturæ, extremum item non relatum terminare Relationem extremi relati, non sub ratione absoluti, sed sub ratione relativi, ponuntque in Deo & non in Relatis mutuò, Relationem Rationis, quæ subeat vices termini.

Contra est, ex Suar. etiamsi nullam intellectus istam relationem fingat, aut consideret, tamen Relatio creaturæ verè terminabitur ad Deum: Ergo non per istam relationem Rationis, Deus terminat Relationem creaturæ. Antecedens probatur. Non enim mea fictio facit, quòd à Deo pendeat creatura, illud autem quod urgent: Deum cognoscere factibilem esse Relationem Rationis, hacque ipsa formalitate, terminare Relationem creaturæ, omninò impertinens est, nam creatura non respicit Deum, ut speculantem possibilitatem, fingendæ & concipiendæ Relationis, sed respicit creatura Deum, ut productivum creaturæ: Ergo non ad hanc Relationem Rationis, tanquam ad Terminum tendit.

Respondet 3. Fonsec. l. 5. c. 15. q. 5. s. 4. per relationem rationis Deum terminare Relationem creaturæ, quæ etiamsi actu non existat, potest tamen convenire: actu Creatori: sicut etiamsi Homo non existat, est tamen actu animal Rationale.

Contra 1. Impossibile est actu aliquid convenire alteri, & non esse tamen actu, quia priùs est esse actu, posteriùs esse actu conveniens.

Contra 2. ex Suar. Falsum est Homini actu non existenti, convenire actu esse animal.

Contra 3. ex Hurt. Relatio creaturæ tendit realiter in Deum: Ergo Deus est terminus realis ut quod Relationis: Ergo habet formalitatem aliquam realem, à qua tanquam à Ratione ut quo denominetur terminans, sed Relatio rationis etiam cum est actu, non est in Deo, ergo neq; denominat Deum.

Dicendum 2. *Relationes etiam Mutuas terminari ad absolutum.*

Probatur 1. Ex Suar. adducente tale axioma: Id quod in unoquoq; principio est Ratio fundandi propriam relationem est Ratio eandem in alio extremo terminandi, sed principium propriæ Relationis, fundat illam secundùm esse Absolutum. Ergo & terminat illam secundùm esse Absolutum. Probatur Major. Ratio fundandi est illa, per quam redditur ratio, cur hoc fundamentum referatur ad illum terminum, sed eadem ratio redditur, propter quam unum extremum refertur ad alterum, & propter quam alterum terminat eandem Relationem. Ergo ratio propter quam unum extremum fundat Relationem, est eadem cum illa, propter quam extremum aliud, eandem terminat. Minor probatur. Inquirenti cur hic paries ad alium referatur relatione similitudinis, non respondemus, quia in se relationem habet, sed quia est albus. Rursùs si quæramus, cur hic alter terminat Relationem illius; non respondemus, quia relationem habet, sed quia est albus, ergo eadem est ratio fundandi & ratio terminandi, sed Ratio fundandi relationem est absoluta: Ergo & Ratio terminandi.

Probatur 2. Paternitas terminatur ad substantiam filii, non ad filiationem: Ergo Relatio mutua, potest terminari ad absolutum. Antecedens probatur. Paternitas, est relatio causæ ad Effectum, in actione enim fundatur, sed effectus causæ generantis, est substantia filii genita, generatio enim tendit in substantiam hominis geniti. Ergo substantia filii geniti, est terminus paternitatis.

Probatur 3. Communiter Relatio mutua dependet à termino in suo esse. Ergo præsupponit terminum: sed non præsupponit correlativum, correlativa enim sunt simul natura. Ergo præsupponit absolutum. Ergo & illud absolutum terminat relationem.

Confirmatur. Ad aliud refertur relatio parietis alibi A cui est similis paries A, sed non est simi-

similis relationi parietis albi B, sed ipsi parieti albo. Ergo ad illud, & non ad ejus relationem, terminatur similitudo. Deinde in relatione non mutua habet terminus sufficientem vim, ut secundum esse absolutum, terminet relationem. Ergo & in relatione mutua terminus habebit sufficientem vim, ut secundum esse absolutum terminet relationem.

RESPONDENT Complut. ex Nazario. Esse absolutum præexigi ad hoc, ut terminet Relationem tanquam fundamentum, sed non exigi esse absolutum tanquam formalem rationem terminandi.

CONTRA est. Tum quia hoc ipsum negatur quòd esse absolutum, tantum ut fundamentum, non verò tanquam ratio formalis terminandi præexigatur. Tum quia ille terminus formaliter terminat Relationem, quo posito & impossibili alio, posset adhuc esse relatio Paternitatis, sed impossibili Filii relatione, posita verò tantum substantia genita adhuc esset relatio. Ergo. Minor probatur. Impossibili filiatione, quam volunt Complut. esse superadditam realiter, modo ponatur substantia genita, erit verè impossibili filiatione super addita, Relatio Paternitatis. Tum quia in non relativis mutuò, esse absolutum terminare potest Relationem. Ergo idem absolutum poterit & in relativis mutuò terminare.

DIFFICULTAS II.

Rationes Oppositorum.

OBJICITUR 1. Auctoritas Theologica. Divinæ Relationes, non terminantur ad aliquid absolutum quod est Natura, sed ad relativum v.g. ad filium: Ergo & creaturæ Relationes non terminabuntur, ad aliquid absolutum sunt enim imitationes increatarum.

RESPONDETUR. Dispar. posse assignari, quia si Relatio paternitatis v. g. non terminaretur ad aliquid relativum, non haberet ad quod terminaretur; non enim posset terminari ad naturam, quia terminus hujus relationis deberet esse distinctus realiter, cùm tamen natura non sit distincta realiter in divinis v. g. à filio qui refertur ad Patrem; Similis autem ratio non urget in Creatis si relatio terminetur ad aliquid absolutum. Ad mentem Bonavent. & consequenter ad dicta in prima parte. Negatur Antecedens. Ratio est, quia sentit Bonaventura non Relationibus sed Originibus personas constitui, relationes autem eis advenire, & in eis fundari. Consequenter dicit paternitatis relationem terminari ad passivam Originem filii, Relationem autem filiationis, terminari ad originem activam filii, consequenter non terminari relationem formaliter. Imò posito quod Relationibus personæ constituantur, posset dici terminari relationes paternitatis non ad filiationem formaliter. Videatur Suar. d. Met. 46. s. 6. n. 37.

OBJICITUR 2. Auctoritas Arist. qui tractans de Relatione dicit, quod circumscriptis omnibus quæ ad servum pertinent, ut esse bipedem, esse scientiæ capacem, & relicto hoc solo quòd sit servus, terminabitur adhuc ad illum Relatio Domini, Ergo sentit relationem terminari ad Relativum.

RESPONDETUR. Quod non dixerit Arist. omnia omninò absoluta circumscribi posse, & tamen adhuc mensuram relationem Domini ad servum, sed sentit circumscribi posse omnia absoluta, non spectantia, nec fundantia rationem servi: aliàs si sentiret circumscriptis omnibus absolutis, posse esse relationem Domini ad servum, non dixisset relinqui debere servum, sed relinqui debere servitutem, servitus enim est relatio; servus autem est concretum involvens absolutum quid, hoc est Entitatem servi quantumvis restrictam formalitate servitutis.

OBJICITUR 3. Relativa sunt simul naturâ, sed si relatio v.g. paternitatis non referretur ad relationem filii, non essent simul naturâ paternitas & filiatio. Ergo. Minor probatur. Prior esset paternitas terminata ad substantiam genitam, quàm filiatio terminata ad substantiam generantis: Ergo non essent simul.

RESPONDETUR. Neg. Min. & probationis anteced. imò ex hoc principio oppositum in probationibus ostendimus, hæc enim quæ sunt simul natura, unum non debet præsupponi alteri; sed terminus præsupponitur relationi. Ergo non est simul naturâ cum relatione, quòd autem terminus præsupponatur relationi, hoc inde est. Tum quia censetur primùm ex fundamento & termino pullulare relatio: Ergo apparet terminum præsupponi à Relatione. Tum quia habent se terminus & relatio, sicut principium & principiatum, certè enim non intelligitur poni terminus, propter positam Relationem, sed potiùs intelligitur poni relatio, ex posito termino. Ergo relatio est tanquam principiatum, terminus autem tanquam principium illius. Ergo ulteriùs relationi præsupponitur terminus. Benè hic addit Suar. n. 23. Simultatem hanc naturæ, quæ est inter duo correlativa, non fundari in formali habitudine eorum inter se, sed in necessaria connexione, quam habent in Fundamento & Termino; quia scilicet neutra consurgere potest, quin simul consurgat alia, hinc Pater & Filius, sunt simul natura, neque enim filiatio præsupponitur paternitati, tanquam terminus. Pater autem, vel potius paternitas & hæc substantia genita, non sunt simul natura, præsupponitur enim Relationi Paternitatis tanquam terminus substantia genita.

Instat. Substantia genita est prior paternitate, est enim terminus prior ut diximus relatione, sed Filiatio est substantia genita. Ergo Filiatio est prior Paternitate.

Respondetur. Filiatio formaliter accepta est substantia genita. Nego Minorem (formaliter enim accepta dicit ipsam formalitatem relationis.) Filiatio materialiter accepta & realiter, est substantia genita. Concedo Minor. Distinctoque Conseq. Nego Conseq. Et dico Filiationem realiter acceptam seu pro substantia genita esse priorem Paternitate, non tempore sed Naturâ, sicut ipsa Relatio, est posterior termino, non tempore sed Naturâ. Quod autem dicitur. Petrus prius est Natura homo, & prius natura est genitus, quàm sit filiatio. Ergo & Joannes priùs naturâ erit Genitor, quam sit Paternitas, hoc concedo totum. Sicut enim præsupponitur Filiationi substantia genita, ex qua pullulat Filiatio, ita præsupponetur Paternitati substantia generans, tanquam id, ex quo pullulat Paternitas.

Objicitur 4. Commune axioma. Relativa sunt simul cognitione, & definitione, sed si Paternitas v. g non terminaretur ad Filiationem, hoc est, si non terminaretur Relatio ad Relativum, posset cognosci Paternitas sine Filiatione. Ergo Relativa non essent simul cognitione. Minor prob. Posset cognosci Paternitas, quæ est relatio, cum suo Termino, hoc est esse absoluto, quod terminat Relationem Paternitatis, non attingendo Filiationem, sufficit enim ad cognitionem Paternitatis cognoscere fundamentum in circumstantia termini, qui per nos est quid absolutum: Ergo posset cognosci Paternitas non cognitâ Filiatione.

Respondetur. Dist. Min. si Paternitas non terminetur ad Filiationem posset cognosci sine Filiatione tanquam terminante formaliter Relationem Paternitatis. Concedo Minorem. Posset cognosci Paternitas sine Filiatione, tanquam nec concomitante terminum Formalem nec identificata termino Formali, adeoque materialiter, & identicè non terminante. Nego Min. & Dist. Conseq. nego Conseq. & dico. Quamvis relationem Paternitatis per nos non terminet Filiatio, propter rationes adlatas, sed terminat substantia, tamen concomitanter terminat & filiatio, quia filiatio, est identificata substantiæ genitæ.

Respondent Alii. Quod relativa sint simul naturâ, si unum formaliter & aliud materialiter relativum spectetur, non verò si alterum, tanquam formaliter relationē terminans, spectetur.

Instat 1. Si una Relatio non dicit aliam tanquam Terminum, sequitur non posse dari causam, cur positâ unâ v.g. relatione Paternitatis, necesse habeat resultare alia, v. g. Filiationis, satis enim est, quòd fundamento respondeat terminus.

Respondetur. Hoc inde esse, quia quando respondet Paternitati terminus, respondet per nos substantia genita, hocque ipso pullulare debet filiatio, impossibile enim est esse substantiam genitam, & non esse filiationem.

Instat 2. Si terminus est prior ipsa relatione, sequitur, quòd v. g. effectus prior quâ terminat relationem causæ, ipsâ relatione, sed non est prior. Ergo. Minor probatur, quia effectus non est prior causâ.

Respondetur. Effectus non est prior causâ in ratione effectus. Conc. Non est prior in ratione Terminantis relationem. Nego Propositionem.

Addo, ut salventur hæc duo dictamina: Causa est prior suo effectu; & istud aliud: Correlativa sunt simul natura. Ita scilicet hoc accipiendum. Quando dicuntur esse simul naturâ, utrumque debet accipi ut relativum formaliter, ita ut neutrum respectu aliûs habeat rationem, Termini, si enim haberet rationem Termini, hoc ipso non esset simul naturâ, ut dictum. Causa autem in eo sensu, est prior suo effectu, in quantùm effectus accipit esse à causa. Dicere ulterius potes, causam comparatam cum effectu, in quantùm ille accipit esse à causa, esse priorem effectu, in quantùm autem terminat respectum causæ, esse priorem causa, omnis enim Terminus, est prior relatione naturâ.

Quod attinet: an Relativa sint simul definitione. Respondendum erit, quòd scil. concomitantes sint simul definitione, non verò sit utrumq; ut formaliter relativum accipiatur. Certè enim paternitas cùm sit relativum, sine termino definiri non potest, si sine termino definiri non potest, sine substantia genita definiri non potest, ad quam substantiam genitam, quia concomitanter habet se filiatio, ideo sine filiatione, concomitanter definiri non potest. Quod verò formaliter accepta Paternitas, si definiatur non exigat definiri per Filiationem, innuit Arist. 6. Top. c. 3. ubi docet tradi debere definitionem per priora, cum filiatio non sit prius paternitate, paternitas per filiationem definiri non debet. Rursùs si quidem paternitas & filiatio sunt oppositа, cum idem Arist. doceat oppositum per oppositum definiri non posse, ideo nec per filiationem formaliter, Paternitas formaliter definietur.

Instat 3. Paternitas terminatur ad filium, ut filius est, ergo terminatur ad aliquid relativū.

Respondetur. Paternitas terminatur ad filium ut filius est, ita, ut ly ut, reduplicet relationem filii, negatur anteced. ita ut reduplicet substantiam genitam. Conc. Antecedens & Nego Consequentiam.

Obji-

Objicitur 5. Commune axioma. Inter relativa debet esse oppositio: inde Ruvius sic argumentatur. Oppositio Relativa, reperitur inter relativa, ut relativa sunt formaliter. Ergo & mutua relatio includet essentialiter mutuâ oppositionem relativam. Sed mutua oppositio relativa, essentialiter includit utramque rationem referendi, & terminandi: Ergo utrumq; officium exercent relativa per relationes, & non per fundamenta absoluta.

Respondetur. Transeat primum Enthymema. Dico Transeat, quia oppositio relativa, debet esse communis omnibus relativis, non ergo debet esse inter relationem, & relationem, aliàs in relationibus non mutuis, non esset oppositio relativa, quia non sunt illic duæ Relationes; Subsumptum Dist. sed mutua oppositio relativa, essentialiter includit utramque rationem referendi & terminandi, sub eadem formalitate. Nego, sub diversa formalitate Conc. Subsum. & Nego Conseq. Unum enim relativum respicit aliud, per rationem formaliter respectivam, sed terminat ut dixi non per rationem respectivam formaliter, sed per absolutum.

Instabis 1. ex eodem. Mutuo relativa sunt, quorum quodlibet respicit aliud, & ab eo respicitur: Ergo si Formaliter respicitur, formaliter terminat Relationem.

Respondetur. Eadem Dist. quòd scilicet mutuo relativa, debeant respicere, & respici, sed sub diversa formalitate.

Instat 2. Nulla est ratio cur sub eadem Formalitate, non se respiciant & terminent mutuo relativa.

Respondetur. Esse rationem, quia Mutuo relativa, debent esse simul Naturâ, non essent autem simul Naturâ, si unum respiceret aliud, tanquam Terminum.

Instat 3. Quod per se primò opponitur relativo, illud per se primò respicitur à Relativo, sed correlativum formaliter opponitur Relativo: Ergo illud primò respicitur.

Respondetur. Illud primò & per se respicitur à relativo, quod per se primò illi opponitur, ut quo. Nego majorem. Quod illi primo & per se opponitur. Ut quod, Conc. Major. Distincta Minori. Nego Conseq.

Respondetur 2. ex fundamento sententiæ; illud hîc primo respicitur, quod per se opponitur, & stat cum hoc, ut correlativa sint simul natura. Concedo Majorem, si non stat cum hoc ut correlativa sint simul natura. Nego Majorem Dist. Minori. Nego Consequentiam. Si autem ipsum formaliter correlativum respiceretur, non essent correlativa simul natura, ut probatum est.

Addit Pont. quòd scilicet ad mutuam oppositionem, non hoc sit requisitum ut respiciat unum, aliud respiciatur, sed ut unum sit realiter distinctum ab alio, & terminetur ad aliquid, ad quod, non terminatur aliud. Quod autem dicitur, si præscindantur Paternitas & Filiatio à Fundamento, opponentur secum & se invicem terminabunt, id non convincit, quia posito illo casu impossibili, erunt relationes illæ oppositæ, mutuæ, coexigentes se adinvicem, sed non erunt terminatæ, sed terminabiles. Unde Paternitas est ad Filiationem, velut ad oppositum, non tanquam ad terminum.

DIFFICULTAS III.

An ad multiplicationem Terminorum multiplicentur Relationes?

Affirmant multiplicari Scotistæ. Negant Thomistæ. Quæstio hæc in nostris principiis locum non habet, quia apud Nos Relatio Paternitatis, nihil aliud, est nisi Entitas Patris in circumstantia Filii. Cùm ergo Entitas Patris ad secundi Filii positionem non multiplicetur, ideo nec relatio Paternitatis, secundùm id quod dicit pro subjecto multiplicabitur, licèt multiplicetur ratione extrinsecorum, intrinsecè ad relationem requisitorum, hoc est ratione aliûs, & aliûs Filii. Breviter ergo ad titulum Responderi potest. Multiplicatis terminis multiplicari relationes secundùm extrinseca intrinsecè ad relationem requisita, non verò secundùm rationem, quam pro subjecto important Relationes. Procedet ergo quæstio: an multiplicatis Terminis, necesse sit ex modo nostro concipiendi fundato in re concipere plures advenientes formalitates, quarum una v. g. referat Patrem ad Stanislaum Filium, alia ad Joannem &c. Ad quam Quæstionem.

Dicendum. *Multiplicatis Terminis, multiplicari Relationes.*

Probatur Auctoritate Arist. qui dicit: Relativa esse simul Natura, quo ex axiomate tale fit argumentum. Si ad multiplicationem Terminorum, non multiplicarentur Relationum Formalitates, relativa non essent simul naturâ, sed sunt. Ergo. Sequela probatur, Posset esse Paternitas, & non esse Filiatio. Ergo. Antecedens probatur. Adam habuit Relationem Paternitatis ad Caim, cùm necdum esset Filiatio Abelis, & tamen habuit Paternitatem Abelis, cum tu dicas per eandem Paternitatem referri Adamum ad Cain, & Abelem: Ergo potest esse Paternitas & non esse Filiatio.

Idem sic proponi posset. Ante Natum Abelem, & solo existente Caimo, vel habebat relationem Paternitatis ad Abelem Adam, vel non habebat, si habebat, Ergo antequam natus fuisset, Adamus, Pater Abelis jam erat, & Fi-

lius Abel non erat: quodsi concesseris, inferam. Ergo Abel antequam natus esset, & erat Filius & non erat, non erat ut supponitur, & erat, quia qui habet Patrem, est Filius. Abel antequam natus esset habuit Patrem: Ergo antequam natus est, erat Filius. Si autem non habebat relationem Paternitatis ad Abelem Adam quantumvis habuerit relationem Paternitatis ad Cainum: Ergo non una Paternitate refertur Adam, ad Cainum & Abelem.

PROBATUR 2. Multiplicatis Rationibus fundandi, & Terminis, multiplicantur relationes: Ergo una relatio non poterit respicere plures Terminos, si adsint novæ rationes fundandi. Antecedens probatur. Multiplicatis causalitatibus multiplicantur effectus, sed rationes fundandi sunt causalitates, & relationes, sunt illarum effectus. Ergo multiplicatis Rationibus fundandi multiplicantur Relationes. Idem sic proponi posset: Accedente nova ratione fundandi, debet fundari novum quid, sed non fundatur præexistens Paternitas. Ergo fundatur nova.

PROBATUR 3. Inexplicabile est, quomodo una numero Relatio tam multos terminos respicere possit. Et à pari probatur. Pro diversitate specifica terminorum multiplicantur relationes specie. Ergo & pro diversitate numerica terminorum, multiplicabuntur Relationes numericè.

RESPONDENT 1. Thomistę. Ad productionẽ Abelis non resultare novam Relationem, sed tantùm veterem extendi ad Abelem, quæ fuit ad Cain tantùm: ad eum modum, quo idem habitus, circa idem objectum, ad aliam numero demonstrationem solum se extendit, & non multiplicatur ad illam. Item eadem quantitatis absque ulla additione aliûs quantitatis in rarefactione, plus spatii occupat, per solam extensionem præexistentis quantitatis, & sicut baculus fixus in fluvio dicitur de novo coëxistere succedentibus aquis, ex sola novitate partium, & nulla sui multiplicatione, ita & una Paternitas, extendet se ad alium Filium, sine ulla sui multiplicatione.

CONTRA 1. ex Mast. Tum quia ista extensio prioris Relationis, vel est extensio per rationem, vel in re, non potest esse extensio per rationem, quia à parte rei respicit novum filium, si autem hæc extensio est in re: Ergo per novum aliquem respectum: quia extensio ad novum terminum, non potest esse quid absolutum. Ergo debet esse respectus formaliter. Quæ ratio maximè urget in principiis Thomistarum asserentium Relationem esse realiter superadditum quid. Tum quia paternitas fundatur super generationem, vel illam necessario sequitur. Ergo si generatio, non est prioris generationis extensio, neque paternitas erit extensio prioris paternitatis.

CONTRA 2. Quia exempla à Thomistis adlata non evincunt, si enim idem habitus non inclinaret ad similem demonstrationem iis demonstrationibus, à quibus est productus, hoc ipso non esset habitus, cum de ratione habitûs, sit talis inclinatio; si autem eadem paternitas, non referret ad alium filium, nihil erit contra rationem & definitionem paternitatis. Quod attinet ad rarefactionem, illa vel est qualitas realiter superaddita, vel fit ut alii volunt, per intromissionem corpusculorum. Nego item quod baculus per extensionem ejusdem coexistentiæ, aliam, & aliam præsentiam habeat.

CONTRA 3. Tum quia, quando cognoscimus objecta, solo numero distincta, non est extensio unius cogitationis, ut v. g. cognitio quâ cognosco Petrum, si postea cognoscam Paulum, non est extensio cognitionis Petri: Ergo neque est sola extensio paternitatis præexistentis, ad novum filium. Tum quia hæc extensio, vel fit, per extensionem novæ formalitatis, per quam præexistens paternitas, quæ refert ad Cainum, denominatur etiam paternitas ad Abelem, vel certè fit per acquisitionem novæ Entitatis, quomodo augetur habitus in sententia, non tenentium illum esse simplicem qualitatem. Neutro modo fit hæc extensio, ut probo. Certè enim non fit per acquisitionem novę formalitatis, quia si fieret hæc extensio paternitatis, per solam acquisitionem novæ formalitatis: Ergo poterit (contra quam velint Thomistæ) fundamentum per acquisitionem novæ formalitatis, & sine superaddita realiter relatione, referri ad aliud. Si autem fit per acquisitionẽ novæ Entitatis: Ergo jam non est in re extensio prioris paternitatis, sed novum quid, quod ante non fuit, & hoc novum Nos appellamus relationem v. g. ad Abelem; Tu quomodo velis, appelles, idem enim jam sentis.

RESPONDENT 2. Complut. Relationis paternitatis v. g. duplex est terminus. Formalis unus, qui est respicere rationem filii, & alius Materialis, qui est respicere, hunc & hunc, & hunc filium: variatis ergo terminis Materialibus, multiplicatis item, vel diminutis, quia manet vel in uno filio, ratio formalis termini, ad quam tendit paternitas, ideo & invariata formaliter paternitas manet.

CONTRA est. Tum quia sequeretur etiam ad cognoscenda objecta solo numero distincta, eandem numero esse formaliter cognitionem, licèt alia sit materialiter, ut dixi superius. Tum quia hoc quod est respicere, novum Materialiter terminum, vel est nova formalitas vel nova realitas. Neutrum dici potest. Tum quia hoc, quod est unam esse filiationem formaliter, idem est, ac esse unam specie filiationem & convenientiam in ratione communi filiationis, sed hoc non obstante, debet esse formalis multiplicatio rela-

relationis, quod probo. Etiamsi omnes homines conveniant in una formali ratione Hominis, hoc tamen non obstante, in Individuis multiplicatur ratio formalis, & unusquisque distinctam numericè, habet formalitatem Hominis. Ergo etiamsi conveniant & illi termini in ratione v.g. filii, hoc non obstante, unusquisque habebit formalitatem filii, & unusquisque formaliter, non materialiter terminabit Relationem paternitatis: Ergo unusquisque formalis, non materialis erit terminus Relationis, contra quam voluerunt Complutenses.

Objicitur 1. Aristotelis auctoritas 5. Metaph. tex. 2. ea esse idem numero docentis, quorum una materia est, sed unum subjectum Relationis v.g. Adam, est materia Relationis: Ergo in uno Adamo una est Relatio.

Respondetur. Multum probari. Probatur enim etiam ad specie distinctos terminos eandem esse relationem: quia idem subjectum relationis, est etiam ad distinctos specie terminos. In forma explicandus erit Arist. ex Fonseca, quòd scilicet, velit illas substantias Physicas esse idem numero quæ habent eandem materiam. Quanquam totum hoc argumentum non est contra Nos, qui dicere possumus, eandem esse relationem ad primum & secundum Filium, eandem inquam, si relatio spectetur secundùm id, quod dicit pro subjecto, licet alia & alia sit, spectata secundum id, quod dicit pro obliquo, & connotato.

Objicitur 2. Accidentia solo numero distincta, non possunt esse in eodem subjecto, v.g. plures numero albedines, in eadem parte subjecti: Ergo nec Relationes solo numero distnctæ.

Respondetur. Accidentia quæ idem præstare nata sunt, si sint solo numero distincta, non possunt esse in eodem subjecto. Concedo Antecedens: si sint nata diversum quid præstare. Nego Antecedens. Diversum autem quid præstat paternitas Cain, refert enim ad Cainum, & diversum præstat paternitas Abelis, refert enim ad Abelem. In nostris principiis hoc non habet difficultatem, licèt enim accidentia Physica, solo numero distincta, non possint esse in eodem subjecto, præcipuè si idem utrumque præstet, possunt tamen esse plura Accidentia Logica, adeoque & Relationes, quas multiplicari debere ad diversos numero terminos probatum est.

Objicitur 3. Si plures paternitates possent esse in uno subjecto, illud subjectum non esset unus pater, sed plures, quia ad multiplicationem abstracti, debet multiplicari concretum.

Respondetur. Negando sequelam cum probatione, quia ad multiplicationem abstracti, tunc multiplicatur concretum, quando & subjectum, cui inest forma multiplicatur. Cùm ergo non multiplicetur natura humana in Adamo, ad multiplicationem terminorum, nec multiplicabitur concretum hoc, Pater, licèt possit dici, Adam, esse pluries pater, ita, sicut si in uno subjecto ponerentur plures albedines, non diceretur subjectum illud plura alba, sed pluries album. Ubi videre potes, paternitatem Caini habere effectum suum formalem, quòd sit, & denominetur Adam pater Caini, habebit etiam secunda paternitas effectum suum formalem, quia referet, & denominabit Adamum, habentem se ad Abelem.

Instabis 1. Ergo alia relatione referetur filius ad patrem, alia ad matrem?

Respondetur. Concedo totum. Cum enim uterq; ad positionem filii partialiter concurrat, ad utrumque erit Relatio, ad eum modum, quo & ignis & calor concurrit ad productionem alius ignis, ignisque productus ad producentem ignem, calor item productus ad calorem producentem refertur.

Instabis 2. Sequitur ex dictis: alium esse numero Patrem Caini, alium Abelis; quia una paternitate, est unus pater: Ergo & aliâ paternitate, erit alter Pater.

Respondetur. Negando id sequi, altera autem paternitate non denominatur alter pater, quia ipsum subjectum, hoc est, natura Adami, non multiplicatur, multiplicata formâ, hoc est paternitate. Committitur etiam hîc fallacia Accidentis, quia id quod uni tribuatur, non inquantùm unum est cum illo, sed inquantum est aliud quid ab illo, atque ita, quia formalis ratio paternitatis, multiplicatur, volunt oppositi, materialem illius rationem, seu subjectum multiplicari.

Instabis 3. In eadem actione fundatur utraque paternitas: Ergo eadem est.

Respondetur. In eadem actione, quoad speciem, fundari & secundam, & primam paternitatem, sed non in eadem numero: consequenter & paternitates secundùm speciem idem erunt, sed non idem numero, quæ responsio procedit in sententia distinguentium Relationem.

Objicitur 4. Una relatione Transcendentali potest fundamentum ad plures terminos referri, unâ relatione causa refertur ad omnes effectus, Habitus & Potentiæ ad actus: Ergo & relatio prædicamentalis una numero, referet ad plures terminos.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disp. est, quia relationes Transcendentales sunt secundò essentiales rebus, easq; transcendunt, adeoque etiam earum unitatem induunt, Relationes verò prædicamentales, non sunt tales. Disparitas secunda est, quia ratio fundandi relationem Transcendentalem, est una tan-

na tan-

na tantùm numero, v. g. vis causandi, rationes verò fundandi relationes prædicamentales, v. g. plures actiones generandi, non sunt idem numero, hinc quando causa respicit effectum actualem, respicit illum relatione prædicamentali, & quia aliud est exercitium actuale, hujus virtutis ad hunc effectum tendentis, & aliud exercitium, hujus virtutis tendentis ad effectum illum, ideo etiam Rationes fundandi erunt distinctæ, consequenter & Relationes. In nostris principiis hæc distinctio numerica relationum, solum debet esse ex modo nostro concipiendi distincta.

Objicitur 5. Si ad multiplicationem Terminorum, multiplicantur Relationes: Ergo sunt infinitæ.

Respondetur. Tot fore relationes, quot terminos, qui quia infiniti non sunt, nec Relationes sunt infinitæ.

QVÆSTIO V.

De affectionibus Relationum.

PRima est habere Contrarium, hoc est Oppositionem veram & realem. Secunda suscipere magis & minus. Sed hæc proprietas non omnibus convenit, duplum enim non est magis vel minus duplum, sed in indivisibili consistit; Cæterùm duæ quantitates inæquales; possunt majorem vel minorem habere Inæqualitatem. Tertia dici ad Convertentiam, & ita dicitur Flius, Filius Patris, & Pater, Pater Filii. Quarta ut sint simul naturâ, & ut id in duobus eluceat. Primò ut valeat ab uno subsistendi consequentia ad aliud, quà formaliter relativa, valet subsistendi Consequentia ad effectum. Secunda Ut unum, non sit causa alius, hinc paternitas quà paternitas est, non est causa filiationis, licèt Pater materialiter acceptus sit causa Filii. Quinta Esse simul cognitione & definitione.

TRACTA-

TRACTATUS III.

De Secunda & Tertia Operatione.

Secunda Operatio ſicut ordine, ita & tractatione, præcedet Tertiam.

DISPUTATIO VII.

De Secunda Operatione.

DE ſecunda Operatione tractando, multa intermittenda ſunt, quæ circa Voces & Enunciationem adferri potiùs deberent, quam expendi. Videantur hæc apud alios. Ad difficiliora accedendo, *ſit*

QUÆSTIO I.

De Proprietate Enuntiationis, quæ eſt Veritas.

MIſſis illis quæ magis Dialectica ſunt, agetur hîc maximè de proprietate Operationum, quæ eſt Veritas.

DIFFICULTAS I.

Proponitur quid ſit apud alios Veritas cognitionis.

SUnt qui conſtituant Veritatem in Relatione actus ad objectum; in qua ſententia ſunt Scotiſtæ & Vaſquez ſaltem verbo tenus, quia quando ille, docet veritatem eſſe relationem rationis, intelligendus eſt quòd velit illam eſſe denominationem extrinſecam ab objecto; quas denominationes ipſe appellat relationes rationis, ſed quidquid ſit de mente illius.

DICENDUM eſt 1. *Veritatem ſeu conformitatem actus cum objecto non eſſe relationem rationis.*

PROBAT 1. Suarez Diſp. 8. Metaph. Sect. 2. num. 8. Relatio hæc rationis non poteſt conſurgere, niſi ſuppoſito aliquo per modum fundamenti & termini, ſed ex vi ejus quod præſupponitur ad talem relationem, actus eſt verus; eſt enim conformis objecto: Ergo Veritas non eſt ſita in iſto ente rationis.

PROBAT 2. Hurtadus Diſp. 2. de Anima, Sect. 3. Actus Dei erant ab æterno ſine ulla fictione, quę involvitur in omni ente rationis: Ergo ratio communis Veritatis non eſt ab iſta fictione deſumenda; aliàs deberet iſta fictitio, & ens rationis competere divinæ veritati.

PROBAT 3. Arriaga Diſp. 14. Logica num. 3. Propoſitionem eſſe veram nihil aliud eſt quam affirmare objectum ſicuti ipſum eſt à parte rei, ſed totum hoc datur ante ens rationis & fictionem intellectus: Ergo dabitur & veritas.

CONFIRMATUR. Supponamus in inſtanti A. quo currit Petrus dicere Paulum Petrus currit: & in inſtanti B. dicere idem quando jam Petrus non currit: quo poſito, ita arguitur. In inſtanti A, quo currit Petrus, vel poterat reſurgere relatio falſi in illa propoſitione, vel non poterat; (idem dico de relatione veri: an illa ſcil. reſurgere potuerit in propoſitione quæ dicebat Petrum currere cùm ille non curreret) ſi poterat relatio falſi reſultare in propoſitione quæ dicebat Petrum currere cum currebat, ergo currente Petro poteſt falſum eſſe illum currere, quod eſt manifeſtè falſum: ſi non poterat relatio falſi reſultare cùm Petrus curreret & diceretur de illo quod curreret, ergo habebat prædicatũ incompoſſibile illa propoſitio, cum falſitate formali, eſt Veritas formalis, ergo antequam aliqua rationis relatio reſultaret, habebat illa propoſitio veritatem formalem, quia habebat prædicatum incompoſſibile cum falſitate formali.

DICENDUM 2. *Quod veritas non ſit aliqua relatio realis.*

PROBAT 1. Suarez. Tum quia poſſunt eſſe cognitiones aliquæ veræ, & non habere relationem realem ad objecta, & ita cognitio cognoſcens ſeipſum, cognitio item Dei cognoſcens Deum, eſt cognitio & quidem formaliter vera, tamen propter ſummam identitatem, nec cognitio Dei ad Deum, nec cognitio ſuiipſius ad ſe,

ad se, potest dicere relationem realem, Ergo apparet non esse veritatem formalem sitam in relatione reali. Deinde supponamus per impossibile impediri resultantiam relationis quæ apud Scotistas est res, adhuc actus esset verus, modo enunciet de objecto, quod importat ipsum objectum, esset enim cognitio adhuc Conformis objecto.

PROBAT 2. Hurtado. Tum quia actus divini sunt veri, sine ulla relatione per solam conformitatem cum objecto. Confirmatur. Ista relatio utplurimum censetur esse Prædicamentalis, sed prædicamentalis esse non potest; quia relatio prædicamentalis debet esse inter terminos realiter existentes, sæpe autem est propositio vera formaliter, de objecto realiter non existente, immò & de impossibili.

PROBATUR 3. Argumento quod est propositum quarto Loco contra præcedentem Conclusionem.

RESPONDET Mastrius. Non dicere Divinam veritatem relationem realem ad objecta cognita, nam quod Deus cognoscit, est vel Deus vel Creatura. Si Deus, relationem ad se non dicit; si Creatura; non dicet etiam cognitio Divina ad illam relationem, quia nullæ dantur relationes reales Dei ad Creaturam. Dat insuper duplicem disparitatem Disp. 10. Log. q. 2. art. 3. num. 26. ostendens quare Cognitio Creata in ratione veræ constituatur per relationem realem, non dicat autem increata cognitio similem relationem. Quia scilicet cognitio Divina est infinita, illimitata, nostra autem cognitio est finita, limitata, adeoque etiam ab objecto dependens; si dependens ab objecto, relationem hoc ipso dicet ad objectum. Rursus cognitio nostra non est ita essentialiter vera ex sui natura, sicut cognitio Divina, non ergo necesse erit Divinam cognitionem dicere Relationem, quàm dicet Creata.

CONTRA 1. est. Quia hæc doctrina supponit falsum, nullas scilicet dari reales relationes ad Creaturas, cujus oppositum docuimus; supponit item quòd relatio sit Entitas realiter superaddita, quod etiam falsum est.

CONTRA 2. Ergo veritas formalis Divinæ cognitionis, nec Analogicè convenit cum veritate formali Creatæ cognitionis, cùm tamen in hoc Scotistæ univocam convenientiam agnoscant. Illatum probatur, Prædicatum cõstituens rationem formalem veritatis creatæ, non participat veritas formalis cognitionis Divinæ; non participat enim rationem Relationis, quæ per Mastrium constituit veritatem in ratione formali Veritatis; ergo non conveniunt secum etiã analogicè, quia ad analogicam convenientiam, est necesse participare de eodem prædicato, licet non sine aliqua ratione differendi.

CONTRA 3. Divina cognitio licèt sit infinita, debet tamen esse vera; ergo Divina cognitio quantumvis sit infinita debet habere rationem formalem veritatis, quæ per Mastrium debet esse relatio, nec video quid prosit ad hoc infinitudo, ut cognitio dicatur vera, si non dicit relationem ad objectum, in qua statuitur è Mastrio veritas.

RESPONDET 2. Idem. Quod sublata relatione, & posita sola affirmatione objecti, illiusq; ut affirmatur positione, solùm erit propositio fundamentaliter non formaliter vera. Sed hanc responsionem impugnavimus in materia de relatione in simili; An Relatio sit Res.

DICENDUM est 3. *Veritatem non esse essentialem propositioni*: Est hoc specialiter contra Hurtado, & ejus sequaces, qui dicunt; veram propositionem habere aliquod prædicatum intrinsecum, specificum, & differentiale, per quod condistinguitur à propositione falsa.

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis, quiin præd amentis cap. de Substantia docet; Veritaten. & falsitatem, esse accidentalem propositioni.

PROBAT 2. Arriaga. Eo ipso quia affirmamus Petrum currere, currente Petro, nulla alia posita intrinseca & essentiali differentia in illa propositione, hoc ipso est formalissimè vera propositio: quia propositionem esse veram de cursu Petri, est propositionem affirmare cursum Petri, & ipsum cursum dari à parte rei; Ergo veritas non consistit formaliter in aliquo prædicato essentiali propositionis.

CONFIRMATUR hoc idem. Quia si prôpositio vera includeret aliquod prædicatum essentiale, quod non includeret falsa, posset Angelus certò cognoscere omnia futura, quod negant Theologi. Sequela probatur, quia in hac propositione. Petrus peccabit, videret aliquod prædicatum intrinsecum constituens propositionem hanc in ratione veræ, quod non videret in propositione quæ diceret; Petrus non peccabit; ergo cognosceret verum esse, quòd Petrus esset peccaturus.

RESPONDETUR huic argumento. Angelum si deberet comprehendere hanc propositionem veram ut veram, debere inquam priùs cognoscere futuritionem peccati, quam quia non agnoscit, nec actum illum ut verus est cognoscit.

CONTRA est ex Arriaga. Non est necesse futuritionem ipsam peccati priùs cognoscere; quia ille ipse actus, informaret de illa futuritione; ad eum planè modum, quo non est necesse, ante cognitionem materiæ, quæ dicit respectum essentialem ad formam, non est inquam necesse priùs in se præcognoscere formam, sed ex ipsa materia cognita, potest deveniri in cognitionem formæ: ita ex ipso actu cognito, deveniretur in cognitionem futuritionis peccati.

RESPON-

Respondetur II. Angelo sicut non debetur concursus ad cognoscenda futura, ita nec ad penetranda ista objecta, ex quibus certò futura cognosci possunt.

Contra ex Arriaga. Angelus cognoscit possibilia hæc esse judicia. Petrus peccabit, Petrus non peccabit, cognoscitq; unam propositionem intrinsecè habere prædicatum, quod ostendat illam esse veram; ergo cognoscit quod sit peccaturus vel non.

Hac ratione non est contentus Oviedo; eò quòd dicat, Angelum in judiciis istis possibilibus non posse verum à falso discernere. Sed omnino immeritò. Quæro potestne Angelus cognoscere & formare istam propositionem: Petrus peccabit, & istam propositionem? Petrus non peccabit? si non potest, quæ hujus ratio? si potest, ergo poterit cognoscere etiam prædicata intrinseca hujus propositionis, consequenter etiam veritatem.

Probat III. eandem Conclusionem Oviedo. Quia Hurtadus id nec consequenter, nec verè docet; non docet consequenter: quia per illum similitudo consistit, in utroq; extremo, & non in uno tantum; ergo & conformitas, sive veritas, non in sola cognitione: sed & in objecto, stare debuit; Non docet verè: quia hæc propositio Petrus currit, potest sua omnia intrinseca habere, sive currente, sive non currente Petro, & objectum cùm sæpe non existat, non potest Physicè insistere in actum, nec potest moraliter influere: quia nullum est hujus moralitatis fundamentum: & quia posset aliàs Deus, hanc propositionem; Petrus currit, producere, cum intrinseca perfectione veritatis, etiamsi Petrus non sit cursurus.

Confirmatur. Supponamus hodie currere Petrum, & dici de illo, Petrus currit, supponamus deinde, cras non currere Petrum, & tamen dici de illo: Petrus currit; quæ hodierna propositio, comparata ad crastinam, vel habet aliquod intrinsecum prædicatum, quod non habet crastina, vel non habet; si non habet, ergo propositioni hodiernæ veræ, non est intrinsecum prædicatum veritas, neq; propositio vera vel falsa intrinseco distinguetur; si habet, rogo quod illud, & cur eadem in entitate heri, & cras durare non possit; sicut est eadem entitas hominis cras & hodie durantis. Unde etiam urget sic Mastrius. Si propositio ex natura sua essentialiter esset vera vel falsa, sequeretur hanc propositionem Petrus currit, non currente Petro, dicere ordinem essentialem, ad duo contradictoria, quod est falsum. Sequela probatur. Diceret enim ordinem essentialem illa propositio ad cursum Petri, affirmat enim quòd currat Petrus, & diceret ordinem essentialem ad negationem talis cursus, quod ipsum probatur: ut enim sit falsa hæc propositio Petrus currit, debet affirmare & cursum Petri, & carentiam ipsius. *In Oppositum*

Rationes, quòd Veritas sit Relatio.

Objicitur I. Quod pendet à termino, illud est relativum, Veritas pendet à termino; quia sicut mutato termino mutatur relatio, ita mutato objecto, mutatur veritas vel falsitas.

Respondetur. Quod pendet à termino inquantum pendet à termino, est relativum, secùs si habeat formalitatem non pendentis: jam autem invenitur quidem relatio quædam, ex conformitate actus ad objectum resultans, cæterum veritas hæc, non in ista relatione consistit, sed in fundamento præcedente relationem.

Objicitur II. Veritas non est de essentia actûs, ergo est ejus accidens, sed non est accidens absolutum, ergo est accidens relativum.

Respondetur. Negando quòd veritas non sit accidens absolutum; nam etiam fundamenta relationum dicuntur absoluta, licèt ex hoc fundamento, quod est veritas, pullulet postea relatio. Alii dicunt quòd veritas, sit accidens Logicum, relativum consequenter, non verò relativum primariò.

Objicitur III. Veritas nihil aliud est, quàm conformitas quædam, Conformitas est quid relativum; est enim similitudo & convenientia &c. ergo & veritas.

Respondetur. Confirmitatem esse quid relativum, consequenter non primariò, primariò enim veritas dicit radicem conformitatis, quæ est quid absolutum.

Instabis. Veritas est assimilatio cum objecto eaq; realis, assimilatio autem est ordo realis, ad terminum.

Respondetur. Veritatem esse radicem illius ordinis & fundamentum, adeoq; non esse nisi quid consequenter relativum.

Pro Parte asserentium veritatem esse Prædicatum intrinsecum.

Objicit I. Hurtadus. Iste actus: Petrus est homo, per suam essentiam est repræsentans Petrum sicuti est, Petrus enim est homo & repræsentatur ut homo; ergo ille actus, per suam met essentiam, est repræsentatio Petri sicuti est, ergo & per suam essentiam, est formaliter verus.

Respondetur. Iste actus; Petrus est homo, per suam essentiam positam in circumstantia Petri ita se habentis, & in obliquo importati, est repræsentatio Petri sicuti est, Conc. Antec. Iste actus: Petrus est homo, per suam essentiam, hoc est non ex vi connotati extrinseci, est repræsentatio Petri sicuti est, Nego Anteced. hoc ergo solùm sensu, actus ille per suam essentiam repræsentat Petrum, quia veritas non est res, aut aliqua entitas modalis superaddita, sed nõ in hoc sensu dictus actus per suam essentiam repræsentat Petrum sicuti est, quasi habeat id ex aliquo intrinseco, & non ex mera connotatione. Conformiter ad Connotata dici potest, quòd scilicet

actus per suam essentiam sit repræsentatio objecti sicuti est, in quantùm repræsentatio sumitur pro eo, quod dicit pro subjecto, pro intrinseco, & in recto; licèt actus non per suam essentiam sit repræsentatio, in quantùm repræsentatio dicit aliquid pro connotato.

OBJICIT II. Idem. Actus per suam essentiam vel assimilatur objecto, vel non, si assimilatur, ergo per suam essentiam est formaliter verus, si non assimilatur, ergo per suam essentiam, est formaliter falsus.

RESPONDETUR. Simile esse hoc argumentum. Petrus vel per suam essentiam est albus, & sic albedo non erit accidens, vel per suam essentiam non est albus, adeoq; nunquam poterit dealbari. Directè autem dici potest; quod non assimiletur per suam essentiam actus objecto; inde tamen non est arguendum, quòd per suam essentiam sit falsus, quia non licet à termino negativo argumentari ad positivum, quale positivum, est falsitas; aliàs bona esset hæc illatio: hic paries non est albus per essentiam, ergo est niger per essentiam. Dici etiam potest quòd actus assimiletur objecto per suam essentiam, secundùm id quod dicit assimilatio in Recto.

INSTAT Idem. Actus in Ratione veri, non dicit majorem dependentiam ab objecto, quam in ratione repræsentantis; sed in ratione repræsentantis constituitur per solam suam essentiam, intrinsecè connotando objectum, ergo & in ratione veri.

RESPONDETUR. Concesso subsumpti Antecedente, negatur consequentia. Actui enim intellectûs esse repræsentativum est intrinsecum prædicatum, si enim Actui Intellectûs seu mentis, non est quid extrinsecum, esse verbum mentis, ita nec erit extrinsecum, esse repræsentationem, ita ut ipsa Naturâ Intellectionis, penetratâ, hoc ipso penetretur, Repræsentatio objecti. Jam autem nullum est tale prædicatum intrinsecum Actui, quo penetrato, sit devenire in cognitionem, quòd ille Actus verus sit.

OBJICIT III. Idem. Veritas est intrinseca actui, ergo non includit objectum.

RESPONDEO. Veritatem secundùm id, quod dicit in recto, esse intrinsecam actui, non secundùm id, quod dicit in obliquo. Unde distincto Antecedenti Nego Consequentiam.

INSTAT primo. Veritas est perfectio actûs, ergo extrinsecum quid actui esse non potest.

RESPONDET Arriaga, Veritatem esse perfectionem actûs, non secundùm se totam, sed secundùm quod est actus.

RESPONDET Oviedo Negando Consequentiam, quia multa sunt extrinseca, quæ tamen sunt perfectio alicujus, arguuntq; intrinsecam illus perfectionem.

RESPONDERI deniq; potest, distinguendo consequens, Ergo veritas extrinseca esse actui non potest, id est non debet esse exigens aliquid extrinsecum ad suam denominationem & formalitatem; Nego Consequentiam; ergo extrinsecum esse non potest actui, id est non debet esse quid supra ipsum actum, entitativè superadditum. Concedo Consequentiam. Et certè esse verum, non absimili omnino modo habet se in sua perfectione, sicut esse conservatum, & sicut esse conservatum est perfectio pendens ab aliquo extrinseco, hoc est Deo conservante, quantumvis, conservatio rei conservatæ, non sit Entitas superaddita, ita & veritas.

INSTAT II. Si veritas constitueretur ex Actu & Objecto, veritas hujus propositionis Petrus, non currit, consisteret in aggregato ex Actu & Negatione cursûs: Falsitas autem consisteret in aggregato ex Actu, & Cursu Petri: sed perfectius est aggregatum ex cursu Petri, & Actu de cursu Petri, quàm aggregatum ex Actu, & Negatione cursûs. Ergo perfectior esset falsitas quàm veritas.

RESPONDET Oviedo: Aggregatum illud quod importat ille actus falsus secundùm se, est perfectius, tamen in ordine ad Objectum circa quod versatur, & Actum quem denominat, est illud aggregatum omnino imperfectius: Falsitas enim est imperfectio actûs.

OBJICITUR IV. Veritas Divina quâ me Deus cognoscit existentem, est perfectior veritate Creata, quâ ego cognosco Deum existere, sed non esset perfectior, si ex actu & objecto constitueretur veritas: quod probatur: utraq; veritas coaleseeret ex Deo & me, ergo utraq; esset æqualis, ergo una non esset perfectior aliâ.

RESPONDET Arriaga, veritatem creatam, quæ cognoscit Deum esse, & veritatem increatam, quæ cognoscit Creaturam esse, non esse veritates æquè perfectas, in ea ratione quam in Recto important, veritas enim creata importat in Recto actum creatum, veritas autem increata importat cognitionem Divinam increatam, licèt quoad id quod dicit utraq; tam in Recto quàm in Obliquo non sit una perfectior alia, utraq; enim importat Deum & Creaturam.

INSTABIS. Si veritas non esset, intrinseca actui, non esset unde Deo repugnaret falsitas, quia etiam si Deus haberet propositionem falsam, adhuc illa esset tã perfecta intrinsecè, quàm est perfecta vera cognitio, quia utraq; diceret cognitionem in Recto Divinam, defectibilitas autem illa, quam adfert falsitas, esset extra Deum; ergo non esset unde falsitas Deo repugnaret.

RESPONDET Arriaga. Ex eo tantùm repugnare Deo falsitatem, quia argueret, in Deo imperfectionem, ignorantiam & defectum Cognitionis evidentis.

RESPONDERI potest & aliter quòd scilicet, etiamsi cognitio Divina sit formaliter vera, ab existentia objecti, haber tamen radicalem exigentiam veritatis, cui exigentiæ contrairet falsitas, & quidem contrairet, tanquam

quam alicui intrinseco in Deo, hæc enim exigentia, est intrinseca perfectio Dei.

Objicitur V. Bonitas Actuum est sita in ipso Actu, non verò in Objecto. Ergo & veritas, est sita in solo Actu.

Respondetur I. quòd scilicet bonitas actuum Physica, sit sita in ipso actu, non verò bonitas Moralis.

Responderi potest II. Disparitatem esse; quia scilicet bonitas Actuum non pendet ex Objecto, idq; ex eo, quia circa Objectum bonum, si reputetur esse prohibitum, & tamen ametur à voluntate, erit actus malus, & circa objectum malum, si reputetur bonum, erit actus bonus. Ergo apparet bonitatem actûs, à bonitate objecti, non pendere; jam autem si ita se habeat objectum, & intellectus non judicet ita se habere, hoc ipso, erit actus falsus, Ergo apparet falsitatem pendere ab objecto.

Instabis. Amor Dei circa Creaturas, non constituitur in ratione boni formaliter, per ipsas Creaturas sed per seipsum; Ergo & actus Dei verus.

Respondetur. Adferendo disparitatem supra adlatam.

Objicitur. VI. Si objectum esset pars veritatis, posset ipsum objectum dici verum, quàm potest dici verus ipse actus, sed hoc est absurdum, ergo & illud. Minor probatur; quia actui soli competit formaliter esse verum. Major probatur. Quia quando denominatio ab utroq; extremo sumitur, tunc illa denominatio æquè primò utriq; convenit ut pater in ratione similis, æqualis, &c.

Respondetur. Negando sequelam, & certè Relatio Creatoris in Deo, requirit Creaturam, & tamen Creatura, Creator dici non potest; ergo & actus verus potest exigere objectum, & tamen ipsum objectum potest non appellari formaliter verum. Porrò tunc denominatio sumpta à duobus extremis, denominat æquè utrumque primò extremum, quando ipsa extrema sunt ejusdem rationis, in illo genere: diversæ autem rationis extremum est, Actus, & Objectum.

Objicit. VII. Si veritas desumeretur ex actu & objecto, sequeretur quòd si Objectum esset Ens Rationis, veritas esset partim realis partim Ens Rationis. Si item objectum sit futurum vel præteritum, veritas illius esset partim præterita partim præsens.

Respondeo Negando sequelam. Ratio negandi est, quia denominatio veri, sumitur principaliter ab ipsa entitate actûs, quæ entitas actus, quia non est ens rationis, ideò nec actus verus erit partim ens rationis, partim præteritus. Potest hîc etiam esse quæstio de voce, quia si dixeris, ideò actum verum esse ens rationis, quia habet pro objecto ens rationis benè senties, sed phrasis hæc non consentiet communi sermoni: Quando verò dicitur objectum esse mensura actus veri, adeoq; quòd inde debeat non esse constitutiva actûs veri? respondendum erit: ex modo nostro significandi, objectum esse mensuram actûs veri, non verò de se, ut superiùs dixi. Addo multas ex his objectiones hoc urgere, quòd Actus verus, non componatur objecto tanquam parte, quod etiam nos asserimus.

DIFFICULTAS II.

Proponitur tenenda Sententia.

Dicendum est I. *In re nihil aliud esse veritatem, nisi hæc duo, Actum & Objectum, ita se habens, ut dicit Actus.* Probandum est, iisdem rationibus, quibus probatum, in re, nihil aliud esse relationem, nisi duo absoluta.

Dicendum II. *Conceptum Veritatis formalis, unum dicere in Recto, hoc est ipsum actum intellectus, & aliud dicere in Obliquo, seu pro Circumstantia, Connotato, hoc est ipsum objectum, ita se habens.* Hanc eandem Conclusionem aliis verbis docet Suarez, disp: 8. Sect. 2. n. 9. Veritas cognitionis, ultra ipsum actum, nihil addit reale, vel intrinsecum, sed connotat solum objectum, ita se habere, sicut per actum repræsentatur.

Probat Suarez. Actum esse verum plus dicit quam esse actum, & tamen non dicit aliquid reale absolutum, vel relativum ultra ipsum actum, ergo esse verum nihil aliud addere potest, nisi connotationem, seu denominationem consurgentem, ex tali conjunctione actûs & objecti.

Confirmat Idem. Mutato objecto, mutatur Veritas cognitionis, & tamen non mutatur Intrinsecum cognitionis, ut supra probatum, sed tollitur tantùm, seu potius mutatur objectum. Ergo veritas, est ipse Actus, importans Objectum.

Objicit. Arriaga, & supponit propositionem hanc naturaliter elicitam: Antichristus erit, esse veram, sicq; argumentatur: Illa denominatio intrinseca, non provenit ab entitate propositionis dictæ, invariata enim illa propositio, poterit esse falsa, si fortè Antichristus non sit futurus, neq; provenit ab Antichristo futuro, quia hic, tam nihil est de facto, quam si non esset futurus.

Respondetur. Illam denominationem veri in Recto, esse ab ipso subjecto veritatis, hoc est ab ipsa propositione; in quantùm autem hæc denominatio, postulat intrinsecè aliquod connotatum, in tantum ab objecto proveniet; benè autem id, quod se habet tantùm per modum termini, & connotati, potest connotare aliquid, quantumvis actu non existat, ut patet in Relatione transcendentali, quæ in omnium sententia potest connotare (saltem aliqua) terminum possibilem. Dici etiam potest, pro hac

differentia temporis, quæ nunc est, nihil esse Antichristum, sed pro differentia temporis, cui ille est coextiturus, tam verè est Antichristus, quàm si nunc defacto esset, rationeq; hujus coexistentiæ potest denominare propositionem veram.

Instat idem. Denominationem veri, objectum non existens, neq; tribuere potest formaliter, neque efficienter; non efficienter, quia quod non est existens, efficere ne quidquam potest, neq; tribuit hanc denominationem objectum non existens formaliter, quia forma, non dat suum effectum, nisi quando existit.

Respondetur. Tribuit denominationem hanc, objectum formaliter, hoc est terminativè, quia scilicet terminat illum actum, secundùm id esse, cui conformatur actus.

Dicendum est III. *Posse à nobis concipi veritatem, per modum pullulantis formalitatis, ex radicali illa conformitate.*

Probatur id, argumentis, quibus in simili actum est de Relatione.

Addo I. Sunt aliqui actus naturales, ita necessariò veri, ut non possint esse falsi, idq; ex necessitate objecti: hæc enim propositio; homo est animal; est ita vera, ut nec divinitus possit esse falsa, idq; ideo, quia nec Deus facere potest, ut homo non sit animal.

Addo II. Sunt aliquæ propositiones ita falsæ, ut nunquam veræ esse possint, & ita hæc propositio; homo est hircocervus, est ita falsa, ut nunquam possit transire in veram, hocq; est commune omnibus propositionibus, in materia necessaria, & impossibili, quòd scilicet veritas illarum, vel falsitas, nunquam mutari possit.

Addo III. Propositiones, quæ significant determinatè aliquod instans, nunquam possunt de veris in falsas, de falsis in veras transire, respectu ejusdem instantis.

Ratio est I. Ex Arriaga. Implicat objectum, quod semel pro aliquo determinato tempore exstitit, aut exstiturum est, pro illo non existere, aliàs simul existeret, & non existeret, ergo etiam implicabit, propositionem affirmantem, v.g. cursum Petri, pro instanti A, quæ fuit semel vera, mutari in falsam, respectu ejusdem instantis. Probatur consequentia; quia repugnat mutari, de vera in falsam propositionem, sine mutatione objecti.

Ratio II. A propositione potest affirmari tempus tripliciter. 1. Indeterminatè, v.g. dicendo Petrus currit, vel nunc, vel nunc, vel nunc, & sic propositio semper est, vel vera, vel falsa. Si enim quocunq; vel uno instanti currat, verum erit illum currere, quod si nullo instanti ex dictis currat, erit falsa. 2. Potest tempus significari collectivè, dicendo v.g. Petrus currit, & subintelligendo, quòd omni instanti currat, & sic, si vel uno instanti non currat, falsa erit propositio, si omnibus currat, vera erit. 3. Potest tempus v.g. significari determinatè, proillo primo instanti, quo profertur, & sic respectu hujus instantis, etiam tempore transacto, vera erit; & ita v.g. si dicatur, Petrus currit in instanti A, producaturq; hæc eadem propositio, ad instans B, etiam in instanti B, verum erit dicere, quod pro instanti A, currit Petrus.

Ratio III. est. Quia inquantùm talis propositio redderetur falsa, intantum non respiceret jam determinatum instans. Ergo. Cæterùm videndum restat; an non aliquo modo, possit una propositio, de vera, in falsam transire.

DIFFICULTAS III.

Quomodo una Propositio de vera possit transire in falsam.

Dictum immediatè supra, quòd propositio, respectu ejus instantis, qûd importat, semper sit & immutabiliter talis, ut nunquam de vera in falsam transire possit, nihilominus, quia potest fieri adhuc comparatio ad diversum instans. *Hinc*

Dicendum est. *Propositiones quæ significant determinatè aliquod instans si comparentur ad diversum instans, possunt esse* v.g. falsæ, quantumvis respectu aliûs instantis, sint veræ, & è contra, & in hoc sensu, possunt dici Propositiones de veris, transire in falsas.

Probatur I. Auctoritate Aristotelis in Prædicamen: Cap: de Substantia, & S. Thomæ, prima parte, quæst. 14. ar. 15. ad tertium, asserentium, propositionem de vera, posse transire in falsam; quem locum explicat quidem Arriaga, quòd scilicet possit esse propositio omnino similis falsæ, vel quod erit illa propositio nonnisi externa: quæ explicatio ut impugnetur:

Probatur II. Suppono non implicare Contradictionem, ut idem entitativè actus, pluribus instantibus duret, immò hanc durationem, ejusdem in entitate Visionis beatæ, nihil verat admittere, hocq; suppositum Probatur per negativum medium terminum, quia in hoc nulla est contradictio. Supponamus ergo Petrum currere pro instanti A, dicaturq; Petrus currit, vera erit Propositio. Supponamus deinde Petrum non currere, in instanti B. durante tamen eodem actu numero, certè hæc propositio, comparata ad instans A. erit vera, comparata ad instans B. erit falsa, quia erit difformis objecti.

Confirmatur. Ista propositio; Hoc currens, est animal rationale, si comparetur ad Petrum currentem vera erit, si comparetur ad Equum, falsa, ergo etiam respectu diversorum instantium, propositio, quæ comparatè ad unum instans est vera, potest respectu diversi instantis, esse falsa.

Prob. III. Argumento, cujus etiam meminerunt Arriaga & Oviedo. Quando ego dico: Homines qui sunt in foro currût, si Petrus est in foro, illum

illum significat, si Joannes illum etiam, si verò non fuisset Petrus, & Joannes, sed Paulus, illum etiam significaret; hoc posito: formatur argumentum. Eadem propositio est indifferens, ad significandum, vel hoc, vel illud objectum, ergo & ad significandum hoc vel illud instans, ergo poterit mutare significationem, ergo ulterius in uno instanti, poterit significare instans A. in altero instans B. esseq; vera, respectu instantis A. non verò respectu instantis B.

Respondet Arriaga, dictæ propositionis esse sensum conditionatum, æquivalet enim huic; si Petrus est in foro currit, si Paulus, currit &c. Consequenter eosdem significat, & eodem modo conditionatè, quantumvis determinatè nonnisi de Paulo verificetur, si ille sit in foro, non verò Petrus.

Contra. Tum quia propositio illa conditionata, potest transire ex determinatè significante Petrum, in non significantem determinatè Petrum, sed Paulum; ergo etiam potest transire, ex significante verè hoc instans, in significantem falsò aliud instans. Tum quia hujus conditionalis sensûs appingendi nullum est fundamentum, aliàs, quascunq; absolutas enuntiationes, possemus dicere conditiotas; additq; Oviedo: si illa propositio faceret sensum conditionatum, nullo existente in foro, posset esse vera, quia conditionalis, non fit ex eo falsa, quòd conditio illius, non sit impleta. Tum quia etiam illius propositionis, quam dicimus comparatè ad unum instans esse veram, comparatè ad aliud, falsam; dicam etiam sensum esse conditionatum; si comparetur ad illud instans, poteritq; substitui unum instans pro alio instanti ad falsificandam propositionem, sicut substituto Paulo, pro Petro, ut concedit Arriaga, falsificabitur propositio.

Respondet II. Oviedo. Hujus propositionis: Homines qui sunt in foro, currunt, sensus est. Aliqui homines sunt in foro & hi quicunq; illi sunt currunt, quo sensu posito, non sequitur, propositionem non esse determinatam, ad hunc, quàm illum significandum, sed tantùm esse indifferentem, ut de hoc, vel illo, verificetur. Docetq; ulterius, quod scilicet propositio; Aliquis homo currit, non sit indifferens, ad diversas significationes, sed tantùm ad diversas verificationes.

Contra. Dicta propositio, ut conceditur, est indifferens ad diversas verificationes, neq; est determinata ad unam verificationẽ, ergo etiã & hæc propositio, Petrus currit, non est ita determinata ad instans A. quo currit, ut non possit referri ad instans B. quo Petrus non currit, adeoq; falsificari. Deinde Propositio hæc; Petrus currit, prolata in instanti, A. in quo currit, si in illa duretur ad instans B. quo non currit, vel significabit cursum Petri, ergo significabit falsò, adeoq; de vera transibit in falsam, vel non significabit: & hoc non potest dici, cùm defacto ipsa propositio id habeat.

Deniq; verificatio propositionis, & significatio, indissolubiliter secum junguntur, ergo si propositio hæc, Aliquis homo currit, est indifferens ad verificationem, erit etiam indifferens ad significationem. Videantur dicta in materia de Præcisionibus objectivis in Divinis in simili.

Responderi Potest III. Propositionem hanc: Petrus currit, prolatam in instanti A, quando est cursus Petri, si proferatur in instanti B, quo non est cursus Petri, non esse mutandum de vera in falsam, quia etiam in instanti A, si comparatur ad instans B, erit falsa, consequenter nõ transibit de vera, in falsam, sed sicut ab initio erat respectu instantis B. falsa, ita, & in instanti B, respectu ejusdem instantis, est falsa.

Contra est I. Quia hæc Responsio est prævisa à Conclusione, quia scilicet in isto tantum sensu admittimus propositionem, de vera, posse transire in falsam, quia scilicet hæc propositio, quæ respectu certi instantis, est vera, comparata ad aliud instans, potest esse falsa, quidquid sit, quòd non possit dici, rigorosè transire de vera in falsam, idq; ob rationem in responsione adlatam, potest tamen aliquo modo dici transiens transitu Logico, & ex modo concipiendi, quia videlicet, non stat in sola sua veritate, vel falsitate, sed ratione distincti instantis, ab extremo, ad extremum venit.

Contra II. Successivè illud objectum quod est cursus Petri, factũ est falsum, quia successivè desiit cursus Petri, qui erat, Ergo & propositio, quæ dicit: Petrus currit, facta est falsa successivè.

Contra III. quia propositio, quæ significat determinatè instans A, si per impossibile significaret instans B. redderetur falsa. Ergo etiam si comparetur ad instans B, debet dici, quòd ex vera fiat falsa.

Objicitur. Si Propositio hæc; Petrus currit, determinatè significans instans A, in quo est cursus Petri, censeretur esse falsa, si comparetur ad instans B. in quo non est cursus Petri, sequeretur nullam dari propositionem absolutè veram, sed hoc est absurdum, Ergo. Sequela probatur inductione: hæc propositio. Petrus dormit, orat, peccat, comedit, &c. sunt veræ, ratione alicujus instantis, & respectu aliûs instantis, sunt omnino falsæ. Ergo nulla datur porpositio absolutè vera.

Respondetur. Negando Sequelam, & probationis ejus consequentiam, propter insufficientem enumerationem, certè enim hæc propositio, homo est animal rationale, respectu nullius instantis est falsa, in nullo enim instanti est homo, in quo non sit animal rationale.

Instabis. Etiam hæc propositio, homo est animal rationale, respectu bovis est falsa, ergo nulla daretur absolutè vera.

Respond. Hæc propositio, homo est animal rationale, respectu bovis, neq; est falsa, quia priùs est propositionẽ esse significativam, postea

veram vel falsam, priùs est propositionem supponere Objectum, quod importat, & postea verè vel falsò supponere, cùm ergo ista propositio, homo est animal rationale, nec supponat, pro bove, nec illum significet, respectu ejus, falsa non erit. Deinde alia est omnino ratio de hac propositione, Petrus currit, si dicatur in instanti B. quo ille non currit, cùm tamen curreret, in instanti A, & aliud est, de hac propositione, homo est animal rationale comparata ad bovem, quia hæc Propositio, Petrus curret, in omni instanti, significat, & Petrum & cursum, hæc autem propositio, homo est animal rationale, in nullo instanti, significat bovem.

QUÆSTIO II.

De veritate in particulari Propositionum absolutarum.

MAxima hîc erit Difficultas circa propositiones de futuro, de quo

Præmitto I. *Quid sit futurum.* quod bene definit Hurtado disp. 9. Anim. Sect. 6. Subsect. 1. idq; ad mentem S. August. Futurum est existentia rei, in instanti sequenti, connotando carentiam sui in instanti præsenti, ly sequenti non accipiendo tantùm pro immediato.

Præmitto II. *Divisionem futuri.* Futurum aliud est Necessarium, aliud Liberum. Futurum Necessarium est, quod proficiscitur, à Causa ad agendum determinata, ubi fuerint posita prærequisita ad agendum, & ita v.g. ignitio stipulæ, ubi ei fuerit approximatus ignis, est Futurum Necessarium. Futurum Liberum, est futurum quod proficiscitur à Causa, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere, & ita Petrus cantabit, Petrus peccabit, &c. sunt talia Futura Libera.

Præmitto. III. *Rursus hoc futurum Liberum aliud est Absolutum, aliud Conditionatum* Futurum est absolutum v.g. Petrus peccabit. Futurum Conditionatum est v.g. Petrus, si ingressus fuerit atrium Pontificis, peccabit. Agemus hîc de Veritate hujus utriusq; futuri liberi, Theologis merè Theologica relinquendo.

Dicendum est, *quod Futura absoluta libera, habeant determinatam veritatem*, est conclusio Catholica Contra Aristo: 1. Perier. C. 6. qui dicit, ex his propositionibus, omnis homo curret, aliquis homo non curret, esse determinatam Veritatem vel falsitatem; sed in his propositionibus singularibus. Plato curret, Plato non curret, dicit non esse determinatam veritatem, sed solùm in sensu disjuncto, id est quod sit vel cursurus vel non cursurus. Consequenterq; errabat, negando Deo Scientiam singularium propositionum, de futuro Libero.

Probat I. Hurtado. Id quod erit, determinatè erit, ergo futurum est determinatè, ergo & verum est determinatè. Antecedens probatur, quod producetur extra suas causas, erit determinatè; Causæ enim nihil indeterminati producunt, sed id quod erit, producetur extra suas Causas, ergo id quod erit, erit determinatè. Conseq; Imi Enthymematis probatur, quod erit determinatè, futurum est determinatè, sed id, quod erit, erit determinatè, ergo id quod erit, futurum est determinatè.

Confirmat I. Hurtadus dialecticè. Supponamus hanc propositionem esse falsam. Omnis homo curret, vera erit per Aristotelem hæc contradictoria, aliquis homo non curret, quo posito ita arguit. Hæc propositio, Aliquis homo non curret, vera erit etiamsi reliqui cucurrerint, & unus forte non curret, ergo si illa propositio, Aliquis homo curret, est vera determinatè ratione Sortis, etiam hæc propositio, Sortes curret, erit determinatè vera, cum utrobiq; idem dicatur, unde dicit Hurtado Aristotelem contra Sumulas, contra Philosophiam, contra Theologiam naturalem, circa hanc materiam errâsse.

Probat II. Arriaga. Quantumvis Petrus sit indifferens ad peccandum, vel non peccandum, accedente tamen instanti crastino determinatè faciet unum ex illis, neq; enim datur medium inter hoc, quod est peccare, & non peccare: ergo ulteriùs, Propositio quæ affirmabat eum peccaturum, fuit determinatè vera, quia ita exstitit objectum tempore importato per copulam, sicut per ipsam propositionem enuntiatum fuit.

Confirmat idem sic. Vel enim peccatum Petri nunc est determinatè futurum, vel non; si est, ergo etiam verum erit nunc affirmare illud; si verò nunc non est determinatè futurum, ergo propositio affirmans esse futurum, erit saltem determinatè falsa.

Probat III. Oviedo Communi argumento. Petrus curret, Petrus non curret, sunt Contradictoria; sunt enim affirmatio & negatio ejusdem, de eodem; ergo una debet esse vera, altera falsa.

Confirmatur ex eodem. In instanti quo Petrus currit, verum est dicere; Petrus currit, ergo & herì, respectu hujus instantis, verum erat dicere, Petrus curret: idem enim affirmaretur.

Objicit I. Aristot: Si determinatam veritatem haberent singularia futura libera, cognosceret illa Deus: Sed non cognoscit, ut probat; quia si Deus cognosceret hanc Propositionem, Sortes curret, tolletur libertas Sortis in cursu; sed non debet tolli, Ergo. Sequela probatur, necessario jam curreret Petrus, esset enim determinatè verum illum cursurum, Ergo.

Respondetur. Negando Minorem Probationis. Nego sequelam majoris, cum sua probatione: illam verò propositionem, Esset determinatè verum illum cursurum, Distinguo, Esset verum determinatè, determinatione orta ex supposi-

positione antecedenti, Nego Probationem, determinatione orta ex suppositione consequenti, concedo hanc probationem; consequentia autem absolutè negatur. Explicui hanc distinctionem fusè in materia de libertate actuum humanorum in Ethicis, & in Materia de Prædeterminatione, in prima parte. Nunc breviter dico, alia est suppositio & necessitas antecedens, alia consequens. Suppositio Antecedens, est necessitas orta ex causa determinante ad effectum: qualis est necessitas in igne, ad ponendam ignitionem, si fuerit admota stipula. Alia est necessitas orta ex suppositione consequenti, quæ est necessitas orta ex ipsa actione, seu effectu: qualis est necessitas, quia currentem impossibile est non currere, sedentem item impossibile est non sedere. Hæc secunda suppositio non tollit libertatem, reperiturque in futuro libero.

Instabis I. Cujus Antecedens est necessarium; ex 1. Poster. tex 17. Sed hoc Antecedens Deus peccaturum Petrum præscivit, est necessarium, ergo & consequens est necessarium, nempe peccatum Petri.

Respondetur. ex S. Thoma 1. parte q. 13. quod cujus Antecedens est necessarium, illius & consequens sit necessarium, eo modo necessitas quo & antecedens est necessarium; sed non alio modo necessitatis; hoc autem antecedens quod est cognitio peccati futuri, est necessarium necessitate consequenti, seu necessitate orta ex suppositione peccati, non verò est necessarium necessitate antecedenti; non enim ideo est futuritio peccati, quia præscitur peccatum, sed ideo præscitur, quia est illius futuritio.

Instabis. II. Ante omnem positionem effectus liberi futuri, antecedit scientia Dei, ergo illa tolleret libertatem.

Respondetur. Ante omnem positionem effectus liberè futuri, antecedit Scientia Dei tempore seu duratione, ab æterno enim Deus habet illam scientiam; sed non antecedit causalitate, non enim ut dixi ideò peccatum est futurum, quia noscitur futurum.

Instabis III. Ego non possum facere, ut non sit scientia DEI de peccato futuro, ergo neque possum facere, ut positâ illâ scientia non sit peccatum.

Respondetur. Ex suppositione consequenti, seu quòd jam me determinârim ad peccandum; non possum facere, ne id sciat Deus; sicut etiam supposito, quòd determinârim me ad peccandum, non possum non esse determinatus ad peccandum, licèt secundum suppositionem antecedentem, potuerim non exhibere Divinæ scientiæ hoc objectum, quod est meum peccatum.

Objicit. II. Arist. Quod existit determinatè, necessariò existit; sed futurum liberum per nos determinatè existit. Ergo necessariò existit.

Respondetur. Quod existit determinatè secundùm suppositionem antecedentem, necessariò existit; Secus si existat determinatè ex suppositione consequenti, seu ex suppositione sui ad se.

Instabis I. Scientia Dei est intrinsecè infalibilis, ergo non solum habet connexionem cũ effectu ex suppositione consequenti, quia talis suppositio adhuc stare potest, ut res potuerit non esse.

Respondetur. Res determinata ex suppositione Consequenti, potest adhuc non esse, si spectetur in suis causis, secùs si spectetur in suppositione sui ad se, secundùm quam suppositionem, infallibilisat per modum termini Scientiam Divinam.

Instabis II. Si verum est, futurum illud posse adhuc non esse, ergo adhuc non habet determinatam veritatem; quia nec determinatum esse.

Respondetur. Cum Iy posse non esse, verificetur tunc de illo effectu in causis liberis spectato, Concedo, quod in illis effectus liber, non habeat determinatum esse, nec determinatam veritatem.

Instabis III. Accedente tempore futuro, quo Petrus peccaturus, dicitur, rogo utrum Petrus possit non peccare pro suo libitu, an verò teneatur peccare: si tenetur, ergo non est liber; si potest non peccare, ergo propositio affirmans Petrum peccaturum, fuit vera ut sopponitur, & simul falsa; quia non peccabit Petrus, quod est absurdum.

Respondetur. Potest non peccare Petrus, nec tenetur peccare, sed inde non sequitur, quod non sit peccaturus, & cum ex suppositione consequenti sit peccaturus, habebit adhuc peccatum determinatam Veritatem.

Objicitur III. Veritas conflatur ex actu & ex objecto ipso, ergo antequam illud objectum existat non potest esse Veritas.

Respondetur. Illud connotatum objectum ab actu vero, non est necesse ut existat Physicè, sufficit ut existat intentionaliter; & quantùm ad præsens attinet, sufficit ut futurum illud existat in aliqua certa differentia temporis.

Infer es. Propositiones de futuris esse in se veras, non verò ratione nostri, cùm nos determinatè futuritiones istas, vel non futuritiones liberas, non attingamus.

QUÆSTIO III.

De Veritate Futurorum liberorum Conditionatorum.

Præmitto I. Ex Oviedo Contr. 7. Animast. pun: 6. *Futurum conditionatum dicitur illud,*

quod casu quò talis Conditio ponatur, esset, sive talis conditio ponenda sit sive non; & inde est quod dicunt Dialectici; Conditionalem nihil ponere in rebus, non enim importat, quod res sit, sed tantùm importat, quod esset, si conditio poneretur.

Præmitto II. Ex eodem *Quod dentur propositiones non solùm de futuro conditionato, sed etiam de præterito & præsenti conditionato.* v.g. Si ingressus fuisset Jacobus atrium Pontificis, negasset Christum, erit propositio conditionata de præterito. Si ingreditur, negat, est propositio de præsenti conditionato. Si ingredietur, vel ingrederetur, negabit, est propositio de futuro conditionato. Agitatur tamen difficultas potissimùm de Futuris, quantumvis, etiam reliquæ propositiones habeant suas difficultates.

Præmitto III. *Propositionem tam de præterito coditionato, quàm de præsenti, quàm de futuro, interdum esse purè conditionatam, interdum non esse purè conditionatam*: purè conditionata est, quæ nihil ponit in esse; non purè autem conditionata est, quæ affirmat vel futurum esse, vel præsens esse, vel præteritum esse, si talis conditio ponatur, & insuper virtualiter & implicitè importat negationem aut positionem eventûs propter defectum Conditionis.

Præmitto IV. ex communi sententia. *Propositiones conditionales quasdam constare conditione disparata, quasdam conditione proportionata*, conditio disparata est v.g. si Turca dormit, Papa orat. Conditio autem proportionata erit, ubi dixero. Si Turca petierit, Papa pro illo orabit. Propositiones illæ priores, seu quæ habent disparatam conditionem, cognoscuntur vi sola coexistenti ita ut sensus sit; Si Turca dormiet coexistet huic dormitioni illius, Oratio Papæ: posteriores verò conditionatæ, seu quæ habent conditionem proportionatam, habent sensum quodammodo illativum, ita ut ex petitione Turcæ, tanquam conditione, inferri quodammodo possit, Oratio Papæ; Cæterum si etiam Deus faceret decretum, ut si ponatur dormitio Turcæ, ponatur Oratio Papæ, tali suppositione data, vi etiam illationis, vera erit illa conditionalis; benè enim ex hoc decreto alligato illi dormitioni, tanquam conditioni, inferretur Oratio Papæ.

Præmitto V. *Propositiones Conditionales, quæ, sensum habent quodam modo illativum interdum constant Conditione, necessaria*; v.g. Si animal erit rationale, risibile erit: *interdum constant Conditione impossibili* v.g. si equus esset rationalis, risivus esset: *interdum constant Conditione quæ sit aliquo modo causa & conditio requisita consequentis*; quantum est ex vi causæ, & illius Conditionis, possit non sequi consequens.

Præmitto. VI. *Quantumvis aliquæ Conditionales sint veræ in sensu illativo, illatio tamè hæc non est illatio vi formæ*, & legitimæ deductionis: quia si esset hoc illatio vi formæ & legitimæ deductionis, semper teneret, & in omni subjecto; est enim regula Dialectica. Consequentia quæ semel est bona. Unde si vi legitimæ deductionis teneret hoc consequens; Petrus si ingressus fuerit atrium Pontificis, Christum negabit, teneret etiam in hoc subjecto, si Joannes ingressus fuerit atrium Pontificis, Christum negabit quod falsum est. Quod ulterius in hoc resolvitur omnis illatio supponit necessarium aliquo modo connexionem consequentis cum antecedenti, quæ quia hîc non habetur non erit illatio vi formæ.

Præmitto VII. *Censere omnes quòd ut de objecto Conditionato, infallibiliter procedat scientia, tunc ex parte Conditionis, debet poni totum id, quod requiritur tanquam principium ad effectum conditionatum requisitum.*

Præmitto VIII. *In hoc esse difficultatem, An inter Conditiones prærequisitas ad cognoscendum infallibiliter effectum liberum conditionatum, sit etiam decretum DEI necessarium, quo dicat v.g. DEus, Volo si?*

Præmitto IX. *Quòd nostri Doctores cùm sentiant hoc decretum non esse necessarium ad cognoscendos effectus liberos conditionatè futuros, immo censeant illud esse destructivum libertatis nostræ, admittunt nihilominus, cognosci hæc futura in seipsis, seu ex suppositâ determinatione voluntatis.*

Præmitto X. *Quantumvis nostri Doctores non agnoscant formari à Deo ullum decretum de ipso effectu conditionatè futuro, censent tamen formari à Deo decretum* de dandis prærequisitis ad agendum, de quibus dixi Præmisso 1. ut v.g. de exhibendo concursu, de danda gratia, si sit effectus supernaturalis; ut post alios docet Martinon Disp. 5. n. 160. prima parte citans pro se Suarez. Dicitq; hanc esse communem nostrorum Doctrinam. Nec tamen est hoc decretum absolutum, quia & tolleret libertatem, & potiùs fundaret scientiam visionis, & esset improportionatum; quomodo enim de futuro conditionato quod nunquam futurum est, potest dari decretum absolutum, quantùm est ex parte Actus. Vide Fulgen. Suavis Concordiæ Disp. 4. Sect. 2. n 1.

His præmissis

Dicendum est. *Propositiones de objecto libero conditionatè futuro esse veras determinatè.* Ita omnes nostri & primus Fonseca lib. 6. Metaph. post eum, Molina lib. 1. de Concordia gratiæ cum libero arbitrio, Disp. 14. & 1. parte q. 14. à 13. Adferentur probationes merè ex locis Philosophicis. Hinc

Probatur I. Ex principio Metaphysico. Quodlibet est aut non est; illæ propositiones quæ habent determinatum esse, habent determinatam veritatem, cum ipsius Esse passio, sit veritas; Sed propositiones de futura Conditionato Libero, habent determinatum Esse, ergo & determinatam veritatem. Minor prob. Petrus si vocatus fuerita, ut converteretur, aut non converteretur. Ergo propositiones de futuro Conditionato

nato Libero, habent determinatum Esse, habere enim v.g. Esse, vel non Esse conversi Si, est habere esse vel non Esse determinati Si. Antec prob. quodlibet est aut non est. Ergo & Petrus Si vocatus fuerit aut converteretur aut non converteretur.

Probatur II. Ex principio Logico. Ex duabus Contradictoriis alterutra debet esse vera: hæ propositiones: Si vocaretur Petrus converteretur, &: Si vocaretur Petrus non converteretur, sunt propositiones de futuro contingenti libero conditionatæ & contradictoriæ, ergo alterutra illarum necessariò est vera.

Probatur. III. Tum quia in instanti quo Petrus vocatus convertitur, vera est hæc propositio. Petrus vocatus convertitur, est enim conformis objecto, ergo etiam antea vera erat propositio. Petrus si vocatus fuerit converteretur Prob: Conseq: quia propositio conditionata, totum id, & de eodem objecto enuntiat, quod & absoluta, excepto modo enuntiandi; ergo si absoluta propositio in statu absoluto est vera, etiam conditionata in sensu conditionato erit vera, licet alio modo enuntiet.

Idem. Sic proponi potest: Supponamus quod hæc propositio sit vera. Petrus convertitur, debebit esse etiam vera hæc, Petrus vocatus converteretur, quia propositio semel vera, semper respectu ejusdem instantis à propositione importati, est vera; ergo ulterius vera erit etiam hæc propositio, si vocatus fuerit converteretur, solo enim statu hæc propositiones differunt, seu modo enuntiandi, habent autem idem objectum adeoque; eandem veritatem: consequenter si eadem veritas, licet alio modo enuntietur, erit semper vera propositio, licèt alio modo formetur. Tum quia supponamus poni Conversionem Petri vocati, hoc supposito Vera est determinatè hæc propositio; Petrus vocatus conversus est; ergo falsa fuit determinatè illa, Petrus si vocatus fuerit non converteretur, idem enim determinatè negat, quod prior affirmat, Ergo hæc propositio, si Petrus vocatus fuerit converteretur, determinatè fuit vera antecedenter, siquidem illa altera, determinatè fuit falsa. Tum quia si Deus talia non noscit, deberet dicere Nescio, sed quæ proponibilis est legitimè interrogatio Deo, cui omniscitivitas Divina, non possit satisfacere nisi per Nescio.

Objicitur I. Si vera esset determinatè una propositio Conditionata de effectu futuro libero, vera esset propter bonitatem Consequentiæ, quod tamen nos negamus. Sequela probatur, quia veritas conditionalis apud Dialecticos sumitur ex connexione Antecedentis cum Consequenti.

Respondetur. Id docere Dialecticos de veritate conditionalium in materia necessaria, nam in Liberis, sufficit coexistentia eventus cum conditione Si.

Objicitur II. Objectum propositionis conditionatæ non existit determinatè, Ergo & ipsa propositio, non est determinatè vera.

Respondetur. Objectum conditionatè si spectetur in suis causis non existit determinatè, sicut si spectetur in suppositione sui ad se.

Objicitur III. Si daretur determinata veritas talium propositionum, tolleretur libertas. Status enim ille conditionatus, antecedens statum absolutum, debet esset talis, ut ex eo inferri possit necessario effectus.

Respondetur. Ex statu conditionato non inferetur necessariò effectus, necessitate orta ex suppositione antecedenti, & habente se per modum causæ, sed esset ille effectus necessarius, ex suppositione consequenti.

Colliges. Quòd noster intellectus, quando idem affirmat de contingenti conditionatè futuro, quod affirmat Deus, veram propositionem faciat, per ordinem ad objectum, licèt non sit vera in ordine ad nos, eò quòd per ordinem ad nos, careat certitudine.

DISPU.

DISPUTATIO VIII.

De Syllogismo,

IN quantùm hîc attingemus discursum respondebit Tractatio Libr. Priorum ubi tractat Aristoteles de Discursu in Communi, ejus forma, ac Materia. Tractatio autem de Demonstratione, respondebit Libris posteriorum, ubi de hac materia Aristoteles.

QUÆSTIO I.

Explicatur natura Discursûs & Syllogismi.

DIscursus est Nomen translatum à cursu corporali ad motum quendam intentionalem, sicut enim per discursum corporalem movet se mobile Corporeum, ita & per discursum intentionalem, movet se Intellectus; & sicut in discursu Corporali proceditur à termino A quo, ad terminum Quem ita & in discursu intentionali, proceditur ab una cognitione notiori, tanquam à termino A quo, ad aliam cognitionem objecti minus noti, tanquam ad terminum Ad quem. Durtadus verò nomine termini A quo, in progressu intentionali, intelligit objectum formale, quod per se primo attingitur à scientia & A quo primum incipit currere intellectus, terminum autem Ad quem, dicit esse Objectum materiale quod cognoscitur à potentia cũ dependentia à potentia cum dependentia à Formali. Nomine verò objecti formalis intelligit, præmissas, tanquam objectum formale motivum.

De Discursu.

QUÆRITUR I. *Quid sit discursus.*

RESPONDET Scotus. Discursum esse progressionem intellectûs ab uno objecto ad aliud. *Hæc definitio discursûs ordinariè admitti non solet.*

RATIO est. Quia competit etiam discursui virtuali, seu æquivalenti & non tantùm formali: hinc allata definitio potest quadrare etiam Divinis cognitionibus, unum objectum ex alio, cognoscentibus, cùm tamen ordinariè dicatur Deus non discurrere.

ALITER Discursum definiunt Conimbricenses, *Quod sit progressio intellectûs ab una cognitione in aliam*; Hæcq; tenenda erit definitio. Cæterumhic progressus non debet esse mere successio unius post aliam cognitionem, nec debet esse merè per accidens, & casu, sed ex antecedentibus debet educi alia. Harum autem definitionum in hoc est differentia, quia prior importat alietatem in ipsis objectis, posterior importat in ipsis Actibus.

QUÆRITUR II. *Quotuplex sit Discursus.*

RESPONDETUR Communiter. Prima divisione discursum alium esse Formalem, alium Virtualem. Formalis Discursus, est Discursus constans pluribus cognitionibus distinctis realiter, quarum una inferatur ex alia. Discursus autem Virtualis, Discursus æquivalenter, Discursus objectivus &c. (hæc enim idem sunt) Nihil aliud est, quàm progressio ex uno objecto in aliud, per eandem numero cognitionem.

QUÆRITUR. III. *An discursus formalis debeat habere partes, hoc est plures Enuntiationes.*

RESPONDET. Hurtado Dis. 7. Anim. Sect. 3. Arriaga, Oviedo hîc debere illum habere partes, hoc est tres virtualiter vel formaliter distinctas propositiones. Formaliter distinctæ propositiones sunt tales, sicut communiter ponuntur in Cathegorico Syllogismo. Propositiones autem virtualiter distinctæ sunt, quando simplex qualitas propositionis totum id enuntiat quod tribus aliis distinctis enuntiaretur ut si v.g. his tribus propositionibus. Omnis homo est animal: Petrus est homo. Ergo Petrus est animal, si inquam his propositionibus unico actu, præbeatur assensus. Ratio communis pro responsione est. Tum quia Aristoteles in definitione Syllogismi qui in re à Discursu (ut inferius explicabitur) non differt, requirit pluralitatem actuum, vultque ut in illo nonnisi ex quibusdam positis, aliud sequatur. Tum quia ubi est causa & effectus, illic debet esse pluralitas, sed inter præmissas & conclusionem est ratio causæ & effectus. Ergo. Tum quia ut unum ex alio sequatur per discursum, debet prædicatum & subjectum, priùs conjungi cum Medio Termino, juxta Principium. Quæ sunt eadem uni tertio: conjungi autem prædicatum & subjectum Conclusionis non potest cum medio termino, nisi sint duæ propositiones, in quarum una subjectum, cum medio termino, & in altera prædicatum, cum eodem medio termino, conjungantur, tertia autem propositio erit conjunctio ipsius subjecti & prædicati inter se, quæ omnia actus vel formaliter vel virtualiter plures requirunt.

Dices

Dices. Bonus est hic Discursus, Omnis homo est animal, Ergo Petrus homo, est animal, & tamen in hoc discursu, unum extremum in una præmissa, aliud autem extremum nõ in alia præmissa, sed in ipsa illa, cum medio termino conjungitur. Ergo ad discursum non est necessaria etiam virtualiter duplex præmissa.

Responderi potest: quod illa illatio sit simul virtualiter & æquivalenter præmissa, illa enim illatio Ergo Petrus homo, est animal, æquivalet his duabus propositionibus, scilicet Petrus est homo, & Petrus est animal.

Respondet II. Oviedo. Negando bonum illum esse discursum. Ratio negandi est, quia non innititur illi principio quæ sunt eadem uni tertio. Attendendo etiam ad Illationem, omnis homo currit. Ergo aliquis homo currit, docet Arriaga esse hîc duplicem virtualiter præmissam, subintelligitur enim hæc minor sed in omnis homo, includitur aliquis homo.

De Syllogismo.

Quæritur I. *Quid sit Syllogismus.*

Responderi Posset, hîc esse difficultas, an ly: Oratio, quod adhibetur ad definitionem tam Syllogismi quàm Definitionis, sit genus proximum an remotum. Censent aliqui esse hoc genus remotum, idque ideo, quia proximus genus ad Syllogi mum est argumentatio. Sed hæc ratio non convincit, quia argumentatio & Syllogismus idem sunt & æquè latè patent, Ergo argumentatio non est genus ad Syllogismum. Dat aliam rationem Arriaga quare ly: Oratio sit genus remotum; quia scilicet argumentatio cum Definitione & Divisione conveniũt in hoc, quòd sint modi sciendi, Oratio autem extenditur etiam ad ea, quæ non sunt modus sciendi, hinc propositio simplex, est Oratio, & tamen non est modus sciendi. Huic etiam rationi Responderi posset, quòd sicut conveniunt in ratione modi sciendi Argumentatio, Definitio, & Divisio, ita etiam in ratione Orationis, cur ergo etiam Oratio non erit genus proximum. Deinde sit licet quòd Oratio extendatur etiam ad ea quæ non sunt modus sciendi, non sequetur Orationem non esse Genus, sicut licet animal extendatur ad ea quæ non sunt rationalia & non sunt homo, non sequitur tamen genus proximum hominis non esse animal. Puto itaque quod ly Oratio sit Genus proximum ad definiendum Syllogismum sitque non aliud quàm operatio intellectûs, quæ est Verbum mentis, quod ipsum verbum mentis, est Oratio animæ &c. Ex quo colliges & referes ad dicta superius de objecto: quod in re Oratio Logica sit Objectum Logicæ, quia ut dixi operationes intellectûs sunt objectum Logicæ, Oratio autem Logica in re sunt ipsæ operationes intellectûs: sed non est objectum adæquatum Logicæ, quia terminus per se est species objecti Logicæ, & tamen illi non convenit esse Orationem. Nec debet vocari nomine Orationis Logicæ objectum ejusdem, quia Oratio Logica, est æquè ignota ac ipsa Logica: Objectum autem scientiæ debet esse quid notiùs, ut ex illo dignosci scientia penitus possit. Et quia an vocari debeat Objectum Logicæ Oratio, est quæstio de voce, in qua cum pluribus sentiendum.

Quæres II. *Quid sentiendum sit de Figura Galeni.*

Respondetur. Dari illam imprimis. Eò quòd detur talis positio terminorum, ut id quod fuit in priori propositione prædicatum, fiat in posteriori subjectum, quod est figura Galeni rectè concludens, quia innititur iisdem principiis communibus Syllogismorum. Imò non ignoravit istam figuram Aristoteles, ut videre est secundi priorum Cap. ultimò videreque est in multis locis ita argumentantem Aristotelem. Definitur ergo hæc figura, est in qua medium prædicatur in Prima, subjicitur in Secunda Propositione. Deinde dico hanc figuram in re idem esse cum prima Aristotelica, sed tantùm habet propositiones transpositas, nam ea propositio quæ secundo loco ponitur est verè Major, continet enim in se Majus extremum, & ista quæ primo loco ponitur est verè Minor, cõtinens Minus extremum: hinc si posita loco secundo propositio, ponatur pro prima, eodem omnino modo concludet; quo prima figura. Recitat Hurtado Versiculos qui denotant modos debitos Galeni Figuræ, consimiles tamen modis Aristotelis sunt que tales.

Barnaba, Calee, Dimari, Firemo, Bamalipton.

Infer. Non ideò Galenicam figuram non esse essentialiter distinctam ab Atistotelica prima Figura, quia Galenica est reducibilis ad Aristotelicam Primam, aliàs Secunda & Tertia Figura non essent distinctæ à Prima, quia sunt reducibiles ad Primam: Sed ideò quia illic est distincta combinatio medii cum extremis, ista enim combinatio, est figura. Sed in Galenica figura, non est diversa combinatio medii cum extremis: quod probatur. Sola transpositio Propositionum non est diversa combinatio medii cum extremis, sed in Galenica, est sola transpositio Propositionum, ut dixi, Ergo.

Dices I. In nulla Aristotelica Medium prædicatur in Majori subjicitur in Minori. Ergo Galenica etiam diversam combinationem Medii cum extremis importat.

Respondetur. Negando conseq. Propter Minorem quæ hîc subticetur, quòd scilicet in Galenica figura, medium prædicetur in Majori, subjiciatur in Minori, hæc enim Minor est in re Major, quia continet Majus extremum hoc est Prædicatum conclusionis.

Dices II. Fieri poterit ut ita inferatur Conclusio in Galenica ut habeat pro subjecto id quod

poni-

ponitur pro prædicato in Minori, pro prædicato autem habebit id, quod ponitur pro Subjecto in Prima propositione.

Respondetur. Tunc non fore Categoricum argumentum, salvari tamen poterit, per hoc, quia licitum est pro conversa, convertentem ponere.

Dices III. Figura Galeni habet collocationem Propositionum diversam, à collocatione Aristotelica; Ergo differt ab Aristotelica. Probatur Conseq. Modi Figurarum differunt essentialiter, propter solam transpositionem Propositionum. Ergo & ipsæ Figuræ.

Respondetur Distinguendo Antecedens & dicendo, quòd figura Galeni habeat aliam materialiter collocationem propositionum, non aliam formaliter ut supra dicebam. Transito etiam Antec. Neg. Consequen. utramque. Quia ex alio principio sumitur distinctio Modorum ex alio verò principio sumitur distinctio Figurarum; Cum enim Figura sit combinatio medii cum extremis, ideò Principium ex quo sumitur distinctio Figurarum, est diversa combinatio extremorum cum medio: & quia posita sola transpositione propositionum, non sit diversa combinatio medii cum extremis, ideo nec diversa erit Figura. Principium autem ex quo sumitur distinctio Modorum est diversa dispositio Propositionum, secundùm quantitatem & qualitatem: hinc posita diversa transpositione propositionum, necesse erit poni distinctionem Modorum. Porrò cum hæc transpositio Propositionum utilis fiat quatuordecim Modis ideò & modi quatuordecem erunt. Combinatio verò extremorum cum medio, quia tantum est ternaria, hinc & figuræ, tantum tres erunt.

Infertur. *Ultra assignatas figuras, nullas alias dari benè concludendi species.* Nam Sorites est coacervatio Syllogismorum, Dilemma, est Syllogismus per divisionem, seu conjunctus, Enthymema autem, Inductio, Exemplum, est syllogismus truncatus voce. Reliqui autem Modi concludendi extra hos nulli sunt recti, & necessariò inferentes. *Contra hoc illatum*

Dices I. Iste Syllogismus, Omnis homo est animal, Omis lapis est non animal. Ergo nullus lapis est homo, est Syllogismus bonus, & tamen nec est in Galenica, nec in Aristotelis Figura, nulla enim est hîc præmissa negativa, cum infinita illa, æquivaleat affirmativæ.

Respondeti solet Minorem quoad rem, etsi non quoad modum significandi, æquivalere huic Negativæ, Nullus lapis est animal, consequenter hoc Argumentum esse in Camestres.

Dices II. Iste Syllogismus Omnis homo currit, Petrus est homo; Ergo Petrus currit, est bonus; & tamē in nullo est modo Aristotelico, quod probatur. Quia in nullo modo Aristotelico ponitur minor singularis, & Conclusio singularis, in Darii enim v. g. ponitur minor non singularis sed particularis itemque Conclusio.

Respondetur. Certum est aliud esse terminum vel propositionem particularem, aliud singularem, hinc expositorius Syllogismus constat tribus singularib⁹, rectèq; concludit, non concludit ex Particularibus. Discrimen autem inter singulare & particulare est, quia particulare non habet subjectum determinatum, habet singulare. Cæterum tamen hic Syllogismus ut sentit Hurtadus Disp. 10. Log: Sect: 15. n. 75. revocari potest ad Darii particularem sumendo propositionem pro quacunq;, quæ non est universalis, cum ergo tam particularis quàm singularis Propositio, sit Propositio non Universalis, ideo cùm particularis Minor & Conclusio cum tali dispositione medii termini debeatur Darii, etiam cum simili dispositione medii termini. Minor & Conclusio singularis, revocabitur ad Darii.

Dices III. Bonus est iste Syllogismus aliquod animal currit, omnis homo est animal, ergo aliquis homo currit & tamen hic Syllogismus in nulla est Aristotelica Figura.

Respondetur Negando. Bonum esse istum Syllogismum. Ratio est quia non necessariò concludit, potestq; ei negari consequentia. Quòd non necessariò concludat hoc inde est, quia non innititur Principio Quæ sunt eadem Uni tertio, neque Principio Dici de omni & Dici de nullo, quod ipsum probo. Quia non ostendit identitatem hominis & currentis quam infert in Conclusione; quòd non ostendat identitatem hominis & currentis, hoc inde est; quia quando dico aliquod animal currit, vera potest esse propositio de Bove currente & non Homine. Ergo hic Syllogismus, non ostendit identitatem inter currentem & hominem. Deinde medius terminus vel semel distribui debet, in dicto autem Syllogismo non distribuitur, Medius enim terminus in dicto Syllogismo est animal, qui neq; in priori Præmissa distribuitur, quia illa præmissa est particularis; neq; distribuitur in secunda præmissa, quia illa est affirmativa universalis, adeoq; non distribuens Ly Animal pro prædicato positum.

Colliges. Non dari modos indirectos in secunda & tertia Figura rigorosè dictos. Quia licèt in secunda & tertia Figura, possit Convertens loco Conversæ poni, non tamen per hoc fiet modus rigorosè indirectus, quia in secunda figura id subjicietur quod subjicietur in præmissa, in tertia autem Figura id prædicabitur in Conclusione, quod prædicabatur in Præmissa; ad Modum autem rigorosè indirectum, requiritur ut non sit subjectum Conclusionis aut Prædicatum quod erat Subjectum Præmissarum aut Prædicatum.

QVÆRES III. *An universale sit illud principium regulativum Syllogismorum affirmativorum. Quæ sunt eadem uni tertio.*

Respondet Vasquez. non esse universale immò falsibile, eò quòd fallat in Divinis, iste enim Syllogismus expositorius Natura divina est Paternitas; Filiatio est Natura Divina, Ergo Filiatio est Paternitas: iste inquam Syllogismus, innititur principio huic, & tamen negari in illo debet Consequentia. Unde potiùs sentit Syllogismum innitti illi principio Dici de omni & dici de nullo.

Sed

Sed RESPONDENT Alii ut Hurtado disp. 10. Logica Sect. 16. Oviedo in Dial. Valere istud principium universaliter & infallibile esse.

RATIO imprimis ex Hurtado est. Dici de omni & dici de nullo; fundatur in isto Principio; Quæ sunt eadem uni tertio. Ergò si fallit principium, Quę sunt eadem uni tertio, fallet & Dici de omni. Antec. prob. auctoritate Arist. ex Prior: cap. 1. *In toto autem quopiam esse, & de omni quopiam esse, & de omni quopiam quodpiam prædicari, idem significat, atque tum de omni dicimus prædicari, cum nihil potest subjecti sumi de quo alterum non dicatur.* Reflecte te ad verba illa in toto esse & de omni quopiam prædicari idem significat.

CONFIRMATUR idem. Ideo verificatur dici de omni, quia quidquid prædicatur de superiori prædicatur de inferiori quod ipsum inde est: quia inferius identificatur cum superiori. Quod si ex identificatione inferioris cum superiori habetur, sequitur verificari illud propter principium Quæ sunt eadem uni tertio.

RATIO 2. ejusdem Hurtadi. Si falleret in Divinis principium illud Quæ sunt eadem &c. falleret etiam dici de omni in Divinis quod probat: quia Dici de omni, significat prædicatum unum dici de aliqua re, de omni alia quæ sit idem realiter cum illa, sed quod dicitur de natura Divina non dicitur de omni, quod est realiter natura Divina, Ergo istud etiam Principium in Divinis falleret. Minor prob. Dicitur enim de Natura quod communicetur & non dicitur de Paternitate illi identificata realiter, quòd communicetur. Ergo.

RATIO 3. Oviedi. Dici de omni & dici de nullo non possunt esse strictè loquendo regulativa principia Syllogismorum in Divinis, quod probat. Quia in Divinis non est Omne & Nullum, quia ly Omne & Nullum sunt Prædicata universalia, quæ in inferioribus multiplicantur. Natura autem Divina, non multiplicatur in Personis. *Quomodo autem istud Principium valeat in Divinis:*

EXPLICAT 1. S. Thom. 1. par. q. 28. quòd scil. quæ sunt eadem uni tertio materialiter, & formaliter, ea sunt idem inter se, non verò quæ sunt eadem, uni tertio tantùm materialiter, & ita actio & passio non sunt idem inter se, licet materialiter sint idem cum motu, cùm ergo Paternitas & Filiatio sint idem materialiter cum natura Divina, non est necesse illa esse idem inter se. *Sed hæc explicatio* indiget adhuc ulteriori explanatione. Quia falsum est, quòd ea quæ sunt idem, materialiter cum tertio, non sint realiter idem inter se, nec id probat exemplum quod adducitur, quia etiam actio & passio, sunt idem materialiter cum motu, quantumvis non sint idem Formaliter, tamen sunt idem realiter inter se. Tum quia apud S. Thom. quæ sunt realiter idem inter se, in tantùm censentur idem non esse formaliter, in quantum censentur, non esse idem per rationem, sive hęc sit cum fundamento in re, ut statuat distinctionem Rationis Rationatæ, sive sit cum fundamento circa rem ut statuat distinctionem Rationis Ratiocinantis. Alietas autem formalitatum, quę fit per rationem, non facit, ut aliqua non sint idem realiter. Ergo alietas formalis inter naturam divinam & Paternitatem, item inter eandem naturam Divinam & Filiationem; non faciet quo minus sint idem realiter Paternitas & Filiatio. Modus autem S. Thomæ explicari poterit per ea, quæ inferiùs subdam. Exemplum non exactum S. Thomæ doctrinæ non officit, quia in his requiritur Veritas ut ait pro præsenti Hurtado.

EXPLICAT 2. Scotus. Quomodo hoc principium valeat in Divinis in 1. Dist. 2. q. 4. §. 4. ad primum Principale. Quia scil. quæ sunt eadem ex natura rei Unitertio, sunt eadem inter se, cùm ergo ex natura rei, non sunt idem Natura & Paternitas, item Natura & Filiatio, ideo non erit necesse idem esse Paternitatem & Filiationem. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT. Quæ sunt eadem ex Natura rei uni tertio, sunt eadem inter se ex Natura rei, ergo & quæ sunt eadem uni tertio tantum Realiter, sunt idem realiter inter se, sed paternitas itemque Filiatio quantumvis non sint idem ex natura rei, cum natura Divina, sunt tamen idem Realiter cum eadem. Ergo Paternitas & Filiatio, quantumvis non sint idem ex natura rei, erunt idem realiter. Rursus quamvis animal non sit idem ex natura rei per Scotum cum rationali, quia tamen identificatur cum homine, ideo sunt idem realiter inter se animal & rationale. Ergo non ex eo argui debet aliqua non esse idem realiter, quia non sunt identificata ex natura rei.

EXPLICAT 3. Hurtado loco citato. n. 92. Quæ sunt eadem realiter & virtualiter uni tertio, ea sunt idem inter se, cùm ergo in Divinis licèt sit Paternitas & Filiatio licet inquam idem sit realiter cum natura Divina una, quia tamen illa natura una, est virtualiter multiplex, ideò licet tam Paternitas quàm Filiatio sint idem cum natura divina, non sequetur ea esse idem inter se. Et quia diximus in materia de distinctionibus non dari distinctionem virtualem in ordine ad prædicata Physica & primo Intentionalia in Creatis, ideo quæ sunt eadem uni tertio realiter in creatis, idem inter se sunt. Idem hoc est quod dixi Summulis scilicet quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se. Et hoc est puto quod voluit S. Thomas superiùs citatus. Sine autem recursu ad virtualem etiam identitatem, tenet prædictum Principium, hoc sensu, Quæ sunt eadem uni tertio, secundùm quod sunt eadem, sunt eadem inter se, & ita in ratione naturæ, sunt idem personæ divinæ: quæ natura Divina, est illud tertium.

QVÆSTIO II.

De Præmiſſis.

OMiſſis facilioribus Duo reſtant quærenda. Primum. Quæ ſit Cauſalitas Præmiſſarum in Concluſionem. Deinde Quàm neceſſaria & inimpedibilis ſit illatio concluſionis, poſt præmiſſas.

DIFFICULTAS I.

Quomodo Præmiſſæ cauſent Concluſionem.

DICENDUM eſt 1. *Præmiſſæ non cauſant Concluſionem propriè Phyſicè, in genere cauſæ efficientis.*

PROBATUR 1. Non eſt minor dependentia reliquorum actuum à potentia intellectiva quàm dependentia primi actus, nullum enim eſt fundamenum id aſſerendi, nec eſt ratio cur actus intellectus, qui eſt decimus, non potuerit eſſe primus &c. Sed primus actus, eſt talis, ut petat nonniſi ab ipſo intellectu elici, ergo & reliqui actus. Minor probatur. Quia ſi primus actus non eliceretur ab ipſa potentia, ſed ab illo actu, hoc ipſo non eſſet primus, ſupponeretur enim ante illum alter, qui ſcilicet eſſet principium elicitivum illius.

PROBATUR 2. Unus actus non facit alium actum propriè efficienter, ergo nec præmiſſæ facient proprè concluſionem efficienter. Antec. probatur, quia nullus actus eſt propriè potentia, ergo nec ullus id faciet quod eſt proprium potentiæ, à qua fit productio actûs.

PROBATUR 3. Vel poteſt intellectus ſolus elicere concluſionem ſine concurſu effectivo Præmiſſarum, vel non poteſt; ſi poteſt, ergo tu id fruſtrà aſſeris, multiplicasque entia, quia potentias ſine neceſſitate; ſinon poteſt, cur non? præcipuè cùm intellectus concluſionem hanc, ſprout ſimpliciter propoſitio eſt, poſſit elicere ſine concurſu effectivo Præmiſſarum, Ergo poterit elicere eandem, etiam ut Concluſio eſt, quia in hoc nulla repugnantia.

OBJICITUR 1. Id præſtant Præmiſſæ reſpectu Concluſionis, quod præſtant ſpecies impreſſæ reſpectu Præmiſſarum, Species autem impreſſæ non concurrunt tunc ad efficiendam Concluſionem.

RESPONDETUR. Negando quòd ſpecies impreſſæ, non concurrant ad Concluſionem, ſed ſolæ præmiſſæ. Rurſus quamvis non concurrerent ſpecies ad concluſionem, ſed ſolæ præmiſſæ, nondum dandus eſſet concurſus effectivus concluſionis præmiſſis, quia etiam ipſæ ſpecies impreſſæ complent quidem intellectum ad ponendam intellectionem, ſed non coëfficiunt eandem per multos.

OBJICITUR 2. Poteſt Species impreſſa concurrere efficienter ad producendas notitias intellectuales, Ergo & præmiſſæ concurrunt efficienter.

RESPONDETUR. An concurſus ſpecierum, ſit concurſus in genere efficientis dubium eſt, de hoc conſulatur materia de Speciebus. Negatur etiam Conſequentia. Quia ſuppoſito quòd objectum, medio aliquo debeat concurrere efficienter ad actum intellectus, non poterit hoc in aliud referri quàm in ſpecies, quæ ſunt vicariæ objecti: jam autem efficientia actuum intellectus quamvis non tribuatur actibus, ſufficienter referri poterit in ipſam intellectivam.

INSTABIS. Non poteſt dici, quod ſpecies impreſſa Concluſionis, concurrat efficienter ad Concluſionem. Supponamus enim aliquem primò cognoviſſe hanc Concluſionem, ergo Petrus eſt riſibilis, ad hunc actum, non poſſet concurrere ſpecies illius Concluſionis impreſſa, nondum enim eſt ſpecies illius, cùm antea non fuerit cognita. Ergo nec ad alias Concluſiones concurret ſpecies impreſſa earundem.

RESPONDETUR. Non dari Species Concluſionis diſtinctas à Speciebus Præmiſſarum, cùm nihil ſit in Concluſione, quod non fuerit in Præmiſſis, conſequenter etiam ſpecies. quæ concurrunt ad Præmiſſas, cõcurrere poterunt ad Concluſionem. Deinde etiam conceſſo quod dentur Species Concluſionis, diſtinctæ à Speciebus Præmiſſarum, adhuc illæ poterunt concurrere ad Concluſionem primò etiam poſitam, quia ad hoc, ut dicatur haberi alicujus Species impreſſa, non eſt neceſſe, ante illud fuiſſe præcognitum, ſed ſufficit vel habuiſſe ejus ſpecies infuſas, vel fabricatas ad ſimilitudinem præcognitarum; & ſicut prima cognitio cenſetur elici dependenter à ſpecie impreſſa, & tamen ante primam cognitionem nihil fuit cognitum, ita & in præſenti.

OBJICITUR 3. Auctoritas Ariſtot. ex 1. poſt. c. 1. & ex 2. Phyſ. textu 21. ubi docet Concluſionem effici à Præmiſſis.

RESPONDETUR. Coëffici Concluſionem à præmiſſis impropriè, hoc eſt complendo intellectum & illuminando ad faciendam Concluſionem.

DICENDUM eſt 2. *Cauſant Præmiſſæ Concluſionem impropriè in genere Cauſæ efficientis complendo & illuminando intellectum ad concluſionis aſſenſum & effectionem.*

PROBATUR 1. Auctoritate Ariſtot. citati. Præmiſſæ non cauſant Concluſionem efficienter propriè, & tamen cauſant efficienter, ergo debent cauſare impropriè efficienter.

PROBATUR. 2. Quia cùm admittant oppoſitorum aliqui, quòd Præmiſſæ non concurrant ad Concluſionem propriè in genere Cauſæ efficientis, & tamẽ volunt illas cõcurrere in genere Cauſæ Formalis extrinſecæ, cum illis non reſta-

bit

bit quæstio nisi de voce; An scilicet Concursus per modum illuminantis, complentis sit in genere Causæ formalis intrinsecæ, & tamen in quæstione de voce cum pluribus est loquendum, nobiscum autem Thomistæ, Aversa, Rubius, Smigletius, & alii loquuntur.

Probatur 3. Ille qui dirigit ad peccatum & instruit, censetur id facere in genere Causæ efficientis impropriè, nec dicitur esse Causa Formalis extrinseca peccati, ergo & Præmissæ quæ illuminant ad assensum Conclusionis, hoc in eodem genere præstabunt.

Objicitur. Si quocunque modo causarent Præmissæ Conclusionem deberent existere tunc, cùm fit Conclusio: omnis enim causa, debet existere in instanti productionis sui effectus: sed Præmissæ non existunt tunc cùm fit Conclusio, quia transacta cognitione Præmissarum, non existunt Præmissæ, sed sæpe cùm est Conclusio, est transacta cognitio Præmissarum. Ergo.

Respondetur. Sæpè dum est Conclusio, est transacta cognitio Præmissarum, prout absolute propositiones sunt, nunquam tamen est Conclusio, ut non sit cognitio Præmissarum tanquam ob quas fit assensus Conclusionis. De quo infra.

Instabis. Voluntas quando eligit Media, non adest tunc Intentio finis. Ergo nec Præmissæ aderunt cùm fiet Conclusio:

Respondetur Negan. Antec. Adest enim tunc Intentio finis in aliquo sui, id est in amore sui, & in cognitione bonitatis finis, quæ cognitio bonitatis, ducit ad Media, atque ita finis in aliquo sui, hoc est in cognitione illius utilitatis, quam habent media ad consequendum finem, existit tunc.

DIFFICULTAS II.

Quomodo necessitent Præmissæ ad Conclusionem.

Præmitto ex Hurtado Disp. 7. Animast. Sect. 4. *Necessitatem duplicem agnosci*: quædam necessitas est quoad speciem actus, quædam necessitas est quoad exercitium actus: tunc est necessitas quoad speciem actûs, quando potentia determinatur ad aliquam speciem actûs, ita ut non possit elicere actum speciei aliûs v. g. quando determinatur potentia volitiva nonnisi ad exercendum actum amoris, est tunc determinatio ad speciem actûs. Alia necessitas quoad exercitium, quæ tunc est: quando potentia determinatur, ut ab Actu, se retrahere, illumq; suspendere, non possit. Necessitati quoad speciem Actus opponitur libertas Contrarietatis, quæ est indifferentia ad actus etiam contrarios, necessitati verò quoad exercitium actûs opponitur libertas Contradictionis, quæ est indifferentia ad exercendum vel non exercendum Actum. *Hoc Præmisso*,

Dicendum est 1. *Intellectum necessitari à Præmissis ad speciem actûs, circa Conclusionem eliciendi.* Sensus est. Qui præbuit assensum Præmissis, non jam potest dissensum præbere Conclusioni. quod totum procedit de Conclusione rectè illata, procedit q; de isto, qui advertit bonitatem hanc Consequentiæ, nam interdum fit ut temerè negetur Consequentia, si bonitas illationis non penetretur.

Probat 1. Hurtado, Qui præbuit assensum præmissis non potest dissentire Conclusioni. Ergo Præmissæ necessitant ad speciem actus. Antec. probatur. Si is qui præbuit assensum præmissis, posset dissentire Conclusioni, posset idem objectum affirmare & negare simul & semel, sed hoc est falsum, aliàs quis posset dicere, de eodem, est & non est, Ergo. Sequela probatur. Idem est objectum Præmissarum quod & Conclusionis, ut inferiùs probabitur, ergo si is qui præbuit assensum Præmissis, posset dissentire Conclusioni, posset idem objectum affirmare & negare.

Confirmatur ex eodem. Qui semel determinatur ad Præmissas, non potest habere rationem, quæ illum dimoveat à Conclusione, nisi etiam illum dimoveat ab aliqua Præmissa. Ergo posito assensu Præmissarum, non potest negari Conclusio. Antec. prob. Nulla ratio persuadere potest extrema non esse idem inter se, nisi persuadet extrema non fuisse idem cum medio termino, propter illud Principium, quæ sunt eadem uni tertio, Ergo qui assensum præbuit Præmissis, non potest habere rationem, quæ illum dimoveat ab assensu Conclusionis.

Probat 2. Arriaga. Intellectus nequit dissentiri vero & assentiri falso ut tali evidenter proposito, sed per præmissas proponitur intellectui, ut evidenter verum objectum Conclusionis, & ejus Contrarium ut evidenter falsum. Ergo stantibus illis Præmissis, non habet intellectus potentiam, ad negandum objectum Conclusionis, & assentiendum opposito. Minor prob. quia per præmissas proponuntur extrema Conclusionis unita cum medio termino, Ergo per illas proponitur intellectui ut evidens connexio extremorum inter se, & separatio ut evidenter falsa. Ergo ulterius per Præmissas proponitur intellectui objectum Conclusionis, ita ut nequeat illi dissentire intellectus.

Probatur 3. Si posito assensu Præmissarum, posset intellectus dissentire Conclusioni, posset negare Consequent. etiam argumenti in bona forma: dissensus enim Conclusionis quà Conclusio est, est negatio consequentiæ, sed argumento in bona forma non potest negari Consequentia. Ergo.

Objicitur 1. Saltem in Syllogismo probabili, nõ necessitatur intellectus ad speciem actûs circa conclusionẽ eliciendi, Ergo nõ universaliter Præmissæ determinant ad speciem actûs circa

Conclusionem Antec. prob. Conclusio Syllogismi probabilis est & obscura; Ergo ad illi assentiendum non necessitabitur intellectus.

Respondetur. In Syllogismo probabili non necessitatur intellectus simpliciter ad speciem actus, Conc. Antec. Non necessitatur vi superioris assensûs præbiti Præmissis, Nego Antec. non necessitatur ideo simpliciter intellectus, quia objectum est obscurum in se, necessitatur autem secundùm quid, quia illi obscuritati, connectitur illud principium, Quæ sunt eadem unitertio &c. cui dissentire intellectus non potest tanquam evidenti.

Objicitur 2. Opiniones mutari possunt; Ergo Opinabili Conclusioni non necessario intellectus assentitur, posito etiam assensu Præmissarum.

Respondet Hurtado. Opiniones ratione Præmissarum, quibus potest non exhiberi assensus possunt mutari, sed non possunt mutari supposito assensu Præmissarum. Deinde dici potest quòd eadem sit necessitas consequentiæ tam in Syllogismo necessario quàm in Syllogismo probabili, quia utraque Conclusio initur Principio illi Logico, Quæ sunt eadem uni tertio, licèt non sit eadem necessitas Metaphysica Rei & Objecti de quo infertur conclusio; potest enim unum objectum esse necessarium, & immutabile & non aliud, si autem necessitas consequentiæ est par, non potest quis opinionem mutare titulo hoc, quasi non sit æquè necessaria Consequentia.

Objicitur 3. Potest intellectus enuntiare aliquid esse, quod scit non esse verum, Ergo intellectus non necessitatur ad Speciem actus. Antec. prob. Intellectus enunciat de Hircocervo quòd sit Animal, Ergo potest enuntiare aliquid esse verum, quod scit non esse verum.

Respondeti solet. Posse intellectum quod scit non esse verum, enuntiare tanquam verum ex suppositione. Concedo Antec. tanquam verum absolutè, Nego Antec. Dici etiam posset. Quòd intellectus sicut habet vim aliquid fingendi, ita habet & vim illi à se ficto tribuendi aliquid verum, verum enim est passio entis, unde & entis ficti passio, erit veritas ficta. Cæterum non est in intellectu vis ut assensu, qualis præbetur Enti non ficto, dicat Hircocervum esse Animal. Hinc quando etiam committitur mendacium, non est illic assensus internus, sed est significatio externa, quam significationem externam, potest imperare locutivæ, voluntas, est enim locutiva, despoticè subjecta potentiæ volitivæ, & ejus imperio, ut ea etiam enuntiet, quæ intellectus judicat à parte sui non enuntianda. Non est autem hoc despoticum imperium voluntatis, supra intellectum; hinc si voluntas prohibeat ne dicat lingua bis duo facere quatuor, non dicet lingua bis duo facere quatuor, quantumvis autem nescio quo modo prohibeat voluntas, ne judicet intellectus bis duo à se apprehensa facere quatuor, necessario tamen id judicabit intellectus.

Instabis. Potentia loco motiva est potentia necessaria, & tamen subest imperio voluntatis, Ergo & intellectus quamvis sit potentia necessaria, subest imperio voluntatis.

Respondetur 1. Retorquendo argumentum. Potentia visiva est potentia necessaria, & quidem talis, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis non possit non agere, nec subest in hoc imperio voluntatis, Ergo & intellectus.

Respondeti potest secundò. Negando consequentiam, quia nisi accedat imperium voluntatis, non potest ostendi, per quid interdum determinetur potentia loco motiva ad motum, quid enim est illud? ex quo colligimus, interdum imperium voluntatis, esse inter conditiones prærequisitas ad agendum potentiæ loco motivæ, dixi interdum, nam tremor ille manuũ, qui in juvenibus ex voluntate nonnisi provenit, potest invitis provenire senibus: sine autem imperio voluntatis, potest ostendi principium, quod movet intellectum nempè Claritas & Certitudo objecti illius: quæ sunt eadem unitertio &c.

Dicendum 2. *Intellectum necessitari à Præmissis ad exercitium actûs circa Conclusionem.* Sensus Conclusionis est. Quando v. g. intellectus assensum præbuit Præmissis, item quando penetrato principio: Quæ sunt eadem unitertio, eam vim Syllogismo inclusam esse advertit, non potest cohibere se, quin actu moveat se ad assensum. Ita Hurtado disp. 7. Anim. sect. 4. n. 27. Arriaga hîc, Oviedo citantes pro se S. Thomam in secundum Distinctionum quæst. 1. ar. 2. in 8.

Probatur 1. Authoritate Aristotel. 7. Et hic: Cap. 3. Ubi Philosophus inquit, *Posita una universali Propositione, & altera particulari, animam statim agere, necesse est.*

Probat 2. Hurtado. Intellectus est potentia necessaria, non potestque suspendere actum suum, si habeat omnia ad agendum requisita, sed posito assensu Præmissarum habet omnia requisita ad exercitium assensus circa Conclusionem, Ergo posito assensu Præmissarum necessitatur intellectus ad exercitium. Minor prob. Quia requisita ad agendum assensum Conclusionis sunt, sufficiens objecti repræsentatio, bonitas consequentiæ &c. quæ omnia tunc habentur. Ergo.

Probatur 3. Posito assensu Præmissarum, ita est applicatus intellectus ad agendum assensum Conclusionis, atque erat applicatus ad agendum assensum Præmissarum, sed ad agendum assensum Præmissarum quem elicuit, sufficienter ante applicatus erat, ergo ad agendum assensum conclusionis, est sufficienter applicatus. Minor probatur. Sufficiès applicatio intellectus

ad

ad dandum assensum Præmissis, in hoc erat, quia erat debita apprehensio terminorum, & apprehensio connexionis illorum, cum medio Termino, sed posito assensu Præmissarum, est debita apprehensio Terminorum & apprehensio connexionis illorum inter se. Ergo. Hæc; tota Probatio procedit etiam de assensu Conclusionis ex probabilibus Præmissis deductæ, quibus cum liberum sit assentiri, posito tamen assensu, necessitatur intellectus ad Conclusionis assensum, propter evidentiam principii illius: Quæ sunt eadem unitertio &c. Quod si intellectus ad ponendum assensum conclusionis, est sufficienter applicatus; indubiè ponere illum debet, quia omnia necessaria, posita sufficienti applicatione, indubiè agunt.

Responderi solet. Inter prærequisita ad assensum circa Conclusionem, esse imperium voluntatis.

Contra. Saltem non est universale, esse inter prærequisita ad ponendum assensum conclusionis, Imperium voluntatis. Dantur enim, aliqui assensus in materia necessaria, qui nullo modo dependent ab imperio voluntatis, ad ista enim est imperium voluntatis, quæ sunt vestita ratione boni. Sed aliqui assensus non sunt vestiti ratione boni. Ergo ad illos non datur imperium voluntatis. Major probatur. Imperium voluntatis, est ad actus voluntatis, actus autem voluntatis non potest esse nisi circa ipsum bonum, ut docetur communiter. Sicut actus auditûs, non potest esse circa visibile, sed circa sonum, quia objectum auditûs sonus est. Minor princip. probatur. Quòd bis duo faciant quatuor, istud nullo modo est vestitum ratione boni, item quòd ignis approximatus urat, nullâ habet rationem boni, si tantùm secundùm Physicam exigentiam spectetur. Ergo dantur aliqui assensus necessarii, qui non sunt vestiti ratione boni. Tum quia. Datur aliquis actus intellectus præcedens omnem actum voluntatis, Ergo poterit dari & assensus intellectus, qui præcedat actum voluntatis, Ergo ulterius potest dari assensus aliquis, non indigens imperio voluntatis. Antec. probatur, quia prius est cognitum quàm volitum, & primus ex omnibus actibus Creaturæ rationalis, est actus intellectus, neque enim voluntas se movet, nisi præluceat intellectus. Consequentia probatur Paritate rationis; probato autem quòd detur aliquis actus intellectûs, præcedens imperium voluntatis, inferendum erit. Ergo poterit dari etiam assensus Conclusionis, sine imperio voluntatis. Tum quia Assensus Conclusionis necessariæ, nõ est dependens ab imperio voluntatis, Ergo & assensus Conclusionis probabilis. Antec. probatur. Supponatur per impossibile, posito assensu Præmissarum, posita penetratione circa bonitatem illationis, supponatur inquam non accedere imperium voluntatis, vel assentietur tunc intellectus vel non assentietur, si assentietur. Ergo apparet istud imperium non esse ad assensum requisitum; si non assentietur, certum est, quòd positivè non sit dissensurus, nam nullus benè dispositus intellectus, potest negare, quod bis duo faciant quatuor, quòd etiam non posito imperio voluntatis non sit intellectus se suspensurus, ab actu Probatur. Quia primus actus intellectûs non potest suspendi ex imperio voluntatis, aliàs ante istum actum primum intellectûs daretur alius prior, qui scilicet præluceret voluntati, non licentianti intellectum ad dandum assensum. Deinde dum est assensus, non potest suspendi ab imperio voluntatis, ut non sit, aliàs idem erit & non erit. Ergo & dum est assensus præbitus Præmissis, & posita est sufficiens advertentia circa bonitatem Illationis, non potest suspendi assensus Conclusionis. Conseq. probatur, quia tam necessarium est, hoc quod est, esse, quàm necessarium est, ut ea, quæ sunt idem Uni tertio, sint idem inter se. Deniq; revera est merum figmentum & arbitrariè usurpatur, esse hoc imperium inter prærequisita ad agendum intellectui: dicam & ego ignem nunquam urere, nisi accesserit imperium Intelligentiæ, quæ præest elementis, & quicquid contra hoc figmentum dictum fuerit, idem applicari poterit contra eum, qui hoc imperium requirit. Consequentia autem Enthymematis principalis probatur. Vel innititur bonitas Consequentiæ in Syllogismo probabili eidem principio, cui innititur bonitas Consequentiæ in Syllogismo necessatio vel non innititur eidem principio: si non innititur; ergo non stas in suppositione, supponit autem id Conclusio & probant Dialectici eidem principio utramque inniti: deinde Conclusio nostra supponit esse illic bonitatem Consequentiæ necessariam, & hac bonitate suppositâ quærit, an possit circa assensum exhibendum, suspendi potentia: si autem eidem principio innititur tam Consequentia prababilis Syllogismi, quàm Consequentia necessarii: ergo circa utramque æquè necessariò exercetur actus. Ideo enim in materia necessaria, cogimur ad exercitium actûs, quia urget principium: Quæ sunt eadem uni tertio, sed etiam in Syllogismo probabili, urget principium. Quæ sunt eadem uni tertio. Ergo, ubi ut vides dico, Conclusioni in materia probabili, quà simpliciter Propositio est, posse non tribui assensum, seu ipsi objecto præcisè secundùm se spectato posse non præberi assensum: licèt Conclusioni ex Præmissis deductæ, & innitenti illi principio: Quæ sunt eadem, non possit non præberi assensus ex suppositione præbiti assensûs Præmissis.

Fundamenta in Oppositum.

Objicitur I. Intellectus est potentia subordinata imperio voluntatis. Ergo potest ab exercitio assensûs impediri à voluntate. Antec.

probatur. Actus fidei imperatur ab actu voluntatis, quantumvis Actus fidei spectet ad intellectum. Hinc Theologi ante omnem actum Fidei, prærequirunt Piam affectionem. Ergo intellectus est potentia subordinata imperio voluntatis.

Respondetur. Negan. Antec. & distinguendo ejus Consequens. Ergo intellectus, est potentia subordinata imperio voluntatis, in ordine ad assensus circa objecta certa sed obscura; Concedo Conseq. in ordine ad objecta certa & evidentia; Nego Conseq. Jam verò supposito assensu Præmissarum certum est & evidens, extrema Conclusionis, esse connexa, inter se, propter principium: Quæ sunt eadem uni tertio. Quanquam etiam in Syllogismo continente articulos fidei, requiritur quidem pia affectio imperans assensum præmissis, sed præbito assensu præmissis, necessariò jam sequetur assensus illi Conclusioni, eritque liber denominativè ratione imperii voluntatis, imperantis assensum Præmissis illis. An verò assensus ille Conclusionis, sit futurus Fidei actus, de hoc in Materia de Fide.

Instabis I. Experimur assensu præbito Præmissis, posse nos pro nostro arbitrio, suspendere assensum Conclusionis, in quacunque materia, sed maximè in probabili. Ergo intellectus, est potentia subordinata, & non in ordine ad solos assensus obscuros.

Respondetur. Experientiam hanc veram esse, si fuerimus assensi Præmissis, quà simpliciter Propositiones sunt, non verò si fuerit assensus illis præbitus, tanquam causis Conclusionis, & attenta connexione inter se extremorum ob connexionem investigatam eorundem, cum Medio.

Instabis II. Datur pia affectio ad assensum fidei cujus objectum est certum sed inevidens, Ergo & ad assensum Conclusionis in materia nec certa nec evidenti, dabitur imperium voluntatis.

Respondetur. Nego. Conseq. Disparitas est. Quia intellectus circa Materiam certam sed inevidentem, non habet omnia requisita ad agendum, in Materia autem nec certa nec evidenti, posito assensu Præmissarum habet intellectus omnia requisita ad agendum, quod ipsum probatur. Quia ratione principii regulativi Syllogismi: Quæ sunt eadem uni tertio habet & certitudinem & evidentiam.

Instabis III. Ergo saltem habetur intellectum posse aliquando suspendere assensum.

Respondetur. Potest intellectus suspendere assensum, quando non habet omnia requisita ad agendum, hoc ipso enim non habet rationem Principii necessarii, adeoque dare potest locum voluntatis imperio, tanquam suppletivo illius prærequiri, quod intelligitur non haberi.

Objicitur II. Habitus non dantur ad actus, qui non subduntur imperio voluntatis, Ergo si assensus Conclusionis non subderetur imperio voluntatis, non darentur habitus ad illam eliciendam. Sed dantur, Ergo.

Respondetur. Negando Majorem.

Objicitur III. Nullum est bonum creatum, à quo necessitetur voluntas, Ergo neq; verum, à quo necessitetur intellectus.

Respondetur. Negando Conseq. Disparitas reddi solet. Quia voluntas est potentia libera, adeoq; potest cohibere suum assensum, etiamsi habeat omnia ad agendum requisita, nam hoc exigit definiti libertatis: intellectus autem, est potentia necessaria, adeoque positis omnibus ad agendum prærequisitis, suum assensum cohibere non potest: habet autem ad assensum Conclusioni legitimè deductæ ex Præmissis omnia requisita. Potest & alia disparitas assignari. Quia nullum est bonum creatum, quod sit sine mistura mali, si ergo est cum mistura mali, sicut movet voluntatem ad sui amorem, ita & retinebit ab amore; debebat ergo poni in voluntate pondus quoddam, quo potiùs in hanc quàm in illam partem inclinando, prævaleat voluntas: & hoc est libertas illius, qua se ad hanc potiùs, quàm ad illam partem determinat: Jam verò datur verum creatum, sine mistura falsi: & talia sunt principia lumine naturæ nota, propositiones æternæ veritatis, & ex illi deductæ Conclusiones. Cùm ergo etiam principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio, tam in Syllogismo Probabili sit, quantùm est de se, sine mistura falsi: ideo necessariò illi, & Conclusioni in illo fundatæ, necessariò inquam exhibebitur assensus; dixi quantum est de se, quia si objectum Conclusionis probabilis spectetur secundùm se, & ut Propositio est, non meretur nisi arbitrarium assensum: licèt necessitetur intellectus ad assensum in quantùm jam deductum ut ante etiam dixi.

Instabis. Non potest esse major Connexio extremorum inter se, quàm fuerit eorundem Connexio cum Medio in Præmissis. Sed Connexio eorum cum Medio in Præmissis argumenti Theologici fuit exigens imperium voluntatis. Ergo etiam in Conclusione exiget. Ergo ulteriùs non necessitabitur intellectus ad exhibendum assensum.

Respondetur. Distin. Major. Non potest esse major Connexio extremorum inter se, vi præcisè ipsius objecti, quàm fuit connexio cum Medio, Concedo Majorem vi aliûs principii Nego Majorem. Concessa minori Distin. Conseq. & Neganda Consequentia. Principium autem illud vi cujus habent majorem Connexionem inter se extrema in argumento Theologico, quàm præcisè habeant ratione sui, est illud, Quæ sunt eadem uni tertio. Unde etiam Conclusioni ex probabilibus deductæ, ut assentiamur secundùm quod propositio est, necessarium

cessarium est imperium voluntatis, licèt non sit necessarium, inquantùm jam deducta est, & inquantum innitens Principio, Quæ sunt eadem uni tertio.

Objicitur IV. Assensus Præmissarum probabilium indiget imperio voluntatis. Ergo & assensus Conclusionis in materia probabili indigebit hoc imperio.

Respondetur: Negando consequentiam, disparitas est. Quia nullum est Principium, quod necessitet ad assensum Præmissarum probabilium, est autem Principium quod necessitet ad assensum Conclusionis in materia probabili, nempe Principium, Quæ sunt eadem uni tertio: immò hæc indifferentia, quæ est ad assentiendum propositioni probabili, non oritur ex indifferentia potentiæ, sed ex mala propositione objecti, & defectibilitate illius.

Objicitur V. Si voluntas non posset impedire intellectum ab assensu Conclusionis, sequeretur, quòd si Conclusio sit Practica de aliquo objecto amando, voluntas necessariò illud amabit, quod est absurdum: aliàs iste actus, non esset humanus, quia non esset liber, consequenter nec meritorius. Sequela probatur. Ideo appetitus brutorum necessariò fertur in objectum, quia sensus necessariò judicat objectum illud bonum, Ergo & voluntas necessariò fertur in objectum, quia intellectus judicat necessariò illud esse bonum.

Responderi Solet. Concedendo sequelam, idque ad mentem Aristot. qui I. Ethicor. cap. 3. non judicat absurdum, posito dictamine practico, necessitari voluntatem. Posset & Disparitas assignari inter appetitum brutorum & voluntatem, non ideò enim adæquatè appetitus brutorum necessariò agit, quia sensus illorum utcunqe necessariò fertur in objectum, sed illa necessitatio à duplici Principio provenit: nempè à cognitione sensuum necessaria, deinde ab ipsa natura appetitûs determinati, ut si omnia habeat ad agendum requisita, necessariò agat: jam verò voluntas creata non est potentia ita determinata, cùm enim sit potentia libera, positis omnibus prærequisitis, potest agere, immo & Motus primo primi, non ideo sunt necessarii quia prævia cognitio ita judicat, sed quia præveniunt omnem advertentiam & deliberationem. Deinde dici potest aliud est necessitari intellectum ad judicandum ex suppositis præmissis, quod hoc sit bonum, ut aliud est judicare quod sit bonum nullam misturam mali habens, saltem in apprehensione, primum illud contingit in Syllogismo illo practico, non contingit secundum, si non contingit secundum, dat locum ut adhuc liberè voluntas moveatur.

Objicitur VI. Præmissis suppositis potest voluntas imperare Conclusionem directam vel indirectam. Ergo Conclusio non elicitur in dependenter ab imperio voluntatis. Antec. probatur. Ex his Præmissis; Omnis homo est animal, Petrus est homo, potest intellectus elicere vel hanc Conclusionem directam. Ergo Petrus est animal, vel hanc indirectam, Ergo aliquod animal est Petrus. Ergo

Respondet Hurtado. Suppositis Præmissis, si æquè utraque proponatur Conclusio inferenda, non potest voluntas imperare directam vel indirectam Conclusionem, sed utramq; intellectus inferet, quod si non æquè utraque proponatur intellectui conclusio inferenda, eam inferet cujus speciem efficaciorem habebit, quæ ut plurimùm, solet esse directa.

Addit Oviedo. Conclusionem vocalem imperari posse à voluntate directam vel indirectam, sed non Conclusionem mentalem, respectu enim ejus non habet libertatem intellectûs, sed utramq; eliciet, quia ad utramq; eliciendam habet omnia requisita.

Addi potest ulterius. Quòd intellectus sit indifferens ad hanc vel illam Conclusionem, non sit tamen indifferens ut neutram eliciat, unde ut alterutram eliciat, necessitatur, ut autem hanc potiùs quàm illam, pendet hoc à voluntate, ad eum planè modum, quo si oculo plura objecta proponerentur, esset ille necessitatus ad videndum, quod verò ex his videre deberet, posset à voluntate determinari.

Objicitur VII. Positis his præmissis. Omnis homo Mendax, Christus est homo, manet suspensus intellectus ne inferat, Ergo Christus est mendax, Ergo apparet non determinari intellectum ad assensum Conclusionis ab objecto Præmissarum.

Respondetur. Manere suspensum intellectum, quia non penetravit sufficienter vim Præmissarum, si enim vim illarum apprehendisset intellectus, distinxisset illas; si autem sufficienter vim Præmissarum non apprehendit intellectus, hoc ipso non necessitabitur ad assensum Conclusionis: tunc enim ille necessitatur ad assensum, quando habet omnia requisita, inter quæ, est sufficiens penetratio Præmissarum; hinc infidelis qui censet se vim Præmissarum benè apprehendere, non suspendit intellectum ad inferendam hanc propositionem. Ergo Christus est mendax, Christianus autem redit ad penetrandas Præmissas.

Responderi Posset & paulò aliter. Posito assensu illarum Præmissarum, manere suspensum intellectum, ad assensum eliciendum illi propositioni, Christus est Mendax, secundùm quòd præcisè propositio est, non verò secundum quòd deducta & illata est: & sicut Aristoteles quando in materia falsa formam Syllogisandi ostendit, v.g. docendo Omne A. est C. omne B. est A. ergo omne B est C. non erat suspensus ad inferendam Conclusionem inquantum Conclusio est, licet certò Præmissas non ita se habere judicaret: ita & hîc manet suspensus

intellectus, ad hanc propositionem, Christus est Mendax, prout præcisè propositio est, non verò prout deducta & innitens illi principio, Quæ sunt eadem &c.

Addo. Signantur & per modum Conclusionis. Posse intellectum, impediri à voluntate ab assensu Conclusionis indirectè ut si illum avocet ad aliud cogitandum, velsi nimium sit intentus alteri cogitationi, vel non attendat ad connexionem extremorum quæ sequitur ex connexione cum medio. Ratio horum est ex Oviedo quia inter requisita ad agendum, est, ne intellectus sit nimium intentus, & ut advertat ad istam connexionem, quam esse necessitativam ad assensum exhibendum, dictum.

DIFFICULTAS III.

De habitudine Conclusionis ad Præmissas.

TRactabimus hîc de hac difficultate. An Conclusio respiciat objecta Præmissarum. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Præmittuntur quædam.

Præmitto I. Ex Arriaga hic Sect. 4. n. 23. *Statum difficultatis in hoc esse.* Quæritur, An quando ego assentior Conclusioni, cognoscatur tunc ratio motiva assentiendi quæ ratio motiva, est ipsum objectum Præmissarum v. g. quando ita dico: Omnis homo est rationalis, Petrus est homo, Ergo Petrus est rationalis, an tunc inquam, ideò huic propositioni assentiar, quia est homo, & omnis homo est rationalis.

Præmitto II. Ex Oviedo. *Dupliciter attingi posse objectum Præmissarum* imprimis tantùm ut Quo, deinde & ut Quo & ut Quod simul. Tantùm ut Quo attinguntur Præmissæ, quando attinguntur tanquam ratio motiva assensûs, ut Quod & Quo attingitur objectum præmissarum quando attinguntur non solum ut ratio Motiva assensus, sed etiam ut de illis ipsis formetur assensus, & aliquid enuntietur vi talis actûs. Præsens quæstio inquirit: An ab actu illativo, attingatur objectum Præmissarum, tantùm ut Quo.

Præmitto III. *Quare quæratur an Conclusio respiciat objecta Præmissarum, non verò quæritur An Conclusio respiciat Præmissas.* Cujus ratio reddi posset. Quia ly Præmissa ex communi phrasi dicit actum mei intellectus affirmantem vel negantem, seu potiùs enuntiantem in ordine ad actum inferendi qui subsequitur: jam autem ratio motiva ad assensum Conclusionis, non est actus mei intellectûs affirmans vel negans, sed ratio motiva, est ipsum illud affirmatum vel negatum, hoc est objectum Præmissarum; v. g. quando dico: Ergo Petrus est rationalis, propter medium terminum, quia est homo, ratio motiva assensus ad hanc Conclusionem est, quia est homo, non verò, quia ego assentior cogitoq; illum esse hominem, quamvis ego enim id negem & non cogitem, erit tamen Petrus rationalis, ex hac objectiva ratione; quia est homo. Breviter hoc Præmissum indicat, quòd ratio assentiendi Conclusioni sint Præmissæ non formales sed objectivè sumptæ, casu quo illas respicere debeat Conclusio.

Præmitto IV. *Actum Conclusionis debere habere aliquid intrinsecum, sui constitutivum* per quod à reliquis assensibus differat.

Ratio. Tum quia quæcunque alia, habent aliquod intrinsecum sui constitutivum, Ergo idem dicendum de Conclusione. Tum quia ut urget Arriaga, nisi Conclusio intrinsecè differret ab assensibus Præmissarum, multi essent Syllogismi, in quibus non posset ostendi, quis actus defacto esset Conclusio, quod est absurdum. Sequela probatur. Suppono quòd dentur tales Syllogismi in quibus quæcunq; ex Præmissis potest esse Conclusio & ex Conclusione potest esse quæcunque Præmissa, ut videri est in omnibus Expositoriis v. g. Petrus est Rex, Hic homo est Petrus, Ergo hic homo est Rex. Ex hac Conclusione potest esse Præmissa. Hic homo est Rex, Petrus est hic homo, Ergo Petrus est Rex. Quòd si dantur Syllogismi in quibus quæcunque ex Præmissis potest esse Conclusio, & ex Conclusione Præmissa, si Conclusio intrinsecè non differt ab assensibus Præmissarum, hoc ipso non posset dici quis actus defacto sit Conclusio. Tum quia si Conclusio non habet aliquod intrinsecum sui constitutivum non habet Conclusio, quòd sit Conclusio, hoc enim Quo Conclusio esset conclusio, hoc inquam, esset illud intrinsecum constitutivum Conclusionis, si autem non haberet Conclusio, quo esset Conclusio, non esset Conclusio, quia nihil est, sine eo Quo est.

Præmitto V. *Difficultatem esse Quodnam sit illud intrinsecum per quod differt Conclusio à Præmissis.*

Explicant I. Aliqui Constitutivum illud esse, quia Conclusio pendet ab aliis probationibus, seu quia Conclusio habet se per modum illuminatæ, Præmissæ per modum illuminantis.

Contra est I. ex Arriaga. Quia quærere restat cur potiùs illuminare dicatur Præmissa Conclusionem, & non illuminari à Conclusione, tanquam à complemento discursus.

Contra II. Per oppositos Propositio est indifferens ad hoc, ut si vel una ex Præmissis, vel ut sit Conclusio, quòd ergo est hic determinativum ut habeat hæc Propositio rationem illumi-

illuminativæ seu præmissæ, illa illuminatæ seu conclusionis.

Contra 3. Tum quia de hoc ipso quæritur: quid est hoc conclusionem pendere à præmissis. De hoc ipso quæritur, quid est hoc habere se conclusionem per modum illuminatæ, præmissas per modum illuminantis, quærereq; restabit quæ sit nota quòd conclusio à præmissis non præmissæ à conclusione pendeant.

Explicant 2. Alii intrinsecum constitutivum conclusionis. Quia conclusionem præcedunt Præmissæ si non tempore, saltem naturâ.

Contra. Quia quærere restat in quonam sita sit ista præcedentia præmissarum, quomodocunq; hæc præcedentia serviat, ut sit intrinsecum constitutivum conclusionis.

Explicant 3. alii. Quòd intrinsecum constitutivum conclusionis, stet in hoc: quia conclusio respicit objecta præmissarum. Ratio, quia nullum aliud ostendi potest intrinsecè constitutivum, & quia nisi hoc dicatur, non poterit salvari particula in definitione Syllogismi posita: *Eò quòd hæc sint*, ut hoc explanetur. *Sit*

Punctum Difficultatis 2.

An Conclusio respiciat Objecta Præmissarum.

Dicendum est. *Quod conclusio respiciat objecta Præmissarum.* Ita S. Thom. de Veritate quæst. 22. ar. 4. ad 3. & 1ma 2dæ quæst. 8. ar. 3. in (.) ubi expressè fatetur per actum conclusionis attingi etiam ipsa principia quæ priùs fuerunt cognita. Sanctum Thomam sequitur Arriaga, Oviedo hîc, & alii apud illos.

Probat 1. Arriaga. Intellectus est potentia omnino necessaria in suis operationibus, efficiens quantùm potest: Ergo si per actus præmissarum semper proponitur illi veritas conclusionis, ut connexa cum veritate præmissarum, semper & necessariò intellectus ita assentietur: Sed proponitur semper veritas conclusionis ut connexa cum veritate præmissarum. Quod ipsum probatur. Quando dico, omnis homo est animal, Petrus est homo, Ergo Petrus est animal, non solùm per illas præmissas proponitur mihi connexio inter Petrum & animal, sed etiam hujus ratio, quia scilicet Petrus & animal sunt idem cum uno tertio, hoc est cum homine.

Responderi posset Hoc ipsum ulteriùs probari debere, quòd semper in assensu conclusionis proponatur ratio prædicta.

Probat 2. Oviedo. Aliqua debet assignari ratio propter quam ex tribus propositionibus duæ sunt præmissæ, & tertia conclusio: sed non potest esse alia, nisi quia assensus conclusionis fertur in objectum præmissarum tanquam in formale motivum, assensus autem præmissarum, non attingit objectum conclusionis.

Responderi posset. Quòd explicari deberet, quare præmissæ non ferantur in objectum conclusionum, cùm præmissæ ferantur in objectum suum, idem autem est objectum conclusionis & præmissarum. Explicari item deberet quomodo etiam conclusio, non sit motivum assensus, casu quo præmissa possit probari per conclusionem, ut cum dico. Dies est, ergo sol est, poterit per conclusionem probari præmissa, Sol est, ergo dies est, ut etiam in simili, arguit Oviedo.

Probatur 3. Si conclusio non respiceret objecta præmissarum, conclusionis assensus non fieret propter præmissas tanquam propter motivum, idem enim est in præsenti conclusionem respicere objecta præmissarum, & conclusionis assensum, fieri propter præmissas, ut dictum supra. Sed conclusionis assensus fit propter præmissas tanquam propter motivum, quod probatur. Si conclusionis assensus non fieret, propter præmissas tanquam propter motivum, syllogismus non inniteretur huic principio quæ sunt eadem uni tertio. Sequel. probatur. Nihil esset, cui assensus præberetur propter connexionem cum aliquo tertio: Ergo syllogismus non inniteretur huic principio. Et certè nihil aliud est conclusionem respicere objecta præmissarum nisi assensum præberi tertiæ propositioni, propter connexionem cum aliquo tertio.

Confirmatur. Quia nisi fiat assensus conclusioni propter præmissas, seu propter respicere objecta præmissarum, non poterit ostendi per quid conclusio extrahatur à mera ratione secundæ operationis. Neque valet si dicas, extrahi per denominationem extrinsecam; Tum quia per quid transitur ad illam ipsam denominationem extrinsecam. Tum quia secunda operatio non est duplicata prima operatio, sed extrahitur ad rationem secundæ, per rationem enuntiativi judicii, non autem per meram denominationem extrinsecam. Ergo & tertia operatio, non erit mera denominatio extrinseca. Tum quia præmissa non sortitur denominationem conclusionis, ergo debet haberi aliquid in tertia propositione, ratione cujus servire illi possit id, quod tu appellas denominationem extrinsecam, hoc autem non aliud est, nisi assensus; *Eo quòd hæc sint*, adeoq; quòd sit assensus ob præmissas, seu ob respicientiam objecti præmissarum, quæ omnia idem sunt.

Addo tamen. Assensum propter præmissas, non debere esse propter præmissas reflexè, iteratò, in conclusione cognitas, distinctoque actu attactas. Ratio: quia hujus nulla necessitas, essetque hoc multiplicare assensus sine necessitate, præcipuè cum id etiam non experiamur.

Respon-

Respondetur 1. Intellectum distractum non reflectere se ad connexionem cum medio, consequenter nec assentiri propter objectum præmissarum.

Contra. Tum quia probandum esset, hanc distractionem semper contingere, si autem non contingit semper, quærere restabit: An non distractus intellectus moveatur objecto præmissarum. Tum quia potest distractus intellectus non necessitari ad conclusionem, neque tamen inde rectè infertur, posse præbito jam assensu, non præberi assensum conclusioni. Ergo nec rectè ex eadem distractione inferetur, quòd intellectus concludens, non respiciat objecta præmissarum. Tum quia intellectus ille distractus, vel adhuc elicit actum conclusionis vel non elicit; si non elicit non procedit de illo conclusio, si elicit, ergo debet ostendi constitutivum illius assensûs in ratione conclusionis, hoc autem non aliud est ex dictis, nisi respicientia sola, objecti præmissarum.

Respondetur 2. ex Ripalda apud Oviedo. Quòd constituatur conclusio, non per respicere objecta præmissarum, sed quia deficientibus aliis propositionibus, deficit conclusio, cùm tamen deficientibus aliis, non deficiat præmissa.

Contra. Quia vel accipitur conclusio ut conclusio est, vel accipitur ut propositio est, si accipitur ut propositio est, certum est, quòd deficientibus præmissis, non deficiat conclusio, est enim jam tunc ita se habens, ac præmissa, quæ tamen tunc non deficit; Si autem accipitur conclusio quà conclusio est, illa verum quidem est, quod deficientibus præmissis deficiat, sed si quæretur quare ita deficiat, bene id referri potest, quia jam non respicit præmissas, quod tamen intenditur in præsenti. Deinde deficiente etiam conclusione deficiunt præmissæ quà præmissæ sunt, ergo si ex mera deficientia arguitur formalitas conclusionis, ea etiam præmissis competet. Quòd autem deficiente conclusione deficiat præmissa quà præmissa est, exinde colligitur. Quia præmissa respectu sui non præmittitur, neque respectu aliûs præmissæ, ergo præmittitur respectu conclusionis, conclusio enim non respectu sui, est clausio cognitionis, sed respectu præmissarum. Denique præmissa quà præmissa, & conclusio quà conclusio, sunt quid correlativum: jam autem uno correlativorum ablato, & aliud aufertur.

Respondebis 3. Respici nonnisi interdum præmissas à conclusione, sed non semper, eò quòd detur in rudibus assensus conclusionis, qui tamen non est propter illud principium, *Quæ sunt eadem.*

Contra. Etiam in rudibus, quando datur assensus conclusionis, datur assensus propter illud principium *Quæ sunt eadem*, non quidem universaliter & abstractè cognitum, sed tamen propter cognitum restrictè & in particulari, hinc si quæratur etiam ex rudissimo: istené est tuus frater? respondebit, Est, ejusdem sumus patris filii, quod est assentiri, propter principium: Quæ sunt eadem.

Respondebis 4. Ex Mastr. hîc disp. 11. n. 12. Ly Ergo, solum significat dependentiam conclusionis à principiis, dependentia autem formaliter, non est id, à quo aliud dependet.

Contra. Concedo quòd dependentia formaliter, non sit id, à quo aliud dependet, adeoque concedo, quòd conclusio non sit præmissæ, à quibus dependet, sed si est dependentia conclusionis, à præmissis, hoc ipso conclusio respiciet objecta præmissarum; nihil enim aliud in præsenti intenditur. Quando autem idem Mastrius dicit: sicut cùm cognoscimus creaturam ut dependentem à Deo & universaliter cum cognoscimus effectum provenientem à causa, non sequitur causam includi in effectu, Deum in creatura, ita nec sequetur, quòd conclusio attingat principia; quando inquam id dicit non convincit. Nam quamvis effectus non includat causam, aliàs idem se ipsum causaret, attingentia tamen effectus propter causam, non relinquit intactam indirectè saltem causam, aliàs, hoc ipso non esset attingentia propter causam ita quamvis conclusionem non ingrediantur præmissæ, quasi sint conclusio, attinguntur tamen, quia conclusio, fit propter præmissas.

Respondebis 5. ex eodem. Per ly Ergo non exprimi dependentiam ipsius assensûs, ad assensum præmissarum, exprimi tamen dependentia objecti conclusionis ad objectum præmissarum, quia per talem assensum, intellectus percipit veritatem conclusionis esse mediatam, & à veritate præmissarum causatam.

Contra. Quia etiam posito non exprimi dependentiam, ipsius assensus ad assensum præmissarum, si exprimitur dependentia objecti conclusionis ab objecto præmissarum, habetur jam quod intenditur. Deinde semper in assensu conclusionis ob præmissas, licèt non sit motivum meus assensus, sed id cui assentior, indubiè tamen præsupponitur etiam assensus præmissis, si enim illis non assentior, quomodo ob illas assentior.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Si conclusio respiceret objecta præmissarum etiam habitus conclusionis respiceret objecta præmissarum. Sed non respicit, quia aliàs nemo posset meminisse conclusionis, quin hoc ipso meminerit præmissarum, cujus oppositum experientia probat: possum enim meminisse solius Dei, quem primò cogno-

cognovi ex creaturis, & non meminisse creaturarum. Sequela principalis probatur. Quia habitus debet esse similis actibus ex quibus est genitus: Ergo si actus respiciunt objecta præmissarum, etiam habitus ex illis geniti, respicient objecta præmissarum.

Respondetur. Quod nemo possit meminisse conclusionis, quin hoc ipso meminerit præmissarum per se loquendo, si sint omnia ad agendum & cognoscendum utrumque objectum requisita, secùs si non sunt omnia ad agendum & cognoscendum utrumq; objectum requisita.

Explicatur adlata distinctio. Species, imò & habitus ex actibus respicientibus objecta præmissarum relictus, etiamsi ex parte sua indivisibiliter tam conclusionem quàm motivum illius sive objectum præmissarum repræsentet, potest tamen excitare cognitionem de uno objecto, non verò de alio: sic dantur in Angelis species concreatæ perfectiores in perfectioribus Angelis, quarum perfectio in hoc etiam stat, ut una indivisibilis species, repræsentet plura objecta, non semper tamen omnia, sed nunc hæc, nunc illa. Et sicut species visibilis vel propter suam imperfectionem, vel propter dispositionem subjecti pravam, fieri potest, ut non repræsentet rationem individualem vel specificam coloris: ut cum à longè oculus discernere non potest, quod in individuo hoc sit coloratum, neque potest speciem cognoscere, an hoc sit viride rubrum; ita etiam fieri potest, ut species intellectualis, excitet cognitionem de uno objecto, & non de alio, quantumvis nata sit utriusque objecti cognitionem excitare. Porrò tunc species utriusque objecti cognitionem non excitat, quando talia habet requisita, quæ nonnisi unius objecti cognitionem excitare possunt, tunc autem nonnisi unius objecti cognitionem excitare possunt inter cætera, quando nonnisi unum objectum occurrit, & quando notitia unius objecti, non excitat species ad aliûs etiam objecti repræsentationem. v. g. est in intellectu Pauli una species vel habitus assentiendi huic propositioni; Parentes mei mortui sunt, tamen hoc non obstante, si quis loquatur de morte suæ matris, poterit v. g. Paulus meminisse nonnisi suæ matris, eò quod per sensum auditus, occurrat objectum, nonnisi, mater, nec memoria matris, excitavit speciem de patre, quem aliàs posset excitare ex variis circumstantiis.

Responderi 2. posset. Quod nemo possit meminisse conclusionis quâ conclusio est, quin hoc ipso meminerit præmissarum, licèt possit meminisse conclusionis ut propositio est, quin meminerit præmissarum.

Objicitur 2. Objectum conclusionis habet ex se independenter ab objecto præmissarum vim, ad terminandum assensum. Ergo non est necesse, ut attingatur ab assensu conclusionis, objectum præmissarum.

Respondetur. Quòd objectum conclusionis, independenter à præmissis, habeat vim ad terminandũ assensum de se, secundùm quod propositio est, non autem secundùm quòd conclusio, quæ secundùm quod conclusio est, innititur principio: Quæ sunt eadem, adeoque respicit objecta præmissarum.

Objicitur 3. Si assensus conclusionis respiceret objecta Præmissarum, non indigeret dependere à præmissis formalibus, sed indiget: Ergo. Sequela probatur in tantùm intellectus indiget præmissis formalibus, in quantùm ipsæ, sunt manifestationes objecti, jam autem per nos ipse assensus conclusionis, esset manifestatio objecti, quia ipse ille assensus, diceret connexa extrema, cum aliquo tertio.

Respondetur. Præmissas formales non requiri, ad conclusionem virtualem, tamen requiri ad conclusionem formalem & discursum, qui perficitur; tribus distinctis propositionibus, indigetq; intellectus illis præmissis formalibus, tanquàm clariùs distinctiusque præsentantibus motivum, cui pedetentim nata est assentiri ordinaria tenuitas ingenii humani.

Instabis 1. Assensus præmissarũ non indiget applicari sibi motivũ assentiendi ab aliis præmissis, saltem in demonstratione, quæ fit per prima principia: E. neq; assensus conclusionis indigebit applicari sibi motivũ assentiendi à præmissis.

Respondetur. Quòd assensus conclusionis ut propositio est, non indigeat applicari sibi hoc motivum à præmissis, sed tantùm assensus conclusionis ut conclusio est; quare autem assensus conclusionis ut conclusio est, indigeat applicari sibi Motivum per præmissas, non indigeat autem tali applicatione assensus præmissarum, dat disparitatem Ovtedo. Quia facilius est assentiri objecto præmissarum propter seipsum, quàm assentiri objecto conclusionis propter objectum præmissarum, & ita facilior actus non supponit applicationem motivi factam ab alio actu, quam supponit actus difficilior.

Responderi potest aliter transeundo antecedens & negando consequentiam, quare transire debeat antecedens patebit ex disparitate quę talis est. Prę̨missæ vel sunt prima principia, & sic ipsa illorum evidentia, est ratio motiva, & applicatio motivi; vel sunt præmissæ deductæ ex primis principiis, & tunc evidentia derivata ab ipsis principiis lumine naturæ notis, est applicatio motivi; vel certè præmissæ, sunt propositiones probabiles, & sic rationem motivam, applicat illis imperium voluntatis. Non potest autem ostendi, quid applicet rationem motivam ad assensum conclusionis ut conclusio est, quia hæc ratio motiva debet esse principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio. Quod principium applicari non potest, nisi conclusio respiciat objecta præmissarum.

Instabis 2. Potest eodem actu eligi medium propter bonitatem finis, quantumvis alio actu non sit applicata bonitas finis, seu quantum-

tumvis non præcesserit intentio finis, ab electione distincta: Ergo potest etiam præberi assensus conclusioni, quantumvis non præcesserit applicatio motivi facta à præmissis.

Respondet Oviedo: Dando disparitatem. Quia rationem motivam ad electionem mediorum independenter ab intentione finis distincto actu appetiti, potest applicare sufficienter, ipsum judicium applicans utrumque objectum, hoc est bonitatem finis & bonitatem medii ad finem. Tale autem applicativum sufficiens illius principii: Quæ sunt eadem independenter à præmissis ostendi non potest. Deinde concedo, posse præberi assensum conclusioni, quamvis tempore non præcesserit applicatio motivi, vel per actum distinctum realiter, imò hoc contingit in omni discursu virtuali, sed nego, quòd possit præberi assensus conclusioni, si nec virtute præcesserit applicatio motivi, sicut debet præcedere intentio finis, quamvis non distincta realiter ab electione.

Consimilem difficultatem proponit Arriaga. Electio non terminatur intrinsecè ad bonitatem finis. Ergo nec conclusio ad objectum præmissarum: Respondetque negando Antecedens posteà Consequentiam, disparitatemq; dat, quia voluntas est potentia libera, & sic potest amare bonitatem medii sibi propositam, & non amare bonitatem finis; intellectus autem est potentia necessaria. Cum ergo in conclusione deducta ex præmissis, clarè proponatur connexio extremorum cum medio, non potest illi connexioni non assentiri intellectus, assentiri autem illi connexioni, est respicere per nos objecta præmissarum. *Vtrig; difficultati.*

Responderi potest 2. Concedendo totum, si procedat de discursu in conclusione virtuali, non autem si procedat de discursu conclusioneq; formali ut dictum supra.

Instabis 3. Ergo in conclusione semper debent repeti præmissæ.

Respondet Arriaga. Debere illas repeti non exteriùs sed internè, pro repetitione autem illarum externa substituitur vox *Ergo*, quæ idem significat ac si dicerem. *Itaque, Propter hoc, Sequitur, Infertur hoc vel illud*: hinc nemo experitur se assentiri conclusioni ut conclusio est, & tamen non propter præmissas, nemo enim est qui assentiatur conclusioni non apponendo illi particulas Ergo, Itaque, proinde &c. hæ autem particulæ indicant fieri assensum propter objecta præmissarum. Quanquam etiamsi non experiretur quis, se ideò assentiri, parvum inde foret argumentum, quia de actibus intellectûs, difficilis est experientia, habemus enim ante quodlibet judicium duas vel tres apprehensiones, aliam apprehensionem subjecti, aliam prædicati, aliam totius propositionis, & tamen posset quis negare, quòd experiamur nos illas habere, non enim hæ cognitiones, movent distinctam sui memoriam.

Respondet aliter Oviedo. Non repet præmissas ut quod, sed ut quo, quod non est propriè repeti præmissas, sed respici illas ut motivum.

Objicit 4. Possibilis est assensus conclusionis qui non respiciat objecta præmissarum. Ergo non est de ratione conclusionis respicere objecta præmissarum.

Respondetur. Possibilem esse conclusionis assensum ut propositio est, qui non fiat propter præmissas, impossibilis est tamen assensus conclusionis ut conclusio est, qui non fiat propter præmissas.

Objicit 5. Si conclusio respiceret objecta præmissarum ex falso nunquam posset sequi verum, sed potest sequi ut fert proloquium Dialecticum. Ergo. Probat: Maj. Quotiescunque præmissæ falsæ sunt, & earum objectum non existens, tunc assensus conclusionis attingens objecta præmissarum, semper attingeret objectum non existens: Ergo esset semper falsus.

Responderi potest ex Arriaga, quòd ex falso nunquam internè possit sequi verum, sed tantùm in externa argumentatione.

Contra ex Oviedo, quia conclusio vocalis substituitur loco mentalis, respondetq; conceptui interno: Ergo si vocalis erit falsa conclusio, etiam mentalis erit falsa.

Responderi potest 2. ex Oviedo. Ideò ex falso sequi verum, quia id quod infert per legitimam consequentiam à parte rei existit, sicut infertur. *Sed*

Contra est. Quia si inferat aliquis ideò Petrum esse animal, quia est lapis, quomodo à parte rei existit hoc, sicut infertur, cum à parte rei, non ex esse lapidis in Petro, oriatur ratio animalis. Deinde si per legitimam consequentiam à parte rei id, quod infertur existit sicuti infertur: Ergo nunquam poterit ex falso sequi falsum, semper enim id quod infertur, existit prout infertur. Cujus tamen oppositum & Dialectica & experientia docet.

Responderi potest 3. ex eodem. Ex eo sequi ex falso verum, quia objecta præmissarum non attinguntur ut quod, sed ut quo, Veritas verò non desumitur ex conformatione cum objecto ut quo, Sed cum objecto ut quod.

Contra est. Si veritas & falsitas non desumitur nisi ex objecto ut quod, conclusionis autem assensus, non attingit objecta præmissarum ut quod, quomodo ex falso sequetur verum. Deinde hoc principium dialecticum ex falso sequitur verum procedit de falso quod se habet tanquam ratio motiva seu ut quo, explicandum ergo restat, quomodo ex falso tanquam motivo, sequi potest verum.

Respondetur ergo aliter. Ex falso scil. posse sequi verum, non absolutè, sed ex suppositione præbiti præmissis assensûs, & ita conclusionis assensus attingit objectum non existens quidem

quidem absolutè, existens tamen ex suppositione, adeoque verus erit ex suppositione.

INSTABIS. Si Conclusio respiceret objecta Præmissarum, sequeretur eundem actum posse esse affirmativum & negativum, certum & incertum &c. Sed hoc est absurdum, E. Sequela probatur. Posset esse una Præmissa affirmativa, alia negativa, una certa & alia probabilis, Ergo unus idemque actus, potest esse affirmativus & negativus, certus & incertus.

RESPONDETUR. Hanc Objectionem in aliis materiis solvendam esse etiam oppositis, qui censent per primam operationem posse totum Syllogismum concipi, quomodo illic non erit idem actus certus & incertus, affirmativus & negativus. Rursus formetur hæc Secunda Operatio. Petrus est, & est lapis; ista propositio per objicientes est simplex qualitas, quomodo igitur idē actus non erit simul certus & incertus. Responderi itaque potest, unam eandemque propositionem, æquivalenter multiplicem, posse esse affirmativam & negativam, ad illud de certitudine & incertitudine dico quòd supposito, supposito inquam quòd objectum Conclusionis sit certum, incertæ autem Præmissæ, tunc illæ Præmissæ quantum est de se, falsæ sunt, ex suppositione tamen præbiti assensûs, assentienti non sunt falsæ. Consequenter poterit idem actus esse certus & incertus, incertus quantùm est de se, certus autem ex suppositione præbiti assensûs.

OBJICIT 6. Mastr. Disp. XI. n. 22. diversis actibus debent attingi Conclusio & Præmissæ, Ergo Conclusio non attingit formaliter Principia.

RESPONDETUR. Si per formaliter attingere Præmissas, intelligatur quasi scilicet in Recto non debeant tunc attingi Præmissæ, & quòd alio modo attingantur dum ponuntur pro Majori & Minori, vera est propositio: si autem per formaliter attingi intelligatur, quod nullo modo tunc intelligantur attingi, falsa est propositio. Quòd enim in Conclusione Præmissæ attingi debeant, probatum est. Quòd autem debeant attingi alio modo Ratio est: Quia quando dico albedo disgregat visum, & quando dico paries albus, alio modo attingo albedinem, nam in priori casu attingo illam directè, in secundo casu attingo in obliquo, ita quando Præmissæ in Majori & Minori attinguntur, attinguntur directè, in conclusione autem indirectè, directè enim attingitur Conclusio cui fit assensus propter Præmissas. Assensus item Præmissis antecedenter exhibitus, est assensus propositionum, assensus autem Conclusionis est assensus propter propositiones, quibus jam supponitur, præconcessus assensus.

INSTAT 1. Ergo idem actus producit & habitum Principiorum & Conclusionum.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Quia habitus Principiorum est habitus assentiendi Principiis ut propositiones sunt, quibus tamen talis assensus non exhibetur, sed tantùm nascitur habitus similis actui, nempe assensus *Ob* assensus *Eò quòd* adeoque assensus Conclusionis, propter Præmissas.

INSTAT 2. Ergo idem actus ut terminatur ad Principia, esset causa sui ipsius ut respicit Conclusionem.

RESPONDETUR. Non esset causa sui ipsius, sed tantùm repræsentaret idem actus, sui motivum: diceret enim in intrinseca sua ratione, se fieri propter Præmissas. Causatio enim actus, aut est elicitiva, & hæc habetur à potentia, aut est motiva seu objectum movens; jam autem ille actus, non esset sibi objectum movens, sed tantùm fieret ob objectum movens, quod attingit.

INSTAT 3. Ergo idem actus attingeret objecta tam diversa.

RESPONDETUR. Quia ille actus attingeret objecta habentia unitatem mobilis quod est Conclusio, & motivi, quod est fieri propter præmissas; ideo ille actus, non attingeret objecta, simpliciter diversa.

OBJICITUR 7. Medium non includitur in Conclusione, includeretur autem, si assensus Conclusionis, attingeret Præmissas.

RESPONDETUR. Medium non includitur in Conclusione per modum Objecti probati, probaretur enim idem per idem, adeoque nihil: includitur tamen per modum objecti probantis, & ratione cujus probativi, fit ille assensus.

QVÆSTIO III.

De Conclusione.

UT decernatur de Difficultate, præmittenda sunt aliqua.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quædam ad statum quæstionis intelligendum.

PRÆMITTO 1. *Esse in hoc difficultatem*, An postquam aliquis assensum exhibuit Præmissis, ante assensum quòd judicet extrema Conclusionis esse connexa cum medio, prærequiratur cognitio quâ cognoscatur, rectè inferri ipsam Conclusionem; & hoc judicium vocari solet à quibusdam Illatio præcedens ipsam Conclusionem, quæ hîc sumitur pro assensu, ultimò completivo discursûs, pro assensu inquam qui fit propter Præmissas.

PRÆMITTO 2. *Posse concedi reflexionem supra bonitatem consequentiæ intercedentem & mediantem inter assensum Præmissarum & assensum Conclusionis*, ut expressè docet Smigletius disput. 13. quæst. 2. Consentit Arriaga disp. 15. Logica

sect. 3. n. 22. quod maximè admitti decet circa Syllogismos imperfectos. Et rationem dat Arriaga, quia vis Syllogistica, innititur illi Principio: Quæ sunt eadem. Cum ergo in imperfecto Syllogismo, possit non apparere clarè hæc vis, ergo circa illam nova indagine egebit intellectus, qui tunc necessariò & inevitabiliter infert Conclusionem, cùm habet omnia ad concludendum requisita, inter quæ est, clarè videre quòd Syllogismus innitatur huic principio: hinc non infinitum procedet intellectus in istis reflexionibus, sed eò usque, quò non pervenerit, ad claram cognitionem quòd hic Syllogismus illi Principio evidenti innitatur: Quæ sunt eadem.

PRÆMITTO 3. *Cognitionem hanc de bonitate Illationis secundam Operationem fore.* Ita expressè Smigletius loco citato. Rationem dat, quia hoc judicium de bonitate illationis vel infertur ex alio judicio, vel non infertur, si non infertur, Ergo non est judicium tertiæ Operationis, quia tertia Operatio in Illatione judicii, ex judicio consistit, si infertur, ergo erit Conclusio, quia judicium tale, est Conclusio, Ergo non præcedit Conclusionem. Deinde tertia Operatio, in ratione tertiæ, ultimò completur per Illationem, sed illud judicium de bonitate consequentiæ non est Illatio, aliud enim est inferre, & aliud dicere; Inferendum benè: sicut aliud est dicere: aliquid bene faciendum, aliud verò facere. Cùm ergo illud judicium tantùm dicat, benè faciendum, seu benè inferendum, hoc ipso non inferet, consequenter hoc ipso non erit Illatio, adeoq; deficiet à ratione tertiæ Operationis.

PRÆMITTO 4. *Aliam esse Præmissam formalem, aliam Præmissam objectivam.* Præmissa objectiva, est ipsum objectum assensûs actualis præbiti. Præmissa autem formalis, est ipse actus intellectûs, assentiens illi prævio objecto. Dubitari ergo solet (& hic est secundus status quæstionis) an supposito, quòd Conclusio respiciat objecta Præmissarum, necessaria sit reflexa cognitio, quæ sit vel apprehensio simplex, vel judicium quod attingat & cognoscat objectum Conclusionis, esse connexum cum objecto Præmissarum, ita ut postea huic vel apprehensioni vel judicio succedat, ipse actus Conclusionis. Et hunc statum quæstionis jam definivimus, ubi diximus objectum Conclusionis respicere objecta Præmissarum.

PRÆMITTO 5. *Quod non sit necessaria cognitio reflexa de Præmissis formalibus* seu ipsis actibus intellectus quæ præcedat ante Conclusionem. Ratio est. Quia hæc cognitio otiosa esset, hoc ipsæ enim quia cognoscuntur objecta illarum Præmissarum formalium, cognoscuntur & ipsæ formales Præmissæ, sine ulla reflexione. Idque ideo: quia Præmissæ formales, sunt signa formalia, signa autem formalia sine reflexa cognitione ducunt nos in sui, & ejus quod significant objecti significationem.

PRÆMITTO 6. *Ordinariè sentire Doctores, quòd attento statu quæstionis quem Præmisso primo exposui, de bonitate consequentiæ, non debere esse cognitionem quæ sit judicium.*

RATIO est. Tum quia. Si daretur illic judicium tale, hoc ipso illud judicium esset Conclusio, Ergo si deberet præcedere hoc judicium Conclusionem, Conclusio præcederet Conclusionem. Antecedens probatur quia judicare quòd v. g. ex rationali inferatur benè Petrum esse animal, est formaliter habere assensum Conclusionis. Tum quia daretur processus in infinitum in istis judiciis, in isto enim Syllogismo: Omne rationale est risibile, Omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est risibilis, in isto inquam Syllogismo, ante Conclusionem, necessarium esset hîc judicium, judicans hoc benè judicari, & ante hoc ipsum, aliud, & sic in infinitum: cur enim ante unum judicium requiretur aliud & ante hoc aliud, tertium non requiretur. Tum quia nulla est necessitas hujus Judicii, & nullum fundamentum adstruendi illud.

PRÆMITTO 7. *Remanere adhuc difficultatem: An ante Conclusionis assensum seu Judicium, quod sit propter Præmissas, necessaria sit saltem cognitio apprehensiva de bonitate Consequentiæ*, & an ea distincta esse debeat, tam ab ipso Judicio consequentis, quàm ab ipso Judicio Præmissarum. Eapropter *sit*

DIFFICULTAS II.

Decernitur de Difficultate.

DICENDUM est 1. *Ad Syllogismum necessaria est cognitio de bonitate Consequentiæ.*

PROBATUR 1. Quia sciens Syllogisticè, nunquam posset scire quod sciat, scientem autem vult Aristoteles scire quod sciat. Sequela probatur. Ille non potest scire quod sciat Syllogisticè, qui nescit hanc suam scientiam rectè & regulariter inniti principio illi quæ sunt eadem: scire enim Syllogisticè, est scire propter hoc Principium. Sed qui non cognoscit bonitatem Consequentiæ, ille nescit hanc suam Scientiam, rectè & regulariter inniti illi Principio, Quæ sunt eadem unitertio. Ergo. Minor probatur. quia nos per cognitionem de bonitate Consequentiæ, non aliud intelligimus, quam cognitionem, quòd hic actus innitatur illi principio.

PROBATUR 2. Si non daretur Cognitio de bonitate Consequentiæ, ergo Syllogismus non esset aliud quàm tria judicia, duo de Præmissis, unum de Consequenti, seu de ipsis extremis in Conclusione contentis, quod absurdum esse, supra probatum.

PROBATUR 3. Si in Syllogismo non daretur cognitio de bonitate Consequentiæ, sequitur si Tyro neget Aristoteli Consequentiam, temerè ne-

rè negatâ Consequentia, tunc primùm plus sciturum Aristotelem de suo Syllogismo, sciet enim tunc primùm, post negatam Consequentiam, sibi non potuisse negari Consequentiam, suumque Syllogismum inniti illi Principio: Quæ sunt eadem uni tertio, quod antea de suo Syllogismo non cognoverat.

Dicendum 2. *Cognitio de bonitate Consequentiæ, non debet esse distinctus actus à Judicio Consequentis* seu ab assensu qui exhibetur extremis Conclusionis propter Præmissas, sed ex istis duobus conflari debet Conclusio; Eandem Conclusionem sic proponũt alii. Judicium illativum non debet esse distinctum realiter à Conclusione. Alii sic. Assensus illativus, non est distinctus realiter à judicio enuntiativo, quod est in Conclusione. Alii sic. Non est necessaria Cognitio de bonitate illationis, quæ præcedat ipsũ assensum Conclusionis. Alii denique sic: Non est distinctus actus in Syllogismo judicium de bonitate Consequentiæ à judicio Consequentis. Ita Hurtadus dis. 7. Animas: Sect. 5. Arriaga, Oviedo &c.

Probat 1. Hurtadus, Nulla est necessitas hos actus multiplicandi, ut patebit solutione objectionum.

Probat 2. Quia omnibus expensis, quæ ad Syllogismum ex dictis requiruntur, tandem inferri debet, quòd cùm sit necesse à Conclusione respici objecta Præmissarum, item quòd cùm sit necesse attendere ad bonitatem Consequentię, necesse est formare Conclusionem, quæ sit assensus ob motivum rectè dispositum: non esset autem ullus assensus ob motivum rectè dispositum, si non esset indivisibile judicium illativum, & ob nexum cum Præmissis & ob legitimam collocationem.

Probatur 3. Si judicium Consequentiæ & Consequentis esset distinctum, sequeretur tertiam Operationem non esse distinctam essentialiter à secunda, sed hoc est absurdum. Ergo: sequela probatur, non distingueretur tertia Operatio à secunda per Præmissas ut clarum est, non distingueretur per judicium Consequentiæ ut dixi Præmisso 3. non etiam per solum judicium Consequentis, quia hoc se solo, non plus importat, quàm judiciũ quo judicetur extrema Conclusionis esse inter se connexa, Ergo.

Addo. Actum illum qui est cognitio Consequentiæ, & simul judicium Consequentis, esse æquivalenter multiplicem: æquivalet enim pluribus seorsim reperibilibus, ita ut idem judicium inquantum attendit ad dispositionẽ medii Termini, seu figuram & modum sit cognitio Consequentiæ, inquantum autem attendit ad connexionem extremorum inter se propter præmissas, est judicium Consequentis ut Consequens est.

Dicendum est 3. *Ante judicium Consequentis & Consequentiæ præcedere debet simplex apprehensio utriusq; extremi in Conclusione contenti.*

Probatur. Ante omne judicium præsupponitur apprehensio, sed hîc est judicium de extremis Conclusionis, Ergo eorum apprehensio præcedere debet, & quidem hæc apprehensio debet esse condistincta à judicio Præmissarum & apprehensione: ratio est, quia per Præmissas non proponitur clarè identitas extremorum Conclusionis inter se, sed tantùm per Præmissas proponitur identitas extremi unius cum medio termino.

OBJECTIONES
Contra Conclusionem Tertiam.

Objicitur 1. Non experimur in nobis hanc præviam apprehensionem.

Respondetur. Non experimur, non quòd de facto non sit, sed quiâ difficilis est experientia actuum intellectûs, propter celeritatem operandi intellectui debitam, & quia hæ apprehensiones non cadunt nobis sub sensum, ea verò nobis sui certiorem & magis reflexam cognitionem movent, quæ sub sensum cadunt.

Objicitur 2. Ad apprehensionem non prę-requiritur alia apprehensio, Ergo neque ad judicium Consequentis præ requiritur apprehensio condistincta.

Respondet Arriaga dando disparitatem. Quia si ante unam apprehensionem daretur alia apprehensio, daretur processus in infinitum in istis apprehensionibus; si autem detur ante judicium apprehensio, non dabitur processus in infinitum, sed stabitur in illa apprehensione, & sicut in judiciis forensibus ante judicium proponitur causa, ante quam propositionem non requiritur alia propositio, ita & hîc.

Disparitas 2. Potest esse. Quia ut intellectûs apprehendat aliquod objectum; sufficienter applicari potest, vel per sensuum cognitiones, v. g. ut videndo Petrum cognoscat Petrum, vel ex similitudine objecti sensibus percepti, deveniendo in apprehensionem similis objecti, quod tunc sensibus non percipit, idq; propter excitationem phantasmatum relictorum ex simili cognitione, vel ad apprehensionem objecti alicujus sufficienter applicatur, à bona ut vocat Aristoteles fortuna, sive à DEO tanquam autore Naturæ si sit apprehensio Naturalis, à gratia autem quæ vocatur In, seu Præveniente si sit apprehensio supernaturalis: quæ vocatur gratia In, ut condistinguatur à gratia cooperante, quæ vocatur gratia Cum. Jam autem non habetur à quo connaturaliter applicari possit intellectus ad formandum judicium, nisi à prævia propositione seu apprehensione objecti, non enim ab ipsa Cognitione sensuum applicari poterit, quia sensus non attingit judicium de identitate extremorũ: non etiam à DEO ipso, quia si nihil obstet, potiùs referri hoc dein aliquid aliud, & nõ in istam applicationem à DEO factam. Non est enim Philosophicum ad Deum recurrere, si non desint alia remedia respondendi, ut hîc non desunt.

Objicitur 3. Per se notum est, esse eadem inter se, quæ sunt idem cum tertio, Ergo ipso eo quòd videat intellectus hæc extrema esse idem uni tertio, videbit illa esse idem secum: sed præcisè ratione Præmissarum noscit extrema identificari Uni tertio, Ergo præcisè ratione præmissarum, determinatur ad judicandum, identificari extrema inter se.

Respondetur. Negando absolutè subsumpti Antecedens, quia ratione Præmissarum noscit solùm intellectus prædicatum & subjectum: non noscit autem idem illa esse inter se, propter identitatem cum tertio, nisi in Conclusione.

Contra secundam Conclusionem

Respondeturi. Particula illativa *Ergo* non est nota quarti judicii, Ergo judicium Consequentiæ & Consequentis, non est idem. Antecedens probatur. Particula *Ergo* est seorsim & separatim significativa, Ergo debet illi particulare objectum respondere: sed nisi esset quartum judicium nihil esset quod illi responderet.

Respondetur. Negando Antecedens, Probationi ejus Nego subsumptum. Illud autem quod respondet particulæ Ergo: non aliud est realiter à judicio Consequentis, sed aliud formaliter, in quantum scilicet illud judicium, fit propter Connexionem cum Præmissis rectè dispositis: quantumvis idem judicium, inquantum judicat extrema Conclusionis esse connexa inter se, sit judicium Consequentis.

Instabis. Particula *est* posita in Propositione, distinguitur realiter à cognitione versante circa Prædicatum & Subjectum, cognitio enim versans circa Subjectum & Prædicatum, est prima Operatio, per particulam verò *Est* indicatur Judicium, quod est distinctum realiter à prima Operatione. Ergo & Judicium illativum seu Consequentiæ, denotatum per particulam *Ergo* distinguetur realiter à Judicio Consequentis.

Respondetur. Disparitatem assignat Smigletius *in Enuntiatione* inquit *nec Prædicatũ nec Subjectum potest esse Judicium, Unde judicium Enunciativum necesse est distingui realiter ab utroque. At in Illatione, Conclusio ipsa est Judicium, cui si addatur quod causetur ex Præmissis, eò ipso erit Judicium illativum seu Judicium Consequentiæ.* In Idem recidet si dicas, nisi ponatur Judicium enuntiativum, distinctum à prima operatione, hoc ipso Propositiones seu Præmissæ requisitæ ad Syllogismum, non essent Propositiones; sed nonnisi prima operatio: erit autem Conclusio tertia Operatio, quamvis Judicium de bonitate Consequentiæ, sit idem realiter cum Judicio Consequentis.

Objicitur 2. Ex alio Principio seu motivo sumitur Judicium Consequentiæ & ex alio Principio seu motivo Judicium Consequentis, Ergo hæc non sunt idem realiter, actus enim ex motivis diversificantur. Antecedens probatur. Quia motivum Judicii Consequentiæ, sunt principia illa: Dici de omni &: Dici de nullo, motivum autem judicii Consequentis, sumitur ex connexione cum medio Termino, Ergo.

Respondetur. Negando Consequentiam & Probationem ejus nego universaliter. Certè enim unam eandemque numero eleemosynam, auditionem vel celebrationem sacri, possum facere ex diversis motivis, & tamen illa auditio, in quantùm fit ex uno motivo, non erit à se distincta realiter, in quantùm fit ex alio motivo, sufficitque ut diversi formalitati motivi, respondeat diversa formalitas judicii.

Objicitur 3. Quæ sunt separabilia realiter, sunt distincta realiter, sed judicium Consequentis & judicium Consequentiæ sunt separabilia realiter, Ergo sunt distincta realiter. Minor probatur. Potest quis judicare extrema Conclusionis esse connexa inter se, & non judicare, esse connexa ex vi connexionis cum tertio rectè in præmissis collocato. Ergo.

Respondeti potest. Negando Minorem, potest autem quis judicare extrema Conclusionis esse connexa inter se, potest inquàm judicare judicio debito Conclusioni ut Propositio est, & non judicare extrema esse connexa cum tertio, Concedo Antec. Potest judicare judicio debito Conclusioni, ut Conclusio est. Nego Antecedens & Consequentiam: hîc autem de tali judicio agitur.

Objicitur 4. Cognitis iisdem Præmissis, potest aliquis assentiri Conclusioni rectè illatæ, & aliquis non assentiri, quod non potest in aliud referri, nisi quia non habet judicium distinctum realiter de Consequentia, quod habet assentiens.

Respondetur. Non in defectum judicii distincti realiter de Consequentia esse hoc referendum, quando aliquis non assentitur Conclusioni rectè illatæ, sed quia vim præmissarum non penetravit. Vel quia judicium illud Consequentis non habet formalitatem eliciti, etiam propter connexionem cum medio, rectè in Præmissis dispositio.

Instabis. Inferre & judicare quod rectè inferenda sit Conclusio, sunt distincta realiter, Ergo præter judicium Consequentis, requiritur aliud judicium Consequentiæ.

Respondetur. Inferre & judicare in actu signato, quod rectè inferenda Conclusio, non sunt idem: sed inferre ex præmissis & judicare in actu exercito, quòd rectè inferenda sit Conclusio, sunt idem realiter.

Objicitur 5. Si idem esset realiter judicium Consequentis & Consequentiæ, idem judicium posset esse verum & falsum sed non potest idem judicium esse verum & falsum, Ergo. Sequela probatur. Potest esse Consequens verum, & tamen Consequentia falsa, ut si quis inferat hominem

hominem esse risibilem, quia est Leo, vel si argumentum non sit in forma, & tamen Conclusio sit in materia necessaria.

Respondetur. Quòd idem judicium, sed habens plures formalitates possit esse sub una formalitate verum, sub alia falsum: Addunt alii, non posse esse supposito assensu Præmissarum consequens falsum formaliter, licèt posset esse falsum materialiter. Unde qui assentiretur: Hominem esse rationalem quia est Leo, assentiri deberet huic universali; Omnis Leo est rationalis: hinc consequens jam esset formaliter verum, falsum materialiter.

Instabis. Ergo saltem non erit locus distinguendi Consequentis non distincta Consequentia: si enim sunt idem realiter, quomodo uno distincto, non distinguetur aliud.

Respondetur. Identificatis realiter possunt diversa secundò intentionalia Prædicata convenire, distinctio autem illa spectat ad secundam intentionem. Deinde judicium Consequentis & Consequentiæ sunt idem realiter per nos, sed falsum est, quòd judicium Consequentis, idem sit realiter cum Consequenti, negandoque ulteriùs quòd istud judicium distinguatur, sed ipsum Consequens distinguitur. Quòd non idem sit judicium Consequentis & Consequens, inde est: quia judicium de Consequenti est actus mei intellectûs, Objectum autẽ illius judicii est ipsum illud Consequens, quod non est actus mei intellectus, nec fit a me: immo si semel actus aliquis intellectûs & aliquod judicium distingui poterit, nescio cur non & judiciũ Consequentiæ distingui poterit. Quòd verò non judicium Consequentis, sed Consequens distinguatur hoc inde est, quia respondens non attendit primariò ad judicium quod habet oppugnans, sed ad objectum quod sibi proponitur & facessit difficultatem, quam ut evadat, sternit sibi viam distinguendo & dividendo objectum, non facessit enim illi judicium oppugnantis difficultatem, sed ipsum objectum. Unde fieri potest, ut oppugnans non præbeat assensum Consequenti, & tamen illud Consequens faceret difficultatem oppugnato, ergo apparet quòd ad objectum attendatur, non ad conceptum oppugnantis.

DIFFICULTAS III.

An Conclusio sequatur debiliorem partem.

Dicendum est *Sequi*. Est enim hæc axioma commune Dialecticum: quod ita intelligendum est. Conclusio non excedit sua perfectione in Certitudine & Evidentia, non excedit inquam Certitudinem & Evidentiam Præmissarum: nec potest inferri major connexio inter extrema, quàm fuerit connexio cum medio termino, & ita si fuit una negativa Præmissa aut Particularis, debet esse & Conclusio Negativa aut Particularis.

Probatur 1. à Summulistis. Quia cùm conjunctio extremorum cum medio termino, sit ratio formalis propter quam conjunguntur extrema inter se, si in Præmissis non fuit perfecta conjunctio extremorum cum medio termino, nec in in Conclusione erit. Sicut si albedo non est alba, quomodo faciet album, ita si non fuit conjunctio perfecta cum medio termino, quæ conjunctio est ratio formalis conjungendi extrema inter se, quomodo extrema inter se conjungentur.

Probatur 2. Non potest ostendi quomodo benè Conclusio Affirmativa inferri possit, si fuit Negativa Præmissa. Item quomodo poterit inferri Conclusio Universalis, si præcessit Particularis: immò in tali Syllogismo ostendi posset error, & ubi negata illi fuerit Cõsequentia, impossibile erit illam probare. Antequam aliam rationem pro Conclusione proponam.

Suppono. Duas concausas tripliciter concurrere posse ad eundem effectum, Primò enim concurrunt ita, ut unum fortius tribuat vires debiliori, ut cum v.g. Lumen gloriæ, concurrit cum intellectu ad producendam visionem beatificam, tunc tribuit intellectui vires ad agendum, item cùm Pædagogus concurrit cum puero ad formandos characteres, tribuit ei quodam modo vires, ad formandos characteres. In tali semper casu effectus sequitur Nobiliorem agentem. Secundò Concausæ concurrere possunt ad eundem effectum ita, ut ambæ propriâ virtute agant, & ut ex activitate utriusque, efficiatur una continuata activitas: & ita fit cum fax v. g. cum parva candela, illuminat tenebrosum locum, item cùm equus fortis unà cum debili trahit currũ: & in tali casu, superat effectus utramque causam, plus enim trahere possunt equus robustus & debilis, quàm solus robustus. Tertiò Concurrere possunt Causæ ad effectum ita, ut ambæ quidem propriis viribus agant, sed ita, ut debilior restringat perfectionem nobilioris, & ita tibia recta, restringitur à tibia curva, ad faciendam claudicationem. Itẽ anima spiritualis concurrens cum organo restringitur ad faciendam sensationem, producendumque effectum materialem. Item Causa Prima concurrens cum causa secunda, producit actum peccaminosum, effectusque sequitur debiliorem partem.

Addi posset quòd tunc, quando concurrunt aliæ concausæ ad eundem effectum, sed ita ut virtus unius agat in virtutem aliûs, tunc producitur effectus utrique aliquo modo dissimilis, ut contingit in generatione muli. Hoc præmisso.

Probatur 3. Conclusio. Præmissæ concurrunt hoc tertio modo ad faciendam Conclusionem, Ergo debiliorem Præmissam Conclusio sequi debet. Antecedens probari potest. Quia non est intelligibile, quomodo perfectior Præ-

missa, influat in imperfectiorem, quomodo item affirmationis & negationis item veri & falsi, &c. quomodo inquam eadem possit esse activitas, Ergo apparet Præmissas nonnisi hoc tertio modo agere, in quo agendi modo, semper effectus debiliorem partem sequitur. Mansit adhuc difficultas de voce. Concesso enim quòd si præcessit Particularis, debeat sequi Conclusio Particularis, concesso quod si præcessit Conclusio Negativa, sequi debeat Conclusio Negativa, negant tamen aliqui hoc esse, sequi debiliorem partem. *Sed*

Dicendum 2. *Inferri Conclusionem Particularem ex Particulari Præmissa, inferri Conclusionem Negativam ex Negativa Præmissa, est Conclusionem sequi debiliorem partem.*

Probatur. Quia hæc tota quæstio est quæstio de voce, cùm ergo tota Peripatetica Schola propositionem Particularem & Negativam appellet debiliorem, & quia ad significandum hæc quòd ex Præmissa particulari sequi debeat Conclusio particularis, quod ex Negativa Præmissa sequi debeat Conclusio Negativa, ad hoc inquam significandum utantur Philosophi his terminis, Conclusio sequitur debiliorem partem. Ergo cum illis similiter loquendum est. Restat explicandum, cur propositio Negativa, itemque Particularis, appelletur pars debilior.

Explicat 1. Quidam, quare Particularis vel Negativa Conclusio debilior pars appelletur, quia esse tam forte, ut per illud alia Propositio totaliter expugnetur est esse fortiùs illo, quod non potest totaliter expugnare aliam propositionem. Sed hæc propositio, Omnis homo est albus, est talis, ut per illam totaliter exponetur hæc propositio Nullus homo est albus, per hanc verò propositionem. Aliquis homo non est albus, non expugnatur hæc propositio Nullus homo est albus, dato enim quòd aliquis homo non sit albus nondum per illud tollitur quominus Petrus vel Paulus sit albus. Hinc Propositio Particularis, non est ita fortis ac Universalis, nec ita debellat Negativam v.g. Universalem. Hæc explicatio.

Non satisfacit, quia tam benè hæc universalis: Omnis homo est albus, expugnatur per hanc: Nullus homo est albus, quā benè per illam priorem propositionem hæc posterior expugnatur, Ergo tam fortis erit Affirmativa quàm fortis Negativa. Et tamen Conclusio sequens Universalem Negativam, dicitur sequi debiliorem partem. Particularis hæc; Aliquis homo non est albus falsam absolutè reddit illam propositionem; Omnis homo est albus. Unde dicitur communiter, ad infringendam Universalem, sufficit una Particularis, Ergo illam expugnare potest cur ergo debilior erit?

Explicat 2. Idem. Quia Particularis addita Particulari, Negativa etiam addita Negativæ, non habet vim & robur sufficiens ad inferendam Conclusionem: Addita autem affirmativa Negativæ, addita Universalis Particulari, habet vim ad inferendam Conclusionem. *Hæc explicatio*

Non satisfacit. quia hoc non ex debilitate aliqua proficiscitur quòd Particularis addita Particulari non inferat Conclusionem, sed hoc inde proficiscitur, quia in illo Syllogismo nullibi distribueretur medius terminus. Negativa item addita Negativæ non infert Conclusionem non quòd sit debilis, habet enim robur sufficiens ad destruendam Universalem Affirmativam, sed quia est regula universalis, ex puris negativis nihil sequitur. Et sicut quando in secunda figura, Affirmativæ additur alia Affirmativa, non possunt construere Syllogismum, nec inde sequitur ex illis alterutram esse debilem: sic quia ex Particularibus itemque ex Negativis non potest construi Syllogismus, non sequetur inde aliqua debilitas in illis.

Explicari posset 3. Quare Negativa propositio itemque Particularis sit pars debilior. Affirmatio importat esse, Negatio tollit esse, ergo Affirmatio est perfectior Negatione, cùm esse perfectius sit, quàm non esse, & quamvis negatio importet aliquam perfectionem, ut cùm negatio Creaturæ in DEO, importat in DEO perfectionem, hoc tamen non facit ratione suis aliàs negatio Creaturæ, quæ est in Chimæra adderet perfectionem Chimæræ: sed negatio Creaturæ in DEO, importat perfectionem, propter esse cui adnectitur illa negatio: & ita non esse Dei in Petro non est perfectio, quia non impletur perfectione Creaturæ, in Deo verò non esse Petri, est perfectio, quia superatur, impletur, & exceditur perfectione Divina. Quod si perfectior est Affirmatio Negatione, debilior erit quia Logici nomine debilitatis intelligunt imperfectionem. Ex eo etiam Negatio potest dici debilior, quia Negatio fundatur in esse seu positivo, adeoq; nō habet robur, ut sit sine illo, fortius autem erit positivum, quia & in se existit, & portat supra se negationes, illorumque debilitati succurrit sua positivitate.

Quod Particularis sit debilior & fortior Universalis exinde deduci potest. Quia quod habet & hoc, & præter illud aliud, & aliud simile, hoc ipso robustius est: unde etiam ratio robusti intensivi, additione gradus ad gradum perficitur, & unum aliquod, non est ita robustum, ac plura similia: quia autem Universale plura Particularia similia continet, ideo Universale robustius erit & Particulare debilius. Potestque idem instantiis firmari. Quia etiam funiculus triplex difficilè rumpitur estque robustior præ uno. Consensus item Comitiorum robustior est præ consensu unius Nobilis. Denique innumerabilia & æterna robustiora sunt mutabilibus & temporaneis. Talia autem sunt Particularia comparatè ad Universalia.

Obji-

Objicitur 1. *Contra primam conclusionem:* Aristoteles primo prior: C. 9. docet, Ex una propositione de modo necessario, & altera de inesse, hoc est ex propositione contingenti sequi conclusionem necessariam: ut cum dico, omne currens necessariò movetur, Sortes est currens; Ergo sortes necessariò movetur: Ergo tunc conclusio si est necessaria, non sequetur debiliorem partem.

Respondetur. Sicut ipsa Minor est necessaria ex suppositione, sortem enim currentem necesse est currere, ita & conclusio sequitur necessaria ex suppositione: si enim sortes currit, necessariò movetur.

Objicitur 2. Ex una falsa & altera vera potest inferri vera conclusio v. g. cum dico, omnis lapis est substantia, omnis homo est lapis, ergo omnis homo est substantia.

Respondetur. Ex suppositione præbiti assensûs Præmissis, sequi etiam conclusionem ex suppositione veram: deinde dici posset hanc conclusionem secundùm quod conclusio est formaliter, falsam esse, quia falsum est ideò hominem esse substantiam quia est lapis, licèt sit vera materialiter & quà Propositio est. Nos autem hîc loquimur, quòd conclusio quà conclusio, omnibus reliquis bene procedentibus, debeat sequi debiliorem partem.

Objicitur 3. Ex suppositione impossibili, potest sequi conclusio necessaria.

Respondetur. Ita ut præteritæ objectioni, *sed insuper*

Objicit 1. *contra secundam conclusionem* Pater Adrianus Pikarski, etiam in minutiis Dialecticis expendendis, ingeniosè accuratus. Particulare ex se, nec est firmum nec debile, quia particulare, nec est affirmativum nec negativum de se. Rursùs negativum de se non est debile, quia negativum de se non est particulare: Ergo conclusio particularis deducta ex particulari præmissa, non est conclusio sequens debiliorem partem.

Respondetur. Negan. Antec. Probat. Consequen. quia debilitatem negativæ, non ex particularitate, neq; debilitatem particularis, ex negatione deduximus.

Objicit 2. Particulare bonum, non præcisè quà particulare, sed quà particulare, bonum est, est minus perfectum bono universali, Ergo etiam & particulare verum, non quà particulare, sed quà particulare verum, debilius est universali.

Respondetur. Cum in particulari propositione, sit nonnisi particulare verum, hoc ipso erit debiliùs verum, etiam ex mente sic arguentis.

Instat 1. Hoc particulare verum Petrus est rationalis, non est debiliùs verum præ vero universali, Omnis homo est rationalis.

Respondetur. Particulare verum, est debilius Logicè, sed non est debilius alia acceptione, est inquam debilius Logicè, quia ipsa particularitas secundùm explicationem, est debilitas, sed non est hoc sensu debilius verum, quasi non sit æquè verum quod Petrus sit rationalis, quàm quòd omnis homo sit rationalis.

Instat 2. Omnis homo est rationalis & nullus homo est lapis, sunt propositiones æquè fortes.

Respondetur. Non esse æque fortes ob fundamenta superiùs prætacta.

Instat 3. Fortius est venenum medicamento, Ergo etiam fortior est negatio affirmatione.

Respondetur. Posse esse medicamentum fortius veneno, sed quidquid sit de hoc disparitas est. Quia fortitudo physica attenditur penes excessum virium & activitatis, qui potest esse in veneno: fortitudo autem Logica, attenditur penes ea, quæ sunt in explicatione adlata.

Objicit 3. Hæc propositio, omnis homo est albus comparata ad hanc particularem. Hic homo est rationalis, non est magis fortis, imò hæc particularis est fortior, dicit enim insuperabilem necessitatem objecti.

Respondetur. Particularem dici debiliorem, comparatè ad suam universalem, dici etiam posset universalem propositionem etiam in materia contingenti, esse fortiorem Logicè, quamvis non sit fortior quoad materiam & objectum quod infert.

DISPUTATIO IX.

De Demonstratione.

ATtingemus primùm ea, quæ de Demonstratione nondum præexercitatis noscenda sunt, tum demum ad quæstiones disputabiliores delabemur.

De essentia Demonstrationis.

QUÆRITUR 1. *Quid sit Demonstratio.* Duplicem definitionem Demonstrationis posuit Arist. Primi Poster. c. 2. Prima est. Demonstratio est syllogismus faciens scire, & Demonstratio, est Syllogismus, ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus & prioribus, & causis Conclusionis. Bonitas harum Definitionum ex eo suaderi solet, quia sufficienter notificant naturam Demonstrationis, & deinde quia instrumenta definiri postulant per finem suum, ut ostendit Inductio. Jam autem finis Demonstrationis est, ut faciat scire.

QUÆRITUR 2. *Vtrum hæ definitiones sint rigorosæ.* Quòd prima non sit rigorosa, Ratio est. Quia definitio rigorosa debet habere genus & differentiam, quorum unum seorsim acceptum, sit verum illius genus, & aliud seorsim acceptum sit verè differentia: hæc autem definitio: Demonstratio est Syllogismus faciens scire, non continet, tale genus, & talem differentiam, ly enim syllogismus est quid genericum ad syllogismum probabilem Sophisticum & demonstrativum, consequenter non est illius rigorosum genus: ly etiam faciens scire, non est rigorosa differentia; nam facere scire convenit etiam definitioni, & aliis modis sciendi. Cæterum si utraque hæc pars definitionis tota simul & collectivè sumatur, bona erit: Ratio est: quia per ly syllogismus distinguetur à definitione, per ly autem faciens scire distinguetur à syllogismo probabili & Sophistico. Quòd secunda definitio non sit rigorosa. Ratio est: Quia nonnisi per finalem & materialem causam traditur, quales definitiones non esse rigorosas, docet Dialectica; præsens autem definitio, procedit per causam materialem, quia ipsæ propositiones veræ & primę seu præmissæ tales, componunt tanquam causa materialis, demonstrationem. Procedit etiam per causam finalem, quia vult syllogismum hunc constare causis conclusionis, nomine autem conclusionis intellexit scientiam, quæ est finis, ad quem illæ ordinantur.

QUÆRITUR 3. *Quomodo illæ Particulæ intelligendæ, faciens scire.* Non sunt ita intelligendæ quasi solus syllogismus faciat scire cùm etiam definitio faciat scire: sed intelligendæ sunt, quòd solus syllogismus faciat discursivè scire. Non sunt etiam intelligendæ hæ particulæ, quasi demonstratio, faciat efficienter scire, quid enim est illa causata scientia à demonstratione, præter illam et ipsam. Facit ergo demonstratio scire formaliter, seu per modum formæ habitæ, quæ scipsa, est formaliter faciens scire. Ut autem salvetur illud, quòd scire sit per causam cognoscere, id ita accipiendum: quòd omnis demonstratio procedat per causam, non quidem in essendo, procedat tamen per causam in cognoscendo: quo sensu etiam demonstratio per effectum, erit scientia per causam: vel certè explicandus erit Aristot. quòd dixerit scientiam potissimam esse cognitionem per causam, non verò cæteros sciendi vel demonstrandi modos.

De Divisione Demonstrationis.

QUÆRITUR 1. *Quot sint Demonstrationis species:* Philosophus Imi Posteri C. 14. dicit aliam esse demonstrationē propter quid, aliam quia, seu aliam esse demonstrationem à priori, aliam à posteriori, demonstratio à priori, est demonstratio per causam. Demonstratio à posteriori, est demonstratio per effectum.

Sunt qui censeant non idem esse demonstrationem à priori, & demonstrationem propter quid, eò quòd demonstratio à priori, sit per causam non tantùm proximā, sed etiam remotam, ut si per existentiam solis, demonstretur existentia caloris, quamvis inter calorem & solem mediet lux: cùm tamen demonstratio propter quid, sit per causam immediatam. Cæterum cum effectus non solum per causam proximam, sed etiam per remotam existere dicatur, non est ratio, cur demonstratio per causam remotam, non sit demonstratio propter quid.

Sunt itidem qui censent demonstrationem quia, & demonstrationem à posteriori non esse idem, ex eo, quòd demonstratio quia, fieri possit per causam remotam, demonstratio autem à posteriori, nonnisi per effectum sit. Sed diximus demonstrationem per causam remotam, esse demonstrationem propter quid: & deinde quia est quæstio de voce, loquendum ergo erit cum pluribus, qui demonstrationem quia, non distinguunt à demonstratione à posteriori.

ADDO Fundamentum, propter quòd demonstratio à priori vocatur demonstratio propter

pter quid. Quia hæc demonstratio est per causam, causam autem appellat Aristoteles rationem propter quid, sicut ipsam essentiam appellat quod quid rei.

Rursus demonstratio alia est perfecta alia perfectissima, demonstratio perfecta ex Arriaga est, in qua ex Præmissis evidentibus, conclusio evidenter sequitur, sed non demonstratur prima passio de essentia. Demonstratio autem perfectissima est, in qua per definitionem essentialem, ut per medium, demonstratur prima passio essentiæ.

Quæritur 2. *An Demonstratio propter Quid & Quia sint specie distinctæ* Esse, docetur communiter contra Scotum. Ratio ex Oviedo. Quia habent media diversa, & rationes assentiendi Conclusioni, specie distinctas: & ut addit Arriaga, alias regulas præscribit Logica pro Demonstrationibus propter quid, & alias pro Demonstrationibus quia. Quando verò eadem conclusio nunc à posteriori nunc à priori demonstratur, tamen istæ conclusiones differentspecie, quia eædem erunt materialiter, non eædem erunt materialiter, non eædem formaliter, ex diversis enim specie motivis procedent, nec eosdem specie assensus generabunt. Imò si quis ignarus, rationalitatem esse causam admirativitatis, probaret tamen admirativitatem per rationalitatem, si verò alter probaret eandem conclusionem, sciens rationalitatem esse causam admirativitatis, illorum Syllogisatio esset eadem materialiter, & vocabulariter, differret tamen specie: aliud enim specie erit motivum in sciente causam admirativitatis esse rationalitatem, à motivo ejus qui id ignorat. Non nego tamen demonstrationem propter quid, & rem esse, & propter quid sit, demonstrat: Demonstratio autem quia, rem demonstrat.

Stat tamen cum hoc, ut hæ demonstrationes sint specie distinctæ, quia distinctis specie motivis, diversisq; regulis à Logica præscriptis, innituntur. Hinc quamvis possit dari demonstratio, quæ ostendat qualis res sit, quia tamen id ostendet aut à priori aut à posteriori, regulabiturq; præceptis datis à Logica pro Demonstratione quia & propter quid, ideo distinctam ab his specie non constituet demonstrationem.

Addo. Probabile esse, quòd hæ demonstrationes, sint distinctæ specie subalterna, non atomâ, quia adhuc habent sub se inferiores species nempe figuras.

Quæritur. *An divisio dicta, sit adæquata.* Est. Ratio. Quia omnes ad hæc membra revocantur demonstrationes. Deinde membra hæc procedere per causam, non procedere per causam, sunt contradictoria, hæc divisio procedit per talia membra, ut reflectenti patebit: Ergo procedit per membra contradictoria: & quia non datur medium inter duo contradictoria, sed omnia revocantur ad aliquod membrum, ita & reliquæ demonstrationes ad has. Hinc quando Petrus demonstratur esse animal, quia est homo, hæc demonstratio revocatur ad demonstrationem quia, sicut enim ab effectu valet consequentia ad causam, non à causa ad effectum, ita ab homine valet consequentia ad animal, quantumvis ab animali non valeat consequentia ad hominem. Item quando definitio per definitum demonstratur, tunc etiam demonstratio revocatur ad demonstrationem quia, non quòd fiat per aliquid posterius, sed quia verificatur de illa, aliud membrum contradictionis: nempe non procedere per causam; tam verè autem demonstratio ab effectu non procedit per causam, quàm demonstratio quæ per convertibile vel per definitum procedit, non procedit per causam.

Subnecti deberent aliqua de præcognitis, sed ea, quia nihil specialiter disputabile habent, aliunde petantur.

Colliges. Demonstrationem perfectissimam semper debere procedere per causam in essendo, quæ causa non est necesse ut sit actualis, & Physica, realiterque distincta, sed sufficit ut sit causa Metaphysica, & ex modo concipiendi in re fundato; aliàs nullæ Metaphysicæ, nullæ Logicæ demonstrationes essent, quia hæ procedunt per causam frequenter nonnisi Metaphysicam, quam alii appellant causam virtualem. Deinde nescio cur hic Syllogismus, Omne immutabile est æternum, Deus est immutabilis: Ergo est æternus, nescio inquam cur hic Syllogismus, cùm nonnisi causam virtualem seu Metaphysicam contineant, deficiat à ratione cognitionis certę & evidentis consequenter deficiat à ratione demonstrationis. Et certè causa virtualis est vera causa, inquantùm verum opponitur ficto, licèt non sit vera causa inquantùm verum, idem importat, quod realiter distinctum ab effectu: & quia causa virtualis est causa vera, prout verum opponitur ficto, hinc habetur fundamentum in re, concipiendi hoc tanquam causam, & illud tanquam effectum: & quia est fundamentum in re concipiendi hoc tanquam causam quantumvis virtualem, ideo causa virtualis non solum quoad nos, sed etiam quoad se, notior erit, demonstratioq; per illam, erit demonstratio per notiora.

Colliges ulterius ex dictis supra. Omnem demonstrationem procedere per causam in cognoscendo, cùm ut dixi etiam effectus sit causa in cognoscendo suam causam. Neque censendum est omnes Syllogismos fore demonstrationes, eò quòd omnes procedant per causam in cognoscendo, quia multi Syllogismi non procedunt per causam in cognoscendo necessariam, hoc enim Syllogismo nonnisi demonstrativo convenit: sicut procedere per causam in

cogno-

cognoscendo probabilem, convenit Syllogismo Topico. Restant quædam magis disputabilia, an scilicet præmissæ debeant esse evidentiores, certiores, veriores conclusione. De quo *sit:*

QUÆSTIO I.

An Conclusio sit æqualis in evidentia, ipsis præmissis Demonstrationis.

IN hac Difficultate erit necesse paululum subsistere, eò quòd eam diffusiùs Neotorici rimentur *Sit*

DIFFICULTAS I.

Supponuntur quædam ad Conclusionem.

SUPPONO 1. ex iis, quæ dicta in materia de scientia, quid sit certitudo, quid evidentia.

SUPPONO 2. ex Arriaga, posse esse certitudinem majorem & minorem: quia potest esse magis firma adhæsio uni quàm alteri veritati, imò potest esse major & minor evidentia, potest enim unum clariùs alio cognosci, & ita clariùs cognosco fumum quem video, quàm ignem, quem existere, evidentia physica cognosco, ex fumo.

SUPPONO 3. Ex his quæ immediatè dicta ex Arriaga. Posse nos tam certitudinem quàm evidentiam dividere, in certitudinem & evidentiam formalem, seu tenentem se ex parte actûs, & in certitudinem & evidentiam objectivam. Certitudo formalis, est, ipsa firma adhæsio ad objectum. Certitudo autem objectiva, est ipsa necessitas objecti. Rursùs evidentia formalis, est, claritas & perspicuitas cognoscendi evidentia autem objectiva, est claritas & perspicuitas ipsius agnoscibilis.

SUPPONO 4. Ex Oviedo & dictis de scientia. Quod excessus cujusvis qualitatis, pensari possit vel ex perfectione entitativa, & ut alii appellant essentiali: vel potest pensari ex perfectione graduali, quam etiam intensivam appellant. Perfectio entitativa, stat in excellentia entitatis & essentiæ. Perfectio autem, majoritas, gradualis excessus &c. stat in additione unius gradus ad alium. v. g. sit unus gradus gratiæ, & caloris septem, vel sit unus gradus lucis, & septem albedinis, tunc unus gradus gratiæ & lucis, major erit entitativè, septem gradibus caloris aut albedinis, licèt illi septem gradus, habeant majoritatem, perfectionem gradualem excessum &c. excellentiorem, præ uno gradu gratiæ & uno lucis: Quod dicitur de excessu qualitatis, idem dicendum de excessu in evidentia, vel certitudine. Potest enim v. g. certitudo pensari vel ex perfectione entitativa, vel ex perfectione graduali: sit v. g. actus fidei de mysterio Trinitatis intensus ut unum: sit & actus scientiæ de risibilitate hominis intensus ut septem, prior ille actus, erit perfectior in entitate & essentialiter, hic autem perfectior & intensior gradualiter.

SUPPONO 5. In quo conveniant & in quo differant auctores, circa punctum præsentis difficultatis. Conveniunt omnes. Præmissas non esse veriores conclusione neque conclusionem veriorem Præmissis, eò quòd veritas in indivisibili consistat, neq; admittat majus & minus.

De evidentia divisi sunt. Arriaga enim Præmissam unamquamque seorsim acceptam, dicit posse esse evidentiorem & certiorem conclusione, utramque tamen Præmissam simul sumptam, non esse certiorem, quàm sit ipse assensus conclusionis. E contra Oviedo dicit conclusionem, æquè esse evidentem ac evidens est utraque Præmissa. Communis autem sententia censet Præmissas esse certiores & evidentiores quavis conclusione. *His suppositis* Sit

DIFFICULTAS II.

Decernitur quid sit sentiendum.

DICENDUM est *Præmissas esse evidentiores in Demonstratione ipsa conclusione*; ita communis sententia. Quæ

PROBARI potest 1. ex Arriaga. Firmiùs intellectus adhæret uni v.g. Præmissæ seorsim acceptæ, quàm adhæreat conclusioni: Ergo saltem conclusione, una præmissa separatim sumpta, est certior & evidentior. Antecedens probatur firmiùs intellectus adhæret uni veritati quàm illi uni & aliis simul: Ergo etiam firmiùs adhæret uni Præmissæ seorsim sumptæ, quàm illi & conclusioni. Probatur consequentia. Quia adhærendo conclusioni adhæret & Præmissis, & ultra Præmissas conclusioni. Antecedens probatur. Firmiùs creditur Petrum currere quàm Petrum & Joannem & alios currere: quod ipsum probatur: quia ad falsitatem hujus propositionis, Petrus & Joannes currunt, sufficit si Petrus non currat, vel si Petrus currat, sufficit quòd Joannes non currat: ad falsitatem autem illius propositionis Petrus currit, necesse est determinatè, Petrum non currere.

CONFIRMATUR. Plura habet capita, ex quibus falli possit conclusio, quàm una separatim accepta Præmissa: Ergo conclusio minus est certa & evidens. Antecedens probatur. Quia conclusio importat & se, & duas Præmissas, Præmissa autem nonnisi seipsam importat: Ergo conclusio plura habet fallibilitatis capita: Et certè quis dubitet faciliùs posse persuaderi, animal esse sensitivum, item hominem esse animal, item hominem esse sensitivum quàm possint persuaderi hæc omnia simul.

RESPON-

Respondet huic rationi Oviedo. Quòd verum sit assensum incertum & fallibilem, magis esse fallibilem qui importat plura capita fallibilitatis. Cæterum certitudo & necessitas simpliciter, cùm excludat omnem fallibilitatem, non minùs excludet omnem falsitatem una, quàm altera propositio: consequenter, non minùs excludit fallibilitatem una præmissa, quàm aliæ præmissæ & conclusio.

Responderi potest secundo eidem rationi, eam multum probare adeoque nihil. Sequitur enim ex illa, majorem esse certitudinem apprehensionis hujus termini homo quàm certitudinem principii lumine naturæ noti, Definitionis, aut cujuscunque termini complexi; idque ideo; quia plures habet titulos fallibilitatis. Deinde nego absolutè quòd præmissæ & conclusio simul sumpta, habeant plura capita fallibilitatis, supponimus enim & præmissas & conclusionem esse necessariam; & sicut Deus, cujus infinitæ sunt perfectiones, non censetur plures defectibilitatis titulos habere; quantumvis vel una perfectione Dei deficiente, Deus deficeret, ita & conclusio cum se & præmissas importet omnino infallibiles, non censetur plures habere titulos fallibilitatis; imò plures saltem extensivè, titulos infallibilitatis haberet.

Responderi potest 3. Ex iis quæ ipse prævertit Arriaga & solvere conatus est. Quando video duos currentes: tam certum est unum currere, quàm duos: Ergo etiam tam certa erit una Præmissa quàm duæ præmissæ & conclusio. Nam quod est intuitiva cognitio in potentia visiva, hoc est claritas & perspicuitas objecti in potentia intellectiva; cùm ergo tam præmissa una simpliciter, quàm duæ præmissæ simul cum conclusione, sint objectum certum & evidens, neque enim per hoc, quia præmissa est certior & evidentior in nostra sententia, sequitur ipsam conclusionem non esse certam & evidentem, nescio cur clarior erit una tantùm præmissa quàm duæ cum conclusione acceptæ.

Addo. Ex accidenti & capacitate exigua intellectûs malè dispositi, fieri posse, ut clariùs quis uni præmissæ assentiatur, quàm duabus & conclusioni: sed non exiget hoc ipsa objecti natura.

Probari solet 2. ex illo axiomate. Propter quod unumquodq; tale & ipsum magis, sed propter præmissa certa & evidens est conclusio, Ergo ipsæ magis sunt certæ & evidentes.

Responderi solet huic argumento, quòd axioma fallat. Nam creatura est propter Deum, Deus tamen non est magis creatura, propter crematum est aliquis ebrius, neque tamen crematum est magis ebrium. Cathedra est propter lignum, & tamen lignum non est magis cathedra.

Contra. Fallit quidem hoc principium in reliquis causarum generibus, sed non fallit in genere causæ finalis & motivæ, & ita quia bonitas sanitatis, est motivum medicinæ, magis præ medicina, bona est sanitas: cùm ergo præmissæ, sint causa motiva ad assensum conclusionis, ipsæ magis merebuntur assensum. Deinde per oppositos, non fallit hoc axioma in causa finali, dicuntq; quòd amor finis, moveat ad amorem mediorum: Ergo cum certitudo & evidentia præmissarum moveat me ad assensum conclusionis, sicut præ mediis major est amor finis, ita præ conclusione, major erit certitudo & evidentia præmissarum.

Respondet 2. huic argumento Arriaga. Quòd in causa finali, ideo finis magis sit amabilis quàm media, quia medium, non habet bonitatem dignam tanto amore, sicut finis. At verò conclusionis objectum, habet in se capacitatem terminandi tam certum assensum, sicut præmissarum objectum.

Contra est. Tum quia etiam conclusionis objectum quâ conclusio est, non habet evidentiam dignam tanto assensu, quantum meretur præmissa; sicut enim amabilitas finis, refundit bonitatem in media, ita & claritas præmissarum, refunditur in conclusionem ut conclusio est: imò conclusio ut conclusio est, nullam habet evidentiam, nisi dependenter à præmissis, quantumvis habere possit æqualem evidentiam illa conclusio, quâ propositio est. Hinc à pari argumentor. Medium non habet tantam amabilitatem quantam finis, ergo nec conclusio tantam evidentiam, quantam præmissæ. Tum quia supponamus, quòd inclinet cor aliquis ad faciendas justificationes propter retributionem in hoc mundo, & assumat ad hunc finem, servitium & amorem Dei, vel certè ut sui filii bene habeant in hoc mundo, assumat ad hunc finem ut dixi amorem Dei, illa sacra phrasi se movente: Non vidi justum derelictum & semen ejus quærens panem. Cur tunc medium quod est amor Dei, non habebit amabilitatem dignam tanto amore, sicut finis. Quod illi responderint, idem nos ad propositum applicabimus.

Respondetur 3. Etiam in rationibus motivis, falsum est, quòd motivo magis assentiamur quàm ipsi objecto, aliàs sequeretur conclusionem evidenter deductam ex duobus principiis de fide, non esse de fide, non esset enim ita certa, sicut præmissæ: omnia autem quæ sunt de fide sunt æquè certa.

Contra est. Tum quia ipse Arriaga dicit quæstionem hanc tractari debere independenter ab assensibus fidei quorsum ergo hæc instantia opponitur. Tum quia non est mirum quòd in eo quod certissimum est non detur locus magis vel minùs certo, qualis summitas certitudinis non competit assensibus fidei: sed cùm hæc summitas certitudinis non competat assensibus naturalibus, cur non dicetur esse præmissa præ conclusione. Tum quia in conclusione deducta

ducta evidenter ex duabus de fide duo spectari possunt imò formalitas conclusionis, & innitentia principio quæ sunt eadem; sic sumpta tertia illa propositio, non est de fide. Deinde potest sumi prout propositio est, sic non respiciet Præmissas, erit de fide, adeoque æquè certa ac Præmissæ. Ex eo autem quòd illa propositio ut conclusio est, non sit de fide, sequitur intentum conclusionis, plus tribuentis præmissis, quàm conclusioni. Diffusè hæc tractata vide, ubi de formali fidei.

Quod verò addit Arriaga Deum, amare hominem propter gratiam, & tamen gratiam non magis amat homine, id habet multa difficilia. Imprimis quia cum gratia non sit capax amoris amicitiæ, utpote incapax redamationis, hoc ipso homo, qui hujus est capax amoris, erit amabilior: jam autem comparatæ inter se propositiones, possunt habere gradum, magis certæ vel minus certæ. Deinde posset quis dicere, quòd Deus non amet hominem propter gratiam tanquam propter motivum, sed quòd hunc amorem exerceat, non independenter à gratia & quòd gratia sit signum amoris. Denique negaret alius, quòd gratia in suo genere non magis ametur quàm homo: quia gratia est in entitate supernaturalis, quia plures gradus bonitatis participat, & cætera similia.

Probari solet 3. Quia Præmissæ demonstrationis vel sunt immediatæ vel mediatæ, si sunt mediatæ, ergo sunt clariores & evidentiores conclusione, sunt enim principia lumine naturæ nota, & ex hoc excessu evidentiæ, vocantur lumine naturæ nota. Si autem Præmissæ sunt mediatæ, ergo tamen clariores conclusione, quia propinquiores lumini, hoc est principiis per se evidentibus.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus.

Objicit 1. Arriaga. Si major esset evidentia Præmissarum & certitudo, quàm conclusionis, hæc majoritas in eo esset, quia si intellectus negare deberet aut præmissas aut conclusionem, potiùs negaret conclusionem, sed hoc falsum est: formetur enim hic syllogismus Deus est summa veritas, sed Deus revelavit se esse summam veritatem; Ergo est summa veritas: in quo syllogismo non præligeret intellectus potiùs negare conclusionem, cùm iidem termini, qui sunt in præmissa, ponantur in conclusione.

Respondetur. Quòd non præligeret intellectus negare illam conclusionem quàm præmissam, accipiendo conclusionem prout propositio est; præligeret tamen, prout nonnisi conclusio est.

Instat 1. Idem. Quando ex propositione universali infertur particularis conclusio, non est magis dispositus intellectus ad negandam conclusionem quàm negandam universalem, & ita si sum certus quatuor currere, & in quatuor includi duos, quomodo non ero certus, eadem certitudine, duos currere.

Respondetur. Intellectum magis esse dispositum ad negandam conclusionem particularem ut conclusio est, seu ut assensus ex connexione cùm tertio est, quàm ad negandam universalem, quamvis non sit dispositus, ad absolutè negandam illam particularem, ut illa particularis conclusio, propositio est. Deinde quia assensus ad quatuor, est hoc ipso formaliter assensus, etiam ad duo, hinc non magis assentietur quis ad quatuor, quàm etiam ad duo: jam autem, quia non ex hoc ipso quia aliquis assentitur præmissis, assentitur in illis etiam conclusioni, ut conclusio est, cùm illa requirat assensum specie distinctum, ideò adhuc relinquitur locus, ut intellectus magis possit assentiri Præmissis.

Instat 2. Idem. Intellectus evidentissimè cognoscit, duo aliqua esse idem uni tertio, ac esse idem inter se: Ergo & æquè evidenter cognoscit Præmissas, involventes idem inter se, ac conclusionem involventem, idem ubi tertio.

Respondetur. Æquè quidem evidenter cognoscit intellectus idem uni tertio, & idem inter se, si idem uni tertio sit objectum quod noscitur, quia utrumq; erit principium, adeoq; lumen naturæ, sed si cognoscat propter idem uni tertio, hoc ipso cognitum propter illud principium, non erit æquè evidens, quia non erit ipsum illud lumen, sed participans de illo.

Instari potest 3. Deus in probabili sententia, ex creaturis immediatè cognitis, cognoscit seipsum, & tamen falsum est quòd Deus perfectiùs cognoscat creaturas, quàm cognoscat seipsum; Ergo etiam licèt assentiamur conclusioni propter Præmissas, tanquam propter medium, falsum erit illas evidentiores esse.

Respondetur. Creatura capax est imperfectionis in suis modis noscendi, incapax Deus, hinc quamvis tribuamus Deo quòd se noscat ex creaturis, noscit tamen seclusis imperfectionibus: imperfectio autem esset, si evidentiùs nosset Deus creaturas, quàm seipsum.

Objicitur 2. ex Tannero (quidquid sit sive hæc sit mens illius ut vult Arriaga, sive non, ut vult Oviedo) saltem quando intellectus habet unam Præmissam certam & evidentem, aliam probabilem, vel certam quidam sed obscuram, tunc conclusio erit certior probabili Præmissâ & evidentior illâ obscurâ. Antecedens probatur. Quia intellectus eam quam potest certitudinem & evidentiam sectatur, ergo si in una Præmissa invenit certitudinem & evidentiam, in alia verò non, tunc relicta illâ defectibili Præmissa, sectabitur nonnisi illam clariorem & evidentiorem.

Respon-

Respondet Arriaga. Tunc intellectus uno motivo relicto sectatur evidentius motivum, quando illa motiva & argumenta sunt diversa: & ita quando Samaritani crediderunt in Christum, jam non propter dicta Samaritanæ, sed propter dicta ipsiusmet Christi relicto illo debiliori argumento, hoc est verbis Samaritanæ, arripuerunt fortiùs hoc est dicta Christi. Cæterum quando ex duobus motivis fit unum argumentum, non potest intellectus uno motivo partiali relicto arripere aliud, jam enim hoc ipso non esset assensus iste Conclusionis ut Conclusio est, siquidem ex duabus Præmissis non procederet.

Objicitur III. Ex Oviedo Objectum Conclusionis identificatur cum objecto utriusque Præmissæ, Ergo æquè evidens & necessarium est objectum Conclusionis ac utraq; Præmissa, aliàs de eodem objecto possent verificari duo Contradictoria, idemq; objectum v.g. & esset evidens ut octo, & non esset evidens ut octo.

Respondetur. Objectum Conclusionis est identificatum cum objecto Præmissarum, ita ut non habeat æquè immediatè conjunctam sibi rationem assentiendi, hoc est evidentiam, Conc: Antec: Objectum Conclusionis est identificatum cum objecto Præmissarum, ita ut æquè immediatè conjunctam sibi habeat rationem assentiendi, Nego Antecedens & Consequentiam. Vel certe transito antecedente, Distinguo Consequens. Ergo æquè necessarium est objectum Conclusionis quà Conclusio est Nego Consequentiam, Ergo æquè necessarium objectum Conclusionis quà propositio est, Transeat.

Addo Ulterius, Unum idemq; objectum, ex diversitate motivorũ, nunc evidentius nunc inevidentius esse posse; & ita Deum dari, est inevidens, si id propter revelationem credam, evidens autem est, si id demonstrativè sciam.

Instat Idem. Eo ipso quòd quis assentiatur Præmissis, assentiri debet Conclusioni. Ergo eadem determinatione, qua assentitur Præmissis, est determinatus ad assentiendum objecto Conclusionis, Ergo eandem ulteriùs Conclusio, quam & Præmissæ, habet evidentiam: nam hæc evidentia, est istud determinativum.

Respondetur Distinguendo I. Consequens, Ergo eadem determinatione, & ex iisdem Principiis, & æquè immediatè orta, qui assentitur Præmissis, assentiri debet Conclusioni, Nego Consequentiam: eadem determinatione, sed ex diversis principiis, & non æquè immediatè orta Tranſeat Consequentia & nego utramq; Consequentiam ulteriorem.

Objicitur IV. Si Conclusio esset inevidentior Præmissis & incertior, sequitur Syllogismum secundum, qui assumit Conclusionem præcedentis, pro Præmissa, esse priori inevidentiorem: rursus sequitur Syllogismum qui assumit pro Præmissa Conclusionem 2di Syllogismi, esse inevidentiorem, & sic deveniendum tandem erit ad Conclusionem, quæ sit omnino incerta.

Respondetur. Conclusionem quo plus recedit à Principiis Primis, esse inevidentiorem, nunquam tamen deveniendum est, ad jam omnino incertam. Majoritas enim & Minoritas in certitudine sunt accidentia & affectiones quædam, veluti Substantiæ cujusdam, hoc est ipsius Certitudinis. Sicut ergo mutatis accidentibus, non est necesse mutari Substantiam, ita diminuta majoritate certitudinis, non est necesse ipsam Substantiã certitudinis minui, adeoq; deveniri ad talem, quæ jam non sit certa. Illustrari hoc potest instantia, desumpta ex sententia illorum, qui censent intra eandem speciem, posse esse perfectiorem & imperfectiorem animam, sicut enim supposita hac sententia, non est venire ad animam rationalem tam imperfectam, quæ non sit rationalis, ita diminuta certitudine, non est necesse venire ad talem, quæ jam non sit certa. Illustrari item posset in hac sententia, quæ admittit specificam distinctionem Angelorum, & alios aliis esse perfectiores vel imperfectiores, sicut enim si Deus procederet in producendis Angelis, semper & semper imperfectiorem producendo, tamen non deveniretur ad talem producendum, qui jam non esset Angelus: ita nec deveniretur ad Conclusionem, quæ jam non sit certa, etiamsi procedatur per deductas Consequentias semper ad minus certam.

Objicitur V. Causa necessaria tribuit effectui, eam omnem perfectionem quam habet. Præmissæ sunt causa Conclusionis, eaq; necessaria, Ergo Conclusioni tribuent Præmissæ, eandem perfectionem, adeoq; evidentiam.

Respondetur Communiter, causam univocam necessariam, tribuere effectui omnem suam perfectionem, sed non causam æquivocam: est autem Præmissa, causa æquivoca per ordinem ad Conclusionem. Causa enim æquivoca est, quæ non producit sibi similem effectum, Præmissa autem quæ est principium, cum non producat aliud principium, sed Conclusionem, ideò Præmissæ Causa æquivoca erunt Conclusionis.

Objicitur VI. Plures subsunt rationes assentiendi Conclusioni quàm Præmissis, Ergo.

Respondetur. Evidentiam non desumi ex pluralitate motivorũ, sed ex majori claritate objecti: major autẽ claritas est in Præmissis, quia illæ vel sunt ipsum lumen vel proximiùs quid lumini.

Objicitur VII. Præmissæ sunt tanquam media, Conclusio tanquam finis, Præmissæ sunt tanquam instrumenta, Conclusio tanquam effectus, Ergo cum præ mediis excellat finis, & præ instrumentis effectus, evidentior etiam erit Conclusio præ præmissis.

Respondetur. In aliquo quidem assimilari Conclusionem cum fine, quia sicut finis terminat, ita & Conclusio; sed habent in hoc disparitatem, de quo est quæstio: nec enim à Conclusione accipit lumen Præmissa nec primò movet, ut primò movet finis. Consequenter poterit esse inevidentior, tanquam remotior à lumine &c.

QUÆSTIO II.

An Conclusio Demonstrationis sit certior Præmissis.

PRÆMITTO I. *Quid sit apud alios Certitudo?* EXPLICAT I. Vasquez & sumit certitudinem pro determinatione assentiendi sine formidine objecto, facta per imperium voluntatis. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia nullo etiam præsupposito imperio voluntatis, certè assentitur intellectus, duo non esse unum. Tum quia illi imperio voluntatis prælucere debet actus intellectûs, qui non arbitratiè proponat, ut hoc imperet voluntas; aliàs posset prælucere ut imperet voluntas assensum, quod unum sit duo, & hoc fundamentum potiùs erit certitudo quæsita. Tum quia necessariò debet distingui certitudo evidentis objecti, à certitudine inevidentis objecti, quæ distinctio nulla foret, si utrobiq; ad certitudinem requireretur imperium voluntatis.

EXPLICAT II. Idem. Quòd certitudo idem sit, quod veritas.

NON SATISFACIT Explicatio. quia licèt ista in re & entitativè coincidant, distinguuntur tamen definibilitatibus, aliudque est dicere Cognitio vera & evidens, aliud certa & evidens, ut usus etiam hominum comprobat.

EXPLICAT III. Idem, quod certitudo sit reflexio, quâ quis judicat assensum à se exhibitum certum esse. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia non est ratio, quare non possit esse actus etiam directus, certus. Tum quia hujus ipsius quæritur ratio, unde & quid sit, quòd reflexio dicat actum exhibitum certum esse. Tum quia aliud est, actum habere pro objecto scientiam, & aliud esse actum scientificum, hinc de scientia etiam nonnisi probabiliter possumus discurrere: ergo etiam aliud est, actum habere pro objecto certitudinem, & aliud esse certum: cumq; non sit ratio, quare certitudo non possit dividi in certitudinem, Objectivam & Subjectivam, videtur Vasquez immeritò admittere nonnisi certitudinem Subjectivam.

PRÆMITTO II. *Quid sit ista certitudo.* Fusiùs de illa in materia de certitudine Fidei, pro nunc sufficerit dicere. Certitudinem ex parte Actûs esse ipsam firmam adhæsionem ad objectum. Certitudo autem objectiva, est ipsa invariabilitas, necessitas, determinatio, ipsius esse objecti.

PRÆMITTO III. *Certitudinem ex parte actus seu subjectivam, secundum id quod dicit in recto esse idem cum ipso actu entitativè, licèt connotet, objectum.* Ratio quia nulla necessitas distinguendi illam ab actu.

PRÆMITTO IV. *Certitudinem objectivam esse intrinsecam etiam objecto.* Ratio: quia non est ullum fundamentum illius superaddendę & certè hæc certitudo objectiva, est necessitas & invariabilitas objecti, Objecti autem necessitas, est ipsa exigentia prædicatorum Objecti, ipsa autem exigentia, sunt ipsa prædicata Objecti, ipsa autem prædicata Objecti, sunt ipsummet Objectum, ipsum autem Objectum est sibi intrinsecum, Ergo à primo ad ultimum, ipsa etiam necessitas, est intrinseca. Non nego tamen quòd ipsum certum, objecto creato conveniens, in linea existentis, dependant à Deo. Non nego item quòd certitudo objectiva possit haberi ratione motivi extrinseci v.g. Dei attestantis; sed quia hoc quod est esse certum ratione testimonii Divini, non est in ratione objectiva aliquid realiter superadditum, illi objecto ita formalisato, hinc adhuc, verum erit dicere, certitudinem non esse quid superadditum. Casu autem quo Deus assensum qui ex probabilibus motivis fit, revelaret tamen esse verum, in tali casu actus ille, factus ex probabilibus motivis, non esset certus, quia non esset firma adhæsio animi, esset tamen certus ex motivo quod Deus nihil falsum revelare possit.

PRÆMITTO V. *Maximè attendi ab Auctoribus ad certitudinem ex parte actus*, unde cum quæritur An Conclusione certiores sint Præmissæ, attenditur ad certitudinem ex parte Actus & Subjectivam. *Hinc*

DICENDUM est. *Certiores esse Præmissas Conclusione.*

PROBATUR I. Propter quod unumquodque tale & ipsum magis; Sed Conclusio est certa propter Præmissas, Ergo & ipsæ sunt certiores.

PROBATUR II. Evidentiores sunt Præmissæ præ evidentia Conclusionis, Ergo & certiores.

PROBATUR III. In Conclusione non est æqualis certitudo objectiva, Ergo nec respondebit illi secundùm (ut supponimus) merita objecti, æqualis certitudo subjectiva. Antecedens probatur, quia certius est ipsum principium lumine naturæ notum, quàm id quod nectitur cum illo principio: & cum nulla Conclusio quà talis, sit Principium lumine naturæ notum, nulla etiam Conclusio erit æquè certa ac Præmissæ. Consequentia principalis prob: quia hîc quæritur de certitudine ut dixi, quæ sit secundum merita objecti, non autem esset certitudo secundum merita objecti, si cùm Conclusio non sit æquè certa, æquè certò illi assentiretur intellectus.

CONFIRMATUR. Adhæsio ista fit ex majori Necessitate quam advertit intellectus, majorem autem necessitatem intellectus advertit in Principio lumine naturæ noto, quàm in Conclusione ex illo deducta, aliàs æqualis esset certitudo Principii, cum Conclusione, per mille Consequentias deducta; quod est certè contra communem experientiam & contra rationem, quia aliàs omnes Conclusiones essent Principia, & omnes, essent Lumen intellectus.

Quæ in contra Objiciuntur, petatur illorum solutio ex dictis de Evidentia.

QVÆ-

QUÆSTIO III.

An Conclusio sit verior Præmissis in Demonstratione.

EX dictis circa secundam Operationem habitum est, veritatem formalem esse conformitatem cum objecto, de hac quæritur, An possit major esse conformitas in Conclusione quàm in Præmissis, vel è converso, *ut id solvatur*

PRÆMITTO I. *Præmissas necessariò debere esse veras*, aliàs Conclusio utpotè sequens debiliorem partem, deberet esse non vera, & tamen in Demonstratione debet esse vera: quia Conclusio Demonstrationis debet esse scientia, scientia autem debet esse vera, Ergo tantùm quæritur: an possit esse æquè vera ac Præmissa.

PRÆMITTO II. *Aliud est quærere; An una veritas, posset esse magis necessaria præalia*: & aliud; an una veritas sit major aliâ, priùs illud jam affirmatum est, ubi diximus, majorem esse certitudinem Præmissarum quàm Conclusionis, de posteriori, lis restat.

PRÆMITTO III. *Aliud est quærere: An una veritas, possit magis & minus intensa esse, & aliud; an una veritas possit esse major alia.* Priusillud affirmandum, de posteriori quæretur: quia licet illud magis sit album quod plures gradus albedinis habet: sed majoritas veritatis non pensatur ex majori intensione graduali, sed ex majori conformitate cum objecto, aliàs recenter conversus hæreticus ad fidem Catholicam, & magis intensè credens articulos quibus nusquam discredidit, magis inquam intensè illos credens, præiis, quibus discredidit olim, sequeretur quòd magis crederet verè, illos, quàm hos, & tamen Theologi veritatem fidei æqualem ponunt. Ergo apparet quòd majoritas veritatis, non sit pensanda ex intensione graduali. Solet hoc & aliis instantiis illustrari. v. g. Duo parietes albi ut septẽ non sunt magis similes Logicè, præ duobus parietibus albis ut duo, quantumvis plures gradus similitudinis Physicæ habeant. Sic & duæ veritates, quantumvis plures gradus intensionis habeant, non censendæ sunt magis esse veræ.

PRÆMITTO IV. *Aliud est quærere: An una veritas possit esse specie distincta ab alia, & Aliud: an possit esse magis vera quàm alia.* Certum enim est, unam veritatem ab alia posse esse specie distinctam, cum enim cognitionibus veris identificetur veritas, & hæ sunt inter se specie distinctæ, etiam erunt veritates specie distinctæ, si autem sunt veritates specie distinctæ, sunt etiam perfectiores & perfectiores, nec tamen inde sequetur quod sit una verior alterâ, sicut non sequitur ex eo, quia homo est perfectius animal bove, hominem verius esse animal.

PRÆMITTO V. *Intensio veritatis etiamsi identificaretur realiter cum veritate, non argueretur rectè exinde quòd aliqua sit magis vera propositio.*

RATIO. Quia quamvis essent idem realiter intensio veritatis & veritas nõ essent tamẽ idem formaliter, quod si non essent idem formaliter, quod convenit formaliter intensioni, non esset tribuendum formaliter veritati, aliàs committeretur fallacia accidentis. *His Præmissis*

DICENDUM est. *Conclusionem esse æqualem in veritate Præmissis.*

PROBATUR I. Falsa est hæc propositio Aliqua Propositio vera, non tribuit objecto id quod habet objectum, aliàs hoc ipso non esset vera, Ergo vera est hæc propositio, Omnis propositio vera, tribuit hoc quod habet objectum, Hoc posito sic urgetur. Quando omnis propositio vera, tribuit, hoc, quod habet objectum, tunc nulla est propositio verior aliâ, sed ex dictis omnis hoc habet. Ergo. Major probatur. In hoc est veritas cognitionis, ut hoc tribuat objecto quod habet, Ergo major veritas in eo erit, ut magis tribuat vera propositio hoc, quod habet objectum, sed nulla magis potest tribuere hoc objecto, quod habet objectum. Quod ipsum probatur, Quia ly magis tribuit vel se tenet ex parte actûs, hoc est intensiùs tribuit, & hoc non arguit majoritatem veritatis ut dictum Præmisso 3tio. vel ly magis tribuit tenet se ex parte objecti & hoc non: quia respectu cujuscunque cognitionis homo v.g. non plus habet quàm quòd sit animal rationale & sic de reliquis, ergo nulla cognitio magis hoc tribuit objecto, quod habet objectum. Proponi idem potest via Negativa. Inexplicabile est, quid sit magis tribuere objecto, id quod habet objectum. Ergo nec est explicabile, quòd una propositio, sit verior altera.

PROBATUR II. Supposito quod una cognitio quæ dicit Apostolos esse duodecem sit verior, & alia idem dicens, sit minus vera; illa verior, & esset verior ut supponitur; & non esset; quia id tantùm haberet magis vera, quod haberet minus vera, sed minùs vera non est magis vera, ergo nec magis vera, est magis vera; jam autem magis vera, diceret Apostolos esse duodecem, minus vera diceret etiam Apostolos esse duodecem, Ergo tantùm id haberet magis vera, quod haberet minus vera.

PROBATUR III. Non potest Unum esse magis æquale alteri, hoc ipso enim, si unum minùs æquale esset alteri, non esset æquale, Ergo neque una cognitio conformior objecto præalia, hoc ipso enim si minùs conformis esset quàm altera, conformior non esset, Ergo neq; potest esse una cognitio verior aliâ, hæc enim conformitas inadæquatione consistit.

Idem sic proponi potest Cognitio vel adæquatur omnino cum objecto vel non adæquatur aliquomodo: si non adæquatur, est hoc ipso jam falsa; si adæquatur omnino, ergo una non potest verior esse præilla.

CONFIRMATUR. Si daretur sphæra, una aurea, in puncto tangens planum; & alia etiam in puncto tangens, argentea, non magis tangeret illa

planum in puncto, quàm hæc. Ergo etiam non magis tanget una cognitio veritatem objecti, quàm alia; nam sicut punctum in indivisibili consistit, ita & veritas.

Responderi potest. Non dari conformitatem majorem inter hunc actum, & hoc objectum, sed falsum est non dari majorem conformitatem, si unus actus comparetur ad alios actus, & eorum objecta, & ita v.g. magis est conformis objecto hic actus, qui dicit, homo est animal rationale: quàm qui dicit, homo est animal.

Contra est. ex Oviedo, quia conformitas & adæquatio, quam diceret cognitio vera, spectari debet penes illud objectum quod importatur à prædicato, seu quod affirmatur, non verò spectari debet penes illud objectum, quod non affirmatur: cum ergo in hac propositione: Homo est animal, non affirmetur rationale, sed tantùm animal, quantumvis in hac homo est animal rationale plus dicatur, non debet tamen hæc propositio verior dici. Deinde hæc propositio Sanctus Petrus est in cælo non est minus vera quam hæc: Sancti Petrus & Paulus sunt in cœlo; ergo & hæc propositio. Homo est animal, non est minus vera quam hæc. Homo est animal rationale; cum hoc tamen stat, ut una propositio possit esse magis necessaria quàm alia.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Auctoritas Aristotelis Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis, sed propter Præmissas vera est Conclusio, ergo Præmissæ magis sunt veræ.

Respondetur. Communiter. Axioma verum esse, cæteris paribus, hoc est iis, quæ suscipiunt magis & minus; veritas autem non suscipit magis & minus. Deinde quando idem censet hanc Propositionem. Bonum est bonum, esse veriorem istâ Bonum non est malum, intelligendus est, quòd per veritatem intellexerit certitudinem & evidentiam.

Objicitur II. Una cognitio datur certior & evidentior alia; Ergo & verior.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disparitas est, quia est absurdum, ut una cognitio sit verior alia, non est absurdum ut sit certior & evidentior: si enim esset verior; esset conformior objecto: nulla autem potest esse conformior præ alia objecto; quia nulla præ alia potest plus tribuere objecto: ut supra habitum.

Objicitur III. Una cognitio potest esse falsa magis præ alia, ergo & vera præ aliâ. Antecedens prob: ex 4. Metaph: C. 4. Ubi sensit Aristoteles non eodē modo falsum dicere, qui quatuor dicit esse quinq;, quàm qui dicit esse decem.

Responderi I. solet I. Negando consequentiam Disparitas datur, quia falsitas est recessus à veritate & deviatio, quæ potest esse major & minor.

Non satisfacit hæc Disparitas, est enim Metaphorica, contra quam instari posset: Falsitas est recessus ab objecto, veritas autem est accessus ad objectum, sed potest accessus esse major & minor Ergo & veritas.

Respondent alii II. Negando Antecedens, Auctoritatem Aristotelis explicant quod illic falsum seu mendacium sumpserit Aristoteles, pro impossibili quasi dixerit, magis impossibile esse, ut quatuor sint decem, quam ut sint quinq;, non accepit verò magis falsum, in sensu de quo hîc.

Hæc Responsio indiget adhuc explicatione, quia si potest unum præ alio esse magis falsum hoc est impossibile, cur non poterit etiam magis esse verum.

Responderi Potest III. ex Oviedo, qui negat circa objectum indivisibile posse esse majorem & minorem falsitatem. Rationem dat, quia objectum indivisibile eo ipso quòd disconformetur cum actu, disconformatur secundum se totum, Ergo habet tantam disconformitatem, quantā potest habere, neq; alius minoris, est capax. Talis v.g. est falsitas si quis dicat: Michaelem non existere, hæc falsitas nec augeri nec minui potest, quia existentia Michaelis, indivisibilis est. Ulteriùs idem docet, circa objectum divisibile, posse esse majorem & minorem falsitatem. Rationem dat: si enim dicam: viginti homines currunt, iste actus potest esse magis vel minus falsus. Antecedens probatur, si enim nullus homo currat, disconformabitur, secundùm omnes viginti homines, si verò currant decē & novē, secundùm unum tantū disconformabitur.

Contra tamen est. Quia intentum non salvat objectionis. Restitui enim sic potest argumentū. Circa objecta divisibilia potest esse major vel minor falsitas, Ergo major & minor veritas.

Contra II. quia ipse Oviedo n. 7. loco citato sentit dictam propositionem: Viginti homines currunt, nullo currente, & novem decem currentibus, æquè esse falsam in isto sensu, quod utraq; essentiam veritatis non habeat: sed non posse esse æquè falsam, quasi illa propositio viginti homines currunt, nullo currente, quasi inquam non se ad plura objecta disconformia extendat. Hæc verò doctrina solùm admittit extensionem in falsitate, quàm extensionem etiam in veritate comminisci possumus: Hæc enim propositio Homo est animal, ad pauciora se objecta extendit, quàm hæc, Homo est animal rationale: & tamen non sequitur hanc secundam propositionem, præ illa magis esse veram, Ergo nec sequitur magis illam esse falsam, quæ se ad plura objecta disconformia extendit.

Contra denique. Quia tam in indivisibili consistit existentia Michaelis, quàm in indivisibili consistit cursus viginti: si enim aliquid demptum fuerit, non erit etiam cursus viginti; si additum, non erit etiam cursus viginti: Ergo si circa existentiam Michaelis, non potest esse minor vel major falsitas, ita nec circa cursum viginti hominum, in dicto sensu, potest esse falsitas.

Re-

Respondetur. Itaque Aliter Distinguendo Antecedens. Una cognitio potest esse magis falsa præ alia, id est magis illi vel minùs potest competere non esse veri, Negatur Antecedens: potest esse magis vel minus falsa; id esse pluribus titulis vel circa plura objecta falsa, Concedo Antecedens & Nego Consequentiam. Dico itaq; uni propositioni præ alia non potest magis competere, non esse veri. Ratio est, quia verum in indivisibili ut diximus consistit, non potest ergo secundum aliquid sui communicari, secundum aliquid non communicari. Deinde negatio est malignantis naturæ, totum quod invenit corrumpit, ergo cum verum sit indivisibile, superadditum illi Non, totum corrumpit, nec relinquit magis vel minus ex vero, illi Propositioni falsæ, communicabile. Cæterum potest falsum esse aliquid pluribus titulis, vel circa plura objecta, ut probat etiam exemplum immediatè ab Oviedo adlatum: hinc autem etiam sequetur posse aliquid magis esse verum, hoc est pluribus titulis & extensiùs ad objecta. Verum hoc ipsum ut dixi in Præmissis, non est esse magis verum, quia veritatis majoritas, non ex ista extensione & titulis, sed ex confirmitate majori cum objecto pensari debet, quæ quia non datur, nec dabitur veritas major.

De Circulo Demonstrationis.

Quæritur I. *Quid sit Circulus?* Circulus apud Mathematicos est Linea quæ in se ipsam redit. Ab hac proportione vocatur circulus Logicus, qui tunc fit, quando Antecedens per Consequens, & Consequens per Antecedens probatur v.g. Homo est rationalis quia est risibilis; est risibilis, quia est rationalis.

Quæritur II. *Quotuplex sit Circulus?* Duplex. Quidam enim est circulus Formalis, qui fit quando per Consequens aliunde non cognitum, probatur Antecedens, ut si v.g. aliquis probaret terram esse rotundam, quia est orbicularis figuræ, & esse orbicularis figuræ, quia est rotunda. Alius est circulus Materialis, qui appellatur Regressus demonstrativus. Quando scilicet Antecedens probatur per Consequens aliunde cognitum: ut si quis hominem probat esse risibilem, quia est rationalis, esse verò rationalem probet, per hoc, quia est risibilis, habendo hoc aliunde cognitum v.g. ex actibus ridendi.

Quæritur III. *An Circulus formalis sit vitiosus;* Est. Ratio quia Consequens est ignotius Antecedente. Ergo Consequens quà Consequens pro probatione assumi non debet, nam Demonstratio & Scientia ex notioribus procedere debent. Cæterum Circulus Materialis est utilis, quia procedit argumentatio à notioribus: aliunde scilicet cognitis. Deinde relativa mutuo se inferre possunt, Ergo saltem in aliquo casu, utilis erit hæc argumentatio. Immò ex uno genere Causæ potest fieri argumentatio ad aliud genus, & ita (ut dicitur in materia de fide) rectè per revelationem divinam probamus auctoritatem Ecclesiæ, & per auctoritatem Ecclesiæ, probatur etiam facta fuisse revelatio Divina.

Ne Labor noster circulum faciat vitiosum, redeat ad ejus gloriam, qui vires dedit.

Ad M. D. G. Bq; V. H.

b. M.

)(o)(

INDEX I.
TITULORUM IN LOGICA CONTENTORUM.

TRACTATUS II.
Logicus.

DE Proëmialibus & de prima operatione Intellectus. p. 1.

DISPUTATIO I.
De natura scientiæ & objecti in Communi ib.
QUÆSTIO I. *De Natura scientiæ* ib.
Difficultas I. An sit scientia 3
Difficultas II. Solvuntur objectiones 4
Difficultas III. Quid sit scientia & cujus objecti 4
Difficultas IV. Quid sit Evidentia? quid Certitudo scientiæ. 6
Difficultas V. De Specificativo scientiæ. 7
Punctum Difficultatis. 1. Rejiciuntur modi quidam explicandi Specificativum scientiarum. 7 ib.
Punctum Difficult. 2. Rejiciuntur alii modi idem explicandi. 10
Punctum Difficult. 3. Explicatur specificativum scientiæ 12 ib.
Difficultas. VI. De unitate scientiæ. 12
Punctum Difficult. 1. Proponuntur quædam de eo an scientia sit simplex qualitas. 13
Punctum Difficult. 2. Solvuntur Objectiones. 14
Punctum Difficult. 3. Decernitur de scientiæ simplicitate. 15
Difficultas VII. Notantur quædam de scientia in communi 17
QUÆSTIO II. *De divisione scientiæ.* ib.
Difficultas 1. Divisio in communi scientiarum ib.
Difficultas 2. De Divisione scientiæ in Practicam & speculativam 18
Punctum Difficult. 1. Rejiciuntur modi quidam explicandi Praxim & Practicum. ib.
Punctum Diff. 2. Rejiciuntur alii modi idem explicandi. 19
Punctum Diff. 3. Explicatur ratio Practici & Praxis, 20
Punctum Diff. 4. Satisfit quæsitis aliquibus. 22
Punctum Diff. 5. An detur aliqua scientia practica. 23
Diff. 3. De divisione scientiæ in subalternantem & subalternatam. 25
QUÆSTIO III. De Objecto & ejus divisionibus. 26. ib.
Diff. 1. Explicatur quid sit objectum. ib.
Diff. 2. Explicantur aliquæ Divisiones Objecti. ib.
Diff. 3. Explicatur Ratio Objecti Attributionis & Attributi. 28

DISPUTATIO II.
De Natura Logicæ & ejus Objecto. 30
QUÆSTIO I. *De genere in Definitione Logicæ ponendo.* ib. ib.
Diff. 1. An Logica sit scientia. 31
Diff. 2. Solvuntur Objectiones.
Difficul. 3. An Logica sit scientia Practica an Speculativa. 34
Diff. 4. An Logica sit purè practica. 35
Diff. 5. An Logica sit ars an facultas. 37
QUÆSTIO II. De *Differentia Logicæ,* 38 ib.
Diff. 1. De objecto materiali Logicæ. ib.
Punctum Diff. 1. An Operationibus intellectus competat esse materiale Objectum Logicæ. ib.
Punctum Diff. 2. An prima Operatio sit objectum materiale Logicæ. 40
Punctum Diff. 3. An secunda Operatio & non solus Syllogismus sit materiale Logicæ. 41
Punctum Diff. 4. An tertia operatio & non sola Demonstratio sit Objectum materiale Logicæ. 44
Punctum Diff. 5. Colligitur Objectum materiale Logicæ, ubi & de Conceptibus Objectivis. 46
Diff. 2. De objecto formali Logicæ & de objecto attributionis. 47
Punctum Difficult. Præmittuntur quædam de rectitudine Logicæ. ib.
Punctum Diff. 2. Proponitur Objectum formale Logicæ. 48
Punctum Diff. 3. Respondetur Objectionibus. 50
Diff. 3. Respondetur quibusdam quæstionibus de objecto Logicæ. 52
QUÆSTIO III. *De iis quæ non sunt definitiva Logica.* 53
Diff. 1. An Ens rationis sit objectum Logicæ. ib.
Diff. 2. An voces sint objectum Logicæ. 56
Diff. 3. An res sint objectum Logicæ. 58
QUÆSTIO IV. *De Divisione Logicæ.* 59
Diff. 1. Quid nomine Logicæ Utentis veniat apud alios. 60
Difficult. 2. Quid nomine Logicæ Utentis venire debeat. 62
Diff. 3. Quomodo Logica Docens ab Utente distinguatur. 64
QUÆSTIO V. De *Necessitate Logicæ.* 66

DISPUTATIO III.
De Natura universalis in communi. 68
QUÆSTIO. I. *De unitate Universalis* 69
Diff. 1. An habeat Natura à parte rei actu unitatem ortam ex Indivisione Unitatis Formalis. 70
Diff. 2. An habeatur à parte rei Unitas Orta ex statu Præcisionis. 71
Diff. 3. An habeatur à parte rei Unitas negativa universalis. 72
Diff. 4. De Unitate universalis & convenientiæ. ib.
Punctum Diff. 1. Datur ne à parte rei unitas Convenientiæ & unitas formalis. 73
Punctum Diff. 2. An prædicatæ Unitates sint sufficientes ad universale formaliter. 74
Punctum Diff. 3. Fundamenta Oppositorum. 76
Diff. 5. Proponitur tenenda sententia de Universali. 77

Quæstio

QUÆSTIO II. De *Actu Intellectus per quem fit* Natura universalis una. 80
Diff. 1. An universale fiat per actum confusè singularia cognoscentem. *ib.*
Punctum Diff. 1. Quid tenendum. *ib.*
Punctum Diff. 2. An de eodem realiter possint verificari duo contradictoria. 81
Punctum Diff. 3. Alia Argumenta pro actu confuso. 86
Diff. 2. Per quem actum fiat Natura universalis una. 87
Punctum Diff. 1. Post Præmissa, proponitur defendenda sententia. 88
Punctum Diff. 2. Solvuntur Objectiones. *ib.*
Punctum Diff. 3. Inferuntur quædam ex dictis. 92
Punctum Diff. 4. An requiratur actus comparativus ad universale formaliter. 94
Punctum Diff. 5. Notantur quædam de fabricatione universalis & ejus Unitate. 95
Punctum Diff. 6. Quid tenendum de Recursu ad diversa Phantasmata in Præcisionibus objectivis. *ib.*
Punctum Diff. 7. Satisfit Suppositis in oppositum. 97
QUÆSTIO III. *De Universalis aptitudine & Prædicabilitate.* 98
Diff. 1. An detur à parte rei aptitudo Naturæ universalis. 99
Diff. 2. Referuntur quædam ad aptitudinem Naturæ Universalis spectantia. 100
Diff. 3. De Prædicabilitate Universalis. 101

DISPUTATIO IV.

De Universalibus in particulari. 104
QUÆSTIO I. De *Numero Prædicabilium.* *ib.*
QUÆSTIO II. *De Genere.* 107
Diff. 1. An & quomodo genus definiatur. *ib.*
Diff. 2. De Nexu Generis cum speciebus & individuis. 109
Diff. 3. De quibus Genus prædicetur ut Genus. 112
QUÆSTIO II. *De Differentia.* 114
Diff. 1. Quid & de quo prædicetur Differentia. 115
Diff. 2. An una Differentia formaliter includat aliam. 116
Diff. 3. Fundamenta in Oppositum. 117
QUÆSTIO III. *De Specie.* 119
Diff. 1. De Individuo primo intentionaliter sumpto. 121
Diff. 2. De definitione Individui secundo intentionalis. 123
Diff. 3. De Individuo vago. 124
QUÆSTIO IV. *De Proprio.* 125
QUÆSTIO V. *De Accidente.* 126

DISPUTATIO V.

De Anteprædicamentis, Prædicamentis, Postprædicamentis in communi. 127
QUÆSTIO I. *De Anteprædicamentis.* *ib.*
Diff. 1. De Univocis. *ib.*
Diff. 2. De Æquivocis. *ib.*
Diff. 3. De Analogis. 128
QUÆSTIO II. *De Prædicamentis.* 129
QUÆSTIO III. *De Postprædicamentis.* 130

DISPUTATIO VI.

De Prædicamentis in Particulari & in Specie. 130
QUÆSTIO I. *De Existentia & subjecto Relationis.* *ib.*
QUÆSTIO II. *De Quidditate Relationis.* 134
Diff. 1. Quid definitivè Relatio. *ib.*
Diff. 2. Quid sit in re apud alios Relatio. 136
Punctum Diff. 1. An Relatio sit quid Distinctum re. *ib.*
Punctum Diff. 2. Fundamenta Oppositorum. 137
Punctum Diff. 3. Solvuntur reliqua Argumenta. 139
Punctum Diff. 4. An Relatio sit modus. 140
Punctum Diff. 5. An Relatio sit formalitas. 143
Diff. 3. Proponitur quid sit Relatio? 144
Punctum Diff. 1. Tenenda sententia. *ib.*
Punctum Diff. 2. Componiturne creata Paternitas creata Filiatione. 146
Punctum Diff. 3. Solvuntur Objectiones. 147
Punct. Diff. 4. Solvuntur Argumenta Recentiorum. 150
Punctum Diff. 5. Continuatur solutio. 153
QUÆSTIO II. *De Divisione Relationis.* 157
Diff. 1. Quid sit Distinctio apud alios inter Relationem Prædicamentalem & Transcendentalem. 159
Diff. 2. Assignatur hoc Distinctivum. 161
Diff. 3. An Relationes Transcendentales sint rebus absolutis primo Essentiales. 162
QUÆSTIO III. De Fundamentis Relationum & requisitis. 165
Diff. 1. An idem possit adse referri Relatione saltim Transcendentali. 166
Diff. 2. An ad realem Relationem diversa ratio fundandi sit necessaria. 167
Diff. 3. An una Relatio possit esse fundamentum alius. 168
QUÆSTIO IV. *De Termino Relationis.* 170
Diff. 1. An Relatio terminetur ad relativum esse an verè ad absolutum? 171
Diff. 2. Rationes Oppositorum. 173
Diff. 3. An ad multiplicationem Terminorum multiplicentur Relationes. 175
QUÆSTIO VI. *De affectionibus Relationum.* 178

TRACTATUS III.

De secunda & tertia Operatione. 179

DISPUTATIO VII.

De secunda operatione. *ib.*
QUÆSTIO I. *De Proprietate enuntiationis quæ est veritas.* *ib.*
Diff. 1. Proponitur quid sit apud alios veritas cognitionis. *ib.*
Diff. 2. Proponitur tenenda sententia. 183
Diff. 3. Quomodo una propositio de vera possit transire in falsam. 184
QUÆSTIO II. *De veritate in particulari Propositionum absolutarum.* 186
QUÆSTIO III. *De veritate Futurorum liberorum Conditionatorum.* 187

DISPUTATIO VIII.

De Syllogismo. 190
QUÆSTIO I. Explicatur Natura discursus & Syllogismi. *ib.*
De Discursu. *ib.*
De Syllogismo. 191
QUÆSTIO II. *De Præmissis.* 194
Diff. 1. Quomodo præmissæ causent conclusionem. *ib.*
Diff. 2. Quomodo necessitent præmissæ ad Conclusionem. 195
Diff. 3. De habitudine Conclusionis ad Præmissas. 200
Punctum Diff. 1. Præmittuntur quædam. *ib.*
Punctum Diff. 2. An Conclusio respiciat Objecta Præmissarum. 201
Punctum Diff. 3. Solvuntur Objectiones. 202
QUÆSTIO III. *De Conclusione.* 205
Diff. 1. Præmittuntur quædam ad statum quæstionis intelligendum. *ib.*
Diff. 2. Decernitur de Difficultate. 206
Diff. 3. An Conclusio sequatur debiliorem partem. 209

DISPUTATIO IX.

De *Demonstratione.* 212
QUÆSTIO I. *An Conclusio sit æqualis in evidentia ipsis præmissis demonstrationis.* 214
Diff. 1. Supponuntur quædam ad Conclusionem. *ib.*
Diff. 2. Decernitur quid sit sentiendum. *ib.*
Diff. 3. Respondetur Objectionibus. 216
QUÆSTIO II. *An Conclusio demonstrationis sit certior Præmissis.* 218
QUÆSTIO III. *An Conclusio sit verior Præmissis in Demonstratione.* 219

INDEX II.
CONCLUSIONUM EX LOGICA.

TRACTATU II.
DISPUTATIONE I.

De natura scientiæ & objecti in communi.

ALiqui veteres Academici non agnoverant ullas scientias de novo, sed putabant reddi nos scientes unione intellectus. Alii negabant omnes scientias, eò, quòd omnia sint in universo fluxa. Ex alio autem fundamento negavit Plato, de novo scientias dari, sed indubie dantur scientiæ de novo.

Quid nominis scientia, & quid Rei. Causa adæquata, & determinata est sufficiens, ad scientiam habendam, quantumvis possit impediri, ne producat effectum. De contingentibus reduplicativè sumptis & de eodem modo sumptis singularibus potest dari scientia.

Quid Entitativè evidentia actûs. Quotuplex. Evidentia proportionata præcedit certitudinem, semper.

Quid certitudo. Quotuplex specificativum scientiarum non est ratio formalis. Quæ Nec specificantur à diversa abstractione nec ab objecto tam Attributionis, quàm Attributi sed per naturam objecti Attributionis. Quod ipsum non desumitur ex placito Philosophorum Ibidem. Esse tamen hoc objectum Attributionis non est quid distinctum re, ab objecto materiali & formali simul sumptis.

Quid tenendum de Vnitate scientiæ. Quis status difficultatis in præsenti: nulla est unitas scientiæ, quæ oriatur ex compositione Physica illius scientiæ ibidem, necesse tamen est dari Habitus & scientias, qui sint simplices qualitates; scientia Totalis, quæ haberet unum idemq; objectum formale immediatum, esset simplex qualitas. Nulla scientia totalis, ex iis, quæ dantur, est simplex qualitas, Datur aliqua scientia Practica.

De divisione scientiæ.

DIviditur etiam scientia in subalternantem & subalternatam, ad subalternationem, rigorosam requiritur, ut subalternata habeat idem objectum formale cum subalternante, & nonnisi conditionem accidentalem addat.

DE OBJECTO.

OBjectum ut sic definitive est. Ratio ejus circa quod. Non est idem subjectum & objectum rigorosè loquendo. Nullum in Specie objectum, determinate acceptum est æquale potentiæ.

DE DIVISIONE OBJECTI.

QUid complexum, quid incomplexum objectum, quid materiale, quid formale, Quid ratio, formalis quæ, propter quam, sub qua, Quid objectum adæquatum, quid inadæquatum.

Quid primarium objectum: Explicatur ratio objecti Attributionis & Attributi. Quæ conditiones objecti Attributionis.

Objectum Attributionis, non debet esse primarium; in ratione Entis. Non stat in hoc objectum Attributionis, quòd eo sublato tollatur scientia. Ratio objecti Attributionis, cadit immediatè suprà rationem formalem, Dantur objecta Attributa & partialia.

DISPUTATIONE II.

De natura Logicæ & ejus objecto.

LOgica est Scientia, eaq; Practica, & quidem purè. Sed estne Logica Ars, an facultas. Quid Actio, quid factio Logica prout dirigit operationes sine demonstratione, est propriè Ars.

Dantur suppositiones in quibus Logica non potest appellari Facultas. Potest tamen suo modo appellari Facultas.

Differentia Logicæ desumenda ex objecto 55. Operationes intellectûs sunt objectum Logicæ Materiale. Prima Operatio, cui competit esse veram. Licet non detur per se falsitas in illa tamen est objectum Materiale Logicæ. Quod etiam competit & secundæ Operationi. Et tertiæ, licet non sola demonstratio, sit tale objectum. Colligitur quodnam sit materiale objectum. Conceptus formales & objectivi suntne materiale objectum.

Discurrendo de formali Objecti Logicæ videndum quid rectitudo Logica sit ex modo concipiendi. Et quid in re. Quæ ipsa rectitudo dividitur in Activam & Passivam. Hoc dirigi & rectificari quomodo perficitur. Ex quibus infer rectitudinem Operationum, esse formale Logicæ. Qualiter sumpta rectitudo est objectum formale Logicæ. Non bene illa exprimitur sub nomine Operationum Rectarum. Nec sub nomine dirigibilium. Sed potius sub nomine Rectificabilitatis, sita ut operationes Rectificabiles sint objectum Logicæ. Sed non debet sumi

sumi operatio aliqua in communi, abstrahens ab omnibus tribus. Intellectus etiam ut dirigibilis Logicè. Ens rationis duplex est, Metaphysicum & Logicum. Quid Intentio quid Prima & Secunda intentio quid Denominatio Nec ens rationis Metaphysicum seu chimæricum. Nec proprium, est Objectum Logicæ. Cæterum ens rationis Logicum, si ad mentem sancti Thomæ sumatur, est objectum Logicæ.

Nomine vocum quid venire potest. Voces prout manifestativæ conceptum non sunt objectum Attributionis Logicæ per se, & adæquatum sunt reductivè.

Res non sunt Objectum Logicæ proximum & immediatum sunt tamen remotum.

Variæ divisiones Logicæ. Celeberrima hîc in Utentem & Docentem. Nomine Utentis apud alios venit habitus inclinans intellectum ad usum præceptorum Logicorum in sola materia propria Logicæ. Alii nomine Utentis accipiunt omnes alias scientias, quæ utuntur præceptis Logicis. Sed potius nomine Utentis Logicæ venit habitus inclinans intellectum ad usum præceptorum Logicorum in quacunq; materia. Unde illa concurrit ad demonstrationes etiam aliarum scientiarum. Præceptis tamen Logicis uti propriissimè convenit intellectui. Certum est apud omnes. Actus Logicæ Utentis à Docente distingui connotatis extrinsecis esseque distinctos realiter. Habitus Logicæ Utentis acquisitus ex directione Logicæ naturalis, distinguitur realiter ab habitu acquisito ex directione Logicæ Artificialis. Habitus tamen Utentis Logicæ vel Docentis, non sunt realiter adæquatè distincti ab habitu Logicæ totali, distinguuntur tamen realiter adæquatè inter se.

Logica Naturalis est necessaria, simpliciter ad omnes Scientias, sed non Artificialis. Hæc enim est tantum Necessaria secundùm quid.

DISPUTATIONE III.

De Natura Universalis in Communi.

DEbent dari Universalia. Ly Universale est terminus concretus. Quæ divisio Universalis Universale tamen non est idea Platonica.

De Unitate Vniversalis.

VNitas formalis Naturæ dividitur à parte rei. Non habetur à parte rei Unitas Vniversalis orta ex statu præcisionis. Nec datur à parte rei Vnitas Negativa. Datur tamen Vnitas Convenientiæ. Vnitas item formalis. Neutra est sufficiens ad Vniversale, sed sufficiens ad Vniversale Vnitas, est indivisio in plura cum aptitudine ad inessendum multis.

Non datur actu à parte rei natura Communis, nemine cogitante condistincta à differentiis.

Actus quo natura Vniversalis fit Vna, non est actus confusè cognoscens singularia. In omni sententia, Verificantur duo contradictoria, si præcisè contradictio spectetur penes terminos oppositos. In nulla autem sententia verificantur duo contradictoria formaliter & simpliciter talia. Vnde tum primum verificarentur duo Contradictoria quando non tantum verificarentur termini contradictoriè oppositi sed & de eodem, & idem, & ratione ejusdem.

Discurrendo de actu quo fiat natura universalis una, supponitur intellectionem produci à potentia intellectiva, indigere tamen compleri. Quomodo hæc completio fit. His & aliis præmissis infertur Naturam Vniversalem fieri unam per actum abstractivum seu præcisivum ex parte Objecti. Vniversale consistit in conceptu non formali sed objectivo. Vnitas universalis est illi intrinseca. Ad universale non requiritur actus comparativus. Quomodo fit fabricatio Vniversalis.

De Aptitudine Vniversalis.

DVplex cogitari potest aptitudo quę est prædicatum Vniversalis. Quo sensu illa datur, Et an sit sufficiens. Quo sensu non datur nemine cogitante. Hæc Aptitudo in recto, est ipsa natura. Ea debet esse non tantum ad esse in multis, sed & ad existendum in multis. Aptitudo Negativa, est aptitudo Vniversali debita, licèt & illa sit suo modo positiva.

Quid Prædicabilitas Vniversalis? Illa accepta pro eo quod dicit in recto est de essentia Vniversalis Metaphysici licet suo modo sit tantùm proprietas, Sed est de essentia Vniversalis Logici. Hæc autem Prædicabilitas deber sumi pro Prædicabilitate passiva. Vniversale non prædicatur neque ut universale neque ut singulare. Sed prædicatur Natura secundùm se. Hocque ipso quia prædicatur Natura præcisa à differentiis prædicatur Vniversale. Et quamvis non prædicetur Vniversaliter non tamen singularisatur in prædicatione.

DISPUTATIONE IV.

De Vniversalibus in Particulari.

Quotnam sint Prædicabilia.

DE GENERE.

GEnus definiri potest. Definitivè est id quod de pluribus specie vel numero differentibus in eo quod quid prædicatur. Hinc prout est Vniversale, requirit plures species. Non autem prout natura est. Individua Generica non dantur à parte rei. Dantur per rationem. Et de illis prædicatur Genus. Quo etiam modo prædicatur de Individuis Completis. De quibus interdum immediatè interdum mediatè dicitur.

DE DIFFERENTIA.

Differentiæ nomine quid venit. Fieri potest ut aliquid quod est respectu Unius Differentia sit respectu alius Genus. Definitivè illa est id quod prædicatur de pluribus in Quale quid. De Genere tamen & de specie non prædicatur

ut

ut Differẽtia sed de inferioribus Speciei Generica tamen Differentia & specifica, non constituunt duo diversa Prædicabilia. Una Differentia formaliter accepta prout est de parte rei includit formaliter aliã: Non includit prout subest nostris conceptib⁹ Ita ut Differentia etiã inferior Metaphysice sumpta nõ includat formaliter superiorẽ.

DE SPECIE.

Quid nomine Speciei venit? Quæ ejus divisio. Species subjicibilis quomodo definiendæ?

Individuum aliud est primo intentionaliter sumptum. Aliud secundo intentionaliter. Potest dari ratio comunis omnibus individuis. Datur individuum Vagum. Quid illud & quotuplex Datur in Divino intellectu suo modo quomodo illud prædicetur.

DE PROPRIO.

Quid Proprium; sive illud primo intentionale sive secundo intentionale. De quo prædicatur Proprium universaliter.

DE ACCIDENTI.

Quid quotuplex Accidens? & de quo Universaliter prædicatur Accidens ut Accidens

DISPUTATIONE V.

De Anteprædicamentis, Prædicamentis & Post prædicamentis.

Quid univoca? Quæ illorum divisio. Excluduntne disconvenientiam. Quid Æquivoca? Quot. Excluduntne omnem convenientiam. Dantur Analoga & quid illa sunt. Quæ fundamenta Analogiæ. Quæ signa.

Quid Prædicamenta? Quot. Quænam ponantur in recta linea prædicamentali.

Quid Postprædicamenta Quot? & quæ?

DISPUTATIONE VI.

De Prædicamentis in particulari & in specie de Relatione.

DE RELATIONE.

Explicantur termini in hac materia usurpabiles. Dantur Relationes in Creatis. Et in Deo ad Creaturas. Et creaturarum ad Deum.

Definitive Relatio Est formalitas cujus totum esse est ad aliud se habere. Non est illa realiter distincta à fundamento cum ratione fundandi sumpto & termino. Nec est modus entitativè superadditus. Aut formalitas ex natura rei distincta, si relatio Physicè spectetur nil aliud est in re quam ipsa duo extrema. Metaphysice autẽ spectata est ipsum fundamentũ prout, connotans terminum.

DE DIVISIONE RELATIONIS.

Varia divisio Relationis. Quid sentiendum de ratione prioris & posterioris. Quæ distinctio per alios inter relationem prædicamentalem & transcendentalem. Per hoc distinguuntur, quod transcendentalis sit rebus essentialis secus prædicamentalis. Transcendentales relationes neq; sunt primo neq; secundo essentiales rebus absolutis prout res absolutæ Physicè spectantur. Non sunt tamen primo essentiales rebus absolutis Methaphysicè spectatis. Licet sunt primò essentiales absolutis quà relativa sunt.

DE FUNDAMENTIS.

Fundamenta relationum sunt tria. Et requisita tria, idem non potest referri ad se etiam relatione transcendentali. Casu quo poneretur una v. g. Albedo in duobus subjectis referrentur illa Subjecta ad se relatione reali. Una relatio non fundat aliam.

DE TERMINO RELATIONIS.

Non omnis Relatio Transcendentalis, requirit Terminum Actu existentem. Requirit prædicamentalis. Possunt tamen manere denominationes aliquę denominativæ, licet non maneat Relatio. Relationes non mutuæ terminantur ad absolutum. Mutuæ item Multiplicatis terminis multiplicantur Relationes.

Quæ affectiones Relationum.

TRACTATU III.

DISPUTATIONE VII.

De Enunciatione.

DE Proprietate enuntiationis quæ est veritas Veritas non est Relatio Relationis. Nec Relatio Realis. Nec est Prædicatum aliquot intrinsecum propositioni sed in re. Veritas est Actus & objectum, ita se habent ut dicit Actus, ita tamen ut in recto dicatur Actus, pro connotato. Objectũ potest tamen concipi per modum pullulantis formalitatis, ex radicali illa Conformitatẽ. Propositiones quæ significat determinatè aliquot instans, si comparentur ad diversam instans, possunt esse v. g. falsæ, hocque sensu transire de veris in falsas, Futura absoluta habent determinatam veritatem itemq; Conditionata.

DISPUTATIONE VIII.

DE DISCURSU.

Discursus Philosophici nomen unde translatum. Definitivè discursus est progressio intellectus cognitione in aliam. Discursus alius virtualis alius Formalis, & formalis debet habere partes distinctas.

DE SYLLOGISMO.

In definitione Syllogismi pro genere potest poni Oratio. Figura Galeni est legitima præter Aristotelicas & Galeni, nulla alia datur bene concludendi species. Illud principium Quæ sunt eadem uni tertio Est universale regulativum Syllogismorum affirmativorum. Quomodo hoc Principium alii accipiunt. Quomodo accipiendum.

Præmissæ non causant conclusionem propriè physicè in genere causæ efficientis sed impropriè in genere causæ efficientis, complendo scilicet & illuminando intellectum. Necessitant ad speciem Actus circa Conclusionem eliciendi & ad exercitium Actus. Conclusio respicit Objecta Præmissarum. Ad Syllogismum necessaria est cognitio de bonitate, consequentiæ sed non debet esse distinctus actus à judicio Consequentis. Licet debeat simplex apprehensio præcedere, utriusq; extremi conclusione contenti. Conclusio sequitur debiliorem partem. Et sequi conclusionem particularem ex Particulari Præmissa Negativam ex Negativa, est sequi debiliorem partem. Explicatur hæc debilitas.

DISPUTATIONE IX.

De Demonstratione.

Quid demonstratio. Ejus ex Aristotele definitio estne rigorosa. Quæ divisio Demonstrationis. Præmissæ sunt evidentiores Conclusione certiores item. Sed non veriores.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRÆLECTIONES PHILOSOPHICÆ,

IN

OCTO LIBROS

PHYSICORUM,

R.P. THOMÆ MŁODZIANOWSKI,
POLONI, SOCIETATIS JESU.

INSERTÆ SUNT ET

QUÆSTIONES MAGIS DISPUTABILES,

DE

COELO ET MUNDO.

DEI CARO-FACTI MATRI

DE

CORPORE NATURALI,

VERBUM VERBO CONCIPIENTI.

DE

AUSCULTATIONE,

BEATISSIMÆ UT OCTO

IN

OCTO LIBROS PHYSICORUM

PRÆLECTIONES PHILOSOPHICAS

Componebat

Mancipium Ejusdem

T. M. S. J.

APPROBATIO

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

DN. Infulati Præpoſiti Laſcenſis, Scholaſtici Vladislavienſis, Archi-Diaconi Poſnanienſis, Gneſnenſis, Lancicienſis, Canonici, Vicarii & Officialis Generalis Poſnanienſis, S.R. Majeſtatis Secretarii.

Prælectiones Philoſophicas, R.P. Thomæ Młodzianovvski, Societatis JESV, SS. Theol. Profeſſoris, authoritate Adm. R.P. ejusdem Societatis Provincialis, recenſitas & approbatas, uti luce publica dignisſimas, prælo mandandas cenſeo & permitto. In quorum fidem præſentes, manu propria ſubſcribo. Datum Poſnan. d. 28. Menſis Martii, Anno Domini 1670.

ALBERTUS DOBRZELEWSKI,
Præpoſitus Laſcenſ. Archi-Diaconus, & Officialis Poſnan. Generalis.

FACULTAS.

ALEXANDER LORENCOWIC.

COncedo Facultatem P. Thomæ Młodzianovvski, Societatis JESU Theologo, poteſtate ad id mihi datâ à Reverendo P. Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali ejusdem Societatis, ut Commentationes in 8. libros Phyſicorum ab eo conſcriptæ, quoniam ab aliquot Patribus Theologis, ad id Deputatis recognitæ probantur, in lucem editæ, typis mandentur. Cujus rei gratiâ haſce literas manu noſtrâ, & Sigillo officii munitas dedimus. Lublini 4. Januarii 1670.

ALEXANDER LORENCOWIC,
Præpoſitus Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

PROOEMIUM.

Nihil hîc ago de Quæstionibus Proœmialibus Physicis : Quia Majores, quæ in hac materia, assumi debebant, omnes sunt expensæ in Logica, sub quibus Minores facilè subsumi possunt; ita ut de re, nulla sit in præsenti difficultas: aut enim pro objecto statuitur Ens mobile, aut Corpus quà tale, aut Corpus substantiale, aut Corpus naturale, quæ omnia in re idem sunt. Quia ad prædicta, in Re vocantur omnia, quæ scibilia sunt in Physica, ipsa autem secundùm rem, ad nihil aliud revocantur, de cæteroq; supponuntur esse scibilia. Quoad vocem autem attinet, non commodè appellatur objectum Physicæ, Ens mobile, propter rationes in Logica, in simili adlatas, de Objecto, sub nomine Entis, non constituendo. Non rectè etiam appellatur Corpus quà tale : quia si nihil obsit, debet assignari objectum formale, distinctum à materiali : Cùm enim objectum definitivum sit scientiæ & in definitionibus, explicitè, licet breviter, singula sint evolvenda; non evolvuntur autem, si idem, & sub eodem nomine, pro formali ponatur. Vnde fit, ut si possit fieri, quærendum sit aliud nomen. Commodiùs ponitur Corpus substantiale, sed quia recedit à phrasi Aristotelica, quæ Libros, præsentis materiæ, à Natura appellat, fit ut commodissimè dicatur objectum Physicæ, esse Corpus naturale. Ly naturale, non accipiendo pro eo, quod opponitur supernaturali, sed secundùm præsentem materiam, quæ seipsam explicat. Nempe prout Corpus naturale, sumitur pro Corpore, in quantum est principium motûs, & quietis, in quantum ex Vi Corporis, deposcit quantitatem, & similia.

TRACTATUS I.

DE PRINCIPIIS ET CAUSIS CORPORIS NATURALIS.

Contra Communem cæteroquî praxin, non sejungo Tractationem de Principiis, à Tractatione de Causis. Licet enim ut ex inferiùs dicendis constabit, principium & Causa distinguantur, tamen in Physica, quod habet rationem principii intrinseci compositivi, vel extrinseci, habet rationem Causæ accommodatè acceptæ, & si quid est specialis diversitatis, brevi perstringi potest.

DISPUTATIO I.

De Principiis & Causis in Communi.

EA quæ concernunt formalitatem Principii, inprimis perstringenda sunt.

PRÆMITTO I. *Quæ sit Definitio Principii ut sic.* Plures diversis locis tradit Philosophus. *Prima* est 4.Metaph.t.1. *est primum, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur. Secunda* 1.Phys. T.42. *Oportet principium neque ex alterutris esse, neque ex aliis, & ex his omnia. Tertia* 5.deGen.Anim.c.7. *Principium est illud, quod ipsum quidem est causa multorum, sed ipsius nulla superior.* In idem fermè recidit, & illa, 5.Poët. *est id, quod post aliud, necessariò non est, post illud autem, aliud natum est esse, vel fieri.* Maximè propria est *Prima* Definitio, licet etiam non sit exacta: quia procedit, per enumerationem; quibus omnibus, quasi rationem, communem tradit, S.Thomas 1. p. q.31. a.1 Principium dicitur esse, à quo aliquid, quomodocunque procedit.

Quomodo autem ratio principii possit salvari, sine nova Inceptione, discitur in aliis materiis, attingeturque ubi de Creatione.

PRÆMITTO II. *Quæ sit definitio Principiorum Corporis Naturalis.* Desumitur illa ex 1.Phys. t. 42. *Principia sunt, quæ neque ex aliis, neque ex alterutris fiunt, & ex his, omnia.* Ut autem ly *ex* toties positum explicetur, sensus erit, dictæ definitionis, ut communiter docetur, Principia Physica, neque Terminativè, neque Compositivè fiunt, in ordine rerum naturalium, ex aliis, aut ex alterutris, ex ipsis autem, vel Compositivè, vel terminativè fiunt omnia materialia.

PRÆMITTO III. *Quòd sint principia Corporis Naturalis.* In fieri tria sunt. Materia, forma, privatio, in facto esse duo, Materia & Forma.

RATIO est. Quia in omni transmutatione, datur terminus à quo, terminus ad quem, & illud ipsum permanens, quod transmutatur. Primum est privatio, secundum forma, tertium ipsamet materia. Argumentum hoc infra redibit tractandum. Procedit autem resolutio, de principiis intrinsecis: quia efficiens, & finis, sunt principia extrinseca. Quod autem in facto esse, sint duo. Ratio est: quia impossibile est, stare privationem cum forma. Imò ratione horum duorum, dicuntur esse prima principia, prima contraria. Hæc summatim tractata, fusiùs ab aliis exposita, fermè ab omnibus, eodem tenore leges.

QUÆSTIO I.

De Prædicatis essentialibus Causæ.

INvestigata definitione Causæ, perstringenda erit connexio illius, sitne essentialis cum effectu.

DIFFICULTAS I.

Explicatur Essentia Causæ, ut sic.

IN Definitione Causæ, attendendum est; nè conveniat Patri æterno, respectu Verbi, & respectu Spiritûs S. utrique. Ne conveniat conditionibus, privationi; solis tantùm intrinsecis, vel solis extrinsecis Causis. Item ne conveniat Personæ Verbi respectu Humanitatis.

EXPLICAT I. Suar. D.18. Metaph. S.2. n.3. est principium per se influens esse, in aliud.

IMPUGNAT I. Hanc definitionem Arriaga: Quia Pater æternus, qui est aliud suppositum à Filio, influit esse in aliud suppositum; & tamen non est causa Filii.

RESPONDERI potest. Quòd ly aliud simpliciter prolatum, ex sensu Patrum, significat alietatem essentiæ. Hinc absolutè potest dici filius alius à Patre, sed non aliud. Cùm autem Suar. sine addito aliud posuerit, non potest definitio illius aptari ad probandum Patrem æternum esse causam Filii.

IMPUGNARI potest II. Quia per ly aliud, vel intelligis naturam, vel intelligis quidditatem, si naturam. Ergo subsistentia, posito quòd sit entitativè distincta, nullam habet sui causam: quia dùm producitur, non producitur natura, si autem intelligis, quamcunque quidditatem. Ergo Pater, respectu Personæ Verbi, erit Causa: producet enim Personam Verbi, adeoque quodquid Verbi, quà Verbi.

RESPON-

Responderi posset. Nisi aliquid addatur, hoc Argumentum non concludet, quia quidditas sine addito, idem est, quod natura, solisque formalitatibus differunt. Hinc si non producitur natura Filii, neque producitur quidditas Filii. Posset tamen acui hoc Argumentum, ut fiet infra. *Absolutè tamen loquendo*

Non Satisfacit Dicta explicatio. Tum quia potest idem producere seipsum, ubi verè erit causans, & causatum, non tamen erit influxus, esse in aliud. Tum quia secundo loco positum argumentum, restitui potest; ly enim aliud, non supponit pro natura, ut probatum supra, non pro definibili quocunque habente aliquam perfectionem, & tamen productam: quia aliàs persona Verbi, dicens relativam perfectionem, dicenda erit causata. Tum quia etiam causæ per accipens, sunt verè causæ, & tamen per se non influunt esse.

Explicat 2. Arriaga. Causa, est id, quod per se influendo producit essentiam. *Hæc explicatio ex dictis*

Non Satisfacit. Tum quia si nomine essentiæ intelligatur id, quod contraponitur subsistentiæ. Sic subsistentia, si est quid distinctum ut est per Arriaga distinctum, non habebit sui causam. Si autem non sic sumatur essentia, non apparet, quî Pater, respectu personæ Verbi, non dicatur causa. Tum quia dantur causæ per accidens, quæ verè sunt causæ, & tamen per se non influunt.

Explicat 3. Fonseca, consentientibus Conimbr. Quòd causa, sit principium, per se influens esse, in aliquid à se dependens.

Impugnari solet. 1. Ly pendere ab alio, vel significat, quòd ille terminus, qui producitur, non possit esse, nisi ab alio, & sic verbum etiam erit causatum: quia illud essentialiter est à Patre. Si autem per ly pendere ab alio, significatur indigentia, quam habet terminus ad esse à causa, sequetur nec per Divinam potentiam, eundem effectum, posse à pluribus causis totalibus produci, nullâ enim ex his determinatè indiget effectus.

Responderi posset. Sufficit, quòd saltem indeterminatè aliquâ ex iis indigeat.

Impugnat 2. Oviedo: quia si ex Auctoribus istius definitionis, quæras rationem, quare Verbum non sit causatum, respondent: quia scilicet non dependet à Patre. Si autem quæsieris, quare non dependet à Patre, respondent quia dependere est habere productam essentiam, quod certè est arbitrarium: nam ex præcisa vi termini *dependet*, non significatur produci essentiam. Hinc datur dependentia à conditionibus passionibus formâ, quæ dependentiæ non arguunt productionem essentiæ.

Responderi potest. Quòd in communi phrasi, & sine addito, dependentia supponat pro aliquo imperfecto; ut cum dicimus, creatura pendet à Deo, servus à nutu Domini. *Absolutè tamen loquendo*

Non Satisfacit hæc explicatio. Tum quia ex ea, non potest reddi clara ratio, cur Pater æternus, respectu Filii, non sit causa, cum verè non possit esse, nisi à Patre: nam ut supra vidimus, dependentia non arguit productionem essentiæ, non significat etiam semper imperfectionem: nam essentia dependet à suis passionibus, & perfectionibus, relationes transcendentales à suis terminis. Cur ergo dependentia originis argueret imperfectionem. Tum quia esse illud dependens, vel significat quidditatem, vel naturam. Si naturam. Ergo Subsistentia distincta, nullam potest habere sui causam; si quidditatem, vel perfectionem productam. Ergo Verbum, quod in ratione Verbi producitur, dependens, adeoque causatum erit. Tum quia ut dixi supra, etiam causæ per accidens, sunt verè causæ, neque tamen per se influunt.

Explicatur 4. Quid sit causa? Nempe, quòd sit principium, propter quod per se, seu virtute sua influens, sequitur aliquod esse. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia usurpat terminos dubios, & tamen definitio, quæ est ipsissima sciendi claritas, non vult talia dubia, dubium autem est. An ly propter quod, non supponat pro causa finali: Nam motiva exprimuntur per ly propter quod; Rursùs non apparet, quî hæc definitio, sine nova explicatione, & distincta ab hac, possit aptari causis intrinsecis? cum illæ non virtute sua, sed seipsis influant, & causent. Tum quia ly illud *esse*, vel supponit pro natura, & sic subsistentia distincta, non posset habere sui causam; Vel ly *esse*, supponit pro quacunque quidditate, & sic etiam Verbum Divinum causari, quantum ex vi hujus termini non repugnaret, præcipuè in sententia, quæ agnoscit relativas existentias. Tum quia si recurras ad hoc, quòd esse Verbi non sequatur, inquirendum erit, quid ly *sequitur* importet? Si enim quamcunque posterioritatem importet, sic sequetur etiam verbum, quòd est posterius origine, præoriginante: Si per ly *sequitur*, intelligatur sequela durationis seu posteritas durationis; Sol non erit causa luminis; quia in eodem instanti reali, emanavit ex se lucem: Si autem ly *sequitur*, supponit pro dependet; redeunt Argumenta superius in simili facta. *Hinc aliter*

Explicatur 5. *Quid sit causa?* Quòd sit principium, vi sua determinans ad existendum. Usurpo potius ly *vi sua*, quàm per se, vel virtute propria, quia causæ per accidens, per se non influunt, & tamen sunt verè causæ. Nec adhibeo hunc terminum; Virtute propria: quia causæ instrumentales, sunt verè causæ, non tamen dicuntur agere virtute, & nomine proprio, sed in Virtute principalis, cum tamen ha-

beant vim sibi convenientem agendi, per quam vim agendi, excluduntur conditiones, qualis est approximatio, quæ non agit, sed agens, unit localiter. Per ly *determinans*, excluduntur Personæ divinæ. Nam determinatio, indifferentiam saltē in priori naturæ exigit: quid enim determinaret, & auferret? Nulla autem etiam cogitabilis fuit indifferentia in Personis Divinis, ut essent. Determinatio etiam significat limitationem. Hinc Bessarion. cap. ult. ad fin. Concil. Florent. negat in isto sensu, in quo causa limitationem dicit, appellare Græcos, Patrem æternum, causam Filii. Per quem etiam terminum, privationes, imò & conditiones excluduntur à ratione causæ: quia possunt esse, & non determinare ad existentiam, nec habere vim determinandi. Subsistentia etiam Verbi non est causa Humanitatis: quia illud non determinat ad existendum. Denique si daretur Creatura ab æterno, Anima item rationalis, quæ exigit esse semper post, sunt causatæ: quia Creatura ab æterno, erat adhuc indifferens ad existendum, indifferentiâ priori per rationem. Anima item, etiam, postquam est creata, adhuc causatur à Deo, quia est pendens à concursu Divino, qui potest exhiberi & non exhiberi, habetque esse limitatum, & restrictum, ideo adhuc debet dici, determinari ad existentiam. Porrò ratio determinantis, causalitati, ut Quo, causæ, ut Quod, conveniet. Determinare etiam ipsum, non tantùm ad genus causæ efficientis, sed etiam formalis spectat. Hinc per multos determinativitas, est de primo essentiali conceptu formæ, spectat etiam ad causam materialem; quia hæc determinat ad esse corporei, compositum. Denique cum aliquid propter diversos fines fieri possit, vel certè fieri, & non fieri; bonitas finis ad utrumque determinat. Sicque ulterius procedendo, in aliis huc revocabilibus speciebus causarum, advertetur, omnibus illis convenire vim determinandi.

QUÆRES.. *Cur Patres rejecerint nomen causæ à Divinis?*

PRÆMITTO 1. *Aliquos Patres veritos esse etiam nomen principii dare Patri respectu Filii. Proprium*, inquit Nazianzenus *ejus qui principio caret nomen est Pater, ejus autem, qui citra ullum principium genitus, est Filius.* Imò & Arrius scribens ad Euseb. Nicom. ex eo Filium non esse Deum volebat, quia habet principium. *Principium autem*, inquit, *habet Filius.* Deus autem caret principio. Sed Arrius volebat Filium habere principium, h. e. esse ex non entibus, seu non exstitisse aliquando, hocque illi volebat negare Nazianz. citatus.

PRÆMITTO 2. *Aliquos Patres dixisse, quòd Filius pendeat à Patre.* Ita idem Nazianz. V. de Filio Dei. *Nihil erat ante Patrem magnum, nam cuncta coërcet, amplectens & qui pendet de Patre.* Cyrill. Alex. Dial. 3. de Trin. dicit. *Filium pendentem esse substantialiter ab eo, qui genuit.* Sed his locis, ly pendere, supponit pro procedere.

PRÆMITTO 3. *Græcos fermè omnes, Patri, nomen causæ tribuere, respectu Filii*, imò & Aug. L. 83. qq. q. 16. *Deus*, inquit, *omnium quæ sunt, causa est, quod autem rerum omnium causa est, etiam sapientiæ suæ, causa est: igitur sempiternæ suæ sapientiæ, causa est sempiterna.* Sed ly *causa* supponit pro producere. *His præmissis*

RATIO datur. Cur Pater, respectu Filii non sit causa? Quia causa & effectus sunt correlativa, hinc si Pater esset causa, respectu Filii, Filius esset effectus, contra Nicænum, in quo dicitur, *genitum non factum*, & contra Symb. Athan. *non factus, nec creatus, sed genitus.* Rursùs causa debet habere prioritatem naturæ, respectu causati, & tamen S. Thomas. Op. 1. Contra Errores Græcorum, c. 2. ait. *Neque enim*, inquit, *prior est Pater tempore, cum Filius sit æternus. Neque prior naturâ. Cum Patris, & Filii, sit una natura.*

Aliam Rationem, tali discursu, proponit Oviedo. Ex phrasi ipsa conformem definitioni causæ, à nobis adlatæ. Omnis causa non potest producere effectum perfectiorem se, & limitatio determinatioque perfectionis, est à causa: Nam si effectus immediatè à Deo creetur, à Deo limitatur, cujus voluntas, non applicat omnipotentiam, ad effectum perfectiorem, ut poterat, producendum. Quòd si à creatura producatur effectus, illa etiam perfectiorem se, non producet, adeoque determinabit, & limitabit perfectionem illius. Cum autem in Divinis, producens non taxet perfectionem producti, sed est utriusque eadem perfectio: quia & eadem natura. Hinc si principium producens, non limitat perfectionem producti, non est illius causa. Hæc tamen ratio, indigeret ulteriori lumine: quia etiam secundùm personam v.g. determinat Pater, nonnisi ad esse Verbi. Rursùs, si produceretur per impossibile infinitum, non esset quid limitatum; & tamen causatum. Si autem dicas ex eo fore limitatum: quia in certa specie constitutum; etiam Verbum in certa specie constituitur, estque de linea intellectionis, non volitionis; dicitque distinctionem, alietatemque realem à Spiritu Sancto, qui est de linea volitionis.

DIFFICULTAS II.

De Essentia Causæ in actu Primo.

PRÆMITTO. *Causam in actu Primo, sumi causam, prout potentem operari, causam autem in actu Secundo, sumi causam, prout re ipsa operatur.* Sub præsenti autem titulo, decidendum erit; per quid constituatur causa in actu primo. An sci-

scilicet præter propriam entitatem, includat & importet actionem, saltem ut possibilem. Negat Hurt, Arriaga, Oviedo. Affirmant alii Recentiores. Ipsa autem causa in actu primo potest spectari adæquatè, & inadæquatè, seu secundùm præcisam entitatem, cui habere vim producendi convenit.

Dicendum est 1. *Causam inadæquatè acceptam non constitui actione.*

Probatur 1. Causa inadæquatè accepta est causa secundùm entitatem spectata, cui identificatur vis causandi. Hæc non constituitur actione. Ergo Major est definitio, ipsum statum Quæstionis continens. Min. prob. Tum quia nihil constituitur in sua entitate, per aliquid à se distinctum: constitutivum enim in entitate, identificatur constituto; distincta autem sibi non identificantur. Tum quia si causa secundùm entitatem spectata, constitueretur actione, vel constitueretur actione actuali, & hoc non: quia hæc est posterior ipsa entitate causæ; vel constitueretur actione possibili, & hoc non potest dici: quia in illo priori in quo concipitur causa, sine possibili actione, est principium, sicut effectus possibilis; ita etiam & causalitatis possibilis. Ergo in illo priori, sufficienter est constituta in esse causæ in actu primo, aliàs non posset principiare quidquam: prius enim est, esse constitutum, in esse causæ, postea causare. Antecedens immediatum probatur. Si in illo priori, causa in actu primo, non esset principium causalitatis possibilis, causalitas possibilis, non produceretur à causa, quod ipsum probatur. Non enim produceretur à causa in actu secundo, quia hæc est posterior causalitate possibili. Non etiam à causa inadæquatè accepta, ut conceditur. Non denique à causa, prout dicit ipsam causalitatem: quia aliàs à seipsa esset, & principii *Quo* non daretur necessariò Principium *Quod*, siquidem hoc principium *Quod*, constitueretur ipso *Quo*.

Probatur 2. Quia si causa inadæquatè accepta constitueretur per causalitatem possibilem, ut assumitur, esset causalitas antequam esset. Seq. probatur quia antequam intelligatur esse causalitas possibilis, intelligitur, esse ad illam, causa in actu primo, tanquam principium ejusdem; & tamen tunc jam esset causalitas possibilis: quia per Te, in actu primo causa, dicit causalitatem possibilem; Ergo esset causalitas, antequam esset.

Probatur 3. Si causa in actu primo diceret causalitatem possibilem, idem saltem inadæquatè, esset causa sui ipsius. Cum enim actus primus causæ, sit causa possibilis actionis, & hic actus primus dicat inadæquatè per Te actionem possibilem, si actus primus causat possibilem actionem, etiam actio possibilis, importata ab actu primo causæ, causabit saltem inadæquatè seipsam.

Dicendum est 2. *Causam in actu primo, adæquatè spectatum, importare actionem possibilem.* Nomine autem causæ in actu primo, adæquatè tamen spectatæ, accipitur causa, & omne illud, quod illa secum poscit cointelligi, ad habendam completam, de se notitiam, quantumvis illud, non habeat rationem principii, ut *Quod*.

Probatur 1. Causa in actu primo adæquatè tamen spectata, est quid correlativum ad effectum, prout à se pendentem possibiliter. Ergo si adæquatè accepta dicit effectum à se pendentem, non potest dicere sine causalitate possibili: propter causalitatem enim, fit ipsa dependentia. Ergo dicit & ipsam causalitatem possibilem.

Probatur 2. Causa in actu secundò, adæquatè accepta, dicit causalitatem, & effectum actualem, horumque aliquo non habito, neutrum erit, h. e. nec sine causalitate, effectus, nec causalitas, sine effectu, jam autem nulla est causa in actu secundo. Ergo etiam causa in actu primo adæquatè spectata, importabit effectum, & causalitatem possibilem.

Probatur 3. Supponamus per impossibile, omnem causalitatem reddi impossibilem, hoc ipso erit impossibilis omnis effectus, impossibili etiam omni effectu, redditur impossibilis causa. Ergo apparet, quod ad intelligendam adæquatam rationem causæ, hæc omnia requirantur. Ne autem ex particularibus principiis, de connexione causæ procedat Argumentum, per impossibilitatem omnis effectus, accipe etiam conditionatam possibilitatem sublatam.

Objicitur 1. Causa in actu primo dicit Decretum, de concurrendo cum causa in actu primo. Hoc autem Decretum, à Deo formari non potest nisi præsuppositâ possibilitate actionis, & effectûs. Ergo causa in actu primo dicit possibilitatem actionis.

Respondetur. Imprimis possibilitatem actionis, duplicem spectari posse, unam activam, & hæc est formalissimè ipsa causa, inadæquatè spectata, & nonnisi ex præsuppositione hujus, Deus formar Decretum. Secundò possibilitas actionis spectari potest passiva, ut ita dicam, quæ est formalissime causalitas, ut Quo, possibilis; hanc non est necesse, ut præsupponat, Decretum Divinum, sed ut eadem, suo modo concurrat cum causa. Vel ad maximum præsupponit Decretum; possibilitatem actionis, non tanquam conferentem vim agendi causæ, adeoque non tanquam aliquod constitutivum causæ, inadæquatè acceptæ, licèt præsupponat possibilitatem actionis, tanquam aliquid requisitum, ad adæquatum conceptum causæ.

Objicitur 2. Causa in actu secundo, dicit causalitatem actualem & effectum. Ergo, & causa in actu primo aliàs, non solo statu differrent, sed etiam constitutivis.

Respon-

Respondetur. Etiam causam in actu secundo, inadæquatè spectatam non constitui causalitate. Quod si dicas, causam in actu secundo, non posse inadæquatè spectari, quia inadæquatè spectata, diceret tantùm vim agendi, vis autem agendi, non est causa in actu secundo, hinc disparitas dari posset. Quia non habet, per quod aliud distinguatur causa in actu secundo, ab aliis, nisi actuali causalitate, per quam transit, à non esse causantis in actu secundo, ad esse causantis in actu secundo, ad esse causantis. Jam autem sola vi sua causandi, sufficienter à reliquis distinguetur causa, in actu primo.

Objicitur 3. Causa in actu primo, etiam inadæquatè accepta, vel dicit relationem transcendentalem, ad effectum, vel non dicit: Si non dicit. Causa non est: Si dicit, sine causalitate, tanquam ratione fundandi, & effectu tanquam termino, concipi non potest.

Respondetur. Causam si materialter spectetur, non dicere relationem transcendentalem, ut dictum de relatione, ut causa autem est formaliter, dicit relationem, consequenter importat etiam causalitatem, non tanquam tribuentem vim agendi, ad quod solùm in præsenti attenditur, sed tanquam circumstantionans illam vim agendi.

Objicitur 4. Causa in actu primo spectata, respicit effectum, si autem respiceret eum, & non diceret causalitatem possibilem, causa seipsam saltem mediatè respiceret: respiceret enim effectum, & non ratione actionis.

Respondet Arriaga. Concedendo, quod aliquid, mediatè possit seipsum respicere. Sed aliter satisfit Argumento, quòd causa respiciat effectum mediante actione, quæ sit ratio fundandi; sed non quasi conferente vim principio, in quo, vertitur cardo.

Objicitur 5. Principium productivum in Divinis constituitur per ipsam productionem activam, seu quasi actionem. Ergo & in creatis idem erit.

Respondetur. Imprimis negando Antecedens. Nam in prima Parte traditur, originibus, non actionibus constitui personas. Deinde negari potest Cons. Disparitatem dat Arriaga, quia in Divinis, actio est improducta, hinc benè potest constituere principium. In creatis verò actio, procedit ab ipsa causa.

Punctum Difficultatis 3.

An connexio Causæ cum effectibus possibilibus, sit Causæ essentialis?

Præmitto 1. *Sub hoc titulo quæri ab Auctoribus communiter.* Imprimis: An causa dicat relationem transcendentalem ad effectus. Rursus: an causa respiciat suos effectus, in universali, an in particulari. Denique: an reddito uno effectu, ex possibilibus impossibili, & ipsa causa reddatur impossibilis?

Præmitto 2. *Aliquos Auctores, concedere connexionem essentialem omnipotentiæ cum effectibus possibilibus, non tamen relationem transcendentalem.* Talis est Suar. Fass. quorum rationes solvit Oviedo, Cont. 9. Met. p. 6. n. 1. Alii & connexionem, & relationem transcendentalem iisdem causis concedunt, quos vide apud Rec. Suar. Tr. 2. de Causis d. 5. q. 3. Rursus Oviedo negat connexionem essentialem causæ, cum effectu; admittit tamen causæ creatæ respectum transcendentalem ad suos effectus, loco citato, n. 3. quamvis neget, respectum hunc causæ increatæ p. 2. n. 13.

Præmitto 3. *Ex dictis, de relationibus transcendentalibus, facilè colligi, quod causæ specificativè acceptæ, non sit primo essentialis hic respectus* si detur, sed erit difficultas; an sit essentialis, saltem secundò essentialiter.

Præmitto 4. *Quod causa creata, dicat relationem, ad effectus possibiles, eamque transcendentalem.* Prioris est Ratio: quia, quod dicit esse ad aliud, dicit relationem, causæ dicunt esse ad aliud, hoc est ad effectum. Ergo: Minor probatur. Quia dicere causam esse ad aliud, hoc est effectus possibiles, nihil aliud est: quàm causam habere vim producendi, & effectus esse producibiles; ut patet ex dictis de relatione, ad quod respexit Aristoteles: qui admittit relationes fundatas in actione, quæ nullæ essent, si causis negetur relatio, & si actio exercita, fundat relationem. Cur non fundabit actio possibilis; præcipuè, cum per Philosophos, detur relatio, etiam ad non existentem terminum, si sit transcendentalis. Quod ipsum ut probetur Ratio est, Relatio causæ, ad effectus possibiles, est aliqua, sed non est prædicamentalis: quia, hæc est nonnisi ad terminum existentem. Ergo est transcendentalis.

Præmitto 5. *Quod etiam causa Increata, dicat ad Creaturas possibiles, respectum transcendentalem.* Non repugnat Deo, dicere relationes ad Creaturas, ut probatum in Logica. Ergo etiam non repugnabit causam Increatam, quo nomine venit omnipotentia, dicere relationem ad effectus possibiles. Sed non potest, dicere ad illos, relationem prædicamentalem. Ergo dicet transcendentalem. Deinde causa creata dicit relationem transcendentalem ad effectus; ideo quia est Virtus productiva eorundem, & effectus sunt producibiles. Ergo cum idem competat omnipotentiæ, etiam illa, dicet ad effectus possibiles, relationem transcendentalem.

Responderet Oviedo. Disparitatem esse, Quia virtus creata certos, & determinatos effectus

ctus in se continet, quos, & non alios, potest producere, & ita, speciali modo, se habet ad illos, quos continet, quo, non se habet ad alios. Omnipotentia verò, nullam specialem habitudinem dicit ad aliquem effectum, sed æquè est potens ad omnes effectus; & non solum se extendit ad omnes possibiles, sed illa se etiam extenderet, ad omnes, qui implicant, si hodie non implicarent.

Contra est. Virtus creata, propter specialem ordinem, ad suos effectus, dicit particularem, & ut ita dicam, determinatam relationem, ad suos effectus. Ergo & virtus increata, propter etiam suum ordinem, qui est universalis, ad quoscunque effectus, dicet, (ut ita dicam,) universalem relationem ad omnes effectus: Utriusque enim, eadem est ratio. Deinde per oppositam sententiam, si hodie, sonus esset coloratus, aspiceret illum oculus, & tamen hoc non obstante, potentia visiva, dicit ordinem transcendentalem, ad sua possibilia objecta. Ergo etiam potentia increata, quamvis posset hodie producere hirco-cervum, si non implicaret, adhuc poterit dicere, ad effectus possibiles relationem transcendentalem. Quod autem adfert, idem Oviedo, sequi ex nostra sententia, quòd Deus dicat relationem transcendentalem etiam ad chimæras, siquidem etiam illas potest producere, si non implicarent. Id non convincit. Quia per nos, non respicit Deus sub hac conditione *si res non implicet*.

His præmissis discutiendum venit, quænam sit connexio causæ cum effectibus possibilibus?

Punctum Difficultatis 1.

Expenduntur Rationes probantes nexum essentialem Causæ cum possibilibus.

Probat 1. Martinus Olszewski illi. Si non diceret causa essentialem ordinem ad effectus possibiles, effectu possibili reddito impossibili, adhuc esset causa possibilis, quoad entitatem. Sed hoc est falsum ut probatur. Impossibilis est entitas causæ, si non sit possibilis Metaphysica passio, entitatis causæ, propter connexionem, talis passionis, cum entitate. Sic homo impossibilis esset, si risibilitas impossibilis esset. Sed si transiret effectus possibilis, in impossibilem, entitas causæ non haberet perfectionem Metaphysicam; esse enim productivum effectus, est passio Metaphysica entitatis causæ, sed si impossibilis esset omnis effectus, impossibile esset productivum effectûs ejusdem causæ. Quod ipsum probatur; quia omne productivum, debet esse alicujus possibilis productivum, aliàs daretur productivum etiam hirco-cervi, si productivum non debet esse possibilis alicujus productivum, hoc autem est absurdum.

Responderi potest. Omne productivum, debet esse productivum alicujus possibilis, absolutè nonnisi. Nego. Possibilis sub conditione, si non implicet. Concedo. Consequenter passio Metaphysica, quæ est esse productivum, invariata maneret: quia esse productivum, non quomodocunque est passio Metaphysica, sed esse productivum, si non implicet. Alio etiam modo eidem Argumento satisfieret. Passionem Metaphysicam duo dicere, unum in recto, hoc est suam entitatem, & aliud in obliquo, hoc est effectus possibilitatem, consequenter si passio Metaphysica, secundum id quod dicit in recto esset impossibilis etiam entitas causæ: nam communis, & eadem utriusque entitas est. Si autem passio secundum id, quod dicit in obliquo sit impossibilis, non sequitur causam fore impossibilem, in obliquo autem dicit effectum; ad eum planè modum, quo si desineret esse relatio Paternitatis in Petro, quoad id, quod dicit Paternitas in recto, desineret esse etiam Petrus, non desinet autem, si desinat relatio secundùm id, quod dicit in obliquo.

Probat 2. Arriaga. Si sub conditione possibilitatis respicerentur effectus, sequeretur omnibus possibilibus effectibus redditis impossibilibus, adhuc causam fore possibilem.

Respondetur. Concedendo seq. Unde etiam, impossibili omni intelligibili, possibilis foret intellectus, quantum ex illo intellectivus. Unio item impossibilibus extremis, quantum ex illa, esset unitiva; licet à parte rei existere non possit sine extremis: quia actu existens non deposcit esse tantùm unitiva, quantùm est de se, sed esse actu unitiva; utpote essentialis determinatio habendi uniti.

Probatur 3. Potentia, quæ non potest audire, à potentia, quæ potest audire, distincta est. Ergo etiam omnipotentia quæ non potest producere omnia, distincta erit. Aliter idem proponitur. Si daretur causa productiva multorum effectuum, & præter hos effectus, cujusdam effectus, qui vocetur A; ex alia parte, daretur alia causa, quæ esset productiva multorum effectuum, non tamen effectus A. Illæ potentiæ essent distinctæ. Ergo & omnipotentiæ essent distinctæ, quarum una esset productiva omnium absolutè, & alia non esset productiva.

Respondetur. Si etiam hæc alia potentia esset, quantum ex illa auditiva, vel quantum ex illa productiva effectûs A. non forent illæ potentiæ, ratione intrinsecæ virtutis producendi, distinctæ. Sed forent distinctæ, ratione alicujus in obliquo importati, si illos effectus ponere non possent, quantum ex illis. Unde etiam eadem esset omnipotentia, quamvis impossibilis redderetur aliquis effectus, modo impossi-

bilitas oriatur à parte effectus, non à parte causæ.

Probatur 4. Repugnat virtus, quæ in se contineat eminenter Ens rationis. Sed effectus repugnans, est Ens rationis. Ergo illum omnipotentia in se non continet. Major prob. quia eo ipso, quod virtus productiva producat aliquid, producit ens reale, & non ens rationis. Et sicut benè infero à Deo non posse creari allum Deum: quia quidquid crearet, jam non esset Deus. Ita possum dicere, causam non posse producere Ens rationis: quia quidquid producit, hoc ipso est ens reale. Multis hoc Argumentum solvit Oviedo. *Sed*

Respondetur Conformiter ad dicta. Quod repugnet virtus, quæ in se contineat eminenter, idque absolutè ens rationis, non repugnat autem quæ contineat sub conditione, si scil. non implicaret. Quamvis autem non producatur quidquam nisi ens reale, non sequitur causam, quantum est ex illa, non posse producere etiam ea, quæ sunt non realia, si forent realia. Unde principium vitale, est connexum cum possibilitate suorum effectuum, si illi non implicent, essentiale itemst est Deo, posse elevare, ad actus supernaturales, si illi non implicent.

Probatur 5. Possibilitas effectûs, non est à se, sed ab alio. Ergo ab omnipotentia Divina, quæ illam non liberè sed necessariò producit: neque enim liberum est Deo, possibilem esse hominem, vel non possibilem: Quodsi necessariò illam producit, infertur existente omnipotentiâ, necessariò emanare possibilitatem Angeli, & à posteriori benè infertur hominis possibilitas non est. Ergo neque est omnipotentia: nam hæc si esset, dimanaret ipsius possibilitatem.

Responderi posset. Duplicem quodammodo esse possibilitatem creaturæ, unam activam, quæ est ipsamet omnipotentia, potens producere, & possibilitatem passivam, quæ est ipsa entitas potens produci. Hæc possibilitas passiva, dicit in recto, ipsam entitatem creaturæ, in obliquo autem potentiam Dei. Si ergo effectus redderetur impossibilis, secundùm id, quod dicit in recto, redderetur impossibilis ipsa illius entitas, non tamen redderetur impossibilis possibilitas illius, secundùm id, quod dicit in obliquo: quia adhuc, quantum ex Deo, posset illam Deus producere, nisi repugnaret. Hinc impossibili reddito v. g. homine, nego quod possibilitas illius activa, non esset, imò & passiva non quidem secundùm id, quod dicit in recto, sed, secundùm id, quod dicit in obliquo.

Probatur 6. Si repugnaret equus, non posset existere omnipotentia. Ergo equus & omnipotentia sunt essentialiter connexa. Antecedens probatur. Si repugnaret equus, existeret duplex contradictorium, equus non repugnans ad existendum, & equus repugnans, consequenter Deus coexisteret duplici contradictorio, sed omnipotentia non potest coexistere duplici contradictorio. Ergo non existeret impossibili v. g. equo.

Respondetur. Negando Antecedens cum sua probatione. Quia suppositâ impossibilitate equi, jam non existeret possibilitas illius, in statu dictæ suppositionis. Unde jam nonnisi uni contradictorio, coexisteret omnipotentia. Neque obstat, quod alteri contradictorio, ante suppositionem coexstiterit: quia de facto successivis contradictoriis, nos etiam coexistimus, ut cursui, & non cursui Petri. De cætero etiam impossibilitas ex suppositione, & possibilitas Physica, non sunt contradictoria: talibusque benè potest coexistere omnipotentia.

Instat 1. Incapacitas coexistendi duplici contradictorio, non solum oritur ex impossibilitate existendi duorum contradictoriorum, sed etiam ex peculiari repugnantia, ut coexistat Deus duplici contradictorio. Quod ita probatur. Si Deus coexisteret Petro, & carentiæ Petri, in hoc instanti verum esset dicere. Hic Deus, in hoc instanti coexistit Petro, sed hic Deus in hoc instanti, non coexistit Petro. Ergo hic Deus non est hic Deus.

Respondetur. Suppositâ suppositione impossibili, de qua hîc, falsa esset Major. Ad coexistentiam enim Petri Physicam, & independentem à suppositionibus qualem habet, hîc non attenditur, & si ad illã attenderetur, Minor esset falsa; adeoque argumentum non esset demonstrativè concludens, ut supponit arguens. Retorqueri etiam posset ostendendo, simili modo arguendi, multum probari. Formo enim Argumentum, ut & ille formavit in Camestres, proboque impossibile esse, ut Petrus qui semel exstitit aliquando, non existat. Deus coexistit existentiæ Petri, Deus non coexistit existentiæ Petri. Ergo Deus non est Deus. Negabis Consequentiam quia existentia & non existentia pro alio statu sumuntur: dicam & ego possibilitatem & impossibilitatem pro alio statu sumi: Nam possibilitas esset pro statu Physico: neque enim quod semel est possibile physicè, reddi potest physicè impossibile; impossibilitas autem erit, pro statu solo suppositionis ab intentione formato.

Instat 2. Deus est connexus essentialiter, cum sua scientia de possibilitate Petri. Ergo est connexus essentialiter cum Petri possibilitate: quia ipsa illa scientia possibilitatem Petri importat.

Respondet Oviedo. Deum connexum esse cum illa scientia, ex suppositione objecti. Addi posset: esse etiam connexum Deum cum impossibilitate illius rei, si redderetur impossibilis.

Con-

Conformiter ad dicta superius aliter satisfit Argumento. Quòd scilicet Deus sit connexus, cum illa scientia secundùm id, quod illa dicit in recto, h.e. ipsam entitatem Dei; nihil enim magis est connexum, quàm idem secum, sed non esse connexum essentialiter cum sua scientia, secundùm id, quod dicit in obliquo, h.e. possibilitate Petri, nisi fortè connexione conditionata, h.e. si res non implicet.

Instat III. Deus per suam entitatem distingui debet, & ab hirco-cervo, & ab homine, idque necessariò, in dicta autem suppositione, non distingueretur, jam ab homine, sed tantùm ab hirco-cervo seu impossibilibus. Ergo non maneret idem.

Respondetur. Distinctionem illam mansuram in Deo eandem, secundùm quod dicitur in recto; dicit enim ipsammet Dei entitatem. Hinc in recto, per idem Deus, & ab hirco-cervo, & ab homine distinguitur, quamvis non maneret eadem in obliquo, ratione scilicet terminorum mutatorum.

Probatur VII. Deus potest absolutè producere Petrum, & non hirco-cervum. Ergo habet potentiam respectu Petri, quam non habet respectu hirco-cervi. Sed si Petrus non esset possibilis, non haberet talem potentiam. Ergo deficiente possibilitate Petri, deficeret aliquid intrinsecum Deo.

Respondetur. Deum eandem potentiam secundùm id quod dicit in recto, habere tàm respectu Petri, quàm hirco-cervi; sed tota varietas, ex obliquo est, videlicet terminis producibilibus: hinc impossibili reddito Petro, eadem potentia maneret secundùm id quod dicit in recto, licet non maneret eadem secundùm id quod dicit in obliquo.

Utrumque hoc Argumentum ex Ripal. ab Oviedo propositum, est Argumentum Antonii Perez.

Continuatur idem Examen.

Prima Ratio ex Perez est Disp. 5. de Intell. Dei n. 17. Deus essentialiter est omnipotens. Ergo habet essentialem connexionem cum possibilitate creaturarum. Cons. probatur, quia esse omnipotentem, est posse producere omnes creaturas. At posse producere omnes creaturas, connectitur essentialiter, cum posse produci creaturas ipsas. Ergo.

Respondetur ex dictis. Deum habere essentialem connexionem conditionatam, cum possibilitate creaturarum, quantùm autem est ex illo, absolutam. Et sicut Thomistæ admittunt Decretum absolutum ex parte actûs, conditionatum ex parte objecti; ita v. g. exprimibile. Volo Petrum converti, si illum Jesus intuitus fuerit; Ita & connexio illa, quantùm ex parte Dei, erit absoluta, conditionata autem ex parte Creaturæ, ita exprimibilis: Possum illam producere, quantùm ex me, si de se non implicet contradictionem.

Instat I. idem. Si concedatur quod Deus habeat hanc virtutem conditionatam. Ergo necesse est concedere Deum habere essentialiter scientiam, quâ cognoscat, habere se Virtutem hanc quasi conditionatam, & cum illa scientia non sit confusa, cognoscet se habere virtutem producendi ignem, si non implicet. Ex quo ulterius formatur Argumentum. Vel scientia illa videt in igne duo practicata contradictoria, essentiam ignis constituentia, vel non videt: Si videt, Ergo de facto ignis implicabit contradictionem; Si autem non videt, ergo Deo essentialiter repugnat, affirmare essentiam ignis involvere duo prædicata contradictoria.

Respondetur. Quod sicut non est Deus conditionatè omnipotens, aliàs esset conditionatè Deus; adeoque non Deus, ita nec virtutem habet conditionatam producendi: Virtus enim illa idem est cum omnipotentia, sed ex se absolutè omnipotens, & ex se absolutè habens vim producendi, respicit objecta conditione affecta, si non implicent. Et hæc de phrasi Argumenti. Commoda tamen est hæc phrasis, quòd Deus habeat vim absolutam producendi objecta, conditione affecta, si non implicent. Quod autem attinet, ad robur ipsum argumenti. Dico. Ante Casum suppositionis, non videre Deum in igne, duo prædicata contradictoria, in casu autem factæ jam suppositionis, supponitur etiam nonnisi videre illa contradictoria Deus, sed cum de facto illa contradictoria non sint, nec de facto illa videt esse, sed quia supponuntur nonnisi esse, supponuntur nonnisi videri, cum de facto non videantur; ex suppositione autem, quod supponatur Deus non posse producere ignem, non sequitur ulla mutatio, in omnipotentia: quia Major, in hoc passu, est hæc: Deus potest producere ignem, si non implicet. Sed si supponatur implicare ignis, erit hæc Minor. Sed implicat ignis. Ergo illum non potest producere Deus. Ubi ut vides, tota mutatio, est in Minori, quæ nihil de Deitate importat. Sub eadem Majori. Deus potest producere ignem, si non implicet, extra casum suppositionis. Subsumitur hæc Minor: Sed ignis non implicat; ubi etiam est mutatio in Minori; impotentiaque producendi non infertur à parte Majoris, & quantùm est ex illa, sed à parte Minoris, adeoque non inferetur impotentia producendi quantùm ex parte Dei, qui est in Majori, sed à parte Creaturæ, quæ in Minori ponitur.

Instat II. De essentia Dei est, affirmare, de illo conceptu objectivo, ea omnia, quæ in illo essentialiter includuntur, & negare includi essentialiter ea, quæ ejus essentia non includit, at ille conceptus objectivus ignis, includit formaliter totam essentiam ignis, & nullo modo

includit duo prædicata contradictoria. Ergo de essentia Dei est, affirmare illum conceptum ignis esse totam essentiam, & negare includere duo contradictoria. At hoc negare, idem omninò est, atque negare ignem esse impossibilem. Ergo de se essentia Dei est, negare ignem esse impossibilem, ac proinde de ejus essentia est, affirmare ignem esse possibilem.

Respondetur. De essentia Dei esse affirmare ignem esse possibilem, quousque sit possibilis. Sed etiam de essentia Dei est, affirmare ignē esse impossibilem, si sit impossibilis; priori illi exigentiæ satisfacit nunc Deus, de facto enim est possibilis, judicatque ignem esse possibilem, posteriori autem parti satisfaceret in casu suppositionis, semper tamen à parte sui, sine mutatione, quia Major in hoc passu hæc est; Noscit Deus, exigente sua essentia, possibilitatem ignis, si detur. Jam quod detur, vel non detur ponetur in Minori, quæ mutationem importat non in Deo, quia nihil in terminis Minoris, est de Deitate, sed in creatura. Et sicut nunc de facto cognoscente Deo, nunc Cursum, nunc non Cursum Petri, tota mutatio est in objecto, ita & in illo casu, foret: adeoque, ut dicebatur suprà, foret mutatio ratione obliqui, importati à scientia, nō ratione recti. Consulantur superius dicta.

Instat III. Idem. Deum esse Omnipotentem, non est posse facere aliquid, si non implicet contradictionem, sed posse facere, quidquid absolutè non implicat contradictionem. Hinc Patres ex eo, quod Deus sit omnipotens, inferunt esse omnia possibilia Deo.

Respondetur. Omnia quidem quæ non implicant contradictionem, absolutè non implicant, adeoque illa Deus potest absolutè producere. Sed est difficultas: An sit formandus conceptus omnipotentiæ absolutus ex parte Dei, conditionatus ex parte objecti, hancque partem affirmantes oppositi, negabunt Assumptum, quod procedit de formatione conceptus. Quāvis autem formetur conditionatus ex parte objecti conceptus omnipotentiæ, benè inferri potest Deo esse omnia possibilia: quia notum est aliunde, hypotheticam transire in absolutam, positâ conditione; & quia nunc de facto, quæ sunt possibilia, sunt possibilia, sit, ut benè inferatur, Deo omnia esse possibilia.

II. Ratio ejusdem est. Deus essentialiter est benignus, misericors, Justus, quibus omnibus careret, si non essent creaturæ.

Responderi posset. Quòd Deus essentialiter sit misericors secundùm id, quod misericordia primò & per se dicit, & in recto, non verò secundùm id, quod dicit in obliquo. In obliquo autem est objectum misericordiæ, quod est miseria nostra.

III. Ratio est. Deus habet essentialem connexionem, cum impossibilitate omnium, quæ de facto sunt chimæræ. Ergo habet essentialem connexionem cum possibilitate rerum, quæ nō sunt chimæra. Antecedens Probatur. Quia Deus habet essentialem connexionem, cum impossibilitate mendacii à Deo dicendi, vel cum impossibilitate actûs fidei negantis Trinitatem. Quod totum ulterius in hoc fundatur, quia essentiale est Deo non posse facere, quod implicat contradictionem. Quod ulterius in hoc fundatur, quia Omnipotentia est potestas perfecta. Si est potestas perfecta debet efficere ipsa, quod efficaciter vult, adeoque inducere inevitabilem positionem voliti efficaciter, consequenter facere impossibilem positionem oppositi, quod tamen tunc non esset: quia existente v.g. luce volita, existeret oppositum contradictoriè voliti h.e. tenebræ quas posset ponere Deus, ut tu dicis, si dicis, posse ab illo poni contradictoria.

Respondetur. Conformiter ad suprà dicta, Deum habere essentialem connexionem conditionatam, cum impossibilitate implicantium, vel habere essentialem connexionem, cum impossibilitate, secundùm id, quod dicit illa connexio à parte Dei in recto, quod est ipsamet omnipotentia, quæ tunc secundùm suum rectum immutata maneret, ut præexplicatum suprà. Et licèt omnipotentia debeat inducere impossibilem positionem oppositi, si illud ponibile non sit, secus si ponibile sit.

IV. Ratio Ejusdem est. Quidquid habet aliquod prædicatum, cujus carentia implicat contradictionem, habet essentialem connexionem cum existentia illius prædicati. Sed Deus, de facto, habet prædicatum scientis, creaturas esse posibiles, & implicat Deum carere hoc prædicato. Ergo Deus habet essentialem connexionem cum existentia talis prædicati, ac proinde cum posibilitate creaturarum.

Responsum suprà. Deum habere prædicatum scientis creaturas esse posibiles, si sint posibiles, durentque in posibilitate, nec potest Deus carere hoc prædicato, suppositò quòd sint posibiles.

V. Ratio. Adferri potest ex iis, quæ habet Esparza 1.p.q.16.a.1. Causam posse facere effectum, & effectum posse fieri à causa non solùm sunt convertibilia Logicè, sed etiā idem realiter cum sola diversitate modi in dicendo, & apprehendendo; sicut videre & videri. Ex quo principio inferri potest, ad intentum: Ergo si illos effectus potest, quantùm ex illa causa producere, etiam illi posunt produci, si autem illi non possunt à Deo produci. Ergo nec Deus illos producere, adeoque mutabitur jam Deus.

Respondetur. Causam posse facere effectum, & effectum à parte causæ posse fieri, sunt idem realiter, sed causam, posse facere effectum à sua parte, non est idem cum posse fieri effectū à parte effectus: nam non repugnat ut causa illum, quantùm de se producere posset, tota de reliquo repugnantia, ex imposibilitate effectûs ori-

oriente, præcipuè cum per nos, non tantùm detur extrinseca possibilitas, sed & intrinseca, consequenter in casu suppositionis, posset esse possibilitas extrinseca penes causam, cùm impossibilitate intrinseca, à parte effectûs.

Instabis ex eodem. Repugnante musca, repugnat Deus, quod ipsum probatur, quia hoc nihil est aliud, quàm repugnare Deum, repugnante Deo. Quod ipsum probatur. Possibilitas muscæ, & existentia Dei, sunt idem realiter, ac proinde repugnantia utriusvis, & utriusque est eadem à parte rei.

Respondetur. Negando possibilitatem muscæ intrinsecam, esse idem cum existentia Dei, licet sit idem cum existentia Dei, possibilitas extrinseca, secundùm id, quod dicit in recto accepta.

Punctum Difficultatis 2.

Expenduntur Rationes negativæ Sententiæ.

Objicit I. Rec. Suar. tr. 2. Phys. disp. 5. §. 4. Relatum transcendentaliter, dependet essentialiter à suo termino. Omnipotentia non pendet essentialiter à possibilibus, Ergo nec ad illa refertur transcendentaliter, nec cum illis connectitur essentialiter. Minor Probatur, quia videtur indecens dicere; quòd omnipotentia divina, quæ est Deus, sit dependens à possibilitate formicæ.

Responsum est aliàs, quòd omnipotentia Divina, sit dependens à formica, non dependentia causalitatis, sed dependentia termini.

Instat. Etiamsi omnia essent impossibilia, adhuc Deus potens esset producere ea, quæ non implicant contradictionem. Quod ipsum probatur: quia Immensitas Divina eadem maneret, etiamsi de medio tollerentur omnes creaturæ, idque ideo, quia nulla creatura dari posset, cui illa non coëxisteret. Tum quia etiam scientia Divina eadem esset, licet ea, quæ de facto sunt futura, non essent futura. Ergo etiam & omnipotentia eadem maneret, sive sint, sive non sint possibilia. Et sicut ille, qui rotat gladium, licet nihil feriat, ferire tamen aptus est; ita omnipotentia in vacuo impossibilium constituta, licet non producat, producere tamen apta esset. Habet similem Instantiam Oviedo de Potestate Sacerdotis ad absolvendum Turcam.

Respondetur. Cum productione actuali possibilium, non est connexio essentialis omnipotentiæ, quia hæc dependet à Voluntate Dei libera, ita & immensitas Divina, dicens coëxistentiam actualem cum creaturis & scientia Visionis, & futurorum, non dicit essentialem connexionem idque ideò: quia utraque pendet à voluntate Dei libera; Esse autem omnipotentem respectu possibilium, seu esse connexum cum possibilibus, non pendet à Voluntate Dei libera. Impossibili tamen omni loco nego possibilem fore immensitatem. Nego item illum actum rotandi gladii, esse aptum ferire, si impliceet, quod feriri possit.

Objicit II. Idem. Ut sit aliquod relatum transcendens, debet ordinari per se primò ad aliud, ut patet in Actibus & potentiis. Sed omnipotentia non ordinatur primariò ad creaturas. Tum quia omnipotentia est ipse Deus: Tum quia, si sumatur omnipotentia absolutè, prout est Virtus producendi, & sic prior est omni Creatura possibili: Si autem sumatur respectivè, quoad terminationem extrinsecam, sic prior est creaturis, & hic Secundarius conceptus non est de primaria ratione omnipotentiæ. Ergo omnipotentia primariò, non ordinatur ad creaturas.

Respondetur. Qui tenent cum Smiglecio Relationes Transcendentales, non esse de primo essentiali conceptu, absolutorum, negabunt Majorem. Independenter ab hoc principio negatur Minor. Hinc dico ulterius, omnipotentiã, inadæquatè secundùm id, quod dicit in recto acceptam, dicere ipsum Deum. Et sic accepta non ordinatur primariò ad creaturas, accepta adæquatè formaliter, dicit ipsum Deum, prout est virtus producendi; & sic, nego primariò non ordinari ad creaturas, tanquam ad terminum: est enim potestas, ad sibi subdita possibilia.

Addo Deum non posse ordinari ad aliud, tanquam ad finem se perficientem, ordinari tamen potest ad aliud tanquam ad terminum se indigentem, à se perfectibilem.

Quod addit, esse creaturis posteriorem omnipotentiam respectivè acceptam, explicari debuisset: quid sit illam respectivè accipi, respectivitate de qua hîc. Nec obest, quod sub aliqua formalitate concipiatur posterior creaturis: quia id, quod in aliqua consideratione posterius est alio, potest sub diverso respectu esse prius, per multos. Sic in sententia, tenentium operationes esse objectum Logicæ, in quantum fiunt à Logica, sunt posteriores Logicâ, priores autem, in quantùm illam specificant. Rursus effectus, in quantùm est Terminus Relationis Causæ, antecedit Relationem Causæ, in quantum autem effectus est, posterior est causâ.

Objicit III. Idem. Relatum transcendens non est magis necessarium, quam ejus terminus, siquidem hoc sublato tollitur ipsum relatum transcendens. Sed omnipotentia, cùm sit ipse Deus, est magis necessaria, quàm ens creatum. Hinc Ansel. in Monil. dicit: Omne quod per aliud est, minus est eo, quod per se.

Respondetur. In ratione referibilis, relatum, & terminus, non magis sunt ad invicem necessaria: quia relationis est, tantùm referre, independenter à majori, vel minori necessitate referibilium. In aliis tamen rationibus, relatum potest infinitè superare necessitatem essendi, quæ posset competere termino.

Objicit IV. Oviedo, & supponit, quòd esse possibile, non sit esse physicum, in rerum natura existens, & dum effectus possibilis non existit, æquè non est, ac chimæra. Quæ suppositio in hoc sensu concedi posset, quòd scilicet & chimæra, & possibile, quà tale, actu non existant. Admissa hac suppositione, sic procedit Argumentum. Nullo genere dependentiæ, intellectus meus potest dependere ab intellectione possibili, quam nunquam eliceret, nec eliciturus est, ob defectum speciei. Ergo frustra hæc connexio inter causam & effectum possibilem fingitur. Antecedens probatur. Quia si esset aliquod genus dependentiæ, esset dependentia tanquam ab effectu, & termino. Sed hæc dependentia est nulla. Quod ipsum probatur, quia ab eo quod neque est, neque exstiturum est, quomodo virtus causæ physica, physicè dependere potest.

Responderet communis sententia: Quòd Virtus physica, physicè in ratione termini, dependere possit à termino, licet in statu solius possibilitatis sit Terminus, quod non impugnat, nisi sola interrogatione Oviedo. Hoc ut explicetur.

Advertendum est, quod Causa physica, ab eo, quod physicè non est, non possit physicè dependere dependentia causalitatis: Nam prius est existere, postea causare; ab eo tamen, quod non est, potest causa dependere physicè, dependentia termini. Illustratur hoc instantia petita ex doctrina ipsius Oviedo, censet ille, quòd respectus transcendentalis, possit esse ad terminũ non possibilem, & sic potentia cognoscitiva, habet respectum etiam ad chimæras cognoscibiles, qui respectus revera est dependens ab hircocervo, tanquam à termino: omnis enim relatio dependet à termino. Ergo ad hoc, ut aliquid dependeat ab aliquo, tanquam à termino, non est necessarium existere physicè; & Ratio est, quia dependentia, quæ est à termino, non est dependentia, quę influat esse in rem dependentem, sed est sola dependentia ordinis, quæ potest esse, ad rem non existentem. Rursus censet Oviedo omnipotentiã ordinari ad omne possibile, & impossibile, si non implicet. Rogo si non ordinaretur ad ista sive possibilia, sive impossibilia, si non implicarent, essetné omnipotentia? si non esset. Ergo ab eo, quod non est, potest aliquid pendere, ita, ut illo sublato, non sit. Si autem esset adhuc tunc omnipotentia. *Contrà esset*: quia & esset ut tu dicis, & non esset: quia omnipotentia extenditur ad aliud ponendum extra Deum, non enim pro termino, Omnipotentia importat Deitatem, & tamen tunc non extenderetur ad aliud, extra Deum ponendum: quia nec supponuntur possibilia, nec impossibilia, si non implicarent ponenda, sed se haberet tunc omnipotentia, sicut oculus ad sonum, ad quid ergo se extenderet illa omnipotentia. Denique censet Oviedo connexionem esse essentialem effectuum possibiliũ cum causa, & si causa esset impossibilis, etiam effectus foret impossibilis; rogo quomodo id, quod non est, connecti potest cum eo quod est? quomodo illud quod non est, pendere potest ab eo, quod est? & quod responsum fuerit, probabit simul non obesse effectui ut quamvis non sit, pendeat ab illo tanquam à termino omnipotentia.

Quæres. *Quid sit hoc pendere ab alio tanquam termino?* Dico: Est habere tale prædicatum, definitivum sui, quod prædicatum importet aliud à se, non sistendo in se, sed procedendo ad connotationem aliûs à se, & illud aliud, dicimus esse terminum, effectum, connotatum necessarium &c. Quomodo autem hæc dependentia sit physica, infra explicabitur. Quod autem talis dependentia possit esse etiam ab eo, quod non est, illustratur instantiis.

I. Instantia est. Veritas cognitionum pendet ab objecto, quod non est. Ergo potest esse dependentia ab eo, quod non est.

Responderet Oviedo. Veritatem componi ex actu, & ex objecto tanquam partibus, & sic deficiente objecto defecturam veritatem.

Contra est. Quia non quærimus, quare deficiente objecto deficiat Veritas: sed quare deficiente eo, quod cæteroqui non est, deficiat veritas; & si deficit, deficiente eo, quod non est, benè pendere potest aliquid ab eo, quod non est, & si id, quod non est, potest componere aliquid tanquam pars, multò magis ab eo, quod non est, potest aliquid pendere, tanquam termino.

Quod autem dicit Oviedo: Veritatem esse totum quoddam morale, adeoque posse constitui per id, quod non est, id etiam non satisfacit. Nam licet in sententia componente veritatem, ex actu & objecto, tanquam partibus, Veritas, sit totum morale: tamen hęc sententia non est admittenda, secundùm dicta in Logica, & etiamsi vera esset, restat illi solvendum: Cur non etiam actus Dei verus componatur ex objecto & cognitione Divina? quod si componitur, sic formabitur argumentum. Actus Dei verus, quamvis in sua entitate non constituatur objecto, quod supponitur esse creatum, tamen in quantùm est totum quoddam morale, componitur, adeoque dependet ab eo, quod non est. Ergo & omnipotentia, quamvis in quantum est causa, non constituatur creaturis possibilibus, tamen in quantùm est totum quoddam morale, componetur ex Omnipotentia, & Creaturis possibilibus, adeoque pendebit ab illis: Nam ad constituendum totum morale, non requiritur, ut utrumque sit pars, sed potest esse, utrumque totum, ut est unum morale totum, duo amici, potest esse unum tanquam terminabile, & aliud, tanquam terminativum. Denique totum istud morale, vel dependet ab eo, quod non est, vel non dependet: Si non dependet. Ergo illud aliud, non est pars illius; Si dependet, Ergo ab eo, quod non est, potest esse dependentia.

Secun-

Secunda Instantia. Actus fidei respicit plura objecta, quæ non sunt, sed fuerunt, vel erunt, vel essent. Ergo potest esse dependentia ab eo, quod non est. Quod autem dicit Oviedo, Actum fidei, esse connexum, cum cognitione Dei actuali, quam habet de objecto, hoc non satisfacit. Tum quia Actus, quo ego credo futurum AntiChristum non habet pro termino cognitionis, & objecto, Divinæ cognitionis entitatem, sed entitatem AntiChristi, quæ non est. Tum quia ipse actus Dei, quem habet de AntiChristo dependet, non à se ipso, sed ab ipsa entitate AntiChristi. Tum quia omnis actus fidei, innititur revelationi, quæ jam præteriit, ab eaque pendet, licèt jam non existente. Nam quod dicit Oviedo esse indecens, ut Deus concurrat, tanquam Auctor supernaturalis, ad actum fidei, qui non sit intrinsecè verus, hoc difficultatem non attingit: Nam non quærimus de hoc, quare actus fidei non possit esse falsus, sed quare initi potest revelationi, quæ de facto non est, sed fuit. Commodius dixisset, actum fidei pendere à revelatione, quæ non est quidem actu, est tamen in aliquo sui: nempe in apprehensione fidelis, quam habet de illa revelatione, sibi ab Ecclesia applicata. Sed neque per hoc difficultatem solvisset. Nam illa ipsa apprehensio & applicatio, pendet ab eo, quod non est, hoc est revelatione præterita.

Objicit V. idem. Causa non dependet ab existentia effectus. Ergo nec ab ejus possibilitate: Nam existentia actualis, & possibilis, est eadem.

Respondetur Imprimis: Hoc argumentum multum probare: quia probaret possibilitatem, æquè pendere à voluntate Dei libera, ac existentiam actualem, cùm possibilis & actualis existentia, sint idem. Deinde disparitas est, quia quamvis effectus existens & possibilis, hoc sensu sint idem: quia non aliud existit, quàm quod erat possibile, non eodem tamen modo se habent: Nam existentia possibilis non pendet à voluntate Dei libera; non enim Deo est liberum, ut homo sit animal rationale, pendet existentia actualis à libertate Dei, existentia actualis est contingens, non est contingens possibilis; hinc à possibilitate, seu existentia possibili, pendebit causa, non pendebit ab existentia actuali. Et quamvis effectus, idem sit realiter existens & possibilis, quia tamen existenti competit contingentia, non competit possibili, hinc quamvis causa, non nectatur necessariò, cum contingenti effectu, nectetur cum possibili. Deinde cùm Deus necessariò sit omnipotens, & nō pendeat hoc à libertate Dei, ut sit omnipotens; & ex altera parte, cùm prædicatum hoc omnipotentis, sit relativum, debet etiam habere terminum necessarium, qui est possibilis, & non actualis existentia. Dixi quod debeat habere terminum necessarium: aliàs si non haberet terminum necessarium, sicut terminus si non esset necessarius, posset esse, & non esse; ita & relativum illud prædicatum, puta omnipotentia, quod sine termino nō posset esse, similiter secundùm conditionem termini, posset esse, & non esse. Breviter loquendo: quia hoc prædicatum omnipotentia, non est tale, quod posset adesse & abesse à Deo, hinc ad id quod poterat esse & non esse referri non potest, sed debet referri ad possibile, quod nonnisi determinatè possibile est.

Deinde negatur Antecedens, vel distinguitur. Quod causa in actu primo spectata, non pendeat ab existentia effectûs, pendeat causa in actu secundo, cùm enim causæ in actu primo spectatæ, non sit correspondens existens effectus, sed potens existere, hinc ad effectum existentem, non refertur causa in actu primo spectata, è converso, quia causæ, secundùm posse suum causare, est proportionatus effectus possibilis, ideò ad illam referetur causa. Addo committi hîc fallaciam accidentis, quia prædicatum quod convenit existenti effectui, transfertur ad possibilem effectum, transfertur inquam, non in quantùm idem sunt, sed in quantum hoc prædicatum convenit existenti effectui, prout condistinguitur, à se, possibili.

Objicit VI. Idem. Non implicat Virtus, quæ impossibili existente effectu subsistat. Ergo necessariam connexionem non dicit cum effectu possibili.

Respondetur. Negando Antecedens, de quo etiam infrà.

Objicit VII. Si daretur connexio prædicta, sublata possibilitate unius entis tolleretur omnipotentia; hoc autem est absurdum: quia si sublata possibilitate unius entis, tolleretur omnipotentia, non esset summè perfecta, hoc autem est absurdum. Seq. probatur. Si concipiatur in Deo omnipotentia talis naturæ, quæ sublatis etiam omnibus possibilibus duret, adeoque sit inconnexa, perfectior erit omnipotentia, quæ est connexa, & quæ sublatis possibilibus tollitur. Ergo connexa Omnipotentia non est summè perfecta. Antecedens probatur: quia Omnipotentia connexa, & Omnipotentia non connexa, essent pares in continentia effectuum, seu in virtute causandi, & præter hoc, Omnipotentia non connexa, subsisteret impossibilibus effectibus, non subsisteret connexa. Ergo esset perfectior non connexa, præ omnipotentia connexa.

Respondetur. Hoc quod implicat non est perfectius, eò quod non implicat. Porrò omnipotentia non connexa implicat, quod ipsum probatur. Implicat relativum, vel si vis dicere ordinatum ad aliud, sine illo alio; aliàs esset ordinatum ad nihil, consequenterque non ordinatum, sed Omnipotentia est quid relativum, ut dictum suprà, vel saltem ordinatum ad aliud, non est enim causativa sui ipsius, sed aliûs à se. Si autem omnipotentia est quid relativum, & habens

terminum, terminus ille, non essent creaturæ actu existentes, ut supponitur. Ergo essent creaturæ possibiles, quæ enim aliæ.

Respondebis. Omnipotentiam referri ad omne possibile, & impossibile si non implicet.

Contra est. Tum quia Inferam. E. illa Omnipotētia, & est connexa, & nō est connexa; non est connexa ut supponitur, est autem connexa: quia respicit omne possibile, vel impossibile si nō implicet. Quod ipsum debes asserere, ne concedas relativum sine termino. Tum quia Purificatio conditionis, destruit conditionatum statum, consequenter valebit hæc argumentatio conditionata Omnipotentia respicit possibilia & impossibilia, si non implicent: sed implicant impossibilia. Ergo illa non respicit. Tum quia retorqueri potest Argumentum quod scilicet etiam, non connexa nisi conditionatè omnipotentia non sit perfectissima: quia saltem ne sit relativum sine termino, deberet auferri, ablato conditionato illo termino.

Instat idem. Omnipotentia connexa, si hodie hirco-cervus non implicaret, non posset producere hirco-cervum. Omnipotentia non connexa posset. Ergo perfectior est omnipotentia non connexa, præ connexa.

Respondetur. Nullam dari Omnipotentiam, implicareque non connexam; adeoque & fore perfectiorem, & non fore. Et sicut si non ens posset existere, non hoc ipso existentia, quæ extendi posset etiam ad non ens, esset perfectissima existentia; sic nec esset perfectissima omnipotentia extensa ad chimæras. Ad salvandam autem perfectissimam formalitatem omnipotentiæ, non esse necesse ponere actualem potentiam ad objectum, quod est chimæra conditione affectum, si non implicaret; Sed sufficit, quod haberet hanc potentiam, si non implicaret; conditionem, etiam ipsi potentiæ apponendo.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur de Difficultate.

Præmitto I. *Vt creatura ex possibili impossibilis, & ex impossibili possibilis reddatur, implicat contradictionem.*

Ratio. Quia implicat idem esse, & non esse. Ergo etiam implicabit, idem esse possibile, & non possibile seu impossibile, & è converso. Quod si implicat, ut ex possibili reddatur aliquid impossibile. *Hinc*

Præmitto II. *In præsenti Quæstione, non aliud discuti, quàm casu dato, quem format intentio, si ex possibili redderetur aliquid impossibile, an posset adhuc concipi causa cum iisdem prædicatis, vel non; an verò variato modo, habendi se essentialiter effectuum, variaretur modus habendi se causarum.*

Porrò affirmativa sententia, quando dicit esse connexionem inter causam & effectus possibiles, adeoque modum habendi sese causarum, alligatum esse modo essentiali, habendi sese effectuum, non agnoscit aliquam connexionem physicam in isto sensu: quasi sit connexio illa in se præcisè terminans productionem aliquam, vel quasi sit quid distinctum Physicè ab ipsis entibus; sed agnoscit connexionem Physicam, hoc est, nemine cogitante.

Præmitto III. *Cum tota quæstio innixa sit suppositioni impossibili,* ad ostendendum impossibile esse, ut causa maneat, si effectus reddatur impossibilis, ad ostendendum inquam, hoc impossibile, non potest assumi tanquam una pars contradictionis, quòd scil. defacto esset possibilis, vel causa vel effectus, sed deberet censeri esse falsa, consequenter aliunde erit deducenda tunc, impossibilitas causæ.

Dicendum est I. *Impossibili omni effectu, causam tam creatam, quàm increatam specificativè acceptam, non reddi formaliter impossibilem.*

Probatur I. Quia causa specificativè accepta, non dicit ordinem transcendentalem ad effectus, sed dicit esse quoddam absolutum, per hocque statuitur in esse specificativè sumptæ. Ergo ita accepta nihil perderet, casu quo effectus impossibiles redderentur. Ergo neque ipsa illa entitas redderetur formaliter impossibilis: hoc enim fit perditione nonnisi prædicati necessarii.

Probatur II. Quorum entitates non sunt idem formaliter, si uni entitati competat non esse formaliter, non sequitur alteri entitati competere, non esse etiam formaliter. Sed causa specificativè accepta, & effectus possibiles, non sunt idem formaliter. Ergo competente impossibilitate, seu competente non esse formaliter, effectibus possibilibus, non sequetur, causæ competere, non esse formaliter.

Major probatur. Non esse formaliter, sit per negationem esse formaliter. Sed negatio unius esse formaliter, non est negatio alius esse formaliter. Ergo neque non esse unius formaliter, est non esse alius formaliter. Et sicut esse unius formaliter, non est esse alius formaliter, ita neque negatio unius esse formaliter, est negatio alius esse formaliter. Sic v.g. esse formaliter animalis, est esse formaliter vivens sensitivum. Dei autem esse formaliter, est, v.g. esse ens à se formaliter, & negatio formaliter viventis sensitivi, non est negatio formaliter entis à se.

Probatur III. Mala est Consequentia: Hirco-cervus est formaliter impossibilis. Ergo & animal rationale est formaliter impossibile. Ergo etiam mala est ista Consequentia: Animal sensitivum est formaliter impossibile. Ergo & ens à se, est formaliter impossibile. Ergo ulterius

rius impossibili omni effectu, causa specificativè accepta, non redderetur formaliter impossibilis. Conseq. utraque probatur. Ideo Antecedentis illatio non tenet: quia non est identitas, & habitudo, inter hirco-cervum, & hominem, ad Consequentiam autem ut teneat, necessaria est talis identitas, vel habitudo. Sed etiam inter hominem & Deum non est identitas, neque habitudo, si specificativè accipiatur. Ergo. Quæ omnia procedunt in Metaphysica suppositione: nam causam specificativè, vel reduplicativè accipi, sunt nostræ suppositiones.

Dicendum 2. *Causam reduplicativè acceptam, si effectus possibiles redderentur impossibiles, non reddi impossibilem formaliter, quoad entitatem, seu correctius loquendo, quoad id quod dicit in recto, & pro subjecto.*

Probatur 1. Sublato connotato extrinseco, relationes aliæ secundùm id, quod dicunt in recto, non tolluntur. Ergo neque sublato extrinseco connotato relationis causæ ad effectum, h. e. ipsa possibilitate effectuum, tolletur formaliter causa, secundum id, quod dicit in recto.

Probatur 2. Quia si sublata possibilitate effectuum, causa reduplicativè accepta tolleretur formaliter, quoad id, quod dicit in recto, hoc inde esset: quia amitteret passionem Metaphysicam. Sed hoc non probat causam tolli formaliter, secundum id, quod dicit in recto: posset enim dici, manere adhuc illam passionem, secundùm id, quod dicit in recto. Ut etiam supra urgebatur.

Probatur 3. Quia nullum est fundamentum talis connexionis, quæ fundet, sublata possibilitate effectuum; tolli formalitet ipsas causas in recto, nullaque necessitas talis connexionis, sicut autem, non sunt multiplicanda entia, sine necessitate; ita nec multiplicandæ connexiones.

Dicendum. 3. *Sublata possibilitate effectuum, causam reddi consequenter & arguitivè impossibilem.*

Probatur 1. Quod dicit connexionem essentialem, & necessariam, cum possibilitate effectuum, illud saltem consequenter tollitur, sublatis effectibus: jam enim connexionem illam amitteret, quæ est illi necessaria, & essentialis, cum amitteret id, cum quo connectebatur, sed causa increata v. g. dicit connexionem essentialem, cum effectuum possibilitate. Quod ipsum probatur. Non implicat contradictionem Causam increatam dicere istam connexionem, ut vidimus solvendo Argumenta in oppositum, quæ connexio, quia necessaria est, actu debet competere Deo. Ergo.

Confirmatur. Si Deus non esset formaliter omnipotens, saltem consequenter redderetur impossibilis, sed sublata possibilitate effectuum, non esset formaliter omnipotens. Ergo sublata possibilitate effectuum, saltem consequenter, redderetur impossibilis Deus. Ergo & aliæ causæ sublata possibilitate effectuum, saltè consequenter, redderentur impossibiles. Major probatur. Ponamus Deum ex una parte, non esse formaliter omnipotentem, & alium Deum formaliter omnipotentem, Deus qui non esset formaliter omnipotens, non esset formaliter Deus: non enim esset pelagus essendi, Deoq; perfectiones simpliciter simplices, debent formaliter competere; aliàs posset esse Deus, & non esse formaliter omniscius, formaliter omni bonus. Minor principalis probatur. Nullum relativum formaliter, manet formaliter, sublato suo termino. Ergo nec manebit formaliter omnipotentia, sublato illius termino: h. est, possibilitate effectuum. Cum etiam omnipotentia sit quid relativum: est enim virtus causandi in Deo, quæ semper est ad aliud.

Probatur 2. Si causa v.g. increata, etiam consequenter, non redderetur impossibilis, impossibilibus creaturis, id ideò esset, quia causa increata, dicit respectum, & connexionem cum creaturis, si non implicent, adeoque quod & tunc, diceret eandem connexionem cum creaturis sub conditione, si non implicent. Sed non dicit sub conditione hac, quod probatur ex dictis, ad objectionem septimam insuper sic probatur. Si diceret causa increata, respectum realem ad creaturas, non posset dicere sub conditione illa, si non implicarent, sed dicit, ut suposui supra & in Logica. Ergo. Major probatur si diceret respectum realem causa increata, ad creaturas, diceret sub conditione applicabili etiam hirco-cervis, ut oppositi concedunt. Sed non potest dicere respectum realem, sub conditione applicabili, etiam hirco-cervis; quod probatur. Si aliud Verbum non implicaret, produceret illud Pater, & tamen plenitud- illa productivitatis, non fundat ullum respectum realem, ad aliud Verbum etiam sub conditione, sed monstrat nonnisi vim excellentem, & energiam generandi in Patre, aliàs mysterium Trinitatis, pluribus realibus relationibus ad intra, quàm, quas Ecclesia agnoscit, constaret. Ergo omnipotentia etiam, non potest dicere respectum realem, sub conditione, si non implicat, quæ est applicabilis etiam hirco-cervis.

Deinde, dicere, Deum habere realem potestatem, & ordinem, ad producendas chimæras si non implicent, est ridiculam reddere omnipotentiam. Ergo sub conditione possibilitatis, non respicit effectus possibiles omnipotentia. Antecedens probatur. Si quis diceret præsenti Papæ, illum habere tam insignem potestatem absolvendi, ut posset ab Hæresi, etiam chimæras, si essent peccatores homines, absolvere, nonne ille, censeretur irridere Papam: Rursus, si ille qui rotat gladium in vacuo, diceret de suo gladio, non modo capita hominum posse am-

putare, si ponerentur, sed etiam chimæras si occurrerent; annon hic ridicula loqueretur, sic etiam planè in præsenti. Certum est quod aliquando sub conditione possit monstrari energia potestatis, v. g. Si Anti-Christus confiteretur Papæ, posset illum absolvere, sed hoc tunc fit, quando ipsa conditio, non est metaphysicæ impossibilitatis.

Denique ponamus Deum, donare potestatem Angelo ad creandum omne possibile, & alii ad creandas chimæras, si non implicent, vel fingamus duos Deos, unum habentem potestatem ad creandum possibilia, & alium nonnisi ad creandum possibilia, & alium nonnisi ad creandum chimæras, si non implicarent; quid censebitur dedisse illi Angelo Deus, imò collatio talis potestatis impossibilis esset, & ridicula, utpote nihil conferens: Sicut & excellentia Dei nonnisi potentis creare chimæras si non implicarent, esset ridicula, & nulla. Ergo & sententia ponens in omnipotentia potestatem, si non implicent, non ponit realem respectum, nec quidquam reale in Deo, & tamen suppono, illum respectum esse realem.

Probatur 3. Si causa increata, non redderetur impossibilis, saltem consequenter, redditis impossibilibus creaturis, id inde esset: quia quantum est ex se, etiam impossibilia & chimæras producere potest. Sed hoc falsum est. Ergo &c. Minor probatur vel est aliquid ex parte omnipotentiæ Divinæ impossibile, vel non est quidquam, respectu omnipotentiæ Divinæ impossibile. Si est aliquid ex parte omnipotentiæ Divinæ impossibile. Ergo & chimæræ, quantum etiam ex parte Dei, erunt impossibiles. Cur non enim? Quodsi nihil respectu omnipotentiæ Divinæ, est impossibile. Ergo vera erit hæc universalis, nullum ens, quantum ex vi omnipotentiæ Divinæ, est impossibile. Ergo falsa ejus contradictoria, aliquod ens ex parte omnipotentiæ Divinæ est impossibile. Sed hæc particularis, est vera. Ergo illa universalis, falsa erit. Particularem illam esse veram sic probatur. Etiam ex parte omnipotentiæ Divinæ, repugnat ut Deum creet, ergo aliquod ens, etiam ex parte omnipotentiæ Divinæ, est impossibile. Antecedens probatur; aliàs sequeretur Deum, quantum ex parte omnipotentiæ, posse esse creaturam, adeoque non Deum, adeoque Omnipotentiam, quantum ex parte sui, non esse Omnipotentiam.

Confirmatur. Tum quia casu quo omnia redderentur impossibilia, Omnipotentia Divina ita se haberet, sicut se haberet ille Deus, qui nihil potest creare nisi chimæras, si non implicarent, ille autem Deus non esset Deus, ergo neque verus Deus, posset esse in tali suppositione, Deus. Tum quia modus possibilitatis intrinsecæ, deposcit accommodari sibi possibilitatem extrinsecam, & continentiam in omnipotentia, sicut quod est ex parte sui absolutè album, etiam ex parte omnipotentiæ, est album. Ergo quod ex parte sua est absolutè impossibile, etiam ex parte Dei erit absolutè impossibile. Et certè si ex parte Dei, non est impossibilis hirco-cervus, ergo ex parte Dei, est possibilis, nam illi propositioni continenti duas negationes æquivalere debet affirmativa, quod si ex parte Dei, hirco-cervus est possibilis, ergo ex parte Dei, habet connexionem prædicatorum debitam, ergo & in se illam habet, quia omnipotentia, res non continet illis difformiter, & quod ex parte Dei, est albedo, etiam ex parte sua, est albedo. Tum quia si chimæræ, ex parte omnipotentiæ sunt creabiles, si non essent impossibiles. Ergo sunt ex parte omnipotentiæ possibiles, (hoc enim cum creabili, in præsenti coincidit) si non essent impossibiles, hoc autem non potest dici, quia aliàs ad salvandam hanc sententiam deberent assumi prædicata seipsa destruentia, qualia sunt, esse aliquid possibile, si non est impossibile. Quæ autem hîc dicta sunt de Deo, proportionaliter aliis causis, & Deo, in casu, quo, vel una res impossibilis redderetur, applicentur.

QUÆSTIO II.

De Prædicato Prioritatis debito Causæ.

PRioritas alia est Temporis, alia Prioritas A quo, quæ eadem est per multos cum prioritate originis, alia Prioritas in Quo, seu naturæ. Explicanda hæc veniunt, nam ad multa servient.

DIFFICULTAS I.

Explicantur aliquæ Prioritates.

EXplicatur 1. *Quid sit prioritas temporis.* Hanc prioritatem, moris est explicare per durationis antecedentiam, quæ explicatio non videtur esse per primum conceptum, quia prius est rem existere, quàm durare, duratio enim est intrinsecè conservatio, conservatio autem est posterior præ existentia, unde si ponamus per possibile, vel impossibile, rem produci in primo instanti, in secundo annihilari, revera tunc res non conservabitur, nec durabit, nec habebit prioritatem temporis, utpote cujus instantaneæ existentiæ, non respondit tempus & tamen respectu aliorum Entium, habebit prioritatem existentiæ.

Censerem itaque prioritatem existentiæ, nihil aliud esse, quàm antecedentiam, secundùm quam unum (vulgariter loquendo) prius est

est alio, extra causas. Cui prioritati existentiæ, Prioritas temporis addit mensurabilitatem; secundùm prius & posterius. Prioritas autem durationis, addit esse conservationis tantæ vel tantæ, post primam productionem. Porrò causa interdum existit prius tempore effectu, sed non semper, quia Sol lucem, cujus causa est, non antecedit tempore, nec materia quantitatem.

Explicatur 2. *Quid sit Prioritas à Quo, & Originis.* Ordinariè censetur, prioritates has easdem esse. Pressius loquendo, distingui possent hæ prioritates. Demus enim in uno instanti, creatam materiam sine omni forma, in secundo instanti, creatam formam privatio conjuncta materiæ, in illo primo instanti, est prior formâ, non prior tempore, hoc enim non habet instans post instans, vel si hoc concedas, non erit adhuc prior tempore, quia prioritas unius instantis, non est prioritas temporis. Non etiam est prior duratione, quia quando verum erat dicere, durat, sive conservatur materia; jam tunc erat forma. Non est etiam prior origine, nam privatio non est origo formæ, & tamen est prior; ergo cum ei competat ratio principii *à Quo*. Poterit etiam competere ratio prioris à Quo. Sed in quæstione de voce, cum pluribus ordinariè loquendum. Porrò prioritas originis, est prioritas, vi cujus unum accipit esse ab alio, cui condistinguendo prioritatem à Quo, dici posset Prioritatem à Quo, esse prioritatem, vi cujus unum est prius alio, quoquo modo ad se spectante, & si sit prius alio, vi communicati esse, diceretur prius alio, & prioritate à Quo, & prioritate originis, & quidem si sit per communicationem esse distincti, erit prioritas originis, etiam causis creatis competens, si autem sit per communicationem ejusdem esse, erit prioritas Originis, Divinis competens, secundùm quam una persona, non est prior aliâ, neque tempore, neque duratione, neque existentia, neque prior intelligibilitate, nam referibilia, quales sunt Personæ, simul sunt cognitione, & tamen prior est origine Pater Filio in divinis, est enim Filius Dei à Patre, non Pater à Filio, Spiritus item Sanctus accipit esse ab utroque, neuter à Spiritu Sancto.

Explicatur 3. *Prioritas in Quo, & prioritas Naturæ.* Ordinariè recentiores nostri, cum Hurtado, Arriaga, Oviedo, Suario recentiori, explicant prioritatem naturæ, quando ab uno ad aliud non valet consequentia, & illud unum est causa aliûs, illud censebitur esse prius natura, prioritate in Quo, sic v.g. non valet consequentia, Adam est, ergo Abel est, & tamen, Adam est causa Abelis: in Divinis autem valet hæc consequentia. Pater est. Ergo est & Verbum, nec tamen Pater causat filium, ergo non est prior naturâ filio.

Impugnatur 1. hæc explicatio. Quia si ad prioritatem naturæ, dicta requiruntur, vel accipitur causa secundùm solam entitatem, vel accipitur secundùm quod formaliter causa est. Si accipitur secundùm entitatem, sic verum est, quod ab entitate causæ, non sit consequentia ad effectum, sed etiam è converso, ab entitate effectûs, non est consequentia ad entitatem causæ, quia hæc entitas, poterat in alio saltem rerum ordine, naturaliter ab alia causa produci, & in præsenti rerum ordine, saltem per casum extraordinarium, quod si non datur subsistendi consequentia, ab entitate effectûs, ad causam entitativè acceptam, causa entitativè accepta, respectu effectûs, non habebit prioritatem naturæ. Quodsi accipiatur Causa prout causa est, sic sunt correlativa, & unum non est prius altero; nam relativa sunt simul naturâ, & sicut valet consequentia: Effectus est, ergo causa est, ita tenet hæc; est causa qua causa, seu causans, ergo & effectus est.

Responderi potest. Quòd causa debeat sumi secundum entitatem, & in actu primo, effectus autem, in actu secundo, sed si sic sumantur, ab entitate causæ, non tenebit consequentia ad effectum in actu secundo, tenebit autem consequentia, ab effectu in actu secundo, ad entitatem causæ.

Impugnari solet secundò. Etiam à causa in actu primo spectata, valet subsistendi consequentia ad effectum: ergo causa ita spectata, non est prior naturâ. Antecedens probatur. Tum quia etiam in actu primo spectata causa, non potest esse sine effectu possibili; Cur ergo ad illum non dabitur subsistendi consequentia? Tum quia etiam in actu primo spectata, est relativa ad actum possibilem. Tum quia in actu primo spectata, requirit decretum Dei, quo velit illum effectum produci. Sed à decreto Dei, valet consequentia ad effectum. Ergo & à causa in actu primo spectata, valebit consequentia ad effectum; nam causa in actu primo, importat etiam hoc decretum.

Responderet Oviedo. Quod à causa spectata in actu primo, etiam cum illo decreto, non valeat consequentia, ad actualem existentiam effectûs, respectu cujus causa, in actu primo spectata, prior est naturâ, &c. &c. *hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia tenet consequentia, ab illo decreto, saltim ad effectum in actu primo, & tamen etiam respectu illius, decretum Dei, est prius naturâ, & causa ejusdem. Quod autem dicit decretum Dei, secundùm suam entitatem spectatum, posse esse sine existentia effectûs, quamvis non secundùm formalitatem decreti, hoc erit recurrere ad connotata, quæ impugnat Oviedo.

Respondetur aliter ex Vasquez & Herize, quod decretum efficax, qua efficax, non se teneat ex parte actus primi, cum constituatur per effectum, & non præsupponatur ad effectum. *Hæc etiam responsio*

Non

Non Satisfacit. Quia accipio decretum, non qua efficax sed qua causa est, & ex dictis arguo, debere ab illo tenere consequentiam ad effectum, quia impossibile est, causæ proportionatum, non respondere effectum, positoque illo decreto, vel non potest non fieri ex suppositione saltem, effectus, ergo dabitur ad illum subsistendi consequentia; vel potest non sortiri effectum, ergo quod Deus vult, potest non impleri ullo modo.

Responderi posset cum recentiori Suarez. Causam spectatâ virtute, posse concipi sine effectu, quamvis per accidens, hoc est, spectata Divinâ voluntate extrinseca efficaci, non posse non sequi existentia effectûs.

Non Satisfacit. Quia etiam virtus illa causæ, non potest intelligi sine effectu. Deinde non apparet, cur à decreto Dei, teneat consequentia ad effectum, & non teneat à causa alia.

Vt intelligatur, quid sit prioritas naturæ.

Præmitto 1. *Quod ad hoc, ut aliqua censeantur priora naturâ, debeat unum Physicè pendere in suo esse ab alio*, unde in physicis, frater major natu, non est prior naturâ, præ natu minori, quia minor natu, non procedit ab illo.

Præmitto 2. *Non solum esse necesse ad prioritatem naturæ, ut unum dicatur pendere ab alio, sed etiam necesse esse, ut utrumque, relativè non sumatur*; nam relativa, sunt simul naturâ, de quo etiam, actum in Logicis.

Præmitto 3. *Nullam esse necessitatem, confundendi prioritatem naturæ in Quo physicam, & prioritatem Logicam*, seu, à quorum altero, non tenet subsistendi consequentia, propter Aristotelis auctoritatem, infra ponendam. *His præmissis*

Explicatur prioritas naturæ. Illa formaliter priora sunt naturâ, quorum unum producit aliud, tanquam vera causa, sive teneat ab illo subsistendi Consequentia, sive non: Ratio. Auctoritas Aristotelis qui in Post præd. cap. 11. *Alia autem naturâ* (supple posteriora sunt) *ea inquam omnia quæ ejusmodi sunt, ut sine illis esse non possint, non item sine illis alia*, & quia apud Aristotelem, Esse, pro existentia sumitur, nos verò Causam definivimus per determinativum ad existentiam, sensus erit: illa naturâ priora sunt, quæ inter se cum sint connexa; unum producit esse seu existentiam alterius, sine qua datione, non existeret; aliud autem non dat, sed recipit ab illo existentiam. Ibidem autem ait: *Videtur*, inquit, *ultra jam dictos modos, alius quidam esse prioris modus, eorum etiam quæ essendi consequentia convertuntur, alterum quod est causa quovis modo, ut alterum sit, prius naturâ non incongruè dici potest*. En Aristotelem condistinguentem prioritatem naturæ, à subsistendi consequentia. Deinde ex communi Theol. in Divinis nulla datur prioritas naturæ, quod ægrè salvari potest nisi dicatur, ubi intervenit prioritas naturæ, debere intercedere causalitatem veram; & ita in Divinis valet hæc consequentia. Hæc Persona Patris est, ergo est Deus, non autem valet hæc; Persona Deus est, ergo Pater est, & tamen ly Deus respectu Patris nec habet prioritatem causalitatis, (nam in Divinis nihil causatur,) nec habet prioritatem originis, quia Pater non est ullo modo originatum, nec habet prioritatem naturæ, quia una eademque formalissimè natura, Deitas est, & natura, quam dicit & habet Pater. *Vnde*

Inferes. Prioritatem subsistendi consequentia, esse prioritatem præconceptibilitatis ratione universalitatis, sive ratione alicujus radicis Metaphysicæ vel principii &c, vel prærequisiti.

Dices 1. Conditio est prior natura effectu, & tamen non est causa. Ergo esse prius naturâ, non constituitur per esse causam.

Respondetur. Dispositiones suo modo, licèt latius, revocari ad genus causæ; adeoque revocativè sunt priores natura rigorosè autem loquendo, potest aliquis negare Antecedens.

Dices 2. Explicari prioritatem naturæ per causare, est idem per idem explicare.

Respondetur. Quod non, quia cum de causâ dicitur, quod sit prius naturâ, dicitur de principio sua Passio, quando autem ly prius naturâ explicatur per causam, explicatur Passio per principium, quod principium, nempè causa, supponitur alibi explicatum.

Dices 3. Si ad prioritatem naturæ sufficit quod unius esse, sequatur ad esse alterius, sequitur Causalitatem esse priorem naturâ effectu. Sed non est prior. Ergo.

Respondetur. Negando sequelam, causalitas enim non est causa. Prioritas autem naturæ per nos, soli causæ tribuitur, sed est potius prior prioritate à Quo. Quamvis autem actio denominet Agens prius naturâ præ effectu, ipsa tamen non est naturâ prior effectu, nam aliàs, quia etiam constituit Actio effectum posteriorem naturâ, deberet illo esse posterior.

DIFFICULTAS II.

An omni Causæ conveniat Prioritas existentiæ.

Negant aliqui Thomistæ sub distinctione: quod scilicet id, quod nunquam exstitit, operari non possit, possit tamen si exstiterit, operari, idque in instanti sui non esse, quod primo sequitur, post suum esse. Convenium tamen in hoc, quod nihil possit causare intrinsecè quod non exstitit, quia causare intrinsecè, est da-

re

re suum esse in partem, quod autem non est, non potest dare suum esse in partem. Procedit ergo cum illis disputatio de causare extrinseco.

Dicendum est. *Si aliquid non sit existens, vel in se, vel in aliquo sui, non potest causare physicè.*

Ratio prima est, ex recentiori Suar. per auctoritatem Aristot. qui ad effectum in actu, requirit causam in actu.

Respondetur. Non agere hîc Aristotelem de actualitate existentiæ, sed de actualitate causalitatis.

Ratio secunda ejusdem. Quia prius est esse, quam ejus actuale operari, siquidem operari, est proprietas illius consequens, res autem non existens, nullum habet esse actuale.

Responderi posset. Quod causæ, quæ exstitit immediatè ante, conveniat prius esse actuale, nec probat argumentum: Cur talis sola prioritas non sufficiat, quamvis enim operari, sit proprietas causæ, non probatur tamen, cur operari, non possit esse proprietas causæ, etiam ejus, quæ nonnisi immediatè ante exstitit.

Ratio tertia ejusdem est. Agens modo distans à passo, non potest operari in illud, licet immediatè, ante fuerit indistans, ergo neque agens potest operari, si immediatè exstiterit ante.

Responderi potest. Absurdum quod advertitur in antecedenti, non posse applicari ad consequens.

Ratio quarta est ex Arubal. causa quæ nunquam exstitit, operari non potest, ergo nec ea, quæ non existit, sed immediatè exstitit, quia hoc, quod est aliquando exstitisse, perinde nihil est Physicè, ac si nunquam exstitisset. Ejusdem Auctoris insuper.

Ratio quinta est. Non potest causa causare post mille annos. Ergo nec in instanti, sui non esse, consequente suum esse. Consequentia probatur eadem ratione qua superior.

Respondeti potest. Utrique rationi; quod consequentiam probet per id ipsum, quod negant Thomistæ. Rursus etiam per communem sententiam, conceduntur aliqua tempori immediatè sequenti, post existentiam viventis, v.g. prolatio nominis Jesu amputato capite, retractatio ad punctuam &c. quæ tamen cadaveri jam frigido non conceduntur, ita & in præsenti concedi posset operatio causæ, quæ immediatè ante exstitit, licèt non concedatur causæ, quæ nunquam exstitit.

Ratio sexta. Si posset causare non existens, posset efficiens non existens, operari, adeoque posset homo non vivens sentire, peccare &c.

Respondeti posset. Negando minorem; probatio illius non tenet ob disparitatem. Quia sentire, peccare &c. est actio vitalis, adeoque viventis, si ergo non vivat, quomodo vivet agendo, seu vitaliter operando.

Ratio septima. Nemo dat quod non habet, causa non existens non habet esse.

Respondetur. Per multos in instanti donationis donans, non habet dominium, & tamen in instanti donationis dat, sufficitque, quod in ante habuerit ita & in præsenti.

Ut conclusio probetur, ad partes, illius advertendum est, una dicit implicitè, quod sufficiat ad causandum physicè, existere in aliquo sui, alia dicit explicitè, si neque in aliquo sui, neque in se existit, non poterit quidquam causare ullum efficiens.

Prima Pars.

Probatur 1. Generatio posthumi, est vera causatio physica, & tamen generatio posthumi, non habet causam physicam in se existentem, sed tantum in virtute, hoc est in semine præcisè. Ergo ad causare physicè, saltem interdum, sufficit, existere in aliquo sui.

Probatur 2. Causa in se distans & tantum indistans ratione virtutis, potest benè causare Physicè, ergo & non existens in se, sed tantum in aliquo sui, poterat bene causare physicè. Probatur consequent. quia sicut sine existentia, ita sine immediatione, non fit causatum & tamen hoc non obstante, sufficit immediatio virtutis.

Probatur 3. Tum quia nulla in hoc implicantia vel absurdum, tum quia dantur virtutes, quæ non indigent immediata unione cum causis, ut patet in multis, præcipuè in seminibus, sono &c. quodsi non indigeant virtutes cum causa, immediatâ unione, non est ratio cur hæ pereant immediatè, pereunte sua causa. Rursùs si non pereunt, non est ratio, cur cum iisdem suis proprietatibus non mutatis physicè, existere non possint, quod si non mutatæ existunt, sicut existente causa principali, verè operari possunt, ita poterunt etiam deficiente principali.

Secunda Pars.

Probatur 1. Quia pro hoc asserendo, nec ulla ratio est, nec ullæ experientiæ, ergo talis vis non debet tribui causis.

Probatur 2. De Causa agente, in instanti, immediatè sequenti suum non esse, falsa est hæc propositio de secundo adjacente. Causa est, ergo etiam falsa erit hæc de tertio adjacente, causa est causans, consequentia probatur. Propositiones quæ non sunt conditionatè explicabiles, & sunt de præsenti, si sint de tertio adjacente, verificari possunt, si fiant nonnisi de secundo adjacente, ut constat ex sumulis. Hæc propositio: Causa est causans in instanti immediatè suum non esse consequente, est propositio non explicabilis conditionatè, & est de præsenti, ergo. Dixi nisi explicetur conditionatè. Quia in Suarii principiis, hæc propositio æternæ

næ veritatis; Homo est animal rationale, quia habet sensum conditionatum, ideo non potest illa concessa, verificari hæc; Homo est.

Confirmatur. Implicat contradictionem, ut causa non existens in instanti immediatè sequenti suum non esse, sit; ergo etiam implicat ut in instanti immediatè sequenti suum non esse, causet. Antecedens probatur, quia aliàs esset & non esset illa causa. Consequentia probatur, quia in illo instanti, de causa verum esset dicere, non est causa, ut supponimus; verum etiam esset dicere, est causa; quod probatur, quia verum esset dicere, causa dum non est, causat, porrò ly causat est explicabile per participium præsentis, est causans; ly autem est causans, idem est; quod est causa, ergo etiam de illo instanti verificaretur quòd sit causa, adeoque verificarentur duo contradictoria.

Respondetur. De illa causa verum esset dicere est causa, non in isto sensu quod existat causa, sed in illo, quòd influat in effectum.

Contra est. Quia hæc responsio videtur petere principium. Deinde hoc ipsum quod est, esse influens in effectum, idem est, quod esse causans, adeoque esse causam, redibitque argumentum factum.

Probatur 3. Conclusio. Implicat esse actionem, & non habere actu existens principium suum, sed si aliquid, etiam in instanti immediatè sequenti, suum non esse, causaret, nec in se, nec in aliquo sui existens, daretur actio, & non haberet existens principium suum actu, de hoc enim procedit status quæstionis, ergo. Major probatur. Tum quia si non implicaret contradictionem actio, non habens actu existens principium, illa actio, esset verè à nihilo. Tum quia, si per impossibile desineret Deus, in instanti immediatè sequenti, suum esse, non posset creare, ex nihilo enim, nihil fit. Ergo neque quodcunque aliud principium in tali instanti ageret. Tum quia si non implicat contradictionem ut actio habeat non existens principium, quæro, in istis duabus contradictoriis: Omne non existens potest esse causa, aliquod non existens non potest esse causa, quænam sit vera? si prior, ergo etiam quæ nunquam existerunt, potèrunt esse causa; Si secundum, non erit major ratio de uno non existente, quã alio. Tum quia in instanti, quo actio non est, sed immediatè ante fuit impossibile est, ut producatur effectus, esset enim improductus, utpote existens sine actione, ergo etiam in instanti, quo agens non est post esse, impossibile est ut producatur actio, nullum enim est fundamentum majoris connexionis, quæ fit in actione ad effectum, quam in actione ad principium. Tum quia implicat ei quod non est physicè, identificari Prædicatum positivum physicum; aliàs & esset illud Prædicatum ut supponitur, & non esset, utpote identificatum ei, quod non est, sed causare seu causativum esse, prout præsupponitur actioni, est Prædicatum physicum, causativum enim esse, est independenter ab intentione, adeoque est Prædicatum physicum, & cum nihil neget, est Prædicatum positivum. Ergo esse causativum, ei quod non est, sed fuit identificari non potest.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Sacramenta novæ legis causant gratiam cum non sunt. Ergo; Antecedens probatur; quia forma v. g. Absolutionis causat gratiam cum ultimo completur, quando autem ultimo completur, non est, quia profertur motu successivo, motus autem successivus quando completur, non est, motûs enim successio, non est in instanti, & tamen completio illa in instanti est.

Respondent aliqui. Causari gratiam à Sacramentis moraliter, adeoque posse ab illis causari etiam cum non sunt. Qui tenent causari illam physicè, & admittunt indivisibilia compositiva temporis, dicent, illam causari in instanti: in nostris principiis causatur gratia instantaneè, sed nullo proportionato respondente in tempore. Sed hoc alibi.

Objicitur 2. Humanitas Christi non existens physicè, causabat gratiam sanctificantem in Patriarchis.

Respondetur. Causationem illam non fuisse physicam, sed nonnisi impetratoriam, & per modum meriti.

Objicitur 3. Contiguitas loci sufficit ad operandum: Ergo & contiguitas temporis: sed instans immediatè sequens, de quo hîc, est contiguum existentiæ in tempore. Ergo.

Respondet Oviedo. Quia id quod non existit in hoc loco, sed in alio, absolutè existit, & habet entitatem, ideò potest & causare, illud autem quod non existit in hoc tempore, absolutè non existit.

Hæc responsio indiget ulteriori lumine, restaurari enim potest argumentum. Id quod non existit in hoc loco, eò quod habeat entitatem in alio loco, causare potest. Ergo, & id quod non habet existentiam in hoc tempore, cum in alio tempore conveniat illi existentia, causare potest. *Huic commodius*

Respondet 2. Arriaga. Retorquendo Argumentum, quòd etiam causa in instanti antecedenti existentiam, posset causare, quod negant oppositi.

Respondet 3. Disparitatem esse, quia nulla est pro Antecedenti implicantia, quam pro consequenti probant adlata.

Obji

Objicitur 4. Finis causat non existens, cognitio item pendet ab objecto & tamen ab illo causatur.

Respondetur. Finem non existentem in se, existere in aliquo sui, hoc est, in apprehensione & amore, in mediis item ad quæ movet. Objectum etiam in aliquo sui causat, nempe in specie sui impressa.

Objicitur 5. Vivens moritur in hoc instanti, in quo non est; ergo potest operari, in quo non est.

Respondet Oviedo. Negando consequentiam. Antecedentis iste est sensus; vivens quod in instanti antecedente fuit, potest non esse in hoc instanti, in quo non est, inde autem non sequitur, quod aliquid non existens operari possit, mors enim non est operari. In idem recidet, si dicas, vivens ampliativè, mori.

Objicitur 6. Res actu non existens, potest uniri rei actu existenti. Ergo & id, quod non existit, causare potest. Antecedens probatur, quia partes motus & temporis uniuntur, & tamen simul non coexistunt.

Respondetur. Quoniam per nos, continuatio non est modus aliquis positivus, convenire poterit etiam ei, quod non est ens; nam continuari partes temporis, nihil aliud est, quàm inter: Nunc, illud motùs, quod præteriit, & inter motum; Qui est, nihil interfluisse quietis, in qua quiete, non verum esset dicere: Nunc motus est.

Objicitur 7. Dispositiones accidentales causant formam sequentem cum non sunt, quia ante introductionem formæ, datur resolutio ad materiam primam. Ergo.

Respondetur. Negando Antecedens cum sua probatione.

Quæres. An existentia sit conditio, an ratio formalis agendi? ad quod dici potest, in sensu reali existentiam non esse conditionem, sed ipsummet principium agendi, cum sit identificata principio agendi. Metaphysicè tamen loquendo nec ipsa essentia, nec ipsa existentia sub his conceptibus acceptæ, important rationem causandi, cùm importent nonnisi suas definitiones, quæ nihil dicunt de actione. Unde jam existentia deberet appellari prærequisitum agendi.

QVÆSTIO III.

De Prædicato indistantiæ debito causis.

EAndem quæstionem sic alii proponunt: An Agens agere possit in distans passum, vel: An requiratur inter agens & passum contactus, vel: An possit agi in remotum, non agendo per medium.

Indistantiam & Contactum variam habere acceptionem; apud alios videbis, nominatim apud Pontium. Quantum ad præsens institutum attinet, certum est apud omnes, non esse necessarium, ut agens, immediatum sit passo, immediatione suppositi, nam suppositum quod est v. g. Sol, existens localiter in cœlo, agit illuminando & calefaciendo distantem terram. Dubitant aliqui cum Scotistis. An non debeat esse agens immediatum immediatione virtutis, quod in duplici sensu capi potest: Primò: An ad hoc ut agens agat, debeat per medium virtutem suam transfundere, ita ut agat producatque aliquid etiam in medio; Secundo: Si non agat quidquam in medio, transmittat tamen virtutem suam, an possit agere in distans passum? Est Quæstio passim tractata, breviterque decurrenda.

Dicendum est 1. *Agens ut agat, debet per medium, virtutem suam transfundere.*

Probatur experientiis. Quia aliàs clausis palpebris possemus videre, clausis fenestris possemus illuminari & cætera similia. Supponit hanc doctrinam Aristoteles. 7. Physicorum T. primo, & primo de Gener. T. 43. & secundo de Anima tex. 74.

Objiciuntur 1. aliquæ experientiæ, ut Magnetis trahentis ferrum, acus magneticæ se vertentis ad polos.

Respondetur. Hæc referri possent in qualitates occultas, transmissas usque ad passum, non agentes in medio, ob incapacitatem medii, referri etiam possunt in naturas rerum, ab effectu & experientiâ cognitas, de quibus Cabæus & Kircherus.

Objicit 2. Mastrius disp. 7. n. 62. Instantias Theologicas.

1. Instantia est. Si per impossibile non esset Deus ubique, cum agat per suum velle, ita ut statim ac vult efficaciter aliquod objectum, subitò accipiat objectum illud esse existentiæ, sequitur evidenter, posse producere aliquid à se ipso distans; quia objectum voluntatis non debet esse necessariò præsens, sed potest voluntas velle distans.

Respondetur. Si per impossibile Deus non esset ubique, ageret tamen per suum velle, ageret tunc per suum velle, neque enim jam hoc ipso intelligi deberet Deus non volens, sed quia hoc velle agit media Omnipotentia quam applicat, in modo applicandi eandem, esset magna diversitas: quia enim omnipotentia tunc nõ haberet conjunctam sibi ubiquitatẽ, dejiceretur hoc ipso, ut non possit agere ubique. Sicut enim si omnipotentia Divina non existeret, agere non posset ita, si nec in se, nec in aliquo sui alicubi existeret, agere posset, jam enim se haberet ac si nõ esset. Et licèt objectũ voluntatis in ratione merè appetiti, præsens esse non debeat, appetet enim ubi est appetitivum, tamen objectũ in ratione respõdentis, principio effectivo, præsens esse debet.

Imò exinde roborari potest conclusio: nam non potest agere appetitivum nisi ubi est appetitivum, idque in se, quia appetitivi vicaria non dantur, ergo neque agere illic, ubi non est, nec habet sui vicarium, cùm aliàs principalis agentis dentur vicaria activa.

Secunda Instantia est. Angelus superior, potest intuitivè alterum angelum cognoscere, ad quam cognitionem inferior angelus, immediatè, non per speciem debet concurrere, hoc enim est de ratione intuitivæ cognitionis, nec debet esse intimè præsens intellectui superioris, aliàs si in eodem loco non essent, nunquam angeli intuitivè se cognoscerent.

Respondetur. Cùm Angelus cognitus non concurrat ad cognitionem nisi terminativè, quàm ipsam terminationem exercet in sua specie expressa, quæ est intimum quid cognoscenti, non ostenditur quod Angelus cognitus, agat tunc in distans, & terminet cognitionem, nec in se nec in aliquo sui præsens, est enim præsens in specie sui expressa. Illud quod dicit, Angelum intuitivè cognitum, non esse Angelum cognitum per speciem, si sit res de specie non propria, vera est propositio, sed negatur non posse dari species proprias, quæ deserviant ad notitiam intuitivam, neque enim per hoc unquam definitur cognitio intuitiva, quod sit sine speciebus. Recedendo autem ad rationem præjactam, disparitas est; quia cum hoc, quod est terminare cognitionem non requirat existentiam termini, unde etiam non entia nosci possunt, etiam terminare poterit non requirendo indistantiam fundabilem, in ratione existentiæ; cùm autem effectus & causa physica debeant existere, & cum causa nec in se, nec in aliquo sui præsens, habeat se ac si non existat, fit ut non existens in se, nec in aliquo sui causa, causare non possit, causa autem distans est causa, nec in se, nec in aliquo sui, inibi existens.

Tertia Instantia est. Anima separata intuitivè cognoscit materialia, quæ non sunt intimè præsentia ipsi animæ. Ergo objecta ista causabunt aliquid in distans, absque eo, quòd medium aliquid recipiat.

Respondetur. Quòd materialia sint animæ præsentia in aliquo sui, nempe in speciebus vicariis propriis materialium, quæ sibi tunc vel parat anima, vel à Deo infunduntur, & si res sit de concursu terminativo, de hoc jam dictum supra.

Objectr III. idem ex principiis Philosophicis. Actio illa prævia, qua passum alteratur, non facit, ut agens, propriè in distans, agere non dicatur, quia hoc est per accidens, quatenus agens cùm sit imperfectum, natum est prius agere, secundùm potentiam imperfectiorem, quæ est alterativa, postea secundum perfectiorem, quæ est generativa, & si à Deo applicaretur subjectum ultimo dispositum illi agenti, statim ageret generando, non alterando.

Respondetur. Si arguens applicationem requirit ultimo dispositi subjecti, hoc ipso requirit indistantiam.

Directè ad argumentum dici potest. Negando quòd actio alterativa non ex eo etiam præcedat generativam, ut à generabili non distet agens.

Concedo, quòd agens imperfectũ agat prius, secundùm potentiam imperfectiorem, sed nego quod alteratio non etiam ex eo præcedat generationem, ut salvetur indistantia agentis.

Concedo, quòd si à Deo applicaretur subjectum ultimum dispositum, fieret statim generatio, sed cur? quia non jam esset distans generabile, siquidem supponitur applicatum. Ubi ut vides, concedo alterationem præcedere, ex imperfectione agentis, sed etiam præcedit ad salvandam indistantiam agentis, à passo, cui agens conjungitur in aliquo sui, nempe illa virtute.

Instat I. Ergo hæ influentiæ è cœlis emanatæ, recipiuntur etiam in cœlis, & tamen frustra; cùm nec per æternitatem possint aliquid in cœlis producere.

Respondetur. Recipi illas qualitates in intermediis (si dantur) cœlis, non tamen frustra, quia licèt nihil sint unquã producturæ in illis, conjungunt tamen agens cum ipso producendo effectu & ratione illius conjunctionis, non sunt frustra.

Instat II. Ista virtus non deberet esse simplex qualitas, quia non posset tot & tam varios effectus producere, nec etiam plurificaretur ad plurificationem effectuum, quia totum universum, esset plenum variis qualitatibus & influentiis.

Respondetur. Indubiè una qualitas, potest producere plures effectus, non tamen omnes, quia hoc videtur excedere limitationem illius, unde nec plurificabitur pro pluralitate effectuum: consequenter medium quid continget, non erit una qualitas tantùm, nec plurificata pro pluralitate effectuum, erunt tamen plures, licèt numero non nobis, sed Deo notæ, varietasque dispositionum subjecti faciet, ut una virtus, variè agere possit, præsupposita suâ virtute intrinseca.

Instat III. Potest agens producere effectum, quem non producit in medio. Ergo etiam potèst agere in distans, quia prævia illa operatio, ad nihil prorsus conducit.

Respondetur. Transmissio illa virtutis per medium, non producendo in illo, quod producit in distanti, facit ut in aliquo sui existat agens, quod ex dictis est necessarium; aliàs inibi ubi agit agens, ita se haberet, ac si non esset.

Instat IV. Quia non videtur quomodo fiat approximatio causæ ad passum distans, per productionem effectûs, in medio omninò diversæ rationis.

Respondetur. Ideo: quia si in medio operetur, apparebit à posteriori esse illic ejus virtutẽ, adeoque dum operatur in distans, existere illic agens in sui virtute, quam, non est intelligibile, quî transmittere possit, sine medio. Unde non esse-

effectus in medio productus ad hoc conducit, sed virtus, per medium transmissa, & in medio operans effectum, quem aliàs in sua virtute continet, si passum censeatur dispositum.

Instat V. Cùm partes agentis remotæ à passo, nihil agant in propinquiores, sed agant immediatè in passum distans, nulla operatione secuta in medio. Ergo conceditur, quòd magnes possit agere in ferrum distans, non agendo in medium, continuatioque inter agens & passum per intermedium aërem, est ob evitandum vacuum, non ad deferendam actionem.

Respondetur. Nulla quidem tunc sequitur operatio in medium, sequitur tamen transmissio virtutis, nec medium illud defert actionem, quæ est modalitas, vel non sine modo, consequenter non transmissibilis, sed defert virtutem activam: quæ licèt nihil operetur in medio, sufficit ut sit in medio, nam si erit in medio, adhuc agens in aliquo sui, conjungetur passo.

Noto. Totam hanc conclusionem in hoc resolvi, quia non datur ex una parte ulla experientia actionis in distans, ex altera parte materialis virtus non potest transmitti nisi per medium, aliàs autem transmitti debet, ne causa agat, quæ nec in se, nec in virtute sua existit.

Notabilis est illa experientia, in oppositum de Lebete, cujus fundus, in quem immediatiùs agit ignis, est frigidus, remotiores autem partes sunt calidæ. Arriaga advertit, quod agat ignis, primum in partes laterales lebetis, proximiores, & postea in remotiores, quare autem non calefaciat fundum, hoc non spectat inquirere, ad præsentem difficultatem. Frigus illud lebetis, refert Oviedo in exhalationes frigidas, & terreas, quæ descendunt in fundum lebetis. Recentior Suarez dicit, prius fundum lebetis calefieri, & aquam illi contiguam, sed calefactam, utpote leviorem sursum ascendere, & frigidiorem utpote graviorem deorsum, ab eoque descensu, frigus illud causari. Addi posset, bulliente aquâ intercipi partes frigidas aëris, & in fundum lebetis transmitti, ubi continetur tepor ille, ut ita dicam, concentratus, quanquam etiam experientiam absolutè negat Arriaga.

Ex experientia phantasiæ moventis appetitum, non probatur actio indistans; quia vel in eodem cerebro utrumque est, vel est connexio aliqua transmissione spirituum.

Si autem dicas. Cùm actio sit modus, adeoq; inseparabilis à Subjecto, quî erat transmissibilis à Subjecto? Negandum erit, actionẽ transmitti, sed qualitatem virtutis, quâ intermediâ agitur.

Dicendum II. *Quamvis agens non agat in medium, modò transmittat virtutem per medium, potest agere in distans.*

Probatur Conclusio experientiis. Quia si instruatur accensus rogus remotiores partes caloris non agunt in medium, quia non possunt in calidum sibi simile agere, & tamen agunt in remotius, magis enim calefit passum, à toto monte illo accenso, quàm ab aliquot lignis. Virtus solaris, & planetarum influxus, Mineralia producit, simile nihil producendo in aëre, rursus columnæ magnæ gravitas, secundùm partes remotiores non agit in medium, & tamen major columna, magis gravat. Ergo in distans conjunctum, dari potest actio, non agendo in medium. Quòd si quæras: Cùm aliqua videantur non agere in distans, nisi etiam agendo in medio, aliqua autem agunt non agendo per medium, in quod principium id referri debeat, sed hujus, ut dicit Arriaga; nulla potest reddi ratio, sed referendum hoc est in experientiam, & naturam agentium. His breviter tactis, *sequitur*

DIFFICVLTAS I.

An Creaturæ miraculosè possint agere in distans?

Dicendum est, *Possibilem esse actionem in distans.* Est Conclusio Scotistarum, Arriaga, Oviedo, contra non paucos Thomistas.

Probatur I. Quia id non implicat Contradictionem.

Probat II. Arriaga. Quia, quòd causa non possit agere in distans, non constat hoc nobis, per rationem à priori, sed per solam experientiam, quæ non infert, non posse dari alias causas, quæ non sint ad talem modum agendi alligatæ, vel ad maximum, cur miraculosè id facere non possint. Addit Oviedo. Si agens ageret in distans, nihil produceret distinctum, quoad substantiam effectûs, vel quoad modum, qui se teneat, ex parte effectus. Ergo nil produceret, quod esset contra virtutem suam, & potentiam intrinsecam, ergo posset Deus, ad talem rationem agendi, elevare creaturam.

Probatur III. Existat ignis Cracoviæ, possibile est calorem ab illo productum à Deo accipi, & poni Romæ, vel v.g. per replicationem; possibile item est, imò necessarium, calorem illic positum producere calefactionem, ergo non implicabit actio in distans, & non per medium, quia productio caloris de novo facta Romæ, tribuitur igni, qui est Cracoviæ.

Confirmatur. Indistantia non est essentia causæ, ut omnes concedunt; Ergo sublata indistantia manet essentia causæ, ergo & ulterius potentia causandi, adeoque agendi, quod ipsum, sic Proponitur. Indistantia vel est essentia actionis, vel non: si non est, Ergo indistantiâ sublatâ, manere potest actio, defectusq; conditionis supplevi; si autem indistantia, est de essentia actionis, ergo indistantia non erit jam conditio sine Qua

non, quod est contra communem doctrinam, quærereque: An agens possit agere in distans? idem erit in re, ac quærere: An possit agere sine actione? siquidem de essentia actionis est, indistantia, quæ tamen duo longè sunt condistincta.

Objicitur 1. Actus & potentia debent esse simul. Causa & effectus, sunt actus & potentia. Ergo.

Respondetur. Actum & potentiam pro principali accepta significatione importare materiam & formam, quæ duo ut constituant compositum, debent esse simul, quomodo enim erit compositum, si utrumq; à se distet, non tamen actus, & potentia, accepta in minus principali sensu, seu in ordine efficientis, nulla enim in hoc implicantia.

Objicitur 2. In loco, in quo res non est præsens, perinde se res habet, ac si non existat. Sed res non existens causare non potest. Ergo.

Respondet recentior Suarez. Res non existens, non habet entitatem, si non habet entitatem, non habetur, quod elevetur ad operandum, modo sibi indebito, causa autem dissita, habet entitatem elevabilem. Dici etiam potest, rem quæ tam in se, quàm in aliquo sui non est præsens, perinde se habere, ac si non esset, non tamen perinde se habet ac si non esset, si sit in aliquo sui.

Instabis. Non potest aliquid elevari, ut agat non existens, in tempore saltem imaginario. Ergo nec potest elevari, si non existat in loco.

Respondetur. Si res procedat de Agente, non existente etiam in aliquo sui. Concedo totum. Si autem existat in aliquo sui, sufficit ut elevetur, sive existens in aliquo sui, in tempore, sive in loco. Quodsi in aliquo sui existat in loco, in nullo sui in tempore. Negabitur consequentia. Quia si existat in aliquo sui in loco, erit quod elevetur, non erit quod elevetur, si in tempore, in aliquo sui non existat.

Objicitur 3. Illa actio, quæ supponitur posse dari in distans, vel proficiscitur à Deo, supplente locum agentis creati, ubi illud non est, vel ab ipso agente: non à Deo supplente, quia Deus non potest supplere principium actionis, cum hæc essentialiter pendeat à principio: Non etiam proficiscitur ab ipso principio, quia agens non est in illo loco. Ergo actio, non procedit ab illo, in tali loco.

Respondetur. Negando Majorem. Quia actio illa, nec proficiscitur à Deo supplente principium, neq; ab ipso immediatè agente producitur, sed à virtute ipsius, posita inibi miraculosè, cum non fuerit transmissa, per medium.

Objicitur 4. Si agens creatum posset agere in distans, sequeretur illud fore infinitæ virtutis, si enim ageret etiam miraculosè in aliqua distantia, non agendo in medium, non est ratio, cur in remotius agere non posset.

Respondet. Pontius ad vim hujus argumenti. Quia vel requiritur imprimis ad agendum in majori distantia, major virtus, vel non requiritur: si non requiritur, ergo actio in distans, non arguit majoritatem, consequenter nec infinitatem virtutis; si requiritur major virtus. Ergo non sequetur, si agens possit agere in aliqua distantia, quod possit in omni. Deinde

Respondetur. Negando sequelã. Quia sicut non datur infinita distantia, nec dabilis est; ita nec poterit illud Agens, in infinitè distans agere. Deniq; ex eo, quòd agẽs possit aliquid minus, nõ sequitur, quòd possit Agens, agere etiam majus.

Objicitur 5. Spectatum agens non elevatum, non apparet qui principiet illam actionem, nec etiam intelligi potest, quomodo ab illo jam elevato, pendeat illa actio. Ergo non datur.

Respondẽtur. Negando imprimis consequẽtiam, quia non infrequens est, quorum modum ignoramus, ea tamen asserere, ut reductionem materiæ in punctum quantitate sublata, transitũ Angelorum ab extremo ad extremum, sine medio, &c. similia. Deinde Antecedens est falsum, quia quod attinet ad ignem v. g. non elevatum, ille suum non potest calorem impedire, ne agat in medio, sed si passum sit dissitum, non habet vim illuc porrigendi suum calorem: potest autẽ id facere Deus, non potest item calorem suum replicare; potest Deus. Quia autem illa actio pẽdebit à calore, qui est virtus ignis existentis alibi, producta ab eodem igne, fit ut ratione hujus, illa actio, pendeat ab illo igne. Cæterũ, posito quod corpora, ne divinitus quidem possint transire ab extremo ad extremum, non per transeundo medium, recurrendum ad hoc erit, ut jam innui, quod transeat quidem medium illa virtus, sed nõ operetur in medio, cum aliàs possit; sed id replicationem non impediet, nam in replicatione, rem replicatam, non est necesse in medio agere.

Instabis. Agens, non potest naturaliter agere in distans, neq; extra suam sphæram. Ergo nec supernaturaliter poterit, quia nihil potest elevari extra suam sphæram, & ad id producendum, cujus inadæquatam, & inchoatam non habet virtutem.

Respondet Oviedo. Agens non potest naturaliter agere in distans, non defectu virtutis, sed defectu conditionis, adeoque ad hoc, ut agat in distans, elevari poterit. Deinde dici potest talem actionem esse extra sphæram naturalem, non obedientialem, inchoata autem virtus, est necessaria, in elevatione, tantum ad actus vitales, de quo aliàs; nam potest à Sacramentis produci divinitus Gratia, idque physicè, cum tamen non habeant inchoatam vim, illius producendæ.

Objicitur 4. Ad operandum hîc, requiritur præsentia hîc; ergo agens non potest operari in hoc spatio, quin sit in hoc spatio.

Respondetur. Ad operandum hîc, sufficere præsentiam hîc, vel in se, vel in virtute sui.

Obji-

Objicitur VII. Actio, seipsa pendet ab approximatione, tanquam à Conditione. Ergo ab illa non potest non dependere; quia, quod convenit actioni per se ipsam, semper illi convenit.

Respondet Oviedo. Quòd adæquatè non dependeat ab approximatione actio, aliàs sine hac numero approximatione, non posset esse actio, dependet ergo per coexistentiam actionis, cum approximatione, & per decretum Dei, quo ex prævisione approximationis, determinavit se Deus, ut concurreret. Conformiter autem, ad materiam de connotatis dici potest, quod dependentia actionis, secundùm id, quod dicit in recto, non possit ab illa separari; dicit enim entitatem actionis, secundùm autem id, quod dicit in obliquo, potest benè separari; nam in obliquo, dicit istam, vel istam viciniam.

Instant Complutenses. Necesse est virtutem activam esse conjunctam actioni, ergo & effectui, quia actio tenet se ex parte effectûs. Antecedens probatur. Tum quia Experientia id docet. Tum quia virtus activa, & principium Quo, debent esse conjuncta. Causæ, ergo & causalitas. Tum quia actio est datio esse, ergo debet esse conjuncta & causæ, & effectui.

Respondetur. Concedendo actionem debere esse conjunctam ipsi virtuti, v.g. calori, & ipsimet effectui, sed non ipsimet igni, rationes etiam quæ adferuntur, non convincunt. Quod attinet ad experientiam, illa est pro actionibus naturalibus non miraculosis, imò etiam nunc de facto, ubi non est ignis, sed est solum calor, fit calefactio, cur ergo si transmittatur calor per medium, non agendo in eodem, non poterit agere in extremo.

Noto. Præsentem hanc doctrinam supponere, quod virtus, vel ipsum agens, semper debeat esse, ubi est actio, licèt non sit, vel non agat in medio, cum possit: Ratio. Tum quia, si illic non est agens, vel virtus, quis inibi principiat actionem? Tum quia, illa actio vel est modus, vel indistinctum quid ab agente, prout producente effectum. Non primum; Quomodo enim productio illius modi, transmitteretur per medium; si secundum, quomodo salvaretur, quòd sit illic ipsa actio, quæ est ipsum agens, si illic non est ipsum agens. Tum quia, si illic nec agens, nec virtus est, quomodo non se ita habet, acsi non esset simpliciter.

DIFFICULTAS II.

An Deus posset agere in distans à se.

Certum est: nihil esse quod sit, & tamen distans à Deo sit, sed ponamus per impossibile Deum solum in cœlo existere, nec esse præsentem mundo, quæritur: An aliquid in mundo agere posset? Negat recentior Suarez.

Dicendum est. *Posse Deum agere in distans modo explicato.* Dixi modo explicato, hoc est; habendo saltem in aliqua sui virtute indistantiam, licèt non esset præsens in medio, & licèt non esset in se præsens, ipsi effectui, aut si esset præsens effectui, quamvis non esset præsens in medio.

Probatur I. Quia id non implicat Contradictionem, de quo in solutione argumentorum, & certè:

Perfectior est conceptus Omnipotentiæ, potentis agere in indistans, & distans, quam potentis agere, nonnisi in indistans, perfectior enim est modus agendi, qui est magis illimitatus, sicut & esse magis illimitatum, perfectiùs est limitato, ergo iste modus agendi perfectior erit, de cæteroque est possibilis.

Probatur II. Posito quod Deus esset localiter nonnisi in cœlo, haberet principium operandi immutatum, ergo eodem modo, quo nunc operari posset in mundo, aliàs hoc ipso illud principium esset mutatum. Antecedens probatur, Principium operandi in Deo non est ipsius præsentia, sed omnipotentia, ergo cum sola præsentia illius mutaretur, adhuc principium agendi, esset immutatum. Hoc ipsum Antecedens probatur. Tum quia alius est conceptus omnipotentiæ, alius autem ubiquitatis. Tum quia, in nobis præsentia, non est principium operandi. Tum quia, si idem est præsentia & principium operandi, præsentia in actu, esset principium agendi in actu, quod dici non potest; quia sæpè Deus est principium agendi de novo in actu, ubi non est præsens de novo in actu.

Hoc ipsum proponitur aliter. Potest agens creatum agere in distans. Ergo & agens increatum. Probatur consequentia, ideò antecedens est verum, quia sufficit virtutem illic esse & actionem, ubi est effectus, ergo etiam sufficiet, ut Deus illic sit, quamvis non sit in medio.

Probatur III. Non est ratio, Cur non sufficiat ad hoc, ut Deus alicubi agat, esse tantum præsentem effectui, in virtute sua, vel in se, licèt non sit præsens in medio; Quod ipsum sic proponitur. Præsentia Dei, prout eum facit præsentem Romæ, vel conducit aliquid præter præsentiam, quam Deus habet Parisiis, ad agendum Parisiis, vel non conducit; si non conducit; ergo sufficit illum esse præsentem illic, ubi agit; Si conducit, ergo illa præsentia, prout est Romæ, agit in distans, cum præsentia, prout est Romæ, non sit præsentia, prout est Parisiis, & tamen ingreditur actionem. Concedo tamen virtutem remotioris, conducere ad actionem dissiti passi, ratione augmenti, sed quod mera præsentia conducat ad id, non satis apparet.

Objicitur I. Si omnipotentia Dei posset operari effectum, sine præsentia ad eundem, dum operaretur; & operaretur, & non operaretur, operaretur ex suppositione, non operaretur autem; quia operatio, est ipse effectus indistans, seu unitus agenti.

Respondetur. Inprimis hanc objectionem, nos non urgere, quia non affirmamus, Deum operari effectum, sine præsentia ad eundem, sine inquam præsentia, vel suæ virtutis, vel sui, sed nego, quodsi per impossibile in medio non esset, operari non posset. Et sicut, qui negat Deum esse realiter in spatiis imaginariis, eo ipso concedit, quia in illis ipsis incipit operari, incipit illic esse præsens, licèt non sit præsens, in reliquo spatio imaginario; ita & in præsenti sufficit ut ibi, ubi operatur, esset præsens Deus, quamvis per impossibile, non esset in medio, sufficit inquam, ut sit præsens, vel in se, vel in sui virtute.

Objicit II. Recentior Suarez. Deus habet perfectissimum modum essendi, ergo & operandi, atqui perfectissimus modus operandi, debet exerceri per intimam præsentiam causæ ad effectum. Ergo. Subsumptum probatur ut Deus habeat perfectissimum modum essendi, debet esse intimè præsens rebus, quibus ineſt. Ergo etiam ut habeat perfectissimum modum operandi, debet esse intimè præsens rebus, in quibus operatur.

Respondetur. Negando subsumptum, & probationis ejus Antecedens, in qua, nomine essendi Dei, non intelligitur aliud, quàm modus coëxistendi creaturis, & tamè falsum est, Deum habere perfectissimum modum coëxistendi; perfectior enim est modus coëxistendi per unionem Hypostaticam, & per visionem beatam, cum creaturis omnibus rationalibus, & tamen talem coëxistentiam Deus non habet, sufficit ergo modus perfectissimus coëxistendi, secundùm id, quod dicit in recto. Rursus, si Deus non semper operatur, quod optimum est, nec erit necesse, habere modum operandi perfectissimum. Negari etiam potest, esse perfectissimum modum operandi, per intimam præsentiam, etiam in medio positam, propter dicta, in probatione Conclusionis. Paritas adlata non tenet. Quia, si Deus non coëxistat creaturis, nullam inde habebit perfectionem, ex suppositione præcipuè, quod de facto sit, cui coëxistatur, acquireret autem perfectionem, ex suppositione impossibili, si ad arbitrium in distans & indistans ageret; sicut perfectior est potentia creata, quæ vel in propinquum, vel in remotius agere potest, si velit, eritque adhuc præsens illic, ubi operatur, licet non præsentia, etiam per medium intercepta. Denique procedit argumentum de eo, quod est de facto, non autem de eo, quod sequi deberet, ex suppositione impossibili.

Objicitur III. Non est possibile, ut Deus, secundùm suam immensitatem, non coëxistat ubique, supposito, quod detur illud, cui coexistere possit. Ergo, non est possibile, ut non etiam sit præsens ubique, ergo etiam non est possibile, ut non operetur, tanquam præsens ubique.

Respondetur. Concedendo totum. Sed quæritur; an supposito per impossibile, quod non esset ubique, tolleretur ipsius potentia operandi, tanquam aliquid, immediatè connexum, cum illius præsentia, hocque ipsum est, quod negatur.

Objicitur IV. Deus si solam præsentiam suam in cœlo haberet, illic, ubi vellet operari, vel esset præsens in aliquo sui, vel in se: Si in aliquo sui, ergo in sua virtute & potentia, hæc autem sunt, ipse Deus, adeoque jam non indistans operaretur.

Respondetur. Deum in suppositione formatâ, posse interdum existere illic, ubi operatur, in aliquo tantum sui, respectu scilicet eorum operum, ad quæ posset uti aliquo instrumento creato, & sic v. g. ad justificandum peccatorem Parisiis, posset uti sua gratia, in cœloque, localiter creatam, transferre Parisios, respectu autem eorum operum, ad quæ uti non potest, vel non vult, instrumento creato, deberet esse illic præsens ubi agit, operaretur tamen indistans, quia medio intercepto, non coexisteret, nec per illud transmitteret virtutem.

Instabis. Si Deus posset aliquid operari, quâvis in aliquo tantum sui præsens; sequeretur creaturam, posse non dependere strictissimâ dependentia à Deo, quia magis opus habemus eo, sine quo, in sua entitate præsente, nihil sumus, & possumus, quàm opus habeamus eo, sine quo, aut ejus satellite, esse non possumus.

Respondetur. Strictissima dependentia creaturæ à Deo, in hoc solo stat, ut nec esse, nec conservari, nec operari possit, independenter à Deo, quod totũ, etiam in præsenti, salvaretur. Nec est necesse, aliam dependentiam ponere, certè enim suo modo, strictius pendet humanitas Christi, à Verbo, quia præter communem dependentiam dependet etiam, dependentia suppositi, & tamen non omnes creaturæ, tàm strictam dependentiã habere debent. Rursus, strictiùs dependet à Deo, quod ab ipso solo immediatè producitur, quàm quod producitur, etiam à Creatura, & tamen non est necesse à solo Deo produci omnia.

Objicitur V. Si ponamus Deum præsentem in cœlo, & Cracoviæ, ubi causat non existendo in medio, casu tali, Deus à se distaret, quod est impossibile, quia idem à seipso distare non potest.

Respondetur. Non esse possibile, ut Deus non sit ubique, sed supposito hoc impossibili, quæritur: an vi sublatæ illius præsentiæ, tolleretur potentia agendi, etiam in ordine ad nostros conceptus, in refundatos, necessariò connexa, nonnisi cum præsentia, etiam per medium transfusa, tenemusque non tollendam. Jam autem: an dici deberet Deus distare à seipso, de hoc agetur, ubi de loci prædicamento.

Objicitur VI. Locus S. Pauli, qui Actor. xvii. ex operatione Dei, in quo vivimus, movemurque, colligit ejus præsentiam, seu, quòd non longè à nobis sit.

Respondetur. Cùm ubique Deus operetur in Universo, rectè colligitur, illum esse ubique, pro-

proceditque argumentum S. Pauli, ex iis, quæ sunt de facto. Et certè, cum nulla sit virtus, quæ de facto detur, quæ vicaria Dei, faciat nos vivere, moveri &c. bene hîc (ubi hoc facit Deus) bene inquam colligitur, ejus præsentia.

Objicitur 7. Auctoritas ex Ps. 38.

Responderi ad illam debet, ut ad auctoritatem Pauli.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur aliqua Quæsita.

Quærit hoc loco Arriaga: An indistantia & approximatio prior sit effectu, teneatque se ex parte actus primi. Quod sit prior, teneatque se ex parte actus primi. Ratio est, quia ignis non potest calefacere passum, nisi illi sit proximus. Ergo approximatio, est conditio, ergo est prior ad operandum, præcipuè cum approximatione pendeat calefactio, à calefactione autem, non pendet approximatio.

Quod autem non sit prior. Ratio est. Quia anima non potest movere, & animare corpus distans, & tamen antequam moveat, & animet, non censetur prius esse approximata, sed sufficit illam, tunc esse præsentem, cum movetur, ergo etiam idem dicendum de reliquis agentibus, tenereque subsistendi consequentiam, ad approximationem, tanquam ad aliquid concomitans, non tanquam ad aliquid antecedens.

Opponit sese huic doctrinæ Oviedo. Supponunt uterque præsentiam esse Modalitatem. Supponunt item, quod ut aliquid propriam præsentialitatem producat, in genere causæ efficientis, aut illam patiatur in genere causæ materialis, non indigeat præsentiâ, ex parte actûs primi requisitâ, quia alias, idem præsupponeretur, ante seipsum. Cæterum, in calefactione, priorem esse calefactione indistantiam, vult Oviedo. Argumento autem, à pari facto, disparitatem adfert, quia approximatio inter animam, & corpus, in instanti temporis, in quo corpus movetur localiter, est quid consequens motum localem; ergo non potest illam antecedere, approximatio verò, inter agens, & passum, in instanti temporis, in quo est motus calefactionis, non est quid consequens motum. Sed huic disparitati.

Respondet Arriaga, quod sufficiat illam approximationem esse concomitantem, licèt non sit antecedens.

Porrò, pro sua doctrina, hanc format rationem Oviedo, probatque approximationem, non posse se habere concomitanter ad actionem. Quia, quod se habet concomitanter respectu actionis, illud non requiritur propriè, & per se, sed tantum est identificatum, seu connexum cum eo, quod per se requiritur, à quo si posset separari, nullo modo requiretur. Sed approximatio, non requiritur tali modo ad calefactionem; aliàs, si agens existeret sine omni præsentia, posset in extraneo subjecto, præsentiam producere, & movere corpus, in quocunque loco existens, quod est falsum.

Sed hoc Argumentum non convincit. Malè enim definitur, ly Concomitanter, per inseparabile seu identificatum, certè enim in consecratione calicis, concomitanter ponitur Corpus, quod neque est identificatum sanguini, nec inseparabile ab illo. Deinde falsum est, approximationem per se, requiri ad actionem; per se enim requisitum, & ipsum agit, cum tamen approximatio, non urat. Quare autem non possit agens agere, in quamcunque distantiam, quamvis approximatio, concomitanter nonnisi se habeat. Rationem redderet Arriaga, quia agens, non tantum non potest agere, si illi deficiant requisita ex parte actus primi, sed etiam non potest agere, si deficiant, etiam nonnisi concomitanter requisita, posset que hoc referri in naturalem vim, & operativitatem agentis, eo tantum se extendentis, & ita ignis, natus calefacere ad tres palmos, approximare vim suam, non potest ad quatuor palmos. *Ut resolvatur quæsitum.*

Assero 1. *Ab approximatione ad effectum, & à negatione approximationis ad negationem effectus, non posse dari legitimam subsistendi consequentiam, per ordinem ad Dei potentiam.*

Ratio. Quia agens approximatum, potest impedire Deus, ne agat, & remotum, facere ut agat.

Assero 2. *Si habet prioritatem aliquam* (de qua mox) *approximatio, respectu effectus, hæc prioritas non est necesse, ut sit prioritas temporis, vel etiam prioritas durationis, ante effectum, vel unico instanti.*

Ratio. Quia naturaliter loquendo, eodem instanti, quo anima est approximata corpori, ultimo disposito, eodem illi unitur. Consequenter sufficiet prioritas dependentiæ; hinc ulterius

Assero 3. *Approximationem respectu effectus, habere se antecedenter, non concomitanter.*

Ratio. Quia prius intelligitur esse approximatio, quàm actus, quod etiam intervenit in anima, quæ prius intelligitur approximata, quàm unita; prioritate, non quidem alicujus instantis, sed præsuppositionis; & sicut non intelligitur concomitanter se habere rationale ad risibile, sed per modum prioris, ita & in præsenti, approximatio non se habebit concomitanter, & quæcunque tandem regula legitima assignabitur investigandi, quod se habeat aliquid per

modum requisiti antecedenter, ea in præsenti applicabitur.

QUÆSTIO IV.

De prædicato distinctionis ab effectu debito causis.

EAndem quæstionem, sic proponunt alii. An idem possit agere in seipsum. Et non est quidem difficultas, an idem possit seipsum producere primo; sed tantum dubium est: An possit idem esse sui causa secundò, vel tertiò, & sic ulterius. Affirmat Suarez, etiam defacto Christum se reproducere in Eucharistia. Negat Vasquez, Lugo de Eucharistia. Disp. 7. Sect. 2. n. 21. & cum eo Oviedo, Pontius, recentior Suar. & alii. Hæc quæstio spectat quidem ad materiam de causa efficienti, non incommodè tamen & hîc tractatur: An autem causæ intrinsecè distinguantur à suo causato vide ubi de toto composito.

DIFFICVLTAS I.

Statuitur quid sentiendum.

DIcendum est. *Possibile esse, ut idem producat seipsum secundò.*

Probatur. Quia ex una parte id non implicat contradictionem, & ex altera parte exaltatur per hoc omnipotentia divina, potens quam amplissimè uti suis creaturis, in ordine efficientis.

Objicit 1. de Lugo. Causa est principium per se influens esse in aliud. Ergo nihil potest causare seipsum, non enim causatum est aliud à se.

Respondi supra. Negando, hanc esse legitimam definitionem causæ. Sed illa etiam concessa, dici posset: hoc esse requisitum ad causam simpliciter dictam, & producentem primo.

Cæterum producens seipsum secundò, determinat se ad existendum secundò, hocque sensu producit seipsum secundo, non tamen ad se refertur relatione reali producentis, & producti, quia hæc est nonnisi inter primo producens, & primo productum. Et quamvis producenti seipsum secundo, in se ipsum, concedi debeat influxus realis, non enim intentio nostra est, produci illud secundo, non tamen exiget terminum distinctum realiter, à producente, solum enim influxus realis, dans esse primo, exigit productum, distinctum realiter à producente.

Instat 1. Mastrius disp. 8. n. 23. Producens seipsum secundo non posset se ipsum determinare secundo, ad existentiam, quia si per primam actionem supponitur esse in rerum natura. Ergo implicabit substantialiter reproduci per secundam, quia huic secundæ terminus, A quo, assignari non posset.

Respondetur. Terminum à quo secundæ reproductionis esse, non esse secundæ productionis.

Instat 2. idem. Sicut hoc esse secundum habitum per secundam productionem, non est à primo esse diversum, ita hoc non esse secundum, nequit esse diversum à primo non esse, nisi secundùm modum, quæ diversitas non sufficit ad novam productionem substantialem.

Respondetur. Sicut termini ad quem non sunt distincti realiter, ita nec ipsi termini à quo, sunt distincti realiter, non sunt tamen diversi, tantùm secundùm modum utcunque, secundum modum qui sit, esse secundum, quod esse secundum, nego quod terminare non possit secundam productionem substantialem.

Instat 3. Licet actio prima quâ intelligitur res existere, ex vi alterius causæ, sit prior, quàm secunda actio, quâ intelligitur de novo à se ipsa pendere, tamen tota hæc prioritas, versaretur inter ipsas actiones, non inter eandem rem, cum se ipsa, est enim semper idem, consequenter non potest esse prior se ipsa, à parte rei.

Respondetur. Inter actiones est indubiè illic prioritas & posterioritas realis, sed non inter terminos, cum illic non sint plures termini, sed unus realiter.

Negatur tamen duarum actionum, quarum una est prior realiter, altera posterior realiter, non posse esse terminum eundem realiter, seu eundem, iterato tamen terminantem actionem distinctam: de qua ipsa actione dici potest, quod sit adæquata respectu productionis secundæ, nam actio adæquata, per Mastrium dicitur illa ex vi cujus nullâ aliâ intellectâ terminatâ ad eundem effectum, potest poni sufficienter effectus, à parte rei. Jam autem nulla alia actione secunda intellecta, sed sola hac secunda, potest poni sufficienter secundo à parte rei, illud, quod dicitur productum secundo.

Et licèt nihil uniter positum sibi ipsi realiter præsupponatur, reproductum tamen & positum secundo, potest seipsum supponere realiter primo positum, ly ipso realiter, non invehente inter producens & productum secundo à se ipso, distinctionem realem in ipsis entitatibus, sed invehente quod independenter à cogitatione nostra, fuerit primo productum, quod tamen idem non repugnat se ipsum producere.

Objicitur 2. Omnis causa secundùm esse per quod causat, debet præsupponi ad effectum. Idem autem non potest præsupponi ad seipsum prioritate naturæ.

Re-

Respondetur. Verum id esse de causa causante primo, non autem de causa causante secundo. Nam quod idem non possit esse seipso prius naturâ, ratio convincit, quia & esset prius naturâ ut supponitur, & non esset, quia esset idem naturâ, cum eo quod est posterius naturâ, quod autem idem non possit causare seipsum, nec dum ostendis implicantiam.

Dici etiam posset non supponi primo productum si producat seipsum secundo, non supponi inquam simpliciter prius prioritate naturæ, eandem enim habent naturam, supponit tamen prius naturâ secundum quid, quia scilicet non primo productum quà tale, accipit esse à secundo producto, sed vice versa, valetque subsistendi consequentia à secundo producto, ad primum productum, non è converso. Arriaga etiam sufficere dicit, ut prioritas hæc desumatur non ratione effectus simpliciter, sed ratione effectus prout actione posteriori producti, & ita agnoscit ipse Lugo, prius esse seipso corpus Christi, prout intelligitur conservari à solo Deo, quàm prout intelligitur conservari in Eucharistia; & idem effectus secundo productus, à causa distincta realiter, erit posterior seipso, ratione actionis distinctæ.

Instat Lugo. Per prioritatem causæ ad effectum, non solum significatur prioritas actionis ad effectum, sed multò magis prioritas ipsius causæ, secundùm entitatem ad effectum, itidem secundùm entitatem. Ergo ubi non datur hæc prioritas, non datur vera causalitas.

Respondetur. Esse hæc vera, solùm de causa primo producente effectum.

Objicit 3. idem. Illa actio secunda non est adæquata respectu corporis Christi; actio enim adæquata dicitur illa, ex vi cujus nulla alia intellecta, quam terminet idem effectus, ponitur sufficienter effectus à parte rei, ista verò actio essentialiter est talis, ut præsupponat corpus Christi existens.

Respondetur. Illam actionem esse adæquatam in suo genere, & non præsupponere in eodem genere aliam, ordinis ejusdem, nec enim productio secunda, supponit productionem secundam aliam, & sicut cum duæ totales causæ, sive diversi, sive ejusdem ordinis saltim divinitus eundem causant effectum, unaquæque in sua formalitate est totalis, ita & hæc secunda productio, in ratione secundæ, totalis erit.

Objicit 4. Vasquez. Nihil potest esse subjectum seu forma sui ipsius. Ergo nec idem potest efficere seipsum.

Respondetur. Negando Consequentiam, quia pro antecedenti est implicantia, quam tamen pro consequenti non ostendis, implicat autem ut aliquid sit subjectum sui ipsius, quia illud secundum, & esset subjectum primum. Esset subjectum primum, quia esset materia, & non esset subjectum primum, quia supponeret subjectum primum, & huic secundo, esset aliud subjectum primum. Rursus non potest esse idem forma sui ipsius, quia illud primum & esset actus, quia esset forma, & non esset actus quia, subjectaret hanc secundam formam, ab illaque actuaretur, in hoc enim staret esse formam, formam sui ipsius secundam.

Universaliter etiam ab implicantia unius, non tenet argumentum ad implicantiam alius, nisi ostendatur commune utrique fundamentum quod hîc non ostenditur. Et certè hoc, quod esset materia vel forma sui ipsius, non posset secundo esse, nisi per destructionem & carentiam prædicati convenientis primò, nempe vel subjecti primi vel actus, ex quo, sequitur, fore idem cum primo ut supponitur, & non fore idem ob dictam carentiam prædicati, ita intimi.

Instabis. Sicut illud quod causaret seipsum materialiter & esset subjectum primum & non esset subjectum primum, sic etiam si idem produceret seipsum, illud secundo productum & esset primò productum & non esset primò productum, esset primò productum, quia esset idem cum primo producto, non esset autem primò productum, quia esset secundò productum ut supponitur.

Respondetur. In hac instantia, committi fallaciam accidentis, quia ab identitate in uno, arguitur ad identitatem in alio, in quo, non idem, sed distincta sunt; porrò in ratione primo & secundo producti quâ tali, non sunt idem, quia hi termini trahunt secum actiones, quæ sunt inter se distinctæ realiter, licèt sint termini producti idem in ratione entitatis. Dici etiam potest esse productum primo & non esse productum primo, non esse terminos contradictorios respectu ejusdem, nam quando dico de materia eadem se causante secundo materialiter, quod non esset subjectum primum & esset subjectum primum, non intelligo actionem primo productivam, in isto enim sensu materia prima elevata ad sui productionem secundo, non esset subjectum primum, sed intelligitur recipi, sustentari &c. in alio, cum tamen subjectum primum in nullo alio recipi debeat. Ly ergo primum subjectum, & ly non primum subjectum, respectu ejusdem verificaretur, quando autem de illo secundo producto prædicas, quod esset primo productum & non esset primo productum, diverso respectu verificaretur illud non esset primo productum, ratione scilicet actionis diversæ producentis, esset autem primo productum, ratione ejusdem entitatis inter producens & productum.

Objicit 5. Pontius. Implicat aliqua actio totalis respectu alicujus effectus, per quam solam, non posset poni effectus. Sed per actionem illam non posset poni effectus, quia desi-

nen-

nente prima actione, deberet desinere res per illam producta.

Respondetur. Quærendo: an si desinat primo productum, sit desiturum etiam secundo productum, quantumvis producatur non à se ipso, sed ab alio distincto realiter. Directè etiam dici potest quod possit conservari secundo productum etiam desinente primo producto; de quo latius in materia de replicatione.

Objicitur 6. Illa actio & haberet usum, & non haberet; haberet, quia esset ens, & volibile à Deo; non haberet autem, quia nihil potest fieri per illam solam, nec per illam ut conjunctam cum alia actione, quod non æque bene fieret, & æque necessario, per illam actionem.

Respondetur. Argumentum hoc multum probare. Probaret enim ne à distincto quidem realiter posse idem produci secundo. Deinde cum illa actio secundo productiva, æquè producat ac prima, quamvis supponat primo productum, falsum est, quod nihil posset fieri per illam solam illudque productum secundo, posset habere inter alia usum occupandi plura loca, vel actu vel potentia.

DIFFICULTAS II.

Solvitur argumentum à pari.

Objicitur 7. à Pari. Prima paritas est. Relatio non est ad seipsum. Ergo nec productio.

Respondetur. Disparitatem esse, quia relatio definitivè est ad aliud, non ergo est ad seipsum, definitivè autem efficientia, ut sic, non est ad aliud, nec tu aliunde ostendis implicantiam, quod idem non possit producere seipsum, unde etiam negandum est, quod omne producens, & productum, sint correlativa, sicut non omnis cognitio, & objectum, sunt correlativa. Nam cognitio reflectens se, supra se, non est à se distincta realiter, nec ad se relativa.

Secunda paritas. Non potest idem producere seipsum prim; ergo nec secundò.

Respondetur. Disparitatem esse; quia si idem produceret seipsum primò, productivitas competeret ei, quod non existit, id autem quod non existit, ut vidimus supra, non potest producere actu: Si autem concedatur, quòd idem primò productum, producat se secundò, non sequetur, productionem fieri à non existente.

Tertia paritas est petita ex Divinis. Non potest dici, quòd natura divina producat seipsam. Ergo nec in creatis, idem potest seipsum producere secundò; videturque per oppositam sententiam convelli Mysterium Trinitatis, quia jam non bene inferretur, ex productione, distinctio realis, in quo tamen fundatur mysterium Trinitatis, poteritque ulterius dici, quòd Filius, & Spiritus Sanctus, producant se ipsos secundò, quodque Filius non aliud sit, quàm Pater, seipsum producens secundò.

Respondetur. Disparitatem esse, quia quod primò productum non est, non potest se producere secundò, quia & esset idem cum secundo ut supponitur, producto, & non esset, quia eam negationem, quam intrinsecè & essentialiter importat unũ, intrinsecè & essentialiter non importaret secundo productum, quod ipsum probatur. Quia unum dicit intrinsecè, & essentialiter negationem productionis, est enim improductum quid, (nempe natura Divina & Pater) secundo autem productum, diceret intrinsecè & essentialiter productionem. Porrò ea, quorum unum dicit essentialiter, & intrinsecè productionem, & aliud negat intrinsecè & essentialiter productionem, non possunt esse idem.

Sed nec dum sequetur, quod Filius & Spiritus Sanctus cum sint producti, possint reproducere seipsos secundo. Idque ideo, quia in creatis secunda productio non est essentialiter frustra, esset autem in Divinis essentialiter frustra. Quod ipsum probatur. Quia ob limitatam perfectionem, creatura acquirit aliquid, secundo producta quod non haberet si primo esset tantùm producta, haberet enim posse coexistere pluribus locis, haberet distinctioem virtualem quandam æquivalentem cuidam quasi realí, vi cujus possit desinere in uno loco, non desinere in alio, sicut Christus replicatus in speciebus sacramentalibus, desinit in uno loco, non desinit in alio loco; jam autem Filius, & Spiritus Sanctus, sunt illimitatæ perfectionis; hinc quidquid posset habere per suum esse secundo, hoc jam habet, per primo sui produci. Rursus, quia prius est posse produci secundo, quàm posse produci secundo à se ipso, produci enim secundo, est tanquam superius, divisibile per hæc membra; produci secundo ab alio, produci secundo à seipso. Cum ergo nec naturæ Divinæ, nec personis competat produci secundo, neque enim omnia quæ competunt creaturis, idque ex suppositione imperfectionis illarum, competunt Deo, multò magis non competet illis produci à seipso secundo, aliàs possibile esset inferius, sine superiori.

Deinde in Divinis quæcunque fingibilis productio secundo, esset productio prima, possibilis autem in creatis productio secundò, non est productio primo, ut clarum est. Quod autem in Divinis quæcunque fingibilis productio secundò, esset productio primò, hoc inde est; Quia prima productio in divinis, esset productio adæquata, & ex parte principii, & ex parte termini, & exhauriens omnem possibilem productivitatem, & producibilitatem; nulla ergo illic

illic potest esse productio, quæ non sit prima, cum item illa productio prima, sit ab intra, deposcit necessariam, & invariabilem sui continuationem; quia autem prima productio in creatis, non est productio adæquata, nec exhaurit producibilitatem secundo, aliàs nec à distincta realiter causa, posset idem produci secundo, fit ut cùm ex una parte non repugnet creatis producibilitas secundo, & ex alia parte cum non ostendas repugnare producibilitatem secundo, à seipso, fit ut idem possit producere seipsum secundo.

Denique responderi potest ex principiis Theologicis. Quia scilicet si possibilis esset productio secundo in Divinis, illa jam defacto daretur, quidquid enim in Divinis ab intra potest esse, jam defacto datur. Cum ergo fides nos doceat, non esse productionem secundo in Divinis, nec possibilis erit; fides autem in creatis, non docet implicare, secundo sui productionem, nec ratio ulla ostendit.

Instabis 1. Etiam primò productum dicit negationem secundo producti, sicut natura Divina, dicit negationem producti, & tamen hoc non obstante, primo productum, potest produci secundo. Ergo etiam produci poterit natura Divina, vel, si illa non potest produci secundo, nec poterit quidquam seipsum, producere secundo.

Respondetur. Quando primo productum, dicit negationem secundo producti, non dicit absolutè negationem producti admittitque (nisi cæteroqui repugnet) productionem secundam, infundatam præhabito titulo producti. Jam autem hunc titulum non habet natura Divina. Deinde instantia videtur multum probaret enim à causa etiam distincta realiter, non posse produci secundo, eundem effectum.

Instabis 2. Id, quod improductum est, hoc est, natura Divina potest identificari personæ productæ; ergo etiam identificari potest & natura improducta, cum se ipsa producta.

Respondetur. Negando consequentiam. Quia pro antecedente nulla est implicantia; pro consequenti autem datur, quia & identificaretur natura improducta, cum seipsa producta, & non identificaretur, identificaretur quidem ut supponitur, non identificaretur autem, quia repugnat illam ex dictis produci secundo. Deinde quando identificatur natura cum persona, non eidem præcisè formalitati, seu virtualitati, competit esse productum (quod competit esse productum (quod competit personæ) & esse improductum (quod competit naturæ (in casu autem objectionis, eidem formalitati, & virtualitati, naturæ competeret esse productum, & non esse productum.

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus aliis.

Amicus Tomo primo disp. 23. à n. 70. congerit varia argumenta in oppositum.

Objicitur 1. Hæc sententia, Principium lumine naturæ notum tollit, quo Patres utebantur contra Satellium; negantem Filium distingui à Patre, tollit inquam, illud principium; quòd producens & productum sint distincta realiter, & in hac sententia, Pater seipsum producere posset.

Respondetur. Negando, ab hac sententia tolli dictum principium, quod verum est de producente primo, & producto primo, & quia in divinis non potest esse nisi producens primo, & productum primo, ideo in divinis ex productione, rectè arguitur distinctio realis. Negatur item in his principiis, posse Patrem seipsum producere secundo.

Instat idem. Perfectior est identitas & unitas, quàm multitudo & distinctio. Ergo si non implicat, ut idem sit producens cum producto, talis identitas, ut major perfectio, concedenda est Deo.

Respondetur. Implicare, ut idem sit primo producens, & primo productum. Implicare item, ut in divinis sit secundo productum. Antecedens etiam cum grano salis est accipiendum, aliàs probaret in divinis non esse Trinitatem personarum, in isto ergo sensu nonnisi verum est, quia perfectior est unitas, distinctione in competente divinis.

Objicitur 2. Omnis causa, media actione, dat aliquod esse effectui, & effectus, media actione, accipit aliquod esse à causa, nec satis est, vel causam, solam actionem dare, vel effectum, solam actionem recipere, cum actio essentialiter sit medium ad communicandum aliquod esse, at nullum fingi potest esse, quod per hanc actionem detur, vel accipiatur; quia idem esse effectus, invariatum perseverat.

Respondetur. Retorquendo argumentum, & quærendo quomodo agens distinctum realiter possit aliquid producere secundo. *Directè autem dici potest*, quòd quamvis causa primo causans, det effectui esse simpliciter, causans tamen secundo, sufficit, ut det esse cum addito, hoc est v.g. esse secundo, vi cujus esse secundo, inter alia habet, quodsi non poneretur extra causas, & si primo productum deficeret, adhuc vi il-

vi illius esse secundo, plura spatia occupare, hocque esset quod daret illud esse secundo.

Instat. 1. idem. Hæc sententia admittit aliquid difficilius, quàm fides doceat de productione divinarum Personarum, scilicet productum à producente, distingui præcisè, solum ratione actionis, non autem ratione termini & effectus producti: nam hic ut distinctus ab actione, est idem prorsus cum seipso producente, cum tamen Personæ divinæ non solum realiter distinguantur à producentibus, ratione productionis quâ producuntur, sed etiam ratione termini producti.

Respondetur. In vertendo argumentum, quod si idem producatur secundo à causa etiam distincta realiter, tamen difficilius hoc erit, quàm id quod fides docet. Quando enim Pater producit Filium est terminus distinctus realiter, quando etiam idem Pater cum Filio producit Spiritum Sanctum, est distinctus realiter terminus, hîc autem duplici productioni idem respondet terminus. Addo, non in hoc sitam esse difficultatem Mysterii Trinitatis, quia inter producens & productum est distinctio realis, sed quia producens & productum distincta realiter, identificantur in eadem natura; nos autem non dicimus idem producens seipsum secundò, distingui realiter cum identificatione, à producto primo.

Instat 2. idem. Distinctio inter producens & productum possibilis est, non minor eâ, quàm fides inter personam producentem, & productam agnoscit. Atqui inter personam producentem & productam, non solum admittit fides distinctionem personæ productæ, à producente, ratione productionis, sed etiam ratione termini producti. Ergo minor possibilis non est.

Respondetur. Invertendo argumentum, ut supra, nimirum casu quo idem producatur secundo à causa distincta realiter, quòd ratione termini, inter illa producta, distinctio non erit. Directè autem dici potest distinctionem inter producens, & productum primò, non esse possibilem minorem, est enim cum identificatione in natura: possibilem tamen esse majorem inter distinctionem, inter producens, & productum, non primo; licèt in divinis repugnet tale productum non primo.

Instat 3. idem. Ex hac sententia sequitur, possibile esse, ut filius non tantùm ratione personæ, sed etiam ratione naturæ, producatur à Persona producente; siquidem per realem productionem in nostra sententia, non tolleretur ejusdem, realis identitas, cum producto & producente.

Responsum supra, cum natura divina, dicat rationem improducti, non posse eam produci secundò. Unde ulterius dicitur, realem productionem primam, inferre essentialiter distinctionem realem, non autem omnem, ut sic, productionem realem; quia autem in divinis, non potest esse productio, nisi primò, hinc fit, ut in divinis arguat distinctionem realem.

Objicitur 3. Communiter. Non potest idem generare seipsum secundò, seu, esse Pater sui ipsius secundò, non potest idem esse Dominus, & servus sui secundò. Ergo nec producere seipsum secundò.

Respondetur discurrendo, ut sic, de generatione. Non apparet cur ignis A, easdem dispositiones, & seipsum secundo, educere, generareque non possit ex eadem, vel alia parte materiæ. Discurrendo etiam de generatione filiativa, potest esse quæstio de re, & quæstio de voce; quæstio erit de re; An formam materialem suam, dispositionesque illius secundò, ponere non possit genitum, item, an homo dispositiones ad sui generationem secundò ponere non possit, ad quas secundo Deus producat eandem animam. Et in hac parte quæstionis, affirmativa pars tenenda. Quæstio autem erit de voce. An debeat dici principium ita disponens, Pater. Probabileque est non posse dici, quia usus, hoc nomen Pater, applicat ad primò generatione producens. Quod attinet ad servum, dici posset, quòd nullus possit esse rigorosè servus sui ipsius, quia justitia est virtus ad alterum, secundò autem productus à se, non esset sibi alter; jam autem in definitione rigorosè producti, nego quod intret alteritas, cum hoc tamen stat, quod productus secundò, possit sibi exhibere servitia, obligare se &c.

QUÆSTIO V.

De divisione causarum in communi.

Præmissa divisione in causam creatam & increatam, attingemus divisiones magis necessarias easque Philosophici juris.

Aristoteles divisit causas in materialem, formalem, efficientem, finalem; divisionis hanc adfert rationem Suarez. Dantur de novo rerum productiones, omne autem quod fit, ab alio fit; & hoc erit causa efficiens, & quia nullum agens agit, nisi motivo boni, hoc bonum finis erit; quia verò ex nihilo nihil fit, datur præjacens subjectum, & hoc est Materia. Quia verò efficiens debet aliquid de novo efficere, effectus ille erit forma, quòd si sit effectus altior illo, qualis est spiritualis substantia, nonnisi creatione ponenda, debet nonnisi ponere dispositiones exigitivas, ut prima causa aliquid creet. Rursùs alia est causa totalis, quæ sola, quantum ex illa, producit effectum, & alia est Partialis, quæ nonnisi unâ cum aliis causat. Rursùs alia est causa Physica, alia moralis. Physica est, quæ

per

per verum & realem influxum determinat ad existendum. Moralis autem causa est, quæ consulendo, imperando &c. influit in effectum. Alia autem est causa instrumentalis. Alia principalis, de quibus ubi de Efficienti. Deinde alia est causa per se, & alia per accidens ex secundi Physicorum tex. 33. Causæ per se dicuntur, quæ causant effectum, quà tales, ut dum musicus cantat. Causa autem per accidens est, quæ nonnisi conjungitur cum eo, quod est causa, vel contingenter influit in effectum. Denique alia est causa proxima, alia remota. Remota est quæ medio effectu à se producto influit. Proxima autem, quæ immediatè influit. Hinc insurgit difficultas: An causæ remotæ sint verè causæ. Distinguit Oviedo & dicit, causam remotam dupliciter se posse habere, primò, ut producendo effectum, medio, quo agit illum, tamen non conservet, & sic Abraham avus, Patrem Josephi Jacobum, non conservabat; Secundò, causa remota vel actu producit, vel actu conservat effectum, medio quo agit & hanc causam, dicit esse veram & propriam causam, non verò priorem. Ratio ejusdem. Quotiescunque effectus ita dependet à causa, ut sine illa, vel vices illius supplente, subsistere non possit, illa causa est per se influens, si enim per accidens influeret, subsisteret effectus illa non subsistente, vel non posita, loco illius aliâ, & ita ædificium subsistit, si musicus ædificet; respectu enim ædificii, musica per accidens se habet; jam autem mortuo avo, nullus defectus suppletur in generatione nepotis. Quando verò calor in igne productus, producit alium calorem in aqua, ignis respectu illius secundi caloris, est verè causa, quia illo deficiente & non suppleto per alium ignem, deficiet calor in aqua receptus. Vide de hoc Oviedo.

DISPUTATIO II.

De Causis in Communi comparativè spectatis.

DIsputabitur hîc imprimis de Causis conjugatim acceptis per ordinem ad effectus; An scilicet idem effectus à pluribus causis produci possit? rursus de causis inter se comparatis: An scilicet una aliam causare possit?

QVÆSTIO I.

An duæ causæ eundem effectum causare possint.

POtest procedere quæstio: An duæ Causæ conjunctim, possint eundem effectum causare; deinde an possint divisim. *Sit*

DIFFICULTAS I.

An duæ causæ divisim, eundem effectum causare possint.

PRÆMITTO 1. *Non esse difficultatem de causalitatibus, si illæ sunt modalitates distinctæ*, quod quâ causalitate agit unum, agens eadem numero non possit agere aliud.

RATIO est. Sunt enim essentiales determinationes, vi quarum habet hoc agens, ut agat. Si ergo non sit hoc agens, jam illud determinare non poterit illa Modalitas.

PRÆMITTO 2. *Esse difficultatem de ipsis Causis*, an scilicet eum effectum, idque eundem numero, possit alia causa causare, non quidem Prima; sed Secunda. Quæ quæstio videtur esse independenter à mente Aristotelis tractanda; nam si ille agnovit causam primam, omnia ex necessitate agere, multò magis id sensit de causis secundis, quod necessariò sint ad hos effectus determinatæ, & ex proportione, quòd hi effectus sint ad has causas determinati, idque clarè indicat octavo Metaph. tex. 12. & secundi Physic. tex. 36. & quamvis ille agnoverit causas, & æquivocas, & per accidens, non agnovit tamen causas per accidens in isto sensu: quòd possint causare effectum, quem aliæ causæ causant, sed in isto sensu; quod non per se influant in effectum. Æquivocas item causas agnovit isto sensu; quòd eminenter contineant perfectionem suorum effectuum in eo genere, in quo illos causant; sed non agnovit, quòd contineant cum vi, quemcunq; similem numero producendi effectum, ita ut sit quidē in causa æquivoca vis comproducendi eundem effectum, unâ cum univoca causa, non tamen divisim ab illa.

PRÆMITTO 3. *Non esse difficultatem de causis intrinsecis.* An scilicet duæ causæ distinctæ, successivè eundem effectum causare possint. Indubiè enim non possunt. Ratio, quia cùm effectus causarum intrinsecarum sit idem realiter cum ipsismet causis, si in re non sint eædem causæ, in re non erit idem effectus, adeoque à duabus causis intrinsecis etiam divisim, idem effectus causari non potest. Tota ergo dif-

ficultas est, de causis extrinsecis, præcipuè verò de efficienti, an ex eadem etiam materia, ignem B. tàm ignis A. quàm ignis C. producere possit.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

Dicendum est 1. *Unus idemque numero effectus, à pluribus solo numero distinctis causis, potest naturaliter produci, etiam in iisdem numero circumstantiis loci, temporis, &c.* Ita Scotistæ contra Thomistas, & ex nostris Suarez contra Vasquez, præcipuè circa circumstantiam loci aliud sentientem.

Probari solet ex Scoto. Deus ante prævisum peccatum originale, elegit individuos homines ad gloriam, qui in illa serie non fuissent geniti ex reprobis, qui nunc nascuntur ex reprobis. Ergo tunc causati fuissent, per alias numero causas.

Responderi potest. Negando consequentiam, quia esse reprobum vel electum, sunt valdè extrinseca individualitati, nec mutant individuum, potestque idem individuum, non esse reprobatum in uno signo, & in posteriori signo, reprobatum.

Probat 2. Suarez. Causa æquivoca, cum contineat totam speciem suorum effectuum, potest naturaliter eundem numero effectum producere, quem univoca. Ergo duæ causæ possunt naturaliter eundem effectum producere.

Responderi potest ad salvandam rationem, Causæ æquivocæ, sufficere, quòd quoad speciem eosdem effectus producere possit, quos producit causa univoca, quamvis non eosdem numero.

Probari potest 3. à Pari. Quos causa secunda potest producere effectus, eosdem numero potest producere causa Prima. Ergo & quos potest producere similes numero una causa secunda, poterit & alia.

Responderi potest. Disparitatem esse, quia nisi posset omnipotentia eosdem effectus producere, quos producunt causæ secundæ, hoc ipso non esset omnipotentia, potest autem salvâ suâ essentiâ, una causa secunda, non producere, nisi similes numero effectus. *Hinc aliter:*

Probatur 4. Conclusio, per principium negativum; Non implicat contradictionem, ut duæ causæ, numero solo distinctos, cæteroqui potentes producere effectus, producant etiam eosdem numero, nec est ullum fundamentum, cur de facto causæ, quæ exstant non sint tales; ergo. Dicere autem quòd sint ex natura sua ad hos nonnisi numero effectus determinatæ, est id merè arbitrarium, & sine fundamento fictum, cum oppositum ostendat extensio ad similes numero effectus.

Confirmatur de causis v. g. ejusdem speciei. Vera est hæc Modalis; Necesse est causas easdem specie, posse causare effectus eosdem specie; aliàs differrent specie illæ causæ. Si verà hæc Modalis, ergo erit necesse quoscunque posse causare, quia propositio Modalis universalis explicari potest per descensum distributivum, adeoque poterit verificari quòd possit & hunc, & illum, & illum effectum producere, & sicut cum dico, necesse est, ut id quòd est speciei humanæ, sit rationale, sequitur, de omnibus particularibus id verum esse; ita ut intra speciem humanam nullus sit, qui non sit rationalis; sic intra speciem causativitatis eandem, nullus erit, qui non sit causabilis à causa contenta, intra illam speciem.

Probatur 5. Instantiis Theologicis. Christus qui de facto est, vel poterat venire in mundum, & tamen non esse filius Beatissimæ præsentis, vel non poterat non esse filius illius, supposito quod venerit: Si poterat non esse. Ergo aliquis effectus idem numero, potest à diversis causis oriri; Si non poterat non esse filius illius; Ergo & hæc, non poterat non esse mater illius; nam ista sunt correlativa. Ergo ulteriùs non liberè illam in Matrem hic Christus elegit, nec liberè in Matrem prædestinata est, nec feciſſet sibi in hoc Deus magna, qui potens est. Docetur item, quòd antiqui Patres accelerationem Incarnationis meruerint; quod verùm non esset, si non hic Christus, sed alius acceleratus fuisset; alius autem accelerari debuit, cùm idem effectus non possit esse in diversis circumstantiis temporis, per oppositum sentientes.

Confirmatur. Suppono meruisse Beatissimam, ut esset Mater Christi, suppono rursus non meruisse illam id, nisi ex meritis Christi, qui nunc est, quo posito, sic formatur argumentum. In illo priori, in quo Beatissima non erat merita, ut esset Mater Dei, erat hic Christus. Ergo esse hunc Christum, non est produci ab hac Matre gignente illum: Supponitur enim esse hic, ante istas causas. Antecedens probatur, quia vel merebatur Maternitatem ex meritis hujus Christi, vel non ex meritis hujus Christi: Si ex meritis hujus Christi. Ergo hic erat Christus, & nondum pro illo signo ex hac Matre. Si non ex meritis hujus Christi. Ergo bona aliqua participantur ab hominibus, ab aliquo alio Christo, quàm à præsenti.

Infertur etiam, vi hujus doctrinæ sequi, quòd hic mundus non potuerit citiùs creari à Deo, & quod Deus hanc particulam Materiæ, quæ est in Oriente, non potuerit ponere in Occidente, siquidem ly esse hoc numero, pendet ab iisdem circumstantiis.

Respondet 1. Vasquez. Potuisse supponi Christum hunc, & postea Beatissimam mereri ut esset Mater; quia in illo priori, poterat ex

Bea-

Beatissima sumere corpus, sine eo quod esset Mater; ut Eva sumpsit corpus ex Adamo, quin Adamus fuerit parens Evæ.

Contra. Vel idem erat Christus, qui nec dum supponebatur esse filius Beatissimæ, vel non idem: si idem, Ergo illum eundem esse, non pendet à causa, quæ est Mater, nec ab his circumstantiis, habebiturque intentum; Si non idem, ergo meritis aliûs Christi, merita est Beatissima, ut esset Mater hujus Christi.

Respondet 2. idem. In illo priori, ante meritum Beatissimæ supponebatur hic Christus, quia tamen liberè erat venturus, hinc Virgo & Maternitatem, & circumstantias merita est.

Contra. Christus liberè venturus ante illud meritum Beatissimæ, vel non erat hic, vel erat hic: si erat hic, Ergo ratio hujus potest salvari sine hac causa; Si non erat hic Ergo non tenes responsionem. Deinde Christum hunc, esse hunc, non est quid liberum; ergo si hunc esse, pendet à circumstantiis, sicut huic Christo, non erat liberum, ut esset hic, ita nec erat liberum, ut penderet ab his circumstantiis; vel certè si erat ei liberum esse in his circumstantiis, stante hoc, quòd hic esset, sequitur; quòd Hunc esse, non pendeat à circumstantiis.

Dicendum est 2. *Quod supposita Divina ordinatione, propræsenti rerum ordine, una causa, non possit producere effectus numero distinctos, alius causæ.*

Probatur Conclusio. Divina ordinatio non potest non impleri, sed datur divina ordinatio determinans hos effectus huic causæ. Ergo hæc non potest non impleri, sed si una causa poneret effectus aliûs causæ, divina ordinatio non impleretur, ergo ponere una, aliûs effectus, non potest. Factam autem esse illam ordinationem. Probatur. Tum quia. Cùm hoc cadat sub dominium illius, & sub providentiam, non est ratio, cur non defacto ita ordinârit, fieretque aliàs aliquid, quod ut fiat, Deus non ordinaret. Tum quia indifferentia ad hos & illos effectus, necessariò per aliquod principium tolli debet; hoc autem aliud ostendi non potest, quàm ipse Deus; in iisdem enim circumstantiis non repugnasset aliam numero entitatem poni. Tum quia, quamvis recurrere ad Deum, non sit Philosophicum, id verum est; si commodè ad causas secundas recurri possit. Et quia in aliis similibus tollendis indifferentiis, recurrimus ad Deum, cur non etiam in hac? Et certè ponamus causam A. ponamus effectus, B.C.D. ut prius ponatur effectus B. determinari non aliundè potest, quàm ab ipso Deo, etiam supposito, quod nonnisi à causa A. produci possit. Ergo etiam ut potiùs ab hac causa, quàm alia fiat, benè recurretur ad Deum. Per hoc tamen non negatur, quòd causa seipsam ad effectum productivè determinet.

Objicitur 1. Determinatio productionis hujus individui provenit à causa producente. Ergo causa producens, non potest esse indifferens ad producendos plures effectus, quos sub se habet.

Respondetur. Determinatio productionis hujus individui, materialiter provenit à causa, quia provenit determinatio quoad speciem à causa, ratio autem speciei, non distinguitur à ratione individui; sed non provenit hæc determinatio formaliter electivè, vel ordinativè.

Objiciuntur 2. Paritates variæ.

Prima Paritas est. Hæc numero actio, petit ita produci ab uno principio, ut non possit produci ab alio. Ergo nec effectus, qui per illam actionem producitur, potest ab alio principio produci; quia actionum distinctarum, distinctus est terminus.

Respondetur. Quando dicitur, quod distinctarum actionum distinctus sit terminus, id principium eo sensu est verum; quòd nunquam ponatur actio, quin ei respondeat terminus; non verò isto sensu; quòd eundem terminum, diversæ actiones ponere non possint, vel quòd ad mutationem actionis numericæ, semper sit necesse mutare terminos. Quare autem actio non possit produci, nisi ab hoc principio; possit autem effectus ab alio simili principio produci. Ratio est, quia actio est essentialis determinatio, ut hoc quidem agens sit; non potest ergo aliud agens determinare, nisi hoc, est enim modus illa actio, vel non sine modo, jam autem definitionem effectus non ingreditur, ut sit hujus nonnisi agentis. Rursus, si vel semel concedatur, quòd actio, quæ est modus, vel non sine modo, possit esse, & non esse hujus, debebit per aliud determinari, ut sit hujus; quòd ipsum arguet, debere dari processum in infinitum, in determinationibus, quod non sequetur, si effectus ab alio simili principio producatur. Arriaga disput. 9. Physica. Sect. 4. Subsect. 5. hanc disparitatem dat, quòd effectus dependeat à causa, per aliam à se distinctam actionem, unde mutando actionem, potest jam ab hac, jam ab illa pendere causa; actio autem seipsâ, & per suam essentiam dependet, ideo non potest ab hac alia pendere causâ, aliàs mutaret suam essentiam.

Secunda Paritas est. Differentia specifica determinat certos specie effectus, ultra quos non potest producere alios effectus. Ergo differentia individualis determinabit certos numero effectus, quos, & non alios producere possit.

Respondetur ex Pontio. Differentiæ specificæ, sunt dissimilis naturæ, & ut plurimùm inæqualis perfectionis, hinc non possunt extendi ad rationes omninò dissimiles; jam autem causæ solo numero distinctæ, non sunt dissimiles.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur aliæ Objectiones.

OBJICITUR 3. Causa per se influit in effectum. Ergo essentiale est huic effectui, dimanare ab hac causa.

RESPONDETUR. Causæ nonnisi hoc sensu per se influunt, quia causant effectum, quâ tales, sed non eo sensu; quasi essentiale sit illis causare hunc effectum.

OBJICIUNT 4. Complutenses apud Pontium. Per hoc, quod individua sint ejusdem speciei, non habent in se invicem eandem naturam, sed similes naturas. Ergo, quòd habeant potentiam activam ejusdem rationis, non sequetur; quòd possint facere effectus eosdem, sed similes.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia si eandem naturam haberent individua, & essent individua ut supponitur, & non essent, quia eandem individuationem & entitatem haberent; Si autem eosdem effectus producere possint causæ, solo numero distinctæ, non sequetur illas esse easdem numero causas.

INSTANT 1. Differentia individualis non solùm limitat essentiam in ratione essentiæ, sed etiam in ratione potentiæ, sed per hoc, quòd limitat v.g. animam in ratione essentiæ, facit, ut distinctum numero compositum nequeat constituere. Ergo etiam in ratione potentiæ, ita limitabit, ut distinctos numero effectus, non possit producere.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia si eadem numero anima, distinctum ratione sui faceret compositum, deberet ipsa à se, esse alia; non enim constituit compositum alio, quàm se ipsa, utpotè causa intrinseca illius. Dixi, quòd deberet ratione sui, distinctum compositum constituere; quia si uniretur materiæ numero distinctæ, constitueret compositum, ratione materiæ, inadæquatè, aliud numero: Jam verò si eosdem effectus utraque causa numero distincta posset producere, non sequeretur illas causas esse easdem numero, quia distinctio causarum penes ipsas illarum entitates spectanda est, & non penes effectus, cùm causæ efficientes sint causæ extrinsecæ, suorum effectuum, adeoque numerum vel unitatem suorum effectuum non sequentes.

INSTANT 2. Ratio potentiæ abstracta ab individuis, debet plus includere, quàm ratio particularis potentiæ, sed ratio abstracta potest causare quoscunque effectus illius speciei. Ergo particularis potentia, non potest eosdem causare.

RESPONDETUR. Negando majorem, quia ratio illa abstracta est entitas causæ, prout depuratæ à differentiis, si est ipsa entitas causæ, cum tota entitas seclusis differentiis in unaquaque contineatur, tota etiam vis causandi in unaquaque continebitur, cùm vis causandi sequatur entitatem, consequenter non plus poterit causare entitas illa depurata à differentiis, quàm concreta, cum aliqua particulari differentia; & sicut quia in uno individuo hominis secundùm entitatem specificam continetur tota ratio hominis, & què ratio ut sic hominis, est animal rationale, atque ipse Petrus; ita quia ratio agendi, est alligata ipsi entitati, sicut totam entitatem continet unum individuum, ita & continebit vim causandi quoscunque alios effectus, seipso excepto, quia hoc non cadit in potentiam naturalem. Deinde alia hæc est propositio, quòd illa ratio communis, sit communis ad plura causativa seu causas, cùm tamen ratio particularis, quâ talis, non sit communis ad plura causativa: & alia est hæc propositio; quòd illa Ratio communis sit communis, plurium causativa; & hæc propositio est falsa, non enim plus potest una similis causa, quàm alia, nec omnes plus quàm una, cùm ob rationem adlatam singulæ adinvicem; ad eosdem extendantur effectus. Cæterum ut illa ratio sit communis ad plura causativa effectuum, id deposcit ipsa ratio universalis, ad causas, illi communi rationi competens.

ADDIT Pontius. Quòd sicut potentia visiva in communi non potest plus videre, quàm potentia in particulari: ita nec ratio abstracta causæ à particularibus, plus agere poterit particularibus: totum ergo illud, quod plus includit potentia abstracta ab individuis, non est ratione terminorum, sed ratione multiplicabilitatis, per individua, quæ individuo non convenit.

OBJICIT 5. Vasquez & Valentia. Si productio hujus numero effectûs, spectat ad causam primam, tanquam determinantem ad individuationem, sequeretur causam secundam non liberè, sed necessariò, quia ex determinatione operari.

RESPONDERI potest, imprimis retorquendo argumentum, quòd probaret. Si à circumstantiis loci & temporis determinetur ratio individui effectûs, cùm hæ circumstantiæ à nobis non pendeant, fore illos actus non liberos, & tamen à circumstantiis docet Vasquez sumi individuationem. Deinde conformiter ad communem nostrorum doctrinam, sic respondetur. Quòd Deus ante prævisum actuale exercitium libertatis creatæ, præordinaverit sub conditione hos vel illos effectus, ut si vellet amare, hoc actu, in individuo amaret; si odisse; hoc, in individuo actu odiret; quâ conditionatâ ordinatione posita, indifferens manet voluntas ad odisse vel amare, licèt supposito quòd amet, hoc potius actu amoris sit amatura, hinc illa ipsa ordinatio non tollit libertatem. Illustratur hoc inter alia tali instantia:

pau-

pauperi præparatur, hic numero obolus; ut illum accipiat, vel non accipiat, liberum est illi, supposito tamen quod velit acceptare, hunc accipiet, & non alium. Ad quam responsionem stabiliendam, sic possent firmari signa rationis, magis principalia. Primò videbat Deus causas liberas, positis omnibus prærequisitis, posse agere vel non agere. Secundò obtulit causis liberis concursum ad operandum utrumlibet. Tertiò ordinavit conditionatè pro singulis individuis certam individuorum actuum seriem. Quartò vidit creaturam se ad talem in specie actum determinare, quid autem hîc læderet libertatem? Conformiter ad dicta, ubi de Prædeterminatione dici potest, quòd non sit libera voluntas in ordine ad hanc individuationem actus, vel quòd sit libera, voluntati individuatio actus non electivè, sed elicitivè. De quo fusè I. part. D. 5.

Objicitur 6. Album A. non potest divisim efficere speciem simillimi albi B. nec intellectus Petri efficere divisim intellectionem Pauli, ergo unus idemque effectus, non potest produci à pluribus divisim causis.

Respondetur. Si sit res de cognitione, non retento prædicato vitalitatis, cognitionem Pauli potest efficere Petrus, sed si sit de cognitione retento prædicato vitalitatis, jam disparitas erit, quia si retenta vitalitate, cognitio Petri posset à Paulo produci, & esset ille actus ab intrinseco Petri, quia esset actus ille retenta vitalitate à Petro oriunda, ut supponitur, & non esset ille actus ab intrinseco Petri, quia esset ab intrinseco principio, quod est ipse Paulus, vel quod est Principium in Paulo. Nullum autem simile contingit absurdum, si idem effectus à diversa numero causa ponatur.

Directè ad objectionem dici potest, quod consequens sit verum particulariter, sed non universaliter, nempè quod aliquis effectus non sit producibilis à pluribus causis. Porrò si effectus non sunt producibiles à pluribus causis, qui dicunt intrinsecam connexionem, nonnisi cum his causis, ii autem dicunt connexionem intrinsecam cum his nonnisi causis, qui etiam per divinam potentiam, nonnisi ab his causis produci possunt, eò quòd in sui definitione hanc nonnisi importent causam, & quia actus vitalis importat principium ab intrinseco, & quidem hoc, si debeat reddere intelligens hoc, & species albi A. importat repræsentationem non albi B. sed albi A. si ipsam rationem albi A. repræsentare debet, hinc sit, ut hi duo & similes alii effectus non possint à pluribus causis produci, quia autem multi alii effectus non important hanc connexionem, fit, ut ab aliis causis produci possint. Addo quòd multi negent species intra se solo numero differre.

Objicitur 7. Ergo absolutè loquendo, filius posset generare Patrem.

Respondetur. De præsenti rerum ordine hoc falsum esse.

DIFFICVLTAS II.

An duæ causæ simul eundem effectum producere possint?

Præmitto 1. *Quòd non sit difficultas de duabus causis partialibus*, ut cum plures v.g. carbones, idem subjectum calefaciunt: nec item est difficultas de duabus causis diversi ordinis totalibus, nam certum fide est, Deum qui est agens altioris ordinis, concurrere cum agentibus creatis. Nec item est difficultas de causis diversi generis; nam compositum habet quatuor genera causarum, in suo genere totalium. Nec item difficultas est de causis ejusdem generis totalibus in actu primo, partialibus in actu secundo, quando scilicet causa, ita actionem suam contemperat, ut relinquat locum actioni alterius, quamvis posset sola eundem effectum producere v.g. cum duo equi trahunt pondus, quorum unus sufficeret trahendo.

Præmitto 2. *Difficultatem esse de duabus causis ejusdem generis totalibus in actu secundo*, quando scilicet una producit pro sua parte totum effectum, & alia similiter.

Præmitto 3. *Posse difficultatem procedere: An id possit fieri naturaliter; deinde an id fieri possit supernaturaliter.*

Punctum Difficultatis 1.

An id fieri possit naturaliter?

Dicendum est. *Non posse fieri naturaliter, ut duæ causæ totales eundem effectum causent, idque totaliter.* Non est obvium, rationem conclusionis plenè satisfacientem dare, idque propterea, quia non apparet; Cur duo Angeli saltem ad ostendendam suam libertatem, non possint concurrere, uterque totaliter ad movendum eundem lapidem; cur item duo ignes eidem stuppæ applicari æqualiter vi naturali non possint, saltem Angelicâ, & quia tàm unus ignis, quàm alter nesciunt se agere, nec habent in potestate coercere actionem, cur unusquisque ita non aget, ac ageret quantumvis non adesset alter, quo casu idem effectus utrique causæ, in actu secundo responderet; videamus interim rationes, quæ adferri solent.

Probat 1. Arriaga communi argumento, quòd videlicet actio illius alterius foret fruſtra.

Responderi potest pluribus viis huic rationi; si enim nomine actionis fruſtra, veniat actio non ceſſaria ſimpliciter, concedo talem fruſtraneitatem; ſi autem nomine actionis fruſtra veniat actio eſſentialiter fruſtra, ſic ne divinitus quidem id fieri poſſet, imò in hoc monſtraretur quædam quaſi liberalitas naturæ, & ſicut licèt magis horreat monſtrum, quàm ſuperfluitatem, hinc rariora ſunt monſtra, quàm multæ pluviæ, vel magna ſiccitas, & nihilominus ex accidenti permittit illa natura; cur ergo non permitteret Deus duas cauſas ſaltem interdum, ſimul tamen agere.

Probat 2. Oviedo Aſſumptis variis principiis.

Primum Principium. Duæ actiones v.g. duæ generationes, dicunt inter ſe incompoſſibilitatem.

Respondetur. Hoc ipſum fuiſſe probandum.

Secundum principium. Deus & natura non determinant ad eundem effectum reproducendum, ubi jam deſierit, unde etiam non datur à privatione regreſſus. Ergo nec ad eundem effectum duas cauſas determinabit.

Responderi poteſt. Quòd antecedens videatur favere oppoſitis, nam etiam negatio reproductionis effectus, poſſet ab illis reduci non in intrinſecam exigentiam naturæ, ſed in legem & ordinationem Dei, cur ergo oppoſitum, ſecluſa hac ordinatione non poſſet fieri. Deinde non datur à privatione regreſſus, propter bonum univerſi ex varietate conſurgens, quæ varietas, ratione termini, non eſſet, ſi duæ cauſæ totales agerent, eſſet tamen varietas ratione ipſarum cauſarum, duplici adeoque ad effectum concurrentium, & ſicut aliqui effectus, non à ſolis cauſis univocis, ſed etiam ab æquivocis producuntur; ita ſpectat ad varietatem univerſiut cum ordinariè ab una totali cauſa, unus producatur effectus, propter varietatem procedat à duabus.

Probatur 3. Concluſio. Imprimis quòd attinet ad effectus materiales, illi non poſſunt ſimul totaliter à duabus cauſis produci; Ratio, quia cum effectus materiales habeant partes, non poſſunt ſimul produci, adeoque dant locum, ut ſuam partem, quæque cauſa producat. Quod attinet ad effectus ſpirituales, hi à nobis nulli fiunt, niſi habitus, ſpecies, actiones; ſubſtantia enim ſpiritualis creari indiget, prædicti autem effectus non poſſunt totaliter à duabus cauſis produci, quia cauſa illorum effectuum eſt anima, vel Angelus, qui ſibi eſt principium unicum numero.

Responderi poſſet, quòd effectum materialem poſſunt totaliter producere duæ cauſæ, quantumvis ille ſit diviſibilis. Cur enim eidem minimo, non poſſint ſimul applicari duæ cauſæ, quo caſu, una in agendo non poſſet præcedere aliam, conſequenter, nec una poſt aliam ſucceſſivè ageret; Quod attinet ad effectus ſpirituales; cur non poſſet homo habere duas ſimul alicujus objecti ſpecies, ſolo numero diſtinctas, iisque mediantibus, non poſſet eundem producere actum, cur non poſſet habere duos ſimul actus, ut utérque ſimul eundem ſpiritualem producat habitum, & ſic de reliquis; quamvis autem actionis ſit finis producere, non ſequetur quod careret hoc fine, illa duplex actio, cum utrique, licèt idem, reſpondeat effectus.

Commodius probabitur Concluſio per hoc, quia nulla eſt experientia, quæ probet totaliter unum effectum à duabus cauſis ejuſdem generis produci, & ex altera parte nullum eſt fundamentum poſitivum, quod probet, à duabus cauſis totalibus eundem fieri effectum. Ergo cenſendum eſt naturaliter id non poſſe fieri.

Confirmari poteſt, quia uni actioni non reſpondent duo termini v.g. uni ignitioni, duo ignes, ergo nec duplici actioni unus terminus, non enim eſt potius fundamentum unius, quàm alterius.

Objicitur in oppoſitum. Duo fines totales poſſunt naturaliter cauſare eundem effectum, unde poteſt quis deambulare totaliter propter recreationem. Ergo idem ſentiendum de cauſis efficientibus.

Respondet 1. Arriaga. Non licere argumentari ab intentionalibus ad phyſica. *Hæc reſponſio*

Non Satisfacit. Quia finalis cauſa eſt cauſa Phyſica, licèt cauſans intentionaliter. Cur ergo ſi finalis duplex cauſa poteſt eundem effectum cauſare, non poterit efficiens? Curque intentionalitas admittit coexiſtentiam aliûs cauſæ totalis, non admittit autem efficientia.

Respondet 2. Oviedo. Cauſam finalem dupliciter ſpectari poſſe, primo reſpectu actus interni voluntatis. Deinde reſpectu actus externi, dicit itaque eundem actum voluntatis, non poſſe pendere à duplici cauſa finali adæquata, poſſe externum; prioris rationem dat, quia actus internus per ſe, & eſſentialiter reſpicit ſuum objectum, & per ſeipſum ab illo pendet, ut non poſſit ab ipſo non pendere. Ergo actus qui pendet à duplici objecto, ita pendet ab ipſo, ut non poſſit non pendere. Ergo ulterius à nullo pendet adæquatè, eo ipſo enim, quòd non poſſit non ab utroque dependere, neutrum ſeorſim ſumptum ſufficiens eſt, ut illo ablato, actus ſubſiſtat, cum tamen de ratione cauſæ adæquatæ ſit, poſſe ſubſiſtere effectum, aliâ cauſâ ablata: poſterioris rationem dat, quia deficiente uno fine, qui eſt ſanitas, poteſt eadem deambulatio imperari efficaciter à fine, qui eſt recreatio, &c. *Hæc reſponſio*

Non

Non Satisfacit. Tum quia negari potest illam deambulationem fore eandem formaliter, licèt futura sit eadem materialiter, quia formaliter accepta illa deambulatio est actus humanus. Ergo importat motivum; cumque unum motivum non sit aliud motivum, fit, ut uno deficiente motivo, non sit jam unus actus formaliter, quia non respicit jam aliud motivum, per quod tamen formalisatur. Tum quia sicut est dependentia absoluta actus interni à motivo, sic est etiam dependentia ex suppositione actus externi à motivo: quæ dependentia ex suppositione in hoc sita est, quia poterat hic actus, aliud motivum habere; supposito tamen quòd habeat, non potest non habere; quamvis verò actui externo concedatur dependentia nonnisi ex suppositione, motivo tamen illo mutato, non manet idem actus formaliter; & sic v.g. deambulatio assumpta ex intentione recreationis est bona formaliter, deambulatio autem assumpta ad locum inhonestum, est mala formaliter. Ergo etiam non eadem erit formaliter deambulatio, deficiente alio fine. Sicut enim alia est formaliter dependentia deambulationis factæ propter finem bonum, & alia propter finem malum; ita alia erit formaliter dependentia actus externi ab uno fine, & alia à duobus.

Respondetur. 3. Negando Antecedens; & licèt eadem materialiter deambulatio causari possit à duplici causa finali, non tamen eadem erit formaliter, & secundum esse causatum à finali.

Ad hanc responsionem elucidandam duo adferenda sunt. Imprimis cur si eadem deambulatio potest causari, quoad esse materiale seu reale, à duplici causa finali, non possit etiam à duplici efficienti, idem esse reale causari; deinde adferendum est; cur idem formale esse, non causetur à duplici finali causa. *Quoad primum*, ratio est quia finis non dat esse ipsum reale, sed nonnisi esse tale, non enim ratio causandi in fine, est ipsum esse simpliciter, sed bonitas, hoc est, jucundum tale, utile tale, delectabile tale; ergo & quod causat, non est esse simpliciter, sed tale esse; nam proportionantur ratio causandi, cum causato, imò si finis causaret esse, ut esse simpliciter, hoc ipso jam non indigeret consortio efficientis, transiretque finale agens, in efficiens, & certè intendit finis ipsum bonum, & non esse simpliciter acceptum. Ergo & id quod causat, est bonum, id enim causat, quod intendit; sed bonum, non est esse, simpliciter acceptum, passio enim non est formaliter id, cujus est passio. Ergo & finis non causat esse simpliciter acceptum, sit ut sive accedat, sive recedat, sive ut unum, sive multiplex, eodem modo se habeat, esse simpliciter. Quia autem causa efficiens causat ipsum esse simpliciter, sicut abscessus illius facit non esse effectum simpliciter, ita & multiplicatio illius, facit ipsum esse simpliciter, seu esse materiale & reale multiplex, accedente experientiâ, quod unus idemque effectus totaliter non ponatur à duplici principio ejusdem rationis. *Quod secundum.* Nempè, cur idem formale esse non causetur à duplici finali causa; ratio præter adlatas contra responsionem secundam hæc est; si duo fines totales v. g. sanitas & recreatio causarent eandem formaliter deambulationem, idem esse formale causatum à causis finalibus, haberet deambulatio, deficiente altera causa totali, ut notum est ex definitione causæ totalis, sed non habet idem esse formale. Quòd probatur, esse formale in deambulatione causatum à fine, qui est recreatio, deficiente hoc motivo deficit. Ergo. Antecedens probatur, si deficiente motivo hoc, quod est recreatio, esse formale in deambulatione causatum ab hoc fine, non deficeret. Ergo posset esse, hoc esse formale, sine hoc motivo: ulteriusque quod fieret propter unum finem, fieret propter omnes fines, siquidem abscedente fine, qui est recreatio & manente solo fine; qui est sanitas, habetur formale esse causatum ab illo fine, manetque esse recreationis in illa deambulatione; ex quo ulterius à pari sequeretur, quòd etiam deficiente motivo, quòd sit malum respectu recreationis, manebit adhuc formaliter mala, illa deambulatio.

Addi potest. Ne divinitus quidem propter diversos fines adæquatos posse causari, idem esse formaliter, quòd respiciunt diversa motiva, quia etiam divinitus ratio formalis jucundi, non potest esse ratio formalis utilis, & sicut assensus intellectus propter unum motivum, non potest esse idem, propter aliud motivum etiam divinitus, quia una specificatio non est alia specificatio, ita nec divinitus, propter diversos fines, idem esse formale respondere.

Punctum Difficultatis 2.

An id fieri possit supernaturaliter.

Dicendum est *Affirmativè*. Est contra Scotistas & Thomistas, & nostrum Vasquez.

Probatur unico argumento. Quia id non implicat contradictionem.

Confirmatur. Conclusio à pari. Non implicat contradictionem, ut eodem instanti Episcopus cum Sacerdote novo, finiat formam, quo posito quæro, vel uterque consecraret, vel non, si uterque, quæro, vel partialiter, vel totaliter? si totaliter. Ergo ejusdem effectus duæ causæ totales adæquatæ, dari possunt; si partialiter; contra erit. Tum quia illa partialiter

causare possunt (si sint ejusdem generis causæ) quæ quamvis sint causæ necessariæ, temperare suum concursum possunt, ut cum duo equi temperant inter se tractionem currus, at quomodo efficacia formæ consecrativæ, temperari potest? Tum quia si partialiter concurrant. Ergo vel una pars corporis Christi ab uno nonnisi produceretur, & altera ab alio, & sic non verificaretur forma de toto corpore procedens, & tamen consecratio infundatur verificationi. Fingamus certè fecisse Deum decretum, ut postquam duo Sacerdotes protulerint in eodem instanti formam, id quod respondet prolationi unius, in tempore immediatè sequenti desinat & remaneat id, quod consecrationi alius respondit, tunc quæro: vel manebit Corpus totum, vel non manebit, si manebit. Ergo ille alter est causa adæquata, si non manebit totum corpus. Ergo ille alter non consecravit, debuit enim consecrare Corpus Christi, pars autem corporis, non est corpus; vel certè si partialiter concurrunt. Ergo partem nonnisi hostiæ consecrat, in illaque ponit corpus Christi; quod etiam dici non potest, quia hoc consecrat, quod intendit, sed intendit totam hostiam consecrare. Ergo. Neque valet si dicas, determinari id debere à Deo, in quanam hostiæ parte debeat producere; id enim arbitrariè dicitur, & nonnisi ad evitandam difficultatem, nunquidnè ex suppositione hujus sententiæ, qui vellet consecrare non in hac parte, in qua designaret Deus, nunquid prolatio formæ, materiæ capacitas, intentio formata, nullum jam deberent habere effectum, ad quidque hoc Ecclesia statuit, si hujus nonnisi à Deo petenda determinatio?

Respondet 1. Mastrius. Quod argumentum vim habeat, si ponantur Sacramenta causare physicè, non verò si mortaliter.

Contra. Possunt dari duæ causæ totales morales. Ergo & Physicæ.

Respondet 2. Mastrius. Sacramenta sunt causæ instrumentales (supponamus physicè causantes.) esse autem plures causas totales instrumentales non inconvenit, quia non proinde multiplicantur virtutes influentes, cum instrumenta non agant propria virtute.

Contra. Licèt instrumenta non agant propriâ virtute, nihilominus agunt, nec obest ut duo non agentia propriâ virtute, habeant rationem causarum totalium. Ergo non repugnabit ut habeant rationem causarum totalium, etiam agentia propria virtute, cum difficultas sit petita, non ex formalitate propriæ virtutis, sed ex formalitate totalis causæ, & tamen duplicis.

Respondet 3. Idem esse non posse à duabus causis totalibus, inducentibus formam effectivè, sic autem inducens est solus Deus.

Contra. Non implicat duas causas totales instrumentaliter, esse inductivas, ergo & effectivè, non efficientia Deo debita, quia hæc nulli creatæ causæ convenit, sed efficientia debita creatis.

Respondet 4. Quod illa transsubstantiatio non sit productiva, sed adductiva.

Contra. Non implicat ut sint duæ causæ totales adductivæ. Ergo ut etiam sint duæ totales efficientes.

Respondebis 5. Quod sacerdotes debeant habere nonnisi intentionem materialiter proferendi verba, solo tunc Episcopo intendente formaliter illa proferre.

Contra. Quid si formaliter velint illa proferre? præcipuè quia si attendatur ad sensum communem Doctorum, qui plurimum æstimari debet, formanda est intentio, de formaliter proferendis verbis, si cætera adsint, nec docent Scotistæ, materialiter illa proferri debere.

Objicitur 1. Duæ causæ materiales, & duæ formales, non possunt causare eundem effectum v. g. compositum etiam divinitus. Ergo nec duæ efficientes adæquatè causare.

Respondetur. Disparitatem esse, quia effectus, quod est compositum, est idem realiter cum suis causis intrinsecis, sit ut multiplicatis suis causis, non possit esse idem effectus. Quia autem effectus, non est in re causa efficiens adæquata, fit ut multiplicatis efficientibus adæquatis, non sit necesse multiplicari effectus.

Objicitur 2. Unus effectus causatus à duplici causa adæquata, & dependeret ab illis ut causis, & non dependeret, dependeret ut supponitur, non dependeret autem, quia dependentia significat indigentiam, quia autem ab uno habet suum esse, non potest indigere alio, quoad hoc esse.

Respondetur Variis viis. Imprimis dici potest cum Hurtado & Arriaga, quod dependentia non significet per se indigentiam, sed per se significat productionem effectus, indigentiam autem significat, ex consequenti, idque sub disjunctione vel hujus vel illius causæ.

Deinde indigentia est nomen translatum à pauperibus, quod certè effectui non convenit nisi accommodativè.

Nihilominus etiam supposito, quod dependentia sit ista indigentia, potest dici, quod effectus prout pendens ab una causa, non indigeat alia causa; pendens autem à duplici causa, potest indigere ex suppositione, duplici causa, ex suppositione inquam, quia porerat nonnisi ab una causa recipere esse; & sicut quòd fit ex duobus partialibus motivis, quæ divisim poterant esse totalia, pendet ab illis ex suppositione, ita & in præsenti.

Denique indigentia quæ expletur ab una causa, non ita expletur, ut hoc ipso expleatur ab omni-

omnibus, à quibus illam expleri non implicat, sed tantum explet ex parte sui; & sicut mendicus indigens obolo, si illi offeratur obolus à Paulo, expletur illius indigentia; nihilominus viam non præcludit, quo minus adhuc à Petro dari obolus possit; ita & hîc, quamvis cum hac disparitate, quòd distinctus obolus detur ab utroque. Denique potest hoc fieri, non ex indigentia effectus, sed ex placito Dei.

INSTABIS. Vas impletum uno liquore, non manet implebile alio liquore. Ergo & effectus causatus ab una causa, non manet causabilis ab alia causa.

RESPONDETUR. Imprimis à duobus liquoribus penetratis, potest divinitus totaliter ex parte utriusque impleri vas. Ergo & produci, potest item impleri ab uno liquore, duobus implentibus. Ergo & produci idem effectus à duabus causis totalibus.

OBJICITUR 3. Id quod est essentialiter frustrà, non potest dari: sed dependentia unius effectus à duplici causa totali, esset essentialiter frustra, quia effectus, eo ipso, quòd habeat existentiam ab hac causa, non habet jam quod recipiat ab alia causa.

RESPONDETUR. Effectus non recipiet tunc novum esse ab altera causa, sed idem, duplici titulo, ex vi duplicis actionis. Non esset etiam illa dependentia ex eo frustra, quia una causa percunte, adhuc alia causa posset eundem in individuo effectum producere &c.

INSTABIS. Illa secunda causa actum ageret.

RESPONDETUR. Si simul concurrant, non actum ageret, sed ageret quod agitur, agens id, quòd tum primum fit, ad eum modum, quo causa secunda, in comparatione primæ, eundem numero effectum producens, non agit actum, sed agit quod agitur. Quòd si causa altera superveniret, postquam jam altera produxit effectum, tunc superveniens causa, non posset primo producere, posset tamen simul conservare.

OBJICITUR 4. Si vera est Conclusio, sequeretur illum effectum & dependere per se à duabus causis, & non dependere per se, dependeret, ut supponitur, non dependeret autem, quia nihil dependet per se ab aliquo, quo non posito adhuc per alia, quæ tunc ponuntur, sine novo superaddito poneretur.

RESPONDETUR. Quòd dependentia per se, in hoc stet, quòd effectus producatur à causa ut tali, nec se habente ita, ut se habet, dum Musicus ædificat; non stat verò in hoc, quasi non possit habere esse effectus, illa deficiente. Potest aliis modus respondendi adhiberi eidem argumento, quòd scilicet sublata alia causa, non haberet jam effectus esse, vi duplicis causæ, & quod hoc esse vi alius causæ retinere non possit, nisi succedat alia, quæ itidem divinitus tribuat illi effectui, esse, quamvis sublata altera causa, haberet esse simpliciter. Ad eum modum, quo causa prima, est per se causa effectûs, causa item secunda est causa per se effectus, & tamen sublata causa secunda, sine ullo superaddito habebit non vitalis v.g. effectus esse, licèt esse dependens etiam à causis secundis haberi nusquam possit, nisi supplente aliqua causa secunda, locum alterius.

INSTAT Pontius. Iste effectus haberet esse, quamvis altera causa non adesset. Ergo effectus non habet indigentiam alterius causæ, si non habet indigentiam, non habet dependentiam. Quod ipsum probatur; quia indigentia actualis, est ratio fundandi, aut conditio requisita ad fundandam relationem actualis dependentiæ, hinc Deus non dependet ab ullo, quia nullo indiget.

RESPONSUM supra. Sublata una causa habere effectum esse simpliciter, sed non esse duplici titulo. Supposito etiam, quòd indigentia esset ratio fundandi, aut conditio requisita, tamen una indigentia posset fundare plures dependentias & relationes, vidimus enim in materia de relatione, unam eandemque rationem fundandi v.g. qualitatem, fundare plures relationes similitudinis, & sicut indigentia naturæ humanæ ad terminari personalitate, sufficienter expletur à Persona verbi, & tamen manet terminabilis à personâ Patris. Ergo idem dici poterit de effectu comparabili ad plures causas.

OBJICITUR 5. Illæ duæ causæ & essent adæquatæ, & totales ut supponitur, & non essent, quia unaquæque causaret in consortio alius.

RESPONDETUR. Esse illas duas causas totales, non per exclusionem alius causæ, sed per exclusionem alicujus partis effectus, à se non dependentis. Alii dicunt ex eo illas causas esse totales, quia consortio alius unaquæque non indiget, sed se sola est sufficiens in actu secundo, ponere effectum. Conformiter ad dicta supra dici etiam posset, neutram ex illis esse adæquatam, ut det esse duplici titulo, licèt unaquæque sit adæquata, ad dandum esse simpliciter & uniter.

INSTABIS. Implicat eundem effectum, esse solum tanto concursu producibilem, & non esse solum, tanto concursu producibilem, atqui si idem effectus à duabus causis adæquatis fieret, idem effectus, & esset, & non esset solum tanto concursu producibilis. Ergo. Minor probatur, quia si quis designaret hunc influxum causæ B. & diceret, effectus est solum tanto concursu producibilis, verum diceret, si etiam de eodem influxu causæ B. diceret, hic effectus non est solum tanto concursu producibilis, verum etiam diceret, nam etiam est producibilis à causa A. Ergo.

RE-

Respondetur. Attendendum esse hîc ly solùm cum qua particula construatur, si enim ly solùm construatur cum est, ut sit sensus, est solùm tanto concursu producibilis, falsa erit affirmativa, affirmabit enim, quod nonnisi, cum concursu aliarum causarum sit producibilis, si autem ly solùm construatur cum ly tanto concursu, vera erit affirmativa, falsa negativa, affirmativæ enim ita posita constructione, hic sensus erit: quòd etiamsi nulla alia causa concurrat, tamen una sufficiens erit, nullo alio superaddito ad causandum effectum. Meminisse hic oportet illius paralogismi: qui potest portare viginti tantum, decem portare potest, sed qui decem tantum portare potest, non potest viginti portare. Ergo qui potest viginti, cui paralogismo est similis hic alter. Quod potest simul produci à duabus causis totalibus, ab una tantum causa totali potest produci, sed quod ab una tantum causa totali produci potest, à duabus causis totalibus non potest simul produci. Ergo quod à duabus causis totalibus potest simul produci; à duabus causis totalibus non potest simul produci.

Directè ad argumentum dici potest Negando Minorem. Probatio illius distinguitur. Qui designaret hunc influxum causæ B. & diceret, effectus est solùm tanto concursu producibilis, verum diceret hoc sensu: quia se solo habet virtutem in actu secundo ponendi illum. Concedo Minorem; verum diceret in isto sensu, quòd ille influxus excluderet influxum, dantem esse totaliter alio titulo. Nego Minorem.

Objicit 4. Pontius. Eadem causa non potest habere plures effectus adæquatos simul, & semel, licèt possit habere plures tales successivè. Ergo nec effectus, plures causas adæquatas simul, quamvis possit habere divisim. Antecedens inquit ab omnibus conceditur. Et probatur. Quia aliàs ille effectus esset adæquatus, ut supponitur, non esset autem adæquatus, quia ultra illum effectum, haberet alium effectum.

Respondetur. Quo sensu non potest causa habere simul plures adæquatos effectus, eo sensu nec successivè potest habere, quia semper in infinitum plures poterit producere, adeoque nunquam poterit habere adæquatos, & in hoc etiam sensu effectus, divinitus nunquam potest habere causas adæquatas, quia in infinitum plures possunt assumi ad eundem effectum, simul producendum; quo autem sensu causa potest successivè plures adæquatè effectus producere, id est à se sola productos, excludendo alias causas secundas ejusdem generis, eodem sensu miraculosè saltem, potest simul plures effectus habere, adeoque & effectus poterit simul habere plures causas.

Instat idem. Productivitas ita est limitata in causa in ordine ad aliquem effectum tantæ perfectionis, ut non possit se extendere ad alium gradum ulteriorem, etiam supernaturaliter. Ergo & producibilitas ita erit limitata, ut non extendat se nisi ad talem causam simul & semel, hæc autem non alia est, nisi totalis.

Respondetur. Negando Antecedens, quia lapis potest assumi ad producendam gratiam, quæ est alius gradûs, licèt id non possit nisi supernaturaliter, & si quæ est contradictio pro antecedenti, ea desumeretur v. g. ex vitalitate, aut alio principio nullo modo serviente ad consequens.

Objicitur 7. A Complutensibus apud Pontium. Actiones duarum causarum, & essent duæ, & non essent duæ, essent ut supponitur, non essent autem, quia effectus unus esse supponitur. Ergo & fieri ipsius unum est, & consequenter actio debet esse una, quia accidentia individuantur à subjecto.

Respondetur. Negando accidentia individuari à subjecto, deinde *Fieri*, duplex hîc potest cogitari. *Primo*, fieri activum & hoc se tenet ex parte agentis, estque duplex, *Secundo* fieri passivum, & hoc identificatum realiter ipsi effectui, unum est, sicut & effectus unus est.

Instabis. Quòd sicut non potest esse dependentia à duplici causa, prima, ita nec possit esse à duplici causa secunda.

Respondetur. Dum implicet duplex causa prima etiam successivè causans, qui ab utraque simul causante poterit esse dependentia; non repugnat autem causa secunda saltem successivè duplex, & si non repugnat successivè, cur repugnabit simul.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur alia argumenta.

PRimum quidem ponentur argumenta ex Mastrio, postea accedemus ad argumenta recentiorum.

Objicit primo Mastrius disp. 8. n. 61. Si effectus à pluribus causis penderet simul & semel, tunc à neutra penderet essentialiter, vel simul ab eadem penderet, & non penderet essentialiter, quod implicat, à nullo enim aliquid dependet essentialiter, quo non existente, nihilominus esset, sed si ignis habet duas causas totales A. & B. tunc non existente A. nihilominus ignis esset à B, cum ponatur ejus sufficiens causa totalis, & non existente B. adhuc esset ab A. eadem ratione. Ergo à neutra essentialiter dependeret.

Respondetur. Imprimis cum per accidens sit, & nonnisi supposito miraculo, ut duæ causæ totales ejusdem rationis, producant eundem effectum, immeritò assumit arguens, pendentiam

tiam essentialem. Sed quidquid sit de hoc, negatur directè sequela; & licèt non possit aliquid existere, sine eo, à quo dependet essentialiter, si illud à quo dependetur, sit exclusivum alius causæ, secus si non sit exclusivum alius causæ. Rursùs posset hìc ostendi dependentia essentialis, quia scilicet si det esse causa totalis A, & non det esse causa totalis B, hoc ipso dabitur esse simpliciter & uniter quoad titulum, dabitur autem pluriter quoad titulum, si plures causæ totales divinitus concurrant, non implicat autem dari esse pluriter quoad titulum, haberique dependentiam essentialem, à pluribus causis, quoad esse pluribus titulis.

Instat primo idem. Dependentia per se supra dependentiam absolutè sumptam, aliquam conditionem perfectivam addit, quæ esse nequit nisi necessitas, omnis enim perfectas aliquam semper involvit necessitatem, sicut omne per accidens, aliquam contigentiam, sed hæc necessitas nequit esse absoluta, nisi respectu causæ per se primæ, quia in secundis, effectus univocus, qui est ab una, potuit absolutè esse ab alia ejusdem speciei. Ergo ex hoc capite erit attendenda, quòd cum actu totaliter fit, ab ista causa, virtute istius per se dependentiæ, non est tantùm, quòd effectus verè accipiat esse à causa, sed etiam ita necessariò, ut in sensu composito, quòd sit ab ea, nequeat esse ab alia, pro eodem instanti, cum Aristot. dicat de causis per se, causa in actu & effectus, simul sunt.

Respondetur. Negando inter effectum, & causam esse dependentiam per se, hoc est essentialem quoad actuale esse; sed quidquid sit de de hoc, directè dici potest, si effectus actu totaliter totalitate excludente influxum aliùs similis causæ, fiat ab ista causa, ita jam connectetur causa cum effectu, ut pro illo instanti, implicet effectum esse sine illa causa, sed si effectus actu, totaliter fiat ab hac causa, sed totalitate non excludente influxum alius similis causæ, sed totalitate solùm, quòd scilicet nulla sit pars effectus, quæ ab hac causa non producatur, tunc, non ita connectetur causa cum effectu, ut non possit esse effectus sine hac causa; non repugnat autem talis totalitas, & tamen non exclusiva divinitus alius similis causæ.

Deinde effectus uniter quoad titulum, ita dependet ab hac causa, ut impossibile sit illum esse sine hac causa, secus si effectus ponatur pluriter quoad titulum, non repugnat autem eum sic poni.

Auctoritas Aristot. solùm vult, non posse poni actionem quin agat, adeoque quin sit effectus, sed negatur duas non posse esse totales actiones, respectu ejusdem effectus, ponibilis jam tunc, duplici titulo.

Instat 2. Licèt effectus creatus non dependeat dependentia essentiali simpliciter, nisi à solo Deo, negare tamen eis dependentiam essentialem, saltem secundùm quid à causis secundis, saltem in instanti, quo fiunt ab eis, est prorsus irrationabile, imò actus vitales, ita essentialiter pendent à suis vitalibus principiis.

Respondetur. Nego hoc esse irrationabile, nec id probatur. De actu vitali alia est res, quia impossibile est actum vitalem esse, salva vitalitate, & non ab hac potentia esse, de quo in Materia de vitalitate. Possibile autem est hunc effectum esse, & non ab hac causa esse. Deinde etiam hâc dependentiâ concessâ, dabitur effectus duplici titulo habens esse.

Instat 3. Effectum dependere essentialiter ab aliqua causa, non est effectum absolutè & simpliciter existere non posse sine illa, nisi sit dependentia à Deo, sed significat existere non posse sine illa, à qua actu producitur, in sensu composito, quia si ab alia totaliter tunc fieret, utique ab ista essentialiter non penderet.

Respondetur. Cum possit produci effectus ab alia causa, hoc ipso falsum est, non posse sine illa causa produci effectum, adeoque non erit adhuc essentialis, dependentia actualis effectûs, à sua causa; sed quidquid de hoc, casu quo effectus ab alia causa totaliter fieret, & simul uniter, nego quod tunc ab ista sola causa essentialiter non penderet, sed si uniter fieret, sed pluribus titulis haberet esse, in illo pluriter esse, penderet essentialiter à pluribus causis. Repeti possunt alii præjacti distinctionis termini.

Instat 4. Quando effectus totaliter ab aliqua causa procedit, dicitur ab ea essentialiter & per se dependere, quia non potest produci in sensu composito, nisi ab ea causa, à qua producitur, & nequit existere tunc, ex vi alterius.

Respondetur. Ex suppositione, quòd effectus producatur nonnisi ab ea causa, non potest produci nisi ab ea causa, sed nego essentialem esse hanc suppositionem, nequitque effectus existere tunc ex vi alterius causæ, si uniter esse accipiat, secus si pluribus titulis, nec repugnat, ut accipiat esse pluribus totalibus titulis.

Instat 5. Dependentia effectûs à causa fundatur in indigentia, quam habent causæ ad existendum. Ergo si quis in hoc instanti ita procedit ab A. ut pro ejus existentia A. non indigeat, & similiter à B, signum est à neutra per se pendere, quia conceptus dependentiæ, imbibit necessariò conceptum indigentiæ.

Respondetur. Imprimis negando esse dependentiam essentialem in actu, effectus à causa.

Rursùs illâ concessâ, licèt conceptus dependentiæ imbibat in se conceptum indigentiæ, nego quod ex suppositione duplici titulo acceptionis esse, non indigeat pluribus causis.

Deni-

Denique dependentiâ etiam ſuppoſitâ, involvit illa indigentiam, ſi aliunde non aſſumatur aliud ejuſdem indigentiæ expletivum, quod aſſumi non repugnat.

Objicit 2. idem. Unus effectus dependet totaliter nonniſi ab una cauſa, quia dependentia totalis effectûs fundatur in indigentia effectûs, cum enim effectus nequeat à ſeipſo eſſe, vel conſervari, indiget cauſa efficiente, vel conſervante, & quia de ratione cauſæ totalis & adæquatæ eſt, quod exhauriat & expleat totam effectus indigentiam, hinc eſt, quod eo ipſo, quod ab una cauſa totaliter dependeat, nequit ab alia ſimul dependere totaliter.

Respondetur. Unum effectum dependere totaliter ab una nonniſi cauſa, ſi dependeat dependentia excluſiva conſortii aliûs cauſæ, ſecus ſi non ſit excluſiva, ſed inferat nonniſi nullam eſſe partem effectûs, quæ ipſa non pendeat ab hac cauſa. Verumque id eſt, ſi unus effectus uniter accipiat eſſe, ſecus ſi pluribus titulis, nam ad accipiendum eſſe pluribus titulis, indiget pluribus cauſis, indigetque effectus hac nonniſi cauſa, ex ſuppoſitione, quod hæc nonniſi cauſet, non implicat autem, ne, hæc nonniſi cauſa cauſet.

Instat 1. Implicat eundem effectum bis produci in eodem inſtanti, cum effectus per unam actionem totalem, ſimpliciter accipiat totum ſuum eſſe.

Respondetur. Nego implicare ut eodem inſtanti effectus bis producatur, hoc eſt accipiat eſſe duplici titulo, & à duplici principio, & licèt ab una cauſa, naturaliter loquendo, accipiat totum ſuum eſſe, non implicat ut accipiat totum ſuum eſſe à pluribus cauſis, unde etiam aſſumptio illa alterius cauſæ ad operandum eundem effectum, non eſt ex titulo indigentiæ, ſed ex titulo ſubjectionis, ad ordinem divinum, qui, nego quòd non poſſit fieri in hoc genere, circa cauſas, ut ſcilicet plures cauſæ, producant eundem effectum: aut ad maximũ dabitur indigentia aliûs cauſæ, ex ſuppoſitione duplici titulo accipiendi eſſe, & ex ſuppoſitione, auctæ hujus, ut ita dicam indigentiæ, non mutabitur natura, ſed reducetur in actum potentia obedientialis, quam nego non haberi in ordine ad hoc, ut à duplici cauſa, idem procedat effectus.

Imstat 2. Longè major eſt indigentia, quam habet effectus reſpectu cauſæ, quàm corpus reſpectu loci, quia dependentia, quæ eſt locati ad locum, non eſt ſimpliciter neceſſaria, ex parte ejus, quod dicitur dependere, ſicuti eſt dependentia cauſati ad cauſatum.

Respondetur. Cum per nos poſſit eſſe aliquid in duplici loco divinitus, poterit etiam à duplici cauſa totali, divinitus cauſari.

Instat 3. Si effectus ex natura ſua & ab intrinſeco non indiget aliqua cauſa ut ſit, eo quòd ab alia ſufficienter ponitur in eſſe. Ergo neque potentiam obedientialem habebit, ut ab intrinſeco reddatur indigens talis cauſæ, Deus enim pro ſua voluntate, efficere non poteſt, ut effectus ſuapte naturâ pendeat ab eo, à quo non indigebat, non enim poteſt Deus immutare indigentiam rei, non immutatâ naturâ.

Respondetur. Per potentiam obedientialem non poteſt effectus reddi ab intrinſeco indigens, hoc eſt naturaliter indigens, Concedo: non poteſt reddi ab intrinſeco indigens, hoc eſt ſuppoſito, quod per potentiam obedientialem poſſit eſſe indigens (caſu videlicet quo duplici titulo accipiat eſſe) non poteſt reddi, ut actu ab intrinſeco indigeat, ſi ſcilicet velit Deus illam potentiam obedientialem reducere in actum. Nego, nec tum temporis faciet Deus, ut quod ſuapte natura nullo modo pendebat, incipiat pendere, ſed quod obedientialiter erat aptum pendere, ut actu pendeat. Non implicat autem, ut obedientialiter pendeat effectus à duabus cauſis. Deinde rigoroſè loquendo, effectus indiget cauſa nonniſi ex ſuppoſitione, quòd ſimul ab alia non producatur.

Instari poteſt 4. ex eodem. Non poteſt explicari, quid ſit iſtud accipere eſſe pluribus titulis, & non uniter.

Respondetur. Non aliud eſt, niſi eſſe, quod ſi non producatur ab hac cauſa, adhuc non erit nihil, cum producatur ab alia: Si autem effectus uniter exiſtat, ſi non ſupponatur produci ab hac cauſa, debet ſupponi eſſe nihil.

Instari poteſt 5. Sicut ponitur Lyres produci per duplicem influxum. Ergo etiam per ſubtractionem illius duplicis influxus bis corrumperetur, quod implicat. Quia ſi res deſinat eſſe ex vi deſitionis, unius tantum influxus, taliter deſinit, ut amplius non ſit, unde nonniſi ſemel res poteſt corrumpi dum exiſtit.

Respondetur. Productio quæ fit à duplici cauſa totali, interdum poteſt ſimul habere conjunctam reproductionem replicativam, interdum non, ſi habeat conjunctam reproductionem replicativam, poterit deſinere ex vi deſitionis unius tantùm influxus, ita tamen ut adhuc ſit, ex vi aliûs influxus, & ſuæ entitatis reproductæ, ſicut poteſt in uno loco deſinere ſacramentaliter Chriſtus, in alio non deſinere; ſi autem productio à duplici cauſa totali non habeat ſibi conjunctam reproductionem replicativam, tunc aliud eſt quærere; an deficiente una actione conſervativa: & aliud, an ſi corrumpatur aliquid, vi deſitionis unius conſervationis, adhuc maneat non corruptum. Et quidem quod deficiente una actione conſervativa, non ſit neceſſe deficere aliam actionem conſervativam, ratio eſt, quia id non implicat, neque enim una eademque actio conſervativa deſineret, & non deſineret, ſed una deſineret, alia non deſineret, cum & ipſæ actiones ſint inter

ter se distinctæ, illique uni desinenti conservationi, responderet pro termino, non corruptum simpliciter, sed non conservatum vi hujus conservationis, quæ ponitur desinere. Sed si ponatur ob desinentem illam actionem conservativam, terminus ipse corruptus, unus idemque & non replicatus, non jam posset esse vi alius actionis. Ratio, quia de uno eodemque & non replicato termino, verum esset dicere, est & non est, quod implicat. Quia autem si concurrant duæ causæ totales, in ipsomet termino, non sequetur est & non est, sed solum sequetur existentia duplici titulo, ideo adhuc non repugnabit à duabus causis totalibus, eundem effectum produci. Cæterum hoc posset, bene fieri, ut una eademque res, eodem instanti bis corrumpatur, hoc sensu, quod sicut habuit esse duplici titulo conservativo, ita accipiat non esse duplici titulo, hoc est duplici totali conservatione ablata.

Quærit Mastrius: Cum hi influxus non sint ita inter se connexi, ut unus necessariò cessare debeat ad desitionem alterius: cesset unus influxus alio remanente, vel desinit effectus secundum substantiam, vel non desinit? Si non. Ergo per influxum priorem non conservabatur, siquidem ex desitione ejus, nihil substantiæ huc effectui deperditur. Si desinit effectus secundum substantiam, vel ita desinit ut nihil amplius destruendum remaneat, & sic habetur intentum, quod res non possit bis corrumpi in eodem instanti, si remanet aliquid, & aliquid destruitur, signum est, quod non conservabatur id, quod remanet, ex vi illius. Ad hanc quæstionem dici potest. Concedo illos influxus non esse, ita necessariò inter se connexos, ut unus necessariò cessare debeat, ad desitionem alterius, unde cessante uno influxu, potest manere res; & licèt si effectus conservetur uniter, & per influxum unum, illo ablato sit necesse desinere effectum, secus si non conservetur uniter. Et ratio est. Quia non implicat contradictionem, servari duplici concursu conservatio totali, quorum uno ablato non sit necesse auferri alium concursum, adeoque rem corrumpi, & si unà desineret uterque concursus, eo casu effectus, bis eodem instanti corrumpetur, quia subtractione duplicis concursus conservativi.

Et per hoc patet quid sit respondendum ad objectionem ejusdem tertiam, inibi positam. *Sed insuper*

Objicit 3. Nullus fingi potest casus possibilis, in quo duæ causæ totales, æqualis activitatis, & eodem modo eidem passo applicatæ, producant totaliter eundem effectum, tali enim modo ab utraque sic applicata causabitur, quali à singulis divisim causari non potest, nam si effectus est divisibilis secundum perfectionem, tunc perfectior effectus ab utraq; exibit, quàm non exiret ab altera seorsim ut duo luminosa eidē diaphano applicata, prōducunt intensius lumen. Si verò effectus sit indivisibilis secundùm perfectionem, tunc idem quidem effectus proditet, sed non eodem modo, nam ab utraque erit citius & in majori distantia. Si denique constituatur casus, quod effectus sit indivisibilis, & etiam indivisibiliter producibilis, v.g. casu quò duo ignes applicentur ad materiam ultimo dispositam, in tali casu duo illi ignes duplicem formam producent in eadem materia, cum enim virtus amborum simul sumpta, sit major extensivè quàm alterius tantum, poterit attingere duplicem formam.

Respondetur. Non repugnat, ut effectus divisibilis secundùm perfectionem, applicatis duobus agentibus totalibus, non exeat perfectior, sed ut à duplici luminoso, idem lumen causetur, non repugnat item, ut idem effectus indivisibilis, nec citius, nec in majori distantia, à duabus causis totalibus producatur. Non repugnat ut applicati duo ignes eidem materiæ, ultimo dispositæ, non duplicem formam, sed unam, ab utraque totaliter causatam inducant.

Continuatur solutio.

Objicit 4. Repugnat duplex finis adæquatus in actu secundo respectu ejusdem actus voluntatis. Ergo etiam repugnabit duplex causa totalis in genere efficientis respectu ejusdem effectus.

Respondetur. Circa actum voluntatis elicitum ex duplici motivo duo spectari possunt: primo objectum actus, & sic nego ad volendum objectum actus, non posse moveri voluntatem duobus motivis v.g. Nego voluntatem moveri non posse ad deambulationem, duplici motivo sanitatis & recreationis. Si tamen quæras: an in ipso objecto utrique motivo eadem sit responsura formalitas. Jam dici debet, quòd implicet in objecto eandem tunc formalitatem respondere.

Ratio. Quia sicut esset confusio essentiarum, si formalitas recreationis esset formalitas sanitatis, & si unum, esset aliud unum, hoc ipso enim non esset aliud unum; ita est impossibile, ut respondeat formalitas sanativi ad motivum recreationis, & formalitas recreativi ad motivum sanitatis, nam appetentiæ sanitatis respondet sanativum, & si non respondet, nihil respondet & ad appetentiam recreationis, respondet recreativum, & si non respondet recreativum, nihil respondet. Deinde spectari potest ipse actus, & quidem dupliciter, imprimis spectari potest actus voluntatis in quantum est voluntas

objecti, & sic fieri potest, ut ex duplici totali motivo pendeat volitio, ut scilicet deficiente motivo sanitatis, sit expedita voluntas habere tantum intentionem recreationis. Et in hoc nulla est repugnantia. Deinde spectari potest actus voluntatis, in quantum est respicientia utriusque motivi, & sic potest quidem actus voluntatis duplici motivo totali mo veri, dicto sensu, sed non ita, ut abscedente motivo, maneat idem actus quoad respicientiam motivi, quia & maneret idem actus quoad respicientiam motivi, ut supponitur, & non maneret, siquidem jam non respiceret illud motivum, illud enim respicit motivum, quo movetur, supponitur autem jam non moveri illo secundo motivo, & tamen illi est secundò essentialis hæc respicientia. Quia autem nihil simile dici potest, casu quo idem effectus producatur à duplici causa totali, ideo hoc non repugnat, quamvis prius illud repugnet.

Concedo quidem actum, esse seipso affixum motivo cui innititur, adeoque uno ablato non mansurum eundem actum, quoad innitentiam illi motivo. Nego tamen non posse esse eundem hoc sensu actum, ex duplici motivo, in quantum deficiente alio motivo, parata est voluntas, ejusdem tamen objecti, habere intentionem, & hoc signum est causalitatis totalis, nam deficiente una præmissa, quæ est causa partialis, non est anima expedita, habere assensum conclusionis, ad quem ipsa est expedita, si aliàs medius terminus, seu duplex præmissa, quæ est causa totalis, concurrat. Hinc requirentia utriusque motivi, ita se habet sicut visio Petri, quæ non est visio Petri, si non videat Petrum, ita non est respicientia utriusque motivi, si non adsit utrumque motivum movens, sed volitio simpliciter objecti, non ita se habet, quia non dicit istam respicientiam essentialem ad hoc motivum. Concedo ex duabus causis totalibus in actu secundo, ablatâ unâ, non deficere effectum, adeoque ablato uno motivo non defuturum actum, qui sit volitio finis, licèt sit defuturus actus, qui sit respicientia utriusque motivi.

Objicit 5. quidam. De conceptu essentiali actionis est, ut per ipsam ponatur aliquid præter ipsam, cum actio non sit finis, sed si sit essentialiter medium ad ponendum effectum, sed si simul daretur duplex actio totalis, ejusdem effectus, per alteram actionem nihil poneretur, præter ipsam. Ergo repugnat duplex actio totalis ejusdem effectus. Major patet. Minor probatur. Quia quæ actio illud solum ponit esse, quod totum aliunde & totaliter habetur, illa nihil ponit præter se ipsam, vel sic. Per illam actionem nihil ponitur præter ipsam, quâ ablata nihil aufertur præter ipsam, atqui per alteream actionem illud solum esse poneretur, quod totum & totaliter ponitur per primam actionem, atque ablata altera actione, nihil prorsus auferretur præter ipsam, siquidem adhuc maneret totus effectus & totaliter, ex vi alterius actionis remanentis. Ergo per alteram actionem, nihil prorsus poneretur, præter ipsam.

Respondetur. Majorem non patere, quia de illa dubitatur à multis in actione vitali, quid enim producit actio, quæ est visio. Sed de illa alibi: in præsenti negatur Minor. Et probationis illius Major. Nego enim, quod illud; quod ponitur totaliter ab una causa, non possit ab alia poni, ita ut præter seipsam, illa actio ponat, etiam illud aliud, quod cæteroqui ponit etiam alia actio, sicut eandem deambulationem ponit in suo genere & motivum sanitatis, & motivum recreationis, & quidem ut supponit objiciens totaliter, nam censet ipsam actionem externam, posse pendere à duplici motivo totali, actioque illa potest intendi prudenter à Deo ut medium Quo, & permisso etiam, quòd quidquid boni finalis adfertur à duplici actione, adferatur ab una non sequitur, quod duplex actio non possit intendi ut medium Quo. Ponendoque esse, quod aliunde ponitur uniter, præter seipsam ponet illud esse pluriter quoad titulum, nec id repugnat.

Objicit 6. Maurus disp. 23. Si effectus produceretur per duplicem actionem, ex se sufficientem, sequeretur, quòd neutra productio daret esse effectui. Ergo. Sumo enim productionem A. & ab hac effectus non accipit esse, quia implicat quod res accipiat ab altero id, quod aliunde habet sufficienter, sed effectus habet sufficienter esse à causa B. Ergo non accipit esse ab actione A. eodem modo probatur, quod non accipiat esse ab actione B.

Respondetur. Negando sequelam, negoque implicare quod res accipiat ab altero id, quod aliunde sufficienter accipit ab altero, frillud esse debeat habere duplici titulo, nec repugnat, ut illud duplici titulo habeat.

Objicit 7. idem. Deus operatur per omnes & singulas actiones causarum secundarum, cum ipsa actio causæ secundæ, sit etiam actio Dei. Ergo Deus actione sua, bis idem efficeret.

Respondetur. Negando implicare, ut ratione duplicis concursus, duplicis causæ totalis, dicatur Deus bis idem efficere, nec repugnat, ut de facto producat.

Nego ulterius si simul una causa cum altera concurrat eaque totalis, quod actum ageret, & non implicat, ut simul concurrat.

Nego quod si simul det Deus duo auxilia, sit daturus auxilium ad obtinendam victoriam, aliunde comparatam, & non implicat, ut simul det duo auxilia.

Nego-

Negoque ulterius hæc non esse conformia, modo operandi divinæ sapientiæ, nec hæc sunt absurda, quorum implicantia non ostenditur.

Recurri etiam hîc potest ad dicta, quod duplici titulo accipiatur tunc esse, nec dationem esse titulo causæ B. adfert datio esse titulo A.

QUÆSTIO II.

An causæ se invicem causare possint in eodem genere.

Præmitto 1. *Posse quæstionem procedere tam de causis ejusdem generis, quàm de causis diversi generis*, causæ ejusdem generis sunt, ut materia, & materia, efficiens & efficiens; & causæ diversi generis sunt, ut materia comparata ad efficiens &c.

Præmitto 2. *Circa causas ejusdem generis consentire omnes*, quòd tam materia quàm forma in eodem genere causare se non possint.

Ratio. Quia quod materia est, semper primum subjectum est, adeoque nunquam in alia materia receptibile. Idem dic de forma, quæ quia actus est, non potest esse actuatum. Disquirit tamen Oviedo, non de materia sed de causa materiali. An v. g. color receptus in quantitate, hoc ipso impediatur ad recipiendam quantitatem, quia est receptus ab illa, supposito, quòd calor aliàs haberet virtutem recipiendi quantitatem, sed de hoc infra in simili. Posito tamen consensu prædicto circa materiam & formam, de causis ejusdem generis efficientibus, restabit difficultas.

Præmitto 3. *Circa causas diversi generis certum est, quòd causa finalis causet efficientem, efficiens finalem.* Restat difficultas de aliis combinationibus causarum.

Dicendum est. *Non dari mutuam causalitatem in eodem genere, quoad primum esse*, v. g. ignis A. producens ignem B. ab eodem igne primo esse, etiam divinitus accipere non potest. Pro quo adlatas rationes plures refutat Arriaga, adferendæ sunt hic aliquæ, ut seligatur quæ placuerit.

Probat 1. Arriaga. Nihil potest constituere actum primum suum physicum productivum successivè, sed si daretur mutua causalitas, aliquid constitueret actum suum primum physicum. Ergo. Major probatur, quia nihil potest esse productivum sui ipsius, saltem quoad primum esse.

Probat 2. recentior Suarez. Causa præsupponitur præexistens suo effectui, & repugnat præexistere illi à quo ut existat dependet, si enim ut existat dependet ab illius existentia, quomodo existit ante illum.

Probat 3. Lugo disputat, de sacra. 8. Sect. 7. id quòd prius est naturâ, non potest esse posterius naturâ, sed si causa acciperet primò esse à suo effectu, id quod prius est naturâ, esset posterius naturâ. Ergo. Major probatur, quia nihil potest esse prius & posterius duratione. Ergo nec naturâ.

Probat 4. idem. Nemo potest dare primum librum Petro', quem nunc primò accipit ab ipso, illud enim non esset dare, sed reddere. Ergo à fortiori in Physicis, nemo potest dare alteri esse, à quo primo accepit esse.

Probatur 5. Conclusio. Si effectus posset dare primò esse suæ causæ, vel daret priusquam esset existens, vel daret, dum jam est existens, neutrum dici potest. Prima pars probata, aliàs, quia scilicet id, quòd non existit causare non potest, & insuper per hoc probari potest. si effectus antequam esset existens, daret primò esse suæ causæ, & effectus daret primò esse suæ causæ, ut supponitur, & non effectus daret primò esse suæ causæ, quia nondum supponitur esse tunc effectus, quia nec existens. Secunda pars, nempe quod effectus postquam jam est existens, non possit dare, esse primò, suæ causæ sic probatur. Vel supponitur jam causa habere primò esse, vel non supponitur, si non supponitur. Ergo non supponitur etiam accipere esse ab effectu, siquidem illum effectum, utpote non existens adhuc causa primò, non produxit, si autem supponitur habere primò illud esse. Ergo esse quodcunque accipere potest à suo effectu, jam non est primò esse, sed habet esse secundo, unum enim duplicatum, facit duo. Idem probatur hoc expositorio, qui antequam formetur appelletur causalitas producens ignem A. nomine causalitatis C. & causalitas qua effectus produceret suam causam appelletur causalitas B. Hæc prima causalitas, est causalitas C. hæc causalitas B, non est causalitas C. Ergo hæc causalitas B. non est prima causalitas. Ergo nec illi respondet primo causatum; éritque argumentum in Camestres æquivalenter.

Respondet 1. Quidam, quòd causa supponatur habere primo esse, sine illo ly: Jam, posito in quinta probatione, quòd: Jam, præcedentiam unius in esse, ante aliud denotat, & quidem ab effectu in eodem instanti, in quo effectus supponitur habere primo esse à causa, de quo est potissimum quæstio.

Contra. In casu in quo disceptatur, debet causa supponi primo esse, cum isto: Jam, quia debet supponi prior naturâ, vel prior intelligibilitate fundata supra suum esse, præ suo effectu, idque ex eo, quia impossibile est concipere causam, sine ulla prioritate, adeoque sine ullo: Jam. Hinc restauratur argumentum. Pro illo priori, causa ante effectum, jam habet esse, idque ut supponitur primo. Ergo pro posteriori signo, si accipit esse ab effectu, jam

non accipit esse primo, cum illud præhabuerit. Hinc videtur responsio supponere, quasi procedat effectus à causa, sine ulla ante effectum prioritate, quia sine ullo: Jam, ante effectum.

Respondet 2. Argumento in Camestres proposito, debere talem potius addi Conclusionem. Ergo causalitas B. non est hæc prima causalitas.

Contra. Tum quia in omni expositorio, particula expositorii *Hæc*, non ponitur pro prædicato Conclusionis. Ergo neque hic poni debuit. Tum quia. Si ponatur argumentum in Barbara, prædicato Conclusionis, non debet apponi particula universalis, sed subjecto, nec in Minori prædicato ejusdem, licet in Majori habuerit appositum sibi Ly omnis. Ergo & in Expositorio, non debet signum expositorii apponi prædicato Conclusionis, sed subjecto, sed concesso etiam, quod contra usum arguendi, deberet in expositorio, particula expositorii addi, prædicato conclusionis, parum interierit, quia, cum subjectum, & prædicatum expositorii, æquè latè patere debeant, parum interierit, quòd apponatur prædicato Conclusionis. Tum quia etiam formando ita propositionem. Ergo causalitas B, non est hæc prima causalitas, stat in robore argumentum, quia si causalitas B, quæ est causalitas ab effectu profecta, supponit habere causam Esse, pro priori, quo antecedit effectum, jam illi non dabit primo esse, sed secundò.

Respondet 3. Alia est prima causalitas, & quidem hæc B. quâ supponitur produci causa ab effectu, quoad primò esse, & alia est causalitas prima, & quidem hæc C. quâ supponitur in eodem instanti, produci effectus à causa, quoad primo esse. Sicut si Deus homines, vel Angelos duos primò produceret, hæc prima productio, non esset illa prima productio, utraque tamen esset prima productio absolutè.

Contra. Tum quia videtur respondens, non petere hoc, quod in hoc præsenti dicitur; nam non agimus, de causalitate, quâ causa producit effectum, & de causalitate, quâ effectus producit causam, sed agimus, de causalitate, quâ producitur ipsa causa, ut possit præsupponi, prior suo effectu, adeoque cum illo: Jam, antecedentiæ, & de causalitate, quâ effectus jam productus, eandem causam producat, dicimus enim si illa causalitas, est prima, & præsupposita ante causalitatem oriundam ab effectu, quomodo erit causalitas prima? Tum quia. Concedo, posse esse duas primas causalitates, productivas, quoad primo esse, duorum hominum, eò quòd una productio non debeat præintelligi, habereque aliquod suum: Jam, ante aliam productionem, sed quia productio prima causæ, seu primum illius esse, debet præintelligi ante effectum, quomodo jam effectus dabit primo esse. Tum quia si supponatur prima causalitas: qua effectus, accipit esse à causa sine ulla præcedentia, & sine ullo: Jam, posset utique intelligi, quòd ab effectu, possit accipere primò esse, sed quia debet causa præintelligi cum suo esse ante effectum, adeoque intelligi cum causalitate ad se terminata, si causa non sit à se, quomodo intelligi poterit, accipere primò esse ab eodem effectu.

Cum hoc tamen stat. Quòd effectus divinitus possit dare suæ causæ secundo esse.

Ratio. Tum quia id non implicat contradictionem. Tum quia ut dictum suprà, idem potest sibi ipsi dare secundo esse. Ergo multo magis effectus poterit facere. Tum quia à duabus causis totalibus, non repugnat causari eundem effectum. Ergo nec repugnabit etiam ab effectu accipi secundo esse, nulla enim specialis est repugnantia in consequenti.

QVÆSTIO III.

Quid de causis in diverso genere.

Dicendum. *Postquam causa diversi generis una, tribuit esse alteri, potest, ab eadem recipere aliquam formalitatem, quæ non præsupponebatur ante habita.*

Probatur Conclusio instantiis. Nam causa materialis causat formam eductam, à qua tamen accipit esse informatæ. Scientia producit operationes practicas, quæ in genere efficientis posteriores sunt scientia, & tamen in quantum sunt objectum scientiæ, priores sunt illa, specificantque illam. Actus Dei liber, est causa creaturarum, quæ tamen per modum connotati libertatem illius salvant.

Sunt instantiæ in oppositum, quæ videntur probare, quod causæ diversi generis, se causent etiam quoad esse, quod præsupponitur ante effectum, seu quoad esse, quod ipsum, est causa, & quâ causa est effectus.

Prima instantia. Ingressus aëris causat apertionem fenestræ, apertio fenestræ causat ingressum aëris.

Respondetur communiter. Quod apertionem fenestræ causat impulsus aëris, quem impulsum aëris non causat apertio fenestræ, licet autem non æquè facilè intraret aër nisi aperiretur fenestra, inde tamen non sequitur ingressum aëris causari ab apertione fenestræ, nam ut ait Lugo citatus, major virtus requiritur ad ponendum peccatum perseverante gratia habituali, quam ablatâ gratiâ, nec tamen inde sequitur, quod ablatio gratiæ juvet, & concurrat ad ponendum peccatum; deinde existentia ingressus aëris antecedit apertionem fenestræ, & impossibili apertione fenestræ, existentia ingressus aëris existeret, ut si

ut si penetrare posset aër fenestram, licèt non aperiretur, quamvis apertio aëris adferat commoditatem ipsi ingressui.

Secunda instantia est. Prius est introduci formam novam, quam expelli veterem, & in alio genere, prius est expelli veterem, quàm introduci novam, aliàs in eodem instanti duæ formæ essent in eodem subjecto.

Respondet Lugo. Expulsionem formæ veteris, esse quidem connexam, sed non est necesse inferre, quod sit prior. Sic expulsio gratiæ est connexa cum peccato, nec tamen est prior peccato, aliàs contra Tridentinum. Deus gratia sua priùs nos desereret, quàm desereretur, & sicut à negatione risibilitatis possum argumentari ad negationem rationalitatis, nec tamen inde sequitur esse priorem risibilitatem rationalitate. Sic etiam non sequitur, priorem esse expulsionem veteris formæ, introductione novæ.

Conformiter ad Conclusionem dici potest, quod existentia introductionis formæ, non causetur ab expulsione veteris, quamvis hæc expulsio conferat commoditatem connaturalem &c. formæ introductæ, & sicut connaturale est, ut sanitas excludat ægritudinem, ægritudo sanitatem, nec tamen ægritudo causat sanitatem, ita & hic.

Tertia instantia est; Baculus A & baculus C. pyramidaliter collocati sustinent se adinvicem. Ergo adinvicem causant, ne cadant.

Respondetur. Cur baculus A. non cadat, est causa gravitas ipsius non potens superare oppositum baculum C. rursus cur baculus C. non cadat, causa est gravitas illius non potens superare baculum A. quamvis adinvicem conferant sibi aliquid.

Quarta instantia est. Si aliquis decernat non movere sinistram, nisi moveat dextram, & è contra, quies sinistræ causabit quietem dextræ, & dextræ quies, causabit quietem sinistræ.

Respondet Lugo. Non rarò fieri ut quæ dependent ab eodem principio, illa necessario conjungantur, sine ulla dependentia & prioritate, sic Sacerdos simplici voluntate volens consecrare duas hostias, non poterit consecrare unam sine alia, nec tamen in consecratione illarum, est mutua prioritas, licèt sit connexio, ita in præsenti. Addit, attendendum esse ad actum voluntatis, si enim dicat nolo movere sinistram, quia nolo movere dextram, nolitio motus sinistræ prior erit nolitione motus dextræ.

Conformiter ad positam conclusionem dici potest. Negando quietem sinistræ causari à quiete dextræ, sed causabitur intrinsecè ab ipsa natura, extrinsecè à defectu voluntatis, despoticè potentiis famularibus imperantis, licet quies dexteræ, sit quid connexum, & conferens aliquid, quia scilicet nisi adesset illa quies, poni deberet actus imperans motum etiam sinistræ.

Quinta instantia est; Impulsus causat motum, motus etiam impulsum, si enim desinat motus propter oppositionem durioris, desinet impulsus.

Respondetur. Impulsus causat motum, est enim qualitas ad hoc ordinata, sed motus nego quod causet impulsum, quando autem desinente motu desinit impulsus, non fit ex eo, quòd desinat causa aliqua, sed desinit per oppositionem insuperabilem ab impulsu, consumiturque illius vis, quamvis motus conferat aliquod bonum impulsui, & quamvis in medio motu velocior sit impulsus, ejus tamen velocitas, non debet referri in ipsummet motum, sed quia in medio non est tanta resistentia gravitatis, quæ post medium, iterato resumit vires, restringitque impulsum, naturâ suâ sine conservativo defectibilem &c.

Sexta instantia est; Carbones ad invicem se calefaciunt; aër item circumpositus causatur ab illo calore, & causat eundem.

Respondetur. Ignis qui est in carbone A. accendens ignem B. non producitur ab ipso igne B. Sed præsupponitur, licet se juvet ad agendum circa, idem dicendum de aëre. Conservatio ergo illius caloris, dicit in unoquoq; entitatẽ caloris, dicit negationem excessus frigidi & Deum, qui tanquam Auctor naturæ servat calorem, cum non adest oppositum, quod oppositum non esse caloris requirat, sine ulla mutua causalitate. Idemque dicendum de temperamento, quod antecedit formam, quod conservatur posita forma, cujus conservatio in eadem principia rejicienda, in quæ rejecta est à nobis conservatio caloris.

DE PRINCIPIIS, ET CAUSIS INTRINSECIS, IN PARTICULARI.

NOmine causarum & principiorum intrinsecorum, venit Materia & Forma; de utraque agendum. Imprimis sub formalitate principii, postea sub formalitate causæ.

DISPUTATIO III.

De principio intrinseco, quod est Materia.

MAteria, ut videre est, apud Suarez, Disp. 13. Sect. 1. alia est ex qua, alia in qua, alia circa quam. Hæc omnia, non sunt distincta ab entitate materiæ, sed eadem Materia, ratione diversorum respectuum, diversa hæc nomina sortitur. Vocatur enim Materia ex qua, quia ex illa componitur compositum, sed magis propriè; quia ex illa educuntur formæ Materiales; vocatur materia, in qua, quia in illa subjectantur formæ, recipiuntur accidentia. Vocatur materia circa quam, operatur agens. Ratione harum formalitatum, materia spectat ad Physicam, licèt etiam aliæ scientiæ, quæ proportionatam habent materiam, vel artes, proportionatè etiam subdistinguant sibi suam materiam. Rursùs Materia, alia est prima, alia secunda: Materia prima, dicitur, subjectum, quod nullum prius se supponit subjectum; Materia autem secunda, est, subjectum, quod præsupponit aliud prius Subjectum, & ita elementa, quæ sunt materia ex qua, fit mistum, sunt materia secunda, præsupponunt enim Materiam primam, compositum item in sententia istorum, qui accidentia volunt subjectari in toto composito, respectu accidentium, vocatur Materia secunda; Nobis nunc erit res, de Materia prima.

QUÆSTIO I.

Quid definiti-vè materia.

TRactando de essentia Materiæ, primò definitionem illius expendemus; deinde attingemus primò essentialem ejusdem conceptum.

Advertitur, communiter, entia perfectissima & imperfectissima duplici via definiri solere, via Affirmationis, & via Negationis, Via affirmationis fit definitio, quando definito tribuuntur cumulatim perfectiones, & ita definitur Deus; quòd sit ens à se, infinitum, simplicissimum &c. Via autem negationis, res definiuntur, tàm perfectissimæ, quàm imperfectissimæ, removendo scilicet prædicata, quæ iis non conveniunt, ut cum definitur Deus, quòd non sit corporeus, limitatus &c.

Materia prima, est etiam ens imperfectissimum, ex substantiis, quæ dantur materialibus, dixi ex substantiis; quia accidentia materialia, longè sunt imperfectiora præ materia; quæ substantia est, dixi ex substantiis Materialibus, quæ dantur, non implicat enim imperfectior substantia, minusque participans, de assimilatione ad summum esse. Hoc ens imperfectissimum, quod est materia, definitur, & via negationis, & via affirmationis.

Via affirmationis definitur materia prima ab Aristotele 1. Physicor. tex. 82. *Materiam dico*, inquit, *Subjectum primum uniuscujusque, ex quo aliquid fit cum insit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.*

Explicatur definitio, dicitur materia, *Subjectum*, ut distinguatur à forma; dicitur *primum*, ut excludantur materiæ secundæ, quale est lignum respectu statuæ, dicitur *uniuscujusq;*, quia materia est potentia respectu omnium formarum, quia verò materia distinguitur à privatione, quæ non est principium in facto esse, distinguitur item à causis extrinsecis, ideo additur

quòd

quòd ex ea aliquid, hoc est compositum, *fiat*, *cum insit*, tanquam scilicet per partem intrinsecè componentem, & quia ingreditur compositum substantiale informatum scilicet, non forma artificata aut sola accidentali, ideo additur esse subjectum *non secundum accidens*, denique quia corrupto composito ipsa manet, additur in *hoc abibit ultimum*. Ly *Subjectum* est, potius genus, quàm subjectum primum, quia per ly primum, sufficienter distinguitur à materia secunda, quantumvis etiam per alias particulas distinguatur ab illa, reliqua ponuntur differentiæ loco.

Via negationis, sic definit materiam primam Aristoteles, 7. Metaph. tex. 8. *Materia est, quæ per seipsam neque est quid, neque quantum, neque aliud quidquam dicitur, quibus ens determinatur, neque horum negationes, est enim id, de quo, horum singula prædicantur.* Genus hîc subintelligitur, nempè quòd materia prima, sit substantia, reliqua ponuntur differentiæ loco. Dicitur autem materia *non est quid*, scilicet se solo completum, ut distinguatur à toto composito, ut verò condistinguatur à forma, *non est id per quod ens determinatur*, ut distinguatur à formis accidentalibus, dicitur non esse quantum, ut verò non imaginaremur, quòd materia sit absolutè nihil, additur *esse id, de quo singula prædicantur*, quia est subjectum inhæsionis horum omnium, proindeque illa omnia dici possunt denominativè, de Materia, nam Materia est, quanta, est qualis &c. unde, quando dicitur Materia, non esse quanta, intelligendum est, quòd non sit quanta substantialiter, quando autem dicitur, quòd de illa singula dici possint, adeoque & quantitas, accipiendum est, quòd Materia sit quanta denominativè, tanquam subjectum inhæsionis.

Ad defendendas has definitiones.

Noto primò. Non carere aliquibus superabundantibus has definitiones, non esse tamen rejiciendas, eo quòd ens ignotissimum; ex pluribus adjunctis faciliùs innotescere possit.

Noto secundò. Licèt per Aristotelem 6. Top. loco 32. non sint faciendæ definitiones per prædicata negativa, hinc mala esset definitio hominis, homo non est saxum, non planta &c. tamen quia hæc doctrina procedit de entibus, ut ita dicam mediæ perfectionis, & cum materia prima, sit ens imperfectissimum, benè prædicto modo describi potest.

Noto tertiò. Materiam esse ens, quia si esset nihil, in mutatione substantiali, res annihilaretur, cum scilicet, nec forma, nec materia illius maneret, esse item ens substantiale, quia nec posset intrinsecè componere compositum substantiale, & quod est prius omni accidente, non potest esse accidens, hoc enim ipso non esset prius omni accidente, quia ipsum esset accidens, & tamen non potest esse prius seipso, cum autem materia sit prior omni accidente, si enim est prior aliquibus cur non & omnibus, non ergo ipsa materia erit accidens, non etiam materia prima est elementum, quia elementa transmutantur, quod autem transmutatur, non potest esse Materia prima, quia in omni transmutatione, datur resolutio, in aliquod subjectum primum, Materia autem non potest habere subjectum primum, est etiam distincta realiter à forma, quia destructâ formâ ligni, manet subjectum commune ad formam ignis, de quo infrà.

DIFFICVLTAS II.

De iis quæ non sunt primò essentialis conceptus materiæ.

Difficultas est, à Neotericis excogitata; quid sit primò essentialis conceptus Materiæ. Quam quæstionem, sic alii proponunt, quare una pars compositi, est materia, alia forma, item quare materia est subjectum, forma est actus. Cæterum hic secundus modus, proponendi videtur esse involutio, idem enim videtur esse, quærere: quare materia sit subjectum, ac proponere: quare homo, sit animal rationale, quæ quæstio non relinquit disputationi locum, quia quando jam respondetur per definitionem, non est ulterius quærendum, nisi fortè indagando; an hæc sit definitio illius, quòd idem est, ac indagare, quisnam sit, primò essentialis conceptus.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur & refutantur duæ Explicationes.

Explicat primo Hurtadus disp. 2. Physic. cap. 23. quare hæc potiùs pars, sit materia, quàm altera, quia scilicet, quando duæ res, uniuntur, & una communicat alteri effectum formalem, & dominationem ab ipsa provenientem, resquæ talem effectum communicat, dicitur forma, res verò cui communicat, dicitur subjectum, consequenter colligitur, quòd per illum primò essentialis conceptus Materiæ, sit esse subjectum, cui forma suum effectum formalem tribuit. Exemplificabat hanc suam doctrinam Hurtadus in exemplo albi parietis, cui quia albedo, tribuit formalem suum effectum, & denominationem, ideò

albedo respectu albi parietis, habet se, ut forma, paries autem, qui denominatur, est subjectum. Item actus sapientiæ unitus animæ, denominat illam sapientem, estque forma respectu animæ.

Impugnari posset Primò. Forma rationalis hoc est anima, denominationem spiritualis non tribuit materiæ, & tamen est forma illius. Ergo falsum est, formam tribuere debere denominationem suam formalem.

Respondet Hurtado. Secundùm eas rationes denominationem tribui, à forma materiæ, secundùm quas materia pendet à forma, cùm ergo à forma, non pendeat materia, in ratione spiritualis, sed in ratione viventis, sentientis, &c. ideò etiam, denominationes has, à forma accipit, non verò denominationem spiritualis. Porrò respectu earum rationum, materia pendet à forma, easque denominationes tribuere potest, quibus denominationibus non dicit materia intrinsecam oppositionem, jam autem denominationi spiritualis, dicit materia intrinsecam oppositionem.

Impugnat Secundò Arriaga Disp. 2. Sect. 3. Subsect. 1. quia scilicet, nihil habet speciale forma, ratione cujus, illa potius denominet materiam, & non etiam materia denominet formam.

Respondet anticipatè Hurtadus §. 24. Duplices esse denominationes quasdam, quibus explicatur actualis receptio & informatio, & denominationes ortæ ex ista actuali receptione, redundant & denominant, tàm materiam, quàm formam, nam non solùm, ipsa materia denominatur recipiens, sed & ipsa forma denominatur recepta; aliæ sunt denominationes sumptæ, ab ipsa forma, vi cujus id, quod convenit formæ, id adscribitur subjecto, v.g. convenit albedini esse albam, & hæc denominatio tribuitur albo, vicissim autem paries albedini, non dat denominationem parietatæ. In forma ergo dici posset, non deesse quidquam, quominus etiam materia denominet formam denominationibus ortis ex actuali receptione, informatione, &c. deesse tamen ne denominetur, denominationibus aliunde præcisè loquendo ortis, quamvis supponentibus unionem. Et certè quia informatio, tàm informativum, quàm informatum dicit, non erit ratio, cur ad invicem non se denominent. Sed non videmus, ut id, quod respectu alius dicit, potentiam passivam, denominet actum suum, & ita visio denominat v.g. librum, liber non denominat visionem, imò signum est aliud respectu alius, non esse formam, si denominationem ab illo non accipiat, & ita, quia una gutta non tribuit ullam denominationem, sibi debitam alteri guttæ, ideò una gutta respectu alius, non est, sicut forma; consequenter habet forma, ratione cujus, potiùs denominet materiam, quia ut dixi, nulla est denominatio, quam tribuat potentia passiva ei, quod recipit, exceptis denominationibus ortis, à sola receptione, &c.

Impugnat Tertiò idem, & cum eo Oviedo, poterat, ut sentit Hurtado, appellari albedo parietata, sicut materia appellatur dealbata. Ergo quòd forma non denominetur à materia, provenit ex voluntate hominum, at quod materia sit subjectum albedinis, & non è contrario, non pendet à voluntate hominum.

Respondetur. In hac Sectione secunda, non reperiri, quòd Hurtadus dixerit, posse dici albedinem parietatam, imò hoc negat expressè §. 24. sed quidquid sit de mente Hurtado, non convincit adhuc argumentum, quia fieri potest, ut albedo, denominetur parietata, ad significandum hoc, quòd sit unita parieti, voces enim merè sunt ex placito humano, sed non posset hoc fieri, ut effectum suum formalem paries tribuat albedini, hoc enim non pendet à placito humano.

Hæc tamen explicatio absolutè loquendo:

Non Satisfacit Primò. Id ratione cujus pars A, est potius Materia, & non pars B, debet esse simul, primò essentialis conceptus constitutivus materiæ, ut patet ex statu quæstionis hujus, sed esse id cui tribuit forma effectum suum formalem, non est primò essentialis conceptus materiæ, quod ipsum probatur. Primò essentialis conceptus debet esse talis, ut nihil ante ipsum præsupponatur, sed ante id cui tribuitur effectus formalis formæ, præsupponitur aliud, ipsum scilicet esse, cui tribuitur effectus formalis, Ergo id non est primò essentialis conceptus materiæ. *Idem sic proponitur* Materia per te est id, cui forma potest tribuere effectum suum formalem, quæro istud posse recipere effectum formalem à forma, vel fundatur in aliquo esse, vel non fundatur; si non fundatur, Ergo non omne posse præsupponit esse; Si fundatur, quæro: esse in quo fundatur illud posse recipere, vel est commune cum alia comparte B. vel non est commune; si est commune. Ergo illi esse, non est debitum illud posse, unde & animæ rationali debentur suæ potentiæ; si autem non est commune, Ergo est differentiale distinctivum partis A. à parte B. Ergo & constitutivum in ratione materiæ. Ergo illud potius esse, est causa cur pars A, sit potiùs materia, quàm pars B. & de illo constitutivo quæritur: quid sit:

Non Satisfacit Secundò. Quia, quòd forma communicet suum effectum formalem, per hoc ipsum formaliter non constituitur materia. Ergo nec primò essentiale, hoc est, Antecedens, probatur. Tum quia hoc provenit ab extrinseco, id autem quod constituit materiam, debet illi esse intrinsecum. Tum quia per hoc, quòd materia, sit, cui forma potest communicare suum effectum formalem, non ex eo primo, forma, est forma. Ergo etiam non ex eo primò,

primò, materia est materia, quia ei effectum suum formalem potest tribuere forma, sicut enim in forma præsupponitur esse, ad quod sequitur, ut possit illud communicari materiæ, ita & in præsenti præsupponetur esse materiæ.

Non Satisfacit Tertiò. Quia ista formalitas, est respectiva, quomodo ergo erit entis absoluti, qualis est materia primò essentialis conceptus, ignorantique, quid sit materia ac forma, æquè ignotum erit istud activum tribuere esse formale, & passivum illud tribui esse.

Explicat Secundò Arriaga disp. 2. Sect. 3. Subsect. 2. Quando duo, ita secum uniuntur, ut unum se habeat quasi antecedenter ad aliud, aliud verò ei superveniat, tunc id, quod antecedit, dicitur recipere & subjici. Quod verò supervenit, dicitur recipi & complere.

Impugnari solet hæc explicatio. Natura antecedit suam subsistentiam, forma item & materia antecedunt unionem, & tamen neque natura, neque hæ partes sunt materia.

Respondetur. Posset natura & partes dictas esse materiam nonnisi proportionatam, eò quòd in multis deficiant à materia, de qua hic: & sicut per oppositos, non repugnat dicere animam, suorum actuum subjectum, potentiam, &c. ita nec repugnabit partes compositi, dici materiam unionis. *Cæterùm hæc Explicatio*

Non Satisfacit 1. ex Oviedo, quia nullum signum, est prioritatis naturæ & antecedentiæ, quæ conveniat materiæ respectu animæ rationalis, cum materia non se habeat per modum causæ, ad illam, quando autem aliqui, ad complebilitatem recurrunt, quòd illud, quod prius est, compleatur, hoc compleat, jam potius completivum, deberet esse primo essentialis conceptus formæ, & esse complebile, deberet esse primo essentialis conceptus Materiæ.

Non Satisfacit 2. Prius est, esse constitutum & differens, partis A, à parte B, quàm sit ista antecedentia: Ergo ista antecedentia non est ratio primò essentialis constituens illam in tali esse, Antecedens probatur. Tum quia esse absolutum, prius est esse relativo, priusque est esse, potentia. Tum quia si primò essentialis conceptus materiæ, esset antecedentia, tunc duarum distinctarum formalitatum, idem esset primò essentialis conceptus, quod est absurdum, quomodo enim, jam duæ essent illæ formalitates, si eundem primò essentialem conceptum haberent. Sequela autem probatur: Formalitas antecedentis, est una formalitas, ratio item materiæ est alia formalitas, & tamen esset idem primò essentialis conceptus, istarum formalitatum, scilicet antecedentia, imò jam sequeretur, quòd ubicunque esset antecedentia, illic esset ratio materiæ, atque ita, quia primus pulsus, est antecedens secundi, tunc primus pulsus, erit materia secundi. Quòd si dicas, nonnisi talem antecedentiam esse constitutivam materiæ, hæc ipsa erit explicanda, illaque potius erit primò constitutiva materiæ, si erit legitima.

Non Satisfacit 3. Quia creatio est forma creati, non est tamen posterior creato, sed prior, etiam in omni concreto forma est prior, & tamen respectu illius, forma est forma, & non tantùm materia. Ergo dicta antecedentia, non est primò constitutiva materiæ.

Respondet Arriaga, rem creatam non esse propriè subjectum receptionis, respectu creationis, sed est subjectum adhæsionis, qui scilicet significat creationem, ita esse unitam, ut quo, res creata movetur illuc & actio moveatur, & ubi ubicatur res creata, ibi ubicatur & creatio.

Contra est. Quia possibilis est forma, quæ exigat nonnisi ita uniri materiæ, sicut unitur creatio rei creatæ, & tamen res creata non habet rationem antecedentis ad creationem, consequenter nec materia respectu talis formæ, habebit rationem antecedentis, adeoque tunc materia non esset materia. Deinde hujus ipsius subjecti receptionis deberet dari primò essentialis conceptus, & hic potius erit definitivus materiæ.

Addi posset. Quòd per Arriagam disp. 5. n. 37. malè deducatur ex eo, quantitatem esse subjectum accidentium, quia illa præcedit. Primus item gradus, præcedit secundum, nec est materia illius, nec illum recipit. Ergo antecedentia sola non rectè explicat materiam primam.

Punctum Difficultatis 2.

An perfectibilitas & actus entitativus sit primò essentialis conceptus materiæ.

Explicat Tertiò Oviedo Contr. 7. Physicar. p. 3. §. 3. Ideo partem A. esse materiam, quia perficitur à parte B; partem verò B. ideò esse formam, quia perficit partem A. *Hæc Explicatio*

Supponit 1. Materiam intrinsecè, secundùm scilicet entitatem, non perfici per formam, neque è converso, quia utraque habet distinctam suam entitatem ab alia, cum omni perfectione pertinente ad sui constitutionem.

Supponit 2. Formam non ordinari primariò ad perfectionem materiæ, aliàs forma esset accidens, quidquid enim est, propter aliud, supponendo illud aliud ante se, habet rationem accidentis.

Supponit 3. Quædam prædicata, composito convenire ratione materiæ, alia ratione formæ, ratione formæ dicitur homo rationalis, ratione

tione materiæ, dicitur corporeus. *His suppositis*

Ita rem explanat. Inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem, intrinsecam alterius, qualia sunt materia & forma, illud extremum, quod ratione alterius, à se distincti, habet nobiliora prædicata, & perfectiones proprietates, quasi passivè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem, constitui Materiam in ratione materiæ, illud verò, quod ratione sui, habet in composito nobiliora prædicata, & ea quasi activè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem Forma constituitur in ratione formæ. Sic v.g. in composito humano, esse præsentis, durantis, existentis, sunt prædicata, quæ ratione utriusque partis, materiæ scilicet & formæ, conveniunt composito, esse autem materiale compositum, convenit nonnisi ratione materiæ, sed discursivum, cognoscitivum, volitivum, &c. nonnisi à forma pendet, quæ prædicata sunt nobiliora, præ prædicatis ex materia oriundis. *Breviter* ergo, perfectibilitas erit primò essentialis conceptus materiæ & perfectivitas formæ.

Impugnari posset Primò hæc Explicatio. Prædicatum ingenerabilitatis, incorruptibilitatis, sustentativi, &c. sunt prædicata nobiliora, præ prædicato generabilitatis, corruptibilitatis, sustentabilitatis, & tamen priùs convenit materiæ, posterius formæ substantiali materiali. Ergo ex nobilitate prædicatorum, non debet argui ratio formæ.

Responderi posset. Non ex nobilitate utcunque prædicatorum argui rationem formæ, sed ex nobilitate communicatorum prædicatorum, prædicta autem prædicata non communicat materia formæ.

Impugnari posset eadem explicatio. Si idem esset accipere nobiliora prædicata, quod esse materiam. Ergo ex duabus formis substantialibus, posset fieri unum per se, posset enim, una alteri communicare nobiliora prædicata.

Responderi posset. Non posse communicare, quia & ad unum per se, & ad communicationem prædicatorum, requiritur ordo ad invicem, qui non datur inter duas formas substantiales. *Cæterum hæc Explicatio*

Non Satisfacit Primò. Non implicat contradictionem, dari materiam perfectiorem forma, communicativamque horum prædicatorum composito, & tamen per se ordinatam, ad constituendum aliquod compositum. Ergo per rationem perfectibilis, sive passivè nobiliora prædicata communicantis, non constituitur materia.

Respondetur 1. Hoc ipso illa materia non esset intra latitudinem materiæ, si esset perfectior forma.

Contra est. Quia non repugnat intra latitudinem materiæ manendo, superare formam substantialem. Consensus Doctorum in Oppositum procedit, de præsentibus, perfectionibus Materiâ, formis substantialibus, quem ipsum consensum, quia non repugnat falli, ideò ex hoc capite non repugnabit perfectior materia.

Respondetur 2. Illam materiam, hoc ipso quia foret materia, fore actuabilem potentiam, adeoque & perfectibilem, omne enim actuabile est perfectibile.

Contra est: Non implicat contradictionem esse aliquid actuabile substantialiter, quamvis ab imperfectiori.

Non Satisfacit Secundò. Quia posse perfici, est prædicatum posterius, supponensque esse materiæ, constitutum differentialiter. Urgeantur dicta contra Hurtadum.

Non Satisfacit Tertiò. Quia id, per quod pars A, debet esse materia, debet esse tale, quod sit intrinsecum, & constitutivum materiæ. Sed perfectibilitas, non est quid intrinsecum constitutivum materiæ. Major probatur. Quod facit, ut homo sit potiùs in esse hominis, & non leonis debet esse intrinsecum homini, & sic de reliquis. Ergo idem, & in præsenti dicendum. Quod ipsum in hoc fundatur, quia hoc quod est constitutivum alicujus, debet esse genus ultimum & differentia infima, hæc autem sunt intrinseca, sed esse perfectibile non est quid intrinsecum materiæ, ut fatetur ipse Oviedo, supposito primo: resolviturque in hoc principium, quia nullo extrinseco & distincto à se realiter, potest aliud intrinsecè constitui, & certè omni primo essentiali constitutivo, acquirit res perfectionem intrinseeam, & tamen materia quando habet prædicata perfectiora communicata à forma, non acquirit per hoc perfectionem intrinsecam, ut ipse fatetur Oviedo.

Explicat Quartò P. Stanislaus Markovvski, quòd primò essentialis conceptus materiæ absolutè spectatæ, sit ratio actûs entitativi, relativè autem spectatæ, sit ratio actûs entitativi, per modum potentiæ passivè constituentis compositum, hæc explicatio materiæ in esse absoluto spectatæ.

Non Satisfacit 1. Quia conceptus primus materiæ, absolutè spectatæ, debet esse illius differentialis, nec competens reliquis, quæ non sunt materia, de tali enim, hîc inquiritur, conceptusque primus, est conceptus definitivus, definitiva autem important differentiam, actûs autem entitativus, non est differentialis materiæ, est enim ratio actûs entitativi, ratio generica, certè enim etiam forma, Deus item est actus entitativus, sed non quomodocunque, sed cum differentia v.g. aseitatis, & de omnibus his potest prædicari, quòd sit actus entitativus. Ergo hæc ratio debet esse generica. *Hoc ipsum sic alter*

ter proponitur. Sumamus in materia rationem actûs entitativi, sumamus & in forma, formetur postea ratio actûs entitativi irrestricta intentionaliter: quæro, illa ratio ita præcisa, vel differt à materia, vel non differt, si non differt. Ergo apparet rationem actûs entitativi, esse rationem genericam utpotè diversis entium speciebus convenientem; si differt, ostende quo? sequeturque formam non aliud esse, quàm materiam talem, sicut homo, non aliud est, quàm animal tale, sicut enim per rationale in homine restringitur animal, ita in forma restringitur ratio actûs entitativi.

Non Satisfacit 2. Ratio actûs entitativi, vel cum aliqua restrictione, convenit materiæ, vel sine ulla: si cum restrictione, quæ illa est, & illa potius erit, primò essentialis conceptus; si sine addito, vel habetur exigentia, & radix, vi cujus materia exigat, ut nonnisi sine addito & irrestrictè competat ei ratio actûs entitativi, vel non habetur; si non habetur, immeritò hoc imponitur materiæ; si habetur, Ergo præter rationem actûs entitativi, debet aliquid primò essentiale assignari, ratione cujus competat materiæ ratio illa, nam datur in Deo, in Angelo, in forma, ratio actûs entitativi, & tamen in his ratio actûs entitativi, non exigit sola & irrestricta esse. Ergo debet dari alia radix istius irrestrictionis. Ergo ratio actûs entitativi, non est ultimum resolutorium, qvare hoc sit materia, illaq; radix, erit potius primò essentialis conceptus, radix enim prior est natura, suo exigito.

Non Satisfacit 3. Tum quia dantur aliquæ negationes in materia, ut negatio actus informantis, negatio perficientis materiam &c. quæ negationes, debent necessariò in aliquo positivo fundari, ut supponit Philosophia. Sed si ratio actûs entitativi esset, primò essentialis, hæ negationes non haberent, in quo fundarentur, si enim ratio actûs entitativi, non fundet has negationes in forma, cur fundabit in materia. Tum quia non datur à parte rei animal irrestrictum, nec ullum individuum genericum. Ergo nec dabitur ratio actûs entitativi irrestricta. Tum quia, Nego quòd ratio actûs entitativi, exprimat essentiam materiæ, & licèt communicet composito Materia, rationem Actûs entitativi, sed communicat non tanquam rationem propriam & differentialem, sed tanquam pluribus communem.

Punctum Difficultatis 3.

An determinabilitas sit primò essentialis conceptus materiæ.

Meminit hujus explicationis Arriaga citatus, quam Pater Adrianus Pikarski ita explanavit.

Supponebat 1. Materiam esse de se indifferentem ad constituendum hoc, vel illud, in specie compositum, consequenter materiam, vi materiæ, solùm esse natam determinare compositum, quoad individuationem. Formam autem, non solùm natam esse determinare, quoad individuationem, sed etiam, quoad speciem, & ita materia hominis, & materia bovis, solo numero differunt; Forma autem bovis & hominis, & individualiter, & specie differunt, nec est indifferens v.g. forma bovis ut constituat compositum bovis.

Supponebat 2. Determinabilitatem aliam esse Metaphysicam, & aliam Physicam. Determinatio Metaphysica est, per quam essentia, & quod quid rei determinatur, ad hoc in specie esse, cùm unaquæq; res, seipsâ habeat rationem differendi, ab omni alio ente sibi dissimili in specie. Alia autem est Determinabilitas Physica, determinari enim physicè, est transire ab esse privato formæ, ad habere; formam, à non esse completi, actuali, formati, ad esse completi, actuati, formati.

Supponebat III. Materiam omnem possibilem, esse determinatam Metaphysicè, nullam tamen esse determinatam physicè, sed esse determinabilem physicè, hancq; determinabilitatem physicam, esse primò essentialem conceptum materiæ adstruebat.

Impugnari solet primò ex Arriaga. Possibilis est materia quæ sit determinata ad unam nonnisi v. g. formam. Ergo determinabilitas, non est primò essentialis conceptus materiæ.

Responderi posset ex dictis, non esse possibilem materiam physicè seipsa determinatam, ad unam formam, certè enim materia seipsa non erit sibi forma, actus, determinatio.

Impugnari solet secundò ex Oviedo. Potest Deus creare formam substantialem indifferentem, ut uniatur pluribus materiis specie distinctis, & constituat composita specie distincta, & tamen illa forma non erit materia. Ergo de ratione materiæ, non est esse indifferentem & determinabilem, ad constituendum hoc in specie compositum.

Responderi posset. Necdum tunc adhuc fore formam indifferentem physicè, hoc est actuabilem ab alio actu, informabilem ab alia forma &c. Et sicut v.g. gratia supernaturalis, qualitas est indifferens, ut gratum faciat, vel Angelum, vel hominem, non est tamen indifferens, ut gratum faciat, nam gratia, non per aliam gratiam, est gratia, & Sanctitas, non per aliam sanctitatem est sancta, ita & in præsenti. Unde posset hic condistingui duplex determinabilitas: quædam, ad uniri, hæc habetur in tali forma, & alia determinabilitas ad actuari, hæc non haberetur in illa forma.

Impu-

Impugnari solet tertiò. Quia determinabilitas, neque est primo essentialis conceptus materiæ, absolutè spectatæ, neque materiæ in esse relativo spectatæ. Ergo absolutè non est prmò essentialis conceptus. Utraque pars Antecedentis per hoc probatur: quia determinabilitas est effectus formæ. Vera enim est hæc causalis? Ideo materia est determinabilis, quia est forma determinativa. Ergo determinabilitas, est effectus formæ, & tamen materia, adeoque & primus ejus conceptus, præsupponitur formæ.

Responderi posset. Si determinabilitas & determinabilitas & determinativitas correlativè sumantur, falsa est dicta causalis, unum enim correlativum, non est prius alio; Si autem determinativitas sumatur, in genere causæ formalis, prior est. Sed sicut in genere causæ formalis determinativitas, est prior, ita in alio causæ genere determinabilitas nempe in genere causæ subjectivæ, prior est determinabilitas, ad eum planè modum, quo causa est prior effectu, & tamen effectus in quantum est terminus relationis, præsupponitur & prior est relatione causæ. *Cæterùm hæc explicatio*

Non Satisfacit I. Quia hæc explicatio, non explanat difficultatem, quod probatur. Assignat primò essentialem conceptum materiæ, qui à primo ad ultimum sit, ac dicere; materiam primò essentialiter non esse formam, vel dicere negationem formæ, & sicut malè quis assignaret, primò essentialem conceptum hominis, qui ultimò resolveretur in non esse bruti, ita & in præsenti malè assignatur, primo essentialis conceptus materiæ, qui ultimo resolvatur in non esse formæ, præcipuè, quia negatio illa debet etiam præsupponere aliquid aliud ante se, esse, in quo fundetur, illud ergo potius, erit primò essentialis conceptus. Sequela principalis probatur. Quia si quæratur; quare pars A, sit materia, & non pars B? Respondebitur quia pars A. est determinabilis physicè, à parte B; Si ulterius quæram, quare sit Physicè determinabilis? Respondebitur, quia se sola non transit, à non esse privativo formæ, ad habere formàm, vel certè quia pars A, se sola non dat composito, nisi individuationem, non verò dat se sola speciem, aliter & aliter, idem tamen dicetur, & post hæc quærendum, quare pars A. se sola, non transit ad esse formæ, quare se sola non dat speciem, nihil reliqui erit dicere, nisi quia pars A. non est forma. Consequenter à primo ad ultimum, ideo materia est materia, quia non est forma.

Responderi potest, quòd per Non esse formæ, non explicetur materia immediatè, præcipuè, cum hoc etiam, sit aliquid notius.

Contra est, vi enim hujus responsionis habetur intentum, nempe secundùm ultimam rationem primo essentialem, conceptum materiæ, esse, quod non sit forma, hoc autem ex dictis supra, non potest dici. Falsum etiam est, hanc formalitatem; esse notiorem: quæritur enim hîc, de utroque, quid scilicet sit primo essentialis conceptus formæ, quæ negat materiam, & materiæ, quæ negat formam.

Non Satisfacit secundò. Esse determinabile physicè, non dat formaliter materiæ & primò, posse recipere formam. Ergo determinabilitas dicta, non est id, per quod materia formaliter est materia, Consequentia probatur, argumento oppositum sentientis, quo ille utitur, contra Hurtadum hic. Recipere formam, non potest nisi materia; Ergo si non per hoc, quod est esse determinabile physicè constituitur materia in hoc, quod est formaliter recipere, non per hoc erit formaliter materia, quod sit determinabilis physicè, Antecedens primum probatur ex principiis ejusdem, quod forma det effectum suum formalem materiæ, seu quod materia accipiat esse formale à forma, non constituit materiam in hoc quod est recipere formam. Ergo neque quia determinat physicè forma materiam, per hoc constituitur in formaliter recipere, neque enim minor est ratio pro antecedenti quàm pro consequenti; reditque argumentum suprafactum: an detur radix exigitiva hujus determinabilitatis.

Non Satisfacit tertiò. Tum quia hæc explicatio salvat sententias ab explicante refutatas, præcipuè autem perfectibilitatem, quòd sic proponitur. Posita materia perfecta Metaphysicè, quamvis adhuc perfectibilis esset physicè, non enim sibi daret speciem; tamen perfectibilitas non est primò essentialis conceptus materiæ. Ergo etiam posita materia determinata Metaphysicè, quamvis adhuc esset determinabilis physicè, determinabilitas, non erit primò essentialis conceptus. Tum quia primò essentialis conceptus materiæ, debet esse talis, qui semper, omni materiæ competat præ dicta autem determinabilitas non est talis. Ponamus materiam, quæ exigat nonnisi unam formam, & quidem exigat ita, ut illam postulet sibi comproduci, hæc materia, non solùm erit determinata Metaphysicè, sed etiam erit determinata physicè, quòd enim, non est indifferens, non est determinabile physicè, determinabilitas enim, supponit indifferentiam, illa autem materia non est indifferens, cum indifferentiam illius tollat exigentia nonnisi hujus formæ, & actualis cum illa nexus, & sicut indifferentia ad volendum, & non volendum tollitur volitione, ita indifferentia Physica ad formas, tollitur determinatione, nonnisi ad unum, & exigentiâ Physicâ, ut semper cum illa connectatur; & sicut, non est indifferens materia, ut omni forma careat, quia naturaliter non potest sine omni forma existere; ita nec erit indifferens hæc materia ad hanc formam, quia etiam divi-

divinitus non potest sine illa existere; & sicut forma determinata Metaphysicè, non est determinabilis Metaphysicè, ita nec forma determinata Physicè, est determinabilis Physicè, Tum quia materia, non est indifferens ad hoc in specie constituendum compositum. Ergo nec determinabilis Physicè. Antecedens probatur, ideo forma etiam diversis specie materiis unibilis, non est indifferens ad dandam speciem, quia etiam unita diversis specie materiis v.g. forma humana, est determinata, dare speciem, nonnisi hominis, sed etiam materia unibilis diversis specie formis est determinata, ut det esse corporei per modum recipientis, partis, &c. cur ergo ita illi non competet determinatio, sicut & formæ, curque hæc determinatio in forma, ponit rationem formæ, & non ponit sua determinatio, in materia, cur inquam, non ponit in illa rationem formæ. Quod si dicas determinabilitatem illam esse Metaphysicam.

Contra erit. Non solum Metaphysicè, sed etiam Physicè, & à parte rei habet talem sui esse determinationem Materia.

Dices. Aliam determinationem Physicam competere Materiæ, aliam formæ. Hoc ipsum explicandum esset, & illud, si legitimum explicativum erit, definiet Materiam.

Quando autem Aristoteles meminit, quòd materia non sit eorum quidquam quibus ens determinetur, loquitur de conceptu non primò essentiali, sed utcunque explanativo. Et licet dicatur, quod omnis potentia sit determinabilis, non est tamen necesse, ut de primo essentiali conceptu potentiæ, sit determinabilitas. *Vt decidatur, sit*

DIFFICVLTAS III.

Quid primò essentialis conceptus Materiæ.

De requisitis primo essentialis, conceptus, agitur prima parte d. 1. n. 2. ubi de primo essentiali conceptu Dei. Interim hoc dici potest, quod nomine, primo essentialis conceptus, veniat formalitas, primo in ordine ad nostros conceptus rei constitutiva, distinctiva &c. & radix reliquarum perfectionum. *Hoc posito*

Dicendum est. *Primo essentialem conceptum materiæ, esse, quòd sit potentia passivè constitutiva compositi, eaque radicaliter sumpta, vel quod sit subjectum, quo non datur prius, radicaliter sumptum.*

Probatur primò. Auctoritate Aristotelis ex 1. Phys. textu 82. Ubi definiens materiam, dicit illam esse *subjectum primum* & ait frequenter, quare hoc compositum sit unum, non est quærendum, nisi quia hoc actu illud potentia est. & 8. Physicor. jam, dicit, quod quæsierint antiqui, quæ sit ratio, unionis inter potentiam & actum, & quæ sit differentia, &c. Ubi propriam responsionem adferens, ait; *Causa verò est quoniam potentiæ, & actus rationem quærunt unientem & differentiam, est autem, ut dictum est ultima, materia, & forma, idem, & hoc quidem potentia, hoc verò actu*, ubi explicans, quid materia, quid forma, subdit, quod hoc quidem potentia, hoc verò actu, similia sunt 1. Physic: 6. 9. L. de Gener. c. 7. 8. Metaph. textu 3. 5. Phys. 78.

Probatur secundò. Quod est quidditativa definitio rei, est primò essentialis conceptus rei, nihil enim est prius essentiale, quàm quidditas rei, adeoque definitio quidditativa quæ illam quidditatem explicat, sed dictæ rationes sunt definitiones quidditativæ explicantes materiam, quid enim aliud est? Ergo prædictæ rationes sunt primò essentialis conceptus.

Probatur tertiò. Ratio potentiæ passivè constitutivæ compositi, ratio item subjecti primi sunt rationes essentiales materiæ, sed non secundo essentiales. Ergo primo essentiales. Minor probatur, illud non est secundo essentiale, materiæ, ad quod à reliquis omnibus prædicatis valet subsistendi consequentia, sed rationes prædictæ sunt tales Ergo. Major probatur inductione, ad animal enim rationale, valet subsistendi consequentia, à reliquis intrinsecis prædicatis, tanquam ad aliquid præsuppositum, per modum principii & radicis; licet non tanquam ad aliquid magis universale, sicque de reliquis; Quæ inductio in hoc fundatur. Quia primò essentialis conceptus est radix reliquorum, ultimumque resolutorium. Ergo ad illum ab omnibus aliis intrinsecis prædicatis, debet tenere subsistendi consequentia. Minor principalis probatur, Bona est hæc illatio, materia est determinabilis, perfectibilis, &c. Ergo est subjectum primum. Ergo est potentia passivè constitutiva compositi, &c.

Objicitur primò ex Oviedo. Possibilis est materia, quæ non sit receptiva formarum, & unionum, & tamen constituat compositum. Ergo possibilis est materia, quæ non sit potentia passivè constitutiva compositi. Antecedens probatur. Materia de facto non recipit anim amrationalem & unio spiritualis subjectivè se tenet ex parte ipsius animæ rationalis.

Respondetur. Nisi sit abusus vocis, & particularis ejusdem acceptio, non potest dici, quòd anima rationalis non recipiatur in materia; duplex enim est subjectum quoddam informationis, aliud inhæsionis seu sustentationis utrumque hoc habet materia, est subjectum inhæsionis, in quantum est potentia, respectu formarum materialium, quæ actualiter non possunt extra materiam existere, & quidem

si hæ formæ sint substantiales, Materia, respectu illarum vocatur subjectum sustentationis, si autem sint accidentales, erit materia respectu illarum, subjectum inhæsionis. Respectu autem formarum, quæ naturaliter existere possunt extra materiam, qualis de facto est anima rationalis, vocatur subjectum informationis seu quod idem intelligitur subjectum receptionis, nisi velis multiplicatas voces sine necessitate. Deinde, quamvis hîc medius terminus neget animam rationalem recipi in materia, non negat tamen materiam respectu animæ rationalis, esse potentiam, concedere enim debet, quod materiam actuet, informet, quæ omnia supponunt materiam esse potentiam, hinc concesso antecedenti negabitur consequentia. Denique concesso hoc, quòd Materia non recipiat animam rationalem, tamen Materia informatur ab anima rationali, adeoque respectu illius est subjectum primum, quia Ly subjectum primum, est prædicabile de subjecto informationis, receptionis, inhæsionis, sustentationis. Nos autem in definitione non posuimus, quòd materia sit subjectum primum receptionis; Hinc quamvis non recipiat animam rationalem materia, adhuc erit in re subjectum primum ejusdem, quam formalitatem, dicimus solum, esse primo essentialem conceptum.

Instabis ex eodem. Creetur forma materialis, creetur & unio, quæ subjectetur in forma illa, fiatque compositum, ex hac forma, ex hac unione, ex hac materia, erit tunc, verè materia, & tamen non receptiva formæ, & unionis. Ergo de ratione materiæ non est, esse receptivam, formæ & unionis.

Respondetur. Transeat totum, nam condistinguit arguens, esse receptivum ab esse potentiæ, illoque negato, hoc secundum nõ negat, quod ipsum & solum nos affirmamus. Deinde negamus illam materiam non esse receptivam illius formæ, nomine enim receptivæ intelligimus subjectum informationis, materia autem verè adhuc informaretur illa forma.

Objicitur secundò. Possibilis est materia, quæ non sit passivè constitutiva compositi, adeoque quæ non sit subjectum primum, Antecedens probatur, quia nulla in hoc potest auferri implicantia, præcipuè, cum etiam non sit impossibile compositum, in quo neutra pars sit subjectum, neutra actus.

Respondetur. Quæcunque tradita fuerit ab oppositis definitio materiæ primæ, modo sit legitima, ex illa inferetur implicare contradictionem materiam, quæ non sit subjectum primum, suppositâ autem definitione Aristotelica, ostenditur implicantia, quia scilicet & esset illa materia talis materia ut supponitur, & non esset, quia per Aristotelem Materia, est subjectum primum, est potentia in composito, &c. An autem possibile sit prædictum compositum, de hoc nihil in præsenti.

Objicitur tertiò. Nulla ratio respectiva ex nostris principiis in relatione transcendentali explicatis, est primò essentialis, rebus absolutis, sed ratio potentiæ, & subjecti primi, sunt rationes respectivæ. Ergo materiæ quæ est per nos, ens in primo suo conceptu absolutum, convenire non potest.

Respondetur. Quòd ratio potentiæ radicaliter sumptæ, non sit respectiva, licet ratio potentiæ formaliter sumpta sit respectiva, quod ipsum sic explanatur. Voces significationem, nonnisi ex placito habent, si ex placito habent, idem nomen potest diversas habere significationes, ut patet in æquivocis & analogis, ne verò ita suspensus in significatione penetranda, remaneat animus, placitum intercessit notis cæteroqui nominibus, additamenta facere, ut cum illa appendice, deveniatur in objecti notiam, hinc etiam in præsenti, in penuria vocum, nomen cæteroqui obvium potentiæ & subjecti assumitur, & ut significet radicem ipsam potentiæ, quæ ex modo nostro concipiendi, præcedit respectivè & formaliter acceptam potentiam, additum hoc ponitur ly *radicaliter*; unde etiam in definitione hominis, ly rationale radicaliter accipitur.

Instabis. Ergo etiam determinabilitas perfectibilitas, &c. radicaliter sumpta erit primò essentialis materiæ.

Respondetur. Negando illatum, quia ut aliquid radicaliter acceptum possit esse primo essentialis conceptus, debet esse formalitas certò conveniens, & talis, quâ, ratione nostra, non detur prior; aliàs unaquæque formalitas, cum addito radicaliter, posset esse primò essentialis conceptus; jam autem ex dictis supra, vidimus determinabilitatem & perfectibilitatem, non esse indubitatam formalitatem materiæ, & immediatè ante, vidimus rationem subjecti, priorem esse illis formalitatibus, suppositò quòd dentur. *Illustrari, hoc sic potest*; formetur hæc propositio, homo est animal rationale radicaliter, formetur & hæc alia, homo est animal risivum radicaliter acceptum, hæ propositiones, sunt distinctæ in formalitatibus Rationalis & risivi, & quia non possunt esse duo distincti primò essentiales conceptus, ejusdem rei, quomodo enim eadem & una esset, quomodo enim eadem & una esset, quomodoque duo essent prima, ideo necesse est comparere duas illas, inter se formalitates, quænam sit illarum prima, independenter à ly radicaliter, deprehenditurque rationalitatem esse priorem, cum ergo ly potentia & subjectum &c. deprehendantur comparativè, ad alias, suo nomine exprimibiles formalitates, habere rationem prioris, bene additum illis ly *radicaliter* primò essentialem conceptum explicabit.

Obji-

Objicitur quartò. De hoc ipso quæritur; quare pars A sit potentia & subjectum primum, & quare pars B. sit actus.

Respondetur. Est quidem verum, quòd dictus conceptus, non adferat prædicatum aliquod distinctum realiter, imò nec adferre debet, nam definitio à definito non distinguuntur realiter. Est item verum, quòd non adferat prædicatum simpliciter extinctivum interrogationum, nam etiam posito, quòd dicat aliquis hominem esse animal rationale, quærere restabit: quare sit animal rationale, sufficit tamen, quòd adferat prædicatum, quo in ordine ad nostros conceptus non datur prius, & quòd tantum sola inductione, explicationeque terminorum illustrari possit. Quanquam accedi etiam extemplo poterit ad argumentum, quod probat dari materiam primam; ita ut illud sit subjectum, quod remanet post resolutionem, tanquam aliquid commune, cum ergo pars, A, & non alia maneat, illa pars A erit materia.

Objicitur quintò. Subjectum primum est terminus æquivocus, nam potest esse aliquid subjectum primum prædicationis vel promotionis politicæ, &c. ut cum proximè promovendus, & excellens in politicis, appellatur subjectum primum.

Respondetur. Ex circumstantiis, in quibus loquimur, explicatur satis, rem esse, de subjecto Physicè spectato.

QUÆSTIO II.

De existentia Materiæ.

Imprimis disquirendum erit: An existat Materia; Deinde propria ne an aliena existentia & tum primùm alia huc spectantia discutientur.

DIFFICULTAS I.

An detur Materia prima?

Dicendum est: *Dari materiam primam*; Est conclusio Aristotelica. Quod detur Materia.

Probatur medio termino communi, qui sic proponitur; Vel dantur mutationes substantiales, vel non dantur, neutrum dici potest. Ergo neque potest dici, quòd non detur materia prima. Minor probatur, non potest dici, quòd non dentur mutationes substantiales, aliàs lignum non esset combustibile, siquidem ex ligno non posset substantialiter fieri ignis. Rursùs ignis nunquam esset extinguibilis, neque posset subsidere in cineres, siquidem post formam ignis, non posset introduci forma cineris. Si autem dantur transmutationes substantiales. Ergo quòd fuit sub una forma substantiali, manet etiam sub alia forma substantiali, si enim non idem maneret, sub alia forma substantiali. Ergo in mutatione substantiali esset annihilatio, quòd probatur, tunc esset annihilatio, quando nihil manet ejus, quòd præfuerat, sed in substantialibus transmutationibus nihil maneret ejus, quod præfuerat. Ergo in transmutatione substantiali esset annihilatio. Minor, immediata probatur; in transmutatione substantiali v.g. ligni in ignem, non maneret v. g. forma ligni, ut per experientiam patet, & probabitur infra, ubi ostendetur, duas formas substantiales non posse esse, in eodem subjecto, non maneret etiam in transmutatione substantiali materia, quia per te non datur. Ergo nihil maneret, consequenter in transmutatione substantiali esset annihilatio, quod non potest dici. Tum quia annihilatio sicut & creatio excedit vires naturales. Tum quia accidentia multa, remanent abeunte jam forma substantiali, in quo autem subjectarentur, si esset annihilatio totius substantialis præcedentis, & si non daretur materia prima. Tum quia si in mutatione substantiali intercedit annihilatio, vanus esset cultus reliquiarum siquidem nec forma illic esset sancti, nec materia.

Confirmatur. Si non daretur materia, connaturale esset agenti naturali; v. g. igni, creare, sed nulli est connaturale creare. Sequela probatur, connaturale est uni igni alium ignem producere. Ergo & connaturale esset creare. Tunc enim esset connaturale creare, quando connaturale est producere ex nihilo subjecti, seu ex nullo subjecto præexistente, conferre totum esse de novo, sed ignis producens alium ignem, conferret totum esse de novo, quod probatur, conferret formam de novo, & nullum subjectum ejus è quo educeret formam, supponeret. Ergo ex nihilo subjecti produceret, adeoque crearet.

Quod autem detur materia, eaque prima, sic probat Suarez. Quando ex ligno fit ignis, manetque idem subjectum, quod olim erat sub forma ligni, ut sic jam sub forma ignis, vel illud subjectum præsupponit aliud subjectum, vel non præsupponit, si non præsupponit, habetur intentum; si præsupponit de illo ulterius, quærendum restabit deveniendumque erit, ad aliquid, primum, cum non detur processus in infinitum in istis subjectis subordinatis.

Objicitur primò Auctoritas Aristotelis:

Prima Auctoritas est. Ex primo Phys. textu 77. ubi ait Aristoteles, ea quæ fiunt, non fiunt per se, ex aliquo ente, sed solum per

accido[illegible],ex quo colligi potest, materiam, vel non esse ens,vel ex ea non fieri quidquam, per se.

Respondetur. Sensum Aristotelis esse, quòd ea, quæ fiunt per se, non fiant ex aliquo ente, quod se habeat per modum formæ præexistentis latentisque inibi, sed non dicit, quòd non detur potentia,adeoque materia, ad illam formam.

Secundus locus ex 5. Phys. tex. 8. ubi ait: Id quod generatur, non est, subjectum autem generationis est materia, inferius autem subdit,igitur materia non est.

Respondetur. Sensus Aristotelis est;quòd id quod generatur non sit actu, sed tantũ sit in potentia,eo quòd sit subjectũ,quod illius generandi,futurum est,pars constitutiva,quando autem addit igitur materia, non est, intelligendus est, quod materia respectu generandi non sit subjectum denominationis, tale enim subjectum est totum compositum, sed tantùm est subjectum inhæsionis, sustentationis vel informationis.

Tertius locus est ex lib. de generatione c. 23. Generatio est mutatio totius in totum,nullo sensibili manente. Ergo nec erit,quæ remanet materia.

Respondetur. Sensum Aristotelis esse, quòd generatio sit mutatio totius denominationis,in aliud totum denominationis, quando autem Aristoteles dicit,quod nec quidquam sit eorum quibus ens determinatur, per Ly: nequicquam, intelligit quod materia non sit aliquid,substantiale completum, & quod non sit forma, cui competit actuare, & denominare, licet etiam materia sit Ens.

Objicitur secundò. Ad mutationes accidentales,non est necessarium commune subjectum. Ergo neque ad substantiales, Antecedens probatur. Si extra materiam, poneretur frigus,ageret in illud calor, & tamen tunc non esset jam ullum commune subjectum,siquidem extra omnem materiam, supponitur existere frigus. Accidentia etiam Eucharistica alterari possunt sine ullo subjecto, quòd sit materia.

Respondetur. Sicut non possunt existere naturaliter, accidentia sine subjecto, ita nec naturaliter contingit, ut ad mutationes accidentales, non sit necessarium subjectum; Quare autem nec divinitus, nec naturaliter potest esse transmutatio substantialis sine communi subjecto, probant rationes adlatæ. Directè ergo in forma negatur consequentia, disparitas est, quia non repugnat accidentia divinitus existere sine materia, & adhuc retinere contrarietatem cum aliis, adeoque fundare pugnam & introductionem novarum qualitatum,licet supponendo miraculum prædictum. Jam autem etiam divinitus, repugna esset mutationem substantialem, & nihil substantialis in præcedenti composito manere, non enim hoc esset mutatio,sed prioris annihilatio, novi autem creatio. Loquor autem de mutatione substantiali quæ fit viâ generationis, non autem de mutatione conversiva,substantiali,seu transsubstantiva, quæ viribus naturæ fieri non potest, & cum non fiat viribus naturæ, commune subjectum non deposcet.

Objicitur tertiò. Non datur forma communis. Ergo nec una materia communis.

Respondebis 1. Disparitatem esse, quia scilicet ad formam spectat diversificare & determinare intrinsecè, consequenter nec potest esse ulla forma communis, ad materiam autem non spectat diversificare. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia dici posset ad formas particulares spectare ut diversificent, sed forma communis non est necesse,ut diversificet. Tum quia suo modo etiam materia v.g. ab Angelo diversificat hominem & si materia cœlestis,est diversa specie,revera & illa diversificabit, quid si materiæ convenit diversificare saltem possibiliter,tum quia quomodo dabitur una materia communis, cum non detur forma communis,ex eo,quia ut tu ais, competit ei diversificare.

Respond. 2. Disparitatem esse quia nulla est necessitas formæ communis,nullumque absurdum, si non detur, si autem non detur materia tanquam subjectum commune mutationum, substantialium, sequitur absurdum, res scilicet naturaliter creari & annihilari.

Respondetur 3. Quia data forma communi advenientes aliæ formæ non componerent unum per se, invenirent enim jam formam actuantem. Posito autem quod detur Materia adhuc poterit componi unum per se.

Quæres. Quid sentiendum sit, de sententia Gomesii Pereira, qui docuit,ut videre est, apud Arriaga disp. 11. Physicor. Sect. 1. Non dari ullam materiam primam,sed loco illius esse elementa, quæ sint æquè simplicia ac materia prima vel forma substantialis. Est sententia rejicienda. Tum quia illa corpora,æquè simplicia,ac materia,vel manent,in omni mutatione substantiali, ita ut in illa alia resolvantur, vel non manent, si non manent, redeunt argumenta facta, si manent in re omninò idem dicis, sed immeritò hoc subjectum, appellas elementa. Tum quia ut urget Arriaga,vel illa elementa sunt penetrata, vel non; si sunt penetrata. Ergo immeritò adstruis ad productionem ignis corrumpi lignum cum potuerint hæc se penetrare, si non sunt penetrata. Ergo una pars v.g. papyri, est aqua, alia ignis, quod est contra sensum, quomodo item quarta pars ignis inclusa in pulvere pyrio,non accendit eundem, cur item animantia omnia sursum non eunt, cum com-

ponan-

ponantur duobus sursum tendentibus aëre igne,&c.

DIFFICVLTAS II.

Materia: sua ne? an aliena existentia existit?

THomistæ,existentiam propriam Materiæ, sed dicunt illam existere existentiâ formæ, dant illi existentiam propriam Scotistæ, Nominales,Nostri. Potest hic quæstio esse de voce si concesseris materiam habere actum entitativum proprium, hoc est perfectionem suam entitativam,eamque extra causas positam, negaveris autem materiam habere existentiam propriam. Erit quæstio de re, si negaveris materiam habere actu , proprium suum esse, extra causas : nomine autem existentiæ venit esse actuale rei,extra causas, Arriaga & Oviedo instituunt etiam quæstionem ; an posita distinctione reali inter essentiam & existentiam, necesse nihilominus sit , materiam habere existentiam non formæ sed propriam , quamvis à se distinctam realiter, ad hanc etiam difficultatem in sequentibus respicietur. *Nunc sit*

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum.

DICENDUM est. *Materiam habere propriam existentiam.*

PROBAT primò Suarez ex communi principio,quòd scilicet essentia non sit distincta realiter ab existentia , unde sic formatur argumentum. Habet materia propriam suam essentiam. Ergo & existentiam, hæc enim à parte rei indistinguuntur realiter. Qui ipse medius terminus,sic aliter proponitur. Materia prout condistinguitur à forma , & est nunc jam in rerum natura , vel habet esse suum proprium, extra causas;vel non habet,si non habet. Ergo contra suppositionem loqueris, si enim supponis,nunc in rerum natura,illam esse, quomodo esse extra causas,non habet. Loqueris etiam, contra demonstrationes Aristotelis, probantes materiam esse nunc defacto subjectum transmutationum ; loqueris etiam,contra rationem, quia aliàs nullum esset compositum ex materia, & forma,si nunc in rerum natura , non est materia ; si autem materia habet propriam existentiam , cum nomine existentiæ nihil veniat nisi esse proprium extra causas. *Hoc argumentum* convincit , nonnisi supposita in distinctione reali , inter essentiam & existentiam.

PROBAT secundò Hurtado ex principio recepto à Thomistis , quod productio terminetur ad existentiam , quo posito sic argumentatur. Eadem actione indivisibili , qua producitur essentia , debet produci, & existentia,sed essentia materia & essentia formæ producuntur,per diversas actiones. Ergo etiam & existentia materiæ , itemque existentia formæ, producuntur per diversas actiones : Prima propositio est certa apud Thomistas & probatur auctoritate S. Thomæ , qui quæst. 1. de Potentia art.2.th. ait : *Omnis actio activæ potentiæ , terminatur ad esse* , imò Johannes Theologus in Concil. Florentino , Sess. 18. contra Græcos asserentes,Spiritum Sanctum esse à Filio , sed ab illo,non accipere esse,inquit, *fieri non potest, nec mente concipi , ut una res ab alia fit,nisi ab illa accipiat esse.* Probat idem ratio , quia actio terminata ad producendum essentiam , tendit ad eam producendam extra suas causas. Ergo tendit ad existentiam , cum existere nihil sit , nisi esse extra causas. Minor autem probatur , quia essentia materiæ creatur,essentia formæ materialis educitur è potentia materiæ.

Hæc ratio Hurtadi sic aliter proponitur. Supponamus hoc, quod formæ quæ nunc producuntur sint ab æterno, materiam autem produci in tempore; vel ad minimum supponamus , nunc produci de novo formam , & post productionem illius , produci materiam ejusdem speciei cum nostrate,hoc supposito, sic formatur argumentum. Si materia non habet propriam existentiam,non posset ostendi actio productiva essentiæ materiæ , ad quid terminari possit, sed debet ostendi,aliàs si non possit ostendi , ad quid actio productiva materiæ terminari possit, non erit possibilis actio productiva materiæ, siquidem impossibilis est actio productiva, cui passio non correspondeat , adeoque , quæ ad aliquid , ad quod terminetur non habeat : Sequela principalis probatur. Si materia non haberet propriam existentiam , actio productiva materiæ , non terminaretur ad essentiam formæ, hæc enim supponitur in ante producta, & si actio productiva materiæ , non terminatur ad essentiam materiæ,non materia , sed aliquid aliud produceretur,siquidem non ejus essentia, sed alius produceretur, non etiam illa productio terminaretur ad essentiam materiæ , non plus importat , quàm importârit ab æterno, secundùm quod erat , in statu essentiæ & tamen essentiæ rerum , dicuntur præcedere actionem divinam productivam , deinde si ad essentiam materiæ , præcisè terminaretur actio illa productiva , vel responderet illi actioni , esse extra causas

illius essentiæ, vel non responderet; si respondet, esse extra causas, in materia præcisè accepta: Ergo materia præcisè accepta, hoc est prout condistincta à quovis alio, quod non est ipsa, existit, esse enim extra causas, & existere, idem sunt; si non respondet actioni, terminatæ præcisè, ad essentiam materiæ, esse illius extra causas: Ergo erit productio, cui nihil respondet producti, nomine enim producti, hîc venit esse extra causas, quod esse extra causas, dicis tu, non respondere illi productioni.

Non etiam illa productio terminatur ad existentiam formæ, quia hæc præsupponitur præexistere, aliaque jam actione productâ, non etiam illa productio terminatur ad existentiam materiæ, quia hanc tu illi negas.

Idem sic insuper proponitur. Materia prout condistincta ab existentiâ formæ, & ipsa forma, sic inquam sumpta, est producta, est enim, & non est Deus. Ergo est producta. Ergo etiam prout condistincta ab existentiâ formæ, & ipsâ formâ, existit, esse enim actu existens & esse productum hîc verbis differunt.

Totum hoc sic brevius concluditur. Illud est existentia materiæ, quod respondet actioni producenti materiam, ut Thomistæ docent, sed existentia formæ non est id, quod correspondet actioni producenti materiam, (ut supponitur, quando dicitur possibile esse ut producatur, prius formâ.) Ergo existentia formæ, non est existentia materiæ.

Respondetur Cum Thomistis: actionem productivam materiæ, Terminari ad unionem, ejusdem cum formâ, neque enim possibile est per Thomistas, ut existat materia, spoliata omni formâ.

Contra est. Tum quia falsum est, divinitus, non posse existere materiam sine omni formâ. Tum quia si actio productiva materiæ, terminatur ad unionem materiæ cum formâ: Ergo materia ipsa non producitur, siquidem, sicut cum erat in solo esse possibili, non terminabatur ad illam actio productiva, ita nec nunc terminatur; & sicut quando actio productiva materiæ, terminatur ad ejus unionem, non producitur tunc Angelus, quia ad illum illa actio non terminatur, ita nec materia tunc producetur, cum ad illam illa actio per te, non sit terminanda. Tum quia illa unio, vel est idem cum materia entitativè, vel non est idem; si est idem. Ergo sicut ad propriam existentiam unionis terminatur, illa productio, ita terminabitur ad propriam existentiam materiæ; si autem unio illa non est entitativè idem cum materiâ, productio illius non erit productio materiæ, & tamen etiam materia, tunc, in casu suppositionis produceretur.

Hæc argumenta sunt bona, sed procedunt nonnisi ex suppositione indistinctionis realis, inter essentiam actualem, & existentiam, solvi enim possent, dicendo, quòd illi actioni, respondeat actus entitativus materiæ, condistinctus ab existentiâ.

Probatur. 3. Ex principio item communi, quòd scilicet materia, sit causa Physica formæ materialis, quo ex principio sic formatur argumentum. Nulla forma præsupponit, in subjecto, effectum formalem, quem tribuere nata est; & ita albedo non supponit parietem album, antequam illi communicet esse album, sed forma substantialis, præsupponit existentiam in materiâ. Ergo illi non tribuit existentiam. Minor probatur; quia si materia est nihil, antequam educatur ex illa Materia, forma materialis. Ergo forma materialis, ex nihilo educitur à Deoque creatur.

Quod ipsum sic proponitur. In illo priori, antequam intelligatur educi forma materialis ex materia, falsum est, materiam esse nihil actu, quomodo enim nihil, causaret physicè. Ergo vera erit hujus contradictoria, materia pro illo priori, non est nihil actu. Ergo existit pro illo priori, hæc enim verbis discrepant.

Respondebis 1. Materiam, ante productionem formæ materialis, existere existentia ejus, quæ præfuit formæ.

Contra. Tum quia restat quæstio, de ipsa prima forma materiali. Tum quia, si dum causat formam subsequentem materialem materia, existit existentia formæ, quæ præfuit. Ergo utriusque tunc formæ existentia datur, & hujus, quæ causatur, & hujus, vi cujus existit materia, ut possit causare formam subsequentem, exstetque tunc materia, duabus existentiis, quod repugnat, sicut & repugnat, simul eam formari duabus formis. Tum quia per Thomistas, datur resolutio usque ad materiam primam, quomodo ergo causans formam materialem, quæ existit dum causatur, existit præteritâ formâ, & ejus existentia, cum præsupponatur periisse, in illâ resolutione illa forma. Quod argumentum etiam infra attingetur.

Respondebis 2. In instanti generationis, materiam existere existentia formæ quæ generatur.

Contra est. Tum quia existentia, est causa, vel conditio necessaria tenens se à parte causæ, ad hoc, ut causetur in instanti generationis forma subsequens, aliàs aliquid non existens, posset causare in actu secundo. Ergo Materia in instanti generationis, non potest existere existentiâ formæ subsequentis, alàs existentia formæ subsequentis causaret seipsam, & aliàs posset esse ante seipsam, quia omnis conditio & causa, præexistit saltem naturâ effectui, imo etiam concessa mutua prioritate in causis, nunquam tamen concudi potest aliquid, præsupponi ante se. Tum quia, ut urget Mastrius, non potest formâ tribuere existentiam materiæ, quam informat, informatio enim præ-

præsupponit subjectum existens. Tum quia falsum est, dari mutuam causalitatem, de quo supra.

Respondebis 3. cum complutensibus. Causam efficientem, exigere existentiam ante effectum, sed non causam materialem, quæ cum sit causa potentialis, non indiget actualitate existentiæ, sed contenta est, esse actu extra nihil.

Contra est. Tum quia non est major ratio unius, quàm alius; Tum quia nego materiam esse causam potentialem per exclusionem existentiæ. Tum quia esse actu extra nihil, est existere. Ergo cum exigat causa etiam materialis, esse actu extra nihil, hoc ipso indigebit existentiâ.

Hoc argumentum procedit nonnisi ex suppositione indistinctionis inter essentiam actualem & existentiam. Dici enim posset, quod ut causet materia, sufficiat illi actus entitativus.

Sed videnda sunt insuper argumenta, quæ probant etiam supposita distinctione reali, inter essentiam actualem, & existentiam, debere nihilominus habere materiam primam, propriam existentiam.

Primum argumentum est ex Arriaga; Conformius est, ut etiam materia habeat propriam existentiam, sicut & alia entia.

Responderi posset, quòd alia entia, non sunt quid essentialiter potentia, ideo exigunt propriam existentiam, non verò materia, quæ est essentialiter potentia.

Secundum argumentum est; Forma materialis dependet à priori, à materia non habet existentiam à formâ.

Respond. potest, Negando consequentiam, sufficiet enim ut forma dependeat à materiâ tanquam ab habente actum entitativum.

Tertium argumentum P. Adriani Pikarski est; Supposità distinctione reali essentiæ ab existentiâ, ex vi unionis formæ ad materiam, non est necesse, uniri materiæ existentiam formæ, quia ista sunt distincta realiter. Si autem unum realiter distinctum uniatur, non est necesse aliud distinctum realiter uniri. Ergo supposità distinctione reali essentiæ ab existentiâ, necesse est, materiam habere propriam existentiam. Consequentia probatur, quia materia ex vi unitæ, debet habere existentiam, cum ergo possit non habere existentiam formæ, ut ostendit antecedens, debet habere existentiam propriam.

Respond. Quòd, sicut per concomitantiam posito sub speciebus vini sanguine, est necesse poni corpus: ita connaturaliter, cui unitur forma, connaturaliter debet uniri etiam ejus existentia, & si daretur unio accidentalis, alligans unum corpus alteri, hoc ipso connaturaliter alligarentur etiam formæ illorum corporum; ita & in præsenti, idque ideo, quia, si illa existentia est unita formæ, unitâ formâ, ex consequenti uniri debet & ejus existentia. Licèt ergo unio supponat existentiam, id verum est, si secundùm cursum naturæ fiat unio, aliàs sufficeret alterum membrum, quod est essentialiter potentia, habere nonnisi actum entitativum.

Quartum argumentum ejusdem est; Supposità prædictâ distinctione, si non haberet materia propriam existentiam, eadem forma, quæ est existentia, esset causa vera & realis eaque totalis, influens in duos effectus formales totales, nempe in materiam & formam, quod fieri non potest naturaliter.

Respond. Quærendo cur albedo dulci & oderato tribuat effectum suum formalem, & si ad hæc sufficit penetratio eorundem, cur cum materia & forma, natæ sint se penetrare, utrique non poterit uniri eadem existentia? Deinde cum effectus formalis, sit ipsa forma, unita subjecto capaci, cum hic, eadem sit forma idem erit effectus formalis, inadæquatè, licet subjecta illius sint diversa.

Quintum argumentum est; Sequeretur aliàs pro varietate formarum, variari materiam, eamque ab agente naturali produci.

Respond. Non variandam materiam, quia idem semper actus entitativus, ejusdem manet, qui quia ab agente naturali non producitur, fit ut nec materia, ab eodem producatur.

Punctum Difficultatis 2.

Respondetur Objectionibus.

Objicitur 1. Auctoritas Aristotelis, qui negat materiam esse in actu, appellat illam potentiam, dicit non esse hoc aliquid, dicit nihil esse actu.

Respondetur. Explicando Aristotelem, quòd dicat materiam non esse actum informantem, vel solùm non esse totum compositum, quod propriè est: *Hoc aliquid.*

Instabis primò. 8. Metaph. t. 15. & 16. Materia appellatur non solum potentia, sed per se potentia, id est essentialiter potentia. Unde etiam 1. Physicorum t. 79. dicit Materiam non cognosci, nisi per analogiam ad formas. Et 1. de gener. t. 23. inquit quod si subjectum generationis esset in actu generatio, foret alteratio. Et 1. Phys. t. 69. ait materiam se habere in toto genere rerum naturalium, sicut lignum in toto genere artificialium. Deinde quia Aristot. inferentibus antiquis si materia esset ens in potentia, esset nihil, non negavit Aristot. sequelam, ex eo, quia materia est Ens

in potentia tantùm subjectiva, non objectiva seu Metaphysica, sed ex eo, quia nunquam est corruptio sine generatione, & ideo nunquam materia manet ita in potentia, quòd non sit ens actu per aliud.

Respondetur. Materiam esse per se potentiam physicam, sed cum hoc stare potest, ut habeat esse extra causas adeoque existentiam. Consequenter ne sit potentia in ordine existendi. Materia non cognoscitur, nisi per analogiam ad formam, quia quod detur probavit id Aristoteles ex transmutatione substantiali, quæ habetur ratione formarum, cognoscibilitasque per analogiam non aufert esse rei, nam etiam Angelos per analogiam ad animam cognoscimus, & invisibilia ex visibilibus, neque tamen per hoc aufertur illis esse. Rursus etiam concessa paritate, quòd materia se habeat, sicut lignum in artificialibus, adhuc pro nobis est instantia, quia sicut antecedenter ad formas artificiales, existit lignum, & non habet existentiam ab illis, ita nec materia habebit à formis substantialibus. Quod attinet ad argumentum antiquorum, illorum mens erat negare potentialitatem physicam, sed arguit illos Aristoteles quomodo non est potentia Physica materia, cùm dentur generationes, sed inde nihil sequitur contra nos. Deinde quod nostra responsione non utatur Aristoteles, id proficiscebatur ex eo, quia stabat in principio assumpto, probando quod detur materia, ex eo, quia dantur transmutationes substantiales, consequenter etiam nunc, ad idem recurrit, licitumque est idem, nunc ex hoc, nunc ex illo fundamento negare.

Instabis Secundò. Ens extra causas 9. Metaph. t. 1. dividit Aristoteles in potentiam & actum. Ergo ex hoc præcisè quod aliquid sit pura potentia realis, etiamsi omnem prorsus actum excludat, poterit rationem entis realis habere.

Respondetur. Dividi illic Ens extra causas in potentiam & actum physicum, sed nego, quod potentia Physica, non possit esse actus Metaphysicus.

Instabis tertiò. Immeritò poni divisionem in actum Metaphysicum & in actum Physicum, ut hæc posterior negetur materiæ, concedatur prior, neque ejus meminit Aristoteles. Addit Zabarella apud Mastrium, (apud quem hæ instantiæ) non posse explicari quid sit actus iste entitativus Materiæ.

Respondetur ex Mastrio hujus divisionis haberi fundamentum in Aristot. 9. Metaph. t. 11. *Est autem*, inquit *actus existere rem, non ita, sicut dicimus, potentia.* Unde per nos hic actus Metaphysicus competit Materiæ, quamvis illa sit potentia Physica. Ex quo loco ipso explicatur quid sit actus entitativus Materiæ, nempe esse extra causas, seu existentia. Ad illud quod dicit Zabarella, si materia substantia foret, fore illam materiam materiæ, dici potest: immeritò imaginari arguentem distinctionem realem illius substantiæ, ab ipsamet materia, si non est distinctio realis, quomodo illa substantia, erit materia Materiæ, sicut dicitur materia ligni, quæ distinguitur realiter à forma ligni. Quod si nomine materiæ intelligas subjectum Metaphysicũ, seu genus actuabile per rationem, à differentia Metaphysica, sic substantia erit Materia, utpote genus & commune, tam materiæ quam formæ, formaque ejus, erit materiæ prædicatum differentiale, vi cujus, determinabitur ratione nostra illa substantia, ut sit Materia, & vi hujus erit illa substantia Materia Metaphysica, materiæ sumptæ pro prædicato differentiæ, Metaphysicè constituentis materiam, sed non materia physica materiæ, physicè sumptæ, hæc enim implicat, nam implicat subjectum primum, subjecti primi.

Objicitur 2. Auctoritas S. Thomæ, prima parte q. 66. art. 1. & 3. parte a. 17. ar. 2. & alibi sæpe docet S. Thomas, materiam seipsa, non existere in rerum natura.

Respond. S. Doctor id solum vult, quòd materia naturaliter non existat sine omni forma, vel quod de se non sit quid completum, interdum etiam ly existentia sumit pro subsistentia, ut cum negat humanitatem Christi habere propriam existentiam. S. Thom. nobiscum sensisse, videbis 1. par. q. 44. a. 2. & quæst. 14. ar. 12. ad 3.

Objicitur 3. Potest aliquid existere existentiâ aliena. Ergo & materia, poterit existere existentia formæ. Antecedens probatur. Tum quia id non implicat contradictionem. Tum quia de facto humanitas Christi, existit existentia verbi.

Respond. Negando Anteced. implicantia supra ostensa, breviterque inter alia, in hoc stat. Quia implicat aliquid esse extra causas, per esse alienum, adeoque & existere existentiâ aliena. Humanitas etiam Christi non existit existentia Verbi, quia si non haberet humanitas Christi, propriam existentiam, productio illius non haberet ullum terminum, debuisletque assumere Verbum humanitatem, habentem solùm esse objectivum, & potentiale, in causis solum. Ergo per existentiam intelligitur subsistentia, quòd scilicet, non sua sed Verbi subsistentia, humanitas Christi per se existat & subsistat.

Instabis 1. Si humanitas Christi propriam existentiam haberet, sequenter Beatissimam, non posse dici Matrem Dei, tota enim illius causalitas & efficientia matri debita, terminata fuisset ad existentiam creatam.

Respond. Salvandam adhuc maternitatem, quia causalitas & efficientia matri debita, terminata fuisset ad existentiam creatam, non quo-

quomodocanque, sed ad existentiam terminatam Verbi personа. Et certè Beatissima dicitur Mater Dei, dicitur genuisse, & concepisse Deum, non quod ad unionem hypostaticam verbi cum natura humana concurrerit, id enim negant Theologi, sed quia, concurrit ad uniendum corpus & animam, concurrit item ad efformationem humanitatis, cui actioni conjuncta fuit actio Spiritus Sancti, unitiva humanitatis verbo, quo factum est, ut tota conceptio, quæ utramque illam actionem includit, terminata sit, non solùm ad humanitatem, sed ad Deum hominem, propter communicationem idiomatum.

Instabis 2. Si humanitas Christi haberet propriam existentiam, Christus non esset unus simpliciter, & unus ens.

Respondetur. Erit Christus adhuc unum ens, quia suppositâ perfectibilitate in natura, in esse suppositabilis & personabilis, perficitur à persona, idque substantialiter.

Instabis 3. Docent Patres, quòd humanitas Christi, in verbo existat.

Respondetur. Accidentia in subjecto existunt, forma item materialis, neque tamen licet inde inferre, quòd non habeant propriam existentiam, sic nec prædicta locutione, rectè colligetur negatio existentiæ in humanitate. Existit ergo in verbo, quia existit cum habitudine & dependentia à verbo, tanquam à supposito, à quo sustentatur & terminatur, quod sufficit, ut aliquid dicatur existere in alio. Quamvis autem prius naturâ existat humanitas, quàm uniatur verbo, tamen prius natura, ad unionem non potuit quicquam operari, quia natura existens, non est capax operari aliquid, donec per subsistentiam aliquam terminata sit, actiones enim, sunt suppositorum.

Objicitur quartò. Ex compluten: Si materia etiam, haberet propriam existentiam, darentur in composito duæ partiales existentiæ, una debita materiæ & altera debita formæ, hoc non potest dici, quia illa existentia in materia, non posset esse ultimus terminus, & ultima actualitas ejusdem, deberet autem esse, est enim hoc, prædicatum necessarium in existentia.

Respondetur. Quod existentia in materia, esset ultima actualitas in ratione existendi extra causas, sed non esset ultima, in ratione formativæ.

Instabis primò. Ex iisdem. Existentia, est terminus naturæ. Ergo nequit esse physicè composita.

Respondetur. Negando Consequentiam. Sicut enim, potest esse aliquid compositum ex duobus, extra causas positis ita & esse compositum, ex duabus existentiis, modò illæ sint entium ad se ordinatorum.

Instabis secundò. Ex iisdem. Quando adhuc causalitas exercentur, & ad ultimum sui exercitium non devenerunt, nunquam effectus intelligitur existens, est enim adhuc in fieri, at quousque causæ non attingunt totum, adhuc causalitates exercentur, &c. Ergo nec intelligetur effectus existens.

Respondetur. Quando exercentur causalitates terminatæ, ad ponendum aliquid, extra causas, actione productiva, non censetur effectus esse existens, sed si exerceantur causalitates, ad aliquid constituendum in ratione, actu informati, vel actu informantis, intelligi potest existere effectus. Hoc autem in præsenti contingit, quia cum exercetur causalitas ad uniri, præsupponitur jam actio productiva materiæ. Dici etiam potest, quòd, quando causalitates exercentur, nondum intelligatur res habere existentiam totius & completi, licèt possit intelligi, habere existentiam partis, & compositivi. Quanquam videtur hoc argumentum multùm probare, nempe quòd etiam anima rationalis in priori naturæ, quàm uniatur corpori, non habeat existentiam, adhuc enim in illo priori exercetur, circa illam causalitas unitiva.

Instabis tertiò. Ex iisdem. Si materia prima haberet propriam existentiam, tunc existentia contraheretur per potentialitatem, ad rationem existentiæ, quæ competat materiæ, existentia enim materiæ debet esse existentia potentialis, sed per potentialitatem existentia contrahi non potest, quia si existentia contraheretur per potentialitatem, id quod est nobilius, contraheretur per ignobilius, ratioque inferior, seu contrahens, esset ignobilior superiori, contra quam velit Aristot. 8. Metaph. textu 10.

Respondetur. Existentiam non contrahi per potentialitatem existendi extra causas, hoc enim implicat, contrahi tamen per potentialitatem, hoc est posse informari ab actu sive formâ, quæ potentialitas, nego quòd sit ignobilior existentiâ, nam hæc potentialitas substantialis, attollit illam, supra existentiam accidentium. Concedo quidem, quòd Materia sicut spectat ad quoddam genus, quod est substantia, ita spectare ad aliquam speciem determinatam Metaphysicam, nam ipsa ratio materialitatis in Materiâ, est ratio ejus differentialis, restringens rationem substantiæ, adeoque collocans Materiam, in determinatâ specie Metaphysicâ, licet non collocet in determinatâ specie physica, quia hæc habetur à forma physica. Quando autem dicitur, illam existentiam Materiæ, fore potentialem, respectu formæ, si habeat hunc sensum: quòd actuetur in ratione existentis, existentia formæ, falsa est propositio: si habeat hunc sensum; quòd sit existentia potentialis, hoc est existentia potentiæ, ad actum physicum, vera est propositio, eo quòd existentia sit quidem

dem ultima actualitas rei Metaphysica non tamen physica, adeoque relinquens locum actuationi physicæ, à Forma.

Objicitur. 5.° Si materia haberet propriam existentiam, & forma propriam, non posset ex illis unum fieri per se, quia duo actus non possunt coalescere in unum ens per se.

Respondetur. Quòd duo actus, hoc est duo extra causas posita, possint coalescere in unum, si alterum sit potentia, & alterum actus, ad se invicem ordinata, licet non possint coalescere in unum, duo actus, hoc est duo completa, vel incompleta quidem, sed ad se non ordinata.

Instabis primò. Ergo existentia materiæ, recipit in se, sicut formam, ita & existentiam illius. Ergo ulterius denominat existentia formæ materiam, existentem, sua existentiâ.

Respondetur. Concessâ prima illatione, negari secundam, quia non omnes denominationes, quas à suis prædicatis sortitur forma, potest illas tribuere materiæ, & ita materia non dicitur ens, entitate formæ, porrò ea prædicata tribuuntur materiæ à formâ, quarum est capax, quæ item non censetur vi sua præhabere, & in quibus ordinatur ad aliud, jam autem præhabet in se existentiam materia, nec in hoc genere, manet complebilis.

Instabis secundò. Ergo nullum erit discrimen, inter Materiam, & formam, utrumque enim existit.

Respondetur. In ratione existentis nullum fore discrimen, fore tamen in hoc, quia Materia est subjectum & potentia, non est autem forma, subjectum, &c.

Instabis tertiò. Potentiale non est aliquid actu illius generis, cujus est potentiale, nec formaliter, nec reductivè, ut patet de superficie receptivâ coloris, quæ non est aliquid actu, in prædicamento qualitatis. Ergo cum Materia sit receptiva substantiæ, non erit aliquid generis substantiæ.

Respondetur. Potentiale, in eo, in quo est potentiale, non esse aliquid actu illius generis, cujus est potentiale, potest tamen potentiale in eo, in quo non est potentiale, esse aliquid illius, quod recipit. Et ita superficies, est quid potentiale, ad recipiendam lucem, nec est antecedenter lucida, licet tamen illa lux sit accidens, nihilominus superficies, jam est antecedenter et accidens; ita materia est potentia ad recipiendam animam substantialem, nihilque antecedenter habet animati, cum hoc tamen stat, ut habeat rationem substantiæ, quia in ordine ad hoc, non est quid potentiale.

Objicitur sextò. Materia dependet à formâ in existere. Ergo non habet existentiam propriam.

Respondetur. Argumentum imprimis multum probat quia accidentia, dependent etiam à subjecto in existere, imò & forma materialis, & tamen conceditur illis propria existentia. Ergo ex præciso dependere, non arguitur rectè negatio existentiæ, imò ex dependentiâ, quæ non sit objectiva tantum, arguitur existentia, prius est enim existere, quàm dependere. Porrò materia dependet à formâ, in existere, hoc sensu, quia non potest naturaliter existere sine forma, sed non dependet à forma in existere simpliciter. Quia non dependet in esse extra causas, habet enim materia suum proprium esse extra causas.

Objicitur septimò. Materia nullam habet propriam operationem. Ergo nec existentiam, esse enim, est propter operari.

Respondetur. Esse efficientis, est propter operari rigorosè, esse autem aliud, sufficit ut sit propter operari latiori modo, seu propter quasi operari: Convenit autem enti potentiali quasi operari, hoc est causare, dando se in partem compositi, emanando suas proprietates v.g. quantitatem &c. Unde etiam dici posset, quod esse completum sit propter operari rigorosum, non autem esse incompletum.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta Recentiorum.

Objicit primò Maurus q. 7. phys. Si materia prima esset actus, vel haberet proprium actum, non generaretur de novo substantia, cum tamen corpora multa, non tantum mutentur secundùm accidentia, sed etiam secundùm substantiam. Sequela probatur. Omnis forma esset accidens, Materia verò prima, esset tota substantia corporum. Quod ipsum probatur. Accidens est Entis Ens, seu Ens secundarium, constitutum per esse non primum. Sed omnis forma, e.g. Leonis, esset entis Ens, & ens secundarium constitutum per esse non primum, sed supponens esse actuale materiæ. Ergo omnis forma esset accidens.

Respondetur. Hoc argumentum si quid probat, probat etiam materiam ipsam, in omni generatione produci, certè enim vel producitur ante formam materia, vel non producitur; si non producitur: Ergo forma esset Entis Ens; si producitur, habetur intentum; nempe materiam, in omni generatione produci, & tamen hoc dici non potest, cum omnes sentiant, materiam primam nonnisi creari. Quando autem recurrit ad hoc Maurus: ideo materiam non generari, tunc, nec produci, quia tunc aliquid accipiendo existentiam producitur, quando non supponitur prius per aliam existentiam existere, quando in-

quam

quam ad hoc recurrit, quidquid sit de veritate doctrinæ, redit tamen argumentum; si enim non supponitur produci tunc materia, tanquam existens, jam aliùs formæ existentiâ: Ergo adveniens alia forma substantialis, erit entis ens, adeoque accidens.

Rursus argumentum probat, etiam contra intentum Thomistarum, qui non negant materiam primam esse ens, licèt affirment, quòd non habeat propriam existentiam, si enim haberet propriam entitatem jam accedens forma, esset entis ens, adeoque nulla substantialis.

Probat item argumentum, quòd materia sit accidens, quia forma præsupponeretur jam esse ens, esseturque ens secundarium materia, constitutum per non esse primum Ens, hoc enim esse primum ens, competeret formæ, consequenter respectu formæ esset materia accidens.

Directè ad argumentum dici potest, quòd esse Entis ens, tanquam merè subjecti informationis, vel sustentationis, non sit esse accidens, licèt sit accidens esse entis ens, ut loquitur Maurus, per modum adjacentis. Negatur item, quòd definitio accidentis, sit esse ens secundarium, hoc est præsupponens subjectum sui receptivum. Negatur item, quòd esse constitutum, per esse non primum, hoc est per negationem subjecti primi, rectè accidens definiat. Addo, cùm per principia arguentis accipiat existentiam in composito, materia à forma, deberet in composito ipsa forma transire in rationem accidentis, est enim forma Materiæ adeoque Ens entis.

Instat Primò. Substantia est ens per se stans, & non adjacens alteri, est item substantia Ens fundamentale ac subsistens, sola autem materia esset talis.

Respondetur. Negando, quòd forma v.g. Leonis non sit futura ens per se stans, quamvis supponat materiam tanquam subjectum sustentativum existens; & licet adjaceat alteri, impropriè, tanquam subjecto sustentationis, vel informationis, potest tamen esse substantia, quia non adjacet propriè, & tanquã subjecto inhæsionis.

Instat Secundò. Si materia habet propriam existentiam, materia esset tota substantia, corporum, materia non generaretur. Ergo nihil substantiæ generaretur. Sequela Probatur. Quia soli materiæ conveniret definitio substantiæ, nam sola materia constitueretur, per esse primum, per se, fundamentale, substans, ac non receptum in alio.

Respondetur. Hoc argumentum probat simul, solam formam esse substantiam & non materiam, quia sola esset ens primum, quia nullum aliud supponens, per se, quia non indigens materia, ut illi det existentiam, fundamentale, quia nonnisi suppositа illius existentia, existeret materia, nullumque aliud supponeret.

Directè autem dicitur, solam materiam esse constitutum per esse primum, primitate præsuppositionis, tanquam subjecti & potentiæ, sed non solam esse ens primum, primitate quacunque. Hinc nego rectè definiri substantiam, per rationem primi utcunque, aut per rationem non recepti utcunque sed sufficit ut non sit recepta in alio, tanquam in subjecto inhæsionis, licèt recipiatur in alio tanquam in subjecto informationis, sustentationis, &c. multoque minus substantia est ens primum esse, si enim est primum ens, superfluit dicere, quòd sit constitutum per primum esse.

Instat tertiò. Posito, quòd materia habeat propriam existentiam, debet negari, aut definitio substantiæ, aut quòd aliquid de novo generetur, &c. Unde Antiqui, ut videre est 1. Part. Quæst. 76. A. 1. cum posuissent materiam esse Ens actu, negabant, fieri de novo generationes aut corruptiones substantiales, è converso Scotus, & sequaces, admittentes, cum Aristotele, novas generationes fieri, & corruptiones, negarunt definitiones substantiæ, & accidentis. Aristoteles autem ut utrumque salvaret, posuit materiam esse ens non actu, sed potentia.

Respondetur. Negando sequelam ex positione antiquorum sequebatur non fieri nisi alterationes, quia ponebant materiam, non tantùm esse ens, in actu Metaphysico, seu existentiali, sed etiam in actu Physico, quia dicebant, actu haberi omnes formas in materia, adeoq; nullam de novo introduci posse, sed si posuissent nobiscum, materiam esse ens, in actu nonnisi Metaphysico, nego quòd sequeretur ex hac positione, nullas dari de novo generationes substantiales. Scotus & ejus in hoc sequaces, negarunt definitiones substantiæ, sed illegitimas, qualis est illa: Substantia est ens primum, constitutum per primum esse; Nam dictum superfluos habet terminos, & quærere restat, quid sit ista primitas, quæ conveniat & materiæ & formæ, cùm tamen forma supponat materiam. Multoq; minus, bona erit definitio accidentis, cùm procedat per aliquid negativum, & aliunde non modificatur istud esse primum. Posito, quòd substantia sit ens per se stans, & non adjacens alteri, quærere restabit; cur forma substantialis, non sit adjacens, sint adjacentia accidentia, quid ista adjacentia? Si enim adjacere, est accidere. Ergo definis accidens per accidens, quod est quidem vocis notificatio, sed non definitio: quærere item restat, cur forma Leonis, quæ non potest existere sine materia omni, sed in illa recipitur, cur inquam non sit ens fundatum in materia? Cur non sit ens receptum in alio esse, hoc est in materia? adeoque per te jam non substantia.

Objicit secundò idem. Quia contraria sententia nunquam satis explicat, quid sit substantia? quid accidens?

Respon-

Respondetur. Quid sit substantia, quid accidens, dictum alibi, ubi de Prædicamentis. Retinentur interim termini, quos sibi objicit Mautrus. Quòd scilicet substantia, sit primum intentum Naturæ.

Instat Primò. Quis fuit consiliarius Naturæ, ut possit in ejus intentione discernere, quid illa primò intendat.

Respondetur. Non est necesse esse consiliarium Naturæ, sufficit esse speculantem naturæ facta, & objecti conditionem, ex qua erui potest, quid primò intenderit Natura. Sicut nemo consiliarius Dei fuit, in decreto Incarnationis, vel in condendo mundo, & tamen infertur ex proportione ad manifestè primò intenta, quid primo intenderit Deus, ita & in præsenti.

Instat Secundò. Hoc ipsum quæritur; quid sit illud ens, quod natura primò intendit, & quã habeat intrinsecam quidditatem, & differentiam ab accidente, propter quam primo intenditur à Natura?

Respondetur. Hoc sufficienter notificari per explicationem, quid Natura, quid primum, quid intentum, & per proportionem ad manifestè intenta. Et ita manifestè intentum, est finis, qui dum appetitur, cætera ob illum appetuntur: ita Natura intendit Leonis formam, cui quia talis organisatio, tales proprietates, tales actus debentur, omnia hæc sunt accidentia.

Instat Tertiò. Non omnes substantiæ sunt primum intentum Naturæ, sed solæ rationales.

Respondetur. Aliud est primò intentum dignitate, & aliud primò intentum ordine appetendi: dignitate primò intentum, sunt formæ substantiales, sed non solæ illæ, ordinè primò appetuntur; cum comparatè ad actus, ad proprietates, ad combinationes, ad organisationes, priùs intendatur forma Leonis, quàm hæc numerata. Nec erit hoc definire substantiam, recedendo à notione nominis substantiæ, si enim est primò intentum, est prima: si recipiantur in illa accidentia, per prius debet intendi, quàm accidentia. Hoc autem quod est, esse primò intentum dignitate, competit non soli animæ rationali, sed & aliis Formis Substantialibus.

Objicit Tertiò idem. Quod est actuabile, actibus alicujus generis, non includit in se antecedenter actum illius generis, sed ad summum generis prioris, & ita quod est figurabile omnibus figuris, non includit in se ullam figuram actualem. Sed materia prima est subjectum actuabile in genere substantiæ. Ergo antecedenter ad formam, non includit in se ullum actum.

Respondetur. Materiam primam esse ens actuabile, actualitate physica, in genere substantiæ, non enim ullam habet de se formam Physicam, sed non esse actuabile, actualitate Metaphysica, hoc ipso enim, quod materia sit extra causas, non est nihil, adeoque habens propriam existentiam.

Instat Primò. Sicut datur figurabile, quod antecedenter ad figuram, non est actu figuratum, ita dabitur & substantiale & actuabile, quod antecedenter ad actum substantialem, non est substantia, neque ens actu, sed pura potentia.

Respondetur. Ante actu figuratum, ponit ipsa objectio actu figurabile. Ergo debet dari ante actu formatum, actu formabile, hoc autem est verbis differens in præsenti, ab existente materia. Disparitas etiam est, quia si figurabile, antecedenter ad figuram esset actu figuratum, non posset ostendi, quid in linea figuræ acquirat figurabile; jam autem posito, quòd materia habeat actum Metaphysicum substantialem existentiæ, potest ostendi quid acquirat materia, nempe actum substantialem Physicum formæ v. g. Leonis.

Instat Secundò. Non minus propriè fit substantia, & ens, quàm figuratum, sed figuratum fit ex subjecto figurabili, quod ante figuram, non est actu figuratum. Ergo substantia fit ex substantiabili, quod ante formam non est actu alia substantia, sed solùm potentia.

Respondetur ex dictis, quòd figuratum fiat ex subjecto figurabili, quod ante figuram, non est actu figuratum, ita ut nec supponatur figurabile esse in se extra causas, Nego, ita ut supponatur, Concedo idemque erit dicendum de materia. Reliqua petantur ex dictis ad Instantiam primam primam immediatè.

Instat Tertiò. Sicut ad alios actus prærequiritur potentia, v.g. ad actum coloris, prærequiritur colorabile, sic ad primum actum, qui est esse substantiale, prærequiritur ens potentiâ, quod est substantiabile. Sed potentia prærequisita ad primum actum, non potest antecedenter ad illum habere ullum actum, alioqui haberet actum ante primum actum. Ergo materia prima, quæ est prima potentia, primumque subjectum receptivum primi actus antecedenter ad formam, non est actus nec habet actum.

Respondetur. Potentia respectu primi actus, respectu cujus est potentia, non potest habere ullum actum, alioqui ille actus, hoc ipso non esset primus, cæterùm potentia respectu diversi actus primi, potest etiam diversum habere actum. jam autem materia à parte rei posita, est potentia respectu formarum, sed non est potentia diverso respectu, nempe non est in potentia adesse extra causas, adeoque nec est in potentia ad existendum. Plenior hujus difficultatis solutio petetur, ubi actum de substantia in Logicis.

DIFFI-

DIFFICULTAS III.

Quomodo Materia dependeat à Forma in existendo.

NOstri ordinariè asserunt, non posse naturaliter existere materiam sine omni forma, posse supernaturaliter. Thomistæ autem censent, nec divinitùs id fieri posse.

Punctum Difficultatis 1.

Præmittuntur quædam.

PRÆMITTO 1. *Aliam esse dependentiam à priori, aliam à posteriori*; Dependentia à priori, est, dependentia ab alio; tanquam à causa, dependentia autem à posteriori, est dependentia, seu potius connexio cum alio, vel tanquam cum effectu, vel tanquam cum passione, proprietate. Utraque hæc dependentia, alia est essentialis, quæ scilicet est connexio, ne à Deo quidem supplebilis, & talis est connexio materialis compositi cum materia, & forma, fundamenti relati cum termino: alia autem dependentia, est pro ordine naturæ seu naturalis, quam Deus supplere potest, qualis est dependentia accidentis à subjecto.

ADDIT Oviedo. Dependentiam comitantem, quam habet entitas cum alia, quæ rationem causæ aut effectus respectu illius non habet, est tamen talis, ut sine ea subsistere non possit illa altera entitas, qualem dependentiam per illum, habet unio ab extremis. Cæterum, nulla causa, habet connexionem necessariam, cum actuali effectu; & ita ignis non habet necessariam connexionem cum actuali urere, potestq; activitas agentis calidi, impediri per resistentia frigidi.

PRÆMITTO 2. *Ordinariè non agnosci dependentiam materiæ à formâ à priori.*

RATIO, quia dependentia à priori, & tanquam à causa, est dependentia ab alio vel tanquam ab efficienti, jam autem nulla forma efficit materiam, quia nulla creat; vel est dependentia tanquam à materia, & sic materia non pendet à forma, hoc ipso enim jam non esset subjectum primum, si materia dependeret à forma, tanquam à sua materia, vel certè dependentia à priori, est dependentia ab alio tanquam forma, sed hæc dependentia tunc est à priori, quando hoc, quod causat forma, constituit illud, neque enim causat formaliter à priori, aliter quàm constituendo: materiam autem, non constituit forma. Dependentia etiam à priori, causationem exigit, quomodo autem causabit forma materiam, & sicut non sunt dignificanda entia sine necessitate; ita nec dignificandæ dependentiæ, cumque dependentia à posteriori sit ignobilior, sufficit ponere eam in materia respectu formæ, cum altioris dependentiæ ponendæ, nullum sit fundamentum. Neque valet si dicas, formam esse conditionem requisitam, ad esse materiæ, potius enim materia disposita, est respectu producentis formam, conditio requisita, priusque debet esse materia quàm producatur forma, quam tu dicis conditionem, ad esse materiæ requisitam. Ergo neque tanquam à conditione pendet materia à forma, conditionesque ex parte causæ requisitæ, non reducuntur ad causam formalem, sed ad efficientem.

PRÆMITTO 3. *Ordinariè non agnosci dependentiam, à posteriori in forma essentialem*, & in supplebilem à Deo, de quo inferius, agnosci tamen dependentiam naturalem.

PRÆMITTO 4. *Displicere Oviedo. Si dicatur materiam dependere à forma a posteriori*, rationem dat, omnis causa, est prior suo effectu. Ergo antequam sit effectus, supponitur entitas causæ. Ergo supponitur quidquid necessarium est, ut existat. Ergo quocunque alio existente vel non existente, erit causa. Ergo causa potest non dependere ab existentia effectus. *Urget* ulterius, illud quod est posterius, nullum influxum physicum aut moralem, potest præstare in illud, quod est prius, si enim est prius. Ergo supponitur habere omnes causas, sui productivas. Ergo ab isto posteriori, non potest dependere effectus.

Sed hæc ratio non convincit, quia licet, antequam sit effectus, supponatur omne illud quod à priori est necessarium, & per modum causæ, ut existat causa, potest tamen non supponi antecedenter, omne & quodcunque requisitum; hinc quocunque alio existente vel non existente, erit causa quantũ ad ea, quæ à priori requirit, licet non possit esse, si desint ea, quæ à posteriori requirit, hocq; dicere debent omnes, qui tenent, impossibili uno effectu reddito, reddi Deum impossibilem, ubi non redderetur Deus impossibilis à priori, sed à posteriori, & ex consequenti, cumque illud posterius, influxum non exhibeat; fit ut ab illo posteriori, non dependeat effectus, tanquam ab aliquo priori, dependeat tamen, tanquam ab exigito, ut ponatur in statu qui illi debetur.

PRÆMITTO 5. *Inveniſſe Oviedo, modos ſalvandi connexionem cum effectu* v. g. possibilis est causa, quæ posteaquam producta sit, exigat non aliter conservari, nisi ut Deus sit determinatus, faciatque decretum, ad concurrendum cum illa ut producat effectum suum, & quæ, si naturaliter producenda sit, exigat, ut antequam illam Deus producat, supponatur determinatus ad concurrendum cum illa, ad effectum, quem necessariò producere debet. Ergo fieri potest, ut causa dependeat à posteriori, ab effectu. Item possibilis est talis causa, quæ exigat, ut Deus actu scientiæ conditionatæ, tali, circa causam versetur, si hanc causam produxero, connaturaliter, necessariò habebit hunc effectum. Ergo fieri poterit, ut causa

dependeat à posteriori à suo effectu,&c. Vide eundem. Quæ omnia admitti possunt, sed cur illa exigentia,talis decreti,talis notitiæ,non poterit dici fundare dependentiam à posteriori.

His positis , pensanda jam sunt argumenta, quæ probant naturaliter materiam, non posse existere,sine omni forma.

Punctum Difficultatis 2.

Pensantur rationes, an Materia possit existere sine omni forma?

PRIMUM Argumentum est: Materia est incompleta substantialiter. Ergo non potest naturaliter existere sine omni forma.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia etiam anima rationalis est incompleta substantialiter, & tamen, ex præciso titulo incompletionis,non impeditur,ne naturaliter separata existat,quæ ergo hæc est incompletionis species in materia, eandem impediens, ne existat,naturaliter sine omni forma?

Dicunt alii; materia sine forma est turpis. Ergo illam horret natura. Sed materia sine forma existens,non est turpis positive,cùm habeat pulchritudinem positivam, quæ pulchritudo positiva,stat in habere prædicata sua,& differentiam essentialem,quod competit materiæ,licèt sit turpis privativè,quia potest perfici accessu alicujus, cujus est capax recipiendæ pulchritudinis: hoc turpe privativum non horret natura, quia & anima rationalis separata, non habet omnia prædicata, quæ habere ex unione potest, & tamen illam non horret natura, imò etiam concesso, quòd materia spoliata omni formâ, sit monstrũ quoddam, cur ex accidenti, dari non poterit, sicut dantur naturaliter & alia monstra. Rursus alii,id inde colligunt: quia materia esset ens otiosum, & non esset,sicut anima rationalis, quæ etiam extra materiam operari potest. Sed non esset ens otiosum; emanaret enim ex se suas passiones,esset apta componere compositum. Deinde etiam in composito,materia activè nihil operatur,& tamen non est ens otiosum; quia habere prædicata sua essentialia, iisque complere universum non est otiari.

SECUNDUM Argumentum est ex Hurtado. Agentia naturalia non habent virtutem,ad spoliandam materiam omni forma, expulsio enim dispositionum, quorum defectu forma cedit, fit ab aliis dispositionibus,pro nova formâ inductis. Ergo si agentia non habent vim, ad spoliandam materiam, omni forma , nec materia existere poterit,sine omni forma.

RESPONDET Arriaga. Negando Antecedens. Quia licèt ordinarie introducatur post unam formam, alia forma, ubi fuerit materia, benè dispositа,cur tamen naturaliter non poterit fieri oppositum? Demus,inquit ille,lucem esse dispositionem ad formam substantialem aliquam, nonne lux potest cessare, sine ullis dispositionibus,de novo inductis,& cur non,& aliæ dispositiones? Deinde,cur statim ab initio mundi non potuit,& quidem,non contra naturam materiæ, produci materia,sine omni forma? Nego item, quòd non possint dari duo agentia contraria æqualis activitatis, quorum utrique dispositiones præteritæ sint dissonæ,vincent ergo illas,ob resistentiam autem æqualem mutuam,non possent inducere novas dispositiones, completè requisitas,ad suæ formæ inductionem.

Neque valet,si dicas,ex eo ipso,quòd materia sit ens incompletum, exigit produci nonnisi unà cum alio , sicut & anima rationalis, licèt possit naturaliter existere sine materiâ , produci tamen primò,nonnisi in corpore postulat, non inquam valet,si dicas: quia non demonstratur ens incompletum,non posse produci,sine alio,modò completionem habeat suorum essentialium prædicatorum. Negat etiam Arriaga,constare quòd anima rationalis naturaliter non possit produci,extra corpus,sed posito etiam,quòd anima rationalis, naturaliter extra Corpus produci non possit, non sequeretur adhuc, quidquam pro materia. Ratio: quia cùm anima rationalis in suo conservari in corpore, dependeat à dispositionibus,congruum erat; ut & in primo suo produci,penderet à dispositionibus, jam autem materiam,repugnat in suo produci pendere à dispositionibus, cujus positio ad unum placitum divinum referenda est; Deinde,cur non dicatur,duplicem esse seriem eorum,quæ creantur à Deo,quorundam, quæ petunt determinare Deum ad sui productionem, & tales sunt rationales animæ , quæ nonnisi ad exigentiam dispositionum producuntur,alia autem quæ petant pendere in suo produci , merè à libertate Dei,& cur non erit talis materia, quo casu non erit jam ratio,cur simul cum alio debeat produci materia,ex eo,quòd sit ens incompletum.

TERTIUM Argumentum est Suarez 1. Non esse verisimile,materiam hanc sublunarem,esse magis independentem à formis substantialibus, indefinitè acceptis, quàm sit dependens materia,cœlestium corporum,à suis formis,sed materia cœlestis corporis pendet naturaliter à sua forma. Ergo & hæc materia sublunarium pendebit ab eadem.

RESPONDETUR. Sicut malè quis argumentaretur ex eo, quia non datur agens naturale, quod corrumpat formam cœlestium corporum, & dissolvat unionem illorum,ita etiam non dari agens, quod corrumpat sublunarium, sic non videtur,currere argumentum,à connexione materiæ cœlestis,cum suis formis,ad connexionem materiæ sublunaris , cum suis. Disparitasque esse

esse in hoc posset, quia forma cœlestis, cum sua materia, habet unionem naturaliter incorruptibilem, ideo sine illa, esse non potest naturaliter, forma autem corporum sublunarium, non habet unionem incorruptibilem naturaliter.

Instat primò Suarez. Non potest naturaliter materia, esse sine omni forma accidentali. Ergo nec sine omni forma substantiali.

Respondetur. Quod attinet, ad accidentia connotativa, ut durationem, ubi, sine illis non potest esse etiam divinitus materia, eo, quòd identificentur ipsi materiæ, licet ad suum formale exigant circumstantias; jam autem, nulla forma substantialis, identificata est materiæ. Quod attinet ad accidentia distincta realiter, hoc ipsum esse demonstrandum, non posse materiam carere omni accidenti, excepta quantitate, quæ ex una parte, nulli agenti materiali est contraria, ex alia parte, quia emanativè producitur à materia, habetur semper radix substituendi quantitatem, jam autem non emanat ex se materia, formam substantialem.

Instat secundò idem. Materia hæc, ad hoc facta est, ut semper, sit sub formis. Ergo apparet illam indigere formâ ad existendum.

Respondetur. In antecedenti, peti principium. Addit Arriaga, hoc non sciri, quòd de facto aliquando non fuerit sine omni formâ, quis enim ab initio mundi fuit, in omnibus locis, ut hoc observaret, imò, nec potuisset hoc quisquam advertere, quòd hæc materia, sit sine formâ, si remanerent accidentia, illi formæ debita, sicut, nec nos advertimus non esse substantiam panis in Eucharistia, quia manent accidentia panis. Sed doctrina hæc Arriaga, sicut & adlata ad Argumentum secundum, in nostrorum principiis, locum non habet, tenet enim Arriaga naturaliter posse existere, materiam sine omni formâ, cujus oppositum tenendum est.

Quartum Argumentum est cujusdam; Materia, semper amittit aliquas partes, in omni expulsione formæ. Ergo si careat omni absolutè formâ, non videtur posse naturaliter subsistere, si enim ad modicam privationem, quæ sola naturæ prioritate antecedit, sequitur diminutio aliquarum partium materiæ. Ergo si absolutè careat omni formâ, non posset naturaliter tota subsistere.

Respondetur. Negando antecedens. Non enim apparet, quomodo materia amittat aliquas sui partes, quæ omninò incorruptibilis est, à creato agente: quod si tantùm amittit totalitatem resultantem ex unita forma, non probatur intentum, quia hoc ipsum probari debuisset; nempe naturaliter repugnare, absque tali totalitate, existere materiam.

Instat primò. Idem. Omne quod existit, non solùm debet habere complementum suum Metaphysicum, sed etiam Physicum, & ita non potest naturaliter existere, anima rationalis, sine pefectione sua physica, hoc est intellectionibus, & volitionibus, materia autem spoliata omni forma substantiali, existeret sine complemento suo Physico.

Respondetur. Negando Antecedens. Certè enim quinque digiti, sunt complementum physicum manus, nunquidne uno digito, sine miraculo, concursuque supernaturali carere non poterit manus? nunquid naturaliter, in deliquio, non caret anima operationibus intellectus, & voluntatis?

Instat secundò. Non potest naturaliter esse corpus, sine omni alimento. Ergo & sine omni forma materia.

Respondetur. Ex hoc antecedenti, oppositum erui, quòd scilicet saltem per mõdicum tempus, possit esse materia sine omni formâ, sicut & corpus est interdum, sine alimento saltem antonomasticon dicto. Disparitas etiam assignari potest; quia suppositâ continua pugna, decisioneque partium, quæ consumuntur, debet dari aliquid, quod decidentium vices suppleat; quia autem nulla fit suppletio in materia, à formis, fit ut non habeatur idem fundamentum, ad adstruendam conjunctionem formæ, cum materia, quod militat pro alimento.

Instat tertiò. Non potest quidquam indeterminatum existere, & ita aqua, quamvis possit non esse tricubitalis, necessariò tamen exigit multitudinem partium determinatam, quæ determinatio, sit ab agente. Ergo quia materia prima, ex se, non est determinata ad tantam multitudinem partium, determinari debet à forma, adeoque nec existere potest sine illa.

Respondetur. Determinationem tantam partium materiæ, posse haberi à Deo, à formis expulsis, quamvis non introductis novis.

Quintum Argumentum est aliorum. Forma materialis, non potest existere naturaliter, absque omni materia. Ergo neque materia potest existere, absque omni forma.

Respondetur. Ne negetur antecedens, difficultatem facit Mysterium Eucharisticum, cujus miraculum depretiaretur, si naturaliter forma materialis posset existere, sine subjecto, sed posset aliquis evadere, dicereque, quòd naturaliter formæ accidentales, titulo ipso accidentium, non possint esse sine subjecto, secus forma substantialis etiã materialis, & quòd hæc sit natura, accidentariarum formarũ, constare nobis ex sensu Patrum, qui non procedit, nec attingit quidquam, de formis substantialibus Hæc tamẽ evasio, merè est evasio, sine positivo fundamẽto, concedens aliquid, contra communem sensum Doctorum. Hinc melius. Negari potest consequentia; quia formæ materiales substantiales, educuntur, hoc ipso, quia educuntur. Naturâliter, sine subjecto existere non possunt, cùm illa definitivè, dicantur educi, quæ non habent titulum existendi naturaliter sine subjecto,

quia autem non convenit educi materiæ de forma,fit, ut sine forma naturaliter existere possit.

Supponit etiam hæc doctrina,quòd in ordine ad existentiam,nullam causalitatem exercet forma in materiam,quæ enim hæc causalitas? præcipuè in ordine,ad Ens,quod nonnisi creari potest, & quòd potiùs est causa existentiæ formæ materialis; deinde si esset aliqua causalitas formæ,in existentiam materiæ,illa esset in ordine causæ formalis,si esset in ordine causæ formalis, ne divinitus quidem posset esse materia, sine omni forma; quia causalitas causæ formalis, utpote causæ intrinsecæ, ne divinitus quidem suppleri potest.

Punctum Difficultatis 3.

Decernitur de Difficultate.

Dicendum est Primò. *Non esse ullam demonstrationem per principia positiva & intrinseca quòd naturaliter, non possit existere materia, sine omni forma.*

Probatur Conclusio: Quia nulla talis demonstratio adferri potest.

Dicendum est Secundò. *Materiam nihilominus, non posse existere naturaliter sine omni forma.*

Probatur Conclusio. Quia ex una parte ita fert communis Doctorum sententia, ex altera parte,oppositum,nec ratio positiva,nec experientia probat,& sicut, quia nec ratio, nec experientia probat, quòd ignis frigefaciat, divinari esset,dicere,quòd naturaliter frigefacere possit, ita,quia nec ratio,nec experientia probat,quòd materia sine forma existere possit,hinc oppositum,mera divinatio est. Est ratio procedens per principium negativum. *Sed in contra*

Objicit Primò Oviedo. Nullum est fundamentum adstruendi, quòd sit dependens materia, saltem per posterius à forma, cùm nullum sit fundamentum asserendi,talem esse connexionem materiæ, cum formis, qualem explicuit Oviedo Præmisso quinto, supra.

Respondetur. Hoc argumentum procedere ex principio negativo,scilicet nulla est ratio,deinde retorqueri potest argumentum,cùm non videamus per experientiam existere materiam sine forma substantiali,non est ratio, asserendi,naturaliter id fieri posse; denique, non est fundamentum, quòd tale decretum non sit positum, exigente id naturâ materiæ, ut nunquam illa existat sine forma, cùm videamus, nunquam illam existere sine forma, benè ergo concludetur,Materiam non posse existere sine omni Forma.

Objicit Secundò idem. Quia, si quæ causa dependeret à posteriori, à suo effectu, posset illum per simplicem emanationem producere, sed formam substantialem,non potest materia per simplicem emanationem producere. Ergo Major probatur Inductione, anima enim, quæ censetur à posteriori dependere à suis potentiis, habereque illas distinctas realiter, emanativè illas producit. Ignis si pendet à calore,à posteriori,emanativè illum producit; quia verò eadem anima à suis actibus non pendet à posteriori,nec ignis à calore in subjecto extraneo producendo,dependet à posteriori,ideo illum in extraneo subjecto,emanativè non producit. Eadem Major probatur, à priori. Omne ens virtutem habet,ad producendum, independenter ab alio comprincipio Creato,id à quo dependet à posteriori,& illud,sine quo naturaliter conservari nequit,quia si talem virtutem non haberet ens, sed indigeret alio comprincipio, hôc ipsô ad sui conservationem illud ens indigeret, eò quod neque est causa,neque effectus,neque terminus,neque subjectum, cujus illud ens sit modus, relatio,aut actus.

Respondetur. Majorem cum sua inductione, veram esse, de entibus determinatè ab hoc determinato Ente pendentibus jam autem materia determinatè non exigit hanc formam substantialem. Ratio etiam adlata non convincit, quia non indigendo aliô,ad sui conservationem activè concurrente, casu, quô nonnisi concursu creativo, sicut produci, ita & conservari indigeat,indigere potest principio, ut illi exhibeat conservationem creativam, nempe Deo, quod tamen non est numeratum in illis, quibus aliquid indigere potest,ad sui conservationem, & non est ratio,cur non numeretur. Dici etiam posset,tunc dari vim emanandi,id,à quo aliquid dependet à posteriori,quando simul illo indiget ad operari, sicut anima indiget intellectu ad operari,non indiget autem Materia,Formâ,ad sum operari,quod est v. g.emanare quantitatem.

Objicit Tertiò idem. Potest materia amittere dispositiones sufficientes ad formam, v.g. ligni,& nondum habere dispositiones sufficientes ad formam aliam. Ergo tunc existet,& quidem naturaliter,sine forma. Antecedens probatur. Amittat enim lignum v.g. gradus frigiditatis quatuor, qui sunt requisiti ad formam ligni, jam non habebit formam ligni;&acquirat idem lignum, gradus quatuor caloris, qui etiam nec dum sunt sufficientes, ad formam ignis, tunc lignum non habebit formam ignis. Hoc idem aliter proponit. Supponitque quòd generatio viventis requirat determinatam quantitatem materiæ, ad hoc ut inducatur forma, & hoc quantum vocatur minimum materiæ, de hoc minimo,ita discurrit: Minimum hoc, per partes disponitur, ita ut pars propinquior priùs recipiat dispositiones ultimas formæ debitas,posteriùs autem eas recipiat; pars remotior, rursus, quando jam pars propinquior, est cum toto temperamento qualitatum requisitarum, ad formam viventis, v.g. hominis, tunc adhuc

adhuc pars remotior, non habet hoc temperamentum, adeoque nec formam hominis, neque etiam habet formam embrionis, quia illam amisit per dispositiones ad formam hominis requisitas. Ergo pars illa remotior, nullam harum formarum habebit.

Respondet ipsemet Oviedo. Quòd scilicet forma, non dependeat à dispositionibus, ita ut naturaliter conservanda sit, cum unione ad materiam, etiamsi dispositionem omnem, ex vi cujus fuit introducta, amittat. Ex alio principio dici potest, quòd ultima dispositio præcedentis formæ, nunquam amittatur, nisi posità ultimâ dispositione, ad aliam formam substantialem, licèt non semper illa sit nobis nota, in tanta varietate formarum substantialium, adeoq; fieri posse ut sublatis dispositionibus, ad formam ligni, non succedat forma ignis, eò quòd non habeat tantum calorem, quantum requirit, succedat autem alia forma substantialis, quæ requirit minorem calorem, majorem tamen quàm alia forma.

Dicendum est Tertiò. *Materiam divinitus posse existere sine omni forma.*

Probatur primò. Quia id non implicat contradictionem.

Probatur secundò ex principiis Thomistarum. Tum quia existentia, est quid distinctum realiter à formâ, nec est ratio, cur conjungi non possit, cum sola materia. Tum quia per illos, existentia humanitatis Christi, potest suppleri ab existentia Verbi, supernaturaliter. Ergo, & existentia materiæ, cum forma, poterit suppleri. Tum quia aliqui ex illis docent, posse essentiam conservari in rerum natura, sine existentia. Ergo & essentia materiæ, poterit conservari sine existentia, quam per illos, habet à forma. *Neque valet si dicas*, si materia haberet existentiam sine forma, hoc ipso haberet formam, quia omnis actus, est forma, nego enim, actum, qui est existentia, esse formam Physica mde qua hîc; licet actus compositi substantialis constitutivus, sit forma, unde etiam Thomistæ ponunt in composito formam, & ejus existentiam, nec tamen dicunt, unum compositum, habere duas formas substantiales.

Probat tertiò Suarez. Potest existere forma materialis, divinitus, sine omni materia. Ergo & materia, sine omni forma. Utraque propositio, probatur; quia utrumq; horum, sine alio, potest habere esse suum, extra causas.

Prob. quartò. Possunt divinitus in Eucharistia, existere accidentia, sine omni subjecto. Ergo & materia, poterit existere sine omni forma.

Probat quintò Hurtadus. Materiam existere, non est primarius effectus formæ, sed secundarius: Ergo si ponatur materia, existens per aliam existentiam; nulla erit contradictio. Antecedens probatur. Quia si formæ effectus formalis primarius, esset existentia materiæ, sequeretur impossibile esse, ut existat forma, quin existat forma, quin existat materia, impossibile est enim, esse formam, sine effectu suo formali. Quando autem dicunt Thomistæ, quòd tunc esset materia, in actu, sine actu: non convincunt; haberet enim tunc, nonnisi actum existendi, consequenter, non esset in actu, sine actu.

Objiciunt 1. Thomistæ. Impossibile est existere, sine existentia; sed si materia posset existere, sine omni forma, existeret sine existétia. Ergo.

Respondetur. Imprimis existentiam non distingui ab essentia, sed hoc etiam negato, cur posset existere Materia, existentiâ aliqua supernaturali, & tamen non petibili à forma?

Objicitur 2. Implicat, aliquid esse à parte rei, & non esse in determinata specie, sed si materia esset sine omni forma, esset à parte rei, & non esset, in determinata specie. Ergo.

Respondetur. Posse aliquid esse, & non esse in determinata specie Physica, licet non possit carere, specie sua Metaphysica, seu connexione determinata prædicatorum, differentiaque illius intrinsecè constitutiva.

Objicitur 3. Implicat habere esse accidentale, & non habere illud à forma accidentali. Ergo etiam implicat esse substantiale habere, & non habere illud à forma substantiali, haberetur autem, si existeret materia sine omni forma.

Respondetur. Esse substantiale duplex cogitari potest, primo esse substantiale Physicè compositum, & hoc repugnat habere, nisi à forma substantiali physicâ. Secundo aliud est esse substantiale Physicum, quidem sed non compositum Physicè, & hoc non repugnat habere, sine forma superaddita, cum sit identificatum ipsi entitati rei, condistinctæ ab accidenti, se sola, hocque haberi potest, sine omni forma superaddita, utpote quod petit identificari, ut idenficatur in Angelis, cùm tamen accidens, nulli enti per se, petat identificari, imò petit non identificari; quia illud ens, & esset per se ut supponitur, & non per se, utpote, idem cum accidenti.

Instabis. Totum esse artificiatum, est à forma artificiata. Ergo & totum substantiale, à forma substantiali.

Respondetur. Negando consequentiam: Quia ratio artificiati ante formam introductam, non habet in quid referatur, jam autem, ratio substantialis, incompleti, in materia, potest in aliquid referri, nempe, in esse illius incompletum, & certè materia prout condistincta formæ, non est accidens. Ergo prout condistincta formæ est aliquid substantiale.

Objicitur quartò. Materia magis dependet à formis substantialibus, quàm ab accidentalibus, sed non potest etiam divinitus spoliari materia, omni forma accidentali. Ergo nec substantiali.

Respondetur. Magis pendere materiam, à formis substantialibus, hoc sensu, quia nobiliora prædicata ab illis accipit; sed magis ne quoad

diei ad convertentiam? Si sint accidentia Logica, magis cum illis convertetur, utpotè sibi identificatis, cùm tamen formæ substantiales, non identificentur materiæ; si autem sint accidentia Physica, æque sine illis, poterit existere forma, ut sine formis substantialibus.

Objicitur Quintò. Causalitas causæ formalis, etiam à Deo, est insupplebilis; sed forma dicit causalitatem in materiam. Ergo hanc causalitatem Deus supplere non potest. Ergo nec materia existere sine forma poterit.

Respondetur. Retorquendo argumentum, causalitas causæ materialis à Deo est insupplebilis, sed materia, dicit causalitatem, in formam. Ergo illam Deus supplere non poterit, adeoque forma, divinitùs etiam sine materia, existere non poterit, cùm tamen de facto formæ accidentales existant, in Eucharistiâ, sine subjecto. Quod si dicas, suppleri illic causalitatem, causæ materialis, in genere causæ efficientis, dante scilicet, concursum consimilem conservativum Deo, qualem exhibuisset, in præsentia subjecti materialis, idem in præsenti etiam dici poterit.

Instabis. Etiam divinitùs non potest esse albũ, sine albedine. Ergo nec materia, sine forma.

Respondetur. Negando Consequentiam. Quia esse album, est effectus formalis primarius albedinis, vix ab ea in subjecto apto positâ, ratione distinctus, consequenter, si habetur alicubi, album esse, habetur albedo. Esse autem materiæ, non est effectus formalis primarius formæ, hinc benè poterit dari, ut existat materia, sine forma substantiali.

Instabis. Etiam divinitùs, non potest existere compositum hoc, quale datur à parte rei, sine formâ. Ergo etiam nec divinitus existere poterit materia, sine forma.

Respondetur. Disparitatem esse: Quia esse compositi, non habet entitatem distinctam à materia & formâ, hoc ipso ergo; quia non esset entitas formæ, non esset compositum, entitas autem materiæ non est entitas formæ, sed quid realiter ab illa distinctum, consequenter poni poterit entitas Materiæ, & non poni entitas formæ.

Casu autem, quò materia existeret divinitus, sine omni formâ substantiali concursus, ad ita existendum exhibitus, esset concursus in entitate naturalis, supernaturalis quoad modum. Quia tunc est concursus supernaturalis, quoad substantiam; quando vel producitur effectus, excedens, vel quando suppletur concursus, seu causalitas alicujus causæ; Concursus autem supernaturalis, quoad modum est quem exhibet Deus, in his circumstantiis indebitus, exhibetq; illum, tanquam auctor miraculorum, non supplendo tamen ullam causalitatem; & quia, etiam in præsenti, nullam causalitatem supplet Deus, cùm forma, non caret materiam, fit ut hic concursus sit supernaturalis, nonnisi quoad modum.

QUÆSTIO III.

De Materia, in quantùm potentia est.

DE potentia, absolutè & radicaliter spectatâ, egimus suprà; ubi de primo essentiali conceptu Materiæ nunc agetur, de potentiâ relativè spectatâ. Porrò pervulgatum est, materiam, vocari puram potentiam, sed in quònam sensu, controversum est. Thomistæ enim aliqui, omnem illi actum negant, sed cum Nominalibus, & Nostris, Scotistæ tribuunt, ut hoc intelligatur,

Præmitto Primò ex Hurtado Disp. 2. Phys. Sect. 2. *Potentiam aliam esse objectivam, aliam activam, aliam passivam.* Potentia objectiva, sive Logica, est mera & sola non repugnantia rei ad essendum, & hæc potentia competit Entibus nondum existentibus, eiq; opponitur actus existentiæ. Materia à parte rei posita, quòd non sit potentia Logica, probatum, ubi de ejus propriâ existentia. Potentia activa est vis productiva, alicujus effectûs, qualis potentia, est in igne, ad comburendum, an materiæ conveniat aliquid producere? infra agetur. Potentia passiva est subjectum receptivum formarum, & in isto sensu, materia, potest dici pura potentia, ei enim convenit recipere formam, & non recipi in alio subjecto. Cæterùm non ita est potentia, ut excludat omnem actum, quod ut intelligatur,

Præmitto Secundò ex Suar. Disp. 13. Metaphys. Sect. 7. n. 7. *Actum interdum sumi absolutè, interdum respectivè.* Respectivè sumitur, cùm sumitur per ordinem ad aliud, ut cùm dico, formã esse actum materię, absolutè sumitur actus, quando sumitur aliquid, pro eo, quod in se est actuale quid, quantumvis nihil actuet, & ita Deus dicitur actus, quamvis Deus nullius entis sit forma. Rursus, uterque hic actus, alius est Physicus, alius Metaphysicus. Physicus actus est v.g. forma, Metaphysicus autem actus est multiplex, aut enim est actus essentiæ, & vocatur differentia, aut actus existentiæ, & vocatur existentia, aut actus entis per se, & vocatur subsistentia. Specialiter actus absolutus, alius est completus, alius incompletus, actus absolutè completus est, qui in genere entis vel substantiæ, ita est completus, ut nec constituatur per actum physicum, à se distinctũ, neque illo indigeat, & talis est v.g. Angelus. Alius est actus absolutus incompletus, & est ens illud, quod habet actualitatem aliquam, in quã tùm est extra nihil, sed ita, ut tamen ordinetur ad aliud. Isti ergo, qui tribuunt materiæ aliquam actualitatem, tribuunt ei actualitatem Metaphysicam incompletam, eò quòd etiam illa ordinetur ad formam, quando autem dicitur, materia esse actus absolutus, ly absolutum non supponit pro radicali, sed supponit pro absoluto, prout condistinguitur ab actu, qui ad aliud actuandum ordinatur.

Præ-

Præmitto tertiò ex eodem. *Distincta hæc esse, Materia est pura potentia, & materia est in purâ potentiâ.* Prior propositio est vera, solùm enim significat, materiæ nonnisi deberi, ut sit subjectum, nec ullo modo convenire ei ut sit actus Physicus, posterior autem propositio, si non falsa, saltem ambigua est, videtur enim significare, quòd materia, habeat negationem actualis existentiæ.

DIFFICULTAS I.

An Materia sit pura potentia?

Dicendum est. *Materiam primam, non esse purè potentiam, quæ sit cum exclusione actus Metaphysici, seu entitativi.*

Probatur primò Auctoritate Aristot. ex 1. Physicor. tex. 69. Ubi materiam primam comparat, cum ligno, ex quo fit statua, quòd certè habet entitatem actualem, independenter, à formâ statuæ; Deinde 1. Physicor. tex. 82. dicit Materiam esse subjectum, ex quo, per se aliquid fit, cùm insit, quomodo autem ineſſet si nullum actum entitativum portaret. Similia habet septimò Metaphys. & tertio de Cœlo C. 8. Citat Suarez etiam auctoritatem S. Thom. quæst. 1. de Spirit. creaturis ar. 1. & tertio contra gentes C. 20. ubi dicit, perfectius esse compositum, quàm sit ipsa forma, quod certè non diceret, si non sentiret, aliquam perfectionem habere Materiam. Similia habet primâ parte q. 45. articulo 1. ad primum, & ibi quæst 14. ar. 11. ad tertium: & quæst. 3. de veritate ar. 5. ad primum.

Probat secundò Suarez. Potest materia, in suo conceptu, intelligi composita ex genere & differentia, ut si distinguatur materia cœli à materia sublunarium. Ergo habet suum actum Metaphysicum.

Confirmatur ex Mastrio. Materia secundùm se considerata, vel est aliquid, in rerum naturâ, vel est nihil, non potest dici nihil. Tum quia ex 1. Physic. est principium rerum in fieri & ex 2. Physic. est natura per se, & causa compositi intrinseca ex 7. Metaph. est fundamentum formarum, ex Theologia terminus creationis. Tum quia, si materia, est nihil. Ergo composita substantialia, penderent in suo esse, & existere, à nihilo, cum dependeant à materiâ. Quod si materia, est aliquid in rerum naturâ, quæro, vel est accidens, vel aliquod substantiale? non potest dici, quòd sit accidens, est enim subjectum formæ substantialis, forma autem substantialis, non est in accidente, & est pars intrinseca compositi substantialis; quod si materia, est substantia, & non eadem cum forma. Ergo habet suum actum entitativum.

Probatur tertiò. Falsa est hæc propositio, materia non est ens actu. Ergo debet esse hæc vera, materia est ens actu. Ergo ulterius, materiæ non convenit, esse puram potentiam, quæ, sit cum exclusione actus entitativi, cui enim, competit esse Ens actu, illi non competit negatio entis actu. Ergo nec competet exclusio actûs entitativi, exclusio enim actûs entitativi, est negatio entis actu. Antecedens primum probatur. Creatura est ens actu, materia prima est Creatura. Ergo. Major probatur. Nihil non est creatum, aliàs esset creatum, & non esset creatum. Ergo creatura est ens actu, idem enim ista significant. Minor autem est de fide. Rursus. Materia est, & non est Deus. Ergo est creatura.

Respond. primò Thomistæ. Materiam esse nihil existentiæ, licet non sit nihil essentiæ.

Contra est. Tum quia si materia, non est nil essentiæ. Ergo est actus essentiæ. Ergo adhuc habetur intentum. Tum quia ex indistinctione actualis essentiæ ab existentiâ, sequitur materiam habere actum existentiæ. Tum quia falsa est hæc propositio: materia actu, est nihil essentiæ. Ergo vera erit hæc; materia actu, non est nihil essentiæ. Ergo ulterius vera hæc, materia est actu aliquid essentiæ, nam ex duobus negativis, resultat positivum quid. Quod si vera hæc propositio, materia est actu aliquid essentiæ, id est habens actu aliquam essentiam. Ergo vera erit, & hæc: Materia est actu aliquid entis, id est, habens actu aliquam entitatem, essentia enim, est ens. Ergo ulterius vera erit hæc: materia est ens actu, quod sic probatur: quòd habet actu aliquam entitatem, illud est ens actu, habet ex concessis materia, actu entitatem. Ergo est ens actu.

Respond. Materiam, habere quidem entitatem realem, tamen non esse ens in actu.

Contra. Si concedis, materiam non esse puram potentiam objectivam, licet sit pura potentia subjectiva, hoc ipso concedis, non esse actu nihil essentiæ, adeoque, esse actu aliquid entis, habendoque entitatem realem, habere actum entitativum.

Objicitur 1. Auctoritas Aristotelis.

Respond. Quòd dicat, materiam esse puram potentiam subjectivam, hoc est, nihil actus physici involventem; sed non voluit esse puram potentiam Logicam, & objectivam, quæ sit per exclusionem actus Metaphysici. Quo etiam modo solvi debet auctoritas S. Thomæ; Si alicubi oppositum significat.

Objicitur 2. Materia est pura potentia. Ergo, non potest habere aliquem actum. Ergo neque entitatem actualem. Secunda consequentia probatur, quia actualis entitas, est aliquis actus, nam est ens actu. Antecedens probatur auctoritate, est enim axioma, materiam esse puram potentiam.

Responsum supra materiam esse puram potentiam, per exclusionem actus Metaphysici. Ex dictis etiam supra, negari potest, secunda consequentia, cum sua probatione, licet enim sine controversia, vera sit hæc propositio; actualis entitas, est in actu, sed hæc est dubia, actualis entitas, est aliquis actus, ly enim, actus, potest hîc supponere pro actu Physico.

Objicitur 3. Si materia, non est pura potentia, vel est composita ex potentia, & actu, vel est aliquis actus; sed materia neque est composita ex potentiâ & actu, neque est actus. Ergo est pura potentia. Minor probatur, quoad primam partem: si materia esset composita ex actu, & potentiâ, daretur potentia prior ipsa materiâ, quod est absurdum, nam daretur aut processus in infinitum, in istis compositionibus, aut deveniretur ad aliquam potentiam, quæ non esset composita ex actu, & potentia, & hanc, tandem, dicerem esse materiam primam. Non potest etiam dici, quòd sit materia, actus, quia vel esset actus informans, vel subsistens, non potest esse actus informans, aliàs esset actus, alius subjecti, atque jam, ita, materiæ daretur materia: non potest etiam esse actus subsistens, quia si materia, esset actus subsistens, talis, qui informare non posset: Ergo esset substantia completa, haberet se enim ita, sicut Deus & Angeli, qui sunt actus subsistentes, & substantiæ completæ.

Respondet Suarez. Materiam esse compositam, non ex potentiâ & actu Physico, sed esse compositam ex potentiâ, & actu Metaphysico, hoc est, ex genere & differentia, neque est absurdum, potentia Physicâ, dari priorem potentiam Metaphysicam, quia hæc prioritas, est per solam rationem, sicut non est absurdum, dari aliquid in homine prius homine per conceptum, hoc est genericam rationem animalis.

Instabis. Materia est simplex entitas. Ergo, vel est tota, actus, vel tota potentia: sed non est tota, actus. Ergo nihil actualitatis continet.

Respondetur. Materiam esse simplicem entitatem in ordine Physico, hoc est non compositam ex subjecto Physico, & forma Physicâ, sed actu non esse simplicem entitatem, seu incompletam in ordine Metaphysico, est enim composita ex potentia ipsa, ad existendum, hoc est non repugnantia, ut existat, & ex actu Metaphysico, hoc est actuali existentiâ, item ex genere suo & differentiâ, cum quo stat, ut tota sit Physica potentia, & simul tota, actus Metaphysicus, utpote identificans sibi, suam existentiam.

Objicitur 4. Omnis actus, est propter operationem; Materia non est propter operationem. Ergo non est actus.

Respondetur. Omnem actum informantem, aut completam substantiam, esse propter operationem, non tamen omnem actum entitativum, esse propter operationem, certè enim actus entitativus, potest ad aliud genus causæ exercendum institui, v.g. ad recipiendum, non verò ad agendum tantùm, in genere causæ efficientis. Potest etiam ostendi operatio materiæ, emanatio scilicet quantitatis, potest denique transire totum, non enim, dicimus materiam esse actum, sed in actu. Quodsi dicas, omne quod est in actu, esse propter operationem, vel negabitur Major, vel ex dictis, distinguatur.

Objicitur 5. Nullus est actus, qui seipso non habeat actualitatem. Materia, seipsa non habet actualitatem, actualitas enim habetur à forma, & tamen, materia, seipsâ non est forma.

Responsum supra. Actualitatem Physicam, tribui formæ, sed non actualitatem Metaphysicam, vel certè omnis actualitas, est à forma, vel distinctâ, vel identificatâ, jam autem materiæ, non identificatur quidem forma Physica, identificatur quidem forma Physica, identificatur Metaphysica forma.

Instabis 1. Si Materia esset in actu, non posset fieri ex illa, & forma, unum per se; ex duobus enim entibus in actu, non fit unum per se.

Respond. Ex duobus entibus in actu completis, & ad se cum sua actualitate substantialiter non ordinatis, non fit unum per se, secus de aliis entibus. Rursùs, si materia esset in actu Physico, non posset fieri, ex illa, & forma, unum per se, sed bene fieri potest ex actu Metaphysico, & forma physica, unum per se; imò fieri non posset, ex istis duobus, hoc est, materia & forma unum per se, nisi Materia, esset actus Metaphysicus; esset enim nihil: ex forma autem, & nihilo, unum per se non fit.

Instabis 2. Purus actus, ita est actus, ut nihil admistæ habeat potentialitatis. Ergo & pura potentia, ita debet esse pura, ut nihil habeat actualitatis; Materia est pura potentia. Ergo nihil habet actualitatis.

Respondet Suarez. Distinguendo consequens, quòd scilicet pura potentia, nihil habeat actualitatis, quæ sit à forma Physica, licet necessario debeat habere aliquid actualitatis, à forma Metaphysica: hoc est, suo esse, extra causas. *Restituitur argumentum*, purus actus, nihil habet potentialitatis. Ergo & pura potentia, nihil habet etiam actus Metaphysici. *Disparitatem assignat* Suarez: quia talis potentia, est impossibilis à parte rei, quæ non includat actum Metaphysicum, possibilis autem est, talis actus, qui non involvat ullam potentialitatem, quod ipsum probat; quia non repugnat dari talem perfectionem, quæ nullam habeat admistam imperfectionem, impossibilis autem est talis imperfectio, quæ nullam habeat admistam perfectio-

fectionem, quia potius istud Ens, non esset ens, sed nihil, & negatio omnis perfectionis, & sicut possibile est summum bonum, quod est, sine ulla mistura mali, quamvis sit impossibile summum malum, quod sit sine mistura boni; ita possibilis erit purus actus, qui sit sine mistura imperfectionis, impossibilis autem erit pura potentia, quæ sit sine mistura perfectionis.

Aliter paulò satisfit eidem difficultati, quòd scilicet, & esset cum exclusione omnis actus, illa potentia, ut supponitur, & non esset; quia, quod est extra causas actu, non est cum exclusione omnis actus, illa autem potentia, esset extra causas actu: deinde si illa pura potentia, non haberet quidquam actualitatis, vel verum esset, de illa dicere, non est actu nihil essentiæ, vel non esset verum: Si non esset verum dicere, ergo est actu aliquid essentiæ, adeoque & ipsa est actu: si autem est verum dicere, est actu nihil essentiæ, ergo ita se habet post productionem suiî atque ante illam, veraque erit de illa, prioris propositionis contradictoria, est actu, nihil essentiæ.

Instabis 3. Si materia prima involveret aliquid actualitatis, actus purus, & pura potentia, non distarent maximè, sed debent distare. Ergo. Sequela probatur: Magis distarent, pura potentia, & actus purus, si pura potentia, nihil actualitatis haberet.

Respondetur. Minorem esse falsam, quia accidentia, magis distant à Deo, quàm materia, utpote participans de genere substantiæ.

Deinde dicit Suarez, actum purum & materiam, maximè distare, non negativè, hæc enim est distantia, inter Deum, & nihil, sed maximè positivè, hoc est distantiâ debitâ entibus positivis: quodsi, materia distat ab actu puro, distantia positiva, hoc ipso actualitatem aliquam importare debet, aliàs hoc ipso, non esset hæc distantia positiva.

Dici etiam posset, impossibilem esse distantiam maximam, inter Deum, & aliquid creatum, quia illa creatura, deberet esse imperfectissima, non est autem, possibilis creatura imperfectissima, quia aliàs Deus, jam non esset, ab ulla creatura minus participabilis, hoc autem non potest dici: quia quod est participabile in infinitum, magis & magis, necessariò est participabile in infinitum, minus & minus, aliàs deveniretur ad ultimum, infinitudoque perfectionis, clauderetur termino, nec eadem esset via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Si autem Deus est participabilis in infinitum, minus & minus; ergo illa creatura imperfectissima, non esset imperfectissima, utpote, quà deberet dari, minus participans, de Deo, adeoque minus perfecta.

Objicitur 6. Si materia, esset aliquid actu, esset vel substantia, vel accidens: non est accidens, ut constat, ergo est substantia. Sed materia, substantia esse non potest, quod ipsum probatur; quia quod est potentia ad substantiam, non est actu substantia: quod est enim potentia ad aliquid, non est actu illudmet, sed materia est potentia ad substantiam. Ergo.

Respondetur. Quod est potentia Logica ad aliquid, non est illudmet ipsum, concedo: quod est potentia Physicè, est tamen actus Metaphysicè, non est illudmet ipsum, nego.

Deinde quod est potentia ad physicam substantiam, hoc est, formam substantialem, si sit etiam potentia, respectu totius generis, & latitudinis substantiæ, non est illudmet ipsum, in genere substantiæ, quod est substantia; potest tamen esse substantia, si non sit potentia respectu totius latitudinis substantiæ. Ad habendum autem actum substantialem, non est in potentia Materia, quæ est à parte rei, sed de facto illam habet, qui tamen actus substantialis materiæ, continetur intra latitudinem substantiæ, ut sic.

Objicitur 7. Si materia esset actus entitativus, non salvaretur in ea, ratio puræ potentiæ, per hoc enim solùm salvaretur, quia materia non reciperetur in alio priori subjecto, sed hoc non salvat, quomodo materia sit pura potentia: quia non potest dici forma purus actus, ex eo, quia non informatur aliô actu. Ergo nec potest dici materiæ pura potentia, quia non recipitur in alio priori subjecto.

Respondetur. Disparitatem esse: ideo non dicitur forma, actus purus, quia quamvis non sit informabilis ab alia forma substantiali, est tamen capax adhuc formarum accidentalium, & non excludit, quominus sit verè potentia Physica, assignabilisque est alius actus, qui minus habeat potentialitatis, nempe Deus. Materia autem bene potest dici pura potentia, quia ita non recipitur in alio subjecto, ut non sit actus Physicus, sed potentia Physica, nullumque respectu illius datur etiam accidentale subjectum, nec est assignabilis entitas, cui magis competat potentia subjectiva.

Quanquam videtur hîc esse quæstio de voce ideò enim non appellatur forma, actus purus, quantumvis à nullo actu substantiali informetur, quia nomen hoc actus puri, usurpant Doctores, ad significandum non istud, quòd non actuatur ab alio actu substantiali, sed usurpant ad significandum Ens à se, & quod ad nihil sui, est in potentia Physica, nomine autem puræ potentiæ, significant id, quod in nullo priori subjecto recipitur.

Objicitur 8. Ita se habet materia ad formas substantiales, sicut quantitas ad terminos, & figuras; sed termini quantitatis, non sunt entitas

tas distincta à quantitate, nec quantitatis entitas à terminis. Ergo & entitas materiæ, non est distincta à formis.

Respondetur. Negando majorem: quia termini quantitatis, sunt ipsa entitativè quantitas, dicens negationem ulterioris extensionis, de quo infra; jam autem forma, non est ipsa entitas materiæ, ita vel sic affecta, præterque ipsam materiam, datur forma substantialis.

Objicitur 9. Si haberet propriam entitatem materia, esset absolutè sine forma cognoscibilis, quod tamen negat Philosophus 1. Physicor. tex. 69. & 7. Metaphys. Tex. 35.

Respondetur. Materiam, quà relativè accipitur, non esse cognoscibilem sine formâ, licet secundùm aliquod esse absolutum, sit cognoscibilis sine formâ, nec obest, quo minus habeat entitatem, quamvis relativè accepta, non sit cognoscibilis sine formâ, quia etiam forma, relativè accepta, non est cognoscibilis sine materiâ, Pater item sine filio, & tamen utrique convenit sua entitas.

Objiciunt. 10. Complutenses. Ens dividitur in potentiam, & actum, ex 9. Metaph. C. 1. Ergo per hoc ipsum, quia aliquid est pura potentia realis, etiamsi omnem prorsus actum excludat, poterit habere rationem entis realis.

Respondetur. Etiamsi aliquid excludat omnem actum Physicum, potest habere rationem entis realis, non potest tamen habere rationem entis realis, si excludat etiam actum Metaphysicum, propter dicta supra.

Rursus, divisio illa, est in potentiam Physicam, & in actum Physicum; potentia autem Physica, non excludit actum Metaphysicum: si autem sit divisio in potentiam Logicam, & actum Logicum, seu Metaphysicum, hoc quidem ipso, quia est potentia Logica aliquid, est Ens, sed non est Ens reale, quia etiam genus, quod dividitur, non est Ens reale, sed ens latiùs, nec participabunt hæc membra dividentia de se ad invicem, quia potentia Physica, & actus Physicus, non participant de se, licet potentia Physica, possit participare de actu Metaphysico, neque enim hæc duo, sunt membra dividentia proportionata.

DIFFICVLTAS II.

An esse potentiæ in Materia, sit primò essentiale illi, & an identificatum illi?

Hæc quæstio decidi debet, ex istis, quæ docuimus, in materia de relationibus transcendentalibus, ubi asseruimus nullam relationem transcendentalem, esse primò essentialem rebus absolutis. *Sit:*

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

Dicendum est. *Materiæ non esse primò essentialem rationem potentiæ formaliter acceptam.* Est conclusio Scoti in secundum distinct. 12. q. 1. & in quartum Disp. 11. q. 3. Eandem hîc in Polonia multis argumentis stabilivit Smigletius.

Probat P. Adrianus Pikarski. Nulla est necessitas, magis includi rationem potentiæ in materia, quàm includatur quælibet passio in sua essentia, vel in entitate filii, relatio filii ad Patrem, vel ordo subjecti ad accidentia, ab eodem subjecto importatus. Ergo non est primò essentialis ratio potentiæ in materia.

Responderi posset. Nulla est necessitas, magis determinabilitatem, quæ est primò essentialis conceptus materiæ, per arguentem, ponere pro primo essentiali conceptu, & non ponere potentiam, & si determinabilitas Materiæ non est passio materiæ nec erit potentia. Exempla autem, quæ adfert, non convincunt, in omni enim sententia, per prius est essentialis potentia materiæ, quàm passio, hæcque duo distingui, vel inde constat, quia esse creaturam, non est passio hominis; esse autem risibile, est passio, & quia esse potentiæ in materia, ita se habet, sicut esse creaturæ: certè sicut esse creaturæ non est passio Entis creati, ita nec potentia erit passio materiæ. Rursus passio videtur emanare, jam in suppositione, etiam secundò essentialium conceptuum, & quia etiam per arguentem potentia est secundò essentialis conceptus materiæ, hoc ipso non se habebit potentia ut passio materiæ, nec sequetur ex eo, non esse illam essentialem primò, quia passio non est essentialis primò. Negabunt item oppositi, æquè se habere potentiam in materia, ac relationem, hæc enim, est quid accidentale, materiæ autem, non accidit esse potentiæ: negabunt item ordinem subjecti ad accidentia, non esse primò essentialem.

Probat idem. Si materia esset essentialiter ordo ad formas, non possent adversarii dicere, quòd materia dicat essentialiter ordinem ad formas, nisi nugaciter, sensus enim hujus propositionis: Materiæ est ordo ad formas essentialis, sensus inquam esset, quod ordo materiæ, ad formam, dicat essentialiter ordinem ad formas, quod nonnisi nugaciter dicitur.

Responderi posset, retorquendo argumentum, contra eundem in quantùm tenet primò essentialem conceptum materiæ, esse determinabilitatem, si materiæ primò essentialis conceptus esset determinabilitas per formas, tunc hujus propositionis Materiæ est primò essentialis conceptus, determinabilitas, sensus inquam esset

esset, quòd determinabilitatis, primò essentialis conceptus, sit determinabilitas, eadem retorsio fieri potest in quacunque materia, & ita etiam non poterit dici, per arguentem, relationis primò essentialem conceptum esse, *esse ad aliud*, quia aliàs hujus propositionis: relatio primò essentialiter est ad aliud, sensus erit primò essentialiter ad aliud, hujusque propositionis, homo est primò essentialiter animal rationale, sensus erit, primò essentialiter animal rationale, est animal rationale. Quòd si in his retorsionibus, dicatur sufficere, ne propositio sit nugax aliud ex modo significandi importare subjectum, & aliud importare prædicatum, sensumque non fore hoc ipso nugacem, ita in præsenti, idem etiam poterit.

Probat idem. Quod essentialiter est ad aliud, non potest sine eodem alio existere: atqui materia potest existere, non existentibus formis omnibus tam singulatim, quàm collectivè sumptis, saltem miraculosè. Ergo materia non est essentialiter ad aliud. Major probatur: id quod ab alio pendet in essendo, pendet etiam in existendo, & ita, quia creaturæ, pendent in essendo à prima causa, non possunt existere non existente Deo, modalis item entitas, quia dependet in essendo à subjecto, etiam in existendo dependet ab illo.

Respondetur. Hoc argumentum etiam proponenti solvendum esse, non est minus essentialis potentiæ ratio creaturæ in ente ab alio, quare ergo non potest substantia creata existere, independenter à Deo, & tamen existere potest materia, sine omni forma; Directè autem dici potest, materiam posse existere, sine omni forma actualiter existente, ad quam non dicit etiam materia ordinem essentialem; sed non potest existere, sine omni forma possibili, ad quam dicitur, ordo essentialis.

Denique argumentum multum probat, probat enim etiam potentiam, non esse secundò essentialem materiæ, quia nihil potest existere sine suo secundo essentiali, utpote quod idem est in re, cum primo essentiali, & tamen materia potest existere sine forma.

Addo. Condistinguendæ sunt hæ propositiones, materia sine forma potest existere, hancque probabunt etiam oppositi, & alia, hæc, materia potest existere sine ordine ad formas, hanc negabunt oppositi, & negare debet ipse arguens.

Probat denique idem. Essentia materiæ, neque est purè relativa intrinsecè, neque est ex parte relativa intrinsecè. Ergo materia primò essentialiter non constituitur ordine ad formas. Antecedens probatur; quoad primam partem. Si essentia materiæ esset purè relativa, etiam forma deberet esse purè relativa, invicem enim ad se ordinem dicunt; si autem & forma, & materia, itemque ejus unio, esset relativa, totum compositum esset relativum, consequenter nullum physicum Ens, foret nisi in prædicamento ad aliquid, homoque ponendus esset in prædicamento relationis, imò darentur relationes circa omne fundamentum absolutum. Quòd verò essentia materiæ, non sit ex parte relativa, probat: quia sequeretur illud aliud partiale absolutum, non dicere ordinem ad formas, quod dici non potest, quia aliàs esset aliquid in materiæ essentia, quod non esset essentialiter materia: per oppositos enim, illud essentialiter est materia, quod dicit ordinem essentialiter, ad formas.

Respond. Quòd materia sit ex parte essentialiter relativa, eo, quòd sit Ens nonnisi impurè absolutum, docentque illud partiale absolutum, non dicere ordinem ad formas, negant tamen aliquid in materia esse; quod non sit materia, quam docent, & absolutum & respectivum aliquid, importare æquè primo; & sicut per nos, ne aliquid sit in materia, quod non sit potentia formaliter, sufficit identitas realis, ita & per illos sufficiet. *Hinc aliter*

Probat primò Smigletius. Nulla relatio potest esse primò essentialis absoluto: atqui potentia est relatio, materia verò est quid absolutum. Ergo primò essentialis, materiæ potentia esse non potest. Major probata est in Logica, & certè implicat, uni eidemque convenire duo contradictoria, sub una eademque ratione, cum igitur esse ad aliud, conveniat rei, sub ratione relativa, non esse ad aliud sub ratione absoluta, necesse est, hæc non esse idem.

Confirmatur ex eodem. Tum quia nulla potentia, est sui ipsius potentia, sed supponit aliquid, cujus sit potentia. Ergo & potentia materiæ, supponit essentiam materiæ, adeoque primo eam non constituit. Antecedens probatur; quia ista tria, operatio, potentia, essentia, sunt talia, ut operatio præsupponat potentiam, potentia essentiam.

Neque valet, si dicas, potentiam accidentalem, supponere esse, non verò potentiam substantialem, quia etiam potentia substantialis, non amittit rationem potentiæ. Ergo si accidentalis potentia præsupponit essentiam, etiam substantialis ex modo concipiendi præsupponet. Tum quia etiam dato, quòd materia, sit Ens impurè absolutum, adhuc de primo essentiali conceptu absoluti, non erit relativum, idque ideo, quia, ita tunc conflaretur materia ex esse absoluto, & relativo, sicut conflatur homo ex animali & rationali, & quia rationale, non est de essentia animalis, nec de ratione absoluti, esset relatio, imò specialis est ratio, quare de essentia absoluti, non possit esse relatio, quia res diversorum prædicamentorum, non possunt constituere unum per se, sed unum per accidens; absolutum autem, & relativum. sunt res diversorum prædicamentorum. Tum quia

ra-

rationes duæ disparatæ, quæ se invicem tollunt, non possunt invicem de se arffirmari, nec una esse de essentia alterius, talis est ratio relativa & absoluta. Ergo, Minor probatur: quia ratio absoluta, dicit non esse ad aliud, ratio relativa, dicit esse ad aliud. Ergo se invicem tollunt. Tum quia, omnis relatio est alicujus relati, non enim sui ipsius est relatio, sed alicujus quod per illam refertur, relatio enim refert, & est ratio referendi, ipsa verò non refertur, sed subjectum vel quasi subjectum illius. Ergo in relatione materiæ ad formam, assignandum aliquid, quod referri debeat, hoc autem, non aliud est, quàm ipsum esse absolutum. Tum quia prius est rem esse in se, quàm esse ad aliud, sed esse absolutum, est esse in se, esse relativum, est esse ad aliud. Ergo prius est esse absolutum, quàm esse relativum.

Probatur 2. Sive materia, sit purè absolutum quid, sive purè relativum, sive impurè absolutum, & impurè relativum, non potest inferri legitimè, quòd de primo essentiali conceptu materiæ, sit ratio relativa. Ergo ratio potentiæ, non est primò essentialis materiæ, ratio enim potentiæ, formaliter accepta, est ratio relativa. Antecedens quoad primam partem, sic probatur: Si materia sit purè absoluta, non potest de primo essentiali conceptu illius, esse quid relativum, hoc ipso enim jam esset, & purè absolutum Ens, ut supponitur, & non purè absolutum Ens; quia haberet se primo essentialiter relativè; Quoad secundam partem sic probatur: Supposito, quòd materia sit Ens purè relativum, esset quidem de primo essentiali conceptu ratio relativa, sed quæro, vel esset relativa ut Quo? vel relativa, ut Quod? non esset relativa ut Quo; quia non esset relatio, sed id quod refertur ad formam, tanquam subjectum eidem unibile, non autem relatio est formaliter unibilis, sed relatum; quod si illa relatio non esset relativa ut quo, sed ut quod: Ergo esset concretum, ex relatione, & absoluto, ex quo enim alio? Ergo non esset purè relativa, posito autem, quòd non sit purè absoluta, nec purè relativa materia, sic quoad hanc tertiam partem probatur Antecedens: posito, quòd materia sit primò essentialiter conflatum ex absoluto & relativo, primo essentialis conceptus absoluti, & primò essentialis conceptus relativi, vel erunt distincti, vel non erunt distincti; si non erunt distincti: Ergo nec illic erit conflatum ex istis duobus, quomodo enim conflari aliquid potest, ex duobus, si illa non sint duo? illa autem non sunt duo, quorum primò essentialis conceptus idem, & sicut ex homine, & animali rationali, tanquam duobus, non posset duplex conceptus conflari, ita nec ex illis rationibus; Deinde utrumque illorum membrorum prædicti conflati, quod est impurè absolutum, utrumque inquam illorum membrorum, distinctam haberet definitionem; absolutum enim, & relativum, aliâ definitione definiuntur, quomodo ergo utriusque illorum membrorum, idem erit primò essentialis conceptus? imò sequetur, utrumque esse, vel absolutum, vel relativum, si idem erit, utriusque primo essentialis conceptus, adeoque conflatum ex illis, non esse illud impurè absolutum. Si autem illorum duorum membrorum, primò essentiales conceptus, sunt distincti: Ergo de ratione absoluti, non erit primo essentialis ratio relativa, quia nec rationis relativæ, primo essentialis conceptus erit, conceptus absoluti, cumque tota radix, omnis distinguibilitatis, sit alietas, primò essentialis conceptus, qui ad invicem non possunt accommodari, nec ad invicem convenire, cùm ratio absoluti & ratio relativi, distinguantur inter se, nec unum, erit de primo essentiali conceptu alius; Sed in illo conflato ex absoluto & relativo, absoluti primò essentialis conceptus, erit absolutus, relativi relativus. Ergo unum, non erit de primo essentiali conceptu alterius. Ergo nec in materia de primo essentiali conceptu absoluti, erit aliquid relativum, quæ ipsæ duæ formalitates, si inter se comparentur, semper absolutum, prius erit relativo, propter rationes supra, ex Smigletio adlatas.

Probatur 3. Posito, quod materia sit impurè quid absolutum, & quod de primo essentiali conceptu illius, sit relatio potentiæ, sequeretur relativum primo essentialiter, non esse relativum; hoc est absurdum. Ergo. Sequela probatur: relativum primo essentialiter, esset absolutum. Ergo relativum primo essentialiter non esset relativum. Antecedens est conclusio oppositorum. Consequentia probatur, quod est absolutum, illud non est relativum, sed relativum primo essentialiter, esset absolutum: Ergo relativum primò essentialiter, non esset relativum. *Neque valet, si dicas*, quod est absolutum purè, illud non est relativum; sed non illud, quod est impurè absolutum.

Contra enim erit, illa pars secunda, quæ dicitur absoluta, vel est purè absoluta, vel impurè, si impurè, de illa ipsa, quæro, an sit absolutè pura? & sic debebis concedere, vel processum in infinitum, vel devenire ad absolutè puram, & de hac parte quæro, estnè essentialiter relativa, an non? Si non est primò essentialiter relativa, ergo non ostendis, contra quam intenderis, quòd de absoluto alicujus conceptu primo essentiali, sit relatio; si autem illa pars, esset primò essentialiter relativa: Ergo primo essentialiter relativum, non est relativum, est enim absolutum, & sicut conflato illi ex animali & rationali, non est de primo essentiali conceptu animalis, rationale, ita in impurè absoluto, de primo essentiali conceptu absoluti, non erit relatio, ut in simili dicebat Smigletius.

PUN-

Punctum Difficultatis 2.

Solutio objectionum.

OBJICIT Primò P. Paulus Kaczynski. Si potentia subjectiva non esset primò essentialis materiæ, daretur processus in infinitum in potentiis subjectivis, quod est absurdum. Sequela probatur: quia si potentia subjectiva, non esset primo essentialis materiæ, daretur in materia, alia potentia prior hâc, & sic in infinitum, quod ipsum probat illa potentia, quam negamus esse primò essentialem, haberet se per modum formæ superadditæ, forma autem præsupponit ante se potentiam. Rursus hæc præsuppositа potentia estne primo essentialis, vel non? si est; primo essentialis: Ergo & illa, de qua negabamus, erit primò essentialis: Ergo habebit se, per modum formæ. Ergo præsupponet aliam ante se potentiam, & sic in infinitum.

RESPONDETUR. Potentiâ relativè acceptâ, dari priorem non re, sed per rationem, nempè potentiam radicaliter acceptam, quâ non datur alia, re prior, materia enim non est potentia, reipsâ composita, nisi forte ex partibus suis homogeneis, & quia non dabitur prior etiam ratione, potentia, quàm sit illa ipsa, radicaliter accepta, ideo non dabitur processus in infinitum. Tum quia essentiâ ipsa non est quid prius, etiam ratione, radicaliter autem accepta potentia, est ipsa essentia, hoc enim nomine radicaliter acceptæ potentiæ intelligimus. Tum quia illud prius est per rationem, quod fundamento in re præhabito, format intellectus, nullum autem fundamentum præhabet intellectus, ponendæ ulterioris potentiæ in materia, quàm sit illa ipsa radicaliter sumpta. Tum quia, ideo potentiâ relativè accepta, datur per rationem prius aliquid, quia de ratione absoluti non potest esse ratio respectiva, primò essentialis, quod absurdum non sequitur, si potentia radicaliter accepta, non detur alia prior.

OBJICIT secundò. Seclusis omnibus, quæ censentur ex modo concipiendi, advenire materiæ, adhuc materia esset potentia subjectiva. Ergo illa est primò essentialis materiæ. Antecedens probatur, adhuc seclusis omnibus, quæ censentur ex modo concipiendi, advenire materiæ, materia erit Ens incompletum, & propter formas. Ergo esset adhuc potentia subjectiva.

RESPONDETUR. Seclusis omnibus, fore materiam Ens incompletum, & propter formas, realiter, non verò formaliter; sed nonnisi radicaliter erit propter formas, ad eum planè modum, quò seclusâ risibilitate formali ab homine, erit homo radicaliter risibilis.

Vel certè dici potest, materiam seclusis omnibus advenientibus esse potentiam subjectivam, si materia prout potentia est, adeoque relativè spectetur, non verò si materia spectetur secundùm se.

ADDO. Cùm incompletio sit mera negatio, non poterit esse de primo essentiali conceptu Entis positivi, quale est materia; Unde illius propositionis materia est essentialiter Ens incompletum, sensus est, incompletio necessariò est adnexa entitati materiæ.

OBJICIT tertiò. Forma, per quam refertur unum ad aliud, est relatio, sed materia per seipsam refertur ad formam. Ergo materia est ipsa relatio.

RESPONDETUR. Negando materiam, primò essentialiter referri ad formam, vel certè refertur ad formam, prout spectatur per modum potentiæ formaliter, non verò prout spectatur secundùm se.

OBJICIT quartò. Id quod prædicatur de alio in Quid, est illi primo essentiale, sed materiæ, prædicatum in quid, est potentia per Aristotelem, qui materiam appellat potentiam subjectum, &c.

RESPONDETUR. Smigletius. Id quod prædicatur de alio in quid, vel est primo essentiale illi, vel idem aliquo modo cum essentia; sed non est necesse, ut sit tantùm primo essentiale, hinc etiam dicitur de materia in quid, quòd sit pars, & tamen esse partem, etiam per oppositos, non est primò essentialis conceptus materiæ. Dicimus item, hoc lignum est arca, navis, &c. quæ tamen non sunt primo essentialia ligno, Simitas etiam dicitur nasus curvus, & tamen hoc substantiale, quod est nasus, primo essentiale non est accidenti, quod est simitas. Petrus etiam dicitur Pater, & tamen esse Patrem, non est primo essentiale. Sufficiet ergo, quod primo essentiale in quid, primo dicatur, sicut est primò essentiale; non excludendo, ut aliquid secundo in quid dicatur, sicut primo essentiale non excludit, ut sit aliquid secundo essentiale.

Deinde universaliter loquendo, tunc accidens non dicitur in quid, de subjecto, quando est ita purum accidens, ut non involvat quidquam de subjecto, & ita, quia albedo non involvit quidquam de pariete, non dicitur in quid, de pariete; Secus simum, arca, &c. jam autem ratio potentiæ involvit ipsammet in se materiam, hinc de illa, in quid, dici poterit.

Dici etiam potest, potentiam, supponendo pro illa radicaliter accepta, dici in quid, de materia, non autem potentiam, formaliter & relativè acceptam, vel certè quod ad prædicationem in quid, in materia necessaria,

sufficiat, aliquid esse secundò essentiale. Unde etiam melius explicata fuisset Materia, per hoc, quòd sit essentia exigitiva potentiæ ad formam, nisi quòd maluerint Philosophi, attendere ad id, quod notius est nobis: ignotior autem est nobis illa radix, quàm quòd materia sit potentia.

Instabis 1. Docet Aristot. ex materia & forma, fieri unam essentiam, ex actu enim & potentia fit unum; sed si materia non esset essentialiter potentia, non posset ex illa, & forma, fieri una essentia, quia non haberet in sua essentia, id, per quod formaliter duo efficiuntur unum, nempe potentiam.

Respondet Smigletius. Ad hoc, ut materia & forma fiat una essentia, sufficit ut potentia non sit distincta entitas à materia. Si enim & materia sit seipsâ potentia, & forma seipsâ actus, fiet unum per se ex materia & forma. Ex dictis etiam distingui posset minor, non haberet in sua essentia physicè spectata, materia potentiam. Nego Antecedens, non haberet in se Metaphysicè, & per ordinem ad nostros conceptus, non haberet, inquam, potentiam, idque formaliter spectatam, habendo illam radicaliter spectatam. Concedo Antecedens. Sed inde non sequitur, ex materia & forma non posse fieri unum per se, quia sicut totum compositum est physicum, ita & partes physicè spectatæ, componunt illud, sufficietque ut Materia physicè loquendo, sit potentia.

Instabis 2. Forma est actus materiæ, perficiens illam, in sua essentia immediatè; atqui non perficit materiam, nisi quatenus potentia est: actus enim non perficit, nisi suam potentiam. Ergo materia est essentialiter potentia.

Respondetur. Sufficere ad hoc, ut materia, realiter, secundò essentialiter, & physicè spectata, sit potentia.

Objicit quintò. Si non esset possibilis forma, etiam materia non esset possibilis. Ergo inter Materiam & Formam est dependentia, & connexio essentialis.

Respondetur. Esse connexionem essentialem, sed non primò ad eum modum, quò si non esset possibile risibile, non esset possibilis homo, & tamen risibile non est primò essentiale homini, quamvis non in omnibus, æquiparari debeant risibile in homine, & potentia in materia, sed sufficit ut ad præsens punctum hæc sint paria.

Objicit sextò. Si ratio potentiæ non esset primò essentialis materiæ, sequeretur materiam non esse proportionatam actui: sed hoc est absurdum. Sequela probatur, quia actus esset substantialis, potentia esset accidentalis materiæ.

Respondetur. Potentiam esse Metaphysicè, non Physicè accidentalem materiæ, adeoque propter identificationem cum substantia, esse physicè substantialem. Deinde etiam forma primò essentialiter spectata, non est actus substantialis, formaliter & relativè acceptus, sed nonnisi radicaliter. Unde adhuc erit proportio, inter materiam & formam.

Objicit septimò. Ergo saltem sequitur materiæ uniri formam, nonnisi mediante accidenti Metaphysico, & non immediatè per suam essentiam, essetque istud accidens, immediatiùs unitum materiæ, quàm forma substantialis.

Respondetur. Concedendo, quòd materiæ uniatur forma, nonnisi mediante accidenti Metaphysico, immediatè tamen unietur duplici ex capite; Imprimis, quia accidens illud Metaphysicum est idem realiter cum materia; deinde quia ipsa materia est ipsum subjectum, & potentia radicaliter accepta, cui adhuc radicaliter acceptæ unietur illa forma, nec est absurdum, quòd potentia formaliter accepta, per prius uniatur intentione Logicâ, & ex modo concipiendi, ipsi subjecto radicaliter accepto, præ forma substantiali, quia, per prius est, esse materiam, cum prædicatis sibi debitis, quàm esse sub forma. Phrasis etiam non est valde exacta, quia ratio Potentiæ in Materia, potiùs deberet dici secundò essentialis Materiæ, quàm Accidens ejusdem.

Punctum Difficultatis 3.

Esse Potentiæ, identificaturne Materiæ?

Præmitto 1. *Materiam pluribus titulis dici Potentiam.* Primò ratione compositi, non quòd materia, compositum in se patiatur, sed quia in illo, in actu secundo, exercet rationem potentiæ. Secundò est Potentia, ratione formæ, quàm in se patitur. Tertiò, materia dici potest Potentia, in quantùm patitur actiones, quibus formæ in materiam inducuntur.

Præmitto 2. *Vt melius status quæstionis penetretur, dividi solet ratio potentiæ in proximam & remotam.* Remotam potentiam omnes censent esse identificatam realiter materiæ; proximam censuerunt aliqui esse accidens, realiter superadditum materiæ, qualis fuit Commentator Themistius, *Circa quod*

Dicendum est. *Etiam potentiam proximam, non esse quid distinctum realiter, à materia*; ita Suarez Disput. 13. Sect. 8. n. 3. Hurtad. disput. 2. Sect. 4. Arriaga disp. 2. Sect. 3. Subs. 3. Oviedo Controv. 2. pun. 2.

Probari solet Primò. Quia materia essentialiter ordinatur ad formam, sed non ordinatur,

tur, nisi ut potentia receptiva. Ergo illa est essentialiter potentia receptiva. Rursus forma per suam essentiam est actus materiæ. Ergo essentialiter, è converso, materia, est potentia ad formam.

Responderi posset. Quòd materia essentialiter ordinetur ad formam; secundùm quod est potentia radicaliter & remotè accepta, quæ ipsa est indistincta à materia, licet non ordinetur essentialiter ad formam, secundùm quod importat potentiam proximam. Forma è converso, erit actus radicaliter acceptus, non autem proximè. Deinde dici potest, sicut, ut dicatur immediatè ignis B; genitus ab igne A, non est necesse excludi calorem, utpote instrumentum agendi, sed tantùm est necesse, excludi aliam substantiam agentem; ita ut immediatè dicatur recipi à materia forma, non est necesse excludi instrumentum recipiendi, hoc est, potentiam proximam, sed tantum aliud substantiale intermediativum.

Probat Secundò Oviedo. Ista potentia, vel est substantia, vel accidens; neutrum dici potest: non primum, quia hoc ipsô illa potentia, si esset superaddita materiæ, esset accidens. Ergo non esset substantialis. Antecedens probatur. Omnis potentia superaddita, essentialiter supponit subjectum, cui superadditur, tanquam radicem illius. Ergo non est substantia sed accidens. Consequentia probatur, quod est propter aliquid à se distinctùm, quod ad ipsum præsupponitur essentialiter, est accidens. Quoad secundam partem, probat idem: Si illa potentia accidentalis foret, tunc etiam compositum foret accidentale, quia omne compositum immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per unionem. Ergo si immediatè attingitur per unionem potentia, quæ est accidens, compositum illud erit accidentale. Antecedens immediatum probatur. Omne totum immediatè resultat ex partibus, ex quibus immediatè componitur. Ergo & omne totum compositum, immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per unionem.

Responderi posset: Illam potentiam fore accidentalem, non fore tamen compositum illud accidentale absolutè, quia mediante illâ potentiâ, etiam potentia radicalis materiæ uniretur, quæ est quid substantiale; in composito autem principaliter attenditur, ad ipsam potentiam radicalem substantialem; hinc, quamvis in multorum sententia, mediante quantitate recipiatur forma materialis substantialis, compositum tamen denominatur substantiale, & in productione ignis B. facta ab igne A. principaliter attenditur ad ipsum ignem, non verò calorem, quo mediante ignis, agit, & in composito substantiali reali simpliciter, apud Modalistas non attenditur ad unionem, quæ non est res rigorosè, sed ad materiam & formam, quæ, mediante illâ unione, tanquam res veræ uniuntur, & constituunt compositum reale; ita & in præsenti. Quod ulterius in hoc principium resolvi potest; quòd scilicet non attendatur in composito, ad id, quod habet rationem ut quo, sed quod habet rationem ut quod, cùm & ipsum compositum, indistinctum à suis partibus, ex rationibus ut Quod constituatur: hinc quamvis rationes ut quo, sint accidentales, modò ratio ut quod, substantialis sit, etiam compositum erit substantiale. Quia autem potentia proxima habet se nonnisi ut quo, ad compositum, quamvis illa sit accidentalis, modo ipsa potentia ut quod, sit substantialis, poterit constitui totum compositum substantiale. Quanquam non convincitur etiam, quòd illa potentia non sit substantialis. Rationes quas adfert, habent retorsionem in forma materiali, quæ est substantialis, & tamen præsupponit materiam, tanquam sui subjectum, & causam.

Probat Tertiò Arriaga. Ista potentia superaddita, vel est substantia, vel accidens; si est substantia. Ergò, si illa immediatè recipi potest in materia, poterit & forma substantialis, immediatè recipi; si est accidens, inferam. Ergo si materia, quæ est substantia, non potest immediatè formam substantialem recipere, nec poterit accidentalis.

Responderi posset. Ideò à materia recipi immediatè, illam potentiam superadditam, quia si illam non reciperet immediatè, daretur processus in infinitum, in istis receptionibus, qui non sequetur, si mediante hac unâ potentia superadditâ, recipiantur à materia formæ; & sicut, quia mediante calore, producit ignis ignem, non sequitur, quia ignis in seipso, mediante alio calore, producit calorem, & universaliter positâ mediatione instrumenti, & rationis ut quo, non sequitur, ad ipsum instrumentum, debere dari aliud instrumentum, ita & in præsenti. Posito verò, quòd etiam ista potentia sit accidentalis, benè adhuc poterit, immediatè recipere formam substantialem, quia id non faciet vi & virtute propriâ, sed nomine potentiæ radicalis, ad eum modum, quo calor immediatè producit ignem, quantumvis ignis alium ignem immediatè non producat, nec tamen dicitur agere supra suas vires, aut magis quàm substantia, quia hoc agit tanquam instrumentum, principalis agentis, & nomine illius.

Probat Quartò Hurtadus, vel illa potentia superaddita, est tanquam forma informans materiam, vel non, si non est tanquam forma informans materiam, & est subjectum formarum. Ergo illa potiùs potentia, quam tu appellas proximam, est revera materia, & non

illa, quam tu tibi fingis, tanquam radicalem potentiam, hæc enim jam potentia, esset subjectum primum omnium receptivum, in nullo receptum. Quod ipsum est, esse materiam; imò si hæc potentia immediatè receptiva, non ineset materiæ, quomodo, ratione unionis cum illa, censebitur forma uniri, ipsi potentiæ radicali: si autem dicis, illam potentiam habere se per modum formæ, informantis materiam, hoc ipso illa potentia, non esset receptiva formarum, quia una forma, non informatur alia formâ, nec ab illa denominatur, essentque duæ formæ substantiales informativæ ejusdem materiæ.

Respondetur. Illam potentiam superadditam, diverso respectu, habituram se per modum materiæ, quia recipit formam, diverso, per modum formæ, quia est per modum advenientis materiæ, ad eum modum, quo formæ partiales, in sententia, eas admittente, habent se per modum materiæ, recipiendo formam totalem, & per modum formæ complendo materiam. Sed posset aliquis dicere, habere se nonnisi per modum materiæ, nec tamen erit revera materia, quia non erit subjectum radicale, nec substantia. *Hinc aliter negativo principio,*

Probatur quintò Conclusio, quia hujus superadditæ potentiæ proximæ, nulla est necessitas. *Sed in contra*

Objicitur primò. Substantia producit aliam substantiam, mediis accidentibus, v. g. ignis ignem, medio calore. Ergo & materia, recipit formas, media potentia sibi superaddita.

Respondet primò Oviedo. Disparitatem esse, quia forma substantialis educta debet constituere unum compositum substantiale, cum subjecto, ex quo educitur, & cum forma substantialis, non possit constituere unum compositum substantiale, cum potentia accidentali, ideo nec in illa recipitur; Effectus verò à causa productus, non debet constituere unum substantiale, adeoque produci ab accidente poterit. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia forma cum eo, cum quo tanquam ratione, ut quo recipiendi, unitur, non debet constituere unum substantiale, sed cum eo, cum quo tanquam radice principali, & ultimo conjunguntur. Hinc bene adhuc posset immediatè uniri, cum aliquo accidenti.

Deinde ut urget Arriaga, etiam ex materia ut causante formam, non fit unum per se. Cur ergo formam, materia, per superadditam potentiam, quæ etiam est accidens, non causabit? præcipuè supposito, quòd causalitas materiæ, ab unione sit distincta.

Respondet secundò Arriaga. Illam potentiam superadditam, necessariò immediatè à sola materia prima causari, quodsi semel concessum fuerit; Cur non concedetur, omnes alias formas causari? qui verò ab igne A. censent produci ignem B. mediante calore, putant substantiam non esse immediatè operativam; *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia immediatè ignis producit in se calorem, nec tamen sequitur, quòd immediatè producat alium ignem, sic quamvis materia, immediatè causabit illam potentiam, non sequitur, immediatè, causaturam alias formas materiales, imò universaliter, id quod spectat ad perfectionem alicujus, & completum in sua entitate debitumque esse, id se sola, res illa, nata est facere, habet enim vim emanandi ex se suas perfectiones, & ita immediatè emanat materia quantitatem, anima potentias, si illæ superadditæ.

Respondetur tertiò. Disparitatem esse, quia substantiis ex eo provisa sunt accidentia, quia possunt esse à passo distantes, habereque debent per quod conjungantur passo, illique se, causa introducendæ formæ, insinuent; jam autem materia, necessariò nonnisi præsens causat formas, ideoque ad illas causandas, à natura provideri aliqua superaddita non debuerunt, imò otiosa fuissent, sicut otiosa fuisset, imò arguens processum in infinitum, potentia superaddita, qua nonnisi mediante, in seipso calorem produceret deberet ignis.

Objicit secundò Averroes. Si potentia materiæ, est ipsa entitas materiæ, sequitur, aut materiam esse corruptibilem, aut posse aliquid reproduci naturaliter, quod utrumque absurdum est. Sequela probatur: Quia Aristoteles secundo de Interpret. cap. 2. dicit: Cùm actus est, potentia, amplius non est. Ergo si potentia est ipsa entitas Materiæ, & hæc potentia perit, & corrumpitur adveniente forma, etiam ipsa entitas materiæ peribit. Deinde si materia est ipsa potentia, sicut manet materia, pereuntibus formis, ita manere debet, & potentia ad illas, si autem manet potentia, debet dari & agens reproductivum formarum peritarum, aliàs contra Aristotelem, esset aliqua potentia, quæ non posset reduci ad actum.

Respond. Imprimis cum Arriaga, retorquendo argumentum, quod probat etiam potentiam remotam, & radicalem, non esse identificatam materiæ, idque propter easdem rationes.

Rursùs adveniente forma, perit potentia, supponens negationem actus, sed non perit potentia, quæ est capacitas actus.

Deniq; manet illic, nunc potentia, recipiendi formas, sed non potentia, recipiendi formas, sed non potentia pro nunc recipiendi, ad eum modum, quo quocunque instanti manet potentia, movendi se successivè, licet non maneat potentia, movendi se successivè in instanti, in instanti enim, nulla est successio.

Por-

Porrò potentia, quæ est nunc, & ad reducendum se pro nunc ad actum, debet habere agens illius actûs, & quia materia non est potentia pro tunc recipiendi formam deperditam, nec agens debet dari reproductivum illius formæ.

Videndum infra, cur non detur à privatione regressus; quamvis autem materia sit indifferens potentia, ad has, vel illas formas, hæc indifferentia, non est necesse, ut tollatur à potentia intermedia, sed ab ipsamet forma superveniente. Concesso etiam, quòd mediante quantitate recipiantur dispositiones, non sequitur admitti hoc ipso potentiam superadditam, quia status quæstionis non procedit de quantitate, sed de alia potentiâ, quæ ad ipsam etiam quantitatem recipiendam, mediare deberet.

Objicitur Tertiò. Dispositiones introductæ, in quantitate Eucharistica, ad formam ignis, exigunt formam ignis, & non exigunt illam tanquam in materia recipiendam, quia hæc non est. Ergo exigunt formam in quantitate recipiendam. Ergo ulterius apparet, formas non immediatè in potentia materiæ recipi.

Respondetur. Quando dicitur, immediatè recipi formas in materia, non excluditur, ut dixi, mediatio quantitatis, sed mediatio potentiæ, ad ipsam etiam receptionem quantitatis concurrens. Deinde, dici potest ex suppositione miraculi, exigi formam, nonnisi in quantitate recipiendam, faciente id Deo, ad occultandum miraculum, exhibenteque concursum, quem aliàs exhiberet, nonnisi præsente materia; sed secluso miraculo, non exigunt dispositiones productionem formæ, nisi materiâ supposita, imò argumentum multum probat; quia probaret, nec mediatè recipi in materia formas, quia dispositiones in Eucharistia non exigunt productionem formæ in materia, etiam mediatè, cùm nulla sit illic materia: & sicut si miraculosè, nonnisi mediante aliqua potentiâ reciperet materia formam aliquam, non rectè inferretur, secluso miraculo; non recipi immediatè formas, ita & in præsenti.

Objicitur Quartò. Quod est in potentia, in aliquo genere, non est in illo genere; sed materia est potentia respectu generis substantiæ. Ergo non est in genere substantiæ. Ergo est in genere accidentis.

Respondetur. Argumentum probare, nullam dari potentiam substantialem, hinc multum probat; dici etiam posset, quòd materia sit potentia respectu generis substantiæ, quæ se habeat per modum completi Physicè, non verò, quæ se habeat, per modum complebilis Physicè, ita ut etiam materia non sit in genere completi Physicè, sed in genere complebilis Physicè. Dictum etiam supra, non esse materiam, potentiam ad esse substantiale, in tota latitudine sumptum, est enim substantialiter & actu potentia; licèt sit Potentia ad esse substantiale, in aliqua specie, quod sit specificabilis à forma substantiali Physica.

Objicitur Quintò. Saltem potentia receptiva formarum accidentalium, debet esse accidens, actus enim & potentia ex 9. Metaph. 7. sunt ejusdem generis, debetque ex communi axiomate, inter actum & potentiam, esse proportio.

Respondet Scotus. Intelligendum esse Aristotelem de potentia objectiva, quòd qualis illa est, talis debeat esse actus entitativus. Deinde dici potest, quod inter actum & potentiam non semper sit proportio, in ratione entis, licet sit proportio in ratione perfectibilis, & perfectivi. Unde ulterius, si potentia materiæ ad formas substantiales sit substantia, non poterit argui, multiplicari entia sine necessitate, quod argueretur, si poneretur potentia aliqua accidentalis, condistincta ab ipsa materia, quæ non est ratio, cur ipsamet sufficiens non sit, ad recipienda accidentia: & sicut, quia forma est substantialis, non ponitur potentia materiæ substantialis superaddita materiæ, sed solùm capax substantialis formæ; ita non debet poni potentia accidentalis superaddita materiæ, sed solùm potentia capax accidentis sustentandi. Quando autem Aristoteles docet multiplicari potentias, multiplicatis actibus, non intellexit multiplicari potentias entitativè, sed formaliter, hoc est potentiam tot esse formarum receptivam, quot formæ receptibiles & sustentabiles.

DIFFICVLTAS III.

De potentia Materiæ, prout est appetitus formarum.

PRæmittenda est decisioni difficultatis, explicatio appetitûs, postea decidendum.

Punctum Difficultatis 1.

Quid sentiendum?

PRÆMITTO 1. *Materiam ordinari ad formas.* Est enim definitivè potentia ad formas; potentia autem dicit ordinem ad aliud, & quia eo modo ordinatur ad formas, quomodo est potentia ad illas, cùm illas non sit naturaliter apta habere, omnes simul, nec ad illas ordinatur simul habendas omnes, quia tamen non est materia, (si spectetur tota, in sua latitudine) alia

numero ad hanc, alia numero ad illam formam, ideo habet potentiã ad omnes simul, simultate, tenente se penes potentiam, non verò, tenente se, ex parte habere formarum. Hinc etiam fit, ut quamvis prius scientia ordinetur ad objectum, in communi, non tamen ordinetur materia ad formam, in communi, quia materia perficitur realiter à formis, in ordine ad constituendum compositum, realiter autem, nihil est nisi singulare, & particulare, hinc, si materia respicit formas, ut sui realiter perfectivas, respicere eas in particulari debet; Scientiæ autem, possunt esse objecta abstracta, imò & entia rationis. Quia tamen materia est subjectum, quarumcunque formarum, ideo Angelus, non potest comprehendere ordinem illum materiæ, licet enim notitia de materia proficiscatur à principio, quod est Angelus, nobiliori quàm sit materia, quia tamen, non pertingit ad infinitos terminos, seu formas, quarum successivè est capax materia, simul noscendas, fit ut non dicatur comprehendere materiam, comprehensione ut supponitur adæquata & completa, terminativeque spectata.

Præmitto 2. *Ex hoc, quod materia sit potentia ad formas, perficiturque formis, inferunt Philosophi, formas esse bonum materiæ*: & quia bonum omne, est appetibile, dicunt formas appeti à materia, sed valde Metaphorica locutione. Appetitus enim ipse duplex ponitur, quidam naturalis, seu innatus; alter elicitus. Appetitus elicitus, est actus vitalis, potentiæ appetitivæ, in bonum cognitum, se affectivè moventis. Appetitus autem naturalis, est quædam naturalis, ac necessaria inclinatio, seu ordo ad aliquam perfectionem, seu bonum, ad quod appetens ordinatur, qualis appetitus est in lapide ad motum deorsum, in igne ad motum sursum; talis etiam appetitus ponitur in materia ad formas, qui in re nihil aliud sit, quàm ipsa materiæ entitas, quæ in quantum dicit capacitatem ad uniri formis, est potentia: inquantum autem, illæ formæ, sunt bonum, & perfectio ejusdem, dicitur esse appetitiva earundem.

Præmitto tertiò. *Appetitum hunc innatum, tam in materia quàm in quibuscunque aliis, posse considerari duplicem*; Proximum, & remotum. Proximus appetitus: est ipsa entitas, posita extra circumstantias requisitas ad bonum, quod appetit: quæ ipsa entitas, si postea ponatur in circumstantiis, & requisitis debitis, erit potentia, & appetitus proximus. Quod ipsa Entitas, etiam posita extra circumstantias, & requisita, sit appetitus, hoc inde est, quia extra omnes circumstantias, entitas appetentis, est entitas. Ergo etiam est & appetitus, quia hic appetitus est ipsa entitas. Non est tamen hic appetitus pro ximus, sed remotus; quia appetitus proximus, est appetitus hîc & nunc implebilis, non est autem hîc & nunc implebilis, si desinit exigita; Priorem appetitum appellat Oviedo inefficacem, posteriorem efficacem. Consule eundem.

Præmitto quartò. *In appetitu elicito, duplicem adhuc condistingui posse actum.* Actum desiderii, & actum delectationis. Actus desiderii est appetitus boni, ut consequibilis, comparabilis, &c. Delectatio autem, est actio appetitûs, præsupponens actum amoris & consequens ex notitia boni, quod bonum, jam sit consecutus appetitus.

Retulit hîc Oviedo sententiam recentiorum, qui censuerunt, appetitu desiderii, ferri voluntatem in objectum actu existens, cum enim quis actionem aliquam externam liberè exercet, in illo instanti, quo exercetur, est illic intentio efficax, illius exercitii. Ergo & desiderium, nam hoc imbibitur in illa intentione; quodsi intentio, & res intenta, simul esse possunt: Ergo & desiderium, cum re desiderata; sed hæc doctrina illorum, non plenè etiam convincit, quia distinguuntur hæc duo, rigorosè loquendo, desiderium, & intentio, quà talis; Quia desiderium, non est quid respectivum ad media, secus intentio. Unde etiam cum durat mediorum quà talium exercitium, ut durat in instanti, quo res fit, durabit & intentio, potest autem non durare desiderium. *His præmissis*

Dicendum est primò. *Materiam respectu omnium possibilium formarum, habere appetitum remotum, & inefficacem, etiam cum est, sub forma aliqua.*

Probatur. Quia appetitus formarum possibilium, nihil aliud est, quàm materia, capax recipere formas possibiles, si ibi inducantur. Ergo sicut materia habet seipsam, dum est sub aliqua forma, ita habebit & illum appetitum.

Dicendum est secundò. *Materiam, sumptam cum dispositionibus ad tales in specie formas, desiderare appetitu proximo, omnes formas illius speciei.*

Probatur. Quia appetitus proximus materiæ, est ipsa entitas materiæ, una cum dispositionibus. Ergo cum dispositiones non requirant potius hanc in individuo formam, quàm illam, & materia pro sua parte, non magis respectu hujus, quàm illius formæ, est potentia, appetet omnes formas illius formæ, est potentia, appetet omnes formas illius speciei, appetitu proximo.

Dicendum est tertiò. *Si appetitus materiæ, sumatur secundùm id, quod dicit ille in recto, non magis appetit formam nobiliorem, quam ignobiliorem. Si verò sumatur appetitus pro eo, quod dicit pro connotato, & in obliquo magis, appetitur forma nobilior, quàm ignobilior.* Pro prima parte conclusionis citari possunt: Ruvius, Averro, Amicus & alii. Pro secunda parte Mastrius, Pontius, cum

cum Scoto; in quartum dist. 49. quæst. 10. & dist. 50. q. 5.

Prima Pars Conclusionis:

PROBATUR. Appetitus materiæ in recto, est ipsa entitas materiæ, sed eadem est entitas materiæ, respectu quarumcunque formarum. Ergo & idem appetitus.

Secundam partem Conclusionis:

PROBAT primò Mastrius Auctoritate Aristotelis, in causis præcisis, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximam ad maximum, sed materia simpliciter appetit formas, quia forma est ejus perfectio simpliciter. Ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maximè, quæ est ejus perfectio maxima; subsume: Sed non appetit magis formas, secundùm id quod dicit recto. Ergo secundùm id quod dicit in obliquo.

CONFIRMATUR. Accidentales formæ, minus appetuntur præ substantialibus. Ergo & ignobiliores præ nobilioribus.

RESPONDETUR ex Pontio. Propter quod unumquodque tale, & ipsum magis. Cum ergo propter substantiales formas, appetuntur accidentia, sicut media propter finem, magis præ accidentibus appeti debent formæ substantiales; quia autem formæ ignobiliores, nec erunt minus appetibiles.

CONTRA. Tum quia non est ratio cur appetitus, illud magis sequatur, quia hoc quidem finis est, & non quia melius est, certè enim etiam inter ipsos fines, unus præ alio magis appetitur. Ergo taxa appetendi, non est ille ordo; hinc quamvis formæ substantiales ignobiliores, non ordinentur ad formas nobiliores substantiales, poterunt magis appeti formæ substantiales nobiliores. Tum quia fieri potest, ut aliquis, medium, melius, ipso fine, assumat, v. g. amorem Dei, propter temporale habere bene. Ergo pensanda non est, majoritas vel minoritas boni, quia illud est pro fine, hoc, pro medio. Ergo ulterius quamvis formæ nobiliores, non sint finis ignobiliorum, non sequetur, illas non esse meliores ignobilioribus, adeoque magis appetibiles. Tum quia quòd aliquid sit appetibile non habetur ex eo, quia est finis, sed quia bonum majus sit, magis appetetur.

PROBAT secundò idem. Appetitus elicitus, magis appetit majus bonum. Ergo & innatus, magis appetet majus bonum; sed non appetet magis, si sumatur hic appetitus, secundùm id, quod dicit in recto. Ergo appetet magis, si sumatur hic appetitus, secundùm id, quod dicit, pro connotato, & in obliquo.

Punctum Difficultatis 2.

Occurritur Responsionibus.
&
Probatur ulterius Conclusio.

RESPONDETUR primò. Disparitatem esse, quia appetitus elicitus, fit ex præexistente cognitione, majoris boni, & minoris discretiva; sed appetitus innatus, cum non fiat ex hac cognitione, non habet discretionem nobilioris, & ignobilioris formæ: Consequenter utramque æqualiter appetet.

CONTRA. Tum quia potest esse appetentia in appetitu innato, sine ulla cognitione. Ergo & major appetentia, sine illa discretione: & sicut appetitus innatus, dicitur appetere, quia capax est recipiendi, & quia hoc bonum illius est. Ergo & appetitus major, per hoc benè salvabitur, quia ejus quidem capax est, & quia hoc melius est. Tum quia id quod gerit cognitio in cognoscente, supplet natura in non cognoscente, quam discretionem boni & mali, fieri à natura patet à posteriori, quia indidit aquæ appetitum ad frigus, quod est perfectio illius, unde etiam reducit se semper, ad connaturale suum frigus, avertendo se à calore, qui non est perfectio illius. Ergo sicut cognoscens habet, unde possit appetere majus bonum magis, ita habebit, & non cognoscens, nempe ipsam naturam. Tum quia naturalis inclinatio, debet esse cum maxima rectitudine, utpote indita ab auctore naturæ, at rectitudo naturalis, postulat, ut majus bonum præferatur minori. Ergo & hæc inclinatio naturalis, quæ est in materia, postulabit, ut nobilior & melior forma, magis ametur.

RESPONDETUR secundò ex Pontio, disparitatem esse. Eo, quòd non debeant in omnibus habere proportionem, appetitus elicitus, & innatus, adeoque nec in modo appetendi, meliorem formam.

CONTRA est. Concedo non in omnibus debere proportionari, hos duos appetitus, sed quærere restat; cur in hoc puncto proportionari non debeant? deinde, quare licitum est argumentari ex eo, quia appetitus elicitus appetit bonum, etiam innatum, appetere bonum, & ex ex eo, quia elicitus, majus bonum appetit magis, non erit licitum argumentari, quod etiam appetitus innatus, meliorem formam appetat magis?

RESPONDETUR tertiò ex eodem: Quamvis appetitus elicitus, habendo majus bonum, non appetat minus, non est licitum argumentari, quòd nec appetitus innatus, dum habet nobiliorem formam, appetat ignobiliorem, ita nec adlata argumentatio tenebit.

Contra. Quia nec procedat illatio, manifesta est repugnantia, nulla autem pro antecedenti. Hoc ipsum, inde est, quia si ad ignobiliores formas, non haberet appetitum materia, tunc, cum habet nobiliorem, & non haberet illum ut supponitur, & haberet, quia haberet materia suam entitatem. Appetitus autem, est ipsa entitas materiæ. Deinde, etiam antecedens habet difficultatem: nonne habito decem, adhuc appetitur quinque.

Probat tertiò Pontius. Appetitus materiæ nihil est aliud, quàm perfectibilitas ejus, sed est magis perfectibilis, per formam perfectiorem, quandoquidem, cum ea componit compositum perfectius. Ergo magis illam appetit.

Respondet Quidam. Distinguendo Minorem, magis est perfectibilis materia, per formam nobiliorem, hoc est: potest magis perfici à forma perfectiore. Concedo Minorem: magis est perfectibilis, hoc est magis potest perfici à forma perfectiore. Negatur minor. Explicat sic: In priori parte, ly magis, construitur cum ly perfici, in posteriori, cum ly potest. Majoritas ista, potest se tenere, vel ex parte ipsius potentiæ, & sic falsum est, magis esse potentiam materiæ respectu formæ nobilioris, vel majoritas ista, potest se tenere, ex parte formæ, & sic non est dubium, quia perfectior forma, magis potest perficere. Illustrabat hoc instantia; Vitrum potest magis perfici à vino A, quàm à vino B, si potest, referatur ad vitrum? falsa est propositio, quia vitrum, non magis potest recipere vinum A, quàm vinum B. Si verò, potest, referatur ad vinum? magis potest perfici vitrum à vino A, quia illud melius esse supponitur.

Contra. Tum quia majoritas, tenens se ex parte formæ, est majoritas respectiva, consequenter etiam in materia, respondere debet magis perfici. Tum quia instantia de vino allata, non convincit, neque enim ordinantur ad se, vitrum & vinum, nec à vino natum est perfectionem desumere vitrum, imò non apparet, quomodo melius vinum, magis perficere possit à parte sua vitrum, cùm nullo modo illud perficere possit. Tum quia si per illud, ly falsum est, magis esse potentiam, materiam respectu formæ nobilioris, non plus significat, quàm quod non sit, quoad entitatem, & secundùm id, quod dicit in recto, ille appetitus major, vera est propositio, & non procedit contra nostram conclusionem, sed insuper.

Confirmatur conclusio. Materiam magis appetere formas, nobiliores, nihil aliud est, quàm formas nobiliores, esse majus bonum materiæ. Sed de facto formæ nobiliores, sunt majus bonum materiæ. Ergo defacto magis appetuntur. Major probatur: Statu ipso quæstionis, & intento conclusionis. Minor probatur, illud, quod id præstat materiæ, quod & formæ ignobiliores præstant, & insuper plures gradus bonitatis secum adfert, est majus bonum materiæ, sed formæ nobiliores, id præstant, quod ignobiliores, & insuper plures gradus bonitatis, secum adferunt. Major probatur inductione, in omni bono, quod censetur esse majus, præ alio, sive illud sit increatum, Minor probatur, quòd scilicet, idem præstet forma nobilior, quod ignobilior, quia componit compositum, informat, & complet materiam, quòd autem plures gradus bonitatis adferat, sic probatur. De forma nobiliori falsa est hæc contradictoria; forma nobiliornon adfert plures, gradus bonitatis, aliàs non esset nobilior, quia nobilitas formæ, desumitur ex pluralitate graduum bonitatis. Ergo vera erit, hæc altera contradictoria; forma nobilior fert plures gradus bonitatis. Deinde ex parte materiæ, nõ repugnat aliquid magis appeti, conceditur enim à plerisque oppositorum, magis appeti substantiales formas, præ accidentalibus, nec est ratio, cur non magis appetantur nobiliores formæ. Ergo appetuntur magis.

Punctum Difficultatis 3.

Solutio Objectionum.

Contra primam Conclusionem.

Objicitur 1. Si materia, haberet appetitum, ad omnes formas, haberet etiam ad corruptas: ad corruptas, habere appetitum non potest, ad impossibile enim, haberi appetitus non potest, formæ autem corruptæ, sunt impossibiles.

Respondetur. Quòd, sub conditione, si daretur agens corruptarum formarum reproductivum, appetat materia corruptas formas, licèt non appetat absolutè & proximè.

Objicitur 2. Si ex eo, benè argueretur, materiam appetere omnes formas possibiles, quia entitas materiæ, est hic appetitus, quæ manet tunc, cùm est forma, sequeretur quòd materia eodem appetitu, appeteret formam præsentem, & absentem, sequiturque quod præsentem desideret, & de absenti delectetur.

Respondetur. Eodem appetitu, omnes illas formas appeti, secundùm id, quod dicit appetitus in recto, nempe suam entitatem, sed non eodem, formaliter, secundùm connotata requisitorum accepto, ratione quorum connotatorum deficientium, non oblectatur formaliter de forma absenti, licet coincidant desiderium, & delectatio, secundùm id, quod dicunt in recto.

Objicitur 3. Quælibet forma exsatiat appetitum materiæ. Ergo nullo appetitu, alias prosequitur.

Respondetur. Consequens esse verum, de appe-

appetitu proximo, non de remoto, vel de appetitu ejus, in quantum respicit finem suum particularem, qui est esse completam, & esse in composito, sed non de appetitu respiciente bonum universi, cujus majus est bonum, pluralitas formarum. Unde etiam, cùm est sub una forma, appetit corruptionem non per se, sed indirectè, inquantum nonnisi in decessu alius formæ substantialis, capax est recipere naturaliter, aliam formam substantialem; & licet forma præsens, sic etiam bonum universi, quia tamen est bonum particulare, & minus, ideo varietatem formarum, tanquam majus bonum, & universalius appetit.

Supposito etiam, quod absolutè loquendo, satiet appetitum materiæ una forma, non sequetur, quòd aliæ formæ, tunc non appetantur à materia; quia licet appetitus elicitus, non possit appetere aliud, quando est satiatus, potest tamen innatus. Rationem dat Pontius: Quia satietas involvit negationem ulterioris desiderii, & tunc judicamus hominem esse satiatum, quando nihil amplius appetit, præter id, quod habet; at satietas Materiæ orta à forma habita, non involvit negationem appetitus innati, respectu aliarum formarum, siquidem cum illis potest facere, unum per se. Rursùs posita satietate, Appetitivi, apti appetere appetitu elicito, non est unde salvetur appetitus alius, non ex actu elicito, quia hic non ponitur, non ex quocunque alio, quia quodcunque ponetur, non erit sufficiens ad denominationem elicitè appetiti, quia deberet dari elicitum, sine elicitivo; jam autem, positâ una forma in materia, potest ostendi, in quo salvetur appetitus innatus Materiæ, ad alias formas, nempe, in ipsa entitate Materiæ, quæ habet potentiam ad alias formas, & in ipsa entitate formarum, potentium perficere Materiam, neque enim, quòd una forma perficiat Materiam, adimit aliis vim perficiendi, neque facit ne sint perfectivæ.

Objicitur 4. Si materia, appetit formas possibiles omnes, etiam cum est sub forma aliqua substantiali, sequitur illi esse violentum, informari ab hac forma, ad eum planè modum, quo lapidi est violentum, ire rursum, eo, quod tunc appetat deorsum.

Respondetur. Negando sequelam: disparitas est, quia lapis est determinatus & adstrictus, ad hanc in specie, versus centrum, tendentiam; materia autem non est adstricta, & determinata, ad hanc in specie completionem, & certè non ex eo violentus est lapidi motus sursum, quia est incompatibilis, cum motu deorsum, alias etiam motus deorsum esset illi violentus, nam etiam hic non est compatibilis cum motu sursum; sed ideo est violentus, quia illud incompatibile, hoc est motus sursum, non est bonum illius, quod appetat connaturaliter; formæ autem quæcunque, præcipuè substantiales, sunt bonum Materiæ. Neque censendum, Materiam fastidire tunc formam præsentem: quis enim dicat, id fastidire Materiam, circa quod exercet appetitum fruitionis, & complacentiæ? quantumvis per hoc, non amittat potentiam aliarum formarum capacem, quæ capacitas, est illius appetitus remotus. Esset quidem violentum Materiæ, esse sine omni forma; sed non habere omnes formas, una nonnisi habita, non est illi violentum, quia etiam, unam formam habendo, est completa substantialiter.

Objicitur 5. Saltem in instanti, quo materia, supponitur cum appetitu complacentiæ ad aliquam formam, nihil appetit appetitu desiderii, pro illo instanti. Quod ipsum probatur: si enim aliquid appeteret, tunc materia maximè appeteret formam substantialem, casu quo hæc deficeret; hanc non appetit, quod ipsum probatur: Implicat ex suppositione appetitus complacentiæ, qui involvit ipsam existentiam formæ, formam deficere. Ergo implicat purificatio conditionis, sub qua, alia forma esset appetenda.

Respondetur. Distinguendo anteced ens. Nihil appetit forma, appetitu remoto desiderii nego, nihil appetit appetitu proximo, concedo: appetitus enim remotus, non attendit ad hanc conditionem: casu si deficiat illa forma, sed totus stat in hoc, quia entitas Materiæ, est capax etiam aliarum formarum.

Contra Conclusionem Tertiam.

Objicitur 1. Materia non est magis capax animæ rationalis, quàm animæ bruti. Ergo æquè appetit formas ignobiliores, ac nobiliores.

Respondetur. Æquè quidem est capax Materia, quarumcunque formarum, sed non æquè illis perficitur, ratione cujus inæqualitatis, potest appetere magis & minus: unde etiam negatur, non esse illas, quæ in se meliores etiam materiæ; sicut enim non tantum sunt Formæ, bonæ in se, se bonæ Materiæ, ita non tantum sunt meliores, in se, sed & meliores materiæ, cum præsertim illa melioritas, sit indistincta realiter ab ipsamet bonitate, qua, bonæ sunt formæ, ipsi Materiæ.

Objicitur 2. Materia solùm appetit formas, ut cum illis faciat unum per se, sed cum quacunque facit unum per se. Ergo æqualiter omnes appetit.

Respondetur. Cum quacunque forma substantiali, facit materia unum per se, sed non æqualis perfectionis, sed cum nobiliori forma, facit compositum nobilius. Rursùs quia ponuntur à nobis, in materia, appetitus & nobilioris, & ignobilis formæ; dici potest quòd secundùm appetitum nobilioris formæ, petat interitum ignobilioris formæ, sicut etiam, secundùm appetitum ignobilioris formæ, petit interi-

teritum nobilioris, quamvis ille primus appetitus præpenderet; vel certè dici potest, quòd si materia appeteret, appetitu determinato formas nobiliores, deberet appetere interitum imperfectiorum: sed quia determinatè illas non appetit, nec appetit, interitum aliarum; si enim indeterminata est, ad utrasque, licet magis has, quàm illas appetat, non debet deposcere interitum alius, hæc enim deposcentia, argueret ejus determinationem.

Instabis. Si appetitus Materiæ, est ipsa Materiæ entitas, quæ est capax formæ: Ergo cùm eadem sit capacitas frigoris in aqua, & capacitas caloris, benè capacitas caloris, in aqua, appetitus dici poterit.

Respondetur. Appetitus Materiæ, est capacitas Materiæ, non quomodocunque spectata, sed prout Forma, est bonum illius, cùm ergo, non sit bonum aquæ calor, capacitas illa aquæ, pro recipiendo calore non dicetur appetitus: nisi fortè dicas, quòd capacitas illa aquæ, in adæquatè, & secundùm materiam spectatæ, sit appetitus caloris.

Objicitur tertiò. Appetitus Materiæ, est ipsa potentia materiæ; sed hæc, est indifferens ad nobiliores, vel ignobiliores formas. Ergo & appetitus, est indifferens.

Respondetur. Quòd appetitus materiæ, in recto, sit ipsa potentia materiæ, sed in obliquo dicit ipsam formam, quæ potest esse melior, & non melior, adeoque magis, vel minus æstimabilis; Ex dictis etiam, id adferri potest, quòd potentia materiæ, sit indifferens hoc sensu: quia potest, non magis hanc recipere, quàm illam formam; sed non indifferens, quasi non magis per hanc, quàm per illam formam perficiatur; In idem recidit, quod dicit Mastrius, quòd materia, sit indifferens; hoc est, cum exclusione appetitus determinati, ad formam nobiliorem, sed non indifferens, cum exclusione inclinationis majoris, vel minoris, ubi jam relinquetur locus, ad meliorem formam majoris inclinationis?

Quæres: *Si daretur forma, quæ contineret eminenter, perfectiones aliarum formarum, materia illi unita, desideraretne appetitu remoto, cæteras formas?*

Assero desideraturam: Ratio. Tum quia ut urget Pontius, appetitus, Materiæ est perfectibilitas illius, sed non obstante hac forma continente aliarum formarum perfectiones, est perfectibilis Materia, per alias formas, potest enim cum illis constituere unum per se. Ergo dicet appetitum ad illas. Tum quia vel amittit Materia suam entitatem, cum est sub forma, continente virtualiter alias Formas, vel non amittit: si amittit; Ergo Materia est corruptibilis. Ergo non est subjectum primum, in quod abeunt omnia; si verò non amittit Materiâ suam entitatem, accessu formæ, virtualiter alias formas continentis. Ergo nec amittit appetitum ad alias formas, nam hic appetitus in re, remotus, est ipsa entitas materiæ. Tum quia, posita forma, virtualiter continente reliquas formas, vel reliquæ formæ amittunt suas perfectiones, vel non amittunt; si non amittunt: Ergo adhuc bonæ sunt, adeoque appetibiles à materia; si amittunt: Ergo tu aliquid sine fundamento asseris. Summum enim bonum, quod est Deus, non destruit bonitatem, quam habent in se reliquæ Entia, quæ etiam comparativè ad Deum, sunt etiam, (licet minus infinitè) bonum. Deinde si amittunt reliquæ formæ, suam bonitatem, in præsentia formæ virtualiter continentis reliquas formas, saltem Deus, non amittit vim producendi formas, minus illa priori bonas: cur ergo illas, tanquam bonum etiam suum, non appetet materia?

Dices primò. Voluntas, quamvis sit potentia libera, tamen non eligit minus bonum, in comparatione majoris. Ergo nec appetitus innatus.

Respondetur. Negando Antecedens, de quo, prima parte D. 5. N. 105. & in Anim. Disparitas etiam dari potest; quia electio voluntatis, non est ipsa voluntas, sed ejus actus: non ergo hoc ipso, quia eligit majus bonum, voluntas dicenda est eligere minus bonum, jam autem appetitus materiæ, est ipsa potentia materiæ, quæ est eadem, ad formas quascunque.

Dices secundò. Deus visus, ita satiat appetitum creatum, ut eo habito, non appetat aliud videre. Ergo etiam & dicta forma, ita satiabit appetitum materiæ, ut illa habita, reliquas non desideret materia.

Responderi potest pluribus viis. Imprimis negando Antecedens: nunquid enim, non desiderat videre concernentia personam suam Beatus? Disparitas etiam est, quia appetendo Deum, non debet censeri appetere, hoc ipso, reliqua extra Deum, quia appetitus ille beati, non est ipsa voluntas beati, sed actus illius. Actus autem unus, non est actus alius; jam autem appetitus formæ descriptus, est ipsamet entitas materiæ, & bonitas formæ, hinc appetendo materia, formam illam, æquivalentem pluribus formis, censetur etiam appetere reliquas, quæ supponuntur adhuc esse bonæ. Nec censebitur tunc, materia appetere malum simpliciter, appetendo minus bonas formas, adhuc enim illæ sunt bonæ, eò, quòd possint cum materia, constituere, unum per se; sed appetet malum, secundùm quid, hoc est, non ita bonum, & quia scilicet nonnisi expulsa nobiliori forma, potest materiæ se communicare, ignobilior Forma. Unde ulterius prædicta forma, non complebit totalem appetitum materiæ, quia satietas materiæ, est completio illius substantialis, manet

net autem materia, adhuc complebilis ab aliis formis.

Dices tertiò. Id quod habet aliquis eminenter, non desiderat habere formaliter. Ergo etiam materia, habens formam æquivalentem reliquis, non desiderat reliquas. Antecedens probatur: quia etiam Deus, habens entitatem suam, æquivalentem perfectione quibuscunque possibilibus, non desiderat reliquas perfectiones, nec homo æquivalens perfectione bruto, desiderat esse brutum.

Respondetur. Id, quod aliquis continet eminenter, potest desiderare appetitu innato, licèt non elicito: non quidem elicito, contentatur enim illo eminenti; sed potest desiderare appetitu innato, eo, quòd ille, sit ipsamet entitas, & bonitas alius, quorum utrumque reperitur, habito etiam aliquo eminenter continente. Deinde Antecedens non convincit, nec inductio est sufficiens, nam unus Imperialis, continet unum grossum, & alterum, & tamen habito Imperiali, desiderantur illi grossi. Porrò, tunc habito eo, quod eminenter continet reliqua, non desiderat quis habere alia, quando illa alia, nihil habent specialis propriæ, & debitæ appetenti, amabilitatis, sicut esse creaturæ, nihil habet propriæ specialis, & debitæ amabilitatis Deo, esse item bruti, respectu hominis. Jam verò, in comparatione perfectioris Formæ, habent adhuc formæ ignobiliores propriam, specialem, debitam appetitui Materiæ, perfectionem, adferuntque prædicatum, dignum adhuc materia, nempe alius rationis substantiale compositum.

QUÆSTIO IV.

De Unitate, ingenerabilitate, & incorruptibilitate Materiæ.

AGemus imprimis de Unitate Materiæ, postea de ejus ingenerabilitate & incorruptibilitate. *Quod attinet ad Unitatem:*

Corporalia sunt corruptibilia, alia incorruptibilia; de utrorumque materiæ unitate, agendum erit. Et quidem, non quæremus hîc, de unitate numerica materiæ, nam certum est, in singulis individuis materialibus, esse illam divisam, & multiplicatam realiter, quod ipsa separabilitas arguit, sed erit quæstio de unitate specifica; An scilicet in omnibus corporibus, sit eadem specie materia?

De quo *sit:*

DIFFICVLTAS I.

An Corporum corruptibilium eadem sit specie materia?

Duo hîc inquirèmus. 1. An materia sublunarium, defacto sit una specie? 2. An sit possibilis alia specie? *Quoad primum,*

Dicendum est primò. *Materiam corporum sublunarium, esse eandem specie.*

Probari solet 1. Omnia corpora sublunaria, transmutantur adinvicem, ut ipsa experientia ostendit, & tamen ratione materiæ non requirunt diversitatem specificam. Ergo materia in omnibus sublunaribus, est eadem specie. Antec. probatur: Quia si in transmutationibus acquireretur materia distincta specie, tunc v. g. Paulus, comedens nonnisi pisces, & olera, esset distinctus à Joanne, comedente carnes.

Responderi posset. Concedendo prædictam distinctionem, negandoque ulterius intervenire tunc continuationem, in illis materiis, neque extrema haberent idem, sed intervenire solam non discerptionem & contiguitatem, qualis habetur in osse, & carne, & si hæc contiguitas petibilis ob diversitatem formarum, non obest animationi, nec oberit contiguitas petibilis ob diversitatem materiarum, sufficiet enim, nullam intercipi partem, ubi non sit materia, & ubi non sit Forma, eritque adhuc totum illud unum per se, quia constabit partibus, quarum una, est potentia, alia actus, utrumque substantiale utrumque ordinatum ad se.

Probari potest 2. Quorum prædicatum, primo essentiale est idem, illa sunt idem specie, & sic quia esse animal rationale, est primò essentiale, tam Petro, quàm Paulo, hinc idem sunt hæc, specie; sed materiæ quorumcunque sublunarium, habent eundem conceptum primo essentialem; omnes enim sunt subjectum primum, vel potentia radicaliter accepta, &c. Ergo.

Responderi posset. Hunc conceptum, esse primò essentialem, materiæ genericè acceptæ, & sicut primò essentialis conceptus animalis, est vivens sensitivum, & tamen sub vivente sensitivo, dantur plures species; ita sub hoc primo essentiali conceptu, qui est esse subjectum primum, possunt esse, distincta specie, subjecta prima. *Hinc commodius,*

Probatur 3. Conclusio, argumento negativo, nullum est fundamentum & nulla necessitas, adstruendæ hujus specificæ diversitatis, in ipsa Materia, proportionandique ita Materias Formis, ut pro diversitate formarum, sit diversitas, Materiarum. Et sicut eidem ligno potest induci forma artificialis Mercurii, & Saturni; sic eadem specie materia, dicenda est, esse capax plurium formarum.

Obji-

Objicitur 1. Auctoritas Aristot. qui 1. Phys. cap. 6. Tex. 60. dicit: Materiam in omni transmutatione, esse eandem numero, sed non specie.

Respondetur. Explicando Aristotelem, quòd scilicet, velit materiam in omni transmutatione aliam esse specie, non ratione sui, sed ratione formæ distinctæ; aliàs si ratione sui, esset alia specie forma, non jam maneret eadem numero, cùm identificentur inter se, numerica, & specifica unitas.

Objicitur 2. Formæ sunt distinctæ specie. Ergo & Materiæ.

Respondetur. Disparitatem esse, quia est necessitas plurificandi specie distinctas formas, quia aliàs homo, & planta non different à se, specie, sed nonnisi accidentaliter, quod absurdum non sequeretur, posita indistinctione specifica materiæ, & posita distinctione specifica in formis. Rursùs quia intervenit signum distinctionis specificæ formarum, nempe notabilis diversitas, quam arguit arguit congeries accidentium determinatorum, nullum autem habetur signum, notabilis differentiæ materiarum, cùm diversitas congeriei accidentium, bene referri posset, in solam diversam formam.

Objicitur 3. Materia Adamantis, non est capax aliarum Formarum, quod sufficiens est signum distinctionis specificæ, indubiè, enim notabiliter differunt, Materia capax aliarum formarum, & incapax aliarum formarum.

Respondetur. Negando Antecedens, nam ars humana, habet modum liquandi etiam Adamantes, & etiam si non haberet, posset dici, quòd incapacitas illa referri debeat, in unionem distinctam specie, ab aliis, & non in ipsammet entitatem Materiæ, referri item posset, in ipsam formam Adamantis, tales dispositiones deposcentis, quàs aliæ formæ, non curent debellare.

Dicendum est secundò. *Possibile esse dari aliam Materiam, specie distinctam à nostrate.*

Probatur. Quia id non implicat contradictionem, & si admittitur tanta varietas specifica Angelorum, etiam in actum jam reducta, cur non admittetur distinctio specifica, saltem possibilis Materiarum? & sicut possibiles sunt plures specie animæ rationales, cur non idem dicendum de Materiis?

Dicendum est tertiò. *Hanc in specie Materiam, quæ de facto datur, non est possibile plurificari in aliam specie Materiam.* Hoc, puto sensisse Scotum, in 2. dist. 14. quæst. 1. Ut intentum Conclusionis intelligatur, hoc volumus; quòd rationem subjecti primi, accipiendo pro hac specie subjecti primi, non sit possibile multiplicari specie.

Probatur 1. Implicat contradictionem, ut unius rei essent duo primò essentiales conceptus adæquati, specie distincti, sed si hæc in specie materia, quæ modo est, posset in alias specie materias plurificari, unius rei, essent duo, primò essentiales conceptus adæquati, specie distincti. Ergo implicat, hanc in specie materiam, plurificari in alias specie materias. Major probatur. Implicat contradictionem, idem esse, & non esse; sed si unius rei essent duo primò essentiales conceptus, idem esset & non esset. Quod ipsum probatur: Supponamus unum primo essentialem conceptum esse A, & alium B. Conceptus A, diceret negationem primò essentialis conceptus B, & B, diceret esse sui, aliàs, si primò essentialis conceptus A, non diceret negationem primò essentialis conceptus B, non essent duo, sicut non essent duo, Petrus & Paulus, si Petrus non diceret negationem Pauli. Ergo si unius rei, essent duo, primò essentiales conceptus, idem esset & non esset. Minor illa principalis, si, hæc, in specie materia, plurificari posset in alias species materiæ, unius ejusdemque rei, essent duo primò essentiales conceptus adæquati specie distincti, sic probatur. Ista materia in quam plurificaretur, hæc species nostratis materiæ, deberet habere conceptum, hujus in specie materiæ, aliàs non posset dici, hæc materia plurificari, sicut, quia homo plurificatur in Petro, & Paulo, manet in utroque species hominis: rursùs, illa materia, in quam plurificaretur nostràs materia, haberet conceptum alius in specie materiæ, non enim duæ essent in specie materiæ. Ergo si hæc in specie materia, posset plurificari in alias specie materias, essent unius rei, duo conceptus specie distincti.

Probatur 2. Si non implicaret, hanc in specie materiam plurificari in alias specie materias, non implicaret hircocervus. Sequela probatur: Si non implicaret, hanc in specie materiam, plurificari in alias specie materias, esset illa materia, in quam hæc nostràs multiplicaretur, in duplici specie. Ergo si non implicaret, huic in specie materiæ plurificari in aliam specie materiam, non implicaret hircocervus, hic enim implicat, quia esset in duplici specie, hirci & cervi: illa autem etiam materia, esset & in specie nostratis, & in specie alius materiæ: Omne enim plurificabile, debet esse in plurificato, & omne plurificatum specificum, addit suam speciem, quomodo enim esset plurificatum specificum?

Probatur 3. Si hæc materia, esset in alias specie materias plurificabilis, & esset in ultima specie infima, & non esset, esset ut supponitur: omnia enim, quæ existunt in ultima specie existunt, ut probari potest ex iis, ubi dicitur, non dari individua generica, à parte rei: non esset autem in infima specie, quia plurificabilis in alias species.

Sed contra Conclusionem secundam.

Objicitur 1. Si esset possibilis, alia specie materia, non esset ratio, cur de facto non detur.

Respon-

. Respondet Arriaga: ad res multiplicandas, necessarium est positivum fundamentum, ad negandam autem eorum multiplicitatem, non est tale fundamentum requisitum. Cùm ergo nullum sit positivum fundamentum, affirmandi hanc multiplicitatem materiæ, erit ratio sufficiens negandi illam.

Objicitur 2. Si possibilis esset, materia specie distincta, à nostrate, esset etiam hæc, quæ foret determinata nonnisi ad unam formam; sed hæc non esset specie distincta, non enim esset ratio, ut si posset recipere unam formam, non posset recipere aliam, cùm non major requiratur virtus, ad unam formam recipiendam, quàm ad aliam.

Respondetur. Ex essentiali determinatione nonnisi ad unam formam, (quæ possibilis est) impediretur, ne ullo modo, possit recipere aliam formam, defectuque ordinis ad illam. Si illi nihilominus uniretur forma, uniretur ita, sicut uniretur albedo Angelo; & sicut quamvis non requiratur major virtus ad rugiendum, quàm ad ratiocinandum, neque tamen homo rugire potest ita non ex imbecillitate virium oriretur, quòd non posset aliam formam, dicta materia recipere, sed ex intrinsecis prædicatis, ordinem dicentibus, nonnisi ad hanc formam.

Objicitur 3. Imperfectissimo ente, imperfectius dari non potest, etiam divinitus; aliàs hoc ipso, non esset illud primum imperfectissimum: sed materia est Ens imperfectissimum. Ergo.

Respondetur. Saltem possibilis est materia perfectior hac nostrate: ad verificandam autem hanc conclusionem, sufficeret, vel sic, posse illam multiplicari. Rursus, si possunt dari duæ species & perfectiones æquales, cur etiam non poterunt dari duo entia in imperfectione æqualia? imperfectissimaque est materia præsens, non per exclusionem magis adhuc imperfecti dabilis, sed est substantia imperfectissima, inter eas, quæ dantur. Ex Suar. etiam D. 13. S. 11. N. 2. dici potest, quòd Ente imperfectissimo, quoad genus, possit dari imperfectius, non quoad genus, sed quoad speciem, licèt Ente imperfectissimo, & quoad genus, & quoad speciem, imperfectior species, dari non possit; jam autem Materia, est quid imperfectissimum, quoad genus, est enim imperfectior Entibus completis, formis substantialibus, &c. sed non est imperfectissimum, quoad speciem.

Instabis. Actui puro, qui est Deus, non potest dari similis in specie Actus purus, estque Deus Ens perfectissimum, per exclusionem alius paris. Ergo neque potentiæ puræ, potest similis dari in specie potentia pura.

Respondetur. Disparitatem esse: quia pro Unitate Dei, stat demonstratio, petibilis ex independentia in gubernando, aseitate, infinitate exhauriente plurificationem &c. nulla autem similis ratio pugnat pro materia.

DIFFICULTAS II.

Eademné specie Materia in corporibus cœlestibus?

Præmitto primò. *Non esse ullam demonstrativam rationem cœlos defacto compositos esse, ex materia, quæcunque tandem illa sit, & ex forma, supposito quòd esset possibile corpus simplex*, de quo infra. Est præmissum durandi, Gabrielis, Basso, & aliorum apud Conim. lib. 1. de cœlo q. 4. a. 1. licet oppositum graves viri censeant, vide Suar. Disp. 15. Sect. 16. n. 2.

Ratio. Præmissi est, quia nulla potest adferri demonstratio in oppositum.

Dices 1. Cœlos esse corruptibiles, & fides & ratio docet. Ergo debent esse compositi, ex Materia, & Forma.

Respondetur. Cœlos esse corruptibiles, nonnisi ab extrinseco, corruptibilitas autem ab extrinseco, non arguit compositionem, sicut nec arguit in Angelis. Corruptio autem ab intrinseco, arguit compositionem, quia arguit pugnam qualitatum contrariarum, quæ sunt instrumentum materiæ, ad nanciscendum aliam formam, corpus autem simplex, corruptibile esset ab extrinseco.

Dices secundò. Cui convenit passio necessaria corporis compositi, ex materia & forma, cœlis autem convenit motus, qui est, necessaria passio corporis compositi.

Respondetur. Motum, qui fit per generationem substantialem, necessario supponere materiam, & formam, supponit enim commune subjectum, amissa præcedenti forma idque ob rationem aliàs adlatam: sed motus accidentalis, & ab extrinseco, non supponit hanc compositionem, hinc si daretur corpus simplex, posset moveri ab Angelo, sicut moventur Cœli.

Dices tertiò. Quantitas & densitas cœlorum, sufficienter in illis ostendunt compositionem, ex materia & forma.

Respondetur quod non: Quia quantitas est passio ipsiusmet materiæ, quæ tamen non est composita: densum etiam licet definiatur per id, quod habet parum de quantitate, multùm de materia, tamen nec hoc arguit compositionem, sed tantùm arguit aliquid illic materiale.

Præmitto secundò. *Nec pro contrario, nempe cœlos non esse compositos ex materia, & forma, ulla adfertur demonstratio.*

Ratio Præmissi, solutio objectionum.

Dices 1. In cognitionem materiæ, Philosophi non venerunt, nisi per viam mutationis, in cœlis nullum est vestigium transmutationis. Ergo nec materia.

Respondet Suarez: Quòd primò venerint Philosophi in cognitionem materiæ, per transmutationem, postea tamen à pari argumentando, innitendoque huic principio, quòd nulla sit necessitas diversificandæ specie materiæ intulerunt, illam esse, ubique ejusdem speciei, & advertendo, quòd etiam in cœlis sunt accidentia, supponentia materiam, intulerunt, etiam dari in iis materiam.

Dices 2. Natura nihil facit frustra: hæc compositio esset frustra, quia compositio ex materia & forma, est propter generationes & corruptiones, Cœlis autem generari & corrumpi non convenit.

Respondet Suarez. Compositionem ex Materia & Forma, factam esse propter generationes, & corruptiones, non tanquam propter adæquatam rationem, sed tanquam propter finem extrinsecum. Finis autem intrinsecus, istius unionis, inter materiam & formam, est ipsa, substantiæ completæ compositio. Dici enim potest, corpora cœlestia, esse corruptibilia, quantùm à parte materiæ, licèt sint incorruptibilia, ratione formæ inamis sibiliter Unitæ.

Dices 3. Non sunt multiplicanda Entia, sine necessitate; sed nulla est necessitas, hujus compositionis.

Respondetur. Posito, quòd cœli non sint compositi, multiplicantur Entia, quoad speciem, quia ponetur species corporis simplicis. quæ varietate sua conduceret pulchritudini universi.

Præmitto tertiò. *Spectatâ auctoritate probabilius est, Cœlos esse ex materia & forma compositos.* Ex Philosopho enim sic argui potest; Corpora naturalia sunt corpora, composita ex materia & forma, quia ille 2. Physic. c. 1. & 2. censet naturam, nonnisi Formam esse & materiam, sed Cœli sunt corpora naturalia, ut sentit Lib. 1. de Cœlo c. 2. Ergo cœli sunt corpora composita. Locus autem, qui in 8. Metaphysic. tex. 14. citatur in oppositum, non plus vult, quàm quòd ex subjectis, transmutationi obnoxiis, clariùs colligatur, dari materiam. Posito autem, Cœlos constare materiâ.

Præmitto quartò. *Non esse ullam convictivam rationem, quòd Cœli non habeant materiam, specie eandem, cum sublunaribus.* Quæ enim hujus demonstratio est Præmissum, contra Suarez. Disp. 13. Sect. 11.

Dices 1. Si Cœlum esset ejusdem materiæ, cum elementaribus, sequeretur, cœlos esse corruptibiles, haberent enim materiam, appetentem alias Formas, qui appetitus, est radix corruptionis.

Respondetur. Cœlos esse remotè corruptibiles, non verò proximè, quia habent Formam indefectibilem, & indefectibiliter unitam; & sicut materia, de se capax penetrationis, redditur accessu quantitatis impenetrabilis: cur non reddetur etiam materia cœli, de se capax corruptionis? cur inquam non reddetur, accessu Formæ indefectibiliter unitæ, incorruptibilis proximè? præcipuè, cùm etiam de se materia sit incorruptibilis.

Instabis 1. Virtus ista, quæ debetur Formæ indefectibiliter unitæ, non est infinita. Ergo superari poterit à Sphæra ignis, cœlis subjectâ.

Respondetur. Etiam virtus materiæ, specie distinctæ, non esset infinita, superari ergo poterit, & sicut virtus, quæ unit quantitatem materiæ, est virtus finita, neque tamen ab agente naturali separabilis est à materia; quodsi illa inseparabilitas quantitatis, rejiciatur non in infinitatem virtutis, sed in conditionem agentium, & ipsius Formæ, quæ est quantitas, idem in præsenti dici poterit. Agnoscit ipse Suarez, Loco citato num. 17. faciliorem & nobiliorem esse modum, ostendendi incorruptibilitatem cœlorum, si cœlum non per resistentiam qualitatum, sed per intrinsecam, & substantialem compositionem, sit incapax peregrinarum Formarum. Nostra autem Responsio salvat etiam incorruptibilitatem cœlorum, per indefectibilem unionem, & materiæ de se incorruptibilis, & Formæ indefectibilis, & sicut in resurrectione Corporum unio indefectibilis, faciet corpora incorruptibilia; Humanitas item Christi, terminata verbi personâ, est indefectibiliter terminata, quamvis humanitas ex se, sit capax propriæ subsistentiæ, idque propter unionem indefectibilem, ita & in præsenti, idem dicendum.

Instabis secundò ex Suarez. Ista indefectibilitas unionis, arguit hanc materiam, non esse ejusdem speciei, cum nostrate, quia potentiæ distinguuntur per actus; sed forma cœli illo modo informans, est actus longæ diversæ rationis, à forma corruptibiliter unita. Ergo.

Respondetur. Argumentum, si ut sonat, accipiatur, probabit multum, adeoque nihil: quia probabit, cùm formæ substantiales sublunarium sint specie distinctæ, cùmque animæ beatorum sint uniendæ, unione indefectibili in omnibus his casibus, fore distinctam specie materiam. Potentiæ etiam extrinsecè specificantur, per suos actus, hinc potentiarum non arguent multiplicitatem, sed illam arguet ipsamet entitas, exigens has, vel illas habitudines; non nego tamen, quòd per actus, tanquam per aliquid notius, diversificentur potentiæ.

Dices 2. Si materia cœli est ejusdem speciei cum nostrate, sequitur esse cœlos generabiles:

biles: esset enim v. g. aër, capax formæ Solis, appeteret enim materia aëris formam Solis, sicut & alias formas, hic autem appetitus causat generabilitatem.

Respondetur. Communiter materiam aëris esse capacem formæ Solis, sed remotissimè, quia deest agens, quod producat formam Solis; & certè cùm videamus aliquas Formas esse, quæ producunt, & generant sibi similes formas, ut ignis ignem, & cùm videamus aliquas formas, quæ non generant sibi similes, ut adamas non generat alium adamantem, nec albedo aliam albedinem, habemus rationem dubitandi; an Sol, sit de genere formarum producentium sibi similem Formam? & ut accenseatur Sol inter formas, quæ non generant sibi similem, habetur sufficiens fundamentum, quia scilicet nulla experientia, & nulla ratio, hanc vim, Soli tribuit. Deinde, quia formæ, quæ sunt magis resistitivæ, minùs sunt sui multiplicativæ, ut videmus in adamante, ferro, &c. cùm ergo maximè resistitiva sit forma cœlestium corporum, sufficienter colligimus, non esse generativam. Deinde vis productiva, sibi similis formæ, est provisa à natura, ut restituat sese natura in suis bonis, hoc est formis, quæ, quia perpetuò durare non possunt, successione suâ, incorruptibilitati studeant: cùm ergo forma Solis, & cœlestium sit indefectibilis, & indefectibiliter unita, hinc illi non debuit provideri, à natura, vis aliùs formæ productiva. Denique sunt aliquæ formæ, quæ, mortuo ut ita dicam modo, informant sua subjecta, qualis est forma adamantis, vitri, lapidis &c. aliæ autem informant, vivo modo, ut forma plantæ, seminis, bruti. Et sicut mortuus nullum habet proprium motum, quò moveatur, propter carentiam vitæ, quæ est exercitium motûs; ita & formæ, quæ mortuo modo informant, nullum habent motum, consequenter, nec activitatem, quæ sit productiva alius formæ. Porrò eæ formæ, mortuo ut ita dicam modo, suum subjectum informant, quæ nisi ab extrinseco immutentur, alterentur, corrumpantur, natæ sunt non dimittere suam formam: & sic forma adamantis, ita unitur adamanti, ut nisi aliunde alteretur, semper sit duratura. Cùm ergo, mortuo, ut ita dicam modo, Forma cœlestis informet sua corpora, & cùm ab extrinseco naturali agente immutari non possit, non debetur ei etiam activitas, quæ est proprietas formæ, vivo ut ita dicam modo, suum subjectum informantis. Quod si Sol non potest producere alium Solem, nec quodquam aliud agens, ostendi sine fictione poterit, ejusdem productivum, quod si nullum sit agens productivum formæ Solis, nonnisi remotè erit capax aër, formæ Solis.

Instabis 1. Ergo potentia ad formam Solis erit otiosa, nullum enim ei responderet agens naturale.

Respondetur. Nullum datur agens naturale, productivum animæ rationalis, & tamen non est potentia otiosa, ad animam rationalem, sufficitque ne sit otiosa illa potentia, si respectu aliarum formarum habeat agentia naturalia productiva formarum, & si respondeat in illa materia habitudo ad prædictam Formam, Deo tanquam auctore universi, volente illam ponere.

Instabis 2. Non requiritur vis infinita, ad producendum alium Solem: Ergo supposito, quòd materia nostras, sit capax talis Formæ, generari poterit Sol.

Respondetur. Non ob defectum infinitatis, negari Soli vim generativam alius Solis, sed ob rationes prætactas.

Instabis 3. Rejicimus hanc incorruptibilitatem & ingenerabilitatem, in conditionem Formæ, & cur non in conditionem materiæ?

Respondetur. Sola conditio materiæ non est ad hoc sufficiens, nam de facto materia est ingenerabilis, & incorruptibilis, nec tamen facit, ne alia generentur & corrumpantur, hinc defectus generabilitatis & corruptibilitatis rejici deberet, in formas; quod si possit rejici in illas solas, meliùs fiet, quia non multiplicabuntur entia sine necessitate.

Dices 3. cum Arriaga: Perfectiùs intelligitur incorruptibilitas Cœli, si illius materia sit incapax Formæ alius: Ergo defacto illa constat.

Respondetur. Negando Antecedens, non enim perfectiùs intelligitur, quia non intelligitur, salvo hoc principio, non sunt multiplicanda &c. potest autem salvari hæc incorruptibilitas, per solam Formam inamissibiliter unitam, & verum quidem est, magis proportionari materiam capacem, nonnisi unius formæ, cum forma inamissibili, spectatâ proportione, in ratione actus & potentiæ; sed non magis proportionari, ad vim arguendi: nam inamissibilitas Formæ non arguit diversitatem materiæ, sicut nec arguet in beatis, nec amissibilitas Formæ, arguit defacto corruptibilitatem materiæ; imò cum Forma inamissibili, magis proportionatur materia, utpote incorruptibilis, quàm cum formis sublunaribus corruptibilibus.

Dices 4. cum Conimbr. Non congruebat Deo, ut materiæ cœlesti daret appetitum ad alias Formas, & tamen illam impediret ab assecutione boni, quod desiderat, hoc est ab assecutione aliarum Formarum.

Respondetur. Retorquendo argumentum de forma multorum sublunarium, quæ à Creatione mundi non amiserunt, neque ad finem amittent suam formam; itemque de

corporibus beatorum. Non est autem inconveniens, habere appetitum impeditum, assecutione boni inamissibilis, præcipuè, si ita deposcat bonum universi. Deinde quia non censetur aliquis, impediri à consecutione boni, si id per pauca habet, ad quod per plura evaderet, sicut non censetur aliquis impediri, à consecutione duorum imperialium, si illi detur unus Hungaricus. Porrò hoc bonum, quod est in varietate formarum, est inter alia perpetuitas, complebilitatis per formam, cui consultum inamissibiliter unitâ Formâ.

Dices V. in oppositum esse auctoritatem Aristotelis.

Primus Locus ex primo de Generat. Tex. 53. & 83.

Respondetur. Non multùm curari debere in hac materia, auctoritatem Aristotelis; quia hîc agnovit, etiam à Deo incorruptibiles Cœlos; vel certè, illò locò, solùm vult, ea communicare in eadem numero materia, quæ ad invicem agunt & patiuntur, eadem enim numerò manet materia, sub utroque mutationis extremo; sed non negat, communicare in eadem specie materia, etiam ea, quæ non agunt, nec patiuntur ad invicem: vel solùm vult, in talibus, signantiùs eandem esse materiam.

Secundus Locus est ex 3. Metaph. Tex. 15. ubi ait, non esse eadem principia rerum corruptibilium & incorruptibilium, nisi eadem genere.

Respondetur. Loqui Aristotelem de Formis, quæ non eædem, corruptibilium & incorruptibilium.

Tertius Locus, ex 1. Metaph. tex. 10. *quæcunque*, inquit, *mutantur*, *materiam habent*, *sed diversam*. Subsumo: Cœli non mutantur. Ergo habent materiam diversam.

Respondetur. Loqui illic Aristotelem de diversitate petibili à Formis, succedentibus in mutatione.

Dices primò. Genes. 1. dicitur: Deum creâsse à principio cœlum & terram, ubi nomine cœli, cœlum Empyreum, nomine terræ, materia prima intelligitur, ex qua reliqua omnia; Hinc colligitur, saltem Empyreum habere materiam distinctam, licet reliqui cœli habeant eandem materiam.

Respondetur. Negando, nomine Coeli, venire cœlum empyreum, quia de facto Scriptura utitur verbo tali in Hebraico, nempe Samaim, quod pluraliter significat, imò caret singulari, & id etiam innuit Psal. CI. Initiò tu Domine terram fundâsti, & opera manuum tuarum sunt cœli: unde quando posterioribus diebus dicuntur creata, Sol, Luna, Stellæ, non intelligendum est, esse creata, quoad substantiam, sed quoad accidentalia munera, quod etiam innuit Augustinus 11. de Civit. cap. 33. Nego item nomine terræ venire materiam primam, nemo enim dicit Solem ex terra creatum.

Dices secundò. Augustin. lib. 12. Confess. c. 8. ait: Omnia producta à Deo ex materia informi.

Respondetur. Concedo, omnia producta ex materia informi, sed nego, quòd ex eadem specie: nam concessis materiis distinctis specie, adhuc verificabitur, singula producta ex materia carente Forma.

Dices tertiò. Sapient. 11. habetur: Manus tua creavit Orbem terrarum ex materia inviſa.

Respondetur. Non dicit Scriptura, esse creatum orbem ex materia invisa ejusdem speciei; deinde nomine materiæ non venit illic materia prima, sed significantur corpora simplicia, ex quibus Deus mundum creavit, eô modo quô lapides & ligna dici solent materia domûs. Unde dicitur illa materia informis, non informitate substantiali, sed informitate accidentali, hoc est, propter carentiam lucis, motûs, &c. *His Præmissis*

Dicendum est. *Non satis constare, an materia omnium corporum sit eadem specie.*

Probatur. Quia licet possit non tribui cœlestibus materia diversa specie, quia tamen nescimus, per auctoritatem, quid in hoc genere voluerit Deus, non possumus quidquam concludere.

DIFFICULTAS III.

De Ingenerabilitate & incorruptibilitate Materiæ.

Præmitto primò. *Interdum sumitur nomen ingenerabilis, pro improducibili, & sic falsum est, Materiam primam esse ingenerabilem; defacto enim producta est.* Nomen etiam incorruptibilis interdum sumitur, pro inannihilabili: de fide autem est, materiam posse annihilari.

Præmitto secundò. *Interdum sumitur nomen generabilis & corruptibilis, pro eo, quod generatur & corrumpitur*, & in isto sensu, materia non est ingenerabilis & incorruptibilis, est tamen generabilis & corruptibilis, ut vocant subjectivè; in ea enim omnes generationes & corruptiones peraguntur, hocque voluit Aristot. 8. Metaphys. 4. & 12. Metaph.

Præmitto tertiò. *Nomen ingenerabilis potest sumi pro eo, quod non est producibile dependenter à subjecto vel in subjecto, & nomen incorruptibilis pro eo, quod non potest naturaliter desinere*, appellant vulgò hanc ingenerabilitatem & incorruptibilitatem terminativam, hoc est Ens, quòd non possit ge-

sit generationem & corruptionem terminare, & in isto sensu.

Dicendum est: *Materiam esse ingenerabilem & incorruptibilem*; hoc est, non posse ex præexistenti subjecto produci, nec desinere naturaliter.

Probatur Conclusio *quoad primam partem*; Si materia posset ex præexistente subjecto produci, hoc ipso non esset materia. Antecedens probatur, quia jam materia non esset subjectum primum, utpote supponens aliud subjectum ante se, nempe id, ex quo producitur.

Quoad secundam partem; ex eodem medio termino probatur; quia si corrumperetur, non esset id, in quod abeunt omnia; siquidem illa ipsa abiret in aliud; nihil enim per annihilationem desinit. Rursus, si corrumperetur Materia, vel corrumperetur suâpte naturâ, vel per actionem agentis naturalis: non per actionem agentis naturalis; quia illud agens, vel annihilaret illam Materiam, vel certè faceret illam resolvi in aliud; non primum, quia nullum naturale agens habet vim annihilandi, sicut nec creandi; Non secundum, quia illud ipsum, in quod resolveretur Materia, vel posset ulterius resolvi, vel non; si potest, dabitur processus in infinitum; si non potest: Ergo illud potius erit Materia prima. Non potest etiam desinere materia suâpte naturâ, quia ea dicuntur suâpte naturâ desinere, quæ requirunt dispositiones ad suum esse easque adhuc pugnantes, quod de Subjecto primo dici non potest.

Objicitur Primò in Oppositum, Auctoritas Aristotelis.

Primus Locus est ex 1. Physic. tex. 82. Ubi censet, materiam partim oriri, partim interire.

Respondetur. Intelligendum esse Aristotelem, quòd velit materiam oriri, non ratione suæ entitatis, sed ratione Formæ, quæ materiam monstrat, facitque illam discerni in universo; perire autem ratione privationis, quæ aliqua in omni generatione desinit.

Secundus Locus est ex 1. de Cœlo tex. 61. Ubi corruptibilium dicit esse corruptibilia principia.

Respondetur. Sufficere ad hoc verificandum, ut aliqua principia sint corruptibilia, v.g. Forma, aut ejus amissibilis unio.

Tertius Locus est ex 1. de Generat. tex. 24. ubi ait: Generationem esse mutationem totius in totum; Si autem non corrumpitur materia, quomodo generatio erit mutatio totius in totum?

Respondetur. Nomine totius, intelligitur hîc totum denominationis, & compositum, pro toto, quâ tali, acceptum, quod semper in omni generatione mutatur; sed non intelligitur mutatio totius, pro singulis partibus acceptis. Unde etiam dicit Aristoteles in generatione, nihil sensibile idem manere; quasi innuens manere aliquid, sed non sensibile. Quamvis autem dicatur, Materiam esse causam corruptionis, non sequetur, Materiam esse magis corruptibilem, quia illa est causa corruptionis, nonnisi subjectivè, ex eoque quòd sit causa corruptionis subjectivè, non sequitur, illam debere esse magis corruptibilem; aliàs si corrumperetur, hôc ipsô, subjectum corruptionis non esset.

Objicitur secundò. Agens potest producere Formam. Ergo potest producere & materiam; qui enim potest plus, potest minùs.

Respondetur. Argumentum probare, quòd homo, qui potest generare hominem, possit & bovem generare, qui est ignobilior.

Pontius dicit: qui potest plus, potest & minus, si minus contineatur in virtute causæ.

Disparitas etiam assignari potest, quia si agens naturale possit producere materiam, & produceret illam, ut supponitur & non produceret: quia subjectum primum produci non potest nisi creando; nulla autem Creatura creare potest; jam autem Forma potest produci sine creatione per eductionem. Quamvis autem qui potest plus in eodem genere potest & minus, non tamen in diverso, diversus autem est ordo materiæ & Formæ.

Objicitur Tertiò. In corrupta Eucharistia producuntur vermes, qui habent materiam, & tamen in Eucharistia non reperitur materia: Ergo apparet, quod agens materiale possit producere & Formam & Materiam. Ergo.

Respondetur. Quod non quidem ante tempus productionis vermium, sed in ipso tempore productionis adsit jam materia, jamque tunc non est Eucharistia nisi ampliativè. Undè etiam negari potest, Omnem virtutem esse in agente quam habet Materia, & quamvis haberet, nec dum illam posset producere, quia ad titulum producentis non solùm requiritur habere prædicata æquè nobilia ac aliud, sed etiam requiritur habere vim illud producendi, sicut duæ æquales species Angelicæ, æquales sunt, & tamen neutra potest producere aliam.

Objicitur quartò. Ad hoc ut aliquid dicatur generari & corrumpi, sufficit ut unio partium dissolvatur, esto utraque pars maneat, ut contingit in composito humano, sed potest dissolvi unio partium materiæ. Ergo.

Respondetur. Ad corruptionem totius heterogenei, sufficit corruptio Unionis, ut apparet in composito humano; sed ad corruptionem totius homogenei, id non sufficit, ut videre est in separatione guttarum, quæ nullo modo per hoc dicuntur corrumpi. Quod ipsum in hoc principium resolvi potest, quia cor-

ruptio malum est quoddam, nec datur ad illam, indifferentia ejus, quod corrumpitur, sed appetitus ne corrumpatur; jam autem homogeneis per se loquendo æquè bonum est uniri & non uniri, indifferensque est totum homogeneum, ad retinendam illam unionem.

Deinde per nos, continuatio est mera formalitas eaque negativa, nempe negatio terminorum, hinc nec continuatione generabitur, quid enim negatione generatur; nec discontinuatione corrumpetur, quia etiam hæc denominatio, est mera formalitas, orta ex diversis connotatis, quæ tamen non sunt sufficientia ad hoc, ut aliquid dicatur corrumpi, cum perficiatur hoc, sine deperditione entitatis, quam tamen, corruptio rigorosa, semper importat.

Objicitur quintò. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, totum compositum diceretur incorruptibile & ingenerabile, quia sicut ex eo quòd compositum componatur ex corpore, vocatur corporeum; ita ex eo quia componitur ex ingenerabili & incorruptibili, vocari debet ingenerabile & incorruptibile.

Responderi solet 1. Duplicia sunt prædicata: quædam Affirmativa, ut esse corporeum, materiale; quædam Negativa, Ut esse ingenerabile, incorruptibile, &c. ista prædicata quæ sunt Affirmativa, dicuntur de composito quamvis Uni tantùm parti conveniant, Prædicata autem Negativa alterutri nonnisi parti convenientia, quale est incorporeum immateriale, non refundunt suam denominationem in totum, imò nec affirmativa æquivalentia negativis dici possunt de toto, & ita ly spirituale, quia est prædicatum æquivalenter negativum, importans non esse corporis, de toto composito dici non potest. Cùm ergo prædicatum incorruptibilis & ingenerabilis sit prædicatum negativum, & cùm hoc prædicatum, non conveniat formæ materiali generabili & corruptibili, ideo nec toti composito conveniet. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia, Prædicatum spiritualitatis est omninò positivum, nec tamen refundit suam denominationem in compositum humanum. Ergo falsum est, prædicata affirmativa refundere denominationes: quod enim dicitur esse spirituale, esse æquivalenter negativum dicam, & ego esse corporeum, esse æquivalenter negativum; dicit enim negationem spiritualis. Tum quia ex vi hujus responsionis sequitur, saltem compositum humanum esse incorruptibile & ingenerabile, quia utraque ejus pars est incorruptibilis & ingenerabilis. Tum quia hujus ipsius danda fuisset ratio, cur affirmativa prædicata refundant suam denominationem in totum, non refundant negativa.

Responderi solet. 2. Ideo compositum non posset dici ingenerabile, quia illius Unio non est incorruptibilis & ingenerabilis. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia quærere restat: Cur ex eo quòd unio non sit incorruptibilis, nec compositum debeat dici incorruptibile? curque in hac denominatione sequatur compositum conditionem unionis, & non conditionem partium? Tum quia supposito, quòd in composito humano Vnio sit spiritualis, generari non poterit, & tamen compositum dicetur generatum. Ergo apparet in denominationibus non sequi compositum conditionem Vnionis. Tum quia unio in composito non habet rationem principalis, cur ergo denominationes suas dabit composito, cùm denominatio semper sit à principali.

Respondetur 3. Et ex eo quidem compositum vocari corporeum, quia constat corpore, sed non ex eo solo præcisè, quia aliàs etiam spiritualis anima fundaret in composito humano denominationem spiritualis; sed vocatur corporeum, quia & constat corpore, & quia esse corporeum, est quid imperfectius & comparativè ad spirituale, defectuosum quoddam & malum, adeoque petibile ex singulis defectibus: quia autem esse incorruptibile, est bonum quoddam & perfectum, debet esse ex integra causa. Unde ulterius cùm nõ singulæ partes sint spirituales, nec denominabitur totum spirituale, præcipuè cum etiam hæc ipsa compars spiritualis, ordinetur ad corporeum; illudque perficiat, quo ipso condescendit, ut totum, in quo illa continetur, corporeum vocari possit: & sicut quamvis in claudo unus sit pes rectus, sequitur claudicatio; ita & in præsenti sequetur denominatio non spiritualis. Quamvis autem utraque pars in corpore humano sit incorruptibilis, quia non singula illius compositi sunt incorruptibilia; neque enim est incorruptibilis unio: ideo non appellatur incorruptibile, præcipuè autem si perfectius non sit natum elevare debilitatem inferioris, tunc denominatio non fit à principaliori. Jam autem forma non elevat debilitatem Unionis, nec materia.

Objicitur sextò. Si materia esset ingenerabilis & incorruptibilis, haberet se ita quoad generari & corrumpi, sicut Angelus & anima rationalis in suo genere, qui cum solo generali Dei concursu in æternum durare possent: sed non habet se ita Materia; quia anima separata sine miraculo petit à Deo conservari: Materia autem absque omni forma, non potest sine miraculo conservari.

Respondetur. Sufficere ut quoad aliquid ita se habeat Materia ac anima rationalis. Materia autem sine omni forma posita, petit nonnisi formam, sed non petit annihilari. Quòd petat materia nonnisi cum forma conservari, provenit id ex speciali connexione ejusdem cum

cum forma, quam non dicit anima rationalis, imò oppositum dicit; quia ex eo, quòd non sit educta, petit conservari naturaliter sine materia. Unde exigentia illa in Materia, non provenit ex illius corruptibilitate, sed ex connexione speciali cum Forma.

Objicitur septimò. Si Materia est ingenerabilis: Ergo est nobilior formis materialibus.

Respondetur. Diverso respectu id verum esse: nobilior enim erit, ratione incorruptionis, ignobilior ob prædicatum potentiæ.

QUÆSTIO V.

De Causa Materiali.

EX rationibus supra adlatis, conjungimus Disputationem de Materia, secundùm quod principium est, & de materia secundùm quod Causa est. Priorique tractatione jam expedita, ad secundam accedemus.

DIFFICVLTAS I.

Quid materialis causa, quæ ejus causalitas, effectus, &c.

NOn est idem, esse Causam materialem & Materiam, hinc Angelus & anima nostra, non est Materia, & tamen, & Angelus, & Anima, est causa subjectiva, adeoque materialis suorum actuum, habituum, &c. cumque definierimus supra, quid sit esse materiam, nunc

Quæres 1. *Quid sit esse causam materialem?*

Respondet Aristoteles 2. Physic. text. 38. *Est id*, inquit, *ex quo aliquid fit cum insit*, seu, quod illi insit; ly *id ex quo est*, per modum generis ponitur, hinc etiam usitata locutio obtinuit, quòd compositum fiat ex materia & forma; ly autem *cum insit*, est per modum differentiæ, & sic formæ non inest Materia, sed è converso materiæ forma. Et licèt hæc definitio non competat causæ materiali comparativè, tam ad formam quàm causat, quàm etiam comparativè ad compositum sumptæ, non ideo tamen rejicienda, quia non est tradita ab Aristotele, cum omni rigore, sed nonnisi per modum descriptionis, tradendo eam per ordinem ad aliquod principale, quo cognito reliqua cognosci de facili possent; & cum respectu compositi materia non sit vera causa, sufficit quod per ordinem ad formam explicetur, ut sensus sit: causa materialis est id, ex qua tanquam ex subjecto producitur forma, obligata connaturaliter, nonnisi inesse subjecto.

Quæres 2. *An causa materialis sit vera causa?* Potest materialis causa comparari ad formam materialem à se educibilem, potest comparari & ad compositum. Quòd sit vera causa respectu compositi, Negat Arriaga & Oviedo, hîc, puncto 1. n. 8. Lessius autem inclinante Arriaga, negat etiam respectu formæ materialis habere Materiam rationem causæ, quod etiam docuit Suar. 17. Disp. sect 1. num. 10. Oppositum sentit Oviedo Controvers. 3. pun. 4. n. 7. & cum eo recentior Suar.

Assero 1. *Materiam, respectu formæ educibilis, esse veram causam.*

Ratio est. Tum quia, si non esset causa materialis, vera causa, respectu formæ educibilis, non esset ratio, cur non verè creetur, nam verè fieret ex nihilo sui; si autem insuper fieret ex nihilo subjecti, quæ erit distinctio inter formas creatas & eductas? si enim esset aliqua, esset hæc, quia quantumvis nulla esset causalitas causæ materialis in formam materialem, ex eo tamen non crearetur; quia penderet in suo fieri, tanquam à conditione à Materia, sed hoc non potest salvare, ut dicatur verè educta, nam ut urget Oviedo, creatio animæ rationalis, exigit materiam tanquam conditionem sine quà non crearetur, & tamen anima non educitur: Ergo educi non est fieri ex nihilo sui, dependenter à subjecto, tanquam à conditione. Rursùs per Arriagam, unio potest creari, & tamen non potest non dependere ab utroque extremo: Ergo per istam similem dependentiam, non rectè salvatur ratio eductionis. Tum quia non est quid impropriù in forma materiali, quod exigat Materiam sine qua connaturaliter existere non potest: non est item quid improprium, quòd habeat materia jus & vim, ut formæ materiales, nonnisi sibi unitæ existant, quo supposito sic urgetur. Jus & vis efficientis ad producendos effectus, facit efficiens verè causam: Ergo & jus visque Materiæ, ut sine illa non possit existere naturaliter forma materialis, faciet materiam verè causam. Tum quia etiam Materia respectu formæ eductæ, est principium determinans ejusdem existentiam, cùm etiam sine illa naturaliter existere non possit, & quidem non habente se Materia ut conditione ex dictis supra. Ergo Materia respectu formæ eductæ, est vera causa.

Quæ in contra objici possent solventur, ubi de eductione

Assero 2. *Causam materialem respectu compositi non esse veram causam*; quod enim aliqui dicunt esse veram causam intrinsecam, de hoc ipso quærendum erit: An esse veram causam intrinsecam, sit esse veram causam? & quidem materiam respectu compositi esse veram causam, etiam ii negant, qui ponunt, quod sit vera causa, respectu formæ materialis.

Ratio 1. Formatur à quodam pro asserto: componere non est causare; alias etiam Trini-

tas personarum, quæ constituit Trinitatem, esset causa Trinitatis.

Responderi possit; Quòd componere per modum actus & potentiæ, sit verè causare, quo modo personæ non componunt Trinitatem.

Ratio 2. est; Impossibile est esse causam Physicam, & nemine cogitante causantem, & non habere effectum, à se nemine cogitante distinctum; impossibilis enim est causa sine effectu: aliàs etiam id, quod non est causa, posset esse causa; nam posset esse nihil causans, & tamen esse causa, adeoque cùm non sit causa, quia nihil causans, esse nihilominus causa, sed materia (idem dic de forma) respectu compositi non habet talem effectum, quia compositum ut infra videbimus, nihil est præter Materiam & Formam & Unionem. Ergo.

Ratio 3. Materia & forma, vel simul sumptæ, & per modum unius, vel simul sumptæ in sensu distributivo, causant compositum; nullo modo ex his, causant illud: Ergo absolutè non causant. Minor probatur: Materia & forma simul sumptæ, & per modum unius, sunt ipsummet compositum, quod seipsum causare non potest; non etiam simul sumptæ distributivè, causant compositum, quia simul sumptæ distributivè, sunt ipsa Materia, vel ipsa forma: materia autem Materiam, forma formam non causat: non etiam ad invicem se causant, quia hoc non est compositum causare, cum ad invicem sumptæ, non sint compositum. Quando autem à Philosopho numerantur quatuor causarum genera, numerantur non quòd ratione compositi sint quatuor, sed quia causat v.g. Materia formam eductam, idque vera causalitate, cumque plures sint materiales formæ præ creatis, ad has maximè attendit.

Quæres 3. *Quæ sit causalitas causæ materialis?* Censet Arriaga, actionem quâ agens producit formam, esse idem realiter, cum passione, quâ subjectum eandem formam sustentat, Recentior Suarez in fieri causalitatem materiæ, dicit esse ipsam generationem, prout fit dependenter à Materia, in facto autem esse, dicit hanc causalitatem Materiæ in formam, esse ipsam generationem, prout dependet à materia. Complutenses tenent in fieri causalitatem materiæ in formam, esse generationem, in facto esse Unionem, prout recipitur in materiâ. Pontius Suarez, Ruvius, Unionem dicunt esse causalitatem.

Assero primò: *Vnionem prout receptam in Materiam, non esse causalitatem Materiæ in formam eductam.*

Ratio prima est. Tum quia id quod est causalitas in formam, debet esse tale, ut ubicunque reperitur, hoc ipso reperiatur forma educta; hoc enim deposcit natura causalitatis, sed non ubicunque reperitur unio recepta in materia, illic est forma educta, ut scitum est in composito humano, in quo Unio recipitur in Materia, & tamen anima non est forma educta. Neque dicas cum Pontio: Non unionem quamcunque esse causalitatem, sed unionem à qua in esse & in suo fieri dependet forma: nam hoc ipsum probandum fuisset, esse scilicet illic unionem, non ejus conditionis, qualis est in homine, sed involventem illam adstrictionem ad se formæ, idque non supponendo eam in ipsa forma, sed in se illam importando. Si enim supponitur illa in ipsa forma, quærere restabit, quæ sit causalitas causæ Materialis, in formam talis conditionis? Tum quia vel implicat contradictionem, formam eductam tali omninò unione uniri, quali unitur anima rationalis, ita ut diversitas peti debeat non ab unione, sed ab ipsis extremis, vel non potest tali unione uniri: si non potest, quæ in hoc implicantia; si potest, ergo talis unio non rectè explicat causalitatem materiæ in formam eductam, cum possit esse unio, adeoque causalitas per te & non respondere forma educta, sed forma creata. Tum quia impossibile est, ut ab unione dependeat forma educta in fieri & in esse, & tamen à causalitate dependere debet; quod ipsum probatur, quia pro illo priori, pro quo ponitur eductio, nec dum intelligitur unio, quia ante existentiam formæ eductæ, præintelligitur eductio, & non potest præintelligi unio, quia hæc sequitur existentiam, sequereturque quòd pro illo priori unio, nihil uniret, pro illo scilicet priori, pro quo intelligitur ante existentiam. Ergo unio, non est causalitas, de qua quæritur.

Ratio secunda. Quando conservantur divinitus formæ materiales sine subjecto, sunt verè eductæ actu, consequenter est illic ratio constituens formas eductas, in ratione eductarum actu, & tamen non est unio. Ergo apparet unionem non stare in eductione.

Ratio tertia est; Non implicat, contradictionem esse aliquam formam materialem eductam, & tamen non unitam: Ergo apparet eductionem, quæ idem est cum causalitate materiali, non esse unionem, quodsi dicas, unionem esse causalitatem in compositum, non in formam; quæro, quæ sit causalitas in formam? & quid à parte Materiæ se tenens eductio: demum sicut relatio, est, quid posterius termino, nec est ejus causalitas; ita & unio est posterior forma educta, nec potest esse ejus causalitas.

Assero secundò. *Causalitatem materiæ non esse ipsam generationem, prout dependet à materia,* seu quod idem est, non esse ipsam receptionem actionis.

Ratio. Tum quia receptio actionis nihil aliud est, nisi unio cum Materia actionis: Ergo si, ut visum est supra, unio non est causalitas materiæ, neque erit receptio. Tum quia nulla causalitas recipitur in causa, sed in effectu; in eo enim

enim recipitur quod causat, & si reciperetur in causa, causam causaret; sed generatio formæ prout dependet à materia, inquantum idem est cum receptione, recipitur in ipsamet materia. Ergo non est causalitas illa receptio Generationis. Tum quia, accipiendo hanc ipsam phrasim: causalitas materiæ est ipsa generatio, prout dependet à materia; illa nihil explicabit, quærere enim restat, quid est hoc, illam pendere à Materia? pendentia importante causalitatem materialem; nam etiam creatio animæ rationalis, est productio suo modo pendens à materia, quia scilicet non producitur, nisi ad exigentiam dispositionum receptarum in materia. Quæ ergo illic est specialis dependentia? & per quid forma non habens jus existendi in universo independenter à Materia, per quid inquam, hic talis terminus, causatur à materia? Tum quia effectus recipiens actionem, quæ receptio vocatur passio, non dicitur causare seipsum materialiter; quomodo ergo similis receptio in Materia, salvabit causationem materiæ? Tum quia præter receptionem & passionem in Materia, vel datur alia receptio in effectu, vel non datur; si non datur? quomodo tunc salvabis, quod illa receptio sit causalitas Materiæ in formam, cum forma, nec illam ponat, nec illam recipiat: si autem datur? quomodo una actione posita duplex respondebit, passio & receptio, præcipuè cum Materia non sit terminus illius passionis, sed forma. Tum quia si nihil obsit duabus causis distinctis & sibi in agendo non subordinatis, debet dari distincta causalitas. Materia autem & efficiens, non sunt sibi subordinata, quia subordinatio vel est inter principale & instrumentale, vel inter causam magis universalem & causam primam & secundam; jam autem materia respectu efficientis, neque est instrumentum, nec causa magis restricta, nec causa secunda. Tum quia causalitas debet esse ratio ultima, quare Materia causet, sed illa generatio non est quid tale; si enim quæram: quare materialis forma causetur à materia? Respondebis quia generatur generatione dependente à Materia; hoc ipsum autem est quod ego quæro, quid sit istud dependere à materia? vel quare dependere à materia est ejus causalitas? Tum quia non implicat contradictionem, quòd generatio sit dependens à Materia, nec tamen per hoc sequatur, illam dependentiam esse causalitatem materiæ: multa enim sunt quæ dependent ab alio, nec tamen sunt causalitas, per quam illud à quo dependent, agat, sed potius per quam agatur & fiat. Sic v. g. Creatio non est causalitas creati, sed creatoris, & tamen dependet à termino ad quem terminatur illa creatio. Ipsa item generatio, non tantum est dependens à Materia, sed etiam est dependens ab ipsa forma, & tamen non est generatio causalitas formæ, per quam forma agat; Neque valet si dicas; in adlatis exemplis esse dependentiam, tanquam à termino quem causat, nam saltem inde sequitur, quod dependentia ab alio, non jam seipsa faciat illud aliud agere seu causare, & non ostendis quare faciat agentem seu causantem materiam. Tum quia rationes, quæ in oppositum adferuntur non convincunt, quarum non paucas refutatas videbis apud Arriagam Sect. 1. *Sed insuper*

Dices: Vel causalitas materialis dependet à sola materia, vel etiam ab agente; si à sola materia: Ergo causalitas illa, non est facta, quia non habet causam efficientem, nam materia sola erit causa materialis; dicere autem illam causalitatem non esse factam, omninò est Chimæricum. Ergo illa causalitas dependet à causa efficienti; sed non dependet ut terminus. Ergo ut via & actio illius: ergo ulterius causalitas materialis est etiam actio causæ efficientis.

Respondetur. Retorquendo argumentum: emanatio passionum, qualis est emanatio quantitatis à materia, vel dependet à sola materia, vel etiam ab agente; non à sola materia, quia aliàs non esset facta quantitas; non etiam ab agente creato, quia illud non agit nisi supponendo quantum. Deinde dici potest, sicut est illa causalitas materialis, ita & facta est in genere causæ materialis, distinguetur à productione in divinis reperibili, quæ non involvit causalitatem, nec esse facti.

Instabis. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, nulla autem necessitas multiplicandi condistinctam causalitatem Materiæ à causalitate formæ.

Respond. Esse necessariam, ob rationes supra adlatas, & insuper ex eo, quia per oppositos multiplicantur magis entia sine necessitate, quia mutatis agentibus in conservatione v. g. effectûs materialis, deberet etiam mutari causalitas causæ materialis quæ multiplicatio & variatio nullam habet necessitatem. *Ut explicetur quid sit causalitas materialis:*

Præmitto 1. *In ordine ad hoc, ut constituatur forma, quæ connaturaliter exigat esse & conservari nonnisi in subjecto, non est necessaria ulla causalitas intermedia causæ materialis.* Sed hoc ipso quia producitur ab agente talis, sine ulla superaddibili causalitate materiæ, talis est.

Ratio præmissi. Tum quia, quod seipso dependet, non causatur per distinctam causalitatem quæ sit modus, vel non sine modo, nam hæ causalitates necessariæ sunt, nonnisi ad tollendam indifferentiam, quæ in istis, quæ seipsis dependent, nulla est, ut notum est ex materia de Modis; sed Forma seipsâ dependet à materia, in hoc, quod est esse & conservari connaturaliter nonnisi in materia. Secluso enim omni alio superaddito, & relictâ sola illius entitate, habebit indigentiam hanc materiæ; relicta enim sua sola entitate, adhuc non erit quid spirituale, nec quid completum. Hinc non habebit jus exi-

Iten-

ſtendi extra materiam. Et ſicut non indigere materiâ in anima ſpirituali, non conferetur illi per aliquid ſuperadditum, ita & prædictum indigere, non conferetur formæ materiali per aliquid ſuperadditum. Et certè, ponamus illud ſuperadditum tolli, manere autem formam in entitate materialem; vel habebitur adhuc in illa forma indigentia, ut connaturaliter nonniſi in materia eſſe & fieri poſſit, vel non habebitur; Si habebitur: Ergo immerito illi ſuperadditur; ſi non habebitur: ergo vel evaderet ſpiritualis, vel ratione ſuperadditi naturam ſuam talem habebit, & tamen v.g. homo non per aliquid ſuperadditum animal rationale eſt: Ergo idem dicendum de forma materiali, cujus etiam natura eſt, non poſſe fieri & conſervari connaturaliter ſine forma. Tum quia defacto in Euchariſtia accidentia ſunt ejus naturæ, ut connaturaliter exiſtere exigant unita materiæ, & tamen nihil illic eſt, niſi entitas ipſorum accidentium: & licet illic ſuppleatur cauſalitas materialis, non ſupplетur tamen in ordine ad hoc, ut conſtituantur indigentes materiæ; ad eſſe ſuum connaturale. Tum quia, aliæ etiam indigentiæ, non conſtituuntur per diſtinctam aliquam cauſalitatem, & ita indigentia pecuniæ non conſtituitur per diſtinctam cauſalitatem, nec indigentia concurſus, quæ eſt in creatura, reſpectu Dei cauſatur per diſtinctam cauſalitatem: Ergo idem in præſenti dicendum.

Præmitto 2. *Præter indigentiam, quam habet forma: ut eſſe & fieri connaturaliter non poſſit niſi in materia, recipit influxum quendam à materia, qui appellari poteſt materialiſatio.*

Ratio. Quia niſi hic influxus ponatur, non intelligetur per quid cauſetur forma, ita indigens produci & conſervari.

Præmitto 3. *Hunc influxum eſſe jus in materia, ut aliquæ formæ, independenter à ſe, exiſtere, & fieri naturaliter, non poſſent*; & quia omni juri reſpondet debitum, reſultat etiam in formis quibusdam debitum, ut connaturaliter nonniſi dependenter à materia exiſtant, jusque hoc ſuum exercet materia illo influxu, quem appellamus materialiſationem, ſed de hoc ubi de eductione. *His præmiſſis,*

Assero 3. *Cauſalitatem materiæ eſſe influxum quendam in formas, qui influxus appellari poteſt materialiſatio.* Aſſertum manet explicatum in præmiſſis. Porrò ratio aſſerti eſt: Tum quia cauſa materialis habet ſuum influxum ſeu cauſalitatem; ſed non ſalvatur hæc cauſalitas per actionem, nec per unionem: Ergo per dictum influxum, neque enim aliud quidquam oſtendi poteſt. Tum quia in Sacramento Euchariſtiæ, cenſent omnes ſuppleri à Deo, quamvis in diverſo genere, influxum cauſæ materialis; ſed non ſuppletur unio ipſa, quia non apparet modus, quô unio ſuppleri poſſit, aliàs poſſet Deus compoſitum verè facere deficiente unione, & ſupplente Deo defectum illius. Et ſicut verè id accidentia habent, quod haberent, ſi in illa influeret materia, licet in diverſo genere, ſic verè poſſet eſſe compoſitum ſine unione, quamvis non eodem modo, non etiam in Euchariſtia, ſupplet Deus actionem, prout dependet à materia: quia quamvis fuerit decretum, de illa non ſupplenda, ſi modo hoc, quod debetur à materia indigentiæ formarum, præſtaret, verè ſuppleret cauſalitatem cauſæ materialis: Ergo cauſalitas materialis ſtabit in illo jure materiæ & obligatione formæ, quia ſcilicet Deus, præbet concurſum, qualem præberet, ſi uniretur formæ; & licèt hic influxus concomitanter depoſcat unionem & ex conſequenti, non tamen formaliter eſt ipſemet ille influxus, & illa cauſalitas, ſed ad illud jus in Materia, & obligationem in forma, tum primum conſequitur Unio: Tum quia, niſi ponatur hic influxus, per nihil diſtinguetur creatio ab eductione.

Quæ hîc objici poſſunt vel in confirmationem explicationemque adferri, videantur ubi de eductione. *Neque inde ſequetur*: Materiam eſſe cauſam efficientem, quia illa cauſalitate non efficitur ſimpliciter eſſe, ſed tantùm eſſe ſuſtentantis & ſuſtentati conſtituitur. *Ex dictis autem*

Colligis effectum proprium materiæ, eſſe formas materiales, improprium, compoſitum.

DIFFICVLTAS II.

Reſpectu quorum Materia exercet rationem materiæ.

SUb hoc univerſali titulo duo inquiremus 1. An accidentia recipiantur in Materia, an in toto compoſito? 2. An accidentia immediatè recipiantur in Materia, an media quantitate? *Sit*

Punctum Difficultatis I.

An accidentia recipiantur in ſola Materia?

NOn procedit Titulus de accidentibus ſpiritualibus, hæc enim indubiè recipiuntur in anima rationali, quia cùm poſſint habere ſubjectum ſibi proportionatum in gradu Entis, illud ſibi vendicabunt: ſed procedit quæſtio de accidentibus materialibus, iisque communibus utrique mutationis termino, quale accidens eſt Quantitas, primæ qualitates, &c.

Digen-

Dicendum est. *Accidentia communia in sola Materia recipi.* Est Conclusio communis contra Thomistas.

Probari solet primo. Argumento quo utitur Arriaga: Eadem quantitas & eadem accidentia communia, sunt in sequenti composito quæ fuerunt in antecedenti. Ergo idem utrobique habent subjectum, non enim de uno subjecto in aliud migrare possunt.

Confirmatur. Quia in eo recipitur quantitas & alia accidentia communia, unde educuntur, sed educuntur è sola potentia materiæ. Major probatur: in eo recipiuntur accidentia, in quo ut recipiantur, dicunt connaturalem exigentiam; sed connaturalem exigentiam habent, ut in eo recipiantur unde educuntur, quæ ipsa eductio, est ista exigentia. Minor principalis probatur. Tum quia tota ratio eductionis salvari potest, si educantur è sola materia: ad quid ergo multiplicabuntur entia? Tum quia è sola materia educuntur formæ substantiales; ergo & accidentales. Tum quia antecedunt positionem compositi generandi, &c.

Probari solet secundò. In composito humano quantitas immediatè recipitur in materia: ergo & in aliis. Antecedens probatur. Quia non potest recipi in anima, quæ est in entitate spiritualis.

Respond. primò. Prado apud Oviedo, quòd anima rationalis, quantumvis secundùm ultimum sui gradum & entitatem in se sit spiritualis, adeoque incapax quantitatis, inquantum tamen dat esse corpori, capax est quantitatis.

Contra. Anima rationalis secundùm ultimum sui gradum non recipit quantitatem: ergo nec secundùm quod dat esse corporei, quia secundùm quod dat esse corporei, est eadem entitativè, & non minus spiritualis. Deinde receptio quantitatis Physicum quid est: si est physicum, rei indivisibili & partes non habenti, convenire non potest: ut secundùm quid recipiat. Et sicut si calefieret per impossibile Angelus, totus calefieret, ita secundùm totum esse deberet recipere anima quantitatem.

Respond. 2. Recipi quantitatem etiam in anima rationali eò quòd nulla sit ratio id negandi. Si enim dicas quòd quantitas rei spirituali effectum suum formalem tribuere non possit, id non convincit, nam sensationes materiales recipiuntur in materia, & tamen materiam non reddunt sentientem, non estque major materialitas in quantitate, quàm in ipsa materia, quæ tamen naturaliter unitur animæ spirituali, & quamvis concedatur, ex anima illam educi non posse, cur educta è materia connaturaliter recipi in anima non poterit?

Contra. Quia si nihil obsit, debemus proportionare subjecta & actus; nihil autem obest, si non ponatur quantitas in anima. Deinde sensationes recipiuntur in materia organi, & nego quòd illud non reddant sentiens. De unione Materiæ cum forma dispar est ratio, quia obest illam non ponere, obest inquam ipsa ratio compositi substantialis, quæ supponitur dari & non perficeretur unione hac negata; sed de hoc fusius alias.

Respond. 3. Saltem falsam esse conclusionem in composito ex forma materiali, quæ etiam est capax quantitatis.

Contra est. Quia materia compositi humani est sufficiens ad recipiendam quantitatem: ergo & materia, quæ sustentat formam substantialem materialem. Deinde non appareret, quomodo attemperare receptionem suam possit materia, ut det locum receptioni perficiendæ, in forma substantiali.

Probatur 3. Quia nullum est fundamentum & nulla necessitas tribuendi hanc vim etiam formæ, vel enim est illa spiritualis, & sic incapax est quantitatis, quia alias dicam capacem frigoris & caloris, adeoque mutari illam per accidentia, consequenter nec erit necessitas contra communem Theologiam elevandi ignem ad urendas animas, siquidem calorem naturaliter recipere potest; vel certè illa forma esset materialis, & sic adhuc non posset recipere quantitatem, quia per illam redderetur impenetrativa, quomodo ergo uniretur omnibus partibus materiæ?

Objicitur primò. Auctoritas Aristotelis 7. Metaph. tex. 8. ubi censet Materiam non esse quid, neque quantum, &c.

Respondetur. Illo loco vult Aristot. quòd Materia non sit quantitas, nec quid determinatum ad habendam nonnisi quantitatem, sed esse subjectum istorum omnium. Vel dicit, materiam non esse subjectum denominationis accidentium, hoc enim competit ipsi composito.

Instat Mastrius Disp. 3. num. 4 ex aliis auctoritatibus.

Prima auctoritas. Prima substantia primò substat accidentibus, & ea corrupta nihil remanet: ex capite de Substantia.

Respondetur. Loqui Aristotelem de subjecto denominationis, non autem de subjecto receptionis.

Secundus Locus 1. de generat. tex. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subjectum alterationis est compositum, generationis materia prima.

Respondetur. Aristotelem non plus velle, quàm quod possit aliquid alterari, non generari, manente composito: sed inde non sequitur, alterationes illas non in materia, sed in composito, recipi.

Tertius Locus ex 7. Metaph. tex. 4. quod substantia à toto genere est prior accidente, & totum per se, supponitur toti per accidens.

Respon-

Respondetur. Quamvis ponatur sola materia receptiva formarum accidentalium, adhuc verum erit dicere substantiam esse priorem accidentibus, supponeturque totum per se toti per accidens, quia ipsum totum per accidens, exigitur ab ipso toto per se; exigitiva autem licet non Physicè, in ratione tamen exigitivorum, priora sunt præexigitis, estque major proportio inter materiam & formam substantialem in ratione entis, sed non in ratione prius informabilis; nam forma præexigit ante se tanquam dispositiones accidentia, quæ jam tunc nonnisi in materia recipi poterunt, antecedens enim compositum non exigit, sed supponit illas dispositiones, licèt subjectum denominationis motus illius, sit compositum, quod, solùm voluit Aristoteles 5. Phys. t. 3.

Objicitur secundò. Materia non potest recipere accidentia, quousque non sit subsistens: quia si actio subsistentiam agentis requirit & passum, sed materia non est subsistens quousque sit informata forma substantiali, subsistit enim subsistentia formæ. Ergo.

Respondetur. Sicut per Thomistas ad receptionem formæ substantialis, non requirit Materia subsistentiam, cùm illam primùm per formam recipiat, sic nec requiret ad formam accidentalem. Neque valet si dicas: ad recipiendam subsistentiam non est necesse habere aliam subsistentiam, imò absurdum est illam habere: cùm ergo forma substantialis det rationem subsistentis materiæ, non debebit ante habere illam materia. Non inquam valet si dicas, quia saltem prius naturâ deberet supponi subsistens quàm recipiens formam, quia sicut præsupponitur prius natura ad actionem subsistentia, ita debet præsupponi ante Receptionem; non posset autem prius natura supponi subsistentia ad receptionem formæ, si subsistentia habetur à forma. Deinde negari potest, quòd materia habeat subsistentiam à forma.

Objicitur tertiò. Quantitas est proprietas totius compositi. Ergo recipitur in toto composito.

Respondetur. Etiam intellectio dicitur de toto homine, & tamen non recipitur in corpore hominis, sufficit ergo ad hoc, esse unitum cum eo, quod recipit in se, vel intellectionem, vel quantitatem. Deinde, quantitas est proprietas totius hominis tanquam subjecti denominationis, non autem tanquam subjecti sustentationis, & inhæsionis. Fundatur hæc responsio in textu Aristot. qui 5. Metaph. tex. 18. *Quædam*, inquit, *secundùm accidens dicuntur quanta, eo quòd illud cui insunt quantum quid est. Nec obest*, quod prius sit ens per se, quam per accidens, hæc enim prioritas est secundùm intentionem & dignitatem, non secundùm executionem. Quamvis autem non recipiantur accidentia materialia in anima vel forma materiali, non frustra laborat, dum se ad illa vult reducere, vel illa acquirere Forma, quia bonum materiæ cui illa unitur, est bonum formæ, per communicationem. Quanquam dici posset, quod formæ accidentales, pro quibus specialiter solicita est forma substantialis, recipiantur in eadem forma substantiali, hæ enim non sunt dispositiones ad formam, adeoque præcedentes formam, sed potius passiones formæ.

Objicitur quartò. Anima rationalis quamvis recipiatur in materia quanta, quia non recipit in se quantitatem, non est quanta. Ergo & forma substantialis materialis, si non recipit in se quantitatem, non erit quanta.

Respond. Solet, negando causalem, sed ideo non est quanta, quia non habet partes entitativas. Sed quid si aliquis diceret, formas etiam materiales non esse quantas formaliter, ex eo, quia in se non recipiunt quantitatem, & si reciperent redderentur impenetrativæ corporis cui uniuntur; quamvis autem habeat forma materialis partes entitativas, & dividi possit in brutis, saltem imperfectioribus, non sequitur, debere jam esse illam formaliter quantam, quia albedo, sapor, &c. habent etiam partes suas entitativas, sunt que formæ divisibiles, & tamen non habent propriam quantitatem, sed dividuntur & extendi dicuntur ad extensionem quantitatis ipsiusmet subjecti, illiusque quantitate quantisantur, nec redduntur non penetrativæ, quia non habent quantitatem distinctam ab ipsamet materia, & tamen impenetratio debetur nonnisi duabus quantitatibus propriis, qualem habent propriam singulæ partes Materiæ.

Objicit quintò Prado apud Oviedo: Ex accidenti & materia vel fit unum per se, vel unum per accidens: non fit unum per se; quia sunt partes diversi ordinis: non etiam fit unum per accidens; quia hoc debet reduci ad unum per se, adeoque accidentibus præexistet forma.

Respond. Negando quòd illud ad quod reducitur aliud, debeat præexistere illi; reduci enim est ordinari ad aliud, id autem ad quod est ordo, non est necesse præexistere, nam omnipotentia dicit ordinem ad creaturas, quæ illi non præexistunt. Negatur ulterius, quod istud reduci ad unum per se, sit reduci tanquam ad subjectum inhæsionis, quamvis sit reduci tanquam in finem, Denique concedo, tunc fieri unum per accidens; transeat quòd præexistat unum per se, uni per accidens, sed inde nego sequi, quòd in toto illo præexistente, recipi debeant accidentia ad illud ordinata. Unde etiam quamvis forma substantialis, non uniatur media quantitate materiæ, hoc sensu, qua si per prius substantialis forma uniatur quantitati, per posterius materiæ: unitur tamen media quantitate hoc sensu, quia præsupponatur, quantitas

unita

unita materiæ ante unionem cum forma substantiali.

Pontius cùm teneat in compositis constantibus rationali animâ, solam materiam esse subjectum quantitatis, censet in compositis aliis totum compositum esse subjectum: sed argumenta illius probant, etiam in compositis ex anima rationali recipi quantitatem. Quare autem etiam in talibus compositis non recipiatur quantitas, in utroque extremo ratio est: quia quod fieri potest per pauciora, frustrà fit per plura, potest autem sola materia recipere illa accidentia. Nec est major ratio de talibus, ac de constantibus animâ rationali; natura autem sui ordinis tenax, si in Uno recipit se sola quantitatem, recipit & in alio, præcipuè cùm etiam ad formas inanimatorum requirantur dispositiones, quæ antecedunt introductionem formæ, adeoque recipi in forma, non poterunt. In argumentis etiam aliquibus supponit distinctionem realem compositi, à partibus simul sumptis unitis. Concedimus tamen cum Aristotel. 5. Physic. tex. 8. & primo de Gener. tex. 24. per hoc distingui generationem & alterationem, quòd generatio pro subjecto dicat Materiam primam, non habentem adhuc formam, quæ generatur. Posterior autem supponit Materiam informatam jam forma substantiali; sed nego illam recipere debere illas alterationes, recipit quidem immediatè Materia formam substantialem, quia si illam immediatè non reciperet, non haberet forma aliud subjectum, cum quo posset componere immediatè totum substantiale, benè autem quantitas non recepta in utraque parte compositi, habebit adhuc suum subjectum, ipsammet materiam. Supponit etiam, sed immeritò, Pontius, quasi quantitas non sit dispositio ad quascunque formas, cùm agens illas introducens connaturaliter in subjectum non extensum agere non possit.

Alia argumenta in oppositum.

Objicit sextò Mastrius. Si materia est subjectum inhæsionis omnium accidentium, ergo nullus motus erit violentus, quod est contra omnem Philosophiam. Sequela probatur. Quia materia nullam formam recipit violenter, & tamen motus dicitur naturalis vel violentus, juxta inclinationem vel repugnantiam subjecti.

Respondetur. Motum aliquem esse violentum, non subjecto illius immediatè receptivo, sed composito, in quo continetur recipiens, quod compositum habet jus, ut in se contenta materia, insidias sibi non struat, receptione contrariæ sibi formæ accidentalis.

Instat primò Mastrius. Ergo motus ille simpliciter vel per se erit naturalis, secundùm autem quid violentus.

Respondetur. Cùm stante composito ipsum compositum habeat rationem per se & simpliciter, & cùm ille motus sit illi composito violentus, ideo non erit jam ille motus naturalis, sed simpliciter violentus; secundùm autem quid, hoc est, secundum subjectum in quo recipitur, naturalis.

Instat secundò idem. Violentia & naturalitas in motibus simpliciter & per se attenditur, in ordine ad id, quod per se movetur, non in ordine ad id, quod movetur per accidens & ratione alterius.

Respondetur. Per se moveri duplex cogitari potest. Primùm per se moveri, est moveri in se recipiendo motum subjectivè, sic per se moveri non competit composito. Deinde per se moveri, est moveri id, quod habet rationem principalis, in se stantis, adeoq; talis, simpliciter, licèt non recipientis illum motum, nisi in aliquo sui, tale per se moveri competit composito: illud enim habet rationem principalis & in se stantis, cumque nonnisi ratione alterius, hoc est materiæ, debeat ille motus esse naturalis, hoc ipso per accidens, seu ratione alterius, erit naturalis, per se violentus.

Instat tertiò. Si mobile per se habeat inclinationem ad illam formam, motus est naturalis simpliciter; si repugnantiam est, violentus. Sed mobile per se per nos est materia: Ergo motus ille erit per se naturalis.

Respondetur. Mobile per se est duplex, ut dictum: mobile per se, id est quod movetur, & habet rationem talis simpliciter & per se, & tale est compositum; aliud est mobile per se, quod per se & in se recipit, & hoc est materia, inclinatio autem debet pensari, illius per se, primo modo sumpti, quam quia non habet, erit necesse, ut ille motus sit violentus; cùm enim ipsum compositum habeat rationem principalis, etiam ejus inclinatio habebit rationem principalis, & quia ipsum compositum ad illum motum non habet inclinationem, ideo fiet ille motus contra inclinationem principalis, adeoque simpliciter violentus erit.

Objicit septimò. Anima non est immediatè receptiva visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima & determinata parte corporis, quod organum seu oculus videt.

Respondetur. Quando dicitur, quod oculus videat, dicitur id de oculo, tanquam de subjecto denominationis, quòd scilicet visio toti organo tribuatur, non autem de subjecto receptionis, vel alia phrasi certe est id verum, de subjecto recipiente denominationem, & hoc subjectum est compositum, quod est oculus, non autem de subjecto recipiente formam.

Instat primò. Illæ operationes sunt totius conjuncti, ut principii operativi: Ergo etiam erunt totius, ut subjecti recipientis.

Respondetur. Etiam operationes sunt totius conjuncti, ut principii operativi denominativè, non autem elicitivè, cùm enim materia oculi non sit vivens, non poterit moveri ab intrinseco ad visionem, sed hoc competit animæ, licèt in in oculo exercere; consequenter totum illud quod est oculus, erit principium operativum denominativè, non elicitivè, ita & erit oculus principium receptivum denominativè, non formaliter, & ut salvetur quòd non recipiatur in passo ab agente diverso, sufficit quòd ipsum agens, quod est anima, sit conjunctum receptivo principio, imò ipsa utpote spiritualis, non potest esse capax receptionis materialium. Per hoc tamen non negatur, oculum esse instrumentum visionis.

Instat secundò. Ergo operationes illæ non dicuntur cum omni proprietate immanentes, quamvis enim non recipiantur in passo ab operante diviso, recipiuntur tamen in passo distincto.

Respondetur. Negando, quòd non sufficiat ad propriam immanentiam, ne actio recipiatur in passo diviso, modo sit unitum substantialiter agens ipsi passo, præcipuè autem quia adhuc recipitur in oculo, qui est instrumentum agendi.

Instat tertiò. In eodem subjecto recipitur species impressa & expressa, sed species sensibilis impressa recipitur in toto conjuncto, & species intelligibilis recipitur in intellectu.

Respondetur. Etiam species impressa sensibilis, nonnisi in Materia recipitur, si tamen sit species impressa intelligibilis, recipietur in intellectu seu anima; sed inde non sequitur recipiendam in anima etiam speciem sensibilem, quia jam Materiale reciperetur in spirituali, quod repugnat. Quòd autem dicit, non excludi ne aliquid sit subjectum denominationis, quod est subjectum inhæsionis, id verum est, sed negatur non posse esse aliquid subjectum denominationis, quamvis non sit subjectum inhæsionis, consequenter poterit totus oculus denominari videns, quamvis oculus non totus recipit visionem, sed nonnisi secundùm aliquam sui partem, ut nasus recipit solus similitatem, & tamen homo appellatur simus.

Punctum Difficultatis 2.

An accidentia Materia subjectet in genito, quæ fuerunt in corrupto?

Titulum sic alii proponunt: An detur resolutio usque ad materiam primam. Nectitur autem difficultas, cum priori sic, si in materia reciperentur accidentia & non in forma, tunc eadem numero Materia posset sub aliam etiam formam accidentia eadem deferre numero: sed non potest deferre eadem, qui datur resolutio ad Materiam primam. Ergo. Ut titulo argumentoque satisfiat,

Dicendum est. *Aliqua accidentia eadem esse numero sub utroque mutationis termino*, vel alia phrasi: Non dari resolutionem ad materiam primam. Ubi conclusio negat minorem argumenti adlati.

Probat primò Oviedo: Si deficerent accidentia omnia præcedentis compositi, vel deficerent ob defectum causæ conservantis, vel ob contrarietatem cum forma opposita, vel ob defectum subjecti; nullo modo ex his debent deficere, quod probatur, quia accidentia communia causam sui conservativam habent Deum. Rursùs accidentia communia, cum subsequenti forma non habent contrarietatem, imò sunt bonum illius requisitum, hinc in sententia Thomistarum, similia succedunt illis accidentibus alia, non etiam deficiunt ratione subjecti, quia hoc utrobique idem est, nempe materia. Deinde ad hoc, ut dicantur eadem accidentia non deficere deficiente subjecto, sufficit ut subjectum adveniat novum, potens ad illa servanda, ut defacto est potens per Thomistas, similia accidentia conservare.

Hoc ipsum sic aliter illustrat. Non minus dependet accidens à principio activo, quàm passivo, sed succedente alio principio effectivo, potente aliàs ponere similem effectum, potest conservare antecedentem effectum, ut patet in calore, qui ab antecedenti igne productus, conservatur à subsequenti. Ergo succedente etiam alio principio passivo, potente subjectare, similia accidentia ab eodem conservari poterunt.

Responderi potest huic argumento. Procedit argumentum, supponendo cum Thomistis, quòd in toto composito subjectentur accidentia, & nihilominus non sequi, quòd eadem accidentia non maneant in utroque mutationis termino. Sed multum probat, quia probat accidentia posse de subjecto in subjectum transire eadem numerò, quod & Thomistæ & communis Philosophia negat: non negat autem, quòd à diversis agentibus in genere causæ efficientis conservari posset, cùm id etiam à posteriori pateat in conservatione caloris, quam exhibet Deus amoto igne, nihil autem simile videmus de transeundo subjecto in subjectum.

Addit Arriaga, quòd si accidentia possent mutare subjectum inadæquatum, possent etiam mutare adæquatum, sicut causa efficiens, quæ succedit, non tantùm partialiter, sed & totaliter potest causare effectum, à præcedenti causa producta. Sed Hurtad. apud Oviedo censet id fieri posse, modo novum subjectum applicetur, hæc tamen concessio Hurtadi est contra receptum principium, accidentia de subjecto in subjectum non transire.

Sed

Sed quæ ratio assignanda foret, quòd accidentia de subjecto in subjectum transire non possint.

Prima Ratio assignari posset auctoritas.

Respond. Hujus ipsius auctoritatis requiri rationem.

Secunda Ratio, quia illa accidentia vel potest producere agens, vel non potest, si potest: potiùs nova producet, idque ob bonum universi consurgens ex varietate & novitate entium; si autem non potest similia producere, vel sint communia, debebit illa servare.

Responderi potest: Primam partem multum probare, quia probaret, quòd ignis subsequens antecedentem calorem non conservet, sed producat novum; secunda pars etiam non convincit, quia si non potest illa producere, vel illa sunt communia, cur illa transferre non poterit de subjecto in subjectum.

Tertia Ratio sit, quia non apparet, quæ sit, qualis, & quomodo perficienda actio translativa accidentium, destructiva unionis antecedentis, quæ tamen in accidentibus communibus non est contraria, sicut nec ipsa accidentia sunt contraria, cùm tamen ordinata sit actio ad opposita debellanda: denique cùm accidentia educuntur è potentia subjecti, bonum nonnisi illius debent esse, ex quo educuntur; hinc & subjectum è quo educuntur, petit ne bono suo spolietur, & subjectum subsequens petit, ut è se educantur, ut sint bonum illius, & ne frustretur felicitate, ut sua vis passiva reducatur in actum, per eductionem ex se horum accidentium, ideò è subjecto ad subjectum non transferentur, imò minueretur miraculum Eucharisticum, si accidentia à subjecto separari possint, cum vi transferendi illa in aliud subjectum.

Probari solet secundò. Videmus accidentia, quæ fuerunt in corrupto, manere in genito, vel quæ fuerunt in vivente, manere in cadavere; ergo apparet, quòd non fuerit facta resolutio usque ad materiam primam.

Respondent Thomistæ, non esse eadem accidentia, sed similia.

Contra, quia nulla ratio est, quòd sint similia & non eadem, cùm id nec ratio nec experientia ostendat.

Probatur tertiò Conclusio. Et esset resolutio usque ad materiam primam, & non esset: esset, ut supponitur; non esset ut probatur: quia vel unitur Forma subsequens materiæ dispositæ vel indispositæ; si dispositæ, ergo invenit illic dispositiones, adeoque non venitur ad materiã resolutam, seu carentem etiam accidentibus; si unitur indispositæ materiæ, ergo non unitur naturaliter, quia forma non educitur nec creatur, nisi ad exigentiam, & præsuppositis dispositionibus.

Respondetur. Primò Rubio, quòd antecedentia dispositionum, quæ pro illo instanti non sunt, expellat formam priorem, quam expulsionem non potest non sequi nisi hæc forma.

Contra. Tum quia hæc, quæ non potest non sequi forma, vel invenit materiam dispositam, vel non, reditque argumentum factum. Tum quia expulsio formæ est negatio, seu non esse formæ; negatio autem formæ non exigit magis hanc quàm illam formam, ergo neque expulsio: & certè negatio illa formæ nihil aliud est, quàm ipsa materia spoliata formâ & dispositionibus, sed materia spoliata omni forma & dispositionibus, non magis hanc quàm illam formam exigit, utpote nec ex se nec ab extrinseco, pro tunc determinata, ad hanc potius quàm illam formam habendam. Tum quia in quo instanti est expulsio formæ, vel sunt in illo instanti dispositiones, vel non sunt. Si non sunt; ergo non expellunt formam, quia existentia est ad causandum necessaria; Si autem in illo instanti, in quo est expulsio formæ, sunt dispositiones, ergo in illo instanti sunt, in quo est non esse formæ; quia expulsio formæ, est non esse formæ, & tamen responsio dicebat, quòd non sint tunc dispositiones ullæ. Unde ulterius non datur resolutio usque ad materiam primam, quando adhuc est præterita forma, nec etiam cùm jam est sequens, nec præterlabitur ullum instans, quô sit materia sine forma substantiali; ergo nunquam datur resolutio ad materiam primam, ergo nõ potest dici, quòd pro aliquo instanti non sint dispositiones, prout assumebat responsio.

Responderi potest secundò. Expulsis accidentibus, & datâ resolutione usque ad materiam primam, in ipso instanti inductionis considerari posse duo instantia rationis. In primo instanti rationis causantur dispositiones, & in secundo signo rationis causatæ jam disponunt, ad introductionem.

Contra. In illo priori rationis, vel causantur illæ dispositiones à composito, vel non à composito: si causantur à composito, ergo in illo priori rationis est compositum sine dispositionibus, quas tùm primùm causat compositum; si autem non causantur à composito, ergo nullum est fundamentum, dari resolutionem usque ad materiam primam, cùm inferatur resolutio ex eo, quòd causentur à composito: & sicut effectus, quo est prior causalitas prioritate à quo, non potest causare suam causalitatem, quia esse accipit à causalitate; ita nec dispositiones in suo genere, possunt deservire ad productionem formæ, cõsequenter ad constitutionem compositi, si à forma & composito accipiunt esse, causanturque. Et certè in illo priori rationis, quô compositum causat dispositiones, vel censetur priùs ratione habere requisita ad suum esse, vel non censetur habere: si non censetur habere, ergo neque est compositum, quia causa & requisita antecedunt saltem ratione id, ad quod requiruntur, & quod causant, si in illo priori rationis, in quo compositum censetur causare dispositiones, habet prius ratione requisita ad suum esse, ergo in illo

priori rationis, quo causat dispositiones, prius ratione sunt, dispositiones; sunt enim illæ requisita ad compositum. Rursus, vera est per Thomistas hæc propositio; ante primam existentiam compositi non est prius ratione existentia dispositionum, causatur enim à composito: Vera etiam est hæc propositio: ante primam existentiam dispositionum non est existentia compositi: Forma enim unitur Materiæ dispositæ, quo posito sic arguitur, Causa saltem ratione debet esse prior suo effectu, sed existentia compositi non est prior dispositionibus; Ergo neque potest esse causa illarum. Denique de illo priori rationis, in quo compositum dat primam existentiam dispositionibus, verificarentur duo Contradictoria, ergo illam non dat. Antecedens probatur: de illo priori verum est dicere; prima existentia dispositionum non antecessit ratione sui positionem, & rursus verum esset dicere: prima existentia dispositionum, antecessit prius ratione sui positionem: quod ipsum probatur, quia antecessit ipsum compositum, quod compositum causat illas dispositiones.

Quando autem Aristoteles dicit, nullum sensibile subjectum manere idem, intelligendus de subjecto denominationis, in quantum illud sentitur; sed non dicit non manere idem, quod est medium & ratio sentiendi ipsum subjectum, seu non manere accidentia communia: & licèt subjectum informationis & inhæsionis accidentium, sit ipsa & sola materia, non tamen sola materia est subjectum, in cujus cognitionem sensibilem, mediis accidentibus venitur, neque enim videmus materiam primam, sed Leonem, hominem, &c.

Punctum Difficultatis 3.

An mediante quantitate Materia recipiat Accidentia.

CEnsent mediante quantitate illa recipi, Suar. uterque Oviedo, Lugo de Eucharistia Diss. 10. n. 7. negant non pauci, quibus accessit Arriaga, Pontius & alii.

Dicendum est 1. *Accidentia posse recipi immediate in quantitate.* Probatur unicò argumento. Quia in hoc nulla repugnantia.

Objicit 1. Hurtad. Munus quantitatis est solùm extendere subjectum: ergo non poterit recipere immediatè accidentia.

Respondetur. Negando Antec. Saltem etiam secundariò, hoc potest illi convenire.

Instat Primò idem: in qualitatibus primis non recipiuntur accidentia; ergo nec in quantitate.

Respondetur. Negando Consequentiam, quia pro antecedenti nullum fundamentum, infrà autem adferetur fundamentum pro consequenti.

Instat Secundò idem. Dispositiones disponunt materiam ad formam substantialem; ergò debent esse in eodem subjecto, in quo & forma substantialis.

Respondetur. Sufficere, ut mediatè recipiantur in eodem subjecto, & si dispositiones sunt nonnisi determinantes materiam ad formam, possunt esse in alio subjecto à forma, quia determinativa, non est necesse esse in eodem subjecto, quod determinant.

Instat tertiò idem apud de Lugo, intellectio recipitur in eodem subjecto, in quo & volitio, ad quam intellectio est dispositio; ergo & reliquæ dispositiones recipiuntur in eodem subjecto, in quo recipitur forma, ad quam disponunt.

Respondetur. Disparitatem esse, quia cùm potentiæ animæ sint identificatæ realiter, si recipit aliquid potentia intellectiva, recipit hoc ipso etiam voluntas, idque immediatè, hinc non est, in quo tanquam distincto à voluntate possit recipi intellectio; jam autem ostendi potest, in quo, distincto à materia, recipiantur dispositiones, nempe quantitas.

Objiciuntur Secundò Paritates aliquæ.

Prima Paritas est: Forma substantialis non recipitur in quantitate; ergo nec accidentalis.

Respondetur. Pro antecedenti nullum fundamentum esse, quod adferetur pro consequenti. Deinde formæ substantiales ordinatæ sunt ad constituendum unum per se substantiale, quod non possunt constituere cum quantitate, seu subjecto accidentali: tale autem vel simile absurdum, non sequetur, posito quod quantitas recipiat accidentia: & licet Formæ accidentales dicant ordinem ad materiam, dicunt tamen ordinem ad illam, tanquam ad subjectum ultimatum, sed non tanquam ad subjectum immediatum, unde licèt illarum subjectativum non posset esse nisi subsistens, id verum est de subjectativo ultimato, non autem de immediato, & quidem respectu formarum accidentalium.

Secunda Paritas. Substantia non potest inhærere; ergo neque accidens subjectare.

Respondetur. Disparitatem esse, quia inhærentia, est proprietas adstricta soli rationi accidentis, facit enim inhærens, non esse ens per se: jam autem ratio subjecti non est adstricta soli rationi substantiæ, neque enim ostendi potest, cur ratio recipientis invehat prædicatum entis per se.

Tertia Paritas. Materia non potest informare; ergo neque forma recipere.

Respondet Pontius, Disparitatem esse, quia non est de ratione solius materiæ recipere, est autem de ratione solius formæ informare. *Hæc Responsio* Non

Non Satisfacit: De hoc enim ipso quæritur.

Hinc aliter respondetur. Argumentum imprimis multùm probare. Probaret enim, quòd in anima, quæ est Forma, non recipiantur intellectiones, volitiones, gratia &c. Deinde disparitas est, quia quod est pura potentia, non potest esse actus, adeoque Forma; jam autem Forma non est purus actus, hinc ei ratio aliquâ potentialitatis convenire potest, ut apparet etiam in potentiis vitalibus, producentibus & connaturaliter recipientibus suos actus. Rursus, si materia informaret, extraheretur extra suam speciem, poneretur que in specie Formæ, si autem Forma causet materialiter, non extrahetur ex sua specie; nam causare materialiter non est adstrictum soli entitati materiæ, sed cuicunque entitati, à qua in esse & conservari connaturaliter dependet aliquid: jam autem informare, adstrictum est nonnisi entitati Formæ, cui enim alteri? Denique, quia quantitas, cùm sit passio dimanans à materia, benè participare poterit cum suo principio saltim in ratione causæ materialis. Materia autem non est dimanans à forma, nec habet quare participet rationem actus.

Objicitur tertiò. Quod dependet dependentiâ unius generis, non potest terminare dependentiam alterius, in eodem genere: quantitas dependet à materia in genere causæ materialis.

Respondetur. Negando majorem: nam qui habet Patrem, potest esse Pater, vel major est vera hôc sensu; id quod dependet, non potest terminare dependentiam in eodem genere, & secundùm eandem rationem; licèt possit terminare secundùm diversam rationem, & ita non secundùm quòd aliquis Patrem habet, est Pater. Porrò etiam quantitas non secundùm quod recipitur in materia, recipit accidentia, sed secundùm vim aliam receptivam, terminabit dependentiam aliorum accidentium; quam vim in quantitate non reperiri, argumenta non evincunt.

Dicendum est 2. *Accidentia de facto recipi in quantitate.*

Probat primò Pontius. Quia id non repugnat, ut vidimus, nec impedit quidquam, quominus id defacto fiat: Ergo censendum est ita fieri.

Respondetur. Retorquendo argumentum: non repugnat, accidentia immediatè recipi in materia, quæ enim in hoc implicantia, nec impedit quominus id de facto fiat; ergò censendum est ita fieri.

Probat secundò de Lugo, quia nisi ponatur quantitas esse subjectum accidentium, explicari non potest, quomodo motâ quantitate à Sacerdote moveantur alia accidentia; quia motâ quantitate, vel moverentur accidentia immediatè à Deo ad occultandum hoc mysterium, vel per virtutem superadditam quantitati, ad illa secum trahenda: neuter hic modus explicat connexionem debitam interistos motus. Minor probatur. Si Deus movet alia accidentia motâ quantitate à Sacerdote, non apparet, quomodo dicatur Sacerdos verè movere, & deglutire hostiam, hæc enim significant motum localẽ provenire ab ipso Sacerdote; & si propriè nonnisi quantitatem movet sacerdos, propriè deglutiret solam quantitatem, non alia accidentia: si autem moventur alia accidentia, ob supernaturalem virtutem traditam quantitati, ad illa secum trahẽda, cùm quantitas de se neque sit gravis, neque levis, & aliunde in se non habent receptam gravitatem, non posset secum trahere alia accidentia, quæ nec recipit, nec ipsa una cum ipsis est in aliquo uno, quô motô reliqua moveantur trajicienda & deglutienda, cùm ipsa quantitas de se sit indifferens ad motum sursum vel deorsum. *Hoc ipsum sic ulterius proponit.* Gravitas specierum transmissibilis in stomachum, vel est quid superadditum, vel quid aggregatum ex accidentibus: si est quid superadditum, ergo sola descendet, & non trahet secum alia accidentia, quæ nec recipit, nec ipsa cum ipsis est, in aliquo uno, quo moto reliqua moveantur; si est quid aggregatum ex accidentibus, & non recipiantur in aliquo communi, quomodo unà gravitabunt? & si partialiter gravitant, cùm non omnes æqualiter secundùm se gravitent, non omnes descendent simul.

Responderi potest, huic argumento, quòd Deus supplendo in Eucharistia defectum materiæ, tribuat quantitati vim, ut id quod præsens materia recipiens accidentia faceret, idem sine receptione & sine materia fiat. Unde Sacerdos non præcisè tantùm quantitatem movet, sed quantitatem prout habentem virtutem, ut id quod præstaret præsens materia, fieri possit illâ absente; licèt ergo quantitas neque sit gravis, neque levis, quod etiam materiæ de se non convenit, quia tamen habet virtutem, quæ facit illam id præstare, non receptis accidentibus, quod præstaret materia recipiens accidentia, ideò motâ quantitate moventur & accidentia. Et sicut gravitas recepta in materia, traheret secum accidentia reliqua, ita non recepta in quantitate facit idem, DEO dante virtutem quantitati, ut id fiat absente materiâ, quod fieret præsente. Insuper adhuc, verè censebitur Sacerdos deglutire hostiam, quia illam virtute suâ propria transmittit in stomachum; an autem transmissio respectu specierum, fiat ob receptionem in subjecto communi, aut non in subjecto communi? non refert ad deglutiendũ. Et certè possibile est non recipi accidentia in quantitate, vel impediri receptionem, & tamen deglutiri illa accidentia, neque enim evacuaretur Divina potentia, ad faciendum transmitti

accidentia per verum deglutiendi actum, quantumvis in materia non reciperentur. Rursus posita sola unione reliquorum accidentium inter se & cum quantitate gravitateque, salvari poterit tota transmissio & actus deglutiendi.

Probatur tertiò. Quamvis non repugnet, ut materia immediatè recipiat accidentia, quia tamen etiam non repugnat, ut immediatè etiam quantitas recipiat accidentia, & id commodius est, ad explicanda mysteria fide: Ergo potius censendum immediatè illa in quantitate recipi, cum mysteria fidei, quantum fieri potest, facilitanda sint. Antecedens probatur: Illud quod non implicat fieri naturaliter, non est attribuendum miraculo; sed ut species Sacramentales calefiant, frigefiant, moveantur ad motum quantitatis, non implicat hoc fieri naturaliter. Ergo hoc miraculo tribuendum non est. Sed nisi ponatur quantitas recipere accidentia, calefieri & frigefieri non possent species sine miraculo, Ergo. Certè enim non repugnat educi, Accidentia illa, ex quantitate secundùm vires naturæ spectata, tanquam ex subjecto immediato, cùm non implicet quantitatem esse subjectum immediatum accidentium; si autem non educerentur ex quantitate, non educerentur ex subjecto, cùm nullum illic sit subjectum, consequenter nonnisi creari deberent, & tamen nulla creatura censetur assumpta ad aliquid de novo creandum, cumque illic ad positionem ignis fiat calefactio, desinat ad ejus amotionem, dicendus erit ille calor non produci à Deo, sed ab igne. Rursùs sine miraculo non posset albedo emittere suas species, quia accidentia non possunt operari absque subjecto, consequenter cùm id de facto fiat, multiplicabis miracula sine necessitate.

DIFFICVLTAS III.

Quid rationem causæ materialis exercere possit.

Quæres primò. An res spiritualis rationem causæ materialis exercere possit.

Assero primò. *Accidentia spiritualia causari materialiter à substantia spirituali.*

Ratio. Quia substantiæ spirituales creatæ non seipsis immanenter agunt, sed per distinctas actiones, quæ sunt accidentia, quæ nec fieri nec conservari possunt, nisi dependenter ab ipsis potentiis, ut patet in actibus intellectus & voluntatis, hæcque ipsa accidentia indigent subjecto. Ergo apparet illa causari naturaliter à substantia spirituali. Deinde accidentia spiritualia indigent etiam subjecto, sed non alio quàm spirituali, quid enim materiale in Angelo & licet quidem in homine corpus sit materiale, si tamen possit tribui accidentibus subjectum proportionatum, tribuendum erit.

Assero secundò. *Substantias spirituales completas, non esse subjectum naturale accidentium materialium.*

Ratio. Tum quia naturaliter illis non indigent: Ergo nec debuerunt esse naturale subjectum illorum. Tum quia hoc ipso quòd sint substantiæ completæ spirituales, non dicunt ordinem ad aliquid materiale, dicerent autem, si subjectum connaturale accidentium materialium essent; & sicut substantia materialis completa, hoc est constans etiam materiali forma, non dicit ordinem ad ullum subjectandum accidens spirituale, ad quod enim? ita & substantia spiritualis completa, non dicet ordinem ad accidens materiale. Tum quia respectu eorum accidentium subjectum aliquod exercet rationem causæ materialis, quæ accidentia educuntur ex illo, materialia autem accidentia, non educuntur naturaliter à subjecto spirituali cùm inter manifestè educta servetur proportio in ratione entis. Esset aliqua difficultas, an non sensationes recipiantur in anima rationali? sed ex dictis inferendum, non recipi, nisi in organo conjuncto, quod sufficit ut dicatur anima sentire, præcipuè cum per nos ratio sentientis non desumatur ex receptione, sed ex productione, de quo in Animasticis.

Assero tertiò. *Substantiam etiam completam spiritualem, posse divinitus exercere rationem causæ materialis, respectu accidentium materialium.*

Ratio. Tum quia non implicat contradictionem, ut v. g. albedo uniatur Angelo. Tum quia si quæ esset causa, cur id fieri non possit, ea esset, quia albedo effectum suum formalem non tribueret Angelo; sed hoc non obstat, quia effectum formalem intrat etiam subjectum capax denominationis, quale subjectum non est Angelus, cur ergo non sufficiet hic solus effectus formalis, qui est: facere subjectum habens accidens Materiale. Tum quia si potest Deus spoliare materiam omni quantitate, redigereque illam in punctum, quod etiam potest facere accidenti, cur illud saltim ita redactum in punctum, non poterit ponere in Angelo?

Quæres secundò. *An accidenti spirituale possit causari à subjecto materiali?*

Assero primò. *Non posse naturaliter.*

Ratio. Quia si nihil obsit, in eo debet recipi connaturaliter accidens spirituale, unde educitur, cùm ratio causæ materialis eductionem consequatur, accidens autem spirituale, utpote perfectius in ratione entis, non educitur è materia.

Assero secundò. *Posse divinitus id fieri, ut accidens spirituale uniatur subjecto materiali.*

Ratio. Tum quia id non implicat. Tum quia si naturaliter potest anima spiritualis, dice-

re ad corpus rationem unibilis, saltem id divinitus dicere poterit accidens. Tum quia difficilius est poni accidens materiale in subjecto spirituali, debet enim modo sibi non connaturali poni, modo nempe indivisibili, & tamen hoc fieri potest, ergo poterit & accidens spirituale poni in subjecto materiali, in quo poni poterit indivisibiliter, sicut ponitur & anima.

Assero tertiò. *Si quæsiti sensus sit: an accidens in genere etiam causæ efficientis, possit produci divinitus à subjecto Materiali, id etiam tenendum erit.*

Ratio. Quia etiam id non implicat contradictionem, videnda ea quæ dicuntur in prima parte, an oculus corporeus possit elevari ad videndum Deum, & in materia de Sacram. Ubi de potentia obedientiali.

Quæres tertiò. *An & in quo genere causæ Deus supplere possit causalitatem causæ materialis?*

Assero primò. *Posse Deum supplere causalitatem causæ materialis.*

Ratio. Tum quia defacto id præstat in Eucharistia: Tum quia præstaret concursum conservativum formæ materiali, qui præstari non deberet, nisi exigente materia, ut secum unita nonnisi coexistat, est suppleri causalitatem causæ materialis: hoc enim intelligimus per hoc supplere, sed id non implicat Deum præstare. Ergo. Tum quia potest Deus supplere defectum aliarum causarum; Ergo & defectum causæ materialis.

Assero secundò. *Non posse id Deum præstare in genere causæ materialis.*

Ratio. Quia ratio causæ materialis & causalitas ejusdem, stat in influxu, qui præstatur, eo quod habeatur jus, ut nonnisi in subjecto unita existat forma; Deus autem tale jus, ut in illo tanquam subjecto aliquid existat, dicere non potest: neque enim potest mutari Deus per ullam alicujus receptionem. Nec etiam potest supplere Deus defectum causæ materialis, dando se in partem: nam præter hoc, quòd Deo ratio partis convenire non possit, est & alia causa, quia quando aliquid dicitur suppleri, debet id facere quod faceret aliud, non posset autem Deus id facere in composito, quod faceret illud, cujus Deus suppleret locum, quia illud, quod faceret illa creatura in composito, non esset aliud quàm datio entitatis suæ; jam autem sicut entitas Dei, non est entitas creaturæ, ita nec datio entitatis Divinæ, erit datio entitatis creatæ. Imò universaliter à nullo heterogeneo potest suppleri compositio, unumquodque enim hetereogeneum, non id, sed diversum esse conferret, ab eo, quod adferret aliud, in compositionem; in homogeneis autem licet supplente uno defectum alius, non sit constituendum idem adæquatè numero compositum, constituetur tamen idem formaliter & specificè.

Assero tertiò. *Posse id Deum præstare in genere causæ efficientis.*

Ratio. Tum quia hoc, quod Deus in extrinsecis facit, & non seipso, semper est in genere causæ efficientis: Ergo si supplere potest defectum causæ materialis, supplere debet in genere causæ efficientis. Tum quia exhibitio concursus conservativi, qui exhiberetur supposito influxu causæ materialis, est suppletio in genere causæ efficientis, cùm conservatio sit effectionis species: sed potest Deus talem concursum exhibere; Ergo & supplere defectum causæ efficientis. Tum quia ubicunque miraculum intervenit usus omnipotentiæ, intervenit ratio efficientis: nam omnipotentia est executrix & effectiva divina, sed supplente Deo defectum causæ materialis, intervenit miraculum. Ergo & usus omnipotentiæ seu effectivæ Divinæ.

Dices primò. Si Deus non potest supplere defectum causæ materialis, non posset etiam divinitus fieri, ut duæ formæ eandem materiam informent.

Respond. Sufficit ad hoc, ut suppleat Deus defectum causæ materialis in genere efficientis, idque non hoc sensu, quasi capacitatem det materiæ, quia capacitas Materiæ est entitas materiæ, quæ non ponitur alia, quàm præhabita: sed hoc sensu, quia supposito, quòd non implicet divinitùs capacitatem Materiæ, extendi ad duas formas, præstat Deus concursum, & coeffectivum & conservativum, illarum formarum.

Dices secundò. Causæ subordinatæ sunt in eodem genere cum subordinantibus, habent enim se per modum causæ particularis ad universalem, particularia autem sunt in eodem genere cùm universali; sed causa materialis est subordinata: Ergo & subordinans, qui est Deus, debebit in eodem genere cum illa concurrere.

Respond. Causæ subordinatæ cum causa subordinante secunda transeat quòd debeant esse in eodem genere, sed non cum causa prima subordinante & talem subordinationem in eodem genere, non dicit materia ad Deum, cùm Deus non sit natus quicquam seipso componere, vel esse subjectum aliquid exigens.

Dices tertiò. Causalitas causæ efficientis non potest suppleri à Deo, nisi in genere causæ efficientis: Ergo & causalitas in genere causæ materialis, non poterit suppleri, nisi in genere causæ materialis.

Respondet recentior Suar. Disparitatem esse, quia modus agendi in genere causæ efficientis, est nobilior cæteris, proinde à nullo alio suppleri potest; causa autem materialis, utpote ignobilior, suppleri potest à nobiliori. *Hæc responsio*

Non Satisfacit, quia multa etiam ignobiliora possunt supplere defectum nobilioris, v. g. argentei nummi defectum aureorum.

Disparitas potius in hoc est, quia supplente Deo defectum causæ efficientis, in genere causæ efficientis, non extrahitur Deus extra modum suum operandi ad extra, servatque tenorem, operandi miraculosè: extraheretur autem, si suppleret causæ materialis defectum in genere causæ materialis. Deinde, quia nullum est absurdum pro antecedenti, & tamen est absurdum pro consequenti, de quibus asserto secundò; hinc non mutaretur Deus, supplendo in genere causæ efficientis, mutaretur autem, supplendo in genere causæ materialis defectum causæ materialis.

Dices quartò. Causa materialis potest elevari à Deo, ut instrumentum ad causandum materialiter, ut cùm causat lumen gloriæ materialiter, hæc autem causalitas non potest intelligi, nisi concurrat Deus in genere eodem, quia instrumentum in eodem genere causat cum suo principali.

Respondetur. Calor, qui disponit ad ignem, est instrumentum ignis: nemo tamen dicit, quòd calor respectu generandi ignis, sit causa materialis.

Dices quintò. Potest Deus causare materialiter quin recipiat, quia defacto concurrendo cum intellectu & voluntate operatur immanenter, quin recipiat intellectiones, & sicut cooperans efficienti corporeo, non tangit passum, sufficitque quòd agens creatum tangat, ita nec reciperet agens materialiter, sed sufficeret, quòd reciperet causa materialis.

Respondetur. Negand. imprimis Deum in intellectu creato, à parte sua, operari immanenter, cùm non operetur ad intra suum, sed tantùm operatur rem immanentem alicui, quod sibi extrinsecum est.

Deinde disparitas est, quia cooperatio non definitur per dare se in partem, vel per exigere, ut in illo, tanquam in subjecto, res existat; causare autem in genere causæ materialis, definitur per ly dare se in partem, & per ly exigere, ut in illo tanquam in subjecto res existat: quia autem Deus non potest exigere, ut aliquid in illo tanquam subjecto existat: ideo non potest supplere causalitatem in genere causæ materialis.

Dices sextò, Materia potest recipere, quin sustentet, ut patet in anima rationali: Ergo & è contra potest Deus sustentare quin recipiat.

Respondetur. Disparitatem esse, quia nullum est absurdum, ut habeat unitam formam, quæ conservari possit naturaliter sine se, hoc autem est recipere, & non sustentare; repugnat autem Deum sustentare, quia quod sustentat, est verè subjectum actuatum à Forma, Deus autem non potest esse subjectum actuatum à Forma, aliàs mutaretur.

Addendum est, quòd quando dicitur non recipi forma materialis, non hoc sensu dicitur, quasi de novo non actuet, nec uniatur, sed quòd non sit forma nata conservari independenter à subjecto.

Dices septimò. Persona Divina defacto exercet rationem causæ materialis in unione Hypostatica.

Respondetur. Negand. Anteced. semper enim causalitas materialis, eductionem importat: natura autem humana non educitur è verbo, nec recipit in se naturam humanam, sed illam terminat; quamvis autem dicatur sustentatio est terminativa, non autem subjectiva.

DISPU.

DISPUTATIO IV.

De Principio intrinseco, quod est forma?

PRius essentiam, deinde existentiam, tum divisiones, & alia formæ prædicata, considerabimus. Demum agemus de illa, prout habet rationem causæ. *Sit*:

QUÆSTIO I.

De Essentia Formæ.

DEfinivit Aristoteles 2. Physic. tex. 28. formam. Est *Ratio quod quid erat esse.* Appellatur forma ratio quod quid, non verò ipsum quod quid, ut ostendatur, non solùm formam esse totam substantiam rei, sed etiam materiam ad substantiam rei pertinere; est tamen ratio quod quid, scilicet primarium quid, specificativum, & distinctivum ejusdem. Dicitur quod quid erat, non verò quod quid est, ut ostendatur etiam in statu essentiæ, qui ratione præcedit statum existentiæ, convenire composito formam.

Huic definitioni Recentiores suas formæ definitiones accommodarunt. Suarez eam definit: Forma substantialis est substantia simplex & incompleta, quâ velut actus materiæ, cum ea constituit essentiam substantiæ compositæ. In idem recidit definitio Conimbr. Arriag. Pontii.

Mastrius dicit, illam esse actum primarium Materiæ, unum per se cum ea constituentem. Brevius sic definietur. *Quòd sit actus substantialis materiæ, vel actus materiæ, cum illa constituens unum per se substantiale.* Quòd bene definiatur sic forma, leges bonæ definitionis ostendunt. Quòd autem melius, vel inde colligitur, quia in illa Suar. definitione genus nimis remotum assumitur, nempe ratio substantiæ incompletæ, quod ipsum alio genere propinquiori restringitur, nempe ratione actus, quæ ei cum formis accidentalibus communis. Et sicut non satis commodè quis ita definiret hominem, est substantia quæ est animal rationale, ubi ly substantia, quæ est genus alio genere, nempe animali restringitur, sic nec etiam dicta formæ definitio, commodè procedet.

Si quis vellet tradere definitionem formæ, ut sit quibuscunque sive substantialibus, sive accidentalibus communem formis, imò etiam actibus, qui appellantur formæ accidentales, bene diceret: formam esse actum subjecti, ita ut forma substantialis sit actus substantialis materiæ, forma autem accidentalis, sit actus accidentalis materiæ. Ei verò, qui ignoraret quid sit hoc ipsum ly substantiale, & hoc ipsum ly accidentale, per prius notificandum esset, quid sit substantia, quid accidens: ad eum planè modum, quo si quis ignoraret, quid sit animal, & quid rationale, antequam illi definires hominem, deberes notificare quid animal, quid rationale: & sicut non sequitur, hanc definitionem hominis esse malam, sic nec sequetur præsentem esse malam, licèt utrobique debeat præcedere notitia Terminorum.

Primò essentialis conceptus formæ proportionaliter ad primò essentialem conceptum materiæ formari debet. Quòd sit actus substantialis materiæ radicaliter acceptus, probationes & defensiones ex dictis de materia petuntur.

QUÆSTIO II.

De Existentia Formæ.

VEteres Philosophi negabant dari formas substantiales; alii censebant eas præexistere actu in materia, antequam educantur ex illa, vel illi uniantur. Habent & alios errores, quos alii refutant: magis disputabilia attingemus.

DIFFICULTAS I.

An de facto dentur formæ Substantiales.

DIcendum est *Dari.* Ita Schola Aristotelica & Christiana.

PROBAT primò Suar. disp. 15. sect. 1. num. 6. Formæ substantiales non implicant contradictionem. Tum quia nulla ostendi potest. Tum quia si formæ substantiales, hoc est actus substantiales incompleti repugnarent, repugnarent vel ex eo, quia actus sunt; vel ex eo, quia substan-

ſtantiales ſunt; vel ex eo, quia ratio actus & ratio ſubſtantialis ſecum conjungi non poſſunt: ſed nihil horum eſt, non primum, qui admittunt illi, actus, ſaltem accidentales, ex quo apparet rationem actûs non repugnare; non ſecundum, quia apud illos, ſaltem materia Deus & Angeli ſunt quid ſubſtantiale: Ergo ex ratione ſubſtantialis non repugnat formæ. Neque etiam ex conjunctione horum duorum. Tum quia in actu nullum eſt prædicatum, quod excludat rationem ſubſtantialis: Tum quia ratio ſubſtantialis poteſt conjungi cum potentia in Materia: Ergo poterit conjungi & cum actu. *Hæc ratio* probat poſſibilitatem formæ, non exiſtentiam, hinc aliter ex eodem.

Probatur ſecundò. Si non dantur formæ ſubſtantiales, aqua calefacta intensè, vel poteſt ſe ab intrinſeco reducere ad priſtinum frigus, vel non poteſt ſe reducere ab intrinſeco ad priſtinum frigus: neutrum dici poteſt: Ergo dantur formæ ſubſtantiales. Minor probatur. Si poteſt ſe ab intrinſeco reducere ad priſtinum frigus, ergo dantur formæ ſubſtantiales, nam hæc ab intrinſeco reductio non poteſt referri in materiam, cui æquè bonum eſt frigus ac calor: ergo debet referri in formam ſubſtantialem, non enim aliquid aliud aſſignari poteſt; ſi non poteſt ſe reducere ab intrinſeco ad priſtinum frigus, ergo neque ſe reducet ad priſtinum frigus, non enim habebit principium iſtius reductionis: dicere autem, quòd ſe aqua non reducat ad priſtinum frigus, eſt loqui contra experientiam.

Responderi poſſet primò. Aquam reducere ſe ab extrinſeco ad priſtinum frigus, Deo ſcilicet non pergente ulterius conſervare calorem, qui etiam ex ſe defectibilis qualitas eſt: Contra eſt; Concedamus ſuapte ſponte deficere calorem, defectumque concurſus divini conſervativi reduci ad exigentiam naturalem ipſiusmet caloris, non habentis jus ad ulterius conſervari, cujus etiam ſimile quid habetur in ſono, redit difficultas, unde redeat priſtinum frigus, quid illud emanet, & cætera ſimilia.

Responderi poteſt ſecundò. In partibus aquæ calefactæ, ſemper manere intenſum frigus, ab illisque partibus reliquas frigefieri.

Contra. Tum quia experimur totam aquam calefieri, quacunque parte tangatur. Tum quia de illis ipſis ipſis, quæ frigus continent, redit difficultas, poſſuntné calefieri vel non: ſi non, cur? Si poſſunt calefieri per quid reducet ſe aqua ad frigus. Neque valet, ſi recurras ad Deum reſtituentem frigus, hoc enim deberet facere miraculosè, quia ad nullius naturalis rei exigentiam.

Respondetur tertiò. Dari qualitatem quandam ſuperioris rationis, virtute continentem primas qualitates ſenſibiles, vi cujus reducit ſe aqua ad priſtinum frigus.

Contra. Quia ſi virtute continet omnes, debet eſſe indifferens ad has vel illas producendas: hinc ſi non datur Forma ſubſtantialis, quid erit exigitivum, ut in aqua producatur frigus. Deinde, vel illa qualitas excludit formam ſubſtantialem, vel non excludit: ſi non excludit, ſine neceſſitate ponitur, cùm id ſola forma ſubſtantialis præſtare poſſit; ſi excludit, erit ipſamet forma ſubſtantialis, adeoque illam non excludet, quia illa qualitas erit primus actus materiæ, complens illam per ſe in ratione aquæ, & in ratione ſe reducentis ad ſuas proprietates. Quando verò in Euchariſtia ſpecies calefactæ vini reducunt ſe ad priſtinum frigus, hoc referri debet in decretum Dei, volentis concurrere ad has reductiones, ob celandum myſterium. Reſpicit hoc argumentum, quòd interdum ita fiat alteratio, ut non poſſit ſe res reſtituere in priſtinum ſtatum, interdum autem poteſt, quæ diverſitas non in aliud ex dictis referri poteſt, quàm in remanentem vel recedentem formam ſubſtantialem.

Confirmatur ex Arriaga, in Euchariſtia periit tota ſubſtantia panis, & manent accidentia; ergo apparet accidentia non eſſe partes ſubſtantiæ panis. Et certè, ſi ſola materia eſt ſubſtantia panis etiam lapis, qui eandem ſpecie materiam habet, erit panis; & rurſùs, cum in Euchariſtia ſit materia prima Chriſti. Ergo ſi panis eſt nonniſi materia cum talibus accidentibus, ſequeretur quòd illic maneret panis.

Respondebis primò ex Pontio, non manere illic omnia accidentia, quæ cùm materia dicuntur panis, & manere ſola accidentia ſenſibilia.

Contra. Quia hoc eſt mera divinatio, & quidem non conformis phraſi Patrum, qui ſi ſenſiſſent etiam accidentia illic perire, dixiſſent non ſolùm ſubſtantiam, ſed & accidentia panis illic perire, nonniſi ignobilioribus manentibus, quia non potentibus conſtituere panem.

Probatur tertiò concluſio: poſito, quòd non darentur formæ ſubſtantiales, equus & planta vel differunt ſubſtantialiter, vel non differunt ſubſtantialiter: ſi differunt ſubſtantialiter, ergo differunt formâ, nam utrique materia eſt communis; ſi non differunt ſubſtantialiter, ergo neque homo & planta differunt ſubſtantialiter; hæc autem duo differre ſi neges, ſic ulterius probabitur. Homo comparatus ad plantam, vel habet radicem primam, ratione cujus exigat nonniſi hæc accidentia, quæ prima radix addita materiæ in homine, conſtituat hominem; vel non habet: Si non habet, ergo tam bene negans formam ſubſtantialem poſſet eſſe homo, quàm non eſſe, ſed eſſe bos, ſiquidem nullam habet exigentiam & radicem, ratione cujus

cujus hæc accidentia exigat, quæ radix constituat hominem ; quodsi est exigentia & radix prima, ratione cujus debentur materiæ, quæ est in homine, nonnisi hæc accidentia. Ergo datur forma substantialis ; hæc enim exigentia non est referenda in materiam, nam hæc v.g. in planta non exigit accidentia hominis, utpote subjectum primum omnium, nec item est referenda in formam aliquam accidentalem, nos enim nomine formæ substantialis, non aliud intelligimus, quàm primam radicem proprietatum, huic in specie enti debitarum, quæ addita materiâ constituat hoc in specie compositum: Ergo si tu admittis talem radicem, admittis formam substantialem. Denique suppono oppositum, sentientem habere definitionem formæ substantialis, scit enim quid neget dari, & quamcunque tradiderit legitimam, ea ostendetur, convenire huic radici, darique talem formam: cumque accidens non posset esse prima radix & exigentia accidentium, v.g hominis & plantæ, nam substantiale est homini, esse hominem; substantiale item est plantæ, esse plantam: ergo cùm in hac ratione substantiali constituatur homo & planta hac radice, radix hæc substantialis esse debebit: positoque, quòd nomine substantialis veniat id, quod primò intenditur à natura, cùm in generatione, v.g. ignis, primò intendatur ista radix, utpote quam præsuppositâ materiâ, consequuntur reliqua: ergo illa radix substantialis erit, adeoque forma substantialis erit, adeoque forma substantialis.

Objicitur primò. Aristoteles 2. de Generatione tex. 7. primas qualitates activas, ait esse elementorum differentias.

Respondetur. Elementa inquantum sensibilia sunt, differunt nonnisi per primas qualitates: sed si sumantur secundùm quod constituta sunt, radicemque important talium qualitatum, alio different, nempe forma substantiali; quando verò 7. Metaph. Tex. 8. docet, solam materiam esse substantiam, cætera affectiones substantiæ, hoc tantùm voluit, quòd permanente eadem materia, nunc hæ, nunc illæ adveniant formæ, incorruptâ manente materia. Item quando 8. Metaph. tex. 18. ait: ex materia & forma fieri unum, sicut ex cera figura, non facit in hoc proportionem, quasi ita debeant esse ex diversis prædicamentis, sicut cera & figura, sed ponit in hoc proportionem, quòd sicut cera est subjectum figuræ, ita materia & forma.

Objicitur secundò. Si forma substantialis daretur, & esset substantialis, & non esset: esset, ut supponitur, non esset, ut probatur; quia ita esset in materia prima, ut simul dicat dependentiam in esse, & in fieri à materia, (intelligendo id saltem de forma materiali) non minus, quàm accidens, v. g. calor ab igne. Unde à pari formatur argumentum: calor respectu ignis est accidens; ergo & quæcunque forma materialis, respectu materiæ, est accidens.

Responderi potest ex Suarez. Formam materialem, dicere quidem dependentiam à materia, non esse tamen accidentalem; nec ita se habere ad materiam, sicut calor ad ignem, quia calor comparatus ad ignem, est in illo per inhæsionem, forma per informationem; non enim ignis & calor sunt in eodem prædicamento, sicut forma plantæ & materia: Forma enim est illud, quod in ratione talis in specie compositi materiam complet. Ergo est quid substantiale; nihil enim per formam substantialem intelligitur, nisi tale completivum: deinde calor comparatus ad ignem, non est prima radix passionum igni debitarum, est autem ex dictis talis radix forma materialis.

Objicitur tertiò. Quòd est substantiale, debet esse per se stans; quod est per se stans, non recipitur in alio: Formæ autem materiales, recipiuntur in subjecto.

Respondetur Communiter, quòd repugnet esse aliquid per se stans, & tamen esse in in alio, tanquam in subjecto inhæsionis, sed non repugnat esse aliquid per se stans, & tamen in alio, tanquam in subjecto informationis. Aliter idem solvi potest, quòd id, quod est substantiale, & per se stans completum, non possit esse in alio, secùs, quod est incompletum, & per modum actûs. Unde ulterius, non potest ignis sufficienter intelligi in suo esse constitutus, si cogitetur materia habens perfectum calorem, cum siccitate conjunctum, quia si ignis substantialiter esset nonnisi materia cum accidentibus, non differret substantialiter ab aliis, ut probatum supra, qui autem cogitabilis est legitimè modus differendi substantialiter, is intervenit inter ignem v. g. & aquam.

Objicitur quartò. Totum fundamentum adstruendarum formarum substantialium est, operationes unius, v. g. compositi, quæ non sunt in alio composito, hoc non arguit formam substantialem: Tum quia aliàs sicut multæ sunt operationes compositi unius, ita deberent esse multæ substantiales: Tum quia in exsiccatis plantis manent illarum operationes, & tamen non manet forma substantialis.

Respondet Mastrius: Multitudinem operationum in uno composito, arguere unitatem formæ, eò, quòd forma, quæ perfectior est, eo quòd forma, quæ perfectior est, eo sit illimitatior ad operandum, quamvis diversitas operationum in diversis subjectis, arguat multiplicitatem, eo quòd arguat diversam radicem, & exigentiam talium operationum; In plantis exsiccatis non manet forma vegetativa, manet forma mixti, quam sequuntur illæ virtutes activæ; & licèt agnoscamus dari formas substantiales, quæ inter se habent magnam affinitatem, v.g. formam sulphuris, cum forma ignis, non

seque-

sequetur tamen inde, formas illas substantiales, quæ sunt principia talium actionum, esse principia directa corruptionis sui, quantumvis sint principium indirectum, quatenus deposcendo talia accidentia, v. g. sulphur, quæ formæ ejus debentur, approximatio igne cedere debeat. Deinde non quidem ex varietate operationum, sed ex substantiali differentia, exigentiaque talis constitutionis accidentium, colligimus existentiam formarum substantialium. Sed etiam hôc posito, nihil evincitur, quia multitudo operationum ostendit multitudinem formarum, si sint operationes, quas ad eandem formam revocare sit impossibile; secus si possint ad eandem formam revocari, non enim sunt multiplicanda entia sine necessitate, recedente forma vegetatorum manent, vel formæ substantiales partiales, vel Forma, quam appellant cadaveream, connectunturque tunc accidentia cum illa forma.

Objicitur quintò. Si darentur formæ substantiales, non possent intelligi rerum transmutationes, nisi aliquid ex nihilo fieret, quod naturaliter esse non potest. Sequela probatur: Formæ, in rerum mutationibus, vel præexistunt in materia, vel non præexistunt: si præexistunt. Ergo nihil de novo generatur; si non præexistunt, ergo de nihilo producuntur.

Respondetur, Generationem hominis intelligi non posse, nisi aliquid fiat; sed quia de aliis formis retorqueri potest argumentum, quomodo si calor non præexistat in ligno, neque enim illud comburit, producatur in ligno, sine creatione, sufficerit dicere, quòd id, quod non præexistit in subjecto, de nihilo producatur sui, sed non de nihilo subjecti, hoc est, non sine concursu causæ materialis, cùm tamen id sit necessarium ad creationem. De quo sequenti difficultate.

DIFFICVLTAS II.

Præexistunt né Formæ substantiales in Materia?

Dicendum est primò. *Non præexistere formas in Materia*, ita Schola Peripatetica, contra Anaxagoram & quosdam veteres.

Probatur primò Conclusio ex Hurtado. Si præexisterent Formæ in materia, daretur infinitum actu, quod non conceditur, de quo infra. Sequela probatur: darentur actu tot formæ, quot sunt possibiles, sunt autem possibiles infinitæ.

Probatur secundò ex Oviedo. Non est explicabile, quid sit in Anaxagora apparere, v. g. Formam hominis, & non apparere Formam Leonis, si hæ omnes formæ actu præexistunt in Materia Anaxagoræ, sequeturque Anaxagoram esse Leonem, quamvis non appareat Leo: quia esse Leonem, est esse materiam formam, & unionem horum, quæ omnia habentur ante apparentiam, quia per illam apparentiam nihil de novo incipit esse, ut ille universaliter affirmat. Rursùs, quando dicit incipere apparentiam formæ Leonis, cùm illa apparentia non præcesserit, incipit esse, ergo tunc primò producitur, ergo ex nihilo, quia nihil præcesserat illius: & sicut propter hoc argumentum asserebat, præexistere formas in Materia; ita propter idem, asserere debet, etiam semper apparere omnes, quod tamen negat.

Probatur tertiò. Formæ istæ, vel omnes præexistunt in unaquaque parte materiæ, vel non præexistunt omnes: si non præexistunt omnes in unaquaque parte Materiæ, ergo non respectu omnium formarum illa Materia est potentia, siquidem, si illas formas subjectare posset, jam illæ præexisterent, ergo ulterius esset specie distincta ab alia parte Materiæ, esset enim determinata nonnisi ad has formas, ergo ulterius veniri posset ad talem stipulam, quæ non possit igniri, etiam in mediis flammis, eo quòd non præexistat forma ignis in illa stipula; si verò præexistunt omnes in unaquaque parte Materiæ, ergo tot in una, quot in omnibus reliquis, siquidem in una parte Materiæ omnes formæ inducibiles sunt, quæ sunt inducibiles in omnes alias, ergo ulterius una eademque præexistens forma, est naturaliter in pluribus locis, nempe in omnibus partibus Materiæ, in omnibus enim partibus Materiæ educibilis est, ergo ulterius ante ignitionem stipulæ est & forma ignis, & forma stipulæ, adeoque stipula & ignis, & cùm in materiam aquæ possit induci forma ignis, jamque præexistat, erit aqua summè calida, & summè frigida, summè humida, & summè sicca.

Dicendum est secundò. *Non præexistere formas in Materia, ratione esse alicujus inchoati & imperfecti.*

Probat primò Suar. Disp. 18. Sec. 2. n. 5. illud quod tu dicis præexistere formæ, non est ipsa entitas Materiæ, sed est entitas formæ, tunc de illa entitate quæro, illa entitas, vel est substantia, vel accidens: si est accidens, ergo non potest esse inchoatio, nam inchoatio Formæ substantialis, debet & ipsa esse substantialis, non enim ejus, sed aliùs ab illa, utpote non substantialis esset inchoatio. Rursùs si illa inchoatio est accidentalis, ergo per te forma substantialis debet fieri ex nihilo, quia hoc, in quo præexisteret Forma substantialis, dicitur, est accidens, quod non est entitas substantialis For-

Formæ: si verò dicas, hanc entitatem esse substantiam, quæro quí fit, quòd illa Forma ex esse imperfecto transeat ad perfectum: vel enim transit intensione aliquâ, & hoc non, quia Formæ substantiales non sunt intensibiles, dabitur item ratione illorum inchoamentorum infinitum actu imperfectarum Formarum: vel transit illa Forma imperfecta in perfectam, conversione aliquâ, & sic non est dicendum, præexistere formas in Materia, sicut non dicitur corpus Christi præexistere in non consecrata hostia, hæcque ipsa, quæ converti deberent, essent infinita actu. Rursùs, siquidem illa inchoata entitas perit, quando incipit esse perfecta Forma, ergo impertinens est illa entitas imperfecta, ut Forma non fiat ex nihilo; quia illa entitas imperfecta & inchoatio, non est aliqua pars, vel aliquis gradus, ejus Formæ, quæ fit.

Probatur secundò. Accipiamus illam partem prout condistinctam à suis inchoamentis, vel fit de novo, vel non fit de novo: si non fit de novo, ergò præexistit etiam quoad illud esse perfectum; si fit de novo, ergo est nihil, quia per oppositos de novo, nihil fit.

Probatur tertiò. Hæ ipsæ præexistentes inchoationes formarum, vel sunt productæ ex nihilo, vel ex aliquo præcedenti. Si ex præcedenti inchoatione, de hac ipsa redit quæstio, an sit ex nihilo producta, vel ex aliquo præexistenti; si ex præexistenti, dabis processum in infinitum; si ex nihilo, ergo illud inchoamentum, illudque præexistere formarum, nihil est, adeoque non est præexistere formarum; nam ex nihilo per oppositos nihil fit: Ergo ulterius, si ipsa inchoamenta potuerunt produci ex nihilo, etiam formæ produci potuerunt ex nihilo.

Objicitur primò Auctoritas Aristotelis ex 7. Metaph. tex. 29. ubi docet, in materia esse partem aliquam rei faciendæ.

Respondetur. Nomine rei faciendæ, intellexit Aristot. compositum, cujus faciendi pars aliqua est ipsa materia: vel intellexit in Materia sumpta, cum dispositionibus, esse partem rei faciendæ, hoc est Formæ educendæ, ad quam etiam suo modo concurrunt dispositiones. Unde pars operis ponendi ab agente in Materia, sunt ipsæ, quas inducit, dispositiones: quando autem Aristoteles docuit, non ex quolibet fieri quodlibet, sed ex determinato determinatum, non debet esse determinatio per inchoationes formarum, sed per prævias dispositiones inductas ab agente.

Objicitur secundò Auctoritas Sancti Augustini libr. primo de Trinitate c. 7. ubi ait: Omnium quæ nascuntur, occulta quædam semina, in mundi elementis latere.

Respondetur. Nomine istorum seminum intellexisse Sanctum Augustinum, non partes formarum, non enim dicitur, pars arboris, v.g. semen, sed intellexisse virtutes productivas, & dispositiones.

Objicitur tertiò. Ex nihilo nihil fit.

Respondetur. Si non sit agens, non producet quidquam, & si sit creatum agens, sine concursu materiæ, nihil producetur, & hoc est: *Ex nihilo nihil fit.*

Ex dictis Colligitur, non præexistere ullò modò Formas in Materia. Quomodo ergo salvabimus, tunc cùm producuntur, non illas creari, salvant hoc auctores communiter per hoc, quia educuntur de potentia Materiæ, & hoc, discutiendum restat.

DIFFICVLTAS III.

Quid est educi Formas in statu existentiæ.

Præmitto Primò. *Constare jam, animam rationalem non educi è Materia,* sed produci à Deo immediatè, idque actione Creativâ, intra tamen ordinem naturæ.

Præmitto secundò ex Suar. *Distinctas esse has propositiones: Materia continet Formam rationalem in potentia; & hanc, materiam esse in potentia ad formam dictam;* hæc secunda propositio est vera, sensus enim illius est: Materia est subjectum naturaliter aptum, informari animâ rationali, prioris autem sensus est, Materia habet vim causandi animam rationalem, ad eum modum, quô causa efficiens continet in sua potentia effectum, quem causare potest. Cùm ergo anima rationalis causari non possit à Materia, ideò nec dicetur Materia continere Formam in potentia, cùm tamen Formæ materiales contineantur in potentia Materiæ.

Præmitto tertiò. *Tàm Formæ quæ creantur, quàm Formæ quæ educuntur, conveniunt in hoc, quòd exeant per suam productionem ex nihilo suæ existentiæ,* nam de utrisque ante productionem verum est dicere, sunt nihil existentiæ, non existunt, & tamen illæ dicuntur creari, hæ educi, quod ipsum

Explicant Primò Conimbricens. 1. Physic. C. 9. q. 12. ar. 5. & post illos Complutens. Joan. à S. Thoma, Manca, & alii, sentiuntque, tunc educi Formam ex Materia, quando Materia ordine durationis præcedit Formam, in quo priori, Forma contineri dicitur in potentia Materiæ, ita, ut si Forma in eodem instanti temporis fieret cum Materia, jam non censeretur educi, sed creari. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia, ut urget Suar. Disp. 15. Sect. 3. n. 5. fieri potest, ut subjectum creetur à Deo, & in eodem instanti forma producatur ab agente naturali, quo in casu educetur forma, & non creabitur, nullum enim agens naturale creat, certè autem eodem instanti, quo Deus produceret aërem & solem, produceret sol formam lucis in aëre. Tum quia sunt aliqua accidentia, quæ positionem subjecti comitantur, ut cum ignis ex se emanat calorem: hæc productio est eductio, & tamen non supponit præextitisse ignem sine calore, ergo ad eductionem, supervacanea est hæc præexistentia. Tum quia vi istius explicationis sequeretur, animam rationalem educi, producitur enim supposita præexistentia Materiæ; quòdsi dicas, ideo illam creari, quia non continetur in potentia Materiæ, restat quæstio quid sit? & quî hoc contineri, eductione exerceatur, quidque sit istud exercitium? Tum quia, ut urget Mastrius, adhoc, ut dicatur effectus produci à sua causa, sufficit, quòd præcesserit causa effectum prius naturâ, quantumvis non præcesserit eum prius tempore: Ergo etiam ad hoc, ut censeatur educi forma ex Materia, sufficiet, materiam prius tantum natura præextitisse. Tum quia, ut urget Pontius, per eductionem intelligimus productionem, quæ sit distincta actio à creatione, & aliud intelligere, est de voce disputare, sed unio illa, per quam produceretur forma, cum dependentia à causa materiali, est distinctissimæ. rationis à creatione, quæ est productio formæ sine tali dependentia: ergo potest esse eductio, sine tali præexistentia. Tum quia hæc explicatio non respondet ad Punctum difficultatis, sive enim præcedat materia formæ productionem, sive non præcedat, quomodo producta noviter forma, non est dicenda produci ex nihilo, cùm fiat ex nihilo sui.

Dices primò. Ad eductionem formæ, requiritur præcedens alteratio, quæ non potest fieri in instanti: ergo præcedere prius tempore debet subjectum alterationem, hoc est materia.

Respondet Suar. Per accidens requiri prævias alterationes, admittique eas propter ineffi-caciam agentis: hinc si Deus in uno instanti transmutet aquam in vinum, dispositiones illic non præcedent tempore, & tamen productio formæ vini, erit vera eductio.

Dices secundò. Eductio fit per mutationem subjecti ad formam eductam: ergo requiritur ad eam, quòd subjectum prius tempore existat, quàm forma, quia aliàs, non posset mutari ad formam.

Respondetur. Negando consequentiam cum sua probatione. Nego enim subjectum non posse mutari ad formam, si non præexistat, cùm illa mutatio sit per habitionem formæ, ad quam non requiritur, quòd præextiterit subjectum.

Dices tertiò. Actio eductiva formæ, præsupponit materiam productam; sed materia per se non potest produci, sed producitur productione totius, quando quidem non habet proprium esse: ergo debet produci ut existens sub alia forma.

Respondetur. Negando propositionem secundam. Vidimus enim supra, materiam habere proprium esse; deinde quamvis defacto eductiones, quæ nunc fiunt, præsupponant materiam præexistentem tempore, sed negamus hoc essentialiter requirere eductionem, certè enim prima forma, v.g. terræ, erat forma educta, erat enim dependens à Materia, & tamen prius tempore non præfuit formæ, imò nec præfuisse potuit.

Instabis. Eductio postulat formam in potentia Materiæ, sed non potest eadem forma esse simul in potentia Materiæ, & in actu. Ergo prius tempore erit in potentia, postea in actu.

Respondetur. Eductionem postulare, ut contineatur forma in potentia, Materiæ, non continentia privationis præcedentis, sed continentia ad posse subjectare, ad quod non requiritur præexistentia materiæ ante formam.

Explicat secundò Suar. Educi formam è potentia materiæ, nihil aliud est, nisi fieri eandem actione, quâ fit compositum, ex Materia præcedente, quæ eâdem actione non fit, idque constat, inquit ille, inductione, in omnibus formis, quæ educuntur de potentia materiæ; & ita, quando è Materia stipulæ producitur forma ignis, illic est vera eductio, & simul eadem actione producitur illic forma ignis, & compositum hoc, quod est ignis: sicque in omnibus reliquis, sicut è contra, quando alia actione forma, & alia compositum producitur, tunc non educitur forma, sed creatur.

Impugnat explicationem Mastrius. Quælibet forma per se fit, & propria productione producitur, cùm enim sit causa compositi, planè necessarium est, ut prius habeat esse in rerum natura, quàm compositum ipsum, & cùm sit per se terminus generationis, debet propria actione acquiri, & non tantùm per accidens, ad productionem compositi.

Responderi posset, hanc rationem supponere, quòd compositum sit effectus formæ & Materiæ, realiter distinctus ab iisdem; incertum item est, an non compositum sit terminus generationis. *Cæterum hæc explicatio*

Non Satisfacit primò. Possibile est educi formam è potentia Materiæ, & non uniri illam Materiæ. Ergo apparet, eductionem non stare in actione, quæ eadem faciat compositum, & si possunt accidentia Eucharistica existe-

re, &

re, & non unita materiæ, cur & non forma substantialis?

Non Satisfacit secundò. Vel potest forma educta tempore antecedere compositum, vel non potest: si non potest, quæ in hoc implicantia? & si materia potest prius tempore antecedere compositum, spoliata omni Forma miraculosè, cur non poterit & Forma educta, sine omni subjecto, miraculosè antecedere compositum? Si autem potest, ergo educi non est fieri eâdem actione, quâ fit compositum; quando enim separatim existunt, non fit compositum.

Respondebis. Sufficere, quòd connaturaliter loquendo, debeat eâdem actione fieri compositum.

Contra. Quia ex hoc ipso jam apparet, definitivè, eductionem non esse actionem productivam compositi, cùm jam restrictio ponatur, quòd eâdem actione fieri debeat, sed nonnisi connaturaliter compositum. Deinde quando anima rationalis producitur connaturaliter, non exigit produci antè materiam, quæ tamen exigentia non salvat, nec fundat in anima rationali rationem eductionis: Ergo nec fundabit in formis eductis, quòd si dicas, insuper adhuc debere addi aliquid, hoc potiùs, si sit legitimum, erit explicativum eductionis.

Non Satisfacit tertiò. Quia ex una parte per illum compositum dicit tria, Materiam, Formam, Unionem; ex altera parte, actio eductiva Formæ, non est actio eductiva unionis, siquidem in principiis illius actiones, secundùm multiplicitatem terminorum multiplicantur: alia autem est entitas unionis, adeoque alius terminus, & alia entitas Formæ, hinc & actiones istorum productivæ, debent esse aliæ: immeritò ergo dicitur, eadem actione fieri formam eductam, & compositum.

Explicat tertiò Pontius Disp. 4. q. 2. n. 26. quòd eductio sit productio Formæ, cum dependentia à causa materiali receptiva, quæ dependentia in hoc est, quòd quemadmodum influit causa efficiens in Formam, & propterea Forma dependet ab efficiente, tanquam à dante sibi esse, ita etiam causa materialis influit in ipsam, dando ipsi esse, ita etiam causa materialis influit in ipsam, dando ipsi esse, recipiendo ipsam. Dicit ulteriùs non in hoc sitam esse hanc dependentiam, quia scilicet Forma materialis non produceretur, nisi esset Materia, quia aliàs etiam anima rationalis dicenda esset dependere à corpore, quia non producitur nisi adsit corpus dispositum, sed hæc dependentia sistit in influxu aliquo positivo Materiæ, quò communicet ipsi suum esse. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia non explicat, quis sit iste influxus causæ materialis in Formam eductam, deberet enim esse per hoc, quia reciperet illam Formam; sed recipere Formam eductam, non est darè illi esse, supponitur enim id, quod recipitur, habere esse. Tum quia ex dictis supra constat, causalitatem Materiæ non stare in unione, ergo nec in receptione prædicta, hæc enim pro eodem sumuntur in præsenti. Tum quia secundùm veterem phrasim, recipitur in corpore anima rationalis, nec tamen causatur, quid ergo addit illa receptio Formæ materialis, ut constituat causalitatem materialem, & hoc additum potiùs (si sit legitimum) explicabit naturam Formæ.

Explicatur Eductio.

Educi nihil aliud est, quàm produci Formam contentam, in potentia Materiæ, hoc est, natam, ut & in fieri dependeat naturaliter nonnisi à Materia, nec extra illam naturaliter habeat jus existendi. Est explicatio ad mentem Suarii, eam amplectitur etiam Mastrius Disp. 2. q. 7. ar. 2. n. 148. cum aliis, quos citat. Videturque esse mens Scoti, præsertim in quartum Distin. 1. q. 1. Formam enim materialem dicit esse omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, ut sit actus Materiæ, sive sit substantialis, sive accidentalis. *Hoc ipsum*

Explicatur tali discursu. Jus est quoddam respectivum, est enim ad aliud, hoc verò aliud, est & terminus illius respectûs, & simul correlativum, nempe debitum, & ita, v. g. est jus in creditore exigendæ pecuniæ, in debitore terminus & correlativum, est debitum reddendæ pecuniæ. Hoc jus & debitum sub sua formalitate, est ordinariè, in utroque, ita, ut in utroq; sit jus suo modo, & sit suo modo debitum: hinc, ut dixi, est jus in creditore, exigendæ, in debitore, debitum reddendæ pecuniæ. Rursùs in debitore est jus exigitivum, ne creditor plus poscat ab illo, quàm dederit, & in creditore est debitum, non plus exigendi.

Quod est in istis societatibus politicis & exigentiis, idem videre est in societatibus entium inter se: habet debitum Forma educta, ut non nisi dependenter à Materia produci & conservari posset, respondet huic debito jus in Materia, deposcens, ut hæc Forma, naturaliter, non nisi dependenter à Materia habeat esse, in fieri; & simul etiam in Materia, habetur obligatio recipiendæ hujus Formæ, & in Forma, jus exigendæ, suæ receptionis. Illa ergo Forma censebitur esse educta ad quam habet jus Materia, ut sine se non existat, & in qua est debitum non existendi, independenter à Materia.

Porrò, quia hoc jus est fundatum in intrinseca rei exigentia & entitate, hinc, si Deus faceret decretum, ut anima rationalis, ejus quæ de

facto est naturæ, in fieri & in conservari pendeat à corpore, ut scilicet, tàm diu duret, quàm diu est in corpore, nec dum tamen illa censeretur esse educta, quia non ex intrinsecis principiis, & non ex vi & conditione naturæ suæ, deposceret ita conservari, ideo nec dum anima rationalis censeretur educta. Si verò è contra faceret Deus decretum, de anima bovis, ut conservetur etiam extra corpus bovis, adhuc foret educta, quia non ex intrinsecis principiis suis habet hoc, ut fiat & conservetur extra materiam.

Quòd verò dentur aliquæ Formæ, quæ nonnisi dependenter à materia fieri & conservari possint, colligitur ex eo, quia de facto Formas materiales, nec per experientiam, nec per rationem, convincitur durare extra corpus: hinc arbitrarium esset dicere, illas in conservari non dependere à corpore; & certè, si formæ materiales conservarentur extra corpus, producerent actus suos, sicut & anima rationalis producit suos; & quia actus formæ materialis sunt nonnisi sensibiles, caderent sub sensus nostros, & ita extinctô igne posset fieri ignitio, calefactio, & cætera similia.

His jam de termino eductionis positis, addendum aliquid est, quid sit ista eductio seu causalitas illa materiæ.

Videtur autem, quòd eductio non sit aliquis influxus medius, inter entitatem Materiæ & entitatem Formæ, ratio, quia iste influxus vel esset datio esse, consimilis ei, quô efficiens dat esse, & hæc causalitas non convenit materiæ, quia illi improportionata, cùm sit de linea efficientis, entique imperfectissimo, maxima activitas tribueretur, & tamen suppositâ tali activitate, deberet esse ens perfectissimum; cùm inter taxas perfectionis, sit activitas & datio esse, præsupponens in sua causa, si non majorem, saltem æqualem perfectionem, cum effectu. Deinde non repugnat etiam causalitas & influxus indistinctus à causâ & effectu, qualis causalitas est creatio, productio verbi, mentis &c. cumque nulla sit necessitas ponendæ hujus intermediæ actionis, cui usui ponetur? Universaliter etiam ea non per intermediam actionem, (sive illa sit modus, sive non sine modo) producuntur, quæ seipsis dependent ab hoc principio: seipsâ autem, & non per aliud, dependet forma materialis à materia, nam posita solâ illius entitate, sive à Deo immediatè, sive ab efficiente creato, habet hoc, ut in esse & in conservari pendeat naturaliter à materia: ergo seipsâ dependet à materia, quòd autem dependeat ab hac potius parte materiæ, quàm ab illa, pendet à dispositionibus, quas inducit agens, etsi elevetur ad producendum sine dispositionibus, vagè exiget Materiam.

Ne autem formæ materialis, quæ est Ens absolutum, tradatur conceptus respectivus, debent radicaliter sumi prædicata prædicta, & ut salvetur, quòd entis actualis non ponantur prædicata potentialia, accipienda erunt illa prædicata actu convenientia illi formæ.

Cæterùm quamvis non ponatur hæc causalitas intermedia & distincta, ponendus nihilominùs est influxus & causalitas, quia nulla causa potest esse actu causans, sine causalitate & influxu vel indistincto vel distincto; si enim poneretur sine causalitate, perinde se haberet, acsi non causaret, acsi causa non esset. *Sed in oppositum.*

Dices primò. Non rectè explicatur eductio per unionem, vel per receptionem: Ergo nec prædictô modo rectè explicabitur.

Respondetur. Negando Consequentiam: quia potest esse forma materialis educta, & non unita: jam autem non potest esse Forma materialis educta, & tamen talis, ut materia non habeat jus, ut nonnisi in se conservetur, & illa debitum, ut nonnisi in materia fiat & conservetur. Unde hæc dependentia stat in dicto jure, & debito. Ubi ut vides, nostra sententia discernitur à prædictis per hoc, quia unio est quid posterius formâ eductâ, jam autem circumscripta entitas formæ, non est quid posterius forma eductâ, nullusque est, qui neget prædicatum prædictum formæ materiali.

Dices secundò. Si albedo penderet tantùm materialiter à subjecto in fieri, & conservaretur extra Materiam, absque tali dependentia, profectò educeretur è potentia subjecti, & tamen non penderet in conservari: Ergo dependentia in conservari, licet committetur eductionem, non est de intrinseca ratione illius.

Respondetur. Negando possibile esse, ut absque tali dependentia conservetur materialis forma, quia hæc dependentia est ipsamet entitas materialis Formæ. Sicut ergo non conservaretur sine sua entitate, ita nec conservaretur sine tali dependentia, licèt conservetur sine actuali unione ad subjectum, quô etiam modo conservantur accidentia Eucharistica.

Dices tertiò. Possibilis est Forma educta, quæ nonnisi per unum instans postulet durare, vel quæ postulet quidem dependenter à materia fieri, sed non conservari: ergo de ratione eductionis non est, dependenter à materia conservari.

Respondetur. Qui negant tempus componi ex instantibus, nec admittunt instantia intrinseca. Negabunt antecedens, de quo in Materia de quantitate: sed quia nos concedimus instantia intrinseca, concedimus antecedens, neque enim clara illius apparet implicantia. Negatur tamen consequentia, ex eo, quia cùm de facto dentur Formæ Materiales, quæ

quæ non tantùm per unum instans durent, debuit talis formari definitio, quæ etiam ad illas extendatur; & si sine controversia poneretur possibilis forma materialis, unô instanti durans, deberet definiri rigorosius loquendo, sic eductio, *quòd sit productio Formæ, dependentis in esse à Materia*, cujus species esset dependentia esse in fieri, & alia species dependentia esse in conservari. An autem sit possibilis forma materialis, dependens in esse primô à materia, independens in conservari magnum dubium est. Unde enim illi hæc fortuna independendi in conservari? nam illa dependentia fundatur in ipso esse materiali, quod æquè est materiale in esse primô, ac in conservari. Si tamen ponatur possibilis talis forma, videtur fore media inter formas creatas & eductas, similes quidem eductis, quia esset materialis; similis creatis, quia in conservari independens à materia. Sicut enim producitur ad exigentiam materialium anima rationalis, & tamen conservatio illius dissimilatur eductioni, non enim conservatur ad exigentiam materialium: ita & in præsenti, Forma materialis dependenter à materia produceretur, & in conservari non dependeret ab illa.

Dices quartò ex Pontio, anima rationalis habet suum fieri naturaliter in materia, ita ut esset miraculum, si fieret & non in materia, ad eum planè modum, sicut esset miraculum, si forma materialis fieret extra materiam, & tamen rationalis anima non educitur è materia. Ergo non est de ratione eductionis, ut fiat forma in materia, cum dependentia ab illa in esse & in fieri.

Respondetur. Aliud est, animam rationalem fieri nonnisi in materia naturaliter; aliud est, animam rationalem fieri nonnisi dependenter à & in materia: primum illud convenit animæ rationali, secundum, nonnisi formæ eductæ: & sicut aliud est dicere, judicium non exercetur legitimè, nisi in curia, & aliud est exercetur à curia; primum verum, secundum falsum: ita & in præsenti, connaturaliter quidem fit anima nonnisi in materia, sed non dependenter à materia.

Instabis primò. Ipsum fieri & primò poni animæ rationalis, vel distinguitur à fieri animæ irrationalis, vel non distinguitur: si distinguitur per quid? Si non distinguitur, ergo in fieri suo educitur, ergo per solum conservari distinguetur à Creatione.

Respondetur. Distingui ipsâ conditione talis entitatis, quæ dependet à materia, & quia in ipso fieri est eadem entitas, quæ & in conservari, cumque causalitas materiæ non distinguatur à materia & ab illa Forma, sicut pro ipso fieri est materia, id exigens, & forma ita obligata; ita pro ipso fieri, est causalitas materiæ, dependentiaque à materia: & quia talem entitatem non habet anima rationalis, fit, ut in ipso fieri non dependeat à materia, distinguiturque fieri ipsius, à fieri animæ rationalis. Conveniunt quidem in hoc, quòd utraque forma produci extra materiam connaturaliter non possit, distinguuntur tamen per conditionem entitatis, in ipso fieri respondentis, adeoque ipso fieri distinguuntur, quod fieri identificatur realiter ipsis entitatibus. Item condistinguuntur ipso fieri, quia de fieri animæ rationalis falsum est dicere: quòd sit fieri formæ, impotentis existere extra materiam, quæ tamen propositio est vera de forma materiali educta.

Instabis secundò. Quamvis sine novo miraculo non possit fieri anima rationalis, nisi in corpore organisato; nihilominus hoc non arguit, dependere animam rationalem à subjecto: ergo neque arguet dependere formas materiales à subjecto, quamvis sine novo miraculo, non possint extra subjectum conservari.

Respondetur. Disparitatem esse: quia producendo Deus animam rationalem sine miraculo, deberet producere eam ad exigentiam causarum naturalium, non produceret autem eam ad exigentiam causarum naturalium, si eam non produceret ad exigentiam materialium: quòd autem aliquid non posset produci nisi ad exigentiam alicujus, non arguit hoc ullam causalitatem in ipso eo, quod producitur, cùm possit se habere, nonnisi per modum præexigiti; jam autem habere talem entitatem, quæ non possit fieri & conservari naturaliter sine materia, non potest esse per modum præexigiti ad formam eductam: ergo debet esse per modum dependentis, tanquam à principio & causa, ab ipsa materia. Diceret etiam alius, quando anima rationalis produceretur extra corpus, futurum miraculum quoad modum; si autem produceretur extra corpus forma materialis, fore miraculum quoad substantiam.

Dices quintò. Habitus supernaturales creantur, & tamen postulant connaturaliter nonnisi in subjecto conservari & produci: Ergo de ratione eductionis non est, non posse fieri & conservari nisi in subjecto.

Respondet Mastrius: Etiam habitus supernaturales non creari, sed educi, licet è potentia obedientiali, ut vocant, undè etiam dicendum erit, modos non creari, sed educi; propriè tamen loquendo, non est dicenda quantitas educi ex sua potentia à materia, sed emanari, quia illud educi dicitur, ad cujus positionem extrinsecam, agens secundum in genere causæ efficientis natum est concurrere, idque ex usu vocis: cùm tamen quantitas ab extrinseco secundo agente, non sit nata poni. Quomodo autem emanatio distinguatur ab Eductione, alibi dictum.

Hinc Colliges, pares esse in hoc creationem & eductionem, quia producit utraque entitatem ex nihilo existentiæ: tam enim verè in se non est anima rationalis, ante sui positionem, quàm verè non est in se forma bovis, ante sui positionem; Sed in hoc condistinguuntur, quia per eductionem producitur Forma dependenter à subjecto, per creationem independenter à subjecto, quid autem magis dependenter à subjecto producitur, quàm illud, in cujus entitate est inclusum debitum non existendi extra subjectum, respondens juri Materiæ, ne talis Forma extra se existat, per quod condistinguitur forma materialis in ipso etiam fieri ab anima rationali, de qua falsum est dicere, in ipso etiam fieri, quòd non habeat jus existendi extra Materiam, quæ propositio est vera, de forma materiali.

Colliges etiam, Formas cœlorum esse eductas, quia nullum est fundamentum, illas habere jus existendi extra subjectum. Quando autem cœli dicuntur creati, sumitur creatio liberalius, in quantum scilicet supponit pro defectu concurrentis alicujus agentis creati, in ipsa productione, non servando item ordinem quem natura præscripsit, hoc est, agendo sine prævisis dispositionibus, unde etiam forma materialis, exigens naturaliter fieri & conservari, nonnisi dependenter à materia, hoc sensu posset creari, quia scilicet nullum efficiens creatum, esset illius productivum.

Addo. Omni quidem formæ materiali competere hanc dependentiam, sed non per hoc illam in ratione materialis seu oppositæ spiritui constitui. Videatur insuper Materia de distinctione Creationis à re creata.

QUÆSTIO III.

De divisione Formarum.

Formæ dividuntur in Substantiales, & Accidentales: illæ faciunt unum per se substantiale cum subjecto, non verò hæ. Rursùs aliæ sunt Formæ totales, aliæ partiales, de quibus mox; aliæ subordinatæ, aliæ non subordinatæ. Subordinatæ dicuntur, quarum una indiget altera, eamque præsupponit: non subordinatæ, quarum una non indiget alterâ, nec præsupponit illam. Alia particularia harum divisionum hic attingenda, reliqua ex aliis materiis petenda. Antonomasticon quidem per unum per se intelligitur unum ex potentia & actu substantiali, cum ipsum Ly per se substantiam indicet: posset tamen concedi fieri unum per se, etiam ex actu accidentali & potentia substantiali, tunc, cùm se habent per modum perfectivi & perfectibilis, & dividi posset esse per se unum, in unum per se substantiale, & in unum per accidentale.

DIFFICULTAS I.

An detur Forma corporeitatis subordinata formæ totali &c.

Dicendum est. *Non dari*; ita cum aliis Suar. præcipuè Disp. 13. Sect. 3. num. 12. contra Scotistas.

Probatur primò, argumento negativo: quia nulla ejus necessitas, nullumque ejus adstruendæ fundamentum.

Probat secundò Suarius, assumendo principia oppositorum. Si daretur forma corporeitatis, eaque, ut volunt, coæva materiæ, deberet præstare materiæ gradum corporis, nonnisi genericum, ut volunt adversarii; sed hunc præstare non potest. Tum quia nullæ dantur formæ accidentales, quæ dent esse tantùm genericum colorati, & non talis colorati albi, nigri, &c. Tum quia in Angelis, non est ulla ratio generica spiritus. Tum quia si ab alia Forma habet Materia rationem genericam corporis, ab alia rationem specificam: ergo ratio generica & specifica corporis, distinguuntur realiter, cùm sumantur à formis distinctis realiter; jam autem, si ratio generica animalis à ratione talis animalis, non distinguuntur realiter, nec rationes illæ corporis distinguentur realiter.

Probatur tertiò. Materia independenter ab omni forma corporeitatis superaddita, falsum est, quòd sit spiritus: ergo verum est, non est spiritus, ergo ulterius independenter ab omni Forma superaddita, est corpus, quia aliàs istud non esse spiritus, quod est negativum, non haberet in quo fundaretur: non in ratione substantiæ, entis, potentiæ &c. quia hæc omnia competunt Angelo, in quo tamen non fundant negationem Spiritus, ergo hæc ratio fundari debet in ratione corporis; non enim in alia debitè fundari potest, & hoc est, quod communiter Philosophi dicunt, Materiam esse corpus incompletum de se.

Objicitur primò Auctoritas Aristot. qui docet, animam esse actum corporis organici, hoc autem salvari non posset, si non daretur corporeitatis Forma coæva materiæ.

Responderi potest, in sententia tenentium formas partiales, animam, esse actum corporis, per formas partiales organisati; in sententia autem negante has formas, per Corpus Organicum, intelligi potest, non materia, sed totum compositum, quod est subjectum de-

nomi-

nominationis, ita, ut anima dicatur habere rationem actus, in constituto illo ex Corpore & Anima.

Objicitur secundò. Quantitas debet sequi ad aliquam formam substantialem, sicut & alia accidentia, sed antecedenter ad formas specificas, est in Materia quantitas, ergo & Forma substantialis, hæc verò non alia, nisi ista Forma corporeitatis.

Respondetur. Accidentia activa, & quæ non sunt communia, debent sequi ad aliquam formam substantialem, secus accidentia non activa, & communia, quale accidens est quantitas.

Objicitur tertiò. Non est principium aliud, quod det materiæ esse corporis saltem in homine, in quo cùm forma sit spiritualis, esse corporei dare non potest.

Respondetur. Esse corporei incompletum, habetur ab ipsa entitate materiæ & formis accidentalibus; esse autem completum, haberi potest ab ipsâ anima rationali, quia esse hoc completum, non aliud est, quàm esse materiæ unitæ cum forma, ad quam per se ordinatur, vique illius potens exire in actus sentiendi vegetandi, unde anima dat esse corporis viventis, corporis sentientis, &c. quæ omnia haberi possunt à forma substantiali spirituali. Imò retorqueri etiam posset argumentum primum, inquirendo, à quonam habeatur esse specificum corporei in homine, nam genericum habetur, ut dicis, à forma Coæva, specificum per te dare non potest anima, utpote spiritualis, ergo debes aliam, præter has duas, comminisci formam.

Objicit quartò Mastrius. Anima rationalis nequit dare esse corporeum & extensum, cùm in se sit spiritualis.

Respondetur. Imprimis, esse hoc corporeum, non haberi ab anima, sed à Materia, & à formis accidentalibus, de quo infra. Deinde dici posset, quòd licet anima sit spiritualis, quia tamen essentialiter est ordinata ad corpus, perficere illud poterit in ratione corporis, saltem cum addito, hoc est, corporis viventis.

Quòd autem dicit, tale esse, non potest dare anima, nisi per informationem, quare in seipsa esse deberet formaliter talis, sicut albedo, est, ut Quo albedo, & non virtualiter tantùm, id non convincit in principiis nostris, quia illa non dat esse corporeum, sed hoc habetur à materia & accidentibus, quæ sunt corporeum quid. Sed tenendo etiam, quòd ipsa anima spiritualis det completum esse corporis, non convincit argumentum, quia licèt tale esse det per informationem, quia tamen informat tanquam quidem forma spiritualis, simul tamen ut essentialiter ordinata ad corpus, hoc ipso poterit dare rationem completi corporis, suntque in hoc paria, v. g. albedo & anima, quia non virtualiter, sed formaliter, dicit anima ordinem ad corpus.

Quòd autem non sit formaliter corporea, licet albedo sit formaliter albedo, oritur hoc ex perfectione ipsiusmet animæ, negaturque, rationem virtualis tantùm, pertinere ad genus causæ efficientis, nam v.g. unus Imperialis, est virtualiter tres floreni, etiam hoc respectu, quia unus ille continet perfectionem nonaginta grossorum, inclusorum in tribus florenis. Si item species effectivè non concurrit ad actum, sed solum complet potentiam, species universalior Angelica, virtualiter erit inferior. Denique gradus inferiores spectati merè secundum perfectionem, virtualiter includunt perfectionem superiorum, nec tamen illos efficiunt.

Instat Trombeta apud eundem: Nulla Forma continet virtualiter effectum sibi repugnantem.

Respondetur. Dare esse completi corporis, non repugnat formæ essentialiter ordinatæ ad corpus, talis autem est anima: unde albedo non potest dare virtualiter esse nigri, quia non ordinatur essentialiter ad nigrum perficiendum.

Instat secundò Mastrius. Ergo etiam forma corporea virtualiter continere poterit esse spiritualia.

Respondetur. Quòd non: quia convenit quidem superioribus continere perfectionem inferiorum, sed non è converso.

Instat tertiò idem. Etiam admisso, quòd virtualiter tale esse contineret, non proinde posset illud homini communicare, sicut Forma Solis, eminenter continet calorem, & tamen non facit solem formaliter calidum. Forma enim in tali genere dat tantùm illud esse, quod in se habet.

Respondetur. Licèt continentia caloris in Sole non faciat Solem calidum, facit tamen alia calida: ita quamvis continentia complendi corporis, non faciat animam corpoream, poterit corpus complere: idque ideo, quia eminenter contenta, exercent suam eminentiam, non in ipsum eminens, sed in id, ad quod ordinantur.

Objicit quintò. Etiam posito, quòd anima sit sensitiva, non potest viventi tribuere esse corporeum: quia esse corporeum, quod vivens exigit, est dissimilare & organicum.

Respondetur. In nostris principiis, esse illud corporeum dissimilare, principiatur à dissimilibus accidentibus: sed qui illud diceret oriri à Forma sensitiva, diceret, quòd completivè etiam corpus dissimile, facere posset, eo quòd anima sensitiva, exigitiva sit hujus dissimilationis, & simul essentialiter ordinata ad tale corpus complendum.

Quòd autem dicit Mastrius, dari continentiam inferioris in superiori per excessum perfectionis, sed non semper per continentiam effectuum inferioris, id non convincit. Cur enim hanc continentiam per excessum perfectionis, non habebit anima in ordine ad dandum esse corporis? Et quamvis non semper perfectius dicat continentiam effectuum inferioris, transeat; nam per Mastrium, non debet id præstare anima in genere causæ efficientis.

Denique, cur anima superior non erit contentiva effectuum superioris? cùm dentur superiora, quæ continent effectum inferioris.

Reliqua solventur, ubi de Formis partialibus.

Quæres. *An tot sint Formæ, quot illarum divisiones*, an scilicet in homine alia sit anima vegetativa, alia sensitiva, alia rationalis?

Assero. *Quod non*;

Ratio prima ex Suar. Disp. 15. Sect. 10. n. 20. Anima vegetativa, v. g. in equo, non potest esse nisi contracta ad aliquam speciem, aliàs darentur individua generica, & posset esse aliquid quod individuum & singulare à parte rei, in nulla tamen specie constitutum: si autem est illa ratio vegetativi contracta, ergo debet esse contracta per rationem sensitivi, sibi identificatam, nam ratio differentialis Metaphysica, identificatur rationi genericæ, rursùs rationem vegetativi, non potest contrahere ratio sensitivi, ut sic, propter rationes adlatas, ergo contrahi debet per rationem hinnibilis, ergo in re, non distinguuntur hi gradus.

Ratio secunda Hurtadi est. Non sunt tot materiæ distinctæ, quot prædicata essentialia: ergo nec tot formæ, quot prædicata essentialia.

Ratio tertia est, posito, quòd anima in bove alia sit vegetativa, alia sensitiva, alia mugitiva, quæro, illa ipsa mugitiva anima, vel est una, vel non est una? Si non una, ergo falsò posuisti, tantùm esse tres animas in bove: si est una, contra erit, quia per te illic multiplicandæ sunt animæ, ubi multiplicantur prædicata essentialia: sed in anima mugitiva, multiplicantur prædicata essentialia, certè enim ipsa in se anima mugitiva, est in plures divisibilis conceptus. Ergo. Quodsi dicas, hæc omnia posse referri in idem realiter principium, idem & nos dicemus.

Principalis hujus asserti ratio est, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas multiplicandi has formas.

Dices primò. Anima rationalis est spiritualis, materia non spiritualis sed corporea; Ergo nonnisi intermediis aliis formis, extrema tam dissita, conjungi secum poterunt.

Respondetur. Non minus dissita est in ratione entis Forma sensitiva, à Forma rationali, quàm sit dissita Forma vegetativa à forma rationali: nam tam vegetativa Forma, quàm sensitiva, sunt formæ corporeæ, & materiales. Porrò non obest, ut extrema dissita in ratione entis, secum conjungantur, modo non sint dissita, per negationem ordinis & habitudinis; jam autem anima spiritualis, dicit habitudinem ad corpus.

Dices secundò. In homine sunt operationes contrariæ, ergo & principia harum operationum diversa, nempe animæ: dicitur enim in Scriptura, quòd caro concupiscat adversum spiritum.

Respondetur. Sicut affirmare & negare sunt operationes contrariæ, & tamen non est alius intellectus affirmativus, alius negativus; ita nec contrariarum operationum, debent esse diversa principia, tunc autem diversitas operationum arguit diversitatem principiorum, quando non potest referri in idem principium: tunc autem non potest referri in idem principium, quando est fundamentum colligendæ separabilitatis principiorum, & quando ex identificatione illorum principiorum, sequitur confusio essentiarum, nihil autem horum in præsenti ostendi potest. Locus Scripturæ ita intelligendus, quòd eadem anima, in quantùm inclinatur à sensibilibus, ad sensibilia prohibita, repugnet sibi inclinatæ ad insensibilia & divina.

Dices tertiò. Aristot. 7. Metaph. cap. 10. asserit, partibus definitionis, respondere partes rei.

Responderi potest: definitioni rei, datæ, per partes Physicas, respondere partes Physicas, datæ autem, per partes Metaphysicas, respondere etiam partes Metaphysicas. Quando verò idem 2. Metaph. c. 2. docet, ideo in formis substantialibus, non dari processum in infinitum, quia non datur in conceptibus, hoc etiam non obest; certum enim est, quòdsi multiplicarentur in infinitum formæ, multiplicarentur etiam illarum conceptus quidditativi. Sed hæc mala consequentia multiplicantur; ergo & formæ. Unde etiam colliges, animam vegetativam in homine non esse eductam, sed creatam, est enim eadem cum rationali, quæ nonnisi creatur. Cæterum non est dubium, quòd eadem anima rationalis, prius præstet effectum vegetativæ, postea sensitivæ, demum rationalis.

DIFFICVLTAS II.

An dentur Formæ substantiales partiales.

Contra Thomistas Suar. Arriag: Ovied. & alios, affirmant Scotistæ, & ex nostris Dandi. lib.

di. lib. 2. dis. 8. P. 3. Smigletius & alii. Status quæstionis in hoc est: Volunt Scotistæ, dari formam substantialem in viventibus, v.g. in homine, ossis, carnis, nervi, condistinctam à forma totali, uti est anima rationalis, quas formas volunt esse subordinatas, eò quòd illæ ordinentur ulterius ad animam rationalem, examinandæ sunt rationes utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta pro Formis partialibus.

PRIMUM Argumentum est Scoti, quod sic proponi potest. Posito, quòd non dentur Formæ partiales, si quis discipulorum in triduo mortis consecrasset, vel posuisset illic corpus Christi, vel non posuisset. Neutrum dici potest. Minor probatur, si enim posuisset Corpus Christi in triduo mortis, ergo corpus Christi in ratione corporis non constituitur anima, utpote quæ tunc non erat, ergo ulterius constituitur Forma corporis condistincta ab anima: si enim tunc posita fuisset anima: Ergo consecratione reductus fuisset Christus ad vitam; si autem non posuisset Corpus Christi in triduo mortis, aliquis discipulorum consecratione sub speciebus panis, ergo nec consecrâsset, quod non concedunt oppositi.

RESPONDETUR. Imprimis difficultatem hanc solvendam esse ipsi Scoto: si enim in triduo mortis poterat poni sub speciebus panis corpus Christi consecratione, debuisset poni & anima, nam habuerunt potestatem consecratione, non solùm, Corpus ponendi, habuerunt enim eandem specie potestatem cum nostris Sacerdotibus, qui nonnisi simul ponere possunt etiam animam; si autem posuissent etiam animam, cur non dicendi essent resuscitantes Christum? Deinde dici potest, non potuisset consecrare in triduo illo Apostolos, idque non defectu potestatis, sed defectu termini ponendi, nempe corporis Christi, idque animati, cùm tamen tunc non fuerit animatum. Sed quia hoc videtur esse contra Sanctum Thomam, Tertiâ par. q. 67. art. 7. dici posset, quòd potuerint consecrare, potuerintque ponere corpus sine anima, hoc est, materiam cum talibus accidentibus. Vel etiam ponendo Sacramentaliter ipsam animam, neque tamen per hoc resurrexisset Christus, quia potuisset anima sub speciebus uniri corpori, non tamen corpori in sepulchro jacenti, penes quod præcisè spectari debuisset resurrectio, neque enim corpori replicato, repugnat in uno loco habere animam, in alio non habere.

INSTAT primò Pontius, in quantum dicitur poni tunc materiam cum accidentibus, & dicit, vi cujus responsionis sequi, quòd quando ex ligno generatus est ignis, verum est dicere, quòd corpus ligni, sit sub forma ignis.

RESPONDETUR. Esse illic nonnisi ampliativè corpus ligni, quia non manet combinatio accidentium ligni.

INSTAT secundò idem. Si idem est corpus Christi, ac materia Christi, posset quis æquè consecrare cum hac forma, hæc est materia mea, ac cum hac alia, hoc est corpus meum.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, & quærendo; an cum hac forma, hæc est materia mea, cum forma partiali substantiali constituente, v. gr. in ratione exigitivi quantitatis, possit quis consecrare? Directè dici hoc potest, quòd ad hoc; an teneat aliqua Forma Sacramentalis, non solùm sit spectandum, an in re idem verba importent, sed etiam spectandum est, an usus communis ad eam rem significandam adstrinxerit hæc verba; & ita idem in re est dicere; Ego te baptiso in Nomine Trinitatis, ac dicere, baptiso te in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & tamen prior illa Forma non tenet, eò quòd usus communis, ad significandas distinctè tres personas, non assumpserit Ly Trinitas. Cùm ergo ly materia prima cum accidentibus, non sit impositum ad significandum distinctè corpus, quantumvis in re, sit ipsâ materia cum accidentibus talibus, ideo prædicta forma, non tenebit.

INSTAT tertiò idem. Thomistæ censent, in toto composito subjectari accidentia, compositum illud est dissolutum: Ergò nec eadem accidentia manent, si autem subjectantur in ipsa materia, hoc imprimis falsum est: deinde, accidentia non ponuntur nisi per concomitantiam, corpus autem ponitur vi verborum, Ergo apparet, quòd corpus non dicat illa accidentia.

RESPONDERI posset. Secundùm præjacta principia, accidentia subjectari, non in composito. Negando item, quòd accidentia constitutiva corporis, in ratione corporis, per concomitantiam ponatur, nec oppositum ullibi docuit Tridentinum.

SECUNDUM Argumentum est Pontii, fundamentum in Tridentino Sess. 13. C. 3. ubi dicit Concilium Corpus poni vi verborum consecrationis, concomitanter autem animam, ex quo loco sic format argumentum. Non potest corpus, quod ponitur per se sub speciebus panis, non potest inquam esse aliquid constitutum ex anima & materia prima: Ergo corpus non est materia per animam constitutum, quia si esset corpus constitutum ex materia & anima, tunc quando directè ponitur corpus, vi consecrationis, poneretur etiam anima utpote constitutiva corporis, ad eum modum,

quô

quô qui producit per se hominem, producit etiam constitutiva illius, ex Tridentino autem, non producitur directè in consecratione corporis anima. Si autem ad hoc recurras, quòd corpus constituatur materiâ cum certis accidentibus, contra erit, quia aliàs conversio Eucharistica, non tam esset transsubstantiatio, quàm transaccidentatio: quia esset mutatio in accidentia externa, quæ corpus, quà tale, dicit; contra quam voluerit citatum Trident. C. 4.

Responderi posset. Quòd intentio Tridentini fuerit declarare, quomodo totus sit sub utraque specie Christus, quæ intentio salvatur, etiamsi per animam constituatur corpus: noluit autem Tridentinum discurrere, quid tandem sit constitutivum corporis. Hæc de Tridentino. Quod attinet ad difficultatem in sententia, quę ponit corpus stare in materia, quę de se est corpus, utpote condistincta à Spiritu, & insuper addit, accidentia aliqua organisationemque, in hac inquam sententia, ex vi verborum, nonnisi concomitanter ponetur anima, illa autem accidentia per se ponentur, cum quibus magis connectitur corpus sub formalitate corporis, quàm cum anima, quia per illa constituitur etiam in ratione corporis organici, erit autem adhuc tunc transsubstantiatio, quia erit conversio substantiæ panis, in substantiam Christi, quantumvis vi verborum ponatur materia Christi, quæ in ratione Organicæ, talibus accidentibus completur.

Tertium Argumentum est: Corpus Christi idem fuit sepultum, quod fuit de Beatissima natum. Sed hoc esset falsum, nisi detur præter animam forma alia substantialis in Christo, quæ cum materia constituat corpus illud, quia corpus sepultum non potest esse constitutum in ratione corporis, anima, hæc enim non fuit in sepulchro; Neque recurras ad hoc, quòd corpus Christi sit materia cum accidentibus, aliàs accidentia essent de essentia Christi, sicut & ipsum corpus, & sicut dicitur corpus organicum, cum diversis accidentibus, ita dicetur, corpus non organicum, materia cum accidentibus ejusdem rationis, adeoque ignis constabit corpore & forma ignis.

Responderi posset primò. Cum Cajet. & Suar. idem fuisset corpus suppositaliter, hoc est, terminatum eadem personâ verbi, sed non erat idem formaliter.

Instat Pontius. Si verbum assumpsisset aliam numerô naturam humanam, eadem fuisset suppositalitas, & non idem corpus: Ergo ad hoc, ut dicatur idem Corpus Christi sepultum & natum, non sufficit, si sit idem suppositaliter.

Respondetur. Non sufficere ut sit idem, si cætera sint imparia, v.g. si intercedat distinctio realis, in ipsamet materia, & quia hoc non contingit Christo mortuo, fit ut idem sit Corpus. *Cæterum hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia ex Mastrio aliud est quærere, an idem maneat suppositum; & aliud, an idem maneat Corpus? verbum enim Divinum non dat esse corporeum, nec Patres dicunt, idem mansisse suppositum, sed dicunt, idem mansisse corpus. Tum quia si lignum assumeretur à verbo, & lignum converteretur in ignem, retenta unione verbi, cum materia ligni, non diceretur idem manere corpus Physicum, manente eadem suppositaliter materia: ergò nec nunc dicendum, ex eo manere idem corpus sepultum, quod erat natum, quia idem est suppositaliter. Tum quia in ratione corporis, non suppositô, sed anima constituitur: ergo si non manet anima, non manet idem constitutivum. Cæterum si quis diceret, requiri animam ad esse compleri nonnisi corporis, benè se tueri posset, quòd in sepulchro non manserit idem corpus completè, sed incompletè: non mansit quidem completè idem corpus, quia ad hoc complementum in omni sententia requiritur anima, sed mansit incompletum, quia mansit materia, quæ est substantialiter corpus, manseruntque eadem accidentia. *Ad quod attendendo*

Respondetur secundò. Idem fuisse corpus sepultum & natum, quia fuit eadem materia, quæ est substantialiter corpus, cum iisdem accidentibus; nec sequitur inde, accidentia esse de essentia Christi, sicut & ipsum corpus, quia corpus, nonnisi secundùm id, quod dicit in recto, est de essentia Christi; in recto autem dicit materiam, quamvis corpus secundùm id, quod dicit in obliquo, non sit de essentia Christi, in obliquo autem dicit accidentia, ad cum modum, quo cœnæ, id quod dicit in recto, est essentiale, nempe comestio, illudque est exsatiativum appetitûs, tempus autem quod dicit in obliquo, est extrinsecum & non exsatiativum. Neque inde sequeretur, quòd ignis constet corpore non organico, quia nomen hoc corpus, usus communis adstrinxit, nonnisi ad significandam in materia certam organisationem, ab heterogeneis accidentibus profectam; ex objecto autem verum est, ipsam in se materiam esse corpus substantialiter incompletum.

Instat Pontius. Si sufficit ad hoc, ut dicatur corpus idem esse sepultum & natum, quia sunt accidentia illius sensibilia eadem, ergo poterit dici, substantiam panis manere in Eucharistia, quia manent accidentia illius sensibilia.

Respondetur. Neg. Sequel. quia non manet eadem materia in Eucharistia, sicut mansit in sepulchro, cùm tamen materia in recto importetur à corpore.

In-

Instat secundò Mastrius. Quamvis in genito & corrupto eadem remaneat Materia cum iisdem accidentibus, non tamen dici potest, genitum esse corruptum, & idem numero compositum cum illo. Ergo & in præsenti idem dicendum.

Respondetur. Quia cùm genitum non constituatur ipsa Materia & accidentibus, itemque corruptum, manente eadem materia & accidentibus, non poterit dici manere idem genitum, quod erat corruptum. Quia autem corpus constituitur materia & accidentibus, benè potest dici, si maneat in Christo eadem Materia & eadem accidentia, manere idem corpus.

Instat tertiò. Esse carnem & nervum, est esse substantiale.

Respondetur. Etiam in principiis Mastrii, esse carneum, nerveum, præter formam substantialem, dicit accidentia, ita, ut si illa non sint, non sit futurus, v.g nervus; & si substantialitas nervi salvari potest ratione formæ substantialis, cur in nostris principiis salvari non poterit ratione materiæ, quæ est quid substantiale? Unde dici potest, esse nerveum, esse compositum ex substantiali & accidentibus, adeoque inadæquatè esse substantiale.

Quartum Argumentum est; Si non dabantur in Christo formæ partiales substantiales: Ergo ne materia Christi maneret spoliata omni formâ, succedere debuit post separationem animæ Christi, forma cadaverea: hoc non potest dici, quia si successisset animæ Christi forma cadavereitatis, ergo verbum assumpsit hanc formam, hoc autem dici non potest, quia illam dimittere debuisset ad adventum animæ; dimittere autem non potuisset, propter Theologorum axioma. Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit.

Responderi potest variis viis. Imprimis successisse formam cadaveream etiam in Christo, an autem illam assumpserit Verbum, dubium est; fortè non assumpsit, propter illud dictamen Patrum, quod verbum semel assumpsit nunquam dimisit fortè etiam assumpsit, & postea dimisit, quia id solùm, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, quod assumpsit ex primaria intentione, & ad hoc, ut redderetur homo, non ex primaria autem intentione, assumpta illa forma. Alii etiam dicunt, materiam Christi in triduo mortis, sub solis accidentibus remansisse, nec successit illa forma cadaverea.

Instabis. Supposito, quòd verbum assumpserit formam cadaveris, vera esset hæc propositio: Verbum est cadaver, cadaver nos redemit, cadaver natum est ex virgine, quæ absurda sunt.

Respondetur. Retorquendo argumentum, etiam positis formis partialibus, corpus exanime est cadaver, adeoque Verbum, esse cadaver id est, corpus exanimatum. Deinde in forma concedi potest hæc propositio: cadaver est verbum, quia illius sensus est; corpus exanime, terminatum est persona verbi, quæ propositio est de fide. Reliquæ autem propositiones non sunt veræ, v. g. cadaver est natum de Beatissima, quia denominatio cadaveris advenire non potest, nisi cum est negatio animæ: quæ quia non erat in nato de virgine, cum nascebatur, cum redimebat, nec potuit verificari cadaver redemisse, cadaver natum de virgine, nisi fortè ampliativè, scilicet id, quod erat natum, factum est cadaver. Illustrat hoc Arriaga, quòd universaliter non liceat argumentari à denominationibus, quas verbum uno tempore habuit, ad eas in omni tempore applicandas, sicut si Verbum fuisset unitum Angelo, & postea si dimissa ea unione, unitum fuisset naturæ humanæ, in eaque nos redemisset, falsa esset propositio, Angelus nos redemit: ita etiam falsa erit hæc propositio; cadaver nos redemit. Nec ulterius censendum est, aliud esse corpus Christi vivum, & aliud mortuum; quia sub alia est forma, quia divisio & alietas corporis, non est pensanda ex alietate, nonnisi advenientis formæ substantialis, sed ex unitate ejusdem numero Materiæ, & eorundem numero accidentium. Hinc si corpori Petri, post abscessum animæ ejusdem, uniretur anima Pauli, idem uterque haberet corpus, quamvis diversam animam, non negatur tamen aliud compositum tunc haberi.

Quintum Argumentum. Si non darentur formæ partiales, non esset, quod colere meritò possent Christiani in reliquiis Sanctorum; sola enim materia, non mereretur hunc cultum, aliâs carnes Sanctorum in substantiam bestiarum conversas possemus colere.

Respondetur. Ratio colendi reliquias est; quia manet eadem materia, non quomodocunque, sed cum iisdem pluribus accidentibus, ita, ut non possit dici illa materia, jam esse aliùs moraliter suppositi; quia autem in bruto jam est aliùs materia suppositi, habetque diversa accidentia, deservientia ad aliam formam, non jam defectivam, qualis est cadaverea, sed perfectivam, qualis est forma bestiæ, vermis, &c. Et certè, si coleretur materia illa cum accidentibus bestiæ, jam non illud censeretur coli moraliter, & suo modo physicè, cum tamen cultus in moralitate vel maximè fundetur: & sic colimus crucem, quæ attigit Christum, non coleremus autem buccam Judæ Christum osculantis, quia idem moralitatis fundamentum non habemus, in actioneque hac, moraliter non censeretur Christo exhiberi cultus, sed Judæ.

Conti-

Continuantur aliæ rationes.

POsuimus jam argumenta Theologica, adferenda sunt Philosophica.

PRIMA ratio est Auctoritas Aristotelis, definientis animam. *Anima est actus corporis organici, potentiâ vitam habentis*, quod corpus organicum, non potest esse sola materia cum accidentibus: ponat enim Deus unionem materiæ spoliatæ omnibus accidentibus, cum anima humana, vel constabit illud compositum corpore & anima; vel non constabit: si constabit, ergo sola materia est corpus, & non dicit illa accidentia: si non, ergo potest dari homo absque corpore, siquidem darentur essentialia hominis, hoc est, materia & forma.

RESPONDETUR. In illo casu fore compositum constans corpore, secundùm id, quod dicit in recto corpus, non autem secundùm id, quod dicit in obliquo: ut autem dicatur compositum aliquod esse homo, debet constare corpore & anima rationali, corpore, inquam, tam secundùm id, quod dicit in recto, quàm secundùm id, quod dicit in obliquo. Finge in tua sententia materiam habere formam substantialem corporis, ossis, sanguinis, & nullam habere organisationem externam accidentalem, non habere v.g. humiditatem & fluiditatem sanguinis, duritiem ossis, eritnè tum temporis homo vel non? Si non erit, ergo accidentia intrant essentiam corporis; si erit, ergo massa una indigesta, inutilis ad functiones sensandi &c. erit homo, & breviter, quod tu de hoc composito in tua sententia dices, idem in præsenti dicetur. Rursùs, corpus organicum estné de essentia hominis, vel non? non potest non esse de essentia hominis, quia illa compars, per ordinem ad qũam definitur anima, est de essentia hominis, sed corpus organicum est illud, per ordinem ad quod definitur anima. Ergo. Si autem corpus organicum est de essentia hominis, ergo accidentia sunt de essentia hominis, idque ideo, quia organisatio importat accidentia, hinc detur materia, dentur & formæ partiales, & non dentur accidentia debita, certè non erit corpus organicum, ergo apparet, quòd ratio organici etiam accidentia importet, quodsi corpus organicum est de essentia compositi, rogo, cur accidentia non ingrediantur rationem compositi substantialis? Conformiter ergo ad materiam de connotatis, dici potest, organisationem petibilem ab accidentibus, esse quid accidentale corpori, necessario tamen requisitum.

SECUNDA ratio. Quando moritur homo, remanent in corpore ejus eadem accidentia numero, quæ erant antecedenter. Tum quia ita sensus ostendunt, quos falli nulla convincit ratio. Tum quia quæ illic esset causa productiva accidentium tam similium: quid si remanent eadem accidentia, & quidem numero, quæro, in vivo subjectabanturné in toto composito, an in sola materia? Si in composito, ergo cum eadem numero maneant accidentia, debet manere idem compositum substantiale: ergo manet compositum ex materia & formis partialibus; Si autem subjectantur in sola materia, infero, si manent eadem numero accidentia in mortuo, ergo manebit & eadem forma substantialis, sed non totalis, ergo partialis, quod ipsum probatur, quia nisi forma eadem numero vel specie maneat, non possunt manere eadem numero accidentia, cum eadem forma & figura.

RESPONDETUR. Non posse manere eadem numero accidentia, (quæ suppono subjectari in sola materia) nisi maneat eadem forma, si illa sit perfectiva, & per se intenta à natura, posse verò manere eadem accidentia, si sit forma defectiva, qualis est forma cadaverea. Vidimus enim, quòd quando perfectivæ formæ ligni, succedit forma perfectiva ignis, non manere eadem accidentia; succedente autem sola forma defectivâ, ut cùm exsiccatur etiam arbor, manent eædem literæ insculptæ, eædem nodositates &c. arguimusque cum forma defectiva, posse manere eadem numero accidentia.

Idem medius terminus sic aliter proponitur à Mastrio Disp. 2. n. 62. Manent tunc eadem numero accidentia, ergo idem corpus, quod est eorum subjectum inhæsionis; non enim migrare possunt de subjecto in subjectum.

RESPONDETUR. Subjectum inhæsionis illorum accidentium manet immediatum idem, nempe eadem quantitas, mediatum item idem, nempe materia prima.

INSTAT primò n. 96. Materia non est subjectum immediatum accidentium, prius enim est compositum substantiale, quàm accidentale.

RESPONDETUR. Esse prius compositum substantiale prioritate dignitatis intentioneque naturæ, sed non prioritate præsuppositionis. Et certè materia debet præsupponi quanta, ut recipiat formam materialem, ergo præsupponitur jam compositum accidentale ex materia & quantitate, quæ est accidens.

INSTAT secundò. Etiamsi accidentia residerent in materia, tamen non sunt ei coæva, saltem omnia, & nova accidentia adveniunt cum nova forma, ergo etiam in proposito ita debet esse: non enim potest afferri ratio, cur formæ tam diversæ, ut anima, & forma cadaveris, eadem prorsus accidentia exigant, in materia.

RESPONDETUR. Concedo, omnia accidentia non esse coæva materiæ, sed nego omnia non posse recipi mediatè in ipsa materia, immediatè in quantitate, adveniunt etiam

cum

cum forma, quæ vocatur cadaverea, nova aliqua accidentia, licèt non sint nobis nota, pullulantia ex pugna, quæ intervenit in decessu viventis. Vel si hæc nolis agnoscere nova, quantumvis nonnisi aliqua, disparitas est, quia illa forma cadaverea, cùm sit nata sequi immediatè abscessum formæ perfectivæ, ex ipsa immediata successione, debuit determinare sibi similia in specie accidentia formæ perfectivæ, hoc ipsô enim non esset nata immediatè succedere, sed impediretur, quoadusque non producerentur illa accidentia. Quia autem formæ perfectivæ non sunt natæ sibi immediatè, & quidem determinatè, succedere, ideò nec exigunt similia accidentia, vel potiùs eadem prorsùs.

Instat Tertiò. Unde adhuc petenda est identitas accidentium in corpore vivo & mortuo, nam hæc non potest peti ex materia, hæc enim indifferens est ad omnia accidentia: & si dicatur esse eadem, quia non adest causa à qua fiant nova, câdem etiam ratione dici potest, etiam formam substantialem corporis, esse eandem, quia non potest assignari, causa à qua producatur.

Respondetur. Causa indentitatis illorum accidentium est, ipsa forma defectiva, exigens multa eadem accidentia, cum forma, cui nata est succedere, & quidem determinatè, in talibus circumstantiis.

Tertia Ratio est, datur in cadavere hominis aliqua forma substantialis, sed non alia, quàm quæ fuit ante mortem hominis, neque enim datur forma cadavereitatis, quia illius causa productiva assignari non potest; vel enim istam formam producerent causæ particulares, vel causæ universales: non primum, quia quando gladio transfigitur animal, quid gladius habet virtutis ad producendam illam formam? & cùm similis semper cadaverea forma resultet, quî à tam diversis principiis, causativis interitûs humani, produci potest? Non secundum, quia causæ universales, non magis sunt determinatæ, ad producendam hanc vel illam formam, nisi determinentur à dispositionibus, quæ autem illîc dispositiones determinant ad formam cadavereitatis, immò cum eadem maneant in vivo accidentia, quæ erant in mortuo, non possent determinare ad formam omninò dissimilem cadaveream.

Respondeti potest: in repentino interitu, produci formam cadavereitatis à solo Deo, ad quem tanquam ad auctorem naturæ, spectat providere, ut res secundùm exigentiam suam naturalem existant. Cum ergò deposcat naturaliter existere materia, nonnisi sub forma substantiali, ideò DEUS ad illam producendaum tenebitur: quando autem sensim per naturalem corruptionem cedit anima ex vivente, tunc agens destructivum formæ præteritæ, inducit cadaveream, vel suam propriam.

Addi solet, tot esse has formas cadavereas specie distinctas, quot sunt specie distincta ipsa viventia, & ita DEUS extinctô homine repentè determinatur, ad producendam formam cadavereitatis non nisi humanæ; ut autem connaturaliter illam producat, determinatur ab accidentibus, quæ eadem manent, licèt non omnia, illis scilicet deficientibus, sine quibus vita continuari non potest, & licèt hæc accidentia in præsentia eorum quæ perierunt, non possint determinare nisi ad animam, in absentia tamen illorum determinant ad formam defectivam cadavereitatis, nisi ad sit illa forma inducta, v.g. embryonis, quæ ponitur, quando nec dum sunt dispositiones ad introducendam animam requisitæ & nisi adsit agens, quod ulteriores dispositiones ad formam perfectivam producat, in his enim circumstantiis illæ dispositiones non determinant ad formam cadavereitatis.

Docet etiam Arriaga, causas contrarias, posse eandem formam cadavereitatis producere, si enim possunt formam carbonis, diversæ causæ producere, sive extinguatur aquâ frigidâ, sive oleo calidissimo, sive cinere, sive naturali defectione ignis, cur non & formam cadaveream, adeò defectivam, producere poterunt etiam contrariæ causæ? Erit autem hæc forma utilis, ne materia maneat sine forma substantiali, quæ quia defectiva, non debet nisi valdè debiliter conservare accidentia, ad quorum exigentiam est producta: ideò autem negatur hic influxus formæ cadavereæ, & tamen adstruitur hæc forma, quia non adstructâ hâc formâ, maneret materia sine forma substantiali, quod absurdum est in Philosophia communi; nullum autem est absurdum, si forma defectiva debiliter influat in dispositiones, ad quorum exigentia est producta.

Defectibilitas autem illius formæ, ex eo colligitur, quia illa per se non intenditur à natura, bonumque universi postulat potiùs defectum talis formæ.

Admissâ ulterius hâc formâ, docetur, carnem mortuam & vivam esse univocè carnem in re, quia in re caro non est, nisi materia cum talibus accidentibus, quæ eadem sunt abscedente in recenti formâ viventis, interdumque ex usu vocatur caro, & ita dicuntur homines comedere carnes; interdum non vocatur, nam non dicitur caro hominis tumulari, sed cadaver.

Nec erit absurdum, quòd formæ distinctæ requirant similia accidentia, quia etiam distincta est forma vitri, glaciei, crystalli, & tamen similia in multis requirunt accidentia,

quod multò magis verum est de formis defectivis, hoc est, natis immediatè sequi post expulsionem formæ viventis, succedenteq; formâ cadaveris, non erit idem ratione formæ compositum, idem tamen ratione corporis incompletè accepti, quia eadem numerò, materia, & eadem accidentia.

INSTABIS PRIMO. Forma cadavereitatis solam privationem significat: ergò non est forma Physica. Antecedens probatur: cadaver significat corpus mortuum, corpus autem mortuum, est corpus vitâ privatum; sicut mors nihil aliud est, quàm corpus privatum vitâ.

RESPOND. Vulgariter corpus mortuum, est non nisi corpus vitâ privatum: Philosophicè autem requirit formam adhuc substantialem, natam succedere, quæ appellatur à nobis forma defectiva & cadaverea: & sicut per oppositos, manent formæ partiales, tunc-que incipiunt habere rationem totalium, nec esset cadaver, si hoc non contingeret, quamvis vulgus ad hoc non attendat: sic & in præsenti, morsque vulgariter est privatio vitæ, sed Philosophicè, est etiam inductio formæ cadavereæ. Hæc objectio inferiùs pleniùs solvetur.

INSTABIS SECUNDO. Forma cadaverea, vel dat idem esse carni, quod antea habebat, & sic de cæteris partibus, vel non dat; si idem, ergò non differt substantialiter caro mortua, in esse carnis à carne viva, quod negatur, præcipuè, quia nova substantialis forma, qualis est cadaverea, deberet dare novum esse substantiale composito: si diversum, ergò si quis vendat in macello carnem bovis furtò sublati, posset verè jurare, se non vendere carnes bovis furtò sublati, quia juxta adversarios vendit revera alias specie carnes.

RESPOND. Expressè docet Arriaga n. 69. Carnem vivam & mortuam eandem esse univocè, accedensque forma, sive cadaverea, sive alia, ad eandem materiam, cum iisdem accidentibus manentem, debet tribuere novum esse completi & formati, sed non novum esse corporis incompletè sumpti, nec novum esse carnis, ad eum modum, quò in sententia oppositorum, si Deus retentis iisdem formis partialibus hominis, infunderet animam bruti, idem esset corpus, licèt novum esset in ratione completi, formati &c. Deinde juramentum procedit secundùm esse morale bovis, æstimationemque moralem: idem autem esse morale, convenit bovi vivo & mortuo.

INSTABIS TERTIO. Si Deus deberet producere formam cadavereitatis, extinctô repentè animali, daretur instans, in quo esset materia sine ulla forma: nam in primo instanti, exigeret materia unà cum accidentibus produci formã cadavereitatis, in secundo instanti, Deus determinaretur ad illam producendam.

RESPOND. Dari posse instans rationis, in quo intelligitur materia sine forma, sed non datur instans temporis; quia in eodem instanti videt Deus exigi à se, tanquam auctor Naturæ, illam formam, & in eodem eam producit.

INSTAT QUARTO Mastrius. Connaturaliùs salvatur, materiam non remanere nudam in interitu animalis, si maneat cum antiqua forma mixtionis, quàm si dicatur, illicò formam cadaveris ab universali agente prodire, sine præviis dispositionibus.

RESPONDETUR, cùm probandum sit, dari formam istam mixtionis, non erit connaturaliùs cum illa manere materiam, universale etiam illud agens, producit non miraculosè illam formam, quia ad exigentiam ipsius materiæ, perentis non esse sine forma, ipsaque remanentia accidentia in abscessu aliorum, ad vitam requisitorum, incipiunt esse præviæ dispositiones, ad formam cadaveream.

INSTAT QUINTO. Ad generationem substantialem, prærequiritur dispositio prævia & successiva, hoc autem non potest salvari in repentino interitu animalis.

RESPOND. Ut nullus est ita repentinus interitus animalis, quin qualem successionem admittat; ita consequenter poterunt tunc haberi aliquæ successivè introductæ dispositiones, ad formam defectivam.

Deinde, quamvis ad inductionem formæ perfectivæ id requiratur, non tamen ad inductionem formæ defectivæ: cùm enim forma perfectiva non sit nata, nonnisi post hanc formam substantialem, sequi, non determinabit sibi eadem accidentia, sed omninò diversa, quorum inductio successione indiget, forma autem defectiva, nata est sequi nonnisi post hanc formam, & quidem immediatè, hinc fit, ut possit determinare sibi eadem accidentia.

QUARTA RATIO. Si non darentur formæ partiales substantiales, diversitas hæc accidentium, & Organisationis debita corpori humano, non haberet aliquod principium intrinsecum substantiale, sed debet habere: nam formarum substantialium existentiam, ex diversitate accidentium, suprà inferebamus. Sequela autem probatur, diversitas hæc accidentium non posset referri in materiam primam, quia hæc indifferens est, ad has vel illas potiùs formas, non in animam rationalem, quia hæc ex se est indivisibilis formaliter, & indifferens ad omnia illa accidentia, quæ conveniunt homini. Deinde, ut urget Pontius, causa naturalis eadem applicata, eôdem modô passô, ejusdem rationis, debet habere effectum ejusdem rationis, juxta illud: idem manens idem semper facit idem: neqi valet, quòd anima rationalis sit virtualiter extensa, hoc est, continens in se perfectionem

forma-

formarum extensarum, neque enim ex hoc, aut ullo capite imaginabili potest fieri, quod in hac parte materiæ causet accidentia, spectantia ad oculum aut carnem, nisi ponatur aliquod determinativum: impossibile enim est, quòd possit ab aliqua causa provenire naturaliter, & non liberè, aliquis effectus, hîc, distinctæ rationis, ab effectu qui producitur, ibi, nisi ponatur aliqua ratio particularis, ratione cujus, hoc competat ipsi hîc, & non competat ipsi, ibi.

RESPOND. Quòd inchoativè & eductivè diversitas hæc accidentium, non possit referri in ipsam animam rationalem, educuntur enim hæc accidentia, etiam ante infusionem animæ rationalis, ab ipsa virtute formatrice fœtûs, & continentur à forma embryonis, radicaliter autem possunt referri in ipsam animam rationalem, cui debentur hæc diversa accidentia, ad quorum etiam eductionem, postea concurrit non sub formalitate, quâ indivisibilis est, sed sub formalitate, quòd sit principium tam diversarum operationum, ad quas exercendas, pluribus heterogeneis indiget organis; & sicut, quamvis illa sit spiritualis, potest dare rationem vegetati & sentientis, corporisque completi; ita potest influere in illa, tam diversa accidentia.

QUINTA RATIO est: Si non darentur formæ partiales substantiales, tunc manus deberet dici homo; sicut, quia non dantur formæ partiales in aqua, gutta illius, dicitur aqua.

RESPOND. Arriaga: Non semper nomen etiam totius homogenei, tribuitur parti, & ita folio alicujus libri, non tribuitur denominatio libri, guttæ non tribuitur denominatio maris: & ratio à priori est, quia sunt sæpè nomina, quæ ipsam integram rei substantiam significant, & talis est vox homo, quæ non tribuitur manui. Deinde, quòd gutta dicatur aqua, non ex eo provenit, quia caret formâ partiali substantiali, sed quia caret formis accidentalibus diversis, quæ quia competunt homini, plura, quàm manui, fit, ut manus non possit dici homo, possit autem dici gutta aquæ, aqua. Minùs autem illud convincit, quando aliqui urgent, ex eo debere dari formas partiales, quia gravitas & motus deorsùm, non potest referri in materiam, nec in hominem in formam, quæ est spiritualis, quia hoc, sufficiet referre, sine formis substantialibus partialibus, in diversum temperamentum.

Punctum Difficultatis II.

Fundamenta negantium Formas substantiales partiales.

PRIMUM FUNDAMENTUM est. Unius entis, unum est esse: ergò & una forma, quia forma est, quæ dat esse; ergò ulteriùs, si vivens habebit plures formas, non erit unum per se.

RESPOND. Communiter unius entis debere esse unam formam, ultimò complentem & totalem, nec ulteriùs subordinatam; sed non est necesse esse unam formam, hoc est, cum exclusione etiam formarum incompletarum subordinatarum partialium: & sicut in composito Metaphysico una est forma totalis Metaphysica, & tamen, cùm hoc stat, ut sint plures subordinatæ formæ Metaphysicæ, v. g. visibilitas admirativitati, admirativitas rationalitati, vegetativum sensitivo, sensitivum rationali &c. ita etiam in composito Physico, nihil erit absurdum, dari plures formas Physicas subordinatas, & utrobique salva erit ratio unius, ad quod solum attendit objectio.

SECUNDUM FUNDAMENTUM est. Forma perfectior continet virtualiter imperfectiores, ut tetragonum trigonum, ex secundi anima Textu 31. Ergò & anima, quæ est Forma nobilissima, continebit formas partiales, ergò superfluè ponentur.

RESPOND. Si nata sit idem facere forma perfectior, quod facit imperfectior, superflua est forma imperfectior, & ita, quia nata est id facere anima rationalis, quod facit sensitiva, & insuper plùs, frustranea est in homine, forma sensitiva distincta. Sed non est superflua forma imperfectior, si perfectior non sit nata idem facere, quod imperfectior; & ita, non est superflua forma caloris igni, nec quantitas animæ. Cùm ergò forma totalis non sit nata idem facere, quod formæ partiales, & cùm, illâ abscedente, maneant hæ, fit, ut formæ partiales, non sint superfluæ.

Quod si quæras, quid operentur formæ partiales? ad hoc dici potest, quòd disponant, ut commodiùs anima operari possit: & quia anima, cùm sit forma perfectior, requirit dispositiones perfectiores, quàm aliæ formæ, præcipuè cùm has dispositiones non repugnet esse substantiales, erunt substantiales, & contra intentum arguentis, probat argumentum exclusionem formarum accidentalium, utpote contentarum in perfectiori.

TERTIUM FUNDAMENTUM. Si darentur formæ substantiales materiales, anima, v. g. rationalis, non constitueret unum per se cum materia, sed constituit: Ergò. Sequela probatur, quod advenit enti in actu, non constituit unum per se, ut fert commune axioma; sed anima rationalis adveniret materiæ jam in actu positæ. Ergò.

RESPOND. Quod advenit enti in actu ultimo completo & totali, non constituit unum per se, licèt quod advenit enti in actu incompleto, subordinato, & perfectibili, possit constituere unum per se.

INSTABIS PRIMÒ. Ergò non poterunt naturaliter existere formæ partiales in materia, sine forma totali, utpote perfectibiles, complebiles &c. sicut materia non potest naturaliter existere sine omni forma, quia est complebilis &c.

RESPOND. Pontius, non ideò materiam non posse existere naturaliter sine omni forma, quia est perfectibilis, sed quia semper est sufficienter dispositа, ad aliquam formam substantialem, & semper applicatur aliquod agens, ad illam in materia producendam: totum autem ex materia & formis partialibus constitutum, non semper habet dispositiones requisitas ad animam. Deinde dici potest, naturaliter posse existere formas partiales sine anima: quia licèt sint perfectibiles, habent tamen rationem actûs Physici substantialis, informantis materiam, hoc autem, quod est informatum actu Physicô substantiali, habet jus existendi in rerum natura; præcipuè cùm materia pro sua parte, ita sit Ens complebile, ut in nullo casu possit non esse Ens complebile; jam autem formæ partiales, sunt ens completivum. Sed de hoc etiam infrà.

INSTABIS SECUNDÒ ex Johanne à S. Thoma apud Pontium. De natura formæ substantialis est dare esse simpliciter, & de natura Formæ accidentalis est dare esse secundùm quid; sed nulla forma substantialis superveniens formæ substantiali, potest dare esse simpliciter; quia dare esse simpliciter, est facere rem extra suas causas, & existentem absque addito. Sed per primam formam accipit materia esse simpliciter, ergò non accipit eam ab anima rationali.

RESPOND. De natura formæ substantialis totalis, est, dare esse simpliciter, hoc est, totale, & ultimò; sed non est de natura formæ substantialis totalis, dare esse simpliciter in aliquo genere, seu partiale. Reliqua supponunt, materiam habere existentiam à forma, quod falsum est.

INSTABIS TERTIÒ. Illa forma subordinata, vel est sufficiens ad dandum esse simpliciter, vel non est sufficiens; si est sufficiens; Ergò est forma totalis & completa: si non est sufficiens; ergò non est forma substantialis.

RESPOND. Si formam subordinatam, velis in hoc sensu non dare esse simpliciter: quia non dat esse ultimò completum substantialiter, verum erit; si autem hôc sensu velis illam non dare esse simpliciter, quia non adfert ullum complementum substantiale, falsum erit.

QUARTUM FUNDAMENTUM est ex Arriaga. Nulla ratio est asserendi, formas partiales esse substantiales; non enim ideò sunt substantiales, quia antecedunt, & sunt priores formâ; nam quantitas, & dispositiones antecedunt fomam, & tamen non sunt substantiales: non item ideò sunt substantiales, quia petunt antè se alias dispositiones; nam etiam potentiæ accidentales (in sententia admittentium illas) distinctas petunt alias dispositiones, immò omnia accidentia petunt antè se quatitatem, & tamen non sunt substantiæ: non denique ideò sunt substantiales, quod efficienter producant alia accidentia: quia etiam calor est quid accidentale, licèt producat alium calorem.

RESPOND. Esse substantiales, quia sunt radix proprietatum & qualitatum, v. g. forma ossis est radix duritiei, debitæ ossi; est radix tractivitatis cujusdam, quâ suggerere debitas qualitates, suæ augmentationi & conservationi aptas, possit &c. estque insuper substantialis, quia illâ ablatâ, non manet jam idem, ubi applicanda est explicatio, quid sit esse substantiale.

INSTAT idem. Quia dispositiones, antecedentes formarum substantialium partialium introductionem, per se ordinantur, & introducuntur à natura, propter formas partiales; fit ut illæ dispositiones non sint substantiales: ergò etiam cùm istæ formæ partiales introducantur à natura propter totalem, non erunt formæ substantiales.

RESPOND. non ideò aliquid non est substantiale, quia per se ordinatur ad aliud: aliàs materia, quæ per se ordinatur ad formam, non esset substantia; sed ideò aliquid non est substantiale, quia non est prima radix proprietatum; quia illê adhuc ablatô, manet idem de quo alibi &c. jam autem formæ partiales, in quaeunque Ly: substantialis legitima explicatione, possunt esse substantiales.

QVINTUM FUNDAMENTUM est. Si sola anima rationalis potest tribuere rationem vegetativi, sensitivi: ergò & se sola potest tribuere rationem corporis; ergò nullæ dabuntur partiales formæ.

RESPONDET PRIMÒ Mastrius, disparitatē esse: quia ratio corporis, est ratio secundùm se materialis. At gradus sensitivi & vegetativi, abstrahunt à materiali & immateriali, & fundant rationem communem hominibus, brutis, & plantis, qui ad bruta & plantas contractus efficitur materialis, contractus autem ad homines, efficitur immaterialis.

CONTRA. Quia si abstrahit ratio vegetativi, & sensitivi à materiali: ergò & Angeli possent vegetari, & sentire: siquidem ratio communis sentiendi & vegetandi, potest esse communis materiali & immateriali. Deinde non explicat, quomodo ratio vegetati & sentientis, contracta ad animam, posset effici immaterialis; quomodo item ratio

ratio vegetati & sentientis, abstrahat à materiali & immateriali, non autem ratio corporei. *Hinc aliter*

RESPONDETUR SECUNDO, disparitatem esse: quia cùm ratio vegetativi & sentientis, absceſſu animæ intereat, positione ponatur, benè inferimus, haberi hoc ab anima: quia autem antè introductionem animæ, datur talis combinatio, talisque formatio, quæ etiam durat post absceſſum animæ, benè inferimus, illam non ab anima, sed ab aliis formis, adeoque partialibus, proficiſci.

INSTABIS. Possunt dari formæ partiales subordinatæ. Ergò poterunt dari & formæ vegetativæ, sensitivæ, subordinatæ; item possunt dari formæ partiales, quæ dent talem in specie rationem corporis, ossis, carnis, &c. Ergò possunt dari & formæ partiales subſtantiales, vegetativæ, & sensitivæ, subordinatæ tamen, poteruntque dari & in homine animæ plures subordinatæ.

RESPONDETUR. Inintelligibile esse, quomodò possit dari ratio vegetativi & sentientis, non tamen ultima; intelligibile autem est, quomodò dentur formæ partiales; quia scilicet anima, respectu illius partis, dat effectum, quem in antè non præhabet, pars illa materiæ; nempè rationem animati. Rursus, quia absceedente animâ, non remanet ullum vegetativum, vel sensitivum, vel animatum, recte inferimus, hæc omnia non haberi à formis aliquibus subordinatis, sed à sola anima: quia autem manet ratio ossis, carnis &c. absceedente animâ, inferre possumus, hæc aliunde, & non ab anima haberi, sed à formis partialibus.

Adferri potest insuper ratio, cur anima humana non possit tribuere rationem corporei, ossi, nervo, &c. possit autem tribuere rationem vegetati, sentientis, quæ antequam proponatur.

SUPPONO PRIMO. Gradus superiores identificari inferioribus, sed diversimodè: nam si inferiora sint ejusdem rationis, adeoque materialia, tunc retentâ materialitate, superiora identificantur inferiori: Si autem inferiora non sint ejusdem rationis, tunc continentia in hoc stat, non quòd gradus ille, qui fuit materialis, reddatur spiritualis, ut volebat Mastrius, sed quia hoc, quod est inferius, natum est præstare, ratione suæ excellentiæ, id, quod præstant superiora.

SUPPONO SECUNDO. Quando dividitur subſtantia in corpoream & incorpoream, tunc anima rationalis revocatur ad membrum, quod est incorporeum: si revocatur ad membrum, quod est incorporeum, non potest esse corporea, nec de se præstare id, quod præstat corpus.

SUPPONO TERTIO. In divisione generis, quod est vivens, quod genus tàm corporeis, quàm incorporeis est debitum, participat de hoc genere anima; est enim incorporea, vivens: quando autem dividitur animatum in vivens vegetativum, & non vegetativum; sensitivum, & non sensitivum; anima rationalis revocatur ad vegetativum, & sensitivum, idque ex vi ordinis ad corpus. *His suppositis*

RATIO est, Cur anima non possit tribuere rationem corporei, ossis, nervi, &c. possit autem tribuere rationem vegetati, & sentientis: quia anima, est inferiùs participans rationem & vegetativi, & sentientis; adeoque præstare poterit, quod præstat vegetativa & sensitiva: cùm autem non participet rationem corporis, non poterit sine formis partialibus dare se solâ esse corporis, adeoque indigebit formis aliis partialibus subſtantialibus.

Quid de aliis Fundamentis.

SEXTUM FUNDAMENTUM est. Illæ formæ & essent partiales, & non essent: Essent, ut supponitur; non essent, ut probatur: quia essent formæ completæ, quod ipsum probatur. Tum quia quævis illarum, cùm sit individua, adeoque in specie infima, debet habere speciem completam. Tum quia forma lapidis, & forma v. g. terræ, est forma completa: ergò & illæ partiales erunt completæ, utpotè nobiliores.

RESPOND. In hoc sensu formam partialem esse completam, quia non tribuit solum gradum genericum, sed tribuit speciem ossis, carnis &c. Sed non est in hôc sensu completa; quasi reddat materiam, non ulteriùs actuabilem, complebilem, animabilem; & quia formâ lapidis positâ, non redditur illa forma ulteriùs actuabilis, fit ut illa forma, non sit subordinata.

INSTABIS PRIMÒ. Si essent illæ formæ partiales, haberent se per modum dispositionum, hoc illis non convenit; æquivalent enim formæ totali, totamque materiam occupant, & ex eo ipso, quòd sint subſtantiales, sunt quod quid rei, quomodo ergò sunt, per modum dispositionis.

RESPOND. Quamvis æquivaleant illæ formæ partiales, totali, in hoc sensu, quia ita nullam relinquunt partem corporis non informatam, sicut & forma totalis, non tamen æquivalent totali, ut excludant actualitatem ab alia forma, secum nata stare, dantque quod quid, sed non ultimum.

Quando autem ex eo aliqui urgent, non dari formas subordinatas: quia non dantur materiæ subordinatæ, id etiam non convincit: quia in materia non est ratio, cur hæc

potiùs pars, quàm illa, ſubordinetur, immò ſi daretur aliqva ſubordinata: illa non cenſeretur eſſe ſubjectum primum; qvia ſupponeret aliud ante ſe, nempè ſubordinans ſubjectum, unde illud potiùs eſſet ſubjectum primum, atque adeò materia; jam autem poteſt eſſe ratio, cur forma oſſis ſubordinetur formæ animæ; cùm etiam poſitô, qvòd illæ formæ ſint accidentales, ſubordinatio tamen eſt illis tribuenda, eò qvòd ordinentur ad bonum animæ, cùmque; definitivè, forma non ſit actus primus, poterit benè, antè ſe ſupponere aliam.

Instabis Secundò. Non poteſt ſalvari partialitas iſtarum formarum, per hoc, qvòd ſubordinentur totali formæ, quia ſubordinari non poſſunt: qvod ipſum probatur. Ex ſcientia ſubalternata & ſubalternante, non poteſt fieri unum per ſe; ex fine item ultimato, & non ultimato, ex cauſa principali & inſtrumentali: ergò nec ex forma ſubordinata, & ſubordinante.

Respond. Immeritò ſupponere objectionem, qvòd ex formis partialibus, & totali fiat unum per ſe, ſed fit unum per ſe ex materia & forma partiali, qvia eſt actus & potentia ejusdem prædicamenti, fit item unum per ſe ex materia & forma totali; ſed falſum eſt, qvòd ex iſtis duobus actibus, inter ſe comparatis, fiat unum per ſe, ſi non ponatur, iſtas formas partiales informari à totali, qvomodo enim coaleſceret ex illis unum per ſe, ſi una non eſſet per modum recipientis, alia per modum recepti: ſi autem ponatur informari formam partialē à totali, poſſet dici fieri ex illis unum per ſe, diſparitasq; dari poterit, qvia ea, qvæ antecedens continet, non comparantur inter ſe, ſicut ordinata ad ſe, in genere receptivi, & receptibilis. Ita autem ordinantur inter ſe formæ partiales, & totales. Deniqve ſupponitur hîc falſa Major; non poteſt eſſe ſubordinatum, ex qvo, non ſit unum per ſe.

Instabis Tertiò. Formæ illæ partiales & ſubordinatæ, non pereunt pereunte, v. g. anima bovis: ergò non ſunt ſubordinatæ; nam pereuntibus ſubordinantibus pereunt ſubordinata, v. g. pereunte ſcientiâ ſubordinante, perit ſubordinata.

Respond. Falſum eſſe, univerſaliter loqvendo, pereunte ſubordinante perire ſubordinatum: certè enim eqves ſubordinat ſibi frænum, qvod non perit, pereunte eqvite. De ſcientia alia res eſt: qvia ſi impoſſibilis eſſet ſcientia ſubalternans, hôc ipſo etiam ſubſtantia ſubalternatæ impoſſibilis eſſet. Nam eadem eſt ſubſtantialiter ſcientia ſubalternans & ſubalternata, ſed tantùm accidentali conditione, qvæ ſuperadditur ſubalternatæ, differt: jam verò alia eſt ſubſtantia formæ totalis, alia ſubſtantia formæ partialis: hinc pereunte totali formâ, non erit neceſſe perire partialem.

Septimum Fundamentum eſt ex auctoritate Ariſtotelis.

Primus Locus eſt ex 7. Mataph: Tex. 35. & 2. de Gener. animal. c. 1. ubi docet, carnem mortuam & vivam æqvivocè eſſe carnem, perinde ac ſi ligneares, lapidea facta ſit. Ergò apparet, ſuperaddi illis formam cadaverem, nec eandem formam carnis manere.

Respond. Inprimis retôrqvendo argumentum in adverſarios, per qvos, qvia caro non aliud eſt, niſi materia, & talia accidentia, quomodo illîc æquivocè eſt caro? In forma autem reſpondetur communiter, carnem & reliqua organa, dupliciter ſpectari poſſe, vel ut ſunt entia quædam, in hac determinate ſpecie conſtituta, v. g. in ſpecie oſſis, pupillæ &c. vel certe ut ſunt inſtrumenta, & organa animæ, ſic ſumpta in abſentia animæ, ſunt non niſi æquivocè talia, nullamque per ſe operationem exercere poſſunt.

Secundus Locus est ex 2. de Anima cap. 1. tex. 10. ubi ait, organicum corpus non præſupponi ab anima, ſed fieri: ſi autem fit ab anima corpus organicum, quorſum erunt formæ partiales ſupperaddendæ?

Respond. Retorquendo argumentum in eos, qui organiſationem à materia & accidentibus deſumunt. Directè dici poteſt, corpus organicum, ſecundùm qvod eſt inſtrumentum, exercereque proximè & complete natum eſt operationes, non præſupponi, ſed fieri ab anima, quamvis præſupponatur in ratione Entis diſpoſiti &c.

Tertius locus ets ex 5. Phyſic: Tex. 8. ubi ait: Quidquid movetur, eſt; quod generatur, non eſt; cujus loci eſt iſte ſenſus, illud quod movetur, eſt compoſitum ſubſtantiale, quod autem generatur, nondum eſt compoſitum, ſed fit; cùm ergò acceſſu formæ ſubſtantialis totalis moveatur illud, qvod præſupponebatur compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali partiali: ergò apparet, qvòd illud non fuerit compoſitum ſubſtantiale.

Respond. Maſtrius, acceſſu formæ ſubſtantialis totalis, moveri compoſitum illud ex materia & forma ſubſtantiali, adeoq; illud non fuit totum ultimò completum: conſequenter aſſerit, ſubjectū generationis carere eſſe completo & totali ſubſtantiali, ſed poteſt habere eſſe partiale ſubſtantiale.

Aliter explicat Pontius. Quidquid movetur & non movetur motu generationis, debet eſſe ita independens ab illis motibus, ut non recipiat aliquod eſſe ſimpliciter per illos motus, hoc eſt formam ſubſtantialem, quæ ſola dat eſſe ſimpliciter; quod verò movetur motu generationis, debet non eſſe, hoc eſt, debet carere illo eſſe, ſeu illâ formâ ſubſtantiali,

tiali, quæ per generationem acquiritur: quod verificatur etiam, positis formis partialibus, quia in generatione, positis illis, acquiritur forma substantialis.

Denique dici potest, hunc locum verificari inprimis de formis partialibus: sensus enim illius est, quod movetur, jam est completũ; quod autem generatur, acquirit complementũ per formam; quod acquiritur etiam suô modô per formam partialem, quæ de novo producitur, & non erat, quod etiam verificatur de forma totali: quia & illa in generatione non est, sed fit de novo.

Quartus locus est ex 2. Phys: ubi definitur forma naturalis, quòd sit principium motûs & quietis. Formæ partiales non sunt principium motûs & qvietis: Ergò non sunt substantiales.

Respond. Negando, formas partiales non esse principium motûs & quietis, si non progressivi, saltem alterativi & conservativi sui, contra alias dispositiones.

Quintus locus est ex 1. de Generatio. c. 3. ubi inquit Philoso. unius corruptio est generatio alterius, quod falsum esset, si post abscessum animæ manerent formæ partiales, & non generaretur forma cadaverea.

Respond. Sufficit, ut mediatè sit generatio alterius. Deinde dici potest, corruptionem positivi, esse generationem negativi, sed non est necesse, esse semper generationem, nonnisi positivi, quod videtur, docuisse ipse Aristoteles 1. de Gener. Tex. 21. Generatio, inquit, Entis, est corruptio non entis: corruptio autem entis, generatio non entis. Potest & aliter hic locus explicari. In omni corruptione inanimati, debet esse alicujus generatio, aliàs maneret materia sine forma substantiali: non enim haberet priorem formã, ut supponitur, quia jam corrumpitur, non etiam succedaneam, quia hæc negatur: in corruptione autem animati, licèt interdum sit propria productio, interdum tamen est non nisi impropia, & liberaliter accepta, seu generatio æquivalens, quæ generatio æquivalens in hoc stabit, quòd illæ formæ partiales, remanentes post abscessum animæ, incipiant novum gerere munus, & denominationem planè talem, qualem adfert forma de novo genita. Porrò hoc munus, quod incipiunt gerere de novo formæ illæ partiales, per hoc exercetur, qvia scilicet per accidens induunt rationem formarum totalium, compositumque illud ex materia & formis partialibus, incipit se habere, tanquam hoc demonstrabile, & hoc aliqvid: non enim tunc jam dicitur caro hominis, os hominis, nisi ampliativè; sed dicitur os, caro, sicut dicitur lignum, lapis; Porrò etiam ad adventum formæ totalis, seu animæ, est etiam corruptio totius, non propria, sed æquivalens: quia scilicet illæ, quæ præfuerunt formæ partiales, habebantque rationem totius, incipiunt gerere munus nonnisi formarum partialium. Exemplificari hoc potest in numeris, sit numerus quinarius, addatur ei unitas, post additionem unitatis, jam quinarius ille numerus, qui antea totum numeri erat, additâ sibi unitate, incipit gerere munus partis: quinque enim, est ad sex, pars, si autem dematur illi unitas, incipit habere vicem totius: ita planè formæ partiales, additâ animâ, incipiunt habere rationem partialium; demptâ, rationem totalum, præter titulos totalitatis, suprà explicatos, stantes in hoc, quia totalis, dum est, non reddit ulteriùs actuabile subjectum, secus partialis. Hinc ulteriùs salvari potest illud axioma: natura nunquam intendens malum, operatur: nam in corruptione inanimatorum, vel animatorum, per combustionem, v.g. inducitur nova forma, in corruptione autem animatorum, per naturalem deficientiam, vel interitum subitaneum: non intendit natura malum per se, sed per accidens, quoad usque scilicet, non inducantur novæ, ad novam formam, dispositiones: interim autem sequitur bonum, nempè, quòd partiales formæ incipiant gerere vices totalium.

Sextus Locus est ex 1. de Gener. tex. 23. quòd generatio sit mutatio totius in totum, nullô sensibili manente eôdem, maneret autem idem sensibile, si manerent formæ partiales, eæque substantiales eædem.

Respond. argumentum, si, ut sonat, accipiatur, probabit multùm: quia probabit, non manere etiam easdem formas partiales accidentales; accidentibus enim vel maximè convenit esse sensibilia. Sufficiet itaque, quòd non maneat idem subjectum denominationis; quia post abscessum animæ, illud compositum vocatur inanimatum, cùm antea fuerit animatum, nec vocatur jam idem subjectum Petrus, nisi ampliativè, cùm antea fuerit formaliter Petrus. Deinde, admissis formis partialibus, fit mutatio totius in totum; quia scilicet illæ formæ, quæ per accidens habebant rationem totius, incipiunt habere rationem partis in generatione, & inductione formæ totalis.

Ad solvendas alias objectiones.

Noto Primò: Tenere Pontium, quòd forma substantialis incompleta ipsamet informetur à forma totali, ad eum modum, quô quantitas informatur aliis formis accidentalibus, utpotè quas recipit: & licèt anima

non possit animari aliâ animâ, nec forma informari aliâ formâ, id verum est, de informari in eodem genere, sed non de informari in diverso genere; nam informari in eodem genere, merè otiosum esset, cùm id habeatur ab una forma, quod haberi deberet ab alia forma, & quod alteri v. g. est albedo, non potest etiam sibi esse, nisi albedo: id autem quod adfert forma diversa, non confert præhabita forma. Sed potest etiam dici, quòd à forma totali, non informetur forma partialis, sed quòd immediatè recipiatur in ipsâ materia, licèt talibus dispositionibus præinformata: & sicut dulcedo non recipitur in albedine, quamvis penetrent sese, quia non est subjectum aptum: ita quamvis forma totalis penetret partialem, non recipitur in partiali.

NOTO SECUNDO. Formas partiales in quantùm gerunt vicem dispositionum, tenere se ex parte materiæ, in quantùm autem sunt constitutivæ, talis in specie compositi partialis, esse illas formas, & educentur de potentia materiæ, quam informabunt.

NOTO TERTIO. Unamquamque formam partialem, in se spectatam, homogeneam esse: sed comparatam ad aliam, esse formam heterogeneam. Rursûs unamquamque formam partialem, in se spectatam, totalem esse, in eo sensu: quia eam partem materiæ, quam informat, totam informat; sed non vocari totalem, quasi non relinquat alteri formæ, in eadem materiæ parte, unâ secum locum, & quasi habeat jus in hoc composito, ad informandas etiam reliquas partes.

Punctum Difficultatis III.

Proponitur tenenda sententia.

DICENDUM EST, *Probabiliùs esse formas partiales non dari.*

PROBATUR PRIMO. Quia nulla est illarum necessitas ut patuit solutione objectionum.

PROBATUR SECUNDO. Possibile est esse corpus organicum, sine solis formis partialibus substantialibus, si sola materia habeat ea accidentia, non ad exigentiam formarum substantialium partialium, sed ad exigentiam nonnisi ipsius animæ; nec est ullum fundamentum hæc accidentia dari, ad exigentiam nonnisi formarum substantialium partialium; Ergò non dantur formæ partiales. *Qui ipse medius terminus sic aliter proponitur.* Ponamus in Petro formam substantialem ossis, carnis, esse annihilatam, & mansisse omnia accidentia ossis, nervi, sanguinis. Vel certè ponamus, non concurrisse DEUM, ad productionem harum formarum substantialium partialium, sed solùm ad productionem formarum accidentalium; vel manet tunc corpus organicum, vel non manet: si manet, ergò otiosæ sunt istæ formæ partiales substantiales, nam sufficienter materia aptatur his accidentibus, formæ, si non manet corpus organicum, cur non? dices, quia desunt formæ substantiales partiales? de his ipsis quæro, ad quid necessariæ? cur ad organisationem non sufficient formæ accidentales nonnisi.

RESPONDERI potest retorquendo argumentum. Possibile est organisationem hanc non referri in homine, v. g. in ipsam exigentiam animæ rationalis, sed in formas substantiales partiales, nec est fundamentum, quòd de facto non referantur. Ergò dabuntur formæ partiales.

CONTRA. Tu affirmas dari formas partiales substantiales, ego nego, tibi ergò incumbit onus probandæ necessitatis. Deinde, pro nobis stat principium, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, adeoque nec ponendæ tot formæ substantiales; & tu necessitatem illarum non ostendis.

PROBATUR TERTIO. Tum quia hæc forma carnis substantialis, ut tu dicis, potest esse forma subordinata animæ rationali, potestq; esse per modum dispositionis ad illam, ergò idem poterit facere & anima totalis, dicamque animam illam independenter ab unione aliûs, esse formam totalem, sed non in circumstantia unionis aliûs formæ. Tum quia possibilis est perfectior anima rationalis, & specie distincta, ab ea, quæ modò datur, cur ergò tali animæ, nostra anima, non erit per modum dispositionis ordinata, saltem pro alio rerum ordine? Tum quia una specie anima rationalis, dicit exigentiam tot diversarum, & heterogenearum formarum partialium substantialium, ergò dicere poterit una specie anima rationalis, etiam exigentiam, tam diversarum dispositionum, sine ulla specifica multiplicitate.

Sed præter adlata superiùs & expensa.

OBJICITUR PRIMO. Diversitas accidentium arguit exigentiam, & radicem istius diversitatis, quæ radix, est forma substantialis: Sed in composito humano, est diversitas accidentium: ergò illa arguit diversam exigentiam & radicem istius diversitatis, hoc est, diversam formam substantialem; sed non arguit diversitatem formarum substantialium totalium, ergò arguet diversitatem formarum substantialium partialium.

RESPOND. Diversitatem accidentium arguere diversitatem formarum substantialium,

tialium, in compôsitis totalibus distinctis, v.g. in composito hôc totali, quod est Leo, & in composito totali hôc, quod est homo; sed non arguere in eodem composito: & sicut diversitas accidentium in diversis compositis, arguit distinctionem formarum totalium, non arguit in eodem composito, sic nec in illo arguet diversitatẽ formarum substantialium, ut appellantur, partialium. Quod ipsum ulteriùs in hoc resolvitur ideò diversitas accidentium, in diversis compositis, arguit diversitatem formarum: quia radix ostendi debet istius diversitatis, quæ, si non est materia, debet esse forma; diversitas autem accidentium in eodem composito, potest benè referri in ipsam animam: certè est in anima rationali per se, exigentia istarum formarũ substantialiũ, & non arguit in ipso exigitivo distinctionẽ specificam substantialem, ergò & exigentia istius diversitatis accidentalis, in eodem homine, præcisè ex hoc titulo, non arguet diversitatem formarum specificarum substantialium. Hinc magis differunt inter se panis & caseus, quam caro & os; quia diversitas carnis & ossis, non est diversitas specifica substantialis, cùm diversitas eorum accidentium possit referri in eandem animam, tam diversorum accidentium exigitivam: diversitas autem accidentium panis & casei, non potest referri in eandem formam, adeoque hæc diversitas, debet esse diversitas specifica substantialis.

Objicitur Secundò. Notabiliter differre, est specie differre. Sed os & sanguis notabiliter differunt, ergò specie differunt. Ergò dantur formæ partiales.

Respond. Notabiliter differre, in accidentibus, est quidem specie accidentali differre, sed non est differre specie substantiali: os autem & sanguis differunt notabiliter, in accidentibus; nam eandem habent substantialem formam, unde etiam concedimus dari formas partiales accidentales, sed non substantiales.

OBJICITUR TERTIO. Si non darentur formæ partiales, in repentino interitu animalis, maneret materia sine omni forma, nam forma cadaverea est fictitia, quod ipsum probatur, non producat DEUS formam cadaveream, vel erit illud corpus exanime cadaver, vel non erit: si ergò, frustranea & fictitia est ista forma cadaverea, si non erit cadaver: ergò non erit corpus exanime, quid enim est aliud definitivè cadaver, & quomodo non erit corpus exanime, & tamen de facto carebit animâ.

Respond. Ne maneat in repentino animalis interitu materia sine omni forma, admittenda est forma substantialis, nata immediatè sequi post interitum viventis, nisi adsit agens propriæ formæ inductivum, appella illam, ut vis, cadaveream, formam corporeitatis, formam defectibilem &c. nihil autem aliud erit in re, nisi forma nata immediatè sequi interitum viventis: adæquatè autem sumpta duo dicit, primò positionem formæ actuantis illam materiam, post abscessum animæ; secundò dicit non esse animæ: hinc si abscedente animâ Pauli, DEUS corpori ejusdem infunderet animam Petri, illud corpus non esset cadaver, quia non diceret negationem animæ; ut autem quid dicatur cadaver, debet dicere negationem omnis absolutè animæ, quia aliàs vivens Petrus, cùm dicat negationem animæ Pauli, deberet esse cadaver, nihilque in vivis esset, quod simul cadaver non esset. Ipsa autem positio formæ actuantis materiam, post discessum animæ, duplicis conditionis esse potest: Primò, ut sit forma perfectiva; ut, cùm expulsâ formâ ligni, inducitur forma ignis. Secundò, ut sit forma, quæ appelletur defectiva. Tunc autem inducitur forma perfectiva, cùm jam eadem accidentia specialia non manent, sed alteratis illis, alia inducuntur: quando autem eadem manent accidentia, quamvis aliqua defuerint, tunc non inducitur forma perfectiva, sed defectiva, defectiva inquam, quia nata est induci, non nisi ob defectum aliquorum accidentium, sine inductione novorum [illegible], habetque defectum virium [illegible] ut non tantum in accessu [illegible] intereat, sed facilè aliis ce[illegible], modò succedens forma habeat materiam, & accidentia relicta, quæ etiam alteri generationi deservire possit. Porrò ut aliquid cadaver dicatur, necesse est induci formã illam, merè defectivam: nemo enim ignem genitum ex ligno, appellat cadaver ligni; nemo cinerem, in quem resolutum est ambustum corpus hominis, appellat cadaver. *Ex quibus*

COLLIGES, formam natam succedere, post abscessum animæ, non admittere nos ad hoc, ut constituatur formaliter cadaver: hoc enim sufficienter constituitur negatione vitæ, cùm antea fuerit præhabita, sed admittimus, ne materia sine omni forma maneat.

INSTABIS. Admissione formæ cadavereæ multiplicari entia sine necessitate.

RESPOND. Esse necessitatem, ne materia maneat sine omni forma substantiali: immò ab oppositis multiplicantur potiùs entia, quia cùm nos ponimus unam formam cadaveream, illi ponunt tot partiales substantiales formas.

Diffi-

DIFFICULTAS III.

De Componibilitate Formarum distinctarum in eodem Subiecto.

POtest esse quæstio, & de eo, quod potest fieri naturaliter, & quod divinitus. Sit:

Punctum Difficultatis I.

Quid fieri possit naturaliter.

DICENDUM est, *duas formas totales, seu non subordinatas, non posse naturaliter actuare eandem materiam.*

PROB. PRIMO ex Suar. quia altera illa vel adveniret materiæ jam actuatæ per priorem formam, vel certè concomitanter, & simul cum alia adveniret. Neutro modo id fieri potest. Minor probatur: quia si adveniret altera forma illi priori: ergò non constitueret unum per se, non enim adveniret materiæ constitutæ in potentia substantiali ad illam, actuata enim priori formâ, est in potentia non nisi accidentali ad aliam formam. Concomitanter etiam illa altera forma non adveniret. Tum quia una forma determinat sibi materiam, ne sit capax aliûs formæ, unde etiam videmus, ad adventum unîus, expelli aliam. Tum quia materia habet limitatam capacitatem, & vim causandi formas; aliàs si potest informari duabus formis naturalibus, nescio cur non tot simul, quin pluribus? Hæc ratio infundatur principio Aristotelico, quod advenit enti in actu, non advenit per se, sed per accidens; sed si quis negaret hoc principium, non convinceret ratio, adferreque posset instantiam; quia supernaturaliter possunt duæ formæ substantiales, non subordinatæ, uniri eidem materiæ, & tamen utraque constituet unum per se; non posset autem constituere, si verum est prædictum principium: quia potentia obedientialis non aufert veritatem axiomati.

PROBATUR SECUNDO. Quia unaquæque forma exigit certum qualitatum temperamentum, dispositiones, complexionem, sed hæc temperamenta non possunt esse pluribus formis debita, in eadem numerô materia, ergò nec ipsæ formæ. Minor prob. quia deftruerent sese ad invicem illa temperamenta.

Sed, quid si essent dispositiones illæ meræ, disparatæ, & non pugnantes secum? quid si in pugnantibus dispositionibus sit æqualitas, & nonnisi in ultima non agente ad invicem, diversitas, quantumvis revera in particulari has dispositiones nominare, nec tales formas, tanquam hoc aliquid, demonstrare possimus.

PROBATUR TERTIO. Quia experientia est, quâ noscimus quasdam formas, non se ad invicem compati, ut formam ligni & ignis, attendendoque ad hanc pugnam, benè inferimus, etiam alias secum pugnare, præcipuè, cùm intentio naturæ sit, varietate formarum, quæ se prodat per accidentia, & operationes diversas, mundo providere, quæ provisio non ita perficeretur intra eandem materiam, duabus formis positis.

Sed dici posset, licèt se non compatiantur calor & frigus, non sequitur, quòd se compati non possint, dulcedo & albedo; ita quamvis aliquæ formæ, non se compatiantur, non sequitur, quòd reliquæ etiam substantiales, compati se non possint. Et licèt naturæ intentio sit, providere illâ varietate formarum, sicut providendo de varietate formarum accidentalium, admittit ex mistura varietatum, v. g. teporem, cur non ex informatione ejusdem materiæ, per diversas formas substantiales, non admittet varietatem? *Hæc circa rationes communes.*

CONFIRMATUR nihilominùs Conclusio. Illæ formæ, vel essent tales, ut unaquæque sufficiat ad informandam materiam se sola, vel non essent sufficientes: si non essent sufficientes, ergò non procedit de illis Conclusio; hæ enim formæ, jam non essent totales, de quibus procedit Conclusio, sed essent subordinatæ; Si autem sunt sufficientes, ergò alterutra foret otiosa: quamvis enim in causa efficienti, benè possimus ponere attemperationem concursûs, ut detur locus, etiam alteri ejusdem ordinis coefficienti; sed talis attemperatio in causa formali, nulla datur, cùm causalitas causæ formalis in compositum, perficiatur ipsâmet entitate formæ, dantis se in partem, non apparet autem, quomodo entitas seipsam diminuere, attemperareque seipsam possit.

OBJICITUR PRIMO in ferrô ignito, est & forma ferri, & simul forma ignis: ergò naturaliter unam materiam possunt informare duæ formæ. Antecedens probatur, est illîc forma ferri, quia reducit se ad pristinum frigus, ferrum, quæ reductio, non in materiam, ergò in formam substantialem ferri reducenda est. Quòd illîc sit forma ignis, probant accidentia debita formæ ignis, quæ illîc reperiuntur.

RESPOND. Intra poros ferri non continetur forma ferri, & intra hos poros est forma ignis: quamvis enim ferrum sit densum, propter tamen nimiam activitatem, & subtilitatem igni debitam, insinuat se in poros illius, & quia ex omni parte candet: & licèt cõcedatur, pauciores esse poros in ferro, quàm in

in carbone, nihilominùs magis urit ferrum, quia in illo recipiuntur, & concentrantur plures gradus caloris, neque enim ferrum, de facili igniri & calefieri potest: deinde proficiscitur hæc major ustivitas, à pluribus exhalationibus & crassioribus, repertis in ferro, & incensis. Cæterùm continetur etiam forma ignis, in aliquibus partibus ferri, sed expulsâ formâ ferri, hinc aliquæ illius partes ita decidunt & ustulantur, ut nunquam se reducant ad pristina accidentia ferri, quod ostendit, expulsam fuisse formam ferri.

OBJICITUR SECUNDO. Possunt plures formæ accidentales, in eadem parte materiæ recipi; ergò & plures totales substantiales recipi poterunt, in eadē parte materiæ.

RESPOND. PRIMO. Disparitatem esse, quia una forma substantialis, potest esse sufficiens ad plura munia, v. g. in homine, intelligendi, volendi, sentiendi, vegetandi; cùm autem una forma accidentalis, non sit sufficiens ad plura munia, hinc albedo, non nisi dealbat, & non extendit, ideò materia pluribus formis accidentalibus indigebit.

CONTRA est, quamvis anima rationalis sit sufficiens ad plures actus, se concernentes, non tamen ad actus, se non concernentes: cur ergò locum nō dabit illi formæ, quæ possit illos actus exercere.

RESPOND. SECUNDO. Disparitatem esse: quia substantialis forma est perfectior, non erit ergò valida argumentatio, ab imperfectiori ad perfectius.

CONTRA; ab imperfectiori ad perfectius, non valet argumentatio viâ negationis, sed tenet in multis viâ affirmationis. Cur ergò etiam in præsenti non tenebit?

RESPOND. TERTIO. Disparitatem esse, quia una forma accidentalis non est sufficiens ad informandam materiam, constituendumque compositum per accidens; sufficiens autem est unaquæque forma totalis, ad informandam substantialiter materiam.

PROBATIO hujus conclusionis, ejusq; defensio, inde habet difficultatem; quia non possumus ostendere claram implicantiam, & ex vi substantalis, qua talis formæ, petitam, quòd in alio rerum ordine, non possit fieri naturaliter, ut una materia informetur duabus substantialibus formis: non demonstramus item, quòd sit materia determinata, nonnisi ad unam formam, præcipuè casu, quò non exigantur dispositiones contrariæ.

OBJIC. TERTIO. Potest esse una forma in pluribus materiis, ergò & plures formæ in eadem materia.

RESPOND. Negand: Antecedens, quia hôc ipso illa forma esset in pluribus locis, vel esset apta esse, vi illius unionis; nullum autem Ens in pluribus locis, suppono, adæquatis, potest esse, immò nec successive, potest esse eadem forma in pluribus materiis, quia aliàs frustra essent generationes de novo, possent enim tantùm antiquæ formæ reiteratò induci; necesse item esset unâ formâ separatâ, omnes saperari, nam naturaliter forma materialis, non potest esse sine subjecto: nec potest una, cum altera, simul informare, ergò deberet illam expellere, propter easdem rationes, expulsa deberet aliam expellere, & sic de cæteris. Sed sit:

Punctum Difficultatis II.

An possint divinitus plures formæ totales esse in eadem Materia.

DICENDUM est, *Posse*: Ita Scotistæ, & cum illis Svar: disp. 15. Sect. 10. n. 60. & ordinariè alii Nostri, contra Thomist. & nostrum Vasques.

PROB. PRIMO, Quia in hôc nulla implicantia.

PROBAT SECUNDO Hurtad: potest divinitùs simul existere in eodem subjecto calor summus, & summum frigus: Ergò & formæ substantiales, tàm contrarias qualitates requirentes, possunt esse simul. Rursùs, possunt divinitùs duo corpora esse in eodem loco, ergò & duæ formæ.

PROBAT TERTIO Mastrius. Potentia materiæ non est determinata, tantum ad unam formam, unde, cùm unam recipit, adhuc retinet capacitatem ad alias, non tamen eam potest simul recipere, quia una forma aliam expellit: ergò tota ratio, cur simul non possint esse duæ formæ in una materia, non est referenda in intrinsecam exigentiam materiæ, sed provenit hoc ex parte formarum. Hôc positô, ita ulteriùs urget. Effectus formalis primarius formæ, est actuare materiam, secundarius autem est expellere formam aliam: sed hic effectus secundarius impediri potest, sicut & effectus secundarius quantitatis.

RESPOND. Non omnes effectus secundarios impediri posse, nam, v. g. ad positivam entitatem hominis, sequitur hoc secundarium, nempè negatio lapidis, & tamen hoc DEUS impedire potest.

CONTRA. Tum quia cur non ad classem impedibilium revocari debet expulsio formæ? Tum quia aliud est secundarium prædicatum posse impediri, & aliud, secundarium effectum: prima propositio est falsa; quia, cùm secundarius conceptus sit idem realiter cum primo, solùmque ratione differunt, si ponitur unum, debet poni & aliud, jam autem secundarius effectus non est idem

reali-

realiter cum effectu formali primario. Porro negatio lapidis in homine, est secundarium prædicatum, non autem secundarius effectus. Tum quia, ut addit Mastrius, aliud est loqui de negatione essendi, & aliud, loqui de negatione essendi cum alio, illam priorem negationem, necessariò importat secum omne ens, sed hanc secundam, non necessariò. Hujus ipsius ratio est: quia si forma necessariò diceret negationem essendi, cum alia, etiam formæ accidentales, non possent se compati; jam autem, quæcunque forma, etiam accidentalis, dicit negationem essendi aliud, & ita albedo, dicit negationem essendi aliud, negat enim quòd sit dulcedo. Horum ulterior hæc potest assignari ratio, quia si forma non diceret negationem essendi aliud, v. g. si albedo non diceret negationem dulcedinis, & esset albedo, & non esset: esset, ut supponitur; & non esset, quia esset dulcedo, quod ipsum probatur, non diceret negationem, seu non esse dulcedinis, ergò diceret esse dulcedinis; ex contradictoriis enim, alterutrum dici debet.

Confirmatur Conclusio, contra quosdam, qui asserendo subsistentiam, distingui à se subsistente, ponunt, posse naturam subsistere duplici subsistentiâ. Tenet enim paritas. Potest natura eadem divinitùs subsistere duplici subsistentiâ, ergò & eadem materia, informari duplici formâ.

Objiciunt Primò Complutenses. Effectus secundarius non potest impediri à Deo, quando habet tantam cum primario connexionem, ut non foret primarius, nisi subsequeretur secundarius; sed si non esset expulsio unius formæ, adveniente aliâ formâ, illa altera non haberet rationem actûs primi, de ratione cujus est, ut non sit cum illo alius actus primus, neque præsupponat illum, sicut de ratione materiæ primæ est, non præsupponere aliam materiam.

RESPOND. Inprimis definitivè, formam non esse actum primum, aliâs nulla forma, etiam accidentalis, posset supponere aliam, sed posito, quòd de ratione formæ substantialis sit, esse actum primum, hæc primitas, in hôc solo stabit, quia non præsupponit necessariò aliam ante se formam substantialem: sed inde non sequitur, divinitùs illas consistere secum non posse, salvâ primitate, quia adhuc de utraque verum esset dicere, hæc forma, nullam aliam ante se necessariò præsupponit: & sicut: A Latinum, & Alpha, Græcum, sunt duæ literæ primæ, in unaquaque lingua, nec una primitatem admit alteri, quamvis unius figuratio, non sit alîus figuratio; ita & in præsenti, & certè non magis debet esse forma actus primus, quàm materia, & licèt unaquæque pars materiæ sit actus primus, nihilominùs una pars, non excludit aliam, ergò nec unus actus primus, excludet alium, saltem divinitùs.

Instant Primò. Licèt possit aliquis secundarius effectus positivus, impediri à Deo, non potest negativus, ergò cùm expulsio formæ alîus, sit effectus negativus, non poterit impediri à DEO. Antec. prob. quia & forma cadaveris, dat cadaveri, secundariò privationem vitæ, ex intrinseca sua ratione, nec per potentiam DEI, potest impediri, quin sequatur ista privatio, aliàs idem esset vivens, & non vivens: Ergò idem dicendum est de aliis secundariis effectibus, quòd sint inimpedibiles.

Respond. Privatio vitæ, aliunde habetur, & non à forma positiva cadaveris, hinc illâ etiam non positâ, esset formaliter cadaver, ut dictum suprà: cæterùm divinitùs positiva forma, quam appellavimus suprà defectivam, potest divinitùs stare cum forma viventis, neque tamen tunc erit simul, vivens, & non vivens, quia non erit simul privatio omnis vitæ, & positio vitæ, nam illa forma defectiva nata est tribuere denominationem, non viventis in circumstantia privationis omnis vitæ, de quo suprà.

Instant Secundò. Quod ex se non potest aliquid, non potest illud, nisi aliquid ipsi addatur, per quod possit illud: sed materia est impotens, connaturaliter loquendo, ad excipiendas simul duas formas, ergò nec supernaturaliter potest illas recipere, nisi addatur ei aliquid.

Respond. Etiam in summo, non potest simul materia habere duas qualitates pugnantes, quid ergò illi additur? & si in hôc recurras ad concursum indebitum, idem & nos dicemus.

Objicitur Secundò. Esset illud compositum unum numerô, quia Aristot. 8. Metaphys. c. 9. dicit: ea esse unum numerô, quorum materia est una, & non esset unum, quia constaret pluribus formis, quarum singulæ, natæ sunt facere unum per se, consequenter hôc compositum, est Chimæra.

Respond. Compositum inadæquatè constituitur à materia, quæ, cùm numero una sit in hac suppositione, etiam compositum à parte materiæ, erit inadæquatè unum, quia tamen compositum constituitur etiam formâ, & hæc supponitur multiplex, à parte formæ multiplex compositum erit.

Instabis Primò. Etiamsi forma sola sit diversa specie in homine, & equo, tamen homo dicitur simpliciter diversæ speciei, ab equo: ergò etiamsi materia, tunc esset in illis duobus, eadem numerô, quia tamen formæ essent numerô distinctæ, absolutè ea composita, deberent dici totaliter distincta.

Re-

RESPONDETUR, diversam esse hanc propositionem: Composita constantia eâdem numero materiâ, sed diversis formis informata, sunt distincta simpliciter, & alia hæc; Composita constantia eâdem numerô materiâ, sed diversis formis informata, sunt distincta adæquatè & totaliter: nam illa prior non excludit aliquid, quod sit idem in illis, sed tantùm importat aliqua principaliter, & sine addito esse distincta, quæ distinctio tunc est, quando formæ, quæ principale quid sunt in subjecto, manent distinctæ. Posterior verò propositio ostendit, nihil in illis esse idem numerô, vel quomodocunque distinctum, quod certè non potest dici de compositis, de quibus hîc agitur, hoc autem solùm voluit præsens responsio. Illustratur hoc instantiâ, alia est hæc propositio: homo & equus, sunt distincti simpliciter, & alia hæc: homo & equus sunt distincti totaliter, hoc est, nihil habent commune: prior propositio est vera, posterior falsa; ita & in præsenti. Auctorias Aristot: alibi manet explicata, forte etiam per materiam, non intellexit primum subjectum Physicum, sed intellexit differentiam materialem, seu individualem; nam differentiam formalem, dicit ille, esse specificam, indubiè autem idem sunt numerô, quorum indifferentia individualis eâdem numerô, nec illud compositum foret chimæra, quia positâ unione formæ panis & formæ vini, cum eadem materia, prædicata essentialia panis, non essent prædicata essentialia vini.

INSTABIS SECUNDÒ. Quando albedo & dulcedo, insunt eidem subjecto, non potest dici, quòd sint duo composita accidentalia simpliciter, hinc, quamvis aliquis habeat duas scientias, non posset dici, quòd sint duo scientes, sed unus sciens, quia concretum accidentale non multiplicatur ad multiplicationem formarum: ergò etiam, quando illæ duæ formæ substantiales, essent in eadem materia, non posset dici, quòd sint substantialia composita, duo simpliciter.

RESPOND. disparitatem esse, quia multiplicatis formis accidentalibus, non censentur multiplicari concreta accidentalia. Consequenter nec posset dici, concreta esse distincta simpliciter, multiplicatis autem formis substantialibus, saltem in adæquatè, multiplicarentur concreta.

OBJIC. TERTIÒ. Si una materia, divinitus saltem posset informari pluribus formis, v.g. si una materia, informaretur & formâ lapidis, & formâ panis, sequeretur quòd posset dici lapis est panis, panis est lapis; sed hoc est absurdum, & chimæricum. Sequela prob: quando una forma informatur pluribus formis accidentalibus, v.g. quantitate & albedine, verum est dicere, album est quantum, quantum est album: ergò etiamsi materia informaretur formâ lapidis, & panis, verum esset dicere, lapis est panis, panis est lapis.

RESPOND. nullum est absurdum, dicere, album est dulce; est autem absurdum, dicere, panis est lapis, quod ipsum probatur: quia in priori propositione, non est sensus, albedo est dulcedo, cùm album & dulce, non substantivè sumantur: in hac autem propositione, panis est lapis, sensus est iste, substantia panis, est substantia lapidis; nam hæc substantivè sumuntur, hoc autem dicere, est chimæricum, hinc si legitima est comparatio, institui deberet ad panem & lapidem, quæ sunt substantiva, comparari deberet albedo & dulcedo, quæ etiam sunt substantiva, eritque proportio, quia sicut positâ albedine & dulcedine, in eadem materia lactis, falsum est dicere, albedo est dulcedo; ita positâ formâ panis & lapidis, in eadem materia, falsum est dicere, panis est lapis. Ulteriùs, si legitima comparatio fieri deberet albi & dulcis adjectivorum, comparari etiam deberent concreta ex formis substantialibus adjectivè expressa, v.g. lapisatum hoc est formâ lapidis actuatum, est panisatum, hoc est formâ panis informatum: & tunc sicut, verum est dicere, album est dulce, ita verum erit dicere; lapisatum, est panisatum. Reliqua, quæ urgeri possent, petantur ex Materia de subsistentia.

INSTABIS. DEUS & homo sunt nomina substantiva, & tamen quia hæc duo, sunt sibi unita, in uno supposito, dicuntur de se invicem. Ergò etiam lapis & panis, quamvis sint nomina substantiva, quando uniuntur cum eadem materia, dicentur de se.

RESPOND. quòd homo & DEUS, dicantur de se, proficiscitur hoc ex identitate Personæ, seu suppositi, adeoque quia ordinantur ad se, tanquam perfectivum ad perfectibile. Jam autem si forma panis & lapidis, eidem materiæ unirentur, nec eandem naturam, nec idem suppositum habebunt, nec formæ ordinem dicent inter se perfectibilis substantialiter, & perfectivi, consequenter dici de se non poterunt.

OBJICITUR QUARTÒ. Si unirentur duæ formæ substantiales eidem materiæ, & constituerent illæ formæ unum per se, & non constituerent: constituerent, quia ex actu & potentia, substantialibus, fit unum per se; & non constituerent, quia quidquid adventi in actu, constituit Ens per accidens, altera autem forma, adveniret enti in actu.

RESPOND. Prædictum axioma attendere ad id, quod naturaliter fit, & cùm enti in actu de facto, quod advenit, adveniat nonnisi accidentale, fit, ut cum illo constituat Ens nonnisi per accidens, sed quod divinitùs advenire

possit, ad hoc non respexit axioma, utpotè Physicum, & naturalia respiciens; sed si adveniat aliquid substantiale, quod advenire nonnisi divinitùs natum est, nego, quòd sit constituturum ens per accidens.

INSTABIS. Positô casu dictô, compositum illud, quod est panis, constitueretur illô casu intrinsecè forma lapidis, & non constitueretur: non constitueretur, ut supponitur; & constitueretur, quia forma lapidis intrinsecè reperiretur in illo composito, quod est panis, quidquid enim intrinsecè reperitur in materia compositi, intrinsecè reperitur in composito, in composito autem, quod est panis, reperitur forma lapidis.

RESPOND. Illud compositum, quod est panis, non secundum quod est compositum, quod est panis, habet in se formam lapidis, sed secundùm quod est lapis.

OBJICITUR QUINTÒ. Ponamus unam materiam, informari duabus animabus rationalibus, vel, operante unâ animâ, necessariò operaretur altera, vel non? Neutrum dici potest. Non primum: Tum quia hujus nulla necessitas. Tum quia cùm illæ formæ sint diversæ, Ergò sunt & diversa principia actionis, consequenter unô principiô operante, non est necesse operari aliud. Tum quia saltem unâ operante liberè, posset altera non operari liberè. Non potest etiam dici secundum, quia organa haberent communia.

RESPOND. Docere cum Mastrio non paucos, quòd operationes inorganicas possit non exercere altera anima, unâ easdem exercente. De operationibus organicis sub distinctione dicendum erit, si enim sint operationes organicæ independentes ab imperio voluntatis, unâ operante, necesse erit operari & aliam, quia habetur determinativum aliunde, nempè ab objecto & natura principii, qualis operatio est: videre, positis prærequisitis; Aliæ autem sunt operationes organicæ, pendentes ab imperio, v. g. deambulatio, sessio, &c. & tunc verum quidem est, corpus non posse dividere suum situm, sed potest una principiare deambulationem, non principiare altera, unde enim ad hoc necessitaretur? & si non necessitaretur, habente unâ, actum internum volitionis deambulandi, ad habendum actum internum deambulandi, ita nec necessitaretur ad deambulationem, quæ præsupponit illam volitionem. Nec obest, quòd habeant organum commune, quia adhoc, ut dicatur anima operari, non sufficit organum commune, corporisque talis vel talis situs, sed insuper concursus activus aliûs animæ, quem, unâ animâ præstante, nego ab alia anima præstari, debere.

Sed ponamus, quòd unirentur anima lupi, & agni, voraretné lupus agnum, quoad partes quas attingere posset? Tota difficultas in hôc est; quia videtur lupus prohibendus dolore, quem sentire deberet in illo voratu, nam voraret materiam, suâ animâ informatam, & si veniret canis, morderetque illam materiam lupi formâ & agni informatam, doleret uterque, ita & in præsenti. Neque valet, si dicas, potest uniri forma lupi, materiæ eidem, cum forma agni, non tamen ut informatum formâ lupi; consequenter non sentiret dolorem, non inquam valet, quia non recipi formam lupi, in materia, prout informata formâ agni, nihil aliud est quàm unam formam, non recipere aliam formam, hocque benè intelligitur: sed quia morsus infixus à lupo, reciperetur in materia, quam etiam forma lupi informat, & quia dolore, est recipere qualitatem in materia, quã hæc forma informat, fit, ut ex illa connexione, etiam lupus doleret. Erit tamen tunc rabies lupi, in agnum, licèt à morsu prohibendus sit dolore, præcipuè, quia illa materia bonum etiam est commune utrique.

Quoad figuram externam attinet, ea fortassis appareret, quæ antecederet alterius formæ positionem. Quòd si simul utraque forma poneretur, pertinet ad Deum determinare figuram, vel certè media aliqua figura appareret, consimilis in aliquo, lupo, consimilis agno, nam in eadem parte materiæ, duæ figuræ esse non possunt, nam figura est ipsa entitas materiæ ita situata, quæ respectu sui, diversitatem non potest habere. In casu verò, quô duæ animæ rationales unirentur, & una damnaretur, alia salvaretur, determinatio de corpore ad Deum pertineret, vel fortè replicaretur. Nabuchonodosorem habuisse duas formas, negatur communiter, sed solam figuram externam.

ADDÔ denique, si illa materia non haberet organisationem debitam utrique formæ, (ad quam organisationem non attendit Deus, miraculosè operans) tunc utraque forma, non omnes suas operationes exerceret, sed eas quarum haberet organa, & hæc propositio: hoc compositum est ovis, vera esset hôc sensu, hæc materia est informata formâ ovis, sed non hôc sensu, hæc materia habet rationem corporis ovini organici.

Respondetur reliquis objectionibus.

OBJICITUR PRIMÒ. Si materia posset alteri etiam formæ divinitùs uniri, posset etiam infinitis.

RESPOND. posse uniri infinitis syncategorematice; neque apparet, quomodo hoc, infinitatem virtutis in materia arguere deberet: Sicut enim, cùm una materia, successivè pluribus formis informatur, non plurificatur virtus receptiva in materia; ita nec si infinitis syncategorematicè formis informaretur, infini-

infinitari deberet: & ſicut poteſt intellectus creatus omnia poſſibilia in Deo videre, quamvis infinitæ perfectionis in ſe non ſit futurus; ita & hîc. Verum quidem eſt, quòd ſi materia plùs virtutis deberet habere, quando ſimul duas formas recipit, verum inquam eſt, ſecuturum hoc, quòd ad infinitas formas, infinitam virtutem habere debet, ſicut quia ad portandum ſimul duo ingentia ſaxa, major vis requiritur, quàm ad portandum ſucceſſivè; hinc fit, ut ad ſaxum, infinitæ ſi daretur gravitatis, infinitè magnum robur requireretur, ſed quia non eſt major virtus in materia, requiſita ad duas formas, quàm ad unam, tota enim virtus illius, eſt, ipſa entitas illius, dicens rationem potentiæ, quæ reſpectu unius ac plurium formarum, eadem eſt; ideò etiam ad infinitas, etiam categorematicè, ſi darentur, formas, nõ requireretur in materia, infinita virtus.

OBJICITUR SECUNDO. Non poteſt natura terminari pluribus ſubſiſtentiis, ergò nec materia pluribus formis.

RESPONDENT, Diſtinguentes entitativè ſubſiſtentiam à natura, negando Antecedens; diſtinguentes autem connotato, negando conſequentiam, Diſpar: quia cùm ſubſiſtentia ſit ipſa in recto natura, ſicut cùm eſt una natura, nõ eſt niſi una natura, ita & una nonniſi ſubſiſtentia. Deinde, quia implicat aliquid eſſe unum, & tamen habere bis, rationem totiùs: cùm ergò ſubſiſtentia ſit habere rationem totius, non poterit natura una, duplicem habere ſubſiſtentiam. Nullum autem ſimile abſurdum ſequeretur, ſi duæ formæ actuent eandem materiam.

OBJIC. TERTIO. Potentia illa materiæ ad duas formas, vel eſſet naturalis vel obedientialis: Non primum; quia aliâs poſſet naturaliter recipere duas formas; Non ſecundum; quia potentia obedientialis eſt in ordine ad agens.

RESPOND. Maſtrius, hanc potentiam in ordine ad formas diſparatas, eſſe naturalem, naturaliter tamen duas formas materia recipere non poteſt, non propter incapacitatem materiæ, ſed propter incompoſſibilitatem formarum, quam illarum repugnantiam non poteſt vincere agens naturale, niſi per potentiam obedientialem.

Cæterùm diſtinguendæ hîc veniunt aliquæ propoſitiones, quæ etiam ſuperiùs dicta illuſtrabunt: Materia habet potentiam, hoc eſt, inclinationem & appetitum, ut à pluribus formis informetur ſimul, & hæc propoſitio eſt falſa; quia aliâs eſſet contra illius naturam, non habere ſimul plures formas, ſicut quia habet inclinationem, nè careat omni formâ, eſt contra naturam illius, ſpoliari omni formâ, & cùm plures formæ non habeant jus, ut ſimul in eadem materia recipiantur, ita nec materia, tanquam quid relativum potentiæ, ad formas prædictas, habet jus, ut plures formas recipiat. Alia autem eſt hæc propoſitio: Materia habet potentiam, hoc eſt, non repugnantiam, entitatemque capacem recipiendi plures formas, & hæc propoſitio debet eſſe vera; ſi enim haberet repugnantiam, & quidem in genere cauſæ materialis, illamne, Deus quidem, ſalvâ illius Entitate, vincere poſſet, cùm enim illa repugnantia, ſit ipſamet entitas talis, ſi habet repugnantiam, non habet entitatem talem: hinc ſicut manente entitate tali, non poteſt Deus facere, ne ſit talis; ita ſi habet repugnantiam, non poteſt Deus facere, ut habeat non repugnantiam, adeoque ut poſſit illas recipere. Rurſùs, cùm receptio illa ſit in entitate materiæ, ſi in ipſa entitate recipi non poteſt, quodcunque ſuperadditum, ſicut illi non conferret entitatem de novo, ita nec conferret vim de novo recipiendi. Hinc incapacitas recipiendi, non debet referri in entitatem materiæ, ſed in defectum principii inductivi duarum formarum; cumque materia, non ſit determinata ad unam nonniſi formam, hôc ipsô habet capacitatem ad plures.

OBJICIT TERTIO. Pater Adrianus Pikarski, illis duabus formis, in eadem materia poſitis, & conſtitueretur unum per ſe, & non conſtitueretur: conſtitueretur, ut ſupponitur; non conſtitueretur, ut probatur. Unum per ſe eſt illud, quod habet negationem alterius totius, ſeu quod per ſe eſt indiviſum in aliud totum, ut patet definitione unius: atqui ſi duæ formæ ſubſtantiales in ea materia unirentur, non poſſent conſtituere compoſitum tale, quod habeat negationẽ alîus totius, ſeu quod eſſet indiviſum in aliud totum. Minor prob: Tunc unum totum communicaret ſe realiter individualiter phyſicè acceptum alteri toti, ergò non eſſet ab illa forma totali, in præſentia alterius formæ, conſtitutum habens negationem alterius totius, ſeu non eſſet indiviſum in aliud totum. Antec: prob: poſitâ animâ bovis & leonis in una numeró materia, ex anima & materia bovis fiet bos adæquatum compoſitum, & adæquatè conſtitutum, quia totum, & totaliter habebit, quod requiritur ad ſubſtantiam illius eſſentialem Phyſicam, & individualem, realiter exiſtentem, idemque fiet de compoſito hoc, quod eſt leo, & tamen erit aliquid utrique commune: Ergò tunc unum totum communicaret ſe realiter individualiter alteri toto.

RESPOND. fore tunc unum per ſe, nego autem unum per ſe eſſe illud, quod habet negationem adæquatam alîus totius, cùm poſſit eſſe unum per ſe, & habere vel adæquatam vel inadæquatam alîus totius negationem. Porrò in præſenti, ratione materiæ ejusdem, non diceret unum totum, adæqua-

tam negationem alius totius, & licèt illud compositum foret adæquatè constitutum, non tamen adæquatè distinctum, nempè à composito habente eandem numerô materiam, sed diversâ formâ informatum.

Retorqueri etiam potest argumentum de composito, successivè eandem materiam participante: quomodo enim sunt unum & indivisum unumquodq; si communicant eandem materiam, quòd si dicatur inadæquatè, hæc composita sibi communicare, idem & nos dicemus.

Instat Primò idem. Istæ duæ formæ, eandem materiam actuantes, & constituerent duo adæquata composita, & non constituerent: non constituerent quidem, quia deberent illam materiam ad tot composita adæquatè sumpta determinare, ad quot composita natæ sunt determinare, quod ipsum probatur, plura adæquatè composita sunt, quorum entitas adæquata plurificatur, sed illorum compositorum entitas adæquata non multiplicaretur, non multiplicaretur enim materia, quæ etiam adæquat pro sua parte, seu constituit compositum; Constituerent autem duo adæquata composita, quia forma substantialis nata est, nonnisi adæquatum compositum constituere, forma enim totalis, habens adæquatam sibi materiam, nata est ponere adæquatum compositum, sed in casu nostro essent illæ formæ totales, & singulæ haberent materiam sibi adæquatam; ergò natæ essent componere adæquatum compositum.

Respond. Retorquendo argumentum, quod scilicet probaret, ne quidem duas formas accidentales posse esse in eadem materia, quia natæ sunt constituere adæquatum compositum accidentale, quod constituere non possent, quia illorum compositorum adæquata entitas non plurificaretur, siquidem eandem haberent materiam; item retorqueri potest, quòdne successivè quidem eadem materia posset duabus formis substantialibus informari, eò quod non posset tunc materia determinari ad duo adæquata composita: siquidem tunc materia non plurificaretur, sed eadem utrobique numerô esset: adæquata autem composita sunt, quorum entitas adæquata plurificatur.

Deinde dico, duas illas formas constituturas duo adæquata composita, non hôc sensu, quòd sint constituturæ adæquatè ratione utriusque partis distincta composita, sed hôc sensu, quòd scilicet utrumque compositum haberet materiam, haberet & formam, quæ sola duo nata sunt adæquare compositum, quæ distinctio reliquis etiam propositionibus applicanda.

Instat Secundò idem: si illa composita essent inadæquatè distincta, etiam operationes illorum essent inadæquatè distinctæ; modus enim operandi sequitur modum essendi; sed hoc non potest dici, quia aliâs positâ formâ lupi & agni, si appeteret lupus vorare agnum, & agnus timeret vorari, quomodo in illo appetitu lupi involveretur timor agni.

Respondetur: Essent illîc principia operandi activa, nempè formæ adæquatè distinctæ, consequenter & operationes, in ratione actionum spectatæ; sed solùm principium passivum non esset distinctum, hoc est materia; hinc & actiones, prout receptæ, non distinguerentur in subjecto, in ratione subjecti.

Instat Tertiò idem ingeniosè pro suo more. Si ex duabus formis substantialibus, & una materia, possent fieri duo tota adæquata inadæquatè distincta, ex tribus hominibus possent fieri quatuor adæquati homines, quamvis inadæquatè distincti, quod est absurdum. Sequela probatur, ex tribus hominibus possent fieri duo paria adæquata hominum, ergò fierent ex tribus quatuor homines adæquati. Anteced. prob. unum compositum ex materia & forma lupi est unum par: aliud compositum ex eadem materia & forma agni esset aliud par: Ergò si ex duabus formis & una materia possunt fieri duo paria, etiam ex tribus hominibus poterunt fieri quatuor homines.

Respond. Inprimis retorquendo argumentum, quomodo ex albedine & dulcedine positis in eadem materia, tanquam tribus, non fiat quatuor. Rursùs quando eandem numerô materiam successivè duæ formæ totales informant, quomodo, inquam, ex tribus non fit quatuor: deinde sint tres, Petrus, Paulus, Johannes, eat associatus Petrus Paulo, en tunc fit unum par; eat idem Petrus associatus Joanni, en secundum par: ergò ex tribus fit quatuor.

Directè autem ad argumentum dici potest, quòd ex tribus fieri possint duo patia adæquata, inadæquatè tamen distincta, licèt non possint fieri adæquatè distincta.

Instat Quartò. idem. Id quod est essentiale Petro, & est singulare, non potest esse commune Paulo: Materia est essentialis Petro, & singularis: Ergò eadem non potest communicari Paulo.

Respond. Argumentum probare, quòd eadem materia, ne successivè quidem, communicari possit alteri. Porrò quod est essentiale Petro, estque singulare, habetque se ut pars Metaphysica, non potest esse quid commune Paulo, secùs, quod se habet ut pars Physica, estque subjectum mutationum. Cujus ulterior ratio est, quia partes Metaphysicæ, sunt identificatæ realiter, hinc unâ

unâ communicatâ communicatur & altera, consequenter indistinguentur jam numerô. Partes autem Physicæ, sunt distinctæ realiter, hinc communicatâ unâ, non est necesse communicari alteram, sed potest habere alteram partem, ratione cujus distingui poterit individualiter, licèt inadæquatè.

INSTAT QUINTO. Assumendo medium terminum, quòd tunc fieret ens rationis, si eadem materia formaretur & forma bovis, & forma leonis, tunc de essentia bovis physicè spectata, communicaret leo, communicaret enim de eadem materia; hoc autem est absurdum: si enim communicaret leo de essentia bovis Physicæ spectata, communicaret etiam de essentia bovis Metaphysicè spectata, quia impossibile est, esse essentiam Physicam, sine Metaphysicâ, hoc autem est impossibile.

RESPOND. argumentum probat, nè quidem successivè posse eandem materiam informari duplici formâ. Directè autem dici potest, quòd si leo communicaret de essentia bovis adæquatè spectata physica, communicaret etiam de essentia bovis Metaphysica; secùs, si communicet de essentia Physica inadæquata, de quo infrà.

Hoc idem principium sic aliter proponit. Non minùs est unum compositum physicum, ex anima & corpore, in ratione unius, quàm sit unum compositum Metaphysicum: Ergò si animal in homine non potest communicari, quin communicari debeat rationale, ita nec communicari poterit totum Physicum secundùm materiam, quin communicetur secundùm formam.

RESPOND. Negand. Antecedens. impossibilis est enim unitas tanta compositi Physici, quanta compositi Metaphysici, quia unitas compositi Metaphysici, est, per identitatem utriusque extremi, jam autem unitas compositi Physici, est per unionem, stante alietate reali partium unitarum: hinc non ideò præcisè animal & rationale in homine fiunt unum, quia anima rationalis & corpus, fiunt unum, aliâs quando separantur anima & corpus, etiam animal & rationale separarentur. Si enim uniuntur propter unionem illorum Physicam, ita & separari deberent propter disunionem & separationem illorum, oppositorum enim oppositi debent essent effectus. Si autem non tanta est unitas Physica, quanta Metaphysica, poterit ex uno Physico, esse alteri aliquid commune, quin sit commune aliud inclusum, intra illud unum, non poterit autem communicari unum, Metaphysicè, quin communicetur aliud, inclusum in illo uno.

Eundem medium terminum sic aliter proponit. Corporeum quod est in homine realiter existente, non potest communicari duobus individuis Metaphysicis, ergò etiam & materia non potest communicari duobus individuis Physicis.

RESPOND. Negando Consequentiam, quia gradus genericus Metaphysicus corporei, est idem realiter cum individuatione: hinc si idem numerô Metaphysicus gradus corporei, duobus communicaretur, hôc ipsô communicaretur idem gradus individuis, adeoque non essent duo individua; salvâ autem individuatione, aliâ quoad formam, potest communicari eadem materia.

Fundatur hæc responsio ad hanc instantiam in hoc principio. Compositio Metaphysica, est compositio per rationem, si est compositio per rationem, non est inter extrema distincta realiter, si non est inter extrema distincta realiter, si unum extremum competeret realiter, competeret & aliud; cumque compositio ex animali & rationali, sit Metaphysica, necessariò debet esse per rationem, supponereque utriusque extremi identitatem. Nihilominùs hæc compositio potest appellari realis, hoc est non ficta: ut autem non sit ficta, debet habere fundamentum in re, fundamentum autem in re Metaphysicæ compositionis in homine, est materia & forma hominis. Porrò ut à materia inadæquatè sumi possit ratio animalis, non attenditur, an hæc, vel non hæc, numerô sit materia, aliâs si hoc attenderetur, tunc ex materia hominis à lupo vorati, non posset partialiter desumi ratio animalis in lupo, siquidem utrobique eadem esset materia, attenditur ergò præcisè ad rationem materiæ ita organisatæ & rationem formæ, & quia si eadem materia informaretur formâ agni & lupi, utrumque compositum haberet materiam & formam, ideò utrumque compositum foret animal, Ne autem dicatur, positô, etiam quòd eadem utrobique sit materia, idem utrobique esset animal, hoc inde est, quia ratio animalis ab utraque parte desumitur, si ergò vel altera, vel utraque pars non sit eadem numerô, nec idem numerô erit animal, sicut ut dixi, non est idem animal in lupo & homine, quamvis homine voratô, eadem sit numerô materia in lupo. Cùm ergò, si in eadem materia informaretur duabus formis, quantumvis una esset materia, non esset una forma, nec unum foret animal. Et certè in nostro casu, erit negatio hujus formæ lupi in composito, quod est agnus, quæ negatio hujus formæ lupi, cùm sit malignantis naturæ, importabit etiam negationem hujus animalis, idque ideò, quia hoc animal desumitur ex hoc composito & utraque illius parte, sed hoc com-

positum, non est hoc compositum, ergò nec erit idem animal desumibile ab eodem composito.

Punctum Difficultatis 3.

An eadem Forma divinitùs plures Materias informare possit?

PRÆMITTO PRIMO. *Aliud est quærere; an plures partes materiæ divinitus informare possit eadem forma, & aliud est, an plures materias.* Prius enim illud non est dubium, quod naturaliter etiam faciat: non enim materia, quam informat, indivisibilis est, sed de posteriori controvertitur.

PRÆMITTO SECUNDO. *Nomine plurium materiarum venire, vel materias inadæquatas, sed discontinuas, vel materias adæquatas,* priorum exemplum est caput S. Dyonisii & thorax illius, posteriorum exemplum est, si una forma corpus, & hic & Romæ positum informaret.

PRÆMITTO TERTIO. *Divisos esse in hac materia auctores*, nam posse materias disunitas inadæquatas tamen, informari divinitùs ab eadem forma, censet Mastrius, non tamen adæquatas. Posse etiam adæquatas materias informari ab eadem forma divinitùs, docuit Ruvius, Amic., Pontius.

DICENDUM EST. *Posse divinitus duas materias, etiam adæquatas & totales, informari ab eadem forma.* Ita prædicti autores & alii.

PROBATUR PRIMO. Quia id non implicat contradictionem.

PROB. SECUNDO à Pontio. Duo corpora, possunt esse in pluribus locis simul, una forma accidentalis in pluribus subjectis, una materia sub pluribus formis. Ergò & una forma in pluribus materiis, etiam adæquatis.

RESPONDEBIS. Corpus se habere merè passivè in pluribus locis, nullumque habere exercitium virtutis in eorum acquisitione, sed forma informando exercet virtutem informativam.

CONTRA. Tum quia etiam corpus exercet virtutem repletivam spatii. Tum quia etiam forma in exercitio informativo, præcisè non plus facit, quàm quia unita est, hoc autem non ostendit debere augeri vires illius ullas. Tum quia obedientialiter non repugnat, vires etiam augeri.

PROBATUR TERTIO. Possunt duæ materiæ disunitæ & discontinuæ informari ab eadem anima: ergò & plures materiæ adæquatæ. Deinde, vel potest Deus replicare formam Petri, ponereque eam in pluribus materiis adæquatis, vel non potest; si non potest, cur non? & certè si potest replicare animam Christi, ponereque eam cum sacrato corpore sub tot speciebus, etiam tam multum materiæ habentibus, quantum requireretur ad adæquatam materiam corpori, cur non etiam ponere illam posset sine corpore vel in alio corpore; Si potest, ergò & unire illam, adeoque facere, ut informet plures illas adæquatas materias.

OBJICITUR PRIMO. Si plures materias adæquatas etiã divinitùs posset informare eadem forma, & essent illæ materiæ adæquatæ, & non essent: essent, ut supponitur; non essent adæquatæ, quia præter hanc adæquatam, quam informaret, posset etiam informare aliam.

RESPOND. hæc materia, quæ est adæquata cæteroqui formæ non replicatæ, est inadæquata formæ replicatæ, adeoque illam materiam replicata forma informare poterit. Cæterùm impossibile est, aliquam materiam adæquatam esse, possibilibus etiam replicationibus formæ, & tamen extra hanc materiam posse adhuc informare. Quomodo enim jam esset adæquata?

OBJICITUR SECUNDO. Si posset plures materias totales informare una forma, posset & infinitas; non enim major esset ratio pro una materia, quàm pro reliquis: quòd si posset infinitas, si darentur, informare materias, ergò habet virtutem infinitam forma informandi, adeoque perfectionem infinitam.

RESPOND. retorquendo inprimis argumentum, quomodo non sequatur infinitas, quia corpus potest poni etiam in infinitis locis, item quia potentiæ possunt sibi proportionata objecta, etiam infinita, attingere. Deinde cùm hæc virtus informativa, sit ipsa entitas formæ, sicut ipsa entitas formæ non est infinita, ita nec vis informativa.

OBJICITUR TERTIO. Quod formæ non possunt facere naturaliter, non possunt facere supernaturaliter: sed non possunt naturaliter formæ informare plures materias: ergò nec supernaturaliter.

RESPOND. quod non possunt facere formæ naturaliter, dicendo in ipsa sua entitate inclusam in capacitatem repugnantiamque ad aliquid, id non possunt facere supernaturaliter: sed quod formæ non possunt facere naturaliter ob defectum concursûs, cæteroqui sibi indebiti, si ponatur ille concursus, possunt facere supernaturaliter: quòd autem una forma non possit plures materias adæquatas informare, est ideò, quia non exhibetur illi concursus replicativus, quo posito, poterit supernaturaliter plures materias informare.

Quæ-

QVÆSTIO IV.

De oppositâ formæ privatione.

ASSERO PRIMO, *Privationem definitivè esse carentiam formæ in subjecto apto ly carentia*, est per modum generis, estque ratio conveniendi etiam cum negationibus. Ly autem *in subjecto apto* est per modum differentiæ, per subjectum autem aptum intelligenda communiter loquendo, aptitudo naturalis, eaque non remota, sed proxima.

ASSERO SECUNDO. *Privationem posse sumi, vel secundùm quod subest nostris conceptibus*, & sic per modum alicujus quasi formæ negativæ concipitur. *Vel sumi potest secundum quod est in re*, & sic dicit ipsum subjectum, & non esse formæ, cujus subjectum est capax: sic accepta privatio secundùm id, quod dicit subjectum, est quid positivum, & hoc puto sensit Aristot. 1. Physic. tex. 66. & 70. Ubi dicit illam esse unum numero cum materia; quando verò ipsa privatio dicitur visu percipi, non percipitur per se, sed ratione alius, quia scilicet forma hæc videtur, non videntur aliæ. Unde si nunquam vidissemus lucem, non possemus concipere quid sint tenebræ; ad eum modum, quô quia nunquam aliquos flores vidimus, aut de illis audivimus, non concipimus in particulari esse illis hortum privatum; quando item tenebræ invitantur ad laudandum Deum, laus illa non est propria, sed tropica aut occasionalis, quia scilicet præbent occasionem laudandi Deum, cùm in absentia v. g. lucis, cognoscitur bonitas lucis à Deo productæ; quamvis autem definiatur privatio, non sequitur illam esse quid reale positivum, cùm etiam entia rationis & negationes definiantur; in hôc tamen sensu potest dici privatio aliquid reale positivum, quia scilicet non est quid merè fictum, sed non hôc sensu, quasi habeat jus existendi in rerum natura, idque existentiâ Physicâ.

ASSERO TERTIO. *Distinctionem privationum specificam sumi ex distinctis specie formis*, & sic alia est specie privatio coloris viridis, alia coloris rubri. Licèt autem privatio etiam subjectum importet, per subjectum tamen non distinguitur, nam etiam formæ dicunt ordinem ad subjectum, & tamè per subjectum non specificantur, aliâs calor in ligno & igne existens, differrent specie. Cœterùm hæc ipsa distinctio specificatioque privationum non potest dici rigorosa, cùm rigorosè entia dici non possint, sed est tantùm specificatio lato modo sumpta, qualis scilicet debetur illis, quæ non sunt quid merè per intellectum fictum.

Multiplicitas autem numerica privationum, sumenda est ex multiplicitate tàm subjectorum quàm formarum, nec inde sequetur, dari actu infinitum privationum, quia priùs est actu, postea infinitum actu: cùm ergò non sint actu, ut suppono, physicè & realiter privationes, nec sunt infinitæ actu. Sed dicendæne sunt infinitè Syncategorematicæ, de quo dici potest. Aliud est esse actu infinitum Syncategorematicè, & hæc propositio supponit entitatem actualem, cui hæc infinitas competat, sicut qui componunt quatitatem ex partibus proportionalibus, dicunt actu esse entitatem partium infinitarum Syncategorematicè, & in hoc sensu non sunt privationes actu infinitæ Syncategorematicè, non enim competit illis actu esse; Aliud autem est dicere; est aliquid infinitum Syncategorematicè, & in hoc sensu privationes dici possunt infinitæ Syncategorematicè: quamvis autem v. g. aer illuminatus dicat privationem aliorum luminum infinitorum, non censendus est dicere tenebras, quia non dicit privationem omnis lucis, quod tamen important tenebræ. Sed de rigoroso conceptu formando tenebrarum. Videantur dicta de Pœnitentia.

ADDI etiam de privatione & illud posset, quòd privatio non opponatur immediatè formæ, si sumatur prout abstrahit à subjecto, nam immediatè opponi est ita opponi, ut inter illa non detur medium, certè autem inter cœcitatem & visum datur medium, nempè abnegatio utriusque extremi, vel negatio visûs, & ita Angelus neque est cœcus neque videns: sed si sumatur per ordinem ad subjectum capax, immediatè opponuntur, & ita aer necessariò est aut lucidus aut tenebrosus. Per hoc tamen non nego, quòd privationes suo modo suscipiant magis & minùs, si formæ illarum suscipiant magis & minùs.

QVÆSTIO V.

De Causa Formali.

QUÆRES PRIMO. *Quid sit causa formalis?*

RESPOND. Aristot. 2. Physic. tex. 28. Est ratio ipsius, quod quid erat esse. Clariùs idem efferes. Quòd sit causa intrinsecè actuans esse rei, per ly rei, non intellige solum compositum substantiale, quia aliâs accidentia non essent formæ, sed intellige quodcunque compositum.

QUÆRES SECUNDO. *Quid cau et causa formalis?*

ASSERO PRIMO. *Quòd formâ non causat materiam, quoad ipsum esse materiæ.*

RATIO. Tum quia potiùs materia causat formas materiales, ergò primò ab illis non accipit esse; & cùm materia informata dispositionibus, debeat deposcere creationem animæ, nec sit illius miraculosa productio.

Ergò etiam præsupponitur materia ante animam rationalem, ergò ab illâ non causatur. Tum quia, si forma causaret materiam, hôc ipsô non crearetur, cùm tamen subjectum primum, nonnisi creari possit. Tum quia quamvis materia dependeat à forma, hæc dependentia est à posteriori.

ASSERO SECUNDO. *Quòd forma det esse actuati physicè materiæ.*

RATIO. Quia acquirit ab illa esse actuatæ, quod de se, materia non habet.

ASSERO TERTIO. *Quòd forma causet compositum.* Videantur de hoc puncto dicta suprà de Materia.

QUÆRES TERTIO. *Quæ sit causalitas formæ in compositum?*

ASSERO, *esse dationem sui in partem.* Defendi id debet ex suprà dictis.

QUÆRES QUARTO. *Quid sit effectus formalis primarius formæ?*

ASSERO. *Nomine hujus effectûs venire ipsam formam, subjectum aptum & unionem horum.*

RATIO. Inductio in omni effectu formali primario.

QUÆRES QUINTO. *Quid sit sentiendum de effectu secundario formæ, qui est expulsio formæ præcedentis?*

ASSERO PRIMO. *Quòd expulsionis terminus, non sit non esse formæ absolutè, sed non esse formæ in subjecto, quod sit destructione unionis.*

RATIO. Nam succedente formâ cadaverâ, vel quâcunque aliâ, non sequitur non esse animæ rationalis, etiamsi sequatur expulsio: ergò de ratione expulsionis non est, ut sequatur non esse formæ; & certè si miraculosè servaretur forma educta extra subjectũ, verè esset expulsio, & tamen non esset desinentia expulsæ formæ, quamcunque enim deberis legitimam definitionem expulsionis, ea tunc salvabitur, sine non esse formæ. Hinc quòd deficiant formæ eductæ, non referendum in naturam expulsionis, sed in conditionem formarum eductarum, quæ non habent jus existendi in rerum natura, sine unione ad subjectum.

ASSERO SECUNDO. *Terminum hunc expulsionis, qui est non esse formæ præcedentis, esse simul cum introductione formæ sequentis.*

RATIO. Quia si non esset simul, tunc vel antecederet vel sequeretur: Si antecederet: Ergò daretur tempus, quô materia esset sine ulla forma, hoc scilicet tempus, quô ipsum non esse formæ esset; Vel certè non esse formæ præcedentis, sequeretur positionem sequentis, ergò daretur tempus, quô duæ formæ essent in eadem materia, siquidem positionem formæ novæ, tùm primùm sequeretur, non esse formæ præcedentis.

ASSERO TERTIO. *Quòd non esse formæ, non sit priùs naturâ, introductione alius formæ.*

RATIO. Quia prioritas naturæ, est prioritas causalitatis; sed expulsio formæ præcedentis, nõ exerceret rationẽ causalitatis, in esse subsequentis formæ, non enim ideò, tanquàm propter causam, introducitur nova forma, quia expellitur vetus. Nec certè videtur interesse quidquam ipsi non esse formæ, ut sequatur alia, vel non; sed interest positioni hujus, ut non sit præcedens. Rursùs expulsio gratiæ, non est prior introductione peccati, aliàs priùs desereret Deus hominem suâ gratiâ, quam deseratur à peccatore, peccando, ergò & de aliis expulsionibus formæ, idem dicendum.

COLLIGES hinc. Quòd non esse formæ præcedentis, sit solùm prærequisitum, non antecedens, sed concomitans introductionem formæ, sitque quodammodo quasi dispositio negativa, ita ut in eodem instanti, quô forma est, sit non esse formæ antecedentis, quamvis priùs ratione antecedat positio formæ, & posteriùs ratione, expulsio. Dispositiones autem aliæ debent antecedere inductionem formæ, quamvis non antecedat expulsio, quia expulsio non determinat inductionem formæ, sed è converso: Dispositiones autem determinant inductionem talis in specie formæ.

DICES PRIMO. Illo instanti, quo fit expulsio formæ, vel est forma vel non: si non est, quid ergò expellitur? si est, ergò in illo instanti sunt duæ formæ. Rursus si dum est expulsio, est forma, nunquam aberit, cur enim potiùs, si nunc non esse illius non sequitur, sequi debebit postea; si autem expulsio dum est, non est forma, illa expulsio, esset ens otiosum.

RESPOND. expulsionem illam non fieri per aliquid positivum, sed fit nonnisi per subtractionem concursûs, quam tenetur Deus, tanquã Auctor naturæ, subtrahere illi unioni, vel etiã ipsi formæ antecedenti, quæ subtractio concursûs, quia est quid negativum, non debet circa aliquid positivum versari, sed circa ipsum non esse; nec est quid otiosum, quia ipsum illud non esse, illi subtractioni concursûs debetur: & quia objectio imaginabatur, quasi expulsio, sit actio aliqua positiva, ideò positivum aliquid, circa quod expulsio versatur, deposcebat. Ad eum modum, v.g. quando Petrus expellit Paulum domo, producit aliquid positivum, hoc est impulsum, ideò requirit esse Pauli, sic etiam hîc objectio volebat expulsionem causari.

Ex qua doctrina ulteriùs colliges, quòd mediata causa expulsionis sit tum agens naturale, introducens formam novã, quod exigit à DEO subtractionem concursûs antecedenti unioni, quàm etiam ipsa forma introducta idem exigens; immediata autem expulsio,

expulsio, fit ab ipsa subtractione concursûs. Et certè causalitas ipsius expulsionis formæ, non est ipsa præsentia formæ: nam positâ causalitate, impossibile est etiam divinitùs non sequi effectum, positâ autem præsentiâ unius formæ, possibile est non pelli aliam, erit ergò causalitas illius expulsionis, subtractio concursûs. Et certè expelli illius, est non esse illius, quòd non debet esse quid positivum.

DICES SECUNDO. Pro illo priori, quô concipitur poni forma, vel concipitur poni antiqua forma, vel non concipitur: si concipitur, ergò pro illo priori concipiuntur duæ formæ; si non concipitur, ergò pro illo priori, antequam expellatur forma, jam non est forma, quòd est absurdum.

RESPOND. Nihil refert, quòd concipiantur duæ formæ simul esse, sufficit, quòd pro statu Physico, sit non esse formæ antiquæ, esse novæ.

DICES TERTIO. Corruptis dispositionibus antecedentis formæ, jam non est forma antecedens; & tamen potest non introduci nova: ergò apparet antecedere non esse formæ prioris, introductionem sequentis.

RESPOND. quoniam causalitas expulsionis est subtractio concursûs conservativi, quem Deus potest præbere quando voluerit, fieri hinc potest, ut antecedat expulsio formæ, & non ad exigentiam sequentis, nec ad ejus præsentiam. Unde consequens est verum, in casibus miraculosis, non autem ordinariô cursu: hoc autem non officit, quominùs prioritas naturæ attribuatur formæ novæ, respectu expulsionis veteris, quia assertum procedit de cursu naturali, in quo expulsionem veteris formæ, exigit productio novæ. Addo

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS.

NOmine principii extrinseci venit efficiens. Finis item, quia etiam finis non componit id, cujus est finis.

DISPVTATIO V.

De principio extrinseco, quod est Causa Efficiens,

PRimùm tractabimus de efficienti causa in communi, quanquam etiam miscebuntur multa de efficienti creato; postea de causa efficienti creata in particulari; denique tractabimus de efficientia causa increata.

QVÆSTIO I.

De Efficienti in Communi.

Efficientem causam definit Aristot. 2. Physic. Tex. 29. & 1. Metaphys. Sum. 2. C. 1. & 5. Metaphys. textu 2. *Est id, unde principium mutationis primum aut quietis.* Ly *Id*, est locô generis, & supponit pro causa, ratione cujus generis, dirimitur à privatione & reliquis, quæ non sunt causa, *Ly unde* vel *à quo* notat specialem habitudinem ac propriam phrasim efficienti: nam sicut vulgariter materiæ attribuitur ly *ex quo*, dùm solitariè sumitur, nam ly ex quo competit etiam formæ, dùm non solitariè, sed unâ cum Materia sumitur, per ordinem ad componendum compositum, Fini aptatur ly propter quam, formæ ly per quod aut quô; ita ly *à quo* est attributum efficienti: per ly *principium primum* intelligitur, quòd efficiens pro termino habeat id, quod est in omni mutatione primum in executione, adeoque primum sine addito, hoc est esse, quâ esse, & hoc esse, præsupponitur omnibus aliis, quæ sunt, esse cum addito, utpotè, esse sine addito. per ly *mutatio*, non intelligitur aliquid, quod fiat in præexistente subjecto, aliâs creationi non competeret, sed pro quacunque acquisitione esse, sicut etiam per ly *quietis*, intelligenda est non privatio motus, sed possessio formæ.

Clarioribus terminis sic posset definiri causa Efficiens. *Efficiens, est causa determinans ad existentiam, secundum esse, quâ esse, seu secundùm existentiam quâtalem.* Quamvis autem tota hæc defini-

definitio conveniat naturæ, non ideò est mala, quia tota definitio animalis conveniat homini; non ideò tamen est mala & universaliter definitionis superioris rationis debet inferioribus convenire, est autem species, efficientis natura. Cæterum à natura distinguitur efficiens ut sic, quia efficiens ut sic, non exigit esse substantia, secùs natura, &c. &c. Quòd autem hæc definitio non competat omnibus aliis causis, ex dictis colligitur, quia nulla alia determinat ad esse, quâ esse, non enim determinat finalis ad esse, quâ esse, sed ad esse, subratione talis boni, causa etiam materialis, non determinat ad esse, quâ esse, sed determinat ad esse recepti, & formalis, ad esse actuati; sola efficiens determinat ad esse, quâ esse, & confert sola, existentiam quâ talem. Est item hæc definitio distincta à definitione causæ ut sic, ob reduplicationem esse quâ esse, & reduplicationem existentiæ quâ talis.

Quia autem natura efficientis non meliùs explicari potest, quàm explicando actionem, quæ est causalitas efficientis. Hinc sit

Difficultas I.

Quid sit actio Efficientis?

Modalistæ dicunt, actionem esse Entitatem superadditam, negant Nominales. Ex professo multo hûc concernentia tractabuntur, ubi de Unione, quem tractatum præstaret priùs legere.

Punctum Difficultatis I.

An sine entitate Modali salvari possit Actio?

DICENDUM EST; *Quod non*: PROBATUR argumento aliâs repetendo. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione; ergò etiam impossibile est transire à non esse agentis ad esse agentis, sine sufficienti mutatione. Utraque hæc propositio manet aliâs probata. Sed nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio, à non esse agentis, ad esse agentis. Ergò. Subsumpti.

Antecedens prob. Potest esse entitas ignis A. producentis, & entitas ignis B. qui supponitur, nunc productus ab igne, & non esse actio ignis A. in ignem B. Ergò nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio ad transitum à non esse agentis ad esse agentis. Quod ipsum probatur. Non enim hæc sufficiens mutatio erit in ipsis entitatibus ignis A. & ignis B. ut dictum, non in entitate modali interveniente, quia tu illam negas, non in aliquo alio, quod sufficiat, quid enim illud tale est? Ergò.

RESPOND. PRIMO usitatis phrasibus, quando effectus habet actum hujus ab hôc, non potest non esse ignis A. causa, & ignis B. effectus.

CONTRA, potest esse entitas ignis A, & entitas ignis B; & non esse entitas ignis B; habens actum hujus ab hôc. *Neg. valet*, si dicas transire seipsô, hoc enim aliâs refutabitur, refutatumque manet in Materia de Distinctione Modali, sed insuper.

CONTRA est, ly seipsô transire non est aliquid præter entitatem ipsiusmet ignis B. transeuntis, ex quo sic arguitur. Potest esse entitas ignis B, adeoque omnia, quæ realiter sunt, & nemine cogitante, sua entitas, & non esse ab igne A, ergò illud seipso transire, identificatum realiter ipsi igni B, non est sufficiens mutatio, ad transitum à non esse agentis, ad esse agentis. Neque ulteriùs valet, si dicas: Quòd esse hoc ab hoc sit aliquid formaliter distinctum, hoc enim aliâs impugnatum, impugnabitur infrà: nunc sufficerit dicere, formalitas illa est identificata realiter ipsimet igni B, quô positô sic urgetur. Potest entitas ignis B. cum omnibus sibi identificatis realiter, adeoque etiam cum illa formalitate, prout identificata, & non esse ab hoc igne A. ergò formalitas illa non est sufficiens mutatio, ut transeat ignis A, à non esse causantis, ad esse causantis. Ea quæ dici possunt de voluntate & concursu DEI, alibi refutantur.

RESPOND. SECUNDO. Sufficiens mutatio ad hoc, ut hæc causa censeatur causare hunc effectum, est, si alia causa illum non producat.

CONTRA PRIMO. Ponamus, quòd omnes causæ, quæ possibiliter possunt producere illum effectum, concurrant ad illius productionem, per quid, ergò transibitur à non esse producentis, ad esse producentis, non possunt transire per negationem, quòd aliæ non producant, producunt enim omnes, quæ producere possunt, ergò ista negatio non est sufficiens transitus à non esse causantis, ad esse causantis, illudque potiùs, quod adferes, si legitimum erit, salvabit sufficientem mutationem.

Neque valet, si dicas, sequi ex hac ratione, possibile esse infinitum actu, siquidem si omnes possibiles causæ efficerent eundem effectum, essent infinitæ actu; non inquam valet, quia suppositio nihil ponit in rebus, Ly autem, *ponamus*, suppositionem importat. Deinde nego esse possibile, ut actu ad hoc assumantur, nec id habent termini rationis, licèt possint assumi actu, nõ tot quin plures, quanquam sivè id per possibile, sivè per impossibile fiat,

fiat, supponi id posset, quod sufficit ad nostrum intentum.

CONTRA SECUNDO. Quia id, quod est sufficiens mutatio, quare ex non agente fiat causa agens, illud est, quòd responderi potest, quare hæc causa agat, sed quòd alia causa non agat, non est sufficiens responsio, quare hæc agat. Quod ipsum probatur, quia si quærã, quare ista causa nõ agit, respondebis, quia illa agit; si autem quæram, quare illa agit, respondebis: quia illa non agit, quod est idem, per idem dicere, nec difficultatem tangere, recursusque ad ipsam entitatem, extra nihil positam, in præsenti non potest dari, sicut datur in materia de Creatione, quia ipsa positio entitatis, non est in creatis, ex dictis, sufficiens ratio agendi.

CONTRA TERTIO, illud, quod est causam non agere, vel est quid positivum, vel quid negativum: si est quid positivum, quid illud est? cùm etiam causis non existentibus verè competat non agere, etsi non agere est quid positivum, cur ergò etiam agere, non erit quid positivum? quòd si non agere est quid negativum, ergò quod causa hæc agat, erit illud, quod de illa negetur, negatio scilicet, quòd non agat, adeoque, ut dicit Arriaga, erit negatio negationis.

Coincidit hæc alia responsio, cum illa, transiri scilicet à non esse agentis, per hoc, quia Deus miraculosè non impedit, quo minùs hæc causa agat, ita ut causari hanc lucem à sole non aliud sit, quàm esse lucem & solem non impeditum miraculosè ne agat.

CONTRA, impedimentum illud, vel est aliquid negativum, vel aliquid positivum: si est aliquid negativum, ergò agere causam, erit dicere negationem illius negativi, adeoque dicere negationem negationis; si autem illud impedimentum est aliud positivum, ergò etiam reliquas causas, non agere est aliquid positivum, cùm tamen non agere etiam non existentibus competat.

Deinde, sublatis aliis omnibus impedimentis, non repugnat adhuc Deum denegare suum concursum, quem quæro cui deneget? non ad entitatem solis, v. g. hæc enim supponitur existere; non ad entitatem lucis, quia etiam hæc supponitur existere, & non ex vi actionis solaris, non ad meram formalitatem, vel conceptibilitatem, quia ad has nullus datur concursus: Ergò ad Modalitatẽ aliquam, quam importet actio, nihil enim aliud cogitari potest.

Denique actio aliqua non est negatio impedimenti, ergò & actio, ut sic non rectè definitur per negationem impedimenti. Antec. probatur, conservatio miraculosa, quâ locô solis conservaret candela lucem, est aliqua actio, sed hæc, non est, non impeditio sola, cujus enim esset, hæc non impeditio? Et certè censetur Deus tunc concurrere, cum candela, ad aliquid, etiam à parte candelæ se tenẽs quòd non sit ipsa entitas lucis, cùm hæc possit esse & non esse concursus ad aliquid à parte candelæ, tanquam conservantis se tenens, & hoc non aliud est, quàm aliquid positivum, non aliud autem, quàm Modalitas aliqua.

RESPONDETUR TERTIÒ. Duplices posse spectari causas, quasdam ex quibus necessariò pendet effectus, quale est verbum mentis seipsô dependens ab intellectu, qualis est positio creaturæ &c. Rursùs aliæ sunt causæ, à quibus non necessariò pendet effectus, sed potest ab alia causa pendere, qualis causa est ignis A. respectu B. causæ priores sunt ejus naturæ, ut dum causant, non debeat esse effectus causæ primæ, in ipsa ratione causæ formaliter accepta, inclusus, non in isto sensu, quasi cũ illo simultaneo concursu non concurrat Deus, sed in hoc sensu: quia postquã Deus voluit entitatem illorum, non debet habere aliam specialem voluntatem, per quam velit, ut entitati causæ, invariabiliter competat ratio causæ, per ordinem ad effectum, respectu cujus, est invariabilis: jam autem causæ variabiles, præter entitatẽ, quâ vult entitates illarum, indigent speciali volũtate ad hoc, ut causent ita, ut sine hac volũtate Dei rationẽ causæ habere nõ possint.

Contrà A capite. Tum quia quærere restat; quæ sit sufficiens mutatio, ut trãseat Deus à non esse id volentis, ad esse id volentis, de quo argumento aliâs. Tum quia quærere restat; quid respondeat illi efficaci voluntati, cùm ipsa entitas effectûs sola, non sit sufficiens responsivum, cùm illa possit esse, & non esse huic decreto, quô Deus vult illum ab hoc produci responsiva; sed responsiva altera decreto, per quid ergò constituetur iste potius agens? Sed cum Nominalibus.

OBJICITUR PRIMÒ. Si actio est aliquid præter entitatem ipsius effectûs, vel pendet per seipsam à causa, vel nõ pendet per seipsam: Si non pendet per seipsam, ergò dabitur processus in infinitum; ad hanc enim actionem, danda erit alia actio, & ad hanc aliam alia, & sic ulteriùs; Quòd si dicas, pendere per seipsam, ergò pendebit & effectus per seipsum: & quamvis penderet per seipsum, adhuc penderet per distinctam à se actionẽ, quia etiam creatura essentialiter pendet à Deo, & tamen pendet per distinctã à se actionẽ: ergò idem dicendũ erit de actione comparata ad suam causam.

RESPOND. Modalitatem illam (quidquid sit, an in illa formaliter consistat actio) seipsâ pendere, quia non potest esse à parte rei, & non esse ab hac causa, jam autẽ potest esse effectus, & non ab hac causa. Cujus ulterior ratio est, quia si seipsâ non penderet illa modalitas à causa, & esset essentialis determinatio agendi, & nõ esset: esset, ut supponitur, ob naturam modi; non esset autẽ, quia posset nõ dependere

ab

ab hac causa, utpotè ad dependendum, indigens determinativo. An autem creatura seipsâ pendeat à Deo, de hoc infrà. Quando autem hîc objiciunt aliqui, indivisibiliterne an divisibiliter actio pendeat à causa, ad id responderi retorquendo potest; an scilicet effectus divisibiliter, an indivisibiliter pendeat à causa.

Objicitur Secundò. Actio & terminus debent commensurari; sed si esset actio quid superadditum, non commensurarentur, nam actio, v. g. generativa esset instantanea, terminus autem, seu genitum esset permanens.

Respond. Quidquid sit, an ipsa actio formaliter sit quid superadditum, rectè dici potest, actionem & terminum proportionaliter accepta, commensurari, & sic dùm solô instanti durat generatio solis, etiam instanti fit genitum, quâ tale, quod est terminus generationis. Sed actio & terminus improportionaliter accepti non commensurantur, & sic terminus, quâ conservatus, adeoque prout permanens, non commensuratur actioni, quâ generatio est, instantaneè que perficitur. Deinde retorquetur argumentum, quomodo scil. termino, qui permanens est, proportionetur & identificetur, generatio, quæ est transiens.

Objicitur Tertiò. In divinis una Persona producit aliam, & non per aliquid superhuadditum; ergò & in creatis.

Respond. Non intervenire in divina productione, quidquam realiter superadditum ipsi naturæ divinæ, quia quæ in Deo sunt, identificantur eidem; intervenit tamẽ aliquid virtualiter intrinsecè distinctũ, nempè in productione verbi ipsa dictio, distincta virtualiter à natura, & communi intellectione; & in processione Spiritûs Sancti intervenit spiratio, itidem distincta: quia autem creatura non est capax talis processionis virtualiter distinctæ, & quia non est necesse, ea, quæ creaturæ competunt, esse entitatem creaturæ, poterit benè poni aliqua modalitas, si ejus ponendæ sit aliqua necessitas, quam esse, adstruit argumentum factum. Immò exinde potest sumi confirmatio sententiæ adlatæ, quia si processio divina nõ est mera formalitas, sed virtualitas quædam, æquivalens distinctioni reali; ergò & creata actio, si non importat realitatem aliquam, saltim modalitatem importabit. Sed quidquid sit, de antecedenti negari potest consequentia; quia potest esse entitas effectûs, & non esse dependens ab hac causa: ergò ad tollendam indifferentiam, debet aliquid adferri, quod non est nisi modus; non potest autem esse una persona, quin producatur ab alia; Unde etiam virtualitas dictionis & spirationis, non ideò ponitur à nobis in prima parte, ut auferat indifferentiam agendi, seu producendi, sed quia erat necesse ostendere principium formale, Quô processionis, idque distinctum realiter à termino producto, quod salvari non posset, si non poneretur prædicta dictio & spiratio, sed de hoc tractatum 1. Part. Disp. 9. Num. 125.

Objicitur Quartò. Si actio, esset aliquid superadditum, non posset ostendi subjectum illius receptivum. Quod probatur. Supponamus, creaturam assumi à Deo, ut instrumentum ad creandum, illa creatio non reciperetur in principio agente, aliàs mutaret agentem, non in passo, quia aliâs passum deberet esse prius ipsâ Modalitate, quia esset causa illius materialis, causa autem, est prior suô effectu.

Respond. Quidquid sit, an ipsa actio formaliter sit quid superadditum, ad objectionem dici potest, positô, quòd illa creatio, utpotè profecta à creatura, involvat modalitatem, dici inquam potest, quòd creatio non pendeat ab effectu, tanquam à causa subjectiva. Tum quia aliàs hæc causa subjectiva, supponi deberet ante suam causalitatem. Tum quia si creatio penderet à passo, tanquam à causa subjectiva, illa actio non esset creativa, quia esset dependens à subjecto. Tum quia illa actio creativa causaret seipsam, causaret enim causam sui materialem. Dependet ergò illa creatio, vel illa Modalitas ab effectu, tanquam à termino, quia scilicet impossibile est esse actionem creativam, & non respondere illi passum; & sicut terminus est id, quod sistit aliquid, & facit nè ulteriùs aliquid procedat; ita passum, sistit creationem, ut ulteriùs non procedat, cùm jam passum habeat.

Objicitur Quintò. Nulla necessitas jus Modalitatis.

Respondetur, esse necessitatem, ut ostendatur sufficiens mutatio, cur transeatur à non esse agentis, ad esse agentis.

Punctum Difficultatis 2.

An formaliter actio sit entitas Modalis.

Dicendum est Primò. *Actionem formaliter non esse modalitatem.*

Probatur Primò. Si nihil obstet, debemus tueri & sequi sententiam Aristotelis; sed si ponamus, actionem formaliter non esse modalitatem, nihil obstabit, ut videbimus in solutione argumentorũ, & sequemur sententiam Aristot. quod prob. quia Aristoteles non tenuit actionem esse modum superadditum, quô enim locô id significavit? Deinde 3. Physic. Tex. 20. censet, quòd doctio (quæ est quædam species actionis) sit ipse actus docentis, sed in quodam, (hoc est in eo, in quo docetur) & non decisus, (neq; enim pars habitûs positi in docente dividitur unicuique discipulo) sed hujus in hoc (quod significatur dependentia doctrinæ discipuli à Magistro) 3. etiam Physic. Tex. 4. docet: Motum non esse præ-

ter

ter res, & ibidem Text. 7. *cùm ædificabile, quatenus tale ipsum, actum fuerit, ædificatur, & hoc est ædificatio.* Et quia ædificatio, est actus ædificantis, & hic actus ædificantis, est ipsum ædificabile, quatenùs actum; etiam actio, seu ædificatio, erit ædificabile, quatenùs actum. Immeritò autem Respond. Arriaga, Aristot. intelligendum esse, quòd dixerit, actionem non esse Ens completum: hoc enim mera divinatio est, nec hic discurrit: an actio sit completum, an incompletum Ens, sed solùm de hoc, in quo consistat.

Probatur Secundo. Sicut non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, ita & rationes involventes formaliter rationem entis, non sunt multiplicandæ, sine necessitate; nulla autem necessitas in entitate Modali, constituendi formaliter actionem.

Probatur Tertio. Quia hoc dandum est argumento, quod petit argumentum factum pro modis, sed illud non petit, ut actio sit formaliter modus, petit enim nonnisi sufficientem mutationem, & sufficiens determinativum, hoc autem totum potest salvari, quamvis actio formaliter, non sit modalitas.

Quæ hîc objici possent solventur, ubi de unione.

Quando autem dicitur, actio esse id, quô mediante producitur effectus, item dicitur esse via & tendentia ad effectum: infertur que; ergò non potest esse quid in distinctum, saltim modaliter: id etiam non convincit, quia relatio est etiam non modalitas, & tamen illâ mediante refertur, & tendit fundamentum ad terminum, verbum item mentis, non mediâ modalitate per multos etiam modalistas producitur, & tamen verbificatio, est via, & tendentia, factiva intellectionis. Deinde dici potest, actionem esse formalitatem intermediam, non autem entitatem, & licèt repugnet mediante seipso produci, hoc est ipsâ causâ sibi identificatâ, sed non repugnat produci mediante seipso, hoc est, causalitate causæ & effectui (infrà circumscribendis) identificata.

Dicendum Est Secundo. *Actionem esse formaliter formalitatem, non tamen sine modo.*

Probatur Prima Pars immediatè adlatis. Secunda autem pars probatur adlatô argumentô suprà.

Quòd si quæras, in quo tandem stet actio? ad quod dici potest, quòd actio sit ipsa causa, prout est effectus ab illa, & ipse effectus prout est à causa; seu est ipsa causa, prout determinans existentiam effectûs hujus, & hic effectus prout determinatus ad existentiam, quod ipsum prout, quod ipsum determinare, habetur in circumstantia entitatis modalis, quâ positâ habetur, & *Ab* vel *A*, tenens se ex parte causæ, seu *ab* activam, & *ab* tenens se ex parte effectûs, vel *ab* passivum. Utrumque autem istud *ab* ponitur in explicatione causalitas, seu actionis, quia Aristoteles, aut simul utriusque meminit, ut 3. Physic. tex. 7. vel nunc hujus, nunc illius, ut reflectens ad varios textus videbit. Et certè non debet excludi agens in explicatione causalitatis, quia actio, seu causalitas efficientis, est id, à quo effectus, qui certè, cùm non sit à seipso, à causa erit. Ergò cùm causalitas importet id, à quo effectus, importabit causam. Non debet etiam in explicatione causalitatis excludi effectus, quia nomine causalitatis venit, id quod ponitur, saltem, ut quo à causa, quæ certè seipsam non ponit. Rursus actioni conjungitur passio, quæ non se tenet ex parte causæ, sed ex parte effectûs: quia tamen potior est in causalitate actio agens, & id à quo activum, ideò principaliter etiam dicit ipsam causam.

Solutio Objectionum.

Objicitur Primo. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, per quid transitur à non esse *ab hoc*, ad esse *ab hoc*.

Respond. Per modalitatem, de cujus essentia est determinare *ab* hujus activum, & *ab* illius passivum.

Objicitur Secundo. Aristot. 9. Metaph. Tex. 2. actionem vult, in re, esse ipsum agens, & in agente, non autem in effectu.

Respond. Aliis locis Aristotelem ad effectum etiam recurrere, loquiturq; illò locô de actione agente, seu de *ab* activo, non autem de actione acta, & de *ab* passivo, nec de eo quod intelligitur ponere agens, quô etiam modô explicandus est 2. de anima. tex. 26. 3. Physic. tex. 8. ac 20. itemq; S. Thom. 1. Parte q. 25. a. 11. & quæst. 45. artic. 1. ad primum. Hinc etiam quando censebat Aristoteles, mutandum Deum, si in tempore mundum produxisset, non censebat mutandum, titulo actæ ut dici solet actionis, sed quia Deum censebat esse necessarium agens: hinc si in tempore produxisset mundum, potentia illi, mundi conditiva, accedere debuisset, aut novus volendi actus, per quod indubie mutaretur.

Objicitur Tertio à P. Nicolao Trzaskovvski, palmari olim Theologiæ hîc Posnaniæ Professore, qui & Cathedralia Capitula, & Diœcesim hanc, & Religiones præclarissimis discipulis implevit, rarô insignitus talentô, ut illi, difficiliùs fuerit semel lectorum oblivisci, quàm meminisse. Hæc sententia favet prædeterminationi physicæ, quia hac modalitate posita, non potest homo non operari.

Respond. In principiis Modalium, modalitas illa, cùm sit ipsa actio, mirum non est, quòd illâ positâ, non possit non fieri operatio: in nostris autem principiis dicitur, Determinationem illam modalem, non esse quidem formaliter actionem, esse tamen connotatum illius necessarium, illiusque positio est libera, & sita in po-

testate operantis, estq; ipsiusmet operationis & actûs secundi, seu suppositionis exercitii libertatis completivum, nec se tenet ex parte actus primi, consequenter nec habet necessitatem antecedentem, sed se tenet ex parte actus secundi; cùm tamen prædeterminatio, si attendatur natura illius, teneat se ex parte actus primi, quidquid sit quòd hoc inficientur aliqui Thomistæ, quodsi antecedentem necessitatem, non importat illa determinatio, nec destruet libertatem.

Instat Primo, illud determinativum, vel antecedit actionem, vel sequitur si antecedit, ergò se habet per modum actus primi, æquiparatique debet prædeterminationi, ergò ulteriùs dabitur formale actionis, antequam detur actio, quia dabitur determinatio, ut sit hoc, ab hoc: si sequitur, ergò in illo priori actio, est sine sua formalitate & complemento.

Respond. Dari medium, nempè concomitanter, & simultaneè se habere.

Instat Secundo. Saltem se habet ita actio ad illam determinationem, sicut se habet relatio ad fundamentum proximum: sed fundamentum proximum, prius est relatione. Ergò & illa determinatio.

Respondetur. Sicut fundamentum proximum, est simul simultate Physicâ, cùm relatione, & nec illam antecedit, ut sit sine relatione, nec sequitur relationem, ita ut non sit relatio unquam, sine fundamento proximo; ita etiam actio simultaneè se habet ad illam determinationem. Et sicut fundamentum proximum, non se habet per modum actus primi Physici, nec per modum prædeterminationis ad relationem, licèt ex illo fundamento intelligatur pullulare relatio; ita & in præsenti, & sicut potiùs fundamentum terminum habet se potiùs per modum actus primi relati, fundamentum autem proximum tenet se jam potiùs à parte actus secundi, physicè loquendo, cùm physicè actus secundus relati, sit ipsum fundamentum proximum, ita sine illa determinatione spectata causa, habebit se per modum actus primi, jam autem ipsa determinatio potiùs se tenebit à parte actus secundi, licet ex modo concipiendi, nec relatio cum fundamento proximo, nec illa actio habeant simultatem, sed censeantur esse per modum pullulantium.

Instabis Tertio. Ponamus, solam causam & effectum, cum illa determinatione, seclusâ illâ formalitate, verè erit effectus. Ergò verè erit causalitas. Ergò ulteriùs causalitas erit Causa, Effectus, & illa determinatio. Sed determinatio est Modalitas. Ergò causalitas erit modalitas.

Respondetur. Ponatur fundamentum, ratio fundandi, terminus, verè erit relatio, & tamen præter hæc, censetur esse relatio formalitas quædam, ita & in præsenti: & licèt quidem in re causalitas sit Causa, Effectus, Modalis determinatio, tamen Metaphysicè est aliquid aliud, nempè formalitas, quæ censetur ex illis pullulare, & formaliter facere, ut hoc quidem, ab hoc sit. Quòd si mente tollas illam formalitatem, idem fiet, ac si tollas, mente relationem à fundamento, ratione fundandi, termino. Et licèt quidem, si ponatur causa, si ponatur effectus, nondum intelligitur hujus actio, intelligitur tamen, si ponatur determinatio, neque tamen inde sequetur, causalitatem stare in sola determinatione, quia si ponantur tria, non erunt duo paria, erunt autem additâ unitate; neque tamen sequitur, quòd duo paria, sint illa unitas, ita nec in præsenti sequetur, quod illa sola determinatio, sit causalitas. Est quidem verum, quòd non possit poni determinatio, quin ponatur causalitas, sed quòd non possit non poni, non ex eo est, quòd in illa sola stet causalitas, sed quia ex essentia determinationis causæ & effectus ad causalitatem, sequitur, ut non possit esse sine causalitate: cumque illa determinatio, non intelligatur importare vim agendi, non erit ipsa præcisè causalitas, sed determinativum & completivum causalitatis, ut censeatur, hæc vis circa hunc effectum versata, & non alia vis, nec circa alium, hîc & nunc effectum.

Objicitur Quarto. Actio formaliter accepta, est determinatio physica principii & effectus ad esse *Ab:* subsumo: Sed hæc determinatio est modalitas. Ergò & actio formaliter accepta est modalitas.

Respondetur. Actio formaliter accepta est determinatio physica, hoc est, involvit & connotat determinationem physicam, sed non est determinatio physica secundum se præcisè. Commemorentur dicta de connotatis. Actionem scilicet in his principiis dupliciter spectari posse, prout est in re & physicè, & sic dicit Causam, Effectum, & Modalitatem; deinde prout subest nostris conceptibus, & sic dicit formalitatem pullulantem, ex modo nostro concipiendi, constituentemque, ut hoc sit ab hoc, quæ causalitas, potest appellari determinatio Metaphysica.

Instabis. Ponatur actio formaliter accepta, & non ponatur illa, quæ pro connotato requiratur modalitas, illa actio erit formaliter determinatio physica: ergò & seipsâ, & non ratione connotati est talis.

Respond. Argumentum hoc est consimile huic: ponatur relatio, & non ponatur terminus, verè erit relatio. Ergò relatio non indiget termino: ponatur unio, & non ponatur Modalitas, verè erit compositum, ergo compositum non indiget unione modali: sicut ergò in istis, defendens hanc sententiam dicit, esse hoc impossibile, sequique & poni, & non poni relationem, ita & nos in præsenti dicemus idem.

Ob-

Objicitur Quinto. Illud connotatum ex vi cujus effectus, determinatur ad esse effectus, vel pendet ab agente per seipsum, vel per aliam actionem: si per aliam, ergò non spectat ad actionem formalisandam, quia actionis non datur actio: si per seipsam, Ergò potius formaliter est actio, quàm connotatum actionis. In idem recidet, si dicas, illud connotatum, vel creatur, vel educitur: non creatur, quia nullum agens creatum habet vim creandi, & quia creatio non terminatur ad id, quod dependet à subjecto, sicut dependet illud connotatum: quod si illud connotatum educitur, vel educitur eductione à se distinctâ, vel eductione sibi identificatâ, non per eductionem superadditam, quia etiam effectum dicerem produci per eductionem superadditam. Si autem educitur per seipsam, Ergò illa est formaliter actio, & non connotatum actionis. Refert hoc argumentum Oviedo ex manuscriptis alicujus recentioris.

Respond. Illud connotatum & pendere seipso à causa, & non educi per distinctam actionem, inde tamen non sequitur, quid sit formaliter actio. Nam in sententia Ovied. mentis verbum, non per distinctam actionem producitur, nec tamen propterea infertur, illud esse formaliter actionem, cùm sit potiùs formaliter terminus, identificans sibi actionem, unio item in sententia, quæ illam ponit emanativè produci ab anima, utpotè spiritualem, non producitur etiam in probabili sententia, per intermediam actionem, neque tamen formaliter est per hoc illa unio actio. Quorum ulterior ratio est, quia esse dependens seipso, non est prædicatum primò essentiale & formalisativum actionis modalisticæ, sed potest esse commune cum reliquis. Ergò quamvis nostræ Modalitati, hæc dependentia seipsâ conveniat, non erit necesse illam constitui, hoc ipso in ratione actionis formaliter intermediæ, quam adstruunt Modalistæ. Unde actio formaliter est ratio, quare hoc quidem ab hoc sit, Modalitas autem est connotatum & sufficiens mutatio, ut à non esse, ab hoc, transeatur ad esse, ab hoc, quam ipsam mutationem non est necesse, ex hoc ipso habere se per modum actus primi, quia etiam ratio fundandi est sufficiens mutatio ad hoc, ut transeatur à non esse relati, ad esse relati, neque tamen ratio fundandi habet se, sicut actus primus ad ipsam relationem, suppl: Physicus.

Instabis. Actio productiva illius connotati, vel constituitur in ratione formali actionis, per aliud connotatum, vel seipsâ: si per aliud connotatum, dabitur processus in infinitum: si seipsâ, ergò & respectu aliorum effectuum, seipsa causalitas constituetur in ratione formali actionis.

Respond. Seipsa dependere Disparitas de aliis effectibus est, quia effectus, hic ipse in entitate, produci potuisset, ab alia causa, hinc indiget alio connotato determinativo. Deinde id quod in aliquo genere facit talia formaliter, seipso est tale, & ita, quod est ratio alia dealbandi, ab alio non indiget dealbari; quod est ratio determinandi, ut hic effectus sit ab hac causa, non indiget aliunde determinari.

Objicitur Sexto. Actio generativa in divinis, est ipse Pater; ergò & actio in creatis erit ipse agens, & nullo modo effectus.

Respond. sicut datur spiratio activa, & spiratio passiva, ita etiam datur generatio activa, & generatio passiva: generatio activa est ipse Pater; passiva generatio, est ipse Filius: & quia entia creata sunt imitationes, quantùm possunt etiam increatorum, concipere possumus, & actionem quam appellant agentem, & actionem actam. Actio agens est ipsum agens, nihil enim aliud est, quàm ipsum agens determinans sibi effectum, actio autem acta, est ipse effectus, prout determinatus pendere ab hac causa. Ne verò agendo mutetur intrinsecè agens, dico illam modalitatem determinantem, recipi in solo effectu, neque obstat, quo minùs illa determinatio recepta, nonnisi in solo passo, tribuere tamen possit denominationem agentis, quia sicut ratione extrinseci temporis fortiri res potest denominationem hesterni, comestio vespertina, ratione serotini in se non recepti, fortitur denominationem cænæ, ita & ratione modalitatis in passo receptæ, fortiri poterit rationem agentis, causa.

Instabis. Posito, quod ista determinatio recipiatur in ipso effectu, non poterit esse id, ex quo pullulet formalitas illa causalitatis, quod ipsum probatur, quia id, ex quo etiam ratione nostra pullulat causalitas, debet esse priùs effectu, sed, licèt sit prior causâ, tamen determinatio & effectus, non est priùs quid, ergò ex illis non potest pullulare causalitas. Major probatur. Quia si causalitas debet esse prior effectu, ergò & ea, quæ sunt causa ipsius causalitatis, debent esse priùs ipsa causalitate. Minor etiam principalis probatur: quia si illa determinatio recipitur in effectu, ergò educitur ex effectu, ergò præsupponit effectum, ergò non est priùs effectu, effectus etiam pro sua parte, non est prior seipso.

Respondetur. Cùm secundùm dicta suprà, attendatur hic ad actionem agentem & actam, actio agens prior est effectu, nec ab illo desumitur; & licèt actio agens sit in effectu, quia tamen est in illo, tanquam in termino, non debebit adhuc prior esse terminus, illa actione. Hoc autem, ex quo educitur illa determinatio, non est effectus, sed subjectum, seu materia, quæ est prior determinatione. Hæc tota difficultas potest urgeri etiam ponendo, quod actio formaliter sit modalitas.

Addo, quando formalitas causalitatis dicitur pullulare, hoc non isto sensu accipiendum, quasi pullulet ex effectu; sed quod non intelligatur pullulare, nisi in re sit effectus, determinatio & causa.

Objicitur Septimo, Quæ referuntur transcendentaliter, non possunt idem esse realiter; sed actio refertur transcendentaliter ad effectum, ordo enim ad terminum est de essentia actionis.

Respondetur. Negando, hîc intercedere relationem realem inter illam merè formalitatem, & inter effectum; sed inter agens in actu, hoc est sumptum cum illa determinatione, & inter effectum, est dicta Relatio.

Punctum Difficultatis 3.

Expediuntur reliqua Actionem concernentia.

Quæres Primo, *Quid sit sentiendum de divisione actionis in actionem agentem, & in actionem actam.*

Respond. actionem agentem sumi posse pro ipso principio, seu virtute operativa, prout connotat positum à se effectum, & in isto sensu est ipsemet agens; quamvis hanc denominationem non acquirat, nisi in circumstantia effectus, consequenter actio agens, secundum id, quod dicit in recto, non est separabilis à principio, cùm sit ipsummet principium. Rursus, actio agens sumi potest, pro eo quod egressum, à principio agente operatur, vel negotiatur passum, & sic est idem quod passio, prout passio dicit ordinem ad causam, à qua est, & hæc identificatur ipsi effectui, in circumstantia prædictæ modalitatis. Actio autem acta est ipsamet formalissimè passio.

Quæres Secundo, *An actio & passio sint distincta realiter.*

Respond. actionem agentem secundum id, quod dicit in recto & supponitur pro principio agente, esse distinctam realiter à passione, prout idem est illa realiter cum effectu.

Ratio, Quia causa & effectus distinguuntur realiter. Cæterùm formaliter accipiendo actionem, prout est actus hujus in hoc, & formaliter accipiendo passionem, prout est actus hujus ab hoc, sunt idem realiter, quia sufficit hæc solis connotatis differre, nempe, ut in quantùm pendet ab agente, vocetur actio, in quantum est in effectu, vocetur passio.

Quæres. *In quonam recipiatur actio, in agente, an in passo?* In agente recipi docent Scotistæ, in passo alii, & non est quidem difficultas de actione immanente, quam circumscribit Oviedo, quod sit actio, vi cujus formaliter terminus remanet in principio, à quo effluit, sed res est potiùs de actione transeunte, in quonam recipiatur, cùm non debeat remanere in subjecto, à quo effluit.

Ovied. dicit: Non esse de ratione actionis, quæ constituat agentem, reçipi in agente, quia datur aliquid verè agens, in quo actio non recipitur, nempe Deus. Ergò de ratione actionis in communi, non est recipi in agente. Sed dicit idem, nec esse de ratione actionis recipi in termino, quia alias terminus causaret actionem, immò sequeretur ulterius, quod causalitas causaret seipsam, quia esset causa principii causalitatis suæ, hoc est, termini, se causantis: censet itaque illam recipi in subjecto, quod terminum recipit ex vi illius actionis productum. Tum quia Aristot. dicit, actionem esse actum hujus in hoc. Tum quia est identitas actionis cum passione. Tum quia actio eductiva, constituit terminum dependentem à subjecto, ergò debet ipsa recipi in eodem subjecto. Quod actio non recipiatur in agente, benè probat Oviedo, sed quod non possit recipi in termino, sed in subjecto, non convincit, de quo mox. *Hinc*

Assero Primo, *Actionem antonomasticè acceptam, non recipi in causa.*

Ratio. Tum quia ex Aristotele, non est necesse agens ex eo præcisè, quia agit intrinsecè, mutari, mutaretur autem si reciperet actionem. Tum quia vel agit aliquid in agente illa actio, vel non agit: si non agit, ergò in illo non est, quia impossibile actionem esse, & non agere: si agit, ergò non in agente recipitur actio, sed in eo, quod agitur, adeoque in passo. Tum quia si actio reciperetur in ipsomet agente, quomodo in illo extraneo quidquam operari poterit, influendo esse?

Assero Secundo. *Non recipi actionem in subjecto, cui unitur terminus productus.*

Ratio, Tum quia impossibile est esse terminum productum sine actione, hoc ipso enim esset, vel nihil, vel quid improductum. Possibile autem est terminum productum, non uniri subjecto. Ergò possibile etiam erit actionem illam, non uniri subjecto, & tamen, cùm per se stare, etiam divinitus, non possit, debebit recipi in aliquo; Ergò apparet non recipi actionem in subjecto. Tum quia potest assumi creatura, ad creandam materiam, vel Angelum, quæ creatio illius erit actio, vel modalis, vel non sine modo, & tamen non recipietur in subjecto, in quo enim? ergò apparet actionem, non recipi in subjecto. Tum quia actio & effectio verbis differunt; effectio autem videtur esse ratio formalis effectus, non autem ratio formalis subjecto. Ergò non in subjecto recipitur. Per hoc tamen non nego, quod determinatio illa educatur ex materia.

Dices cum Suar. D. 48. S. 4. n. 13. Actio immanens in ea potentia inhæret, in qua est terminus intrinsecus ejus, & ita, in intellectu manet actio intelligendi.

Respondetur, Actionem intelligendi esse in intellectu, quia nullum est aliud subjectum, nec potest recipi in termino, quia nulla actio vitalis habet à se distinctum terminum. Benè autem potest recipi actio, sive illa sit modalitas, sive non sine

sine modo, in termino, quem producit, & non in subjecto, in quo recipitur terminus.

Assero Tertio. *Probabilius esse, actionem recipi in termino producto, seu in effectu.*

Ratio. Tum quia, non recipitur actio in agente, nec in subjecto, ergò in termino, quia cùm in aliquo recipi debeat, in nullo alio jam recipi poterit. Tum quia, si actio reciperetur in agente, non esset ratio, cur in extraneo, quod est effectus, operari quidquam possit: ergò etiam, si reciperetur in subjecto, non esset ratio, quomodo effectum operari possit, à quo subjectum distinguitur realiter: & sicut albedo recepta in pariete A, non dealbat parietem B, & si verberetur Paulus, non verberatur Andreas, hoc ipso propter distinctionem realem; ita si actio recipiatur in subjecto, non est quomodo efficiatur per illam effectus, seu terminus, distinctus realiter. Tum quia doctrina est Aristotelis, motum recipi in ipso mobili, hoc autem, quod movetur tunc, à non esse, ad esse, est ipsemet effectus, seu terminus. Tum quia, si non posset recipi actio in ipso termino, hoc ex eo esset, quia deberet præsupponi terminus actioni, & quia ipse deberet materialiter causare suam actionem, quod dici non potest; sed neutra harum rationum in præsenti militat, quod ipsum probatur, quia præcisum recipi; non fundat causationem, adeoque nec titulum in recipiente antecessionis, quod ipsum probatur, quia anima etiam recipitur in materia, & in corpore, neque tamen hæc receptio, fundat titulum causalitatis in materia. Rursus, actio creativa, posito etiam, quod sit modalis entitas, recipitur in re creata, & tamen nec causat creationem, nec præsupponitur illi. Et certe universaliter receptio, potest esse duplex, inprimis receptio in aliquo, tanquam in termino, & receptio in aliquo, tanquam in subjecto; prior illa nec antecessionem recipientis, nec causationem fundat, fundat posterior. Deinde, si quæras, quî hæc duo condistinguantur? ad hoc dici poterit, quod scilicet conveniant utrumque in hoc, quod scilicet illis uniatur id, quod recipiunt, sed in hoc distinguantur, quia receptio, tanquam in termino, non deposcit antecedentiam termini, & præsuppositionem, deposcit receptio tanquam in subjecto. Rursus, quia receptio tanquam in subjecto, est bonum recepti principale, utpotè, quod non habet jus existendi sine hac unione, jam autem receptio, tanquam in termino, est bonum ipsiusmet termini, illa receptione esse & existere acquirentis. Denique, quia receptio in subjecto, est receptio tanquam in causa materiali recepti, jam autem receptio tanquam in termino, est receptio tanquam in causato, & ideò recepto, ut habeat recipiens esse. Tum quia argumenta adlata ab Ovied. non convincunt, nam illis verbis: Actio, est actus hujus, in hoc, etiam nos tueri possumus nostram sententiam, cùm enim non agat, nisi effectum, id in quo recipitur, erit effectus. Quamvis autem sit identitas actionis, cum passione, id verùm est, per ly: passio, non intelligendo unionem, sed actionem actam. Posito etiam, quod hic intelligat Aristoteles nomine passionis unionem, non sequitur intentum Ovied. quia hoc salvabitur, quamvis passio hæc actionis, sit in effectu, non in subjecto recipiente effectum. Quomodo autem actio eductiva constituat terminum, dependentem à subjecto, id jam suprà explicatum est, ubi de eductione. Condistinguetur autem adhuc creatio ab eductione, quia eductio, erit cum influxu causæ materialis, non item creatio, posset que hæc receptio, tanquam in termino, vocari adhæsio, inhæsio autem receptio, tanquam in subjecto.

Dices Primo ex Mastrio Disp. 7. n. 29. Actio de sua ratione formali subjectum inhæsionis requirit, quia actio quæcunque, non solùm eductiva, sed etiam creativa, est propriè accidens, ergò formaliter petit subjectum inhæsionis, per hoc enim distinguitur à substantia.

Respondetur. Subjectum inhæsionis dupliciter accipi potest, pro subjecto, cui unitur ipse terminus productus, & sic ex dictis, falsum est, quod actio etiam titulo accidentis, requirat subjectum inhæsionis: deinde accipi potest, quod sit id, cui unitur actio, & sic indubiè tale subjectum inhæsionis, requirit actio; neque enim potest esse sine termino, & si ponatur modalitas esse, aut non sine modo, indubiè se sola non habet jus existendi, extra modificatum, & hoc subjectum, est terminus.

Instat. Ideò actio creativa subjectum non requirit, quia constituit rem independentem à subjecto: ergò, quia actio eductiva constituit rem, à subjecto dependentem, de sua ratione formali exiget subjectum.

Respondetur, quod actio eductiva exigat subjectum, tanquam id, cui unirur terminus suæ productionis, sed non exigit subjectum, tanquam sui immediatè receptivum, unde etiam & actio productiva accidentis, recipitur in termino, licèt ipse terminus petat uniri subjecto: cumque divinitus possit illi non uniri, & tamen sine actione conjuncta, nihil fiat, inferendum erit, actionem illam non recipi immediate in subjecto, sed in termino. Cur autem ille terminus non recauset actionem, dictum suprà.

Dices Secundo. Actio secundum rationem formalem, non denominat passum agere, quia passum, ut passum, non agit, ergò non subjectatur in ipso: formam enim denominare subjectum, est informare subjectum.

Respondetur. Quod actio, prout est agens, non subjectetur in passo, secùs prout est acta, & quia actio acta, & agens sensu adlato, sunt idem, ideò sicut actio acta, non recipitur in agente, ita nec agens, sed profluit ab illo.

Instat Primo. Forma, quæ extrinsecè denominat aliquid, etiam intrinsecè debet denominare subjectum inhæsionis, ergò actio, ut actio reduplicativè, debebit aliquo pacto denominare passum: quænam igitur erit ista denominatio? certè non denominatio passi, quia hæc est effectus passionis, nec est denominatio conformis naturæ actionis, imò opposita.

Respondetur. Quod actio, qua actio acta denominat passum, extrinsecè autem agentem, quæ etiam denominatio passi, proportionata est actioni actæ.

Instat Secundo. Sicut album ab albedine, ut à denominante, derivatur; ita agens, quia est denominativum actionis, esse actione affectum, formalissimè erit, esse agens; consequenter, per nos passum, deberet esse agens.

Respondetur. Sicut esse visum est denominatum à visione, tamen visio non recipitur in viso; ita potest esse agens denominatum ab actione, actione in se non receptâ: potest tamen ostendi etiam forma intrinseca denominans agens, nempe ipsa vis causandi, licèt rationem exercitæ non habeat, nisi in circumstantia effectus, & in hac circumstantia, denominatur agens.

Instat Tertio. Vel istæ formalitates sunt ejusdem rationis, & sic deberet denominare agens actio, non solùm causam, sed etiam effectum: vel diversæ rationis, & sic denominatio agentis, non poterit ab his formalitatibus æquè desumi, sed ab una tantùm.

Respondetur. Istas formalitates, ob diversos suos respectus, esse diversę rationis, licèt competant uni eidemque entitati physicè spectatæ, & quia receptio est quid Physicum, & non secundum formalitates, cùm illa entitas sit una, unum etiam subjectum, in quo recipitur, habebit, & hoc subjectum est terminus, licèt illa entitas, non prout habet rationem actæ, denominet agens, sed sub formalitate actionis agentis. Quod autem dicit Mastrius, falsò asseri hanc formalitatem actionis actæ, actionem spectare, si procedat hoc sensu, quod scilicet formalitas actionis agentis, non sit formalitas actionis actæ, vera est propositio: si procedat hoc sensu, quod actio acta & agens, non possint ad eandem entitatem, secundum diversas formalitates spectare, hoc ipsum negatur.

Dices Tertio. Quamvis ponatur actionem recipi in agente, non sequetur illud agens esse patiens, non enim omnis receptio, est in prædicamento passionis, sed solùm illa, quæ recipit agens.

Respondetur. Etiam agens, respectu sui, esset agens, in quantùm est in se ponens illam actionem, & quamvis receptio non arguat actionem, arguit tamen actio, ubi est, illic se agere.

Noto. Quod argumentum negativum: non sunt multiplicanda entia, sine necessitate, ostendat, non distinguendas esse actiones illas actas & agentes, consequenter nec ponendam physicè actionem agentem in agente, ut patuit solutione objectionum: sed etiam id colligitur exinde, quia nullibi ageret actus agens, non in agente, ut conceditur, non in termino, seu passo, quia illic est nonnisi actio acta, huic autem agi convenit, non agere.

De distinctione specifica Actionum.

Quæres Quarto. *Vndenam actio distinctionem suam specificam sumat?*

Assero Primo. *Si agatur de specificatione intrinseca, specificatur Actio, à sua entitate.*

Ratio, quia specificatio rei intrinseca, non distinguitur realiter ab ipsamet re specificata, est enim præcisè ipsa connexio prædicatorum essentialium, ergò desumitur ab ipsamet rei entitate.

Assero Secundo. *Specificationem extrinsecam Actionis, desumi etiam à principio Actionis.*

Ratio, quia accipit à principio extrinseco entitatem, ergò accipit ab illo specificationem.

Sed ex eone ipso, quia hæc actio est à distincto specie principio, jam erit distincta specie, v. g. ex eonè ipso, quia proficiscitur visio ocularis â bove, & visio alia ocularis ab homine, circa idem objectum, visiones hæ erunt distinctæ specie? in quo, affirmativè, sentiendum.

Ratio. Tum quia si nihil obsit, proportionandæ sunt actiones suis principiis, ad quem titulum proportionis semper attendit natura, & cùm sit nexus inter actiones & principia, debet etiam esse proportio, sed erunt magis proportionatæ, si distinctorum specie principiorum sint distinctæ futuræ actiones, sequentur enim conditionem principiorum, quæ ipsa inter se distinguentur specie, nihilque obest, quo minus ponatur hæc proportio, quid enim tale? Tum quia, ponamus potentiam visivam ab anima distingui realiter, vel potentia visiva bovis, erit eadem specie, cum potentia visiva hominis, vel non eadem specie: si eadem specie, ergò non procedit in statu difficultatis, quia hic tractat: an specie distinctarum potentiarum, sint distincti specie, ex hoc præcisè, actus, quia proficiscuntur à potentiis distinctis specie. Si autem sunt potentiæ diversæ specie, cui usui illas dedisset natura, nisi ad actus specie distinctos? Totum enim bonum potentiæ, est, illius extendentia ad actus specie distinctos, cui usui ergò erit species illarum distincta, si non ponunt actus specie distinctos? Quia autem in nostris principiis potentiæ identificantur ipsis animabus, quæ sunt distinctæ specie in homine & bove, ideò & actiones visionis ocularis, erunt distinctæ specie. Tum quia, si natura intendit

intendit effectum, quantùm fieri potest assimilare passo, in virtute per quam agit. Ergò etiam intendit assimilare, quantùm fieri potest in specificatione, ipsosmet actus suis principiis, cùm quibus majorem habet connexionē, quàm cum ipsis effectibus seu terminis. Tum quia saltem actiones vitales unius, debent distingui specie ab actionibus vitalibus alius, quamvis versantibus, circa idem objectum. Quod ipsum probatur: quando dicit connexionem essentialem unum, quam non dicit aliud, illa distinguuntur specie: si enim connexio essentialis hujus actionis, cum hoc termino importat alietatem specificam, cur non connexio essentialis, cum hoc principio, importabit eandem. Dicit autem actus vitalis connexionem essentialem cum suo principio. Undè etiam definitur per esse ab intrinseco. Quod autem dicit Suar. Disp. 48. Sect. 3. n. 16. differre actiones vitales à non vitalibus, ex principiis diversarum rationum, non tamen sine ord ne ad diversos terminos, id non convincit. Concedo enim etiam ex ordine ad diversos terminos sumi distinctionem, sed restat quærere, an etiam à principio sumat speciem actus? si sumit, habemus intentum; si non sumit, restat quærere, cur ordo actus vitalis, qui habetur ad terminum, sit specificativus, & non ordo actus vitalis ad principium, per quem adhuc ordinem definitur, non sit illius specificativus. Et sicut ipsa actio non sistit in se, sed pergit, ad terminum, consequenter, & specificativum ab illo desumet, sed cur etiam, cùm non sistat in se, tanquam in principio productivo, sed referatur ad principium producens, ex illa referibilitate ad principium producens, distinctum specie, non sumet etiam distinctionem specificam. Tum quia actio illa est modus hujus principii determinativus, Ergò ad hoc principium, essentialiter adstringitur. Tum quia pro nobis videtur esse S. Thom, prima secundæ Q. 1. a. 3. ubi dicit: Speciem sortiri actionem quidem ab actu, qui est principium agendi, passionem verò ab actu, qui est terminus motus: Locus autem, qui citatur, ex quæst. 6. de Potentia art. 8. dicit quidem specificari à termino, & quidem propriè motum, sed non negat specificari etiam à principio in eo ipso, quod sit motus naturalis: vel loquitur S. Thom. de specificativo magis noto.

Dices Primo. Si sumitur specificatio à principio, omnes actiones essent ejusdem speciei, quia idem specie principium.

Respond. Negand. Sequel. quia est in eodem principio vis producendi actus diversos specie, imbibentes ex vi principii nexum specialem, cum hoc principio, ratione cujus nexus distinguuntur specie, & sic si ponatur visio, quam format homo, nexus quem dicit ad hominem, distinguitur specie, à nexu, qui dicitur ad bovem; licèt in hoc nexu, tanquam in ratione generica, conveniat etiam humana visio: posset etiam quis concedere, actiones hominis in ratione actionis hominis, esse specie distinctas ab aliis actionibus, quæ non sunt hominis, licet inter se non distinguantur, in ratione actionis hominis.

Instabis Primo. Actio licèt ab agente procedat, tamen est essentialiter communicatio alicujus esse, & sub ea ratione est via ad suum terminum, via autem essentialiter respicit terminum.

Respond. Actio licèt sit essentialiter communicatio alicujus esse; tamen si loquamur de vitali, est essentialiter ab intrinseco: ergò ab illo sumet speciem. Directè autem dici potest, hoc argumento probari, quod non sumat etiam à principio.

Instabis Secundo. Cùm motus, duos habeat terminos, nimirùm à quo & ad quem, juxta veram Philosophiam, non accipit motus speciem à termino à quo, sed ad quem: at verò ad eundem modum videtur comparari principium agendi, ad suum actum.

Respond. Communem Philosophiam hoc solùm velle, quod ea, quæ distinguuntur specie, ratione termini ad quem motus, possint proficisci ab eodem termino à quo, nec ratione præcisè termini à quo differre à se, quamvis si unum A quo, ad aliud A quo principio comparentur, inter se differre possint. Et sic differt in moralibus desertio cupiditatis à desertione impatientiæ, & promotio à termino ignobilitatis, ad terminum principatus, à termino principatûs ad regalitatem. Quamvis autem terminus à quo non specificaret, diversitas inde peti posset, quia terminus à quo, non est natus influere esse in mobile, proportionareque inevitabiliter, hoc influxu sibi ipsi mobile, cùm tamen id sit natum facere ipsum principium, seu agens.

Dices Secundo. Cum Suar. citat. n. 10. Generatio & creatio hominis in tantùm differunt, in quantùm creatio includit effectionem materiæ, & formæ ex nihilo. Ergo nec diversitas actionum sumitur ex termino non autem ex principio. Item si Deus annihilaret aliquem Angelum, & eundem postea iterato crearet, tamen illa actio esset ejusdem rationis cum prima creatione, quia sola iteratio non potest sufficere ad specificam diversitatem actionum, consequenter diversitas actionum sumi debet ex diversitate terminorum, non autem principiorum.

Respond. Suares ut eundem legenti loco citato constabit, hoc solum velle, quod non salvetur hæc distinctio absque terminis, quod etiam nos non negamus. Ad argumentum quod attinet, nego generationem, tanquam actum vitalem hominis, non differre specie à creatione,

eaque desumibili etiam à principio, seu agente, licèt creatio cùm nec sit modus, nec involvat modalitatem, non possit in re participare aliquid speciale specificans, desumibile ab ipso principio. Quod attinet ad annihilationem Angeli & reproductionem, non erit illa distincta specie, non solùm ob indistinctionem termini, sed etiam ob indistinctionem principii.

Instat Primo idem. Calefactio facta ab igne, vel facta à Sole, non sunt actiones specie diversæ, ob solam diversitatem principiorum, quia licèt illa principia sint diversa, tamen non agunt idem, ut diversa sunt, sed quatenus unum, eminenter continet aliud, vel ambo eandem formam: virtus autem eminenter continens aliam, sicut eminenter continet formam ejus, ita & actionem ejus.

Respondetur. Calefactio spectata penes terminum, hoc est, penes calorem, eadem ab utroque producitur, potest enim idem terminus à diversis specie principiis produci, & si principia sunt diversa independenter à nostris conceptibus, agunt ut diversa, agunt enim ut sunt, sunt autem diversa: sed calefactio spectata penes principia, calorem illum producentia, est specie distincta. Ex continentia etiam eminentiali, pro nobis potiùs sumitur argumentum, nam continendo eminenter rem producendam, continet continentia distincta specie, quia continentia identificata realiter ultimæ differentiæ, quæ supponitur, esse specifica. Ergò, si continentiæ eminentiali entis, proportionatur continentia actionis, etiam continentia illius actionis, erit specie distincta, ab aliis continentiis, adeoque & actionibus. Quare autem actio specificatur à principio & non terminus, hoc in id principium refertur, quia idem numero effectus potest produci ab alia causa, non tamen eadem actio. Loquimur autem hic ex communi Philosophia de actione, tanquam de aliquo modaliter distincto, accommodando nos comuni phrasi. Licèt secundum nostra principia loqui deberemus de sola illa determinatione modali.

Instat Secundo idem. Deus non solùm potest se solo facere eundem specie calorem, quem facit ignis, sed etiam eandem specie calefactionem. Ergò calefactio, quæ fit à solo Deo, & quæ fit ab igne, cum concursu Dei, non differunt specie.

Respond. cum hic calefactionis nomine veniat actio productiva caloris, quæ est modalis vel non sine modo, nego quod eâdem calefactione possit cum igne Deus eundem calorem producere, alias hæc actio productiva caloris, posita ab igne, non esset essentialis determinatio, reddendi ignem producentem.

Instat Tertio idem. Diversa principia ejusdem termini, vel sunt causæ univocæ, vel æquivocæ; vel una univoca, alia æquivoca: Si sint univocæ causæ, erunt ejusdem rationis cum effectu, consequenter etiam inter se: si verò una causa sit univoca, altera æquivoca, adhuc actio erit ejusdem rationis, quia causa æquivoca agit, ut eminenter continens effectum & actionem causæ univocæ.

Respond. Si sint causæ univocæ, inter se comparatæ, cum sint ejusdem speciei, etiam actiones specificationem ab illis sument eandem: si autem comparatæ inter se causæ, sint æquivocæ, in genere agendi, diversâ specie actione agent, & ad specificationem proderit illa continentia, ut jam dixi.

Instat Quarto idem. Incredibile videtur, actionem movendi cœlum, fore diversam specie, eò quod fiat ab Angelis specie diversis.

Respond. Motus fit ab Angelis per productionem impulsus, tanquam termini producti, nihil autem vetat eundem terminum produci à diversis specie principiis, cùm hoc tamen stat, ut specie distincta actione, idem impulsus producatur ob rationes adlatas, quia illa actio cum sit modus, vel non sine modo, dicit ordinem, nonnisi ad hoc principium distinctum specie.

Instat Quinto idem. Principium agendi si sit univocum, ex sua specie, determinatum est ad talem actionem, tendentem ad talem terminum, si autem sit æquivocum, cum ex se sit universale & indifferens, non potest ab illo sumi determinata species actionis.

Respond. Posito, quod agens univocum, sit determinatum ad talem actionem, cur ejus talitas specifica, etiam à principio desumi non poterit, ad quod etiam dicit essentialem ordinem, tanquam ad suum principium; Agens autem æquivocum, nego esse indifferens ad speciem tribuendam suæ actioni; Unde in agente æquivoco, agnoscimus quidem indifferentiam ad hunc vel illum producendum terminum, sed non agnoscimus indifferentiam, ad tribuendam actui speciem, non proportionatam sibi.

Dices Tertio. Eâdem numero actione possunt agere Deus & creatura, item duo principia distincta etiam specie.

Respond. eò etiam casu distinguetur specie actio, quâ Deus solus ageret, & quâ Deus & Creatura, item distinctam fore actionem, quâ duo principia agunt distincta specie, licèt producant eundem effectum.

Assero Tertio. *Etiam à terminis specie distinctis sumi distinctionem specificam actionum.*

Ratio. Quia unaquæque ex illis alium essentialem ordinem dicit, ob connexionem. Neque enim actione, quâ producitur leo, potest produci homo, immò etiam à subjectis eductionis specificantur propter eandem causam.

Quæres Quinto. *Quid sentiendum de individuatione actionum.* Non est dubium, distin-

distincta numero principia, distinctas numero actiones elicere, distinctos numero terminos, distinctis etiam actionibus produci. Agnoscit tamen Arriaga, distinctos numero terminos, posse produci eâdem numero actione: si enim una numero actio, potest proficisci à duobus principiis, cur ab una actione non poterunt produci duo termini? & si unâ cognitione attingi possunt plura objecta, cur non possibilis erit una numero actio, dicens ordinem ad duo producenda? Cæterum hoc ipsum, quod est duo numero principia exercere, distinctas numero actiones, non excludit, quo minùs causæ potissimum subordinatę, eâdem numero actione agant, v. g. DEUS & Creatura.

Cæterùm posset dicere quisquam, hunc numero terminum potuisse produci, alia numero actione. Tum quia non repugnat, eundem numero terminum, alia numero actione produci, quæ enim in hoc repugnantia? Tum quia sicut ad individuationem termini suo modo determinat DEUS, cur non & ad individuationem actionis? Tum quia hoc posito, non sequetur, ut aliqui imaginantur, processus in infinitum in determinationibus, quia licèt potuerit non hâc numero actione produci terminus, posito tamen, quod hâc numero actione producatur, ipsa entitas rei determinabit ad individuationem. Accedit negatio aliarum actionum, quæ se solâ, non est sufficiens determinativum, est tamen in circumstantia novæ modalitatis.

QVÆSTIO II.

De divisione efficientis causæ.

DIvisiones, quas tradidimus in communi causæ; etiam hîc proportionaliter applicari possunt, præter inibi datas.

Dividitur Efficiens causa in causam Univocam & Æquivocam. *Vnivoca* est, quæ producit effectum ejusdem secum rationis specificæ, ut homo hominem. *Æquivoca* est, quæ producit effectum diversum specie, ut cùm sol generat hominem. Rursus, alia est causa eminentalis alia virtualis. *Eminentalis* est, quæ cùm sit nobilior effectu, & causâ illius propriâ, habet virtutem illum effectum causandi, sic creaturarum DEus causa est. *Virtualis* verò causa est, quæ effectum producit se nobiliorem, vel virtute aliena, & ita ignem se nobiliorem producens calor, est causa illius virtualis. Item, causa efficiens alia est Totalis alia Partialis. Causa *Totalis* est, quæ adæquatè concurrit: *Partialis*, quæ inadæquatè. Sed quod erit indicium causæ totalis? Quando quæcunque sunt prædicata in effectu, reperiuntur etiam in causa, stante ratione effectus. Rursus, quando causam constat aliundè agere, quandoque nullum est fundamentum aliud, præter hoc, ponendi principium, illa causa est totalis, non pono sufficientiam causæ in sola continentia prædicatorum, quia causa Univoca continet prædicata effectus, & tamen indiget concursu DEI: addidi hæc prædicata debere esse stante ratione effectus, quia certè nullum est prædicatum in DEO, quod respondeat prædicato, quod est, esse Creatum. Nullum item est prædicatum in igne A. producente ignem B. nullum, inquam, est prædicatum producti & dependentis ab igne A. aliâs seipsum produceret, & tamen quæcunque prædicata reperiuntur eminenter in DEO, licet stante ratione effectus nonnisi in Creatura, & quæcunque prædicata ignis B. reperiuntur in igne A. stante prædicato effectus nonnisi in igne B. *Addidi*, debere aliundè constare, quod illa causa agat, quia v. g. quando ignis A. producit ignem B. ignis C. habet omnia prædicata, quæ habet ignis B. staretque in igne B. prædicatum effectus, si illum produceret ignis C. quia tamen non constat aliunde ignem C. egisse, non dicitur esse causa illius totalis ignis C. Addidi denique negativum fundamentum, si scilicet aliundè non urgeat necessitas ponendi aliud comprincipium, & sic quamvis habeat prædicata, filiæ, Mater, est necesse ponere insuper causam filiæ, Patrem.

Rursus dividitur causa in *Principalem*, & *Instrumentalem*, & si causæ instrumentalis nomine veniat sola causa, quæ non est à se, quo sensu omnia creata appellantur instrumenta DEI, nulla est in illa explicanda difficultas; sed, si accipiatur, prout opponitur causæ principali antonomasticè dictæ, patitur difficultatem ex eo, quia multa sunt instrumenta, quæ vix analogicè & in ratione entis conveniunt.

Porrò, alia sunt instrumenta artis, alia gratiæ, aliæ naturæ. *Instrumenta artis* alia sunt, quæ & efficit ars & illis utitur, ut malleus; alia quæ non efficit, & tamen illis utitur, ut magnes trahens columbam Architæ. *Instrumenta gratiæ* sunt Sacramenta. *Instrumenta naturæ*, nempè causæ Naturales, quæ & esse à natura, & operari effectus naturales habent. Rursus, hæc instrumenta naturalia quædam sunt *conjuncta principali agenti, quædam separata*, & quidem quædam ita sunt separata, ut aliquando fuerint principali conjuncta, ut sunt semina quædam, alia autem ita separata ut nunquã fuerint conjuncta, ut qualitates, quæ sunt instrumenta generatorum ex putri. *Ex conjunctis* alia sunt, quæ nec esse nec operari proximè possunt, nisi conjuncta, & sic oculus operari non potest proximè, absente suo principali, hoc est, animâ. Alia autem conjuncta sunt, quæ esse quidem sine principali æquè, ut cum principali, operari tamen non possunt, quales sunt fides respectu Musici.

Denique instrumenta, tam artis, quàm naturæ, sunt alia, quibus, ut operentur, est *necesse imprimi aliquid*, ut impulsum fidibus, ovis item,

quæ

quæ sunt instrumenta gallinæ imprimitur calor prolificus: alia autem sunt, quibus *nihil imprimitur*, ut v g. magneti ad causandos effectus artis, calori respectu causandi ignis.

Causæ etiam principales sunt non paucæ, non tantùm univocæ, sed etiam æquivocæ, Deus respectu passionum, potentiæ respectu actuum, sunt causæ æquivocæ, quæ omnia, variis locis perstringuntur.

QVÆSTIO III.

De efficientibus causis aliquibus in particulari.

OMnia efficientia, in particulari numerare, non est hujus vitæ, nullum enim est Ens, quod suam efficientiam non habeat, saltim emanativam. Attingentur nonnisi ea efficientia, quæ in considerationem accepit Schola.

DIFFICULTAS I.

Quid efficiens Principale & Instrumentale?

EXplicat Primo Suar. & cum eo Arriag. D. 11. Sect. 3. *quod causa instrumentalis sit ea, quæ concurrit ad Effectum se nobiliorem. Causa autem Principalis, quæ concurrit ad effectum, vel ignobiliorem, vel æqualem.*

Hæc Explicatio

Non Satisfacit. Tum quia possibile est assumi à Deo, Angelum ad creandum Angelum, vel æqualem, vel se ignobiliorem, quo casu ille Angelus esset causa instrumentalis ad creandum, quod etiam contingeret, si assumatur creatura tanquam instrumentum obedientiale, ad aliquid æque perfectum producendum. Ergò apparet, de ratione instrumenti non esse producere nobiliorem se effectum. Tum quia per nobiliorem effectum, vel intelligitur nobilior, quoad ordinem, vel nobilior, quoad speciem effectus: si primum; Contra erit, quia homo adjutus lumine gloriæ, est causa principalis visionis beatificæ, in quantum illa est actus vitalis, & tamen quoad ordinem nobiliorem se, producit effectum, quia illa vitalitas, est eadem entitas cum supernaturalitate, quæ est ordine nobilior. Rursus unio hypostatica censetur, à multis esse instrumentum nostræ salutis, & tamen nostra salus, ignobilior est unione hypostaticâ. Si secundum; Contrà erit, quia ex vi explicationis, sequitur Creaturam non posse assumi tanquam instrumentum, ad effectum se ignobiliorem, nec aquam ad producendam gratiam, quia gratia utpotè accidens, quoad speciem, est imperfectior aqua. Tum quia, mulus est quid imperfectius asino, respectu cujus asinus, est principalis causa.

Explicat Secundo Hurtad. & Vasq. *Causam instrumentalem illam esse, cui in effectum, nulla respondet formalitas, principalem autem, cui respondet.*

Hæc Explicatio.

Non Satisfacit. Tum quia causa instrumentalis, vel est ens, vel non est ens: Si non est ens, ergò neque est causa instrumentalis: quod si causa instrumentalis est Ens; effectus vel est ens, vel non est ens: Si est ens, ergò id prædicatum, quod causa instrumentalis causat, reperiri potest in instrumentali causa; Si non est ens, ergò neque est effectus. Tum quia, si Angelos possibile est, numero esse distinctos, posset alius Angelus assumi, ut instrumentum ad producendum alium Angelum, numero distinctum, & tamen productus haberet omnes formalitates producti, exceptâ sola individuatione, immò & assumptus ad productionem Angeli superioris, haberet in illo respondentem formalitatem, substantiæ spiritualis completæ, in se etiam reperibilem. Tum quia, posset creatura assumi, ut instrumentum ad productionem replicativam sui, & tamen tunc vel maxime responderet formalitas similis, quia eadem, quod etiam procedit de replicatione sibi similis.

Explicat Tertio Lugo de Sacr. D. 4. Sect. 5. n. 97. & dicit: *Causam instrumentalem esse, quæ non operatur per propriam virtutem, sed ab extrinseco acceptam.*

Hæc Explicatio

Non Satisfacit. Tum quia, hoc ipsum explicandum fuisset, quid sit operari per virtutem ab extrinseco acceptam: cum enim omnia sint producta, omnia debent habere vim ab extrinseco productam, & si per ly extrinsecum intelligatur distinctum, non nisi realiter, tunc Filius æternus, erit instrumentum Patris ad productionem Spiritus Sancti, quia ab illo communicatâ sibi vi producit eundem. Tum quia, si non dantur, saltim non implicant instrumenta naturâ suâ talia, adeoque seipsis instrumenta, consequenter non ab extrinseco accepta virtute. Tum quia in generatione imperfectorum animantium ex putri, qualitates intermediæ verè sunt instrumenta, naturâ tamen suâ, & non acceptâ aliunde, seu à principali virtute, concurrunt. Tum quia impulsus est vera causa instrumentalis soni, & tamen saltim ad reddendum tudem sonum, non accipit virtutem à musico, nisi acceptione, quâ etiam principalia à DEO & suis causis accipiunt virtutem. Tum quia, quod est seipso virtus, non potest habere ab extrinseco virtutem, sicut quod est seipso actio, ab alio esse actionis, non accipit, semen autem, v. g. se ipso est virtus, calor seipso est virtus calefaciendi, quid enim ratio virtutis superaddit semini vel calori, & tamen semen,

semen, verè est instrumentum, & calor, respectu substantiæ, ignis, quem producit; Ergò de ratione instrumenti non est, habere ab extrinseco acceptam virtutem.

Explicatur Quarto. *Causam principalem esse, quæ naturâ suâ habet proportionem cum effectu, instrumentalem, quæ non habet. Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia hoc ipsum explicandum est, in quo stet ista proportio, & cur impulsus ad sonum, non habeat proportionem, habeat autem musicus. Tum quia, si per proportionem intelligitur habere vim sufficientem, cur etiam istam vim sufficientem non habent, accidentia, respectu genitorum ex putri, & cur habent sufficientem virtutem creaturæ, quæ tamen indigent concursu Divino, quamvis sint Causæ principales. Multa principalia agentia, sine dispositionibus, non habent vim sufficientem agendi: item dantur duæ concausæ principales, quarum neutra habet vim sufficientem ad producendum effectum, ut cum duo equi idem pondus trahunt. Tum quia, si per improportionem intelligatur, quòd scilicet indigeat causâ perfectiori, cum qua producat causa instrumentalis effectum, tunc si elephas & asinus idem pondus trahant, non erit uterque causa principalis, quia ad invicem consortio indigent, elephasque est perfectior. Addo non implicat dari duas causas principales, unam imperfectiorem aliâ substantialiter.

Explicatur Quinto. *Causam instrumentalem eam esse, quæ non agit in bonum & finem suum, vel bonum debitæ sibi actionis. E contra causa principalis est, quæ ita agit.* Hinc, v. g. homo generans hominem, est causa principalis, si autem malleus producat alium malleum, non est causa principalis, quia non est sibi debita sua actio, sed artifici. Quod si Angelus producat alium Angelum, erit etiam causa instrumentalis, quia producere alium Angelum, non est illi debita actio.

Ratio Explicationis est inprimis auctoritas Aristotelis, qui primo Polit. cap. 3. postquam dixisset, servum esse animatum instrumentum Domini, censet illum omnia agere in bonum domini; idem habet S. Thom. Prima Parte q. 62. a. 1. in O. Tum quia hæc explicatio, convenit omni, soli & semper: convenit omni, certum enim est, quod causæ principales Univocæ agunt in bonum & finem suum, quia agentis ille finis est, ultra quem non potest, & in quem ultimo potest, quo acquisito cessat, quo non acquisito actionem, quantùm potest continuat, & id videmus, dum ignis conatur generare ignem, quo genito cessat. Causæ etiam principales æquivocæ agunt in bonum & finem suum, cum enim anima intelligendo fiat omnia, adeoque & ideas habendo, fiat idea, producere simile ideæ, est agere in bonum & finem suum. Quodsi causæ æquivocæ, non agunt ex idea, ut cum substantiæ emanant passiones, vel producunt actus, agunt tamen in bonum & finem suum, bonum enim substantiæ, sunt passiones, & finis potentiæ, actus. Quomodo autem cœli & astra, quæ respectu influentiarum, sunt causa principalis, agant in bonum & finem suum, sic potest explicari, negando scilicet illas agere, ut causas particulares principales, sed ut causas universales, quæ agere non debent, in bonum & finem suum, sed in bonum universi. Neq; tamen inde sequitur, ipsas influentias esse causas principales, quia influentiæ, sunt causarum universalium virtutes, hoc tamen benè poterit dici, quod sint causa principalis respectu siccitatis, caloris, &c.

Hæc etiam explicatio

Non Satisfacit. Tum quia species causarum universalium, sunt causæ principales particulares, & hæ agunt in proprium bonum; & aliæ sunt causæ principales universales, hæ non agunt in bonum proprium, sed alienum: ergò debet dari conceptus communis utrique huic causæ, qui jam non potest esse agere in bonum proprium, cùm id non conveniat causæ universali principali, & si alienitas boni universalis, potest stare cum causæ principalitate, cur alienitas boni particularis, stare non poterit. Tum quia quamvis causæ æquivocæ producentes has passiones & actûs, agant in bonum & finem suum, non tamen apparet, quomodo agant in bonum & finem suum, in quantùm producunt distinctos à se effectus, respectu etiam quorum habent rationem causæ principalis, & non tantùm respectu actuum suorum & passionum. Tum quia hoc ipsum explicandum venit, quid sit agere in finem proprium, & sibi debitâ actione, & cur instrumenta generandorum ex putri, pro fine, non habeant genitum ex putri, cum finis rei, vel maximè illud sit, ad quod aliquid ordinatur à natura, ut illa accidentia ordinantur ad generanda ex putri. Cur item non sit finis & bonum caloris proprium, & secundùm debitam illi actionem generare ignem, cùm, ut dixi, deputetur ad hoc à natura; cur item non sit bonum, & debita actio magneti attrahere columbam Architæ, & tamen magnes, tunc est instrumentum artis. Tum quia hæc duo ly agere in finem suum, & ly in bonum sibi debitæ actionis, vel debent simul sumi, vel divisim: Si divisim, verè accidens in generatione substantiæ, erit causa principalis, est enim illi debita actio, illa generatio substantiarum: Si simul, ergò cùm potentia producit actus, non est causa principalis, quomodo enim actio, est bonum debitæ actionis. Qui ipse medius terminus, sic aliter proponitur. Bonum proprium, & finis causæ instrumentalis, est deservire principali, principale etiam habet bonum proprium & finem, & utrumque habet debitam

sibi

sibi actionem: quo ergò discernetur bonum illud proprium, quod est instrumenti, à bono proprio quod non est instrumenti, illudque potiùs erit definitivum utriusque. Tum quia quando principale debet agere in bonum & finem suum, vel debet agere in similitudinem naturæ, vel tantùm in id, ad quod ordinatur: Si in similitudinem naturæ, architectus, non erit causa principalis domus, quia domus & idea, cui assimilatur domus, non sunt similia in natura, hæc enim est spiritualis, illa materialis. Quòdsi sufficit agere id, ad quod ordinatur, tunc etiam Sacramenta, non erunt causa instrumentalis gratiæ vel salutis, ordinantur enim ex sua habitudine, ad producendam gratiam, & causandam salutem, cùm non sit necesse ex natura sua ad hoc ordinari, aliàs nulla essent instrumenta artis. *Hinc aliter*

Non Incommodè Explicari Possent Causæ Dictæ. Quòd causa principalis sit, quæ respectu effectus habet se, ut quid primò & per se intentum. Instrumentalis autem illa est, quæ respectu effectus non est primò & per se intentum. Quod ipsum sic explanatur. Omne agens, aut agit ex intentione propria, aut agit ex intentione latiùs accepta: rigorosa intentio convenit intellectualibus, quæ autem intellectualia non sunt, bonum quidem appetunt, sed ex rigorosa intentione non agunt, ut communior est sensus.

Porrò agendo ex intentione, seu propter finem, agunt ex intentione acquirendi boni; bonum enim est id, quod finalisat, & quia agere ex intentione finis independenter à mediis non possunt, agendo propter finem, requirunt media. In istis autem, quæ ex rigorosa intentione finis non agunt, nec usurpare possunt media sub formalitate mediorum, ordo, qui fit per intentionem propriam, spectatur penes ordinem, quem Deus, ut auctor naturæ, adeoque natura facit. Jam autem ipsa media, sunt aliqua primò & per se intenta, aliqua nonnisi ex secundaria intentione; hæc ergò, quæ nonnisi ex secundaria intentione assumuntur, instrumenta sunt, quæ autem primò & per se ad ponendum effectum assumuntur, sunt causæ principales.

Ratio bonitatis explicationis est. Tum quia ad ipsum nomen principalis rectè respicit terminus in definitione positus: primò, & per se. Jam autem in explicationibus rerum, etiam ad ipsas voces attendendum est, nè simpliciter improportionata tradatur explicatio. Tum quia ipsa inductio ostendit bonitatem explicationis, explicatque illud ipsum, quid sit primò, & per se intendi, ita, ut habere se ita, sicut se habent inferiùs ponenda, tanquam manifestiora, sit primò, vel non primò intendi: sic in generatione univòca ignis B. primò, & per se intentum, est ignis: sed quia ad generationem ignis veniri commodè non potest sine dispositionibus, calore, siccitate &c. fit, ut hæc, ex secundaria intentione assumantur, sintque causæ instrumentales. Rursus in ædificatione domus, primò, & per se requiritur ædificator, quæ ædificatio, quia perfici non potest artificialiter sine idea, assumitur ex secundaria intentione idea, quæ est instrumentum. Item prima intentio est Dei, facere justum, quod sine Deo, tanquam speciali agente, fieri non potest; & quia hoc vult facere per aliquid permanens, ex secundaria intentione assumit gratiam, quæ est causa instrumentalis, justificationis. Tum quia, si ex rudi quæratur, quid sit causa principalis mallei, faberne, an malleus? ægrè se extricabit: si autem quæratur, quid prius & magis requiratur ad fabricandum malleum, malleusne an faber, non hæsitanter respondebit, Fabrum, ab ipso enim mallei motus est, & tamen faber causa principalis est. Ergò apparet notificationem hanc, utpotè omnibus insitam, causæ principalis, commodam esse.

Addo. Cùm effectus & causa sint correlativa, sicut dantur causæ, quæ respectu effectuum primò, & per se intentæ sunt, ita dantur & effectus primò & per se intenti; & sic quia in generatione ignis B. primò & per se intentum ab igne A. erit ignis B. hinc ignis A. erit causa principalis, quia verò respectu accidentium primò & per se intentum, non est ignis B. sed sola dispositio alteratio, ideò accidentia respectu dispositionum sunt causæ principales, respectu autem ignis accidentia, non sunt nisi causæ instrumentales.

DIFFICULTAS II.

Quid causa immediatè efficiens substantiarum?

Controvertitur in Philosophia: An substantia producat immediatè substantiam, an mediis accidentibus? Negant Thomistæ, à substantia immediatè produci substantiam, & ex nostris Fonsec. Suar. Vasq. affirmant Scotistæ, Arriag. Ovied. recentior Suar.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

Dicendum Est Primò. *Possibile esse, ut accidentia, tanquam causæ instrumentales, immediatè producant substantiam, idq. naturaliter.*

Probatur unico argumento, quia non implicat contradictionem, dari tale accidens, quod ex vi principiorum suorum naturalium possit, tanquam instrumentum, deservire substantiæ, ad producendam aliam substantiam. Addit Ovied. Si dantur substantiæ, quæ neque inadæquatè aliam producunt, ut Angeli, cur dari non poterunt, quæ saltem inadæquatè producant.

Ob-

Objicitur Primò. Res ignobilior & imperfectior non potest producere nobiliorem effectum. Accidens est quid ignobilius.

Respond. Arriag. Neg. majorem, quia species impressa, & lumen gloriæ, producit cognitionem, quæ est nobilior, est enim actus, est quid vitale, &c. Rursus quamvis res ignobilior univocè agens, non possit nobiliorem producere effectum, idque tanquam causa principalis; secùs, si non agat univocè, & agat tanquam causa instrumentalis, sufficitque continentia in virtute sine titulo æqualitatis in Entitate.

Instat Primò Mastrius Disp. 7. n. 90. Omnis universaliter causa debet esse perfectior suô effectu, aliàs posset dici totum Universum, esse à musca productum, nec ex causatione primæ causæ, argueretur infinita perfectio in ipsa.

Respondetur. Non potest tribui Universi productio muscæ, quia multa in Universo indigent creari, quæ non spectant ad muscam. Rursùs, vel esset illa causa principalis, & hoc non, quia illa debet præcontinere in se perfectionem effectûs, quæ præcontinentia muscæ, tàm imperfecto enti non convenit : non etiam illa musca, est causa instrumentalis, quia nec ad hoc ordinatur à natura, ut videlicet generet hominem, undè enim hoc colligis ? nec scitur aliunde, ad hoc illam esse assumptam à Deo, si autem causatur à causa prima, colligetur adhuc infinita perfectio in illa, quia colligetur ratio entis à se, ratio illimitati, &c. quæ omnia nectunt secum infinitudinem; nec Deo tribui potest ratio causæ instrumentalis, sed tantùm causæ principalis, adeoq; præcontentivæ effectus.

Instat Secundò. Causa univoca habet in se effectum, ut adæquatum in perfectione suæ potentiæ, ergò causa æquivoca, si est imperfectior univocâ, non potest in se continere illum effectum, ut terminum suæ potentiæ adæquatum.

Respondetur. Inprimis falsum esse, causam æquivocam esse imperfectiorem univocâ, universaliter etiam hâc perfectione concessâ, si causa univoca est contentiva effectûs, causa æquivoca non poterit esse contentiva illius effectûs, si sit causa instrumentalis, secùs si sit causa principalis.

Instat Tertiò. Si forma causæ æquivocæ daret esse formaliter alicui, non potest dare esse perfectius se ipsâ, quia nemo dat, quod non habet, ergò nec effectiva.

Respondetur. Causa æquivoca principalis, non potest dare esse perfectius se ipsâ; secus si sit causa instrumentalis: aget enim in virtute principalis, præcontinentis illum effectum.

Instat Quartò. Posset effectus productus saltem ab intellectu dividi in duos gradus perfectionis, in illum in quo convenit cum causa, & in illum in quo excedit causam. Hic secundus nequit à causa produci, quia nemo dat, quod nullô modô habet, ergò erit improductum, quod est falsum.

Respondetur. In illo, in quo effectus excedit causam, nequibit ille produci à causa æquivoca, tanquam causa principali. Ex eo autem, quòd causa ita se habeat in operari, sicut in esse, solùm sequitur, quod causæ æquivocæ principaliter operanti, debeat convenire præcontinentia effectus.

Instat Quinto. Quia accidens quod est imperfectius, & est causa æquivoca instrumentalis ad productionem substantiæ, non aliter est virtus & instrumentum, nisi quia accidens dicit entitatem, cum illo subordinationis ordine, & habitudine ad substantiam, cujus est virtus; ista autem subordinatio non auget virtutem activam accidentis, sicut nec perfectiorem reddit ipsam entitatem, cùm sit merus respectus, parumq; accidenti prodest, quòd agat nomine substantiæ, si vires ei actualiter non suppeditat ad agendum, quantum sufficit ad productionem substantiæ.

Respondetur. Accidens, esse virtutem substantiæ, nec dicit habitudinem & subordinationem accidentis ad substantiam utcunq;, sed subordinationem in linea agendi, adeoq; suæ virtutis operativæ, acceptæ ab illa substantia, ut agat substantiam se perfectiorem. Et hæc quidem subordinatio, non auget virtutem, supponit tamen illam à substantia, cujus est virtus, acceptam, nec est illa virtus merus respectus, sed fundamentum respectus, suppeditatq; illi vires actualiter, non quidem de novo superadditas, sed inclusas in natura ipsius accidentis, quas ipsas accipit ab illa substantia, cujus virtus est. Undè falsum est, nihil virtutis in accidens à substantia derivari, cujus substantiæ illud accidens est virtus; quia derivatio illa, est ipsa acceptio entitatis, natæ hoc præstare, & quòd hoc præstare non possit, non evincit argumentum.

Hinc si quæratur : Quid sit, accidentia esse virtutem substantiæ, nihil aliud erit nisi accidentia habere entitatem ordinatam à natura, ut similem substantiam producant, ei substantiæ, cujus sunt virtus, non indigendo æquali perfectione cum substantia producenda, modo substantia, cujus illa accidentia sunt virtus, æqualem habeat perfectionem.

Objicitur Secundò. Accidens non potest, tanquam principale agens, producere aliam substantiam. Ergò neque tanquam instrumentum.

Respond. conformiter ad dicta, Accidens non potest habere in generatione substantiæ rationem causæ principalis, quia non potest habere ratione primò & per se intenti, respectu effectus, itidem primò & per se intenti, sed tantùm potest habere rationem secundariò intenti. Quod ipsum probatur, quia in generatione ignis, ab alio igne, intendit natura primò & per se

propagationem similis substantiæ : si intendit primò & per se propagationem similis substantiæ, intendit primò & per se substantiam generatam, quia propagata substantia similis, non est similis nisi substantiæ. Cùm ergò accidens, non sit substantia, primò & per se in propagatione similis substantiæ, intendi non potest, sed tantùm ex secundaria intentione, quia scilicet intendens natura, primò & per se, propagationem similis substantiæ, cùm prævideret subjectum, in quo peragenda esset generatio substantiæ ignis, non fore proximum & immediatum semper, providit illi vicarium, ad perficiendam generationem. Unde, ut vides, hoc quod est primò & per se intendi, in quibusdam est similitudo in specie, in quibusdam non ; ita tamen, ut omnia conveniant in illa ratione communi ,| sicut aliud est sensitivum Rugitivè , aliud Mugitivè , omnia tamen conveniunt, in ratione generica viventis sensitivi.

Objicitur Tertiò. Tale accidens immediatè per modum instrumenti productivum substantiarum, & operaretur illas propriâ virtute, & non operaretur propriâ virtute ; hoc autem implicat, non operaretur propriâ virtute, ut supponitur, operaretur autem propriâ virtute, quia operaretur sibi identificatâ virtute. Et certè, si accidens non operaretur propriâ & sibi identificatâ virtute, virtus illa superaddita, vel esset substantia, vel accidens : si substantia, ergò adhuc immediatè substantia substantiam produceret ; si autem illa virtus esset accidens, vel illâ ipsâ propriâ virtute operaretur, vel non propria, si propria, ergò & priùs illud propria virtute operari potest, si autem non propria, dabitur processus in infinitum.

Respond. In hôc solo non operantur virtute propriâ Accidentia substantias , quia non operantur cum virtute, primò & per se intenta ; operantur autem propriâ, hoc est, non superadditâ virtute , sed ex tali proprio & improprio non coalescit recta contradictio , adeoque nec infertur impossibilitas talis causalitatis.

Dicendum Est Secundò. *De facto etiam substantias immediatè produci ab accidentibus.*

Probatur Primò directè contra Modalistas, negantes dari de facto accidens, quòd producere possit immediatè substantiam. Falsa est hæc universalis. Nullum accidens de facto causat immediatè substantiam, ergò debet esse vera hæc alia contradictoria : Aliquod accidens de facto causat immediatè substantiam. Antec. probatur. Actio substantiæ est accidens per Modalistas, & de factò causat substantiam, ergò universalis illa : Nullum accidens de facto causat immediatè substantiam, falsa est, ex quo ulteriùs sic arguitur : Accidens, quod non est ratum, potest esse ratio causandi & causalitas, ut Quo substantiæ , & non obstante ratione accidentis , potest immediatè defacto influere in substantiam , ergò & accidenti rato , ratio accidentis non officiet, quo minùs de facto immediatè, influat in substantiam.

Respond. Disparem esse Rationem , de Actione, quia actio est ratio agendi, & id quô exercet vim suam causandi, substantia.

Contra id quod est ratio agendi, id per quod exercet vim suam causandi substantia, non officit defacto rato accidenti , quo minùs immediatè agat in substantiam. Ergo nec officiet accidenti rato præcisa ratio accidentis , & licèt universaliter à modis, vel quæ sunt non sine modo, non teneat consequentia , tamen valet, quando convenitur in eadem ratione communi, de qua est disceptatio. Et tamen ab oppositis pro principio assumitur ipsa ratio accidentis, tanquam improportionatum quid ad agendum immediatè in substantiam ; & certè sicut ablatâ actione , quæ non est sine modo accidentali, non relinquitur ratio agendi, quam tamen aliunde constat debere dari , ita nisi tribuatur vis agendi substantias nomine substantiarum, reperibilis in accidentibus , non relinquetur modus salvandi, quod sit productivum substantiarum , quod tamen dari constat , vel ex ipsa illarum productione.

Probatur Secundò. Si non habent accidentia vim de facto producendi substantias, nomine & virtute substantiarum , quando ab igne A. generatur ignis B. in ligno aliquantulum remoto C. ubi est C. vel est substantia ignis A, vel substantialis ejus virtus, vel aliquid accidentale : Non primum ; quia aliâs lignum C. non supponeretur esse remotum, vel si est etiam ignis illîc A. ergò est in duplici loco adæquato, in suo, & in loco ligni C. remoto ; Non etiam secundum , quia si esset illic aliquid substantiale, ignis A. esset virtus illius substantialis, hæc illic non est. Quia virtus substantialis ignitiva, est identificata realiter ipsimet igni , sicut & aliæ virtutes suis principiis, potentiæq; animabus ; & quamvis essent distinctæ realiter , non essent transmissibiles , sed unibiles, non nisi principio suô, à quo per emanationem educuntur ; Non etiam tertium, quia haberetur intentum, nempè ab accidentali virtute produci illam substantiam.

Supponit hoc argumentum, quòd nihil operetur ibi, ubi non est, vel in se, vel in aliquo sui ; si autem est non nisi in aliquo sui, illic operatur, nonnisi in aliquo sui, cùm in illo loco quoad se, ita se habeat, ac si in rerum natura non esset, quodsi in aliquo illo sui operatur, cùm illud aliquid illius, non sit nisi accidens, hoc est calor, in illo accidenti, immediatè operabitur ignem B. quod intendit Conclusio.

Probatur Tertiò Experientiis. Prima sit Experientia de generatione posthumi. Quando generatur posthumus, vel influit tunc substantia Patris, vel non influit ; si non influit, ergò

ergò sola substantia matris, est causa illius, estq; filius ille & non ex Patre, & licèt verum sit, quod dicit recentior Suar. Substantiam Matris assistere genito, quia tamen non sola mater concurrit, salvandus erit concursus alius principii substantialis, nempè Patris: si autem influit in posthumum substantia Patris, vel influit in se, vel in aliquo sui: non in se; supponitur enim mortuus, ergò in aliquo sui; si in aliquo sui, vel est substantiale, vel accidentale; non substantiale, quia forma substantialis seminis ob alterationem cedere debet, omne autem aliud substantiale, quod sit præter materiam seminis, fictitium est. Ergò Pater in aliquo sui, quod est accidentale, operari debet.

Quod autem adfert Pontius, in causas circumstantes generationem referri debere, ipsum produci, corporis animati, & quod dicit, ab equo non generari immediatè equum, sed tantùm produci dispositiones, quæ exigunt productionem animæ equi; hoc etiam non satisfacit, quia sine necessitate ponit similem generationem equi, e. g. & hominis, cùm utriusq; animæ productionem referat non in dationem existentiæ ipsi formæ, provenientem à generante, sed in productionem aliunde, nonnisi ad exigentiam dispositionum, sed hôc etiam positô, non posset ostendere Pontius, quodnam sit productivum immediatum substantiarum, non dando accidentibus vim immediatè producendi substantias.

Secunda Experientia est de igne producto in remoto ligno, quæ jam suprà posita.

Tertia Experientia est, In generatione ranæ, & aliorum ex putri, nulla potest ostendi substantia, quæ immediatè influat, quia non est substantiâ alius ranæ vel vermis, ut clarum est, hôc enim ipsô non generantur ex putri, non etiam ipse Deus immediatè influit, ut voluit Arriaga. Tum quia effectuum naturalium causas naturales assignare debemus, nec recurrere ad Deum, si nihil obstet; nihil autem obest accidentibus, tribuere vim producendi substantias, cùm id possibile esse, agnoscat ipse Arriag. Tum quia sequeretur, Deum specialem esse patrem ranarum, quod ipsum probatur. Ideò respectu Filii æterni, æternus Pater Pater est, quia respectu Filii nullum aliud principium substantiale generativum concurrit, & ipsa ejus productio, nativitas est, eô quod nativitas sit generatio viventium, hoc autem totum verificaretur de genitis ex putri. Ut robur hujus argumenti pensetur, inquirendum est; quæ nam sit causa genitorum ex putri, eaque principalis?

Respondent aliqui: Genitorum ex putri, causam principalem esse speciem & naturam ranarum totam.

Contra erit, quia species ranarum, vel est ratio abstracta, ut sic ranarum, & hæc utpotè formalitas Metaphysica, non potest habere rationem causæ Physicæ; vel est non aliud, quàm omnes individuæ ranæ convenientes in prædicato ranæ. Ergò si species, seu omnia individua, sunt causa illius ranæ, etiam illa rana genita, utpotè aliquod individuum, erit causa sui ipsius.

Respondent alii. Causam principalem genitorum ex putri, esse aliquod individuum indeterminatum, possibiliter præexistens. Unde prima rana habebat causam principalem aliam, quæ possibiliter præextitisset, & hæc aliam, si producta fuisset: & quia infinitæ sunt, non deveniretur, quin alia aliam causam principalem habere possit; quamvis autem rei indeterminatæ & non existenti, non debeat tribui effectio rei determinatæ, si in aliquo sui non existat, secùs tamen si existat in aliquo sui, nempè in vicariis accidentibus, nec frustra dabitur ei virtus, quod nunquam existet, quia dantur etiam gratiæ sufficientes ad meritum, quod existere posset, nunquam extiturum est. Nec sequetur, quod nullæ sint dandæ causæ æquivocæ, si etiam ex putri genito habeant suam causam principalem, verè enim adhuc erit causa æquivoca Deus, respectu creaturarum, lux respectu caloris, materia respectu formæ.

Contra erit. Tum quia accipio, omnes ranas possibiles, & de singulis simul tamen, nullâ exceptâ, quæro, an singulæ habeant causam aliam, & aliam ranam præexistentem possibiliter, si non habent, non respondes ad difficultatem, universaliter enim quæritur; Si habent, contrà erit, in tota collectione entium ab alio devenire est ad unum, quod non est ab alio, ut noscitur, dum demonstratur Dei existentia. Ergò & in tota possibilitate ranarum præexistentium ab alio, devenire erit ad unam, quæ non sit ab alia rana possibiliter præexistente. Tum quia accipimus ranam B. genitam, virtus illius productiva sunt accidentia, quæ ipsa vel determinat sibi individuum, vel non determinat: si determinat, Ergò immeritò causa istorum dicitur aliquod indeterminatum individuum; si non determinat, hoc ipsum improbabilissimum est, quomodo determinata causatio, non sit determinati causantis, sicut determinata scriptio, determinat sibi calamum. Tum quia respectu intellectûs Divini non datur individuum vagum, circa objectum habens actionem determinatam; videbit ergò Deus ranam, cui illa virtus debeatur.

Respondent alii. Quod genitorum ex putri; nulla sit causa principalis univoca, sed causam æquivocam esse Deum, Solem, &c. Neq; inde sequitur, esse ranas specialiter filios Dei, vel natas ex Deo, non enim producuntur in similitudinem naturæ; nec dicendum est, respectu illarum Deum æquè se habere, ac respectu hu-

manitatis Christi, quia respectu illius supplevit concursum Patris, respectu autem ranarum nihil supplet, quia illud suppleri dicitur, quod est, vel fuit, vel erit. Hinc non supplet Magister vices alius professoris, qui nec est, nec fuit, nec erit, influxus autem causæ univocæ, erga ranas nec est, nec fuit, nec erit, eò quòd nec ratio, nec experientia, tribuat illis vim generandi sibi simile. Unde, quia videmus generari ignem ab alio igne, si non ab igne, vel virtute ignis generetur ignis de novo, tunc supplet DEUS causalitatem ignis, estq; specialis illius causa: & licèt ad DEUM recurrere, non sit Philosophicum, si alia causa assignari possit, jam autem causa univoca nulla potest assignari genitorum ex putri, hinc ad Solem & ad DEUM, tanquam auctorem naturæ, recurrendum erit, cùm hoc tamen stat, ut debeat virtus agendi tribui immediata, respectu substantiarum accidentibus.

CONFIRMATUR Conclusio, quando videmus duo concurrere, & duobus illis positis poni effectum, non positis non poni, cæteraque sunt paria, benè arguimus, utrumq; illud esse causam, sed positò igne cum suo calore, videmus poni alium ignem, non positò non poni, & cætera sunt paria; præcipuè in hôc, quia videmus solum calorem immediatè passo conjunctum, sine conjunctione immediata ignis, alium ignem producere. Rursùs pone impediri ignem, ne producat in se calorem, vel adhuc poterit naturaliter producere ignem, vel non poterit: si non poterit, præsumptio est, quòd etiam calor illius concurrat, sicut cùm videmus unum equum pondus non trahere solum, trahere cum alio, præsumimus utrumq; trahere: si autem poterit causare alium ignem, contra erit, non potest sine prævio calore passi, quidquam igniri. Ergò nec ignietur sine calore agentis.

Punctum Difficultatis 2.

Solutio Objectionum.

OBJICIT PRIMÒ recentior Suar. paritates aliquas.

PRIMA PARITAS est; sola substantia potest immediatè recipere aliam substantiam, ergò & sola potest immediatè aliam producere.

RESPOND. Negando Antec. concessimus enim competere id quantitati. Disparitas etiam in hôc est, quia materia non recipit ubi non est, nec causat, nisi intimè unita: agens autem agit, etiam ubi præsens, quoad substantiam non est, sed in aliquo nonnisi sui, quod aliquid illius, non est aliud, nisi accidentia.

SECUNDA PARITAS. Unum accidens potest immediatè producere aliud, ergò & substantia aliam substantiam.

RESPOND. eadem quâ suprà disparitate nempe quia nullibi agit, accidens nisi ubi est, non debuit ergò habere vicariam virtutem; jam autem substantia agit, ubi non est, debuit ergò illi provideri vicarium accidens.

TERTIA DISPARITAS posset esse, Virtus productiva entis spiritualis, debet esse spiritualis, ergò & productiva immediatè substantiæ, debet esse substantia.

RESPOND. vi ejusdem medii termini probari posse, quòd substantia non possit producere accidens, quia si productivum entis spiritualis debet esse spirituale, etiam productivum accidentis, deberet esse accidens. Quodsi dicas, non esse licitum argumentari ab exigentia unius effectûs, respectivè ad suam causam, ad exigentiam alius effectûs, idem nos in præsenti dicemus. Quoad disparitatem attinet, vel antecedens procedit de substantia spirituali, & sic clarum est, debere spirituale illius esse principium, nam substantia spiritualis, non potest aliter produci, nisi virtute creativâ, virtus autem creativa connaturaliter non potest tribui, nisi DEO, qui spiritualis est; Si verò nomine entis spiritualis veniant operationes spirituales immanentes, illæ etiam debent esse à principio spirituali, quia à principio ab intrinseco operante. Materiale autem non est ab intrinseco operativum spiritualium, extraheretur enim extra suam latitudinem tunc materiale principium, sicut extraheretur, oculus si produceret auditionem. Si verò nomine entis spiritualis veniant alia accidentia, illa etiam non possunt produci ab ente materiali, quia si res materialis produceret rem spiritualem, singulæ illius partes producerent totam rem spiritualem, cùm illa carens partibus, per partes produci non possit, consequenter darentur plures causæ adæquatæ unius rei, in eodem genere, quod naturaliter fieri non potest.

Sed in adferenda hac disparitate commodiùs recurretur ad rationem Conclusionis, quia nec per rationem, nec per experientiam, constat, dari aliquam virtutem materialem, quæ suppleat connaturaliter defectum productivi spiritualis, & ratione autem & experientiâ constat, debuisse provideri à natura vim suppletivam substantiarum.

Procedit item argumentatio à faciliori ad difficilius viâ affirmationis, nam difficilius est, ut res materialis producat rem spiritualem, à quâ illa & gradu spiritualitatis, & genere entis distat, quàm ut producat substantiam accidens materiale, quod à substantia, nonnisi genere entis discernitur.

ADDO, materiale illud productivum rei spiritualis, vel esset substantia, vel accidens: Non substantia, quia substantia, unius substantiæ, non est vicaria: hinc jam propriâ virtute, deberet rem spiritualem producere, & tamen hoc non posset,

posset, utpotè rem perfectiorem gradu; Non etiam illud materiale productivum posset esse accidens, quia deberet in virtute substantiæ spiritualis producere, virtutes autem suis principalibus, saltem in gradu, deberet proportionari.

Objicit Secundò idem. Quando accidentia producerent substantiam, vel producerent illam se solis, aut simul, cum immediato concursu substantiæ non se solis, quia accidens, cùm sit longè ignobilius substantiâ, non continet in se virtute substantiam; quodsi accidentia producunt substantiam, cum immediato alius substantiæ concursu, superfluus erit concursus accidentium, potiusque concursui substantiæ, tribuetur illa productio.

Respondetur. Hæc propositio: causa virtute continet effectum, nihil in re plus sonat, quàm quod possit producere effectum: hinc quando assumet Svar. pro probatione; Accidens non continet virtute substantiam, nihil probat, sensus enim rationis est, quòd non possint accidentia causare substantiam, quod ipsum probandum est, sufficietque ad maximum, quòd causa principalis virtute contineat effectum, licèt illum non contineat instrumentalis.

Directè autem ad medium terminum dici potest, quod accidentia interdum simul producant cum substantia, interdum se sola substantiam, ut fit in generatione posthumi. Casu autem, quò utrunque hoc principium concurrat, non erit concursus superfluus accidentis, quia concursus causæ instrumentalis, agente principali, non est superfluus. Nec tribuetur soli substantiæ productio, cum etiam accidentia in illorum absentia producant substantiam, quod ostendit inesse illis vim causandi. Illustrari hoc posset ex communiori Philosophia, ductâ instantiâ, species impressæ provisæ sunt à natura, quia interdum objectum est improportionatum, & interdum absens, sic etiam provisa sunt etiam substantiis accidentia, tanquam instrumenta, ut quoniam interdum est substantia absens, & unire se non potest passo, mediis accidentibus agat. Porrò hæ species impressæ interdum concurrunt in præsentia & existentia objecti, ut dum videndo Petrum, intelligo Petrum, neq; tamen ex hoc supervacaneè natura providit de speciebus intellectui; sic cùm in præsentia substantiæ agunt, tanquam instrumenta, accidentia non supervacaneè à natura censenda sunt esse provisa.

Instabis: emanatio caloris non fit per aliquid intermedium, ergò nec productio alius substantiæ.

Respond. disparitatem esse, quia hæc emanatio non potest esse, nisi conjunctim in præsentia ipsius substantiæ; generatio autem alius substantiæ, hinc ad emanationem non debuerunt à natura provideri instrumenta.

Objicit Tertiò Arriag. Magis est proportionata substantia ignis cum altera substantia ignis, quàm calor igni. Ergò potiori jure producit alium ignem, quàm calor.

Respond. Si ly: potiori jure, supponat, pro principaliter, Concedo totum: proportio etiam illa fundat nonnisi rationem causæ principalis, non autem excludet rationem causæ instrumentalis.

Instari Posset Primò. Actio immediata denegatur substantiis in substantias, vel propter ejus perfectionem, vel propter imperfectionem: si propter imperfectionem, cum accidens sit imperfectius substantiâ, non poterit ei perfectior causalitas convenire; si etiam propter imperfectionem, tunc immediata actio DEO tribui non deberet.

Respond. Negando Minorem. Non enim propterea negatur concursus immediatus substantiis, in substantiarum productione, sed ob rationes alias prætactas. De objecto autem ipso discurrendo; an concursus effectivus immediatus, sit perfectior, an imperfectior, de hoc dici possit: Quod si sit immediatus concursus ex defectu, non erit tunc immediatus concursus perfectio; Et sic non erit perfectio in Deo, per seipsum nonnisi facere miracula, si hanc vim, cæteroqui communicabilem creaturis, dispensare non posset. Et in moralibus non posse habere famulos ignobile censetur; Quod si sit immediatus concursus ob excellentiam principalis, determinantis sibi nonnisi modum immediatè concurrendi, ut Deus qui nonnisi immediatè cum creaturis ad agendum concurrit, talis immediatio concursus, perfectionem adferet. Hinc ulteriùs dici potest quòd negatio immediati concursus substantiarum ad alias producendas substantias, sit quædam perfectio, quia proficiscitur, ex vi, subordinandi sibi alia.

Instat Secundò Arriaga. Causa debet continere formaliter vel eminenter effectum. Accidens nullo modo ex his præcontinet substantiam; non formaliter; quia non est formaliter substantia; non eminenter, quia non est perfectior.

Respond. Majorem esse veram de sola causa principali, non autem de Instrumentali.

Instat Tertiò Oviedo: Operari accidens in virtute substantiæ, est operari cum substantia immediatè operante, vel est operari tantùm per suam entitatem: Non primum, quia jam substantia esset immediatè operativa; Non secundum, quia accidens, est imperfectius substantia.

Respond. Operari accidens in virtute substantiæ, est esse accidens à natura provisum, ut loco substantiæ etiam absentis, operari possit, nec imperfectio entitativa officit ad hoc. Quando autem idem urget, quod in generatione animalium ex putri non sit ulla substantia, in virtute cujus illa animalia producantur, conse-

quenter quòd nec illa accidentia concurrere in virtute alîus ſubſtantiæ poſſint, id etiam non convincit. Quia licèt illa accidentia non concurrant in virtute à ſe diſtincta, quam mendicent accidentia à ſubſtantiis aliquibus, univocè ſe habentibus, ad nata ex putri, ſed concurrunt in virtute ſubſtantiæ, hoc eſt, prout à natura proviſæ, ſeu potius DEO auctore naturæ, in bonum producendarum illarum ſubſtantiarum.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Solutio.

OBJICI POTEST QUARTÒ. Admittimus in productione ignis duas cauſas; principalem, hoc eſt ſubſtantiam ignis generantis, & inſtrumentalem, hoc eſt accidentia, quo poſito ſic inſtituitur argumentum. Agentibus accidentibus, vel agit ſubſtantia tanquam cauſa principalis, vel non agit: Si non agit, Ergò totalis cauſa generationis alîus ignis, erit ſolum accidens, Ergò ulterius cauſa illa principalis, non eſt cauſa, cum nulla illi tribuatur actio: ſi autem agit, ergo in abſentia cauſæ principalis, cùm deſit ejus influxus, æquè ad DEUM recurri debet, quod ut evitaretur, vis accidentibus à nobis attributa eſt, producendi ſubſtantias. Rurſus ſi cauſa principalis etiam pro ſua parte agit, agit in illo genere cauſandi principaliter, vel immediatè, vel mediatè: ſi immediatè, ergo immerito negamus ſubſtantias immediatè agere; ſi mediate, deberet agere mediantibus accidentibus, agere autem mediantibus accidentibus in genere cauſandi principaliter non poteſt, quia aliàs illis non tantùm ratio agendi inſtrumentalis, ſed etiam principalis tribueretur, quod abſurdum eſt.

RESPONDETUR PRIMÒ, invertendo hoc argumentum de quocunque agente principali, comparatè ad ſuum inſtrumentum, ſic v. g. quando Deus media gratia tanquã inſtrumento juſtificat hominem, vel agit in illa juſtificatione præter id, quod eſt uti illa gratia tanquam inſtrumento, vel non agit: ſi non agit, Ergò non eſt cauſa principalis noſtræ juſtificationis: contra Trident.; ſi autem agit, vel hoc facit immediatè, vel mediatè: ſi immediatè, ergò immeritò dicimus mediante nonniſi gratia juſtificari nos, ſi autem agit tunc DEUS mediatè, Ergò mediante gratia, exinde autem ſequitur gratiam non fore inſtrumentum juſtificationis, ſed cauſam principalem. Idem proponi poteſt de fabro, ſerrâ, tanquam inſtrumento utente.

RESPONDETUR, deinde Cauſam principalem agere tunc modo ſibi proportionato agendi, cauſæq; principali debito, qui eſt, uti inſtrumento ut agat, & hic eſt ipſius influxus, ſicut actio fabri in raſuras, eſt uſus ſerræ à fabro, licèt cum diſparitate, quia ſerra eſt inſtrumentum conjunctum, adeoq; non movet niſi motum: jam autem accidentia ſunt inſtrumentum ſeparatum, quod movere poteſt non motum immediatè à principali. Cujus ulterior ratio eſt, quia ſerra eſt inſtrumentum ab extrinſeco, calor autem eſt inſtrumentum ab intrinſeco & ex natura ſua. In hôc fallitur imaginatio argumenti, quia putat debere eſſe condiſtinctam ſemper actionem principalis & inſtrumenti, quod non requiritur, nam ſi poteſt eſſe eadem actio Creaturæ & DEI, cur non & eadem inſtrumenti cum principali, ſi ſit inſtrumentum non conjunctum. Quare autem in inſtrumento conjuncto, requiratur alia actio principalis, ratio eſt. Quia de ratione conjuncti inſtrumenti eſt, ut nonniſi motum moveat, jam autem non motum moveret, ſi nulla interveniret actio principalis, quia autem accidentia, ſunt inſtrumentum ſeparatum, poſſunt non mota movere, adeoq; non requirere cauſalitatem principalis, condiſtinctam à cauſalitate inſtrumentalis, præcipuè autem, quia actio inſtrumenti ſeparati, imputatur nonniſi principali, imputatione non ſolùm morali, ſed fundatâ, in providentia facta ſubſtantiis, à natura, conferente illis inſtrumenta in bonũ productionis, aliarum ſubſtantiarũ. Hinc in generatione ex putri, nullus ſuppletur defectus cauſæ principalis, quia illic nulla intervenit cauſa principalis univoca, & poſito, quod ſit aliqua, ex eo ſuppleri diceretur, quia ſuppleretur ille uſus inſtrumenti, qui debetur cauſæ principali, hic ſuppleri non indiget, quia cùm illa accidentia ſint inſtrumentum ſeparatum, poterunt agere non mota immediatè à ſubſtantia, idq; ideò, quia ſunt inſtrumenta non conjuncta, quibus eſt à natura tributa vis, ut etiam in abſentia ſubſtantiæ, in ſimilitudinem ſubſtantiæ operentur: Non ergo in abſentia ſubſtantiæ à DEO ſuppletur ullus defectus. Et etiamſi cauſa principalis mediantibus accidentibus exerceat ſuam cauſalitatem, non ſequetur ſola accidentia eſſe cauſam, quia duarum cauſarum, ut dixi, poteſt eſſe cauſalitas eadem, quod magis procedit de cauſa principali, comparata ad inſtrumentalem, cùm agere per inſtrumentum immediatè, ſit agere in aliquo ſui, nec unquam derivabitur in cauſam inſtrumentalem ratio cauſæ principalis, quia non providetur cauſa principalis in bonum inſtrumenti, ut agat ubi non eſt inſtrumentum, ſed è converſo.

INSTAT PRIMÒ Maſtrius. Perfectior eſt influxus cauſæ principalis, quàm inſtrumentalis, ſicut cauſa principalis, eſt perfectior inſtrumentali. Ergo idem ſimpliciter influxus, erit perfectior & imperfectior.

RESPONDETUR, totam majoritatem, perfectionis influxus cauſæ principalis, in hôc ſtare, quia hoc ipſum, quod poſſit in ſubſtantiam influere, accidens habet ſibi communicatum à ſubſtantia, cujus nomine agit; ſed hoc poteſt ſtare cum hoc, ut eadem ſit actio cauſæ principalis & inſtrumentariæ ſeparatim agente, & ſicut perfectior eſt influxus DEI in operationem creaturæ,

turæ, quàm ipsius creaturæ, hôc tamen non obstante, eâdem actione agunt Deus & creatura, ita & in præsenti.

Instat Secundò. Potest agere calor destructô igne, Ergò ille influxus non erit causæ principalis, sed nonnisi instrumentalis.

Respondetur, illum influxum fore causæ principalis, non moventis quidem se motu suæ entitatis, moventis tamen se in aliquo sui, hoc est instrumento.

Instat Tertiò. Unicuique quod se habet, ut Quod agens, respondet, ut Quo agens. Ergò si ignis solùm agit per calorem, ut per virtutem propriam, & hæc virtus est solùm instrumentalis, hinc principalis causa in tantùm aget, in quantùm est causa causæ, quatenus scilicet producit accidens, quod postea producit substantiam.

Respondetur. Concurrens Deus cum creatura, est agens, ut Quod, nunquidnè actio illius est distincta ab actione creaturæ realiter? agit ergò & hic causa principalis, non actione conditinctâ realiter, ab actione causæ instrumentalis, sed illâ ipsâ à se pendente, agitque ut causæ causa, non quomodocunque, sicut pater est causa filii, qui postea evadit pater, sed ut causa causæ, quæ cùm sit ignobilior effectu, ordinatur à natura, ut suppleat absentiam causæ principalis, ejusque nomine agat.

Instat Quartò. Illud est principium agendi actualiter, in quo passum formaliter assimilatur agenti, si est productio univoca, sed passum assimilatur in forma substantiali, non accidentali. Ergò.

Respondetur, illud est principium agendi actualiter, per modum causæ principalis, in quo passum assimilatur, licèt principio agendi instrumentaliter non debeat assimilari passum, sed suo principali. Accidens insuper, est causa æquivoca substantiæ.

Instat Quintò. Exinde sequi, quod non daretur aliquod accidens naturale, quod dicatur instrumentum conjunctum in causalitate, sed quodlibet esset instrumentum separatum.

Respondetur. Datis separatis virtutibus instrumentalibus, dantur adhuc virtutes conjunctæ, qualis virtus est species objecti transmissa per medium, quæ nonnisi conjuncta agit, lux item nonnisi conjuncta illuminat.

Quando autem videtur contentari Mastrius, si ponatur accidentis in substantiam concursus partialis, id ei concedi posset, modo non exigat concursum distinctum ab actione causæ instrumentalis, sicut non est distinctus concursus DEI & creaturæ, licèt hæc non in omnibus sint paria.

Objicit Quintò Pontius. Implicat quod ab imperfectiori possit immediatè produci perfectius, tanquam à causa totali.

Respond. Negando causam instrumentalem esse causam totalem, hôc ipso enim, quia instrumentalis causa est, supponit aliam, hoc est causam principalem. Jam autem accidentia, sunt causa instrumentalis.

Universaliter nonnisi eorum effectuum, causa debet esse æquè perfecta, quando effectus assimilatur causæ, & ratio est, quia si causa, quæ sibi assimilat effectum, non esset æquè perfecta, & assimilaret sibi effectum, & non assimilaret: assimilaret ut supponitur, non assimilaret autem, quia hæc similitudo fundatur in unitate convenientiæ substantiarum. Quodsi causa non esset æquè perfecta, quomodo haberet unitatem convenientiæ substantialis cum effectu?

Sed quid si effectus dissimiletur causæ, arguendumne quod causa sit æquè perfecta, vel perfectior effectu. Hæc dissimilatio potest esse, vel per excessum, vel per defectum: nam æqualitas dissimilitudinem in eo genere, in quo est æqualitas, non fundat: dissimilatio effectûs per excessum est, cùm accidens producit substantiam: dissimilatio effectûs per defectum est cum v. g. Deus producit hominem, ignis calorem: quando est dissimilatio effectûs per defectum, præsupponitur semper perfectio major in causa, hocq; probat inductio, v. g. in Deo producente hominem, igne calorem, sole lucem &c. & ratio est, quia si non esset causa perfectior præ defectu dissimilato per defectum, & esset dissimilatus effectus per defectum, ut supponitur, & non esset dissimilatus per defectum, quia defectus est, per ordinem ad excessum. Ergò si excessus non est in causa, quomodo illi per defectum dissimilatur effectus, si autem sit dissimilatio per excessum, tunc causa debet esse ignobilior, quod ipsum etiam ostendit inductio: nam ignobilior est entitas naturalis intellectus, præ supernaturali dignitate in visione inclusa, ignobilior species est materialis, præ specie impressa spirituali, quam etiam suo modo causat, & sic de reliquis: & ratio est, quia excessus effectus præ causa, salvari non posset, sine defectibilitate causæ, nihil enim esset quod excederetur.

Instabis Primò. Ex eodem, quia accidentia illa censerentur, ideò agere in virtute substantiæ, quia sunt virtus substantiæ, hoc autem non salvat, ut dicantur agere in virtute substantiæ: Tum quia est impropria locutio agere in virtute substantiæ, quod est virtus substantiæ: Tum quia, ex hoc, quod accidens sit virtus substantiæ, non sequitur, quod sit æquè perfecta, aut perfectior præ substantia producenda.

Respond. Negando minorem: parum etiam refert de proprietate locutionis, modò de re constet, quanquam est propria locutio agere in virtute intransitiva substantiæ, & esse virtutem substantiæ: sicut idem est in virtute artis hoc agitur, & virtus hoc est artis, non de-

bet etiam esse instrumentalis causa, æquè perfecta ac effectus producendus.

Instabis Secundò. Accidens ex natura sua habet esse virtutem substantiæ. Ergò ex natura & virtute sua habebit producere substantiam.

Respond. In hoc sensu accidens ex natura sua & virtute habet, ut producat substantiam, hoc est, non per superadditam aliquam virtutem, sed non in hôc sensu, quod tanquam aliquid primò, & per se intendibile habeat collocatam illam virtutem. Sic malleus ex natura sua habet, quod non sit principalis causa, non tamen agit propriâ virtute.

Instat Tertiò. Ex eo, quia calor est virtus substantiæ, vel habet aliquam perfectionem, quam non haberet, si non esset virtus substantiæ, vel non habet: Si non habet, ergò per hoc quòd sit virtus substantiæ, non potest producere magis quàm si non esset; si habet, ergò ultra entitatem caloris, recipit aliquid aliud.

Respond. Habere calorem aliquam perfectionem, sed sibi identificatam realiter, poterat enim dari calor, qui nihil agere possit in absentia ignis, & ex altera parte, quia hoc calor non facit tanquam causa principalis, dicimus hoc illum facere, non propriâ virtute.

Objicit Sextò idem. Ex nostra sententia sequitur, quòd substantia non sit causa principalis alius substantiæ, non enim potest dici causa principalis à qua effectus immediatè non emanat nec sufficit quòd immediatè influat in accidentia, quæ postea influunt in substantiam, aliàs avus esset causa principalis nepotis, quia immediatè producit patrem ejus, qui postea generat.

Respond. Sufficere, ut immediatè in aliquo sui, causa influat in effectum, aliquid autem causæ principalis, sunt instrumenta nec verò propterea immediatè per nos causa influit, quia producit accidentia, sæpè enim illa non producit, ut v. g. si ignis ex attritu lignorum generetur, calorem illum non producit ignis, sed ideò immediatè influit, quia instrumenta sunt aliquid ipsius causæ principalis, hoc est, sunt à natura institutæ, ad vices supplendas illius.

Nec inde sequetur, avum esse causam principalem nepotis, quia Pater, qui generat nepotem avi, non est instrumentum à natura provisum avo, sed est primò, & per se intentus, respectu effectûs primò, & per se intenti, & sicut calor producendo alium calorem, non est causa instrumentalis ignis, ita nec pater est causa instrumentalis sui filii.

Neque ulteriùs inde sequetur, causam principalem, esse causam per accidens, hoc est, non primò & per se intentam, aut non operari per virtutem sibi à natura appropriatam, sed in hoc sensu est causa per accidens, quòd scilicet nonnisi mediante accidente, tanquam instrumento sibi proprio, efficiat substantiam sibi similem. Deinde rasuram ferri immediatè non facit faber, sed serra, & tamen indubiè, faber, est causa principalis. Ergò idem in præsenti salvari poterit, operante principali, immediatè, per suam virtutem, quæ immediatio, est debita operanti principali, per sua instrumenta.

Instabis Primò. Si Deus produceret solum calorem, & non concurreret ad calefactionem, esset causa nonnisi per accidens illius calefactionis. Ergò & agens principale, nonnisi per accidens erit causa, si immediatè nihil agit.

Respondeo: Disparitatem esse, quia ille calor à Deo productus, non esset instrumentum à natura Deo provisum, sicut calor, est instrumentum provisum à natura igni, idque ob defectibilitatem ipsius ignis, qui non potest semper esse vicinus passo, in quo perficitur effectio substantiæ ignis, immò nec se, primo insinuare, nisi mediô calore, consequenter ille calor, non censebitur agere virtute & nomine Dei; calor autem à Natura est provisus tanquam instrumentum, agitque nomine illius.

Instat Secundo Idem. Ex nullo capite accidentia illa, si causant immediatè substantiam, excludi possunt à ratione causæ principalis, non enim ex eo, quia accipiunt entitatem à substantia, & insuper immediatè agunt, non accipientes aliquam virtutem à substantia ad agendum.

Respond. Argumentum probare, quod gratia non sit instrumentum Dei ad nos justificandos, cùm immediatè agat, & non accipit ullam virtutem à Deo ad justificandum, à se distinctam. Quare autem accidentia non sunt causa principalis, ex definitione petendum est, quia scilicet non primo per se intenduntur; & licèt non accipiant à substantia virtutem condistinctam à se, ad agendum substantiam, accipiunt tamen virtutem indistinctam, & sibi identificatam, eò quod sint entitativè virtus substantiæ; & si accipere à substantia aliquid condistinctum, ad operandum substantiam, faceret non esse accidentia virtutem principalem, multo magis si sint accidentia, entitativè virtus substantiæ, non erunt etiam causa principalis.

Instab. Tertiò. Calor ut quatuor non potest producere calorem ut quinque. Ergò neque producere potest substantiam.

Respond. Disparitatem esse, quia calor ut 4. respectu alius caloris, non est causa instrumentalis, hinc excedentem se effectum non potest operari, jam autem respectu substantiæ, accidens, est nonnisi causa instrumentalis, consequenter nomine substantiæ operando, plus poterit. Sed hinc

Objicitur Septimo. Causa principalis debet esse ad minimum, ita perfecta, ac effectus producendus. Ergo & causa instrumentalis, & si prior illa non potest producere effectum se nobiliorem, nec posterior poterit.

Repond.

RESPOND. Disparitatem esse, quia causa principalis vel assimilat sibi effectum vel dissimilat, per defectum, in ipso effectu reperibilem, quod priùs, æqualitatem, posteriùs, excessum perfectionis in causa deposcit; jam autem causa instrumentalis non est nata per se, vel effectum sibi æqualem producere, vel perfectiorem, in quantum agit tanquam instrumentum.

INSTABIS PRIMÒ. Saltem accidentia respectu genitorum ex putri, si cæteroqui respectu illorum sunt causa immediata, etiam erunt causa principalis respectu eorum.

RESPONSUM suprà, quod non. Hoc tantùm addo, DEUM cognoscere naturam ranæ, & omnia illarum individua possibilia, agnoscit etiam, naturam ranæ non deposcere, ut sese natura illius multiplicet, multiplicatione perfectis animalibus debitâ, ne tamen hæc natura pereat, dat illi virtutes accidentales, ad beneficium multiplicationis. Unde per ordinem ad nostros conceptus principalis causa productionis ranarum est natura illarum, cognita à DEO potens multiplicari mediis illis virtutibus accidentalibus, in re autem non datur causa illarum principalis univoca, sed, ut dixi suprà, principalis æquivoca.

INSTABIS SECUNDÒ. Saltem ex dictis sequitur, in ratione agendi, esse quid nobilius accidentia illa, præ substantia agente principaliter; nam agens principale, non potest suprà vires suas agere, nec producere perfectiorem se effectum, potest accidens.

RESPONDETUR. Negando Sequel. Nam etiam rigorosè loquendo, accidens tunc non agit supra vires suas, cùm vires illius sint in bonum principalis, producere perfectiorem effectum se simpliciter & entitativè accepto, sed non se nato perfectiori, assimilare effectum. Sed quidquid sit de hoc, aliter eidem argumento satisfit: nam hic titulus; quia natura in agendo subordinavit accidentia principali, cùm nonnisi ad illius exigentiam, & illius exigentiæ perfectionem tribuatur hæc illis vis, ideò semper retinent titulum nobiliorem causæ principalis, cùm hanc ipsam vim, debeant principali, instrumenta.

ADDO autem, accidentia non ipsius agentis, sed passi esse productiva substantiæ. Ratio: quia sæpè agens, non est, nec accidentia agentis, & tamen fit generatio; quamvis autem non sint in ipso agente, dicuntur virtus agentis, quia sunt instrumentum non conjunctum illius, per hoc tamen non nego, quòd accidentia agentis, cùm agens agit immediatè, producant accidentia in passo, & accidentia habent munus & disponere materiam & esse virtus agentis, nec inde sequetur, quòd agant virtute passi, virtute enim ejus agunt, cui sunt tanquam virtus à natura provisa, provisa autem sunt, agenti.

DIFFICULTAS III.

De causa efficiente accidentium,

ASSERO PRIMÒ. *Substantias immediatè emanare ex se aliqua accidentia.*

RATIO. Quia aqua calefacta reducit se ad pristinum accidentale debitum sibi frigus, cujus frigiditatis, nullum aliud præter substantiam aquæ, potest assignari principium.

DICES PRIMÒ, Posse hoc referri in ipsum agens productivum aquæ, quia qui dat esse, dat consequentia ad esse.

RESPONDETUR, ea, quæ consequuntur, idque immediatè primum productionem rei, posse ipsi producenti tribui, non tamen ea, quæ benè post contingunt, quia illa eveniunt, quamvis jam non sit in rerum natura illud productivum, sed ad illud proloquium salvandum, sufficit, quòd illa consequentia esse, imputentur ipsi producenti, utpotè fundata in ipso esse, quod tribuitur producenti; jam autem causa causæ, est causa causati.

DICES SECUNDÒ. Quamvis aquæ sit passio, frigus, tamen illius emanatio, potest non tribui aquæ; quod ipsum probatur, quia ad gratiam sanctificantem habent se reliquæ virtutes & habitus, sicut passiones, & tamen immediatè à DEO producuntur.

RESPOND. Cùm sine gratia maneant habitus fidei & spei, supponendum est prævisam esse talẽ gratiam, quæ non sit horum habituum emanativa de se, quia aliàs nonnisi miraculosè conservari deberent illi habitus in peccatore, utpotè consistentes, sine sui causa, nempè gratia emanante. Unde DEUS defectum causæ in illorum conservatione supplere deberet, consequenter miraculum tunc fieret; ne itaq; multiplicarentur miracula, debuit dari hæc species gratiæ, quæ nec emanaret, nec conservaret illos habitus, arbitrariumq; diceret aliquis, tribuere gratiæ vim emanandi, non tamen conservandi illos habitus, sicut ignis calorem producit, non conservat, nam datur quidem exemplum in natura, ut effectivè producta ab aliis, ab alio conserventur, sicut calor in extraneo subjecto productus, ab igne, sed non datur exemplum, ut emanativè producta, ab alio principio conserventur, aliàs deprimeretur etiam miraculum Eucharisticum, dicendo illa accidentia, non habuisse dependentiam in conservari à pane. Cæteros autem habitus, intimiùs connexos gratiæ, & qui nunquam sine illa reperiuntur, nego emanativè, non produci à gratia. Alia etiam hæc disparitas assignari posset, quòd nullum sit absurdum in effectione supernaturalium recurrere ad Deum, est autem absurdum in effectione naturalium, recurrere ad eundem, si causa alia ostendi possit. De Antecedenti vide de Fide D. 5. Q. 1. D. 3. P. 3.

ASSERO SECUNDÒ. *Quando in extraneo subjecto producuntur accidentia, respectu illorum causa*

causa principalis, sunt accidentia similia. Est assertum contra recentiorem Suar.

Ratio. Non est major ratio, cur substantia, respectu substantiæ, possit esse causa principalis, & non accidentia respectu accidentium sibi similium; suppositoque, quòd definitivè causa instrumentalis, sit causa subordinata alteri, non poterit ostendi, cur accidentia in productione aliorum accidentium subordinentur substantiis: & sicut quòd accidens, sit entis ens, supponit accidens prius in se esse ens: ita quod subordinatur in operando alteri, supponit illud posse operari simpliciter, non posset autem simpliciter operari, si respectu accidentium Accidens non foret causa simpliciter, seu principalis; & sicut servus habet aliqua opera, quorum Dominus est, ita & causa instrumentalis habebit opera, respectu quorum principalis munus, gerere poterit.

Dices Primò. cum recentiori Suar. Instrumentum est, quod alteri subordinatur in operando, & agit ut Quo, accidens autem subordinatur substantiæ in operando, quia subordinatur, etiam in essendo.

Respond. Majorem esse subordinationem Creaturæ ad DEUM, quàm accidentis ad substantiam, cùm hoc tamen stat, ut respectu effectuum suorum naturalium, sint causæ principales, substantiæ; ita & in præsenti, subordinatio, non tollet, quo minùs accidentia sint causa principalis respectu accidentium. Sola ergò subordinatio, quæ facit non per se aliquid intendi, & in aliquibus subordinatio non assimilandi sibi effectum, arguit, non esse aliquid principale agens.

Dices Secundò, cum eodem, Accidentia agunt ut Quô, causa autem principalis debet agere ut Quod, quòd autem agant ut Quo, inde probat, quia agere ut Quod, est agere suppositorum, per se subsistentium, quod accidentibus non convenit.

Respondetur. Agere ut Quod substantialiter, & per modum subjecti denominationis, est agere substantiarum, unde etiam dicitur in proprietate aqua extinguere ignem, non ejus humiditas & frigus; sed agere ut Quod tanquam principii, à quo procedit actio, nego, quòd sit, nonnisi substantiarum.

Dices Tertiò cum eodem. Quamvis bonum accidentis, sit, producere aliud accidens, est tamen bonum, quod ultimo refunditur in bonum substantiæ.

Respondetur. Productionem accidentis refundi in bonum substantiæ, tanquam in subjectum denominationis, sed non tanquam in principium per se intentum.

Assero Tertiò. *Si ignis spoliaretur omni calore divinitus, non posset connaturaliter producere in subjecto extraneo calorem.*

Ratio. Tum quia ageret in distans, quomodo enim uniretur extraneo subjecto, neque enim transmissione actionis, quæ est modus, vel non sine modo, uniri potest, ob illius essentialem connexionem cum modificato, respuente mutare subjectum. Et certè sine virtute agendi sibi à natura provisa, nihil agere potest, calor autem, ut suprà vidimus, est virtus agendi igni provisa. Tum quia prius est esse aliquid in se, postea ad aliud, non esset autem priùs in se, si non perficiendo se per calorem sibi debitum, progrederetur ignis ad calorem in alio producendum. Tum quia frustra jam igni emanandus esset ex se calor, si sine emanato, est proximum principium agendi; sicut frustra sunt distinctæ potentiæ ab anima, si sola est sufficiens principium suarum intellectionum.

DISPUTATIO VI.

DE EFFICIENTE INCREATO.

Præmitto I. *Dari efficiens increatum.* Demonstrat id Aristot. 12. Metaph. tex. 30. & secundo Metaphys. tex. 5. item 8. Physic. 1. tex. 34. quam demonstrationem, fusè proponit S. Thom. I. Contra gentes C. 13. & prima parte Q. 2. a. 2. Videantur dicta, in prima parte, ubi de Existentia DEI.

Præmitto II. *Efficiens increatum, operationum suarum ad intra, habere principia Intellectum, & Voluntatem; Operationum autem ad extra principium habet, quod appellatur Omnipotentia,* quam DEO esse concedendam, Ratio probat. Tum quia est perfectio simpliciter simplex, quam meliùs est habere DEUM, quàm non habere: Tum quia enti, à quo reliqua dependent possibilia, danda est virtus productiva possibilium, hæc autem virtus in DEO, Omnipotentia est: Tum quia, si non daretur ens productivum ex nihilo, nullum posset esse universum, ut suppono ex demonstratione de DEI existentia, & ex principio recepto: Ex nihilo, vel à nihilo nihil fit, Ergò debuit dari Principium, Entium productivum, ex nihilo: hoc autem non potest esse aliquid aliud, nisi Omnipotentia.

Præmitto III. *Hanc Omnipotentiam esse formaliter condistinctam ab ipsa voluntate, quâ aliquid vult fieri ad extra,* quidquid sentiant in oppositum Scotus, & cum eo Vasq. & Molina.

Ratio. Tum quia voluntas habet aliud objectum, hoc est bonum; Omnipotentia autem habet pro objecto, factibile: potentiæ autem

autem secundùm objecta distinguuntur. Tum quia circa res possibiles, sequeretur non dari omnipotentiam Divinam, quæ nunquàm exituræ sunt, quia infinitas ex illis, non vult Deus fieri ad extra, & si velle fieri ad extra, est esse omnipotentem, posse tantùm velle fieri aliquid ad extra, erit posse esse omnipotentem. Tum quia hîc loquimur non de identitate reali, sed in ordine ad nostrum intellectum; jam autem per rationem prius est velle, postea facere. Tum quia, si idem esset voluntas & omnipotentia, ad quod se extenderet voluntas, ad ea se extendere deberet etiam omnipotentia: sicut quia idem formaliter est homo, & animal rationale, ad quæ se extendere potest homo, ad ea se extendere potest etiam animal rationale; sed non ad quidquid se extendit voluntas, ad idem se extendere potest omnipotentia: nam voluntas extendit se etiam ad increata, ad quæ non se extendit omnipotentia.

Neque valet, si dicas, quod ad quidquid se extendit voluntas ad extra, ad illa se extendat etiam omnipotentia, non inquam valet, quia supra adlata probant, etiam voluntatem extendentem se ad extra, non idem esse formaliter cum omnipotentia: sicut etiam in creatis, non est idem applicatio executivæ, & ipsa executrix. Deinde eadem est formaliter voluntas in ratione voluntatis extendens se ad ea, quæ sunt intra, & ad ea, quæ sunt ad extra, licèt terminativè, differant: Sed omnipotentia est idem formaliter cum voluntate ad extra: Ergò idem etiam erit cum voluntate extendente se, ad ea, quæ sunt intra, propter principium illud: Quæ sunt eadem uni tertio &c. Deniq; hæc responsio solùm probat quòd concomitanter se ita habeant, non verò quòd sint idem formaliter; & sicut ex eo, quia nihil est volitum nisi cognitum, non rectè infertur: ista esse idem formaliter, sic nec in præsenti, quia quæcunq; DEUS vult, illa facit, licebit inferre, quòd ipsius velle, & omnipotentia, sint idem formaliter.

Dices I. In oppositum esse testimonia Patrum, quæ adfert recentior Suar.

Respondetur. Illa testimonia non plus velle, quàm ostendere energiam voluntatis, quâ scilicet, quidquid vult, possit etiam in actum ponere; non sicut nos, qui multa volumus, quæ non possumus facere.

Dices II. Perfectio voluntatis est posse quod vult. Ergò hoc posse tanquam perfectio, concedenda est voluntati Divinæ.

Respondetur. Perfectionem voluntatis esse, posse quod vult, hoc est, non deficere in potentia executiva volitionum, sed non esse perfectionem voluntatis, identificare sibi ipsum posse, identificatione formali.

Dices III. Impossibili potentia executiva condistincta formaliter, adhuc posito voluntatis imperio efficaci, fieret res decreta: Ergò apparet idem formaliter esse omnipotentiam & voluntatem.

Respondetur. Implicare id, quia & vellet tunc DEUS efficaciter; & non vellet efficaciter; vellet ut supponitur, nollet autem, quia velle efficaciter, est velle cum potentia faciendi, quæ supponitur tunc impossibilis; & aliunde non probatur identitas formalis, inter omnipotentiam & voluntatem.

QVÆSTIO I.

De Creatione.

Præmitto I. *Possibilem esse Creationem.*

Ratio. Tum quia nulla potest ostendi implicantia. Tum quia materia prima & anima rationalis, non possunt aliter produci nisi per creationem, cum non possint produci dependenter à subjecto, ut aliunde suppono. Tum quia, si non daretur creatio, impossibile esset Ens primum non à se: nam illud non posset poni ab aliis prioribus rebus creatis, hoc ipso enim non esset primum: Ergò deberet produci ex nihilo, adeoque creari.

Præmitto II. *Creationem quidditativè, esse productionem rei ex nihilo*; porrò ly *Ex nihilo* non debet capi pro sola non existentia, seu non esse, quia aliàs omnia, quæ de novo fiunt & generantur, crearentur; omnia enim fiunt ex nihilo; multò minùs ly *Ex nihilo* debet sumi pro rei, quæ constituitur, constitutivo; quasi scilicet, quæ fiunt, fiant ex nihilo tanquam constitutivo, quia aliâs, quæ fierent, non fierent, quia constituta ex nihilo, necessariò deberent esse nihil. Ly itaq; *Ex nihilo* secundùm Ansel. in Monol. accipi debet, quòd scilicet fiat ex nihilo subjecti, hoc est, non concurrente ad productionem illius, causâ materiali, & subjecto. Ubi signanter dico, Creationem fieri non concurrente causâ materiali, non verò, non concurrente materiâ, quia actus vitales spirituales, sivè naturalis, sivè supernaturalis ordinis, educuntur, non creantur, & tamen ad illorum esse non concurrit materia, sed causa non nisi materialis. Quamvis non negem, quòd creatio supponat rem non fuisse ante productam: hinc etiam replicatio creativa supponit rem toties non fuisse replicatam, quoties illam ponit replicatio.

Præmitto III. *Supereſſe difficultatem circa hanc definitionem*, quòd videatur competere æternæ generationi Verbi; nam competit illi esse productionem, competit etiam ei, quòd sit ex nihilo: nam etiam ad generationem Verbi causa materialis non concurrit.

Explicari Posset I. Ideò creationem Verbi, non esse productionem ex nihilo, quia illius non esse, non antecessit esse. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit, quia non implicat aliquid creari, & tamen ab æterno, adeoque ut non præcesserit non esse, ipsum esse.

Expli-

Explicari Posset II. Ideò productionem Verbi, non esse creationem, quia ne quidem capacitatem habet, ut producatur ex subjecto. *Hæc etiam Explicatio*

Non Satisfacit. Nam Angelus & anima rationalis, ne quidem capacitatem habent, ut producantur ex subjecto, & tamen verè creantur.

Explicari Posset III. Ideo productionem verbi non esse creationem, quia per ly *productio* intelligitur hîc causatio, verbum autem æternum non causatur. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit plenè, nam inprimis multi ex Patribus Græcis, causam Filii, dicunt esse Patrem, & tamen negant illum esse creaturam. Deinde negatur, quod nomine productionis veniat hîc causatio, cùm aliunde productio sit quid commune, ad creationem. *Hinc aliter*

Explicatur. Ideo productionem Verbi non esse ex nihilo, quia verbum est productum ex substantia Patris; Substantia autem Patris, non potest dici nihilum: Et sicut quando producitur aliquid, concurrente causâ subjectivâ & materiali, non producitur ex nihilo; ita quando producitur verbum, non producitur ex nihilo, quia producitur ex substantia Patris. Unde quando accipitur ly *Ex nihilo*, pro ly non concurrente aliquo tanquam causâ subjectivâ & materiali, accipitur tanquam aliquid notius; notior enim nobis est concursus causæ materialis, vel ejus defectus, præ produci, ex substantia. Rigorosè ergò loquendo, creario, est productio ex nihilo, hoc est non concurrente causâ materiali, vel aliquo alio non interveniente, quod salvet productum esse ex aliquo, & non ex nihilo: quale est produci ex substantia Patris. Et hoc est, quod respexêre Patres, quando contra Arrianos negarunt Filium productum: Ex non exstantibus.

DIFFICULTAS I.

De distinctione actionis Creativæ à re Creata.

DICENDUM EST I. *Creationem activam, non distingui à principio creante, realiter vel modaliter.* Procedit Conclusio de creatione appropriatè accepta, hoc est, positione rei, quæ antea non erat extra causas; idque sine concursu alicujus causæ creatæ: nomine autem creationis non appropriatè dictæ, venit actio illa, quâ Deus replicat res, vel conservat, sine concursu subjecti, cùm antea conservaretur cum concursu subjecti, & ante quem, sivè replicativum, sive conservativum concursum, jam supponebatur, habere, esse.

Probatur Primò Conclusio. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas hujus superaddendæ entitativè distinctæ creationis ab utroque termino.

Probatur Secundò. Possibile est creationem esse identificatam ipsi termino; id enim universaliter pronuntiat Oviedo de natura actionis hîc Cont. 12. p. 1. n. 7. & Cont. 13. p. 2. n. 10. quam creationem possumus appellare passivam: Ergò etiam possibile erit creationem activam, identificari principio creanti. Quod si potest identificari principio creanti, de facto est identificata: quia quod potest cum aliquo, multo magis cum Deo, esse idem realiter, jam necessariò idem erit.

Probatur Tertiò. Modi inventi sunt ad salvandum transitum ab uno contradictorio ad aliud contradictorium; sed hic transitus salvari potest, sine ulla entitate modali, quod probatur. Positâ dependentiâ effectûs à causa prima, tanquam producente effectum ex nihilo, sufficienter salvatur transitus, à non esse creantis, ad esse creantis actu: nihil enim plus intelligimus per creationem, quàm illius generis dependentiam. Sed positâ entitate effectûs, sine concursu alius causæ, salvabitur rranſitus à contradictorio ad contradictorium. Minor Probatur. Quod scilicet positâ Entitate effectûs ponatur dependentia à DEO: quia scilicet nihil potest existere independenter à Deo, quod etiam positâ entitate effectûs, idque sine concursu alius causæ, ponatur tunc dependentia tanquam à Creatore, inde probatur, quia esse productum sine concursu alius causæ, est produci ex nihilo subjecti, adeoque creari.

Confirmatur: Si nihil obsit, debemus à DEO, dependentiam quàm arctissimam, & maximè intimam, ponere. Sed si creaturæ immediatè dependeant à DEO, non per mediam actionem creatam, magis intimè dependebunt à DEO, & tali dependentiæ nihil obstat. Ergò illa ponenda est. Quod autem dependentia immediata, sit major, ratio est, quia major est dependentia actûs vitalis à potentia vitali, quàm albedinis ab hac materia: quia est magis immediata; major etiam est dependentia actionis distinctæ à principio, quàm ipsius effectus; idq; ideò, quia est dependentia immediata; & sic de reliquis.

Idem medius terminus, sic aliter proponitur. Creatura, prout condistincta est entitativè à creatione, vel est DEUS, vel non est DEUS; Si prout condistincta à creatione non est Deus; Ergò prout condistincta à creatione, est dependens à DEO solo, causante; adeoq; esse, & denominationem creati, sine creatione superaddita, habere potest: si autem prout condistincta à creatione est DEUS, Ergò est id, quod non est; est enim DEUS, & tamen est creatura.

Dicendum Est II. *Creationem passivam non esse distinctam modaliter ab ipsamet re creata.*

Pro-

Probatur Conclusio iisdem argumentis, quibus superior conclusio.

Dicendum est 3. *Creationem passivè acceptam esse realiter distinctam à principio creante, seu activa creatione.*

Probatur 1. Quia creatio passivè accepta, est ipsamet creatura, quæ distinguitur realiter, à creatione activa, seu Deo.

Probatur 2. Quia inter causam & effectum debet esse distinctio realis; jam autem creatio activa, & creatio passiva, eôdem modo inter se comparantur.

Probatur 3. Creatio passiva identificatur ei, quod creatur, vel se tenet à parte illius: Ergo distinguitur realiter à creatione activa, seu principio creante; quia principium creans, non est hoc quod creatur, nec se tenet à parte creati.

Objicit 1. Ovied. Omnipotentia Dei, & quidquid est intrinsecum Deo, est ab æterno: sed nulla actio, ex vi cujus producitur effectus, fuit ab æterno. Ergo omnis actio distinguitur ab omni intrinseco Dei. Minor probatur. Omnes effectus ab extra producti sunt in tempore: Ergo nulla actio fuit ab æterno; implicat autem actionem esse in aliqua mensura, in qua non sit terminus.

Respondetur. Retorquendo argumentum, nam actuale dominium Dei, est intrinsecum, modaliter ab eodem indistinctum, & tamen actuale dominium creaturarum non habet Deus ab æterno, cùm ipsæ non sint ab æterno. Idem dicendum de coëxistentia Dei ad creaturas, indistincta intrinsecè à Deo, quæ tamen non habetur ab æterno, cùm ipsæ creaturæ, non sint ab æterno. Directè autem ad argumentum dici potest, quòd creatio activa secundùm id, quod dicit in recto, sit ab æterno, sed non secundùm id, quod dicit in obliquo.

Instat 1. Idem. Actio illa identificata Deo, est indifferens ad exercendum, vel non exercendum munus actionis, ut ex vi illius ponatur, vel non ponatur effectus, & determinatur formaliter per connotatum extrinsecum, ut hîc & nunc exerceat munus actionis. Ergo cum illa formalitate, quam tu actionem vocas adhuc est indifferens ad ponendum, vel non ponendũ effectum. Ergo illud connotatum habet totam rationem actionis, & non illa formalitas identificata Deo, quam tu actionem dicis. Prob. Conseq. Munus actionis, & ratio formalis constitutiva illius, est, determinare physicè, & in actu secundo principium activum, ad effectum, hîc & nunc ponendum. Sed illud quod tu connotatum dicis, habet hanc formalitatem. Ergo hoc connotatum, est formaliter actio.

Respondetur. Retorquendo argumentum de dominio Dei actuali. Directè autem ad argumentum dici potest, actionem illam identificatam, in circumstantia positi effectûs dependentis à solo Deo, non esse indifferentem ad productionem, vel non productionem effectûs, licèt non ita accepta, sit indifferens, adeoq; nec habens formalitatem actionis in actu secundo. Ita ut illud connotatum habeat totam rationem actionis actæ, sed non actionis agentis, quam identificamus Deo. Non sequitur ulteriùs totam formalitatem actionis agentis, tribuendam esse ipsi connotato; nam inquantum actio agens importat virtutem agendi, non debet tribui ipsi connotato; licèt inquantùm importat aliquod extrinsecum, intrinsecè requisitum, totum illud tribuatur, ipsi connotato.

Instat 2. idem. Quamvis Theologi salvent, quomodo, positô quòd actus liber Dei, sit intrinsecè in Deo, possit tamen esse & non esse, tamen non dicunt actum Dei liberum, in tempore incipere: Ergo neq; nos dicere possumus, actionem illam identificari Deo, cùm in tempore incipiat.

Responsum suprà, actionem creativam secundùm id, quod dicit in recto, hoc est ipsam omnipotentiam, seu vim agendi non incipere in tempore, cùm sit ipsemet Deus, licèt actio creativa secundùm id, quod dicit pro connotato, in tempore incipiat.

Tota hæc responsio supponit, quòd in re creatio sit ipsemet Deus, & effectus productus, sine concursu causæ creatæ, licèt ex modo concipiendi, sit quædam formalitas intermedia.

Objicit 2. idem: Ponamus aliquid à Deo creari, quod educi potuisset; ille terminus non haberet secum identificatã creationem: quod probat; quidquid convenit alicui entitati per seipsam, & cum illa est identificatum, ab illa separari nequit, sed creatio potest separari ab illa. Ergo illi creaturæ non convenit per seipsam.

Respondet aliquis huic argumento apud Oviedo. Res, quæ educi postulant, non posse à Deo creari; dicebatque quantitatem, quæ in Eucharistia creatur, non terminasse unquam eductivam actionem, sed quòd adæquatè per seipsam, semper à Deo pendebat. Multis hanc responsionem impugnat Oviedo: Vide eundem Contr. 13. Pun. 2. n. 6. *Vt respondeatur,*

Suppono 1. Educibiles formas nihil aliud esse, quàm quæ fieri & conservari connaturaliter, nonnisi dependenter à subjecto, exigunt.

Suppono 2. Formam educibilem posse à Deo poni, non concurrente actu, ullâ causa creata, tanquàm efficiente: neque enim id repugnat. Potest etiam poni forma educibilis, nullâ concurrente actu, causâ materiali: Ratio: quia causalitas materiæ, est jus, ut forma hæc independenter à se, nec producatur, nec conservetur, debitumq; in forma, ut necesse, nec conservari habeat, independenter à materiali causa; hinc si nolit formam ponere Deus ad exigentiam causæ materialis, nec dependenter ab & in illa eam statuere, sed potiùs contra exigentiam

hanc, censebitur supplere defectum causæ materialis: hoc autem fieri posse non implicat, intervenitque defacto in Eucharistia, ubi conservantur accidentia, non ad exigentiam materiæ.

Suppono 3. Non fore ratione termini, ejusdem rationis creationem animæ rationalis, quia forma materialis hôc ipso, quia materialis est, saltem hujus ordinis rerum, habet debitum, ut producatur & conservetur dependenter à materia, quod non habet anima rationalis; creabitur nihilominùs materialis forma hôc sensu, quia non secundùm illam exigentiam producetur. *His Suppositis*

Dici posset. Quòd formæ, quæ educi postulant, non possint à Deo creari creatione ejusdem rationis cum anima rationali: nam semper in productione formæ materialis, erit radicalis eductio, stans in entitate, nata produci & conservari, nonnisi dependenter à materia, licèt non sit futura actualis eductio, stans in productione, vel conservatione secundùm illud jus, & secundùm illud debitum; tuncque censebitur esse actualis eductio, si Deus interrogatus, an ad exigentiam materiæ conservet vel producat formam, respondeat, affirmativè, quam productionem secundùm illud jus, sequitur unio.

Non inexpeditus etiam est modus dicendi, quòd tunc & non alio sensu creetur forma aliâs educibilis, quando producit illam effectivè solus Deus, habentem naturam, ut nec produci, nec conservari naturaliter possit sine materiali causa, tunc autem educitur quando aliqua causa creata effectivè secundùm ordinem naturalem in entitate ad illam concurrit, talem, ut dictum est, naturam habentem: dixi, secundùm ordinem naturalem in entitate; quia si elevaretur supernaturaliter, quoad modum, aliquod improportionatum agens, ad educendam formam materialem, nondum illam crearet; talis enim elevatio esset adhuc in entitate naturalis, supernaturalis autem quoad modum. Sola tamen præcisè exclusio causæ aliûs efficientis, non salvabit rigorosam creationem, quia non excludet concursum causæ materialis, stantem in jure materiæ ad formam. Et sicut Deus conservans loco ignis calorem, nullô alio effectivo concurrente, non dicitur illum conservare creativè, sic nec dicetur creativè producere, ex hoc præcisè, quia nulla alia causa effectivè producit; Sed aliter.

Respondetur 2. Quòd creatio à re creabili distingui possit extra circumstantias dependentiæ à solo Deo, in quibus circumstantiis identificatur effectui. Si termini quantitatis in probabili sententia identificantur quantitati, sed in circumstantia negationis ulterioris extensionis; quâ negatione sublata manent termini (sicut & illa creatio) secundùm id, quod dicit in recto, licèt non maneat secundùm id, quod dicit in obliquo; contingitque universaliter in formalitatibus, quæ aliqua plura deposcunt, ut maneant secundùm id, quod identificabantur, non maneant secundùm id, secundùm quod nõ identificabantur; quibus non manentibus, licèt extrinsecis, jam illa formalitas non est, cùm in re sint illa duo, unum intrinsecum, aliud extrinsecum. Hæc omnia dicuntur conformiter ad materiam de connotatis.

Continuatur solutio Objectionum.

Objiciuntur 3. Paritates aliquæ.

Prima Paritas est: Actio creati agentis est distincta modaliter, aut non sine modo. Ergo & creatio.

Respondetur. Disparitatem esse, quia non posito ullo modo, sed positâ ipsa entitate effectûs in circumstantia negationis dependentiæ ab aliis causis, sufficienter salvabitur transitus à non esse creantis ad esse creantis; jam autem nisi ponatur Entitas modalis, à non esse causantis creati ad esse causantis creati, sufficienter interdum non transitur.

Neque valet, si dicas. Sicut potest esse hic effectus, & non pendere ab hac causa, ita potest esse hic effectus & non creari à Deo, sed solùm educi: consequenter ad hanc indifferentiam tollendam, concedi debere modalitatem aliquam; non inquam valet si dicas, quia sufficit ad hoc ipsa entitas effectûs, circumstantionata negatione causarũ creatarum concurrentium: & sicut quando duæ causæ totales, constituunt unum eundemque effectum, si postea concurrat nonnisi una, à non esse concurrentis unius causæ, ad esse concurrentis unius causæ, transitur nonnisi negatione aliûs causæ; ita in præsenti transitur negatione causalitatis, aliarum causarum.

Secunda Paritas est. Si creatura crearet, creatio illa esset distincta modaliter. Ergo & creatio in quantùm procedit à Deo.

Respondetur. Disparitatem esse; quia potest esse entitas aliqua, & non esse dependens ab hac creatura producente ex nihilo, & non concurrentibus aliis causis; non potest autem esse entitas aliqua producta ex nihilo, &c. & non dependens à Deo.

Tertia Paritas est. Si Deus immediatè per seipsum replicet nullâ creaturâ ad replicationem concurrente, illa replicatio creativa esset distincta, ergo & creatio, absolutè itidem erit distincta.

Respondetur. Imprimis negando Antecedens. Poterit enim transitus à non esse replica-

plicati creativè, salvari, per ipsam entitatem effectûs, pluries positi. Disparitas etiam posset assignari; quia potest esse in rerum natura entitas & non replicata, non potest autem esse effectus ab aliis causis non pendens, & tamen non esse creatus.

Quarta PARITAS est. Concursus Dei ad actiones creaturarum, est vel modus, vel non sine modo. Ergo & creatio.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia illa concursus Dei, est idem realiter cum actione creaturarum; quæ vel est modus, vel non sine modo; hinc & identificatus illi concursus divinus, vel est modus, vel non sine modo: & quamvis concesserimus, ponendam esse quàm maximè intrinsecam dependentiam in fieri, consequenter etiam in agere creaturarum à Deo, id tamen accipiendum est si nihil obsit, obstat autem, ut alius sit concursus Dei cum creaturis, alius creaturarum. Hinc si concursus creaturarum est distinctus, etiam concursus Dei, illi priori identificatus, erit distinctus.

Quinta PARITAS est, quâ utitur Amic. Eductio non est in Deo, ergo neque creatio. Antec. prob. quia si eductio esset in Deo, sequeretur quòd quando Deus se solo conservat effectum, qui erat eductus, mutetur eductio activa in Deo, nam prior erat partialis, secunda autem, est totalis.

RESPONDETUR. Negando Conseq. quia nomine eductionis venit actio creaturæ, quæ eadem est, cum actione Dei; & quia actio creaturæ, non est entitas Dei, nec eductio erit. Cæterùm, si nomine eductionis abutaris, & accipias illam pro ipsa Omnipotentia divina, prout concurrente cum causis secundis, in tantùm eductio secundùm id quod dicit in recto, identificabitur Deo, nec secundùm hoc rectum mutabitur, si se sola conservet creaturam, quam antea non conservabat, licèt mutetur, secundùm quod eductio, dicit aliquid in obliquo.

OBJICIT 4. Amicus. Creatio non est actio immanens sed transiens, de ratione autem actionis transeuntis est, non immanere agenti, non enim habet suum terminum intrà, sed extrà.

RESPONDETUR. Creationem activam, secundùm id quod dicit in recto, esse quid immanens Deo, ordinatum essentialiter ad aliquid ab extra; ad eum modum, quô actus, quô videt Deus creaturas in illismet ipsis, est actio immanens, & tamen terminum suum habet ad extra. Dici etiam posset, actionem transeuntem physicè, non immanere agenti, secùs de actione transeunti ex modo concipiendi, quæ cùm sit physicè ipsum agens, ex modo concipiendi transit. Potest autem actio ex modo concipiendi transiens, habere suum terminum ad extra, si compleatur illa actio aliquo extrinseco, tanquam necessario connotato.

INSTAT 1. Actio est via ad terminum. Ergo non potest ullo modo identificari agenti.

RESPONDETUR. Actionem esse viam vel physicè, vel ex modo concipiendi ad terminum, sed non est necesse, ut semper sit physicè via.

INSTAT 2. Si creatio activa identificaretur Deo, Deus ab æterno denominatus fuisset Creator

RESPONDETUR. Quòd non; quia denominatio Creatoris coalescit etiam ex creatione passiva, tanquam ex aliquo extrinseco, intrinsecè requisito.

INSTAT 3. Idem. Creatio est id, quod est communicatio esse; item id, per quod egreditur effectus à causa.

RESPONDETUR. Communicationem esse, activam, posse identificari Deo, secùs passivam, egressio etiam effectûs passiva, non potest identificari causæ, secùs activa.

OBJICIT 5. Si creatio non esset quid condistinctum à Creatore, sequeretur quòd hic actus; volo creationem, haberet seipsam pro objecto.

RESPONDETUR. Cùm creatio activa in ratione creationis compleatur aliquo extrinseco, nempe entitate effectûs, & negatione concursûs aliarum causarum, bene hoc extrinsecum, poterit esse objectum illius Volitionis.

Reliqua argumenta ex dictis hîc, & in materia de Connotatis, & Relatione, solvi possunt.

DIFFICULTAS II.

Competitne creaturæ Actio creativa?

IN triplici sensu resolvi potest proposita difficultas. 1. An creatura tanquam causa principalis creare posset? Affirmat contra communem Durand. nec agnoscit implicantiam Arriaga. 2. An possit creatura, tanquam causa instrumentalis connaturalis creare? Hoc tenet Scot. Hurtad. Arriaga, recentior Suar. Contra sentit Suar. Vasq. Molina & Sanctus Thom. prima Parte, Quæst. 45. art. 5. 3. An creatura tanquam causa obedientialis creare possit? Quod tenet Suar. Hurtad. Contra Vasquez Molina.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur implicantiæ, quòd creatura ut causa principalis creare non possit.

PRima IMPLICANTIA est ex Suar. Si possibilis esset talis creatura, de facto esset, sed non est. Sequela probatur. Quia talis creatura constitueret alium gradum & ordinem præter eos, qui sunt. Ergo jam deberet esse. Quia ordo universi, non est mancus, sed continet omnia quoad gradum & ordinem.

RESPONDETUR. Negando sequelam. Negando item, quòd illa creatura constitueret alium gradum genericum; posset enim esse spiritualis substantia completa: defacto autem est

talis gradus in universo, quantumvis non negem, quòd illa creatura quoad speciem esset diversa; certum autem est non esse de facto omnes possibiles rerum species. Unde illa creatura non esset genere perfectior Angelis, licèt foret specie perfectior quoad modum agendi. Deinde universum hoc non eô sensu est universum, quasi omnia contineat, sed eô sensu, quia est collectio contentorum in statu existentiæ, secundùm idæam Dei, tantum ac tale, volentis esse universum.

Secunda Implicantia ex Vasq. & Scoto. Creatura quæ haberet hanc virtutem, non posset esse materialis; Si enim esset materialis, dependeret in esse à materia, adeoq; & in operari; Si autem operaretur dependenter à subjecto, hôc ipso non crearet. Spiritualis etiam illa creatura non esset: quia si spiritualis esset, operaretur media volitione, quæ cùm accidens sit, improportionatum esset ad actionem creativam.

Respondetur 1. Probabilius esse, quòd si possibilis sit talis creatura, quòd foret spiritualis, sed quòd non posset esse materialis, non evincunt allatæ rationes; diceret enim aliquis, fore dependentem illam potentiam in operari à materia, non ratione concursûs causæ materialis ad omnes illius operationes, sed fore dependentem in operari à materia, quia scil. potentiam operandi haberet in entitate materialem: neq; tunc potentia illa efficeret effectum perfectiorem se, posset enim creare nonnisi accidentia, quæ non superant perfectionem substantiæ.

Respondetur 2. Quòd si esset illa potentia creativa spiritualis operaretur mediâ volitione, non tanquam principio, & virtute effectiva ut quod, sed tanquam applicativo illius virtutis, ut quo. Porrò ratio agendi ut quo, non repugnat ut sit improportionata effectui. Multas alias implicantias videbis solutas apud Arriag. & Ovied.

Tertia Implicantia ex Amic. & Oviedo. Si possibilis esset creatura, cui tanquàm causæ principali deberetur vis creandi, illa creatura deberet esse actus purus, sed non potest esse actus purus creatura, ut supponitur, Ergo. Sequela probatur. Creatura, quæ posset creare, deberet habere actiones immanentes, dependentes à subjecto inhæsionis; Si autem haberet dependentes actiones immanentes à subjecto inhæsionis, deberet habere etiã actiones transeuntes dependentes à subjecto, adeoque non Creativas. Certè, enim si creatura potens habere actiones immanentes, nonnisi dependentes à subjecto, posset habere actiones transeuntes independentes à subjecto, adeoq; creativas, tunc actio illa transiens, esset perfectior actione immanenti: hoc autem non potest dici. Tum quia per actionem immanentem ipsa causa perficitur, per transeuntem aliud à causa. Tum quia omnis perfectio, quæ est in effectu, necessariò debet præsupponi in causa, actio autem immanens, est causa proxima transeuntis.

Respondetur 1. Recentior Suar. falsum esse nullum agens independentius à subjecto posse operari ad extra quàm operetur ad intra: quia cùm producit ignis formam ignis, in alio subjecto, equus etiam formam equi, independentius quid producunt, quàm in se producant, quia ad extra producunt substantiale aliquid, ad intra nonnisi accidentale, vel modale; accidentalia autem & modalia magis dependent à subjecto, quàm forma substantialis producta.

Respondetur 2. Negando illam actionem transeuntem fore simpliciter perfectiorem immanenti actione, licèt secundùm quid perfectior foret. Non est autem novum, ut aliquid sub aliqua formalitate perfectius, ratione autem aliarum formalitatum, sit longè imperfectius. Sic in ratione actûs, perfectior est intellectio, utpotè essentialiter actus secundus, exclusivus potentialitatis, præ anima, quæ est actus materiæ, & tamen anima, ratione prædicati substantialitatis, perfectior est. Rursùs non satis explicatur, quid sit hæc perfectio, quam acquirit per actus immanentes creatura, invehens excellentiam in illo ipso perfectivo majorem; nam calore à se emanato perficitur ignis, numquidné jam ille est perfectior calore, quem ignis producit in extraneo subjecto? Et cùm potentia per suos actus non in sua entitate, sed extrinsecè perficiatur, cur æqualiter tàm ab imanentibus, quàm à transeuntibus actionibus perfici non poterit? Illud autem quod addit, omnem perfectionem, quam habet effectus, debere habere causam, id falsum est de causis æquivocis, ita, ut dictaminis dicti, hic solùm sit legitimus sensus: Quòd causa debeat habere vim causandi effectus. Sed posito etiam, quòd causa debeat continere in sua entitate perfectionem entitativam effectûs, saltem id verum esset de eo, quod est verè principium & causa, non autem de eo, quod est nonnisi applicatuum potentiæ ad agendum, qualis est actus immanens, vel quod se habet nonnisi per modum rationis ut quo; quæ non debet esse æquè perfecta ac effectus.

Addit Arriaga, perfectionem actionis universaliter loquendo non esse taxandam ex inhæsione, quia actio productiva gratiæ non est imperfectior productione materiæ, licèt illa dependeat à causa materiali, non hæc posterior.

Instabis ex Oviedo. Quamvis sit possibilis actio immanens, & identificata principio, sicut identificantur Deo ipsius intellectiones, tamen non identificatur; ex quo colligimus, exigere hoc naturam creaturæ; ut illius actiones immanentes, non sint independentes à subjecto. Er-

cto. Ergo etiam quamvis sit possibilis actio transiens, non dependens à subjecto, colligemus bene ex vi creaturæ exigi, ut dependeat à subjecto.

Respondet Arriag. Negando Anteced. Sed positâ veritate antecedentis, disparitas est; quia pro priori præsumitur esse implicantia, quòd scil. identificatio immanentium actuum argueret rationem actûs puri; si autem creatura crearet, nego argui posse, quòd esset actus purus. Quidsi enim hæc potentia creativa, esset distincta realiter, ab ipsa creante creatura, ut censent realiter distingui Thomistæ intellectum ab anima.

4. Implicantia est, quam innovavit recentior Suar. ex Richar. & Henrico. Distantia infinita non potest vinci nisi virtute infinitâ, sed inter Ens & Nihil intercedit distantia infinita. Minorem sic probat. Ut inter opposita detur infinita distantia, satis est quòd alterum eorum sit infinitum; ut visitur in distantia, quæ est inter Deum & creaturas, sed Nihil in ratione Nihili, seu imperfectionis, est infinitum: Tum quia illud, quô non potest concipi, & esse quidquam perfectius, est simpliciter infinitum in omni genere perfectionis; ita illud, quô non potest esse aut concipi aliquid imperfectius, erit infinitè imperfectum, tale autem est Nihil. Tum quia Deus non habet plus perfectionis, quàm Nihil imperfectionis; siquidē Nihil removet omnem perfectionem, quæ in Deo reperitur, ergo cùm Deus sit infinitus in omni genere perfectionis, Nihil erit infinitum in omni genere imperfectionis. Tum quia idcircò creatura distat à Deo intervallô, & distantiâ infinitâ, quia ipsa non est infinita in genere entis, Deus autem maximè. Sed etiam creatura non est infinita in genere non entis, seu imperfectionis, Nihil autem maximè. Ergo distabit à Nihilo, distantiâ infinitâ.

Responderi posset in primis, quòd hoc argumentum multum probet, & contradictorium in ipso principio probandi assumpto; probat enim quamcunque creaturam, prout oppositam non enti, esse infinitum in imperfectione, & esse simul finitum in imperfectione. Accipiamus pro exemplo Leonem; de eo intentum sic probatur. Erit Leo quid infinitum in imperfectione, prout opponitur non enti, quia omnes negationes, quascunque dicit non ens, dicit etiam Leo, excepto esse Leonis, quod ipsum esse, non importat nisi finitas perfectiones. Ergo ille Leo erit quid infinitum in imperfectione. Quod ipsum ulteriùs probatur; quia infinitum non exhauritur numerô finitô. Ergo neque finito numero perfectionum exhauritur infinitum non entis; Consequenter ex vi hujus medii arguendi, infertur non rectè assumptum esse, quòd creatura non sit infinita in genere non entis. Sequitur etiam Leonem non esse infinitum in imperfectione; quia si esset quid infinitum in imperfectione Leo, esset æquale in imperfectione non enti, adeoq; non ens. Assump. Probatur, quia unum infinitum, non est in ratione formali majus aliô, adeoq; in ratione infiniti imperfectionis, Leo non esset minor imperfectione, quàm ipsum Nihil. Ergo debet esse quid finitum in imperfectione. Imò ex vi etiam hujus doctrinæ sequitur, infinito nunquam opponi finitum, sed infinitum; quia illud oppositum infinito, negat perfectiones omnes, aliquibus exceptis, quas importat infinitum: Ergo secundùm immediatè probata erit infinitum, hoc autem dici non potest, quia contradictoriè oppositum infinito, est negatio infiniti, adeoq; non infinitum, Deinde. Illud non potest dici infinitum negationum, seu imperfectionum, quod positâ unica entitate exhauritur in ratione sua formali infiniti, sed Nihil Leonis, quod tu appellas infinitum, exhauritur in ratione sua formali infiniti, positione suæ Entitatis, Ergo Nihil Leonis non est infinitum. Major probatur notione infiniti, cujus secundùm quantitatem accipientibus semper accipere est, & nunquam idem. Et certè, quas, & quot perfectiones importat Leo, eas perfectiones omnes negat! Non, seu: nihil Leonis; sed perfectiones, quas importat Leo, non sunt infinitæ, Ergo neque negationes perfectionum, quas importat Nihilum Leonis, erunt infinitæ. Imaginemur duplex Nihil Leonis. Primum particulare, quod exhauritur affirmatione & positione Leonis; Aliud autem est nihil Leonis universale, quod scilicet commune est, & ambit reliqua particularia Non & Nihil: per creationem unius Leonis, non est necesse exhauriri hoc universale Nihil Leonis; quia illud non potest exhauriri in sua universalitate, nisi positione omnium possibilium; particulare autem Nihil, seu non esse Leonis, exhauritur quidē esse Leonis, sed non est infinitum imperfectionum, quia infinitum imperfectionum, & infinitum non esse, non potest exhauriri positione finiti esse, aliàs infinitudo illa haberet transitum consumabilem, quia auferibilem, positione unius finiti. Jam autem particulare illud Non esse, seu Nihil Leonis exhauritur esse Leonis, omne enim contradictorium exhaurit suum contradictorium, aliàs non esset de eodem. Deniq; hæc propositio; Nihil Leonis est infinitum in imperfectione, prout hîc sumitur, falsificantes reddit propositiones; de eo enim de quo non potest verificari, quòd sit, quomodo verificabitur quòd sit infinitum imperfectionum, cùm omne negativum, fundari debeat supra aliquid positivum, solùm ergo hoc fit ex modo concipiendi, non verò re ipsa. Aliud est cùm dicitur: homo infinitè distat à Deo, vel: homo est infinitè imperfectior Deo; quia si hoc dicatur de possibili homine, hæc propositio non est actu vera, sed fundamentaliter. Neque enim tunc est perfectior, vel imperfectior actu, cùm absolutè non sit actu; quando au-

do autem à parte rei ponitur homo, & dicimus de eo, est infinitè imperfectior Deo, sensus tantùm est in re ipsa, quòd finitas perfectiones habeat, adeoque quòd non sit infinitum quid in essendo, sicut Deus; quia infinitæ perfectioni Dei opponitur finita perfectio, ad quam postea consequitur negatio perfectionum, quas habet Deus.

In Forma autem ad argumentum dici potest, negando inter ens, & non ens esse distantiam infinitam; negando item, quòd nihilo particulari Leonis, non possit concipi aliquid imperfectius, nempe nihilum universale: & quamvis nihilo Leonis non posset quidquam concipi imperfectius, quia tamen est tale, ut positione unius entitatis auferatur tota illa imperfectio, fit, ut illa imperfectio non sit infinita. Et quamvis nihil Leonis, neget omnes perfectiones, quas Deus dicit, quia tamen ita illas negat, ut ipsum nihil illius, positione unius entitatis sit auferibile, fit, ut non habeat transitum inconsummabilem. Consequenter etiam ad tale nihilum auferendum, non erit necessaria virtus infinita, licèt ad nihil universale tollendum esset necessaria omnipotentia, adeoq; virtus infinita. Vel si vis, poterit distingui Minor. Distantia infinita non potest vinci virtute finita, si ipse terminus qui producitur sit infinitus. Concedo majorem, si sit finitus. Nego majorem.

Instabis. Deus quamvis sit infinitus in perfectione, tamen sublatâ ejus unicâ perfectione non est Deus, & positâ ejus unicâ perfectione est Deus: positâ enim v.g. omnipotentiâ infertur & exigitur esse Dei, Ergo neq; infinitati Nihil Leonis obstabit, quòd tollatur positione finiti alicujus, hoc est esse ipsius Leonis.

Respondetur. Negando Consequentiam, quòd enim tollatur Deus sublatâ unica ejus perfectione, provenit hoc ex identitate reali, quam inter se habent perfectiones divinæ. Jam autem Nihil Leonis, non infert identitatem realem, & connexionem cum Nihilo bovis, hominis, &c. hinc sublato Nihilo Leonis, per positionem Leonis, non tollitur Nihil bovis, v. g. quòdsi Nihil Leonis non habet identitatem realem, & connexionem cum aliis Nihilis, fit, ut nihil Leonis infinitum non sit.

Punctum Difficultatis 2.

Quid de reliquis Implicantiis?

Quinta Implicantia est Cajet. Quando duo ita se habent, ut tantò altiùs crescat unum, quantò minuitur alterum, tunc, si unum minuitur, usq; ad non gradum, alterum crescit, usq; ad perfectissimum gradum, seu usque supra gradum, adeoq; in infinitum: aliàs sequeretur, quòd Virtus producens ex aliqua potentiâ, & Virtus potens producere ex nulla potentia, essent æquales. Sed in actione creativa Virtus causæ materialis decrescit usque ad non esse sui. Ergo Virtus effectiva crescere supra omnem gradum debet, adeoq; in infinitum.

Respondet Oviedo negando, quòd Virtus effectiva sine consortio materiæ crescat usq; in infinitum; quia, ut dicit Oviedo, tanta debet addi perfectio principio effectivo, quanta defuit in materiali; & quia in materiali principio erat finita virtus, etiam additio illa virtutis principio effectivo, finita erit.

Respondetur 2. Concedendo, quòd virtus illa effectiva crescat usque ad perfectissimum gradum agendi, h. e. ad actum creandi, nego tamen istam potentiam hoc ipso fore infinitam, quia suprà non esse hominis, crescit esse hominis usq; ad perfectissimum gradum hominis, cùm enim in indivisibili consistat esse specierum, unaquæq; in sua specie, quoad sua substantialia, perfectissima est, & tamen esse hominis, non est quid infinitum in substantialibus prædicatis. Unde supra non esse hominis, crescit lapis, per solum esse, supra autem non esse hominis crescit planta usque ad esse, & vivere; animal autem crescit supra non esse hominis usque ad sentire, supra autem non esse hominis crescit esse hominis usq; ad perfectissimum gradum esse hominis; & tamen ut dixi, sine ulla infinitate.

Rursùs, quando applicando activa passivis producuntur animalia ex putri, non est concursus tantus materiæ, quantus est concursus materiæ, quando subtiliter aliquid pingitur vel fingitur, & tamen non decrescit per hoc vis effectiva artificis, in sua excellentia. Ergo taxa excellentiæ effectivi principii, non est concursus materiæ major vel minor. Antec. probatur: quia quando animalia generantur ex putri, non est illîc sola materia, aut aliquid materiale, cum aliquibus negationibus, sed sunt congenerantia alia, v.g. Sol, calor, & per aliquos causa principalis Univoca; jam autem in opere artificato, est materia cum accidentibus, sic, vel ita terminatis; & tamen certum est, majorem esse excellentiam operis artificiosi, v. g. statuæ marmoreæ, & principii illius effectivi, quàm applicationis ad generationem ex putri, v. g. servando caseũ in loco humido, ut putrescat in vermes.

Instat 1. Idem. Sit virtus creativa finita, A, decuplô major virtute eductivâ, B; tunc, si posset dari aliqua potentia eductiva, C. quæ educat effectum ex remotiore potentia, in decupla proportione excedens virtutem eductivam, B; esset æqualis virtuti creativæ, A; quod dici non potest. Ergo apparet, debere dari excessum infinitum potentiæ creativæ suprà potentiam eductivam.

Respondetur. Virtutem eductivam non fore adhuc æqualem virtuti creativæ, A. quia non essent ejusdem ordinis. Sic v.g. datâ excellenter perfectâ substantiâ, tamen illa ratione ordi-

ordinis comparanda non erit Enti supernaturali accidentali; neque tamen inde sequetur, Ens supernaturale habere infinitatem: Rursùs detur quàm perfectissima potentia sensitiva, nunquam tamen accedet ad perfectionem potentiæ intellectivæ, quamvis illi infinitudinem dare, non sit necesse, supponit autem responsio ex ordine suo in linea agendi, perfectiorem esse virtutem creativam.

Instat 2. idem. Major Virtus requiritur ad creandum, quàm ad educendum effectum infinitum. Sed ad educendum effectum infinitum requiretur virtus eductiva infinita: Ergò & ad creandum.

Respondetur. Retorquendo argumentum ex dictis. Major requiritur vis ad intelligendum, quàm ad producendum sensationem infinitam; sed ad sensationem infinitam requiretur vis sentiendi infinita. Ergò & ad intelligendum. Quod si dicas, majoritatem hanc sufficere quæ oportet altiorem ordinem, non verò alio sensu, idem in præsenti dici poterit.

Instari potest 3. ex Sancto Thoma. Tantò major est virtus agentis, quantò rem producit ex remotiore potentia: sicut major est virtus quæ producit ignem ex aqua, quàm quæ producit ex aëre. Sed virtus creativa producit rem ex nihilo potentiæ; Ergò est infinita.

Respondetur ex Amico, retorquendo argumentum. Quò virtus cognoscitiva attingit objectum à potentialitate magis elevatum, eò est perfectior. Ergò Virtus, quæ attingit objectum elevatum ab omnipotentia, est infinita: Ergò lumen gloriæ, quod attingere natum est Deum, erit infinitum. Quòd si sufficiat majoritas altioris ordinis, etiam in præsenti sufficiet.

Sexta Implicantia est, quæ habet fundamentum in S. Thoma, secundo contra Gentes Cap. 25. quæ, ut impugnationibus communibus non pateat, sic proponi potest. Si possibilis esset virtus creativa, virtus illa omne creabile producere posset, & non posset producere omne creabile, hoc implicat: Ergò & illud, ex quo sequitur. Quòd non posset producere omne creabile, sic probatur. Si posset omne creabile producere, falsa esset ista particularis; aliquod creabile non potest producere, ut notum est ex regulis de Contradictione; sed illa particularis est vera; Ergò falsa debet esse universalis. Minor probatur. Illa potentia Creativa non posset seipsam producere primò, ergò vera esset particularis, aliquod creabile non posset producere. Quæ ratio accipit pondus ex discursu Sancti Augustini, qui ex eo, quia per Verbum omnia facta sunt, arguit, Verbum non esse factum, aliàs faceret seipsum.

Neque valet, si dicas. Sicut Omnipotentia sufficit, ut possit producere omne quod non implicat contradictionem, ita & illa potentia; implicat autem, ut aliquid producat seipsum primò: non inquam valet, nam ad taxandum, an aliqu id possit producere omne quod non implicat, non est attendendum, an implicet huic potentiæ, sed an in se non implicet, aliàs unaquæque virtus, posset omnia producere, exceptis iis, idque longè pluribus, quæ sibi implicant Contradictionem, licèt ab aliis potentiis produci possint: indubiè autem producere hoc determinatè Ens primò, virtuti creativæ, non implicat contradictionem, aliàs haberetur intentum, nempe impossibile esse, ut creatura creet. Quòd autem virtus illa creativa posset producere omne producibile, sic probatur; Si virtutis Creativæ, quâ talis, specificativum & terminus, esset omne creabile, virtus creativa extendi posset ad quodcunque creabile; sed terminus & specificativum virtutis Creativæ, quâ talis, est omne creabile: quod probatur. Idem quod potest reddi pro ratione formali, quare DEUS creaverit hoc quod creavit, potest reddi pro ratione formali, quare Creatura habeat vim creandi, suppositò quòd aliquid crearet, idem inquam pro ratione formali reddi posset, quare Creatura creaverit. Sed id quod redditur pro ratione formali, quare DEUS creaverit hoc, quod creavit, est tale, ut notet omne creabile, esse terminum & specificativum sui; Ergò etiam omne creabile erit terminus, & specificativum potentiæ creatæ. Major probatur. Ratio formalis, quare DEUS creaverit hoc quod creavit, est, quia hoc produxit ex nihilo; sed etiam si creatura crearet, idem pro ratione formali redderetur; si enim pro ratione formali, quare hoc creaverit creatura, non redderetur, quia produxit ex nihilo, tunc aut creationis non esset hæc definitio, utpotè non conveniens omni definito, aut illa creatura non crearet, cujus scil. actioni, definitio creationis non competeret. Quòd autem id, quod redditur pro ratione, quare aliquid DEUS creaverit, sit tale, ut notet DEUM pro termino suæ potentiæ habere omne creabile, ex eo probatur, quia cuicunque creabili applicari potest, quòd sit producibile ex nihilo. Quod ipsum totum ulteriùs sic colligitur. Quia pro ratione formali, quare Petrus sit homo, redditur, quia est animal rationale, quæ etiam ratio redditur, quare Paulus sit homo, quia inquam hoc pro ratione formali redditur, benè infertur. Ergò ad quidquid se extendit homo, extendit se animal rationale: Ergò etiam ex hoc, quia idem pro ratione, quare aliquid DEUS creaverit redditur, ac quare Creatura creaverit; nempè, quia produxit ex nihilo, benè infertur, quòd ad quidquid se extendit potentia Creandi Divina, ad idem se extendat potentia Creata.

Respondebis 1. Absurdum esse, si sit creabile aliquid, quod Deus creare non possit; absurdum autem non est, si creabile aliquid, potentia creativa creata creare non possit. *Hæc Responsio*

Non satisfacit. Quia etiam absurdum erit, si sit specificativum utriusque potentiæ idem, & tamẽ utraque ad eosdem terminos non extendatur, esse autem idem specificativum probat argumentum adlatum.

Respondebis 2. Quamvis idem pro ratione reddi possit, quare Petrus generet, ac quare DEUS, vel equus generet, quia scilicet producit in similitudinem naturæ, inde tamen non sequitur, quòd ad illud, ad quod se extendere potest potentia generativa Petri, ad idem se extendere possit potentia generativa equi: ita etiam ex eo, quia idem pro ratione redditur, quare DEUS, & Creatura aliquid creaverit, non rectè inferretur, utramque Creativam ad eosdem terminos extendi. *Hæc responsio*

Non satisfacit. Quia generatio perfectiorum animalium debet esse ab Univoco, & in similitudinem naturæ, quod non foret, si Petrus generaret equum. Hinc ipsa definitio generationis deposcit, ne Petrus generet equum, ipsa autem definitio creationis deposcit, ut qui habet potentiam creandi unum, habeat potentiam creandi aliud, sed aliter.

Responderi potest tertiò huic argumento sic. Quamvis pro ratione formali, v. g. reddi possit, quare det Eleemosynam Petrus, scilicet, quia est misericors; Rursùs, quamvis etiam pro ratione formali, quare DEUS remittat peccata, reddi possit, quia est misericors; Inde tamen non sequitur, quòd ad quidquid se extendit misericordia DEI, ad idem se extendere possit etiam misericordia Petri. Ergò ex eo, quia idem redditur pro ratione formali, quare Creatura creet, & quare DEus creet? non sequitur, quòd ad aliquid se extendit potentia creativa DEI, ad idem se extendat potentia Creativa Creaturæ. Unde ex parte quidem rationis creandi, eadem utrobique redditur ratio, sed non ex parte potentiæ; cùm tamen taxa terminorum, ad quos se aliquid extendere possit, debeat attendi penes potentiam, non penes definitionem alicujus rationis agendi. Sic v. g. datio eleemosynæ quinque, est definitivè largitio indigenti, neque tamen sequitur, quòd dans quinque, possit dare decem; quia termini dandi non penes definitionem dationis, sed penes potentiam spectari debent. Illud quod adferebatur de homine, ne quidquam probat, quia licèt verum sit, quòd, ad quidquid extenditur homo, ad illud se extendat etiam animal rationale, sic etiam verum erit, quòd ad quidquid se extendit creatio, ad illud se extendere debeat etiam productio ex nihilo; sed inde non sequitur, quòd Creativæ utriusque, æquè sint ampli termini.

Septima Implicantia est Amici, eundem fermè medium terminum cum priori, sed alio modo proponens. In ratione non entis simpliciter, tam est non Ens homo, quàm est non Ens Angelus, quamvis differant in ratione talis ac talis non entis, penes talem vel talem terminum negatum; sed Virtus creativa non attingit ens ex non ente tali, sed ex non ente simpliciter; & hoc ideò, quia nullum ens simpliciter supponit, sed solam non repugnantiam terminorum ad existendum.

Confirmatur. Non potest dari intellectus determinatus ad unum intelligibile, habet enim pro objecto formali Ens ut Ens; sed etiam vis Creativa habet pro objecto Ens ut Ens, & hoc ideò, quia habet pro objecto, non Ens simpliciter; Ergò sicut intellectus determinatus ad unum, non est possibilis, sic nec erit possibilis potentia Creativa, determinata ad unum.

Respondetur. Utraque hæc propositio illîc deficit, quòd primò probandum fuit: Nego enim, quòd absolutè quamcunque non repugnantiam terminorum supponat potentia Creativa, sed dico quòd possit supponere non repugnantiam terminorum talem, eò, quòd non repugnet potentia determinata creandi nonnisi Leonis, supponensque non repugnantiam terminorum determinatam, quæ est Leo. Confirmationis etiam Minor probari debuisset. Ad paritatem quod attinet, Antecedens ipsum non est demonstrabile per multos; consequentia etiam non tenet, quia si concedatur, intellectus, quòd possit terminari ad omne cognoscibile, non sequetur quòd terminari non possit ejus cognitio ad cognoscendum seipsum, nec ulla est illîc primitas, ratione cujus se cognoscere non possit. Jam autem si concedatur, quòd potentia Creativa creatura, possit quodcunque creabile producere, cùm seipsum producere non possit, hôc ipso sequitur non posse illum producere quidcunque creabile: & sicut quamvis non detur intellectus, qui noscat nonnisi aliqua, inde tamen inferri non potest, non dari potentias, quæ aliqua tantùm possint; ita nec inferetur ex eo, quòd intellectus noscat Ens, quâ Ens, non posse dari creativum, nonnisi determinatorum.

Punctum Difficultatis 3.

Quid tenendum.

Dicendum est primò; *Non esse possibilem Creaturam, cui tanquam causæ principali competere possit Creare.*

Probatur primò Conclusio Auctoritate S. Thomæ, Consensu communi Theologorum, & SS. Patrum; qui titulum Creatoris, tanquam soli Deo debitum tribuunt: Ergò non possibile per illos, ut Creatura creet tanquam causa principalis.

Probatur secundò. Possibile est aliquam actionem ad extra, ita esse DEO propriam, ut ex genere suo, nulli alteri communicari possit. Item possibilis est actio ex genere suo ita alta, ut oblimitationem & dependentiam creaturæ, non

non possit naturaliter eidem competere, quæ enim in hoc implicantia: Sed hæc actio, ita appropriata DEO, nulla alia est nisi creatio, quia species actionum universaliter sunt tantùm duæ, eductio & creatio; una enim dicit producere ex nihilo, alia non producere ex nihilo: Ergò cùm eductio non sit appropriata soli DEO, ut aliunde scitur, actio ita appropriata erit sola creatio. Hæc probatio majorem quidem non demonstrat, suppositô tamen sensu communiori Doctorum sufficienter probat intentum. Posset etiam per hoc probari major; Datur esse DEO ita proprium, perfectiones item secundariæ ita Deitati adstrictæ, ut nulli alteri creaturæ competere possint. *Neque valet, si dicas*, sufficere quòd competat DEO, ut quamcunque creaturam primò producere possit, cùm tamen nulli creaturæ possit communicari, vis seipsam primò producendi. Non inquam valet, si dicas; quia etiam actionem seu eductionem sui primò non potest DEUS cuiquam communicare, neque tamen inde sequitur, quòd actio eductiva sit DEO propria, neque hoc salvat quòd habeat DEUS actionem sibi propriam, eductionem. Ergò & in præsenti idem dicendum, præcipuè quia hîc procedit difficultas, non de assignando termino productionis, quia sit DEO proprius, sed de assignando modo, & specie actionis, Deo propriæ.

Probatur Tertio. Impossibilis est Creatura, quæ sit independens à DEO, & libera à Dominio illius, adeoque quodam modo emancipata; quæ scilicet nec in esse, nec in operari dependeat à DEO, & quæ hoc solo distincta sit à DEO in ratione independentiæ, quòd independentiam hanc non habeat à se, sed à DEO; Quod ipsum Antec. sic prob. quia & non esset DEUS illa creatura, ut supponitur, & esset DEUS, quia ita haberet in se jus, esset que independens, pro hîc & nunc à DEO, adeoque ita haberet, ut ita dicam, seitatem sui, sicut DEUS ipse habet seitatem sui, consequenter pro tunc esset DEUS. Et certè, si Petrus hodie haberet à seitatem, hodiè esset Deus; Ergò etiã illa Creatura, si haberet seitatem sui juris, & independentiam pro tunc, pro tunc esset DEUS: sicut enim à seitas, ita & independentia importat Deitatem. Sic probatô Antec. infertur Consequentia. Ergò neque possibilis est creatura, quæ habeat communicatam sibi vim creandi. Probatur Conseq. quia vis creativa præsupponit tanquam prius, & radicem, independentiam essendi & operandi. Ergò si independentia operandi non potest creaturę communicari vis creandi: & sicut risibile communicari nemini potest, cui admirativum, & eo mediante, rationale, communicari non potest, quia risibile infundatur admirativo; ita nec communicari poterit creaturæ vis creandi, quia infundatur independentiæ essendi & operandi à quoquam. Antecedens immediatum probatur: Illud præsupponit vis creativa in DEO, quod pro ratione formali, & tanquam principio fundativo, & virtuali virtutis creativę adferri potest, quare scilicet DEUS habeat potentiam creandi, sicut risibilitas id præsupponit, quod pro ratione formali risibilitatis, adfertur. Sed pro ratione, cur DEUS habeat vim creandi, adferri potest nonnisi independentia ejus à quoquam in operando. Ergò hæc independentia prę supponitur à virtute creandi.

Respondebis Primò. A virtute creandi præsupponi nonnisi independentiam à materia in operando.

Contra. Quia hoc, quod præsupponitur ab aliquo, debet esse per modum prioris, & non mera definitio; definitiones enim non sunt priores definito; jam autem virtutis creativæ definitio, est independentia à materia in operando. Rursùs hæc ipsa independentia in operando à materia, prę supponit tanquam Genus independentiam in operando à quoquam. Ergò cui hoc genus non competet, nec competet species, quæ est independentia in operando à materia: sicut cui nõ competit corpus, illi nec cõpetit animal.

Respondebis Secundò. Hîc-ubitas præsupponit tanquam aliquid superius Ubiquitatem, Ubiquitas immensitatem, & tamen licèt non possit Creaturæ communicari Immensitas & Ubiquitas, potest communicari Hic-ubitas. Ergò quamvis Creaturæ non possit communicari independentia operandi à quoquam, utpotè exclusiva independentiæ etiam à DEO, poterit communicari independentia operandi à materia.

Contra. Quia hæc instantia solvi etiam debet à proponente. Indubiè enim rationes inferiores non possunt communicari, non communicatis superioribus, veris & legitimis. Directè autem ad argumentum dici potest. Hic ubitatem duo dicere, ipsam Entitatem DEI, locum extrinsecum, & negationem distantiæ; Hîc-ubitatem secundùm illud prius non potest Deus cuiquam communicare, & nonnisi secundùm illud prius illa supponit Ubiquitatem, Immensitatem &c. non supponit autem secundùm illa posteriora, & secundùm illa posteriora potest esse Hic-ubitas communis Deo & Creaturæ. Et certè quòd Hic-ubitatem habeat DEUS, non potest adferri pro legitima & radicali ratione, quia est ubique, nam de facto in creaturis habetur Hic-ubitas, sine Ubiquitate: hîc autẽ quæritur de ratione formali, propria. Jam autem pro ratione formali & propria in DEO Virtutis creandi, habetur independentia ejus à quoquam in operando.

Dicendum est Secundò. *Non esse possibile instrumentum connaturale creandi.*

Probat primò Amic. Instrumentum & causa principalis, debent esse in eodem genere, sed causa principalis, Creativa, quæ sit creata,

non

non datur. Ergò nec causa instrumentalis creativa dabitur. Major probatur: Calor enim est instrumentum ignis. Potentia generativa est instrumentum viventis, & similia.

Responderi potest, negando majorem; quia si potest esse in diverso genere immediato Instrumentum & Causa principalis, quia Instrumentum est accidens; causa principalis est substantia; cur non poterit etiam Causa principalis esse v. g. Deus, Instrumentalis Creatura. Rursùs quamvis inductio hæc probaret aliquid de Instrumentis quæ actu sunt, non tamen de Instrumentis possibilibus.

Probat secundò idem. Quia si daretur Instrumentum connaturale creandi, esset illud Instrumentum Causa principalis; quia idem haberet specificatum sui, quod & Causa principalis, scilicet non ipsam entitatem creatam, in qua condistingui possunt plures rationes, sed pro specificativo haberet modum attingendi terminum, per negationem omnis subjecti.

Respondetur. Non repugnare, ut idem effectus adeoque idem specificativum sit utriusque, neque enim Causa principalis definitur per aliud sui specificativum ab Instrumento. *Hinc*

Probat tertiò Conclusio aliter. Si daretur virtus creativa Instrumentalis, deberet dari respectu DEI, tanquam causæ principalis, nam Creatura, ut suppono, non potest habere vim creandi, tanquam causa principalis; sed respectu DEI non potest dari vis Creativa connaturalis. Quod probatur. Quia si hæc Creatura esset instrumentum connaturale DEI; DEUS sine hoc instrumento agens, censeretur pro sua parte non connaturaliter agere: quia tunc dicitur DEUS non connaturaliter agere, quando non agit secundùm exigentiam causarum secundarum, esset autem exigentia in illo instrumento, ut assumatur ad creandum.

Confirmatur. Quia non potest explicari, quid sit hoc esse instrumentum connaturale respectu DEI. Nam quod asserunt; illud instrumentum habiturum se ita, sicut Lumen gloriæ, quod est instrumentum DEI, id non convincit, nam si non erit in entitate supernaturale, non se habebit sicut Lumen gloriæ; & si erit in entitate supernaturale, non erit instrumentum connaturale connaturalitate de qua hîc agitur; agitur enim hîc de Connaturalitate quæ sit secundùm vires naturæ; & si ponas, secundùm vires naturæ aliquid esse instrumentaliter Creativum: neque enim major est ratio unius, quàm alterius.

Dicendum est Tertiò. *Possibile est instrumentum obedientiale ad creandum.*

Probatur, quia in hoc nulla est implicantia.

Objicitur primò. Implicat per Nos Creata causa principalis, & instrumentalis creativa; Ergò & Obedientialis.

Respondetur. Negando Consequentiam, quia potentia Obedientialis potest se extendere ad ea, immò & debet, ad quæ se non extendit natura. Deinde, causa Obedientialis cùm non agat viribus propriis, nec debet habere fundamentum illarum virium; si autem potentia creativa principalis competeret Creaturæ, deberet etiam fundamentum illarum virium eidem competere, quod cùm sit independentia operandi à quocunque, quæ Creaturæ cõpetere non potest, fit ut nec vis illa competere possit.

Objicitur secundò. Possibilis est actio, quæ immediatè à solo Deo pendeat, & ad quam, ne obedientialiter quidem, assumi potest Creatura; nulla autem est talis, nisi sola Creatio.

Respondetur. Esse talem Creationem, sed proficiscentem tanquam à Causa principali, ita, ut solius sit DEI, tanquam Causæ principalis, agere.

Objicitur Tertiò. Creatio non potest egredi nisi à potentia Creativa, Creatura autem non habet potentiam creativam. Ergò.

Respondetur. Creaturam non habere potentiam creativam naturalem, habere obedientialem, suppositâ elevatione.

DIFFICULTAS III.

An Creatio possit esse ab æterno.

Hæc quæstio ordinariè examinari solet ad Libros de Mundo. commodè tamen & hoc loco tractabitur, ut materia de Creatione completiùs discutiatur. Tria hîc communiter discutiuntur. Primò. An potuerit mundus esse ab æterno quoad Entia permanentia. v. g. An potuerit DEUS ab æterno creare Angelum vel hominem? Affirmant ex nostris Suar. uterque, Moli. Arriag. Ovied. contra non paucos: & ex nostris contra Tan. Valen. Secundò: An motus, & tempus potuerint esse ab æterno? Affirmat Ovied. cùm negasset generationes, posse fieri ab æterno. Tertiò: An generationes ab æterno fieri potuerint. v. g. An stupa ab æterno applicata igni, potuisset disponi, & igniri, & ramen ab æterno? An item Petrus ab æterno potuisset generare Paulum, Paulus Joannem; & sic de reliquis? Negat Arriaga & Oviedo contra Pontium, sub conditione id tenentem, scilicet si infinitum non repugnet.

Punctum Difficultatis 1.

An generationes potuerint fieri ab æterno?

Dicendum est. *Generationes Successivas non potuisse fieri ab æterno.* Antequam probetur Conclusio.

Suppono 1. Quòd in generatione illa v. g. hominum, necesse sit devenire, licèt non per finitas

mensuras, ad aliquem, qui non sit genitus, sed immediatè à DEO productus.

Ratio. Quia illa collectio successivæ generationis est ens ab alio; nec enim est DEUS; si est ens ab alio, vel omnes illi homines à seipsis producuntur vel generantur, vel non omnes: si non omnes, & tamen ab alio, Ergò deveniendum est ad aliquem, qui immediatè sit à DEO; si autem omnes illi à seipsis producuntur, Ergò non devenietur ad aliquem, qui solus immediatè à DEO procedat; quod fieri non potest: quia aliâs daretur processus in infinitum in causis subordinatis, nec devenietur unquam in cognitionem primæ Causæ, quia non esset devenire in cognitionem ejus, qui primò posuerit eum, à quo generationes primò factæ, vel certè, si non est ullus, qui immediatè à DEO processerit, deveniendum erit ad hoc, ut aliquis sit genitus ab eo mediatè quem genuerat, quod repugnat. Quod ipsum probatur. Sint v. g. decem homines, de quibus sit vera propositio; sunt percussi, ita ut nemo ab alio, qui sit extra hos decem, percussus sit, tunc necessariò devenire erit ad aliquem, qui percussit eum, à quo percussus est: & quod propter formandam imaginationem de numero finito dictum est, idem ad infinitas illas generationes transferri debet, quòd scilicet, si verum est, omnes esse genitos, & neminem productum ab alio, qui sit extra omnem illam infinitam generationem, devenire erit ad eum, qui sit genitus ab eo, cujus ipse antecessorem genuerat.

Respondebis primò ex Pontio. Dari posse processum in infinitum in causis non subordinatis essentialiter, quamvis non detur in subordinatis essentialiter.

Contra. Etiam in causis non subordinatis essentialiter dato processu in infinitum, deveniri debet ad aliquem, qui sit primus non genitus, propter argumentum factum, nisi velis illum primum fuisse genitum ab eo quem genuerat. Deinde Philosophus universaliter negat, dari processum in infinitum in causis subordinatis, arguitque impossibilitatem ex ipsa illarū infinitudine, quæ utrobique reperiretur. Nec est major ratio de causis subordinatis essentialiter, quàm non subordinatis essentialiter, Ergò si in illis non datur processus in infinitum, nec in istis dabitur: quia absurdum est finitum effectum pendere à causis infinitis, quamvis non subordinatis essentialiter.

Respondebis secundò ex eodem. In æternitate à parte post, si darentur generationes, non posset DEUS assignare, & videre ultimum hominem, ex infinitis, successivè producendis. Ergò nec potest videre primum in æternitate à parte antè.

Contra. Ne videat DEUS ultimum in æternitate à parte post, est hoc de exigentia æternitatis, à parte post; si enim esset illîc ultimum, clauderetur illa æternitas à parte pòst, nonque jam ulteriùs progrederetur. Quod ipsum ulteriùs, ne retorsioni pateat, sic proponi potest. Æternitas à parte post, est talis naturæ, ut nunquam de illa verum sit dicere, jam nunc est æternitas à parte post. Quidquid enim jam illam sequeretur, esset jam post æternitatem à parte post, hocque ipso illa æternitas à parte post; quia post æternitatem à parte post, nihil potest sequi; quia æternitas à parte potest, debet complecti omnes mensuras à parte post. Quia autem de eo, quod est ab æterno à partè ante, dici potest, jam est ab æterno, benè etiam in illo, & sine repugnantia ostendi potest, quòd sit immediatè à DEO productum. Unde etiam videt Pater æternus Filii sui ab æterno productionem immediatam, quamvis non videat filii sui productionem ultimam à parte post.

Suppono secundò. In ordine ad negandum, quòd dari possint generationes successivæ ab æterno, ponendum est, quòd non eodem instanti, quô producitur id quod est ab æterno, quòd inquam non in eodem instanti, producat effectū, quia hoc non esset generatio successiva, quam hîc impugnamus, sed plurium entium ab æterno coexistentia; de quo infrà.

Suppono Tertiò. Quòd non hîc quæritur: An DEUS ab æterno successivè possit producere entia, quæ sibi succedant? hoc enim spectabit ad sequens punctum, sed inquiritur: an generatio, quæ & qualis de facto successiva datur, potuerit fieri ab æterno. *His suppositis*

Probatur Conclusio. Quando v. g. gallina A. primò à Deo ab æterno producta, excluderet ovum, & ex ovo generaret gallinam B; ante generationem gallinæ B. vel duravit gallina A. spatio finito vel infinito; si duravit spatio infinito. Ergò illa generatio gallinæ B. non est facta ab æterno, quod tu assumebas; siquidem illius generationem præcessit spatium infinitum, cùm tamen æternitatem, antè, nihil præcedat, utpotè omnem mensuram à parte ante complectentem; Si duravit spatio finito gallina A, ante generationem gallinæ B. Ergò gallina B. non est ab æterno; siquidem æternitatem ante, nihil, etiam finitum præcedere potest. Ergò ulteriùs non est productio facta gallinæ A ab æterno, quia productum ab æterno, producta in tempore debet antecedere spatio infinito, hôc ipso enim non esset ab æterno, si finitè nonnisi distaret à tempore. Supponitur autē generatio illa gallinæ B. propter dicta, & dicenda, facta esse in tempore.

Confirmatur Conclusio. Illa generatio successiva ab æterno, vel habet posteriùs & priùs, vel non habet? si non habet? successiva non est, si habet? quæro, antequam sit posterius, vel est successivum, vel non: si antequam sit posterius, est successivum sine succedente. Ergo ulteriùs definitè successivum est solum priùs; siquidem dum est

solum

olum prius, jam reperitur definitum, quod est successivum; Si autem antequam sit posterius, non est successivum? cùm jam est posterius, quęro de illo posteriori, vel est ab æterno, vel non; si non est ab æterno? Ergò non successit ab æterno, adeoque nec successio æterna; Si est ab æterno illud posterius, Ergo prius, quod etiam complet rationem successivi, non est ab æterno; quia duratio prioris & posterioris non sunt commensurabiles, & si posterius ab æterno prius non erit ab æterno: aliâs commensuratam durationem haberent. Ut autem prius non sit ab æterno, si posterius est æterno, implicat in terminis.

Objicitur 1. Quamvis verum sit, quòd immediatè à DEO gallina v. g. producta, sit prior quâcunque determinata generatione, non est tamen verum, esse priorem omni successivâ generatione, collectivè acceptâ. Quod probatur. Quamvis sit vera hæc propositio in sententia Aristotelis, post quamlibet divisionem in partes quantumvis minimas, possibiles esse alias divisiones, tamen falsa est hæc Consequentia: Ergo post omnes divisiones hujus continui, possibilis est alia. Rursùs vera est hæc propositio; quilibet numerus finitus, habet alium numerum finitum excedentem; Ergo omnes numeri collectivè sumpti, habent numerum excedentem. Ergo etiam ex hoc antecedenti; Creatura immediatè à Deo producta antecedit omnem generationem distributivè acceptam, non sequetur, quòd antecedat omnem collectivè acceptam.

Respondetur adferendo disparitatem. Quia in adlatis exemplis reperitur absurdū, nullum autem est in consequenti. Quod ipsum probatur: quia in partibus collectivè acceptis continentur omnes partes possibiles, in numerô item finito collectivè accepto continentur omnes numeri finiti, adeoque, si aliquid restaret suprà collectionem numeri finiti, restaret aliquid suprà id, quod est etiam in tota collectione numeri finiti, adeoque restaret aliquid supra seipsum: item in omnibus partibus divisibilibus collectivè acceptis, continentur partes omnes, si ergò adhuc essent divisibiles suprà, quàm essent divisibiles. Jam autem in generatione illa successiva ab æterno, non contineretur id, quod supponitur immediatè productum à Deo. Hinc, si ponatur illud immediatè à DEO productum, esse priùs omnibus aliis generationibus collectivè acceptis, non supponetur prius seipso. Denique non arguitur hîc ex eo, quòd singulis genitis sit prior gallina immediatè à DEO producta, esse etiam priorem omnibus collectivè acceptis; quod tamen solum adstruere videtur objectio adlata; quando autem teneat consequentia à distributione ad collectionem, dictum in prima parte, ubi probatur DEI existentia.

Objicitur 2. Possibilis est generatio æterna à parte pòst: Ergò etiam possibilis erit generatio æterna à parte antè.

Respondetur. disparitatem esse; quia si concedatur prius & posterius in generatione æterna à parte post, nullum esset absurdum; nec enim pro absurdo inferri potest, aliquid ex illis non esse æternum, cùm pro concesso detur, nihil esse illîc æternum, si autem concedatur prius & posterius in generatione æterna à parte antè, sequetur absurdum, ut dictum suprà.

Objicitur 3. Ponamus stupam applicari igni ab æterno, cùm ignis sit causa necessaria, eodem instanti, quo ponetur cum stupa, igniet stupam. Idemque ad imaginationem promptiùs fiet in pyrio pulvere. Ergò generabit ab æterno ignem. Itē ponatur lapis ab æterno suspensus in aëre, descendet deorsum ab æterno, qui modus est successivus &c. Ergò aliquid successivum potest dari ab æterno. Angelus item creatus ab æterno posset unam cognitionem post aliam exercere, quo in eventu, daretur successio cognitionum.

Respondet Oviedo, ab igne non comburendam stupam ab æterno, idem dicendum de pyrio pulvere, lapide, &c. Ratio: quia hoc ipso, quòd DEUS velit creare stupam ab æterno, decernet independenter à quocunque contrario, exigente illius corruptionem, conservare illam per æternitatem: comburi itaque non poterit, nisi in tempore; quod tempus incipere citiùs & citiùs potest, ita ut nullum sit assignare tempus, quo citiùs igniri non potuerit, quia res æterna à parte antè potest hôc vel illo tempore, vel instanti finiri. Addit non posse dici, quòd ignis comburat stupam primo instanti, quo posset; posset enim citiùs & citiùs.

Punctum Difficultatis 2.

An Motus & Tempus potuerint esse ab æterno?

Dicendum est. *Motum successivum & Tempus non potuisse esse ab æterno.*

Probatur primò. Restaurando argumenta, quibus responsionem attulit Oviedo.

Primum Argumentum est. In motu successivo necessariò debent dari partes priores & posteriores, tunc quæro, illud prius vel antecessit id, quod est posterius, æternitate, vel antecessit nonnisi tempore? si antecessit æternitate? Ergo motus ille non fuit ab æterno successivè fluens; si antecessit tempore? Ergò posterius illud non fuit ab æterno, nec etiam prius illud fuit ab æterno; siquidem antecessit nonnisi tempore, quod non est ab æterno.

Respondet Oviedo. Quòd nulla pars motûs fuerit ab æterno, sed inde non sequitur motum non fuisse ab æterno, quia etsi quælibet illius pars fuerit in tempore, ante illam potest assignari

gnari alia prius tempore existens; & sic in infinitum alia & alia prior, ratione quarum partium, motus dicitur ab æterno esse.

Contra. Tum quia, si nulla pars motûs successivi potuit esse ab æterno, nec motus ipse successivus, potuit esse ab æterno. Quod ipsum probatur. Si partes hominis non potuissent esse ab æterno, nec ipse homo potuisset esse ab æterno; Ergò & in præsenti idem dicendum. tam enim essentialiter homo constituitur suis partibus, quàm motus successivus, suis. Tum quia eodem jure respondendi dici posset, etiam generationes posse esse ab æterno; quia etsi quælibet fuerit in tempore, potest tamen antè illam assignari, prior & prior generatio, & tamen posse esse generationes abæterno. Negat Oviedo. Tum quia ex eo tantùm salvaretur æternitas motûs, quia ante quemcunq; motum potest assignari motus priùs tempore existens, & sic in infinitum; sed hoc non potest salvare æternitatem motûs, ut probatur, quia priùs & posterius in infinitum dabile, semper tamen in tempore, non adstruit æternitatem, tempus enim non fundat, sed destruit æternitatem.

Secundum Argumentum est: Si motus fuit ab æterno, verum erit dicere Deum non fuisse priùs tempore motu. Hôc posito quæritur? vel verum erit dicere, Deum non esse priorem omnibus partibus motûs, vel certè verum erit dicere, aliquâ parte priorem non fuisse: Neutrum dici potest. Non primum; quia cùm aliquæ illius partes factæ sint in tempore; falsum erit dicere, quòd Deus non sit prior illis; Non etiam verum erit dicere secundum; quia respectu quarum partium motûs, non est prior Deus, adhuc continent illæ partes motûs in se, prius & posterius, adeoq; adhuc respectu illarum, prior erit Deus.

Respondet Oviedo: Deum non esse priorem tempore motu ab æterno, id tamen verificatur, non de aliquibus partibus motûs, nec de omnibus partibus, sed de omnibus collectivè sumptis, quibus omnibus, hôc modo sumptis, Deus non est prior.

Contra. Tum quia illo Deus non est prior, quod est ab æternitate: sed collectivè acceptæ omnes partes, non sunt ab æternitate. Ergò. Major probatur. Quia Deus est prior omni eo, quod est in tempore. Minor principalis probatur. Quia collectivè acceptæ omnes partes, etiam motu ab æterno dato, includunt eas, quæ fuerunt in tempore, aliâs non omnes, nec collectivè acciperentur. Ergò falsum est, quòd omnibus illis collectivè acceptis non sit prior, & sicut v.g. falsa est hæc propositio: Discipuli omnes collectivè accepti salvabuntur, siquidem unus Judas damnabitur, sic falsa erit hæc; Omnibus collectivè acceptis partibus, Deus non est prior: siquidem est prior illis, quæ sunt in tempore, clauduntur tamen illâ collectione. Tum quia de illis partibus collectivè acceptis quæro; an vera sit hæc Universalis, Nulla est pars, quâ Deus non sit prior? si est vera? Ergò & totam illam collectionem antecedit; quod probatur: quia illa negativa Universalis est explicabilis per descensum distributivum, de singulis verificabilem. Ergò etiam verificari debet de tota collectione. Nam si verum est dicere; nullus in hoc loco est albus, verum etiam erit dicere de tota collectione, quòd non sit alba. Quodsi illa negativa Universalis, scilicet; Nulla est pars, quâ Deus non sit prior, si inquam est falsa, Ergò vera erit Contradictoria illius; Aliqua est pars, quâ Deus non est prior; quæ ipsa propositio, quia non est de singulis partibus motûs verificabilis, de illis ipsis redibit argumentum, quomodo sint ab æterno, cùm habeant priùs & posteriùs. Tum quia si est Deus prior aliquibus, & omnibus partibus, quomodo non est prior, omnibus collectivè.

Tertium Argumentum est à pari. Implicant generationes ab æterno. Ergò & motus ab æterno.

Respondet. Disparitatem esse; quia in generationibus deveniri debet ad unum principium, à quo reliqua genita, & ipsum non est genitum ab ipsis; in motu autem, non est devenire ad priùs tempore, existens priùs reliquis omnibus, quæ successivè fluunt.

Contra. In generatione est necesse devenire ad unum principium, à quo reliqua genita. Ergò in motu est necesse devenire ad primò omnium motum, cui reliqua omnia successerunt, & ipsum nulli successit.

Probatur Secundò. Posito, quòd motus ab æterno esse posset, quæro, vel haberet adhuc priùs & posteriùs, vel non haberet? si non haberet priùs & posteriùs idq; ab æterno? Ergò non datur motus successivus ab æterno; quia successivum definitivè stat priori & posteriori, quod tu dicis non dari ab æterno. Quòd si motus ille successivus habet posterius, idque ab æterno? Ergò & est æternus, ut supponitur, & non est, quia id quod æternum est à parte Antè, posterius non est, nihil enim potest esse prius eo, quod est ab æterno, & tamen motus successivus includit posterius.

Probatur Tertiò. Valet hoc argumentum, quô probat Ovied: partes motûs successivi, non posse esse ab æterno; & est tale. Omnis pars motûs existentis ab æterno, habet aliquid prius existens, videlicet aliam partem: Sed omne quod habet aliquid prius, est existens in tempore: Ergò omnis pars motûs existentis ab æterno est in tempore. Ergò etiam valebit hoc argumentum; Omnis motus successivus existens ab æterno habet prius & posterius: Sed omne quod habet prius & posterius, est in tempore. Ergò omnis motus successivus

existens ab æterno, est in tempore. Major constat definitione motus successivi. Minor ipsius est Oviedi, modus autem arguendi consimilis priori.

Respondet Pontius. Motum & quodcunque Ens successivum spectari posse secundùm se, & omnes suas partes; ita ut quælibet illius pars sit ab æterno; & sic motus, non potest esse ab æterno, propter adlatas rationes. Deinde motus & quodcunque Ens successivum, potest esse ab æterno; quia ita se habet, ut æternitas non possit coexistere ulli tempori imaginario aut reali, cui illa res secundùm aliquid sui non coexistat, quamvis non coëxistat ipsi, secundùm se totam.

Contra. Tum quia motus in ista acceptione secunda, vel habet prius & posterius, vel non habet? si non habet? successivus non est; si habet, sequentur absurda jam adlata. Tum quia quamvis ponatur, quòd æternitas nulli tempori etiam imaginario coëxistere possit sine hoc, quòd etiam motus secundùm aliquid sui coëxistat tempori, tamen per hoc salvari non potest motus illius æternitas, quia & esset æternus ut supponitur, & non esset, quia coëxistentia cuicunque tempori se sola non arguit æternitatem; quia in sententia Aristotelica una hora ita dividi potest, ut aliquid illius coëxistat æternitati toti, & tamen ratio horæ non fundat æternitatem. Tum quia tempus etiam imaginarium habet imaginarium prius & posterius; adeoque imaginarium non fundans æternitatem; sicut prius & posterius reale fundat non æternitatem realem.

Punctum Difficultatis 3.

An Ens permanens potuerit esse ab æterno.

Titulus potest procedere imprimis hoc sensu: An creatura una vel plures ab æterno sine successione produci potuerint? Deinde, an si Deus aliquam creaturam permanentem poneret ab æterno, posset successivè aliam secundam facere, & tamen ab æterno, utrumque resolvatur.

Dicendum est. *Implicare contradictionem, ut si Deus ponat aliquam creaturam permanentem ab æterno, possit successivè aliam secundam producere, & tamen ab æterno.*

Prima implicantia est. Si Deus creet Ens permanens ab æterno, vel potuisset creare aliud Ens permanens in tanta distantia, in quanta per impossibile gallina A, ex ovo B, excluisset gallinam C; vel non potuisset creare? si potuisset, quæro, illa secunda creatura vel distaret spatio finito ab illa prima vel infinito spatio? si spatio finito? Ergo nec illa prima fuit ab æterno; Siquidem ab eo quod in tempore est, nonnisi finitè distaret, si autem distaret spatio infinito? Ergo non stas in suppositione, quòd scilicet tanta interceserit inter utrumque distantia, quanta foret, si per impossibile gallina A ex ovo B excluisset gallinam C, quia hæ alterationes non deposcunt spatium infinitum. Si autem non potuisset creare aliam creaturam permanentem in tanta distantia, de qua hîc? Ergo multo minus potuisset illam creare successivè, & tamen ab æterno. Deinde potuisset illam creare citius & citius, & citius, ita, ut potuerit eam etiam ab æterno creare si voluisset, tunc quæro, computando à tempore usque ad æternitatem, idque per infinitas mensuras, vel includeretur in illa computatione etiam dicta distantia, vel non includeretur? Si includeretur? cùm Deus potuerit per te incipiendo à tempore etiam in æternitate creare secundam creaturam permanentem, incidisset etiam in illam distantiam, de qua hîc; redibitque argumentum factum: si non includeret etiam illam distantiam, ergo si in illa distantia secundam creaturam permanentem producere non posset, neque posset producere ab æterno, contra quam tu assumas: sed si veniretur ad illud instans, jam in illo producere non posset, adeoque nec in æternitate, ibique finiretur illud citius, & citius, quo Deus potuisset ponere creaturam.

Nec valet, si dicas, quòd in illa quidem distantia producere non posset illud secundùm Ens permanens, possit tamen ab æterno, rediret enim argumentum, an illa distantia in qua impossibile est Deum creare secundam illam creaturam, distet spatio finito an infinito.

Respondebis primò. Argumentum multum probare, probaret enim etiam Verbum æternum, non esse ab æterno. Quæram enim, an in tanta distantia à productione verbi potuerit poni creatura permanens? redibuntque argumenta facta.

Contra est. Quia cùm implicet creatura permanens ab æterno, successivè tamen producta, hinc fit, quòd quamvis citius & citius in tempore produci possit, non tamen produci possit ab æterno, hinc in illam distantiam, de qua procedit argumentum, nunquam incidere potuisset.

Respondebis secundò. Quòd cùm æternitas habeat transitum inconsummabilem, quamvis citius & citius produci potuisset illa secunda creatura, non deveniretur unquam usque ad æternitatem, nam hæc habet transitum inconsummabilem, consequenter non sequeretur, quòd deberet incidere in illam distantiam.

Contra. Quia quamvis per mensuras finitas infinitum exhauriri non possit, exhauriri tamen potest per infinitas mensuras, adeoque deveniri poterit ad illam distantiam; vel si non vis for-

formari argumentum de descripta distantia, procedat de solo puncto successionis.

Respondebis tertiò. Illam distantiam, de qua hic non contineri in æternitate cùm sit impossibilis, & implicatoria, æternitas autem nullum instans implicatorium continet: nec inde sequetur, quòd ab æterno produci non potuerit prima Creatura, quia potuit produci omni distantiâ & instanti possibili; illa autem distantia est implicatoria. Quòdsi ulterius quæras, utrum illa distantia, quæ dicitur implicare, finitè vel infinitè, distet ab æternitate? Responderi poterit, quòd, cùm illa distantia sit impossibilis, fore illam distantiam finitam, & non finitam, infinitam & non infinitam.

Contra est; quia argumentum factum, potest poni totum non de distantia illa circumscripta, sed de ipsa successiva productione. Sed urgendo argumentum secundùm imaginationem positam, sic ulterius proceditur. Quòd hæc distantia sit quidem implicatoria, sed implicantia illius redundat in Ens permanens, successivè tamen ab æterno productum; quia tota illius implicantia est in successione, seu prioritate, & posterioritate intra mensuram æternitatis.

Secunda Implicantia est. Implicat motus, & tempus ab æterno. Ergo & Ens permanens, successivè tamen productum: quia eædem implicantiæ pro utraque parte tenent.

Dicendum est 2. *Possibilem esse Creaturam unam, vel plures simul ab æterno productas, post quas tamen non possint aliæ poni nisi in tempore.*

Probatur Conclusio. Quia nulla in hoc implicantia. Solvendæ implicantiæ.

Solutio Implicantiarum.

Prima Implicantia est petita ex Materia de infinito & duratione. Si talis Creatura daretur, duraret per æternitatem; si duraret per æternitatem, duratio illius esset infinita. Sed infinitum implicat.

Respondetur. Illam durationem fore infinitam, hoc est, carentem omni etiam imaginario instanti temporis, quò non fuerit, non fore tamen infinitam, ratione alicujus realis infiniti, ad cujus scilicet infinitudinem, terminata sit actio aliqua realis. Hinc actio productiva creaturæ ab æterno, erit actio aliqua terminata ad ipsam entitatem Creaturæ finitam, coëxistentem Deo, qui est mensura æternitatis in præsenti. Unde hoc argumentum probat multùm; nempe Deum non existere ab æterno, si enim existeret ab æterno, daretur æternitas à parte antè, quæ dari non potest, quia illa æternitas esset infinita actu, & tamen infinitum actu implicat.

Secunda Implicantia est posita ex dominio Dei. Si possibile esset Ens permanens ab æterno, deberet durare per æternitatem: quomodo enim esset ab æterno, si per æternitatem, quæ vocatur ante, non duraret: si autem deberet durare per æternitatem, non posset illam Deus annihilare per æternitatem: quod videtur absoluto Dei dominio obesse.

Respondetur. Creaturam inannihilabilem implicare contradictionem, ob ea, quæ dicuntur in Materia de incorruptibilitate Angelorum, quia ex suppositione antecedenti est inannihilabilis, adeoque officiens dominio Divino, quia non relinquens potestatem disponendi prout voluerit, idque non ex suppositione usus libertatis circa inannihilationem, suppositio enim libertatis non tollit libertatem. Jam autem creatura ab æterno producta, cùm potuerit produci in tempore, non ex suppositione antecedenti, habet inannihilabilitatem, sed ex suppositione consequenti, quòd scilicet Deus voluerit illam produci ab æterno, adeoque ab æterno conservari: jàm autem quòd non possit Deus ab æterno aliquid ex suppositione consequenti facere, id non officit Divino dominio. Tota ergo inannihilabilitas illius ab æterno, est ex suppositione, quòd Deus velit illam esse æternam à parte antè, non potest autem de illa esse decretum, ut sit æterna à parte ante, si possit destrui ab æterno; licèt illud quod non possit destrui ab æterno, proveniat ex suppositione Decreti, ut autem illam ab æterno & tamen liberè produxerit Deus, sufficit indifferentia in priori naturæ ad producere, vel non producere.

Tertia Implicantia est: Non potest communicari creaturæ immensitas, nec omniscientia. Ergo nequè duratio ab æterno.

Respondetur. Possibile est ut creaturæ communicetur notitia omnium possibilium creaturarum, sed non omniter, ut ita dicam, quia illi non potest comunicari comprehensiva scientia Dei, quæ includitur in omniter scientia. Ad immensitatem quod attinet, si quæratur; An Deus per absolutam suam potentiam facere possit, ut in quibus locis est ipse, illic etiam replicativè ponatur creatura? hoc negandum potentiæ Dei non est, deficiet tamen ab immensitate, quia Deus sine ulla replicatione, est ubique. Si autem per immensitatem intelligatur perfectio Dei, secundùm quam coëxistere potest cuicunque loco, cùm hæc perfectio supponat infinitatem Essentiæ, quæ creaturæ communicari non potest, fit ut nec communicari possit immensitas, & si non repugnaret immensitas sine infinitate essentiæ, non repugnaret communicari illam creaturæ; non ostenditur autem necessariò connecti cum infinitate essentiæ, æternitatem à parte ante.

Instabis. Si ponatur linea infinita ex una parte, potest Deus semper & semper, in remotiori & remotiori distantia, ponere Angelum vel hominem, nec posset ponere à nobis in tantum remotum Angelum, quin produ-

cere possit remotius distantem. Ergo nec potest esse quidquam in ante, ita productum, quin anterius produci potuerit. Ergo non potest produci ab æterno; nam producto ab æterno, nihil anterius produci potest.

Respondetur. Quamvis in dicta linea procedendo per partes finitas possit aliquid produci anterius, secùs si positio commensuretur infinitati lineæ.

Petitur etiam contra hanc Conclusionem argumentum ab Auctoritate Patrum, qui arguentes contra Arrium pro principio assumebant. Verbum non esse Creaturam, quia ab æterno erat, quæ argumentatio non valuisset, si potuit esse Creatura ab æterno.

Respondet primò Oviedo, Patres argumentatos esse ad hominem, quia censebant Arriani nullam Creaturam fuisse ab æterno. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia ponebant Arriani aliqui, Verbum esse Creaturam, & tamen ab æterno, quomodo ergo nullam Creaturam dicebant esse ab æterno. Quodsi velit intelligi Oviedo, quòd scilicet nulla alia creatura fuerit ab æterno, non tenuisset Consequentia. Ergo neque Verbum, si est Creatura, fuit ab æterno; sicut enim si unum permanens in sententia Ovied. positum fuisset ab æterno, mala fuisset consequentia argumenti, ex eo non esse positum illud ens permanens, quia nullum aliud Ens permanens positum fuisset, si nec ista Patrum consequentia tenuisset.

Respondet secundò Amicus disp. 7. de Æternitate Dei Sect. 2. & post eum Pontius, Sanctos negasse æternitatem Creaturis talem, qualem Philosophi possibilem asserebant, & qualis negata sufficiebat ad probandam æternitatem Verbi: nimirum negabant æternitatem necessariam, qualem Aristoteles comminiscebatur in mundo; & cùm ex altera parte necessariò sit productum Verbum, inferebant, Verbum non esse Creaturam, sed Deum. Quando autem Patres ex eo arguebant creaturas non posse produci ab æterno, quia cùm Creaturæ sint, debent produci ex nihilo, argumentum illorum procedebat non de nihilo antecedente tempore, & positivè, sed de nihilo antecedente negativè, quia scilicet potuerant esse nihil. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia non salvat plenè dicta Patrum: nam supponit, quòd Arriani universaliter docuerint necessarium fuisse, ut VERBUM fieret ab æterno, cùm teste Athanas. Orat. 2. contra Arrian. censuerint illud factum esse in tempore. Deinde has & taliter negant PP. posse fieri Creaturas ab æterno, quas & qualiter affirmabant Arriani. Non affirmabant autem posse illas fieri necessariò, quia non agnoscebant Deum necessariò agentem ad extra.

Ut verum fatear, majus robur argumentum Patrum habuisset, si posset à nobis demonstrari Major hæc; Impossibilis est Creatura æterna. Ut tamen robur argumenti Patrum tueamur.

Supponendum est. Quòd secundùm varia tempora Arriani mutârint suam sententiam. Nam Primus Arrius dixit, Verbum esse Creaturam, genitumque ex Non existantibus, hoc est in tempore, & non ex substantia Patris. Rursus alii nolebant Filium appellare creaturam, dicebantque Deum esse, sed Minorem. Deinde alii negabant habere similem naturam cum Patre, ne identitatem agnoscerent. Postea asserebant esse similis Naturæ, alietatem Naturæ intelligendo: quia scilicet similitudo est semper inter distincta. Pfathyriani autem agnoscebant Filium esse ab æterno, & ante omnia secula. Hòc supposito:

Respondetur tertiò, argumentum hoc: Nulla Creatura est ab æterno, Verbum est ab æterno, Ergo Verbum non est Creatura, argumentum, inquam, hoc non urgisse Arrianos omnes, sed hos qui castigatiùs loquentes, nolebant asserere Christum esse creaturam; nam Minor & Major erat illorum, concessâ autem consequentiâ instabant Patres. Quicquid est, vel est Deus, vel Creatura. Ergo cùm Verbum, ex concessis, non fuerit Creatura, & fuerit ab æterno, Deus erat. Suar. autem dicit, Majorem illam processisse de eo, quod erat de facto, non de eo quod fieri potest de potentia absoluta. Denique assumebatur tanquam articulus Fidei. Nihil Creatum est ab æterno.

QUÆSTIO II.

De Conservatione.

Quæres 1. *Quid est, & quomodo distincta sit Conservatio?* Nomine conservationis, omnes communiter accipiunt continuatam rei productionem. Hinc differt à prima productione; quia prima productio supponit non præhabitum antè, esse, Conservatio autem supponit præhabitum esse. *Quod autem attinet ad distinctionem conservationis.*

Assero 1. *Conservationem creativam immediatè à solo Deo sine interventione miraculi profectam, non esse distinctam modaliter.*

Ratio. Quia neque ipsa Creatio est distincta modaliter.

Assero 2. *Conservationem, quâ causæ creatæ, unà cum Deo, conservant aliqua, ut cùm conservat ignis calorem, quem in se emanat, objectum species, Sol lucem, involvere connotatam modalitatem.*

Ratio est; quia etiam productio talium, involvit connotationem modalitatis.

Assero

Assero 3. *Posset quidem dici, quòd Creativus concursus, quo conservantur à Deo accidentia Eucharistica, sit distinctus à re conservata.*

Ratio. Quia potest esse entitas accidentium, & non esse sic conservata, *id tamen non adeò certum est*, ut patebit solutione Objectionum.

Contra assertum Primum Dices Primò. Si conservatio non est quid distinctum, à re conservata, non erit explicabile, quomodo Deus possit res annihilare: non enim potest res annihilare per actionem positivam, cùm annihilatio nihil efficiat; non per subtractionem conservationis, quia hæc nihil est, præter ipsam rem, prout continuatè existentem; quid ergo subtrahit, ut vi illius subtractionis, censeatur creatura annihilari.

Respondetur. Deum annihilare per subtractionem concursus indistincti, quæ subtractio concursus nihil aliud in re est, quàm actus voluntatis Divinæ, terminatus ad non esse Entis, quod habuit esse. Imò ita melius salvatur, quomodo posità subtractione concursus, immediatè res annihiletur, aliàs enim tunc annihilatio immediatè terminaretur, ad non esse concursus, mediatè ad non esse Entis; per nos autem, immediatè terminatur, ad non esse Entis. Quòd autem immediatè & in eodem signo rationis, quò ponitur annihilatio, debeat esse desinentia esse, ratio est; quia hoc ipso, non esset annihilatio, & non esset desinentia esse. Cæterùm quando Deus vult annihilare rem, quam conservabat, eâdem conservatione, quâ illam Creatura conservabat, tunc illa voluntas annihilandi, est virtualiter duplex, scilicet & annihilandi concursus, & annihilandi rem, quamvis enim, qui vult annihilare entitatem conservativæ causæ, realiter etiam velit annihilare rem conservatam; consequenter in illo priori, sublato concursu conservativo, realiter res jam non est, ad salvandas tamen melius formalitates annihilationis, immediatè explicatas, debet poni actus voluntatis, ratione nostrâ, æquè primò utrumque volens annihilare.

Dices secundò. Si in aliquo casu, conservatio, non est quid distinctum à re conservata, tunc pro ratione formali, quare aliquid annihiletur, nihil posset dari, quod ipsum probatur. Ratio enim, quare aliquid annihilatum sit, est, quia illi subtractus est concursus conservativus: si autem quæratur, in quo consistat hæc subtractio concursus? dices, quia res periit; adeoque dabis pro ratione, quare res perierit, quia periit.

Respondetur: Quòd rationes formales, non sit necesse semper condistinctas in re assignare, sed sufficit illam assignare sub alio conceptu immediato, quantumvis postea in re indistincto, ab ipsa entitate rei, de qua quæritur. Sic v.g. si quæras, quare Petrus sit individuum? Respondebis, quia est hæcceïsata substantia; Si quæras, quare sit hæcceïsata substantia? tandem post multa respondebis ad hoc, quia Petrus est Petrus. Deinde interrogando, quare res perierit? recurri debet ad nolitionem conservandi, ad quam sequitur, ipsum rei perire.

Dices tertiò. Si Deus non esset omnipotens, & tamen vellet meam operationem non esse, non sequeretur, hôc ipso meam operationem non esse. Ergo ratio annihilationis non debet in voluntatem Dei referri.

Respondetur. Si Deus non esset omnipotens, modò esset à voluntate Dei dependentia essentialis creaturarum, non essent creaturæ, defectu, solius voluntatis Divinæ; licèt si non concedatur hæc dependentia, quamvis vellet Deus rem non esse, esset tamen, cur enim periret. Unde est disparitas, Cur si Deus vellet fieri aliquid, & non esset omnipotens, nihil fieret; si autem non esset omnipotens, haberet tamen dependentiam ab ejus voluntate res, annihilaretur, si Deus nollet illam esse. Quia in omni positione rei, debet aliquid produci, sola autem voluntas, sine adnexa executiva, nihil producit; jam autem, quia annihilatio nihil producit, non est necesse, ut habeat adnexam sibi aliquam executivam. Immeritò etiam imaginatur objectio, non poni à nobis concursum conservativum, ponitur enim, sed indistinctus à re pendenti ab omnipotentia; sicut & creatio proficiscitur ab omnipotentia, licèt non sit quid distinctum à re creata.

Contra Assertum tertium. Dices Primò. Quotiescunque duo ita se habent, ut uno variato, maneat invariatum aliud, illa debent distingui nemine cogitante; sed ita se habet res in præsenti; quia eadem accidentia invariata, quoad entitatem manent, & tamen variatur actio, quia antea, cùm erant accidentia in substantia panis, conservabantur actione eductivâ, nunc conservantur actione Creativâ.

Respondetur. Illa accidentia invariata manere quoad entitatem, variata autem, quoad connotata: nam quando à solo Deo conservantur, dicunt negationem influxûs aliarum causarum, quamaliàs non dicebant.

Dices secundò. Implicat fieri transitum ab uno Contradictorio, ad aliud, sine sufficienti mutatione. Sed nisi conservativus concursus, prout hîc de illo agitur, esset condistinctus, non ostenderetur sufficiens mutatio. Quod probatur. Quia nulla fit mutatio in entitate, neque etiam in Causa, vi cujus mutationis nunc à solo Deo dependeant, & non ante. Ergo.

Responsum. Mutationem fieri ratione negationum, quia scilicet antea non dicebant accidentia negationem dependentiæ ab aliis, præter Deum, Causis, quam dicunt in Eucharistia. Quæ negatio oritur propter non esse influxus Causarum secundarum, qui influxus desinit, & tamen manet esse Accidentium; habet ta-

men concursus ille positivitatem, inclusam in ipsis accidentibus, à quibus indistinguitur.

Instat Amicus. Nova connotatio, intelligi non non potest, absque nova mutatione.

Respondetur. Verum id esse, sed mutatio hæc non debet esse semper in entibus, ut dictum alibi.

Dices tertiò. Quando desinit concursus causarum secundarum, vel desinit etiam concursus Dei, vel non desinit? sed tantùm novam formalitatem acquirit, quam antea non habebat: Si desinit concursus Dei, & alius illi novus succedit, Ergo debet esse distinctus entitativè; quomodo enim succederet, si novam entitatem non adferret, hocque ipso non succederet, quia nihil esset, quod succederet. Si autem non desinit concursus Dei, sed idem manens, acquirit formalitatem Creativi concursus, quam antea non habebat, Ergo idem quod erat naturale, fieri potest supernaturale, nam ille concursus est supernaturalis. Ergo ulterius duplici concursu Deus conservat formas eductas; uno quidem, qui identificatur ipsi concursui creaturarum, & qui perit concursu creaturarum pereunte, & alio qui manet pereunte concursu creaturarum.

Respondetur. Cùm concursus Dei, quo antea ad illa accidentia conservanda concurrebat, sit idem realiter cum concursu creaturarum, illo creaturarum concursu pereunte, etiam ille concursus Dei perit; qui autem succedit illi creativus, non succedit propriè, quia successio propria, importat novam adlatam entitatem, sed succedit impropriè, quia scilicet ponitur tunc concursus identificatus realiter ipsi entitati, sed non habens formalitatem concursus, nisi in circumstantia negationis concursus aliarum causarum; quæ negatio, tùm primum habetur. Ad eum planè modum, quo præcisâ ulnâ, partes ultimæ, præcisæ incipiunt habere formalitatem terminorum, in circumstantia negationis ulterioris extensionis, quæ de novo pullulat. Quamvis hi ipsi termini sint identificati realiter, præexistenti cæteroqui entitati, estque ille concursus supernaturalis, non ratione alicujus positivi, sed negativi, nempe esse habiti, in circumstantia negationis concursus conservativi, creati.

Dices quartò. Actio Creata malè explicatur per hoc, quia res est, & alia non concurrunt: Ergo etiam & actio creativa, malè explicatur per hoc; quia res est, & creaturæ non concurrunt.

Respondetur. Disparitatem esse, quia dabilis est casus, quo verè actio Creata est, & tamen non dicit negationem concursûs aliarum causarum, ut si omnes possibiles causæ ad eundem effectum concurrant, non est autem dabilis casus, quo res sit & non sit dependens à causis creatis, nec tamen conservetur creativo concursu.

Instabis. Possibilis est creatura obedientialiter creativa. Ergo sicut actionis creatæ, mala est explicatio, quòd sit effectus, & non dependens ab aliis causis creatis; ita mala erit & creationis, quia possibile est eundem effectum à Deo & creatura creari.

Respondetur. Per nos non definitur actio creativa, quòd sit actio, vi cujus effectus sit, & non sit dependens ab aliis causis creatis, & si ita definiretur, benè argueret instantia: nam potest etiam creatura creare; Sed per nos si Deus & creatura crearet, convenirent in hoc, quia utraque produceret ex nihilo, differret autem in hoc, quia creatio à solo Deo profecta, nec esset modalitas, nec connotaret modalitatem; jam autem creatio à creatura profecta, non sine modalitate esset quod innui de creatione q.1.d.1. ante continuationem solutionis.

Dices quintò. Conservatio profecta à causis creatis est distincta. Ergo & creativus concursus Divinus.

Respondetur. Disparitatem esse; quia nulla potest mutatio assignari, ratione cujus transeat creatura à non esse conservantis ad esse conservantis, jam autem negatio concursus creaturarum causarum, re tamen permanente, sufficit ut dicatur; quòd accidentia creativo concursu conserventur.

Quæres 2. *An quæcunque res immediatè in suo conservari pendeat à Deo?*

Assero. *Quòd sic.*

Ratio. Tum quia, si non penderent in suo esse, & conservari à Deo, essent entia à se, adeoque in conservari non creaturæ; quæ formalitas creaturarum in conservari, meliùs salvatur per immediatam conservationem. Tum quia nihil producitur, quod simul concurrendo immediatè non producat Deus, Ergo etiam immediatè conservat. Tum quia non posset explicari, quomodo sit in potestate Dei, omnia annihilare, nisi ponatur, quòd immediatè omnia conservet.

Quæres 3. *An Creaturæ etiam seipsas conservent.*

Assero. *Quòd non.*

Ratio. Quia non causant seipsas; Ergo nec conservant.

Addo. Et non sunt multiplicandæ causæ conservativæ sine necessitate.

QUÆSTIO III.

De Concursu Dei.

DUrand. & post eum Dola Capucinus, censent, Deum immediatè non concurrere in actiones creaturarum, sed solùm mediatè, conservando illarum vim causativam. Communis opinio

opinio est in oppositum. Tum quia Deo concedendus est modus perfectissimus agendi, immediatus autem agendi modus, est perfectior. Tum quia, sicut Deus potest annihilare effectum productum immediatè, ita poterit & ipsam ejus productionem, sed ipsum effectum immediatè annihilare non posset, si immediatè ab illo non penderet. Ergo nec actionem, si ab illo immediatè non penderet, si autem immediatè pendet effectus, immediateque annihilabilis est, pendebit etiam actio, immediateque annihilabilis erit. Tum quia in nulla ratione debet creatura esse immediatè à se, si autem immediatè non penderet actio à Deo, immediatè esset à se. Nec obstat, quòd contineat totum esse & perfectionem actionis in se, causa, hoc enim, quod etiam in se habet actio, non debet esse independens à Deo. Concesso autem concursu immediato Deo, non est necesse excludere concursum aliarum causarum, quia multa se solo non potest præstare in eodem genere Deus, ut generationes, actiones vitales &c. & sicut entia creata non spoliantur virtute agendi, quam in illis ponit, & ratio & experientia, sic nec spoliari debent immediata etiam actione. Sed possibilisné creatura, quæ operari possit immediatè Deo non concurrente? Arriag. & Hurt. censent, se in hoc non videre repugnantiam. Ovied. & recentior Suar. censent id repugnare, quod probabilius. Quia impossibilis est creatura, in aliqua ratione, pro statu Physico, independens à Deo, & si sit possibilis dependentia à Deo in omnibus, & si hæc perfectio non repugnat Deo, danda erit eidem, & hæc excludet possibilitatem talis creaturæ. Porrò concesso immediato concursu Dei cum creaturis, dicimus utramque causam in suo ordine esse totalem, cum causis tamen materiali & formali non concurrit in eodem genere, ob imperfectionem utriusque hujus causæ; His præjactis, *Sit*;

DIFFICULTAS I.

An Deus concurrat immediatè ad peccatum?

Difficultas hæc nascitur ex suppositione facta, quòd scilicet Deus ad omnes actiones creaturarum concurrat; nam contra hanc conclusionem hoc inter alia proponitur argumentum. Quia si concurrit Deus immediatè ad omnes actiones. Ergo concurrit etiam ad peccaminosas; si concurrit etiam ad peccaminosas; Ergo est causa peccati. Sed hæc difficultas retorquetur suo modo in oppositos: Cur non enim Deus sit causa peccati, si mediatè ad illud concurrit, cum mediatè concurrere, non excusetur à peccato? & sic consilium dantes & propinantes per alium venenum, mediatè concurrunt, & tamen sunt causa peccati. Sed hujus Difficultatis solutio translata ad Materiam Theologicam, de Peccatis, ubi diximus: Deum concurrere quidem, & quidem immediatè ad peccata, non esse tamen causam illarum, quia non agit cum inclinatione &c.

DIFFICULTAS II.

An Concursus Dei cum Creaturis, sit quid concomitans?

Dicendum est, *Concursum Dei cum Creaturis, non esse quid concomitans.* Supponit hæc Conclusio communem doctrinam nostrorum, quòd concursus Dei in actu secundo, sit idem realiter cum concursu & actione creaturarum.

Ratio, quia si non per eundem concursum effectus penderet à Deo & à causa secunda, vel penderet per aliquam antecedentem actionem Divinam, & hoc non, quia nihil potest ostendi antecedens, quod respondeat illi actioni, cùm tamen actioni non possit non respondere aliquid; Non etiam aliquid consequens, quia jam omnia acta inveniret; Non etiam aliquid concomitans, ut jam contra Pontium & Scotistas probabitur. Ergo debebit idem esse omnino cum actione creaturarum; *Hinc jam:*

Probatur primò Conclusio. Si concursus Dei esset quid concomitans, ex eo esset, quia scilicet exhibitio illius, non pendet ab uno principio, sed à duobus, & sic idem diceret Pontius, quod nos, licèt aliis verbis; vel certè ideo esset concomitans, quia eliciente creatura suum influxum partialem, alium influxum eliceret Deus, & hoc non, quia nulla necessitas multiplicandi partialitates illorum influxuum, ut patebit solutione argumentorum.

Probatur secundò. Respectu illius actionis creaturæ, formaliter acceptæ, non datur ullus concursus concomitans, quò producatur ipsa actio & influxus agentis creati; Ergo nec erit necesse dari alium influxum concomitantem, quo ipse effectus producatur; & tamen quæ rationes oppositorum militant pro consequenti, militant etiam pro antecedenti, hinc, si pro antecedenti non valent, nec tenebunt pro consequenti.

Probatur tertiò. Iste modus concurrendi per concursum concomitantem est indignus Deo, quod sic probatur. Antequam Deus, applicet concursum suum concomitantem, vel novit quid sit actura creatura, vel non novit? Si novit. Ergo jam supponitur effectus, antequam concomitans ille concursus Divinus ac-

cedat. Ergo ulterius est indignus Deo, quia non est tolerabile dicere, in aliquo priori posse, supponi effectum, quem Deus non producat; Si autem non novit quid sit actura creatura. Ergo temerè concurrit. Et sic v. g. Si ego dicam volo agere, quod agit Petrus; si nesciam quid sit acturus, temerè id dico, & si coincidam in idem cum illo, merus erit casus, qui respectu Dei non datur. Si autem agat Deus per concursum identificatum, non potest supponi applicans suum concursum ad illam actionem, cùm ille concursus idem sit cum actione, directus autem à scientia conditionata, aut alia, ne temerè agat. Videatur notatum sequentis difficultatis sub finem.

Confirmatur. Quia ille concursus concomitans, vel est determinatus ad unum, vel non est determinatus ad unum? si est determinatus ad unum, aufert libertatem. Tum quia concursus antecedens determinatus aufert libertatem. Ergo & concomitans, nec enim est major ratio unius quàm alterius. Tum quia concursus concomitans, est inter non dico prærequisita, sed per se inter requisita agendi, ut ipsum *præ* antecedentiam non notet: Si est inter requisita agendi; Ergo posito illo, non potest non fieri actio, hoc ipso enim non esset determinatus; Si illo posito, non potest non fieri actio; Ergo non liberè fit. Et certè sive quis antecedendo vinctum, trahat illum strictum, simul cum illo gradiendo, adhuc verè vinculat. Ergo & concursus ille, sive antecedat, sive sit concomitans, si stringat, hoc est, determinet ad unum, auferet libertatem. Tum quia, quando requiritur ad libertatem, ut positis omnibus requisitis possit non fieri actio, hoc intelligitur: Nullum est determinativum actionis, salvans libertatem, nisi determinatio, orta ex suppositione actionis, determinatio autem illius concursus, non est ex suppositione actionis. Pro quo recito locum Augustl. lib. Retract. c. 22. *In nostra inquit potestate non est, nisi quod sequitur nostram voluntatem.* Hinc ex hac auctoritate formabitur argumentum à pari. Concursus antecedens & prædeterminativus aufert libertatem. Ergo & concomitans, quia ex Augustino, etiam hic concomitans non sequitur nostram voluntatem, sicut nec antecedens.

Objicit primò Pontius. Volitio Dei distinguitur à volitione creaturæ. Sed volitio Dei, est concursus ipsius cum creatura. Ergo concursus ipsius cum creatura, non est actio creaturæ, sed alia concomitans actio.

Respondetur. Falsam esse Minorem, quia concursus Dei spectat ad omnipotentiam. Voluntas autem Dei est potius applicatio omnipotentiæ Dei, de quo aliàs. Rursùs dici potest, quòd volitio Dei sit concursus ipsius, qui in actu primo acceptus, est distinctus à concursu causæ secundæ, de quo nemo dubitat: sed negamus, concursum Dei in actu secundo, esse distinctum à concursu itidem in actu secundo creaturæ. Rursùs volitio Dei & concursus Dei (ut ita dicam) activè acceptus, est quid distinctum, secundùm id, quod dicit in recto, dicit enim ipsam voluntatem Dei & Omnipotentiam applicatam, in obliquo autem & pro connotato non est quid distinctum, quia dicit ipsam actionem creaturæ.

Objicit secundò idem. Quando duæ causæ partiales subordinatæ producunt aliquem effectum v. g. intellectus & objectum, intellectionem, non eadem actione concurrunt, sed diversa. Ergo idem dicendum, cùm Deus & creatura concurrunt. Antec. prob. quia actio subjectatur in agente, sed unica indivisibilis actio, non potest subjectari naturaliter in duobus principiis distinctis realiter.

Respondetur. Imprimis Negand. Antecedens cum sua probatione, quia quantumvis detur actionem agentem quodammodo subjectari in agente, non tamen in eo subjectabitur actio acta, nos autem concursum identificamus actioni actæ. Dixi actionem agentem quodam modo subjectari, quia cùm idem sit realiter, vel cum actione acta (sed dicitur agens, nonnisi per respectum ad principium) & sic recipietur in passo, vel est idem cum principio operante, & sic non subjectabitur propriè in agente, utpote cui identificatur. Rursùs si concursus Dei subjectatur in ipso Deo, quæro estné aliquid distinctum realiter à Deo, vel non est? si non est distinctum, in statu quæstionis non stas, hîc enim quæritur de distincto realiter concursu, si autem est quid distinctum, & tamen recipitur in Deo. Ergo entitas Dei rationem causæ materialis habere potest. Denique quamvis causæ partiales subordinatæ, producerent aliquem effectum distinctis actionibus partialibus, adhuc id respectu concursus Divini, concedi non deberet, quia actiones causarum partialium, non debent tantùm subordinari, quia nec essentialiter subordinantur, sicut subordinari debet actio causæ secundæ, ad causam primam; consequenter actiones causarum subordinatarũ, quamvis concedantur distinctæ, non erit necesse distingui concursum Dei, à concursu creaturarum.

Lorca, ut eum citat recentior Suar. quamvis fateatur eundem esse realiter concursum causæ primæ & causæ secundæ, tribuit nihilominus prioritatem quandam concursui Divino, præ concursu creato, quam appellat prioritatem à quo, & dicit ulterius concursum causæ primæ, esse priorem in genere causæ efficientis, concursum autem causæ secundæ, dicit esse priorem in genere causæ materialis, & sic determinare causam primam. *Hæc illius doctrina*

Non Satisfacit. Tum quia prior est concursus causæ primæ in genere causæ efficientis, præ concursu causæ secundæ. Ergo comparatur

ratur ad illum, tanquam efficiens ad effectum, talis autem comparatio, arguit distinctionem realem, si autem ponitur distinctio realis, quomodo identificantur? Tum quia concursus causæ secundæ, est prior in genere causæ materialis, præ concursu Dei, idque suppono in genere causæ materialis veræ. Ergo subjectat concursum Dei verè concursus causæ secundæ: Si autem ille verè subjectat, quomodo sunt idem realiter? Tum quia non est explicabile, quomodo concursus Dei sit prior, præ concursu causæ secundæ? quia vel præcedit tempore, vel instanti, vel naturâ, vel prioritate originis? non primum, & secundum, quia sicut nihil est prius tempore, vel instanti seipso, ita nec est prius eo, quod secum idem est realiter. Non tertium, quia nihil seipsum præcedit naturâ, cumq; per multos idē sit esse prius naturâ & prius causalitate, cum nihil causet seipsū nec erit prius naturâ seipso. Nō quartū, quia prioritas à quo est prioritas consimilis ei, quâ prioritate, prior est Pater æternus Filio, quæ prioritas licèt salvet æqualitatem durationis, importat tamen oppositionem principii & principiati, adeoque distinctionem realem. Quod ipsum sic aliter probatur; Prout est prior à quo concursus Divinus, eo ipso est posterior. Ergo non datur prioritas ista concursus Divini. Anteced. probatur. Prioritas à quo, est prioritas concursus creati prout pendentis à Deo. Ergo concursus ille Divinus prior à quo eo ipso est posterior. Consequentia probatur, Concursus ille ille Divinus prout prior à quo, dicit concursum creatum, qui dicitur esse posterior. Ergo concursus ille Divinus prout prior, eo ipso dicit quid posterius. Addit recentior Suar. Concursus ille essentialiter procedit ab utroque principio. Ergo in nullo priori potest esse sine alterutro; aliàs esset sine sua essentia. Et certè non potest esse prior concursus creatus, hoc ipso enim quia creatus est, dependet à Deo, non etiam præcedit concursus causæ primæ, quomodo enim Actio vitalis v.g. intellectio, prius procederet à Deo, quàm intelligeretur procedere à potentia vitali.

Si tamen nomine hujus prioritatis non aliud intelligas, quàm quòd id, à quo dependet actio, sit prius suo modo, sicut v.g. prioris habet rationem Pater, præ Filio, causæ præ effectu, si non sumantur relativè, cumque concursus creatus dependeat ab increato, debet habere suo modo prioritatem, & hæc prioritas in præsenti, non negatur.

Dices primò cum Lorca. Duæ causæ non possunt uniri ad eundem effectum, nisi una determinet aliam, aliàs nonnisi casu agerent, ergo & prima causa cum causa secunda non aget, nisi una determinet aliam. Quodsi hæc determinatio tribuatur Deo. Ergo tribuetur & prioritas, nam determinatio est prior prioritate à quo.

Respondetur. Imprimis, hoc argumentum non procedere de concursu, sed de causis, quo autem sensu causa prima præ secunda habet rationem prioris, dictum ubi de prædeterminatione; duæ autem causæ ut uniantur ad unum effectum, eæque liberæ, non est necesse, ut una prædeterminet aliam, sed ut offerat vires cum quibus posset quidem non operari, infallibiliter tamen operetur altera, & ne casu dicatur agere Deus concurrendo cum causis liberis, dirigetur à scientia conditionata.

Dices secundò. Ex istis duabus causalibus, quarum una dicit; ideo egreditur concursus à causa prima, quia egreditur à causa secunda, & ista altera, quæ dicit? ideo egreditur concursus causæ secundæ, quia egreditur concursus causæ primæ? ex istis inquam duabus causalibus, debet esse aliqua vera. Ergo debet alterutri concedi prioritas, cùm concedatur determinatio, quam explicat illa causalis.

Respondetur. Imprimis, retorquendo argumentum: ideo agit intellectus, quia agit species, ideo Petrus assidet Paulo, quia Paulus assidet Petro? & tamen in his nulla reperitur prioritas; ita licèt ideo agat creatura, quia agit Deus; non sequetur hoc ipso, vel determinationem, vel prioritatem oriri debere. Deinde illa causalis; ideo egreditur concursus à causa secunda, quia egreditur à causa prima hoc solo sensu vera est, quia Deus & potentiam, & vires tribuit creaturæ, & in hoc genere, conceditur prioritas, sed non in præcedentia, alius sensus.

Dices tertiò cum eodem. Malleus & artifex simul agunt, & tamen malleus, dicitur esse determinatus, ab artifice. Ergo etiam dicendum est, quòd à concursu causæ primæ, determinetur concursus causæ secundæ. Sol etiam & homo generat hominem in eodem instanti etiam naturæ, & nihilominus determinat homo concursum solis, adeoque habet in hoc prioritatem. Ergo etiam diverso respectu prior erit concursus causæ primæ, præ secundæ concursu.

Respondetur. Supra jam prioritatem certam concessam esse, fusiusque explicatum hoc est, in materia de Prædeterminatione. Ad argumenti vim quod attinet, illud non convincit, facilè enim est, ut malleus distinctus realiter, necessarioque operans, determinetur ab artifice, Sed concursus indistinctus realiter, ut eum indistinguit Lorca, quomodo determinabitur? Sicut & alia est virtus solis, hoc est v.g. calor, & alia virtus hominis, hoc est semen; hinc facilius est, ut unum, determinetur ab alio.

DIFFICVLTAS III.

An concursus Dei, sit quid determinatum physicè?

Præmitto 1. *Rem esse de concursu Dei extrinseco & concursu*, ut dicebam Acto, nam concur-

cursus Agens , qui est omnipotentia applicata per voluntatem, cum sit ipsemet Deus, indubiè est quid determinatum in sua entitate.

Præmitto 2. *Si ly: an concursus Dei sit determinatus physicè pro eodem supponit, ac an sit determinatus nonnisi ad hoc producendum?* tunc procedere potest imprimis quæstio de concursu creativo, qui certè est determinatus physicè , quia idem est cum re creata, quæ non potest esse, nisi hæc determinata: Si autem quæratur de concursu, qui idem est cum concursu creaturarum, tunc

Præmitto 3. *Quæri posse: an concursus Dei cum causis necessariis sit determinatus nonnisi ad hoc producendum?* & sic indubiè est determinatus, non enim est potestas utriuslibet in causis necessariis accipiendo eas cum omnibus prærequisitis. Si autem quæratur de causis liberis;

Præmitto 4. *Concursum cum causis liberis dupliciter spectari posse.* Primò in actu primo , qui nihil aliud est , quàm omnipotentia præparata ad concurrendum, vel potest spectari concursus in actu secundo, & hic non aliud est, quàm ipsamet actio creaturæ , prout dependens à Deo. Concursus in actu primo spectatus est indifferens, sicut & ipsa omnipotentia est indifferens ad concurrendũ ad hoc, vel ad illud. Concursus autem in actu secundo non est indifferens, quia non aliud est, quàm ipsamet actio creaturæ, quæ actio non est indifferens ad agendum. Quia verò ipsæ causæ liberæ spectari possunt prout sunt principium actuum naturalium & supernaturalium; *Hinc*

Præmitto 5. *Quòd concursus Dei in actu primo ad actus supernaturales*, prout importat superadditum habitum, aut præparationem auxilii vices habitus supplentis, in isto sensu habitus non est indifferens ad oppositum , licet sit indifferens ad agendum, vel non agendum.

Ratio Prioris partis præmissi est, quia gratia & principium supernaturale, sive intrinsecum, ut habitus, sive extrinsecum, ut auxilium, non potest principiare peccatum. Ergo est determinatum , nonnisi ad effectum gratiosum. Ratio secundæ partis est, quia si auxilium illud vel habitus esset ad agendum, ita , ut non posset fieri oppositum, hoc ipso illud auxilium tolleret libertatem, de quo in Materia de prædeterminatione. *His præmissis* colligendoque dicta.

Dicendum est. *Concursum Dei in actu secundo spectatum non dicere indifferentiam*, vel contradictionis, ut dixi, præmisso quarto, nec contrarietatis, ut ibidem dictum.

Probatur. Quia concursus in Actu secundo spectatus, est ipsamet actio , quæ non potest non esse actio , adeoque nec est indifferens, ut non agat, & tamen deberet esse indifferens, si haberet indifferentiam contradictionis ; nec etiam actio habet indifferentiam contrarietatis, quia est ipsa actio creaturæ, quæ non est indifferens ad oppositum ; neque enim habitus amoris, est indifferens ad odium , in quo tamen stat libertas contrarietatis. Concursus tamen in actu primo est indifferens ad contradictoria, ut dictum præmisso eodem, licèt spectatus in actu primo concursus , in quantum importat habitum supernaturalem vel auxilium indebitum, non sit indifferens ad oppositum, ut dictum præmisso quinto.

Objicit primò Pontius. Concursus Dei est volitio , qua vult cum causa producere effectum. Sed per illam volitionem non potest aliud produci. Ergo concursus Dei non est indeterminatus. Minor probatur. Quia sequeretur, quòd esset volitio, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia esset volitio producendi alium effectum; volitio autem producendi effectum alium, formaliter, aut ratione, distinguitur à volitione producendi alium effectum.

Respondetur. Ipsam illam volitionem, non esse determinativum unius partis, nec volitionem unius partis , antecedenter ad suppositionem unius partis, antecedenter ad suppositionem volitionis creatæ. Deinde , volitio quâ vult producure effectum Deus, unum dicit in recto, & hoc est ipsemet Deus & actus illius internus, identificatus Deitati , & hæc volitio in essendo quidem est determinata, cùm sit ipsum esse Dei determinatum, sed non est determinatum nonnisi ad volendum hoc. Deinde volitio illa connotat aliquid extrinsecum , nempe ipsum effectum, quem concedo esse determinatum, sed ex suppositione sui ad se.

Objicit secundò idem. Concursus Dei est identificatus actioni creaturæ. Sed hæc est determinata ad unum. Ergo & ille concursus.

Respondetur. Concursum in actu primo non esse identificatum creaturæ , sed tantùm concursum in actu secundo, quem jam supra dixi, non esse indifferentem ad oppositum, vel non ad esse, sicut supponit objectio.

Objicit tertiò. Effectus non magis pendet à causa secunda , quàm pendeat à causa prima. Ergo sicut non potest egredi à causa secunda per concursum indeterminatum , nec egredietur à causa prima.

Respondetur. Effectum egredi à concursu causæ secundæ indifferenti , si ille sumatur in actu primo, quia egreditur à voluntate non determinata , in actu autem secundo spectatus concursus utriusque determinatus est, ut dixi.

Objicit quartò idem. Concursus cùm sit actio, necessario pro distinctione terminorum distingui debet. Ergo non est indifferens.

Respondetur. Consequens & Antecedens esse verum de concursu in actu secundo.

Instat. Determinatio actualis causæ ad effectum producendum nequit esse, quin causa determinetur per ipsam. Ergo si determinatio,

quâ

quâ Deus de novo determinat ad producendum amorem, esset etiam determinatio ad producendum odium, sequeretur, quòd quoties produceret amorem, produceret etiam odium.

Respond: Non dari determinationem actualem causæ ullam, quæ sit distincta, ab ipsamet actione libera.

Objicitur Quintò. Si non daretur concursus divinus determinatus & determinans Dei voluntas ad unum, non daretur ex eo, quia tolleret libertatem. Sed non tollit. Minor probatur, quia illud, quod tollit libertatem, debet esse suppositio alicujus, quod quamvis antecedit, habet virtutem necessariò tractivam voluntatis. Sed si daretur decretum determinans, aut concursus quicunque Divinus ad unum determinans, non haberet virtutem necessariò tractivam voluntatis. Quod ipsum probatur, quia quidquid habere potest virtutem determinativam voluntatis, vel debet illam habere quatenùs est aliquid, quod habet rationem actûs primi, vel rationem actûs secundi; Neutro modo determinatus ille concursus habet vim determinandi necessariò voluntatem, quod ipsum probatur, quia quod determinat necessariò per modum actûs primi, aut debet proponi ipsi per intellectum, aut debet habere aliquam antecedentem actionem, per quam produceretur actio voluntatis? jam autem non est necessarium, ut vel decretum illud cognoscatur, nec habet illud decretum vel concursûs actionem aliquam, antè actionem voluntatis; aliàs antè actionem voluntatis produceretur actus voluntatis, quod fieri non potest, non datur enim actio actionis gratisque illa poneretur. Quòd si illud decretum & ille concursus, esset per modum actûs secundi, nec dum necessitaret voluntatem, quia ille concursus, aut esset actio totalis actûs voluntatis, aut partialis: Si totalis; Ergò actus ille non produceretur à voluntate: si partialis; Ergò debet simul naturâ adesse actio voluntatis, & sic non determinabitur voluntas determinatione antecedenti.

Respondetur, hoc argumentum multùm probare, probaret enim salvari libertatem in prædeterminatione Thomistica, quia etiam illa nec agit sine voluntate, nec debet proponi voluntati. Supponitur autem Scotistas Prædeterminationem Physicam non admittere. Rursùs, possibile est, ut Deus suo decreto destruat libertatem, & tamen vi hujus argumenti, non destrueret illam, quia non esset necesse decretum illud proponi voluntati, nec esset necesse, ut illud decretum antecedenter agat actionem voluntatis. Directè autem ad argumentum dici potest, duplicem necessitatem profectam à Deo, cogitari posse. Primò positivam, quam stante etiam judicii indifferentiâ de faciendo, vel non faciendo, imprimere potest potentiæ volitivæ; Secundò, aliquam necessitatem negativam, quæ sistat in non exhibitione ejus, quod necessarium est ad agendum conformiter voluntati liberæ, sic v.g. quando Deus subtrahit suum concursum causæ necessariæ, necessariò habet hoc, quòd non agat, quæ tamen necessitas non nisi ex negativo principio oritur, ex negatione scilicet concursûs debiti; sic etiam in præsenti, quia non daretur concursus indifferens, quo indiget potentia hîc & nunc liberè operatura, hinc illo negato, negativè Deus necessitaret voluntatem; dico itaque necessitatem illam fore in actu primo, sed quia est ex negativo principio, non esset necesse illam quidquam agere antecedenter, nec etiam nosci. Posset etiam ostendi actio antecedens impropria, hoc est determinans potentiam, ut nonnisi agat.

Noto. Præsentem doctrinam Pontii & Scotistarum respicere, quòd non sit tollenda libertas concursu & decreto determinativo ad unum, modò se habeant per modum concomitantis; Sed tollendam esse libertatem hæc evincunt. Tum quia quô posito non possumus non agere, & illud non est situm in nostra potestate, nec ortum ex usu libertatis, illud tollit libertatem; jam autem ille concursus etiam concomitans est talis, ut docet ipse Pontius. Major autem fundatur in definitione libertatis, quia de ratione liberi est, positis omnibus requisitis, inter quæ est concursus concomitans, posse agere & non agere. Tum quia per hoc solum videtur velle salvare libertatem, quia decretum illud determinatum includeret adhuc concursum creatum, ut videre illum est hîc num. 103. hoc autem libertatem non salvat, quia si necessitaretur voluntas ad agendum, adhuc includeretur concursus voluntatis creatus. Tum quia illud decretum & esset concomitans, ut supponitur, & non esset concomitans, esset enim antecedens non solâ æternitate, quia hæc ad præsens impertinens est, sed esset antecedens causalitate, quod ipsum probatur, concomitantia dicit simultatem duorum. Ergò etiam & concomitantia concursûs determinati dicit simultatem duorum, nempè concursûs Divini, & concursûs Creati. Sed concursus creatus respectu effectûs agendi, habet rationem antecedentis causalitate, quamvis concomitantem sibi habeat concursum Divinum. Ergò etiam & concursus Divinus poterit habere rationem antecedentis causalitate, quamvis concomitantem sibi habeat concursum potentiæ creatæ. Tum quia Concursus Divinus in Actu primo spectatus, vel complet rationem actûs primi proximi in potentia, vel non complet? Si complet, ergò & ipse habet se per modum actûs primi: Si non complet. Ergò potentia se solâ habet rationem actûs primi completi, quod nec ratione effectuum naturalium, sed multò magis supernaturalium concedi non potest potentiæ, aliàs viribus naturæ, posset illum producere, statuiturque per hoc independentia actus primi

crea-

creati in agendo à causa prima, & si nihil fit in actu secundo sine concursu Dei, ita nec fieri potest quidquam sine concursu Dei, in actu primo; quia ab iisdem principiis pendet effectus in actu primo, & in actu secundo. Tum quia non est imaginabile esse aliquid verè causam, & tamen non se habere per modum antecedentis. Tum quia posito illo simultaneo concursu in actu primo parato, habente respectu effectus antecedentiam causalitatis, & includente aliquo modo operationem nostram, vel potest fieri & non fieri operatio, vel tantùm potest fieri? si primum, quomodo salvatur determinatio? si secundum, quomodo salvatur libertas? Tum quia concursus ille simultaneus, includens nostram operationem, includit illam tanquam effectum. Ergo respectu illius non dicit concomitantiam, sed antecedentiam. Tum quia & esset ille concursus determinatus, ut ponitur, & non determinatus, quia illo posito posset adhuc homo agere & non agere, ut videre est apud ipsum, num. 98. Tum quia, ponamus ex una parte decretum aliquod & concursum determinatum, qui etiam sit per Scotistas necessitativus, ponamus ex alia parte decretum illorum & concursum concomitantem, fiat parallela: Istud decretum necessitans, est suppositio antecedens, causalitate, positionem effectus, concursus etiam concomitans, antecedit causalitate, positionem effectus, decretum necessitans, non est in nostra potestate ponere vel non ponere, idem verum de decreto & concursu concomitanti decreto necessitanti posito, non potest sequi oppositum in sensu composito, idem convenit decreto concomitanti, hoc ipso enim non esset determinatus. Quid autem rogo habet se sola verbotenùs concomitantia, ad salvandam libertatem? Neque valet quod adfert, num. 108. ubi dicit, quando mihi Deus dat concursum determinatum ad unum, quamvis non det concursum determinatum ad oppositum sufficit, quòd habeatur concursus in actu primo, hoc est voluntas Dei, parata dare concursum, nam si non sufficit ad libertatem, dare concursum necessitantem, & habere voluntatem paratam servandæ libertatis, nec in præsenti etiam sufficeret, & sicut non sufficit Deum esse paratum ad dandum auxilium sufficiens, sed est necesse illud offerre, ita & in præsenti.

DISPUTATIO VII.

De Causa extrinseca, quæ est Finis & Exemplar.

PAuca hîc veniunt Scholasticè discutienda, hoc, quod difficultatem habere posset, id est; an bruta agant propter finem propriè? negatum hoc est in Materia de Angelis Dis. 5. n. 85. alia quæ sunt magis propria hujus loci, interim decurrenda sunt.

QUÆSTIO I.

Quid Finis? estnè Causa realis? quæ ejus Causalitas?

ASSERO primò. Finem ex Aristotele 2. Phys. textu 28. *esse id, cujus gratia aliquid fit*, ex quo rursus causam finalem secundùm id, quod dicit 1. Ethic. c. 2. rectè definieris? *Est id, quod propter se amatur, & propter quod cætera volumus*; Reflectendo autem ad terminos, quibus causa in communi definita est, causam finalem definieris; *Quòd sit principium determinans ad existentiam gratiâ sui, vel tanquam propter quod.* Explicari hoc solet, sic intellectus assentitur quibusdam principiis, quæ de se evidentia sunt, & quibusdam nonnisi propter connexionem cum illis, sic etiam voluntas quædam amat objecta propter se, & alia propter connexionem cum illis, & quemadmodum quibus intellectus tanquam immediatis assentitur, vocanturque principia, quibus autem assentitur propter connexionem, vocantur conclusiones, sic quæ appetit voluntas propter bonitatem immediatè in illis inclusam, vocantur finis, quæ autem amantur propter connexionem cum illo bono, vocantur media. Demum sicut principia communicant suis connexis evidentiam, ita finis communicat mediis bonitatem & amabilitatem. Explicari hoc ipsum sic aliter potest.

De ratione finis est ultra se nihil in illo genere, vel ordine habere; & ita est finis lineæ, ultra quod

quod non extenditur linea, beatitudoq; nostra objectiva est Deus, quia illo possesso, nihil ultrà appetit homo. Quod ipsum fundatur in hoc, quia si ultra finem aliquid esset, & competeret, ut supponitur illi fini ratio finis, & non competeret; competeret quidem, ut supponitur, non competeret autem, quia non finiret; siquidem aliud daretur finitivum. Quia autem in bonis sunt aliqua, quibus possessis in illo genere, nihil ultra appetit in illo genere voluntas, fit, ut dentur aliqua bona, quæ finis sint, & dici possint; & ita v. g. bonum, quod adipisci vult ægrotus quà talis, est sanitas, quâ possessâ, ægrotus in illo genere nihil plus appetit; hinc fit, ut sanitas, sit finis bonumque in suo genere finale, & sicut positâ Conclusione ex præmissis, concluditur motus in noscendo objecto, prout contento in Conclusione, estq; illa veritas, ultrà quam habitam in objecto Conclusionis, non ulterius arguendo procedit intellectus, sequensque arguitio quæcunq; non hoc objectum hujus Conclusionis, sed aliud inferet, totaque illius completio, in priori concludetur, & terminabitur; hinc Conclusio ex vi etiam nominis, est finis motûs intentionalis intellectivi; ita quando non ulteriùs in illo genere appetendi movet sese voluntas, illud bonum dicitur voluntatis finis. Quia autem nullus est finis ad quem processu non perveniatur, & ita est finis itineris, ad quem his leucis, stadiis &c. pervenitur, finis motûs intellectualis est Conclusio, ad quam mediis præmissis, devenitur; ita etiam & bonum, quô possesso finitur appetitus in illo genere, habet viam suam & processum, hicque non alius est, quàm ipsa media, per quæ acquiritur possessio boni, satiativi in genere illo appetitûs, finitivique motûs voluntatis.

Assero Secundò. *Finem esse Causam realem.*

Probat id, auctoritas Aristot. 2. Physic: tex. 70. ubi inter causas sine addito, numerat etiam finalem. Posset tamen responderi ad hanc auctoritatem, quòd illo loco nihil agat Aristot. de Causa rigorosa, vel non rigorosa, sicut in simili de Causis intrinsecis, dictum est.

Accedendum ad rationem, quæ in hoc fundatur, quòd nihil desit, quominùs finis dicatur vera Causa realis. Quia quamvis causa non existat in se, ut nec finis movens existit, sed petit poni & existere, sufficit, quòd existat in aliquo sui, hoc est in apprehensione amoreque suæ bonitatis, quæ duo apprehensio & amor, sunt quasi semen finis. Rursùs habet veram Causalitatem, stantem in tractione voluntatis, de qua infra, appellaturque hæc tractio motio metaphorica, non secundùm esse, quia in rebus non sunt Metaphoræ, sed secundùm dici, & sicut cùm dico, pratum ridet, non sequitur, quòd floreat Metaphoricè, sic nec sequitur ex motione Metaphorica, quòd verè non alliciat.

Difficilius est ostendere, quomodo sit Causa realis, cùm causet seipsum? nam communiter dicitur, quòd finis positus in intentione, causet seipsum in executione.

Explicat id Primò Recentior Suar: Quòd finis non causet seipsum & respectu sui non sit causa vera, sed quòd tamen causet verè amorem sui, à quo habet distinctionem realem, & quamvis hic amor causet postea positionem finis, id non obest; quia axioma illud, quod est causa causæ, est causa causati, procedit in causis ejusdem generis.

Non Satisfacit hæc explicatio. Tum quia non est ratio, cur illud axioma teneat in causis ejusdem generis, & non teneat in causis diversi generis? Tum quia debet respectu illius poni causalitas finis, respectu cujus habet rationem finis, jam autem respectu amoris præcisè non habetur ratio finis, cum æquè media ipsa, bonumque non consequibile, amorem mereri possit. Tum quia omne objectum verum cognitum deberet esse finis, est enim amabile, adeoq; causans sui amorem, neq; tamen ex eo omne objectum, est finis.

Explicari potest Secundò. Causam finalem esse causam physicam, prout physicum opponitur ficto, non verò, prout intentionali; hinc consequenter dicitur, quòd finis, prout est intentionaliter acceptus, sit quid distinctum, à seipso existenti in executione. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia concedo quidem cognitionem, à fine, esse distinctam realiter, sed nego objectum illius cognitionis, & ipsum in executione positum, esse distinctum realiter, cùm sit eadem entitas, sed solis statibus diversa. Tum quia Ens existens, ens in potentia, ens possibile, est idem realiter, totaque diversitas, est non in Ente, sed in connotatis illius; Ergò nec finis prout in intentione, à seipso, prout in executione, distinguetur realiter. Tum quia Universale per præcisiones objectivas, vel formales, fabricatum, non est distinctum realiter à singularibus; hinc si distingueretur ab illis, nec prædicari posset de illis, sed falsificarentur propositiones. Ergò nec distinguitur realiter finis quà talis in intentione, à seipso, prout in executione.

Explicari potest Tertiò. Causam finalem esse causam physicam, sed cum addito intentionalem, consequenter non debere habere effectum distinctum realiter, eò quòd id poscat natura Causæ intentionalis, & sicut idem producens se secundo, est Causa vera physica, & tamen non producit effectum distinctum realiter, sic & hîc. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia si dicas hanc esse naturam Causæ intentionalis, non habere à se distinctum effectum realiter, dicam etiam esse naturam causæ intentionalis, ut non sit vera causa realis, idque ob defectum distinctionis ab effectu. Tum quia quamvis salvetur ratio causæ realis sine distinctione reali ab effectu in

productis & causatis, secundò non tamen in causatis & causantibus primò, aliàs subverterentur & Philosophica & Theologica principia; ostende ergo distinctum effectum realiter, quem causa physica finalis producit primò. Tum quia non poterit ostendi, quid simile operetur finis ei, dum idem reproducit suam Entitatem, quod tamen salvet rationem causæ realis, sed quicquid sit de his principiis, vel exinde hæc explicatio non satisfacit, quia veræ causæ realis si nihil obsit, debet ostendi effectus verus, realis, & distinctus, idque ex proportione, ad alias causas.

Explicari potest quartò. Inter finem in intentione existentem, & inter finem in executione positum, esse distinctionem realem; quia bonitas illa, quæ erat apprehensa, non est illa eadem, quæ in executione ponitur, sed est distincta numero, ea scilicet, quam Deus ut existat determinat, cùm alia numero ab efficienti produci potuerit. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia videtur oppositum esse in communi apprehensione, vulgariter enim assumitur, quòd finis, causet seipsum in executione. Tum quia arbitrarium videtur aligare Deum, ne determinet hunc individuum finem pro executione, qui forte in individuo erat in intentione. Tum quia finis potest esse hujus in individuo, & executio hujus in individuo, casu v.g. quo pro fine sit pomum hoc individuo appetitum.

Explicari tandem potest quintò. Finem esse causam realem respectu mediorum, ad quæ movet, à quibus distinguitur realiter, ex quibus Mediis producitur finis.

Assero tertiò. *Causalitatem causæ finalis esse*, ut inquiunt Philosophi post Aristotelem, *motionem Metaphoricam*. Hoc dictum puto fundatur in modo agendi voluntatis, quæ non sistit sibi objectum, sed trahitur ab objecto, adeoque ad illud movetur appetendo; hinc causalitas illius appellatur motio Metaphorica, sed quid tandem sub hoc nomine motio metaphorica intelligendum?

Explicant primò aliqui. Quòd causalitas finis sit amor finis. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia datur amor respectu Dei tanquam finis, neque tamen amor, dicitur causalitas respectu Dei. Tum quia potest esse amor finis, isque adhuc efficax, & tamen saltem divinitus impediri, ne ponatur in executione finis. Ergo amor non est causalitas finis, quia posita causalitate, impossibile est non sequi effectum, qui debet esse finis in executione. Tum quia causalitas debet esse quid receptum à causato; jam autem amor, non recipitur in effectu, quem causat.

Explicant secundò alii. Causalitatem finis esse ipsum bonum, prout connotat dependentiam à se effectus. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia hîc agitur de causalitate, ut ita dicam, causata, non de causalitate causante, seu tenente se respectu causæ. Deinde & de hoc ipso quæritur, in quo sit ista dependentia.

Explicant tertiò alii. Cum utroque Suar. & aliis non paucis, quòd causalitas finis, sit ipsa actio efficientis, prout respicit id, propter quod fit. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia si nihil obsit diversis causis, tribuendæ sunt diversæ causalitates, magis enim proportionatum est, ut id, cui competit esse causam diversam ut Quod, sit etiam causa ut Quo, seu habens causalitatem diversam. Deinde causalitas efficientis, est illa ipsa, effectus suo modo causæ finalis, quomodo ergo erit ejus causalitas ejus causalitas?

Commodius diceretur in re loquendo, non aliud esse causalitatem finis, quàm ipsum effectum, prout dependentem ab hoc, vel illo fine. Sic v.g. deambulatio, si fiat dependenter ab intentione, quæ est sanitas. Causalitas in deambulationem erit dependentia intentionalis, deambulationis, ab hac intentione, quæ est sanitas, sicque de reliquis finibus.

Ratio, quia in nullo argui potest insufficientiæ hæc explicatio. Breviter causalitas finis, est objectivum propter quod operor, seu objectivum responsivum. *Quare operaris*

QUÆSTIO II.

De reliquis Causam Finalem concernentibus.

Quoad effectus Causæ finalis.

Assero 1. *Actus antecedentes positionem mediorum, qualis est cognitio finis, simplex complacentia, amor, intentio non sunt effectus propriè dicti, Causæ finalis.*

Ratio prioris. Quia si cognitio finis esset effectus finis, ante cognitionem finis, jam deberet esse in actu primo causæ, sufficienter constitutus & completus finis: ante cognitionem autem non est sufficienter completus; quia finis non cognitus in ordine movendi, seu finalisandi, ita se habet, ac si non esset; deberet autem jam esse completus finis, in actu primo, quia omnis causa, supponitur completa ante suum effectum. Simplex item amor & intentio finis, ut censet Vasquez & Fonseca contra utrumque Suar. non est effectus finis, quia ratio attingendi finem non est propriè effectus finis; jam autem illi actus sunt ratio attingendi finem. Sed sunt illi actus propter bonitatem bonitatis finis, hoc est rationes attingentes bonitatem ipsius, non verò alio modo, fiuntque propter finem, tanquam propter objectum, hinc etiam impropriè dicitur desiderare aliquis pro-

propter finem, sed desiderat finem. Ergo desiderium illud non est effectus finis, cùm non fiat propter finem. Denique Aristot. 10. Metaph. tex. 30. censet, proprios effectus finis posse causare finem in genere causæ efficientis, desiderium autem v.g. sanitatis non causat propriè sanitatem, sed medicina, idemque dicendum, de amore efficaci.

Assero 2. *Actus immediatè versantes circa media, ut est Electio, inquisitio mediorum, non est propriè effectus finis.*

Ratio, quia sunt potius ratio amandi media, & propriè non sunt ratio ponendi finem in esse reali, per accidens tamen possunt esse effectus finis, si adhibeantur ut media ad consecutionem finis, propriè itaque actus hi causantur ab amore finis in genere causæ formalis extrinsecæ. Multo autem minus, actus, consequentes possessionem finis erunt propriè propter finem; quia vel sunt propriè propter intentionem finis, & hoc non, quia non est jam intentio finis posito fine, sublataque etiam omni intentione finis, sequitur delectatio de præsenti v.g. sanitate; vel sunt propter finem jam in executione positum, & hoc, non est, esse effectum propriè finis; quia hi actus adveniunt per accidens, nec supponunt finem in intentione, cùm tamen hic nonnisi intentionaliter causet. Adveniunt autem per accidens, quia quamvis Deus subtraheret concursum à delectatione, obtentionem finis consequente, haberet jam totum finis quod intendit, intendit enim positionem sui, quæ supponitur.

Assero 3. *Effectum proprium finis esse media.*

Ratio, quia ut dictum supra, respectum mediorum causa finalis est verè causa, ergo & media sunt verè effectus illius, hæc enim se ad convertentiam habent. Videtur hoc idem docere Aristot. 10. Metaph. tex. 19. ubi dicit, ea quæ fiunt propter finem, esse inter media inter finem, etiam movens, seu agens se movens ad consecutionem finis, ex quo loco sic arguitur. Id quod fit propter finem est effectus finis, pro eodem enim hæc sumuntur, sed media, ut inquit Aristoteles, sunt ea, quæ fiunt propter finem, Ergo &c.

Quoad cognitionem requisitam, ut agat causa Finalis.

Assero 1. *Sine prævia cognitione non finalisare finem.*

Ratio, quia finis non cognitus, ut dixi supra, ita se habet, ac si non esset, quia sicut existentia realis, dat esse reale physicum, ita intentionalis existentia, ratione scilicet cognitionis, dat esse intentionale, hoc autem requiritur, ut causet finis; cùm enim causet intentionaliter, debet etiam existere intentionaliter.

Assero 2. *Non esse quid impertinens ad rationem movendi fini propriam, ipsam cognitionem.* Sequitur assertum ex priori, & ratio præter superius adlatam est. Quia idem bonum propter varietatem cognitionis aliter & aliter causat, amatur enim intensius si penitius noscatur, & idem bonum in quantùm præsentatur præsens, producit amorem, in quantùm præsentatur absens, desiderium, quæ diversitas non in entitatem boni, hæc enim constanter eadem est, sed in diversitatem repræsentationis rejici debet.

Cæterùm ipsa cognitio, non est ratio formalis motiva, quia non cognitio amatur, sed objectum, & finis cognitione repræsentatus, ita nihilominus, ut non sola bonitas ametur, sed bonitas ut cognita; ad eum modum, quò præmissæ causant Conclusionem, sed ut cognitæ. Deinde finis ratio in eo consistit, quòd moveat, bonitas autem ut cognita movet. Et certè bonum secundùm se spectatum, habet se ac si non esset, & quamvis hæc cognitio habeat se nonnisi per modum requisiti, exprimitur tamen ad ostendendum, in quo statu posita, causet hæc bonitas.

Assero III. *Possibile esse, ut licèt non præcedat cognitio finis, modò aliquid defectum illius suppleat v.g. si non determinet Deus ad ponendā volitionem finis, ut inquam incognitus finis ametur.* Est Assertum Ovied. & Conimb: contra Vasq. & Arriag:

Ratio Prima asserti, quia id non implicat contradictionem.

Ratio Secunda, Potest elevari voluntas ad producendam gratiam. Ergò & amorem sine cognitione prævia, nec est ratio cur illud requisitum cognitionis suppleri non possit saltim in genere Causæ efficientis?

Ratio Tertia ex Oviedo. Potest Deus infundere actum amoris voluntati, respectu cujus nulla in voluntate præcessit cognitio, si illum enim potest ponere in lapide, multò magis in voluntate. Ergò & potest determinare voluntatem, ut eliciat actum, respectu cujus, nulla præcessit cognitio. Videantur dicta in Anima st: An voluntas ferri possit in incognitum?

Dices I. Cum Arriag. Volitio fertur ad bonum secundùm esse apprehensum, illic non est bonum apprehensum. Ergò.

Respondetur, vera esse hæc de volitione naturaliter se habente in suo modo agendi, non autem de volitione supernaturaliter in modo suo agendi, se habente. Potest etiam retineri communis responsio, esse illud apprehensum quâ apprehensum, habere se per modum conditionis, non autem per modum rationis formalis objectivæ. Non repugnat autem conditiones sine quibus Non, esse supplebiles saltem aliquas, cur non hanc?

Dices 2. Quamvis existentia sit sola conditio agendi, tamen non potest Deus elevare aliquid, quod non existit, ad causandum. Ergo

etiam quamvis cognitio sit sola conditio, non poterit elevari voluntas ad amandum sine cognitione.

Respondetur. Non assumi à nobis omnem conditionem esse supplebilem, sed aliquas, eas scilicet, quas suppleri non repugnat, repugnat autem suppleri existentiam, quæ repugnantia non ostenditur, ne suppleri possit cognitio.

Dices 3. Non potest appetitus naturalis ferri ad rem non habentem bonitatem. Ergo nec ad rem incognitam.

Rspondetur. Negan. conseq. quia malum non habet, per quid compleat voluntatem, ut amorem potius eliciat, ostenditur autem determinativum in præsenti. Addo non implicare, ut malum aliquod assumat Deus & elevet, ut suppleat vices in complenda voluntate, ut exire possit ad amorem boni alicujus objecti.

Dices 4. Cum recentiori Suar. Voluntas est potentia cæca. Ergo non potest tendere in incognitum.

Respondetur. Materialiter non esse accipiendum visum voluntatis, sed accipiendum hoc sensu, quòd scilicet nisi ponatur notitia, tanquam conditio, non sit futura completa voluntas, ad actum suum producendum: sed non sequitur, aliunde illam compleri non posse, stat que in hoc proportio, quòd sicut cæcus non potest se determinare quò ire debeat, ita nec voluntas se determinat, si nesciat quid amare debeat, si ergo aliunde determinetur, hoc ipso cæcitas illius tolletur.

Dices 5. Cum Hurtad. Volitio per se dependet à cognitione. Ergo non potest, non dependere ab illa. Antecedens probatur, quia non dependet media alia entitate.

Respondetur. Volitionem per se pendere à cognitione, tanquam à conditione, hinc illa mutata, poterit adhuc in sua entitate stare, sic v. g. in principiis nostris, non per aliquid superadditum pendet effectus ab approximatione, & tamen approximatione non data, fieri potest effectus, sola ergo dependentia non per aliquid superadditum, dependentia inquam tanquam à ratione formali, suppleri non potest.

Addo, dici posse, tali amore elicito, denominandum subjectum amans, quia adhuc ab intrinseco elicitur, nec apparet quomodo cognitio illa antecedenter se habens, conferat vim denominandi actionibus vitalibus; & sicut quamvis naturaliter non eliciat voluntas actus supernaturales, elevata tamen vitaliter illos elicit, ita & quamvis naturaliter voluntas non eliciat actus volendi sine cognitione, posita suppletione illius defectus, vitaliter illos eliciet, adeoque cum vi denominandi, elicientem.

Quoad subjecta quibus competit agere propter finem?

Assero 1. *Bruta non agere propriè propter finem.* Fusius hæc explicantur loco citato ad primam secundæ.

Ratio Interim asserti sit, quia propriè agentia propter finem, sunt agentia, quæ attendunt ad connexionem mediorum cum fine, ad quam non attendunt bruta. Operantur tamen impropriè propter finem, quia agunt propter bonum, quod cognoscunt, & ad quod habent instinctum, quem instinctum Aristoteles imitationem rationis, & brutalem quandam potentiam, consimilem rationali appellat, qui ipse instinctus fundatur supra complexionem certam animalis & temperamentum primarum qualitatum, habitualiter autem est æstimativa animalis ex tali complexione determinans ad sic vel ita operandum, actualiter autem ille instinctus est actus phantasiæ, impellens, ad sic vel ita operandum.

Assero 2. *Deum ad intra & quoad operationes immanentes non agere propter finem.*

Ratio, actus ad intra sunt ipse Deus, qui à nullo fine dependet.

Assero 3. *Operationes Divinas ad extra esse propter finem.* Ad extra enim sumptæ non sunt ipse Deus, & cùm faciat illas propter se, bene illæ respicere Deum poterunt tanquam finem.

Quoad divisionem finis, quem dividit Arist. secundi Physic. tex. 57. in finem *Cujus*, & in finem *Cui* hoc innuendum erit, quòd nomine finis *Cujus*, supple gratia, quem etiam Aristotel. alibi appellat finem Qui, veniat ipsum bonum, quod appetitur, finis autem *Cui*, est subjectum cui illa bonitas appetitur. *Quo supposito*

Assero 1. *Ex fine Qui, & fine Cui coalescere perfectam rationem finis.*

Ratio. Quia bonum appetibile, & hoc erit finis Cui, debet insuper esse bonum in se, & hoc erit finis Qui vel Cujus. Unde etiam ad sanitatem & amor sanitatis, & amor subjecti movet.

Dices 1. Finis est id, in quo sistit operans. Sed operans sistit in fine Cujus seu Qui. Ergo ille solus, est finis.

Respondetur. Operans sistit in fine Qui, tanquam ratione adæquata, nego, vult enim indubiè illum sibi vel alteri, sistit in fine Qui, tanquam in bono, quod appetitur; neque enim in ratione ejus, quod appetit, aliud hîc & nunc habet, concedo, sed non sistit, quasi illud solum motum illius sistat, defacto enim vult illud sibi, neque enim à sitiente tantum amatur aqua, sed proceditur ad ipsum sitientem, ut illum refrigeret.

Dices 2. Finis *Qui* amatur propter finem *Cui* Ergo potius est medium, quàm finis.

Respondetur. Finem *Qui* amari propter finem *Cui*, tanquam propter subjectum, non verò amari propter finem *Cui*, tanquam propter rationem amandi, quia sanitas, amabilis est, propter suam intrinsecam bonitatem.

Asse-

ASSERO 2. *Finem Cujus, seu Qui interdum esse nobiltorem entitativè interdum ignobiliorem.*

RATIO. Quia sanitas est quid ignobilius animali, utpotè ejus accidens, si autem homini optem beatitudinem, Finis Qui, erit dignior homine.

ASSERO 3. *Amore intenso ordinariè magis amari finem Cui, sed amore appretiativo non semper.*

RATIO, quia finis, Cui magis intimè perspectus magis allicit, & ita cùm volo mihi Deum clarè visum, fieri potest, ut intensius me in hoc amem, quàm Deum, licet illum magis appretiem.

QUÆSTIO III.

De Causa Exemplari.

ASSERO 1. *Exemplar* ex S. Augustino & S. Thom. *esse formam in mente existentem, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Dicitur forma*, quia sicut per formam constituitur agens potens agere, ita & per exemplar constituitur potens agere agens idæale, verèque per illam figuratur & formatur res agenda in mente. Dicitur *in mente existens*, ad distinctionem ab exemplari externo v.g. pictura, quam imitatur pictor, ad quod exemplar si velles præsentem definitionem extendere, demenda esset particula ly in mente existens, dicitur *ex intentione agentis*, ut excludantur ea, quæ casu fiunt, dicitur agentis *determinantis sibi finem*, ut excludantur bruta, quæ nonnisi determinata agunt.

ASSERO 2. *Exemplar consistere in conceptu objectivo*: negat Suar. Fonsec. Rub. Valent. & alii. Sed nobiscum est Vasquez item Arriag. & recentior Suar.

RATIO. Tum quia Arist: 7. Metaph. tex. 28. & 30. censet, exemplar esse essentiam rei, prout est in anima, dicitque domum fieri ex domo, subjice præcognita & idæali. Tum quia exemplar, est id, ad quod agens respiciens, operatur, qui non respicit suum conceptum formalem, sed objectivum. Tum quia universale non consistit in conceptu formali, ut dictum in Logicis. Ergò nec exemplar, par enim est utriusque ratio. Et certè conceptus formalis & esset exemplar, ut supponitur & non esset, quia exemplar id est, quod ea prædicata, quæ res in statu physico habere debet, intentionaliter repræsentat, ut hæc intentionalia in statum physicum reducantur, jam autem non prædicata conceptûs formalis, sed objectivi in statum physicum reducuntur.

DICES I. Exemplar divinum consistit in conceptu formali, non objectivo; Ergò & ideæ Creatæ. Antec: probatur, quia conceptus objectivus, est ipsa Creatura facienda, Deus autem in operando non dependet à Creaturis.

RESPONDET Primò recentior Suar: quòd exemplar divinum non consistat in Creaturis, tanquam in conceptu objectivo, sed in essentia Divina, prout se præbet imitabilem. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT, quia & non consisteret per illum exemplar in Creaturis, tanquam in conceptu objectivo, hæc enim est illius positio, & consisteret ut Probatur: quia qui dicunt etiam exemplar Divinum consistere in conceptu objectivo, noluntillum esse extra Deum, ideæ enim prout hîc de illis necessariò sunt internæ, consequenter sunt ipsæ Creaturæ, prout repræsentatæ per essentiam Divinam. Sed pro sua responsione.

INSTAT I. Suar: recentior, auctoritate Scripturæ; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ubi proponitur essentia Divina, prout exemplar hominis faciendi.

RESPONDETUR. Per interpretes non loquitur illîc Deus de idæa hominis, sed de similitudine in proportione ad suam naturam, immò & ad personalitates per tres potentias animæ, sed posito etiam, quòd hîc agatur de Causa idæali, inde non sequitur illam non consistere in conceptu objectivo, hoc est in ipsis Creaturis prout repræsentatis per essentiam Divinam.

INSTAT 2. Effectus imitatur aliquid â se diversum, cui sit similis per imitationem, cùm tamen Deus eundem numero effectum cognoscat, eundem numero repræsentet, at verò inter Deum & seipsum non datur similitudo, sed identitas.

RESPONDETUR. Effectum imitari aliquid à se diversum statu, sed non prædicatis; & licèt non detur similitudo physica relativa inter idem & seipsum, datur tamen similitudo non relativa, nam similis est Filius Dei in natura Patri, licèt sit eadem utriusq; natura, sed hîc etiam est similitudo specialis, nempè intentionalis, in hoc stans, ut ea prædicata, quæ objectum in re continet, imagine intentionali & spirituali repræsententur.

INSTAT 3. Idem ex Auct: Augustini negantis, Deum aliquid extra se intuitum, ut mundum fabricaret.

RESPONDETUR. Hic locus solùm probat, quòd ille conceptus objectivus non fuerit, nisi in mente Divina existens, quod nemo negaverit. *Hinc aliter?*

RESPONDETUR II. Ad primam objectionem negatur Antecedens, probatio illius distinguitur, Conceptus objectivus creaturæ faciendæ, est ipsa Creatura quomodocunq; spectata, nego, est ipsa Creatura, prout repræsentata per essentiam Divinam, concedo, pendebitque Deus à Creaturis, tanquam â termino connexo, non autem tanquam à Causa, â termino inquam

connexo, quia si non essent possibiles, non posset Deus illarum habere ideam tanquam possibilium.

Sed debetne dici, quòd exemplar creaturarum sint ipsæ creaturæ prout repræsentatæ ab essentia Divina, an quòd exemplar sit ipsa essentia Divina repræsentans creaturas? prior modus videtur præferendus. Tum quia magis ostendetur, quomodo prædicata intentionaliter repræsentata, sint in statum physicum reducta, quod tamen spectat ad ideam? Tum quia isto modo significandi magis exprimitur, quia in Recto, ipsa res idæata nec quidquam illam ita exprimi impedit. Tum quia in creatis conceptus objectivus, est ipsa res prout repræsentata. Ergo & in præsenti idem dicendum.

Dices 2. Censet Aristot. artificem producere effectum similem suæ ideæ. Sed res facienda non est similis conceptui objectivo, sed formali. Omnis enim res est similis suæ imagini, conceptus verò formalis, est imago rei.

Respondetur. Rem faciendam similem esse conceptui objectivo non quomodocunque sed prout repræsentato.

Dices 3. Exemplar consistit in eo, quod dici potest agere, sed conceptus formalis dirigit, quia dirigere est proprium dictaminis, dictamen autem spectat ad conceptum formalem.

Respondetur. Exemplar consistere in eo, quod dirigit per modum imaginis, & per modum similitudinis, adeoque quod respicit etiam ipsum dictamen, per modum objecti, ita ut exemplar dirigat radicaliter & mediatè, immediatè autem dictamen quod dictat, ut res similis fiat exemplari, quod ipsum dictamen, est conceptus formalis.

Assero 3. *Exemplar esse veram causam realem respectu mediorum.* Consulantur dicta de fine.

Addo, non esse necessarium, ut aliud numero repræsentetur per exemplar, & aliud numero fiat. Supponamus enim quòd sit possibilis una domus nonnisi, infundat ejus exemplar Deus homini, hoc exemplar necessariò eandem numero domum repræsentabit, cùm nonnisi una numero sit possibilis. Nihilominus non est necesse, ut eadem sit numero idæa, quia dantur quædam, quasi universales idææ, ut postea ex illa v.g. nonnisi solo numero distinctæ domus, ædificentur.

APPENDIX

De Natura & Arte.

Post tractationem de causis & principiis, dicendum aliquid de Natura & Arte, nam etiam hæc sunt suo modo causa & Principium.

Quod attinet ad Naturam.

Assero 1. Ex 2. Phys. Tex. 3. colligitur *Naturam definitivè, esse Principium & causam movendi & quiescendi, in quo est primum per se & non secundùm accidens.* Dicitur Natura *Principium & Causa*, ut excludatur Privatio, quæ non est Natura, eique solùm ratio Principii competit, sed plenius de hoc infra; dicitur *motus & quietis*, per motum intelligendo operationes & per quietem intelligendo non quietem negativam, hoc est cessationem à motu, sed quietem positivam, hoc est possessionem formæ & termini, ad quem fit motus, ly motus & quietis potest benè accipi copulativè, & non tantum disjunctivè; dicique potest cœlos & moveri & quiescere, non quidem negativè, hoc est cessando in motu, sed positivè, quia semper habent possessionem boni quæsiti, hoc est Maximam suarum partium à centro distantiam. Vide de hoc Discursum Aristot. 8. Phys. tex. 76. quanquam per ly quietis, intelligi potest possessio, quam habet cœlum suæ quantitatis, lucis, influxus in sublunaria, &c. Rursùs ly motus, non pro solo motu locali præcipuè actuali accipi debet, certè enim terra, est naturam habens, & tamen non movetur localiter, præcipuè in sententia negante terræ motum, etiam trepidationis. Ly ergo motus accipi debet pro motibus alterationis, quos habet terra, dum se in pristinum statum reducit, & universalius adhuc attendendo etiam ad divina debet sumi pro operationibus. Dicitur Principium *per se primum*, ut ostendatur, naturam debere esse primò essentialem composito, quod est unum substantiale per se, hinc qualitates non sunt Naturæ, quia non constituunt compositum substantiale, quod sit unum per se. Quòdsi velis Ly primò per se referri in motum & quietem, sensus definitionis erit, quòd natura debeat esse primum principium motus & quietis, ita, ut Naturâ non detur aliud prius radicale principium motus, & ita accidentia, licèt sint immediata principia motum, cùm non sint principia prima & radicalia, non sunt naturæ. Ly autem *& non secundùm accidens*, ostendit naturam debere esse principium motus & quietis, sine auxilio extrinseco, quale auxilium interdum conjungitur, ut cùm aqua hyeme reducit se ad pristinum frigus.

Dices, quamvis aliæ particulæ definitionis adlatæ non superfluant, idque ob explicationes adlatas, immeritò tamen poniturLy Principium & causa, cùm ratio Principii sufficienter in causa contineatur distincturaque sit sufficienter naturam à privatione.

Respondetur. Imprimis poni utramque particulam, ut ostendatur non omne, quod est causa motus, esse naturam, sed quod est causa per modum principii primi, seu quòd illâ causâ in illo genere non detur prius.

Neque

Neque valet si dicas, quòd sequens particula primum & per se id denotet, quia Ly primum est relativum ad principium, adeoque eandem constituens orationem.

Respondetur. Deinde particulam Et, poni distinctivè, hoc est pro Ly *vel*, ut etiam ab ipso ponitur secundi de Anim. tex. 24. Cujus eam ratio ex Theologia hæc adferri potest, quia si ponatur nonnisi ly causa in definitione Naturæ, non poterit dici Deus habere Naturam, quia in illo nihil est, quod se habeat per modum causæ, in ordine ad hæc, quæ sunt ab intra. Quod si etiam ponatur ly principium solùm, non excluderetur privatio à ratione Naturæ, ita ut in creatis, sit Natura, *Causa*, in Divinis, *Principium* motus, ad quæ licet Aristot. non attenderit, sufficit, quòd attendat Christiana Theologia, defendatque textum Aristot. quantumvis commodius foret non per disjunctionem definitionem ponere, si suppeteret terminus proprius utrique illi formalitati proximè communis.

Respondet tertiò Ovied. Superfluere particulam Principium, quòd est deferere auctoritatem Aristotelis. Pontius autem propter elegantiam dicit id positum, sed nulla est elegantia, quæ vitiat definitionem.

Assero 2. *Materiam etiam prout distinctam à forma esse Naturam, formas item materiales, Compositum tamen non esse naturam, sed naturale.*

Ratio primæ partis est Auctoritas Aristotelis 2. Physic. tex. 17. & 20. præcipuè quia etiam materia, est principium & causa passiva motus & quietis, quando autem Aristot. 5. Metaph. c. 4. dicit Materiam metaphoricè dici Naturam, per ly metaphoricè, intelligit analogicè & proportionaliter, ac cum quadam inæqualitate naturam, unde etiam 2. Phys. tex. 11. Formam magis vocat Naturam, quàm materiam, imò etiam respectu motum contrariorum formæ, est materia natura, non quidem in quantùm est determinata ad hanc formam, sed in quantùm est subjectum primum.

Ratio secundæ partis est. Tum quia ita censet Aristot. 8. Physic. à tex. 27. & 2. Phys. tex. 7. 12. 80. & lib. de Partibus Animal. cap. 1. Tum quia tota definitio motus illis competit, & licèt Aristoteles 9. Metaph. tex. 1. & 1. cœli tex. 9. dicit, Naturam esse determinatam ad unum motum, cùm tamen formæ non sint determinatæ ad unum motum, hoc ita intelligendum, quòd scilicet corpora simplicia sint determinata ad unum motum, & ita ignis, est determinatus nonnisi ad motum sursum, sed non asserit, quamcunque esse naturam determinatam nonnisi ad unum motum. Consequenter motus progressivus, quem principiat etiam ad defatigationem anima, est naturalis animæ, licèt sit violentus prædominanti elemento terræ, & consumat spiritus vitales. Formæ tamen cœlorum licèt respectu perfectionum, quas emanant sint naturæ, non tamen respectu motus circularis, quia ad illum producendum non inclinant.

Ratio tertiæ partis est, auctoritas Aristot. 2. Phys. tex. 12. *Quòd autem*, inquit, *ex his, hoc est materia & forma, sed est & constat naturâ, ut homo?* Quod ipsum definitio motus indicat, quia composito non convenit esse principium motus, in quo est, nam ipsum compositum est, in quo sunt reliqua, & non est in alio, estque compositum principium motum non radicale, sed tantùm subjectum denominationis. In oppositum citandæ auctoritates explicandæ sunt, quòd per naturam intelligat ipsum compositum ex naturis, vel quidditatem illius principalem.

Assero 3. *Non posse demonstrari dari Naturam.*

Ratio, docet id Aristot. 2. Phys. tex. 6. Nullum ad id haberi potest medium. Si enim aliquid esset, esset motus, per hunc non potest demonstrari Natura, datur enim motus violentus & ab extrinseco, motus autem ab intrinseco non est notior ipsa naturâ. Ad eum planè modum, quo non potest ignis demonstrari per calorem ab igne productum. Licèt enim per effectum possit demonstrari causa, id tamen tunc fit, quando effectus demonstrans, dum assumitur, tanquam medium demonstrationis, non involvit ipsammet causam, motus autem ab intrinseco involvit ipsammet Naturam.

Porrò, quando nego demonstrari posse naturam, loquor de demonstratione probante, quòd existat natura, consequenter definitio, non potest esse medium aptum ad hanc demonstrationem, nam definitio est notior in ratione conceptus formandi, sed non notior in ratione existentiæ.

Dices Aristoteles demonstravit tria rerum principia, adeoque materiam & formam esse naturas, & quòd sint Principia motus, & quietis. Ergo demonstrari potest dari naturam.

Respondetur. Indubiè non fuisse oblitum Aristotelem quòd demonstrârit dari materiam & formam, & tamen dicto loco sic habet. *Quid igitur est natura, dictum est, & quid quod à natura, & secundùm naturam, quòd autem sit natura tentare, demonstrare, ridiculum est, manifestum enim est, quòd hujusmodi Entia sunt multa, demonstrare autem manifesta per immanifesta, non potentis judicare est, quod per seipsum & non per seipsum notum est.* Hinc licèt demonstrarit dari materiam demonstravit dari naturam, specificè acceptam, motum item & quietem specificum, non autem dari naturam ut sic, sub conceptu naturæ. Et sicut ex eo, quòd demonstrarit Aristoteles, tria dari principia non sequitur demonstrasse illum, quòd privatio sit natura, ita nec sequitur demonstrasse illum, naturam ut sic.

Quòd attinet ad artem.

Assero 1. In 6. Metaph. c. 4. *Artem esse habitum cum recta ratione factivum circa ea, quæ esse possunt & non esse, quorum principium est in eo, qui facit, non in eo, quod efficitur*, de hac definitione videantur dicta; An Logica sit Ars

Assero 2. *Formam artificiatam in re loquendo nihil aliud esse, nisi ipsum corpus sic, vel ita, figuratum.* Hoc assertum illustratur & propugnatur, ex Materia de Connotatis, consequenter dico, casu quo, sicut corpus Christi collocatum est in Eucharistia indivisibiliter, ita collocaretur & pictura, tunc illa pictura non haberet quidem figuram situalem, hoc est, non haberet ubi circumscriptivè ad locum, haberet tamen eandem figuram artificialem in ordine ad locum definitivè occupandum.

Assero 3. *Artem non posse per se loquendo moliri operanaturæ.*

Ratio, non potest aliud dare ars, quàm formam artificialem, aliàs extra suum objectum procederet, quòd si non potest dare, nisi formam artificialem, non potest indere intrinseca, forma artificialis non est aliud in re, nisi corpus ita figuratum, figura autem, est ipsa quantitas ita, vel sic terminata, quantitas autem ipsa de se non est operativa, proprietas enim sequitur conditionem ejus cujus, est proprietas, quantitas autem est proprietas, quantitas autem est proprietas materiæ, materia autem nihil agit.

Non nego tamen, quòd figura & artificium, multùm faciat per modum dispositionis ad aliqua opera naturæ, & ita figura pyramidalis, juvat descensum deorsum. Non nego rursùs, quòd applicando per artem activa passivis, multùm fieri possit, sed tamen tunc ista referenda erunt primario in ipsa naturalia, in artem autem non nisi tanquam in applicantem, & ita sanitas causatur à medicina, applicando activa passivis, quæ primariò reducenda est in ipsum temperamentum nocivis subtractis, reducens se in pristinum: hinc applicando activa passivis etiam animalia imperfectiora produci possunt. Idem sentiendum puto de productione auri, neque excedit scientiam humanam, quòd temperamentum qualitatum requiratur ad aurum, experimento est medietas clavi aurei, & alia ferrei, quæ visitur Florentiæ. Et certè, sicut ignis, qui est inter elementa præstantissimus variis modis generatur, cur non & aurum? Quando autem prohibetur ab Ecclesia alchimia, prohibetur tanquam difficilis & pernitiosa propter expensas, & ne detur adulterino auro locus, sed non prohibetur tanquam impossibilis, saltemque hoc artificium Angeli nôrunt, cur ergo illud Deo annuente, non possent hominibus communicare?

TRACTATUS II.
DE IPSO COMPOSITO.

POst Tractationem de Principiis & Causis sequitur Tractatio de Principiato & Causato; hoc est ipso composito, de quo sit

DISPUTATIO VIII.
De ipso Composito.

HAnc materiam concernentia videnda sunt, dicta de distinctione modali & connotativa ubi tractata est hæc Major; Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, in præsenti autem tractabitur hæc Minor, sed sine entitate modali non potest salvari transitus à non esse uniti ad esse uniti: Quod ut fiat, *sit*

QUÆSTIO I.
De Unione.

EXaminabimus hîc imprimis, an sine entitate modali ratio unionis salvari possit? deinde an unio formaliter accepta sit modus? deniq; de conditione hujus modalitatis.

DIFFICULTAS I.
An sine entitate modali, ratio unionis salvari possit?

AFfirmant Nominales, & ex nostris Greg. de Valen. tract. 4. disp. 1. q. 2. Dandinus in tractatu 7. de anima, Vadingus tractatu de Incarnatione: negat Suar. cum aliis nostris.

Punctum Difficultatis I.
Quid Tenendum?

DICENDUM est. *Sine modali entitate, rationem unionis, salvari non posse.*

PROBATUR primò Conclusio. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione, ut dictum tractando de modis. Ergo & ad esse uniti, à non esse uniti, transiri non poterit sine sufficienti mutatione, nam etiam esse uniti & non esse uniti sunt contradictoria, sed nisi ponatur entitas modalis, non dabitur sufficiens mutatio ad transitum à non esse uniti ad esse uniti, quæ enim hæc mutatio? Ergo ponenda est entitas modalis, subsumptum mox probabitur impugnatione responsionum.

PROBATUR secundò principiis adlatis in tractatu de modis, quæ hîc proportionaliter, applicanda sunt.

PROBATUR tertiò. Unio hypostatica non potest salvari sine modali entitate. Ergo neque unio compositi Physici. Consequentia probatur Authoritate Athanasii, qui asserit, quòd sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo, unus est Christus, quæ verba accipi ut sonant, nihil vetat. Deinde, quod est diversitas ordinis inter Naturam humanam & personam Divinam, hoc est indifferentia in materia & forma ad uniri & non uniri, & sicut diversitas ordinis determinatur ad uniri per superadditum modum, ita & indifferentia debet tolli per eundem. Antecedens autem probatur auctoritate S. Thomæ, qui universaliter asserit, quodvis perfectibile requirere dispositionem superadditam ad recipiendam perfectionem altioris ordinis, & ita lumen gloriæ præsupponitur visioni, gratia omnibus habitibus supernaturalibus moralibus primò infundendis, habitus actibus, & universaliter natura ordinis inferioris aliqua sui mutatione, similitudinem ordinis superioris prius participat, quàm à natura superioris ordinis perficiatur. Antecedens idem, robur habet ex argumento, quod ponitur in materia de possibilitate Incarnationis; ubi ostenditur non posita entitate modali salvari commodè non posse, cur mediatè defacto uniatur natura Divina naturæ humanæ? salvari item non poterit, cur potius Persona verbi & non aliæ sint immediatè unitæ? Reliqua videantur in materia de Incarnatione.

Obji-

Objicitur 1. Nulla est necessitas unionis modalis, non sunt autem multiplicanda entia sine necessitate.

Respondetur. Ex infra dicendis, esse necessitatem, ut ostendatur sufficiens mutatio ad esse uniti acquirendum.

Instabis. Ponamus miraculosè à Deo tolli omnes modos, sive illi sint formaliter unio, sive connotatum: & nihilominus ponamus indistare à se materias & formas ut ante, illa extrema verè erunt unita. Ergo otiosa est modalitas superaddita.

Respondetur. Negando fore illa unita, sed habebunt se ita, sicut Angelus intimè corpori præsens, vel sicut duo puncta se invicem penetrantia, unde tunc nec materia v.g. esset animata, nec paries albus, sed tantùm esset materia & anima, paries & albedo; carerent enim determinativo ad esse uniti.

Objicitur secundò. Modi implicant. Ergo rationem unionis ingredi non possunt. Antecedens probatur, habere entitatem distinctam, & non habere entitatem distinctam sunt contradictoria, modi habent entitatem distinctam, ut supponitur, & non habent entitatem distinctam; quia sine extremis conservari non possunt.

Respondetur. Nego sequi ex eo, quod sine extremis Modi conservari non possint, eos non habere distinctam entitatem, quamvis non habeant ratam. Addo in sententia Aristotelis formæ materiales & accidentia habent distinctam entitatem à materia, nec tamē per illum conservari poterant extra subjectum, en non implicat apud Philosophum habere propriam entitatem, & tamen non posse separari.

Objicitur tertiò. Si daretur unio modalis, partes compositi non unirentur immediatè, unirentur enim media unione.

Respondent Modales, quòd unirentur media unione tanquam ratione ut quo, non verò mediante tanquam ratione ut quod; & sicut quamvis inter oculum & objectum mediet visio, immediatè tamen objectum videtur, quia visio mediat tanquam ratio videndi & ut quo, ita & hîc, posita autem modalitate pro connotato, multo minus urgebit argumentum.

Instab. Saltem compositum non erit ens per se, non enim uniretur per se, sed per aliud.

Respondent Modales, non ex eo compositum esse ens per se, quia extrema uniuntur seipsis, sed quia ad se ordinantur tanquam actus & potentia, ejusdem ordinis.

Objicitur quartò. Relatio interveniens inter extrema non est modus: compositio item tam ex genere & differentia, quàm & natura & hæcceitate non sunt modi. Ergo nec compositio extremorum Physicorum.

Responsum ad consequentiam in materia de relatione, unde dico consequenter, relationem unibilium esse indistinctam, licèt unio importet modalitatem, sicut relatio Paternitatis est quid indistinctum, licèt esse Patrem importet entitatem. Aliæ paritates non tenent, quia cum partes Metaphysicæ sint indistinctæ realiter, etiam unio illarum, debet esse identitas, adeoque nihil distincti importans; unio autem partium Physicarum non debet esse identitas.

Objicitur quintò. Compositum non est superaddita entitas extremis simul sumptis. Ergo nec compositio seu unio, est superaddita entitas. Consequentia probatur, quia compositio & unio, est fieri uniti. Ergo si ipsum factum esse seu compositum non est superaddita entitas, nec fieri superadditum erit, nam aliàs fieri & factum esse, non essent idem.

Respondetur. Disparitatem esse; quia impossibile est reperire formam & materiam simul sumptam, & non reperire compositum, possibile autem est reperiri materiam & formam, & nondum esse unionem, eritque adhuc fieri & factum esse idem, quia sicut fieri importat distinctam modalitatem; ita & factum esse.

Objicitur sextò. Modalitas superaddita non potest facere compositum unū formaliter, nam si faceret unum faceretvel per modum totius, vel per modum partis? non per modum totius, quia illa modalitas non est totum esse compositi; non etiam per modum partis, quia partes sunt ea, quæ componuntur, modus autem non est id, quod componitur; quòd si neutro modo facit unum formaliter, absolutè non facit unum formaliter; quia quidquid facit unum formaliter, facit illud unum, vel formalitate partiali, vel formalitate totali.

Respondent Modalistæ, unionem non esse partem ut Quod compositi, esse tamen partem ut Quo, seu ipsam compositionem, qui autem modum pro solo connotato admittunt, negabunt, quòd modus ille, vel per modum totius, vel per modum partis faciat compositum, sed per modum necessarii connotati, ad eum modum, quo terminus relationem, nec per modum partis, nec per modum totius, constituit relationē.

Objicitur septimò. Si de ratione unionis esset modalitas, hac modalitate prius deberet creari rationalis anima, quia extremum præsupponitur modo, hoc autem dici non potest, quia est error Origenis asserere, prius animas quàm uniantur creari.

Respondetur. Non esse necesse animas prius tempore creari, quod volebat Origenes, sed sufficit illas creari prius naturâ. Certè enim modus respectu modalisatorum habet se ut prius, quia competit illi causalitas respectu modalisatorum & habet se ut posterius, quia præsupponit subjectum, cui inexistere debet. Posito autem quòd unio modalis vel modalitas pro connotato importata, sit materialis, non erit necesse ante hanc modalitatem præsupponi Animam vel formam.

Ut

Ut autem pondus primi argumenti quod principale est in hac materia fundamentum examinetur, *sit*

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Variæ Responsiones ad argumentum.

Respondent primò aliqui: Sufficiens mutatio, quare forma & materia à non esse uniti transeant, est, quia materia, est materia in actu secundo, & forma, est forma in actu secũdo.

Contra, impossibile est transire à non esse materiæ in actu secundo, ad esse materiæ in actu secundo, item à non esse formæ in actu secundo, ad esse formæ in actu secundo, sine sufficienti mutatione, propter principium universale. Impossibile est transire à contradictorio &c. Sed nisi ponatur entitas modalis non erit sufficiens mutatio ad istum transitum habendum; quod probo inquirendo, quæ sit hæc mutatio.

Respondent, quia materia non tantum est sibi & in se, sed & alteri, hoc est formæ, forma item non est sibi tantùm & in se, sed & alteri, hoc est materiæ, item quia materia & forma unescunt, hoc est in homine homineſcunt, in bove boveſcunt, sed redit argumentum, impossibile est transire à non esse sibi & alteri, ad esse sibi & alteri, à non esse homineſcentis, ad esse homineſcentis, sine sufficienti mutatione, quæ hîc mutatio?

Respondent ulterius, transire v.g. materiam ad esse sibi & alteri seipsâ, ad eum modum, quo à non esse ad esse. Angelus transit seipso. Sed redit argumentum, impossibile est transire à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso, sine sufficienti mutatione propter receptum principium impossibile est &c. sed nisi ponatur entitas modalis non ostendetur sufficiens mutatio, ad transitum à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso, quæ enim illa? videantur dicta de modis, Instantia adlata de Angelo pro nobis est. Quando Angelus à non esse existentis ad esse existentis transit seipso, est mutatio facta in entibus, quia de novo producitur entitas Angeli: si ergo tu taliter seipso transiri à non esse uniti ad esse uniti censes, admittis novam entitatem. Denique tunc seipso transitur à non esse ad esse, Imprimis, quando est nova tunc pullulans entitas. Deinde quando illo posito hoc ipso indispensabiliter transitur, à contradictorio ad contradictorium, de quo quæritur, inclusa illa sufficientia in ipsomet ente seu esse, apparet enim quòd ipsi esse, insit vis denominandi, & sic seipso transitur à non esse existentis, seipso autem non transitur ad esse similis, nisi ponatur altera qualitas, si sit similitudo in qualitate, idque ideo, quia illa sufficientia non est inclusa in ipso esse, cùm possit esse qualitatis esse, & non esse, similitudinis esse. Jam autem non hoc ipso, quia ponitur entitas materiæ & formæ, habetur transitus ad esse uniti.

Respondent secundò alii, quæ responsio est continuatio prioris. A non esse uniti ad esse uniti, vel secundùm Phrases immediatè positas, à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso transiri per novam formalitatem, seu modum essendi appropriate dictum. Quod ipsum sic aliter proponitur. Duplex potest esse transitus ab uno contradictorio ad aliud, unus à non esse simpliciter ad esse simpliciter, vel ab esse simpliciter, ad non esse simpliciter, ut cùm Angelus creatur, à non esse simpliciter, transit ad esse simpliciter, vel cùm annihilatur, tuncque ab esse simpliciter, transit ad non esse simpliciter, & in tali transitu debet esse mutatio in entibus, vel non entibus. At verò datur alius transitus ab uno contradictorio ad aliud, per quem aliquid transit, tantùm à non esse secundùm quid, ad esse secundùm quid, vel è contra, ut fit in generatione, nam materia absolutè potuit existere sine forma, tantumque transit à non esse habentis formam esse habentis formam, &c. & in tali transitu, non est necesse fieri mutationem in ipsis entitatibus, sed in entibus secundùm quid, seu formalitatibus, seu in modis essendi, formaliter distinctis ex natura rei à suis entitatibus, quibus identificantur, qui etiam modi essendi, non tribuunt esse rebus absolutè & simpliciter, sed aliter esse secundùm quid, quàm ante fuerint, & denominari de novo.

Contra est. Tum quia redit argumentum factum, impossibile est transire à contradictorio non habentis novam formalitatem, ad esse habentis novam formalitatem, denominationem, modum essendi appropriatè dictum, sine sufficienti mutatione, at quæ hîc mutatio? & certè, ad formalitatem relationis similitudinis, de novo habendam, transitur positione albedinis v.g. in altero pariete, ad denominationem & formalitatem inæqualis, vel deperditione, vel acquisitione entitatis, & sic de reliquis, quæ autem est mutatio ad habendam novam formalitatem unionis? Tum quia universaliter loquendo distinctio ex natura rei, quam supponit hæc doctrina nulla datur. Tum quia ad transitum à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, requiritur mutatio in entibus, vel non entibus. Ergo etiam & ad transitum à non esse secundùm quid, ad esse secundùm quid; non est enim major ratio unius, quàm alterius. Tum quia transitus à non esse relati, ad esse relati, est transitus secundùm quid, & tamen requirit si fortè nonnisi unus paries sit albus, ut etiam alius dealbetur, quæ mutatio est in entibus. Ergo immeritò assumitur, mutationem in hoc transitu non debere esse in entibus. Tum quia illa formalitas, & non est entitas modalis, & est entitas modalis, non est, ut supponunt oppositi, est autem entitas modalis, ut probatur, est enim terminus immediatus veræ actionis realis, quæ est generatio, habet entitatem suam secundùm quid, &

pro-

prout condistinguitur ab extremis non est nihil, habet suam existentiam propriam, voca illam ut vis, nonnisi distinctam formaliter ex natura rei, quid illi deest ita distinctæ, ne habeat existentiam consimilem modis, cùm etiam distinctio modalis sæpe à Suar. Ovied. & aliis appelletur distinctio ex natura rei, videntur enim hæc duo, talis scilicet formalitas & modalitas, verbis differre. Tum quia formalitas illa prout distincta nemine cogitante ab extremis est, est secundùm quid ens, ut ex verbis respondentis colligitur, & tamen dicitur identificata extremis, ut videre est in textu Responsionis, magis autem repugnat, duas entitates quascunque identificari realiter, quàm duo entia simpliciter, nam ex duplici titulo in prioribus est repugnantia identificationis, & ex titulo distinctæ entitatis, & ex titulo secundùm quid, qui magis distat à ly simpliciter, quàm ly simpliciter ab alio, ly simpliciter, hinc magis repugnat accidens, quod est ens secundùm quid, identificari substantiæ, quàm substantiam substantiæ.

Denique videntur hac doctrina convelli duo Principia, lumine naturæ nota.

Primum. Quod semel est identificatum, semper est identificatum, quod principium à respondente convellitur, nam formalitas identificata alicui Enti perit, manente eo, cui est identificata. Neque valet si dicas, manere in re illam formalitatem non manere formaliter, redit enim argumentum illud ipsum formaliter, est identificatum realiter & nemine cogitante, quomodo ergo non manet illud formaliter nemine cogitante, manente eo cui identificatur.

Secundum principium convellitur quod semel non est identificatum, non potest postea identificari, nam idem esset idem & non esset idem. Siquidem ex non idem, fieret postea idem. Quod ipsum sic proponitur. Ante identificationem non erat hoc idem, sed distinguebatur à non identificato, post identificationem est idem, quia hoc ipso non est identificatum. Ergo idem evadit non idem, & non idem, evadit idem. Si autem non erat idem formalitas unionis cum existente materia, & cum existente forma, & postea evadit idem, quomodo ex eo, quod non est idem, non evadit idem.

Respondebis, quòd accedens illa formalitas, licèt sit idem realiter, non est idem formaliter.

Contra, Hoc ipsum quod non est idem formaliter, est adhuc nemine cogitante idem realiter, præfuitque nemine cogitante. Quid ergo advenit quod sit nemine cogitante.

Respondebis, advenire quoad id, quod est nemine cogitante formaliter, etsi distinctum ex natura rei.

Contra erit. Illud distinctum, illud nemine cogitante, illud formaliter ex natura rei adveniens, si jam præfuit realiter, nemine cogitante, quid est nisi aut mera concepta formalitas, aut merum nomen, & sicut si nemine cogitante & realitas panis & formalitas quoad esse reale spectata poneretur in Eucharistia, sed tantùm diceretur abesse formalitas panis, ex natura rei sumptus, nihil minus esset de pane nemine cogitante; ita si illa formalitas ex natura rei nemine cogitante adveniens, jam præfuit quoad suam formalitatem quoad rem, si præfuit illud ex natura rei, quoad suum esse reale, si illud nemine cogitante adveniens, præfuit nemine cogitante reater, quid rogo advenit?

Respondetur tertio. Sufficientem mutationem quare à non esse uniti ad esse uniti transeant materia & forma, esse, non ipsam unionem, quæ importet modalitatem superadditam, sed ipsam actionem eductivam formæ. Universalius, ne procedat hæc responsio de solis unibilibus, quæ, constant forma materiali; sic aliter proponitur quòd scilicet à non esse uniti ad esse uniti transeatur ipsa actione unitiva, de qua ipsa sic discurritur. Duplex invenitur actio substantialis, quædam productiva, & hæc semper debet habere novum terminum absolutè & simpliciter, ut fit, dum v.g. creatur Angelus; alia verò est actio compositiva substantialis, quæ cùm sit illa, vi cujus ex duobus entibus præexistentibus fiat unum, seu compositum, quod compositum non est absolutè distinctum ab iisdem partibus, proinde etiam non debet correspondere tali actioni novus absolutè & simpliciter terminus substantialis, sed secundùm quid, neq; enim vitalis actionis res aliqua transit à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, sed tantùm à non esse secundùm quid, ad esse secundùm quid. Porrò illius actionis compositivæ duplex adhuc terminus assignari potest, nimirum totalis, & hoc est ipsum compositum, quod est novum, cùm antea non fuerit in ratione compositi acceptum, alter autem terminus formalis & immediatus, & hic est novus modus essendi, v. g. Materia quatenus actu seipsa recipiens formam. Quòd autem actio possit terminari ad formalitatem aliquam, ratio est, quia motus terminatur ad ubi, potest item divinitus fieri penetratio duorum corporum, & tamen penetratio non producitur.

Quod attinet ad illam doctrinam de eductione formæ.

Impugnat primò hanc responsionem Hurt. sed ejus rationes videbis solutas hîc apud Oviedo n. 15.

Impugnat secundò Oviedo, quia si unio identificaretur actioni eductivæ, mutatâ actione mutaretur & unio, & cum post instans generationis mutetur actio, nam in secundo instanti à Deo solo conservatur, & in primo instanti influebat in formam causa secunda, hinc post in-

instans generationis mutabitur & unio, si autem mutabitur unio, mutabitur & compositum, quia compositum importat necessariò unionem.

Responderi potest, non mutari compositum, quia non mutantur partes ejus substantiales materia & forma, mutatio autem talis penes substantialia attendi debet. Et quamvis importetur unio à composito, importatur in quantum unio, est ipsamet materia & forma simul sumtæ, non in quantum unio importat aliquid extrinsecum, qualis est eductio.

Impugnat tertiò idem. Actio quà producitur forma est accidens, est enim essentialiter propter terminum, nec intenditur propter se à natura, sed propter terminum, si est accidens, non potest esse de essentia compositi, nam id secundum totum suum esse debet esse substantiale.

Respondetur, quòd unio secundùm quod dicit in recto debeat esse substantialis, non secundum connotata. Deinde non est necesse, ut majori titulo dicatur unio substantialis, quàm cum generatio remotè & pro alterationibus accepta dicitur substantialis, scilicet terminativè.

Impugnat quartò Recentior Suar. si generatio passiva esset unio, omnis generatio passiva, esset unio, non enim est ratio major de una, quàm de alia, sed falsum est, omnem generationem passivam, esse unionem, nam modi verè generantur, & tamen non per generationem, sed seipsis uniuntur, aliàs si seipsis non unirentur, possent divinitùs existere, separati à suis realitatibus.

Respondetur. Imprimis Nominalistæ negando modos, negabunt eosdem generari, sed concessis modis non convincit argumentum, dici enim potest omnem generationem entis Rati materialis, esse unionem, quamvis non absolutè omnis entis, præcipuè cùm non teneat argumentatio ab ente rato ad ens modale, immò hoc ipsum, quod adfert Suar. pro disparitate adferri potest, quia scilicet aliàs possent modi existere, sine modificato.

Impugnat quintò idem. Generatio passiva includit duo, dependentiam à subjecto, & receptionem in illo, sed unio neque est dependentia à subjecto, neque receptio in illo, quod ipsum probat, unio animæ rationalis est unio, & non est dependentia à subjecto. Rursus Modus est dependentia à subjecto ut subjecto, & tamen non est unio. Ergò unio non est ista dependentia. Receptio etiam non est unio, quia partes continui uniuntur, neque tamen una recipitur in alia.

Respondetur. Probabile est, quòd unio animæ rationalis sit materialis, consequenter poterit esse dependens à subjecto. Rursus omnes modi cùm importent non posse existere sine subjecto, sunt in re unio sui cum subjecto, ut passim Modalistæ volunt, quantumvis nomen unionis appropriatum sit unioni extremorum ratorum. Falsò item assumit, quòd partes continui uniantur unione superadditâ. Quando autem idem addit quòd dependentia à termino, quam habet relatio, non sit unio, adeoque nec dependentiam à subjecto, quam dicit forma, esse unionem, id etiam non convincit, quia unio inter ea dici debet intervenire, inter quæ est compositio, & cum inter extrema relationis non sit compositio, dependentia illa, non debet vocari unio. *Hinc aliter*

Contra hanc eductionem est. Tum quia vel ponis eductionem, actionem importantem novam modalitatem, vel non ponis? si non ponis, redit argumentum, impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione: ergò & à non esse actionis eductivæ, ad esse actionis eductivæ, at, quæ hîc mutatio? Si autem ponis eductionem esse actionem importantem modalitatem, quæro, positâ eductione vel potest Deus facere miraculosè; ne forma educta uniatur, vel non potest? si non potest, cur? nego enim ipsam eductionem esse unionem; si non potest, Ergò eductio, non est ipsa unio. Tum quia, si non implicat, potius assignari debet ea ratio unionis, quæ sit respectu quorumcunq; compositorum universalis, eductio autem non est ratio universalis respectu quorumcunque unibilium, quia non convenit animæ rationali.

Quod attinet ad illam actionem compositivam non productivam.

Contra est. Tum quia impossibile est transire à non esse actionis compositivæ ad esse actionis compositivæ, sine sufficienti mutatione; at, quæ hîc mutatio? cùm nihil noviter addatur Materiæ, nihil addatur Formæ, manetq; eadem difficultas de illa actione ac de formalitate ex illa pullulante. Tùm quia, quamvis possibile sit, ut actio identificetur termino, ut fortè contingit in omnibus actionibus vitalibus, est tamen impossibile, ut sit vera actio & nihil producat, non habeatq; terminum. A quo termino, si non distinguitur realiter modaliter, saltem debet dari Entitas, cui identificetur? cui autem illa actio compositiva, ut supponitur nova, identificatur; quid illic de novo producitur, cui sit actio, quid identificatum? Tum quia concedimus, compositum non esse distinctum realiter à partibus simul sumptis & unitis, sed restat quærere, per quid transeatur ad illud esse compositi? intuendoq; illud principium, quòd omnis actio debeat aliquid agere habereq; terminum, cui saltem identificetur realiter, negandum erit dari ullam actionem veram compositivam, quæ interminata ad materiam, formam, modalita-

temq; aliquam , terminetur tamen ad ipsum compositum.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Propositum.

Respondetur quartò, sufficientem mutationem, ob quam materia & forma à non esse uniti ad esse uniti transeant, esse intimam præsentiam in circumstantia dispositionum requisitarum. Porrò ipsam indistantiam non volunt esse talem; qualis est distantia locati à loco, sed indistantiam, quæ intimitatem adferat, qualem intimitatem dicit Deus ad creaturas, dicerent item duo corpora , si se penetrarent, puncta item se tangentia.

Impugnat primò, hanc responsionem Oviedo, quia si unio consisteret in indistantia , seu in præsentia utriusque extremi, sequeretur, quòd quotiescunque homo moveretur, sicut acquirit novam præsentiam ita acquireret novam unionem, in approximatione consistentem.

Respondetur, quòd scilicet per motum localem non acquirat novam præsentiam materia & forma inter se, sed tantùm acquirant præsentiam ad extrinseca , & sicut sedens in equo respectu equi eandem præsentiam habet, quamvis respectu aliorum aliam, ita & materia respectu formæ. Deinde à respondentibus requiritur indistantia non merè localis , sed indistantia cum certa intimitate, quæ per solum motum localem non acquiritur.

Impugnat secundò idem. Si unio in approximatione consisteret , sequeretur unam formam substantialem, non expellere aliam, possunt enim inter se penetrari, nam non adferunt proprias quantitates , & impenetrabilitas illis, nonnisi ratione quantitatis competit ; si ergò se penetrent , cùm sint futuræ proximæ & indistantes ab eadem materia , informabunt illam.

Respondetur. Non quomodocunq; in approximatione & indistantia sitam esse rationem unionis, sed in indistantia & dispositionibus materiæ, quæ non sunt in materia, nisi pro una forma, determinatioq; alterutrius penderet à Deo, & utraq; quidem haberet indistantiam localem, sed nonnisi una determinabilis à Deo intimitatem explicatam.

Impugnat tertiò. Si unio consisteret in materia & forma sumptis cum indistantia & dispositionibus , vel illa indistantia & dispositiones haberent se per modum merè extrinsecè ad unionem, ita scilicet, quòd unio in sola materia & forma consisteret, vel per modum alicujus ad unionem spectantis, si per modum extrinseci, sequitur , quòd quotieseunq; ponitur materia & forma indistantes, toties poneretur & unio, cum nonnisi in indistantia materiæ & formæ stet ; si autem aliquo modo dispositiones spectant ad rationem unionis, contra erit, quia potest materia uniri miraculosè formæ sine dispositionibus, & materia prima Beatissimæ habuit ad animam Christi dispositiones , & tamen illi unita non est, quantumvis illi fuerit intimè præsens.

Respondetur. Non convincere hoc principium, quasi non possit aliquid extrinsecum esse tale, ut sine ipso non possit aliquid esse, nam terminus, est quid extrinsecum relationi , etiam Transcendentali, & tamen sine eo, non potest esse relatio, Organisatio corporis perficitur per accidentia, sine ullis formis partialibus substantialibus, & tamen sine illis, non potest esse compositum humanum. Deinde aliquæ fortè dispositiones requiruntur ad uniri. Materiæ primò , quæ non requiruntur positâ jam unione; hinc corpori Beatissimæ, nõ potuit uniri anima Christi , cumq; defacto fuerit unita corpori Beatissimæ, anima ejusdem , non habuit vim uniendi se ejus corpori, Anima Christi. Denique supponit arguens , quacunque indistantiâ formari rationem unionis, quod negant oppositi, unde quamvis concederetur Beatissimæ animæ indistantia localis à Corpore Christi, posset nondum esse unio ob defectum intimitatis. *Hinc aliter*

Contra Responsionem est , Tum quia, Concedo quidem ostendi ratione dispositionum mutationem, sed nego illam esse sufficientem, quia hæ dispositiones vel sunt tales, ut illis positis impossibile sit non sequi unionem ; vel certè illis positis possibile est non sequi unionem; non secundum; quia hîc quæritur de tali ratione ; quâ positâ sit impossibile non sequi compositum ; & quæ sit objectum volentis Dei, ut ex non unito, fiat unitum ; objectum autem hujus voluntatis Dei, debet esse tale , ut sicut impossibile est frustrari voluntatem, Dei volentis, ut ex non unito fiat unitum, ita etiam, ut impossibile sit illud objectum non inferre rationem uniti ; non etiam potest dici primum, quia omnium formarum effectus , qui non sunt formales primarii, sunt impedibiles, sed indistantiæ & dispositionum effectus formalis primarius non est unire , sed tantùm disponere ad unionem, & sicut disponere ad gratiam, non est gratum facere, disponere ad formam ignis, non est ignire, ita nec disponere ad unionem, erit unire, Deinde si positâ indistantiâ, & dispositionibus, impossibile est non sequi unionem; istæ dispositiones non possent poni , quin ponantur extrema unibilia, licèt possint poni extrema unibilia sine illis dispositionibus, hoc autem est formalissimè admittere modos. Tum quia specialiter contra indistantiam urgendo, quæro per hanc indistantiam , vel intelligis solam præsentiam localem , vel aliam intimitatem penitiorem? Si primum, quæro, vel in illa ipsa statuis unionem,

nem, vel in aliquo alio etiam? Si in illa statuis inadæquatam unionem; Ergò penetratio, erit inadæquata generatio, quia erit inadæquata ratio unionis materiæ & formæ. Si autem indistantia adæquatam habet rationem unionis, penetratio erit generatio, sequeturque genitum Christum & Beatam Virginem; cum nascendo filius penetrabat ejus viscera. Si autem per hanc indistantiam intelligis, non solùm præsentiam localem, sed aliquam aliam intimitatem, quid hæc intimitas? Rursùs cum hæc intimitas non sit entitas superaddita, sed sola formalitas, restituo argumentum; impossibile est transire, à non esse intimi penitus, ad esse intimi sine sufficienti mutatione, quæ hîc mutatio? Tum quia discurrendo circa has dispositiones urgeri potest, dantur unibilia de novo, quæ non requirunt intimitatem de novo. Ergò ratio uniti malè per dispositiones explicatur, quæritur enim hîc ratio formalis, adeoq; universalis uniendi, qualis est albedo respectu dealbandorum. Antecedens probatur, quia Personæ Divinæ sunt unibiles de novo naturæ creatæ & tamen ad hoc uniri nullâ indigent novâ intimitate.

Respondetur quintò, quòd à non esse uniti, sit sufficiens mutatio naturaliter & ordinariè loquendo, ipsa indistantia & dispositiones, itemque eductio respectu formarum materialium, & creatio respectu animæ rationalis ita, ut naturaliter loquendo, uniri nihil aliud sit, nisi materiam habere dispositiones, & esse illi formam, quæ educitur vel creatur præsentem, quia verò fieri potest miraculosè, ut non fiat illorum unio, etiam positis illis prærequisitis, hoc inde fit, quia positis illis prærequisitis ponit Deus modum determinantem, quominus illa uniantur; atque ita jam unio erit ipsa materia dispositra, & forma indistantes, prout dicunt negationem modi determinantis in casibus miraculosis, ne sequatur illorum unio. Sic v. g. Angelus habet species futurorum à se cognoscibilium, & per præsentiam illorum, naturaliter & ordinariè loquendo, sufficienter determinatur ad esse cognoscitivi futura, si tamen Deus ponat modum determinantem, ne sequatur cognitio, tunc Angelus à non esse cognoscentis futura, ad esse cognoscentis futura, non poterit transire per solam præsentialitatem objecti, & sicut non est necesse, ut detur modus determinans Angelum positâ præsentialitate objecti futuri, ut cognoscat futura; sed sufficit sola negatio modi determinantis & impedientis, quominus cognoscat, ita sufficiet indistantia formæ & materiæ, unà cum negatione modi impedientis, quominus illa uniantur. Et sicut rursùs non positâ præsentialitate objecti, si Deus velit Angelum cognoscere futura, sufficiet ponere modalitatem determinantem Angelum ad esse cognoscentis, ita non positis dispositionibus, si Deus velit fieri unitum, ponet modalitatem determinantem ad esse uniti.

Impugnat primò hanc responsionem quidam, quòd scilicet multiplicet magis entia, quàm communis sententia modalistarum, quia quamvis pro ordinariis unionibus non adstruat modalitatem, immò explicat unionem per negationem entis, hoc est modalitatis, tamen pro extraordinariis casibus multiplicat modos specie distinctos, unum quidem qui impediat, ne materia dispositra uniatur formæ, & alium, qui materiæ indispositæ uniat formam indistantem, majusq; est multiplicare entia specie distincta, quàm solo numero distincta.

Responderi potest, quando pro principio assumitur non esse multiplicanda entia sine necessitate, agitur de actuali multiplicatione; non autem de possibili & miraculosa; porrò hæc responsio non multiplicat actu entia, cùm non multiplicet actu modalitates. Quòd autem possibilitatem entitatum non prohibeat multiplicare illud principium, ratio est. Tum quia illud principium non prohibet affirmare, Deum posse producere quidquid non implicat contradictionem, dicere autem, hunc vel illum modum esse possibilem, est affirmare Deum posse producere, quidquid non implicat contradictionem. Tum quia etiam per Modalistas possunt dari modi, quorum unus etiam indispositæ materiæ uniat formam, quamvis ordinariè id non faciat, potest item dari alius specie distinctus, qui impediat quominus uniatur forma indistans, etiam dispositæ materiæ, & insuper Modalistæ dicunt uniri hæc extrema defacto modis. Ergò Modalistæ magis multiplicant entia.

Posset nihilominus hoc argumentum restitui, quod etiam in miraculosis casibus, si aliquid sine miraculo, & sine multiplicatione entium fieri possit, nec ponendum miraculum, nec multiplicanda entia; nisi aliunde id constet. In principiis autem modalium sine multiplicatione entium sequitur negatio unionis, in casibus miraculosis, sed etiam hæc stabilitio argumenti, infringi potest. Quòd si hæc duo comparentur inter se, multiplicatio entium in casibus extraordinariis, & multiplicatio entium in obviis & ordinariis, præeligenda sit multiplicatio in illis prioribus, quia procedetur quasi in alio statu rerum, in alio autem statu potest hoc fieri per entia; quòd aliàs fit per non entia, Modalistæ autem in præsenti statu multiplicant entia.

Impugnat secundò idem, quòd scilicet unio sit quid positivum. Ergò in illa negatione modi, stare non potest.

Responderi potest, unionem esse quid positivum in recto, hoc est ipsa extrema dispositra, licèt sit quid negativum in obliquo; & sicut ratio termini in quantitate sufficit, quòd sit positiva, ratione eorum, quæ dicit in recto, ita & ratio unionis. *Cæterum*

Contra hanc responsionem est. Tum quia, si unio, seu compositio, esset ipsamet materia &

forma dispositæ, prout dicunt negationem modi impedientis, non unio, seu decompositio, esset positio illius modi; cujus unio dicebat negationem, quod ipsum probatur, quia non esse negationis omnis formæ & formalitatis non ponitur aliter, nisi positione entitatis, cujus negatio dicebatur, sic v. g. negatio albi non tollitur aliter, nisi positione albi, non esse relationis, non tollitur aliter, nisi positione relationis. Ergò etiam & negatio modi impedientis, non potest aliter tolli, nisi positione modi impedientis, atqui hoc falsum est, nam in morte non posito ullo modo fit separatio animæ à corpore, adeoque negatio unionis & decompositio, procedit autem argumentum de formali ratione disunionis, non autem de materialiter sumpta disunione, quæ haberi potest, utpote malum ex singulis defectibus, adeoq; ex negatione dispositionum. Tum quia, quando Deus vult, ne per præsentiam objecti, species Angelicæ de futuris compleantur, & ne Angeli de iis eliciant cognitionem, non est necesse ponere modum impeditivum, quominus cognoscant, sed sufficit sola subtractio concursus ad ponendam entitatem cognitionis, essetq; hoc multiplicare entia sine necessitate. Ergò & quando vult Deus, ne positis circumstantiis requisitis, uniatur materia formæ, non est necesse ponere modum impeditivum, sed solum subtrahere concursum, ne pullulet modalitas, de qua disseritur. Tum quia videtur hoc esse inventum, nonnisi ad eludendum argumentum sine ullo auctoritatis fundamento, & tamen si nihil impediat, præstat potius talem rationem assignare unionis, quæ in ordinariis & extraordinariis casibus, eandem rationem prorsus uniti faciat in extremis ejusdem speciei:

Posset hîc adhuc adferri ratio, Cur à non esse uniti ad esse uniti transeatur, nempe ratione concursus Divini certæ differentiæ temporis alligati, in qua Deus decrevit fieri aliquod compositum? Sed hoc principium impugnatum in materia de modis.

Addo insuper, quòd concursus Divinus in seipso spectatus, nõ fit per illos aliqua entitas, quæ sit de novo, hinc restaurari potest argumentum jam factum. Impossibile est à non esse concursûs Divini alligati certæ differentiæ temporis, in ordine ad faciendum unitum, ad esse concursûs Divini alligati certæ differentiæ temporis, transire sine sufficienti mutatione, quæro quænam mutatio intercesserit sufficiens?

DIFFICULTAS II.

An unio formaliter accepta, sit modus?

TEnenda erit media via inter sententiam Nominalium & Modalium, Quod ut fiat, *sit*

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

PRÆMITTO I. *Distincta sunt hæc duo, quærere: An unio salvari possit sine modo,* & de hoc diximus superiori difficultate; *& aliud est quærere, an unio sit formaliter modus*, sicut aliud est quærere: an universale dari possit sine abstractione formali, & aliud est quærere, an universale sit ipsamet abstractio formalis. item aliud est quærere: an ratio sensitivi dari possit sine animato, & aliud; an sensitivum sit formaliter animatum, & & sic de reliquis. Porrò in præsenti, secundùm hunc alterum sensum quærendum erit: Quod ipsum ut explicetur.

PRÆMITTO II. *Quòd aliud sit dicere materiam determinari, ad esse in actu secundo, & aliud est dicere materiam esse determinatam ad esse materiæ in actu secundo*, nam illud primum habetur à solo actu existentiæ, & productionis extra causas, posterius autem habetur tunc, cùm materia actu exercet rationem & officium materiæ, idem dicendum proportionaliter de forma.

PRÆMITTO III. *Quamvis certum sit, quòd si materia sit determinata ad esse materiæ in actu secundo, hoc ipso etiam forma sit determinata ad esse formæ in actu secundo, supposito tamen quòd æqualiter utrag; pars, rationem unionis ingrediatur, debet exprimi utrag; determinata.* Posito autem, quòd modus determinativus non ingrediatur rationem compositi tanquam pars intrinseca, sed merè tanquam connotatum, non debet dici, unionem esse materiam, formam, & determinationem, sed materiam & formam prout dicunt determinationem, quantumvis si in re spectetur illa unio, independenterq; à nostris conceptibus, dicet omnia illa tria. Hoc suppositum explicatum alibi. *His præmissis*

DICENDUM est. *Quòd unio formaliter sit ipsamet entitas materiæ, prout determinata ad esse materiæ, seu subjecti in actu secundo, & ipsa forma, prout determinata ad esse formæ in actu secundo*, Aristotelicè autem dices, quòd unio sit ipsa materia & forma, quia hoc quidem materia, & illud forma est. Non addidi autem, quòd hæc determinatio fiat per entitatem modalem, ut magis universalem unionis conceptum traderem, si enim darentur materia & forma, quæ non possent, nisi unà existere, illæ verè essent unitæ & determinatæ ad esse talium in actu secundo, sine ulla tamen modalitate, & quia de facto ita determinata extrema non dantur, de facto determinatio illa habetur ab entitate modali in obliquo, & pro connotato importata.

PROBATUR primò Conclusio. Si nihil obsit, in eo Formalitas unionis statuenda est, in quo eam constituit Aristoteles, sed ille ipsam constituit in materia, prout exercet rationem & officium

officium materiæ,& in forma, prout exercet rationem & officium formæ. Ergò: Major est recepta in Scholis, quoad auctoritatem Aristotelis, quòd autem nihil obsit constabit ex solutione argumentorum. Minor probatur, imprimis textibus Aristot. 8. Metaph. text. 15. quærens, quare aliqua non fiant unum substantiale, ut Ilias,aliqua fiant,addit,*Quia si*,inquit,*hoc quidem materia,hoc verò forma est,& hoc quidem potentia, hoc verò actus, profectò non videtur amplius dubitatio esse, quod quæritur.* Rejicit ibidem T. 16. Philosophus antiquos, comminiscentes aliquid tertium,ad faciendum compositum,& pro causa hujus erroris assignat,*Causa*,inquit,*est quoniam potentiæ rationem quærunt unientem, & differentiam,est autem ut dictum est ultima, materia & forma idem, & hoc quidem potentiâ, hoc verò actu.* Certè textu hoc citato mediam unionem rejicit,dicitq; non in unionem id mediam rejici debere,sed in hoc, quia hoc quidem materia,illud forma est. Textus ulterius sic habet: *Quidam copulam animæ, & quidam compositionem aut conjunctionem animæ cum corpore, ipsum vivere. Attamen eadem de omnibus ratio erit, etenim ipsum sanum esse, aut copula, aut compositio, aut conjunctio animæ & sanitatis erit, & æs esse triangulum, compositio æris & trianguli,& album esse compositio superficiei & albedinis.* Subjungit Aristot. hæc omnia erronea esse: & rationem reddit,*Causa verò est,quoniam potentiæ & actus rationem quærunt unitatem & differentiam.* Concludit Aristot. *Est autem ut dictum ultima, materia & forma idem.* Vide eundem 2. de Anim. text. 710. & reliquis, hinc conficitur tale argumentum. Id secundum Aristotelem formaliter est unio,quod redditur pro ratione, quare aliqua fiant unum substantiale, atqui hoc, quare aliqua fiant unum substantiale,est, quia hoc quidem materia, hoc verò forma est. E. in hoc,quod quidem materia hoc verò forma est,consistit formaliter ratio unionis,& quia Arist: nullum fundamentum habuit distinctionis nexus radicalis & formalis, censendus est loqui de unione formali. Et certè loquitur de hac unione illam rejiciendo, quam ponebant antiqui, illi autem adstruebant unionem proximam.

Eadem mens Aristot. exinde colligitur,quia Aristoteles nullum habuit fundamentum superaddendi ad faciendum compositum aliquam entitatem, præter entitatem materiæ & formæ dispositarum; nam quoad formas materiales attinet, illas censebat distinctas quidem realiter à materia,sed non separabiles à materia ad sui permanentiam, hinc formas materiales substantiales, secundi Physicorum textu 19. comparat cum figura & simitate, concreta item accidentalia, comparat cum masculino & fœminino septimi Metaph. tex. 17. & 6. Metaph. textu 2. quòd si censebat non separabiles à materia, censebat non posse reperiri disunitas, si non erant reperibiles disunitæ,non erunt indifferentes ad uniri vel non uniri,si non erunt indifferentes ad uniri, vel non uniri, non indigebunt determinativâ modalitate; & sicut Modalistæ quia asserunt de sua modalitate unionis, illam non esse indifferentem, ut sit vel non sit unitiva subjecti, etiam per ordinem ad agens Divinum, ideo uniendæ illi non superaddunt alium modum,ita nec Aristoteles addere debuit. Quod attinet ad animam rationalem, nec istam separabilem putabat à materia dispositа & organisata, nec enim miracula vidit, quæ agnoscit Christiana Philosophia, quòd si non agnovit formam indifferentem ad uniri materiæ dispositæ, nec habuit fundamentum superaddendi entitatem,quæ tolleret indifferentiam.

Respondeis primò ex Suar. Aristotelem rejecisse entitatem tertiam ratam ad constituendum compositum substantiale,sed non rejecisse entitatem modalem.

Contra. Tùm quia non rejecit quidem clarè, rejecit autem implicitè, siquidem pro causa ultima, quare hoc unum seu compositum sit, reddidit, quia hoc quidem materia,& illud forma est: Tum quia talem nexum rejecit Arist. qualem nexum admiserunt ii,quibus ille se opposuit, illi autem admiserunt nexum modalem, quia admiserunt nexum, sine quo Materia & Forma esse possent,licèt ipse nexus sine illis esse non possit. Quia illi non distinguebant inter nexum formæ spiritualis, cum corpore, & inter nexum accidentium cum materia, sed æqualiter de utroq; loquebantur, cum tamen nexus accidentium esset per illos talis, ut sine illo posset esse corpus, non ille sine corpore, siquidem & ipsas formas accidentales tales cum Aristotele retro omnes Philosophi agnoverunt, ut sine illis posset esse subjectum, non illæ sine subjecto, Ergò & nexus ille erat talis,ut sine illo potuerit esse materia,licèt ille nexus, non potuerit esse sine materia. Ergò si rejecit nexum Aristoteles, rejecit nexum modalem. Tum quia nullum fundamentum est in Aristotele agnitæ entitatis modalis quà talis, ab illoq; probatæ.

Respondebis secundò, Aristotelem non loqui quare aliqua sint unita,sed tantùm quare sint unum per se, quod rectè in hoc principium refertur,quia illud actus, illud potentia est.

Contra. Tùm quia album ex communiori sensu non est unum per se, Aristoteles autem locis citatis ostendit,quare ex albedine & subjecto fiat unum,id referendum esse; quia hoc quide actu,illud verò potentiâ est. Ergò non loquitur de solo uno per se. Tum quia esse unum per se, & esse unitum. v. g. in composito humano,non distinguebat Aristoteles physicè & nemo distinguit, cùm ergò dabat Physicam rationem, quare in composito humano partes sint unum per se,idq; referebat, quia hoc quidem materia,

illud forma est, etiam censendus est, eandem dedisse rationem quare sint unum, cùm non distinguantur physicè intra eandem entitatem? Tum quia in citato 8. Metaph. disserit universaliter Aristoteles, cui etiam consentit S. Thom. 8. contra Gent. cap. 71. par. Q. 76 a. 6 q. 4. de malo art. 4. secundi de anima Lec. 1. in fine.

Probatur secundò Conclusio, si nihil obsit debemus Modalitati tribuere modum essendi, qui non sit de genere suo perfectissimus, consequenter si nihil obsit non debet illi tribui ratio substantialis, sed positâ unione in sola materia & forma, quà talibus in actu secundo, non tribuetur Modo modus essendi de suo genere perfectissimus, dicetur enim ille modus, non ingredi constitutivè rationem compositi substantialis, sed esse modus in entitate accidentalis, substantialis autem terminativè, quia ordinatus essentialiter ad determinanda extrema substantialia; ad eum modum, quo alterationes clauduntur nomine generationis substantialis, quia scilicet ad substantiale compositum terminantur. Quod autem modalitati non sit tribuendus modus essendi de genere suo perfectissimus, Ratio est. Quia non est ens, sed entis ens, maximeq; accedit ad accidens immo est quid illo debilius, hinc accidens licet non possit existere naturaliter sine subjecto, potest divinitus, cum modus ne divinitus quidem sine subjecto existere possit. Deinde sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec dignificanda, nulla autem necessitas substantialisandi modum.

Probatur tertiò, si nihil obsit in eo debemus constituere unionem, quòd quam optimè salvet: quare in resurrectione mortuorum substantialiter iidem simus resurrecturi, sed positâ unione in sola materia & forma prout talibus in actu secundo, salvatur melius, quare in resurrectione mortuorum, iidem substantialiter simus resurrecturi. Minor probatur, quia positâ illâ unione substantiali Modalisticâ, cum eam in resurrectione eandem non simus habituri, non ita rigorosè dici poterimus iidem substantialiter resurrexisse, deerit enim aliquid nobis substantiale, nec refert, quòd aliâ substantiali unione longè meliori, quia incorruptibili supplendæ sunt vices corruptibilis unionis, nam si nobis daretur corpus ex alia materia, quæ est nobilioris speciei, non diceremur substantialiter iidem resurrexisse, ita & hîc.

Confirmatur, quia principalis ratio ponendæ entitatis modalis, est, ut ostendatur sufficiens mutatio transitus à contradictorio ad contradictorium, huic autem planè satisfiet, positâ modalitate determinativâ, pro solo nonnisi connotato.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicit primò Arriag. Quando duæ res invicem possunt separari, saltem de potentia absoluta, evidens est, eas esse distinctas, quia nihil à seipso potest separari. At possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum natura; & tamen non inter se unitæ. Ergò materia & forma comparata ad unionem, sunt distincta.

Respondetur. Concedendo totum, quia indistincta sunt ab unione, materia & forma, non quomodocunq; sumptæ, sed prout tales in actu secundo; si autem simpliciter sumantur materia & forma, deest illic aliquid tertium, nempe connotata Modalitas, à qua nemine cogitante entitativè distinguuntur materia & forma, & sine illa non competit materiæ & formæ ratio unitarum.

Instabis. Quando duæ res invicem possunt separari, evidens est, eas esse distinctas realiter, sed potest esse materia & forma, & non esse talis in actu secundo. Ergò materia & forma illæq; quà tales in actu secundo, sunt duæ res, quæ ad invicem distinguuntur.

Respondetur. Materiam & formam in circumstantia Modalitatis non posse non esse tales in actu secundo, quod ipsum connotatum si desit, distinguentur ab illo entitativè materia & forma: Deinde ea distinguuntur realiter, quæ possunt separari separatione entitativâ, non tamen ea, quæ possunt separari separatione ejusdem aliter se habentis, potestq; materia & forma non esse tales in actu secundo, non secundùm quod illa talitas aliquid dicit in recto, sic enim dicit ipsam entitatem materiæ & formæ, sed secundùm quòd talitas dicit aliquid in obliquo, nempe connotatam modalitatem, à qua indubiè distinguuntur entitativè. Videantur dicta circa hoc argumentũ, in materia de Relatione.

Objicit secundò idem. In generatione hominis datur propria & rigorosa actio generativa. Ergò aliquid per illam producitur, non materia neq; forma rationalis, nam hæc non generantur. Ergò debet produci unio utriusq; partis. Ergò hæc est distincta ab utroq;.

Respondetur primò. Actionem productivam, noviter entis, habere terminum distinctum realiter, à re, hoc est, debere esse productivam novæ entitatis, sed actio productiva noviter ejus quod est purè ex entibus, non debet habere distinctum terminum realiter à re, sed sufficit quod habeat distinctum formaliter. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia formalitates in nostra sententia, non sunt quid distinctum nemine cogitante, quomodo ergò seipsis, distinctam

stinctam nemine cogitante, terminabunt actionem. Tum quia actio illa productiva noviter, extrahitne aliquid extra causas noviter, vel non extrahit? Si non extrahit noviter, Ergò neque est actio productiva noviter, utpotè cui non respondet passum; Si verò extrahit noviter, Ergò dat necessariò noviter existentiam. Si autem dat existentiam noviter, rogo quid desideratur, quòd ille terminus, habeat esse realis à re. Tum quia immeritò diceretur v. g. Paterni tatem esse terminum strictæ & rigorosæ actionis productivæ, cum ergò formalitatis compositi comparativè ad materiam & formam simul sumptas, non minor sit Physica identitas, quàm Paternitatis in Relato: non poterit dici illa formalitas terminare propriam & rigorosam actionem productivam:

Responderi potest aliter, imprimis quærendo: an Aristoteles agnoverit propriam & rigorosam generationem hominis vel non? Si agnovit, & tamen censuit nihil substantiale à generante produci, (nam censebat materiam esse ingenerabilem, animam item rationalem non censuit generari, unionem item modalem substantialem non admisit) quid mirum erit, si cum Aristotele asseramus, etiam positâ rigorosâ generatione hominis, non esse necessarium, ut aliquid substantiale, reale producatur novum, si autem non agnovit rigorosam generationem hominis, probandum hoc venit asserenti, vel cum ipso sentientes non arguendi, præcipuè quia hîc involvitur quæstio de voce: ut mox videbimus. Rursùs pone Modalistis non constare, posse materiam & formam indistantes præsentesque non uniri, tunc jam non cogitarent de modis in composito, jam ne tunc temporis negassent generationem substantialem, quodque illi vellent responderi in sententia Aristotelis, casuque proposito, idem nos in præsenti dicere poterimus.

Directè autem argumento duplici viâ satisfieri potest, imprimis distinguendo generationem, in generationem remotam, & proximam; Generatio remota est, productio dispositionum quæ sunt accidentia, vocantur tamen generatio substantialis, quia terminatur ad substantiale aliquid, nempè compositum; Proxima autem generatio, est instantanea inductio materiæ in formam, ista etiam habet terminum realem, non quidem materiam & formam, nam hæ ingenerabiles sunt, sed habet ipsam entitatem modalem determinativam, ut hæc materia, sit materia in actu secundo; & hæc forma, sit forma in actu secundo, quantumvis hæc entitas, sit entitativè accidens, & terminativè non nisi, substantialis. Quod ipsum sic illustrari possit. Entia quò magis abstrahunt à materia, eò dependent à paucioribus causis, & ita cùm DEus abstrahat ab omni materia, etiam Metaphysica, hoc est potentialitate ad existere, convenit illi asseitas seu independentia. Rursùs Angeli cùm abstrahant ab omni materia Physica seu corpore, non tamen Metaphysica, convenit quidem illis ratio dependendi, sed non nisi ab una causa hoc est DEO, Angelus enim non generat Angelum. Bruta verò quia non abstrahunt, & quoad materiam. & quoad formam, quoad esse materialis, ideò dependent in suo fieri, & à DEO, & à generante, cujus actio, immediatè ad ipsam formæ materialis eductionem terminatur. Jam verò homo cum esse suo, participet, & cum Angelis, & cum Brutis, quod quidem forma illius non dependeat à generante dissimilatur Brutis, assimilaturque Angelis, ab eodem non nisi principio habendo pendentem formam, hoc est à DEO; à quo solo etiam Angeli habent esse dependens: quia nihilominùs dissimilantur Angelis homines, debuerunt pendere in suo esse; quod est generari à pluribus principiis, hoc est & à DEO, & à generante, licet sese minùs extendente, quàm extendatur in generatione Brutorum, ideò generans hominis non extendendo sese ad formam, extendit se ad positionem dispositionum, cùm tamen nullæ dentur dispositiones ad esse Angeli.

Alia via est satisfaciendi eidem argumento, inquirendo quid veniat nomine generationis substantialis, ejusque rigorosæ, hæc enim quantumvis rigorosa generatio, non importat productionem substantiæ, nam in Divinis est generatio, & non est productio substantiæ. Rursùs si per rigorosam generationem substantialem intelligis productionem entis de prædicamento substantiæ, ex eo quod etiam Divina subsistentia, quæ generatur, sit de prædicamento substantiæ, ad hoc etiam dici potest, quòd non sit de ratione substantialis productionis rigorosæ, productio entis de prædicamento substantiæ, cùm nulla particula definitionis, generationis substantialis id deposcat. Quòd si per rigorosam generationem substantialem creatam intelligas dispositionem substantiæ, ut evadat totum substantiale eo sensu, etiam nos dari concedimus generationem substantialem, quod etiam voluit S. Thom. par. 1. q. 118. art. 2. ad quartum, ubi inquit, *Homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis ejus, disponitur materia ad susceptionem talis formæ.* Ubi S. Thom: non in productionem alicujus substantialis à generante, sed in materiæ dispositionem refert generationem, vultque illam esse substantialem, hoc est dispositivam substantiæ, per aliquid substantiale decisum, non autem per productionem alicujus substantialis novi.

Instabis Primò. Generatio substantialis debet habere terminum substantialem, Generatio hominis est generatio substantialis, Ergò non habet pro termino modũ, qui est accidens.

Respondetur. Negando quòd generatio substantialis immediata, debeat habere termi-

num substantialem immediatum, habet enim pro termino dispositiones quas producit, sed generatio substantialis secundùm terminum mediatum, hoc est compositum, debet esse substantialis, vel certè generatio substantialis debet habere terminum substantialem, hoc est vi cujus vel disponatur substantia, decisione virtutis substantialis, vel producendo aliquid de prædicamento substantiæ, sed non debet esse semper per productionem alicujus substantialis. Quanquam cùm Modalistæ ponunt actionem esse de genere accidentis, hôc ipso negabunt illam esse in entitate substantialem, cur ergò & de generatione hominis, idem non poterit dici, ut illa sit nonnisi terminativè substantialis?

Instabis Secundò. Mors hominis est corruptio alicujus substantialis, sed non est corruptio materiæ & formæ, Ergò est corruptio substantialis unionis aut modi illius, qui tunc corrumpitur, adeoque debet esse substantialis.

Respondetur. Mortem hominis esse corruptionem substantialem, quia est corruptio totius, quod denominatur homo, & est aliquid substantiale, ita ut homo non tantùm sit subjectum denominationis, sed & terminus formalis corruptionis, certè enim Aristoteles agnovit substantialem corruptionem hominis in morte, nec tamen agnovit distinctum subjectum denominationis, à termino formali. Conformiter ad dicta suprà dici potest. Mortem hominis esse corruptionem alicujus substantialis terminativè, sed non esse corruptionem alicujus substantialis, entitativè.

Addo. Nihil omninò plus habere præ nobis Modalistas, ratione cujus salvent aut generationem substantialem hominis, aut ejusdem corruptionem, illorum enim modalis unio, seipsâ non est homo, si non est homo seipsâ, ergò nec ipsa est terminus generationis hominis, quia generationis humanæ terminus, debet esse homo, idem dic de corruptione substantiali. Sicut ergò per illos sufficit immediatum terminum ponere talem, quo posito non possit non esse genitum quod est homo, aut corruptum, quod est homo, ita & per nos suffecerit, ponere illud connotatum Modale, tàm enim unionem illorum substantialem, quàm modum nostrum, sequitur compositum hoc, quod est homo. Unde ulteriùs non facit ad propositum, sivè illud sit accidentale, sivè substantiale, ad quod sequitur esse vel corrumpi hominis, siquidem antecedens illud, sivè substantiale, sivè accidentale, non est homo; hîc autem quæritur de termino generationis vel corruptionis humanæ, qui terminus homo est. Deinde nihil per Modalistas refert, an effectus producatur per substantialem, an per accidentalem actionem, modò producatur tali actione, quâ positâ inimpedibiliter ponatur effectus, ita nec referre debet quale sit in entitate quod immediatè generatur vel corrumpitur, modò sit tale, ut illo posito, in impedibiliter ponatur homo, sublato autem, tollatur. Denique expresè Ovied. docet hîc con. 4. p. 2. n. 4. quòd unio non sit quid, nisi accidentaliter pertinens ad constituendum hominem, nam quantumvis crearetur unio, idem maneret compositum, quomodo ergò ratione illius unionis, potiori modo debet dici esse corruptio vel generatio hominis eaq; substantialis.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur reliqua argumenta.

Objicit Tertiò Arriag. contra dispositiones, sed ejus argumentum etiam ad præsens accommodari potest. Sivè unio consisteret in materia & forma talibus in actu secundo, connotando illam modalitatem, quæ est accidens, homo non esset totum substantiale, involveret enim in suo conceptu illud determinativum quod est accidens.

Respondetur. Rationem substantialis desumi à solis partibus, quæ sunt substantiales, hoc est materia & forma, quæ quia ordinantur ad se, tanquam actus & potentia ejusdem ordinis, consequenter non ita se habet, sicut acervus lapidum, nec ita sicut calor comparatus ad hominem, quia calor comparatus ad hominem, est accidens. Quæri etiam potest ex proponente: an corpus sit de substantiali conceptu hominis, si est de substantiali conceptu hominis, dicam quòd de substantiali conceptu illius, sint accidentia; nam per illum in ratione corporis organici formatur corpus accidentibus. Addit Pontius, quando homo dicitur esse totum substantiale, si intelligitur quòd partes quas includit sint substantiales, vera est propositio, si autem intelligatur, quòd non includat aliquod accidens, ullo modo, falsa est propositio.

Objicitur Quartò ex Oviedo, accommodando argumentum illius. Si determinatio illa modalis, se haberet ut connotatum, vi cujus existat unio, identificata cum materia & forma. Ergò esset contradictio, ut existeret alia unio distincta à materia & forma, vel ipsa esset formaliter unio. Antecedens probatur, unio identificata cum materia & forma, nihil aliud est quàm materia & forma. Sed illud connotatum non est conditio, ut existat materia & forma. Ergò non est conditio, ut existat unio identificata cum materia & forma.

Respondetur. Modum illum esse conditionem, ut existat materia & forma nõ quomodocunq;

cunque, sed ut existant quâ tales in actu secundo, cum quibus solis quâ talibus, est unio identificata. Antè Instantias mox ponendas.

Suppono. Principia aliàs stabilita de Connotatis, & de conceptu ut sic partis, de quo tractatum est in materia de Sacramentis in communi sub initium; nempè licèt negemus aliquibus convenire rationem partis, concedimus tamen illa esse essentialiter & indispensabiliter requisita, ita ut sine illis, impossibile sit denominationem illam haberi, quantumvis denominationem illam, illa requisita non ingrediantur per modum partis. Unde in præsenti denominatio Uniti, dicit Materiam, Formam, Modalitatem illam determinativam, licèt illa Modalitas determinativa, non habeat se, vel per modum partis ad totum unitum, nec tanquam ratio ejusdem formalis.

Consequenter, si in re loqui velimus, denominatio uniti, & compositum, dicit Materiam, Formam, Modalitatem, quantumvis illa modalitas, non sit ratio formalis uniendi, nec pars in denominatione uniti, ad eum modum, quo in relatione Transcendentali importatur fundamentum; ratio fundandi, Terminus, licèt ipse Terminus, nec sit pars relationis, nec ratio formalis referendi.

Et quia, ut dixi, in re, hoc quod est esse habentem Materiam denominationem Materiæ in actu secundo, & formam habentem rationem formæ in actu secundo, est denominatio, tria illa importans Materiam, Formam, Modalitatem, ideò sine illis tribus, impossibile est illam haberi, quantumvis ipsa illa modalitas non sit pars illius denominationis, nec ipsa ratio formalis denominandi. Quid ergò deerit Materiæ & Formæ existentibus ne habeant rationem talium in actu secundo, adeoque unitarum? deerit illa modalitas, quæ nisi supponatur, non potest intelligi illa denominatio.

Instabis Primò ex eodem. Formam & Materiam unitas existere, vel dicit aliquid supra existentiam utriusque entitatis, vel tantùm dicit utramque existentem, si aliquid dicit distinctum Ergò unio distinguitur à Materia & Forma, si nihil dicit, Ergò quotiescunq; existunt, toties sunt unitæ.

Respondetur. Quòd esse unitas nihil dicit plùs secundùm quod esse unitas, aliquid importat in recto, nihil inquam plùs dicit, supra entitatem Materiæ & Formæ, esse tamen unitas secundùm id, quod esse unitas dicit in obliquo, est quid distinctum ab entitate utriusque, in obliquo enim importat modalitatem. Secundùm etiam phrasim præsurpatam, esse unitas supra existentiam utriusque Entitatis dicit Materiam, non quomodocunque sed exercentem actum secundum materiæ, & formam exercentem actum secundum formæ, quod est quid distinctum, acquiriturq; ratione connotatæ modalitatis, de novo advenientis. Denique secundum suppositum immediatè adlatum loquendo, Materiæ & Formæ existentibus ne sint unitæ, deest modalitas connotata, distinguiturq; unio à materia & forma, sine connotatione modalitatis sumptis, licèt illa ipsa connotata modalitas, nec sit ratio formalis uniendi nec pars uniti, sed est tantùm necessarium essentialiter prærequisitum.

Instabis Secundò ex eodem. Conditio distinguitur realiter à ratione formali ad quam est conditio, Ergò illud connotatum, cùm sit tanquam conditio, distinguetur à ratione formali; quo posito sic ulterius urgetur. Ratio illa formalis prout distincta à connotato, vel dicit præter materiam & formam aliquid, vel non dicit: si dicit aliquid, Ergò unio distinguitur à materia & forma; si non dicit, Ergò ratio formalis unionis sita erit in solis illarum entitatibus, adeoque quoties hæ entitates existent, toties existet unio.

Respondetur imprimis, Negando universaliter, quòd conditio sit distincta realiter à forma, ad quam est conditio, quia existentia est conditio ad hoc, ut aliquid sit causa; & tamen indistinguitur realiter à causa; negatio distantiæ est conditio ad præsentiam, & tamen ab illa indistinguitur realiter. Unde tantùm verum est conditionem, esse distinctam realiter à forma, si forma sit Physica, non autem si forma sit Metaphysica: in præsenti autem unio, est forma Metaphysica materiæ & formæ, quâ talium, in actu secundo. Rursùs negatur, manere rationem formalem, quando sumitur condistinctè à connotato, sed manet nonnisi ratio formalis inadæquata; adæquata enim importat etiam illud connotatum: hinc à ratione formali illud connotatum distinguitur realiter inadæquatè, eò quòd illud complexum includens quæcunque spectantia ad unionem, importet illam conditionem, tanquam aliquod prærequisitum, ut pullulet ratio formalis adæquata unionis, & adæquata ratio relationis transcendentalis importat terminum, licèt non tanquam partem compositivam, ita importabitur & illa modalitas, licèt nec sit unio, nec illam componat per modum partis. Denique dici potest, quòd ratio formalis unionis prout condistincta ab illo modo, supra entitatem materiæ, dicat aliquid non entiativè sed formaliter distinctum, quod ipsum formaliter distinctum, non pullulet antè positionem illius connotati.

Instat Tertiò idem. Unio secundùm entitatem suam Physicam & secundùm formalitatem nemine cogitante, non distinguitur à materia & forma, sed positâ materiâ & formâ præexistit unio secundùm entitatem Physicam, Ergò existit etiam secundùm formalitatem.

Re-

Responsum in simili circa relationem, quod breviter repetitur: Unionem secundùm formalitatem spectatam, in quantum formalitas unionis, dicit aliquid pro subjecto, pro intrinseco &c. non distingui à materia & forma; licèt formalitas unionis in quantum aliquid dicit pro connotato & extrinseco intrinsecè requisito, distinguatur à materia & forma, quia modus ille quem importat unio, non habet eandem entitatem cum materia & forma.

Instabis Quartò. Connotata illa modalitas per nos inadæquatè distinguitur, ab illa ratione unionis, quod nō potest dici, quia si inadæquatè tantùm distinguitur, quomodo non est Pars intrinseca Unionis, sicut forma eò quod inadæquatè distinguatur à toto, est pars totius.

Respondetur. Connotata illa modalitas inadæquatè distinguitur ab illa ratione unionis, loquendo de Unione in re, inquantum illa complectitur sivè sua intrinseca, sivè extrinseca essentialiter requisita, licèt sit adæquatè distincta illa modalitas ab unione sumpta pro iis, in quæ tanquam intrinseca, cadit denominatio unionis; & ita in sententia communi Connotatistarum tempus vespertinum distinguitur inadæquatè à cœna, in quantum cœna complectitur omnia, sine quibus impossibile est esse cœnam, licèt tempus vespertinum non sit pars eōstitutiva, cœnæ nec sit illi intrinsecū quid. Cùm hoc tamen stat, ut sine illo connotato, non habeatur denominatio nec cœnæ, nec unionis. Quòd autem forma, eo quòd inadæquatè distinguatur sit pars totius, hoc exinde oritur, quia in denominationibus, quæ non sunt petibiles ratione alicujus connotati, rectè infertur esse hoc partem, si inadæquatè distinguitur, sed in denominationibus petibilibus ratione alicujus connotati non infertur determinatè ex inadæquata distinctione, quia hoc est pars, sed tantùm infertur quòd aut si pars, aut connotatum extrinsecum, intrinsecè & necessariò requisitum.

Instabis Quintò. In Principiis nostris, connotatum est adæquatè aliud, ab eo cujus est connotatum, ut terminus à relatione, cur non & illa modalitas erit adæquatè aliud, à ratione formali unionis.

Respondetur. In principiis nostris, connotatum est adæquatè aliud, ab eo, cujus est connotatum, si sumatur connotatio pro eo solo, in quod intrinsecè cadit denominatio connotativa. Sed non est adæquatè distinctum connotatum ab eo, quod sivè pro intrinseco, sivè pro extrinseco intrinsecè requisito, dicit connotatio: quô etiam sensu nec terminus à tali complexo, est adæquatè distinctus.

Objicitur Quintò. Unio formaliter est determinatio materiæ & formæ ad esse talium in actu secundo, sed modus est ista determinatio. Ergò modus, est unio formaliter.

Respondetur. Unionem formaliter esse determinationem materiæ & formæ, ad esse talium, determinationem inquam Metaphysicam. Modus autem est determinatio Physica, & determinatio, quæ habetur à modalitate, est antecedens compositionem, determinatio autem quæ habetur ab unione, non antecedit compositionem, sed est ipsa compositio.

Hunc modum ponunt aliqui inter dispositiones quibus non assentior, quia si esset dispositio effectus illius formalis primarius, non erit nisi disponere; adeoque adhuc saltem in ordine ad potentiam absolutam, relinquet impedibilitatem, ne sequatur unio. Sed de hoc reliqua vide in materia de Unione Hypostatica.

Colliges. Per quid distinguatur hæc nostra sententia, à sententia Modalium, & Nominalium? Per hoc: quia Nominales, non recurrunt ad salvandam denominationem uniti ad ullam modalitatem, recurrit præsens sententia; à Modalistis autem per hoc distinguitur, quia illam modalitatem non ponit pro ratione formali uniendi, sed pro necessario requisito.

DIFFICULTAS III.

De aliis Vnionem Concernentibus.

Partior Difficultatem. *Sit*

Punctum Difficultatis 1.

Estné illa Modalitas una?

Dicendum est, *Modalem determinationem, non nisi unam esse, in unoquoq; composito*, ita Suar: Vasquez Arria: Oviedo contra Hurta: & recentiorem Suar:

Probatur primò. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergò nec Modales determinationes, nulla autèm necessitas pluificandi has Modalitates.

Respondebis, quòd non ponantur duæ adæquatè distinctæ Modalitates, seu secundùm terminos Hur: uniones, sed duæ inadæquatè partiales, duo autem inadæquata partialia, non æquivalent nisi uni, ex quo sequitur nullam fieri concessâ illâ duplici Modalitate entium multiplicationem, ad eum planè modum, cùm partia ter duo ignes ad eandem stupam igniendam concurrunt, non æquivalent nisi uni igni.

Contra. Quia etiam hoc est multiplicare entia sine necessitate, nam etiam ponere duas causas partiales, si nulla sit necessitas, est multiplicare entia, etsi id quod habet rationem inadæquati, possit habere rationem adæquati; apponere illi aliud inadæquatum, est multiplicare entia

tia sine necessitate. Nulla autem necessitas, ponendi duas illas inadæquatas Modalitates.

Probatur secundò accommodando ad præsens, argumentum Oviedi. Effectus formalis determinationis est constituere illud, quod determinat componens unum compositum cum alia comparte. Ergò determinatio, quæ se tenebit v.g. ex parte materiæ, constituet materiam componentem, unum cum forma. Ergò etiam constituet, formam, componentem unum cum materia; nam materia componens unum cum forma, & forma componens unum, cum materia, ne præcisivis conceptibus differunt; quia quidquid respondet ex parte objecti in uno, respondet ex parte objecti in alio, nam quòd idem in recto & postea in obliquo idem ponatur, nõ arguit præcisionem objectivam, sicut panis cum vino, vinum cum pane, ut dixi in materia de relatione non præscindunt.

Respondebis in ista Propositione: Materia componit unum cum forma, respondet unio, seu determinatio subjectata in materia; & alia determinatio, cùm dico, forma componit unum cum materia.

Contra. Quia hoc ipsum est quod negatur, aliam scilicet debere respondere determinationem, cùm sufficiat unam respondere.

Probatur Tertiò. Positâ determinatione in sola materia, ad hoc, ut sit potentia formæ, ut sit materia in actu secundo, &c. vel unitur forma materiæ vel non unitur: Si unitur. Ergò immeritò duæ requiruntur determinationes; si positâ determinatione in sola materia, non unitur forma materiæ, Ergò nec materia illi unitur. Quod ipsum probatur, tum quia impossibile est, Petrum assidere Paulo; quin Paulus assideat Petro, si enim alteruter non sedeat, neuter dici poterit, assidere. Ergò etiam, si forma non unitur materiæ, nec materia dicenda est uniri formæ. Tùm quia si potest uniri materia formæ, & non uniri forma materiæ, positâ solâ unione materiæ ad formam, erit ne compositum vel non? si erit compositum. Ergò superadditam aliam determinationem otiosè requiris; si non erit compositum, contra erit, quia quâcunque legitimâ ratione definieris compositum, ex illa, deducetur esse illic compositum, & si dixeris esse compotum partiale, contra erit, quia nihil plùs illud totale dicet. Tum quia quando per te solùm materia unitur formæ, vel tribuit illi effectum suum formalem forma vel non tribuit; Si tribuit, Ergò superfluit alia modalitas; Si non tribuit, Ergò possibile est haberi in subjecto aptam formam, & non haberi illius effectum formalem.

Respondet primò Mastrius. Quamvis similitudo sit essentialiter duorum assimilatio, hôc non obstante est illic duplex relatio, ergò & geminanda unio.

Contra. Quia similitudo potest spectari physicè, & sic una est, nempè qualitas in hoc, & qualitas in illo, seu ut dicit Aristoteles, quorum qualitas eadem est. Deinde potest similitudo spectari Metaphysicè, & sic est duplex conceptibilis formalitas relationis, sic etiam in præsenti ex eadem proportione sufficiet Physicè una modalitas, licèt alia sit formaliter futura unio, hujus cum illo, alia illius cum hoc

Respondet secundò. Positâ unione illâ unâ, unum tantùm unietur intrinsecè, aliud extrinsecè.

Contra. Quia quamvis aliquid non recipiat in se unionem, modò sit terminus illius intrinsecus, nihil illi oberit quominùs dicatur esse unitum intrinsecè, adhucque illo extremo per modum termini se habente, mutabitur illud extremum, casu quo additione illa, licet in se non subjectata, perficiatur in ordine ad operationes, ad quas dicit essentialem ordinem, tanquam sui perfectionem.

Respondet tertiò, per unionem unam ambo extrema esse unita, sed non ambo formaliter.

Contra. Quia si aliud extremum evadat terminus intrinsecus unionis, nihil deest quominùs dicatur esse unitum formaliter; & licèt Materia & Forma unita debeant esse relata mutuò, nego hanc relationem mutuam, salvari non posse, sine receptione unionis in utroque; & sicut accipiendo fundamentalem similitudinem, & Physicè, non est necesse quidquam recipi nisi unam qualitatem, cùm tamen una qualitas, non sit similitudo, sed accessus alius qualitatis, facit simile; ita non est necesse poni aliquid in alio extremo, sed accessus alius extremi, hoc extremo habente se tanquam termino intrinseco, potest evadere formaliter unitum relatum, &c. Quid autem sit terminus intrinsecus, explicatum in Materia de Incarnatione, ubi: cur Verbum non mutetur in Unione Hypostatica.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur Primò. De essentia unionis, & in nostris principiis, de essentia est determinationis, respicere aliquid ut subjectum, aliquid ut terminum, sed hoc non potest esse nisi duplex modalitas; nam aliàs utramque partem respicere ut subjectum. Major probatur, nam unio vel modalitas hypostatica, est verè unio, respicitque naturam humanam ut subjectum, verbum ut terminum intrinsecum.

Respondet Arriag: Negando Majorem probationi illius consequentiam, quia est à particu-

ticulari ad universale. Negari etiam potest minor, quia sicut relatio respicit unum ut subjectum, aliud ut terminum, quantumvis in termino non recipiatur, ita & determinatio aut unio modalis, idem habere poterit.

Instabis. Forma ut unita materiæ, est perfectio materiæ, Ergò ut unita, debet recipi in materia, Ergò modus unionis debet recipi in materia.

Respondetur. Transeat totum, posito præcipuè quòd modus iste sit materialis. Deinde dici potest, negando formam ut unitam, unione appropriatâ soli formæ, esse perfectionem materiæ, sed est illius perfectio, vel propria, vel communi utrique unione, unita.

Objicitur Secundò, tam unio quàm determinatio nostra modalis, debet recipi in utroque extremo, quia impossibile est manere aliquid intrinsecè unitum, vel determinatum, per unionem vel determinationem, quæ non recipiatur in illo. Materia autem & forma sunt intrinsecè unita.

Respondet Arriag: unionem illam recipi in utroque extremo, sed commodè dicetur quòd modalitas illa respiciat unum tanquam subjectum, & aliud tanquam terminum intrinsecum, & sic Verbum Divinum est intrinsecè unitum, quamvis sit nonnisi terminus intrinsecus Modalitatis cæteroqui non nisi in sola humanitate, subjectatæ.

Instabis. Non potest quidquam dealbari albedine in alio receptâ. Ergò nec uniri unione in alio receptâ, aut determinari determinatione, in alio receptâ.

Respondetur. Si procedat argumentum de subjecto recipiente determinationem, cui vicissim aliud non connectitur, sicut non connectuntur parietes duo, vel homo & paries, totum argumentum concedi debet. Si autem procedat de indistantibus, ad se ordinatis, &c. extremis, imprimis retorqueri potest argumentum; quare Verbum sit unitum intrinsecè humanitati, quantumvis Modalitatem in se nullam recipiat. Rursùs albedo vel recipitur immediatè in quantitate vel immediatè in materia, certum est non recipi illam immediatè in forma, quia hæc non comparatur ad albedinem, ut ejus materia, & tamen non ipsa materia denominatur alba, sed paries, qui etiam importat formam; quòd si ad dandam denominationem in composito albi, etiam formæ, sufficit quòd ratione unionis, contribuant sibi sua prædicata, quam contributionem prædicatorum, non faciunt duo parietes dissiti, utpote non ordinati ad se, tanquam actus & potentia, ita etiam contribuent sibi sua prædicata materia & forma, quando ad se comparabuntur ut Actus & Potentia in actu secundo tales, quamvis unionem, unum tantùm extremum recipiat. Denique dici potest dealbationem utpotè ens absolutum, non respicere aliud tanquam terminum intrinsecum: consequenter non habere ullum titulum dealbandi aliud, jam autem determinatio materiæ, ad esse unitæ formæ, est quid relativum, respiciensque formam tanquam terminum intrinsecum, ideò ille vel hoc titulo tribuere potest denominationem determinatæ vel unitæ.

Objicitur Tertiò. Relatio in sententia istorum, qui illam distinguunt realiter, quando duo extrema referuntur, non sufficit ut sit una. Ergo nec in sententia nostra sufficit ut sit una modalitas.

Respondetur. Disparitatem esse, quia possibile est esse unum relatum, & aliud non referri, hinc definitivè relatio, non est duorum habitudo, sed habitudo ad aliud, etsi relatio esset definitivè duorum habitudo, non esset necesse duas relationes ponere; quia autem unio vel nostra modalitas, est duorum habitudo, unio enim semper est duorum, nec sunt separabilia, ut materia uniatur formæ, & vicissim forma non uniatur materiæ, hinc fit ut sufficiat unionem & determinationem modalem, esse unam. Deinde cùm universaliter falsum sit, modalitatem hanc debere in utroque extremo recipi, cùm non recipiatur in Verbo, cumque non sit ratio, quare sufficiens sit una modalitas in uno composito, & non sit sufficiens in alio, hinc fit, in omni eventu posse poni unam modalitatem, quæ ratio non inquirit rationem, cur Modalitas non possit recipi in Verbo, sed attendit ad hoc; si in Christo sufficiens est una modalitas, non in utroque extremo recepta, cur non aliàs sufficiet.

Objicit Quartò recentior Suar. Illa modalitas est duorum extremorum, Ergò ex vi definitionis non magis se tenet ex parte unius, quàm ex parte alterius.

Respondetur. Ex vi non nisi talis modi vel unionis determinat sibi hoc potiùs subjectum, sed indifferens aliàs esset, ut in alterutro subjecto recipiatur.

Instat Primò. Si modalitas dicta se tenet tantum ex parte unius extremi; cur non potiùs definitur vinculum vel determinatio unius extremi ad aliud vel cum alio.

Respondetur. Est Quæstio de modo loquendi, in qua maxima ratio petitur ex placito, sed hujus placiti hæc etiam potest dari ratio, quia ly aliud vel alius importat aliquid extrinsecum, quia autem composito, neutra pars est extrinsecum, fit ut neutra pars, debeat illis terminis exprimi. Rursùs ideò non appellatur modus ille determinatio unius extremi ad aliud, vel cum alio, quia hæc Phrasis importat quasi majoritatem & specialitatem unius extremi uniti quàm alius; unio autem vel ille modus, se æquè ad utrumque extendit, in ordine

ad

ad vinculare, vel determinare, neque magis una pars in ratione compositionis componit quàm alia, jam autem si diceretur illa modalitas determinare unum cum alio, significaretur specialitas unius extremi præ alio, & sicut v. g. non est bene cultus sermo, Rex mecum fuit in prandio, sed tu potiùs fuisti cum Rege, quia Rex habet præcellentiam, ita & in præsenti non rectè diceretur unio esse unius extremi cum alio, quia illi competeret etiam præcellentia.

Instat 2. Relatio ex eo quòd non sit in utroque extremo, sed in uno tantùm, ad aliud, non dicitur respectus duorum extremorum, sed unius ad aliud. Ergo etiam & unio si non esset in utroque extremo, deberet dici unius unio ad aliud.

Respondetur. Negando ideò dici relationem ad aliud, quia in uno extremo ponitur, sed quia terminus est quid extrinsecum relationi; nec per modum partis intrare debet in compositionem hujus, quod est relatum, hinc rectè nominatur ad aliud: è contra quia extrema mediâ unione, vel propter determinationem modalem intrare debent compositum, per modum partium intrinsecarum, hinc unio non debet dici unius ad aliud.

Instat 3. Mastrius. Terminatio ad formam unionis receptæ in Materia, solùm sufficit ut dicatur extrinsecè unita, non autem ut dicatur unita intrinsecè. Omnis enim modus essendi intrinsecus, unius rei cum alia, ad unionem per informationem reducitur, quia denominatio intrinseca sumitur à forma intrinseca.

Respondeo. Nego si aliquid se habeat per modum termini intrinseci, quod non possit dici unitum intrinsecè, quamvis non se habeat per modum subjecti receptivi. Negoque rationem intrinseci, reduci semper ad informationem. Et licèt denominatio intrinseci sumatur à forma intrinseca, id tamen verum est, aut de forma intrinseca recepta, aut ad se terminata, tanquam ad aliquid intrinsecum.

Quòd autem dicit Mastrius, etiam Verbum esse unitum extrinsecè; eò quòd licèt sit intimè conjunctum, non minùs quàm materia formæ, id tamen contingat per unionem in ipso Verbo non receptam, quod inquam dicit non convincit; nam ut alibi visum, plurimi dicunt verbum esse intrinsecè unitum, etsi est intimè conjunctum, licèt unione non in se recepta, cur non poterit dici intrinsecè unitum; & si potest salvari intimitas conjunctionis, non recipiendo conjunctionem, cur non potest salvari intrinsecitas unionis, sine receptione unionis. Quòd autem dicit hoc esse peculiare unionis hypostaticæ ratione infinitatis & immutabilitatis verbi, id etiam non convincit, si enim est de essentia uniti, recipere unionem, etiam infinitum & immutabile aut uniri non deberet, aut deberet in se recipere unionem, cur debebit indispensabiliter in humanis in utroque extremo recipi, cùm possit esse hæc unio Materialis, adeòque improportionata animæ spirituali, ipsumque principium: Non sunt multiplicanda entia, id evincat. Et licèt receptio afficiat Materiam, informatio formam, quia tamen formaliter illa receptio, est ipsamet Materia in diversis connotatis, itemque formalisatio, est ipsa forma in diversis itidem connotatis, non erit necesse multiplicare uniones, sed tota multiplicatio, erit penes entitatem Materiæ & Formæ.

Objicit 5. idem Recentior Suar. Non est potior ratio, cur modus ille determinativus in uno potiùs quàm altero extremo subjectetur. Ergo debet in utroque subjectari. Si subjectatur in utroque necessario duplex est, quia unus modus non potest identificari cum duabus realitatibus, alioqui hæc essent idem realiter inter se ex illo principio: Quæ sunt eadem uni tertio.

Respondetur. Ipsa materialitas modi, determinat sibi subjectum materiale, concessò etiam quòd in utroque extremo reciperetur modus, non video quomodo identificatio extremorum sequeretur, cùm neutrum extremum cum ipso modo identificetur, qui distinctam entitatem habet, sed tantùm sequetur, sicut junguntur uni tertio, ita jungi inter se. Addo in processu ulteriori arguendi immeritò supponere eundem, quòd non debeat dici Verbum unitum Humanitati, sed tantùm Humanitas Verbo, benè enim dicitur, Verbum Caro factum est, quod tamen unionem importat. Unde etiam ad convertentiam dicitur. DEUS factus est homo, ut homo fieret DEUS. Non nego tamen, quòd solùm dicatur Verbum assumpsisse humanitatem, non humanitas Verbum, quia quod assumitur, assumptione dignificatur, ut dicitur creatura assumi, ad opera miraculosa, privatus ad dignitatem; jam autem humanitas est dignificata à Verbo, non Verbum ab humanitate, & quamvis assumptio & unio sint idem realiter, non tamen sequitur, quòd phrases quæ pro uno tenent, teneant pro alio, nam Trinitas cum Patre, Filio & Spiritu Sancto sunt idem realiter, & nihilominus in nomine Trinitatis non tenet baptismus.

Objicit 6. Mastrius. Si forma uniretur materiæ, quantùm sufficit ad constitutionem

compositi, ob solam terminationem Modalitatis in Materia v. g. receptæ, sequitur formam absque ulla sui mutatione, informare materiam, quod fieri non potest, cùm in hoc consistat Incarnationis Mysterium, quod Verbum sine ulla mutatione, unitum sit naturæ humanæ.

Respondeo. Formam tunc duplici ex capite mutandam: imprimis quia transit à non esse ad esse. Secundò, quia cùm essentialiter illa forma sit ordinata ad corpus, adeoque habet esse ordinatum ad corpus, etiam operari, debet habere aliquod ordinatum ad corpus, & quia hoc operari exercere extra corpus non potest, neque enim anima extra corpus gustat, cumque unione ad corpus acquirat, ut possit proximè exercere illas operationes, tanquam se perficientes, ideò anima, illâ modalitate receptâ in materia, mutatur. Quia autem in unione hypostatica Verbum nec accipit esse, nec perficitur in ordine ad operationes, quæ sint perfectio Verbi, & ad quas ex natura sua essentialiter ordinetur, ideò nec mutatur. Sed de hoc in Materia de Incarnatione.

Objicit 7. idem. Partes acquirunt perfectionem in constitutione totius, cùm enim sint essentialiter imperfectæ, uniuntur, ut in composito perficiantur; id autem fieri nequit, nisi per receptionem alicujus perfectionis, quâ separatæ carebant: & hæc esse nequit, nisi peculiaris cujuslibet ad aliam unio, omnis enim perfectio fit ex aliqua additione, mera autem terminatio nihil addit, unde etiam visio perficit potentiam, non objectum.

Respondetur. Quòd partes acquirant perfectionem in constitutione totius, quòd autem hoc fieri debeat per receptionem perfectionis, si intelligatur per subjectationem in se perfectionis advenientis falsa est propositio; si ly per acquisitionem perfectionis, supponat pro acquisitione perfectionis seu complementi. Concedo propositionem; potest autem aliquid, quia evasit terminus alicujus, habere complementum suæ perfectionis, ut si ordinetur essentialiter, ad hoc, ut evadat terminus, sed in præsenti non ex eo præcisè perficitur anima, quia evadit terminus, sed quia evadendo terminus completur in ordine ad ponendas operationes aliquas, ad quas etiam essentialiter ordinatur. Et licèt omnis perfectio sit ex additione, nego tamen quòd hæc additio debeat esse per receptionem, cùm possit fieri ratione unionis ad se terminatæ, licèt præcisa ratio termini, non faciat terminum perfici, ratio tamen termini intrinseci unionis, potest facere, ut terminus ille perficiatur, casu quo incompletio illius essentialis, (qualis est hîc in ordine ad operari aliquas actiones) tunc compleatur. Objectum autem non est terminus intrinsecus actûs.

Punctum Difficultatis 3.

Estné hæc modalitas materialis.

Dicendum. *Hanc modalitatem esse materialem.*

Probatur. Quia cùm in generatione hominis neque materia neque forma à generante producatur, si nihil obsit, ostendendus est proximus & intimus influxus in compositum, quod dicitur generari; intimior autem ostenditur hic influxus, si ponatur hæc modalitas materialis: nam tribui poterit tanquam effectus generanti, quo effectu posito, inimpedibilitet etiam à Deo, fit compositum, generari autem non posset, si esset spiritualis. Consequenter *Hæc modalitas recipitur in materia, quod*

Probatur 1. Quia nullum est fundamentum, quod in re spirituali, qualis est anima hominis, recipiatur aliquid materiale, ut autem uniformius procedatur etiam in aliis compositis, cur non recipietur in sola materia?

Probatur 2. Quia si nihil obsit, debemus quam proportionatissimum formis subjectum tribuere, enti autem materiali subjectum proportionatum, est materia.

Probatur 3. Si modus materialis reciperetur in spirituali subjecto, deberet recipi secundùm modum essendi animæ, nam quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; jam autem modus existendi animæ rationalis est, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quod connaturaliter competere non potest enti materiali.

Objicitur 1. Forma est indifferens ad uniri: Ergo indiget aliquo recepto, ut fiat unita.

Respondetur. Negando consequentiam, sufficit enim extrinsecum determinativum.

Objicitur 2. Ideò verbum non perficitur unione, quia non recipit unionem vel illam modalitatem determinativam. Ergo illa recipi in utroque extremo debet, si utrumque perfici debet.

Respondetur. Ad tribuendum effectum formalem, sufficit, in extremo secum unito aliquid recipiatur, nam albedo non recipitur in forma parietis, & tamen parieti, tribuit suum effectum formalem. Non ideò autem Verbum non perficitur, quia non recipit unionem, sed quia præcontinet omnem possibilem perfectionem, quam si non præcontineret, participaret ab humanitate, quantumvis non reciperet unionem. Rursùs non ideò Verbũ non perficitur illâ Modali-

Modalitate, quia illam non recipit, sed quia vi illius, ad se terminatæ, nec in esse, nec in operari perficitur.

Objicitur 3. Si unio reciperetur in sola materia, deberet intrinsecè terminari ad formam, hoc autem quod est intrinsecè terminari est inexplicabile.

Respondetur. Quid sit terminus intrinsecus variant in explicatione auctores, explicationem adlatam ab Arriag. impugnavit Oviedo, consule illum. Explicat postea Ovied. terminum intrinsecum, dicitque esse id quod pertinet ad constitutionem unius per se, per unum autem per se intelligit quodcunque totum; prout distinctum à toto morali, & toto per aggregationem. Cui explicationi addenda aliqua limitatio, certè enim ipsa materia subjectans modalitatem pertinet ad compositum, neque tamen est terminus intrinsecus respectu illius modalitatis, sed subjectum: hinc commodiùs dicetur terminum intrinsecum esse id, ad quod est habitudo alligativa Physicè, illudque requiritur tanquam extremum constituens unum per se. Secundùm terminos in materia de Incarnatione usurpatos, terminus intrinsecus est, id, quod habet rationem cohibentis, limitantis, & Ad quod, ita tamen ut habeat rationem alligati Physicè, de quo ibi fusiùs.

Instat quidam. Omne intrinsecum perfectionis, nisi quid obstet subjectatur in suo perfectibili, ut constat in ductione, sed unio perficit utrumque, ergo in utroque subjectatur.

Respondetur. Quòd obsit: quia commodius est ponere unionem hanc materialem, adeoque talem quæ non sit apta recipi in spirituali subjecto universaliterque id quod requirit aliud tanquam terminum intrinsecum, non est necesse in eodem recipi, taliter autem unio spiritualis vel modalis respicit formam.

QVÆSTIO II.

De Composito quod datur.

In hac Quæstione agetur contra Scotistas, qui docent distingui realiter compositum à partibus componentibus, quod quidem extendi potest etiam ad composita possibilia, quia tamen circa compositum, quod datur, nihil aliud speciale tractandum occurrit, res sub hoc titulo expedietur. *Circa quod*

Præmitto 1. *Non esse difficultatem in hoc*: An compositum distinguatur saltem realiter inadæquatè à suis partibus, certum enim est distingui; nam cùm includat tam materiam, quàm formam, quàm unionem, (de qua loquemur aliàs, tanquam de distincta, sub nomine ejus, nonnisi modalitatem determinativam intelligendo, ut ita secundùm communes Phrases planiùs disceptetur) hinc à materia v. g. distinguitur realiter inadæquatè compositum, propter formam & modalitatem, quæ compositum includit, & non sunt idem realiter cum materia.

Præmitto 2. *Tam partem à composito, quàm compositum à parte, distingui realiter*, sed ita ut modus distinctionis habeat se aliter, nam compositum à parte distinguitur realiter inadæquatè, addendo aliquid positivum, quod comparatum ad compartem, est ab illa realiter adæquatè distinctum, certè enim forma inclusa in composito, à materia itidem inclusa, distinguitur realiter adæquatè. Pars autem à toto distinguitur quidem etiam realiter inadæquatè, sed importando nonnisi aliquid negativum, scilicet negationem identitatis cum alia comparte, quam dicit totum. Dicitur autem ista distinctio à composito, realis inadæquata, quia compositum dicit v. g. materiam, quæ à seipsa non est distincta realiter, hinc materia à composito non dicit distinctionem realem adæquatam, quia non dicit distinctionem à seipsa, & tamen illa ipsa includitur in composito.

Præmitto 3. *Aliam esse hanc Quæstionem*: An totum præter materiam & formam & unionem dicat esse totius, distinctum realiter, ab illis tribus simul & collectivè sumptis, & aliam hanc, an in toto, præter materiam formam & unionem, sit adhuc aliquod aliud esse substantiale, non quidem quòd sit per modum totius, includentis illa, & tamen distincti ab illis, sed per modum substantialis, esse totius ingredientis; priorem partem docent Scotistæ, posteriorem noster Vasq. de Incarnatione d. 19. n. 28. quia à forma, docet tribui materiæ, esse quoddam substantiale.

Præmitto 4. *Partes in ordine ad totum multipliciter comparari posse, vel unitas, vel non unitas.* Rursùs si comparentur unitæ, comparari possunt vel unitæ distributivè acceptæ, ad eum modum quô possum accipere Apostolos 12. omnes, sed sigillatim, vel unitæ collectivè acceptæ, & in hoc posteriori sensu, quæritur, an distinguatur totum substantiale, à partibus, illarumque unione, collectivè sumptis.

Præmitto 5. Quod advertit Oviedo *aliud est quærere*: an à materia, forma & unione simul sumptis distinguatur compositum, & *aliud*, an distinguatur à partibus simul sumptis & unitis, dicitque compositum distingui realiter inadæquatè à partibus simul sumptis, & unitis, non est tamen distinctum à materia forma & unione simul sumptis. Rationem assignat, quia partes simul sumptæ & unitæ non dicunt

unionem in recto sed in obliquo, sicut lignum album, dicit albedinem nonnisi in obliquo, & ita non identificantur partes etiam inadæquatè cum unione, cum qua identificatur totum; adeòque totum dicit aliquid, quod non dicunt partes unitæ simul sumptæ, ratione cujus distingui poterit à partibus unitis, simul sumptis. Cæterùm hæc adversio illius non convincit, vel enim procedit de distinctione petibili ex modo alio significandi; quòd scilicet semel in recto, semel in obliquo importetur unio, vel modalitas, & hæc distinctio petibilis ex modo alio significandi: concedi potest, sed eam sub quacunque Phrasi debet concedere Ovied. in toto comparato ad partes & unionem, eandem distinctionem, quia semper totum importat alium modum significandi; nam totum collectim significat, partes autem & unio, sigillatim significant. Unde etiam in Theologia dicitur, non tenere baptismum in Nomine Trinitatis, quia non eodem modo significat Personas, ac cùm dico in Nomine Patris, &c. Si autem sit res de distinctione petibili ex ipsomet objecto, illa nulla est, quia nulla est distinctio in re, inter idem in recto, & idem in obliquo significatum, & ita vinum & panis non distinguuntur à vino eodem, cum pane eodem. *His præmissis sit*

DIFFICULTAS I.

De distinctione totius à partibus totius.

Dicendum est: *Compositum à materia & forma & unione simul sumptis collectivè, non esse distinctum realiter.* Est conclusio nostrorum contra Scotistas. Est Sententia conformis S. Thom. 4. contra Gent. cap. 81. *De humanitate*, inquit, *non est intelligendum, quòd sit forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque, quia cùm per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consurgens, non esset substantialis sed accidentalis*; Et paulò post: *humanitas ergo nihil aliud dicit, nisi principia ipsa essentialia conjuncta*, idem habet I. 2. Q. 13. Art. 1. & 1. par. Q. 77. art. 2. ad 2. & in 4. disp. 44. Q. 1. art. 4. quæstione 3. Sensit idem Aug. 7. de Trinitate Cap. 4. *Homo*, inquit, *nihil est aliud quàm anima & corpus*, intelige unita, ut ipse addit. 9. de Civ. c. 3.

Probatur 1. communiter. Totum vel includit aliquid præter materiam & formam & unionem, vel non: Si non includit. Ergo non habet ratione cujus ab illis distinguatur: Si includit: Quæro an totum distinguatur à materia, forma, unione, & illo incluso vel non distinguitur; si non distinguitur, nec distinguetur à materia, forma & unione ob paritatem rationis; si distinguitur, dabis processum in infinitum.

Respondent Scotistæ. Totum non distingui à materia, forma & unione per aliquid in se inclusum, sed per seipsum resultans, tanquam quid includens partes & unionem, adeoque inadæquatè.

Contra. Tum quia non solvitur argumentum propositum, illud enim ipsum resultans, vel est aliquid etiam inadæquatè, præter illa tria, vel nihil: Si nihil. Ergo non distinguetur ab illis; si est aliquid, quæro: illud totum complectens illud resultans & illa tria, vel distinguitur, vel non distinguitur, redibitque argumentum factum. Tum quia, ut urget Oviedo, hoc, quod tu dicis distingui per seipsum, vel distinguitur per aliquid, quod non est tota sua entitas, vel distinguitur per totam suam entitatem: non per aliquid quod non sit tota sua entitas, quia nihil est in toto, quod non sit tota sua entitas, si autem totum distinguitur totâ suâ entitate, à materia & forma & unione, simul sumptis. Ergo distinguitur adæquatè, quia distingui unum ab altero adæquatè, est distingui per totam suam entitatem. Tum quia illud ipsum resultans, prout condistinctum, vel est nihil, vel aliquid: Si nihil, Ergo non distinguitur entitativè ab illis tribus: si aliquid, Ergo prout condistinctum aliquid in se includit, contra quam assumebat Responsio.

Probari solet 2. Tum quia forma totius nonnisi cum partibus est totum. Ergo est in composito veluti pars compositi, nam seipsâ non est totum compositum, & quoniam compositum nihil habet præter partes & formâ totius, quæ est per modum partis, sequitur etiam per ipsos, compositum, ab omnibus suis partibus non esse distinctum. Tum quia hæc forma totius vel est simplex vel composita; si est composita non habebit unde componatur, nam non poterit componi ex materia & forma, quia illas à se propter realem ab illis distinctionem excludit, non etiam poterit componi ex aliis partibus, quia ab his, ob paritatem rationis, distingui etiam deberet realiter; quod si forma totius est simplex, quomodo est compositum. Tum quia illa forma totius in homine, vel est materialis, vel est spiritualis: Si est spiritualis, quomodo resultare potest etiam ex corpore, & si visio principiata cum oculo, evadit materialis, cur non & illud totum, cujus principium est etiam corpus, si autem totum illud est materiale, Ergo homo ut homo, non est rationalis, quia homo ut homo, est homo ut totum, homo autem ut totum, formâ materiali constitueretur, forma autē

mate-

materialis non principiat operationes ratiocinandi.

PROBATUR III. argumento negativo: quia nulla est necessitas distinctionis, ut patebit solutione argumentorum.

PROBATUR IV. Maximè attendendo ad illorum doctrinam, qui docent tertiam illam entitatem, non esse aliquid *præter hæc*. hoc est materiam & formam unitas, esse tamen *aliquid ex his*. Tum quia illa entitas, vel dicit alietatem à materia & forma unitis, vel non dicit: Si non dicit. Ergò nec dicit distinctionem; Si dicit alietatem illa tertia entitas à materia & forma unitis. Ergò dicit non esse, seu negationem materiæ & formæ unitarum; si dicit negationem materiæ & formæ unitarum: Ergò non tantùm est aliquid *ex his*, sed etiam est aliquid *præter hæc*; illud scilicet quod dicit illam negationem materiæ & formæ unitarum. Tum quia tertia illa entitas, quæ non est aliquid præter illa tria, est tamen aliquid ex illis, vel est se solâ, totum esse hominis; vel non est, se solâ, totum esse hominis; si tertia illa entitas, est se solâ, totum esse hominis, Ergò ad esse hominis, non est requisitum essentialiter corpus & anima rationalis unita, cùm esse seu essentia hominis, in sola illa tertia entitate sistat; Si autem tertia illa entitas, non est se solâ, totum esse hominis, sed etiam anima & corpus unita, sunt etiam illud esse, Ergò esse hominis, est compositum ex duobus, uno, quod est tertia illa entitas, seu totum, & aliud quod sunt partes, consequenter illud totum, *Ex his*, & erit totum ut supponitur, & non erit totum, quia ad esse hominis etiam illæ partes requiruntur. Tum quia illa tertia entitas *ex his* prout condistincta à materia & forma unitis, consequenter prout dicit negationem materiæ & formæ unitarum, vel includit materiam & formam unitas, vel non includit: Si non includit, quomodò illud totum, est homo, sine corpore & anima humana; si prout condistinguitur ab illis, adhuc illa includit, Ergò ab illis non distinguitur, quia illa non negat. Tum quia non est explicabile quid sit illa tertia entitas, dicis est compositum; quæro, quid sit illud compositum præter materiam & formam, dices est quid includens, quæro, quid sit in re istud includens, dices est quid resultans ex illis; quæro, quid est in re, hoc resultans.

DIFFICULTAS II.

Restaurantur quædam argumenta pro conclusione.

PROBATUR V. Conclusio. Rationibus quas sibi opposuit easq; solvere conatus est Pontius.

I. RATIO. Si totum comparatum ad materiam, formam & unionem esset distinctum realiter, possent ad invicem separari, totum enim, est quid absolutum.

RESPONDET Pontius: Totum, esse quid relativum, & etiamsi esset absolutum, separari non posset, quia dependet essentialiter ab alio absoluto, nempè partibus & unione, partes etiam & unio à toto separari non possunt, quia dependent à toto à posteriori; eô modo quò agens dependet ab effectu à posteriori.

CONTRA. Tum quia si totum est relativum, vel est ita relativum, ut in toto relatio, secundùm opinionem Scoti, sit distincta realiter vel indistincta: Si distincta, de illo ipso distincto & tamen toto, quæro, cur non possit separari? Si indistincta, consequenter ad principia Scotistarum non proceditur, quia hi distinguunt relationem realiter. Ergò ulteriùs totum formaliter acceptum, non includit materiam & formam, nam hæc sunt absoluta. Tum quia si totum ex eo est relativum, per Pontium, quia dicit ut sic formaliter unionem, quæ est respectus, quæro quare est major connexio Totius cum unione, quàm ejusdem Totius cum materia & forma? Quòd si non est major connexio, cur non æquè involvet materiam & formam, quæ sunt absoluta; quòd si æquè ista absoluta involvet, quomodo probabitur ex eo inseparabile esse totum, quia dicit respectum, immò si hæc tertia entitas consurgit etiam ex materia & forma, immeritò dicetur ut sic formaliter dicere unionem, cùm etiam dicat formaliter materiam & formam, Tum quia positâ tali dependentia totius à partibus, qualis est, agentis ut agens est, ab effectu, sequitur adhuc separabilitas totius à partibus, quamvis enim agens ut agens, ab effectu in sensu reduplicativo separari non possit, separari tamen potest in sensu materiali; & sic Pater ut Pater, dicit necessariò Filium, cùm tamen hoc stat, quòd separari possint. Ergò etiam quantumvis totum ut totum separari non possit à materia & forma unitis, poterit tamen totũ in sensu materiali acceptum, à partibus separari. Tum quia essentialis dependẽtia non arguit inseparabilitatẽ,

si id quod dependet non se habeat ut modus, habeatque distinctam suam entitatem; Tum quia, si dependentia essentialis totius à materia & forma, facit, ne totum ab illis separari possit, quid rogo est ista dependentia? si enim per dependentiam essentialem intelligitur, quod unum existere non possit quin existat aliud, negatur in præsenti talis dependentia, idq; eô titulo quia distincta realiter possunt sine eo existere quoad suam Entitatem: Si autem aliquid aliud intelligatur, rogo quid illud est, & quomodo fundat inseparabilitatem.

II. Ratio est. Si daretur tertia entitas distincta à partibus, faceret, compositionem cum ipsis, & sic ex ea & partibus resultaret alia tertia entitas & sic in infinitum.

Confirmatur hoc ipsum. Illa tertia entitas vel est aliquid compositi, vel non est, si non est, Ergò neque spectat ad compositum; si sic, ergò est pars compositi, & consequenter compositum, nihil dicit præter partes.

Respondet Pontius. Neqando Sequ. cùm enim inquit compositum sit ex partibus, non debet facere compositionem cum ipsis; ad eum modum, quô in nostra sententia, totum distinguitur realiter à qualibet parte, seorsim sumpta, & tamen non facit compositionem cum illa, quia aliâs esset pars alicujus alterius compositi. Ad confirmationem autem dicit, quòd illa tertia entitas, non sit aliquid compositi; sed ipsum compositum, & addit quòd si tertia illa entitas spectetur per modum abstracti Metaphysici, à composito considerato ut concreto, in hoc sensu concedit illam tertiam entitatem, posse dici aliquid ipsius compositi Metaphysicè loquendo: sed non sequitur, quòd sit pars Physica ipsius, nec consequenter sequitur, quòd totum sit quid distinctum realiter ab omnibus partibus Physicis & ab omnibus, quæ in ipso, physicè includuntur.

Contra est. Tum quia de hoc ipso quæritur, cur totum compositum ex partibus non faciat compositionem cum ipsis, cùm & totum & partes integrent hominem, hinc quod est in quæstione, pro ratione non erat dandum. Tum quod adfert pro instantia, non convincit; nam quando communis sententia docet, totum distingui realiter inadæquatè à qualibet parte seorsim sumpta, docet quòd non quidem sub formalitate totius, sed sub formalitate alia, fiat illorum distinctorum extremorum compositio, & sic cùm totũ distingui dicimus, realiter inadæquatè à materia, totum quod præter materiam dicit formam, non sub ratione totius, sed sub formalitate formæ, facit compositionem cum materia. Tum quia ex eo quòd compositum sit ex partibus, videtur potiùs sequi, debere illud facere compositionem cum ipsis, nam cùm sit præter partes tamen constituens hominem v.g. eundem, videtur potiùs componere cum illis hominem, explicandumque veniret, quòd sit istud compositum ex partibus, compositione quæ inferat distinctionem realem.

Contra dicta ad confirmationem opponi potest. Tum quia hoc ipsum probandum fuit, quòd tertia illa enitas, non sit aliquid compositi, cùm compositum & illam tertiam entitatem, & præterea materiam & formam, dicat. Tum quia, si totum non est distinctum realiter ab omnibus partibus Physicis, nec est distinctum realiter, quia distinctio illa, deberet esse Physica. Quòd si dicas non esse distinctum ab omnibus partibus Physicis, quia non est à seipso distinctum, hôc ipso supponet, esse illud totum partem Physicam, quia non posset ulla alia pars ostendi Physica, à qua non esset distinctum realiter compositum, nisi à seipso, Tum quia tertia illa entitas respectu compositi spectati ut concreti, vel est per modum partis Physicæ, vel non est per modum partis Physicæ: Si non est per modum partis Physicæ, nullo modo distinguetur realiter nemine cogitante, sed ad summum formaliter ex natura rei in sententia Scotistarum, & sicut quia animalitas non est pars Physica, non distinguitur realiter nemine cogitante, ita & illud compositum; Si est nonnisi abstractum Metaphysicum, non distinguetur realiter; Si autem est per modum partis Physicæ, contradicetur immediatè factæ responsioni.

III. Ratio est. Quæ constant iisdem partibus sunt idem realiter, sed totum constat iisdem partibus, quibus constant partes unitæ. Ergò.

Respondet Pontius. Quod scilicet totum constet Partibus aliter se habentibus, nempè ut unitis, adeoque distingui poterit ab illis realiter.

Contra. Tum quia in hoc quod est constare partibus aliter se habentibus, vel involvitur eadem nonnisi entitas partium, vel non eadem: si non eadem. Ergò non eadem entitas partium, quæ illæ sunt v.g. in homine, aliæ, præter materiam & formam? Quòd si est eadem entitas, Ergò est negatio distinctionis realis, nam eadem entitas, à seipsa, non distinguitur realiter. Tum quia hoc ipsum quod est aliter se habere illas partes, inexplicabile est, qui inferat distinctionem realem, nisi ponatur nova entitas, præcipuè quia hîc discurritur de partibus unitis collectivè sumptis, adeoque istud aliter se habere, quod deberet convenire partibus in composito, jam reperitur in partibus ipsis quæ unitæ debent

bent sumi, cùm quæritur, an sint distinctæ realiter à composito.

IV. Ratio. Definitum & definitio non habent diversas realitates, partes autem Physicæ sunt Physica definitio totius. In idem fermè recidit, hic alius medius terminus. Quod est de essentia rei non distinguitur realiter ab illo, partes unitæ sunt de essentia totius. Ergò.

Respondet Pontius. Negando definitionem Physicam cum definito esse idem realiter, addit quòd partes Physicæ non sint definitio Physica totius se solis, non enim possum dicere hominem esse animam rationalem, & corpus unita, sed debeo dicere est aliquid constans animâ rationali & corpore unitis.

Contra. Tum quia Definitio Metaphysica est idem realiter cum definito Metaphysicè spectato. Ergo & definitio Physica, erit idem realiter cum definito Physicè spectato. Tum quia si definitio Physica, non est idem realiter, cum definito physicè spectato, hôc ipso non est definitio illius, ad eum planè modum, quò si homo definiatur definitione muli, hæc definitio non erit definitio hominis, hocque videtur deposcere conditio definitionis, quæ debet clarioribus terminis, definitum evolvere, explicareque naturam rei, quomodo autem explicabit naturam rei, id, quod non est natura rei, sed quid ab illo realiter distinctum? Illud quod addit, non convincit, quia quando definitur Ens rationis, esse id cujus totum esse, est tantùm objectivè in intellectu; nemo dicit importari distinctionem realem inter ens rationis, & inter id, quod est tantùm objectivè in intellectu, quæram enim de ipso quod in re est Ens rationis, quid sit illud. Unde dici potest illud ly *id* vel *aliquid* poni nonnisi loco generis, non verò ad significandum aliquid distinctum realiter.

V. Ratio est. Tertia illa entitas vel uniretur partibus vel non uniretur; si primum. Ergo non spectaret ad entitatem eandem; si uniretur. Ergo ex illa tertia entitate, & ex partibus, sequeretur tertia illa entitas, & sic in infinitum.

Respondet Pontius: Non uniretur propriè illa entitas, quia illa uniuntur propriè, quæ se non includunt, totum autem includit partes. Addit admisso: quòd uniatur compositum partibus, negat consurrecturam illam tertiam entitatem; sicut enim ad unionem non sequitur unio, ita ad tertiam entitatem, non sequitur tertia entitas.

Contra. Totum includens partes, partiri possumus in id quod includit, & illud quod includitur, de hoc ipso quod includit, prout condistinctum realiter, ab eo, quod includitur, quæro, uniturné vel non partibus, redibitque argumentum factum. Tum quia verum quidem est, illa quæ uniuntur propriè, non se includere, sed id verum est, non de iis, quæ constituunt unum substantiale, hoc ipso enim non esset unum substantiale, si & identitate & unione carerent. Tum quia quamvis ex unione non sequatur alia unio, hoc inde fit, quia non est fundamentum idem, ponendæ secundæ unionis, quod fundamentum est ponendæ primæ, nempè determinatio indifferentiæ, quod autem est fundamentum ponendi primi compositi distincti realiter à partibus unitis, idem est fundamentum secundi compositi, nam quia uniuntur partes accedit illis novum, quod est compositum, ita quia est unum extremum quod sunt partes unitæ, & aliud extremum quod est ipsum compositum, consurget novum compositum, ita ut sicut ex compositione partium inter se, sequitur tertia entitas, ita ex compositione totius cum partibus (quæ compositio pro hac parte responsionis admittitur) sequetur alia quarta entitas, & sic in infinitum.

DIFFICULTAS III.

De Argumentis in oppositum.

Objicitur I. Auctoritas. *Prima sit auctoritas Aristotelis.*

I. ejus Locus est secundi de anima textu 27. ubi dividit substantiam corpoream in tria membra, Materiam scilicet Formam & Totum compositum. Ergo Totum infert Pontius, est distinctum à materia & forma.

Respondetur. Negando consequentiam, si sit res, ut debet esse, de distinctione reali, nam falsum est quòd omnia membra dividentia, debeant esse distincta realiter. Certè enim actio & passio à se non distinguuntur realiter, nec omnia membra debent esse res, nam principium dividitur in privationem, quæ non est res. Ens dividitur in positivum & negativum, neque tamen negativum Ens, est res quæpiam.

II. Locus est ex quinti Metaph. cap. 14. ubi ait: Sex non esse bis tria sed semel sex, quod est falsum inquit Pontius, nisi constitutum totum ex his tribus, esset distinctum à bis tribus.

Respondetur. Loqui hîc Aristotelem de sola distinctione rationis, cùm certè si ponantur sex homines, quid in re est illud sex, præter illos homines.

III. Locus est ex 7. Metaph. textu 7. ubi docet compositum, non esse sicut acervum, sed se habere quemadmodum Syllabam *Ba*.

Respondetur. Neque per hoc significari

distinctionem realem, neque enim Ba. Realiter distinguitur ab B. & A. simul sumptis, quamvis unitionem quandam vocalem importet, quæ non sit sola approximatio, qualis est in lapidibus, hinc si B. & A. approximentur pronuntiatione, si non habeant unitionem quandam vocalem, quæ requirit abjectionem e, adjuncti in pronuntiatione B, non fiet Syllaba Ba, ita & compositum dicit non solam approximationem partium, sed & unionem illarum. Rursùs ad conditionem acervi, parùm interest, sivè sic, sivè ita ponatur lapis, jam autem in Syllabis intercedere debet ordo habitudoque, quæ si mutetur, non erit idem jàm totum, seu eadem Syllaba; & ita interest ad Syllabam Ba ut prius B ponatur, & si præponatur A. non erit jam eadem Syllaba. Significat ergò Aristoteles etiam in composito, debere haberi ordinem & habitudinem, nec mansurum idem compositum accedente aliâ formâ.

IV. Auctoritas est, quâ utitur Mastrius, quòd Aristoteles loquens de compositione substantiali, non dixerit materiam & formam esse per se unum, sed facere per se unum.

Respondetur. Istud facere, esse nonnisi ex modo concipiendi distinctum, ab ipso facto, nec locus hic ostendit requiri majorem distinctionem. Quòd autem nunquam dixerit Arist. materiam cum forma, esse per se unum, id non convincit, nam partes substantiales, semper in recto importantur, adeoque non poterat dicere Arist: quòd Materia cum forma, sit per se unum. Rursùs non potuit dicere Aristot: quòd Materia & forma sint per se unum, quia cùm materia & forma sint plura per se partialia, quomodo sine superaddita explicatione, dici poterunt per se unum? Sed quando Arist: locutus est de materia & forma circumscriptis jam, nego quòd æquivalenter non dixerit; Cùm est compositum, esse materiam & formam per se unum, appellat enim 8. Metaph. Textu ultimo compositum substantiale, materiam & formam idem.

V. Auctoritas est 8. Metaph: t. 15. ubi ait: Omne quod plures habet partes, & non est totum quasi coacervatio, ipsum totum est aliquid aliud præter partes, unde etiam 7. Metaph. textu ultimo ait, quòd caro non solùm est ignis & aqua, ex quibus componitur, sed etiam aliquid aliud.

Respondetur. Aristotelem illo loco non plùs voluisse, quàm quòd quando est aliquid verè genitum, & non se habeat sicut acervus lapidum, debeat dari causa istius generationis. *Quæcũq; plures partes habent*, inquit, *& non est totũ causi coacervatio, sed ipsum totũ, est aliquid præter partes* (ut indubiè genitum non est anima & corpus, si tanquam partes & distributivè sumantur) *est aliqua causa*, & etiamsi totum sit aliquid præter partes, sufficit ut sit aliquid ratione, præter partes. Posteriori etiam loco idem vult, quòd caro non sit ignis & aqua tanquam partes, & distributivè sumpta, sufficitque ut sit aliquid aliud ratione. Fortè etiam significat quòd elementa, non sint Formaliter in Misto.

Secunda Auctoritas est SS. Patrum, ex quibus est Athanasius, qui prout citat Magister in tertio distinctione 2. Anathematisat eos qui totum hominem quem assumpsit DEI Filius, de novo assumptum, vel liberatum, tertiâ die à mortuis resurrexisse non confitentur.

Respondetur. Non plus velle Sanctum Patrem, quàm quòd post resurrectionem partes Christi non fuerint disunitæ, ita S. Thomas 3. par. q. 60. Ar. 3. ad 2.

Tertia Auctoritas est Concilii Constantiensis, damnantis propositionem Joannis Hus, quòd natura Divina, & natura humana, sit unus Christus.

Respondetur. Damnatam esse hanc propositionem in sensu affirmato hæreticè, nempè quasi ex confusis duabus naturis, facta fuerit una tertia natura.

Objicitur secundò. Omnis causa vera & realis quæ causat per influxum verum & realem, distinguitur à suo effectu realiter, neque enim idem causare potest seipsum, sed materia & forma sunt veræ causæ compositi. Ergò.

Respondetur primò huic argumento, Materiam & formam collectivè sumptas, non esse causas compositi; adeoque neque ab illo distingui, sed esse causas Compositi distributivè acceptas, distributivè autem accepta unaquæque, distinguitur realiter inadæquatè à composito; licèt ut illæ ipsæ distributivè acceptæ causent compositum, non debeant privari consortio suo. Sic v. g. ut hæc propositio: Omnes Apostoli constituunt numerum 12. sit vera, non debent Apostoli sumi collectivè, sumpti enim collectivè, non constituunt duodenarium numerum, sed sunt ipsi 12. distributivè tamen accepti, causant duodenarium numerum, sed rursùs quando distributivè accepti causant duodenarium numerum, non causant illum nisi simul, quia si vel unus absit, non erit numerus duodenarius. Sic etiam in præsenti, partes collectivè acceptæ, non causant compositum, sed sunt ipsum compositum, distributivè tamen acceptæ causant compositum, sed causant simul, hoc est non ita una, quin causet etiam alia. Ubi ut vides, ly simul, non debet, applicari ad partes, quia partes simul sumptæ & partes collectivè sumptæ, verbis differunt; sed applicari debet ly simul, ad causare: secundùm quam

quam distinctionem, propositiones illæ Pontii, materia & forma simul sumptæ, sunt causa adæquata totius, item materia & forma causant copulatim compositum, distinguendæ sunt: Si enim ly copulatim & simul applicetur ad causare, veræ erunt propositiones; si applicentur ly: simul & copulatim ad partes, falsæ propositiones erunt.

Contra Responsionem.

Instat 1. Mastrius. Materia & Forma non sunt integra causa compositi substantialis nisi ut unitæ, & copulatim sumptæ, nam partes unitæ sed singillatim sumptæ, non sunt causæ compositi, nisi partiales; & collectivè sumptæ, integrant unam causam totalem, Ergo compositum cùm sit effectus, causatus ab eis collectivè sumptis, erit quid realiter distinctum, ab ipsis collectivè sumptis.

Respondetur. Materia & Forma non sunt causa integra compositi substantialis, nisi ut unita & copulatim sumpta, hoc est, quia causatio unius, supponit consortium alterius, adeòque simul, construendo, cum causare, concedo Antecedens; non sunt causa nisi ut unita applicando ly: simul, & copulatim ad ipsas partes, nego Antecedens. Probatio autem Antecedentis hoc solùm evincit, quod concedit distinctio.

Instat 2. Causa partialis ut partialis respicit totalem, & causa inadæquata adæquatam, sed forma unita materiæ, est causa partialis & inadæquata compositi, & è converso, est etiam causa inadæquata, Materia unita formæ, ergo simul & collectivè sumptæ, integrant unam causam adæquatam.

Respondetur. Formam unitam materiæ esse causam partialem, si excludatur consortium alius causæ, & si ly simul non se teneat ex parte causare. Concedo Major: Si non excludatur consortium alius causæ, & ly simul applicetur ad causare, licèt non applicetur ad partes, erit tunc forma causa partialis, nego majorem.

Instari potest 3. Quæ est distinctio inter partem unam causantem compositum, in consortio alterius, & illius causatum? Si non salvatur distinctio, corruit principium lumine naturæ notum, inter causam & causatum esse distinctionem; Si salvatur, ergo etiam salvari poterit inter compositum, & inter partes simul sumptas, ly simul, construendo cum partibus.

Respondetur. Causa causans in consortio alterius, habebit pro effectu compositum, quod ratione alterius quod includit, distinguitur realiter inadæquatè à sua parte; & quia construendo simul cum partibus, nihil respondet in toto, quod non respondet in illis partibus, ideò nec erit inter hæc distinctio, nec comparabuntur inter se, sicut causa & effectus. *Sed*

Respondetur 2. eidem Objectioni secundæ cum Hurt. Materiam & formam, esse causas intrinsecas, causæ autem intrinsecæ, non causant suum effectum verè, sed tantùm constituunt.

Instat 1. Pontius. Si causaretur realiter totum à partibus, distingueretur ab illis realiter. Ergo etiam quia constituitur ex illis, distinguitur ab iisdem realiter, neque enim idem potest realiter constituere seipsum.

Respondetur. Disparitatem esse: quia causare non fit per meram exhibitionem ejusdem suæ entitatis, sed per productionem distinctæ entitatis; constitutio autem alicujus, fit per solam exhibitionem ejusdem suæ entitatis, eadem autem entitas, non fundat à seipsa distinctionem.

Instat 2. idem. Totum quodlibet habet quatuor genera causarum, ut docet Philosophus, inter quæ genera causarum, numerantur etiam materia & forma.

Respondetur. Aliud est dicere quòd quatuor sint causæ, nam entitas materiæ, non est entitas formæ, entitas item efficientis, non est idem in entitate cum prioribus, finis denique non est quidquam illorum trium, & in hoc sensu, sunt quatuor causæ, sed falsum est, ex eo quòd quatuor sint causæ, jam illas æqualem modum influendi, adeoque & æqualem distinctionem à suis quorum sunt causæ habere. Quòd si non habent æqualem modum influendi, nec erit necesse materiam & formam distingui distinctione tali, qualem habet efficiens; & sic quia efficiens quando reproducit seipsum, secundò, non habet eundem modum influendi, ac cum producit aliquid primò, etiam ex modo influendi diverso, sequitur distinctio realis efficientis ab illo, quod primò producit, non sequitur autem ab illo, quod secundò producit; Ita & ex modo influendi in compositum debito materiæ & formæ, qui est condistinctus à modo influendi efficientis, sequi poterit, ut compositum ab efficiente distinguatur realiter, non autem à materia & forma unitis. Respectu autem cujus materia & forma sint causæ distinctum realiter effectum causantes, dictum supra. Dici etiam potest, Totum habere quatuor genera causarum, numerando, tam intrinsecas, quàm extrinsecas, intrinsecæ autem causæ, sunt causæ, sed intrinsecæ, adeoque indistinguibiles realiter, à suo causato.

Instat 3. idem. Causæ extrinsecæ distinguuntur realiter à suo effectu, Ergo & causæ

causæ intrinsecæ à suo, quia distinctio causæ ab effectu, non oritur ex ratione extrinseci vel intrinseci, sed ex ratione causæ realiter influentis, causa autem intrinseca, realiter influit.

Respondetur, consequens supponere, quòd causæ intrinsecæ habeant aliquem effectum realiter, & quia illum non habent, nec debent ab illo distingui realiter, causæ autem extrinsecæ habent effectum suum realem. Cur autem illæ non habeant, habeant hæ, dictum ad instantiam primam. Et licèt non oriatur primò à ratione extrinseci vel intrinseci distinctio illa, oritur enim primario ex influxu, ad quem consequitur ratio causæ, vel extrinsecæ, vel intrinsecæ, sed consecutivè, oritur à ratione intrinsecæ vel extrinsecæ causæ; illa enim taxat conditionem influxûs, & quia materia & forma habent influxum realem non nisi hôc sensu, quia non intentionaliter sese exhibent composito, sed non habent influxum realem, per resultantiam alîus à se entitatis, quæ resultantia solis extrinsecis causis cònvenit, ideò adhuc illæ causæ intrinsecæ, à composito, in distinctionem realem habebunt.

Instabis quartò ex Mastrio. Distinctio causæ ab effectu, oritur ex distinctione causæ ut sic, quæ est influere esse in aliud, ergò & causæ intrinsecæ, debent distingui realiter à suo causato.

Respondetur. Definitionem causæ communis ad causas quâ tales, & ad causas constitutivas non esse hanc influere esse in aliud, consequenter ex definitione causæ ut sic, communis etiam ad causam constitutivam, non potest argui distinctio realis, causæ intrinsecæ ab effectu: & licèt inter causam quâ talem & effectum sit relatio realis, non tamen inter causam sumptam pro constitutivo, & inter effectum sumptum pro constituto.

Instat idem quintò. Nihil potest causare se ipsum, quia causa supponitur præexistens ad causatum, nihil autem præsupponitur sibi ipsi, quod procedit de quibuscunque causis. Ergò vel negandum est materiam & formam esse causas intrinsecas compositi, vel concedenda distinctio realis, inter ipsa.

Respondetur. Nihil potest causare se ipsum, causationem accipiendo pro causatione quâ tali, sed potest causare causatione sumptâ pro constituente, potest autem constituere aliquid, dando se nonnisi in par[illegible]m, adeoque nihil distinctum producendo. Unde non negatur, Materiam & formam esse causas intrinsecas compositi, licèt negetur esse simpliciter & sine addito causas compositi, cùm illud causent nonnisi dando se in partem.

Objicitur III. Partes compositi distributivè acceptæ sunt distinctæ realiter saltem inadæquatè à composito. Ergò & collectivè acceptæ. Probatur consequentia, ideò distributivè acceptæ sunt distinctæ realiter, quia distributivè acceptæ causant compositum. Sed etiam collectivè acceptæ, causant compositum. Quod ipsum probatur, quia totum, habet causam suam totalem intrinsecam, sed nisi partes collectivè acceptæ causarent compositum, non haberet compositum causam suam totalem intrinsecam, nam distributivè acceptæ, sunt nonnisi causa partialis.

Respondet primò Oviedo. Implicare dari causam totalem intrinsecam, quia conceptus causæ intrinsecæ, est conceptus partis poscentis componere, implicat autem aliquam partem, adæquatè componere, hinc quamvis totum sit adæquatè compositum, & causatum, non dicit tamen adæquatam causam totalem; sed plures inadæquatas. *Hæc tamen Responsio*

Non Satisfacit. Nego enim ut sic causæ intrinsecæ conceptum, esse conceptum partis, etsi ex pluribus causis extrinsecis inadæquatis, ipsa illa inadæquatio sine constitutione tertii, ponit adæquatam causam extrinsecam, cur in præsenti idem non diceretur. *Hinc aliter*

Respondetur secundò conformiter ad dicta. Causas collectivè causare, construendo ly collectivè cum causare; sed non cum partibus, priorique modo sumptæ, erunt causa adæquata totius, & si priori modo non sumantur, erunt causa inadæquata.

Instabis. Hæ propositiones: Materia unita formæ; Materia, forma & unio sunt propositiones idem ex parte objecti significantes; Addi potest: Partes distributivè acceptæ simul tamè causantes: Partes item collectivè acceptæ, sunt idem realiter. Ergò quidquid convenit uni convenit & alteri; sed materiæ unitæ formæ, partibus item distributivè acceptis, convenit esse causam compositi: Ergò conveniet etiam materiæ, formæ, & unioni, adeoque & partibus collectivè acceptis.

Respondet Oviedo, recentior Suar. & alii communiter, quòd quando aliqua sunt idem realiter, ut propositio quæ fit de uno, de alio verificetur, præter identitatem realem, est necesse, ut quando unum importat aliquid in recto, & aliud importet idem illud in recto, quod in præsente non verificatur.

Respondetur II. Committi in hac argumentatione fallaciam accidentis, quæ committitur, quando ex identitate duorum, arguimus aliquid convenire uni, quod convenit alteri, quantumvis id uni conveniat, non inquantùm idem est, sed inquantùm est quid diversum; partes autem distributivè acceptæ, causant compositum, non inquantùm idem sunt, cum collectivè acceptis, sed inquantùm negant unitatem, & collectionem,

nem, quam unitatem, & collectionem, dicunt partes collectivè acceptæ. Unde etiam consequenter dicitur, partes distributivè acceptas, includi in toto composito, sed non partes collectivè acceptas, collectivè enim acceptæ, sunt ipsum compositum.

Objicit IV. Pontius. Per generationem substantialem debet produci aliqua substantia, sed nisi ponatur compositum tanquam tertia entitas, nihil potest tale ostendi.

Respondent Modalistæ, produci unionem substantialem, in nostris principiis producitur totum, tanquam subjectum denominationis, nam de ratione substantialis generationis, non est productio substantiæ novæ, Physicè & realiter distinctæ, sed sufficit substantia formaliter distincta, quæ ut dixi, sit subjectum denominationis.

Objicit V. Idem. Compositum humanum distinguitur realiter à suis partibus collectivè acceptis, Ergò & reliqua composita. Antecedens probatur, actus vitalis visionis ocularis v.g. est unum accidens, quod quia unum est, in uno subjecto subjectari debet, nam idem accidens non potest subjectari in pluribus subjectis, hoc autem nullum erit subjectum, nisi ponatur compositum, esse quid unum, distinctum à partibus.

Respondetur. Visionem ocularem tanquam in subjecto inhæsionis, recipi in solo oculo, adeoque recipitur in uno, in composito autem tanquam in subjecto denominationis, quod subjectum denominationis, quamvis non realiter, distinguitur tamen formaliter à partibus. Et certè illud compositum, quod est tertia entitas non poterit recipere actiones materiales, si sit spirituale, nec spirituales si sit materiale, præcipuè cùm illæ Actiones spirituales, possint habere subjectum spirituale.

Instabis I. de composito humano, idem dic, de reliquis compositis. Falsum est dicere: compositum est idem realiter cum forma, falsum etiam est dicere: quòd compositum sit idem realiter cum materia. Ergò falsum etiam erit dicere compositum, est idem realiter cum materia & forma unitis, unio enim istorum, non facit nisi ut duplicetur falsum, quod sine conjunctione, tantum semel fuit falsum.

Respondetur ex communi doctrina retorquendo argumentum. Palmus A non est idem realiter cum bipalmo, palmus etiam B, non est idem realiter cum bipalmo. Ergò neque A & B palmi, simul sumpti, sunt bipalmus. Directè autem ad argumentum dicitur, compositum non esse quidem idem realiter adæquatè cum materia, esse tamen inadæquatè realiter idem cum materia, idem dicendum de forma, plura autem inadæquata, faciunt adæquatum.

Instabis II. Si verum esset dicere, quòd compositum substantiale, sit materia & forma unitæ simul sumptæ, sequeretur, quòd anima rationalis, sit partialiter homo, materia item, hoc autem non potest dici: quia animal rationale cùm consistat in indivisibili, singulæ illus partes, non partialiter, sed totaliter deberent esse homo. Quòd si utraque pars dicit hominem totaliter. Ergò homo, bis est homo.

Respondetur. Hîc agi de composito Physicè, unde tantùm sequitur, quòd anima rationalis, posset dici pars hominis physicè sumpti; sed non pars hominis metaphysicè sumpti, quia homo Metaphysicè sumptus, desumitur simul ab utroque, animal enim non desumitur à sola anima & corpore, rationale item humanum; non à sola anima, sed ab anima & corpore, quia non ratiocinatur independenter à phantasmatibus saltemque exigentia illorum, hinc nec homo bis erit homo, sed semel homo, desumptus tamen non nisi ab utraque parte, si homo metaphysicè spectetur.

Instabis III. Si compositum, quod est homo, non est tertia entitas, sequitur quòd compositum non habeat majorem unitatem, quàm acervus lapidum.

Respondetur. Majorem esse unitatem ratione habitudinum & ordinis, quia materia ordinatur per se ad formam, & forma ad materiam, habentque se sicut actus & potentia.

Continuatur Solutio.

Objicitur VI. ex Mastrio. Omnis per se unitas, aliquam habet per se entitatem propriam, tanquam proprium fundamentum, sed unitas compositi per se unius, est unitas per se una. Ergò. Illud autem fundamentum non possunt esse entitates partium etiam unitarum, quia propria unitas requirit unam entitatem, partes autem etiam sub unione, non sunt una entitas sed plures.

Respondetur. Per se unitatem posse esse duplicem, quandam per se unitatem sumptam, pro per se unitate, alicujus simplicis indivisibilis, & hæc requirit non entitates sed entitatem; alia est per se unitas, alicujus unius ex aliis, & unitas composita, & hæc non entitatem requirit, sed entitates. Talis autem unitas ex aliis, & unitas composita, est unitas compositi, quæ hôc ipso quia unitas compositi est, ut sit proportionata unitas, & ipsa, debet esse composita.

Instabis I. Si compositum substantiale, non esset nisi conjunctum ex materia & forma, tunc non esset magis unum, quàm compositum per accidens, quod non est nisi conjunctum ex subjecto & accidente.

Respon-

Respondetur. Sicut compositum per accidens, est compositum per accidens, ita & unitas illius, est unitas per accidens, tanquam illi proportionata, quæ si comparetur ad unitatem compositi substantialis, non est tanta, sicut & majus est compositum substantiale, præ composito accidentali. In hoc autem major erit unitas substantialis compositi, quia mensura ostendens majorem vel minorem unitatem, est præcipuum in genere unitatis, sicut præcipuum in aliquo genere, est mensura cæterorum: & quia præcipuum in genere unitatis, est identitas, & post illam convenientia, cùm major sit convenientia inter duo substantialia ad se ordinata, quàm inter substantiam & accidens, ideò etiam erit & major unitas.

Instabis II. Sicut alia est unitas unionis, alia unitas identitatis, nam illa arguit duo indivisa, sed distincta, hæc arguit unum in se indivisum & indistinctum, ita quoque arguunt diversa subjecta, adeoque cùm unitas unionis, fundetur in partibus, unitas identitatis, in toto, hoc planè eret diversum à partibus.

Respondetur. Nullam esse unitatem compositi indivisam & indistinctam re, sed esse solùm unitatem compositam, & si unitas unionis ab unitate identitatis requiret diversum subjectum, hoc posset ostendi non diversum subjectum re, sed modo se habendi; quia partes simul sumptæ distributivè tamen, sunt subjectum unionis, eædem autem sed collectivè sumptæ, sunt subjectum identitatis.

Instabis III. Etsi partes compositi substantialis, respiciant se invicem, ut per se actus & potentia, adhuc tamen per hoc, non plùs sunt unum ens, nec minùs distincta entia, quàm substantia & accidens, sed per hoc tantùm sunt magis unita; unde si totum substantiale non diceret nisi partes ad invicem proportionatas, ut, per se actus, per se potentia, adhuc tamen per hoc nõ plùs sunt unum ens, nec minùs distincta entia, quàm substantia & accidens, sed per hoc, tantùm sunt, magis unita. Unde si totum substantiale non diceret, nisi partes ad invicem proportionatas, non diceret aliquid absolutum, nisi materiam & formam, atque ita quidquid de absoluto diceretur, hoc totum dicerent etiam partes divisæ, nam unitas superaddita, est purus respectus.

Respondetur. Etiam substantia & accidens, proportionatè, respiciunt se ut actus & potentia, verè enim forma accidentalis, ordinatur ad suum subjectum, & subjectum etiam, est capax illius formæ recipiendæ, cùm tamen supponat argumentum, quòd solæ partes compositi substantialis, respiciant se ut actus & potentia. Sed quidquid sit de hoc, nego quòd respicere se tanquam actum & potentiam substantialem, non sit major unitas, quàm respicere se sicut accidens & subjectum substantiale, unitas enim, est exclusiva alietatis, major autem est alietas, inter accidens & subjectum substantiale, quàm inter actum & potentiam substantiales, hinc minor alietas inter actum & potentiam substantiales, arguet majorem unitatem, non excludentem quidem distinctionem entitativam, includentem tamen identitatem generis, quod est substantia. Unde Actus substantialis & potentia substantialis, non minùs sunt distincta quàm actus accidentalis, & potentia substantialis, si distinctio spectetur in genere entis, secùs si spectetur in alio genere v. g. substantiæ, & entis per se. Quòd autem: dicit arguens per hoc tantùm reddi illa entia magis unita, id explicatione indiget, tàm enim strictè alligatur accidens subjecto, quàm forma substantialis, suæ materiæ, consequenter magis unitum, non pro alio supponit, quàm quòd conveniant in ratione substantiæ: unde ulteriùs negatur quòd unitas compositi, quæ ipsa debet esse composita, debeat dicere unum ens. Suppositò autem quòd illa unitas sit composita, nego quòd partes divisæ, dicerent eandem unitatem, quam dicit compositum, nunquam enim entitates divisæ, dicunt unitatem compositionis.

Instabis IV. Unitas composita, per hoc quod est composita, & distinguitur à simplici, plura dicit adæquatè & formaliter per se conjuncta, nam in hoc sensu compositum substantiale, diceretur tantùm per se unum, unitate unionis, non autem unitate identitatis. Unitas igitur composita, ut à simplici distinguit, significat quòd illud, quod dicitur per se unum, plura partialia includat in sua entitate, per modum per se actûs, & per se potentiæ.

Respondetur. Negando, quòd unitas composita, quæ competit composito substantiali, debeat esse unitas identitatis, si enim composita est, adeoque est ex uno *Idem*, & alio *Idem*, quî erit unitas identitatis, quæ unitas identitatis involvit quidem Idem, sed non Idem & Idem, hôc ipso enim non esset unitas identitatis seu unitas ipsius *Idem*, sed potiùs foret unius *Idem*, & alîus *Idem*, duo autem *Idem*, non est unitas. Unde hoc tantùm sensu unitas composita identitatem involvit, quia hæc plura, sunt sibi in pluribus suis, idem: ad eum modum quô dicitur idem par, non per exclusionem multiplicitatis, quam involvit par Idem, sed per exclusionem alîus in se multiplicitatis. Denique negarur, quòd per se unum, includat plura partialia in sua entitate, ab ipsis partialibus distincta.

Insta-

Instabis V. Unitas unionis & unitas identitatis sunt diversæ realiter unitates, ergò non est idem à parte rei, dicere compositum esse per se unum, & partes per se unitas, quia illud indicat unitatem identitatis, hoc autem unitatem unionis.

Respondetur, per se unum substantiale, indicat unitatem identitatis in genere substantiæ, sed non in genere entis, hoc enim non evincitur, si autem unum per se substantiale, non dicit identitatem in genere entis, non est necesse ut dicat identitatis unitatem; utendoque exemplo quod allegat Mastrius, potest dici de acervo lapidum: Idem acervus lapidum non potest poni in pluribus locis, quamvis ly idem acervus, non supponat pro unitate aliqua identitatis, sed pro iisdem pluribus. Quod autem dicit Mastrius acervum non esse totum à partibus distinctum, neque totum esse ex his, sed cum his, cùm tamen totum substantiale sit ex his, non autem est hæc duo; id non convincit. Nam si: *Est cum his* non arguit distinctionem realem in acervo, licèt esse Petrum cum Paulo arguat distinctionem realem, cur esse *ex his* arguet distinctionem realem, cur item esse *ex his* non erit in re hæc duo, quæ habent rationem *ex his*, quia ad se ordinantur, per quod distinguuntur ab illis, quæ simpliciter duo sunt vel plura.

Objicitur VII. ex eodem. Saltem plùs quàm ratione distinguuntur partes unitæ & totum, nam sine ullo ordine ad intellectum, partes unitæ constituunt & causant totum, non tantùm distributivè sed etiam collectivè sumptæ, totum verò constituitur & causatur, illa sunt principia hoc autem principiatum, à parte rei materia & forma sunt plura, subjectant & terminant unionem, compositum est unum, & non plura, nec subjectat, nec terminat unionem, sed includit unionem, materiam & formam.

Respondetur, negando quòd partes unitæ collectivè sumptæ, constituant totum, & causent compositum constitutione nemine cogitante distinctâ à constituto, nego quòd nemine cogitante partes collectivè sumptæ sint principia distincta à principiato; nego compositum, nemine cogitante esse unum, unitate distinctâ nemine cogitante, à pluribus unitis; hoc verum est, quòd compositum non subjectet unionem, quia hoc subjectare spectat ad partem distributivè sumptam, nec terminat etiam unionem, quia & hoc spectat ad partem distributivè sumptam, si spectat ad partem distributivè sumptam, cùm pars distributivè sumpta, distinguatur realiter inadæquatè à toto, hôc ipso competet nemine cogitante parti subjectare vel terminare unionem, sed hoc non arguit intercedere alietatem prædicatorum nemine cogitante inter partes collectivè sumptas, & inter totum, de quo tamen solo, est hîc lis.

QVÆSTIO III.

De totis Possibilibus.

Sub hoc titulo tria proponi possunt, quę videre est tractari à recentioribus. Primò, An possibile sit compositum constans materiâ & formâ spirituali. Secundò an possibile sit compositum quod neque ex materia, neque ex forma componatur. Tertiò de opposito agendo compositioni & tamen toto inquiri potest: An possibile sit corpus completum simplex.

DIFFICULTAS I.

An sit possibile compositum ex materia & forma spirituali?

Affirmat Arriaga. Oviedo, consentitque Suar: Negat Hurt: recentior Suar. & Amicus Tom. 2. Dis. 3. Sec. 1. n. 30. Examinandæ veniunt implicantiæ.

I. Implicantia est, quâ utitur recentior Suar: Materia in tantùm est possibilis, inquantùm possibilis est forma, quæ ad illam essentialiter ordinetur. Sed ad materiam spiritualem nulla forma essentialiter ordinatur, quod ipsum probat. Quia forma solùm ordinatur ad materiam, quæ illi inservit, atqui spiritualis materia nulli formæ potest inservire: quia non potest inservire formæ corporeæ, nam hæc in spirituali materia operationes corporeas exercere non potest, non etiam formæ spirituali, nam forma spiritualis solùm indiget materiâ ad obeundas operationes aliquas corporeas.

Respondetur. Quòd forma solùm indigeat materiâ, ad obeundas operationes aliquas corporeas, id verum est de præsentibus formis, non autem de possibilibus, eô quòd non ostendatur implicantia in forma, quæ ad aliquas operationes, indigeat subjecto spirituali.

II. Implicantia est ex Amico: cujus argumentum propositum de Angelis, sic accommodari potest. Omnis compositio ex materia & forma, eò tendit ut mediante materiâ aliquam perfectionem acquirat forma, quam forma non habet ex se, sed forma spiritualis si ordinaretur ad materiam spiritualem, nullam acquireret perfectionem, neque in esse, neque in

operari; non acquireret quidem in esse. Tum quia anima rationalis non pendet à materia. Ergò nec ulla alia forma spiritualis. Tum quia substantia spiritualis, est naturâ suâ perfectior & independentior substantiâ corporeâ, datur autem substantia corporea independens à materia, quale est corpus simplex aut ipsum totum. Quòd autem forma spiritualis, non posset dependere in operari à materia spirituali, ratio est, quia duplex operatio formæ spiritualis cogitari potest, hoc est intellectio vel volitio, & alia motus localis; ad nullam autem harum operationum forma spiritualis indigeret materiâ spirituali; non ad eliciendas intellectiones, nam cùm intellectio sit operatio immanens postulabit recipi in eodem principio elicitivo, non etiam ad recipiendas species intelligibiles, nam hæc cùm determinare debeant intellectum, in ipsa illa forma, recipi connaturaliùs debent.

Responderi potest, non implicare contradictionem, ut in esse completo dependeat forma spiritualis à materia spirituali, & licèt præsens forma spiritualis non dependeat à materia, non sequitur impossibilem esse formam, dependentem à materia spirituali, sicut defacto dependent actiones vitales spirituales à subjecto spirituali; quod est anima. Posset etiam indigere saltem ad aliquas species intellectionum illa forma dictâ materiâ spirituali; negatur item impossibilem esse formam, quæ saltem aliquas species, non nisi unita materiæ spirituali, connaturaliter recipere possit. Quamvis autem substantia spiritualis sit indepedens magis, quàm substantia corporea simplex, inde nihil convincitur nam sicut substantia corporea simplex, est possibilis, & alia datur quæ non est simplex, ita datur substantia spiritualis simplex seu completa hoc est Angeli, cur ergò dari non poterunt aliæ spirituales substantiæ non simplices, sed dependentes à materia spirituali, quæ tamen magis erunt independentes quàm alia materialia, eô quòd in suo produci, dependeret nonnisi à solo DEO: Et quamvis in hoc superarentur à corpore simplici, quia illud nullo modo dependet à subjecto, sufficit ut aliis prædicatis superetur illud corpus; sicut quamvis materia superet lumen gloriæ, quia est substantia, superatur tamen ordine supernaturali, & genere spiritualis entis. Concordaret autem in hoc cum corpore simplici, quia nullo etiam modo, penderet à materia corporea.

III. Implicantia est ex Hurtado. Nulla substantia spiritualis potest egere consortio materiæ ad suum esse, aliàs separata à materia, postularet interire.

Respondetur. Etiam anima rationalis, ut habeat esse completum, ad quod ordinatur, indiget consortio materiæ, multò magis id competere poterit alteri formæ comparatæ ad materiam spiritualem, licèt cum jure existendi sine illa materia. Quid si ponatur essentialis nexus inter illam materiam & illam formam, adeoque inseparabilitas ad invicem?

IV. Implicantia est. Quia nullius usus esset illa materia spiritualis. Ergò esset essentialiter frustra.

Respondet Oviedo: Illam materiam posse esse tanquam comprincipium activum aliquarum operationum materiæ, non est enim contra rationem subjecti esse comprincipium activum operationum aliquarum materiæ, non est enim contra rationem subjecti, esse comprincipium activum operationum compositi; multi enim sentiunt materiam simul cum forma concurrere ad eliciendas sensationes v. g. oculum, ad visionem. Independenter ab hoc dici posset, illam materiam fore comprincipium passivum recipiendi operationes formæ, sicut sensationes bruti multi dicunt recipi in materia. Conformiter ad dicta supra, posset illa materia, esse utilis ad aliquas operationes, quas fortè illa forma non posset elicere, nisi cum unione ad materiam spiritualem.

V. Implicantia est. Omnes substantiæ spirituales, quæ de facto dantur carent compositio tali. Ergò talis compositio est impositione est impossibilis. Probatur Conseq: Quia omnes homines, qui defacto dantur, sunt animalia rationalia, benè infertur; Ergò quicunque possibilis homo est, erit animal rationale. Ergò etiam quia Spiritus, qui dantur, carerent compositione & materiâ & forma spirituali, quicunque alii Spiritus, carebunt illâ.

Respondetur. Disparitatem esse, quia cum definitivè homo sit animal rationale, impossibile est esse hominem & non esse animal rationale; jam autem nego definitivè Spiritum, esse, carere compositione ex partibus, unde & indivisibile Mathematicum caret partibus, nec tamen propterea est quid spirituale.

VI. Implicantia est, quam proponit Pater Martinus Olszewski. Si possibile esset tale compositum, illud & esset intellectivum. Esset intellectivum, Tum quia omnis substantia spiritualis est intellectiva; Tum quia omnia recedentia à materia aliquo modo operantur; & quia substantia spiritualis perfectissimè recedit, perfectissimè operabitur, adeoque intellectualiter. Tum quia substantia spiritualis, non potest esse nisi vivens, hinc etiam nomen habet Spiritus, nomine tracto à spiratione; quâ ratione vita proditur: sed non potest esse vivès vitâ vegetativâ, nec sensitivâ, nam hi vivendi modi sunt immersi materiæ.

teriæ. Ergò vitâ intellectuali vivere deberet. Non esset autem illud compositum intellectivum. Tum quia vel esset intellectivum intellectione divisibili, vel indivisibili. Non divisibili: Tum quia Philosophi non agnoscunt partes divisibiles intellectionum: Tum quia omne intellectivum debet attingere objectum indivisibile, aliàs non differret à sensitivo, objectum autem divisibile de se constat, non posse attingi cognitione divisibile. Tum quia si posset dari divisibilis intellectio, posset diversis sui partibus diversa, & contraria, immò eadem, contradictoria intelligere: hoc est unâ sui parte aliquid affirmare, alterâ negare, quo posito, sequens hanc intellectionem voliti o, posset aliqua sui parte aliquid amare, aliquid odisse, consequenter aliquâ sui parte mereri, aliâ demereri adeoq; digna esse cœlo & inferno. Non etiam illud compositum posset intelligere cognitioni indivisibili, quia principio divisibili non potest esse connaturalis, & proportionata actio indivisibilis: repugnat enim ab agente divisibili produci effectum nobiliorem, & indivisibilem: aliàs ille effectus & indigeret pluribus principiis, & non indigeret, non indigeret quidem, quia cum sit spiritualis ab uno totes penderet, indigeret autem, quia ab illis per se naturaliter poneretur.

Respondetur. Hanc rationem supponere imprimis impossibilitatem substantiæ spiritualis, quæ non sit intellectiva cujus demonstratio poni deberet. Posset illi substantiæ concedi perfectissima operatio genericè, hoc est spiritualis: qualis foret spiritualis emanatio spiritualium passionum: sed non esset concedenda perfectissima operatio sub alternè qualis est ratio operationis intellectivæ. Et licèt nomen Spiritus, nomen impositum est, ad significandum vivens vitâ intellectivâ, hoc non obstat, non appella illam substantiam Spiritum, sed appella compositum nullam habens partem materialem; vel Spiritum Analogicè: ad eum modum quo accidentia sunt spiritualia aliqua, & tamen nulla illis competit ratio vitæ? Sed potest etiam benè dici illud compositum posse esse intellectivum intellectione indivisibili, non implicat autem à principio duplici, & indivisibili, pendere actionem indivisibilem; & ita defacto nostræ actiones vitales à Deo, potentia, habituque procedunt, & tamen sunt spirituales sufficitque quòd aliis prædicatis illius principii, superetur prædicatum indivisibilitans, reperibile in illa intellectione. Quanquam in præsenti etiam intellectione poni potest pluralitas partium integrantium, ut si aliâ intellectione intelligatur animal, aliâ rationale sicut in unione spirituali multi agnoscunt partes, itemque in habitibus. Et licèt omne intellectivum quod datur, attingat objectum indivisibile, cur non erit possibile, quod attingat non nisi sensibilia, quorum habeat species. Sed cur etiam objectum indivisibile, non poterit attingi divisibili subjectivè cognitione, indivisibili terminativè, ad eum modum, quo unio spiritualis in sententia Suarez, admittens partes integrales, singulis suis partibus totam animam, & non tantum aliquam illius partem unit, quamvis unio ipsa, plures formaliter partes habeat. Et sicut non sequitur ex eo, quia pluribus actibus diversis anima potest ferri in objecta, non sequitur inquam, eandem animam esse dignam Cœlo & inferno; ita nec sequetur in præsenti: & sicut ponitur plurium actuum incompossibilitas saltem naturalis secum, quæ facit, ne simul sit quis actu odio & amore Dei dignus, ita incompossibilitas partium integrantium divisibilis intellectionis, faciet ne idem sequatur. Nomine partium integrantium, intelligendo partes, ex quibus coalescit intellectio illa indivisibilis.

Septima Implicantia est. Idque pro probandâ hâc thesi. *Impossibilis est materia Spiritualis.* Unumquodque Ens, dicit negationes, essentialiter sibi connexas, & hoc ostendit Inductio, & quidem non tantùm de Entibus disparatis ut cum Petrus dicit negationem Pauli, sed multò magis in Entibus oppositis & contrariis, nam ipsa oppositionis ratio fundat specialem exclusionem illius alterius Entis, cujus dicit negationem. Quod ipsum magis adhuc videre est, si aliqua sibi opponantur genere. Nam licèt impossibile sit hanc substantiam, esse illam substantiam, cujus dicit negationem; sed pluribus titulis impossibile est, substantiam esse accidens, cum generibus distent, ipsoque illo generico à se abscessu, magis distrahuntur, ne in unum convenire possint, quæ inductio, ipsaque Major resolvitur in principium lumine naturæ notum quodlibet est quod est. Ergò oppositi sibi esse, quodlibet dicit negationem. Ad quod principium postea sequitur, ut unumquodque Ens dicat negationem negationis sui. Sed Spiritus & Materia dicunt adinvicem negationem sui. Ergò impossibile est spiritum esse materiam. Minor probatur. Imprimis quærendo, quid materia neget ex Entibus sibi contrariis, si non spiritum? & si materia non dicit negationem spiritus, jam non procedet sua positio, de subjecto, de quo lis est. Rursus si frigus & calor, brutum & homo, dicunt negationem sui, certè dicent materia & spiritus negationem adinvicem,

neque enim minor est inter hæc oppositio. Denique quæcunque Regula assignata fuerit internoscendi aliqua esse contraria, dicereque adinvicem imbibitam sui negationem, eadem ostendit spiritum & materiam dicere negationem sui adinvicem. Unde & bona est Categoria dividens substantiam in Materialem & Spiritualem, dum tamen membra divisionis, dicant adinvicem negationem sui & oppositionem. De hac autem thesi indefinita loquendo. *An implicet substantia spiritualis quæ habeat rationem subjecti*, non est adferenda implicantia, quia oppositum demonstrari potest, nempè substantiam spiritualem esse subjectum plurium accidentium spiritualium, non posset autem substantia spiritualis esse subjectum accidentium si universaliter teneret Major, impossibilis est substantia spiritualis, habens rationem subjecti.

Quod attinet ad hanc Thesim: *An sit possibilis substantia spiritualis incompleta receptiva, & subjectativa formæ spiritualis substantialis?* Illius impossibilitas colligitur per locum Theologicum. Nam & esset illa substantia ut supponitur spiritualis, & non esset: esset ut supponitur, non esset autem: Quia si possibilis esset substantia spiritualis, habens rationem subjecti, respectu formæ spiritualis, malè arguerent Theologi, & quidem jam consensu communi ex eo carere Angelos compositione ex materia, quia sunt spirituales. Et sicut falsa esset hæc causalis, ideò Petrus est homo, quia est animal rationale, si posset esse Petrus, & tamen tantùm habens rationem simii locutivi; ita & falsa esse hæc causalis; Ideò Angeli carent omni materiâ, quia sunt spirituales, si potest aliquid spirituale, esse subjectum informabile formâ substantiali spirituali. Eô etiam servit. Hoc quod est recipere dicit in omni Ente imperfectionem, quia maximam destructionem principalis perfectionis Divinæ, quæ est esse Actum purum. Hinc perfectissimum Ens DEUS, nihil in se recipit, infimum genus substantiæ, est substantia materialis, & hæc recipit tàm formas accidentales, quàm formas substantiales, mediæ autem notæ, est substantia spiritualis, quæ recipit (ut constat) formas substantiales, dejiceretur à ratione mediæ illius perfectionis, adeoque nec esset substantia spiritualis.

DIFFICULTAS II.

An sit possibile compositum ex partibus quarum neutra sit materia, neutra forma?

Affirmat Oviedo, qui primus hanc Quæstionem incepit tractare: Probat suam sententiam argumento negativo. Quia scilicet hoc non implicat contradictionem, solvitque argumenta sic.

I. Argumentum, quia scilicet Antiquitas non cognovit compositionem essentialem, nisi ex materia & forma.

Respondet Oviedo, quia Antiquitas in hac materia non discurrebat nisi de composito quod datur.

II. Argumentum est: Quia scilicet illæ partes, eô ipso quòd habeant conceptum partium essentialium, eô ipso habent conceptum quidditativum materiæ & formæ. Ergò implicat partes essentiales compositi, quæ rationem formæ & materiæ non induant; Antecedens probatur, quia secluso conceptu quidditativo materiæ & formæ, nihil remanet, per quod partes illius compositi, in ratione partium constituantur.

Respondet Ovied: accommodatè ad varias sententias explicantes conceptum primum materiæ & formæ, vide eundum. Succus in eo est, quia secluso conceptu materiæ & formæ, ab istis partibus manet adhuc conceptus partis unibilis ad aliam compartem, quæ compartes erunt essentiales, & non tantùm integrales, quia habebunt inter se diversitatem specificam partium, & habebunt ordinem ad unionem faciendam, cum intima penetratione inter extrema, quorum utrumque ordinetur essentialiter ad constitutionem totius, & neutra primariò, nihilominùs per se, ordinabitur una ad aliam.

III. Argumentum est: ponamus illud corpus esse vivens organicum, tunc in illo toto, quælibet pars esset actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis. Ergò quælibet illius pars esset anima, ita enim animam definit Aristoteles, adeoque compositum illud constaret duplici formâ.

Respondet Oviedo, nulla pars illius compositi esset forma, quia forma necessariò dicit ordinem ad materiam, qui ordo illic non esset nihilominùs.

Dicendum est: *Illud compositum secundùm quod explicatur ab Oviedo, impossibile esse* dixi secundùm quod explicetur ab Oviedo: quia fortè si aliter proponeretur non esset impossibile.

Probatur I. Illud compositum & esset compositum essentiale, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, ut probatur; quia illud compositum ita se haberet ac duæ formæ,

mæ, si inter se unirentur, quia tam illæ formæ, ad se non ordinarentur per modum actûs & potentiæ; sicut & illæ partes; ita illæ duæ formæ possent inter se uniri, in ordine ad localem intimitatem, sicut & illæ partes, dicuntque præsentes formæ, ordinem obedientialem unibilium. Ergo sicut illæ duæ formæ non facerent rationem compositi essentialis, ita nec illæ partes.

Respondebis. Hôc ipso quòd illæ partes dicant ordinem nonnisi obedientialem unibilium, non constituent compositum essentiale.

Contra. Quia ex eo dicunt illæ formæ ordinem nonnisi obedientialem ad uniri; quia non ordinantur ad se tanquam actus, & potentia, ex eoque quòd non ordinantur tanquam actus & potentia, faciunt, quòd non sit compositum essentiale. Ergo etiam in præsenti idem fiet, utrobique enim est idem fundamentum, non pullulaturi compositi essentialis, nempè defectus ordinis, dicamque nonnisi obedientialem ordinem, etiam illas partes dicere in ordine ad uniri, idque ex eo; quia sicut præsentes formæ nonnisi obedientialem ordinem dicunt ad uniri, ex eo, quia non ordinantur ad se tanquam actus & potentia, ita & illæ partes.

Probatur II. Quia ex nullo capite dici posset illud compositum essentiale, non ex eo quia constaret partibus substantialibus, nam si duæ animæ unirentur, illud totum constaret partibus substantialibus, neque tamen esset compositum essentiale, sicut nec est compositum essentiale in toto integrali; Non etiam illud compositum esset essentiale, quia constaret partibus diversitatem specificam habentibus, nam etiam conflatum illud ex duabus animabus, haberet partes diversitatem specificam habentes, & tamen non esset compositum essentiale; Non etiam illud compositum esset essentiale, quia haberet unionem, cum intima penetratione inter extrema; quia conceptus essentialis compositi, non est conceptus unionis, cum ista intima penetratione, nam unio qualitatum inter se, est cum intima penetratione, & tamen hæc unio non arguit rationem essentialis compositi: Et si divinitùs partes aquæ se penetrarent, unirenturque, non jam per hoc ipsum constitueretur totum illud, in ratione totius essentialis, Ergo apparet solam rationem unionis cum intima præsentia, non formalisare compositum essentiale; Non etiam illud constitutum acquireret rationem compositi essentialis, quia una pars diceret ordinem ad aliam, quia si illæ partes non dicerent ordinem potentiæ & actûs, majorem dicerent ordinem, quàm dicant formæ aut quæcunque alia aggregata.

Probatur III. Quia illæ partes & unirentur per se, & non unirentur, unirentur quidem ut supponitur, non unirentur autem per se, quia nullo modo explicatur hæc perfeitas.

Posset tamen hoc compositum sic concipi, de ratione partium per se ordinatarum ad unionem, non est quòd una pars sit actus alia potentia, defacto enim continuum est per se compositum, & tamen neutra pars est actus, neutra potentia, cur ergo non poterit esse compositum per se, cujus neutra pars sit potentia, neutra actus, quia tamen continuum est potiùs integrale homogeneum, quàm essentiale compositum, videndum est in quo stet hæc integralitas, & deficientia à ratione compositi essentialis, quæ deficientia videtur in hoc stare, quia scilicet naturaliter una potest esse sine alia, neque requiritur ulla specialis dispositio in ordine ad uniri eadem, cur autem non poterunt esse partes, quæ naturaliter non possint esse sine se, quæ certè erunt ad se essentialiter ordinatæ, quamvis sine ordine actûs & potentiæ.

DIFFICULTAS III.

Possibile ne sit totum, quod sit corpus simplex compositum.

Corpus in duplicem considerationem venire potest. *Primò* prout est incompletum aliquid, & ordinatum ad aliam compartem, quæ sit forma illius. *Secundò* potest considerari corpus, prout est totum quid, seu habens totum, esse sibi debiti integritatem, independenter ab alia comparte; breviter prout est quid completum, & de hoc in præsenti quæritur, an sit possibile, idque hôc sensu. Videmus dari substantiam spiritualem incompletam, hoc est animam, videmus etiam dari substantiam spiritualem completam, hoc est Angelos, occasione hinc habitâ quæritur: an sit possibile corpus simplex, hoc est non compositum ex materia & forma, idque completum, hoc est non ordinatum ad ullam formam substantialem, negat Hur. affirmat Ariag. & Oviedo.

Dicendum est. *Tale corpus possibile esse.*

Probatur I. Quia nulla est in hoc implicantia.

Probatur II. Possibilis est substantia spiritualis completa, Ergo & corpus completum.

Probatur III. Non est de ratione corporis completi, defacto enim corpus compositum, corpus est, & tamen non est complebile. Ergo ex ratione sua generica non repugnat corpus, non complebile.

Ergo & ex ratione sua specifica dari poterit corpus completum. Quia autem tota probatio stat in solutione implicantiarum, ad eam accedendum est.

Objicitur I. Auctoritas S. Thom. ad primi de Cœlo textum q. 2. & 1. parte q. 66. Art. 6. ubi docet quòd omnis substantia, aut est potentia seu materia; aut actus, aut habens actum, additque si est actus, vel est actus in materia, & erit forma illius, vel sine materia, & non erit ens sensibile, sed intelligibile, quia omnis actus non in materia, est intelligibilis.

Respondetur. Quando S. Thom. dicit, quòd omne ens sine materia, sit intelligibile, accipit ly sine materia pro eodem ac ens immateriale seu spirituale, corpus autem illud non est immateriale, hôc sensu hoc est spirituale, quantumvis materialitas illius non sit desumenda à materia, quæ sit compars illius constitutiva, sed ab ipsa ratione corporis. Quando autem Aristoteles 8. Metaph. textu 3. universaliter docet, quòd cunctæ substantiæ sensibiles materiam habeant; agit de substantiis sensibilibus quæ defacto dantur, vel ly: materiam habent, debet sumi non tantùm transitivè, sicut materiam habet homo, sed etiam intransitivè, quòd scilicet sensibile non debeat esse spirituale, sed corpus, quod etiam convenit corpori simplici. Deinde hîc non quæritur de auctoritate, sed de demonstratione.

Objicitur II. Si possibile esset corpus simplex, & esset intellectuale, & non esset, non esset, quia corpus & intellectivum sunt termini incompossibiles, aliàs etiam oculus corporeus videre posset Deum, & ex intellectivitate animæ, malè ejus spiritualitas deduceretur, si etiam corpus intelligere potest; esset autem intellectivum, quia radix intellectivitatis est immaterialitas, per S. Thom. ex Dionysio: & sicut repugnat esse aliquod vivens rationale, & non esse animal, ita repugnat corpus, quod sit actus simplex subsistens, & tamen non intellectivum, & cùm modus operandi sequatur modum essendi, fit ut cùm modus essendi illius corporis; sit elevatus supra materiam, etiam modus operandi erit elevatus, adeoque erit intellectio.

Respondetur. Non fore illud corpus intellectivum, immaterialitas autem si fundat intellectivitatem, fundat sumpta pro spiritualitate, aut certâ conditione spiritualitatis, repugnat autem vivens rationale & non esse animal, quia ipsum prædicatum rationalis, quod supponit pro intellectivo, dependenter à phantasmatibus, involvit animal, quod solum phantasiari seu dependere à sensibus esseque sensitivum potest. Jam autem nec prædicatum actûs, nec prædicatum simplicis, nec prædicatum subsistentis, involvit ut sic intellectivitatem, nec ostendi potest, quòd omnia simul sumpta, illam importent. Elevatio etiam modi essendi supra materiam, involvens spiritualitatem, hæc arguit operationem intellectualem, non autem elevatio supra materiam, quæ est compars compositi; non implicat enim ut aliquid non sit secunda pars compositi, & tamen sit materiale, hoc est, corporeum intransitivè, seu corpus.

Instabis. Esse actum aliquem simplicem & subsistentem, non tamen excludere corpus, ita implicât atque dicere, quòd Ens aliquod rationale non excludat insensitivum. Rursùs sicut sensitivum præsupponitur ad esse rationale, ita esse actum simplicem, completum, subsistentem, æquiparabilem Angelis, qui sunt similes actus, præsupponit intellectivum; ita enim intellectivũ, videtur esse genus ad actum simplicem completum, & incompletum, sicut animal ad rationale vel irrationale.

Respondetur. Disparitatem esse ex dictis, quia rationale importat intellectivum dependenter à sensibus, si importat tale intellectivum, importat sensitivum tanquam principium, si importat sensitivum, importat hoc ipso excludens insensitivum; actus autem simplex, non simplicitate absolutâ, hoc est importante spiritualitatem, sed tantùm simplex, simplicitate negante compositionem ex materia Physicâ, non importat aliquod prædicatum, ratione cujus excludatur ratio corporis, nec tale prædicatum, demonstratur. Negatur ulteriùs, quod antè prædicatum esse actus completi præsupponatur tanquam genus intellectivum, sed è converso actus completus, dividitur in membra, hoc est, in actum completum corporeum, & incorporeum, cujus divisionis ratio in hac materia, semper repetenda est. Quia scilicet non implicat dividi actum completum simplicem, in actum spiritualem & materialem, ita ut illud corpus, in prædicatis genericis æquiparetur Angelis, non tamen in prædicatis specificis, adeòque non in intellectione.

Objicitur III. ex Hurtado. Illud corpus & esset vivens & non esset vivens, esset quidem vivens; Tum quia & esset perfectius corpore completo compositio, ut supponitur, & non esset perfectius, quia careret perfectione viventis. Tum quia ratio viventis, præsupponitur necessariò ad esse actus simplicis, non secus ac ratio viventis, præsupponitur ad esse animalis; Non esset autem illud corpus vivens, quia nec posset esse vivens, intellectuali vitâ, ut probatum supra, nec vitâ vegetativâ, quia vegetatio debetur corporibus corruptibilibus, commu-

communem materiam habentibus, & affectis contrariis qualitatibus, quarum non esset capax corpus simplex, quia hæ dantur à natura, ut materia ad alias successivè formas disponatur, nec item istud corpus posset esse vivens vitâ sensitivâ; nam sensatio ut experientia patet, fit mediis primis qualitatibus, quæ tamen in corpore simplici haberi non possunt.

Respondetur. Imprimis, non fore illud corpus vivens, & quamvis sub hac formalitate, esset imperfectius compositis, sub alia tamen formalitate, nempè actûs simplicis, excederet composita, à qua ratione actûs simplicis, nego præsupponi rationem viventis, cùm hîc ratio actûs non sumatur pro motu aliquo, sed pro complemento non habente rationem materiæ, quæ sit compars. Unde non ostenditur prædicatum competens corpori completo, in quo sit exigentia vitæ. Jam autem in animalis definitione pro genere ponitur vivens. Deinde Ovied. dicit illud corpus fore sensitivum, sed diversis sensationibus non dependentibus à primis qualitatibus, sed à speciebus v. g. à DEO infusis. Addit, quòd posset corpus sentire easdem qualitates, quas non sentimus, per species illarum, quantumvis has qualitates recipere non posset, quia potentia sensitiva potest sentire objecta, in extraneo subjecto recepta.

Objicitur IV. ex eodem. Illud corpus & esset corruptibile, & non esset corruptibile, esset corruptibile quia esset divisibile, ita ut divisio venire possit ad partem minorem minimo requisito ad conservationem, esset etiam incorruptibile, quia incapax qualitatum corruptivarum.

Respondetur. Corpus illud fore incorruptibile, divisibile tamen quantitativè, sed non divisibile quoad suum constitutivum, ad eum modum, quô Cœli dividi possunt quantitativè, & tamen unio illorum incorruptibilis corrumpi non potest, eô quòd nulla detur virtus naturalis quæ possit devenire ad minimum requisitum: Oviedo addit posse illud corpus dici corruptibilè per impressionem impulsûs contrarii.

Objicit V. Suar. Impossibilis est substantia creata spiritualis, quæ non sit capax formæ accidentalis. Ergo nec erit possibilis substantia materialis, quæ non sit capax formæ substantialis.

Respondetur. Argumentum multùm probare, probat enim Angelos debere constare formâ substantiali, cùm non possint non esse capaces formæ accidentalis. Sic enim formabitur argumentum: Non est possibilis substantia creata spiritualis, quæ non sit capax formæ accidentalis. Ergo nec erit possibilis, substantia spiritualis, quæ non sit capax Formæ substantialis.

Addi potest universaliter, negationem materiæ pro comparte sumptæ, non fundare spiritualitatem, quia non implicat aliquid non esse spirituale, & tamen dicere negationem materiæ tanquam compartis, conceptusque spiritualitatis, non est negatio materiæ.

TRACTATUS III.

De proprietatibus & affectionibus corporis.

Agemus imprimis de quantitate, postea de motu, denique de loco. Sit

DISPUTATIO IX.

De Essentia quantitatis distinctionibusque ei competentibus.

METhodus exigit, ut primùm essentia quantitatis examinetur.

QVÆSTIO I.

De primo essentiali conceptu quantitatis.

EXaminabimus imprimis aliorum sententias, postea tenendam, adferemus.

DIFFICULTAS I.

An habere partes entitativas, sit primo essentialis conceptus quantitatis?

DOcent Thomistæ, de ratione Quantitatis esse, conferre partes entitativas. Consentit etiam noster Vasquez. Quod ut examinetur. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Quid Tenendum?

DICENDUM est. *Primò essentialem conceptum Quantitatis non esse, conferre partes entitativas.*

PROBARI solet I: Quantitas distinguitur à prima Materia: vel, si nolis illam distingui, præscinde eam mente, quæro independenter ab illa quantitate, re, aut per rationem præcisa, vel materia habet partes, vel non habet? si habet, ergo illas non à quantitate habet: Si non habet, Ergo Materia prima, est simplex, & indivisibilis.

RESPONDERI potest huic argumento; concedendo quòd Materia prima, independenter à quantitate, sit indivisibilis.

INSTABIS. Ergo Materia, independenter à quantitate, erit ita simplex ac Angelus, vel anima rationalis.

RESPONDETUR. Seclusâ quantitate, in aliquo genere, ita se habet materia prima ac Angelus, vel anima rationalis; nec id involvit ullum absurdum; certè enim in sententia constituente conceptum primarium quantitatis in impenetrabilitatis exigentia, secluſa quantitate, æquè est materia penetrabilis, ac anima rationalis, neque tamen in hoc est ullum absurdum. Æquè item non componitur ex duabus partibus physicis, Materia, ac Angelus, nec inde tamen sequitur, intra eundem gradum simplicitatis, utrumque esse. Dici itaque potest, ratione molis corporeæ, adhuc illam Materiam non fore ita simplicem. Dici etiam posset quòd independenter à quantitate, habeat virtualiter partes Materia, sitque divisibilis virtualiter, quæ

quæ divisibilitas in hoc stabit; quòd sit semper habens vim, fundandi & emanandi quantitatem, & quòd habeat molem, quæ apta sit evolvi, parte: fierique ut ita dicam, per additam quantitatem. Inde autem non sequitur, simpliciter esse divisibilem Materiam, independenter à quantitate; quia non est licitum, argumentari à restricto ad irrestrictum. *Neque valet, si dicas*: hoc videri dissonum Dialecticæ, docenti, valere consequentiam à gradibus inferioribus, qui utique sunt restricti ad superiores, qui sunt irrestricti, non inquam valet, si id dicas, quia si valet consequentia à restricto ad irrestrictum, Ergo si ego dicam, Æthiops est albus: Item si dixero est propositio æternæ veritatis: Homo est animal rationale, potero etiam dicere, est propositio æternæ veritatis, Homo est. Dandum ergo est taxativum, quando nam talibus teneat consequentia, quando non teneat. Et potest esse hoc. Ab inferiori ad superius tenet consequentia, à restricto hoc est dicto secundùm quid, non tenet consequentia ad dictum simpliciter. Cujus ulterior hæc ratio est. Quia ut prædicatum verificetur de subjecto, debet esse identitas prædicati & subjecti; Quia autem est Identitas inferioris, cum superiore, eo quòd superius sit totum potestativum, continens in se potestate inferius, hinc fit, ut teneat consequentia ab inferiori ad superius. Quia autem non est Identitas inter ly secundùm quid, & inter ly simpliciter, si enim esset inter hæc identitas, vel utrumque esset esse secundùm quid, vel utrumque esse simpliciter, ideò inter hæc non est identitas, adeoque nec tenebit consequentia, à restricto ad irrestrictum.

Probari solet II. Quantitas quæ in se habet partes ex quibus componitur, non communicat seipsam subjecto per identitatem, sed per unionem. Ergo quantitas tantùm habet hoc, quod est, illam ipsam in partes actu distinctas esse divisibilem. Ergo ulterius, si se ipsa Materia illa partes non habet, etiam per unionem quantitatis illas habere nequit: esse enim unitum extremo habenti partes, non est habere partes.

Confirmatur. Quia quantitas communicat partes, vel quas in se habet, vel alias distinctas, non has quas habet, quia hæ sunt accidentales, at partes substantiæ, sunt substantiales; non etiam communicat partes quas non habet, seu partes distinctas à quantitate, quia quantitas nihil substantiæ producit, neque causat in aliquo genere. Ergo quantitas, nullas potest partes communicare substantiæ.

Responderi potest huic argumento. Imprimis retorquendo argumentum. Quantitas quæ in se habet impenetrabilitatem, communicat se materiæ, nonnisi per unionem. Ergo quantitas tantùm habet hoc, quod sit impenetrabilis. Ergo ulteriùs si se ipsa materia non est impenetrabilis, etiam per unionem cum quantitate, non erit impenetrabilis, quia esse unitum extremo impenetrabili, non est esse impenetrabile. Deinde si materia & se ipsa, & simul virtualiter non haberet partes, etiam accessu quantitatis non haberet partes, secus cùm virtualiter illas contineat. Unde accessu quantitatis, haberet partes à materia, quæ antè accessum illius, nonnisi virtualiter habebantur. Sic in sententia non distinguente partes actu ante assignationem, assignatio confert actualitatem partium partes, quæ potentiâ nonnisi habebantur.

Probari solet 3. Substantia pedis, non est substantia capitis, potest enim substantia pedis corrumpi, non corrupta substantia capitis. Ergo substantia capitis distinguitur à substantia pedis: nam idem non potest corrumpi & non corrumpi, quæ tamen substantiæ distinguuntur, tanquam substantiæ partiales, quia si distinguerentur tanquam aliquid tertium, substantia pedis, non pertineret ad illud compositum, cùm ergo pertineat, debet tanquam pars distingui.

Responderi posset. Quod substantia pedis à substantia capitis in ratione substantiæ, se ipsis distinguantur, secluſa tamen quantitate non distinguentur tanquam partes, qua etiam illa secluſa non pertinebunt ad compositum tanquam partes. Sicut & in sententia negante formas partiales substantiales, independenter ab organisatione, partes illæ non sunt partes, licèt in ratione substantialium, constituantur se ipsis. *Hinc aliter*

Probatur Conclusio. Vel præcedit quantitatem, entitas illarum partium, quas per te confert quantitas, vel non præcedit? Si præcedit. Ergo & confert entitatem partium quantitas ut supponitur, & non confert: quia ante accessum quantitatis, jam præsupponuntur. Quòdsi entitas partium non præcedit illam quantitatem, quæro, an illa entitas partium quas confert quantitas materiæ, sit substantialis vel accidentalis? si substantialis? Ergo erunt illæ partes Materia, utpotè partes homogeneæ; Si erunt Materia. Ergo non possunt produci à quantitate, quia Materia nonnisi creari potest, quantitas autem non creat. Rursùs si partes entitativæ, quas confert quantitas sunt substantiales. Ergo quantitas panis, sunt partes substantiales panis, quantitas enim panis debet habere conceptum primò essentialem quantitatis panis, Ergo debet habere partes substantiales panis, quas per te primò dicit. Ergo ulteriùs,

cùm

cùm in Eucharistia sit quantitas, erunt etiam partes substantiales panis, adeoque substantia panis. Quòdsi partes illæ quas confert quantitas sunt partes accidentales, vel sunt partes, quas ipsamet quantitatis entitas, in se importat, vel sunt partes quas causat à se condistinctas illa quantitas: Non primum, quia aliàs in sua entitate Materia nunquam haberet partes, quia entitas quantitatis, nunquam est entitas Materiæ, consequenter & partes entitatis. Quantitatis, non possunt esse partes entitatis Materiæ, habebitque se Materia in ordine ad habendum partes, sicut Angelus vel anima rationalis, si ei supernaturaliter uniretur quantitas, per cujus unionem æquè non haberet in sua entitate partes, ac ante non habuit, licèt habeat partes quantitatis quæ secum unita est. Quòdsi partes illæ accidentales, sunt partes, quas causat distinctas à se illa quantitas. Ergò imprimis nunquam quantisaretur entitas Materiæ, quia nunquam in sua entitate acquireret partes. Ergò ulteriùs quantitas est ens operativum.

Respondebis primò. Quòd accessum quantitatis, præcedant partes virtuales.

Contra. Partes illæ virtuales vel continent entitatem partium formandarum, vel non continent? redibitque argumentum factum.

Respondebis secundò. Partes virtuales, virtualiter continere entitatem partium formandarum.

Contra. Virtualis hæc continentia partium formandarum, vel dicit negationem Physicæ actualitatis, debitæ entitati partium, vel non dicit? si non dicit negationem. Ergò datur Physica actu actualitas entitatis illarum partium. Ergò illa non habebitur à quantitate: Si dicit negationem. Ergò illam actualitatem entitatis partium, primùm confert quantitas, redibitque argumentum factum, qualesnam partes conferat.

Respondebis tertiò. Quòd aliud sit, quantitatem esse ipsas partes entitativas substantiales, aliud autem, quantitatem, posse facere partes substantiales. Primùm illud, non habet quantitas ob rationes allatas; habet hoc posterius; ex priori autem non nisi, sequeretur dari partes substantiales panis in Eucharistia.

Contra. Quia vi argumenti facti, sequitur, quantitatem esse, ipsas partes entitativas substantiales, vel enim antè accessum quantitatis haberentur partes illæ, vel non haberentur? si non haberentur. Ergò quantitas sunt illæ ipsæ partes: neque enim illas producere potest, ut probatum supra: Si haberentur. Ergò non conferuntur à quantitate: *Neque valet, si dicas*; ante accessum materiæ, antecedere entitatem partium, sed non antecedere partes entitativas; non, inquam, valet, si id dicas, quia inter entitatem partium, & partes entitativas, nullum est discrimen. Nam quamvis concedi possit, partes esse distinctas quoad entitatem, non tamen quoad esse formale partium. Id indeest. Quia aliunde sumitur ratio formalis partium & aliunde entitas, ut ex dicendis constabit. Sed ostendi non potest, aliud importari ab entitate partium, & aliud à partibus entitativis. Quòd si ante accessum quantitatis dicas, non esse partes entitativas, in isto sensu, quia non sunt extreisatæ, evolutæ &c. tunc jam quæstio erit nonnisi de sola voce; an scilicet non habere partes extreisatas, sit non habere partes entitativas.

Quæres: *An sicut convenit Materiæ habere partes entitativas independenter à quantitate? etiam conveniat divisibilitas earundem partium independenter à quantitate?* Sed probabilius est, non convenire.

Ratio. Tum quia, quando partes sunt penetratæ, accipitque Materia modum existendi, connaturaliter debitum nonnisi entibus spiritualibus, positâ item penetratione partium, manet entitas Materiæ, partesque illius entitativæ, & tamen non manet divisibilitas, quia in unaquaque parte, respondet totum. Ergò divisibilitas se ipsâ non convenit Materiæ. Tum quia non datur ulla extensio entitativa. Ergò nec divisibilitas entitativa. Antecedens probatur. Si enim daretur extensio entitativa, dicam etiam dari entitativam quantitatem, hoc est sequentem & indentificatam ipsi entitati. Ergò nec dabitur ulla divisibilitas entitativa, non enim est major unius ratio, quàm alterius. Impenetrabilitas enim, extensio, divisibilitas, &c. videntur pendere à quantitate, & sicut non datur ulla entitativa albedo, vel calor entitativus, identificatus scilicet substantiæ alicui, ita nec dabitur divisibilitas ulla entitativa. Tum quia, si esset aliqua ratio, ob quam divisibilitas conveniret materiæ independenter à quantitate, id ideò esset, quia potest conservari una pars, non conservatâ aliâ parte; adeoque divisa ab alia parte. Sed hæc ratio nihil probat. Quia quamvis v. g. Christi manus conservari posset sine corpore Christi, tamen suppositio modo, quo existit in Eucharistia, non potest conservari manus sola, non servato toto corpore, quia in manu est totum corpus, & tota manus, in toto corpore. Ergò quamvis ante sublatam quantitatem, possit conservari manus, non conservato corpore, tamen sublatâ quantitate, quando manus acquirit esse in toto corpore, & corpus in manu, non potest conservari manus, servato illo modo essendi, nisi conserve-

servetur & totum corpus. Tum quia nulla necessitas, & nullum fundamentum tribuendi hoc prædicatum materiæ, ad quid ergò hæc multiplicatio prædicatorum? Tum quia divisio non potest concipi sine extreitate; extreitas etiam sine quantitate, & quæcunque divisibilitas, independenter ab extreitate, consimilis erit ei, quæ convenit totis spiritualibus.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT primò Lugo, Vasq. Si substantia & reliqua accidentia secundùm se haberent partes, & extensionem, alia non esset extensio constituenda, in qua essentia quantitatis, consistat.

RESPONDETUR. Hoc argumentum, nonnisi probat, partes, independenter à quantitate, non esse extensas, divisibiles &c. quod & nos tenemus. Sed hoc non probat, quòd partes substantia de se non habeat, certè enim illas ut probatum est, non accipit à quantitate, sicut accipit divisibilitatem, & quia nos, non concedimus independenter à quantitate ullam extreitatem illarum partium entitativarum, ideò, quantitas, adferens illam extreitatem, non erit otiosa.

OBJICIT secundò idem. Si substantia ex se partes haberet, peteret Ubi. Ergo peteret ubi divisibile, ita ut pars illius, parti spatii, & tota, toti spatio correspondeat. Quòd si tale ubi peteret, nec per Divinam potentiam posset indivisibiliter constitui, adeoque CHRISTUS indivisibiliter in Eucharistia poni non posset. Quòdsi peteret, illa substantia habens partes, ubi indivisibile, non posset constitui sub quantitate, quin amittat propriam præsentiam. Quòd si dicas substantiam partes habentem, seclusâ quantitate, nec petere divisibile ubi, nec indivisibile; Contra erit: quia natura est determinata ad unum, nec potest indiscriminatim unum, vel alium modum ipsius Ubi petere.

RESPONDET primò Oviedo. Substantiam esse indifferentem ad præsentiam, sive divisibilem, sive indivisibilem; seclusâ quantitate. Illustrat hoc instantiis. Una causa, est indifferens ad hos vel illos actus, una materia est indifferens ad hanc vel illam formam specie distinctam. Cur igitur in substantia non erit indifferentia ad ipsum Ubi. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Videmus in natura non esse aliquas indifferentias. Unde etiam Ovied. eodem puncto. num. 13. sub finem negat, quòd substantia, possit sine quantitate præscindere, ab habere vel non habere partes entitativas. Et sicut non habere partes entitativas, & habere partes, procedit per prædicata contradictoria; ita habere ubi divisibile, non habere ubi divisibile, procedit similiter per contradictoria, quid ergo horum convenit partibus substantiæ seclusâ quantitate. Ex alia parte videmus etiam in natura, esse aliquas indifferentias; ut concedit ipse Oviedo. Cur ergo potiùs substantia cum suis partibus spectata, in ordine ad Ubi, non sequetur hanc partem entium negantium indifferentiam; quòdsi negabit indifferentiam ad hoc vel illud Ubi, dicet determinationem ad Ubi, restabitque argumentum à Vasq proposítum solvendum. Porrò ut dignoscatur; an ad aliquid sit indifferens, vel non indifferens substantia, quæ est à parte rei, pensandum est, an prædicatum, de quo quæritur, sit intrinsecum an extrinsecum, & tunc ad intrinseca prædicata, & identificata nulla esset indifferentia; Si autem est extrinsecum prædicatum, pensandum est, an æquè se habeat res cum hoc, quàm cum alio, tunc enim dabitur indifferentia. Quâ tamen doctrinâ positâ, restabit quærere, an æquè se benè habeant illæ partes substantiæ, quantitate spoliatæ, cum *Ubi* divisibili, ac cum Ubi indivisibili? *Ideò aliter*

RESPONDETUR secundò. Supposito, quòd inferiùs probatur, Ubi, esse ipsammet rei entitatem in recto; tunc dici potest, quòd illa substantia, secundùm ea quæ illi jure naturæ debentur, petat divisibiliter existere, ad eum modum quo Sol connaturaliter lucem petit, licèt illâ divinitùs carere possit. Jam autem substantia illa spectata, secundùm quod extrahitur extra jus suæ naturæ, spoliaturque quantitate, petit ubi indivisibile actu, divisibile potentiâ: quia petit suam entitatem, quæ ratione partium entitativarum, est divisibilis potentia, licèt ob defectum quantitatis, non sit tunc actu divisibilis; positâ autem quantitate amittit proprium Ubi, sed amissione impropriâ, quia non amittit ullam entitatem, neque enim per nos *ubi* est entitas, sed tantùm acquirit modum essendi, cum extensione, quam antea non habebat, retentâ eâdem entitate habente partes, quam entitatem importat *ubi* in recto.

OBJICITUR tertiò. Si dantur partes entitativæ in materia seclusâ quantitate, faciuntné secum compositionem vel non? si faciunt, Ergo erant divisibiles, contra quàm supra illatum est; nam omne compositum dividi potest; Si non datur compositio, quomodo habent rationem partium?

RESPONDETUR. Hoc argumentum solvendum esse ex dicendi de continuatione, quæ non involvit ullam modalitatem, sed solam carentiam terminorum. Licèt ergo compositio per unionem, quæ importat modalitatem, arguat divisibilitatem, sed non unio identificata: nam si ipsum, cui identificatur non est divisibile ut probatum suprà, adeòque separabile (separatione propriè dictâ; de qua suprà. nec ipsa unio divisibilis erit, & separabilis ab illis, quæ unit,

& qui-

& quibus identificatur. Tota ergò illa compositio in hoc stabit, quia scilicet sunt entitates plures penetratæ, adeoque non habentes proprios terminos, ex vi autem penetrationis, ex vi item carentiæ propriorum terminorum, non sequitur ulla propria compositio, cùm tamen ex sola propria compositione, oriatur divisibilitas.

ADDO, quamvis non daretur ulla compositio, haberetur ratio partis, non quidem actualis, sed potentialis; & sicut non habetur distinctio in ratione partis nemine cogitante, ita nec habetur ratio partis formaliter, cujus oppositum supponit argumentum. Deinde ratio partis in materialibus, inter alia dicit negationem tantæ extensionis, quantam habet totum: jam autem nec tantam, nec non tantam, dicit ulla illic entitas extensionem, cùm nullam omninò habeat.

Sed contra illatum, quòd scilicet Materiæ seipsa divisibilitas non competat.

DICES primò ex recentiori Suarez. Id quod est indivisibile, nec per Divinam potentiam reddi potest divisibile. Ergò si materia esset indivisibilis, neque dividi posset ratione quantitatis.

RESPONDETUR. Hoc argumentum multùm probare: probaret enim duos semipalmos, non posse divinitùs fieri palmum, qui de se non sunt palmi. Directè autem dici potest. Id quod est indivisibile ex accidenti, habet tamen partes entitativas, molemque corpoream, adeoque est divisibile potentia, posse dividi.

DICES secundò cum eodem. Demus extensam materiam per unam leucam, annihiletur in instanti ejus quantitas, eo casu aut partes extremæ remotæ confluunt ad punctum, & hoc non; quia non datur tantus motus in instanti; aut non confluunt sed manent extensæ, & sic jam admittis divisibilitatem in materia, sublatâ quantitate.

RESPONDETUR, eo casu redigendam materiam ad punctum, quod non fieret per motum localem, sed per solam desitionem quantitatis, & sicut sine ullo motu locali posset hunc aërem extensum, in instanti DEUS reddere penetratum: Item sicut desinit anima informare corpus, vel incipit, sine ullo motu locali; sic per solam desitionem quantitatis, poterit in punctum redigi materia, sine ullo motu locali, quod etiam procedit in casu, quo in Eucharistia pars cum toto corpore, & è converso penetratur: quia id etiam fit sine ullo motu locali. Fundantur autem hæ instantiæ in hoc principio, quia potest DEUS rem locare in loco sine ullo motu locali, ad eum modum, quô illam produxit in loco, sine ullo motu locali.

DICES tertiò ex Pontio. Non potest dubitari, quòd substantia capitis hominis, separatâ quantitate, posset dividi & conservari à substantia manûs.

RESPONDETUR. Non posse dividi nisi divisione impropriâ. Imò absolutè hoc negari potest, supposito quòd partes hæ penetrentur ut dictum suprà de Corpore CHRISTI; dici etiam posset immeritò supponi, sine quantitate manere manum, vel caput, adeoque falsificantem esse hunc terminum: Unde illa conservatio unius partis sine alia, est nonnisi in suppositione quantitatis.

DICES quartò. Sublatâ omni quantitate, posito etiam quòd illa materia tota sit in toto, & tota in qualibet parte; posito item quòd sit penetrata, numquid independenter à quantitate superaddita, non discernit DEUS hanc partem fuisse substantiam capitis, & hanc partem fuisse substantiam pedis? Quòdsi illam discernit, etiam illam annihilare potest solam, adeoque dividere.

RESPONDETUR. Deum discernere quæ fuerit pars materiæ sub hac forma, quæ sub illa, sed simul dicendo hanc materiam esse totam in tota residua materia, & totam qualibet in parte, adeoque, non esse divisibilem divisione propriâ, consequenter in suppositione, quòd illam velit esse in puncto, & sine quantitate, non potest velle unam potiùs, & non aliam partem servare.

INSTABIS. Potest DEUS facere ut sublatâ quantitate partes materiæ non sint penetratæ, & simul ut non habeant modum existendi rebus spiritualibus proprium, sed ut totum, occupet totum spatium, & partes entitativæ illius, partem spatii; quo casu, verè adhuc dividi sine quantitate poterunt.

RESPONDETUR. Negando id posse fieri, quia si id fieri posset, posset fieri beneficio entitativæ extensionis, hanc autem nullam esse, suprà ostendimus.

DICES quintò. Quantitas est accidens extensum. Ergò debet præsupponere partes extensas, ut in illis possit recipi.

RESPONDETUR. Albedo est accidens disgregativum visûs, nec tamen præsupponit disgregativum visûs. Gratia item est accidens DEO gratum, nec tamen supponit subjectum DEO gratum, quod universaliter in hoc principium resolvitur, quia forma quamvis supponat potentiâ tale, non tamen debet supponere subjectum formaliter tale, sed reddere illud formaliter tale.

INSTABIS primò. Qualitas extensæ non possunt recipi in quantitate, nisi hæc esset extensa entitativè. Ergò nec ipsa quantitas potest recipi, nisi in partibus extensis.

RESPONDETUR. Quia qualitates reddunt extensæ, non nisi per quantitatem subjecti, de quo infrà, hinc si non opponeretur subjectum exensum, hôc ipso non essent illæ qualitates extensæ, quantitas autem non accipit divisibilitatè à subjecto, sed illã secum adferre potest.

Rur-

Rursùs qualitates extensæ idem sunt, quod qualitates materiales; neque enim datur ulla extensio, propria accidentium: Quòdsi sint qualitates materiales, sunt qualitates indigentes, ut totæ in toto, & pars illarum in parte subjecti recipiatur; hoc ipso enim essent in connaturali subjecto, neque enim illud extendere possunt; cùm autem quantitas ipsum subjectum extendere possit, adferreque sibi connaturalem modum existendi, hoc ipso non indigebit ullâ antecedenti extensione.

Instabis secundò. Si ipsa quantitas habet extensionem suarum partium entitativarum. Ergò & substantia seipsâ, poterit habere extensionem entitativam.

Respondetur. Negando Consequentiam. Quia quod est ratio formalis alicujus; seipso, & aliis, & sibi, est tale. Sic albedo quia facit ut subjectum disgreget visum, se ipsâ etiam est disgregativa visûs. Ita & quantitas, quia seipsâ est extensiva subjecti, se ipsâ erit etiam sibi extensio. Jam autem nego rationem extensionis seipsa, competere substantiæ.

Hinc ulteriùs disparitas assignatur, quia non solùm non est absurdum partes quantitatis se ipsis esse extensas, sed id omninò est necessarium, aliàs daretur processus in infinitum in ratione formali extensionis. Absurdum autem est, se ipsis partes substantiæ, habere extensionem entitativam. Rursùs. extensio sequitur extreitatem, quæ quia competit seipsâ quantitati, seipsâ etiam competet extensio, quia autem substantiæ non competit seipsâ extreitas, nec seipsâ competet extensio. Denique sicut nullum est absurdum, accidens quod est quantitas, esse entitativè extreisativum, cùm tamen absurdum sit, substantiam seipsa esse extreisativam; ita nullum erit absurdum quantitatem seipsa esse extensionem, cùm substantia non sit seipsa extensio, idq; ob proportionem: quia sicut nulla datur quanta entitativè substantia, ita nec debet dari entitativè extensa.

Instabis tertiò. Partes illæ vel sunt distinctæ vel non distinctæ? si distinctæ, Ergò & divisibiles; si indistinctæ, ergò nec plures.

Respondetur. Partes illas non esse distinctas nisi potentia, pluresq; quoad esse partium, nonnisi potentia.

DIFFICULTAS II.

An divisibilitas & impenetrabilitas sit primò essentialis conceptus Quantitatis?

VIdimus quòd actualis divisibilitas rei materialis, habeatur ratione quantitatis, restat discutiendum, an non sit primò essentiale quantitati, conferre hanc divisibilitatem?

Dicendum est primò. *Divisibilitatem non esse primò essentialem conceptum quantitatis.*

Probatur primò. Quia primo essentiali conceptu nihil est prius, jam autem divisibilitas in ratione quanti, supponit prius, nempe extensionem partium, ad eum modum, quo scissio materialis, supponit rem scindendam. Unde etiam non ideò partes sunt extensæ, quia sunt divisibiles, sed ideò divisibiles, quia extensæ.

Probatur secundò. Quia potest aliquid in puncto collocari retentâ eâdem quantitate, sed penetratis tantùm inter se partibus, cujus penetrationis exemplum habetur in Eucharistia. Ergò saltem divisibilitas actualis, non erit de primo essentiali conceptu quantitatis.

Probatur tertiò. Res spiritualis & non quanta dividi potest. Ergò divisibilitas, non est primò essentialis conceptus quantitatis. Antecedens probatur instantiis; nam imprimis potest dividi unus gradus gratiæ ab alio, item in sententia admittente unionem spiritualem, potest una illius pars ab alia dividi, membro abscisso, & sic in multis aliis. Consequentia autem principalis per hoc probatur. Quia quod est de primò essentiali conceptu alicujus, illi nonnisi soli, convenire potest, licèt autem Aristoteles per divisibilitatem explicet continuum, explicat nonnisi descriptivè, tanquam per aliquid aliquomodo notius.

Dicendum est secundò. *Impenetrabilitatem non esse de primò essentiali conceptu quantitatis.* Est conclusio contra Arriag. Ovied. Pontium, & quidem quòd impenetrabilitas actualis non sit de essentia quantitatis, constat exinde, quia retentâ quantitate, possunt se penetrare divinitùs duo corpora. Restat controversia de exigentia impenetrabilitatis, quam non esse de essentia quantitatis.

Probatur primò argumento communi. Quod sic proponitur. Vel quantitas exigit impenetrabilitatem respectu cujuscunque entis, vel tantùm respectu certorum entium: Non primum: Quia quantitas non exigit ne penetretur à spiritibus, quod ipsum in hoc resolvitur, quia ista impenetrabilitas exigitur à corporibus ad possessionem loci, per quam excludant se mutuò, benè autem in eodem loco stare possunt, Quantum & Spiritus, imò etiam corpus quantum sed glorificatum, titulo doni penetrabilitatis: Non etiam dici potest secundum; quia quæcunque sunt entia, respectu quorum quantitas exigit impenetrationem, hæc ipsa sunt quanta. Ergò explicare quantitatem per impenetrationem quantitatum, est explicare quantitatem per quantitatem, adeoque obscurum per obscurum. Consequentia probatur. Quia in ista sententia, si quæratur, quid sit quantitas? respondebitur est accidens exigens impenetrationem: Si quæratur quid est exigere impenetrationem? est exigere ne corpus

Quantum insinuet se in intimas partes hujus Quanti; restatq; , quærere quid corpus quantum,quæ item partes quanti ?

Probatur secundò. Si primò essentialis conceptus quantitatis, esset exigentia impenetrabilitatis, deberet esse exigentia talis,ut nec divinitus stante quantitate res penetrari possit; sed potest penetrari ut ipsi oppositi docent; dicunt enim impenetrabilitatem competere quantitati, per ordinem ad potentiam naturalem,sequela autem principalis probatur. Primò essentialis conceptus Angeli,est, esse substantiam intellectivam completam: Primò essentialis conceptus hominis est esse animal rationale radicaliter acceptum,quæ radices (& sic de reliquis) sunt tales, ut nec divinitùs quidquam agi possit,quod sit contra illam exigentiam.

Respondebis primò. Quamvis penetretur quantitas, semper tamen manet primò essentialis conceptus,nempè exigentia, ne penetretur.

Contra. Quia non tantùm est in homine exigentia ut sit animal rationale, sed actu nihil illi oppositum fieri potest. Ergò idem in præsenti fieri debet.

Respondebis secundò. Rationale potest assumi à DEO ad producendum actum rugiendi,quamvis non vitaliter,imò de facto rationale,exercet actiones sensandi. Ergò etiam & exigentiæ impenetrabilitatis,oppositum fieri potest.

Contra. Quia quòd actum rugiendi possit producere, licèt non vitaliter , rationale , solùm resolvitur in hoc principium, quia quidlibet potest fieri à quodlibet, quod ab illo fieri non repugnat,nec datur exigentia essentialis ne elevetur ad producendum aliquid,quod naturaliter producere non potest , nec contravenire-tur prædicato rationalitatis,quia per productionem illius actûs,non reddetur rationale actu irrationale,adeoque nec sequetur contraventio exigentiæ essentiali; jam autem si penetretur actu quantitas, supposito quòd impenetrabilitas sit primò essentialis conceptus, contravenire-tur exigentiæ essentiali. Et tamen sicut rationale, non potest actu fieri irrationale, retentâ exigentiâ rationalitatis, ita nec quantitas poterit esse actu penetrata , supposito quòd impenetrabilitas sit de essentia illius. Actus autem sensandi potiùs debet exercere rationale , quia rationale est discursivum dependenter à phantasmatibus, adeoque à sensibus & sensationibus.

Respondebis tertiò. Est exigentia in forma materiali,ut esse & conservari non possit , nisi in subjecto; & tamen huic exigentiæ , oppositum fieri potest.

Contra. Quia imprimis non est de primò essentiali materialis formæ conceptu, ut esse & conservari non possit nisi in subjecto , sed id est de ratione non nisi formæ eductæ; nego autem quòd detur forma simpliciter educta, quæ tamen non actu sed potentionaliter nonnisi in esse & conservari pendeat à subjecto. Saltem enim debet dari suppletivum aliquod, si, sit, & conservetur independenter à subjecto , quod suppletivum facit ut verum sit dicere : quòd, sit, & conservetur dependenter à subjecto æquivalenter quodammodo. Hæc tamen retorsio est bona. Hinc aliter

Probatur tertiò. Primò essentialis conceptus debet esse talis , ut nulli alteri formaliter, competat etiam divinitùs, & ita non potest esse etiam divinitùs animal rationale nisi homo, hôcq; ipso daretur ens rationis,si essentia unius esset essentia alius. Sed impenetrabilitas hoc non habet , quod probatur. Possibilis est aliqua qualitas spiritualis , quæ apposita enti corporeo vel spirituali , reddat illud impenetrabile, quæ tamen qualitas non erit quantitas,quia potest nullam dicere extensionem , possibilisq; est qualitas condistincta à quantitate, reddens tamen ens impenetrabile , sicut opposita alia datur qualitas,v.g. corporis glorificati , quæ adfert penetrabilitatem. Et si dicas hoc ipso illam qualitatem fore quantitatem , quia adferet impenetrabilitatem. Hoc ipsum erit quod negabitur.

Objicit primò Ovied. Punctum habet essentiam quantitatis, & tamen neque habet extreitatem partium in ordine ad se nec in ordine ad locum,nec ullam divisibilitatem , & tamen habet impenetrabilitatem. Ergò impenetrabilitas est primò essentialis quantitatis conceptus.

Respondetur. Nego in sententia Aristotelis puncto impenetrabilitatem convenire , de quo infrà,sed posito, quòd etiam conveniret illi impenetrabilitas,negari potest puncto convenire debere essentiam quantitatis.

Objicit secundò idem. Possibilis est quantitas indivisibilis, quæ certè non esset extensa,sed ex eo solùm foret quanta , quia esset impenetrabilis. Ergò essentia quantitatis, solâ stat impenetratione.

Respondet primò recentior Suar. Negando possibilem esse talem quantitatem , rationem dat. Tum quia repugnat corpus simplex. Tum quia talis quanti medietatem posset Deus annihilare. Tum quia, si tali quantitate constaret v. g. palmus, ille palmus haberet duos semipalmos,quorum quilibet excluderet alium, hoc autem est esse extensum. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia negatur implicare corpus simplex. Tum quia est petitio prin-

principii, scilicet illius quantitatis medietatem esse annihilabilem, siquidem argumentum assumit illam fore indivisibilem. Tum quia, quando unus palmus excludit alium, hoc facit, non penetrando illum, hinc petendo nonnisi principium, ad probandum illi quantitati competere impenetrabilitatem, assumitur, competere illi, quòd unus palmus, excludat alium.

Respondetur secundò. Si procedat argumentum de quantitate, quæ non sit punctum & tamen sit indivisibilis, poterit adhuc salvari quantitas ratione extreitatis partium in ordine ad se, quę competere potest etiam rei indivisibili & penetratæ, ut contingit in Eucharistia.

Objicitur tertiò. Omni quanto soli & semper convenit impenetrabilitas. Ergò est illa definitiva quantitatis, adeoque primò essentialis conceptus illius.

Respondetur, quòd impenetrabilitas non omni nec semper quanto competat, arguit ipsa actualis penetratio, ut assumptum est in argumento tertio. Deinde ad primum essentialem conceptum requiritur, etiam ratio primi, hinc quamvis omni homini, soli, & semper competat risibilitas, nihilominus esse risibile, non est definitivum hominis nec primò essentialis illius conceptus: non habet autem impenetrabilitas in quantitate rationem primi.

DIFFICULTAS III.

An extreitas partium in ordine ad se, sit primo essentialis Conceptus quantitatis?

REfutatis prædictis sententiis, restat ut concludatur de primò essentiali conceptu quantitatis, de quo *sit*

Punctum Difficultatis I.

Proponitur Conclusio & probatur.

DIcendum est. *Primò essentialem conceptum quantitatis, esse, Extreitatem partium in ordine ad se.*

Explicatur Conclusio. Extreitatem duplicem communiter attribuunt Philosophi, quantitati, *primò* extreitatem seu extensionem partium in ordine ad se. *Secundò* extensionem partium in ordine ad locum. Extensio partium in ordine ad se, in hoc stat, quòd quantitas reddat corpus ita se habens, ut licèt partes omnes eodem loco concludantur, non omnes tamen immediatè uniuntur omnibus, sed hæc quidem illi, illa alteri. Et ita caput Christi in Eucharistia immediatè unitur collo, & non pectori. Quod ipsum non ita est intelligendum, quasi ratio uniti habeatur à quantitate, hæc enim habetur ab unione, sive illa sit distincta, sive indistincta, sed quod ratio successionis, (ut ita dicam) colli ad caput, humeri ad collum, habeatur ab extreitate collata à quantitate, quod etiam infrà repetitur. Extensio autem partium in ordine ad locum in hoc stat, ut corpus parte sui, partem loci, & toto se, totum locum occupet. Quam quidem extensionem partium in ordine ad locum, dupliciter accipere insuper possumus. *Primò* cum actuali commensuratione ad locum, & hæc communiter non dicitur esse, de primò essentiali conceptu quantitatis, defacto enim Christus in Eucharistia retinet suam quantitatem, & tamen pars corporis illius, non respondet parti loci. *Secundò*, sumi potest extreitas partium in ordine ad locum non actualis, sed aptitudinalis, per quam connaturaliter exigat parte sui, partem loci, toto se, totum suum locum occupare, quo sensu hanc sententiam defendit recentior Suar. Metaph. Tract. 3. l. 25. Sed in contra.

Probatur Conclusio primò. Ad primò essentialem conceptum requiruntur tria. Primò, ut sit ita primus ne detur illo prior. Secundò, ut reliqua illius entis prædicata in illo infundantur. Tertiò, ut soli illi enti competat. Sed hoc totum conveniet extreitati partium in ordine ad se, per ordinem ad quantitatis conceptum.

Quoad Primum probatur Minor. Quia sicut ipsâ entitate rei nihil est physicè prius in re, ita & partibus illius, adeoque & extensione earundem per ordinem ad se, quid enim est hoc prius? Deinde prius est, rem esse in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud. Ergò etiam prior est extreitas in ordine ad se, præ extensione etiam aptitudinali in ordine ad locum. Denique non videtur per locum intrinsecum sequi, ex impossibilitate loci, impossibilitas quantitatis. Ergò locum, in suo conceptu, non debet dicere quantitas.

Quoad Secundum probatur Minor. Bona est hæc consequentia: Corpus est impenetrabile, ergò habet extensionem partium in ordine ad se; Bona item hæc consequentia; Corpus habet extensionem aptitudinalem in ordine ad locum. Ergò etiam habet extensionem partium in ordine ad se. Bona item hæc consequentia: hoc corpus est divisibile quantum est ex se. Ergò habet extensionem partium in ordine ad se. Ex quibus & aliis colligitur nullum prædicatum esse reperibile in quantitate, quod non præsupponat extreitatem partium in ordine ad se.

Quoad Tertium probatur. Si enim alicui competeret extensio partium in ordine ad se, & non quantitati, competeret maximè ipsi entitati rei: Sed hoc non potest dici, quia nulla datur aptitudinalis locabilitas, impenetrabilitas, vel divisibilitas entitativa, independenter à quantitate. Ergò nec extreitas partium in ordine ad se, entitativa. Et si daretur entitativa extreitas independenter à quantitate, daretur

æquale vel inæquale independenter à quantitate, ratione scilicet extensionis illarum partium, consequenter daretur species quantitatis, hoc est æquale vel inæquale sine genere, quia sine quantitate.

Probatur secundò. Primò essentialis conceptus quantitatis, non est divisibilitas, ut probatum, nec impenetrabilitas, nec extensio partium in ordine ad locum aptitudinalis, ut probo. Ergò sola extensio partium in ordine ad se, erit iste conceptus, quid enim præter hæc importat quantitas? Quòd autem aptitudinalis extensio in ordine ad locum non sit primò essentialis conceptus. Sic probatur. Quia impossibili omni loco, possibilis adhuc esset quantitas, quæ enim in hoc implicantia?

Probatur tertiò. Quia videtur Aristoteles in hoc constituisse essentiam quantitatis; dicit enim *continuum esse divisibile in ea quæ insunt*, ubi per divisibile non intelligit meram partitionem, non enim daretur partitio, redacta ad punctum quantitate, & tamen manere posset quantitas. Debet ergò potiùs nomine divisibilis, accipere extensum vel extreisatum, hoc enim ipso, quia hoc non est unitum huic, est divisibile ab hoc, termini autem illi, *in ea quæ insunt*, videntur idem importare, quod ad partes in ordine ad se.

Punctum Difficultatis II.

Solvuntur Objectiones.

Objicit primò Pontius. Extreitatem partium in ordine ad se, seclusâ omni quantitate, continet materia. Ergò hæc extreitas non est de primo essentiali conceptu. Antecedens probatur. Substantia hominis independenter ab omni quantitate exigit partem substantialem manûs, pedis &c. & illæ partes semper sunt extensæ invicem, nisi fiat miraculum, ad eum planè modum, quò quantitas, se ipsâ exigit, ut partes illius quoad se, extreitatem habeant.

Respondetur. Negando Antecedens, seclusâ enim quantitate, non erit figura manûs, figura enim revocatur ad quantitatem, quòdsi illîc non erit figura manûs, nec erit manus. Sed quidquid sit de hoc, dici potest quod substantia hominis exigat manum & pedem divisibiliter & extensè ponibilem, naturaliter loquendo, quia etiam exigit quantitatem, sed non exigit pedem divisibiliter & extensè ponibilem, in ordine ad se, independenter ab exigentia quantitatis, sine qua haberet partes intra se, non extra se, haberetq; partes entitativas, non partes cum extreitate in ordine ad se. Dici etiam potest, quòd substantia hominis completè spectata, deposcat etiam quantitatem, aliaq; accidentia, quod conformiter defendi debet ad dicta circa formas partiales. Quare autem, licet se ipsâ habeat quantitas partes extra partes, non sequatur materiam se ipsâ habere partes extra partes, id defendi debet conformiter ad dicta supra in simili, de divisibilitate. In sententia autem admittente formas partiales, dici potest substantiam hominis, non exigere extreitatem illarum partium, seclusâ quantitate, sed solas formas illas substantiales, earumq; ad materiam unionem, extreitatem autem ipsarum partium habet ratione quantitatis.

Instat primò idem. Substantia hominis connaturaliter loquendo exigit manum, non esse unitam immediatè pedi. Ergò exigit habere partes extra partes.

Respondetur. Substantia hominis, sicut connaturaliter exigit habere quantitatem, ita exigit connaturaliter manum, non esse immediatè unitam pedi; independenter autem à quantitate, non exigit immediatè illam uniri pedi, nec mediatè: Non immediatè, quia hoc esset exigere contra symmetriam à natura intentam; non mediatè, quia si hoc exigeret, exigeret dependenter à mediis; ut autem non nisi mediatè collum uniatur pedi, id habetur tanquam à medio, à quantitate; consequenter substantia hominis exigit manum non esse immediatè unitam pedi, sed non nisi dependenter à quantitate.

Instat secundò idem. Prius est habere substantiam partes substantiales extra partes, & unitas, ita ut immediatè manus non uniatur pedi, quàm habere quantitatem, quod ipsum probat. Quia de conceptu corporeæ substantiæ ut sic, est habere pluralitatem partium, per quod etiam condistinguitur à spirituali ente; hic autem conceptus non dependet à quantitate.

Respondetur. Corpoream substantiam exigere pluralitatem partium, entitativarum, sed non extreitatem illarum, de contradistinctione autem corporis à spiritu in materia de Angelis dicitur.

Instat tertiò idem. Substantia elephantis exigit majorem quantitatem præ substantia hominis, cujus nulla alia ratio est, nisi quia plures partes exigit substantia elephantis. Ergò prius est habere substantiales partes, quàm exigere quantitatem.

Respondetur. Quòd substantia elephantis, majorem exigat quantitatem, ratio est; quia plures quoad entitatem partes deposcit, plus autem materiæ, deposcit (nisi fiat rarefactio) plus quantitatis. Consequenter, est quidem prius habere partes substantiales quoad entitatem, quàm habere quantitatem, sed non est priùs habere partes substantiales extreisatas, quàm habere quantitatem.

Objicit secundò idem. Substantia manûs distinguitur essentialiter à substantia oculi, quæ distinctio à quantitate haberi non potest, quæ est ejusdem rationis. Ergò substantia, habet plures partes integrales, & non à quantitate.

Re-

Respondetur. Substantiam manûs & substantiam oculi, secundùm quod hæc dicit aliam entitativè partem materiæ, aliam hæc, esse distinctas essentialiter, sed in ratione oculi & manus cùm non dentur formæ substantiales partiales, esse distinctas non nisi accidentaliter, quæ distinctio potest esse speciei accidentalis, consimilis ei, quà distinguuntur homo albus, & niger; petibilis etiam à distinctis specie figuris, sub eadem quantitate contentis. Independenter autem ab hac sententia distinguitur consequens. Ergò substantia habet plures partes integrales, quoad entitatem & non à quantitate. Conced: consequentiam. Plures partes quoad extreitatem & non à quantitate. Neg. consequentiam.

Instat idem. Certum est quòd non à quantitate habeat homo, quòd oculus non sit unitus manui immediatè, cùm enim quantitas sit ejusdem rationis, non potest concipi, quomodo faceret oculum unitum potius capiti, quàm manui.

Respondetur. Rationem unius præcisè non haberi à quantitate, sed rationem uniti cum extreitate, secundùm rationem extreitatis, haberi à quantitate, ut autem immediatè vel mediatè aliquid uniatur, referri debet in exigentiam naturæ humanæ, talem sibi constitutionem corporis vendicantem.

Objicit tertiò idem. Si substantia hominis spoliaretur in instanti suâ quantitate, quomodo hæc non occuparet eundem locum, & non haberet eandem extreitatem in ordine ad se?

Respondetur. Ipsâ ablatione quantitatis, sine ullo motu locali, redigendam illam esse in punctum ut dictum suprà, dicetur; infrà. Ut autem illa substantia confluat ad hoc potius punctum loci quàm ad aliud, dico determinationem spectare ad Deum; casu autem quo Deus nollet hoc determinare, nec in priori etiam posset velle spoliare quantitate substantiam, quia velle spoliare quantitate substantiam, est velle spoliare extensione, velle spoliare extensione, est velle redigere ad punctum, velle autem redigere ad punctum est velle redigere ad punctum determinatum, neque enim potest in indeterminato puncto manere substantia, cujus determinatio cum à nullo alio fieri possit, fieri deberet à Deo, ex suppositione voluntatis spoliandi substantiam quantitate. An autem teneri posset, eò casu non redigendam ad punctum loci quantitatem, de hoc infra.

Instat idem. Nulla est ratio unde colligatur quòd substantia accipiat extensionem partium à quantitate potius, quàm quantitas à substantia.

Respondetur. Cùm non probetur rationem quantitatis in alio stare, quàm in extensione partium in ordine ad se, hinc dici potest: Nulla ratio formalis hoc quod ipsa tribuit accipit à subjecto, ita disgregativitatem visûs, non desumit albedo, à pariete; Et quia ratio formalis quam tribuit quantitas, est, ex dictis rationibus, extensio partium in ordine ad se, ideò eam non debet accipere quantitas à substantia.

Objicit quartò Mastrius disp 9 n. 4. Extreitatem hanc partium, habet substantia corporea ex se citra quantitatem; nam utiq; citra quantitatem distinguitur essentialiter à substantia spirituali.

Respondetur in primis, non distinguitur corpus à spirituali per partes, hinc etiam indivisibile, sive continuativum, sive terminativum quantitatis, non est quid spirituale. Deinde si per partes, est necesse distingui rem corpoream à spirituali, licet extreitas partium entitativarum, pendeat à quantitate, cùm in nostris principiis independenter à quantitate habeatur pluralitas partium entitativarum, per eas poterit distingui res corporea à spirituali re, idque dependenter à quantitate.

Instat. Cùm quantitas in substantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota substantia, vel pars in parte, vel tota in substantia indivisibiliter? Si primum? Ergò pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatem; Si secundum, Ergò accidens divisibile, recipitur in subjecto indivisibili.

Respondetur. Quòd recipiatur quantitas in partibus entitativis substantiæ, non tamen in partibus antecedenter extreitatis, nec enim illi, ut dictum aliàs, potest tribuere partes substantiales, sed illas supponit; licèt partibus substantialibus tribuat extreitatem, estq; alia pars quoad entitatem in capite, alia in pede, ita tamen ut illis entitatibus, extreitas, independenter à quantitate, non conveniat.

Objicit quintò. Aversa apud eundem in simili. Extensio hæc partium in toto, non est distincta à partibus entitativis, vel saltem non potest concipi sine illis, neque è contra: unde cogitari nequit substantia corporea, cum distinctione entitativa partium, sine unione & continuatione illarum ad invicem, nam si conciperetur sine unione illarum facta, per indivisibilia substantialia, jam non esset entitas corporea, sed potius indivisibilia resoluta, & si concipitur cum unione partium, concipitur necessariò cum aliquo ordine illarum adinvicem, quia indivisibile quod copulat partem A. cum parte B. non utique copulat immediatè cum parte C, & nec mente concipi potest substantia corporea, sine tali ordine, ita ut unaquæque pars sit omnibus & singulis immediatè unita, & non potius una mediante alia.

Respondetur. Admittimus quidem partes entitativas independenter à quantitate, sed non extensionem entitativam, licèt extensio præsupponat partes entitativas. Unio autem partium, duplex cogitari potest, una localis, secundùm

quam una penetrat aliam, & est illic, ubi est alia: & hæc non tantùm non habetur à quantitate, sed potius excluditur: Alia unio successionis, vel potius ipsa successivitas, in quantum extreitas hujus, immediata est extreitati illi, quamvis localiter nulla sit extreitas, & hæc habetur à quantitate, negoq; illam haberi non posse in iis quæ in ordine ad locum extreitatem non habent. Immeritò etiam supponit argumentum, dari indivisibilia substantialia continuativa. Sed quidquid sit de hoc: Concedo quod si conciperetur substantia cum unione successionis, concipiatur necessariò cum aliquo ordine illarum, ad invicem; sed nego hunc ordinem, vel potius extreitatem immediatam, haberi sine quantitate, quâ ablatâ, erit quidem entitas corporea, immò in nostris principiis etiam tunc habebit partes, non tamen divisibiles, quia divisibilitas tota habetur à quantitate, ut dictum supra. Nego ulterius non posse concipi substantiam corpoream, sine tali ordine extreitatis & successionis, nec erunt tunc in illa substantia corporea solùm indivisibilia resoluta, sed partes entitativæ plures penetratæ, & ob ablatam quantitatem hîc & nunc, non divisibiles.

Instat primò Mastrius. Etiam talis ordo partium haberi potest sine quantitate, ut patet in corpore humano, quod ut sit idoneum animæ subjectum, petit talem dispositionem partium inter se, quæ appellari solet organisatio substantialis, sublatâ quantitate.

Respondetur. In organisatione duo sunt, *unum* formæ partiales per alios, vel dispositiones accidentales, *aliud* ita formatæ materiæ & partium extreitas: prius illud habetur independenter à quantitate, sed negatur ibi haberi hoc posterius.

Instat secundò quidam. Hic conceptus quantitatis competit etiam intensioni, nam etiam gradus caloris ita exigunt uniri, ut primus non uniatur immediatè tertio, sed mediante secundo.

Respondetur. Numeralis & computi extreitas, potest competere intensioni, vi cujus, à secundo supponitur primum; sed non competit Intensioni de se, extreitas præexplicata.

Instat tertiò idem. Posse hunc ordinem servari, etiamsi materia spolietur omni quantitate. Sed de hac instantia infrà.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de Materia spoliatâ omni quantitate?

Contra prædictam Conclusionem posset adhuc objici tale argumentum. Sublatâ quantitate non est necesse tolli unionem; si non tollitur unio: Ergò sublata quantitate, immediatè caput unitum manet collo: Ergò ulterius sublatâ quantitate, est extreitas partium in ordine ad se. Quod ipsum ulterius trahit secum hanc difficultatem, quia spoliata substantia omni quantitate, si non manet cum extreitate in ordine ad se, quod & quale spatium occupat? quæ difficultas est quidem superiùs tacta, repeti tamen altiùs debet.

Quoad primam partem.

Assero I. *Sublatâ quantitate, posse saltem divinitùs non tolli unionem substantialem.* Quæ enim in hoc implicantia?

Assero II. *Sublatâ quantitate, non tolli etiam unionem continuativam inter se.* Ratio. Quia ut infra dicetur, unio continuativa nihil aliud est quàm negatio terminorum. ablatione autem quantitatis, nulli ponuntur termini.

Assero III. *Sublatâ quantitate, quamvis non tolletur unio continuativa, non maneret tamen extreitas partium in ordine ad se.*

Ratio, quia ante in statu scilicet habitæ quantitatis, ita erat unitum collum capiti, ut diceret ratione extreitatis, negationem unionis cum aliis partibus, quam negationem, jam non dicit, sublatâ quantitate, adeoq; nec extreitatem, in qua tamen extreitate stat quantitas. Et certè & esset tunc immediatè unita pars huic, & non alteri, & non esset: Esset ut supponitur, cum supponatur manere extreitas partium in ordine ad se; non esset autem, quia non potest immediatè uniri huic nonnisi, quando absolutè ab alia, nullam dicit extreitatem, non in ordine ad se, quia hæc habetur à quantitate quæ censetur sublata, non extreitatem in ordine ad locum, quia supponitur, tunc haberi penetratio.

Quoad secundam partem. Nempè quod & quale spatium occupet substantia spoliata omni quantitate?

Dici hæc possent. *Imprimis*, quòd occupet nonnisi punctum spatii, non hoc sensu, quòd spoliata substantia designet in loco divisibili aliquid indivisibile, de quo inferius, sed quia in se spectata nihil divisibile habet, locabilitasq; illius intrinseca, est indivisibilis. *Secundò.* Cogitari posset, quòd non redigatur quidem in punctum, sed occupet certum spatium, ita tamen ut totum sit in toto, & totum in qualibet parte, idq; ideò, quia seclusâ omni quantitate, entitas materiæ elephantis major est entitate materiæ formæ. Ergò & locabilitas, & sicut potest inæqualitas entitativa tribui independenter à quantitate, sic & locabilitas inæqualis, ita ut minoritas cum intreitate, possit competere substantiæ, independenter à quantitate, licet non minoritas cum extreitate. Et sicut Christus in majori hostia plus occupat spatii quàm in minori, nihilominus Christus in Eucharistia non habet extensionem localem. Ergò etiamsi plus occuparet spatii moles corporea elephantis, præ mole formicæ, non inde sequetur haberi tunc extensionem localem, quia sicut Christus est utrobiq; pene-

penetratus, & penetratio officit extensioni locali, ita & duæ illæ materiæ, supponerentur penetratæ. Tertiò cogitari potest. Quòd DEus sublatâ quantitate contineat in eodem loco substantiam, impediatq; penetrationem, ut si partes mandet teneri ab Angelis, ne coëant. *Quartò.* Cogitari potest, quòd replicet illam substantiam ut spatium idem occupet, quod antea occupabat. *Quintò.* Quòd illam collocet in toto illo spatio, ita ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, ad eum modum, quo Angelus divisibilem locabilitatis sphæram implet, sine ulla quantitate. *Vt hoc decernatur*

ASSERO I. *Illam substantiam occupaturam indivisibile spatium.*

RATIO, quia cum ipsa sit jam indivisibilis, utpotè carens omni extensione, quæ à quantitate haberi debet, nullum alium habet titulum, divisibile spatium occupandi.

ASSERO II. *Pluribus partibus entitativis Materiæ, v.g. elephantis præ materia v.g. formicæ, non debetur occupatio majoris spatii loci.*

RATIO. Tum quia, concessis pluribus partibus materiæ elephantis, præ partibus materiæ corporis formicæ, non sequitur, plus spatii mole suâ occupare debere materiam elephantis. Quod ipsum probatur. Quia in Eucharistia minùs materiæ debetur CHRISTI digito, quàm toti corpori CHRISTI, & tamen non plus occupat spatii totus CHRISTUS quàm ejus digitus. Ergò ex pluralitate præcisâ partium, non sequitur occupatio majoris spatii. Tum quia tota occupatio spatii, non provenit ex mole, sed provenit ex extensione locali, & non penetratione simultaneâ, cujus oppositum, convenit illi materiæ. Ergò etiam ex vi ejusdem penetrationis, tantundem occupabit spatii, plus, aut illud quod minùs est, materiæ. Tum quia rationes in oppositum adlatæ non convincunt; nego enim dari ullam locabilitatem entitativam eamque divisibilem, sicut nulla datur divisibilitas entitativa, de quo supra; quòd debeat dari majoritas entitativa, deducitur ex illo principio, quia partes entitativæ præsupponi debent ante quantitatem: nullum autem principium est tribuendæ hujus locabilitatis: nec apparet quid sit minoritas cum intricitate, si locabilitatem divisibilem in re materiali trahit. Quod adferebatur de duabus hostiis majori & minori, disparitatem habet; quia major illa occupatio in majori hostia, est propter majorem inibi quantitatem panis, cui unitur, & cujus conditionem sequitur corpus Christi, jam autem major quantitas, nõ est in elephantis materia, cùm supponamus totã quantitatẽ sublatã.

ASSERO III. *Sublatâ quantitate, non posse Deum continere partes in eadem extensione locali.*

RATIO. Tum quia & maneret corpus cum eadẽ extensione locali & nõ maneret: maneret quidẽ ut supponitur; non maneret autẽ; quia tota ratio talis ejus extensionis, est quantitas, quæ si sublata est, etiam talis locatio auferri debet. Quod universaliter in hoc principium resolvitur. Quia defectum principii formalis, non potest DEus supplere, & ita non potest facere, ut si aliquid lucidum sine luce, album sine albedine; cùm ergò quantitas exhibeat extensionem localem in genere causæ formalis, illâ sublatâ, non poterit extensio localis haberi. Tum quia. Quamvis sine ulla quantitate possit divisibilem locum habere Angelus, coextendens se suæ sphæræ locabilitatis, id tamen habet titulo cujusdam virtualis extensivitatis, quæ in rebus materialibus nõ habetur; fundatur enim supra ipsum spirituale esse, tribuereq; rei materiali id, quod spiritibus cõvenit, est merum fingere: & sicut si Angelus nõ haberet extensivitatem localem, dicere, quòd possit etiam divinitùs occupare divisibile spatium, esset fingere: ita & in præsenti. Tum quia, si materia spoliatâ quantitate eundem divisibilem locum occuparet, & vellet illam DEus spoliare quantitate, ut supponitur, & non vellet spoliare: quia nollet illã spoliare extẽsione saltem locali, quæ in materialibus, supponit quãtitatem, nec habet supra quod aliud fundetur. Effectum quidem secundarium ut alibi dicitur potest DEus supplere, sed si cætera sint paria, & in particulari, si secundarius effectus, nõ præsupponat conjunctionem cum primario, ut extensio localis, necessario supponit extreitatem partium; extreitas autem partium tunc non habetur, quia nec habetur quantitas.

ASSERO IV. *Si Deus spoliet materiam quantitate, replicetq; eandem, tamen non poterit occupare spatium tantum, quantum occupabat ante.*

RATIO. Quia vel occuparet illa materia tantum spatium, quamvis inter replicata nihil intercedat, vel si aliquid intercedat: ita ut v. g. primo ponatur materia replicata, postea v. g. digitus quantus, succedat digito materia replicata, & materiæ replicatæ digitus, & sic consequenter. Non potest dici primũ, quia illa materia replicata, esset in punctum collecta, punctum autẽ additum puncto & indivisibili, non facit divisibile, nec occupat extensum locum, secundùm principia Aristotelis: Non potest etiam dici secundũ; Quia tunc non illa materia replicata occuparet idem spatium, sed quantum interjectum, cui additum punctum replicatæ materiæ, non faceret majus, sed deberet se penetrare cum partibus quanti, de quo etiã inferiùs redibit sermo.

ASSERO V. *Si possibilis esset modus extensivitatis materialis, consimilis ei extensivitati, quâ anima & Angelus sine ulla quantitate, occupant spatium indivisibile, tunc materia spoliata omni quantitate, adeoq; tota in toto & tota in qualibet parte existens, posset etiam occupare spatium divisibile.*

RATIO. Quia ad talem occupationẽ supponeretur nõ requiri quãtitas, cùm sine quãtitate formali, talis locabilitas cõpetere supponatur; si quis diceret eã de facto dari, fingeret: An autẽ sit possibilis de hoc non discurro, unde ex suppositâ nonnisi locabilitate tali, procedit assertum.

COLLIGES autem ex dictis, *Definitivè quantitatem esse, Accidens extrinsecativum partium in ordine ad se.*

QUÆSTIO II.

De Distinctione partium quantarum continui?

QUantitate consideratâ quoad esse, est necesse eam considerare quoad distingui; & quia posuimus essentiam quantitatis stare in extreitate partium, ad complementum sciendi, sequitur interrogatio, quomodo illæ distinguantur inter se & quidem in continuo? quia nemo dubitat distingui realiter partes in quanto discreto. In hac materia Hispani ordinariè docent esse distinctas actu, quod etiam docet ex recentioribus Hurtad. Arriag. Ovied. & Hybernus Pontius. Itali dicunt esse distinctas non nisi potentiâ. ita Alber. in prædic. quantitatis D. 3. Q. 6. n. 19. Pallavic. lib. 2. C. 7. Amic. Tom. 2. de Angelis Dp. 9. n. 180. Cabæus, quibus accessit Lusitanus recentior Suar. *Vtrag; sententiâ citat Aristotelem.*

NEGATIVA SENTENTIA citat locum imprimis ex 3. de anima, ubi asserit in linea non dari dimidia, hoc est, non dari actu sed potentiâ. Idem repetit 8. Physic. Tex 68. *In continuo*, inquit, *non sunt dimidia actu, sed potentiâ, quodsi actu fuerint, continuum non facient.* Ex 7. Metaph. Tex. 44. ait. *Ea quæ duo sunt actu, non esse unum actu, posse autem esse unum, si sunt duo potentiâ tantùm, ut unum duplum ex duobus dimidiis potentia.* Et 9. Metaph. Tex. 10. Eo modo vult esse in cubo dimidia, quo est in ligno Mercurius, quod exemplum adhibet etiam 3. Metaph. Cap. 5. Idem Aristoteles neganti Zenoni posse fieri motum localem, eo quòd in illo mobile, deberet pertransire partes spatii infinitas, respondens citato loco 8. Phys. ait: *Quare ad interrogationem si infinita aut in tempore, aut in longitudine possint pertransiri, dicendum est partim posse, partim non posse; quæ enim actu sint, non posse, quæ autem potestate, posse.* Idem sentit 1. Metaphysicor. tex. 56. Lib. item de sensu & sensibili C. 6. 5. Metaph. tex. 31. Videtur etiam congruere locus ex primi Physicor. tex. 41. Ubi homogenea asserit illa esse, quæ essentialiter non repugnat fieri idem, heterogenea autem, quæ essentialiter repugnat fieri idem. Quodsi partes in continuo essent distinctæ quî fierent idem? per Ly enim idem, non intelligit Aristoteles merè unionem: nam tàm homogeneis quàm heterogeneis non repugnat unio. Ergò per Ly idem non intelligit quòd homogenea possint fieri non distincta.

RESPONDET Gregor: Arimi: Aristotelem solùm voluisse, quòd partes in continuo non sint actu, quoad divisionem, sed non sentit quòd non sint actu quoad distinctionem. *Sed replicant negantes*: nemo enim dubitat Mercurium in signo non esse quoad divisionem, & separationem, & tamen ex Aristot. partes sunt in ligno, eo modo quo & Mercurius. Rursus cum Zeno non curavit divisionem partium, sed tantùm attendebat ad rationem spatii infiniti, non solvisset ejus argumentum: nam ursisset Zeno, quamvis spatium non sit divisum realiter, habet tamen suam infinitatem, quomodo ergò pertransiri potest. Videturque Aristoteli consentire S. Thom. ad 8. Physic. textum. 37. Pars in toto non est in actu, sed in potantia, maximè in Continuis.

AFFIRMATIVA etiam sententia citat pro se Aristotelem 5. Metaphys. Cap. 13. ubi quantum definit, esse illud, quod est divisibile in ea, quæ insunt. Primi item Physicor. Tex. 17. differens contra Melissum, qui censebat omnia esse unum, probat illud unum non posse esse Continuum, quia aliàs esset multa, si autem distinctionem partium non admittit Aristoteles, quomodo essent multa in Continuo 6. Physicor. Tex. 2. *Continuum*, inquit, *habet hoc quidem aliam, illam verò aliam partem.* 7. Physic. loco tertio ubi asserit, ea quæ habent diversam generationem & corruptionem, esse distincta, in nutritione autem animalis partes, quantumvis homogeneæ, habent diversam generationem & corruptionem. Cap. item de quantitate. Continuum, censet idem esse, cujus partes copulantur termino communi, si autem partes non sunt actu, quomodo copulantur? nam copulatio duorum est.

RESPONDERI potest ad illum locum ex 5. Metaph. cum recentiori Suar. Continuum divisibile esse in partes non actu realiter distinctas, sed distinctas realiter potentiâ. Aliâ viâ iisdem auctoritatibus satisfieri potest. Alia est hæc propositio, actu sunt in continuo partes. Et alia hæc est: In continuo sunt partes actu, nam prima solùm importat esse in continuo actu entitatem, cui competat denominabilitas & determinabilitas ad esse partis, quod concedi potest. Secunda autem propositio, esse actuale partium importat, in ratione & denominatione partium, quod non asserit Aristoteles. Per illos itaque continuum esse divisibile in ea quæ insunt quoad entitatem, licèt non quoad esse actuale, determinationem denominationemque partium. Melissoque sentienti omnia esse unum & indivisibile benè opponere poterat, Continuum, quod est divisibile actu in partes, licèt non in partes actu, ante divisionem distinctas. Præmissis auctoritatibus sit insuper

DIF-

DIFFICULTAS I.

Proponitur & probatur defendenda sententia.

DICENDUM est I. *Partes in continuo esse distinctas actu quoad entitatem.* Hæc Conclusio debet esse utriq; parti communis.

PROBARI primò solet. Tum quia competunt diversa prædicata dividi non dividi, esse in hoc loco, non esse in hoc loco, existere non existere, potest enim annihilatâ unâ parte guttæ, non annihilari altera, debent ergò realiter esse quoad entitatem distinctæ. Tum quia producens primò & productum primò, debent esse distincta realiter quoad entitatem, sæpè autẽ in continuo igne, ignis una pars, est producens, & altera producta. Tum quia, si non essent quoad entitatem distinctæ ille partes, & quidem quoad habitionem actualem entitatis distinctæ, ne divinitùs quidem separari possent, quia quorum eadem entitas, illa inseparabilia sunt. Tum quia si partes non habent distinctam entitatem, sed eandem cum toto, æquales erunt toti. Tum quia dicunt ad se relationem realem distantiæ, ut locus cœli versùs polum arcticum, cum loco cœli versùs polum antarcticum. Relatio autem realis debet esse inter terminos realiter distinctos. Tum quia, si partes continui idem essent quoad entitatem, etiam partes materiæ quæ continua est, essent idem quoad entitatem: & sicut per divisionem fit & esse & distinctio partium, ita fieret per divisionem esse, & distinctio partium materiæ: consequenter materia per divisionem acciperet esse, sicut per divisionem esse accipiunt partes continui, cùm tamen materia sit ingenerabilis & incorruptibilis, à nullo; agente naturali poni potest à parte rei: nam quæcunque pars illius, est subjectum primum, subjectum autem primum, non nisi actione creativâ producitur.

PROBATUR II. Quando duæ guttæ secum conjunguntur vel retinent suas entitates vel non? Si non retinent? Ergò sunt annihilatæ. Ergò neque sunt conjunctæ, conjunctio enim illarum, non est conjunctio in nihilo. Ergò ulteriùs ex illis duabus non est totum homogeneum majus, majus enim homogenei, est à majori entitate, major autem entitas non est, quia neque est accessus plurium entitatum: Si autem illæ guttæ retinent suas entitates, Ergò est illîc entitas: nam sicut duo non aliud est, nisi unum & unum, ita & entitates non aliud sunt nisi entitas & entitas. Ergò est illîc ratio aliùs & aliùs. Ergò & distinctio: nam hæc est alietas unius ab alio.

PROBATUR III. Quando separatur gutta à gutta, separatur entitas guttæ & guttæ, tunc quæro vel separatur entitas guttæ, quæ præextitit, vel quæ non præextitit? Si separatur entitas guttæ quæ non præextitit. Ergò illîc non est separatio, cùm nihil sit quod separetur, essetque illîc potiùs productio quàm separatio: Si separatur entitas guttæ quæ præextitit. Ergò illîc est entitas & entitas guttæ, ergò & distinctio entitatis guttarum; nam per hanc non aliud intelligimus, quàm negationem identitatis.

DICENDUM est II. *In Continuo quà tali, non esse distinctionem actualem partium in ratione partium.*

PROBATUR I. Si partes essent distinctæ actu in ratione partium, in continuo vel essent omnes distinctæ, vel non omnes? Si non omnes. Ergò nullæ ob paritatem rationis: Si omnes; Ergò ventum est ad indistinguibilia, si ventum est ad indistinguibilia, Ergò ad indivisibilia, quæ ultima consequentia quia negari potest, sic alteriùs urgetur. Accipiamus partem indistinguibilem, quæro potestne dividi vel non potest? si non potest? Ergò ventum est ad indivisibilia; si autem potest dividi? membra divisa vel distinguuntur, vel non distinguntur? si distinguntur? Ergò in indistinguibili adhuc erunt distinguibilia, nec accepisti partem non ulteriùs distinguibilem, ut supponebamus. Si autem membra illa divisa non distinguuntur, Ergò nec sunt divisa, quia si non distinguuntur, nec dicunt alietatem, si non dicunt alietatem, dicunt identitatem, si dicunt identitatem, Ergò neque divisa sunt, idem enim à seipso non dividitur.

RESPONDET ALIQUIS: Partes non communicantes distingui realiter adæquatè inter se, partes tamen communicantes distinguuntur non nisi realiter inadæquatè.

CONTRA. Tum quia in partibus non communicantibus ventum jam esset ad indistinguibilia, adeoque ad indivisibilia ut probatum. Tum quia partes non communicantes distinguuntur realiter adæquatè. Ergò & partes communicantes distinguuntur realiter adæquatè, quia nulla est assignabilis pars, quæ sit necessariò cum aliqua certa communicans, ab omni enim parte, habet destruibilem continuationem. Tum quia, partes non communicantes, quamvis sub aliqua formalitate sint communicantes, hôc non obstante distinctæ sunt tamen realiter, quamvis non sub formalitate communicantium, certè enim quamvis una ulna, cum altera ulna non sint communicantes, tamen in ordine ad constituendum sesquiulnam sunt communicantes. Ergò etiam partes communicantes, quia sub aliqua formalitate possunt fieri ad invicem non communicantes, distinguuntur realiter, quamvis non sub for-

formalitate communicantium. Sic v. g. Petrus & Paulus, quamvis in ratione constituentium unum par, non sunt distincti realiter adæquatè, tamen in ratione individui, & quia non necessariò constituunt istud par, sunt distincti realiter, ita & partes communicantes non erunt distinctæ realiter adæquatè, in ratione communicantium, tamen quia non necessariò constituunt rationem communicantium cum aliqua certa parte, verè erunt distinctæ inter se.

Respondet secundò Maurus Qu. 40. dando regulam, cur aliquæ partes distinguantur actu, aliquæ potentiâ. Et regula quidem intrinseca, pendet ex ipsa natura intrinseca rerum continuarum, statque in hoc; quia res perfectiores æquivalent pluribus, imperfectiores paucioribus, & hoc ostendit inductio, hinc DEus perfectissimus, quia æquivalet omnibus, Angeli perfectiores homine, quia pluribus illo æquivalent. Ita etiam continuum homogeneum potest æquivalere pluribus homogeneis, ex quibus constat potentiâ non actu. Quædam ergò partes quæ ita sunt magnæ, ut repugnet limitationi continui, quòd detur aliquid ipsis æquivalens, ideoque distinguuntur actu, quædam distinguuntur solùm potentiâ, quia propter suam parvitatem non repugnat limitationi continui, quòd detur aliquid ipsis æquivalens. Regula autem extrinseca est, quæ pendet ab aliquibus extrinsecis, nempè illæ partes quæ habent aliquam homogeneitatem vel coexistentiam ad contradictoria, constistentem in indivisibili, distinguuntur actu; quæ autem hoc non dicunt, quantùm ex hoc capite distingui possunt solùm potentiâ.

Contra est, quia in communiori sententia, quæ assignat distinctionem partium formaliter post assignationem, nihil erit difficultatis; sed redibit difficultas, an independenter ab assignatione sint partes distinctæ actu, & an omnes, an aliquæ? Quod autem attinet ad regulam illam intrinsecam, positis duobus continuis hac gutta B. & hac gutta A. sequitur quidem illas duas guttas distingui ob æquivalentiam ad invicem, & continentiam minorum partium, sed redit interrogatio, an partes etiam guttæ inter se actu distinguantur, an omnes, an aliquæ? Rursùs ex dictis jam, non tantùm sit æquivalentia in gutta B, partium ad 10, sed ad 99, sed & ad 98, vel omnes illæ sunt actu distinctæ, vel non omnes? Si non omnes? Contra erit, quia non est major ratio unius quàm alterius; si omnes? ergò ventum erit ad indivisibilia, quia indistinguibilia.

Hôc tamen argumento isti qui tenent partes proportionales in infinitum divisibiles ægrè uti possunt, si censeant partes esse quoad entitatem distinctas, ut censent omnes, & recentior Suar. hîc num. 39. Nam quæri ex illis potest, an omnes sunt distinctæ actu quoad entitatem, an non omnes? Si non omnes, non est major ratio de una quàm de altera; Si omnes, ventum erit ad indivisibilia, quoad entitatem, quia ad indistinguibilia.

Probatur II. Fundamento accepto ex S. Thom. si partes in ratione partium distinguuntur realiter actu. Ergò partes in ratione partium, sunt alia & alia pars: nam omnis distinctio alietatem importat; Si autem partes continui, in ratione partium, sunt alia, & alia pars, Ergò sunt partes illæ individuæ, quia scilicet in illis est principium essendi, hoc, & non aliud; sed partes continui in ratione partium, non sunt individuæ, nam individuum est, quod est indivisum in se & divisum à quovis alio, quod certè partibus continui, utpotè continuatis cum aliis, non convenit.

Probatur III. Quia quæcunque definitio tradatur partis formaliter, quâ pars est, constinguendo partem materialiter sumptam, seu partem quoad entitatem, nisi instituatur quæstio de voce, advertetur, quoad esse formale partium, non inveniri illibi distinctionem. qui ipse medius terminus sic aliter proponitur. Pars in ratione partis formaliter, constituitur terminis, quod enim aliud est illius constitutivum? finge enim rem non habere terminos, nisi illos quos totum, non erit pars, sed totum, utpotè commensurabilis toti; apparet ergò illam in continuo constitui terminis inæqualibus toti; consequenter, sicut quando non ponitur terminus substantiæ, illa substantia non constituitur in ratione suppositi; ita nec pars in ratione partis, constitui poterit nisi terminis. Sed partes in continuo non sunt formaliter terminatæ. Tum quia si partes continui sunt formaliter terminatæ, vel essent terminatæ omnes, vel non omnes? Si non omnes, cur hæc potiùs quàm illæ? Si omnes, ergò non sunt ulteriùs terminabiles; tunc pone illas dividi, si illæ partes non sunt indivisibilia, divisæ terminabunturne vel non? si terminabuntur, ergò non accepisti partem ulteriùs non terminabilem; si non terminabuntur, ergò potest aliquid esse divisum, & non habere terminos. Tum quia, si omnes partes in continuo essent formaliter terminatæ, hoc ipso illud continuum, non esset continuum formaliter, nam continuatio dicit exclusionem terminorum. Tum qnia, si partes continui sunt formaliter terminatæ, debebunt habere omnem possibilem sibi rationem termini, non est enim ratio major de quibusdam, quàm de aliis terminis; sed non possunt habere omnem rationem termini, quia aliàs haberent omnem possibilem figuram, cùm figura non sit aliud nisi aliter & aliter terminata quantitas: non habent autem omnem possibilem figuram, quia aliàs in ligno rudi, jam esset formaliter actu Mercurius.

Con-

Confirmatur. Si partes in continuo essent omnes actu distinctæ, vel essent finitæ vel infinitæ syncategorematicè, vel infinitæ categorematicè, vel neque finitæ neque infinitæ; Nihil horum dici potest, Ergò neque dici potest distinctas esse. *Non primum.* Quia si essent finitæ, ergò non essent partes in continuo in infinitum divisibiles, siquidem continuum in tot partes est divisibile, in quot distinguibile, & tamen oppositi supponunt quantitatem esse in infinitum divisibilem. *Non secundum.* Quia illud ex cujus Actu, accipere semper est & nunquam idem, est infinitum actu. Sed partes continui actu distinctæ, semper sunt, ex quarum Actu, accipere est semper est, & nunquam idem. Ergò sunt infinitæ actu. Major habet terminos definitionis. Minor probatur. Quia si ex illarum esse Actu accipere non esset & quidem nunquam idem, acceptio illarum exhauriretur, adeoque veniretur ad non acceptibilia; ac quod ulterius sequitur, ad non divisibilia. Et certè si partes per possibile vel impossibile essent actu divisæ, quot sunt divisibiles, essent divisum, infinitum actu. Ergò etiam, cùm sint tot actu distinctæ, quot sunt divisibiles, erunt infinitæ actu distinctæ. *Non tertium.* Quia nullum actu infinitum datur. *Non quartum.* Quia quòd aliquid neque sit finitum, neque infinitum, id quidem beneficio intellectûs haberi potest, sed non habetur nemine cogitante; hîc autem quæritur de distinctione, quæ sit nemine cogitante.

Respondebis. Partes communicantes non esse infinitas, nisi secundùm quid, quia sunt identificatæ partibus determinatis æqualibus uni certæ, quæ sunt actu finitæ.

Contra. Quia æquè partibus proportionalibus identificatæ sunt partes determinatæ, ac partibus determinatis identificantur proportionales, cur ergò potiùs determinatæ, trahent, proportionales ad rationem finitarum, & non proportionales trahent determinatas, ad rationem infinitarum? Tum quia ex vi hujus responsionis, sequitur illas partes, & non fore infinitas, quia identificantur finitis, & non fore finitas, quia ex illarum distinctione, semper est actu accipere aliam distinctionem. Tum quia unitati columnæ, sunt identificatæ 6. ulnæ, tamen hôc non obstante, illæ 6. ulnæ, sunt 6. Ergò etiam quamvis finitis partibus determinatis, sint identificatæ partes infinitæ proportionales, adhuc erunt infinitæ, & in ratione distinctionis, infinitè actu distinctæ.

DIFFICULTAS II.

Argumenta in Oppositum.

Objicitur I. Partes distinguuntur actu quoad entitatem, Ergò distinguuntur etiam actu quoad esse formale partium. Consequentia probatur. Quia quod constituit partes actu, hoc & distinguit illas actu; per hoc enim distinguuntur res, per quod & constituuntur; constituuntur autem per entitatem.

Respondetur. Per idem res distinguuntur in recto, per quod & constituuntur, quid enim est distingui, nisi esse ens aliter se habens; completiùs tamen distinguuntur res, non per solam entitatem, sed per varia connotata, ad eum modum, quo etiam unum constituitur per rationem entis, completur autem per negationem divisionis; ita & pars constituitur per entitatem, completivè tamen in ratione partium formaliter, formantur per rationem individui & terminati.

Instabis primò ex Pontio. Aqua addita alteri aquæ, non est tota aqua. Ergò pars illius.

Respondetur. Non esse illam aquam, nisi partem vulgariter; de quo infrà: cùm non habeat terminos, adeoque hæcceitatem, quæ supponitur ad distinctionem.

Instabis secundò ex eodem. Partes sunt actu in continuo quoad entitatem. Ergò & quoad multitudinem, pluralitas enim entitativa, multitudinem arguit.

Respondetur. Esse plures illîc partes quoad multitudinem entitativam, quia multitudo entitativa est ipsâmet divisibilitas, sed non sunt plures quoad multitudinem partium formaliter.

Instat tertiò Maurus Qu: 40. Videtur absurdum, quòd in homine non distinguantur actu, caput & pedes, & ne recurras ad heterogeneitatem partium, saltem id sequetur in capite & pede statuæ marmoreæ; absurdum idem videtur quòd aqua Tyberis non sit distincta actu ab aqua Danubii.

Respondetur, ipsi termini capitis, & pedis, littorumque, adferunt distinctionem, non tantùm in ratione entis, sed etiam in ratione aliûs & aliûs totius.

Objicitur II. Signum distinctionis realis est separabilitas entitativa; hæc habetur in Continui partibus.

Respondetur I. Quòd separabilitas, convenientia item diversorum prædicatorum, eorumque realium ac Physicorum, arguat distinctionem realem, non actualem sed potentialem. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia admittit indistincta actu, dicentia actualem capacitatem prædicatorum Physicorum, qualia sunt dividi non dividi. In creatis autem si admittatur talis capacitas, admitti etiam poterit mysterium Trinitatis. Tum quia, si separabilitas non esset in quocunq; casu signum distinctionis realis actualis, sicut ratione terminorum quibus carent partes, importat nõ nisi distinctionẽ potentialẽ, ita dicã inter materiam & formam unitas, non esse

distin-

distinctionem realem actualem, sed nonnisi potentialem, quia scilicet illis deest ratio disjuncti. Tum quia signum distinctionis realis actualis non est separatio sed separabilitas, quæ quia conceditur inter illas partes, hoc ipso concedi debet distinctio actualis.

Respondetur Secundò. Hoc argumentum esse falsificantium propositionem: nam cùm nullæ sint partes in continuo ante assignationem, quomodo dici potest, ante assignationem illas esse separabiles? *Hæc Responsio*

Non Satisfacit, redit enim argumentum. Illud quod est eparabile ante assignationem, est ante assignationem distinctum; sed partes sunt separabiles ante assignationem, habent enim entitatem, cui divisibilem esse, convenit antè assignationem. Ergò.

Respondetur Tertiò. Quòd scilicet inter partes entitativè acceptas sit ista separabilitas, consequenter & distinctio, non inter partes formaliter acceptas. In idem recidit, si dixeris, separabilitatem eorum quæ sunt à parte rei, esse signum distinctionis realis actualis, cùm ergò partes formaliter sumptæ non existant, nec distinguentur.

Instabis. Quamvis continuum non sit separabile in partes formaliter, est tamen separabile in tota formaliter. Ergò cùm separabilitas sit signum distinctionis realis, inter illa tota formaliter, erit distinctio realis actualis.

Respondetur. Non esse illic separabilitatem in tota formaliter actù existentia, sed in tota potentia, extitura, facta scilicet divisione: Separabilitas autem est signum distinctionis realis, inter ea, quæ sunt actu formaliter existentia, posset tamen hîc poni distinctio realis actualis negativa.

Objicitur III. Non esse ullam rationem, cur partes in ratione partium formaliter, non sint distinctæ realiter actu.

Respondetur. Qui tenent quòd partes constituantur in ratione partium formaliter, per hoc, quia sunt hæcceitatæ & terminatæ, hoc ipso quia in continuo non habent terminos, non poterunt etiam nemine cogitante distingui in ratione partium formaliter. Conformiter autem ad inferiùs dicenda, ideò in ratione partium formaliter non sunt distinctæ, quia nec existunt, nec existere possunt in ratione partium formaliter.

Objicitur IV. Si ideò partes non distinguuntur realiter actu in ratione partium formaliter, quia non habent hæcceitatem & terminos proprios, sequitur, quòd acquisitis terminis, acquirant hæcceitatem adeoque distinctionem. Hoc non potest asseri, quia si acquisitis terminis acquirerent partes hæcceitatem, etiam mutatis terminis mutarent hæcceitatem, adeoque si unam guttam addas mari, cùm mutentur termini illius, mutabitur hæcceitas illius, & cùm mari semper & semper novi fluvii & aquæ infundantur, semper & semper mutabit hæcceitatem.

Respondetur communiter, moraliter eandem semper hæcceitatem retinere mare, quia accessus ille, non est talis mutatio, quæ fundare possit diversum judicium prudentum de mari. Physicè tamen est aliud inadæquatè, illud totum. Deinde dici potest cùm affusione unius guttæ, non omnes termini continuationis mutentur, sed tantùm istarum entitatum continui, cum quibus illa gutta unitur. Hinc non totum mare, sed illæ tantùm entitates aliam rationem hæcceitatis, seu terminationis habebunt. Rursùs, per hæcceitatem maris intelligi potest, id quod dicit hæcceitas in recto, & hæc est entitas maris, quæ præhabita, non mutatur; Deinde intelligi potest id quod dicit hæcceitas in obliquo & pro connotato, ratione scilicet terminorum; & in hac secunda acceptione aliquarum, ut dixi partium, mutatur hæcceitas.

Objicitur V. Partes temporis sunt distinctæ realiter actu. Ergò & partes Continui. Antecedens probatur. Quia existente unâ parte, non existit, nec possibile est ut existat alia.

Respondet recentior Suar. Sicut quamvis una pars temporis non existat, & alia existat, tamen hoc non impedit quominùs continuentur inter se, ita nec impedit, quominùs sint idem ab extrinseco, hoc est ratione negationis partium. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Quia difficile est, quomodo ens & non ens identitatem habeant. Quod adfertur de continuatione, non convincit, nam ad hoc ut aliqua in successivis continuentur, sufficit quòd nihil inter ea intercedat, & sint ejusdem rationis, ad identitatem autem requiritur idem esse, quomodo ergò inter ens & non ens identitas erit?

Respondetur II. Quòd partes temporis sint distinctæ, quoad entitatem, & non sub ratione partium formaliter.

Instabis. Si partes temporis non distinguuntur realiter, sequitur diem crastinum & hesternum esse eundem diem.

Respondetur. Hesternam & crastinam diem, non esse eandem, quia diversa est entitas hujus, & diversa entitas illius, partes autem formaliter acceptæ, tàm hujus, quàm aliùs diei, nullæ sunt. Quod etiam in simili de gutta comparatè ad mare v.g. dici debet, quòd scilicet quoad entitatem minor sit gutta mari; quoad autem esse formale partium, nec gutta est minor, nec mare est majus, quia neutri illorum competit habere partes formaliter.

Objicitur VI. Authoritas Trident. quod Sess. 13. definit: Christum esse in hostia & in singulis ejus partibus. Ergò supponit dari partes.

Re-

RESPONDETUR. Intelligendum Concil. de partibus quoad entitatem, non quoad esse formale partium. Deinde intentio Concil. fuit definire, quòd etiam post divisionem maneat Christus in Eucharistia, nec adstringatur totalitati consecratæ hostiæ, ad quod propositum nihil refert, an sint illæ partes distinctæ in ratione partium formaliter, vel non distinctæ.

Nec inde sequetur: Si partes hostiæ non distinguuntur actu, Sacerdote dividente hostiam, poni Christum illîc solâ divisione, cùm tamen nonnisi solâ consecratione ponatur.

Ex hoc enim ipso, quia non est uniter Christus in Eucharistia, sed totus in toto, & totus in qualibet parte; fit ut divisione non ponatur, sed consecratione. Et sicut pars ante divisionem, fuit quoad entitatem, ita & Christus fuit in illa, quoad entitatem spectata, adeoque non ponitur Christus de novo per divisionem.

INSTABIS. Quando per divisionem id, quod non erat pars formaliter, vel quod non erat totum formaliter, fit pars formaliter, vel totum formaliter, sub illo quâ est totum formaliter, vel quâ est pars formaliter, estne Christus vel non? si non est Christus? Ergò aliquid est in hostia, sub quo non est Christus: Si autem est Christus, quæro, vel ante divisionem erat sub parte formaliter, vel non erat? Si erat? ergò dabatur pars formaliter, si non erat, & modò est, divisione ponetur Christus & non consecratione.

RESPONDETUR. Totum formaliter, vel pars formaliter, dicit unum in recto, hoc est ipsam entitatem; sub qua entitate, ante divisionem, jam erat Christus, utpotè totus in tota hostia, & totus in qualibet parte sensibili, quoad entitatem sumpta. Deinde totum formaliter, vel pars, dicit habitionem terminorum, qui termini, sunt negatio ulterioris extensionis; sub negatione autem ulterioris extensionis, non est Christus.

OBJICITUR VII. Vel continuum, divisibile est in partes quas habet, vel in partes quas non habet? non in partes, quas non habet: nam quod dividitur, dividitur in hoc, quod est ejus: Non in partes quas habet, quia convinceretur intentum.

RESPONDETUR. Esse continuum divisibile in partes, quæ habentur quoad entitatem, & sunt potentiâ formaliter partes, aut potentiâ formaliter totum.

CONTINUATUR SOLUTIO.

Mastrius Disp. 9. n. 52. tenet partes quantitatis esse distinctas realiter actu, &

OBJICIT I. Præter adlatam Auctoritatem Arist. qui in prædicamento Quanti ponit de ratione quantitatis in communi, esse, quòd habeat plures partes, & continuam à discreta distinguit, non quia hæc habeat partes actu distinctas, & illa non, sed quia partes quantitatis continuæ copulantur termino communi. Idem docuit 1. Phys. t. 17. ubi manifestè supponit, continuum habere multitudinem partium.

RESPONDETUR. Quòd Arist. supponat continuum habere multitudinem partium quoad entitatem, non quoad esse formaliter partium, quando autem 4. Phys. t. 23. inter modos essendi numerat modum essendi, quo pars est in toto, id potest de aliis totis salvari, quomodo scilicet anima & corpus sint in composito, non autem de toto continuo; vel certè loquitur de partibus quoad entitatem, in quas & sic sumptas, est divisibile continuum, dum est divisibile in ea quæ insunt. Quo etiã modo responderi debet ad auctoritatem Augustini 2. de lib. arbit. c. 15.

INSTAT. Quando Arist. dicit, quòd Materia, subjectum sit primum, ex quo fit aliquid cùm insit, loquitur de subjecto actu, ergò & loquitur de partibus actu, ita enim se habet in ratione componendi actualiter pars integralis, ad totum integrale, sicut se habet essentialis ad essentiale.

RESPONDETUR. Sufficit, ut sint partes actu quoad entitatem, licèt non sint quoad esse formale partium, compositionemque illam faciunt continui suâ entitate, non ratione formali partium, ut etiam dictum suprà, dividiturque in partes, quas actu habet quoad entitatem, licèt non quoad esse formale partium, distinguunturque ita inexistentes entitates partium, ab inexistentia elementorum in Misto, quia entitas ignis non est in Misto.

OBJICIT II. De ratione quantitatis est, ut faciat, partem extra partem, & de ratione continui, ut partes ejus copulentur termino communi.

RESPONDETUR, de ratione quantitatis est, ut faciat partem quoad entitatem, esse extra partem quoad entitatem, sed non est de ratione quantitatis, ut faciat partem extra partem, quoad esse formale partis, quod esse partium quoad entitatem, quia præsupponitur, fit ut agens naturale dividendo materiam, non creet ejus partes, poteritque quoad aliquid quantitas palmaris esse nigra, quoad aliquid rubra.

INSTAT I. Si sunt plures entitates in continuo in actu, ergò sunt actu distinctæ, quia distinctio fundatur super multitudinem entitatum.

RESPONDETUR esse actu distinctas quoad entitatem, non quoad esse formale partium.

ADDO, admittere nos partes quoad entitatem, non quoad esse formale partium, cùm tamen negemus ablato termino, manere entitativè relationem, quia priori phrasi significamus

camus, quòd omni divisioni, assignationi &c. præsupponatur dividendum assignandum &c. hocq; intelligimus nomine partium quoad entitatem. quando autem negamus ablato termino manere entitativè relationem, negamus quòd maneat tota relatio solo nomine ablato: alio ergò sensu negamus manere entitatem relationis, alio sensu ponimus manere entitatem partium, concedimusq; non solum esse pluralitatem actualem entitatum, sed etiam distinctionem quoad entitatem partium, sed negamus esse distinctionem quoad esse formale partium, consequenter etiam poterit in vino consecrato esse sanguis Christi, in vino autem non consecrato affuso ad consecratum non erit Christus, ob eandem distinctionem, quoad entitatem.

INSTAT II. Ex unione partium in toto, non benè colligitur identitas illarum, ut patet de partibus physicis, unio namq; sicut non destruit rationes formales extremorum, ita non destruit eorum distinctionem.

RESPONDETUR, quòd ex unione partium in toto, non rectè colligatur identitas illarum quoad entitatem, colligitur tamen identitas, hoc est exclusio pluralitatis partium, quoad esse formale partium, & quoad habere terminos.

INSTAT III. Pars ut pars debet componere totum, ergò tunc est pars, quando actu componit.

RESPONDETUR; rigorosè lõquendo, continuum non componitur ex partibus, de quo infra.

OBJICIT tertiò quidã. In hora est aliquid, quod non est, sed fuit, est aliquid quod erit, est aliquid quod est de præsenti, est enim hoc illi essentiale, ex natura temporis, ergò in hora, nemine cogitante, & ante omnem designationem, est aliquid realiter & actu distinctum.

RESPONDETUR esse illîc aliquid realiter & actu distinctum, quoad entitatem, non quoad esse actuale partium; consequenter strictum, & non strictum, quæ prædicata conveniunt pyramidi, arguunt, distinctionem realem partium quoad entitatem, non autem in ratione partium formaliter, idemq; arguit separabilitas.

INSTAT idem. Si in aqua ante assignationem, & divisionem, non sunt duæ guttæ actu distinctæ realiter, sed sunt actu realiter identificatæ, ergò postea accedente divisione vel assignatione, fiunt duæ guttæ actu realiter distinctæ, retinendo eandem suam entitatem, quàm priùs habebant, ergò quod erat actu idem, retinendo suam entitatem, non erit actu idem, sed fiet actu duo, quod est impossibile, non potest enim aliquid esse indifferens ad hoc, ut identificetur actu realiter cum aliquo, vel ut distinguatur actu realiter ab ipso.

RESPONDETUR. Si in aqua non essent actu distinctæ guttæ quoad entitatẽ, tunc retentâ suâ entitate, dicerent realem distinctionem, quam antea non dicebant, sed id absurdũ non sequetur, si ponatur distinctio realis quoad entitatem, non quoad esse formale partium.

OBJICIT quartò idem. Secluså omni divisionẽ (adde habentia propriorum terminorum) datur in quantitate ulnari homogenea, entitas palmi, ergò datur unitas seu identitas realis secum, quæ inseparabiliter transcendit omne Ens, non secùs ac unitas & bonitas, ergò datur & distinctio ab alio palmo, quia unum est indivisum à se, & divisum à quovis alio.

RESPONDETUR. Dari distinctionem ab alio palmo in ratione Entis, non in ratione formali partis, & licèt entitatem sequatur unitas, adeoq; divisio ab alio, in ratione entis, potest tamen non esse divisio ab alio, in ratione formali partis, seu potest adhuc esse carentia habentiæ propriorum terminorum, consequenter & habitio propriorum terminorum, præsupponit unionem, quæ tunc destruitur, adeoq; præsupponit distinctionem realem actualem, quoad entitatem esse partium, non autem quoad esse formaliter partium.

OBJICIT quintò idem. Designatio mentalis partium vel est conformis objecto, vel difformis? si difformis, non facit veram distinctionem realem partium, si conformis? ergò præsupponit partes.

RESPONDETUR in nostris quidem principiis, non recurritur ad istas designationes mentales, sed nec argumentum convincit, diceret enim quis, illas designationes esse conformes, quia præsupponunt partes non actu sed potentiâ, vel quia præsupponunt partes quoad entitatem.

OBJICIT sextò idem. Si designatio mentalis constituit distinctionem actualem in continuo, ergò ista distinctio non est realis sed rationis.

RESPONDETUR in nostris principiis ad hanc designationem non recurri: diceret tamen aliquis non esse hanc distinctionem rationis, quia supponit partes potentiâ distinguibiles, vel partium entitatem.

OBJICIT septimò idem. Terminatio palmi v.g. negatio ulterioris extensionis duplex cogitari potest, prima intrinseca, per quam palmus non extenditur extra se ipsum, & hæc terminatio convenit palmo essentialiter, ante omnem assignationem, hocq; sufficit ad distinctionem unius palmi ab alio palmo, sicut sufficit eadem negatio ulterioris extensionis, in duabus animabus sese penetrantibus; altera extrinseca per quam palmus negat uniri sibi extensionem alterius palmi, & hoc fit quidem per divisionem, sed non requiritur ad distinctionem actualem palmi.

RE-

RESPONDETUR. Extrinseca extensio, nego quòd non requiratur ad distinctionem actualem palmi, in ratione formali palmi, licèt non requiratur ad distinctionem actualem palmi quoad entitatem, ab entitate actuali alterius palmi, in potentia est ergò illîc actu entitas, quæ potest esse palmus, si habeat terminos. Terminatio palmi intrinseca convenit palmo, ante omnem assignationem, si detur palmus formaliter, sed nego dari palmum fomaliter in illo continuo constante entitate plurium palmorum.

DIFFICULTAS III.

Possibilene est distingui partes continui in ratione partium formaliter?

DICENDUM EST. *Partes continui, in ratione partium formaliter, impossibile est distingui; sed quotiescunq. distinguuntur, nonnisi secundùm quid, & vulgariter in ratione partium formaliter, distinguuntur.*

PROBATUR CONCLUSIO. Tunc partes continui distinguuntur in ratione partium formaliter, quando constituuntur in ratione partium formaliter, sed constitui non possunt in ratione partium formaliter nisi secundùm quid. Minor probatur. Partes continui non constituuntur in ratione partium formaliter per mentis designationem, aut quamcunque extensionem externam, aut contactum, nec per diversam informationem, ut cùm aliquid frigefit aut calefit, non etiam per divisionem. Ergò non possunt constitui in ratione partium formaliter nisi secundùm quid.

QVOAD I. Probatur minor. Tum quia id innuit Aristoteles L. de anima text. 32. Tum quia operatio nostri intellectûs nihil ponit in nobis, quod sit prædicatum primò intentionale; esse autem partis formaliter, est prædicatum primò intentionale, ad eum modum, quo esse albi, consequenter designatio mentis, facit partem intentionaliter, sed non simpliciter. Tum quia distingui realiter, est distingui nemine cogitante, sed distingui partes in ratione partium formaliter, est distingui realiter, de tali enim distinctione agitur. Ergò distingui partes in ratione partium formaliter, est distingui nemine cogitante, non ergò istud distingui, erit aliquo cogitante, adeoq; nec aliquo designante. Tum quia, si ipsâ assignatione habetur ratio formalis partis, nemo tibi in disputatione negare posset, partes esse distinctas realiter in ratione partium. Quod ipsum probatur. Quia hôc ipso negans has partes esse distinctas realiter, designat illas, tu autem concedis partes post assignationem, esse distinctas realiter. Tum quia, si designatio mentalis sufficit, ad constituendas partes in ratione partium formaliter, vel sufficit designatio unius præsentis, vel quorumcunque aliorum? si quorumcunq; aliorum; Ergò tu temerè asseris has partes, non esse distinctas realiter, nescis enim annon illas aliquis designârit: Si autem sufficit designatio Unius præsentis; Ergò per assignationem non constituuntur partes in ratione partium formaliter, quod enim est pars formaliter, est respectu omnium pars, ut album respectu omnium est album. Tum quia universaliter ratio tangentis, designantis, ostendentis, sunt actiones, quæ non possunt tribuere subjecto, circa quod versantur, nisi formalitates, quas de se important, seu nonnisi formales suos effectus. v. g. actio visiva, non potest tribuere nisi denominationem visi, actio tactiva denominationem tacti. Ergò & ratio assignationis, tribuet rationem assignati, non autem partis formaliter. Et sicut cùm aspicio ulnam & semiulnam, possum quidem dicere designando medietatem ulnæ, hoc est æquale alteri, tamen illa designatio non plùs importat quàm determinationem, de quo scilicet subjecto ego loquor, & importat nonnisi adæquationem repræsentatam intentionaliter, quamvis cum fundamento in re, sed non importat adæquationem physicam realem. Ergò nec importabit esse formaliter partis similis designatio, quia etiam esse partis, formaliter importat aliquid physicum.

QVOAD II. Probatur Minor, quòd scilicet partes non constituantur in ratione partium formaliter per diversam informationem. Tum quia, ut dictum proximè, formæ receptæ in subjecto non tribuunt, nisi effectus suos formales: v. g. frigus esse frigidi, nec frigoris effectus formalis est, facere partem. Tum quia per hoc, apud oppositum sentientes, pars constituitur formaliter in ratione partis, per quod constituitur in ratione terminatæ. Sed per illas formas, non constituitur in ratione terminatæ, quia si illa pars haberet proprios terminos, & non communes cum residuo cum quo continuatur, hôc ipso non esset continuum illud, adeoque non evinceretur, partes continui in ratione partium formaliter esse distinctas, quia ob diversam informationem non essent continuæ; & licèt assignabile sit aliquid in illo continuo, quod non est ulteriùs frigefactum, hæc tamen terminatio, est terminatio frigoris, adeoque secundùm quid, sed non est terminatio ipsius continui, adeoque non est constitutio partis in ratione partis formaliter.

QVOAD III. Probatur eadem minor, nempè quòd partes in ratione partium formaliter, non constituantur divisione. Tum quia id quod est pars formaliter, non potest habere rationem totius formaliter, sunt enim hæc sibi opposita, sed continuum post divisionem, habet rationem totius formaliter. Ergò non

habet rationem partis formaliter, sed non nisi secundùm quid & ampliativè. Tum quia id quod habet suam integritatem, & habet jus existendi in rerum natura, non per ordinem ad aliud, est totum formaliter, & non potest esse nisi secundùm quid, & ampliativè pars, & ita digitus v. g. abscissus, non habet suam integritatem propriam, nec jus existendi in rerum natura, nisi ad integrandum corpus organicum; sed gutta aquæ v. g. post separationem, habet suam integritatem; quia hanc guttam, quæ est in individuo, non nisi hæc entitas liquidi constituit, & quidquid illi adjeceris, jam erit aliud integrum. Habet item jus existendi in rerum natura, sine ordine ad aliud: nam homogenea quia in illis conservatur tota ratio formæ, gaudent hoc jure. Tum quia accipio vas aquæ, & unam guttam ejusdem aquæ, & dico hæc gutta per se est pars formaliter, & illa vasis aqua est totum formaliter. Ergò & hæc gutta est totum formaliter. Nam illa aqua vasis, quæ comparatè ad fontem, vel fluvium, vel mare, longè est minor, & indubiè communes terminos habebat in fonte, & nihilominùs, est post separationem totum. Ergò & hæc gutta, propter rationis paritatem, erit totum formaliter. Ergò ulteriùs nonnisi secundùm quid, comparativè, ampliativè, erit pars. Unde si quæras, hæc gutta demonstrando eam, estne pars an totum, respondebitur, ante separationem neque est pars formaliter, propter adlatas rationes, neq; totum formaliter, quia non habet suam integritatem propriis terminis circumscriptam, sed post separationem erit totum formaliter, & pars nonnisi respectivè, quà uniebatur cum alia aqua, quæ plus entitatis in se habet, adeoque erit pars ampliativè & secundùm quid, nomine enim partis formaliter, venit pars ex intrinsecis suis principiis habens formalitatem constitutivaque sui in ratione partis, adeoque excludendo rationem quæ non sit pars, consequenter excludendo rationem totius, quam exclusionem totius, non dicit id, quod est per nos ampliativè pars. Hinc quamvis aliorum entium dentur partes formaliter, non tamen continui, quia partes aliorum entium sunt tales, ut non habeant jus existendi in rerum natura, nisi per ordinem ad constituendum aliud, unaquæque autem pars continui, habet jus existendi in rerum natura, & non per ordinem, ad constituendum aliud.

COLLIGES hinc. Quòd cùm partes in ratione partium constitutas, intelligamus partes in ratione individui constitutas, & propriis terminis circumscriptas, certò immeritò disputabitur contra nos, fietq; quæstio non nisi de voce, cùm nec oppositū sentientes, in continuo partibus rationem individui, nec rationem propriorum terminorum tribuant.

QVÆSTIO III.

De distinctione quantitatis à re quanta.

NEgant aliqui Nominales, quantitatem esse distinctam realiter. Asserit S. Thomas, Scotus, & ex nostris reliqui, excepto Arriagad. 5. Metaph. n. 10. in qua positione divisi sunt adhuc Nominales: aliqui enim censent quantitatem identificari soli substantiæ, non verò accidentibus, quo etiam principio utitur Arriaga. alii censent accidentibus & substantiæ identificari quantitatem.

DICENDUM est I. *Quantitatem Accidentibus non esse identificatam.*

PROBATUR I. Argumento desumpto ex Aristot. 5. Metaph. C. de Quanto. Si album haberet identificatam sibi quantitatem, esset quantum per se, quia ea quæ sunt rei identificata, conveniunt ei per se; non enim per accidens se habet id, quod est ipsa res, nihil enim ad se, per accidens se habet: sed album non est quantū per se, album enim est quantum, nonnisi, ut inquit Aristoteles, quia subjectum cui insunt, est quantum. Ergò non est quantum per se. Porrò posui in Conclusione, quod quantitas accidentibus non sit identificata, & non posui quod sit res, quia volui id probare argumento Aristotelico, qui distinctionem agnovit, sed non separabilitatem quantitatis à suo subjecto, consimiliter ac de modis philosophantur Modalistæ.

PROBATUR II. Communi argumento. Si quantitas esset identificata accidentibus, haberent accidentia se ipsis principium impenetrabilitatis, naturaliterq; penetrare se non possent; si naturaliter penetrare se non possent, naturaliter in eodem loco esse non possent; sunt autem naturaliter in eodem loco, dulcedo enim & albedo lactis, nec sensu, nec ratione, separata sunt loco.

RESPONDENT I. Quantitatem ejusdem rationis non posse penetrari, quantitates tamen diversæ rationis posse penetrari, atq; ita cum quantitas dulcedinis, & quantitas albedinis, sint quantitates diversæ rationis, benè penetrari poterunt.

CONTRA. Tum quia Natura quantitatis ejusdem rationis, exigit impenetrationem. Ergò & quantitas diversæ rationis. Imò potiùs penetrare se deberent quantitates ejusdem rationis, quia quæ sunt ejusdem rationis, faciliùs se compatiuntur. Tum quia gradus homogenei qualitatis, sunt gradus ejusdem rationis, & habent quantitates proprias, & nihilominus se penetrant in eodem subjecto. Ergò falsum est principium, quantitates ejusdem rationis non posse se penetrare. Tum quia ut advertit Pontius, sequeretur hostias duas consecratas, posse se penetrare, quia haberent quantitates

tes diversæ rationis. Neque valet si dicas, res ejusdem rationis penetrare se posse, casu quo educantur, ex eadem parte subjecti, non inquam valet, quia non est major ratio de uno, quàm de altero extremo.

RESPONDENT II. Quanta ad idem subjectum spectantia, posse se penetrare, non tamen quanta, ad diversum subjectum spectantia; atque exinde fieri, ut duo homines penetrare se non possint; Lux item, si corpus esset, penetrare aërem non posset, essent enim quantitates non ad idem subjectum spectantes.

CONTRA. Tum quia adhuc sequitur, quòd lux aërem: penetrare non posset, quia aliud subjectum est lux, & aliud aër. Si autem dicas esse in eodem subjecto, de hoc ipso quæritur, quomodo sint in eodem subjecto, & tamen habent diversam quantitatem? Tum quia sine petitione principii, non potest ostendi, cur quanta ad idem subjectum spectantia, possint se penetrare & non alia? præcipuè cum hoc ipsum, ad idem subjectum spectare, idem importet, ac in eodem subjecto recipi, locari, penetrari. Tum quia non possunt se penetrare quanta ad diversum subjectum spectantia. Ergò nec spectantia ad idem subjectum, nec possunt spectare ad idem subjectum, si unumquodque suâ quantitate, est quantum.

RESPONDETUR III. Quantitates non unitas penetrare se non posse, secus quantitates unitas.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quæritur, quomodo si retineant proprias quantitates, uniri inter se possint, & quidem unione quæ non sit unio aggregationis. Tum quia quantitates non unitæ penetrare se non possunt. Ergò nec quantitates unitæ, idque attendendo ad naturam quantitatis in utroque. Tum quia species à diversis objectis transmissibiles, non sunt species unitæ, & tamen se penetrant. Ergò unio, ad hoc impertinens est.

PROBATUR III. Urgendo itidem argumentum commune. Quia si accidentia haberent propriam quantitatem, non haberent in Eucharistia communem quantitatem, non enim haberent quantitatem substantiæ panis, quia hæc cum substantia panis cui identificatur, desit, non etiam aliam communem, quæ enim illa? Quod si non habent communem quantitatem, non habent subjectum commune, in quo recipiantur omnes alterationes quæ fiunt in hostia, consequenter omnes illæ essent creationes, quia fierent independenter à subjecto communi. Confirmatur: Nullum videtur inconveniens, quod homo sine ullo miraculo, possit de loco in locum transferre hostiam, nec videtur probabile, quod casu quo ventus imprimat impulsum hostiæ, hoc ipso assumatur ventus ad creandum illum impulsum, hoc est producendum, absque & independenter, à quocunque subjecto.

RESPONDENT aliqui. Quòd sicut fit generatio substantialis v. g. ignis sine ullo subjecto, dum hostia comburitur, sic fieri potest v. g. & translatio illius de loco in locum.

CONTRA. Illa generatio perficitur nonnisi in subjecto, nam pro illo instanti substituit Deus vel aliam materiam, vel eandē reproducit, in quo autem subjecto, fiunt illæ alterationes? quodsi non fiunt dependenter à subjecto creantur. Neque valet si dicas. Ea omnia fieri à Deo ad occultandum mysterium. Quia si fieri possunt hæc sine miraculo, ut quid fingetur tunc miraculum? si autem ponatur quantitas panis tunc in Eucharistia, tanquam subjectum commune, fient illæ alterationes, sine ullo miraculo.

DICENDUM EST II. *Quantitatem non esse identificatam realiter substantiæ.*

PROBATUR primò auctoritate Aristotelis. Si substantiæ esset realiter identificata quantitas, etiam materiæ esset identificata quantitas, sed non est: quia de quo negatur quantum, illi non est identificata quantitas, nullum enim concretum, de se ipso negatur. Sed de materia negatur quantum, dicit enim Aristoteles, illam neque esse quid, neq; quantum. Negat item Materiam esse se ipsâ sensibilem, se ipsâ autem esset sensibilis, si esset se ipsâ quanta. Vide 1. Physicor. tex. 13. 15. 14. & 4. Metaphys. Tex. 17. & 7. Metaph. Tex. 8.

PROBATUR secundò. Quodcunq; est fundamentum distinguendi qualitatem à substantia v. g. saporem, idem fundamentum habetur distinguendi quantitatem. Et sicut tu dicis in Eucharistia manere nonnisi quantitatem accidentium, perire autem quantitatem substantiæ identificatam, ita dicam saporem identificatum substantiæ, aliasque qualitates perire, sed manere saporem accidentium, qualitatesque accidentales.

PROBATUR tertiò. Quantitas non est identificata accidentibus, ut supra probatum. Ergò neque substantiæ, quia non est major ratio unius quàm alterius.

CONFIRMARI solet conclusio argumentis Theologicis.

PRIMUM, quia docent Theologi ex Patribus & Concil. manere in Eucharistia accidentia sensibilia omnia: atqui quātitas est accidens sensibile. Ergò & illa manet, vide Lug. d. 10. de Euchar. Q. 1. Sed negabunt Nominales minorē. Negant enim quantitatē esse accidens substantiæ, cùm illam identificent substantiæ.

SECUNDUM argumentum est. Si quantitas identificaretur substantiæ, identificaretur etiam Corpori Christi: si identificaretur Corpori Christi, poneretur vi verborum, nam vi verborum sicut ponitur Corpus, ita poni debent

TERTIUM argumentum est: Quia Trident. Sess. 13. docet, manere in Eucharistia accidentia panis. Ergò si illic manet quantitas, debet illa esse accidens substantiæ panis. Vid. Tridentinum.

OBJICITUR I. Nulla est necessitas distinguendæ quantitatis.

RESPONDETUR. Necessitatem distinctionis probari factis probationibus.

OBJICITUR II. Si quantum redderetur Corpus, per superadditam quantitatem, etiam non quantum redderetur, sublatione superadditæ entitatis. Sed potest reddi non quantum sine sublatione entitatis, quod ipsum probatur. Potest reddi minus quantum sine ablatione entitatis. Ergò & potest reddi non quantum sine ablatione entitatis. Antecedens probatur. Potest reddi Corpus bicubitale solummodò cubitale, si illud DEus redigat ad spatium cubitale. Ergò potest reddi minùs quantum, sine sublatione alicujus superadditi.

RESPONDETUR. Posse aliquid reddi minùs quantum, spectatâ quantitate quoad id, quod est illi secundarium, & aliunde etiam, quàm à quantitate acquisibile, qualis est extensio ad locum, quæ etiam Spiritibus competit; sed non potest reddi minùs quantum, quantitate spectatâ quoad id quod est illi primarium, nempè extreitas partium in ordine ad se, non potest inquam ita reddi minùs quantum, sine ablatione quantitatis; respicit hæc Responsio, quod quantitas definitivè non sit extensio in ordine ad locum.

OBJICITUR III. ex Pontio. Quantitas non habet ex se præcisè, extendere quantum in ordine ad locum: nam Christus in Eucharistia habet suam quantitatem, sine hac extensione locali, nec item habet ex se præcisè quantitas, ut expellat aliam loco, nam Corpus gloriosum quodcunq; quantum penetrat. Ergò debet illi supervenire aliquid supra entitatem ejus absolutam, quod reddat eam & extensivam & impenetrabilem. Ergò quantum refundi debet in illud aliud: sed illud aliud non est quid absolutum, cum neq; sit quantitas nec qualitas. Ergò est aliquid respectivum: sed illud respectivum posset æquè facere partes substantiæ extensas & impenetrabiles, ac partes quantitatis absolutæ. Ergò frustra ponitur quantitas, quæ sit aliquid absolutum.

RESPONDETUR. Non inquiri hîc, an quantitas debeat esse quid respectivum an absolutum, sed an distinctum realiter? Quod magis adhuc procedit in principiis Scotistarum ac Thomistarum, distinguentium realiter etiam relationem. Deinde per nos primò essentialis conceptus quantitatis, est, extreitas partium in ordine ad se, quam extreitatem, semper res retinet dum retinet quantitatem, in ordine autem ad illos secundarios effectus, non indiget superaddito, sed solâ negatione impedimenti. Nego ulteriùs, quòd tale extreitativum partium in ordine ad se, non sit quid absolutum; Nego item, quod non sit quantitas. Deniq; adlatæ obsunt rationes, ne per identitatẽ, Quantitas, faciat partes substantiæ, extensas.

INSTABIS primò ex eodem. Ex impenetrabilitate tàm substantiæ, quàm accidentium, colligitur dari quantitas absoluta; sed id provenire posset ab aliquibus respectibus, aut ab aliquo distincto à quantitate absoluta, sicut impenetrabilitas ipsiusmet formæ absolutæ, quæ dicitur quantitas, provenit ab aliquo alio distincto.

RESPONSUM jam, hîc non quæri; an relativum sit quid quantitas, sed an distinctum realiter. Hinc Scotistæ distinguentes relationem realiter, negabunt hoc ipso, quia quantitas est quid respectivum, non esse realiter distinctum. Sententia autem identificans relationem, adhuc assumet, quamvis relatio sit quid indistinctum realiter, relativum tamen potest esse distinctum realiter; nam habitus, modus &c. sunt quid relativum, nec tamen identificantur. Negatur item, impenetrabilitatem in quantitate, ab alio provenire distincto ab eadem, modò non ponatur impedimentum, imò posito, quòd impenetrabilitas in quantitate ab alio habeatur, quàm ab illa ipsa, urgeret paritas, etiam in substantia extensionem in ordine ad se, ab alio haberi debere.

INSTABIS secundò ex eodem. Substantia, quòd uniatur uni, & non uniatur alteri parti immediatè, seu extreitas partium in ordine ad se, habetur ex unione, ita ut si varientur uniones, varietur extensio, extreitas etiam in ordine ad locum, provenit à præsentiis. Ergò ad nihil requisita est quantitas.

RESPONSUM supra, ut immediatè collum uniatur capiti, habetur ex unione; ut autem immediatè uniatur simul cum extreitate, habetur interventu quantitatis, hinc, re, spoliatâ omni quantitate, est unio inter caput, collum, & reliqua membra quoad entitatem spectata, eaq; immediata, sed non est unio cum extreitate, de quo etiam actum supra. Extreitas etiam in ordine ad locum, secundùm solam indistantiam à loco, habetur à præsentiis, sed non secundùm extreitatem in ordine ad se.

OBJICIUNTUR IV Paritates aliquæ, PRIMA. Quantitas discreta, v. g. esse unius, esse duorum, non distinguitur à re quanta. Ergò & quantitas permanens.

RESPONDETUR, Disparitatem esse, quia quantitas discreta, non aliud est nisi singularitas seu hæcceitas, quæ identificantur rei, ut aliunde suppono. Et certè si spolietur singularitas à re existenti, non erit universalis, universalia enim non existunt, naturâ autem illa existeret. Quòd si non esse tuniversalis; Ergò esset singu-

singularis, quod enim inter hæc medium? Nullum autem est fundamentum identificandi quantitatem substantiæ, imò propter rationes adlatas, oppositum convinci debet. Et certè majorem habet connexionem cum ratione entis existentis, quantitas discreta, præ quatitate permanenti. Hinc etiam Ens spirituale, non potest non habere quantitatem discretam, hoc est rationem unius, possibile autem est rem existentem, quantitate permanenti carere, ut de facto eâ carent spiritualia.

SECUNDA PARITAS. Quantitas successiva v. g. tempus, non distinguitur à motu. Ergò nec quantitas.

RESPONDETUR disparitatem esse, quia in definitione temporis ponitur motus; & tempus, præter motum, est mera moralitas: esse autem extensum, est quid Physicum; nec definitivè quantitas, est substantia.

TERTIA PARITAS est. Intensio non est distincta à re intensa. Ergò nec extensio à re quanta.

RESPONDETUR. Nec intensio à qualitate, nec extensio aliàs explicata, à quantitate distinguitur; cum hoc tamen stat, ut sicut qualitas à intensa, ita & quantitas à substantia, distinguatur.

OBJICITUR V. Possibilis est quantitas identificata, nec est ratio, cur non sit de facto identificata. Ergò.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum de qualitate identificata, aut quocunque alio accidenti. Quicquid sit de possibili, quòd de facto non sit identificata, probant rationes adlatæ.

DISPVTATIO X.

DE COMPOSITIONE CONTINVI.

OB dicenda infra, aliter titulus formari deberet, sed loquendum est cum multis.

PRÆMITTO *Notionem terminorum* in hac materia usitatorum, dum loquimur de partibus quantitatis, ejusq; compositione.

PRIMUS TERMINUS. *Partes aliquotæ.* Per aliquotas partes, intelliguntur partes, quarum unaquæq; nihil accipiendo de parte altera, una cum aliis sibi æqualibus, aliquam extensionem certam conficit. v. g. in ligno tripalmari, unusquisq; palmus, est pars aliquota, nam unusquisq; nihil participando de alio palmo, tripalmare quantum constituit. Vocantur insuper hæ partes, æquales uni certæ.

SECUNDUS TERMINUS. *Partes proportionales*, quæ nihil aliud sunt, quàm partes, quæ ex aliquo quanto diviso, proportionaliter minores & minores accipiuntur. v. g. si ex uno palmo, semipalmi, ex semipalmis, medietates, ex medietatibus, alia minora dimidia, accipiantur &c. Vocantur autem proportionales, quia quæ est proportio illarum duarum inter se, illa proportio est aliorum duorum, ex quibus accipiuntur. Nam sicut semipalmi duo, constituunt palmum, ex quo accipiuntur, ita duo palmi, constituunt bipalmare, ex quo itidem accipiuntur.

Nihilominus rigorosè loquendo semipalmi si comparentur ad palmum, possunt dici partes proportionales, accipiuntur enim ex palmo, sed comparati inter se benè dici possunt partes aliquotæ, tàm enim in bipalmari, duo palmi de se non participant, quàm in palmari.

Hæ ipsæ vocantur *Communicantes*, quia una participat ex alia, ut semipalmi ex palmo.

Vocantur item *Inæquales*, quia nonnisi minores & minores accipi possunt. Hinc ex uno palmo non possunt accipi duo palmi, sed duo semipalmi, quorum unusquisque singillatim acceptus, minor est palmo.

Vocantur item *Indeterminatæ*, non quod non habeant esse suum certum, & determinatum à parte rei, si enim sunt à parte rei, determinatæ sunt, nihil enim indeterminatum existit: Sed vocantur indeterminatæ, quia scilicet in sententia Aristotelica, nulla illarum, ita est determinatæ & limitatæ parvitatis, ut illa minor dari non possit. Et ita semipalmi sunt partes indeterminatæ, non determinantur enim, quin in alias medietates minores dividi possint, & hæ in alia dimidia, & sic in infinitum.

TERTIUS TERMINUS. *Indivisibile* seu punctum, cujus pars ut inquit Euclides nulla est.

QUARTUS TERMINUS. *Linea*, quæ est ex Euclide Longitudo latitudinis expers.

QUINTUS TERMINUS. *Superficies* est ea, quæ longitudinem latitudinemque tantum habet. Hoc prænotato. *Sit:*

QVÆSTIO I.

De Continui permanentis Compositione in aliorum sententia.

DUas potissimum sententias in præsenti examinabimus. PRIMO an Continuum permanès componatur ex indivisibilibus? quā sententiam defendit Zeno, ex recensioribus Arriaga, Herize, Toletus & alii. SECUNDO an componatur ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus? quæ sententia tribuitur Aristoteli estque communis. Posset etiam examinari, an componantur ex punctis inflatis? sed eam apud alios impugnatam vide.

Difficultas I.

Componiturne ex indivisibilibus?

DICENDUM EST. *Non Componi.* Probant id & Philosophica & Mathematica argumenta, quæ defendi indigent, propter responsiones à recentioribus excogitatas.

Punctum Difficultatis I.

Proponitur primum fundamentum Philosophicum.

PROBATUR primò Conclusio. Indivisibile additum indivisibili, non facit majus. Ergò nec componit quantum. Antecedens probatur. Si indivisibile additum indivisibili, faceret majus, deberet unum indivisibile, tangere aliud, hoc ipso enim, si non tangeret, continuum non esset. Sed indivisibile, non potest tangere aliud indivisibile, quod probatur: Si indivisibile tangeret aliud indivisibile, tangeret illud vel se toto, vel aliquâ sui parte, nullo autem modo tangere potest. Quia si tangeret aliquâ sui parte, indivisibile haberet partes, quod est contra definitionem: Si etiam tangeret se toto, penetrarent se illa indivisibilia, quia quæ se tangunt, se totis, penetrant se, se totis.

CONFIRMATUR ex recentiori Suar. Indivisibile additum alteri indivisibili, in ordine ad faciendam lineam, & faceret & non faceret globum; non faceret, quia constitueret lineam, hæc autem est longa, faceret etiam globum, quia secundum, aut ambiret totum primum punctum, aut partem: Non totum, quia globum faceret; non partem, quia indivisibile caret partibus.

CONFIRMATUR ex Pontio. Quia si duo indivisibilia immediatè juxta se posita, occuparent plus spatii, quàm unum, si superadditur tertium, vel deberet immediatè se habere ad primum indivisibile, vel non deberet: Si deberet se immediatè habere; Ergò non occuparet plus spatii quàm secundum, consequenter nec secundum, plus occuparet spatii, quàm primum; Si autem tertium indivisibile, non deberet se immediatè habere ad primum; Ergò non tangeret illud, quod tangit primum, secundum eandem partem, & sic non immediate tangeret, secundum indivisibile, quod tangitur à primo, contra hypothesin.

RESPONDERUNT primò huic argumento Arriag. & Oviedo, quòd scilicet puncta tangant se totis, non tamen se penetrent, quia sunt sibi tantum immediata. Aliud autem est unum esse immediatum alteri, aliud penetrari cum illo, quia ad hoc ut unum sit immediatum alteri, sufficit quod nullum intercedat spatium inter illa, ut autem unum penetretur cum alio, est necesse, ut penetrata sint in eodem spatio, & æquè distent, à quocunq; alio corpore, quod non accidit, si quantitas componatur ex punctis. Demus enim lineam 4. punctorum. Primum punctum & secundum immediata sunt, tamen diversam habent distantiam respectu quarti, quia secundum punctum, tantum distat à quarto interjectione unius puncti, primum autem à quarto distat interjectione duorum punctorum. Addunt quòd quando primum punctum, tangit secundum se toto, quamvis idem punctum secundum, tangatur à tertio se toto, non tamen tertium tangitur à primò, quia licet tam primum quàm tertium, tangant idem punctum, secundùm idem, secundùm inquam entitatem, illud tamen tangunt per diversa latera. Quod autem quodcunque indivisibile habeat diversa latera, probant id tum auctoritate Aug. Lib. 2. de Libero Arbitr. C. 8. tum variis imaginationibus. Supponunt moveri indivisibile versus orientem, & tunc divisibile occupat spatium immediatum, quod occupabat Corpus, & ex illo spatio pellit Corpus. Si autem moveatur versus occidentem, tunc indivisibile occupat spatium immediatum, quod occupabat corpus aliud, & ex illo spatio pellit illud. Ergò indivisibile, habet diversa latera extrinseca, ratione quorum, ab illis immediatis corporibus tangitur, quod etiam alia imaginatione exemplificant ejusdem roboris.

IMPUGNAT hanc responsionem recentior Suar. & dicit hic n. 73. quia quæ secundùm se tota tanguntur, sunt in eodem loco penetrativè. Sed hoc ipsum est quod negant, impugnarique debuit. *Hinc aliter*

CONTRA primò est. Si manus divisibilis tangat aliam manum secundùm se totam, rectè infertur, Ergò se penetrant; consequenter sequitur, illas non tantùm esse sibi immediatas, sed & penetratas. Ergò etiam, si punctum tangat se toto aliud punctum, seu indivisibile, benè inferetur, Ergò se penetrant, consequenter sequetur, ea non tantùm esse sibi immediata, sed & penetrata. Consequentia probatur. Ideò Antecedens est verum, quia una manus, toti alteri est intima, non tantùm exterioribus illius, sed etiam unum punctum, est intimum toti alteri, & non tantùm exterioribus illius. Ergò utrobique est penetratio.

Eadem principalis consequentia sic probatur ex verbis ipsiusmet Arriaga. Ideò in casu Antecedentis fieret penetratio, quia pars interior nō posset tangi ab altero corpore, nisi hoc anteriorem partem penetraret. Ergò etiam quando punctum, toto se tangitur ab alio puncto, nequit hoc fieri, sine penetratione: quia sicut se habet, id quod habet partes anteriores & interiores, tangiturq; secundùm partes anteriores,

teriores, & interiores, ex hocque penetratio sequitur, sic sequetur & in præsenti, quia etiam tangitur totum punctum; interioritas enim, vel exterioritas partium, nil confert ad penetrationem: hinc duo Angeli penetrarent se, quantumvis nullas haberent partes, casu quo se totis tangant se, præcipuè cùm non detur ullum impeditivum penetrationis superadditum, de quô aliàs.

CONTRA secundò. Concesso quòd puncta habeant diversa latera, non sequitur posse unum punctum, secundùm unum latus tangi, non tangi secundùm aliud. Quæ propositio est immediatè oppositа doctrinæ utriusque. Ea verò sic probatur. In eo est contactus puncti, quod est entitas puncti, latera non sunt entitas puncti, Ergò in lateribus non est contactus. Ergò defectus penetrationis, non debet salvari per tactum, ex uno latere, & non ex omni. Major conceditur ab oppositis, nominatim ab Ovied. hîc Punct. 8. n. 5. Minor est etiam eorundem, dicunt enim hæc latera esse extrinseca puncto. Rursùs latera illa, in re sunt eadem entitas puncti, cum diversis prædicatis connotatis, quomodo ergò poterit fieri contactus Physicus, unius lateris, quin fiat contactus aliûs lateris, physicè loquendo?

CONTRA tertiò. Demus duo puncta penetrare se, quid habent illa penetrata, præ illis, quæ se tangunt totis? Dices eundem locum: Quæro ulterius, quæ duo habent eundem locum, quid plus habent præ istis, quæ se tangunt totis? quareque non sequitur illa esse in codẽ spatio imaginario? præcipuè cùm nihil adhuc superaddatur impeditivũ penetrationis.

RESPONDENT secundò, retorquendo argumentum. Quando superficies manus tangit superficiem aliûs manus, non se penetrant illæ superficies, nec secundùm totum, nec secundùm partem; idque ideo, quia sunt sibi nonnisi immediatæ, & non respondet illis, idem spatium loci imaginarium. Ergò etiam, quando punctum tangit aliud punctum, non erit necesse illa puncta penetrari.

IMPUGNAT. Pontius hanc responsionem, dicitq; etiam superficies manuum se penetrare, ex quo sequitur, etiam illa puncta se penetrare, hocque dicit voluisse Aristotelem, dum ait: Contigua esse, quorum extrema sunt simul, hoc est in eodem loco. *Hæc impugnatio.*

NON SATISFACIT. Quia repugnat universaliter penetratio duarum rerum quantarum. Deinde si se superficies manuum penetrant, totæ manus se penetrabunt. Quod ipsum probatur. Quando se primæ superficies penetrant, necessariò secundæ se contingent, nam superficies manus B. erit in loco, ubi est superficies manus A. Ergò si superficies manus A. tangit superficiem suam secundam, etiam superficies B. quæ est in eodem loco, cum superficie manus A, idque beneficio penetrationis, continget eandem secundam superficiem. Quod si se contingent secundæ superficies, vel se penetrabunt vel non? Si non penetrabunt, cur non? cum se penetrent primæ; Si autem secundæ superficies se penetrabunt, totæ manus se penetrabunt. *Sed*

CONTRA hanc responsionem est. Quia quando una manus tangit aliam, tangunt se illæ, quoad extremitates nonnisi, quæ autem se tangunt nonnisi quoad extremitates, non se penetrant, & si se tangerent totæ, ita sicut se tangunt secundùm extremitates, penetrarent se. Cum ergò in punctis nullæ sint extremitates, necessariò si se tangunt, penetrant se. Quare autem ipsa extrema tangendo se, non penetrent se, hoc inde est, quia extrema habent aliquas partes interiores, alias exteriores, penetratio autem non fit, nisi attingantur partes interiores. Et quia non datur contactus tunc partium interiorum, nec dabitur penetratio. Jam verò cùm in puncto, non sint ullæ partes interiores, & nullæ exteriores, hoc ipso qui tangit punctũ, tangit & interius & exterius puncti, sitque, ut hoc ipso illud penetret.

CONFIRMATUR ex Mastrio hîc disp. 9. num. 31. Implicat unum in divisibile, esse alteri immediatum & extra illud positum, nam si A. B. C. sint tria puncta sibi immediata, vel B. medium, tangeretur secundùm se totũ, ab utroq; collaterali, vel secundùm aliud & aliud, & hoc est contra rationẽ indivisibilis, illud verò manifestè ostendit, illa tria puncta, esse invicem compenetrata.

Hæc utraque impugnatio supponit aliunde non esse impedita hæc puncta, ut non tantùm sint sibi immediata, sed etiam intreiter; quod requiritur ad penetrationem, & aliunde non repugnat impediri, eo quòd non implicet aliqua sibi esse immediata, nec tamen secum intreiter, si aliunde impediantur ne sint intreiter.

RESPOND. tertiò. Angelus & anima possunt se extendere divisibiliter, quoad spatium, licèt Angelus & anima, sint quid indivisibile: ergo & indivisibile additum indivisibili, poterit occupare majus spatium.

CONTRA est, quia illa occupatio spatii divisibilis, referri debet in vim quandam Spiritibus propriam, quam nobiliori modo (adeoq; cum vi redigendi se in punctum) habent Spiritus, vi cujus virtutis & proprietatis, faciunt hoc sine extensione quantitativa suæ entitatis, quod facit extensio quantitativa in aliis; sicut habent perceptionem sensibilium sine actione sensibili, faciendo id excellentiori modo, quod faciunt sensibilia. Quia autem id quod faciunt extensa, non habent vim faciendi indivisibilia, ideo unum indivisibile alteri additum non facit majus. Quod autem id quod faciunt exten-

extensa, non habeant vim faciendi in se inextensa, exinde colligitur; quia prædicta perfectio conceditur Angelis ob eminentiam Esse, sicut enim habent esse eminens, ita debent habere & locabilitatem eminentem, talis autem eminentia non convenit indivisibilibus: nec ex eo, quia aliquid convenit spiritibus statim dicendum convenire corporeis. Indubiè tamen indivisibile additum indivisibili facit plura, sicut & unitas, quæ est indivisibilis addita unitati, facit plura, sed non extensa.

Punctum Difficultatis 2.

Proponitur secundum fundamentum Philosophicum.

PROBATUR secundò ex eodem Aristotele. Si continuum constaret indivisibilibus, sequeretur motum velocissimum & tardissimum, esse motus æquales, quod apertè absurdum est. Sequela autẽ probetur; Supponamus unam eandemque lineam ab aquila intra quadrantem, à testudine pertransiri horæ spatio, quo posito sic instituitur argumentum. In uno instanti, non potest pertransiri nisi unum indivisibile, aliàs esset in eodem instanti in pluribus locis, hocque ipso illud instans non esset instans seu indivisibile, cujus una pars responderet uni parti loci, alia pars, alteri, quo ergò instanti pertransit unũ indivisibile aquila, vel eodem instanti pertransit unum indivisibile, aut tantùm partes illius, aut nihil, testudo: Si pertransit unum spatii indivisibile, Ergò in illo instanti, æquè movetur testudo ut aquila; idque dicam de cæteris instantibus; Si pertransit partem tantùm indivisibilis; Ergò illud, non est jam indivisibile, cùm habeat partes; Si autem nihil pertransit loci: Ergò tunc non movetur. Supponimus autem utrumque moveri.

RESPONDET Arriaga & Ovied. Quòd scilicet mobile tardius, in motu quiescat, per aliquas morulas, ratione quarum morularum, illa tarditas provenit. *Circa quas morulas.*

DOCENT I. Quòd quando ponderosum aliquid v. g. lapis deorsum fertur, quantumvis ejus gravitati non resistat aer, & quamvis à propria gravitate semper impellatur, nihilominus cum motus ille non sit velocissimus, citiùs enim solem moveri indubium est, hinc in illo etiam motu, agnoscere se dicunt morulas, quod refert Arriaga in defectum virtutis motivæ, & ita inquit videmus, non volare deorsum tàm citò ciconiam quàm volet columba, quantumvis ponderet plus ciconia, idque defectu virtutis motivæ. Quodsi quæras, cur potius in hac, quàm in illa parte quiescat lapis? determinationem hujus spectare docet Arriaga ad DEUM, tanquam ad auctorem naturæ.

CONTRA I. Quia causa necessaria, positis omnibus requisitis ad agendum, sine intermissione agit, sed lapis descendens deorsum, est causa necessaria, & habet omnia requisita ad motum deorsum; quia necessaria requisita, sunt concursus causæ primæ præparatus, carentia centri, vincibilis resistentia medii, & naturalis ponderositas. Sed hæc in omni instanti habet lapis. Ergò sine morulis descendit deorsum. Cur enim concursum non exhiberet Deus, in omni instanti, quo reliqua numerata adsint: nam quod ait Arriag. referendum id esse, in defectum virtutis motivæ: Hoc locum licèt habeat in adlatis exemplis de avibus, non tamen in lapide, cujus virtus unica motiva deorsum, est ponderositas extra centrum posita. In motu autem ciconiæ deorsum, ipsa ponderositas est impedimentum, nam dum eam continere studet, ne proruat violenter, moratur volatum. Et cum in sententia Arriagæ, minus, & majus grave, æquè tendant deorsum, si illic ponderositas agit, & ciconia, & columba, æquè deberent citò descendere deorsum. Et certè cum ponderositas, in prærequisitis jam dictis accepta, sit principium motus deorsum, si semel non erit principium hujus motûs, aliquo scilicet instanti incidentium morularum, nunquam erit principium talis motûs, semper enim eadem & invariata ponderositas manet, Idem autem manens Idem, semper est, & facit Idem.

CONTRA II. Si grave interpositis morulis, descendit deorsum, sequitur hominem ruentem ex altissima turri, posse in cadendo nullo planè modo concuti, casu enim, quo occurrant morulæ immediatè ante terram, sistetur casus & motus, mirumque est? quòd in tot prolapsibus, morulæ nunquam occurrere possint, immediatè ante prolapsum.

CONTRA III. Quia si tarditas illius motûs in aliud referri possit, quàm in determinationem Divinam, hoc potiùs instanti, quàm illo ordinantis morulas, si inquam in aliud referri possit tarditas, referenda est; quia non est philosophicum, recurrere ad Deum, potest autem in aliud referri hæc tarditas, de quo infrà.

DOCET secundò Ovied. hîc Pun. 9. n. 10. quòd mobile in omni motu duo faciat, imprimis impulsum vicino corpori, in cujus locum succedit, & producit in se præsentiam, seque movet, porrò in eo instanti, in quo producit impulsum, Mobile impulsum, in eo instanti non movetur, consequenter, nec in eodem instanti lapis v. g. impellens movebitur, non enim movetur priori corpore non moto, in secundo ergò instanti movetur, & movetur tàm diu, quàm diu durat impulsus sufficiens. Hunc autem impulsum, non semper mobile imprimit, sed tunc tantùm, cùm resistit medium: quia

quia verò impulsus est qualitas citò transiens, ideò iteratò redit ad producendum impulsum mobile, quem producendo, quiescit secundùm dicta suprà. Ubi ut vides, in assignando quo instanti quiescere debeat mobile non recurrere Ovied. ad Deum, quod parùm philosophicum est, sed recurrit ad causas naturales.

CONTRA primò est. Ex hac doctrina sequitur mobile nunquam moveri, quod sic probatur. Dividamus medium in 4. partes, cui debeat imprimi impulsus, illasque vocemus A. B. C. D. quo instanti, impulsum imprimit grave parti A, in illo instanti non movetur, ut ipse docet, sed cum etiam imprimit impulsum parti B. non movetur, quia ipsum B. non movetur per ipsum, tunc enim primùm recipit impulsum. Ergò nec pars A, movetur, deberet enim succedere parti B, quæ supponitur non moveri, & sic rursus. Ergò nunquam movebitur, & sic de reliquis. languescente interim impulsu.

CONTRA secundò. Quia quod est hujus fundamentum, quòd eô instanti physico, quo recipitur impulsus, simul non sit motus, licèt in priori instanti rationis recipiatur, in posteriori moveat? Quod rursùs fundamentum hujus, quòd expectet ponderosum, quoadusque impulsus non langueat? quòd si non exspectat, ut imprimat istam qualitatem, semper imprimet, adeoque semper movebitur.

CONTRA tertiò. Quia vi hujus doctrinæ sequitur, fieri posse, ut homo cadens de turri, in ea mora, quâ nec dum impressus est ultimò impulsus, vel in qua medium impulsum, nondum motum est, posse præcipitari, sine dolore ruendo, ruendoq; tali nonnisi casu, qualis contingeret, si ex illo nonnisi loco, ubi ultimò imprimitur impulsus, caderet, qui casus, non potest esse gravis: nam ex viciniori loco, non ita graviter caditur.

DOCENT tertiò: iidem, quòd quantumvis istæ morulæ sub sensum non cadant, per hoc tamen non evinci, quin de facto dentur, ad eum modum dicit Arriaga, quo motus Indicis in parvo horologio, quia minutissimus est, vix percipi potest, præcipuè cum quies, non ita immuret sensum. Addit insuper, percipi sensu quodammodo morulas, quia illas percipi, est percipere motum non ita esse velocem, sicut videre ubicationem, est videre corpus esse illîc.

Rem aliter paulò declarat Oviedo. Supponit motum sensu externo non percipi, sed tantùm per discursum cognosci, quando enim nunc video corpora aliam habere distantiam, & recordor me, eadem corpora vidisse, cum alia distantia, infero, corpus motum fuisse, quod respectu omnium, diversam habet distantiam. quòd si corpora quæ se movent sub eadem distantia, semper apparerent, intellectus non posset inferre, motum factum fuisse, sicut qui est in navis camera, motum non percipit. Supponit rursùs quietem, si pro negatione motûs sumatur, sensu non percipi, negationes enim non cadunt in sensum: Si item sumatur quies, pro duratione actionis indivisibiliter sumptæ, terminatæ ad eandem præsentiam. Ratio, quia durationes non sunt objecta sensuum, percipitur ergò quies, ex eo, quòd intellectus cognoscat, modo hanc distantiam, & recordetur immediatè eandem præcessisse, ex quo infert; Corpus nullo modo motum fuisse. Addit: longè alio modo motum, alio quietem percipi, quia quando percipio motum, percipio ita, ut advertam partes interruptas motûs, esse continuatas, quando autem percipio quietem, partes interruptæ non continuantur. Idque ideò, quia quies, est permanentia, omnis autem permanentia, motu destruitur, adeoque non continuatur, motus autem quando incipit, vel desinit, non destruit partes spatii in ante acquisitas, adeoque motus, continuari potest. Non ita quies, consequenter, cùm continuatur (quantumvis diutiùs duret quàm motus) percipi non potest.

CONTRA primò est. Concedamus, quietem non continuari, concedamus omnes istas explicationes Oviedo. Supponamus tantùm, quòd avis uno quadrante, perpetuo volatu unam lineam, Sol autem uno quadrante, conficiat plus quam 12. millia leucarum, & suprema sphæra, quadruplo plùs. Unde si comparetur motus avis, cum motu Solis, avis unico instanti movebitur & quiescet circiter 12. millibus instantium, ut ipse Ovied. consentit, quo posito sic arguitur. Posito, quòd immediatè quiescat post motum avis, vel potest intellectus devenire in cognitionẽ illius quietis, ità ut determinatè dicere possit, nunc quiescit, nunc retinet eandem præsentiam, quam antè retinebat, vel non potest devenire in cognitionem illius quietis, non potest dici quòd possit, quis enim istas morulas determinare potest; Si autẽ illas determinare non potest, rogo quæ in intellectu tarditas est, quòd unius instantis motum immediatè post sequentem, designare possit, & non possit designare quietem, & ejusdem distantiæ retinentiam, quæ durat duodecim millibus instantium?

CONTRA secundò. Quia immeritò assumit Arriag. morulas has percipi non posse, quia minutissimæ sunt, quomodo enim minutissimæ sunt, si multis millibus plures sunt, quàm motûs continuatio.

CONTRA tertiò. Quia immeritò etiam dicit, quòd videre morulas istas, sit videre motum tardum, motus enim tardus est absolutè motus, quies, absolutè non est motus. Ergò quies non est motus tardus. Ergò videre motum tardum, non est videre quietem.

Continua-

Continuatur propositio ejusdem argumenti.

Restat contra istas morulas difficilis eaque communis instantia. Ponamus circulum æneum, vel ex materia incorruptibili. Hic circulus quoad partes superiores citiùs, quoad partes inferiores, tardiùs movetur, partes enim inferiores circuli, minùs spacium superioribus conficiunt. Quo posito quæro? vel partes inferiores circuli sistunt, & morantur, currentibus superioribus vel non? Si non sistunt, & tamen tardiùs moventur, ergò tarditas motûs, in istas morulas & consistentias, referri non debet; Si sistunt, quî fieri potest, ut non disrumpantur, unâ scilicet parte motâ, aliis immotis. Probatur ulteriùs, partes inferiores non sistere, quia si à centro illius circuli, ducatur recta, illa eodem situ durabit semper, & tamen eodem situ durare non posset. Si quædam moventur, quædam non moventur partes.

RESPONDET Arriag. Se huic instantiæ non reperire solutionem, quam conatus est tradere Ovied.

DOCETq; primò Oviedo: Ex eo, quòd unum moveatur alio immoto, cui illud unitum est, non sequitur destructio unionis; & ita cùm flexibilis virga movetur, non motis reliquis partibus, quæ tamen sunt inter se unitæ, non sequitur destructio.

DOCET secundò. Quòd indivisibilia continuativa, & indivisibilia Res, seu indivisibilia quæ continuantur, in suo distincto, unumquodque sit loco.

DOCET tertiò. Quòd indivisibilia Res, lineæ inferioris immediatè uniantur indivisibilibus continuativis, superioris lineæ, indivisibilibus autem, quæ sunt collateralia ipsis punctis continuativis, in superiori linea, non uniantur Indivisibilia Res, inferioris lineæ, sunt tamen illi immediata, quia scilicet inter ea nihil intercedit quod sit res, sed tantùm indivisibile illud continuativum, quod est modus. Quando ergò movetur linea superior, non motâ inferiori, non amittit unionem, cum superiori indivisibili continuativo, idque ideò, quia motis indivisibilibus superioribus, versùs dextram partem, acquirunt illa, nonnisi unius puncti spatium, & tunc in locum collateralis ad dextram puncti, succedit ipsa unio continuativa, & quia indivisibile motum collaterale, erat immediatum ipsi indivisibili inferioris lineæ, erit etiam immediatum, in locum illius succedens continuativum punctum, adeoque nulla fiet discontinuatio. Quando autem post illam morulam incipiunt, & superior & inferior circulus moveri, quia inferior, minus habet conficiendum spatium, quàm superior, fit ut movendo se, iteratò, eundem locum recuperet circulus inferior, imò & excedat superiorem, si unà, diutiùs moveantur, & sic quiescere poterit. Ergò ulteriùs linea per circulum ducta, primò movente se circulo superiori, dum quiescit inferior, nonnisi leviter inflectitur, & insuper sese remittit ad statum, movente se circulo inferiori.

CONTRA primò est. Posito, quòd circulus superior, in motu acquirat unum indivisibile spatii, posito, quòd succedat indivisibile continuativum superius, in locum indivisibilis, quod est Res, sequitur, nunquam se posse remittere in eundem locum, circulum inferiorem, quod probatur. Quando uterque circulus, idque in instanti movetur, non potest uterque nisi unum indivisibile spatii acquirere, jam autem si remittere deberet sese circulus in eundem locum, deberet acquirere duo indivisibilia spatii, illud scilicet quod deperderat, dum quiescebat, & hoc quod acquirit hîc & nunc, circulus superior, unà cum illo, hoc est circulo inferiori, se movendo. Cùm ergò non possit, in eodem instanti duo invisibilia spatii acquirere, nec in secundo instanti se remittere poterit, in eundem locum. Non etiam in tertio instanti, quo supponitur quiescere circulus inferior, & moveri superior, quia in hoc motu, sinistrum collaterale, statuet se tantùm in illo loco ipsius indivisibilis continuativi: immò in quinto instanti, indivisibile inferius, nec sub collaterali dextro, nec sub continuativò indivisibili, nec sub collaterali sinistro, locum habebit; ut calculanti patebit. Certum est, quòd si circulus superior quiesceret in secundo instanti, & solus moveretur inferior, tunc inferior remitteret se ad suum locum. Sed supponit Ovied. utrumque circulum in secundo instanti moveri, & si alternatim superior, alternatim inferior moveretur, non citiùs moveretur superior quàm inferior, quia per æquales morulas, hoc est alternatas, inchoarent motum.

CONTRA secundò. Transeunte indivisibili continuativo in locum indivisibilis collateralis, eodemne modo distat, quo ante, indivisibile continuativum ab indivisibili inferioris lineæ, vel non eodem modo? si eodem modo distat, quo ante? Ergò nec spatium mutavit, nec per spatium unius indivisibilis promotum est. Si autem non distat eodem modo? rogo quî fieri poterit, ut contingat in eodem invariato spatio, positum indivisibile superius, cùm nec se distendere nec replicare possit, quomodo item elongatione majori positâ, continuari potest?

CONTRA tertiò. Quando succedit indivisibile continuativum in locum indivisibilis dextri, quod, aliud indivisibile spatii censetur acquisiisse, occupareque jam spatium indivisibilis sinistri, succedit etiam indivisibile conti-

continuativum, rogo quomodo se habeat, ad aliud indivisibile inferioris lineæ? uniturne cum illo, cùm antea unitum non fuerit, vel non? Si unitur, Ergò ille modus non est essentialis determinatio ad hæc tantùm puncta, sed etiam ad aliud illud, quod illi de novo occurrit, hoc autem est, contra rationem modi; Si non unitur, Ergò illâ parte non est illic continuatio sed disruptio, vel novas & novas uniones asserere, erit multiplicare Entia.

Et hæc sunt fundamenta merè philosophica contra indivisibilia, quæ pondus habent etiam apud oppositos: nam alia eludunt. Hinc cùm opponitur, si puncta componerent lineam, essent vel continua vel contigua? non possunt esse continua, quia continua sunt quorum ultima sunt unum, puncta autem non habent ultima; non possent item esse contigua, quia contigua sunt, quorum extrema sunt simul. Respondet Arriaga, has definitiones, quamvis Aristotelicæ sint, non esse bonas, & dicit continua esse, quæ ita uniuntur inter se, ut unum sit extra aliud. Contigua verò sunt, quæ licèt proxima sint localiter, carent unione. Cùm rursùs opponitur illis. Ex non quantis, non potest resultare quantum. Ergò nec ex punctis, quæ etiam non sunt quanta: negat enim puncta non esse quanta, quamvis habeant extensionem nonnisi indivisibilem. Negant item consequentiam, eidem argumento & dicunt similem esse huic. Petrus non sunt duo homines. Paulus item non sunt duo homines. Ergò ex Petro & ex Paulo, non resultant duo homines.

Sed restant adhuc contra puncta, argumenta Mathematica.

Punctum Difficultatis 3.

Proponuntur fundamenta ex Mathematicis contra indivisibilia.

PRIMA DEMONSTRATIO est. Demonstravit Euclides lineam rectam, posse dividi in duas partes æquales: sed si lineæ componerentur ex punctis, linea constans tribus punctis, non posset æqualiter dividi, intermedium enim punctum, in duas partes secari non potest.

RESPONDET Arriaga & Oviedo, negando demonstratum esse ab Euclide, nec videtur esse de essentia lineæ rectæ, dividi in partes æquales. Posset item hoc argumentum retorqueri in eos, qui quantitatem componunt ex partibus & punctis continuativis, si enim linea dividens, caderet in punctum continuativum, qui divideret æqualiter. Addit Ovied. Quòd quando sunt puncta res, impatia, puncta continuativa semper sunt paria: nam v. g. inter tria indivisibilia rerum, debent intercedere duo puncta continuativa. Consule eundem.

SECUNDA DEMONSTRATIO est. Si quantitas componeretur ex punctis, sequeretur circulos concentricos majorē & minorem esse æquales, quod apertè falsum est. Sequel. probatur, à quolibet puncto circumferentiæ circuli majoris, potest duci linea ad centrum, tunc incidendo in circulum minorem, vel distincta puncta notabunt in circulo minori, vel non notabunt, distincta puncta? si notabunt, Ergò tot erunt puncta, in inferiori circulo, quot in superiori; Si non notabunt? Ergò lineæ ductæ à circumferentia circuli superioris, in circulo inferiori incident, quod falsum est, quia lineæ ductæ à circumferentia ad centrum, si rectæ & non undosæ sint, non debent se tangere, nisi in centro.

RESPONDET Oviedo posuisse quidem Euclidem inter notiones communes, quòd lineæ rectæ nō habeant unum & idem segmentum commune, dicit tamen, se inquisisse ex Mathematicis nec discere potuisse, quòd habeant pro hoc firmam demonstrationē. Hinc & ille, & Arriaga & Pontius respondet, fore ut coincidant in inferiori circulo aliquæ lineæ, quia inferior circulus, non tot puncta, nec tot habet partes determinatas, si ex partibus componatur circulus, non erunt tamen undosæ, quia breviorem viam ad centrum non habebunt, quàm incidendo ad invicem.

TERTIA DEMONSTRATIO est. Si quantitas componitur ex punctis, sequitur diametrum quadrati, esse æqualem costæ, supponamus enim costam esse decem punctorum; supponamus à singulis per medium, usque ad costam oppositam, duci lineas, tunc per istas ductas lineas, diameter totus cooperietur, cooperiri autem non deberet, si pluribus quàm 10. constaret punctis.

RESPONDETUR imprimis retorquendo argumentum contra partes proportionales, si enim à partibus costæ ad aliam costam ducantur lineæ, cooperient diametrum, neq; tamen inde sequitur coæqualitas costæ & diametri. Ergò nec apud oppositos idem sequitur.

QUARTA DEMONSTRATIO. Supra quamcunq; basim, certum est construi posse triangulum, certum item est, quòd basis trianguli, sit longior quâcunq; sibi superpositâ lineâ. His positis supponamus, basim esse, trium punctorum, latera 6. punctorum, ducatur linea immediatè sub Cono, illa ad minimum erit duorum punctorum, secunda cùm debeat superare primam in triangulo, necessariò erit saltem trium punctorum, tertia erit quatuor punctorum, adeoque complurium punctorum quàm basis.

RESPONDETUR imprimis. Retorquendo argumentum in partes proportionales, casu quo sit basis, trium partiū æqualium uni cer-

tæ, & latera 6. vel plurium partium æqualium uni

uni certæ, ejusdem proportionis. Hancq; viam tenet etiam Arriaga. Sed Oviedo negat universaliter, quòd lineæ laterales possint esse longiores ipsâ basi pyramidis, quia pyramis fit per positionem unius lineæ supra aliam, & hæ lineæ quæ supponuntur, debent esse una minor aliâ, una autem, aliâ non esset minor, si basi lateralis linea, major esse posset.

Multæ ex his, similesque demonstrationes, solvi possent, quòd procedant ex suppositione quantitatis, ex partibus proportionalibus compositæ, in infinitum divisibilibus.

Difficultas II.

Componiturne Continuum permanens ex partibus proportionalibus, in infinitum divisibilibus?

PUtatur asseruisse Aristoteles multis in locis, præcipuè sexti Physic. ubi de quantitate tractat ex professo. Asserit S. Th. & omnes communiter, novissime Suar. negat Zeno, cui favent Lugo Card. Hurt. Tolet. Arriaga, Oviedo.

Nihil definiendo sola argumenta in oppositum propono.

Punctum Difficultatis I.

Examinatur primum fundamentum contra partes proportionales.

PRIMUM FUNDAMENTUM est. Supponamus, per possibile vel impossibile, ex una parte produci à Deo omnia possibilia, vel si te productio eorum offendit, suppono DEUM cognoscere omnia possibilia, accipio deinde aliquod determinatum papaveris granum. Hôc posito, sic

PROBARI posset. Vel Deus omnibus possibilibus à se productis, aut si mavis dicere, omnibus à se cognitis, potest dare, assignare, connumerare &c. partes proportionales, minores & minores, dicti grani papaveris, semper alias & alias, vel non potest: Si non potest? Ergò falsò asseruisti, quantum, adeoq; granum papaveris, componi ex partibus semper & semper divisibilibus, dabilibus, asignabilibus; Si autem potest dare singulis possibilibus, partes proportionales minores & minores grani papaveris, quæro ulteriùs: Datâ ex illo grano, unicuique ex possibilibus, suâ parte proportionali, vel manent ulteriùs adhuc dabiles partes proportionales, vel non? Si non manent; Ergò ventum est ad indivisibilia, quia ventum est ad non dabilia, nec asignabilia ulteriùs: Si autem post asignationem partium proportionalium aliarum & aliarum, pro omnibus possibilibus, adhuc manent partes dicti papaveris, ulteriùs dabiles. Ergò sunt plures partes proportionales, unius grani papaveris, quàm sint omnia possibilia, quia pluries dabiles, quàm sint omnia possibilia. Ergò ulteriùs, partes proportionales unius grani, plures erunt, quàm omnium granorum possibilium, acceptorum cum suis partibus proportionalibus; quia post asignationem factam illis possibilibus, adhuc manent in illo grano ulteriùs asignabiles partes. Quòdsi partes proportionales unius grani, plures sunt quàm partes proportionales reliquorum granorum papaveris, Ergò asignas diversis granis & quantis, diversas divisibilitates constituendo majorem partium proportionalium multitudinem, in uno grano quàm in aliis, infinitè pluribus, quæ non capit Ratio.

In idem recidet si dicas. Si singulis possibilium distributivè acceptis, possunt dari partes minores & minores, aliæ tamen & aliæ, grani papaveris. Ergò verificari poterit hæc propositio: Nulla est pars ex possibilibus distributivè acceptis, quæ non habeat sibi asignatam partem proportionalem. Quô posito, quæro de ipso papavere: An verificabilis sit hæc propositio: Nulla est pars grani papaveris, quæ non sit jam assignata; vel hæc; Aliqua est pars papaveris, quæ adhuc non est assignata: Si prior illa verificatur; Ergò ventum ad Indivisibilia, quia non assignabilia ulteriùs; Si secundum. Ergò ut inferebatur plures sunt partes grani papaveris, quàm omnia possibilia. Nam de omnibus illis possibilibus distributivè acceptis verificatur hæc propositio: Nullum est ex possibilibus distributivè acceptis, quod partem ex grano papaveris accipere possit, & non acceperit, & tamen verificatur adhuc: Aliquæ partes grani papaveris, sunt adhuc, quæ dari possunt, & non sunt datæ. Si enim dari ulterius non possunt, ventum est ad indivisibilia, quia non dabilia ulteriùs.

Universaliter autem non potest dici, quòd singulis possibilium possint ex uno grano papaveris assignari partes, licèt minores & minores in infinitum. Tum quia si unum infinitum exhauritur ab alio infinito, quomodo unius grani partes finitæ in infinitum, non exhaurirentur per possibilia omnia, quæ non sunt unum finitum in infinitum, sed sunt infinitè infinita in infinitum. Tum quia, si imperceptibile est posito infinito hominũ, quomodo nõ sit majus infinitum capillorũ, quos haberent infiniti homines, ita imperceptibile videtur simplas partes proportionales unius grani, æquivalere duplis partibus proportionalibus, duorũ granorum, multò magis omnium possibilium, cùm in nullo casu simplum, connumerabile sit duplis. Tum quia ex ligno centũ pedali, singulis partibus ligni pedalis, partes minores & minores dari non possent, siquidem pluries sunt dabiles

partes

partes ligni pedalis, minores & minores, partibus minoribus & minoribus ligni centum pedalis, si tua responsio tenet; quod nulla Ratio capit, jam enim minus, majus esset majori.

RESPONDERI potest primò. Suppositionem tollere seipsam. Supponit enim ex una parte, omnia possibilia vel producta vel cognita, ex altera parte granum unum papaveris, quasi illud inter omnia possibilia non contineretur, adeoque supponit omne possibile, & non omne possibile.

CONTRA. Quia suppositio loquitur de omnibus possibilibus, ita ut ex illis extrahatur unum possibile, deq; illo ita extracto, instituitur argumentum.

RESPONDERI potest secundò. Partes proportionales unius grani distributivè acceptas, æquivalere omnibus possibilibus; quantumvis collectivè acceptæ, non æquivaleant omnibus, non licèt autem à sensu distributivo ad collectivum argumentari. In idem recidet: partes grani unius, non æquivalere materialiter partibus grani alterius, licèt æquivaleant in ratione formali. In hoc scilicet, quia sicut partes granorum B. C. non tot sunt quin plures, ita partes A. grani, non tot sunt, quin plures.

CONTRA. Tum quia partes grani A. distributivè materialiter & quocunq; modo appellaveris acceptæ, idem sunt realiter cum partibus collectivè & formaliter acceptis. Ergò quodcunq; prædicatum physicum uni convenit, conveniet & alteri. Sed partibus v. g. grani A. distributivè acceptis, convenit esse æquales partibus proportionalibus granorum B. C. Ergò conveniet esse æquales, etiam collectivè acceptis, ex principio recepto: Quòd scilicet identificatorum realiter, eadem sint prædicata physica. Tum quia etiam posito, quòd partes unius grani distributivè acceptæ, sint commensurabiles omnibus reliquis possibilibus distributivè acceptis, stat adhuc argumentum, manentne distributivè ulteriùs dabiles illæ partes, posito quòd sint singulis jam datæ, vel non manent distributivè dabiles. Tum quia non licet à prædicatis ortis à mera collectione, argumentari ad prædicata orta ex mera distributione; sed licitum est argumentari à prædicato physico omnium distributivè acceptorum, ad prædicatum physicum collectivè acceptorum. Unde si de distributivè acceptis Apostolis verum est dicere, quòd cucurrerint per orbem, etiam de tota collectione verum est dicere, illam cucurrisse; æqualitas autem, est prædicatum physicum. Et sicut Petrus & Andreas, si collectivè accepti non æquant tredecim, nec distributivè accepti æquant; ita si partes collectivè acceptæ unius grani, non æquant omnia possibilia, nec æquabunt distributivè acceptæ.

RESPONDERI potest tertiò. Partes proportionales unius grani, neq; esse tot quot sunt reliqua omnia possibilia; neq; non tot, quia Ly tot, & Ly non tot, sunt prædicata rebus determinatis convenientia, cùm autem partes illæ proportionales, non sint determinatæ, neque tot, neq; non tot possunt dici, esse. Sic v. g. de numero dici potest, est hic pluralitas, tamen dici non potest, an pluralitas sit major decade, vel minor decade, quia Ly pluralitas, non est numerus determinatus. Cùm ergò etiam partes proportionales, non sint partes determinatæ, dici de illis non poterit; an sint tot, vel non sint tot, quot sunt reliqua omnia possibilia. Innuit hanc responsionem recentior Suar. Tract. 5. Physicorum d. 1. n. 156.

CONTRA. Tum quia si nescis an tot sint partes proportionales unius grani papaveris, ut possint dari omnibus reliquis possibilibus. Ergò etiam nescis, an quantitas componatur ex tot partibus, ut iis positis, sint vel non sint plures dabiles. Si enim indeterminatio partiũ, facit, ut nescias; an tot sint vel non tot sint, quot sunt omnia possibilia. Ergò eadem indeterminatio faciet, ut nescias, an componatur ex partibus semper ulteriùs acceptibilibus, vel non componatur ex partibus ulteriùs & ulteriùs acceptibilibus. Tum quia indeterminatio partium hoc tantùm importat, quòd illæ partes, non ita parvæ sint, quin minores dari possint, ex quo nullo modo sequitur, quòd non possit dici an sint plures, an non plures reliquis possibilibus, immò ex tuo asserto oppositum sequitur: si enim sunt in infinitum, semperque ulteriùs & ulteriùs acceptibiles. Ergò etiam acceptibiles ad connumerationem omnibus reliquis possibilibus, hôc ipso enim si non essent acceptibiles, ad connumerationem omnibus reliquis possibilibus, non essent in infinitum ulteriùs & ulteriùs acceptibiles. Tum quia quando dico de numero est hîc pluralitas, si numerum eundem non habeo aliunde cognitum, non possum dicere: an pluralitas sit major vel minor, decade: non enim assero de numerõ, quòd hujus naturæ sit, quòd æquivalere debeat quibuscunq; aliis numeris, & si hoc asserem de illo numero, dicerem extemplò, illum esse majorem decade. Tu autẽ cùm asseras de quantitate, quòd non tot habeat partes, quin plures; teneris etiã asserere, quòd habeat partes, reliquis posibilibus dabiles, hôc ipso enim essent, non tot quin plures, sed non plures.

RESPONDERI potest quartò. Falli imaginationem argumenti in hoc quòd imaginetur, vel in omnibus posibilibus, vel in partibus proportionalibus granorum B. C. devenire posse, eô, ut non jam ulteriùs sint dabiles, partes autem granorum B. C. proportionales non tot sunt, quia plures, consequenter & partes grani A. proportionales, quæ adhuc dari debent, non tot erunt quin plures.

CONTRA. Tum quia, accipio istos terminos: Partes proportionales granorũ B.C. aut individua entia possibilia, nõ, tot sunt, quin plura individua possibilia, & acceptis his terminis restituitur argumentũ, sic. Partes proportionales grani A. vel tot sunt quot sunt, non tot, quin plura individua possibilia, vel si mavis dicere quot sunt, nõ tot quin plures partes proportionales granorum B. C. vel non sunt tot? quodcunq; dixeris redibit argumentũ factum. Tum quia suppono omnia possibilia à Deo cognosci, & quamvis nõ tot sint omnia possibilia, quin plura, verum tamen est, quòd nullum sit ex illis, quod Deus non cognoscat. Hôc posito, sic accomodatur argumentum: Datis ex granis A, partibus proportionalibus pro singulis individuis possibilibus, non tot quin pluribus, ita tamen, ut verum sit: Nullũ individuum est, quod suam partẽ proportionalẽ ex grano A. non habeat, sicut verum est dicere: Nullum est individuum, quod nõ sit cognitum, tunc quæro, vel adhuc restant partes dabiles ex grano A, vel non restant dabiles, quodcunq; responderis, redibit argumentum factum. Tum quia ex istis duabus una debet verificari v. g. *vel hæc*. Aliqua pars grani, ex partibus non tot, quin pluribus, est adhuc dabilis, quamvis datæ sint, non tot, quin pluribus possibilibus, *vel hæc*: Nulla est pars grani ex partibus non tot, quin pluribus, adhuc dabilis, cùm datæ sunt, non tot quin pluribus possibilibus. Si verificatur prima propositio, Ergò plures sunt partes illius, præ possibilibus; Si secunda, Ergò ventum ad indivisibilia, quia ad non dabilia.

RESPONDERI potest quintò. Hanc difficultatem totam, pendere ex natura infiniti, adeoq; etiam argumentanti solvendam esse, quod ita ostendi potest. Accipiamus omnes possibiles homines, ex una parte, ex alia parte, accipiamus reliqua omnia possibilia, tùm quæro, vel illis possibilibus reliquis, singillatim potest assignari individuum humanum correspondens, vel non potest? Si non potest, Ergò deveniri potest in creatione hominum, eò, ut plures implicent contradictionem; Quodsi potest reliquis possibilibus singillatim assignari unum individuum humanum, Ergò tot sunt possibiles homines, quot sunt reliqua omnia possibilia.

CONTRA. Tum quia nihil est absurdi dicere, positis per possibile vel impossibile omnibus possibilibus hominibus, quòd inquâ non sint ulteriùs dabiles, ultra enim omne possibile hominum, non est producibilis vel unus homo, consequenter ex possibili hominũ, non posse aliis singillatim, alios & alios assignari homines, quia simplum possibile homnũ, est connumerabile nonnisi simplo aliorum possibilium; est autẽ absurdũ in sententia opposita, datis partibus proportionalibus, pro singulis reliquis possibilibus, deveniri tandem ad non dabiles, seu ad indivisibilia. Tum quia concesso, quòd non plures sint omnes possibiles homines, nec pauciores quàm reliqua omnia possibilia, nego dici posse, quòd æquè sint multæ partes proportionales unius grani, quàm reliqua omnia possibilia; quia positâ quâcunq; hominum multitudine, & extractâ in actum existentiæ, manet idẽ fons & origo multiplicabilitatis hominum, nec quidquã diminuitur, de illo fonte. Porrò fons iste est, ex parte rei producendæ: veritas hujus propositionis; Animal & rationale nõ sunt termini contradictorii: alius fons ex parte producentis, est ipsamet omnipotentia Divina, quæ eadem est, sive unum ponat, sive plura. Jam autem cùm dantur partes proportionales, nõ manet idem principium invariatum dandi, quia minuitur quantũ, manetq; semper minus & minus. Tum quia producto vel annihilato aliquo possibili, non redditur hôc ipso illud possibile impossibile, consequenter possibilitas, manet invariata. Jam autẽ, quod jam uni singillatim assignatur, hoc ipsum jam alteri non potest assignari.

Punctum Difficultatis 2.

Examinatur secundum fundamentum.

SECUNDUM FUNDAMENTUM. Deus cognoscit omnes possibiles divisiones continui. Ergò cognoscit deventum esse ad non divisibile ulteriùs. Ergò, non cognoscit continuum componi, ex partibus in infinitum ulteriùs divisibilibus, quia ultra notitiam Dei, de divisibilitate, nihil est ulteriùs divisibile. Primũ Antecedens verificat Omni-scientia Divina. Consequentia autem sic probatur. Quia Deo cognoscente omnes possibiles divisiones continui, si non deveniretur ad non divisibile ulteriùs, hôc ipso non esset cognita omnis possibilis divisio. Restaret enim illa cognoscenda divisibilitas, quæ responderet, post cognitas omnes possibiles divisiones continui.

RESPONSIO comunis est. Partes continui posse dividi omnes, & posse cognosci omnes, non tot tamen quin plures seu inadæquatè.

CONTRA. Cognoscere omnes partes, in quas est divisibile continuũ, & non cognoscere omnes partes, sunt termini se tollentes. Ergò etiam hi termini; Cognoscere omnes, non tot tamen quin plures, erunt termini se invicẽ tollentes. Consequentia probatur. Ly nõ tot quin plures, est terminus æquivalens termino: Non omnes. Ergò sicut se tollunt hi termini, omnes partes sunt cognitæ, nõ omnes sunt cognitæ; ita & hi termini: omnes sunt cognitæ, & Ly nõ tot tamen quin plures, erunt se tollentes termini. Antecedens probatur comuni cõceptione, idẽ enim est dicere creditorẽ debitori: Nõ tot reddidisti mihi nummos quin plures debeas, ac dicere nõ reddidisti omnes. Ubi est æquivalentia termini: nõ tot quin plures, ad terminũ: non omnes. Itẽ dicere, Deus nõ tot creavit entia quin plura, significat, Deũ adhuc nõ omnia creasse, & sic de reliquis. Procedit hoc argumentũ ut vides contra solã usurpationẽ prędicti termini.

Eundem medium terminum sic proponit Arriag.

Deus videt ōmnes divisiones possibiles, circa hanc chartā, non solùm eas, quæ simul fieri possunt, sed etiam quæ successivè & divisivè; ita ut nulla possibilis sit divisio, quā Deus non videat. Ergò Deus cognoscit per eas divisiones, chartā redactam ad indivisibilia. Consequentia probatur. Quia si non cognosceretur hæc charta redacta ad indivisibilia. Ergò cognoscitur adhuc divisibilis. Ergò possibiles sunt aliæ divisiones, quas Deus non cognoverat, quod est erroneum. Addit idem, Deus habet hoc judicium: si hæ divisiones, quas ego hodie cognosco, simul existerent, nihil ampliùs esset divisibile in hac charta, alioquin ego non cognovissem omnes. Ergò per illas divisiones, charta cognoscitur redacta, ad indivisibilia.

Respondet primò Ovied. & dicit imprimis. Deum quidem cognoscere omnes divisiones possibiles, sed nō cognoscit illas posse inter se cohærere, quodsi Deus non cognoscit illas divisiones posse inter se cohærere & coexistere, nec cognoscit posse ultimò dividi, adeoque nec cognoscit deveniri ad indivisibilia. Dicit deinde, quando Deus cognoscit hanc conditionatam: Si omnes divisiones quas ego cognosco modò existerent, duplicē habere posse sensum. Primò. Quod positis divisionibus omnibus, nec etiā existant extrema, & sub hac conditione, videt Deus nihil continui mansurum, sive divisibile, sive indivisibile; Secundò, quòd positis omnibus divisionibus, adhuc tamē existant extrema, & hæc conditionata, involveret apertam implicantiam, diceret enim existentiā extremorum, ut supponitur; non diceret autē, quia importaret corruptionem unionum, quas tamen per locum intrinsecum, dicit existentia continui. Dicit deniq; Ovied. quomodo Deus possit intentionaliter quantitatē ultimò dividere, & dicit nō cognosci à Deo continuum divisum, in aliquod extremū, quod in se divisibile non sit, cùm quantitas ex se, semper ulteriùs divisibilis sit. Cognoscit tamē continuum, ita, ut non sit omnino divisibile, aliquâ divisione existente, ultra collectionē divisionū, quas Deus cognoscit, consequenter quando Deus cognoscit hanc vel illā divisionē, cognoscit divisionē dicere corruptionēv. g. unionis A, cognoscit nihilominùs existentiā unionis B. & sic deinceps, cōsequēter cognoscit semper adhuc divisibile.

Contra. Tum quia quamvis ex eo quòd cognoscat Deus omnes divisiones possibiles, non sequatur continuū esse divisum, per omnes partes possibiles, illa enim cognitio Dei non est practica. Cæterùm ex eo, quòd cognoscat omnes divisiones possibiles, sequitur videre Deū extremum, quod in se, divisibile non sit; quod ipsum probatur. Vera est hæc propositio: Omne divisibile possibile in continuo, est cognitum à Deo. Ergò etiam hæc vera erit: Nullum divisibile, quod sit possibile in continuo, est cognoscibile à Deo. Si enim jam cognitum est, cognoscibile nō est, cognoscibile accipiendo, pro eo, quod nondum est cognitum. Ergò ulteriùs, si nullum divisibile, quod sit possibile in continuo, est cognoscibile à Deo, nullum etiam divisibile erit. Recta enim est hæc consequentia: Nullum verbum æternū est cognoscibile à Patre minùs Patre. Ergò nullum, est minus. Omniscientia enim atttingit res omnes, & si aliquid non attingit, hōc ipso non est. Tum quia quando Deus cognoscit continuum sine unione A. nnionemq; A. intentionaliter separat, nō repræsentatur Deo quicquā, quod sit divisibile à continentia unionis A. Ergò etiam, quando Deus cognoscit, omne possibile divisibile, nihil cognoscit ulteriùs divisibile & separabile, à cōtinentia unionum. Sicut enim se habet unio A. ad partem divisibilē unam continui, ita omnes uniones ad totū continuum. Ergò quod superest, divisibile separabileq; non est, adeoq; indivisibile. Antecedens primarium probatur. Quia si cognoscente Deo continuum sine unione A, repræsentaretur aliquid divisibile à cōtinentia unionis A, & repræsentaretur illud continuum sine unione A, ut supponitur, & nō repræsentaretur sine unione A, quia adhuc repræsentaretur divisibile à continentia unionis A. Tum quia quando Deus cognoscit omnes divisiones possibiles, vel adhuc manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo, vel nō manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo. Si manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo? Ergò falsò dixisti, omne possibile divisibile, est cognitum; Si non manet aliquid divisibile cognoscibile à Deo, ergò manet indivisibile. Tum quia illud principiū Oviedo: nempè cognosci à Deo omnes divisiones possibiles, sed nō posse illas cohærere inter se, nō convincit pro parte Ovied. Si enim Deus cognoscēdo omnes divisiones posibiles, cognosceret etiā, quòd possint cohærere inter se, quantitas redigi posset actu in punctū. Ergò etiam quando cognoscit omnes divisiones possibiles, quantitas redigitur ad indivisibile intentionaliter. Probatur consequentia. Quia quod faceret in actu physico, positio omnium divisionum possibilium, hoc facit in statu objectivo, cognitio omnium divisionum possibilium. Tum quia si Deus posset mentaliter dividere continuum, per omnes divisiones collectivè, in partes nullo modo inter se communicantes; continuum illud redigeretur ad indivisibile. Sed cognoscendo omnem possibilem divisionem, dividit mentaliter Deus continuum, in omnes partes, nullo modo inter se communicantes, quod ipsum probatur: quia assumptio quam tenes, omnes partes sunt divisibiles, habet hunc sensum, importatque quòd quidquid assignabile est, sive communicans, sive non communicans in quantitate, adhuc divisibile est. Ergò etiam hæc propositio. Omne possibile divisibile, est à Deo cognitum, habebit hunc sensum, importabitque, quia

quidquid assignabile est sive communicans, sive non communicans, si ex quantitate est, jam divisum intentionaliter esse. Fiat enim calculatio: Palmi, ex vi cognitionis omnem possibilem divisionem cognoscentis, jam sunt divisi mentaliter in semipalmos, semipalmi, ex vi cognitionis omnem possibilem divisionem cognoscentis, jam sunt divisi in dimidia, quæ jam intentionaliter non communicant in semipalmo & sic ulteriùs. Ergò Deus simul cognoscendo omnem possibilem divisionem, dividit mentaliter continuum, in partes omnino non communicantes.

RESPONDETUR secundò huic argumento. Hæc propositio: Omne divisibile possibile est cognitum à Deo, facit hunc sensum, nullum divisibile, quod sit cognoscibile, est incognitum à Deo, ita ut nihil restet in continuo, quod non sit cognitum, & tamen pertineat ad continuum, sed non inde inferre licet: Ergò restat indivisibile, hoc enim non pertinet ad continuum, ad eum modum, quo cùm dico: Omnes sunt in schola, sequitur tantùm; nullũ abesse à schola, qui pertineat ad scholam, etiamsi absint qui non pertinent ad scholam. Et sicut, cùm dico: Omnes albi videntur in hoc loco, sequitur quidem, quòd nullus sit albus, qui non videatur in hoc loco, sed non sequitur, Ergò reliqui videntur nigri. Sic quando dico: Omne possibile divisibile est cognitum, sequitur quidem, Ergò nullum divisibile, est possibile, quod non sit cognitum, sed non sequitur, Ergò jam tantùm est indivisibile.

CONTRA. Tum quia hoc ipsum probari debuit, dicent oppositi, nullum scilicet indivisibile spectare ad continuum. Tum quia consequentia allata à non albo ad nigrum, est à negativo ad positivum. Consequentia autem à non divisibili ad indivisibile non est talis, cùm per Ly indivisibile, in præsenti nõ terminus positivus, sed merè negativus veniat, solùmq; est positivus ex modo significãdi. Tum quia, quando dico: omnes dies futuri totâ æternitate post, sunt cogniti: verum est nullos dies esse incognitos, qui sunt futuri totâ æternitate post, ita ut verum sit dicere: nihil ulteriùs manere dierum cognoscendorũ. Ergò etiam cùm verùm sit dicere: nullum divisibile esse incognitum, verùm erit dicere: nihil ulteriùs manere divisibile, quod sit cognoscendum. Ergò ventum ad nihil divisibile, quod Ly nihil divisibile, verbo differt, ab indivisibili in præsenti.

RESPONDETUR tertiò. Cognosci à Deo omnes possibiles divisiones inadæquatè, indeterminatè, non tot quin plures, omnes tamẽ, seu omnes distributivè, non omnes collectivè.

CONTRA. Præter allata supra. Cognoscente Deo inadæquatè, indeterminatè, non tot quin plures divisiones, omnes distributivè &c. verumne est dicere, nullæ sunt divisiones cognoscibiles à Deo ultra istas, vel falsum? si verum: Ergò nec ullæ sunt divisiones possibiles, Ergò tantùm jam sunt indivisibilia; Si autẽ est falsum: Ergò non omnes cognoscit, quòd de Omniscientia, nec debet, nec potest dici.

Punctum Difficultatis 3.

Examinatur ultimum Fundamentum.

TERTIUM FUNDAMENTUM est ex Arriaga. Si darentur partes proportionales in infinitum divisibiles, deberent esse infinitæ actu, contra quam Aristoteles voluerit, & oppositi sentiant. Hinc

PROBATUR tertiò. Ille cumulus continet actu infinitas unitates simpliciter & absolutè, & non solùm secũdum quid, à quo si successive, una unitas post aliam auferatur, nunquã poterunt illæ unitates exhauriri, sed granũ papaveris est talis cumulus. Ergò granum papaveris continet actu infinitas unitates simpliciter. Major est definitio infiniti. Minor est oppositorum doctrina.

CONFIRMATUR. Partes per divisionẽ & subdivisionẽ acceptibiles, vel sunt infinitæ vel finitæ; si infinitæ: habetur intentum: Si finitæ: Ergò in illis deveniri potest, ad ultimam.

RESPONDENT primò aliqui apud eundẽ. Partes has non esse infinitas simpliciter sed tãtùm secundũ quid, non sunt autẽ infinitæ simpliciter, quia sunt identificatæ, partibus aliquotis seu determinatis, quæ nõn sunt infinitæ.

CONTRA. Tum quia, ut urget idem Arriaga, identitas inter partes aliquotas & proportionales, est identitas inadæquata, ad eum modum, quo lateres sunt pars domus, & quomodo materia & anima, non sunt distincta ab homine. Ergò sicut nõ sequitur ex eo, quia homo est unus, materiam & animam, non esse distincta duo absolutè entia, lateres itẽ non esse plures, quia una nonnisi est domus, sic nec licebit inferre, partes non esse infinitas, quia sunt identificatæ partibus. Tum quia ut urgebatur supra, ex hac responsione sequitur, partes proportionales & non esse infinitas simpliciter, & esse: non esse quidẽ, quia sunt identificatæ partibus determinatis finitis; Esse autem; quia partes illæ determinatæ, sunt identificatæ infinitis indeterminatis, quarum infinitatẽ, probat argumentum factum. Tum quia non potest dici hominem esse rugibile, in quantùm est Leo, nõ esse rugibile in quantùm est rationale. Ergò etiam non potest dici, partes esse finitas ob identificationem cum finitis, & tamen esse semper, & semper acceptibiles, nunquã idem accipiendo, adeoq; conveniente sibi definitione infiniti, sicut enim definitio rationalis excludit rugibilitatem, ita definitio finiti, excludit definitionem infiniti, adeoque excludit acceptibilitatem actualem, aliûs & aliûs, sine termino.

RESPONDETUR secundò ex istis quæ habet Oviedo, hîc punc. 3. n. 1. Ex eo partes, proportionales non esse infinitas actu, quia augmen-

mentum hoc procedit, inquit, Oviedo, semper à proportione Majoris ad proportionem Minoris inæqualitatis, & quocunq; modo augeatur, non excedet illud ipsum totum, ex quo accipitur. Sic v. g. sit una quantitas palmaris, & alia ulnaris, accipe medietatem ex ulna palmariq; illam adde. Rursùs illius ipsius medietatis, residuæ in ulna, accipe dimidium, & adde palmo, & sic deinceps; quidquid tamen ex ulna addideris palmo, non excedet ulnam, quia augmentum hoc fit ex eodem toto, quod est ulna, & si augmentum fieret ex alia & alia ulna, additione illâ cresceret palmus, ultra ulnam. Porrò ad infinitum est necesse ut sint partes aliquotæ, & æquales, infinitæ, non autem ut partes nonnisi proportionales.

CONTRA. Tum quia, ut idem Ovied: urget. Etiam partes aliquotæ & æquales, sunt in quolibet palmo v. g. per adversarios infinitæ, quia continuum est divisibile in medietates æquales, hæ ipsæ medietates sunt divisibiles in alias medietates æquales, & sic deinceps. Et sicut partes proportionales sunt infinitæ, quia semper & semper dividi possunt; ita & partes æquales erunt infinitæ, quia semper, aliæ, & aliæ, inter se æquales, dari possunt. Tum quia ut dixit Arriaga, quamvis illæ partes sint inæquales, si semper aliæ & aliæ accipi possunt, non sunt dicendæ finitæ; ad eum modum, quo nummi non sunt finiti, si semper & semper accipi possunt, quantumvis minores & minores. Tum quia ex hac responsione, sequitur & esse finitas, & non esse finitas; sunt finitæ, ut probas, & non sunt finitæ, quia semper & semper sunt acceptibiles, non accipiendo idem.

RESPONDET tertiò Ovied: ex proprio sensu, & dicit: Posse in infinitum procedere divisiones, & in infinitum partium multitudine augeri, non tamen posse DEum infinitas divisiones hoc modo exhibere, aliud enim est, posse divisiones in infinitum augeri, aliud est, divisiones esse infinitas, sicut aliud est numerum posse in infinitum augeri, & aliud numerum posse esse infinitum. *Ad confirmationem etiam dicit.* Ex eo quòd quantitas possit in infinitum in partes dividi æquales, inferri in quantitate infinitas partes æquales, non tamen reperiri in quantitate infinitas partes æquales, quia inquit ex infinitis inæqualibus, una minori alia, potest quicunq; numerus quantumvis maximus partium finitarum construi, sicut contingit in numero, qui in infinitum augeri potest, ex eo, quòd possibiles sint infinitæ unitates; ex quibus numerus finitus, infinitè possit accrescere, etiamsi non posint infinitæ unitates annumerari.

CONTRA. Tum quia illæ partes, quarum divisio potest in infinitum procedere, de facto sunt infinitæ, quando de facto & actu, tot sunt, ut semper ex illis aliquid sit accipere, & nunquam idem; partium autem continui divisio, potest in infinitum procedere, & partes continui sunt tales, ut semper ex illis, de facto, & actu, aliquid sit acceptibile, & nunquam idem. Ergò illæ partes sunt infinitæ actu. Tum quia pensando verba quæ adferuntur, non satis liquet quid intelligatur, quòd DEus non possit exhibere infinitas istas divisiones; vel enim ex eo illas non potest exhibere, quia deveniretur, ut à parte dividendorum, defectu orto, exhiberi non posint, & sic clarè deveniretur ad indivisibilia; si autem non possunt exhiberi illæ divisiones, defectu orto ex parte dividentis DEI, & tunc arctaretur omnipotentia sine necessitate, præcipuè cum argumentum adlatum, non tantùm probet, posse divisiones in infinitum augeri, sed probet debere esse infinitas actu. Tum quia quamvis unitates posint in infinitum augeri, non sunt tamen infinitæ, ex eo, quia non tot sunt actu & à parte rei unitates, ut ex illis semper sit accipere aliquid & nunquã idem, partes autẽ sunt actu tot, ut semper sit aliquid ex illis accipere & nunquã idem.

Cæterum, qui tueretur, partes non esse in continuo actu, sed solum potentiâ distinctas, consequenter ad dicta tueretur, non esse illic ullam infinitatem actu.

DIFFICULTAS III.

De fundamentis prædictarũ sententiarũ.

PRoponenda erunt imprimis fundamenta pro sententia Zenonistica.

OBJICITUR primò. Tempus & motus necessariò debent componi ex instantibus.

RESPONDETUR. De hoc quærendum esse infra.

OBJICITUR secundò. Sphæra perfecta tangit planum in puncto, quod demonstravit Euclides Lib. 3. Element. propositione secundâ, consẽtitq; Aristoteles lib. 1. de anima tex. 13. Et certè ponamus sphæram trahi per planũ, tracta describet lineam, quæ nonnisi punctis constabit, semper enim nonnisi in puncto tanget planum.

RESPONDET primò recentior Suar. Quod scilicet tangetur illud planum, non in puncto, sed in parte incerta, omni scilicet minima, minori. Ideo autem sunt incertæ illæ partes, quia cũ sint continuæ, sunt indeterminatæ, nec habent existentiam determinatam. Illustrat hoc instantiâ; non est dubiũ in numero, plures existere, quãdiu tamen istud plures; ad duos tres &c. non determinatur, istud plures, est numerus incertus, ita etiam & illa existentia partium, omni minori minorum, cùm non sit determinata, incerta est.

CONTRA. Tum quia hæc responsio nihil dicit ad demonstrationẽ Euclidis, qui demonstravit futurum contactum nonnisi in puncto, quorsum ergò obtrudantur partes istæ incertæ? Tum quia quamvis darentur partes istæ incertæ &c. & indeterminatæ, tamen illæ determi-

minari & certæ reddi per assignationē possunt; si enim mens, si divisio, si quodcunq; aliud determinat partem, etiam contactus determinabit, cumq; contactus sit quid Physicum, non debet perfici in aliquo, quòd subsit nostris intentionibus, sed aliquo Physico & reali, quæro ergò quid illud sit quod tangit? Tum quia vel videt Deus certò & determinatè quid sit illud quod tangitur, vel non videt? si non videt; Ergò nec quidquam tangitur, infallibiliter enim illud videret; Si autem videt certò & determinatè, id quod tangitur, non potest illud esse indeterminatū, determinatus enim tactus, non potest esse rei indeterminatæ. Tum quia quāvis ista propositio: aliquis calamus est necessarius ad scribendum, explicabilis sit, per descensum, nihil determinatè significantem, tamen hæc; aliquis calamus scribit, explicabilis est, nonnisi per descensum determinatè significantem. Determinatè autem non significaret, nisi esset determinatus. Ergò etiam quamvis hæc propositio, aliqua pars tangi debet, sit explicabilis per descensum, nihil determinatè significantem, tamen hæc propositio: tacta est aliqua pars, debet explicari per descensum determinatè significantem. Determinatè autem non significaret, nisi esset determinata pars, quæ tangeretur; sicut nec determinatè significaret hæc propositio: aliquis calamus scribit, si non esset aliquis determinatus calamus, qui scriberet. Tum quia falsò supponitur, determinationem partis, ex sola figura oriri, cùm possit etiam ex assignatione mentali oriri. Instantia etiam adlata non convincit, quia quamvis in ordine ad intellectum limitatum, ly plures, non habeat determinationem, sed à parte rei, & in ordine ad intellectum illimitatum, quodcunque est ly plures, illud vel est majus, vel æquale duobus, nihil enim vagum, existit à parte rei.

Respondet secundò Albertinus. Quòd sphæra perfecta, nullo modo tactura sit planū perfectum, nulla enim est ad contactum proportio, cum quidquid est in sphæra, globosum sit, & quidquid in plano, planum est. Tangit itaq; sphæra planum in sensu negativo, quia ita erit vicina, ut vicinior esse non possit, sed inter illam & palmum mediabit semper aer, aut aliud corpus, & etiāsi gravissima illa sit sphæra, non descendet inferius, nec dicetur pendere in aere, nam illud pendere dicitur, quod retentum ita est supra leve, ut possit salvâ figurâ, descendere inferiùs.

Contra. Tum quia hæc responsio sine necessitate rationem penduli tribuit gravissimo corpori sphærico: certè enim pendere, non aliud est, quàm non inniti nec teneri solido, extra centrum, illudq; additum de descensu salvâ figurâ, est merè arbitrarium, cùm cōmunis etiā apprehensio, per pendere, intelligat prædictum: Non inniti &c. Tum quia illud corpus quod mediat, vel est punctum vel divisibile; si punctum; concedis intentum; Si divisibile: Ergò adhuc ulterius plano sphæra approximare poterit, adeoq; & consistere in illo. Tum quia hoc ipsum medium, tangiturne à sphæra vel non? Si non tangitur, cur non? & si manus nunc verè tangitur ab aëre, tangitq; aërem, cur non & illa sphæra? si autem illud medium tangitur à sphæra, vel tangitur in puncto, vel in parte: si in parte? contradicis demonstrationi Euclidis; si in puncto, habetur intentum.

Respondet tertiò Martinus Olseroski. Unam eandemq; rem habentem diversas formalitates, posse secundùm unam formalitatem, ita se habere, & secundùm aliam formalitatē, quāvis priori identificatam, aliter se habere, & ita v. g. homo secundùm animalitatem, formaliter dicit identitatem cum brutis, non dicit autem identitatem cum brutis, secundùm rationalitatem; cum ergò etiam quantitas habeat puncta, superficies, lineas, tanquam sui formalitates, sola ratione ad invicem separabiles, sit, ut secundùm quod gerit rationem puncti, possit tangi à sphæra, & non tangi, secundùm quòd dicit alias dimensiones lati & profundi, re divisibili, gerente vicē indivisibilis; sicut enim indivisibile, potest habere officium divisibilis, ut cum Angelus indistat à suæ locabilitatis divisibili sphæra, ita & divisibile, potest habere officium indivisibilis. Supponit autem hæc responsio, illa indivisibilia, esse idem realiter cum continuo seu divisibili.

Contra. Tum quia non datur distinctio virtualis in creatis in ordine ad prædicata Physica; cum autem tangi sit prædicatum Physicum, non potest quantitas tangi, secundùm unam rationem, & non tangi secundùm aliam. Tū quia hoc quod est aliquid habere se, prout indivisibile, sunt meræ formalitates connotativæ, dependentes suo modo à nostris intentionibus, tactus autem, non debet esse in eo, quod sit dependens à nostris conceptibus. Tum quia punctum, unum dicit quoad entitatem, & subjectum, aliud dicit pro connotato, & cùm contactus non sit coñotati, neq; illius negationis, debet esse ipsius puncti quoad entitatem spectati: entitas autem & subjectū puncti, est ipsum continuum, quod est latum, profundum, longum. Non erit ergò contactus in indivisibili, & tamen deberet esse ob suppositionem Euclidis.

Respondetur aliter huic argumēto, quòd scilicet Euclides & Aristoteles, asserendo sphæram perfectam tangere planum in puncto, asserant id, nonnisi ex suppositione, si daretur & esset possibilis, & sicut eum Aristoteles definit: Infinitum esse id, cujus secundùm partes accipientibus, semper accipere est, & nunquā idem, nec tamen sequitur, quòd infinitum possibile sit, illaq; definitio, sensum nonnisi conditionatū habet, quòd scilicet si daretur infinitum, talis deberet esse naturæ: ita & in præsenti. Quòd autē sphæra perfecta sit impossibilis, debet referri in principia præjacta, nempe quia illa sphæra & nō com-

componeretur ex punctis & componeretur; nõ componeretur quidem; quia compositio continui ob rationes adlatas, non potest esse ex punctis; componeretur autẽ; quia si ipsa, non desineret quaqua versus in punctum, quomodo se desinenti, tãgeret in pũcto. Rursùs si sphæra componeretur ex punctis? ita unũ punctum penes aliud collocari deberet, ut non faciat lineam rectam, non potest autem non facere, lineà rectã. Quia si nõ faceret lineam rectã, deberet aliquo sui uniri, uni puncto, & aliquo sui obliquari & incurvari, obliquatio autẽ & incurvatio, ei quod non habet partes, omnino impossibilis est. Deniq; si deberet tangere sphæra perfecta, planum perfectum in pũcto, deberet desinere in punctũ, si enim non desineret in punctum, desineret vel in lineam vel in superficiem divisibilem: Si autẽ desineret in rem divisibilem, in aliquo etiã divisibili, non autem in puncto tangeret. Sed sphæra non potest desinere in punctum, quod ipsum probo. Quia si duceretur linea diametraliter, à centro sphæræ, ad punctũ tangens, desineret in illud punctum; si autem alia ponè duceretur, itidem in punctum desineret, sed non tangens, quæro: quî fieri possit, ut illud imediatum punctum evadat, non tangens, si continuetur cum tangenti, & se toto ab illo indistat? Quæro enim vel distat ab illo, vel non distat? si non distat? æquè tangit: si distat? vel cõjungitur cum illo, vel non conjungitur? si non cõjungitur? non efficit sphæram, si conjungitur & distat? ergò secundũ aliquid conjungitur, ad salvandã continuationem, secundùm aliquid distat, quia non tanget, planũ, tangẽte alio. Ergò in illo indivisibili dabitur cõtinuũ, & distans, adeoq; nõ erit punctum.

Objicitur tertiò. Quantitas discreta componitur ex unitatib⁹, quæ indivisibiles sũt. Ergò & quãtitas cõtinua cõponitur ex indivisibilib⁹.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia impossibile est componi quantum discretum, nisi ex indivisibilib⁹, quia ex unitatibus, quæ indivisibiles sunt, ex quo enim alio? Unde definitivè plura, sunt unitas & unitas, jam autem non est definitivè continuum punctum & punctum, immò non potest esse, ob adlatas rationes. Et certè compositio quanti discreti, non debet fieri ex talibus, quæ se tangendo constituant magnitudinem; ècõtra, quantitas continua, requirit esse contactiva; indivisibilia autem non sunt apta, ut tangendo se, faciant magnitudinem.

Solet pro hâc sententia citari etiam Aristoteles ex 4ti Physic. tex. 35. ubi docet recipi lumen in superficie corporis dẽsi & opaci, nec ullo modo in aliqua profunditate, aliâs non esset perfectè opacum. Sed loquitur Aristoteles de profũdo simpliciter seu notabiliter, quod in tali non recipiatur Lumẽ, nec requiritur ad opacitatem perfectam, universaliter, compositio ex indivisibilibus.

Quod attinet ad sententiam componentium ex partibus in infinitum divisibilibus Quantum, Pro illa.

Objicitur primò Auctorita Aristotelis ad illam.

Responderi potest. Imprimis claras & argumentis propositas rationes Aristotelis haberi, nonnisi pro hoc, quòd continuum non componatur ex indivisibilibus, sed de divisibilitate in infinitum nullã haberi demonstrationem Aristotelicam, forteq; agnovit divisibilitatem in infinitũ hôc sensu, quòd medietas in dimidia, dimidia in alia dimidia dividi possint; ita ut nulla sit potentia creata, quæ ita minutim dividere possit, ut deveniatur ad indivisibile, vel positâ divisione, non contentivum quantitatis. Deinde hoc dici posset, quòd in istis quæ concernunt omnipotentiam Divinã, non multùm sit deferendum auctoritati Aristotelis; hinc ipse innixus illi principio: Ex nihilo nihil fit, concedebat DEO vim creandi de novo, & quia devenire ad ulteriùs non divisibile, nec ratio Aristoteli suadebat, nec experientia, ideo voluit illud ulterius, & ulterius, esse divisibile, loquens prout philosophus per ordinem ad potentiam creatam.

Objicitur secundò ex recentiori Suar. Possibile est componi quantitatem ex partibus in infinitum divisibilibus.

Respondetur. Dictæ rationes volunt ostendere implicantiam.

Instat idem. Si daretur quantitas infinitè extensa, collocaretur autem in puncto, illa quantitas esset indivisibilis in infinitum in partes æquales. Ergò etiam possibile erit quodlibet continuũ habere partes infinitas potentiâ.

Respondetur. Conditionata quidem conceditur & sequela illius, sed negatur posse dari quantitatem infinitè extensam, cujus si negetur possibilitas, quomodo sequetur possibilitas compositionis continui, ex partibus in infinitum divisibilibus? Deinde si positâ quantitate infinitè extensâ non sequeretur acceptibilitas partium æqualium infinitarum, sequeretur absurdum, nempè & fore, ut supponitur, illam quantitatem infinitam, & non fore infinitam, quia exhauriretur per mensuras finitas. Unde per locum intrinsecum ex infinitate sequitur acceptibilitas in infinitum, non sequitur autem per locum intrinsecum ex continuo, divisibilitas in infinitum.

Dices tertiò. Cõtinuum constat partib⁹ divisibilib⁹, nõ ergò potest ultimò dividi, quia etiã ultima illa divisio, fieret in partes divisibiles.

Respondetur. Sicut non tenet hæc Consequentia; palmus constat semipalmis, Ergò non potest ultimò dividi nisi in semipalmos, ita nec prior illa tenet. Sicut ergò palmus constat semipalmis manens palmus, ita divisibile constat partibus divisibilibus, manẽs divisibile. Nego autẽ semper manere debere divisibile. Unde illud etiam Antecedens. Continuum cõstat partibus divisibilibus, hôc sẽsu est verum, quousq; scilicet continuum manet; sed

nego

nego divisione devenire non posse, ut non maneat continuum. Et certè Continuum definitivè est, cujus extrema sunt unum, hinc quousq; manet continuum, divisibile erit, si enim habet Extrema, quomodo non habet plura? si plura, quomodo non divisibilia à se. Unde concedo cum Aristotele 6. Phys. T. 4. Continuum semper esse in ea quæ insunt divisibile. Sed nego docuisse Aristotelem, hoc, quod semel continuum est, debere esse continuum semper, licèt quousque manet continuum, sit semper, & deinceps divisibile, & quòd in divisione illius, non veniatur ad indivisibile, seu ut loquitur Aristoteles inibi, ne sit indivisibile, indivisibile tangens. Nos autem non dicimus in divisione continui deveniri ad Indivisibile, de quo infrà. Primi autem Physicorum T. 15. *Infinitum enim* (dum inquit) *in quanto est*, non significat in Infinitum divisibilitatem partium, sed solum quòd infinitudo spectet ad quantitatis prædicamentum, non substantiæ, aut Qualitatis, unde addit: *Infiniti enim ratio, Quanto utitur.*

QVÆSTIO II.

De Compositione Continui Successivi per alios.

SUccessiva duplicia sunt; quædam successiva, ratione sui fieri, in re autem permanentia sunt, & ita productio caloris successiva est, calor autem productus, est quid permanens. Alia autem etiam in suo esse, successiva sunt, & talia sunt, tempus, motus localis successivus &c. Porrò sunt aliqui, qui quamvis censeant, continuum permanens non componi ex indivisibilibus, ut recentior Suarez, censet nihilominùs continuum successivum, componi ex solis indivisibilibus.

PRIMA ITAQ; EST SENTENTIA. *Continuum componi ex indivisibilibus.*

CONTRA est primò. Quia continuum permanens non componitur ex indivisibilibus, Ergò nec continuum successivum.

RESPONDET recentior Suar. disparitatem esse. Quia in continuo permanenti, indivisibilia ambo simul existunt, & cùm sint indivisibilia, neutrum resistit alteri, sed utrumque est simul cum alio; in continuo autem successivo, in quo nimirum indivisibilia non eò existunt, & unum non est simul cum alio, sed post aliud, ideoque facere possunt extensionem. *Sed redit argumentum*, quare hæc indivisibilia, quæ sunt simul cum alio, non possunt facere extensionem, possunt autem facere extensionem indivisibilia, quorum unum succedit alteri, & quid plùs adfert existentia unius, & non existentia alius, ad extensionem, quod non adfert, existentia utriusque.

CONTRA secundò. Quia ad veram successionem, quæ condistinguitur à positione discretorum immediata, qualis reperitur, dum ab extremo ad extremum transit Angelus, non transeundo medium, requiritur ut secundùm aliquid sui, conjungatur, secundùm aliquid recedat, cùm autem indivisibilia non possint patiLy; Aliquid sui, nec erunt apta ad constituendum successivum.

CONTRA tertiò. Quia universaliter assumit Aristoteles, quòd indivisibile, non possit facere extensionem.

DICES primò cum Oviedo. Partes temporis sunt essentialiter successivæ, ergò nunquam sunt duæ partes illius simul, hôc ipso enim, non essent successivæ. Ergò ulteriùs nunquam existet, pars illius divisibilis; si enim existeret pars illius divisibilis temporis, hôc ipso existerent partes, in quas dividi potest, seu partes successivæ, quas non posse simul existere, probatum est.

RESPONDEBIS primò. Quòd partes temporis existant successivè & non simul, talis enim debet esse existentia partium, qualis existentia totius; & ita homo, cùm sit naturâ suâ permanens, & partes illius, & totus homo, existit simul; cùm verò tempus sit naturâ suâ transiens, etiam partes illius transeuntes erunt, existentiamque illius deposcent, nonnisi successivam. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia ut urget idem, id quod est successivè, partim est actu, partim fuit, partim erit, quæro ergò de illo temporis quod est actu, estne successivum? si non est successivum; Ergò est instans. Si est successivum: Ergò partim est, partim erit, partim futurum est, quæstio autem est, de eo solo, quod actu est. Tum quia si id quod est *Actu temporis*, existeret successivè, verum de illo esset dicere; Non est *Actu temporis*, quæ sunt contradictoria, quia de illo quod est actu temporis, verum esset dicere, successivum est, si successivum est, verum erit quòd existit, vel extiturum sit, insuper quòd existat. De eo autem quod extitit, verum est dicere: Non est Actu temporis, sed fuit: De eo etiam quod extiturum est, verum est dicere: Non est Actu temporis, sed erit. Ergò à primo ad ultimum, de eo quod est actu temporis, si successivum est, verum est dicere; Non est Actu temporis. Tum quia successivè existere, non est nisi exstitisse vel extiturum esse. Si ergò tu tribuis tempori existentiam nonnisi successivam, tribuis illi quod extiterit vel extiturum sit; hîc autem quæritur de eo, quod existit temporis.

RESPONDEBIS secundò cum Hurtado. Quòd tempus existat secundùm partes indeterminatas, & licèt nulla pars determinata temporis possit existere tota simul, partes tamen indeterminatæ, possunt existere totæ simul. *Hæc Responsio*

NON

NON SATISFACIT. Tum quia nullæ dantur actu partes & tamen indeterminatæ temporis, determinatam enim, & non vagam exiſtentiam habent. Tum quia partes illæ indeterminatæ vel habent ordinem prioris & poſterioris, vel non habent? Si non habent? ergò non ſunt partes temporis, quod definitur per ordinem prioris & poſterioris; Si habent, ergò non cò éxiſtunt, ſed una eſt priùs, alia poſterius. Tum quia partes determinatæ temporis, non poſſunt exiſtere totæ ſimul, ergò nec partes indeterminatæ.

RESPONDEBIS tertiò. Partes temporis, eſſe ſimul, non quomodocunque ſed ſimul in eſſe fluenti. *Hæc reſponſio.*

NON SATISFACIT. Tum quia ſimul, & in eſſe fluenti, ſunt termini, qui non ſe compatiuntur, ſi enim aliquid fluit, neceſſariò ſuccedit, ſi ſuccedit, ſimul non eſt. Tũ quia videtur in hoc eſſe manifeſta principii petitio, dicere enim ſucceſſivum, ſimul in eſſe ſucceſſivo exiſtere, eſt petere principium, de hoc ipſo enim quæritur quomodo ſucceſſivum, *ſimul*, ſucceſſivè tamen exiſtere poſſit. Ergò etiam dicere quòd ſucceſſivum ſimul in eſſe fluenti exiſtat, eſt petere principium. Tum quia hoc quod fluenter exiſtit, vel eſt diviſibilile vel indiviſibile? ſi indiviſibile, habetur intentum; ſi diviſibile, habebit hôc ipſo prius & poſterius, de hoc autem ipſo quæritur quomodo exiſtat utrumq; ſimul?

DICES ſecundò. Poteſt DEUS in uno inſtanti creare Angelum, & in altero illum annihilare, aliàs non eſſet illi libera conſervatio creaturæ.

RESPONDERI ſolet primò negando antecedens. Unde ſi velit Deus creatum uno inſtanti Angelum annihilare, debebit exſpectare tempus, nec per hoc officitur quidquam libertati Divinæ, ſicut non officit quidquam libero dominio Dei, quòd non poſſit 24. horas, ponere ſimul, quia hoc oritur, ex ipſius impoſſibilitate objecti. Impoſsibile autem eſt, ut immediatè ſequenti inſtanti, annihilet Deus Angelum, priori immediatè inſtanti creatum, cùm poſt inſtans nullum ſit, nec poſsit eſſe immediatè, ſequens in tempore, inſtans. *Hæc Reſponſio*

NON SATISFACIT. Tum quia ſecundùm dicenda quamvis immediatè ſequenti inſtanti annihilet Deus Angelum, nondum ſequetur inſtans temporis poſt inſtans temporis. Tum quia, vel ſunt ſtata hæc inſtantia quibus creari. v. g. poteſt Angelus vel non ſtata? ſi ſtata, ergò non ſemper eſt DEUS expeditus ad creandum in inſtanti Angelum, caſu quo in tempore, ſtatum illud inſtans, non reſpondeat. Ergò non omni tempore poteſt juſtificare impium, caſu quo ſtatum inſtans non reſpondeat, quo deberet produci gratia, quæ utpotè ſpiritualis in inſtanti producitur: Si autem non eſt ſtatum hoc inſtans, cur volente DEO annihilare immediatè poſt inſtans creationis, non poterit reſpondere annihilatio. Et certè non creet Deus in inſtanti (quo ſupponitur creaſſe) Angelum, cur eo tempore quo tu dicis poſſe illum annihilare immediatè non ſequetur nonniſi inſtans, adeoq; id, in quo creari poſsit Angelus, adeoq; etiam annihilari priùs creatus. Quis credat conſecrantibus tot Sacerdotibus & tot communicantibus, nunquam deveniri ad hoc, ut hîc quidem primò incipiat eſſe Chriſtus conſecratione, & nullo interpoſito tempore alibi ultimò ſit? quis credat ut dum hîc ultimò eſt, per totum mundum nullibi poſſit immediatè poſt, primò eſſe, ſed nonniſi exſpectato tempore: quænam hoc revelatio docet? vel ad quem fidei articulum defendendum id requiritur? cur non dicetur hoc quidem inſtantaneè produci, hoc immediatè annihilari, nihil proportionati correſpondere in tempore? ut effugiatur hoc abſurdum, quòd DEUS debeat interrogatus dicere potesne nunc creare? non poſſum! quia modò eſt tempus, ſed debeo exſpectare inſtans, cumq; illud tempus per totam æternitatem ſit diviſibile, ſi divideretur per totam æternitatem, non poteſt quidpiam creare. Quis item credat hîc dum ſeparatur anima, nullibi in mundo, aliam immediatè poſt creari? Quis credat dum inſtanti affirmat aliquid Angelus vel Petrus, immediatè toto univerſo, nec hunc Angelum nec alium poſſe, quicquam affirmare, affirmaret enim in diviſibili & inſtantaneo judicio, ſed debere ſtare obſtipum, aut neſcio quam, nonniſi diviſibilem notitiam ponere. Tum quia ſit impoſſibile tempus, poteritne tunc creari Angelus, & ſtatim annihilari? ſi non poterit, cur? ſi enim ideò non poteſt, quia impoſſibile eſt compoſitum tempus ex inſtantibus, cùm ſit impoſſibile, debet eſſe compoſitum ex inſtantibus adeoque in quorum uno poſsit creari, in altero immediato annihilari: Si autem in illo caſu poteſt annihilari immediatè Angelus, etiam nunc annihilari poterit, quid enim obeſt motus cœlorum, nec res aliâ poſsibilis ex ſe, ſit impoſsibilis, cumq; poſsibilitas unius rei, non officiat poſsibilitati alius rei, etiam poſsibilitas motûs cœlorum ſeu temporis, non officiet poſsibilitati immediatè ſequenti annihilationis Angeli. Tum quia, ſi non poſſet annihilare DEus Angelum inſtanti immediatè ſequenti, non eſſet liber in ejus conſervatione. Quod ipſum probatur. Si DEus non poſſet auferre exiſtentiam homini, non eſſet liber in hoc, quòd homo exiſtat animal rationale. Ergò etiam ſi DEUS non poteſt immediatè annihilare Angelum, non eſſet illi libera conſervatio Angeli. Et certè non eſt poſsibilis creatura, quâ poſita reddatur impoſsibilis poſitio aliûs creaturæ, ſaltem in diverſo loco, ſubjecto &c. Ergò

etiam

etiam non redderetur impossibilis annihilatio Angeli, quocunque instanti, quia esset possibile tempus, quod non potest componi ex instantibus.

INSTABIS. Si DEus voluisset creaturam producere ab æterno, non posset immediatè sequenti instanti, eandem annihilare, idque salvâ libertate Dei. Ergò etiam quamvis non posset Deus creatum Angelum, immediatè sequenti instanti annihilare, adhuc salvaretur DEI libertas.

RESPONDETUR. Cùm eâ quæ fiunt ex suppositione usûs libertatis Divinæ, non auferant libertatem Deo, cumque nonnisi ex suppositione decreti Divini, illa ponatur ab æterno, nulla enim exigit de se ab æterno esse, hinc fit, ut æternitas illius, non auferat Deo libertatem, non esset autem ab æterno, si uno tantùm instanti duraret, & sequenti annihilaretur. Quia illud sequens instans, vel esset ab æterno, vel in tempore? si ab æterno? Ergò ab ante æternitatem potest aliquid præcedere, præcederet enim creatio; Si in tempore. Ergò illud prius instans, non esset ab æterno, sed in tempore; quod enim est ab æterno, non potest præcedere tantùm instanti, id, quod est in tempore, infinitum enim plusquam finito, debet excedere id, quod est finitum; tale autem nullum simile absurdum sequeretur, si creatus in instanti Angelus, immediatè sequenti instanti annihilaretur.

RESPONDERI solet secundò. Annihilandum illum Angelum in parte indeterminata minori & minori in infinitum. *Hæc Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia quæro: an respondeat in tempore aliquid proportionatum illi annihilationi vel non; si enim non respondet aliquid proportionatum? Ergò potest benè post creationem Angeli, sequi immediatè annihilatio Angeli, jam enim non sequetur tempus componi ex instantibus; si autem aliquid proportionatum respondet. Quæro an illa ipsa pars indeterminata minor & minor in infinitum, sit æqualis, vel major vel minor. Si æqualis, Ergò est quid instantaneum. Ergò non in parte minori & minori, sed in instanti annihilatur: Si minor, Ergò instantanea annihilatione, datur minus. Si major, contra erit, quia quidquid ultra instantaneam annihilationem est, jam non mensurat eandem sed excedit. Tum quia quæro: ipsa creatio Angeli vel est in instanti, vel non est? si non est in instanti, non cohærenter imprimis respondetur; nam quomodo non potest Angelus in instanti immediatè sequenti annihilari, quia sequeretur instans post instans; siquidem jam nec antecederet instans, utpotè cùm per Te, creatio illa, non sit futura in instanti. Jam autem qui etiam fieri potest, ut res spiritualis non in instanti producatur, utq; ea quæ sunt tota simul, non ponantur tota simul, adeoque in instanti? Si autem creatio est in instanti? Ergò & annihilatio est in instanti, ratio enim utriusque eadem est, nempè spiritualitas substantiæ quæ nec poni per partes nec annihilari per partes potest. Consequenter non fiet in parte indeterminata.

Neq; valet si dicas, quia sequeretur instans post instans, ideoq; annihilatio debet esse in parte determinata, reditur enim ad argumentum per contradictorium, & debere esse in parte indeterminata illam annihilationem ut probatur, & non debere esse, quia res spiritualis, si nõ potest incipere nisi tota simul, ita nec desinere.

Neq; valet, si dicas, creationem etiam Angeli esse quidem instantaneam, sicut & annihilationem, sed neutrum fieri in instanti, sed neutrum fieri in instanti; sed in tempore indeterminato, redibit enim argumentum primo loco factum, qualis quantaque sit illa pars. Tum quia contra hanc partem indeterminatam, urgeri possunt reliqua, quæ supra in simili adlata sunt.

RESPONDETUR tertiò. Posse creato Angelo annihilari eundem in instanti immediatè sequenti, nec tamen sequetur tempus componi ex instantibus; quia nihil proportionati respondet in tempore, sequeturque instans post instans intrinsecum, sed non sequetur instans post instans extrinsecum. Nomine instantis intrinseci, venit indivisibilis quæcunque actio, vel quasi actio, duratio intrinseca, seu entis passiva conservatio &c. Nomine autem instantis extrinseci, venit instans temporis: & sicut si Angelus colligat se in punctum in quanto permanenti, nihil respondet proportionatum, ita nec respondet in quanto successivo quicquam proportionatum, illi v. g. Creationi.

SECUNDA SENTENTIA est: *Quantum successivum, componi ex partibus in infinitum divisibilibus.* Hæc sententia impugnari debet ex iis quæ supra allata, sequeretur enim quod una hora possit totâ æternitate durare, & cum adhuc non sit in illius successione, deveniendum, ad negationem ulterioris successionis, durare poterit ultra æternitatem.

QVÆSTIO III.

Quid tandem dici posset de compositione utriusq; quanti?

SI fides doceret unum granum papaveris ita esse divisibile, ut singula ex possibilibus, possint proportionalem partem habere, itemque quod uno grano papaveris, possit tegi & ulterius, & ulterius tegi, tota hæc sphæra mundi, nec tamen unquam occupare plus, de dimensione in omnẽ partẽ quam ante, esset hoc

inter

inter mysteria fidei apprimè difficilia. Hinc prætentanda erit alia via, ita tamen, ut hæc quæ adferentur, sint sine præjudicio ut dicitur sententiæ melioris, quæ vel hôc ipso, quia communis est, probabilior est. Et ea quæ adferam, non tàm doceo, quàm prætento viam, an doceri possint? & melioribus ingeniis materiam offero, eruendi verum: unde mox, cum Ly *Posset*, scilicet diminuente Particulâ, sententiam hanc proponam impugnandam, aut illustrandam.

DIFFICULTAS I.

Explicatur continuum permanens.

DICI POSSET I. *Quantum neq; componi ex indivisibilibus, neq; ex partibus in infinitum divisibilibus, neq; ex partibus finitè divisibilibus, nec quidquam esse ex quo actu componatur, compositione, de qua in præsenti.*

Prima & secunda pars supponitur in superioribus discussa. Tertia & quarta pars probatur.

Omne quod componitur Physicè & actu componitur ex pluribus actu, sed in continuo non sunt plura actu, quia non sunt partes actu distinctæ. Ergò neque est compositio actu. Major supponitur ab omnibus, & probatur, sic; quia si aliquid non habeat partes, non erit compositum sed simplex, ut videre est in Angelis, animâ &c. Ergò etiam, si non habeat partes plures actu, non erit compositum actu. Addidi expressè quod continuum nõ habeat, ex quo actu componatur, compositione de qua in præsenti. Admitto enim quantum componi ex materia & forma, sed hujus compositionis non est hîc locus.

Potiùs ergò inquiri debet, an in resolutione continui deveniendum sit ad indivisibilia? an ad semper divisibilia? an tandem ad minima? ex quibus quia indistinctis actu non poterit dici componi, sed rigorosè loquendo potiùs resultare totum, quod qua tale, partes non deposcit. Unde totum hypostaticum, constat naturâ humanâ, & Personâ Verbi, neque tamen Persona Verbi, est pars. *Et circa hanc difficultatem*

DICI POSSET II. *In resolutione Continui, deveniendum tandem ad minima Physica.* Hanc conclusionem in re docuerunt antiquiores, dum censuerunt componi, continuum ex partibus finitis divisibilibus. Eam innuit Coninck & Lessius apud de Lugo Disputat. 18. de Eucharistia, Sect. 3. ubi asserunt Christum non esse infinities potentiâ, sed finities in Eucharistia, juxta numerum finitarum particularum sensibilium, docentes Christum non permissurum, ut tale minimum in fractione hostiæ dividatur; ubi supponunt, quod si divideretur, nõ foret sub illa particula Corpus Christi. Quod autem illi docent de Corpore CHRISTI, idem nos cum restrictionibus infra ponendis, dicimus de quantitate. Haberi etiam ejus fundamentum potest in Euclide Lib. 1. Prop. 1. Ubi dicit: per divisionem perveniri tandem ad magnitudinem, quę sit minor, propositâ minori magnitudine, tandemq; ut Angulus rectilineus, sit minor angulo contingentiæ. Fortè etiam aliquantulum meminit hujus sententiæ Aristoteles, nam hic censuit quantitatem non esse à subjecto separabilem, & tamen primò Physicor. Tex. 18. & secundo Physicor. Tex. 35. dicit: substantiam, sublatâ quantitate non esse divisibilem, cùm autem tolli illa non possit à substantia, utpotè inseparabilis ab ipsa, nisi divisione ipsius substantiæ, admittit hoc ipso deviniri ad talem divisionem substantiæ, quæ divisibilitatem ulteriùs non admittat, amittendo scilicet multitudinem partium, seu quantitatem divisibilitati subjectàm. Hujus sententiæ accipi primum fundamentum cogitandæ, sub meo doctissimo Professore Patre PETRO PAPIESKI, qui discurrens quandonam Sacramenta causent gratiam, docuit illam causari in minimo sensibili. Cujus Scripta magno inter alia pollent encomio, quod quo diutiùs leguntur, magis semper sapiant, & informent.

Probatur hæc Conclusio argumento non nisi negativo. In resolutione & divisione continui, non devenitur ad indivisibilia, ut probatum ex Aristotele. Ergò devenietur ad partes. Non ad partes semper divisibiles, propter difficultatem supra propositam. Ergò ad partes non ulterius divisibiles, quas appello minima Physica. *Ut intelligatur Conclusio*

SUPPONO primò. In istis quæ partes & molem requirunt, devenire tandem est, ut nisi certa moles detur, illa dari non possint. Sic devenire est ad minimum materiæ, quo non dato, Corpus organisari & formari non potest. Rursus quia molem & partes certas, requirit ulna ex semiulna, ne divinitus quidem, cæteris salvis, fieri potest ulna. Conformiter ad hæc dici potest rationem quanti requirere partes, & molem determinatam, adeoque, deveneri posse ad tale minimum quantitatis, ut nisi eo salvo & integro, subsistere possit quantitas, ita, ut sicut organisatio in corpore, longitudo in ulna, determinat sibi certam magnitudinem; ita eam determinet sibi etiam quantitas: consequenter dico, in illa medietate minimi, non esse jam reperibiles alias medietates quantitativas: & sicut si quæram in sententia communi; cur non possit dividi quantitas in partes non ulteriùs divisibiles? respondebitur, quod id proveniat ex essen-

tia quantitatis ; ita in præsenti dici potest, quòd medietas minimi , non habeat aliam medietatem quantitativam , provenire ex essentia minimi , quam defendit præsens sententia aliunde eam efficaciter non expugnas.

Suppono secundò. Hoc minimum Physicum, non idem esse cum indivisibilibus Mathematicis, nam indivisibilia nullo modo medium, nullo modo partes habent, minima autem Physica qualia admittimus, utrumque hoc habent : per Euclidem autem punctum est, cujus pars nulla est.

Suppono tertiò. Quamvis quantitatem emanet ex se materia tanquam sui proprietatem, dico tamen materiam si non habeat requisitam molem , non emanaturam ex se quantitatem : nam esse emanativum quantitatis , est proprietas materiæ, eamque ubique servat, ubi materia est, emanare autem actu quantitatem , convenit illi secundum conditionem requisitorum , & sicut componere compositum viventis, pertinet ad materiam, id tamen præstat, non nisi in certa mole, ita & emanabit quantitatem, non nisi in certa mole. Rursùs ipsa quantitas de se extreisativa subjecti , si divinitus in Angelo poneretur, non eum extreisaret defectu subjecti apti ; ita & materia defectu molis requisitæ, posset fieri, quòd non emanaret ex se quantitatem. Vides suppositа hæc procedere de minimo materiæ, nam de minimo quantitatis, dicetur Difficultate tertiâ, Puncto secundò.

Suppono quartò. Agens naturale non posse pervenire vi suâ propriâ, ad divisionem usque minimi Physici, quia in communi sententiâ supponitur, quòd nullum agens naturale , possit spoliare mareriam quantitate. Casu autem , quod id supernaturaliter faceret, ex templo residua cessarent esse quanta. Quod si divinitùs & contra exigentiam quantitatis, retineretur in dimidio minimi materiæ quantitas , præstaret eos effectus de quibus infra , pro nunc sufficerit dicere , quòd ob defectum partium requisitarum ad extendi, haberet se consimili modo atque si poneretur in Angelo, vel si poneretur in semipalmo, sine rarefactione quantitas ulnaris ; licèt esse aliqua dissimilitudo, eò quòd illud subjectum, haberet adhuc partes, quantumvis insufficientes ad extendi. Sicut ergò si poneretur quantitas centum pedalis in materia , quæ esset non nisi uni pedi apta, non tribueret illi extensionem centum pedalem, defectu multitudinis partium requisitarum , sic & in præsenti.

Dices. Angelus si divideret partes continui naturaliter , vel non deveniret per totam æternitatem ad minimum Physicum, vel deveniret: Si deveniret , est hoc contrà suppositum ; Si non deveniret: Ergò continuum habet partes in infinitum divisibiles.

Resoondetur. Quòd non dicat hoc suppositum , quòd vi naturali Angelus non possit devenire in divisione continui, ad minimum Physicum , sed quòd ubi pervenerit ad minimum Physicum , non possit illud ipsum dividere. Deinde si occupari debet in hac divisione tota æternitate , nunquam etiam deveniet ad illud minimum, sed semper & semper deventurus est , non deveniet. Sunt & æternitas à parte post, non habet sui verificaturum : Est, sed tantum : Erit quod dicitur eo intuitu, ut defendatur communis sententia docens , quòd Angelus non possit spoliare materiam omni quantitate.

Suppono quintò. Casu quo DEUS in medietate minimi materiæ divisi , conservaret miraculosè quantitatem , vel cum nunc de facto aliqua medietas minimi informatur quantitate, non potest in illa præcisa medietate assignare sua mente rationem dimidii. Ratio. Quia sicut non potest videre DEUS in nigro, seu quod non habet albedinem, videre inquam non potest albedinem, ita nec in eo quod non habet medietatem , videre potest medietatem; medietas autem minimi, non habet medietatem , quia hoc ipso, illud minimum, non esset minimum. Haberet enim aliquod minus se, subintellige divisibile re, vel assignatione.

Suppono sextò. Medietatem Minimi, habere se ad Minimum , sicut se habet semiulna ad ulnam , quam componere potest , appellarique ulna , accessu semiulnæ aliûs ; ita & illa medietas accessu aliûs medietatis appellabitur minimum Physicum. Et sicut quidquid demptum fuerit ex ulna hoc ipso jam non erit ulna , ita quidquid demptum fuerit minimo Physico, quod suppono non aliud jam esse , quàm medietatem minimi, hoc ipso jam non erit minimum physicum.

Suppono septimò , quòd ex illo Minimo non possit auferri , unum aliquod indivisibile, quia nec in illo est , & si esset , haberet , casu , quo ab ulna demeretur punctum in sententia Aristotelica; & sicut quamvis si quid demptum fuerit ab ulna non erit ulna, inde tamen non sequitur consistere ulnam in indivisibili Metaphysico , hoc est, in requisitione tantitatis determinatæ ad sui essentiam; ita non sequetur minimum illud, esse indivisibile Mathematicum.

DIF-

DIFFICULTAS II.

Explicatur continuum successivum.

ÆGrè capit mens, ut si hoc instanti Deus, creavit animan rationalem, non possit immediatè sequenti, auferre Paulo vitam, nec creare cum libuerit, sed meriti se tempore, ut illo nonnisi transacto producat aliquid, indigens instantaneé produci. Hinc etiam in præsenti prætentanda est via.

Dici Posset. *Quòd etiam continuum successivum v. gr. motus & tempus resolvatur in minima Physica.* Probatur simili argumento, quo probata supra conclusio secunda. Unde consequenter dico verb. gr. immotu, devinire posse ad minimum; ita, ut jam quidquid illud Minimum motûs non æquat, quies debeat esse, & negatio motus successivi, & divisibilis. Unde velocitas motus inde erit, quia in veliciori motu, mobile ut inquit Aristoteles multum in pauco, hoc est tempore movetur, occupatq; in certo tempore magnum spatium, hoc est in plura minima divisibile, in tardiori autem motu, mobile parum, supple spatii, in magno, supple tempore, occupat; parùm inquam spatii, seu in pauciora minima divisibile. Quia verò de tempore speciales difficultates haberi possunt, hæ aut explicentur.

Suppono primò. Tempus non esse entitatem aliquam realem & physicam, condistinctam à motu cœlorum; & hoc est quod innuit Aristoteles; tempus pendere ab anima & intellectu, sed solùm homines, cum viderent aliqua durasse, aliqua duratura esse, voluerunt habere mensuram, appellarunt tempus. Porrò cùm non atteneerint ad mensuranda hæc quæ hic & nunc sunt; nam hæc sibimetipsis mensura sunt, & præsentia illorum, sufficientem sui causare potest cognitionem, sed attendebant magis ad ea, quæ transierunt vel ventura sunt: Hinc Aristoteles tempus appellavit mensuram & numerum motus, secundùm prius & posterius.

Suppono secundò. Explicationem hujus termini: mensura & numerus. Qui accipisti potest Primò pro numero numerante qualis est 1. 2. 3. Secundò pro numero numerato, seu pro rebus quæ numerantur; ut unus equus, duo equi. Porrò tempus cùm sit mensura durationum, necessariò pro numero numerante accipe debet.

Suppono tertiò. Explicationem hujus termini: prius & posterius, & dico quòd cùm homines vellent habere numerum & mensuram regularem, & ex alia parte volebant mensurare, ea vel maximè, quæ fuere & futura sunt, hinc quærere debuerunt, id quod extitit & extiturum est, idque æquabiliter quoad omnea. Nam sicut numerus numeratus, si sit primum par, numerari non potest, nisi per numerum numerantem 2. ita & durationes quæ habent prius & posterius, numerari non potuerunt, nisi per id, quod notum cum sit, habet prius & posterius, idq; æquabiliter ad certificandum homines intra communionem vitæ. Et pro hac mensura acceperunt motum cœlorum, qui factus est, & fiet, unde hoc quod duravit, per omnes motus quibus Sol percurrit Zodiacum semel, dicunt illud durasse tempore unius anni, illud autem, quod incipiet post duos decursus Zodiaci, dicunt intra tempus duorum annorum futurum. Quanquam pressiùs loquendo: Ly prius, non pro solo præterito tempore, nec Ly posterius pro solo tempore futuro accipiuntur: nam in ipso præterito, sunt quæ priùs & quæ posteriùs præterierunt, in ipso item futuro sunt, quæ priùs sunt, quæ posteriùs futura sunt, accipitur itaque prius & posterius pro applicabili pro eo, quod tàm in præterito, quàm in futuro, sive prius, sive posterius est.

Suppono quartò. Ad defendendam definitionem temporis, & ad difficultates, quæ pro compositione temporis ex solis instantibus proponi possunt, hoc tenendum esse.

Tempus dupliciter spectari posse. Primò Aristotelicè seu Philosophicè, hoc est secundùm quod dicit rationem prioris & posterioris, adeoque rationem completi, & ita tempus acceptum excludit rationem Nunc, rationem præsentis, rationem Actu est idque ideò. Tum quia, ut dixi. Omne de quo dici potest: Non nunc, excludit rationem *Nunc*; sed quod importat rationem prioris & posterioris, importat rationem *Non nunc.* nam de priori dicitur, *Non est nunc*, & de futuro, *Non est nunc.* Ergò tempus quod dicit rationem prioris & posterioris excludit rationem *Nunc.* Tum quia id quod definitivè involvit rationem prioris & posterioris, definitivè involvit extitit & existet, de eo autem quod est actu, non potest dici sub hac formalitate, extitit & existet: & sicut est impossibile unum diem coexistere cum suis 24. horis totis simul, ita nec potest coexistere *Nunc* cum ordine prioris & posterioris, utrumque enim successionem, necessariò involvit. Tum quia Aristoteles 4. Phys. tex. 34. insinuat. Nunc seu instans esse quid imaginarium, quod autem habet rationem prioris & posterioris, non est imaginarium. Secundò potest accipi tempus Mathematicè, inadæquatè, inchoativè, tanquam hoc aliquid demonstrabile, &

ita acceptum, non involvit rationem prioris & posterioris, sed rationem *Nunc*, instantis, præsentis &c. Et istud tempus Mathematicè acceptum, non debet censeri rigorosè loquendo inter partes temporis Philosophici, quia ei sic accepto non convenit ratio prioris & posterioris, cùm tamen tempus Philosophicè acceptum, importet illam. Imò rigorosè loquendo nec deberet dici tempus Mathematicè acceptum pars temporis Philosophici, quia in quantis, quod habet rationem partis, repetitum commensuratur toti, jam autem *Nunc* seu instans non potest commensurari, habenti prius & posterius. Denique dici potest, quòd rigorosè loquendo non existat tempus Mathematicè acceptum, dum enim dicit Aristoteles illud pendere ab animi, hôc ipso illi existentiam, nonnisi intentionalem tribuit. Et certè cùm tempus non aliud in re sit, quàm motus cœlorum, cùm hic, non ita sit tardus, ut tardior esse non possit, & cùm non ita sit velox ut à termino ad terminum sine medio procedat, fit ut ille motus, non possit dici indivisibilis, consequenter nec tempus, quod in re est motus, erit indivisibile, consequenter nec habebit rationem *Nunc*, nec habebit jus ullum proprium existendi, utpotè habens jus existendi nonnisi identificatum motui cœlorum, propriaque illius & condistincta ab alius existentia, erit nonnisi imaginaria. Potest tamen aliquo modo & inadæquatè dici, ratio *Nunc*, Tempus ad eum modum quo puncta terminativa, in sententia admittentium illa, spectant ad quantitatem, vel sub hac formalitate, quia *Nunc* cùm jam præterierit, habebit rationem prioris, in quantùm prius erit sequentibus *Nunc*; rationem autem posterioris habebit, in quantùm successit antecedentibus *Nunc*.

Sed quomodo verificabitur de tempore Philosophicè accepto, quòd extiterit vel extiturum est, si de Philosophicè accepto non potest verificari *Nunc* existit? Imprimis verificatur hæc propositio, existit motus non ita tardus, quin tardior dari non possit, & hujus verificatio fundat verificationem quòd extiterit vel extiturum sit. Rursùs cùm aliquomodo spectet tempus Mathematicè acceptum ad tempus Philosophicè acceptum, uti dixi, fit ut ratione hujus *Nunc* verificari possit de tempore Philosophicè accepto, quòd extiterit vel extiturum sit.

Suppono quintò. Quòd quando creatur Angelus, anima producitur &c. nihil tunc respondeat proportionatum tempore Philosophicè accepto, vel in motu cœlorum, sed respondet tantùm tempus non Philosophicè sed Mathematicè acceptum seu tempus, quod Aristoteles dicit, pendere ab anima. Quòd autem nihil proportionatum respondeat in tempore Philosophicè accepto. Ratio est; quia inter illud quod essentialiter dicit rationem prioris & posterioris, & inter illud quod essentialiter excludit rationem prioris & posterioris, nihil omninò adæquationis & correspondentiæ proportionisque est.

Neque valet, si dicas, respondere partes indeterminatas, hæ enim alibi impugnatæ sunt; Et certè, vel ille partes indeterminatæ sunt æquales, vel inæquales durationi intrinsecæ productionis instantaneæ Angeli v. gr. si æquales, Ergò si duratio intrinseca productionis Angeli, est instantanea, ita & partes illæ, erunt instantia; Si autem pars indeterminata est inæqualis? est inæqualis vel per defectum commensurationis illi instantaneæ productioni? vel excessum? si per defectum. Ergò datur instanti minus: Si per excessum, Ergò dicetur res durare extrinsecè, cum non durat intrinsecè. Supponitur autem duratio intrinsecæ illius actionis, nonnisi instantaneè esse.

Inferes primò. Posse Angelum in uno instanti annihilari, in altero priori produci, neque tunc sequetur instans post instans in tempore Philosophico, quia in illo nihil proportionatum respondet, sed sequitur instans post initans intrinsecum, & in tempore Mathematicè accepto seu quod pendet ab anima, sequitur *Nunc* post *Nunc*, nunc enim creatur, in immediatè sequenti post, *Nunc*, annihilatur. Ad quod illustrandum potest etiam hoc materiale exemplum assumi. Moveat se testudo, moveat etiam aliquis orbis celerrimus, quo casu, non respondet ullus tardus motus orbis, testudinis motui, sed se habent sicut improportionatum. Quæ de hoc instanti intrinseco, & instanti extrinseco adferri possent, præter ante dicta, petantur ex materia de motu Angelorum ab uno extremo ad aliud, eo enim translata sunt.

Infero secundò. Reflectendo ad materiam de inceptionibus & desitionibus rerum, in uno instanti intrinseco Mathematicoque temporis expellitur vetus forma, in alio autem inducitur nova, in tempore autem Aristotelicè accepto, nihil proportionati respondet.

Infero tertiò. Quandonam sacramenta causant gratiam. Nam si Ly Quando, referatur ad ipsa verba, causant tunc, cùm completam habent significationem, completam autem habent significationem, cùm ultimò sensibilia fiunt, humano modo in sui prolatione; incipiunt autem esse ita sensibilia, cùm devenitur ad illud minimum, quod si dividas nondum est sensibile humano modo, si addas, jam fit sensibile; Si autem Ly: quando, referatur ad ipsam gratiam, prout prout primò pro-

producitur, illa quia producitur tota simul, producitur in instanti Mathematico, cui nihil proportionatum respondet in tempore Philosophicè accepto.

DIFFICULTAS III.

Solutio Objectionum.

POnendæ sunt inprimis Objectiones, quæ videntur æquè militare contra nostram sententiam, ac contra sententiam Zenonis.

Punctum Difficultatis 1.

Quomodo in his Principiis dividi possit linea, & quomodo minima se tangant.

OBJICITUR primò. Posito quòd in resolutione continui deveniatur ad prædicta minima Physica explicari non poterit, quî linea recta dividi possit in partes æquales, quod tamen fieri posse demonstravit Euclides.

RESPONDETUR. Si ponatur linea tribus v.g. minimis constare, in æqualia fiet divisio, quia minimum, quod est in medio, duabus medietatibus constat, adeoque talibus quæ positâ divisione per medium æqualitatem fundent. Si verò ponatur linea constans duobus minimis Physicis & medietate unius minimi, adhuc in æqualia fiet divisio, quia medietas illa habebit se per modum medii communis, intentum autem demonstrationis, non vetat ne salvetur æqualitas divisionis in linea recta, si aliquid ponatur per modum medii communis utrique. Quod ipsum illustrari potest instantiâ, admittente, ex rebus & punctis continuativis constare quantitatem si enim ponas lineam constare ex rebus A.B. & ex puncto continuativo, illa linea in æquales partes divideretur, quia illud punctum esset per modum termini communis.

Repeti etiam possunt superiùs dicta; demonstrationes Mathematicas non esse absolutas, sed ex hypothesi, nec Mathematicum attendere, quòd quantitas componatur ex partibus in infinitum divisibilibus, vel punctis, sed procedere v.g. ex suppositione divisibilitatis in infinitum. Reperiuntur etiam Mathematici, qui ostendunt salvis demonstrationibus posse defendi, quantitatem constare ex punctis, multòque magis minimis. Proposueram etiam hanc sententiam Patri Ricciolo & Socio ejus Patri Grimaldi notis in Italia Mathematicis, censuerunt hæc posse dici salvis demonstrationibus Mathematicis.

OBJICITUR secundò. In dicta sententia non posse explicari, quomodo ratio contactûs posset convenire quanto.

RESPONDETUR. Ponatur linea constant tribus minimis A.B.C., ponantur rursùs uniuscujusque minimi duæ partes, prior 1. posterior 2. hoc posito dici potest quod 2. minimi A, tangat 1. minimi B; & 2. minimi B; tangit 1. minimi C. consequenter nec se penetrant faciuntque non penetrata extensionem localem. Restat nihilominus explicare, quî ipsæ partes medietatis minimi, si dantur, vel ipsæ medietates minimorum se contingant?

Circa contactum ipsarum medietatum minimi, hoc dici potest: quòd illæ medietates minimi, tangant se totis, non tamen se penetrant, quod ipsum sic explicatur. Ex ratione contactus ut sic, non sequitur penetratio, ut experientia & ratio probat. ex contactu etiam partibus, non sequitur penetratio partibus, neque enim digiti dum se contingunt penetrant se. Ad hoc ergò, ut vel ex contactu partibus, vel ex contactu totis, sequatur penetratio, debet habere contingens unum, respectu aliûs, intreitatem. Porrò quando se totis tangunt illæ medietates, unum respectu alterius intreitatem non habet propter principium aliunde superadditum, scilicet quantitatem, cujus saltem secundarius effectus est impenetrabilitas.

Quod autem dictum de quantitate superaddita, faciente ne medietas minimi materiæ, possit penetrare medietatem alius minimi materiæ, idem proportionaliter dici debet, quod faciat etiam sui medietates non posse penetrari: sicut enim quantitas & sibi & alteri adfert rationem extreitatis, ita & rationem impenetrativitatis.

Neque valet si idem applices, ostendendo quòd puncta, quamvis se tangant totis, non se penetrent, non inquam valet si idem applices. Quia Zenonistæ non admittunt quantitatem esse accidens superadditum, ut videre est in Arriaga. Rursùs sententia illorum, saltem per ordinem adminima ipsa se cõtingentia paritatem cum nostra non habet, quia illi in suis punctis medietates nullas admittunt, ratione quarum fiat contactus unâ medietate, quin fiat contactus aliâ medietate.

Quanquam etiam dici posset, quòd illæ medietates se tangant partibus intransitivè, quia sunt partes totius minimi, sed non partibus transitivè, hoc est aliis divisibilibus in se inclusis.

Rursùs circa contactum partium ipsius medietatis minimi, si dentur, hoc dici posset, quòd illæ se tangant se totis, non tamen se penetrent. Ratio. Quia ad hoc ut aliqua dicantur se penetrare, præter intreitatem debent semper vel actu, vel potentia habere rationem duorum. Sic v.g. duo Angeli dicuntur se ipsos penetrare, Corpus item Christi

penetravit lapidem sepulchri, interveniebatque tunc ratio actualis duorum. Angelus autem non dicitur penetrare seipsum, nec anima rationalis existens in capite, dicitur esse penetrata cum se ipsa existente in pede, quia nec Angelus, nec anima respectu sui rationem duorum habere possunt, cum ergo partes medietatis minimi, si dantur, rationem [illegible]orum divisibilium habere non possint, quia [illegible]visio illis ulteriùs convenire non potest, a[illegible]s vel actu, vel potentiâ, daretur minùs quantitativum quantitatis minimo, ideo nec se penetrant. Et hoc principium supponit, quòd in illa medietate minimi, residuæ maneant partes. Ut autem Natura illius medietatis Minimi intelligatur. *Sit.*

Punctum Difficultatis 2.

Supponuntur Quædam.

SUPPONO primò. Quòd quando non jam divinitùs fit divisio minimi quantitatis, connaturaliter loquendo, petit materia non ita conservari, sed si debet conservari, petit reponi in statu emanandæ actualiter quantitatis. Ratio. Quia omnis essentia, petit poni nonnisi in statu, in quo saltem emanet suas ex se proprietates, & sic (supposito quòd potentiæ animæ distinguantur realiter ab anima) [illegible]anima non possit emanare ex se potentiam [illegible]lectivam, & volitivam, ob violentiam quam patitur, petit non ita conservari.

SUPPONO secundò. Posito quòd velit tamen ita Deus illam materiam conservare, posset dicere quis, nullas illam medietatem minimi habere partes, nec tamen tunc deveniendum in divisione continui ad indivisibilia. Quia quando horret communis Philosophia asserere, quòd in divisione continui deveniatur ad indivisibilia, horret indivisibilia quæ contineant & componant quantitatem, sed non indivisibilia secutura quantitate ablatâ, cum etiam agnoscat divisibilitatem nonnisi ex suppositione quantitatis, materiæ competere, de quo supra actum.

Hinc hæc Propositio! Devenitur tunc ad indivisibilia distinguitur: ablatâ quantitate Nego. Vel si mavis dic, devenitur ad Indivisibilia tanquam ultimo contentiva quantitatis, vel primò ejus principiativa Nego. Devenitur ad Indivisibilia hoc est ad dividuum, ultimo. Concedo. Unde illæ duæ medietates, ablatâ quantitate sunt formaliter indivisibiles, divisibiles potentiâ, quod non competit punctis, divisibilitate illorum potentiali in hoc stante, quia si conjungantur emanabunt ex se quãtitatem, quæ illis in illo minimo adferrat divisibilitatem. Et sicut licèt materia ante quantitatem non sit extensa, ubi emanarit quantitatem, redditur extensa: ita illa medietates minimii conjuncta alteri medietati, ubi illud minimũ emanarit quantitatem, acquirit divisibilitatem non in se, sed in illo toto minimo. Porrò non tàm medietas minimi componit quantitatem, quàm potiùs ipsum minimum, compositivum enim quantitatis, est ipsum quantum, ipsum autem Minimum, in se est quantum. Unde illi medietati rigorosè, potiùs, competit esse in eo, quod componit quantitatem, quàm componere illam.

ADDO. Quæ hîc dicta sunt, de ipso quanto, idem dici debet de quantitate, à materia separata, quòd in illa sit minimum divisibile, sed illâ divisibilitate, positâ, jam non erit quantitas, nec extensio, nec extreitas: cumque impossibile sit manere rem sine sua essentia, si essentia illius auferretur, etiam illa res auferri debet, ita ut oppositum ne divinitùs quidem fieri possit; sic etiam positâ divisione, jam non manebit illud accidens extensum, adeoque nec quantitatis accidens, cumque essentia quantitatis sit, descripta aliàs extreitas seu extensio, hinc quando non manet jàm extreitas & extensio, nec manet quantitas, ita ut oppositum ne divinitus quidem fieri possit: Consequenter in his principiis non devenietur unquam ad indivisibilia ante quantitate, adeoq; ad componentia quantitatem indivisibilia secus in sententia Zenonis. Unde

INFERES. Aliter se habere minimum materiæ aptæ emanere quantitatem, & aliter minimum quantitatis, quia scilicet positâ divisione minimi materiæ, non est indispensabile, ut conservet DEUS medietate Minimi, quamvis sine proprietate debita, salvabiturq; primò essentialis conceptus materiæ in medietate minimi materiæ, nempè ratio subjecti primi; quia autem salvabitur ratio extensi & extreisabilis in medietate minimi, ideò indispensabiliter petit post divisionem utraq; pars non esse, quia aliàs in quantitate stante quantitate deveniretur ad indivisibilia quod repugnat, vel ad semper dividuum, quod impugnatum est.

INFERES item, quòd longè aliter se habeat Quantitas, quàm alia accidentia, secundùm se spectata, quia alia accidentia non indigent alio ad sui esse, secùs quantitas, idq; ex eo quia quantitas non potest salvari sine extreitate. Et quia nihil respectu sui extreitatem habet, sed ex appositione alterius, ideò si hæc appositio non fit, jam non erit extreitas, adeoque nec quantitas, & quia hæc extreitas non est, ablatâ mediate minimi, ideò nec est quantitas illâ ablatâ.

INFERES deniq; differentiam hujus sententiæ

tentiæ à sententia Zenonis, secundùm hanc responsionem, non admittendem partes in medietate minimi; quia scilicet ultimum, ad quod devenitur in resolutione Continui, est minimum divisibile, hocq; est quod componit quantitatem, separationeque positâ, indispensabiliter annihilantur illæ duæ partes, quia illarum essentia, est cum extreitate esse, quam tunc non possunt habere. Et sicut si pars albedinis non posset esse albedo, annihilari exigeret, ita illæ partes annihilari exigunt, cùm essentialiter ordinatæ sint, ad actu extreisandum, consequenter hîc deveniretur ad minimum divisibile, in sententia Zenonis ad indivisibilia. Deinde in sententia Zenonis compositiva sunt indivisibilia, in hac sententia composita sunt Minima, adeoque in sententia Zenonis primò inchoativum Quantitatis est Indivisibile, ultimò item contentivum. In hac autem sententia, primò inchoativum & ultimò contentivum Quantitatis, est illud primò dividuum, & ultimò dividuum, hoc est Minimum Respiciunt hæc illud principium. Impossibile est manere hoc, & non esse hoc, quod est, aliâs esset sine se, consequenter impossibile erit manere medietatem minimi extensionis, non esset enim sibi ratio formalis extensionis, & tamen qantitas ex essentia sua, est ratio formalis extensionis. Sed de medietate Minimi ut tentetur alia via discurrendi. Hinc

Suppono tertiò. Ut clariùs constituatur differentia illius Medietatis Minimi ab indivisibili materiali, adeoque etiam habente rationem molis, possent poni plures partes, quamvis à se non divisibiles, & ita se habentes, ac se haberet materia omni spolita quantitate & redacta in punctum, cujus una pars, non potest ab alia dividi & separari, & sicut si illa Materia per impossibile non esset capax quantitatis, nullo modo dividi posset, datâque unâ parte daretur tota, ita cum illa medietas non sit capax, se solâ quantitatis & divisibilitatis, nunquam poterit dividi, partitionemq; admittere: de qua pluralitate partium ita discurri potest.

Imprimis dici posset ponendam esse pluralitatem partium, vel enim plures illæ partes sunt indentificatæ vel non identificatæ? Si identificatæ? Ergò non plures. Si non identificatæ? Ergò plures.

Dici deinde posset, quamvis videat Deus pluralitatem illarum partium, de distinctione tamen discurrendo, posset asseri, illas non esse realiter actualiter, sed realiter potentialiter distinctas. Idque ideò quia debet esse minor distinctio rerum, quæ non ratione connotati alicujus extrinseci, negant separabilitatem realem, sed defectu orto ex carentia perfectionis sibi debitæ, & quia est minor distinctio potentialis quàm actualis, illa poni ideò posset; & sicut defectus separabilitatis absolutus, fundat negationem distinctionis realis, ita defectus ortus ex carentia perfectionis & ineptitudine ad separari, orta non ab extrinseco connotato, sed ut dixi ex carentia perfectionis sibi debitæ, & à se emanabilis, fundare debet distinctionem Minorem adeoque Potentialem. Dicuntur autem illæ partes potentiâ distingui, non quòd actu sint aliquando distinguendæ, sed quòd habeant vim & potentiam mole suâ excludendi à se indivisibile Mathematicum. Nomine autem ipsius penetrationis, ex jam dictis supra, non intelligitur rigorosa penetratio, quæ est intreitas eorum, quæ habent potentiam ut actu dividi & separari possint, sed intelligitur sola occupatio ejusdem spatii, competens moli condistinctæ ab indivisibili Mathematico, non tamen habenti, tantùm quantùm requiritur, ut illud evadat primò quantum, hoc est ut evadat minimum quantitatis, frequentiùs tamen appellamus hoc penetrationem, quia nomine illius vulgò sumitur in eodem loco existentia, cum tamen deberet dici non nisi, partium non extreisabilium in eodem loco positio.

Suppono quartò. Sive inter illas partes sic distinctio realis actualis sive potentialis, non tamen videt Deus divisibiles illas esse, quia non potest difformiter objecto videre, illud autem objectum, ut dixi, non est divisibile. Rursùs cùm ita sint illic plures partes, ut sint penetratæ, non potest, Deus designare hanc, quin designet omnes, in se penetratas. Quanquàm de partibus his discurrere, jam non spectat tunc, ad materiam de quantitate, sed & ad hanc quòd materia de se adferat, partes entitativas.

Suppono quintò. Non esse dicendum quòd in distinctione partium entitativarum materiæ, reperibilis in medietate minimi quantitatis, sit procedere in infinitum. Ratio. Tum quia non minùs esset distinctionum in illa minimi medietate, quam in tota possibili materia de quo argumento suprà egimus. Tum quia de divisilitate vel acceptibilitate partium, nunquam agunt Philosophi, nisi per ordinem ad quantitatem, hancque in infinitum acceptibilitatem erundem, non dicunt convenire materiæ, sed quantitate, quæ quia non continetur in medietate Minimi, nec illi etiam ex principiis oppositorum adferre debet distinctionem partium in infinitum. Tum quia quamvis concedatur, quòd non sit procedere in infinitum in distinctione partium entitativarum, non sequitur materiam componi ex indivisibilibus, seu indistinguibilibus partium entitativarum, nam quam

vis tanti plures Mercurii non possint fieri ex hoc ligno, non sequitur lignum componi ex tantis Mercuriis, sed suâ entitate stare, ita vel ita magna, penetrata tamen; & nisi accedat pluralitas entitatis, non erit divisibilis, quia nec quantisanda.

Colliges hanc responsionis partem admittere in illa medietate Minimi partes ut evitet puncta Zenonistica, non admittere autem separabilitatem, partibilitatem adeoque assignabilitatem partium, ut evitet divisibilitatem in infinitum, cùm utrumque hoc argumentis evincatur: medium ergò erit dicere, quòd dentur in illa medietate partes potentiâ plures, sed non divisibiles, assignabiles, &c. Etsi occupante Angelo locum divisibilem non possunt in Angelo divisibilitates poni; ita habente medietate illâ partes, poterit poni pluralitas, sed non divisibilitas nec assignabilitas: & quidem loquendo de partibus medietatis minimi materiæ, de illa dici potest quòd habeat partes, sed non potentes se solis emanare quantitatem, loquendo autem de medietate Minimi ipsius quantitatis; habet illa partes in quibus solis non sit vis extendendi aliud, nisi ex accessu similium partium, & nisi illæ accedant, indispensabile est ex dictis ut maneat in rerum natura Quantitas actualis. Sed de distinctione hujus sententiæ a renonistica, etiam infra.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur solutio Objectonum.

Objicitur tertiò. In hac sententia non esse explicabile quis effectus formalis tribuatur illi minimo physico.

Respondetur. Tribui illi extensionem partium Minimi in ordine ad se, tanquam effectum formalem primarium, & extensionem in ordine ad locum tanquam effectum secundarium, ita ut vi quantitatis, quæ esse illud minimum occupet minimum loci divisibilis.

Objicitur quartò. In hac sententia non posse explicari quî fieri possit rarefactio.

Respondetur, in multorum principiis posset fieri rarefactio per intromissionem corpusculorum minimis illis unitorum, vel per superadditionem qualitatis, cujus sit effectus formalis major occupatio loci quàm posset occupare à sola quantitate sibi connaturali, & quâ ratione in quacunque sententia salvatur negatio bilocationis, eodem modo in præsenti salvari debet: nec jam positâ extensione majori in ordine ad locum, quæ provenit à raritate, sequetur divisibilitas plusquam in duas medietates minimi, quia ad divisibilitatem non sufficit sola extensio major, sed conditio entitatis, & sicut Angelus occupans sphæram divisibilem dividi non potest, ob negationem absolutè partium, ita nec dividi poterit illud minimum, plusquam in duo dimidia, ob defectum sufficientium ad dividi.

Objicitur quintò. Ponamus poni à Deo lineam rectam, quæ desinat in medietatem minimi Physici, ponamus rursùs minimum physicum, demittat DEUS in medium illius minimi, lineam dictam, quo casu illa linea assignabit sibi partes medietatis utriusque & non unam aliquam medietatem. Ergò assignatio illa fundabit divisibilitatem partium uniuscujusque medietatis.

Respondetur. Ex hac suppositione sequi duo contradictoria nempè & applicari per medium minimo quantitativo illam lineam desinentem in medietatem minimi & non applicari per medium. applicari quidem ut supponitur; Non applicari autem, quia ex dictis hactenus, in illis medietatibus non dantur alia dimidia, quid ergò illi lineæ respondebit? Nihil proportionatum: Nihil enim medio minimi in medietatibus minimi ab utrinque sumptis proportionatum respondere potest. Et sicut nihil proportionale respondet, si supra tabulam constantem partibus in infinitum divisibilibus, ponatur indivisibile Mathematicum, vel si collocet se Angelus supra planum redactus ad punctum loci, ita & in præsenti idem dicendum.

Objicitur sextò. Etiamsi detur minimum Physicum, tamen conceditur posse dari medietas minimi, quæ debet esse minus quid minimo. Ergò cùm minimum Physicum habeat aliquid minus se, etiam medietas minimi habebit aliquid minus se.

Respondetur. Disparitatem esse, quia si ponatur dari minimum divisibile, sed non ulterius, ultra medietatem, non dabitur processus in infinitum in divisione continui, qui processus suprà impugnatus est; Si autem daretur adhuc ipsius Medietatis medietas, & sic ulterius, daretur processus in infinitum in divisibilitate, quòd suprà impugnatum.

Rursùs ut dictum supra, duplici viâ discurritur de ista medietate minimi. Inprimis quòd, illa medietas non habeat partes, & secundum hoc principium dici potest: Disparitatem esse. Quia cùm illud minimum habeat partes, bene in illas dividi potest. Quia autem medietas minimi, partes jam non habeat (ex positione istius responsionis quę nõ impugnatur) ideò illa medietas, in minus jam, dividi nõ potest. Deinde de eadem medietatem minimi ita discurritur, ut ponatur, haberi quidem illic partes sed non quantabiles, non divisibiles se solis. Hinc cùm minimum constet quantabili, dabitur in Minimo Physico medietas, non

non dabitur autem in medietate minimi, tanquam non quantabili, adeoque nec divisibili; nec separabili ut dictum suprà.

Instabis. Quia non tantum ulna, sed etiam semiulna, non est quid indivisibile physicè, nec est punctum, ideò datur ulnæ non tantum medium, sed etiam datur medii ulnæ, aliud medium. Ergò etiam quia medietas illa minimi Physici non est quid indivisibile physicè, nec est punctum, non tantum dabitur medietas minimi physici, sed etiam medietas, medietatis minimi physici, aliàs si illa medietas nullas omninò habet partes, coincidit cum puncto, atq; ita ex duabus omnino indivisibilibus medietatibus, seuex duobus punctis: componetur minimum Physicum.

Respondetur. Hoc argumentum petere non illam partem prætentatæ responsionis, in qua diximus in medietate minimi posse poni partes licèt seipsis non quamtabiles, non divisibiles: hinc si placeat arguenti potest tenere hanc responsionem. Red nec expugnat aliam prætentatam responsionem, quòd scilicet in medietate minimi nullæ dentur partes. Argumento ut ponitur. Negatur Antecedens, nego enim non deveniendum in divisione ulnæ ad aliquod minimum quod jam dividinon possit salvà quantitate, cujus oppositum supponit arguens in suo Antecedente; Hinc illud aut negari debet aut distingui sic; quia non tantùm ulna, sed etiam semiulna non est punctum, ideò datur non tantum ulnæ medium, sed etiam medii ulnæ medium, ita ut sit semper procedere ad tales medietates Nego Antecedens. Ita aut non sit procedere Concedo Antecedens & Nego Consequantiam. Quare autem licèt dentur in minimo mediatates, non dentur in medietatibus medietates & ex argumento suprà posito & ex dictis imediatè ad objectionem colligitur. Nec inde sequetur componi quantitatem ex duobus indivisibilibus, sed componitur in nostris principiis ex minimo eoq; divisibili, habenteq; illas duas partes, & quidem ejus naturæ, ut sit impossibile manere unam in rerum natura sine altera, utpotè sine qua divisibilitatem extreitatemq; adferre non potest, cum tamen de essentia quantitatis sit esse extreisativam. Hinc in divisione continui non devenitur salvâ quantitate, nisi ad minimum divisibile tanquam compositivum continui, cùm tamen in sententia Zenonis deveniatur non nisi ab indivisibile. Quæ ipsa objectio multò minùs urget, si ponatur quòd in medietate minimi sint partes, sed non assignabiles, non divisibiles, sicut nec sunt assignabiles, nec divisibiles in materia habente partes, si spolietur omni quantitate, & quæ sint hoc solo partes, quia mole suâ entitativâ, natæ sunt excludere indivisibile Mathematicum. Unde rigorosè loquento in his principiis non devenietur ad duo indivisibilia, hæc enim supponunt communiter pro punctis, sed ad unum divisibile non ulteriùs dividuum. Vide superiùs dicta Puncto Difficultatis secundo, Supposito secundo.

Objicitur septimò. Hæc sententia gravissimas difficultates tàm in sententia Zenonis, quàm in sententia Aristotelis non evadit.

Retpondetur. In sententia Aristotelis maxima est Difficultas, divisibilitas in infinitum, contra quam processit argumentum suprà à nobis factum, cùm tamen in divisione continui per nos deveniatur ad minimum, non ultra salvâ quantitate divisibile. In sententia autem Zenonis difficillimum est argumentum Aristotelis quomodo se puncta illa tangant. In principiis autem nostris unum minimum Physicum, tangit aliud, sui medietate: Hinc hæc graviora, & alia similia argumenta, non petunt nos.

Instabis. Aristoteles definit Quantum, quòd sit in ea quæ insunt divisibile.

Respondetur. Sicut definitur homo definitione physicâ, quòd constet seu componatur ex corpore & anima, nihilominus positâ separatione, jam non constat Homo animâ & corpore, sed constat salvo esse hominis; ita Quantum, est in ea puæ insunt divisibile, sed eousq; quousq; manet Quantum; Et ita v. g. manet divisibile in decem Minima, postea in novem, & quia unum minimum ultimò continet quantitatem, hinc illo ablato, non erit jam necesse ulteriùs manere divisibile.

Notantur quædam ad explicanda hactenus dicta.

Per nos materia spoliatâ omni quantitate redigeretur ad punctum indivisibile, accessu autem quantitatis extendi poterit. Nihilominus unipedalis materia, non est capax quantitatis centumpedalis, idque ex eo, quia spoliatâ omni quantitate materia, supponitur habere partes entitativas aptas ab extendi, jam autem ũipedalis materiat non habet partes entitativas, quæ possit vi quantitatis fieri centumpedalis, aliâs antequam fieret centumpedalis, deberent supponi partes penetratæ sub quantitate unipedali, aut replicatæ in centumpedali aut rarefactæ.

Quando item dicimus quòd à Minimo Physico, non possint accipiunum indivisibile, loquimur de invisibili quod sit supperadditum ipsi minimo in se consistenti, nam per nos, ut infra constabit, neque terminativa puncta dantur, nec continuativa.

Licèt ponamus constare illud minimum duabus medietatibus de quibus una respondendiva dicit: Quòd illæ medietatet non habeant partes, casu quo ponatur linea tribus

mini-

minimis constans fieretque divisio æqualis, quia nempè divisio caderet in Minimum quod est in medio duabus medietatibus constans, jam una in divisibilis medietas demeretur quidem ab alia, sed quia adjungeretur huic, vel illi minimo adhuc esset contentiva quantitatis. Nec tamen à minimo auferretur per nos indivisibile, quia negavimus à minimo Physico posse separari punctum aliquod, quod esset supperadditum, haberetque se per modum terminativi aut continuativi.

Concedo tenere Nos, in una respondendi via, quòd singulæ medietates minimi in se spectatæ sint indivisibiles, & singulæ in se non quantæ, sed ex accessu sui ad invicem quantitantur & extreinsantur, & ex hoc jam se penetrare non poterunt; Nam licèt partes, materiæ spoliatæ quantitate, se penetrent; quia tamen illæ ipsæ medietates una sumptæ, sunt in quantitate ipsa quantitas, ideo in illo Minimo non se penetrant.

Quando ad objectionem secundam dicimus, quod partes medietatis minimi rationem duorum divisibilium habere non possint, non intelligendum est de partibus ipsiusmet minimi, nec dicimus duas medietates, non habere rationem duorum, sed id dicimus de partibus medietatis, si dentur.

Non est insuetum corpus ante animationem dicere animabile in potentia, & non tantum appellare animatum ipsum totum; Ita dici potest in potentia unam medietatem minimi esse divisibilem, licèt nonnisi ex accessu ut ita dicam alius medietatis, reddatur divisibilit. Licet hæc locutio non in omni phrasi semper teneat. Ipsum autem Minimum debet dici potiùs actu divisibile, quam merè potentiâ divisibile.

Quando interdum dicimus medietatem minimi habere partes, non tamen partibilitatem illarum, interdum dicimus illas medietates non habere partes, hoc ita accipiendum est, quod scilicet hic duplex prætentetur via discurrendi de istis medietatibus, adeoque non est hæc doctrina collectivè sumēda, alioqui esset contradictoria, sed problematicon, & aut hæc, aut illa, tenenda est via.

In Via hæc quæ docet haberi in medietate minimi partes potentiâ, non tamen de signabiles, non sequitur ex eo, quòd sint partes potentiâ, esse jam divisibiles. Nam quod Mercurius qui est potentia in ligno, per Aristotelem, posse designari, id ex eo est, quia illa potentia, habet in se & continet, aptaq; est de se continere & quantitatem & extreinsationem, quod non cōvenit secundùm dicta, partibus illis medietatis minimi si dentur.

Est quidem Verùm quod si agens, Minimum Physicum quantitatis diverserit, jam amplius non sit futura in rerum natura quantitas illi minimo contenta; Sed negatur posse hoc viribus naturæ præstate aliquod agens, ut dictum supra Difficultate primâ. Si tamen etiam divinitùs divideret agens ipsum minimum materiæ, dixi, posse adhuc materiam servari, adeoque posse illam non annihilari, licèt petat, non conservari in rerum natura, sine tali passione.

Concedo Essentiam quantitatis esse, habere extreitatem partium, quousque manet quantitas. Concedo quod quælibet pars continui, habeat esse etiam quantitatis, sed eousq; quousq; habet rationem partis continui, sed rationem partis continui non habet nec habere potest, nisi quousq; durat ratio minimi quantitatis; & sicut licet quælibet pars aquæ habeat essentiam aquæ, nihilominus si separetur forma aquæ à materia aquæ, jam non manet essentia aqua, si nec manet quantitas non manente minimo quantitatis, adeoque nec debet residua manere extreitas partium.

Colliges primò ex dictis Per Quid differat hæc sententia à sententia Zenonis. Nam imprimis ipsum Minimum Physicum, est divisibile, Puncta Zenonis indivisibilia sumendo unà utramque Responsionis partem. Rursùs in parte illa respondendi, quæ docet in medietatibus minimi ineſſe partes licèt non ulteriùs assignabiles, divisibiles &c. Hoc ipso ponitur distinctio à punctis Zenonisticis, quæ carent partibus. In modo autem illo respondendi qui negat illis medietatibus partes, adhuc hæc sententia distinguitur à sententia Zenonis. Tum quia non illæ medietates indivisibiles componunt quantitatem, sed illud minimum dividuum non ulterius divisibile, ut suprà dictum. Tum quia in sententia Zenonis devenire est ad punctum quorum unumquodque separatim habet jus existendi, in nostra Sententia devenire est nonnisi ad Minimum. Nam ulla illarum medietatum habet jus existendi, si separetur ab alia. Unde non devenitur in divisione continui ad illas medietates, sed nonnisi ad minimum. Tum quia in sententia Zenonis punctum se ipso de quantitate participat, in principiis nostris de quantitate non participat nisi Minimum. In Principiis Zenonis primum punctum primò inchoat quantitatem, ultimum punctum ultimò continet. In nostris principiis quod primo inchoat quantitatem est Minimum, & quod continet, est itidem Minimum idque divisibile. Et quia res in id resolvitur, ex quo componitur, hinc in principiis Zenonis, resolvitur quantitas in punctum; Per nos autem non resolvitur in medietates Minimi sed in Minimum. Et sicut malè quis inferret comporri continuum nihilo, quia sublato puncto ultimo in sententia Zenonis, vel omnibus partibus

tibus, in sententia Aristotelis, manet. Ita nec quisquam inferre potest, componi Quantitatem in nostris principiis per indivisibilia, eo quod ablato ultimo divisibili, nihil ulteriùs dividuum maneat.

Colliges. In nostris Principiis, instantaneis actionibus, durationibus, annihilationibus, motibus discretis, à Termino à Quo, ad Terminum ad Quem sine medio, &c. nihil respondere proportionatum in ipso tempore, seu moru cœlorum.

Dices. Respondere aliquid proportionatum, est, quando existit tempus, vel aliquid temporis, idque vel divisibile, vel indivisibile. Sed quando v. gr. instantaneè producitur gratia, existit tunc tempus, vel aliquid temporis, divisibile, vel indivisibile; Ergo quando v. gr. producitur gratia, respondet aliquid proportionatum. Quod Argumentum est in Galeni.

Resoondetur. Argumentum hoc, non esse in Galeni figura. Ratio. Quia in Galeni figura, hoc quod erat prædicatum in prima propositione, ponitur pro prædicato in secunda Propositione, quod in præsenti non sit. Quod si dicas esse hoc in Galeni figura, sed non in prima, suppono hujus oppositum demonstrari à Dialecticis, quòd scilicet, nulla sit figura Galeni, nisi prima, quæ teneat. Hoc etiam Argumentum, non est in secunda figura, quia nulla præcessit negativa. Non etiam est in tertia figura. Quia non servatur, Tertia bis subjicit, consequenter nego, hoc argumentum esse in forma rigorosè collocationem terminorum spectando.

Cæterùm si prædicatum primæ propositionis ponatur pro subjecto in eadem, erit argumentum in prima figura. Dixi rigorosè spectando collocationẽ terminorum, quia quando servatis iisdem terminis, & intento, quòd probari debet, vitium oritur ex sola materiali transpositione terminorum, debet Argumento categoricè respondeti.

Hinc dico. Quòd tunc quando instantaneè, v. gr. causatur gratia, non existat commensurativè tempus, vel aliquid temporis; quia tempus & aliquid temporis definitivè involvit prius & posterius; quia autem in instantanea productione v. g. gratiæ, non est quidquam inclusivum prioris, & posterioris, ideo, nec existit tunc tempus, vel aliquid temporis, commensurativè; sed existet tunc tempus, hoc sensu: quia ab initio mundi usque nunc, non erat quies cœlorum, & interim producta est gratia. Non etiam existit tunc indivisibile temporis, quia indivisibilia, sive terminativa, sive continuativa, infra negantur.

In idem recidet si dicas conformiter, ad dicta superius quòd scilicet, Nunc Mathematico productionis gratiæ, non respondeat Nunc Mathematicum temporis, quod solum esset proportionatum, sed existit tunc, Nunc Physicum, adeoque Nunc non proportionatum.

Instabis. Non respondet illi productioni aliquid divisibile. Ergò indivisibile. Hæc enim sunt contradictoria.

Respondetur. Non esse hæc duo contradictoria, sed hæc erunt contradictoria. Non respondet divisibile, respondet divisibile, veraque erit negativa, affirmativa falsa. Sed ad verificandam illam negativam, sufficiet quamvis dicatur, non respondere aliquid proportionatum, negando quòd respondeat indivisibile Addo ulterius; Non divisibile, esse Terminum nonnisi negativum, adeoque contradictoriè oppositum divisibili. Sed hunc Terminum indivisibile, ex suppositione arguentis, esse Terminum positivum, importantem aliquã Entitatem realiter distinctam. Quod additum ad varia in hoc genere servire potest,

Quodsi ita formes contradictoriam. Respondet indivisibile, non respondet indivisibile. Affirmativa erit falsa, vera negativa, sed illa verificabitur, quamvis dicatur nihil proportionatum respondere tunc. Et sicut ex hoc negativo termino: est non album, non est licitum inferre: ergo est nigrum; ita & ex hoc termino: non respondet divisibile, licitum non erit inferre. Ergo respondet indivisibile. Item ex hoc termino non respondet Indivisibile, licitum non erit inferre: ergo respondet divisibile. Quæ omnia in hoc fundantur, quia sicut datur Medium inter, Non album & Nigrum, ita datur Medium, inter Indivisibile & Divisibile, nempè Non proportionatum.

QUÆSTIO VI.

Explicatur quid sit continuatio?

Dicendum Est primò. *Continuationem non fieri per puncta continuativa.*

Probatur I. Quia post puncta continuativa vel sequitur pars vel punctum? Si punctum Ergo tota quantitas componetur ex punctis; Si pars: Quæro estne illa continua vel non. Si continua. Ergo continuationem habet independenter à puncto. Ergo & tota quantitas poterit continuationem habere & non à puncto; Si autem pars illa non est continua, quid erit in continuo continuum. Et si illa pars non est continua. Ergo nec divisibilis, sola enim continua divisibilitatem propriam ut suppono habent. Unde etiam nõ dicuntur propriè duo Angeli dividi, quando localiter à se separantur.

Respondebis continuam illam esse partem, sed continuatione habita vi illius puncti.

Con-

Contra. In quonam ſtat, iſta habita beneficio puncti continuatio, non per poſitionem alius puncti continuativi, hoc enim non admittitur, ſed dicitur ſequi pars, reſtaretque quærere, quid ſequatur poſt illud aliud punctum continuativum. Ergo per ſolam negationem terminorum, cur ergo & ſimpliciter continuatio, ſtare non poterit in dicta negatione terminorum, vel in eo, quod tu dicis communicari illi parti, vi puncti: Et ſicut ex eo quia formaliter disgregatio viſus habetur ab albedine, non poteſt quidquam albedinis, eſſe disgregativum viſus, & tamen ſine albedine, ita nec poteſt eſſe quidquam continuatum vi puncti continuativi, habendo in ſe continuationem, non habendo in ſe formaliter punctum, illud continuativum. Quod ulterius in hoc reſolvitur. Quia effectus formales ſunt ipſamet forma unita ſubjecto apto, punctum autem illi toti parti, utpotè diviſibili, non eſt unitum.

Probatur ſecundò. Si darentur puncta continuativa partium diviſibilium, deberent illas partes tangere puncta: Si illas partes tangerent, puncta tangerent ſe totis, ſi tangerent ſe totis, penetrarentur puncta cum partibus. Tunc quæro: puncta illa continuativa, vel penetrarent totum vel partem, vel indiviſibile partis: Si indiviſibile. Ergo ipſasmet partes, eſſe indiviſibilia concedis: nam poſt illud punctum attactum à puncto continuativo, neceſſario propter paritatem rationis, debet ſequi aliud punctum, de quo ipſo puncto quæritur quid tangat, & ſic ulterius, ſi autem punctum continuativum totum penetrat partem, Ergo bilocatur illud punctum, quomodo enim ſine bilocatione, imò toties locatione, idem punctum, natum non niſi indiviſibile loci, occupare, occupabit locum diviſibilem, utpotè tangendo totum illud, quod habet locum diviſibilem: Si autem punctum continuativum penetrat aliquid partis, adhuc plurilocabitur, quia cùm ſit indiviſibile, erit illic, ubi eſt diviſibile.

Respondebis. Tangi à puncto continuativo partem indeterminatam.

Contra erit. Illa pars indeterminata vel eſt diviſibilis vel indiviſibilis, quomodo ei coexiſtere poterit punctum, tangendo diviſibile illud: Si indiviſibilis. Ergo præter puncta continuativa, admittis in compoſitione continui alia puncta, tenebisque ſententiam Zenonis.

Probatur tertiò. Tum quia, ſi darentur puncta continuativa, illa vel eſſent finita vel infinita actu, vel infinita potentia, non erunt infinita potentia, quia omnia ſunt actu, aliàs ſi non omnia ſunt actu, non omnia eſſent continuativa actu, adeoq; in continuo eſſent aliqua nonnulli potentia continua. Non etiam ſunt finita illa puncta, quia aliàs etiam partes proportionales, quibus continuandis illa apponuntur, non eſſent infinitæ. Non etiam illa puncta ſunt infinita actu, ſequeretur enim eandem Lineam poſſe eſſe ſimul infinitam & finitam, ſeu clauſam duobus terminis, quod ipſum probatur: Supponamus poni columnam rotundam, ſupponamus incipiendo à primo puncto continuativo columnæ, duci ſpiralem per omnia puncta continuativa intercepta inter partes proportionales columnę usq; deorſum: illa Linea & eſſet infinita, quia & puncta per quæ ducitur per te ſunt infinita, & non eſſet infinita, quia clauderetur duobus terminis. Tum quia, ſi darentur puncta continuativa, illa vel darentur inter partes æquales uni certæ, vel inter partes proportionales, non inter priores tantum: Quia non eſt major ratio de his, quàm de illis partibus, cumque partes proportionales identificentur æqualibus uni certæ, ſi inter priores intervenit continuatio, interveniet etiam inter poſteriores. Quodſi dantur puncta continuativa, etiam inter partes proportionales idque omnes, & intervenirent illa puncta inter omnes partes proportionales, & non inter omnes; inter omnes quidem, quia non eſt major ratio de una parte quàm de alia, & non inter omnes, quia nunquam dantur omnes partes proportionales, de eſſentia enim illarum eſt, non tot eſſe, quin plures. Et certè vel ſub omni imaginabili puncto Loci, eſt continuativum illud punctum, vel non ſub omni: Si non ſub omni. Ergo non ubique eſt continuatio, adeoque non ubique continuum: Si ſub omni, Ergo quantitas tota erit nonniſi more puncti. Tum quia, ſi dantur puncta continuativa vel eſt ſub illis ſanguis Chriſti in calice vel non eſt? ſi eſt, Ergo cùm de novo fit nova continuatio unius partis ſpecierum, cum alia parte ſpecierum, ponetur illic ſanguis ſine conſecratione; Si autem ſub punctis continuativis non eſt ſanguis Chriſti, ſequitur quòd mutatis ſuperficiebus per agitationem, confundantur ſuperficies conſecratæ cum non conſecratis, quod de ſe videtur inconveniens. Tum quia, ſi darentur puncta continuativa, ſequeretur idem poſſe eſſe frigidum ut 8. & calidum ut 8. demus enim unam partem ferri frigefieri ut 8. & aliam calefieri ut 8. cùm non ſit major ratio cur frigidum quàm calidum agat, certè punctum inter illa utraque interceptum erit frigidum ut 8. & calidum ut 8. Tum quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, punctum autem continuativum eſt ens ſine neceſſitate.

Dicendum ſecundò eſt. *Continuationem non eſſe modum ſuperadditum.*

Probatur Conclusio. Sufficienter à non eſſe continui ad eſſe continui, transiri poteſt per ſolam negationem terminorum, tunc

tunc autem concedendi sunt modi, quando nihil ostendi potest, quòd sit sufficiens mutatio ad transitum ab uno contradictorio ad aliud. Sed unde fit ut cùm materia & forma uniri non possint sine modo, uniri tamen possint sine modo partes continui? ad quod dici potest, quod nulla possit talis negatio ostendi, quæ sufficienter talem transitum salvet, quæ enim illa? jam autem ipsa negatio terminorum, est sufficiens, ad transeundum à non esse continui, ad esse continui. Dicerent alii, inter quæ est unio, non sine superaddito modo, illa necessariò duo debent esse, unio enim non nisi duorum est, cum ergò partes in continuo non sint distinctæ, nec sint actu plures, ideo illas inter se uniri, non erit necesse.

Dicendum tertiò. *Continuationem in recto, esse ipsammet rei quantitatem, proformali autem dicit instantiam, cum negatione terminorum utriusque extremi.*

Probatur. Quia quæcunque non explicantur per formam aliquam superadditam realem vel modalem, illa explicari debent nonnisi per connotata, ut inductio ostendit & tractatio de distinctionibus. Ergò cùm continuatio non explicetur per aliquid reale superadditum, debebit explicari per connotata, sed non per alia quàm prædicta, quia nulla alia excogitari dariq; possunt. desit enim indistantia, adsint proprii termini, hoc ipso non erit continuatio, idque per locum intrinsecum, quid enim magis intrinsecum continuationi, quàm illius extrema indistare & negare terminos.

Quæ in contra objici possunt, solventur ex dictis in materia de connotatis.

Quæri solet: *An continuum sit ens per se.*

Respondent non pauci. Unionem hanc neque esse per se, neque per accidens, rigorosè loquendo non est per se, quia non est inter ea, quorum unum se habeat per modum actus, & aliud per modum potentiæ; Neq; etiam est unio per accidens, quia non est saltem semper inter extrema, quæ sint accidens.

Potest tamen dici ens per se, quando scilicet continuum, est ex substantialibus extremis, uniri natis.

Hinc continuum non est compositum tale, quale fieret, ex duabus animabus inter se unitis, quia nunquam duæ animæ, natæ sunt inter se uniri. Concedo quidem actionem terminatam ad substantiam non esse substantialem, unio tamen inter extrema substantialia continuabilia, erit substantialis; quia actio, in sententia hæc objicientium, non identificatur ipsi substantiæ, propter rationes, quas modales adferunt, potest autem ex dictis, unio identificari continuo, in dictis circumstantiis, attendendoq; ad id, quid sit substantia, pronum est inferre actionem, quæ producit substantiam, non esse substantialem; Quia agens sive illa mutetur, sive non mutetur, itemq; terminus eodem se modo habebit, non autem eodem modo habebit se continuum, si continuatio identificata continuato, in dictis circumstantiis mutetur.

QUÆSTIO V.

Quid termini quantitatis, & de reliquis quantitatem concernentibus.

Partienda est Quæstio.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum?

Dicendum est primò. *Terminos quantitatis non esse puncta terminativa distincta realiter.*

Probatur primò. Quia Aristoteles 1. Metaphys. text. 43. universaliter docet magnitudinem non constare ex superficiebus, lineis, & punctis. Et 3. Metaphys. text. 13. Negat superficies esse in corpore solido & Lib. 4. de motu animalium, nullam, inquit, punctorum esse substantiam.

Probatur secundò. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sufficienter autem intelligitur terminata quantitas, si dicat negationem ulterioris extensionis.

Probatur tertiò. Si termini quantitatis sint puncta, tota superficies quæ est terminus quanti, constabit ex punctis, & de hac superficie redibunt argumenta Aristotelica, contra puncta quomodo se tangant. Rursùs demus annihilari illa puncta, sunt enim ut suppono superaddita, secunda superficies quæ sequitur estne ex punctis, an non? si est ex punctis. Ergò & totum illud quantum, est ex punctis, semper enim reperiuntur, aliæ & aliæ superficies, in illo toto quanto; Si autem non est ex punctis. Ergo neq; prior illa superficies est ex punctis. Tum quia ponamus illa puncta non produci, quæro sine illis punctis, dicitne quantitas negationem ulterioris extensionis, vel non? Si non dicit. Ergo erit infinita, non enim habebit determinatam & limitatam extensionem: Si dicet, Ergò otiosa sunt puncta superaddita. Tum quia si darentur indivisibilia terminativa, non possent rationabiliter determinare, an sub illis indivisibilibus terminativis in Eucharistia detur Corpus Christi vel non? Si datur, ut vult Suar. Ergò sequitur poni de novo Corpus Christi, sine ulla consecratione vel transsubstantiatione: nam quando frangitur hostia, de novo acquiruntur puncta terminativa, Ergò illic ponetur Corpus Christi, & tamen nulla erit nova consecratio, & nulla transsubstantiatio, nam frangitur post consecrationem, post quam nulla jam fuit substantia panis. Quodsi sub indivisibilibus terminativis non est corpus Christi, ut voluit Vasq. Contra erit. Quia sub omni eo specierum, est Corpus Christi, sub quo fuit

substantia Panis, ut communis fidelium sensus probat: sub indivisibilibus autem illis, fuit substantia panis. Et si per Vasq. Angelus implens sphæram locabilitatis, est etiam in indivisibilibus terminativis spatii, aliàs præsentia illius esset interrupta, cur non & Christus erit etiam sub indivisibilibus hostiæ.

Dicendum est secundò. *Terminos quantitatis explicari debere per connotata*, scilicet quòd quantum, in quantum concipitur habere longitudinem, præscindendo à latitudine & profunditate, vocetur Linea. Idem, in quantum concipitur habere etiam latitudinem, vocatur superficies, & idem quantum dum concipitur per modum indivisibilis, vocatur punctum.

Ut autem hoc ipsum concipere possit intellectus habet fundamentum. Cum enim longitudo non sit determinata ad latitudinem, & profunditatem, tantùm potest longitudinem concipere sine latitudine & profunditate, & tunc quantum habet rationem lineæ. Item quantum habens jam longitudinem & latitudinem, cùm non sit determinatum ad habendum tantùm profunditatem, concepta quantitas longa & lata sine profunditate, erit superficies. Denique cùm quantum neque latitudinem, neq; longitudinem, neq; profunditatem determinatas, exigat, quantum sine his omnibus conceptum, dicet rationem puncti. Quando autem dico non esse quantum determinatum ad certam magnitudinem, loquor de terminatione sub sensum cadente, & in linea excedentiæ; nam in nostris principiis deveneri tandem est ad minimum in linea deficientiæ, quo diviso, ulterius non consistat quantitas.

Respondet rationibus hîc tactis Maurus qu. 41. Quod ablatis indivisibilibus & maneret palmus terminatus, maneret enim palmus de cujus ratione est esse terminatum, & remaneret interminatus, quia careret termino, de cujus ratione est indivisibilitas, maneretq; terminatus fundamentaliter non formaliter.

Contra. Non repugnat nullo superaddito distincto termino, manere palmum dicentem negationem ulterioris extensionis ultra se, quod solum sufficit, si ponatur ad rationem termini; unde nego de ratione termini, esse indivisibilitatem. Quæro ulterius, in quo stet, quòd tantùm fundamentaliter dicatur ille palmus terminatus? si enim dicatur, ideò fundamentaliter tantùm terminatur, quia dicit negationem ulterioris extensionis, quærere restat: cur hoc ipsum, quod tu dicis fundamentaliter terminatum, non sit sufficiens ad salvandam rationem formaliter terminati, ut quid ergò superaddenda alia entitas? rediretq; argumentum quod in simili urgebatur de relatione superaddita. Addi etiam aliquid potest ex concessis à Mauro, quòd indivisibile additum divisibili, non facit majus, quomodo ergò indivisibile multiplicatum potest facere tam magnam superficiem, in qua indubiè est majus & minus. Reliquas rationes, vide in notatis infra.

DIFFCULTAS II.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur primò. Posito, quod termini stent in negatione solius talis vel talis extensionis, termini quantitatis erunt quid negativum, quod videtur esse contra communem apprehensionem.

Respondetur. Sufficit ut ratione Recti, termini quantitatis, sint quid positivum.

Objicitur secundò. Superficies datur nemine cogitante, si autem distingueretur per formalitatem connotativam, non daretur nemine cogitante.

Respondetur. Animalitas Petri à rationalitate Petri distinguuntur, ratione connotatorum, & tamen nemine cogitante Petrus est animal.

Instabis. Ex vi responsionis sequitur, quod nec per formalitatem connotativam distingui possit terminus, superficies, linea, idq; ideò quia nullum datur fundamentum concipiendi hanc distinctionem, cùm non detur extensum, quod neque sit longum, neque profundum.

Respondetur. Sicut non datur animal quod neq; sit rationale neq; irrationale, & tamen habet intellectus fundamentum concipiendi animal, ut sic, ita & in præsenti, neq; tamen tunc concipietur ens rationis, secundùm ea quæ aliàs dicta sunt de præcisionibus objectivis.

Objicitur tertiò. Loquuntur Mathematici de lineis, superficiebus, punctis quasi dentur.

Respondetur. Loquuntur quidam de illis quasi dentur, sed non tanquam de distinctis realiter, neq; enim illorum est distinctiones examinare, solas enim sectantur imaginationes.

Objicit quartò, quidam ex Mauro. Saltem in tempore non potest negari, quòd detur instans seu Nunc indivisibile: quia non daretur ullum præsens condistinctum à præterito & futuro. Unde ulterius tempus ipsum non existeret. Probat secundam Sequelam. Quia illud compositum non existit, de cujus nulla parte verum est dicere quòd existat, sed si non daretur instans, de nulla parte temporis verum esset dicere quod existat, non enim de præterita, hæc enim præteriit, non de futura, quia nondum est. Præsens etiam non est distinctum per se à partibus præteritis & futuris, ergò tempus non existit.

Respondetur. Id verum esse de tempore, quod est anima seu Mathematicè sumpto, non de tempore physicè sumpto, ut dictum suprà. Rursùs cum instans post instans non detur, & cum ex instantibus non possit componi per arguentem

guentem tempus, si ipsæ partes successivæ temporis quæ sunt tempus non existunt unquam, parum refert ut dicatur existere tempus, quod existat instans, quod nec est tempus nec potest illud per se componere, sed tantùm intercipitur in illo. In nostris principiis in tempore physicè sumpto, existunt simul plura minima, quæ sunt ratione velocitatis motus cœlorum, qui ipse motus, est tempus, licet hæc velocitas, sit resolvibilis in minimum motûs jam præexplicatum.

Instat idem. Implicat incipere aliquid sine primo, desinere sine ultimo, sed nisi daretur instans initiativum & terminativum, daretur incipere sine primo, desinere sine ultimo, quia inciperet in parte in infinitum divisibili, in qua non est primum & ultimum. Ergo in duratione dantur instantia.

Respondetur. Potest aliquid incipere sine primò, desinere ultimo, si ipsum sit definitivè prius & posterius. Tale autem est tempus, hocq; ipso quia tempus est definitivè prius & posterius, cùm primum non sit prius & posterius, & cum ultimum non sit posterius, & prius, ideo primum tantùm & ultimum tantùm, non possunt componere prius & posterius, adeoq; nec possunt componere tempus. Deinde posset hoc salvari, negatis instantibus & admissis minimis physicis. Sed admissis etiam indivisibilibus, non fit satis difficultati, quia quod definitivè est divisibile, non apparet qui incipiat per indivisibile, sicut existentia albi, non incipit per esse nigri. Quod autem adfertur de creatione Angeli, productione gratiæ jam est supra solutum.

Objicit quintò Idem Auctoritates.

Prima est Augustin. 11. Confess. cap. 15. Præsens nullum habet spatium.

Secunda Auctoritas Arist: qui non rarò habet idem.

Respondetur. Utrumq; loqui de nunc Mathematico: vel quòd Præsens, nullum habeat spatium, quod divisum, adhuc sit spatium, si scilicet si minimum spatii.

Tertia auctoritas est Mathematicorum, apud quos nihil frequentius quam superficies, linea, punctum, &, si hæc sunt impossibilia, Mathematica habet pro objecto chimæras, nec esset Mathematica Scientia realis, consideraret enim secundas intentiones, sicut Logica.

Respondetur. Quòd Mathematica sit scientia, non abstrahens ab imaginabili, consequenter non erit necesse hæc dari nisi imaginabilia, & ex suppositione, per quas semper Mathematica procedit, erit tamen scientia realis, quia non attendit ad ipsas imaginationes adeoq; intentiones ut Logica; sed objecta illarum, quæ possunt non esse realia. Sicut Metaphysica attendendo ad Universale, non attendendo autem ad intentiones, sed ad objectum, est Scientia realis; licèt ipsum Universale, non sit quid reale ponibile in se à parte rei.

Instat idem. Duo plana tangunt se in sola superficie extrema, non verò in profunditate, alioquin penetrarent se secundùm profunditatem. Atqui tam quòd tangit, ab eo quod non tangit, tam id quòd tangitur, ab eo quod non tangitur, distingui realiter necesse est. Idemq; ostenditur in cylindro, sphæra &c. tangentibus planum.

Respondetur. Per nos nec ipsæ superficies se penetrant, & si se penetrarent etiam profunditates se penetrarent; sed quidquid sit de hoc, concedo quod duo plana secundùm superficies solas se tangant, id est sint sibi immediatæ. Concedo quod tangens ab eo quod non tangit sit distinctum realiter, ut antea dictum quoad entitatem, sed nego quod sit distinctum quoad esse formaliter superficiei præcisè. Idem dicendum est de illuminatione superficiei, cum non illuminetur profunditas.

Recentiorum Argumenta pro distinctione indivisibilium entitativorum & terminativorum.

Objicit primò Maurus Quæst. 41. Ita expressè docet Aristoteles, quòd in magnitudine dentur puncta, lineæ ac superficies indivisibiles, in tempore instantia partibus carentia, ut mirum sit, dubitari de mente Aristotelis.

Respondetur. Aliud est quærere, an posuerit Aristoteles lineas & superficies indivisibiles in magnitudine, aliud an distinctas; prior propositio est vera, posterior falsa, ipsa enim quantitas divisibilis, in quantum concipitur extensio, vel gerit vicem extensi in latum, & in longum, non in profundum, erit superficies, sed nego quod superaddita sit, sicut ipsa entitas Petri, in quantum est principium actuum sensandi est animalitas, neq; tamen est necesse animalitatem esse superadditam.

Instat idem ex Auctoritatibus.

Prima est. Ex 6. Physic. ubi postquam Tex. 1. ad 24. demonstrasset continuum non constare ex indivisibilibus, concludit: *Manifestum ergò est quod nullum continuorum est impartibile*, ac subjungit immediatè, *Necesse est autem ipsum Nunc, quod non per alterum, sed per se & primo dicitur, indivisibile esse, & in omni tempore tale in esse.*

Respondetur. Concedo quod Nunc sit indivisibile, concedo quod quoad officium & æquivalentiam istud Nunc, insit tempori, sed Nego inesse tanquam aliquid superadditum. Vel loquitur Aristoteles de tempore prout est in anima, & in illo ponit *Nunc*, non autem de tempore physicè sumpto, ut dictum suprà.

Secunda Auctoritas. Quia ibidem tex. 29. concludit: *Quod igitur sit aliquid in tempore indivisibile, quod dicimus esse ipsum Nunc, manifestum est ex iis quæ dicta sunt.*

Respondetur. Etiam hîc Aristotelem, non loqui de Nunc superaddito realiter, vel

loquitur de tempore secundùm quod est in anima, in quo indubiè datur Nunc, Verificativum extrinsecum alicujus instantis intrinseci; non autem loquitur de tempore Physicè sumpto, quod est mensura motus secundùm prius & posterius, in eo enim quod definitivè est prius & posterius, non datur Nunc. Nunc enim indivisibile est, prius autem & posterius divisibilia sunt.

Tertia Auctoritas est S. August. in lib. Confess. pluribus locis, cap. 15. *Præsens nullum habet spatium.* Cap. 21. *An metimur tempus in præsenti?* Cap. 26. *Non metior præsens, quia nullo spatio tenditur.* Cap. 28. *Quis negat præsens tempus carere spatio, quia in puncto præterit.*

Respondetur. Has omnes Auctoritates non plus velle, quam, quod Nunc & præsens sint quid indivisibile, sed negatur dicere Augustinum, esse id Nunc, superadditum ipsi tempori fluenti, & ipsi prius & posterius incluso essentialiter in tempore. Vel certè loquitur August. de tempore prout est in anima, non autem de tempore Physicè spectato.

Objicit secundò idem. Omne finitum ex utraq; parte habet primum principium, & ultimum finem, sed continuum est finitum ex utraque parte, ergo habet primum & ultimum, sed primum & ultimum sunt indivisibilia, hoc ipso enim si essent divisibilia, haberent aliud principium & alium finem.

Respondetur. Imprimis in principio tenentium partes proportionales, dici potest, omne finitum sed divisibile, debere etiam habere primum in ratione divisibilis & ultimum, sed non absolutè primum, non nisi autem absolutè primum, est indivisibile. Alii dicerent esse illic primum æquivalenter & quoad officium, non autem primum formaliter. In nostris autem principiis dici potest, ipsum Minimum totum, esse primum, & Minimum totum, esse ultimum, non erunt tamen indivisibilia ob dicta aliàs.

Objicit tertiò idem. Quia omne finitum finitur extremitate, in qua possit tangere aliud finitum, vel cum illo continuari, sed extremitates quibus duo finita se tangunt, sunt penitus indivisibiles, quando enim unus palmus tangit alium palmum, tangunt se in extremitatibus seu superficiebus, secundùm verò profunditatem non se tangunt, sed id in quo se tangunt, debet contradistingui ab eo, in quo se non tangunt. Ergò superficies distinguitur à profunditate, atque adeò est indivisibilis.

Respondetur. Quod attinet ad hanc propositionem. Illi palmi non se tangunt secundùm profunditatem, hoc est non insinuant se sibi illæ tangentes superficies, Concedo propositionem: Non se tangunt secundum profunditatem, hoc est huic corpori tangenti trinè dimenso, adeoq; dicenti profunditatem, non competit esse profundum, Nego. Si enim tangens, est trinè dimensum, dicit profunditatem, non erit ergo indivisibile quid in profundum, quod tamen intendit objectio. Suppono autem ex dictis quod per nos eadem quantitas in quantum habet rationem aversæ, sit profundum, in quantum habet rationem conversæ, sit superficies: Sicut idē diverso respectu est acclivè & declivè.

Instat primò. Quando unus palmus tangit alium palmum est aliqua longitudo ac latitudo condistincta à profunditate, ergo illud quod tangit, est indivisibile.

Respondetur. Ex dictis negando Antecedens. Palmus enim ille est corpus trinè dimensum, adeoq; habens profundum, nec tamen illud corpus, dicens profundum, penetratur, quia ille tactus, non est per insinuationem aliquam, adeoq; intreitatem, quæ arguit penetrationem, sed tangit per hoc, quòd inter illud corpus dicens profundum, & inter aliud corpus dicens item profundum, nihil mediet.

Instat secundò. Non sufficit ad contactum in superficie, quod inter duo corpora nihil mediet: sed requiritur ut detur aliquid in quo se tangant, contradistinctum ab eo, in quo se non tangunt: hoc autem, est indivisibile.

Respondetur. Nullum argumentum adferri, quod ad contactum requiratur aliquid medium inter tangens & tactum quantum.

Addo. Distinguendas esse has in præsenti propositiones; Ly secundum profundum fit tactus; Ly quod habet profundum tangitur. Ex prima sequitur penetratio; ex secunda non sequitur, sed etiam simul excluditur ratio indivisibilis in profundum, quam adstruere arguens intendit.

Instari potest tertiò. Posito quòd tactus iste consistat in hoc, quia inter hoc & illud quanta, nihil intermediat; vel intermediare potest: quæro vel intermediat superficies inter illud profundum vel non intermediat? Si non intermediat, ergo nec hoc est profundum, nec illud superficies; Si intermediat, ergo hoc ipsum tangit, hoc autem non dicit profundum, quia tactivum, non est profundum: Si non est profundum, ergo habet indivisibilitatem in profundum.

Respondetur. Pone annihilari à Deo omnia illa puncta statuitiva longitudinis & latitudinis sine profunditate, quomodo illa substrata quæ erant terminata se tangent? & quod oppositi in præsenti dicerent, idem nos dicemus. Quæro item quomodo ipsa substrata tangent illam superficiem suam? Suam inquam & non alterius palmi. Quod si dicas in nullo tangere, sed solùm esse immediata, quia tactus fit per extrema, illa autem substrata independenter ab illis superficiebus non habent extrema; id immeritò dicetur, nam etiam inter illa substrata superficiebus & inter superficies nihil intercipitur, vel intercipi potest, habentq; rationem duorum, quid

ergo

ergo illis deest ne se tangant? tunc quæro quomodo se tangent? immo quæro: quomodo illud subſtratum tangat ſuam ſuperficiem?

Directè ad inſtantiam dico, quòd inter profundum intermediet ſuperficies ſed non quomodocunque, ſed corporis trinè dimenſi: ſi eſt ſuperficies corporis trinè dimenſi, adhuc non erit excluſio profundi, conſequenter nec invehetur indiviſibilitas; unde ut dicebam ſupra tactivum quidem eſt profundum, adeoque non eſt indiviſibile, ſed non eſt tactivum ſecundùm profundum, ut ita penetratio excludatur.

Objicit quartò idem. Columna tangit planum ſecundùm longitudinem non ſecundùm latitudinem: idq; eo, quia columna ſecundùm latitudinem eſt curva, planum ſecundùm longitudinem eſt rectum, curvum autem non correſpondet recto.

Respondetur. Dictum alibi ſphæram perfectam repugnare, conſequenter repugnat dari & columnam perfectam; ſtando autem in principio adlato, columna non tangit planum ſecundùm latitudinem, ita tamen ut tangat corpus, dicens latitudinem; conſequenter non tangit corpus dicens indiviſibilitatem latitudinis.

Instat. Quidquid ſit an ſit poſſibilis columna, v. g. perfecta, tamen omnis ſuperficies, vel eſt plana, vel curva, vel partim plana, partim curva, ergo dantur in illa aliquæ particulæ planæ & aliæ curvæ, & quidem perfectè, nam tandem debet deveniri ad partes homogeneas, iſtæ ergo particulæ perfectè planæ, & perfectè curvæ, dum ſe tangunt, non poſſunt ſe tangere in ſuperficie, alioqui ſuperficies curva congrueret planæ, quod implicat, ergò ſe tangunt vel in puncto vel in linea.

Respondetur. Suppoſito, quod non poſſit componi quantitas ex indiviſibilibus, nec linea etiam poterit componi, & tamen linea columnæ perfectæ, tangens planum perfectum, deberet componi ex indiviſibilibus, hoc ipſo enim eſſet ſuperficies, quia diviſibilis in latum, adeoque non linea. Directè ad argumentum dici poteſt, negando dari ullas particulas perfectè curvas, quia illæ perfectè curvæ, deberent tangere planum perfectum in puncto, conſequenter planum componeretur ex indiviſibilibus & ipſa curvitas, cujus oppoſitum alibi probatur. Tenendo autem adlatum principium dici poteſt, quod particulæ perfectè planæ, & perfectè curvæ, non poſſint ſe tangere in ſuperficie, hoc eſt ſecundùm ſuperficiem, tangant ſe tamen habendo ſuperficiem, adeoque non ad excluſionem lati.

Objicit quintò idem. Præter tempus, quod ſolum eſt præſens ratione partis vel quaſi partis, dari aliquid debet præſens ratione ſui, ſed nullum diviſibile eſt præſens primo & ratione ſui.

Respondetur. In communibus principiis ſufficit aliquid dari præſens in eſſe fluenti, quod autem eſt præſens in eſſe fluenti, non debet eſſe indiviſibile. In noſtris autem principiis in tempore Mathematicè ſpectato, ſeu in tempore ſecundùm quod eſt in anima, datur Nunc indiviſibile, in tempore autem Phyſicè ſpectato, datur Minimum motus cœlorum, quod eſt præſens præſentialitate minima, quod tamen minimum, non eſt indiviſibile. Vide alibi dicta.

Objicit ſextò idem. Admiſſis indiviſibilibus omnia optimè explicantur.

Primò explicantur Definitiones, continui & contigui, atq; eorum differentia.

Respondetur. Etiam non admiſſis punctis terminativis diſtinctis, continua ſunt quorum extrema ſunt unum, hoc eſt quorum neutrum dicit negationem ulterioris extenſionis, contigua autem ſunt, quæ dicunt hanc negationem.

Secundò. Explicatur cur heterogenea etiamſi intimè permiſceantur cur non continuentur?

Respondetur. Non tantùm ipſi termini, ſed nec ipſæ ſubſtantiæ illorum corporum diviſibilitatesq; permiſcentur, ergo hæc impermixtio reduci non poteſt in terminos hos ſuperadditos.

Tertiò explicatur differentia variorum contactuum, qui ſunt contactus in puncto, in linea, in ſuperficie.

Respondetur. Contactus in puncto tantum, in linea tantum, in ſuperficie tantum, nulli dantur; quia nec dantur puncta tantum, &c. hinc nec hæc explicari debent, quomodo fiant.

Quartò. Explicatur rectè differentia contactus adæquati & inadæquati.

Respondetur. Non admiſſis punctis ſuperadditis rectè id explicatur, ſi enim nihil inter totum tactivum & tactum mediet, erit contactus adæquatus, ſi aliquid mediatè poſſit vel mediet, erit contactus inadæquatus.

DIFFICULTAS III.

Notantur Quædam.

Noto primò. Ariſtotelem dicere quòd continuum ſit, cujus partes copulantur termino communi, ſed per hoc non intellexit puncta continuativa diſtincta realiter; cùm non dicat Ariſtoteles copulari partes continui, termino communi diſtincto realiter, conſequenter ſufficiet, ut ſupra dixi, ſalvare continuationem per continuativam formalitatem, & ſicut quia in definitione hominis ponitur animal, non ſequitur animal eſſe realiter quid ſuperadditum, ita

nec ex positione extremi continuativi, in definiendo continuo, sequitur distinctio ejusdem realis.

Noto secundò. Quâ ratione distinguantur continua & contigua; quia scilicet continua & contigua, quantumvis ponantur intimè præsentia, tamen contigua non important negationem & destructionem terminorum, important continua: Sed sequeturne exinde, quod materia toto mundo sparsa, sit ens continuum? Concedunt aliqui, ponuntq; distinctionem esse formarum, sed non materiæ. Sed videtur oppositum sentiendum, ponendaq; non nisi contiguatio, nam tam verè materia aquæ & vasis est terminata, quàm ipsum vas & aqua, & si vas & aqua sunt non nisi contigua, nec materiæ illorum erunt continuæ.

Noto tertiò. Posse admitti quantitatem supernaturalem.

Ratio. Quæ enim in illa implicantia, & si datur modus existendi in loco supernaturalis, ut si res corporea tota in toto & tota in qualibet parte existat, cur non dabitur modus extendendi supernaturalis? Dantur item qualitates supernaturales, dotes item supernaturales corporis glorioſi, cur non possibilis erit etiam quantitas supernaturalis, quæ etiam sit receptivum connaturale illarum dotum, ut volunt aliqui apud recentiorem Suar.

Dices. Quantitas est proprietas materiæ, non est autem possibilis materia supernaturalis. Ergo neque quantitas supernaturalis.

Respondet recentior Suar: Possibilis est subsistentia supernaturalis, quæ tamen est proprietas substantiæ naturalis, cur non etiam erit possibilis supernaturalis quantitas, quamvis sit proprietas materiæ? Dici deinde potest, non quamcunq; quantitatem esse proprietatem materiæ, eamq; naturalem, sed nonnisi aliquam quantitatem, eam scilicet, quam nata est ex se emanare materia, sed non eam, quæ potest educi ex materiæ potentia obedientiali.

Instabis ex recentiori Suar: Non videtur excogitabilis quantitas, quæ non debeatur alicui materiæ; nam quæcunq; quantitas excogitabitur, hoc ipso excogitabitur, proportionata illi materia. Non est autem possibilis materia supernaturalis.

Respondetur. Cur non est possibilis quantitas talis, cui non sit excogitabilis proportionata naturaliter materia, sicut est excogitabilis qualitas, nulli substantiæ proportionata.

Noto quartò. Quid sit sentiendum de hoc principio Mauri: Quòd puncta terminativa non tangant partes divisibiles, sed purè terminent, nam illa se tangunt quorum extrema sunt simul, sed indivisibilia non habent extremitatem, sed sunt ipsæ extremitates, unde ad hoc ut alia se tangant, debent esse potentiâ tactiva. Hinc etiamsi nihil mediaret inter duos Angelos, adhuc non se tangent contactu quantitativo de quo loquimur, quia non sunt potentiâ tactiva. Duo autem requiruntur, ut aliqua sint potentiâ tactiva, primò ut habeant Id Quod; secundò ut habeant Id Quo. Id Quod debet esse divisibile & habens extremitatem; Id Quo indivisibile:

Sed negari debet quòd puncta terminativa si dentur, sint purè terminativa & non tactiva. Pone enim per impossibile vel possibile illa non esse unita terminabili, non terminabunt: Si autem supponantur terminare nonnisi unita, quî id facient non tangendo terminabile?

Circa hanc propositionem: Illa se tangunt quorum extrema simul. Duo distingui possunt, subjectum cujus extremum, & ipsum extremum; sicut ergo licet extrema non sint subjectum, adeoq; quorum extrema, sed ipsum extremum, tamen ipsa etiam extrema se tangunt, ita quamvis substrata terminis non dicerentur habere extrema, cur non dicentur se tangere? Videtur ergo hæc esse nonnisi species tactûs, si aliquorum extrema sint simul, non autem ut sic ratio tactus. Immò probaret hæc ratio quòd nec extrema duorum palmorum se tangant, sed solùm palmi, cùm extrema inter se comparata nõ habeant extremitatẽ, sed sunt ipsæ extremitates.

Quod adfert de Angelis, certum quidem est quòd duo Angeli non se tangant quantitativè, sed cùm habeant rationem duorum possitque nunc intercipi aliquid inter illos, nunc non intercipi, casu quo nihil intercipiatur, quid illis deerit ne se tangant? hoc sensu quòd habeant secum immediationem, qualem habent corpora tangentia, & tamen tunc non erunt extrema tangentia; si autem corpora sint materialia unum quantum & divisibile, aliud terminus quantitatis, casu quo inter illa nihil intercipi possit, quid deerit ne dicantur se tangere?

Concedo quòd ad actuale tangere requiratur potentiâ tactivum; Sed restat quærere: cur substratum extremis terminativis, non potest diverso respectu esse ratio ut quod, & ratio ut quo tangentis? Et sicut duo similia non sunt tantùm ratio ut quod similitudinis in communioribus nostrorum principiis, sed etiam ratio ut quo realiter loquendo, cur idem hîc non eveniet?

Ex quo notato formatur jam in oppositum tale Argumentum. Substratum punctis terminativis vel tangit per alia puncta superaddita illa priora puncta terminativa: vel seipso: Si aliis punctis, redibit quæstio de iisdem; Si seipso, ergò & aliam superficiem, aliudq; corpus potest tangere se ipso.

Noto quintò. Quid sentiendum de hoc? Utrum indivisibilia penetrentur cum partibus divisibilibus quas terminant. Dicit Maurus, quod propriè nõ penetrentur, illa enim propriè penetrantur,

trantur, quæ sunt in eodem loco secundùm modum essendi in loco, superficies autem sphæræ & sphæra v.g. non sunt in eodem loco, secundùm eundem modum essendi, nam sphæra est in loco tanquam clausa intra superficiem, superficies autem est in loco, tanquam claudens sphæram intra se.

Sed imprimis inquiri potest, quid intelligatur per Ly: ea penetrantur quæ sunt in eodem loco, secundùm eundem modum essendi; nam sphæra & quadratum spissitudine respondens sphæræ, penetrari possunt, & tamen hæc duo modum essendi in loco, non eundem habebunt; Sphæra enim habet modum essendi in loco rotundum, quadratum autem, habet modum essendi planũ. Quòd si hîc salvari potest penetratio, cur salvari non poterit in superficie punctuali & sphæra? Deinde redit difficultas, superficies punctis terminativis constans & clauderet sphæram, ut supponitur, & non clauderet, quia penetraretur cum illa, nam si punctum additum puncto, penetratur cum puncto, ita additum divisibili penetrat divisibile cui additur. Denique quando dicitur quòd illa superficies & sphæra non penetrentur propriè, sequitur & non penetrari propriè ut vult respondens, & penetrari propriè, quia ad hoc non aliud requiritur, nisi ut res materialis una, se tota tangat aliam rem materialem, quod tunc habetur.

Addo tamen, quòd alia sit hæc propositio; tangitur corpus trinè dimensum, quod etiam est profundum; & alia hæc; tangitur secundùm formalitatem & connotationem non nisi. Hæc secunda propositio est falsa, tactus enim qui est quid Physicum non fit in formalitatibus; prima autem propositio est vera, & ex veritate illius sequitur, quòd non sit illîc distinctio lati quod tangitur, à profundo, adeoque nec superadditio merè latitudinis.

DISPUTATIO XI.

De infinito.

Præmitto primò. Antiquos apud Aristotelem 3. Phys. textu 63. definiisse olim infinitum. *Quod sit id cujus nihil est extra.* Orta postea inter recentiores lis, debeatne hæc defendi definitio? sed quod non debeat:

Rationem primam ponit Oviedo, quia illi qui usurpabant hanc definitionem censebant infinitum esse impossibile, cur ergo communem definitionem rejiciunt, si utraque definitio ad chimæram terminatur.

Responderi potest. Homo-Leo, est Chimæra, & tamen, si homo-leonem definiat quis, quod sit mugibile, rugibile, malè definiret, sed definiendus esset quod sit animal rationale rugibile. Ergo etiam bonitas definitionis ad Chimæram se extendit. Immo in communi datur definitio & conceptus quidditativus entis rationis, nõ ergo inde, quia infinitum Chimæra, est, una præ alia definitio, præeligi non debet.

Rationem secundam ponit idem. Quia ex hac definitione sequitur dari infinitum, quod negant ita definientes; assumptum probat: quia extra collectionem rerum possibilium nihil est extra: Ergo collectio rerum possibilium, erit infinita.

Respondetur. Sicut possibilia non sunt omnia actu à parte rei, ita nec sunt infinitum Categorematicum, quod solùm negatur. Nec apparet, quòd de hoc non egerint antiqui.

Rationem tertiam ponit Aristoteles: quia illud quod non debet esse extra, vel est aliquid pertinens ad infinitum, vel aliquid non pertinens: Si pertinens, tunc omne ens perfectum, erit infinitum, quia omne ens perfectum, debet habere perfectionem sibi debitam, adeoque nihil perfectionis illi debitæ, extra debet esse; si autem est aliquid impertinens ad infinitum, sed spectans ad aliquid aliud, mala erit definitio, quia posito uno infinito, posset poni aliud.

Responderi posset: quòd per ly nihil ejus est extra, debeat hoc intelligi; nempe infinitum est, quod habet omnem possibilem perfectionem in illo genere, in quo est infinitum, ex quo non sequetur, posito uno infinito, posse vel debere poni aliud.

Præmitto secundò: *Duplex est infinitum*, Categorematicum & Syncategorematicum. Prius illud est, quod constat entitatibus simul positis, ex quibus actu semper accipere sit, & nunquam idem. Posterius autem est, quod constat entitatibus nunquam simul ponibilibus, ex quibus semper accipere sit, & nunquam idem. Prioris exemplum est infinitum Angelorum, si poneretur: posterioris, æternitas à parte post, de priori dubitatur, posterius infinitum omnes admittunt.

Præmitto tertiò: *Consentire omnes quod infinitum creatum, in Essentia, dari non possit.*

Prima Ratio est, quia infinitum in essentia, sicut includit infinitatem esse, ita includere debet infinitatem perfectionum: si includit infinitatem perfectionum, deberet infinitudinis perfectionum radicem includere, radix autem infinitudinis est independentia, independentiam autem includere non potest, quia esset Ens A se, creatura autem non potest esse Ens A se.

Responderi posset, huic rationi in illa creatura dandam radicem infinitarum perfectionum, fundatarum non in asseitate, sed in participatione Divini esse; secundùm mensuram requisitam ad infinitationem creaturæ, cum hæc non repugnet.

Secunda Ratio est: Quia si daretur infinitum in essentia, daretur infinitum in omni ratione entis; si daretur infinitum in omni ratione entis, daretur & posse agere infinitum, esse enim infinitum, requirit etiam posse agere infinitum. Si autem competeret creaturæ posse agere infinitum, conveniret Creaturæ omnipotentia, hoc autem dici non potest, quia & posset omnia & non posset omnia, posset omnia ut supponitur, non posset autem omnia, quia se ipsam producere primo non posset.

Responderi posset, Creaturam illam habituram potentiam infinitam in agendo, non tamen omnipotentiam, quia in genere potentiæ, dari potest infinitas, sine prædicato omnipotentiæ, quà talis; quia potest etiam dari infinitudo quædam potentiæ noscendi Syncategorematicè infinita, sine ullo prædicato omnipotentiæ: & sicut ex eo, quòd DEUS non possit producere Chimæras, non definit esse omnipotens, sic nec creatura desinet ex eo esse infinitæ potentiæ, quia se producere non potest, sicut nec desinit habere potentiam obedientialem infinitam Syncategorematicè, quamvis nullam potentiam obedientialem ad seipsam producendam habeat. Deinde posset habere infinitudinem potentiæ, non quoad efficere, sed quoad emanare perfectiones &c.

Tertia Ratio est, ex iis, quæ adfert Fassolus, concedens in aliis materiis infiniti creati possibilitatem, non in hoc; idque ex eo: Quâcunque essentiâ positâ, potest alia dari perfectior. Ergo apparet primam infinitam non esse, quia aliàs infinito qua tali, majus dari posset. Deinde quacunque creatâ essentia positâ, inter illam & essentiam Divinam est distantia infinita. Ergo alia possibilis est perfectior adeoque magis infinita.

Responderi potest, has rationes in Principiis Fassoli, non concludere, quia posito semel infinito, poni potest bis infinitum & tamen per hoc non definit esse infinitum. Ergo. Certè si daretur infinitum hominum, in illo infinito per oppositum, majus esset materialiter infinitum capillorum, neque tamen per hoc definit infinitum hominum, esse infinitum. Cur ergo esset destruenda ratio infiniti in essentia, quamvis daretur majus infinitum in essentia, nempè infinitudo Divinæ essentiæ? Deinde quamvis inter extensionem quamcunque & immensitatem Divinam, sit infinita distantia, tamen in principiis Fassoli non obstat quominus detur extensio infinita, sic nec obstabit eadem distantia inter essentiam creatam & increatam, quominus detur essentia creata infinita.

Sed hæc solutio rationum procedit nonnisi in sententia tenentium infinitum in aliis materiis possibile, nam de cætero illæ, tenent secundum ea, quæ inferiùs adferentur. Nunc jam ad magis disputabilia accedamus.

QUÆSTIO I.

De essentia & existentia actuali infiniti.

Dicendum est primò. *Essentiam seu definitionem infiniti, eam esse* ex Aristotele: *Infinitum est cujus secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere extra est.* Ly quantitatem, non pauci secernunt à definitione infiniti, eo quod hæc definitio videatur soli infinito in magnitudine competere. Ceterùm quantitatem liberaliùs accipiendo, hoc est pro mensura finita, benè omni generi infiniti competere poterit.

Probatur. Definitionis Aristotelicæ bonitas, quia competit omni soli & semper procedit-que per prima.

Ad pernoscendam meliùs essentiam infiniti, examinandum est, an repugnet infinito claudi terminis. Posse infinitum claudi terminis, docuerunt Arriag: & Hurt: Communiter sentiunt oppositum Authores.

Impugnat hanc positionem stans pro communi sententia recentior Suar: quod habet finem non est infinitum; quod clauditur terminis, habet finem. Ergo quod clauditur terminis non est infinitum.

Responderi posset, huic rationi ex dictis auctoribus. Quod habet finem propriè, hoc est nõ intercipiendo medium, quod tamen per mensuras finitas transiri non potest, illud non est infinitum: sed si habet finem impropriè & intercipiendo mediũ, quod per finitas mensuras transiri non potest, falsum est, quòd illud non sit infinitum.

Impugnat secundò idem. Ponamus lineas A C & A B. pyramidaliter erectas, supra basim A D B. easque infinitas, eo casu constitueretur pyramis infinita; ducantur postea à costa ad costam lineæ, ita ut prima linea ducta à primo puncto, ad primum punctum costæ, constet duobus punctis, tertia tribus &c. & sic proportionaliter procedatur usq; ad basim, quæ supponitur esse infinita, clausa tamen duobus terminis, quo casu devenire erit ad lineam maximam finitarum, quæ sit proxima lineæ sequenti infinitæ; & hoc implicat quia illa immediatè sequês linea & esset

esset infinita & non esset infinita: esset ut supponitur, utpotè basis A.D.B. infinita, non esset autem, quia maximam finitarum, non nisi excessu finito superaret.

Responderi posset etiam huic argumento, quod scilicet non sit devenire unquam ad lineam maximam finitarum, hæc enim implicat, sed esset tantùm prima quidem linea finita, ultima autem infinita, inter quas sine numero sunt aliæ & quascunq; posueris, præter ultimam, adhuc aliæ & aliæ erunt ponibiles. Et sicut nec est nec videtur à DEO in possibilibus infinitis, maximus numerus finitus possibilium, quamvis videat & sint possibilia infinita; sic nec in constructione illius pyramidis erit linea maxima finitarum. Et certè penultima linea, non potest dici finita, quia alias etiam ultima, deberet esse finita utpotè penultimam excedens non nisi duobus v. g. punctis, cumque excedat lineas antè se infinitas positas & quidem excedat longitudine, hoc ipso debebit esse infinita, & quamcunq; determinaveris lineam quam sequens sit infinita, etiam illa erit infinita. Dicentque oppositi: ex imaginatione finitorum, procedi ad imaginationem infiniti, quasi pedetentim procedendo per mensuras finitas, tandem sit devenire ad mensuram infinitam immediatè.

Restaurari potest sic adhuc argumentum, vel quamcunq; penultimam superat sequens linea duobus non nisi punctis, vel pluribus: si pluribus, non statur in suppositione, si duobus: Ergo ultima linea penultimam non nisi etiam duobus punctis superabit, nec habetur per quid evadat ad infinitudinem.

Responderi posset, ultima linea est infinita. Sed nego etiam penultimam non esse infinitam propter rationem allatam, per quid ergo constituetur in infinitudine? dicent constitui per transitum inconsummabilem.

Impugnat tertiò Ovied. Si infinitum posset claudi duobus terminis, posset habere anteæternitas primum, & postæternitas ultimum, quod ipsum esset facere finitam æternitatem & quæcunque mensura præteriisset, finita esset. Et certè si semel asseratur, infinitum posse claudi terminis, dicam horam quamvis claudatur terminis, fore infinitam.

Responderi posset, horam clausam terminis, non esse infinitam, quia habet transitum consummabilem. Ne æternitas à parte ante, habeat primum, obest absurdum; si enim haberet primum, haberet & secundum, de quo secundo non posset dici quòd sit ab æterno, seu quod sit infinitum à parte ante, cum ante illud secundum præcesserit adhuc primum, & tamen æterno ante, nihil est prius: quod si illud secundum non est ab æterno, nec primum erit ab æterno, utpotè non superans secundum, nisi uno instanti; nullum autem est absurdum in eo, ut infinitum secundum id, secundùm quod habet rationem finiti, non sit infinitum; ut non est infinitum, secundùm quod habet rationem primi & ultimi; sit tamen infinitum, quia habet transitum inconsummabilem, per finitas mensuras. Quæ autem dicta sunt de æternitate à parte ante, proportionaliter dici debent de æternitate à parte post; quòd non possit habere ultimum, quia aliàs deberet habere penultimum, quod penultimum non posset esse æternum à parte post, utpote habens post se aliud, quod ipsum non posset esse æternum à parte post, utpotè superans nonnisi uno instanti penultimum, quod probatum est, non esse æternum à parte post. Reflectit hæc disparitas ad hoc, quod æternitas à parte ante, præter transitum inconsummabilem importet negationem prioris, quod non est necesse reperiri in aliis infinitis.

Impugnat quartò idem. De ratione infiniti non est, ut pertransiri non possit, nam æternitas à parte ante pertransiit, & tamen est infinita.

Respondetur. Quando dicitur infinitum non posse pertransiri, supple non potest pertransiri per finitas mensuras, benè enim pertransiri potest per mensuras infinitas, & quia ita pertransiit æternitas à parte ante, ut dies hodiernus ab æternitate à parte ante distet infinitè & per mensuram infinitam, hinc fit ut salvari possit transitus inconsummabilis in æternitate, à parte ante.

Impugnari insuper potest quintò: Tum quia, si infinitum posset claudi terminis, & clauderetur primo & ultimo, & ultimo, & non clauderetur: clauderetur ut supponitur; non clauderetur autem, quia quod pertransiri non potest, non habet ultimum; sed infinitum pertransiri non potest. Ergo. Major probatur: si id quod pertransiri non potest haberet ultimum, & haberet ultimum, & non haberet: haberet quidem ut supponitur, non haberet autem, quia si haberet ultimum, huc ipso pertransiretur desitione scilicet factâ in ultimo. Neque dicas tantum ratione medii interjecti, salvari debere, quod habeat transitum inconsummabilem, quia etiam dicam, ideo habet transitum inconsummabilem in medio, quia non habet terminos, & si etiam in medio, & medii medio clauderetur terminis, non haberet transitum inconsummabilem. Ergo apparet requiri ad transitum inconsummabilem. Negationem clausuræ per terminos. Tum quia infinitum clausum terminis & haberet terminum transitum inconsummabilem finitis mensuris, & non haberet quidem, ut supponitur, haberet autem, quia non cadit in imaginationem, rationeq; nulla probari potest, ut id quod habet ultimum, non possit exhauriri, quantumvis multiplicatis finitis mensuris. Sic v. g. quamvis ulna non sit ita magna ut centum cubiti, quia tamen centum cubiti clauduntur terminis, una ulna pertransire potest, licet multiplicata, centum

cubitos.

cubitos. Et si centum cubiti non clauderentur termino, hoc ipso non jam essent centum cubiti, sed infinita longitudo. Ergo apparet transitum incon ummabilem formalisari negatione terminorum. Tum quia concedunt etiam oppositi, non posse unum infinitum esse majus altero in ratione infiniti, sed si infinitum clauderetur terminis, posset unum infinitum esse majus altero. Quod ipsum probatur; sint duæ lineæ infinitæ, una clausa terminis, alia non clausa, illa clausa terminis, & esset æqualis non clausæ, in ratione infiniti, & non esset æqualis: esset æqualis, ut supponitur; non esset autem, quia post terminum illius prioris, procurrētia illius alterius, non esset major in ratione aliqua finita. Ergo in ratione infinita, consequenter reperiretur jam inæqualitas in ratione infiniti. Vide plura infra Num. 63.

Dices primò cum Arriaga, ponatur linea à puncto A. incipiens versus orientem, & procurrens in infinitum, versus occidentem, præscindat DEUS medietatem illius lineæ in puncto B. hæc medietas esset infinita, quia aliàs infinitum constaret duobus finitis, adeoque & ipsum non esset infinitum, & tamen eo casu infinitum clauderetur duobus terminis.

Respondetur, illam medietatem & fore infinitam, ut probat Arriaga, & fore finitam, quia haberet transitum consummabilem, si haberet terminos propter rationes immediatè adlatas. Dicerent alii, etiamsi sit possibilis talis linea, nullam tamen in illa dari medietatem, quia medietas, est proprietas non nisi rerum finitarum.

Dices secundò, inter hominem & plantam possunt interjici infinitæ species, quæ nec descēdunt infra plantam, nec ascendant ultra hominem. Ergo potest infinitum claudi duobus terminis.

Responderi potest primò. Infinitum Syncategorematicum posse claudi duobus terminis.

Contra: quia si id universaliter enuntiatur, sequetur etiam æternitatem posse claudi terminis, cujus oppositum immediatè ante probatum. Deinde sequetur in sententia Aristotelica, posse veniri ad ultimam partem rei in infinitum divisibilis, adeoque ne sit ulteriùs & ulteriùs divisibilis. *Hinc aliter*

Respondetur secundò, possibile esse in infinito eoque Syncategorematico, terminos comparationis extrinsecæ, sed non esse possibiles terminos desitionis, quia semper & semper ulteriùs & ulteriùs procedere in infinito est. Casu autem quo ponerentur omnes possibiles species inter plantam & hominem, illæ & essent infinitæ & essent finitæ, finitæ quidem quia pertransibiles desitione factâ in ultimâ, infinitæ autem ut supponitur.

Dicendum est secundò, *etiam suppositâ possibilitate infiniti, nullum est fundamentum asserendi illud de facto dari.*

Probatur conclusio principio negativo, quia quodcunque fundamentum adlatum fuerit, illud non erit sufficiens ad probandum intentum.

Objicitur primò, Infinitum & finitum sunt membra, in quæ dividitur quantitas, suntque contraria, quorum uno posito, ponitur & aliud, ad eum modum quo posito calore, ponitur frigus, sunt item proprietates quantitatis. Ergo datur defacto, quantitas infinita.

Respondetur. Argumentum hoc multum probare, probat enim dari ens rationis, & impossibile, cùm ens dividatur in ens possibile & impossibile, in ens reale & ens rationis, tunc ergo solùm membra dividentia, vel contraria debent dari, quando eorum existentiam suadet, vel experientia sensuū, ut suadet existentiam caloris & frigoris, vel quando eam demonstrat ratio, ut demonstrabat existente membro contrario quod est ens creatum, debere existere aliud contrarium nempè Ens increatum, hoc est DEUM. Infinitudo etiam non est nisi proprietas hypothetica quantitatis; infinitum enim si daretur spectaret ad prædicamentum quantitatis, hypothetica autem membra divisionis, non est necesse dari à parte rei.

Objicitur secundò, in qualibet quantitate sunt infinitæ partes. Ergo datur infinitum.

Respondetur. Cùm per nos sint partes nonnisi potentiâ distinctæ, non facient aliud quàm infinitum in potentia. In sententia autem tenentium partes infinitas actu distinctas, sequitur quidem infinitudo, ut suprà probatum est, sed tamen illi eam negant, quia ad infinitum actu inquiunt necesse est dari terminos non communicantes infinitos, sicut ad tria, necesse est dari unitates, non communicantes tres.

Objicitur tertiò, in homine tot sunt prædicata, ut etiamsi infinitæ species infra illum crearentur, tamen homo esset perfectior.

Respondetur. Hoc argumentum multum probare. Probat enim hominem esse infinitum in essentia, quod nemo admittit. Dignitas autem illa humana non oritur ex infinitudine aliqua perfectionis, sed ex sola improportione orta ex diversitate speciei. Deinde cùm infra hominem non sint possibiles species nisi infinitæ Syncategorematicè, hinc etiam in homine prædicata respondentia, deberent esse non infinita categorematicè, sed syncategorematicè, respōdentiaque illa argueret non infinitatem, sed unitatem æquivalentem illis reliquis, haberetque se homo ita, sicut centrum sphæræ, quod omnino est unum; licèt plures lineæ, possint ad illud duci à circumferentia.

Objicitur quartò. Etiam naturaliter dari potest infinitum actu; quia si lapis molaris æqua-

æqualiter ab Angelo ad omnes partes vitri applicetur, omnes frangit adeoque faciet infinitas partes vitri.

Respondet primò, qui componunt quantitatem ex divisibilibus in infinitum, non fore illud dividendum in omnes partes, sed DEUM determinaturum in quot partes dividi debeat. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia Responsio hæc, est evitatio difficultatis; determinationem enim ideò ponit ne cogatur negare, quòd ex in infinitum divisibilibus componatur quantitas, nolendo tamen concedere, quòd possit dari actu infinitum viribus naturæ; quomodo enim viribus naturæ non potest dari infinitum actu, si applicetur lapis de se potens conterere quascunq; partes vitri, hoc ipso enim si aliquas non contereret, non esset potens ad quascunque conterendas partes, & tamen supponitur gravitas lapidis, major quàm quæcunque resistentia vitri. Tum quia ponamus DEUM non determinare, ut hæ potiùs quàm illæ partes conterantur, sed velle præbere concursum, ut ille lapis agat quantum potest, certè tunc fieret divisio in omnes partes, quia quæ ratio divisionis est, aliquarum partium, eadem erit divisionis omnium; nempè excessus gravitatis reperibilis in lapide, supra vires resistitivas vitri. Dicere autem, quòd non positâ à DEO determinatione, nulla sit pars vitri confringenda, est evocatio DEI ad faciendum miraculum, solo titulo defendendæ propriæ sententiæ.

Respondetur secundò. Positâ illâ applicatione vitrum dividendum secundum quod est divisibile, nempè usque in minima Physica, ad quarum divisionem nõ pertingit lapis, quia non potest lapis agere in vitrum, ita, ut spoliet illud omni quantitate, quam requirit pro conditione, in ipsomet subjecto comminuendo.

Objicitur quintò, defacto admittitur à Theologis infinitudo in unione hypostatica, valore operum Christi; itemque in ratione offensæ mortalis.

Respondetur. Horum infinitudinem desumi ab aliquo increato, quando autem per nos negatur infinitum actuale, negatur infinitudo desumibilis ab aliquo creato.

QUÆSTIO II.

De Infinito Categorematico.

Vidimus superiori quæstione non dari actum ullum infinitum Categorematicum creatum. Restat discurrere de possibilitate ejusdem. Impossibilitatem ejus agnoscit S. Thom. 1. par. Q. 97. a. 3. & 4. Scot: Suar: uterque contra Vasq: Fasol: Hur: Arriag: sed Ovied: negat ejus possibilitatem in extensione & mole non penetrata, in reliquis autem agnoscit possibilitatẽ, Vasq: autem in intensione possibile infinitum non agnoscit, *sit*

DIFFICULTAS I.

De possibilitate infiniti categorematici creati in communi.

Dicendum est: *Non esse possibile infinitum Categorematicum creatum.*

Probatur primò. Posito quocunque infinito, illud & esset infinitum & non esset infinitum: esset infinitum, ut supponitur, non esset autem infinitum, ut probatur. Quod sublatâ unicâ entitate mutatur in ratione infiniti, illud non est infinitum, sed posito quocunque infinito, illud sublatâ unicâ entitate mutatur in ratione infiniti. Ergo positum quodcunque infinitum, non est infinitum. Major probatur definitione infiniti, quæ deposcit ex infinito semper accipi, & nunquam idem. Et certè si demptione infiniti desinit esse infinitum, etiam positione illius non erit infinitum; nihil enim infinitatur, additione finiti. Minor principalis probatur. Posito quocunque infinito & sublatâ unicâ entitate, illud infinitum non habet omnem possibilem perfectionem in illo genere, certè enim illa sublata unitas, est aliqua perfectio, quâ tamen utpotè sublatâ, caret. Ergo sublatâ unicâ entitate desinit esse infinitum. Consequentia immediatè probatur; Infinitum in omni genere requirit omnẽ possibilem perfectionem in omni genere. Ergo & infinitum in certo genere requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere.

Respondebis primò. Quod sublatâ unica entitas illa sit eminenter continenda in residuo infinito.

Contra, tùm quia in 10. si illi tollas unitatem, eminenter non continetur unum; neq; jam 10. sed 9. erit. Ergo etiam sublatâ unica entitate in infinito, non continebitur illa in residuo eminenter; quid enim eminentiæ tribuit infinitas, ad continendum id quod non est. Tum quia nõ est explicabilis hæc continentia eminentialis, ut valeat ad propositum. Tum quia si tollas à DEO unam perfectionem, residuæ perfectiones non censebuntur eminenter continere priorem. Ergo nec creatum infinitum, sublatam aliquã perfectionem, eminenter continebit.

Respondebis secundò. Infinitum in omni genere perfectionis est solus DEUS, omnes suas perfectiones identificatas reali & habens, hinc fit ut sublatâ unicâ entitate, tota Deitas desinat, sed infinitum creatum, non habet perfectiones idẽtificatas omnes, hinc unicâ entitate sublatâ, non erit necesse auferri infinitum.

Contra. Tùm quia infinitum in omni genere, requirit perfectiones omnes in omni genere, quantũvis identificatas uni eidẽq; entitati. Ergo etiam infinitum in aliquo genere, requiret omnem possibilem perfectionem in illo genere, quamvis sine identificatione; non est enim major ratio uniùs, quàm alterius: quo posito redit

redit argumentum : quòd scilicet illud infinitum sublatâ unicâ entitate sit desiturum. Tum quia etiamsi per impossibile DEO non essent identificatæ suæ perfectiones, si tamen esset infinitus in omni genere, deberet habere omnem possibilem perfectionem in omni genere. Ergo quamvis alicui infinito, non sint identificata sua prædicata, quia tamen esset infinitum in illo genere, deberet habere omnem possibilem perfectionem, in illo genere.

Respondebis tertiò DEUS est infinitus, in perfectione, & tamen ejus infinitudini non obstat, quamvis ablatâ suâ unicâ perfectione, desineret esse DEUS, adeoq; infinitas.

Contra. Quia id oritur ex identificatione, unius perfectionis cum reliquis, hinc unâ ablatâ, omnes auferuntnr, non ponitur autem hîc talis identificatio, & aliàs urget definitio: Quia infinitum debet habere transitum in consummabilem. Rursùs perfectiones Divinæ non sunt numeraliter actu infinitæ, sine inclusione unius in altera, & si essent numeraliter actu infinitæ, unaque non includeret aliam, adeoque & reliquas, hinc ablatâ in eâ suppositione unâ perfectione, adhuc manerent infinitæ perfectiones, aliàs haberent transitum consummabilem, ablatione unius Entitatis, consequenter nec essent cum illa una addita perfectione infinitæ. Licèt ratio Deitatis sine hac, quantumvis una ablatâ perfectione, salvari non possit, sicut nec salvatur ratio omnis perfectionis, cui contradictoriè opponitur, negatio alicujus perfectionis.

Hic ipse principalis medius terminus, sic alter proponitur.

Ponat DEUS per possibile vel impossibile omne possibile infinitum, & ex singulis infinitis tollat unicam entitatem, quam appellemus A. ex omni possibili infinito sublata unica entitas A, conficiet infinitum, nam ex infinitis infinito accepta sigillatim unica entitas, non potest non facere infinitum, appellemusque illud infinitum B, quo posito si quæro: Illud omne possibile infinitum vel mutatur sublatione sigillatim entitatis A, vel non mutatur: Si mutatur: Ergo etiam unum infinitum, sublatâ unicâ entitate mutabitur, si autem non mutetur, ita argui potest. Conservet DEUS infinitum A, & annihilet omne possibile infinitum, tunc illo annihilato verum est dicere: Est annihilatum omne possibile infinitum, quia illud supponitur non immutatum intrinsecè ablatione unius entitatis; sicut ergo si ante ablationem illius entitatis fuisset annihilatum, verum fuisset, dicere: Est annihilatum omne possibile infinitum; ita & nunc, cum supponatur immutatum non esse illud infinitum; & tamen non potest dici, esset tunc annihilatum omne possibile infinitum. Quod ipsum probatur, post annihilatum omne possibile infinitum non potest manere aliquid infinitum, impossibile enim manere nõ potest, & extra omne possibile, nihil est nisi impossibile. Quibus positis sequitur illatio. Ergo etiam sublatâ unicâ entitate ex uno infinito, mutabitur intrinsecè infinitum. Ergo & antea non fuit infinitum. Formatur ergo argumentum: Infinitum in omni genere, requirit omnem possibilem perfectionem, in omni genere; infinitum item omne possibile, requirit omnem possibilem perfectionem, in omni possibili genere. Ergo & infinitum in certo genere, requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere.

Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur.

Ponat DEUS decies infinitum; ex singulis, decadibus, tollatur unica entitas, & collocetur in oriente, ex illis sublatis entitatibus, conficietur unum infinitum; tunc quæro: sublatâ unicâ entitate ex singulis decadibus, decies infinitum, vel mutatur intrinsecè, vel non mutatur: Si mutatur, Ergo sublatâ unicâ entitate mutabitur etiam semel infinitum; Si autem non mutatur decies infinitum, tunc quæro annihiletur illud decies infinitum, vel erit verum dicere decies infinitum est annihilatum, vel non erit verum dicere? Si erit verum dicere, Ergo potest manere decem, quamvis auferatur unum; Si autem non est verum dicere: Ergo apparet illic non fuisse nisi novies infinitum, consequenter ablatione illâ mutatum fuisse, Ergo & quodcunque infinitum ablatione unius entitatis mutabitur.

Respondebis primò. Sublatâ ex singulis entitate unicâ, totam collectionem mutari, sed non mutari singula infinita.

Contra. Tum quia collectio illorum infinitorum, non est quid distinctum realiter, ab illis sigillatim acceptis. Ergo si collectio illa mutatur, mutabuntur etiam singula infinita. Tum quia sublatâ unicâ entitate ex infinito, mutabitur intrinsecè tota collectio. Ergò mutabitur intrinsecè etiam infinitum. Tum quia, decies infinitum, debet habere omnem possibilem perfectionem, in genere decies infiniti, in indivisibili enim, sicut decem, ita & decies infinitum consistit. Ergo etiam semel infinitum, debet habere omnem possibilem imperfectionem in illo genere. Ergò illâ sublatâ, non tantum collectio mutabitur, sed & infinitudo.

Respondebis secundò. Di paritatem esse, quia si ex decies infinito sigillatim acceptâ unicâ entitate, non mutaretur decies infinitum; & maneret decies infinitum, & non maneret; maneret quidem, ut supponitur, non maneret autem, quia non plus haberet, quàm novies infinitatem. Item si ex omni possibili infinito acciperetur Unica entitas, & non mutaretur omne possibile infinitum, & esset ut supponitur omne possibile infinitum, & non esset; quia Ly *Omne* non est, quando Ly *Aliquid* deest. Nullum autem tale absurdum sequitur, si demtur unica entitas ex aliquo infinito.

Con-

Contra. Decies infinitum requirit omnem possibilem perfectionem decies infiniti : Ergò & quodcunque infinitum requirit omnem possibilem perfectionem illius generis. Ergo sicut ex exigentia omnis possibilis perfectionis, decies infiniti, sequitur, si non mutetur illud infinitum, & fore decies infinitum, & non fore, ita ex exigentia omnis possibilis perfectionis illius generis, in illo certo infinito, sequitur, si ablatâ unicâ entitate non mutetur & fore illud infinitum & non fore. Rursùs infinitum in omni possibili genere requirit omnem possibilem perfectionem in illo genere, sequiturque quod si ablatâ unicâ entitate non mutaretur, quod & esset omne possibile infinitum & non esset. Ergo etiam & infinitum in aliquo genere, requiret omnem possibilem perfectionem in illo genere, illâque demptâ, sequetur & fore infinitum & non fore.

Respondebis tertiò. Sublato unico infinito, semper mutari infinitum, sed sublatâ unicâ entitate, non est necesse illud mutari, quia unica entitas, non est infinitum.

Contra. Tum quia sublato uno infinito, semper mutatur infinitum in ratione infiniti: Ergo & sublatâ entitate finitâ, mutabitur infinitum in ratione habentis omnem possibilem perfectionem illius generis. Cùm eam perfectionem, ad salvandam rationem infiniti, teneatur habere: Redit enim argumentum. Infinitum in omni genere, debet habere omnem possibilem perfectionem in omni genere. Tum quia quæ est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti ad infinities infinitum, sed infinities infinitum, sublato unico infinito mutatur. Ergo & semel infinitum, sublatâ unicâ entitate mutabitur. Major probatur: quia sicut unica entitas, infinitè multiplicata constituit unum infinitum, ita infinitum semel, infinities multiplicatum, constituit, infinitum infinities. Ergo quæ est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti, ad infinities infinitum. Tum quia ut inferiùs ostendetur, infinitum habet infinitam medietatem. Rursùs medietas, infinitum dimidium, Rursùs infinitum dimidium, infinitam dimidietatem & sic in infinitum. Ergo etiam sublato uno infinito, non deberet mutari infinities infinitum, quæ enim est proportio unius ad unum infinitum, ea est proportio unius infiniti ad infinities infinitū. Sicut enim infinitum infinitè multiplicatum, constituit infinities infinitum, ita unitas infinities multiplicata, constituit infinitum, in ratione infiniti multiplicatum. Ergo si sublato uno infinito, mutatur infinities infinitum, etiam sublatâ unicâ entitate mutabitur.

Continuatur Intentum.

Probatur secundò, vel DEUS potest ponere unum infinitum, vel non potest: si non potest, cur non? convincetur q; non posse ponere etiam plura, quia plura nō aliud sunt, quàm unū & unum, seu unum nō uniter positum; & sicut, qui non potest pronuntiare A, non potest pronuntiare AB, quia A : est inchoatio AB, ita qui non potest producere unum infinitum, nec potest producere plura infinita. Quod si potest DEUS ponere unum infinitum, quæro : medietas illius vel est infinita, vel non est infinita? si medietas illius non est infinita: Ergo nec illud esset infinitum, quia compositum ex duobus infinitis, non potest esse nisi infinitum. Quod si medietas illius infiniti est infinita. Ergo illud infinitum, & est unum infinitum & non est, est ut dicis, non est autem quia constat duobus infinitis, constat enim duabus medietatibus, quarum singulas, dicis esse infinitas. Rursùs hæc ipsa medietatis medietas, vel est adhuc infinita vel finita; si est infinita, Ergo jam illud infinitum & est unum, ut supponitur, & plura, ut probatum est. Quòd si medietas illius medietatis est finita. Ergo ut medietas illa prima est finita, utpote illi æqualis, consequenter non infinita, quia conflatum ex duobus finitis non potest esse, nisi finitū.

Respondebis. Infinitum non habere medietatem.

Contra. Tum quia omne extensum & indivisibili non consistens habet partes minores se. Ergo habere poterit & medietatem. Tum quia omne finitum, habet medietatem sibi proportionatam, Ergo & infinitum, & si quæratur, cur infinitum non habeat medietatem, non alia reddetur ratio, quàm ut devitetur, adlatum argumentum. Benè enim negari potest, quòd habere medietatem sit proprietas alicujus finiti. Tum quia sint duæ lineæ quarum una ab hac parte A, sit finita procedatq; in infinitum versùs orientem, sit alia quæ ab eodem puncto A procedat versùs occidentem æqualis illi in infinitate, conjungantur illæ lineæ, certè una, erit medietas illius totius lineæ, ex duabus conflatæ. Ergò apparet, quòd infinitum non excludat medietatem.

Confirmatur primò. Illud quod in sui esse constituti ne, involvit processum infinitum in principiis componentibus, impossibile est poni à parte rei. Tum quia, si daretur processus in infinitum in causis efficientibus, nihil unquam fieret, ut deduci potest ex demonstratione impossibilitatis processûs in infinitum in causis efficientibus. Ergo etiam si detur processus in infinitum in causis constituentibus, nihil unquam fiet. Tum quia, si id quod involvit processum in infinitum in causis constituentibus suum esse, posset fieri, posset etiam tota æternitas à parte post simul poni, adeoq; finiri & transiri. Tum quia in cujus principiis constituentibus est processus in infinitum, in illius etiam existentia est processus in infinitum, cetè enim existentia indistinguitur à principiis constituentibus in actu positis, sed in cujus existentia, est processus in in-

finitum, illius existentia, non est, sed erit, & erit, & erit. Ergo id, in cujus principiis constituentibus est processus in infinitum, non est, sed erit, & erit, & erit, neque de illo verum erit dicere, existit sed existet. Unde etiam quia in sententia Aristotelis, est processus in infinitum in divisibilitate continui, nunquam potest divisio tota, simul poni: Sed esse unius cujusque infiniti, exigit processum in infinitum, in principiis constituentibus suum esse, quod ipsum probatur: Medietas infiniti necessariò debet esse infinita, ut supra dixi; ipsius etiam medietatis dimidium, debet esse infinitum propter illud principium: quòd compositum ex duobus finitis, non possit esse infinitum, & sic procedetur in infinitum.

Respondebis primò. Id quod involvit processum in infinitum, si semel ponatur totus ille processus, benè poni potest à parte rei.

Contra: Tum quia jam nihil obesset, poni processum in infinitum in causis efficientibus, si simul illæ, supponantur operari; & tamen supponitur non posse simul operari, si detur in illis processus in infinitum. Tum quia vi hujus Responsionis, sequitur æternitatem à parte post, posse poni simul totam. Tum quia hoc ipso, quia aliquid dicit processum in infinitum, non potest poni totum simul, sicut enim successio essentialis, excludit simultatem: processus in infinitum in partibus dividendis proportionalibus, excludit positionem simultaneam omnium; ita simultatem positionis, excludit processus in infinitum.

Respondebis secundò, æternitas à parte ante est posita, & tamen in illa datur processus in infinitum, datur item in probabili sententia processus in infinitum in divisibilitate continui, & tamen ponitur totum simul illud divisibile.

Contra. Tum quia æternitas à parte ante non est posita tota simul, idque ex eo quia involvit processum in infinitum in principiis suum esse constituentibus. Ergo etiam infinitum categorematicum, cùm habeat processum in infinitum in principiis se constituentibus, non potest poni totum simul. Tum quia accuratiùs rem examinando æternitas à parte ante non dicit processum in infinitum, quia processus dicit terminum à quo, & quia æternitas à parte ante, non habuit terminum à quo à parte ante, æternitas à parte ante non habuit processum in infinitum: si non habuit processum in infinitum, neque habuit impedimentum positionis suæ æternæ. Rursùs processus in infinitum, est versùs illam partem ubi non desinit, esset enim aliàs processus in desinentiam, non in infinitatem, consequenter etiam infinitas æternitatis à parte ante, non est in desitione quæ est hodie v.g. sed in illo infinito in ante. Ergo ab æterno non habebat processum in infinitum, in quod enim infinitum? consequenter non habuit impedimentum quo minus poneretur, quia positio illius, non dicebat processum in infinitum, in principiis se constituentibus. Quia autem incipiendo ab hodiè usque ad æternitatem à parte ante, datur processus in infinitum, ideò hodiè v.g. æternitas à parte ante, poni non potest. Tum quia illud quod adferebatur de divisibilitate continui ad præsens non facit. Nam sicut quia datur processus in infinitum in divisibilitate, nunquam divisibilitas continui tota simul poni potest. Et si continuum, non solùm in divisibilitate, sed & in principiis se constituentibus diceret æquè processum in infinitum, nunquam etiam poni posset; ita cùm infinitum in principiis se constituentibus, dicat processum in infinitum, nunquam poni poterit. Deinde processus ille partium in infinitum divisibilium, est identificatus alicui finito, partibus nempè non communicantibus, ideò adhuc benè poni poterit; jam autem medietas infiniti, nulli finito identificatur, ideò retinet infinitum, merum processum in infinitum, in principiis se constituentibus.

Confirmatur secundò. Impossibile est, Totum, esse minus se, sed si daretur infinitum, Totum daretur minus se. Ergo non est possibile infinitum. Minor probatur. Si daretur infinitum, parti infiniti, v.g. medietati itidem infinitæ, adeoque carenti terminis, æquale esset totũ infinitum, & tamen medietas, minor est toto. Ergo totum, æquale illi parti, esset minus se:

Probatur tertiò. Assumendo principium ab oppositis concessum. Quòd unum infinitum non possit esse majus altero in ratione formali, ex quo sic arguitur. Impossibile est infinitum creatum majus altero in ratione formali; possibile etiam esset unum infinitum majus altero in ratione formali. Ergo impossibile est infinitum. Secunda pars antecedentis probatur. Possibile est infinitum majus altero in ratione materiali: Ergo possibile est infinitum majus altero, in ratione formali. Probatur consequentia. Ratio formalis infiniti, non est quidquam re distinctũ à ratione materiali. Ergo si potest esse unum, majus infinitum altero, in ratione materiali; poterit esse majus altero, etiam in ratione formali; quando enim aliqua sunt idem realiter, tunc quidquid uni competit, pro statu reali, debet & alteri in eodem sensu & statu reali competere.

Respondebis. Decem ulnæ & decem palmi, sunt in ratione materiali inæquales, & tamen in ratione decadis, sunt æquales.

Contra. Tum quia 5. non est formaliter æquale ad 10. demus ergo quòd illi 10. palmi æquivaleant 5. ulnis, certè 10. illæ ulnæ non poterunt dici æquales formaliter 5. ulnis, consequenter nec dici debent æquales formaliter decem palmis. Tum quia illa æqualitas decadis ulnarum, & decadis palmorum non est nisi æqualitas per rationem abstrahentem rationem communem decadis, in re autem est inæqualitas, conveniantiaque in decem, est convenientia cum magna

discon-

disconvenientia. Ergo & illorum infinitorum in re erit inæqualitas, & tamen est intentum oppositorum, ponere in re æqualitatem infinitorum. Tum quia nihil est aliud unum formaliter esse majus altero, quàm habendo id quod correspondeat minori, habere ultra aliquid, cui in minori nihil respondeat; jam autem in infinito majori materialiter reperitur hoc, cui nihil respondere possit in minori infinito, adeoq; ex Materiali inæqualitate, sequetur inæqualitas Formalis.

DIFFICULTAS II.

De possibilitate infinitorum in particulari.

PRæter probationes superiùs adlatas, reperiuntur principia in particulari, certas species infiniti impugnantia, quæ hîc adferre & tueri erit necesse.

Punctum Difficultatis 1.

An infinitum in extensione & mole sit possibile.

DICENDUM est primò. *Infinitum in extensione non esse possibile.*

PROBATUR primò communiter. Detur linea utraq; parte infinita, proscindat & annihilet DEUS unum palmum adducat partes, hiatu illo intercepto distantes, vel deserunt locum partes infiniti vel non deserunt: si non deserunt, Ergo non occupant spatium, quod supponitur relictum à parte præcisa vel annihilata, vel certè eædem bilocantur retinendo priorem locum, & novum acquirendo; si autem partes infiniti, ut repleant hiatum illum, deserunt priorem locum, Ergo illud infinitum & erit infinitum, & non erit: erit quidem, ut supponitur, non erit autem, quia erit clausum duobus terminis, ortis ex desertione loci antea occupati.

RESPONDET primò Arriag. non esse absurdum quòd infinitum claudatur duobus terminis.

CONTRA præter dicta suprà. Tum quia si infinitum, potest habere terminos, sequitur posse infinitum habere plures terminos quàm habeat res finita, & non posset habere plures terminos, non posse quidem, quia quod est majus, pauciores debet habere terminos; Det quòd habeat plures negationes ulterioris extensionis non habeat majorem extensionem. Ergo cùm infinitum sit majus præfinito, non potest habere plures negationes ulterioris extensionis seu terminos. Unde etiam semiulna, quia est minor, illic admittit terminos, ubi eos non admittit ulna. Posset etiam habere plures terminos, quia præter terminos finitis longitudinibus apponibiles, patitur terminos in infinitate, rursùs in medietate infiniti (quæ ex dictis suprà debet esse infinita) patitur terminos. Rursùs in medietatis ipsius dimidio, quod item debet esse infinitum, potest pati terminos. Ergo potest pati plures terminos, quàm res finita. Tum quia, si unum infinitum semel possit habere terminos, non est ratio, cur non & aliud, dicamq; etiam Divinam essentiam, habere terminos perfectionis, vel si id negas de Divina essentia, dicam posse dari infinitam creatam essentiam, quæ tamen claudatur terminis ne scilicet æquet dignitatem essentiæ Divinæ, & tamen sit in ratione essentiæ infinita. Tum quia fines infinitare, limites illimitare non possunt. Ergo nec termini stare possunt cum infinitudine, & tamen illi fines vel maximè & completivè illimitare, & infinitare deberent, sicut unitates, ad decadem evehit, ultimò complens, unitas. Tum quia illud infinitum clausum terminis, & haberet quia infinitum est, negationem ejus rationis quæ constituit finitudinem, & non haberet negationem ejus rationis, haberet quidem ut supponitur, hoc ipso enim finitum esset, si non negaret, sed importaret rationem, quæ constituit finitudinem; & non haberet negationem ejus rationis, quæ constituit finitudinem, quia ratio constitutiva finiti est terminus, hinc in medio extensionis non est finis formaliter, quia in medio non est terminus formaliter. Et certè, si quantum semper ita procederet ac in medio, quantum nunquam esse finitum. Ergo ratio finiti, formaliter constituitur termino. Tum quia partes interceptæ inter terminos infiniti, non habentes transitum consummabilem, sunt partes infinitæ, partes infinitæ sunt idem quod partes sine fine, partes autem sine fine, sunt partes sine termino. Ergo à primo ad ultimum partes non habentes transitum consummabilem sunt partes sine termino.

RESPONDET secundò Hurtad: Non posse spatium illud occupari nisi per rarefactionem vel productionem aliarum partium.

CONTRA, supponamus per impossibile nec reproduci partes, nec rarefieri, certè debebit jam concedi claudendum tunc infinitum duobus terminis. Ergo apparet & ante fuisse clausum, neque enim tunc primùm fierent illi termini. Rursùs quomodo illa infinita est longitudo, quæ finitum spatium replere non potest.

RESPONDEBIS tertiò. Posse quidem illud spatium repleri à partibus infiniti in locum illũ succedentibus, cæterùm linea infinita, nondum deseret aliquod spatium nisi finitum; & quia si deberet claudi terminis, desereret spatium infinitum, fit ut adhuc illa linea, non sit claudenda terminis; desertioque illa spatii infiniti, clausaque terminis, desumetur ex sola imaginatione, versante circa finitam lineam, deserentem priores terminos, si novos aliquos acquirere debeat.

CONTRA. Tum quia & desereret spatium infinitum, si deberet claudi terminis & non desereret, desereret ut supponitur, non desereret autem,

tem, quia non plus spatii antiqui deseretur, quàm occupetur novi. novum autem occupatum spatium, non est nisi finitum. Tum quia si contingat id in linea finita, deserere illa debet priores terminos. Ergo idem dicendum de linea infinita. Tum quia etiam in linea infinita, sine bilocatione, non potest repleri illud spatium, nisi acquisitis novis totaliter præsentiis. Ergo cùm illic non sit ponenda bilocatio, debet concedi acquisitio novarum præsentiarum, adeoque & terminorum in extremis, (ut ita dicam) infinitæ lineæ, quæ extrema poni debere, evincit argumentum factum. Quærereque restat cùm partes infiniti non fuerint penetratæ, modo etiam non bilocentur, unde hoc illis erit, ut possint illud spatium replere.

Idem medius terminus sic aliter proponitur.

Ponantur versùs orientem infinitæ tres lineæ, una incipiat à puncto A & altera à puncto B tertia, à puncto C. Ponantur rursùs hæ distantiæ, ita, ut à puncto A, præcedatur punctum B, centum palmis; & à puncto B, præcedatur itidem punctum C, centum palmis. Ponamus item promoveri à DEO lineam C, versùs A, ita ut ab A, distet non nisi quinquaginta palmis, à puncto autem B, procedens linea maneat immota. His positis formatur argumentum, linea C, & erit infinita ut supponitur, & non erit infinita, quia clausa duobus terminis scilicet uno quod à puncto A, distat spatio 50. palmorum, & altero termino quem acquisivit in illa promotione sui, quem terminum appellemus. I. de isto I. quæro: an à linea B, immota & carente termino versùs Orientem, secundùm illum ductum, distat ne spatio infinito an finito; si infinito, Ergo non supponitur esse tantum centum 50. palmis promota versùs occidentem; Si finito. Ergo inter id quod habet terminum, & inter id quod non habet terminum, potest esse distantia non nisi finita.

Probatur secundò communiter. Ducatur ex puncto A, linea infinita, & ex eodem puncto alia, ex duabusque lineis efficiatur pyramis, illæ lineæ quò magis extendentur eò magis distabunt. Ergo extensæ in infinitum distabunt infinite, & tamen non distabunt infinite, quia distantia illa clausa erit duobus punctis.

Respondet primò Pontius retorquendo argumentum. Contra Divinam cognitionem cognoscentem distantiam duarum illarum linearum, si enim cognitio Divina non obstantibus terminis, videt illas infinitas, cur negabitur posse lineas, infinitas, claudi terminis?

Contra, quia cognitio Divina nunquam cognoscit illas lineas tanquam possibiles, sed cognitio illi de linea est talis: Cognosco omnes partes, quas potest habere successivè illa linea, ita ut nulla sit à me incognita, quidquid tamen illius actu ponitur, finitum erit, consequenter DEUS non cognoscit infinitum clausum terminis quod tu concedis de tuo.

Neg, valet, si dicas, cum eodem, si daretur circulus infinitus, inciperet ab eodem puncto & desineret: ita etiam non est inconveniens, duarum illarum linearum distantiam, claudi terminis, sufficitque ad infinitum ut habeat partes determinatas, quæ non possunt reduci ad numerum determinatum; non inquam valet: nam ex hoc ipso arguitur impossibilitas circuli infiniti, quia scilicet etiam ille admitteret terminos, nec poterit illud infinitum habere partes determinatas, quæ tamen non possunt ad certum numerum redigi, si admittatur clausura per terminos.

Respondebis secundò, illas lineas neque distare finitè, neque infinitè, quia distantia est passio finitorum.

Contra. Hoc ipsum erat probandum quod distantia sit passio finitorum, si enim extensio per te datur infinito, cur non distantia, & si finitudo trahit secum distantiam finitam: Ergo & infinitudo, trahet secum distantiam infinitam.

Respondebis tertiò ex Ovied: Pyramidem infinitam esse impossibilem, quia de ratione pyramidis est habere terminos quos infinitum non admittit.

Contra. Quia suppositâ possibilitate lineæ infinitæ, & erit impossibilis pyramis infinita, & non erit; erit quidem ut supponitur, non erit autem quia suppositâ possibilitate lineæ infinitæ, cur non poterunt illæ pyramidem componere? ostenderturque in hoc implicantia, sed quæ ipsam etiam impossibilitatem lineæ infinitæ, arguet.

Probatur tertiò communiter, quâ etiam implicantiâ utitur recentior Suar. Si extensio infinita esset possibilis, possibilis etiam esset linea infinita versus orientem ducta; sed non est possibilis, quod probatur: Constet enim infinitis palmis, uno albo, & alio nigro, demus rursùs, conservatis albis, annihilari nigros, relictis spatiis quæ nigri occupabant, tunc quæro, an palmi albi residui occupent idem spatium vel non? si non occupant idem spatium, Ergo non sunt infiniti, sed neque annihilati, nigri erunt infiniti; non enim erunt plures albis. Ergo neque tota linea fuit infinita. Hoc argumentum desiderat probationem hujus propositionis, quod residuum illud palmorum alborum non occuparet spatium infinitum, quamvis non occupet spatium nigrorum.

Dicendum est secundò. *Infinitum in mole v.g. Corpus infinitum est impossibile.*

Probatur. Consimile ad superius dicta imaginatione. Creatur à DEO infinitus aer, annihilet DEUS tantum aeris quantum respon-

det

det globo terræ, succedat aer vicinus ad replendum illud spatium, succedat inquam sine ulla replicatione, rarefactione &c. æqualiter ab oriente & occidente replendo illud spatium, quo casu posito, vel idem spatium cum iisdem terminis occupat ille aer, vel non idem? Si idem unde facta successio in locum annihilati aeris? si non idem: Ergo acquiret terminos, claudeturque illis, quod tamen repugnat infinito.

Hic idem medius terminus sic aliter proponitur.

Ponat DEUS lapides unius palmi infinitos, hi occupabunt spatium infinitum, ponat DEUS infinitum lapidum, ex quibus unusquisque æquivaleat monti, opponat DEUS infinitum montium, infinito lapidum, tunc infinitum lapidum, & erit infinitum spatium occupans ut supponitur, & non erit infinitum spatium occupans, quia habebit terminos, in quantùm scilicet infinitum lapidum, non extendetur eò, quò extenditur infinitum montium.

Hinc idem medius terminus pro utraq; conclusione valens sic proponitur.

Ponatur linea infinita, ponantur postea corpora infinita palmaria, vel sufficiet linea illa ut illis corporibus coextendatur vel non sufficiet? si non sufficiet: Ergo habebit transitum consummabilem, desitione illic habendâ, ubi jam non poterit coextendi; si autem sufficit coextendi, creet DEUS corpora nonnisi centum palmaria, poterit ne illic illa linea coextendi, vel non: si non poterit? Ergo erit transitum consummabilem habens; si poterit unde illi accrescet longitudo? ut cum æqualis olim fuerit infinitis palmaribus corporibus, nunc evadat æqualis & coextensibilis infinitis centum palmaribus corporibus.

Sed quid tenendum de doctrina Ovied: admittentis possibilitatem infinitudinis in extensione, & mole, modo adsit penetratio?

Contra, hanc doctrinam faciunt universaliter adlata contra possibilitatem infiniti, quia scilicet sublatâ unicâ parte ex penetrato illo, jam non esset infinitum residuum. Deinde infinita linea penetrata, vel potest coextendi spatio sibi proportionato, vel non potest: si potest; redeunt argumenta facta: si non potest quæro? vel habet secluså penetratione totum id quod est sufficiens ad replendum spatium infinitum, vel non habet? si non habet contra erit. Tum quia dicam etiam unum digitum penetratum, esse infinitum, quamvis non habeat sufficientiam ad implendum spatium infinitum. Tum quia sine ullo fundamento affingetur illi extensioni infinitudo; Quod si habet cætera sufficientia secluså penetratione ad implendum spatium infinitum? Ergo poterit extendi per spatium infinitum, nisi miraculo penetrationis impediatur. Ergo habet potentiam ut de se, secluso miraculo penetrationis, faciat impossibile, quia tu dicis extensionem illam impossibilem.

Punctum Difficultatis 2.

An sit possibile infinitum Categorematicum in numero?

Dicendum est, *Non esse possibile infinitum in numero* v.g. non sunt possibiles infiniti homines, infiniti Angeli &c.

Probatur primò argumento superiùs facto contra possibilitatem infiniti Categorematici mutandi ablatione v.g. vel unius hominis.

Probatur secundò communiter. Creet DEUS infinitos homines singulos cum suis annulis, projiciant suos annulos in cumulum: vel possunt singuli ex illo cumulo accipere 100. annulos, vel non possunt? si possunt? pone quod accipant singuli 99. tunc ita argumentum fiat: antequam projecissent illos annulos singuli homines, habebant non nisi singulos. Ergo & tunc habebunt singulos, unde enim accrevissent? Ergo & acceperunt, & non acceperunt 99. annulos. Si autem singuli non possunt ex infinito annulorum accipere 100. annulos: Ergo habetur in illo infinito transitus consummabilis annulorum, consummatione factâ tunc, cum desunt accipiendi à residuo infinitorum hominum. Deinde cum in illo cumulo annulorum sint centenarii infiniti. Ergo & acceptibiles ab infinitis hominibus. Sed quærere restabit unde creverit ille numerus annulorum?

Respondet Ovied. quod ex illo cumulo annulorum, acciperent infiniti centenuarios annulorum, sed n. n acciperet omnes neque est absurdum dicere, quod cum infiniti accipiunt ex cumulo infinito, exhauriatur infinitum, ita ut reliquis, non sit residuum quidquam, quod accipiatur. Sed esset absurdum, si cumulus ille exhauriretur per finitos accipientes; dicitque ulteriùs multitudinem hominum qui haberent singulos annulos, esse minorem multitudine infinitâ, habentium singillatim centum annulos, non enim repugnat unum infinitum, majus altero.

Contra. Supponamus quòd ex cumulo illo annulorum, sit primus accipiens A, qui ita accipiat 100. ut etiam alteri porrigat alios 100. annulos, ipse autem à nullo alio accipiat, secundus autem sit qui accipiat à primo & simul porrigat, tertio: fiat autem hoc totum uno instanti, quod fieri potest, si fiat porrectio per actus voluntatis instantaneos, vel si id ab hominibus fieri non potest, fiat ab Angelis; eo casu, & erunt infiniti accipientes & non erunt: erunt ut supponitur; non erunt autem, quia totum illud infinitum erit clausum duobus terminis, hoc est primo, qui

à nullo alio accepit 100. annulos , & inter ultimum, qui nemini alteri porrexit. Tunc quæro quando per illam infinitam multitudinem accipientium exhaustum est infinitum annulorum, vel nullus est illic, qui alteri non porrexerit, vel est aliquis, qui alteri non porrexerit? si est aliquis, qui alteri non porrexerit, Ergo datur illic ultimus qui acceperit & non porrexerit, & primus qui porrexit non accepit. Quod si nullus est qui & ipse non acceperit & alteri non porrexerit? Ergo & exhaustum est illud infinitum per infinitos, ut tu dicis accipientes , & non exhaustum, quia exhauriri non potest; nisi desit quod accipiatur tradendum alteri, tu autem dicis semper restare tradendum alteri.

Quod autem attinet ad illud principium, nempè unum infinitum, potest esse majus altero.

Contra erit primò. Ponamus à DEO poni non nisi unum infinitum, & quia per te unum infinitum potest esse majus altero , ponamus esse secretos à DEO infinitos millenarios hominum, & secretos infinitos centenarios hominum, & tandem veniatur ad semel infinitum hominum , quod ipsum infinitum hominum constet hominibus, quorum singuli projiciant suos annulos in cumulum , & singuli accipiant non unum, sed centum annulos, ita ut unus accipiat & porrigat alteri, excepto uno , qui accipiat à nemine, & tamen porrigat; quæro an infinito illi toti hominum, sint suffecturi illi annuli, ut singuli possint accipere centenarios , vel non sufficiunt : Si sufficiunt , redit argumentum factum, unde nam illa accretio facta. Quod si ille cumulus annulorum non sufficit, ut singuli illorum hominum infinitorum accipiant centenarios, quæro an qui acceperunt homines , sint infiniti, an finiti, si finiti; Ergo infinitum exhauriri potest per finitos accipientes: si infiniti. Ergo non stas in suppositione, scilicet infinitum illud fuisse semel infinitum, nam ex illo infinito facis bis v.g. infinitum, scilicet infinitum accipientium, & infinitum non accipientium. Quòd si dicas , infinitum non posse dari quin constet saltim ex duabus infinitatibus , scilicet mediate utraque infinita, redibit argumentum, an cùm projecerit illa collectio singulos annulos, possit accipere medietas modo descripto cẽtenarios.

Quòd si dicas infinitum quodcunque etiam minimum continere in se plura infinita, inquirã an unumquodq; sit infinities infinitum, an finities, hoc est habens numerum finitum infinitorũ, hoc est v.g. 100. vel 1000. infinita , si finities est infinitum, secernat DEUS mente unum infinitum, hoc est unies infinitum acceptum ex illis centies: illud unies infinitum non habet nisi semel infinitudinẽ, vel ad maximum conflatur ex duplici medietate infinita , deq; illa formetur argumentum factum , de projectione unius annuli, acceptioneq; annulorum 100. Quòd si unũquodq; infinitum est infinities infinitum , rogo quomodo potest esse unum majus altero : nam sicut unum millenarium numeri numerantis, non est majus alio millenario numeri numerantis, alioqui hoc ipso non esset numerus millenarius, numeri enim in indivisibili cõsistunt; ita infinities infinitum, non est unum majus altero, & cùm deficeret in infinitudine infinitatis , hoc ipso infinitudinis finitudinem haberet.

Contra secundò. Quia & esset alterum infinitum minus & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, ut probatur, appellemus infinitum minus infinitum Angelorum , & infinitum majus, sit infinitum hominum , supponamus ex infinito Angelorum assignari à DEO Custodem uni, de quo sit verum dicere non caret Angelo, & ante illum nemo prior illum habuit : assignet rursùs aliis Angelos simul omnibus, quibus assignari potest, quo posito quæro : an sit devenire ad aliquem hominum , qui non habeat Angelum, vel non est devenire, si non est devenire, singuli ergò homines habent suos Angelos; Si singuli, quomodo infinitum Angelorum minus erit infinito hominum? Si autem est devenire ad homines, qui non habeant Angelos, Ergo illud infinitum hominum & erit infinitum, & non erit: erit ut supponitur, non erit autem, quia claudetur inter duos terminos primum, qui habuit Angelum, & alium, qui non habet, nomina illum hominem indeterminatum, ut volueris, sufficit intento argumenti , quòd deveniatur ad aliquem vel aliquos, qui non habeat Angelum. Et sicut docet Ovied: spatium quodcunque occupabile à mole corporum infinitorum, si daretur, non fore infinitum , quia potest illi supervenire spatium majus; ita etiam infinitum, quod non æquabitur alteri infinito, non erit infinitum, habebit enim illic terminum, quia ultra non adæquabitur, majori se infinito. Universaliter autem docet Oviedo, infinitum , non posse claudi terminis.

Contra tertio. Si daretur infinitum unum, majus altero, & esset majus & non esset, esset ut supponitur, probarique per hoc posset , quia si ponatur infinitum hominum certè infinitum capillorum majus erit, uni enim homini tot capilli, respondebunt, etsi unitas infinities repetita facit unum infinitum, ergo & mille infinities repetita unitas, faciet etiam millies infinitum. Rursùs si unum infinitum non esset majus altero, infinita pertica & funis spiraliter illi superpositus essent æqualia, cùm tamen recta figura à spirali semper superetur , insuper si unum infinitum non esset majus altero , totum non esset majus suâ parte v. g. nam centenarius infinitus esset æqualis millenario infinito , cùm tamen centum, sit pars millenarii. Non posset autem unum infinitum esse majus altero, quia illud minus, hôc ipso non esset infinitum; quia haberet terminum illîc, ubi excederetur ab alio.

Pro-

Probatur tertiò. Designet Deus, omnibus diebus per æternitatem futuris, unum Angelum, ita, ut nullus sit dies, qui sibi correspondentem Angelum non habeat, & nullus Angelus, qui non habeat correspondentem sibi diem, quo posito; illi Angeli, & essent infiniti, ut supponitur; & non essent infiniti, ut probatur. Si enim essent infiniti; mutet Deus designationem, & eos Angelos, quos assignaverat diebus, assignet horis, vel illi Angeli sufficient, ut singulis horis, distincti assignari possint, vel non sufficient: si sufficient, Ergo cùm tot supponantur Angeli esse, quot dies æternitatis, tot erunt horæ æternitatis, quot & dies, quod falsum est; si autem non sufficiunt Angeli, ut singulis horis æternitatis distinctus Angelus tribuatur. Ergo illi Angeli non sunt infiniti; quia multitudo illorum interciperetur duobus terminis; primò hoc est Angelo, qui primæ horæ assignaretur. Et ultimo, scilicet illâ horâ, quæ adhuc haberet suum Angelum, & reliquæ horæ, post illam sequentes, suum Angelum non haberent.

Respondet primò Ovied. horis interruptè & interpolatè acceptis, posse Deum, per totam æternitatem, distinctos Angelos assignare, sed non posse continuatè, & fluenter acceptis, computando unam, post aliam sequentem; & ita v. g. non potest primæ, secundæ, tertiæ horæ assignare suum Angelum distinctum, potest tamen assignare primæ, & postea v. g. decimæ, ita ut totâ æternitate, per diversas horas interpolatas, assignare possit suum Angelum.

Contra. Tum quia, vel tantùm horis interpolatis, vel etiam diebus non nisi interpolatis, potest Deus assignare alium singillatim Angelum; si primum, non satisfiet argumento facto; quia dicere, quòd horis nonnisi interpolatis, per totam æternitatem, assignare possit Deus, distinctum Angelum, est dicere, Deum non posse singulis horis assignare Angelum; redibitque argumentum factum; Si autem dicatur secundum; hoc ipsum probandum veniret, reassumique poterit argumentum factum. Quòd scilicet deberet illud infinitum claudi terminis: deberet esse unum majus altero, &c. Tum quia, vel pluribus horis, quàm sint dies æternitatis, assignabuntur dicti Angeli, vel non pluribus, sed æqualibus; si pluribus, unde illud incrementum, cùm supponantur non superfuisse Angeli plures, diebus æternitatis? si non pluribus. Ergo non respondes ad suppositionem argumenti, quòd à diebus, ad horas, quæ sunt plures diebus, procedit. Tum quia, quod est verè infinitum, in quacunque suppositione, exhauriri non potest, assignatione, vel acceptibilitate, si illa intra duos terminos consistat: termini enim finitudinem notant. Ergo si illud infinitum Angelorum, est verè infinitum, per horas non interruptè acceptas, interceptas tamen, inter primam & ultimam exhauriri non posset, consequenter deberent sufficere Angeli dandi, horis totius æternitatis, non interpolatè acceptis: ubi enim deficeret dabilitas, illîc esset terminus, adeoq; finitudo. Tum quia, quamvis horis successivè acceptis, non posset etiam successivè Deus tribuere singulos annulos: non enim posset successivè illam infinitatem pertransire, potest tamen simul, sicut simul illa cognoscit, & successivè, non posset cognoscendo pertransire. Redit ergo Argumentum: an possit simul, sicut diebus, ita & horis, assignare singulos Angelos, idque ut dico simul.

Respondetur secundò, retorquendo argumentum, & quærendo; an positis omnibus possibilibus Angelis, qui assignarentur singulis diebus æternitatis, possent adhuc mutatâ designatione, assignari singulis horis.

Contra: Quia non est possibile, ut omnes Angeli ponantur: & erunt enim omnes possibiles Angeli positi, ut supponitur, & non erunt: quia illis positis, vel implicabunt alii Angeli, vel non implicabunt? Si non implicabunt, Ergo non omnes sunt positi; Si implicabunt, Ergo contradictorii erunt hi termini: Substantia Spiritualis completa. Recolantur in simili, dicta supra, ex quibus, hoc etiam deduci potest. Quòd Deus singulis horis æternitatis, singulos dies assignare possit. Quod sic proponitur. Suppono dies æternitatis omnes, simul non posse poni, à parte rei: Suppono secundò, illos à Deo cognosci; ita ut dicat: Nullus est dies, quem non cognosco, ita tamen illos cognosco, ut videam illos, nunquam finiri posse. Suppono tertiò, Deum in assignatione dierum æternitatis, ad horas æternitatis, ita se habere, ut dicat, & hæc hora, & illa hora, habet suum diem proprium, ita tamen ut nunquam dierum, & horarum sit infinitudo terminata: sed sicut sunt dies infinities infiniti, ita & horæ, ita ut radix assignabilitatis, non sit multitudo horarum, major præ diebus in unaquaq; die; indubiè enim plures sunt horæ, quàm dies: Sed radix ista est Dei omnipotentia, & non implicantia contradictionis in essentia dierum. Jam autem assignabilitas Angelorum, ad dies æternitatis, non est, non implicantia contradictionis Angelorum, sed esse actuale à parte rei. Hinc etiam Angeli, secundùm non implicantiam contradictionis spectati, tàm diebus, quàm horis æternitatis, assignari possent.

Punctum Difficultatis 3.

Quid de reliquis infinitum concernentibus?

Dicendum est primò. *Non est possibile infinitum in intensione.*

Probatur argumentum antè proposito. Creet Deus infinitos gradus caloris, tot quot sunt infiniti homines: vel potest Deus singulis illorum, 100. gradus assignare, vel non potest? Si

non potest? Ergò exhauriretur infinitum; Si potest, Ergo sunt plures infinito hominum. Modum defendendi hoc argumentum, vide supra positum.

Responderi posset huic argumento, & quibuscunque aliis hactenus positis. Quod infinitum non implicet quidem contradictionem; demere tamen ex ipso aliquid, implicat contradictionem: & ita si accipiatur aliquid ex linea infinitè extensa, sequitur illam terminandam &c. si autem consideretur infinitum secundùm se, nulla saltem in plerisque ostendi potest implicantia.

Contra erit: quia expressè Aristotelica definitio, permittit ipsam acceptionem: unde in definitione dicitur, cujus secundùm quantitatem accipientibus, &c. &c. hinc negare istam acceptationem, est non stare in statu quæstionis. Cæterùm posito, quòd nova alia definitio infiniti formaretur, posset ex illa non sequi implicantia contradictionis.

Dicendum est secundò. *Etiam posito, quòd possibile esset infinitum creatum, adhuc impossibile esset poni omne possibile infinitum.*

Probatur primò. Posito omni possibili infinito, vel ponerentur omnes possibiles finitæ creaturæ, vel non ponerentur? Si non ponerentur? Ergo & esset illud omne possibile infinitum, ut supponitur & non esset: quia adhuc producibile esset, præter producta infinita, aliquod infinitum, quia omne producibile infinitum, est infinities infinitum. Hinc productis finitis, quæ remanent producibilia, post productionem omnis possibilis infiniti, sed infinities positis, consurgeret adhuc novum infinitum. Neq; enim v g. infinitum multitudinis, est aliud, quàm infinitum infinities positum. Si autem posito omni possibili infinito, ponerentur omnes possibiles finitæ etiam creaturæ: Ergo jam Deus non maneret omnipotens, quia nihil maneret producibile: nam omnipotentia Dei transcendentaliter requirit effectus.

Respondebis primò cum P. Venceslao Darovvski, meo in Theologia Professore, Viro omnium talentorum. Infinita persona Patris, non ita exhaurit terminabilitatem naturæ Divinæ infinitam, ut quamvis illam infinitè terminet, adhuc illam non relinquat ulterius terminabilem per aliam personam infinitam, tàm Filii, quàm Spiritus Sancti. Rursùs infinita Persona verbi, terminans naturam Divinam, non exhauritur, quominùs possit terminare aliam naturam creatam, & alias plures: Scientia item Divina non exhauritur, quamvis cognoscat omne possibile; & sicut omniscientia in actum reducta, non facit Deum, non esse Deum, ita nec faciet omnipotentia in actum reducta.

Contra: Tum quia, ab instantia, ex adlatis prima, desumi potest, pro conclusione argumentum. Tres Personæ Divinæ, infinitam terminabilitatem naturæ Divinæ ita exhauriunt, ut à quarta Persona terminabilis non sit, nisi per solam chimæram, & fictionem intellectûs. Ergo etiam omne producibile infinitum in actu positum, ita exhauriet omnipotentiam infinitam, ut ulterius nihil producere possit: Quòd autem Persona Patris, non reddat ulteriùs interminabilem naturam Divinam, secundùm se spectatam, hoc inde est: quia terminativitas Personæ Patris, non est omnis possibilis terminativitas Divina; Jam autem omne possibile infinitum, cum sit omnis possibilis terminus omnipotentiæ Divinæ, fit, ut exhauriat omnipotentiam Divinam. Tum quia: ex secunda instantia potest pro conclusione formari argumentũ. Persona verbi infinitè terminans naturam Divinam, ita illam terminat, ut omnem suam terminativitatem infinitam, quam præstare potest, exhauriat; neq; enim aliam naturam Divinam, vel aliam creatam infinitam (utramq; enim supponO impossibilem) terminare potest; & tamen, hoc non obstante, potest terminare naturam finitam creatam. Ergo etiam omnipotentia, post productum omne possibile infinitum, poterit producere aliqua finita, redibitq; argumentum superiùs factum. Addo, non esse ullum inconveniens, infinitam terminabilitatem naturæ Divinæ, exhauriri per terminativitatem trium Divinarũ Personarum, si autem exhauriretur omnipotentia Divina, ita, ut ulterius nihil posset facere, magnũ foret inconveniens: nam imprimis non potest dici propriè exhauriri, terminativitas Naturæ Divinæ, cùm tres personæ, quamvis inter se distinctæ, sunt tamen identificatæ cum natura: idẽ autẽ propriè non dicitur exhauriri à seipso; jam autem, si exhauriretur omnipotentia Divina, exhauriretur ab aliquo à se distincto realiter, nempe à productis creaturis, adeoque exhauriretur propriè. Rursùs, prius illud exhauriri contingeret, per aliquid æquale, nempe per personas Divinas, infinitum autem exhauriri à mensura infinita nihil vetat: exhauriri autem, omnipotentiæ per creaturas contingeret, per aliquid in re quale: quia non exhauriretur per aliquod esse Divinum. Deinde, id quod se habet per modum termini, non dicitur exhaurire propriè; hinc, etiamsi per impossibile, omnes finitas & infinitas terminaret cognitiones, objectum aliquod, non inde jam non cognoscibile foret: neq; enim inde jam entitatem suam deperderet, cujus necessaria passio est, esse verum, adeoq; cognoscibile; sed omnipotentia cùm se non habeat per modũ termini, sed potius potentiæ effectivæ, verè & propriè per creaturas exhausta, diceretur. Deniq; non est ullum absurdum, quòd infinita terminabilitas naturæ Divinæ, exhauriatur ab infinita Divina terminativitate, Tripersonalitati ejus debitâ, immo est perfectio Dei necessaria, salvans unitrinitatem ejusdem, unde etiam est perfectio ejus actu possessa, jam autem exhaustio

hauſtio omnipotentiæ, non eſt perfectio Dei, ſed eſſet deſitio perfectionis Divinæ. Tum quia: illud quod dicitur de exhauſtione Divinæ ſcientiæ, pro nobis eſt. Dico enim exhauriri ſcientiam Divinam in hoc ſenſu, quia nihil eſt cognoſcibile, quod non cognoſcat, & ultra hæc, non ſe extendit, ſed hæc perfectio eſt potius Dei: quia ſcilicet perfectio Dei eſt, non eſſe neſcientem, quam perfectionem adfert illa exhauſtio; & ſi hanc non haberet exhauſtionem, neſciens eſſet: ergò etiam à poſſibilitate creaturarum, exhaurietur omnipotentia Divina, neque enim ultra poſſibilia aliquid poteſt, cum hoc tamen addito, quod hæc omniſcitivitatis Divinæ exhauſtio ſit perfectio Dei, quia niſi noſſet omnia poſſibilia, omniſcius non eſſet; ſed exhauſtio omnipotentiæ, quæ fieret per omne poſſibile productum, eſt exhauſtio, quæ adfert negationem omnipotentiæ, ejuſq; deſtructionem, quid enim illa omnipotentia poſſet? Et certè non aliunde Deus habet non eſſe neſcientis, niſi ab actuali omniſcientia; rationem autem omnipotentis aliunde habet.

Respondebis ſecundò. Habere actum adæquatum, eſt perfectio potentiæ, & ita ſi oculus eliceret viſionem adæquatam, intellectus item cognitionem adæquatam, maxima hæc eſſet perfectio oculi, & intellectûs; conſequenter erit perfectio omnipotentiæ, habere actum adæquatum, ſtantem in productione omnium poſſibilium.

Contra. Quia actus adæquatus, ſtans cum eſſe potentiæ, eſt perfectio potentiæ; ſed actus adæquatus, deſtruens eſſe potentiæ, non eſt perfectio potentiæ; hoc autem in præſenti contingeret.

Respondet tertiò Vasquez. Poſito omni poſſibili infinito, & omni producibili; adhuc Deus poſſet illa conſervare, ad operationes concurrere, & ſimilia.

Contra. Quia hæc Reſponſio contradictorios terminos continet; & eſſet enim omne poſſibile producibile productum, & non eſſet; eſſet, ut ſupponitur in negatione, concluſionis, non eſſet autem, quia adhuc operationes produci poſſent, & conſervatio infiniti, quæ omnia veniunt inter producibilitatem, omnis poſſibilis, tam finiti quàm infiniti.

Probatur ſecundò. Si Deus produceret omne poſſibile infinitum, & produceret omne poſſibile infinitum, ut ſupponitur, & non produceret: quia non produceret omne potentiâ infinitum, quod etiam eſt inter producibilia; quòd autem non produceret omne potentiâ infinitum, per hoc probatur: quia infinitum in potentia eſt, infinitum eſſentialiter; exigens eſſe in potentia. Ergo produci actu non poſſet. Ergo apparet in illo omni producibili, non poſſe produci omnia.

Respondebis. Sufficit quòd producat Deus omne producibile infinitum categorematicum.

Contra. Quia concluſio attendit ad producibilitatem etiam finitorum, modò ſint illa contenta, in numero poſſibilium: negat enim concluſio, poſſe produci omne poſſibile.

Probatur tertiò. Inſtantiis variis, quæ oſtendunt, non poſſe produci omne producibile, & ita, non poteſt produci æternitas à parte poſt, quantitatis diviſibilitas in infinitum, &c. &c.

Dicendum eſt tertiò. *Etiam poſitâ poſſibilitate infiniti, non eſt neceſſarius, nec poſſibilis numerus maximus finitorum.*

Probatur primò. Quòd non ſit neceſſarius maximus finitorum. Quia ad hoc, ut tranſeatur à numero finito ad infinitum, non eſt neceſſe, tanquam per medium tranſiri; per numerum maximum finitorum. Ergò poſſet eſſe infinitum, ſine poſitione numeri maximi finitorum. Antecedens probatur, quia eſſe infinitum, non eſt poſt numeros finitos, aliquorum numerorum infinitantium, inchoatio: ſed eſt tantùm numerorum ſemper finitorum, ſine fine aggregatio. Ergo ad hoc, ut à finito ad infinitum tranſeatur, non eſt neceſſe, tanquam per medium, tranſire per numerum maximum finitorum.

Probatur ſecundò. Poſito numero maximo finitorum, vel poteſt Deus ponere infinitum, vel non poteſt? Si non poteſt? Ergo non eſt neceſſarius numerus maximus finitorum, ad poſitionem infiniti, quod tamen tu vis; Si autem poteſt Deus ponere infinitum, quæro, an ponendo jam infinitum, debeat adhuc ponere alium numerum maximum finitorum, an non debet? Si debet? Ergo prior ille non erit neceſſarius ad infinitum. Ergo & hic poſterior; de illo enim redibit eadem, quæ de priori quæſtio; Si autem non erit neceſſe ponere, Ergo quamvis ille, qui ſupponitur productus numerus maximus finitorum non poneretur, modò poneretur illa ipſa infinitudo, ſequeretur infinitudo. Ergo ulteriùs non eſt neceſſarius ille maximus numerus finitus ad infinitationem. Quòd ſi dicas, non poſſe Deum ponere numerum illum infinitum, niſi ex ſuppoſitione poſitionis numeri maximi finitorum, da in hoc ipſo implicantiã.

Probatur tertiò. Quòd numerus finitorum maximus ſit impoſſibilis. Quia & erit ille numerus maximus finitorum, ut ſupponitur, & non erit maximus finitorum: quia ſi Deus poſt numerum maximum finitorum, poteſt producere v. g. infinitos homines, poteſt & unum, quem ipſum addendo, augebit numerum maximum finitorum, conſequenter ille prior non erat maximus finitorum.

Addit recentior Suar: Ponamus numerum maximum finitorum, ſecundùm eum numeretur aliud numerabile, rursùs ſecundùm eundem numerum maximum finitorum, numeretur aliud numerabile; en tibi erunt duo numeri maximi finitorum: conjungantur illa

nume-

numerata simul, non facient unum infinitum; quia infinitum non stat duobus solis finitis. Ergo faciunt numerum finitorum, majorem, maximo finitorum.

DIFFICULTAS III.

Fundamenta in Oppositum.

Objicitur primò varia auctoritas.

Prima est Aristotelis, qui cùm tenuerit mundum creatum esse ab æterno, generationesq; fuisse ab æterno, hoc ipso admisit infinitum categorematicum.

Secunda auctoritas est Dionysii cap. 8. de Divinis nominibus.

Tertia Aug. ad Volusianum.

Respondetur. Aristotelem errantem fave-re oppositis: erroneè enim admisit mundi æternitatem. Sed oppositum docet, statq; pro nobis tertii Physic: T. 67. unde non docuit dari infinitas factas generationes ab æterno, sed tantùm hoc sequitur, deduciturq; ab oppositis, ex suppositione erroris. Secunda auctoritas non aliud vult, quàm Divinam omnipotentiam, extendi posse ad creaturas in infinitum producendas, nec terminari unquam numerum producibilium. Tertia autem solùm adstruit possibilitatem Incarnationis, licèt eam clarè explicare non possimus, ita ut debeamus tandem dicere, quòd concedendum sit, Deum aliquid posse, quod nos explicare non possumus; sed inde non sequitur, quòd debeamus concedere, ea posse Deum facere, quorum implicantiæ convincunt.

Objicitur secundò à pari.

Prima paritas est. Si daretur luminosum infinitum, produceret lumen infinitum, itemque si daretur ignis infinitus, produceret infinitum calorem. Ergo & Deus, poterit producere infinitam lucem, neq; enim est minùs potens, quàm lux infinita.

Respondetur. Disparitatem esse, quia posito per impossibile luminoso infinito, hoc ipso ponitur vis necessaria, ad actualem infinitam lucem; Divinâ autem potentiâ positâ, non ponitur potentia ad actuale infinitum, quia in Deo non datur potentia ad impossibile. Illa autem propositio: Deus non est minùs potens, quàm lux infinita, est propositio falsa, quia est de subjecto non supponente: nulla enim datur lux infinita.

Secunda paritas est. Si Deus ab æterno produxisset Angelos, ita ut singulis momentis, singuli producerentur ad hodiernum diem, fuissent infiniti. Ergo etiam & nunc posset producere infinitos Angelos.

Respondetur ex dictis, in materia de creatione habetur, quod ab æterno, successivè tamen, non potuerint produci Angeli.

Tertia paritas. Scientia Dei respicit objectum infinitum, itemq; immensitas. Ergo & omnipotentia.

Respondetur, quo sensu verum est antecedens, eo sensu & consequens: nempe, quod ista omnia terminentur ad infinitum syncategorematicè.

Quarta paritas. Potentia finita potest facere finita in infinitum, v. g. intellectus potest elicere cognitiones finitas in infinitum. Ergo & potentia simpliciter infinita, potest facere simpliciter infinitum: aliàs non esset distinctio, inter potentiam finitam & infinitam.

Respondetur. Negando consequentiam. Quia argumentum multum probat: probat enim, quòd intellectus Divinus, etiam non cognoscibile, debeat noscere, ut ita distinguatur ab intellectu creatu, habente pro objecto omne cognoscibile. Sicut ergo ad distinctionem ab intellectu creato, sufficit modus cognoscendi nobilior, cum latitudine cognoscendi actuali majori, incomparabiliterq; digniori; sic & potentia Divina, sufficienter distinguetur, per modum agendi nobiliorem, & incomparabiliter latiorem.

Quinta paritas est. Si Deus ex necessitate ageret, produxisset infinitum. Ergo etiam multo magis liberè agens, poterit producere infinitū.

Respondeti posset primò. Casu quo Deus ageret ex necessitate, ageret non quidem infinitum, quia hoc est impossibile, sed acturum longè plus, quàm nunc, nec pro sua libertate destiturum fuisse ab agendo. Sic v. g. ignis, est causa necessaria, & tamen vi hujus prædicati, non producit omnem effectum, quem potest producere, sed tota ejus necessitas sita est, nonnisi per ordinem ad hoc, quia positis prærequisitis non habet indifferentiam ad agendum.

Instabis primò. In casu suppositionis, non esset ratio, cur & plus, & plus, non produceret Deus, nec haberet, à quo determinaretur: Ergo cùm plus, & plus, posset sine fine, omnia produceret. Ergo produceret infinita.

Respondetur. Determinandum tunc Deum ab ipsa impossibilitate infiniti, semperq; plus, & plus ageret, nunquam tamen infinitum.

Instabis secundò. Quòd ignis non agat plus & plus, adeoq; non producat infinitum, exinde hoc oritur; quia non habet omnia prærequisita ad agendum, quorum defectus determinat, ne plura agat.

Respondetur. Sicut defectus prærequisitorum, determinat, ne plura agat; ita impossibilitas infiniti determinat, ne producatur infinitum.

Instabis tertiò. Deus omnia potest, & hæc omnia deberet agere, si necessariò ageret, tunc quæro; suntne illa finita, an infinita? Si finita, Ergo possibilia, sunt finita; Si infinita, Ergo cùm casu illo omnia agat, quæ potest agere, produceret infinita.

Respon-

Respondetur. Deum posse producere finita in infinitum, producturumq; tunc Deum finita in infinitum.

Responderi posset secundò, producturum Deum in casu antecedentis infinita, quæ simul non essent infinita: infinita quidem, quia supponitur, probaturq; ab oppositis productio infiniti; non produceret autem infinita, propter rationes, quæ à nobis suprà adlatæ, ita ut esse infiniti probetur per rationes oppositorum, non esse per nostras: ex confluxu autem utriusque partis rationum, consurget probatio contradictionis, esse & non esse, & hoc in similibus aliis de impossibilitate materiis, servari potest.

Objicitur tertiò, unicuiq; potentiæ respondere debet actus adæquatus. Atqui nullus actus finitus adæquatur omnipotentiæ Divinæ. Ergo illi respondere debet infinitus actus.

Respondetur, unicuique potentiæ correspondere debet actus adæquatus proportionatus, non improportionatus; & quia potentia Divina est ad effectum finitum in infinitum, non verò ad infinitum actu, ideò etiam potentiæ Divinæ respondere debet effectus finitus in infinitum.

Instabis. Potest facere quocunque finito majus, illud autem erit infinitum.

Respondetur. Quocunq; finito majus, erit itidem majus finitè in infinitum, sed non infinitum absolutè. Concedo, quòd omnipotentia divina sit infinita dignitate, sed non est infinita vi creandi infinitum, sed vi creandi finitum in infinitum, solùmq; talem effectum, debet posse.

Objicitur quartò. Deus habet potentiam simul creandi omnia. Sed si simul crearet omnia, essent infinita. Ergò Deus habet potentiam creandi infinita.

Respondetur. Deum habere potentiam simul, ex parte potentiæ ad creandum omnia, neque enim successivam habet acquisitionem suæ potentiæ, sed non habet simul, simultate tenente se ex parte effectûs: quasi scilicet, omnia simul, sit possibile ponere, sicut etiam intellectus creatus, ex parte sua, totam simul potentiam habet intelligendi omnia, nec tamen omnia, simul intelligere potest.

Instabis. Quod potest à Deo successivè fieri; potest & simul, nisi essentialiter involvat successionem; sed entia permanentia non involvunt successionem. Ergo.

Respondetur. Entia permanentia sub formalitate permanentium, non involvunt successionem, involvere tamen sub formalitate infiniti.

Objicitur quintò. Omnia entia producibilia, sunt entia realia à Deo cognoscibilia. Ergo & producibilia.

Respondetur. Omnia entia realia finitè in infinitum producibilia, sunt entia realia, sed non producibilia infinitè categorematicè.

Objicitur sextò. Nulla est incompossibilitas, inter partes collectionis infinitorum hominum. Ergo potest collectio hæc poni. Antecedens probatur: quia illa incompossibilitas, vel est ex ratione specifica, vel ex individuali, vel ex ratione infinitatis? sed nulla ex his incompossibilitatibus reperitur in infinito hominum; non ex ratione specifica, aut individuali: aliàs collectio duorum hominum, vel leonis, vel hominis, esset impossibilis: non etiam ex ratione infiniti; quia datur infinitum syncategorematicum.

Respondetur. Oriri implicantiam, ex ratione infiniti categorematici; objectioq; multùm probat, quia probaret, partes æternitatis, posse omnes simul poni.

Objicitur septimò. Deus actu videt numerum hominum, v.g. possibilium, hic, vel est finitus categorematicè, vel infinitus categorematicè? Si finitus categorematicè, Ergo est aliquis determinatus numerus possibilium; Si infinitus categorematicè, Ergo erit possibile infinitum actu: quia quæcunq; implicantia adferri potest, contra infinitum actuale, eadem servit contra infinitum à Deo cognitum.

Respondetur. Quæ adferri possent contra infinitum cognitum, ea inferius discutientur; pro nunc, negatur antecedens, quia datur tertium membrum, nempè finitum in infinitum procedens.

QUÆSTIO III.

De Infinito Syncategorematico.

Dixi infinitum Syncategorematicum esse infinitum, ex quo scilicet accipere semper est, quamvis totum non existat actu: de hoc in præsenti agendum est.

DIFFICULTAS I.

Daturné infinitum Syncategorematicum?

Dicendum est, *Dari infinitum Syncategorematicum.*

Probatur primò. Res possibiles v.g. homines non sunt finiti: Ergo sunt non finiti, sed non sunt non finiti, seu infiniti categorematicè: nam hoc implicare diximus. Ergo sunt infiniti, seu non finiti syncategorematicè.

Probatur secundò. Possibile est infinitum syncategorematicum: nam nulla in illo potest ostendi implicantia. Ergo datur. Probatur consequentia. Quia quando dico, non implicat hoc posse esse, benè infero: Ergo potest esse. Ergo etiam, quando dico, infinitum syncategorematicum non implicat contradictionem, benè infero; Ergo datur: quia dari ipsius, est posse esse, seu in potentia esse.

Pro-

Probatur tertiò. Vel possibilis est æternitas, à parte ante, quàm post, vel non est possibilis? Si non est possibilis, Ergò non datur Deus: quia non datur ens à se ab æterno: quod idem sequeretur, si non esset possibilis æternitas à parte post; quòd si possibiles sunt illæ æternitates, inferam. Ergò possibile est infinitum syncategorematicum: quia æternitas non existit tota simul, & non est quid finitum, si enim est quid finitum, æternitas non est.

Objicitur primò. Implicat infinitum categorematicum. Ergò & syncategorematicum. Consequentia probatur: quia eadem, quæ adferuntur contra infinitum categorematicum, adferri possunt contra syncategorematicum; quod ipsum probatur. Infinitum syncategorematicum hominum, vel est æquale omnibus reliquis possibilibus infinitis, vel non est æquale? Si est æquale? Ergò pars est æqualis toti, redireq; argumentum, quod supra de infinito in communi actum est. Si est inæquale? Ergò clauditur terminis, quâ scilicet parte non coæquatur reliquis possibilibus.

Respondet primò recentior Suar. unum infinitum syncategorematicum, neque esse minus, neque æquale; non enim unum infinitum syncategorematicum cum alio comparabile est. Rationem reddit: quia omnis comparatio est mensura, omnis autem mensura, requirit determinationem determinabilis; si enim determinationem non requirit comparatio, quæram, quid sit plus 20. an plures? cum ergo infinitum syncategorematicum determinatum non sit; accipiuntur enim partes illius indeterminatæ, sine ullo termino, consequenter, nec illic pars est major toto, nec æqualis, nec minor, quia omnes hæ determinationes sunt rerum determinatarum; hinc quando dicitur tot sunt in possibili hominum oculi, quot manus, non est comparatio rigorosa, sed tantùm sensus est, tàm esse indeterminatas, ac incomparabiles oculos & manus. Porrò aliter se habet res circa infinitum categorematicum: nam res determinatur; vel per existentiam, vel per acceptionem extrinsecam, quæ determinatio per existentiam clarè competit infinito categorematico, si detur. Infinitum verò in potentia nec existit, nec concipitur totum, ut infinitum; sed in infinitum. Hanc responsionem aliàs impugnavi, de partibus indeterminatis continui. Cæterùm posset aliquis hanc Responsionem pro præsenti tueri; videturq; esse disparitas de continuo, & de infinito syncategorematico: quia ut dixi immediatè tota entitas divisibilitatis existit, & determinatur per positionem rei, qualem determinationem non habet infinitum syncategorematicum.

Responderi potest secundò, consequenter ad dicta; non esse quidem infinitum possibilium hominum æquale rigorosè infinito possibilium, v. g. capillorum; mensuratio enim est semper, rerum consistentium, & non ulterius procedentium: possibilitas autem nunquam consistit. Sic v. g. si aliquis velit mensurare equi cursum, nunquam posset dicere tantus est, si semper equus mensuram se subsequentem, præcedat. Sic etiã in possibilibus, cùm non consistant, sed natura ipsorum sit ulteriùs & ulteriùs extendi, mensurari propriè nõ possunt. Cujus ratio est, quia infinitũ syncategorematicum, quomodocunq; accipias, semper plus & plus dicit: si enim plus & plus non diceret, non esset infinitum syncategorematicum; quia hoc essentialiter potentialitatem purificabilitatis, semper & semper importat. Nihilominus hoc infinitum syncategorematicum, dici potest minùs propriè æquale; in quantum scilicet intellectus, in consideratione unius, procedit ad considerationem alĩus, cum aliqua comparatione. Dico itaq; unum infinitum possibile hominum, esse æquale minùs rigorosè reliquis, ut dixi supra. Quare autem possit dici, æquale unum possibile alteri, & non possit dici æquale unum infinitum, reliquis infinitis, dictum supra: quia scilicet, sicut unius, ita & omnium possibilium, eadem radix, & fons inconsummabilitatis, nempe omnipotentia Dei, & non implicantia contradictionis; jam autem quorumcunque infinitorum comparatorum ad aliud, radix multitudinis tantæ vel tantæ, est ipsa entitas, quæ supponitur à parte rei producta, quâ sublatâ, jam nihil restat, quod vices ejus suppleat, sicut quâcunq; sublatione, comparatione &c. factà circa possibilium infinitatem, manet idem omne possibile. Quod ita explicatur:

Imaginare, poni à Deo infinitum aliquod, & ex altera parte poni 10. infinita; tunc si acceptis millenariis, & assignatis alicui individuo ex illis 10. infinitis, si inquam extemplò Deus suppleat productionem illius infiniti millenarii accepti, eo casu, unum infinitum, æquare posset 10. infinita, eò quòd semper in eadem plenitudine maneret illud uniter infinitum; cùm ergò acceptis quibuscunque possibilibus individuis hominum, maneat in eadem plenitudine ratio possibilis, hinc fit, ut ratio possibilis unius, possit comparari reliquis possibilibus: quod enim faceret in illo uniter infinito, suppletio facta numeri accepti, per productionem factam à Deo, alĩus numeri æqualis accepto; hoc facit, ipsa non implicantia contradictionis, respectivè ad omnipotentiam Dei accepta, ut possibilitatem rerum, in eadem semper plenitudine teneat. Nec inde sequetur, partem esse æqualem toti: nam unum possibile respectu aliorum, non habet rationem verè partis, sed potius totius, potest autem benè unum totum, esse æquale alteri, & pluribus totis, quando plura rota, eandem rationem magnitudinis, idemq; principium & rationem formalem tantitatis habent. Et certè il-

lud

lud pars est, quod toties multiplicatum & computatum æquat totum, & sine hac multiplicatione non æquat; sic v. g. binarii infiniti pars, sunt unitates infinitæ, quæ iteratò semel multiplicatæ & computatæ, adæquant, conficiuntq; binarium infinitum: jam autem infinitum possibilium hominum, non est necesse toties & toties multiplicari, ut æquivaleat omnibus reliquis possibilibus; æquivalet enim ex titulo ejusdem fontis multiplicabilitatis, & progressûs. Possunt tamen dici pars abusivè; quia scilicet, alia est connexio prædicatorum hominis, alia connexio prædicatorum leonis, quamvis tantitatis eadem sit radix; fons, & ratio formalis. Porrò fieri potest, ut ea, quorum tantitatis eadem est radix, sint talia, ut unum æquivaleat pluribus, & plures uni, sic v. g. non est magis homo unus Petrus, quàm Petrus, Paulus & Andreas, quia rationem hominis, ab eodem principio participant. Rursùs una Persona Divina, æquivalet reliquis, & reliquæ uni; quia idem est principium, radix æquivalentiæ, nempe Divina natura.

Objicitur secundò. Si datur infinitum syncategorematicum, etiam formæ possibiles, erunt infinitæ syncategorematicè; si formæ possibiles sunt infinitæ syncategorematicè; deberet dari actu infinitum: quia quot sunt formæ infinitæ syncategorematicè, tot sunt negationes formarum actu in materia. Ergo si formæ sunt infinitæ in potentia, negationes illarum erunt infinitæ actu.

Respondetur. Negationes illas formarum, duo dicere, unum in recto, & hoc est ipsa entitas materiæ, & aliud in obliquo, hoc est formas connotatas, quæ ipsæ cum sint non nisi in potentia, infinitæ negationes, etiam erunt infinitæ in potentia. Addo, sicut esse negationum, est non esse, ita esse infinitum negationum, est non esse, ita esse infinitum negationum, est non esse infinitum. Rursùs, cùm non dentur negationes negationis, sed fundentur in ipso Ente, quod negant; hinc & actualitas negationum, fundatur in Ente, quod negatur; & quia Ens, quod negatur, non est infinitum actu, ideo & negationes illæ non erunt infinitæ actu, sed sequentur conditionem Entium quæ negant. Vide Metaph. in materia de negationibus.

Objicitur tertiò. Quod essentialiter est in potentia, non est infinitum; Syncategorematicum infinitum, est essentialiter in potentia; Ergo non est infinitum.

Respondetur. Quod essentialiter est in potentia, non est actu, sed est tamen in potentia; quod solum esse, competere debet infinito Syncategorematico.

DIFFICULTAS II.

De speciebus infiniti Syncategorematici.

Duo in præsenti maximè inquirenda sunt; primò an res possibiles sint finitæ, an infinitæ; secundò, an in productione tàm perfectorum, quàm imperfectorum, procedere sit semper in infinitum; ita, ut nunquam devenire sit ad perfectissimam, & imperfectissimam creaturam.

Dicendum est primò. *Non apparere implicantiam* (quæ procedat per locum positivum) *in Creatura, quæ non sit in infinitum multiplicabilis.* Quę enim illa? de hac materia, translata sunt notabiliora ad primam partem, ubi de Angelorum multiplicabilitate. Videantur ibi dicta.

Dicendum est secundò. *Possibilia plusquàm semel multiplicabilia, esse in infinitum multiplicabilia*; ita post alios Ovied: hic pan. 3.

Probari solet primò. Quòd Vicleffius à Concil. Constantiensi damnatus, docuerit, Deum non posse creaturas, ultra determinatum numerum, producere.

Respondetur. Docuisse quidem hoc Vicleffium, in Concil. Constantiensi, tamen non reperiri damnationem hujus puncti; sed tantùm reperiri, inter puncta, à Colonienſi Facultate, Concilio proposita ad damnandum, si videretur Concilio.

Probari solet secundò. Ponamus positum illum numerum creaturarum, vel potest adhuc, vel unam supra, Deus ponere creaturam, vel non potest? Si potest, Ergo apparet numerum creaturarum jam positarum, non fuisse completum, positâq; illâ Creaturâ unâ supra numerum, quæram; an adhuc aliam possit producere, si non potest, cur potuit priorem, & quidem ultra numerum possibilium producere. Ergo ulteriùs, prior ille numerus, non fuit determinans possibilitatem creaturarum: quòd si non potest, quæ in hoc implicantia?

Respondebis primò. Sicut ultra possibiles infinitas creaturas, non est possibilis alia, ita nec ultra possibiles illas determinatas, possibilis est alia.

Contra. Quia possibilitas creaturarum infinita, est possibilitas in infinitum nunquam consistens, nunquam determinata; hinc quamcunque possibilem creaturam complectens, adeoq; etiam eam, de qua retorques argumentum. Sed, per oppositos, non quemcunq; tandem numerum creaturarum, determinatus ille numerus comprehendit.

Respondet secundò Ovied. Quòd posito numero determinato creaturarum, non tenearis rationem reddere, cur hæ potius, quàm illæ sint possibiles, sed quòd tantùm infinitæ, non sint possibiles.

Contra: quia non potes ostendere, cur infinitæ sint impossibiles. Ergo ostendere debes, cur hæc sit impossibilis.

Responderi posset tertiò. Implicaturam illam creaturam, quia & esset posſibilis, ut supponitur, & non esset posſibilis, quia ultra numerum determinatum posſibilium esset; ita ut

si illa creatura, foret possibilis, deberet jam posse ìncludi, in illo numero determinato.

CONTRA hanc responsionem, ut agatur. *Hinc*

PROBATUR tertiò Conclusio, rejectione oneris, ad ostendendam implicantiam. Non implicat contradictionem, creaturam positam, pluries plurificari in infinitum, nec repugnat, ut pluries posita, non determinetur ad certum numerum; & si hanc determinationem pro contradictione attuleris, hæc ipsa negabitur. De quo modo retorsionis, alibi etiam agitur.

CONFIRMATUR: Quia videtur hoc magis exaltare omnipotentiam Divinam, ejus efficacitatem non restringendo in talibus: & ex alia parte manet idem principium multiplicandi, nempè, non repugnantia contradictionis, in connexione prædicatorum essentialium, videturque hoc pro principio assumi posse, quod semel non implicat, nunquam implicat.

OBJICITUR. Non apparet repugnantia implicantiæ, in creatura essentialiter immultiplicabili. Ergo nec apparebit in creatura determinatè multiplicabili.

RESPONDETUR. Cùm pro Antecedente, stet auctoritas totius Scholæ Thomisticæ, benè defendi potest, saltem sub his terminis, quòd impossibilitas talis creaturæ, nulla appareat per locum positivum. Sed quia consequens, à nulla schola universaliter docetur; quamvis etiam illius, nulla posset per locum positivum, implicantia ostendi: hinc fit, ut retorsione oneris implicantiæ ostendendæ, uti possimus. Deinde, si semel appareat, rem non excludere sui plurificationem, à pari arguendo, benè inferetur etiam ulteriùs, illam plurificari posse: & sicut, qui potest pronuntiare A & B, benè arguitur posse pronuntiare Ab; quod de illo non argueretur, si ipsum A. B. pronuntiare non posset: ita si pluries multiplicari potest creatura, benè arguetur etiam multiplicabilem esse. Quanquam sufficiet eâdem methodo, hanc etiam conclusionem tueri, quòd scilicet, nullum sit positivum fundamentum, pro possibilitate talis creaturæ.

INSTABIS: Omnis multitudo finita, potest successivè percurri: Ergo si incipiamus annumerare omnes creaturas possibiles, perveniemus ad numerum quendam, ultra quem procedere non possemus: tunc quæro, si addamus illi multitudini, ultra quam procedere non possimus, unam creaturam, illa anterior multitudo erit finita, & non erit finita; erit finita, quia unum additum numero finito, non potest facere infinitum: non erit finita, quia illa multitudo, cui hæc unitas additur, erat multitudo omnes finitos numeros includens, seu maximum finitorum.

RESPONDETUR. Multitudinem finitam simpliciter posse successivè percurri, secus multitudinem finitam, in infinitum procedentem, in qua etiam multitudine, non erit necesse veniri ad numerum maximum finitorum, præcipuè cùm ex dictis supra medium ad infinitum, non sit præhabere numerum maximum finitorum. Immò hoc argumentum multùm probat; probat enim etiam in æternitate à parte post, deveniri posse ad numerum temporum, maximum finitorum.

DICENDUM tertiò. *Quòd sit procedere in infinitum in creaturis perfectioribus producendis, seu quòd non posset perveniri, unquam ad perfectissimam.*

PROBAT primò Fassolus: quælibet creatura quantumvis perfecta supponatur, infinitè adhuc distat à Deo. Ergo adhuc poterit dare media inter illam & Deum.

RESPONDETUR, Negando consequentiam, quia quamvis illa creatura foret finita, si perfectissima est, illâ perfectior dari non potest, tu autem aliunde impossibilitatem talis creaturæ non ostendis. Præcisa etiam ratio finiti, quà talis, non semper patitur additionem; unum enim est maximè finitum, & tamen additionem in ratione unius, pati non potest, hoc ipso enim, non esset unum.

PROBAT secundò, recentior Suar: Repugnat supponere, quòd id repugnet, quod non repugnat: non repugnat autem quâlibet creaturâ perfectior.

RESPONDERI potest, retorquendo argumentum; repugnat supponere id repugnare, quod non repugnat: non repugnat autem creatura perfectissima.

PROBATUR tertiò per principium negativum, non potest ostendi clara implicantia, quòd perfectio creaturarum, non sit in infinitum augmentabilis, ex altera parte quamvis non posset ostendi implicantia, magis dignificabit omnipotentiam Divinam, si scilicet dicatur, hâc ipsâ, quam tu appellas, perfectissimâ creaturâ, posse aliam perfectiorem dari; tenentq; hoc P.P. nominatim Dionys. cap. 4. de Divinis nominibus, quam auctoritatem vide apud Ovied. hîc & recentiorem Suar:

RESPONDEBIS, magis per oppositos dignificari omnipotentiam Dei, quia concedunt, Deum aliquid facere posse, quod negamus nos, scilicet perfectissimam creaturam: Sicut major est dignitas Regis, quòd possit facere Principem, cæteros omnes excellentem, se solo excepto.

CONTRA, appellemus hanc creaturam A, dicimus nos hanc ipsam, posse Deum producere, sed ita, ut illâ excellentiorem posset adhuc producere, quod negant oppositi, magis ergo per nos dignificatur omnipotentia: Et sicut, si Præfectus aulæ alicujus Palatini, sit nonnisi gregarius servus Regis, magis per hoc dignificabitur Rex

Rex; ita major erit dignitas Dei, si hæc creatura, quam tu ponis perfectissimam, nec dum sit primum locum in aula Dei occupans: majorq; esset dignitas Principis, si semper digniorem, & digniorem possit facere, nunquam tamen æquantem sunt decora.

Confirmatur à pari: Non est possibilis numerus maximus finitorum. Ergo neque est possibilis species maxima perfecta, & si non esset possibilis numerus numerans, quo non sit dabilis major, ita nec erit possibilis creatura, quâ non possit dari major. Et si non potest per Pontium, dari processus in infinitum, in speciebus dicentibus ordinem ad alias species, cur non & omnes talem ordinem dicent, vel si non dicent, cur etiam æquè non erunt multiplicabiles? Et certè non potest ostendi, quis sit ordo, tria ad unum, & tamen numerus numerans in infinitum produci potest; ita quamvis non ostenderetur unius creaturæ ad aliam ordo, si multiplicetur semel, potest in infinitum multiplicari: ita ut non perveniatur ad perfectissimam. Item non est possibile infinitum. Ergo neq; perfectissima creatura, quod ipsum sic proponitur. Implicat creatura infinitæ perfectionis in essentia, condistincta per hoc solùm à Deo, quòd sit producta in sua essentia. Ergo erit impossibilis etiam perfectissima creatura, quidquid enim repugnantiæ in antecedenti est, idem valet pro consequenti.

Solutio Objectionum.

Objicit primò Arriag. Non implicat creatura perfectissima. Ergo est dabilis.

Respondetur, retorsione oneris, ad ostendendam implicantiam, cur scilicet implicet quâcunque positâ perfectâ creaturâ, dari perfectiorem, & quia paritates adlatæ contra sententiam cæteroqui auctoritate non munitam, benè tenent. Hinc hoc argumentum utrique parti servit.

Objicit secundò idem. Sumatur tota collectio creaturarum, in hac, non omnes exceduntur à creaturis. Ergo aliqua est, quæ non exceditur, adeoq; est suprema. Antec. probatur, repugnat omnes creaturas produci à creaturis, nisi detur mutua productio, devenireque erit ad aliquam creaturam non productam ab alia. Ergo etiam in perfectione devenire erit ad unam, quæ non excedatur ab aliis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia nisi deveniatur ad unam creaturam immediatè productam à Deo, necessariò dici debet, quòd creatura producta producatur ab alia à se producta, quod est absurdum; jam verò si non deveniatur ad unam, quæ sit omnium perfectissima, non erit necesse, ut excedatur ab ea, quam excesserat, cur enim hoc deberet fieri? Rursùs si non deveniatur ad creaturam productam à Deo, nulla erit necessitas Dei creatoris, quod absurdum est, & tamen illud non sequetur, negatâ creaturâ perfectissimâ.

Instat idem. In collectione omnium possibilium, non omnes species exceduntur. Ergo aliqua est, quæ non exceditur, adeoq; est suprema. Antec. probatur: quia si omnes exceduntur, sequeretur plures esse, quæ exceduntur, quàm quæ excedunt; & non esse plures: quod ipsum próh. Quia v.g. accipiendo collectionem possibilium, in qua incipiatur ab homine, tunc in illa collectione, species omnes excedunt hominem, & homo nullam excedit speciem illius collectionis. Ergo species quæ excedunt, sunt plures unâ v.g. specie, præ illis quæ exceduntur, quòd etiam non essent plures excedentes, probat, quia quælibet, quæ excedit, debet per nos habere unam, quæ illam ipsam excedat.

Respondetur. Nulla species ita est imperfecta, ut non habeat imperfectiorem se, consequenter nulla ita exceditur, quin excedat.

Objicitur tertiò, in tota collectione creaturarum, est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis esse potest, ultra enim possibilia, nihil est possibile, adeoq; quod vicinitatem & participationem perfectionis Divinæ habere possit. Sed hæc vicinitas summa non reperitur in omnibus, excedunt enim se species sicut numeri: Ergo debet esse in una, quæ est, illa, quam intendit argumentum, perfectissima creatura.

Respondetur. In collectione tota creaturarum, esse summam perfectionem, sed summitate syncategorematicâ, non verò summitate categorematicâ. Sicut enim ipsa possibilitas procedit in infinitum, neque ullo finito terminabilis est, ita nec terminabilis est ullâ certâ ad Deum vicinitate. Addit Ovied. esse summam vicinitatem in tota collectione, non autem in ulla distributivè accepta creatura.

Instabis primò, Deus incipiendo v. g. ab homine, cognovit speciem quæ illum excedat: Rursùs illam speciem, à qua exceditur illa species, & quia Divina cognitio, uno intuitu cognoscit creaturas, quæ excedunt & exceduntur. Ergo pergendo uno ictu sursum, tandem venit ad unam quæ à nulla exceditur, & quæ ipsi Deo immediatior erit, & hæc erit illa perfectissima.

Respondetur. Uno ictu sursum nunquam deveniri ad creaturam, quæ à nulla excedatur, unde Divina illa cognitio, ita est exprimibilis, singula ex possibilibus cognosco, ita tamen, ut nullus sit illorum terminus, de quo mox plenius.

Instabis secundò. Potest Deus producere creaturam summè perfectam, quam potest, quæ est propositio identica; producat ergo illam, quo posito vel erit illa perfectissima, vel non? Si erit perfectissima, Ergo habetur intentum: Si non erit perfectissima, Ergo non erit summè perfecta, ut supponebatur.

Respondetur, imprimis invertendo argumentum. Potest Deus producere chimæram, quam potest producere, quæ propositio est identica, quo posito, quæro vel illa creatura erit chimæra, vel non: Si erit? Ergo chimæram potest producere, Si non erit? Ergo non erit illud quod supponimus produci: sicut ergo retorsioni debet negari subjectum primæ propositionis, ita & in præsenti negari debet, posse dari summè perfectam creaturam. Propositio autem identica est vera, vel in sensu absoluto, cùm procedit legitimè, ut cùm dico: Petrus est hic homo, vel in sensu conditionato, & ita, cum dico, chimæra producibilis, est producibilis; redditur iste sensus: chimæra si esset producibilis, esset producibilis, sed inde ejus producibilitas non colligitur: quia conditio, nihil ponit in rebus.

Objicit quartò Pontius. Si essent possibiles species infinitæ, possent produci à parte rei simul; potest enim etiam infinitum specierum produci, & tunc una ex illis necessariò haberet excessum supra cæteras, quæ ipsa creatura, cùm non possit esse infinitæ perfectionis, deberet esse finitæ.

Respondetur, implicare à parte rei positionem infiniti specierum, consequenter implicare speciem habentem excessum supra cæteras; consequenter etiam negatur, posse assignari speciem conditionis specialis, quæ scilicet ita excedat, ut à nulla specie excedi possit.

Objicit quintò idem. Implicat infinitus numerus specierum, diversæ perfectionis essentialis: quia in tota illa collectione omnium illarum, daretur infinitas perfectionis essentialis: quæ soli Deo est propria, ex qua propositione inferri ad propositum debet: Ergò si non datur infinitus numerus specierum, diversæ perfectionis essentialis, debet deveniri ad speciem perfectam.

Respondetur. Dari infinitatem extensivæ perfectionis, idq; infinitatem syncategorematicam: nam extensivè & quoad numerum infinitæ sunt species, sed non fore infinitatem intensivam, & categorematicam, quæ soli Deo competit. Si datur infinitas extensivæ perfectionis, non erit necesse dari perfectissimam speciem creaturæ, & tamen finitam.

DIFFICULTAS III.

De infinito Syncategorematico, prout est in mente DEI.

Difficultas est in hoc; quomodo Deus cognoscat infinitum Syncategorematicum; an scilicet in mente Dei sit Categorematicum.

Dicendum est: *Infinitum Syncategorematicum, in mente Dei non esse Categorematicum.*

Probatur primò communiter. Deus res ita cognoscit, sicut sunt in se; Ergo & infinitum syncategorematicum, non cognoscit, ut categorematicum, cùm in se non sit categorematicum: aliàs nosceret res difformiter objecto.

Probatur secundò. Independenter à cognitione Dei, infinitum syncategorematicum non extrahitur ad categoresim; Ergo nec extrahetur cognitione Dei: quia cognitio Dei nullum prædicatum aufert objecto, exceptâ negatione cogniti, nec adfert nisi denominationes de linea noscendi, ratio autē categorematici vel syncategorematici, non est de linea noscendi.

Probatur tertiò. Infinitum categorematicum, non est in mente Dei syncategorematicum, Ergo nec infinitum syncategorematicum, est in mente Dei categorematicum. Prob: consequentia. Tum quia: sicut unum non potest esse aliud, ita nec unum cognosci, sicut aliud. Tum quia non magis distat infinitum categorematicum à syncategorematico, quàm syncategorematicum à categorematico; id enim, quod essentialiter non nisi in actu est, ab eo quod essentialiter nonnisi in potentia est, æqualem distantiam importat. Ergo si ob distantiam prioris, nō potest illud fieri cognosciq; ut posterius, nec posterius poterit fieri cognosciq; ut prius. Tum quia positâ cognitione Divinâ, de infinito syncategorematico, vel dicit adhuc cognitio Dei; est hoc infinitum in potentia, vel non dicit? Si dicit? Ergo cognoscitur ut syncategorematicum; Si non dicit? Ergo illud, quod cognoscebatur, non est infinitum syncategorematicum, & sicut si non cognosceretur Petrus, hic homo, non cognosceretur Petrus; ita si cognoscendo infinitum syncategorematicum, non cognosceretur infinitum in potentia, non cognosceretur infinitum syncategorematicum.

Objicitur primò. Quando exhauritur tota potentialitas infiniti syncategorematici, desinit esse infinitum syncategorematicum: sed in mente Dei exhauritur tota potentialitas infiniti syncategorematici. Ergo infinitum syncategorematicum, desinit esse tale in mente Dei. Minor probatur: Exhauriri potentialitatem infiniti syncategorematici per cognitionem Divinam, est illam actu cognosci; sed cognoscitur actu. Ergo.

Respondetur. Si actualitas teneat se, nonnisi ex parte cognitionis actu, & non potentiâ cognoscentis, per hoc non exhauritur potentialitas infiniti syncategorematici, sed potentialitas adnosci; sed si actualitas teneat se ex parte objecti, per hanc exhauritur potentialitas infiniti; sed nego intervenire talem actualitatem, quòd enim Objectum, essentialiter est in potentia, si secundùm suam essentiam attingatur, erit semper in potentia. Per quod etiam responderi debet, quando urgetur, quòd sit simul totum infinitum, in mente Dei, est enim simul, simultate notitiæ, non objecti.

Instabis primò. Nihil deest, quominùs infinitum syncategorematicum cognoscatur à Deo,

Deo, ut categorematicum ; & modus cognoscendi, quem habet Deus de illo, est idem planè, ac quem habet de infinito categorematico.

Respondetur. Deesse connexionem prædicatorum debitam infinito categorematico modusq; cognoscendi, tenens se à parte cognitionis, utrobique actualitatem importat, sed non modus tenens se à parte objecti.

Aliâ Methodo eidem medio termino satisfieri potest: quòd scilicet ita cognoscat Deus infinitum categorematicum, ut non tantùm singula illius individua cognoscat, dicendo; Nullum est individuum, quod ex hoc infinito non cognoscam, sed etiam attingit totam determinando collectionem dicendoq;. Hæc est tota collectio infiniti categorematici: Supposito, quòd notitia infiniti categorematici, non sit notitia Entis rationis. Jam autem infinitum syncategorematicum, ita noscit, ut singula ejus individua attingat; sed non determinando: Hæc est tota collectio infiniti syncategorematici; quia quod ex vi essentiæ suæ, non determinari, sed semper ulterius & ulterius procedere natum est, illud non potest determinari; ut dicatur, hæc est tota collectio infiniti syncategorematici.

Instabis secundò. De iis, quæ singula distributivè accepta cognoscit Deus, in infinito syncategorematico, potest Deus dicere; nihil est plus in infinito syncategorematico, nisi hæc quæ cognosco. E. potest dicere, etiã illud aliud. Hæc est tota collectio infiniti syncategorematici.

Respondetur. Negatur Conseq: Ratio: quia prioris illius propositionis sensus est; nulla est pars incognita à Deo; per hanc autem non destruitur potentialitas infiniti, seu esse in infinitum, si autem verum esset consequens, destrueretur jam potentialitas & processus in infinitum.

Instabis tertiò. Infinitum syncategorematicum est, quod est partim actu, partim potentiâ, in mente autem Dei, est tantùm actu.

Respondetur. Quòd in mente Dei, quoad exclusionem potentialitatis ad cognosci sit tantùm actu, sed non quoad exclusionem potentialitatis in objecto, seu quoad esse, semper in infinitum.

Objiciuntur secundò quædam Dialectica.

Primum. Falsa est hæc particularis, aliquas infiniti Syncategorematici partes non videt Deus. Ergo vera est hæc; omnes videt: sunt enim hæ propositiones contradictoriæ.

Respondetur distinguendo. Ergo omnes videt omnitate excludente potentialitatem ad cognosci: Conced: omnitate excludente in objecto potentialitatem ad esse ultra, ad esse in infinitum. Neg: Et licèt quando falsa est contradictoria, sine distinctione: debet esse altera vera sine distinctione: id tamen tunc fit, quando in altera non manet ambiguitas mutatæ suppositionis, quòd hic contingit; nam in particulari, sensus tantùm erat, quamcunque distributivè agnosci, quamvis semper procedatur in infinitum, & tamen hunc processum in infinitum, videtur ly: Omnes, tollere.

Secundum. Nulla pars datur, quam Deus non cognoscat. Ergo omnem partem cognoscit; sunt enim hæ propositiones æquipollentes.

Respondetur; quòd omnem partem cognoscat, omnitate excludente potentialitatem ad cognosci; sed non omnitate excludente potentialitatem ad esse in infinitum.

Tertium. Cognoscit Deus omnes partes distributivè. Ergò & omnes collectivè: quia pro præsenti, à distributivo ad collectivum tenet consequentia.

Respondetur à distributivo ad collectivum tenere consequentiam, quando etiam in collectivo non latet ambiguitas; latet autem in præsenti; quia si sensus sit hujus partis, omnes collectivè partes cognoscuntur, omnitate tenente se ad exclusionem potentialitatis ad cognosci, vera est; si autem sit res de omnitate excludente potentialitatem ad esse in infinitum, falsa erit, nec in hoc sensu, processit altera propositio.

Objicitur tertiò. Multitudo v. g. quam Deus cognoscit possibilium hominum, non est actu finita. Ergo est actu infinita. Ergo infinita categorematicè.

Respondetur. Multitudinem possibilium, non esse actu finitam simpliciter, esse tamen actu finitam in infinitum, seu eam esse in potentia ad ultra; sed inde non sequitur, illam jam esse actu infinitam. Deinde finito actu, non opponitur contradictoriè infinitum actu, sed contrariè, contradictoriè autem opponitur non finitum actu, jam autem etiam infinito syncategorematico, convenit esse non finitum actu.

Instabis primò. Si per possibile, vel impossibile daretur infinitum categorematicum, æquè non esset exhauribile, ac infinitum syncategorematicum; & ex altera parte, infinitum syncategorematicum, tàm est infinitum actu quoad cognosci; quàm categorematicum est actu, quoad esse.

Respondetur. Primam partem esse falsam, quia infinitum categorematicum si daretur, esset exhauribile per mensuras infinitas; infinitum autem syncategorematicum non est exhauribile, etiam per mensuras infinitas; quia non determinat sibi certam infinitatem, infinitum syncategorematicum; sed solùm semper est ultra, & ultra, semperq; est in infinitum: licèt etiam hoc verum esset de infinito categorematico, si omnem possibilem, in illo genere, perfectionem importaret. Quando autem comparatur inter se actualitas, utriusque infiniti, nulla infinito syncategorematico concedenda actualitas, nisi excludens potentialitatem ad cognosci, sed non admittenda actualitas, excludens potentialitatem ad esse ultra, ad esse in infinitum.

Instabis secundò. Accipiamus totum infinitum syncategorematicum, vel illud dicit aliquid ultra se, vel non dicit? Si non dicit, Ergo & in mente Dei non dicit. Ergo in mente Dei est determinatum; Si dicit? Ergo aliquid est, quod ultra se est.

Respondetur. Infinitum quidem syncategorematicum, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen esse, ultra quamlibet finitudinem, unde etiam in mente Dei, non dicit aliquid ultra se; dicit tamen, ut sit semper ultra; ad eum modum, quo ipsum ultra, non dicit ultra, quod sit ultra, dicit tamen esse ultra, adeoque esse sine ulla determinatione.

Instabis tertiò. Si infinitum syncategorematicum, à Deo secundùm omnes partes, distributivè acceptas cognitum, seu prout est in mente Dei à parte rei poneretur; esse infinitum actu. Ergo & in mente Dei, est infinitum actu. Ergo est infinitum categorematicum. Antecedens prob: quia ita positum infinitum, nihil potentialitatis haberet, planè ac nihil potentialitatis habet in mente Dei.

Respondetur. Neg. Antecedens. Sicut enim in mente Dei, est syncategorematicum, ita etsi prout est in mente Dei poneretur, syncategorematicum esset; & licèt ita positum infinitum, nihil potentialitatis habeat ad noſci, habet tamen potentialitatem objectivam, & respondentem illi notitiæ, incluſamq; in ipso esse; & tamen secundùm illud esse, poni deberet; præcipuè cùm positio rei, debet esse similis sibi cognitæ, non autem cognitioni, cujus solius actualitas supponitur.

Addo. Posse fieri hîc Quæstionem, & de re, & de voce; de voce erit Quæstio, si ex eo, quia nihil est, quod non cognoscat Deus, in infinito syncategorematico, inferas, dici illud debere categorematicum in notitia, & tunc in re verum dices, licèt malù phrasi id exprimas: De re autem erit Quæstio, si in ipso objecto, nullam potentialitatem agnoscas, relucentem in illa notitia, quamvis tenentem se, nonnisi à parte objecti, negamus enim illam potentiam non relucere in illo objecto.

DE ALIIS PROPRIETATIBUS CORPORIS.

Agemus imprimis de Motu, & eius Termino, seu Vbi, tùm de Duratione. Et licèt hæ proprietates, non sint proprie soli, conveniunt tamen etiam corpori.

DISPUTATIO XII.

De Motu.

Primò quidem agemus de Motu in communi: postea de eodem in particulari; ac denique de inceptione & desitione motus.

Quæres primò. *Quid sit motus in communi?*

Respondet Aristoteles 3. Phys. textu 6. & 11. *Motum esse actum entis in potentia, prout in potentia.* Dicitur *actus*, sumendo ly actus, non pro solo actu perfecto, qui convenit formis, ad quas datur motus, suntq; ipse terminus motus; sed sumitur ly Actus, pro solo actu imperfecto, & medio ad terminum, qualis motus est calefactio ad calorem: ne autem æquè latè pateat definitum ac definitivum genus, debet ly actus sumi, prout est quid commune, ad actum perfectum, & imperfectum; ut ita ly actus latiùs pateat, præ ipso motu. Dicitur *actus entis*, ly ens sumendo, non transcendentaliter, sed participaliter; id est existentis subjecti. Cæterùm hæc prioritas existentiæ, sufficiet ut sit prioritas, non temporis, sed naturæ, & sic si sol ab æterno profudisset lumen, ille fuisset motus, licèt subjectum non antecessisset tempore, sed naturâ. Dicitur *entis in potentia prout in potentia*, ut significetur, quòd adveniat enti, in pura potentia ad terminum habendum, existenti; & formæ accessu, jam est in actu terminus, non verò in potentia prout potentia ad illam formam. Inferes, si Cœli, quamvis ab æterno moverentur, motui illorum conveniret hæc definitio, quia sufficit, ut diximus, prioritas naturæ: & quia fuissent, & nunc sunt in potentia, respectu illius distantiæ, quàm ratione partium successivè motarum acquirit cœlum. Convenit item motibus violentis: quia ly in potentia, sumitur pro sola capacitate connotante negationẽ actus, sive illa sit capacitas, pro forma appetita, tanquam bono subjecti, sive sit illa capacitas innaturalis. Et quia ratione eorũ, quæ jam acquiruntur per motum, non est actus entis in potentia, prout in potentia, sed actus entis in actu:

in actu: inde quando successivè fit motus, ad aliquas formas, respectu illarum partium, quæ sunt acquirendæ, est motus, non verò respectu, jam acquisitarum. Ubi ulteriùs vides, ly *in potentia prout in potentia*, importare terminum à quo; quando autem dicitur esse *actus entis*, importatur terminus ad quem.

Quæres secundò, *Quid motus superaddat actioni & passioni?*

Respondetur. Hæc in re idem esse, sed tantũ superadditur ly in potentia, prout in potentia, qui termini jam supra explicati. Ratio, quia nulla est necessitas, hæc cõdistinguendi, & quia aliàs, si motus esset quid distinctum ab his, daretur motus ad motum.

Quæres tertiò, *ad quæ prædicamenta detur motus?*

Censet Aristoteles ad tria prædicamenta, rigorosè loquendo, dari motum, hoc est ad quantitatem, qui motus vocatur accretio; ad qualitatem, qui vocatur alteratio; & ad ubi, qui motus vocatur latio. Sed datur ne motus ad substantiam? affirmat Arriag: negat Aristoteles 5. Physic: textu 18. & 11. quia motus debet esse à contrario ad contrarium, partes autem substantiæ, quæ aggeneratione acquiruntur, non sunt à contrario ad contrarium, quæ etiam contrarietas in accretione reperitur: quia una pars quantitatis expellit aliam, in aggeneratione autem, una pars substantialis, per se non expellit aliam. Item non datur motus ad Relationem, quia hæc non acquiritur per se, sed per accidens; non datur ad actionem, & passionem: quia illis identificatur. Non ad Situm, Quando, Habere; quia hæc sequuntur per accidens motum, in aliud prædicamentum, & non acquiruntur ut termini per se: ita enim Situs, acquiritur ad ubi; Quando ad motum cœlorum, Habitus ad motum localem vestiti & vestis. De specificatione motuum & individuatione agitur alibi, ubi scilicet de actionis specificatione.

QUÆSTIO I.

De Motu Locali, ut sic.

Ex dictis immediatè, conficitur hæc *definitio Motus localis, quod sit actus entis in potentiâ ad locum, prout in potentia.* Positâ hâc definitione primò controvertendum venit; an motus localis importet modalem entitatem, vel non; & quia procedere potest, vel de motu locali per se, ut cum homo, vel Angelus ipse se movet; vel de motu per accidens, ut cum acquiritur novus locus, per exercitium loco motivæ alicujus aliûs, ut sit homo vehatur in navi, vel si moveatur Dæmon in corpore energumeni, *hinc sit*

DIFFICULTAS I.

Motus per se localis, potestne salvari sine modalitate?

Dicendum est primò. *Sine modali entitate, non posse salvari motum per se.*

Probari solet primò. Quia, si motus non importaret entitatem superadditam, esset ipsum mobile cum aliquibus circumstantiis; sed hoc non, quia mobile debet efficere motum localẽ, Ergo motus localis non est ipsum mobile: aliàs seipsum efficeret, Antecedens probatur usu communi loquendi.

Responderi posset, motum effici actione non productivâ, sed adductivâ: idem autem seipsum adducere potest.

Probari solet secundò. Si motus non esset quid superadditum, non moveretur mobile, nec mutaretur per motum, sed mutatur. Ergo. Seq: Prob: quia nihil mutari dicitur, nisi secundùm acquisitionem intrinsecam, alicujus entitatis de novo; & certè, si ad mutationem non esset necesse acquirere extrinsecè, aliquam de novo entitatem, DEUS cum hodiè desinit esse præsens animali cui erat heri præsens, eò quòd hodiè sit mortuum, diceretur propterea immutari.

Responderi potest: quòd mobile per motum moveatur, & mutetur extrinsecè, & ratione connotatorum; quia scilicet, ea connotata non habet mobile ante motum, quæ habet in motu, & sicut sufficit ad denominationem Patris, mutatio in extrinseco connotato, ita & in præsenti; consequenter dicetur hæc mutatio, esse ratione extrinseci.

Probari solet tertiò. Motus localis ex ratione localis, est actus, si actus est: Ergo debet actuare, debet recipi; si debet recipi, debet esse quid condistinctum, nihil enim recipit seipsum.

Responderi potest. Motum esse actum non entitativum, sed formalem, recipiq́ue per modũ formalitatis.

Probat quartò Amic: disp. 6. de Ang. Sec. 2. Moveri ad locum, est novus effectus realis; sed hic haberi non potest, nisi vi modalitas superadditæ. Ergo. Antecedens Probatur. Quia deserere unum locum, & alium comparare, est novus effectus, & realis, quia est effectus potentiæ realis, virtutis scilicet motivæ, omnis autem virtus realis effectiva, terminari debet, ad aliquid reale.

Respondebunt Nominales. Moveri ad locum, esse novum effectum realem formalem, seu prout reale opponitur ficto, & intentionali, sed non esse effectum realem, prout reale desumitur à re. Nego item dari realem hoc sensu potentiam motivam, hoc est distincti entitativè motûs productivam. *Hinc aliter*

Probatur quintò Conclusio argumento negativo, aliàs à nobis usurpato. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione. Ergo nec transibitur sine illa, à non esse moti localiter; sed nisi ponatur entitas modalis, non ostendetur sufficiens mutatio. Ergo.

Respondent primò Nominales. Sufficiens mutatio est, si dicatur motus, esse ipsum mobile, unitum successivè loco majori se.

Contra. Potest esse entitas mobilis, & entitas loci; & non esse illud successivè unitum, per quid ergo transit ad esse successivè unitum?

Respondent secundò: per novam formalitatem.

Contra. Potest esse entitas mobilis, & loci, & non esse successivè unita, & non esse habens istam formalitatem, per quid ergo transitur ad esse habentis illam?

Respondent tertiò, seipso transire mobile.

Contra: Potest esse à parte rei mobile, & locus, & non esse mobile successivè occupans locum, & seipso transiens; quæ ergo erit sufficiens mutatio, ut transeat ad esse successivè locum habentis, & seipso transeuntis? Agnosco quidem, quòd interdum ab uno contradictorio ad aliud transiri possit seipso, sed hoc fit, quando aliqua negatio sufficiens de novo ponitur, vel nova entitas. Et certè, sicut esse, seipso est esse, & à non esse, seipso transitur ad esse; ita à non esse negationis, ad esse negationis positæ, sufficienter transitur, positione novâ negationis. Neque valet si dicas. Negatio si de novo ponatur, est sufficiens ad transitum mutatio, erit ergo etiam sufficiens mutatio, si nova formalitas ponatur; nego enim illam posse dari, si aliquid vel extrinsecè, vel intrinsecè, præter illam non sit mutatũ, sive in entibus, sive in non entibus: & ita ad formalitatem relationis similitudinis, non potest transiri sine nova qualitate, ad esse ubi, sine negatione distantiæ &c: illa enim formalitas, est nova conceptibilitas, nova autem conceptibilitas, advenire non potest, sine nova mutatione extrinseca, vel intrinseca, in entibus, vel non entibus.

Respondent quartò Nominales. Mobile à non esse moti, ad esse moti; transire negatione successivè acquisitâ.

Contra: Tum quia, redit argumentum, per quid transeatur ad esse acquirentis, à non esse acquirentis. Ubi non quæro, per quid transeatur, à non esse dicentis negationem distantiæ, ad esse dicentis negationem distantiæ: ad hoc enim transitur, ipsâ negatione distantiæ; sed quæro præcisè, per quid transeatur, à non esse acquirentis? Tum quia: fieri potest, ut successivè acquiratur nova negatio distantiæ, sine ullo motu; ut si persistente mobili, DEUS loca, à quibus negationem distantiæ dicebat mobile, promoveat ad ipsum mobile: det item DEUS mobili, vim successivè replicandi seipsum, per hoc non movebitur localiter, & tamen successivè acquiret negationes distantiæ varias. Ergo ratio motûs non stat formaliter, in ista successiva acquisitione indistantiæ à loco. Tum quia esse in loco, & esse in motu, non sunt idem. Ergo cum esse in loco, sit distantiæ negatio, motus per illam explicari non debet.

Neque valet, si dicas, quod esse in loco, sit dicere negationem distantiæ permanenter, jam autem fluenter & successivè illam dicere, pertinet ad motum: non inquam valet; quia potest esse ubi, non nisi instantaneum, adeoque non permanens: potest etiam esse ubi successivum, ut si successivè locus mutetur, & tamen, sine ullo motu mobilis. Rursùs per quid transitur ad ipsum illud fluenter.

Respondent sexto Nominales: Motum, esse ipsum mobile, quatenus non replicatum, successivam habet negationem distantiæ à loco.

Contra: Tum quia, stat altera instantia, casu scilicet, quo DEUS moveat ipsa loca, immoto mobili. Tum quia: hoc quod est successivè habere negationem distantiæ, vel ly successivè importat, quod negationẽ distantiæ acquirat portando, & ferendo se, ab una parte, ad aliam, vel importat solùm, quòd negatio distantiæ, una post aliam sequatur: Si importat primum, petitur principium: quia si interroganti, quare mobile moveatur, dicas; quia movetur: petis principium, de hoc enim ipso procedit quæstio. Ergo etiam si dicas: ideo aliquid moveri, quia portat se, petes principium; Si autem dicatur secundum, quòd scilicet importetur sola successivè negatio distantiæ, sivè moveatur ipsum mobile, sive non. Contra erit: quia hic agitur de motu. Ergo formale illius, debet esse tale, quod non competat illis, quæ non moventur. Jam autem successiva negatio distantiæ, potest ex dictis cõpetere iis, quæ motu suo non moventur. Immò & quando Angelus non pertranseundo medium, transit ab extremo ad extremum, non habet motum successivum, & tamen habet successivam negationem distantiæ. Tum quia redit argumentum factum, per quid mobile non replicatum, quod alio modo potest negationem distantiæ etiam successivam habere, transeat à non esse habentis, per motum illam indistantiam, ad esse habentis per motum.

Dicendum est secundò. *Motum non aliud esse nisi ipsum mobile*, prout determinat se quà tale, ad esse illic, ubi non fuit, determinatione involvente modalitatem, restrictè que loquendo, de motu locali; motus localis erit ipsum mobile, prout determinat se, ad esse in illo loco, ubi non fuit. Ratio primæ partis Conclusionis est: quia si nihil obstet, debemus quàm proximè accedere ad sententias Aristotelis, qui 8. Phys. textu 36. motum mobili identificat. Secundæ autẽ partis ratio est: quia nõ importatâ illâ determinatione modali,

dali,non poterit salvari transitus, à contradictorio ad contradictorium.

Objicitur primò. In illo formaliter consistit motus,quo solo,sine ulla superaddita entitate posito,fit motus: sed posito mobili non replicato,cum successiva indistantia à loco,intelligitur motus. Ergo.

Respondetur. Neg: Minorem, etiam propter instantiam,casu scilicet,quòd DEUS ipsum locum promoveat successivè admobile.

Instab:primò. Ergo sufficiet explicare motum, per acquisitionem successivam indistantiæ,modò non moveatur locus, nec replicetur mobile

Respondetur. De hoc ipso quærendum esse, quid sit,non moveri locum, eundemque moveri.

Instab: secundò. Casu quo DEUS locum promoveat,versus mobile, ille locus, successivã acquirit indistantiam à mobili,& non mobile ad locum.

Respondetur. Hæc duo esse relativa, & si unum successivè indistat, etiam aliud successivè indistabit.

Objicitur secundò. Ly: illic, in conclusione positum,significat,quòd scilicet mobile, in loco ponatur per motum; sed motus non debet explicari per locum: quia locus impertinens est ad motum localem. Quod ipsum, probatur: quia motus potest fieri in vacuo,&in spatiis imaginariis,ubi non est locus.

Respondetur. Ly: illic, in conclusione positum,consultò,& non ly,in illo loco, qui ly illic, est universalius,communeque ad locum, & ad vacuum v.g. habetque se ita,sicut spatium, quod est commune ad Locum,Vacuum; Spatia imaginaria,&c. Hinc si moveretur Angelus in vacuo,acciperet illic esse,ubi antea non fuit.

Objicitur tertiò. Sit Petrus replicatus Cracoviæ,& Romæ; abeat Romam,non erit illic, ubi non fuerat,& tamen moveretur localiter. Ergo motus localis potest esse sine Illic, in quo aliquis non sit.

Respondetur. Petrum prout replicatum Cracoviæ,non fuisse Romæ: replicatus autem Cracoviæ,per motum acciperet illic esse, solumque illic fuit,prout positus Romæ.

Objicitur quartò,iste qui deliberat,ut erat,& concludit eundem esse,est determinatus ad esse illic,ubi non fuit,& tamen hoc ipso non it. Ergo malè per hoc explicatur motus.

Respondetur.Determinatio alia est voluntatis,& hæc nõ est itio, sed determinatio potentiæ motivæ,posita ad esse hîc,est motus & itio.

Instab: Si ipsum locum DEUS approximet, mobile erit illic,ubi non fuit,& tamen non movebitur. Ergo mala est hæc explicatio motûs.

Respondetur,dato casu Antecedentis, mobile non quâ tale,sed quâ locatum, erit illic, ubi antea non fuit, determinatione non in se receptâ,sed in ipso loco.

Objicitur quintò. Si motus localis esset modus, quando Angelus v.g. successivè movetur, vel producit modalitatem illam successivam,vel non? Si non producit, Ergo vel successivè non movetur contra suppositionem,vel salvari potest motus,sine successiva modalitate; si autem producit,contra erit: quia,si producitur successivè modalitas, producitur modalitas habens prius & posterius,& tunc non potest explicari, quando fit motus; non enim cum est priùs, quia tunc nondum est successio: non etiam quando est posteriùs; quia quando est posteriùs, non est priùs,adeoque nec successio,consequenter nec determinatio illa successiva.

Respondetur.Hoc argumentum, in omni sententia est solvendum: quî fiat motus successivus? sicut ergo alii dicent motum successivum salvari,& ratione ejus,quod præteriit,& ratione ejus quod est,mensurando hoc, tanquam per aliquid notius,per spatium acquisitum,vel vi illius acquisibile, ita & nos inpræsenti dicemus.

DIFFICVLTAS II.

Motus per accidens localis, potestne salvari sine modalitate? &c. &c.

Dicendum est. *Motum per accidens non importare ullam determinationem modalem.* ità Vasq: 1. parte disp. 159. Cap. 4. quamvis oppositum teneat de motu per se.

Probari solet primò, ex Aristotele 4. Phys. tex.32.ex cujus Auctoritate, sic formatur argumentum: Si requiretur modalitas ad motum per accidens,deberet principiari à moto per se, & recepi etiam in moto per accidens;sed hoc non: quia si hoc fieret, mutaretur motu illo recepto, mutaretur inquam motu per accidens, sed non mutatur: expresse enim dicit Arist: *hæc enim sit transmutant locum,quia id,in quo sunt,transmutatur.* Rursùs quando Musicus ædificat,non est necesse principiari illam actionem à Musica, sed tota illius causa, tribuitur Architectonicæ: Ergo & quando aliquid movetur per accidens,principiatio illius motûs,& receptio tota, tribuetur moto per se,& non moto per accidens.

Probari solet secundò. Ponamus vehi Angelum,illo casu,motu vectionis movebitur Angelus,& tamen sine entitate superaddita.Ergo motus per accidens,non importat modalitatẽ. Antecedens Prob: quia illa entitas,vel esset corporea, vel spiritualis? Si corporea, connaturaliter in re spirituale recipi non poterit. Si spiritualis? Ergo à re materiali, hoc est vehente, produci non poterit.

Respondebis.Produci tunc à DEO motum spiritualem,recipiendum ab Angelo.

Contra erit: Tùm quia, quomodo jam propriè dicetur,res illa materialis,vehere Angelum?

Tum

Tum quia recurrere ad DEUM, non est Philosophicum. Tum quia ponamus, saltē miraculosè non produci à DEO illam qualitatem, & nihilominus Angelum non sejungi à corpore: quæ enim in hoc implicantia non petens principium? procedat vectura, quæro vel movebitur Angelus, vel non? Si movebitur, Ergo productio illius modalitatis otiosa est; Si non movebitur, Ergo non acquirit successivè alias partes spatii, quod est contra suppositionem, quæ supponit in vectura pergi.

Probatur tertiò. Quia nulla est necessitas, ad ponendum hunc motum, requirere entitatem superadditam, quia à non esse moti, ad esse moti, poterit sufficienter transiri per hoc, quia erit illic, ubi non fuit, ad quod ipsum sufficiens mutatio erit, copulatio & indistantia à per se moto, quâ indistantia & copulatione positâ, impossibile est illud non moveri, si aliud movetur.

Hinc colliges, motū per accidens, Esse ipsum mobile, prout translatum per spatium.

Objicit primò Amicus. Angelus est in corpore vehente, per solam voluntariam assistentiam: Ergo moto corpore, non necessariò movetur. Ergo ut moveatur, debet per intrinsecam mutationem in se receptam moveri.

Respondetur, moto corpore, absolutè loquendo, non necessario movetur Angelus, movetur tamen necessariò ex suppositione, quòd nolit deserere corpus, quod per se movetur.

Objicit secundò idem. Non majorem habet colligationem, Angelus ille, cum corpore energumeni, quàm habeat cum sphæra locabilitatis alius Angeli; moto autem alio Angelo, aut sphæram suæ locabilitatis alio transferente, non est necesse, alium moveri.

Respondetur. Ex suppositione colligationis cum corpore energumeni, & nolitionis distare ab illo, magis cum illo corpore nectitur, quàm cum sphæra alius Angeli; licet non habita hac suppositione, non magis nectatur cum illo, quàm cum sphæra locabilitatis alius Angeli. Sic v. g. si homo penes sit rhedam, non est necesse illum moveri motâ rhedâ, sed si sit in rhedâ, movebitur motâ rhedâ: Porrò Angelus, etiam ambitus sphæra locabilitatis, alius Angeli, est sicut ad rhedam, nullam colligationem cum illa importando; est autem in corpore Energumeni, sicut in rheda corpus, omniaque habebit, quæ sufficiunt, ut dicatur ille Angelus motus, Angelo non intendente præcisè se movere, sed intendente non nisi, ut corpus illud, non deserat.

Objicitur tertiò. Impossibile est, ut subjectū habeat, intrinsecum suum effectum formalem sine forma, quod tamen principium in præsenti falsificaretur, si ille Angelus moveretur sine receptione ullius motûs in se. Quod ipsum probatur: quia successivè transferretur in corpore, esseturque illic, ubi antea non fuit; qui est effectus formalis, intrinsecus, motus localis; & tamen, per nos, non reciperet in se motum. Et certè corpus illud energumeni, ideo dicitur recipere motum, quia successivè per spatium fertur. Ergo etiam, quia ille Angelus, successivè per spatium fertur, debebit etiam in se recipere motum.

Respondet primò aliquis apud Amic: In motu locali, esse duos effectus formales, alterum intrinsecum, qui non distinguitur ab impetu locali, alter extrinsecus, qui est successiva coexistentia mobilis ad spatium: repugnat ergo mobile habere priorem effectum, absque motu locali, sed non posteriorem. Et sicut per solam extrinsecam temporis mutationem, res dicitur coexistere variis partibus temporis, ita per solam extrinsecam mutationem, coexistere poterit Angelus variis partibus loci. Quod autem dicit Amicus, implicare, ut hi effectus separentur, hoc ipsum probandum fuisset: defacto enim etiam quantitatis secundarii effectus, impediuntur in Eucharistia.

Respondetur secundò Neg: Minorem. Successivè quidem transferretur Angelus, sed non translatione à se principiatâ, vel in se receptâ, sed translatione corporis, cui unitur; unde si transferret, & non haberet motum, tunc esset effectus formalis sine forma; sed si transferatur, nō erit tunc effectus formalis motus in Angelo, sed in corpore, quod se transferret. Breviter, transferri, non est effectus formalis motus, sed transferre se; non se autem tum transferret Angelus, sed transferretur.

Instabis: cur per se, modalitatem superadditam importet, & non importet motus per accidens?

Respondetur imprimis, quia positâ modalitate superadditâ in moto per se, & negatione distantiæ à corpore moto, sufficienter intelligitur, quomodo acquirat novum spatium, motum per accidens; non intelligeretur autem illa acquisitio spatii nova in moto per se, sine superadditâ modalitate, secundùm dicta supra. Rursùs omnis modalitatis, subjectum est necesse ostendere, illius autem modalitatis, quæ in Angelo moto per accidens recipi deberet, nullum proportionatum subjectum, ostendi potest: supponitur enim motus ille esse materialis, principiatus à corpore energumeni, materiale autem non recipitur connaturaliter in aliquo spirituali. Quod si motus ille sit spiritualis, principiari non poterit ab energumeno, secundùm dicta supra.

Objicit quartò Dicast: D. 6. de Eucharistia Num. 15. auctoritatem Aristotelis 2. Top. C. 3; *Motis nobis, necesse est ea, quæ sunt in nobis, simul moveri.* Unde etiam infert S Thomas, Christum moveri per accidens secundùm esse, quod habet in Sacramento.

Respondetur. Concedo, quæ sunt in nobis, simul moveri, sed motu ipsius per se moti, v. g. necesse est Christum moveri in Eucharistia, non motu proprio, sed motu specierum.

Insta:

INSTAT. Etiam Christus in Eucharistia, habet motum proprium, & intrinsecum, & acquirit propriam præsentiam intrinsecam.

RESPONDETUR. Negando habere tunc Christum motum proprium, acquirit autem præsentiam, licèt motu non nisi specierum.

OBJICIT quintò idem. Dum accidentia consecrata moventur, incipit Christus esse substantialiter præsens in novo loco accidentium, non quidem per solam motionem specierum, sed per modum præsentiæ ipsi intrinsecum. Ergo dum moventur accidentia, movetur Corpus Christi.

RESPONDETUR. Incipit quidem Christus esse præsens noviter, sed illa præsentia, non est ulla Modalitas, & licèt esset, sufficienter acquiri posset, motis solis speciebus.

OBJICIT sextò idem. Accidentia recepta in quantitate, non sunt realiter præsentia in loco, per solam motionem, aut præsentiam quantitatis. Ergo idem dicendum de Corpore Christi.

RESPONDETUR. Si concedatur accidentibus receptis in quantitate motus per se, alia erit de illis ratio, alia de Corpore Christi in Eucharistia, quod per se non movetur.

OBJICITUR septimò. Unio humanitatis cum Divinitate, non facit, ut humanitas sit in loco, in quo est Divinitas; aliàs esset ubique. Ergo nec unio humanitatis cum accidentibus, est formaliter sufficiens ad existendum in loco accidentium.

RESPONDETUR. Ob inadæquatam locabilitati (ut ita dicam) Divinæ, unionem humanitatis cum Divinitate, sequitur, ne ubicunque est Divinitas, illic sit humanitas. E contra ob adæquatam locabilitati humanæ, Divinitatis unionem, sequitur, ut ubicunque est humanitas, illic etiam sit Divinitas. Quia autem, licèt accidentium illorum, non est unio adæquata locabilitati humanitatis; Unde hæc accidentia nõ sunt in Cœlo, ubi est humanitas, cùm tamen humanitas sit adæquatè unita locabilitati illorum accidentium: habent se enim in hoc genere, sicut humanitas ad Divinitatem; Hinc fit, ut ubicunq; sunt accidentia, illic etiam sit humanitas: licèt sine ullo motu sui. Sicut suo modo est & Divinitas, ubi est humanitas Christi, idque sine suo ullo motu.

DIFFICULTAS III.

Estne de essentia motûs localis, esse successivum, & quid de motu puncti?

PRÆMITTO primò. *Motum localem, alium esse continuum, alium discretum.* Motus continuus est, cum per partes, non interpositâ quiete, acquiritur spatium. Motus autem discretus est, cùm totum simul acquiritur spatium.

PRÆMITTO secundò. *Alium esse motum, qui fit per medium*, ut cum palmi priùs medietas, quàm totus pertransitur; alius sine medio, qualis in Angelis admittitur.

PRÆMITTO tertiò. Ly *motus successivus, non supponit pro motu materiali*: quia etiam Angeli successivè possunt moveri, nec ly: motus discretus, supponit, pro motu spirituali, cum non hoc ipso, quia moventur Angeli, principiantque motum spiritualem, censeri debeant, nõ nisi discretè moveri.

DICENDUM est primò. *Motum localem successivum, non posse fieri in instanti.*

PROBATUR primò. Ille motus si daretur, & esset in instãti, ut supponitur, & nõ esset in instanti: quia id, quod per partes fit, non est in instanti. Sed motus ille per partes fit, quod probatur. Quod fit per prius & posterius, per partes fit; sed motus ille fit per prius & posterius: fieret enim, ut vis, successivè. Ergo per partes fit.

Hic ipse medius terminus, sic aliter proponitur. Ponamus terminum à quo A, medium C; & terminum ad quem B. Quæro: mobile, vel priùs est in C. quàm in B, vel posteriùs est in C, quàm in B, vel æquè primo in C. ac in B? si est posteriùs in B, quàm in C. Ergo priùs est, in remotiori, quàm in propinquiori, quod repugnat; si posteriùs est in B quàm in C; Ergo in B, non est in instanti: quia instans priùs & posteriùs non admittit. Si æquè primò? Ergo motus ille, non est successivus: quia successivum definitivè involvit priùs & posteriùs.

Idem aliâ imaginatione proponitur. Demus per eosdem terminos, mobile. D. moveri; & aliud mobile. F. duplo velociùs, quæ velocitas in successivo motu admitti potest. Terminus autem à quo motus, sit A, & terminus ad quem B: quo posito sic formatur argumentam. Cum jam F. ultimò non movetur, sed jam est in termino B, vel jam pervenit mobile D? vel: non pervenit? Si pervenit, Ergo æquè citò mota sunt; Si non pervenit: Ergo D. non in instanti, per motum illum successivum, sed per partes, attigit terminum B. vel mobile F. in medietate instantis attigit terminum B. quod impossibile est.

PROBARI solet secundò. Quia, si motus successivus fieret in instanti, sequeretur quòd aliquid esset in duobus locis simul. Ponamus terminum motus à quo A, & terminum motus ad quem B, illo instanti, quo mobile esset in A, eodem etiam instanti esset in B. Ergo esset in duobus locis. Antecedens probatur: quia si eodem instanti, quo esset in A, non esset in B, non in instanti acquireret B. quod est contra suppositionem. Ergo esset eodem instanti in utroque, adeoque in duobus locis.

Confirmatur: quia si daretur motus successivus in instanti, possent. F. & D. simul moti, transeundo ab A per C. ad B. ita ut F. incipiat ab A. jam autem D. à B. ita moveri; ut sibi

nun-

nunquam occurrant in medio. Quod ipsum probatur: quia illo instanti, quo F, est in B, non potest illi D, occurrere in C; cùm jam F, supponatur esse in B: instantaneè enim acquirit F. locum B. Ergo in medio, non sibi occurrunt: si autem in medio non sibi occurrent, quomodo motus ille erit successivus?

Probatur tertiò. Motus instantaneus non fit in successivo, seu in tempore, nec mensuratur tempore. Ergo nec motus successivus mensurabitur instanti, quia ab utraque parte, est æqualis improportio.

Dicendum est secundò. *Motum discretum localem, posse fieri in instanti.*

Probatur primò: quia id non implicat.

Probatur secundò: quia tali motui, conveniret definitio motûs, nam in priori naturæ, antequam intelligatur acquisivisse id spatium, quod in instanti acquirit, erat sub privatione illius, adeoque in potentia ad illud.

Probatur tertiò. Motus discretus, ex sua ratione non dicit partes, nec hoc requirit definitio illius. Ergò benè potest fieri in instanti.

Ulterior modus, defendendi hanc conclusionem, petatur ex materia, de motu Angelorum.

Quod ad secundam partem tituli attinet. Negavit Aristoteles posse moveri localiter punctum, affirmavit Scotus in 2. dis. 2. q. 9.

Primum Argumentum Aristotelis est ex 6. Phys: Tex: 37. & 87. Quod sic habet; Si indivisibile moveretur, esset divisibile, quod absurdum est. Seq: Probatur: quia deberet esse partim in termino à quo, partim in termino ad quem, siquidem si tantùm esset in termino à quo, vel tantùm in termino ad quem, non moveretur.

Respondetur. Debere esse partim, non paritate mobilis, sed partitate spatii, argumentumque multum probaret: quia probaret Angelum, non posse unquam localiter moveri: Quo etiam modo solvi debet Tex. 88.

Secundum Argumentum ejusdem est ex tex: 89. Impossibile est moveri per majus se, nisi prius, moveatur per æquale sibi; aut minus se; sed si punctum moveretur, non posset moveri per æquale sibi: quia aliàs illud medium constaret ex indivisibilibus. Nec per minus se; quia nihil minus est indivisibili.

Responderi posset. Majorem esse veram de motu partibilis divisibilisque mobilis. Addi potest, motui illius puncti, nihil proportionatũ respondurum, in spatio divisibili: de quo aliàs. Probat etiam argumentum multum: quia probat Angelum, colligentem se in indivisibile, moveri non posse.

Tertium Argumentum est ex Tex: 90. Quòd movetur, in aliquo tempore debet moveri: Ergo & punctum movebitur in tempore; in quo autem, si in hoc, in quo verum est dicere: Nunc instans movetur; illud ipsum, vel est divisibile, vel indivisibile? Si divisibile, Ergo in Minori adhuc tẽpore posset moveri aliquid, quàm moveatur punctum, quod est absurdum: nihil enim est minus puncto; Si autem aliud tempus indivisibile est? tempus non est.

Respondetur. Duplicem motum puncti posse spectari, discretum & successivum. De discreto motu puncti, hoc potest teneri: Motus discretus rerum materialium divisibilium, nunquam potest esse talis, quin successionem aliquam importet, tàm ratione spatii divisibilis, adeoque non nisi per partes acquisibilis, quàm ratione ipsius mobilis, quod habens partes, ex quibus componitur, non potest principiare motũ, nisi ille ipse motus partes habeat. Vocatur tamen discretus: quia illius ipsius motûs admittit interruptionem, nec tractu evolvitur, sed per quietem. Cæterùm ex adverso, motus puncti potest esse discretus, ita ut nullam successionem involvat: neque enim tenetur producere motum, partes involventem, cum ipsum careat partibus, talisque motus mensuratur quidem tempore, hoc sensu, quia est intra ambitum cœlorũ, nunquam à motu desistentium, sed non mensuratur tempore, quasi debeat aliquid proportionatum respondere in tempore, motui illi instantaneo. Rursùs alius motus puncti, potest poni successivus, non quod etiam, in motu successivo non acquirat punctum totum spatium, quod acquirit, sed quia potest. v. g. per lineam palmarem moveri, ita ut uno instanti, non pertranseat totum, & talis motus, ratione spatii occupabilis, mensurari potest tempore.

Quartum Argumentum est Amici, qui id saltem naturaliter negat fieri posse, suppositâ etiam existentiâ puncti, motus successivus, est accidens extensum, consequenter debet subjectari in subjecto extenso; tale autem subjectum, non est punctum.

Respondetur. Argumentum multum probare; probaret etiam Angelum, nunquam posse moveri, motu successivo, si redigatur in punctũ. Quòd si dicas, in Angelo admitti motum successivum, succedentiâ tenente se à parte spatii, non occupati simul, ea succedentia, etiam in præsenti, admitti potest. Rursùs partes duplices considerari possunt, quædam materiales & divisibiles, harum res spiritualis incapax est: & aliæ partes spirituales, quales passim admittuntur in gratiæ augmento, habituum &c. tales partes, in re spirituali benè subjectari possunt: ita etiam partes motûs, benè in re indivisibili subjectari possunt, admitteretq; hoc, is, qui vellet admittere motum successivum, in puncti succedentia: etiam à parte motûs se tenente.

Quintum Argumentum. Si punctum moveretur, moveretur per indivisibile motûs: per indivisibile autem motûs, subjectum non movetur, sed quiescit: quia indivisibile motûs, non est motus, sed acquisito spatii.

Respon-

Respondetur. Indivisibile motûs, in fieri occupationis spatii acceptum, motus est, in facto autem esse occupationis spatii, quies est. Deinde posset illud indivisibile, non moveri per indivisibile motûs; quia posset moveri motu tali, quo tardior posset principiari ab eodem puncto.

Addo id, quod communiter dicitur. Mobile in motu occupare spatium majus se, ita est intelligendum: Quòd si includat terminum à quo, & terminum ad quem, hoc ipso occupatur à mobili spatium majus mobili: sed si includatur illud præcise, quod occupat, non est majus illo, quia quidquid est majus illo, jam illud non occupat, aliàs in occupatione, esset mobile majus se ipso.

QUÆSTIO II.

De Speciebus motûs.

MOtus omnes specie decurrere, longum est, sed suis locis omnia expediuntur: nam de motu, qui est Generatio, Nutritio, Alteratio alibi dicitur. Magis propria hujus loci, maximè verò ea quæ ad motum localem spectant, hîc attingentur.

DIFFICULTAS I.

De divisione motûs in tardum & velocem.

PUnctum difficultatis in hôc est, assignare causam tarditatis motûs, quæ ut assignetur, hoc præ oculis debet haberi. Ponamus testudinem & aquilam, eodem quadrante horæ, mota; tunc vel tenes, componi quantitatem ex indivisibilibus, vel ex partibus; si ex indivisibilibus, ponamus fluxisse instantia temporis 10. primo instanti, quo movetur aquila, movetur etiam testudo, & utraque non potest conficere spatii minùs, quàm indivisibile; non potest etiam primo instanti conficere aquila plùs, quàm indivisibile spatii; quia aliàs in eodem instanti esset in duobus punctis spatii, adeoq; in duobus locis. Quòd si admittas componi quantitatem ex partibus, tunc si non subsistit testudo, quando aquila primam partem spatii percurrit; percurret & testudo, adeoq; æquè movebuntur.

Explicari solet primò tarditas motûs, per interceptionem morularum, & velocitas per carentiam earundem: quæ hoc ipso importat pertransitionem majoris spatii: *Hæc Explicatio* ex dictis supra in materia de quantitate

Non Satisfacit Certum quidē est, quòd interdum tarditas contigat ex interceptione quietis, sed hæc ratio non est universalis: hîc autem, quæritur universalis ratio.

Explicat secundò recētior Suar: secundùm sua principia tenendo, quòd quantitas permanens, non componatur ex indivisibilibus, secus successiva: unde ille componit tempus ex solis instantibus, sicq; format explicationem. Ideò aquila v. g. inter duo instantia temporis citiùs movetur? quia currente aquilâ plura indivisibilia motûs aquilæ fluxerunt, quàm fluxerint testudinis, docetq; consequenter, quòd quamvis in uno instanti temporis, non potuerit effluere plùs, quàm unum indivisibile motûs; in duobus tamen instantibus temporis, potuerunt effluere plusquam duo indivisibilia motûs; quia utrumque simul acceptum instans temporis, componit tempus, quod se solo, indivisibile unum nō componit. Quòd si duo instantia componunt tempus, in tempore illo divisibili, poterit dari motus velocior & tardior. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit primò: Quia non solvit argumentum de circulo, in materia de quantitate propositum, quod iterato sic repetitur. Quando A, superior pars circuli, movetur velociùs, & pars inferior ejusdem circuli B, movetur tardiùs, plura indivisibilia in motu partis A. fluxerunt, quàm fluxerunt in motu partis B. Si plura indivisibilia motûs fluxerunt, Ergo non commensurantur, nec respondent indivisibilia partis B, indivisibilibus partis A. Si non respondent; Ergo motus ille partis B, post motum partis B. tardiùs procedit, adeoque tardius partes relinquuntur post partes velocioris. Ergo etiam relinquent, se partes ipsius etiam mobilis: nam partes non moventur, nisi motæ: consequenter deberet esse divisio partium circuli. Et certè quod faciunt morulæ, hoc faciunt indivisibilia illa motûs pauciora in suo genere; sed ex dictis supra, morulæ si darentur, fieret discontinuatio circuli; Ergo & ex his paucioribus instantibus motûs, daretur discontinuatio.

Non Satisfacit secundò: Quia ponamus in duobus instantibus temporis A. & B. factum esse motum, si singillatim sumantur instantia A & B. motus velocioris & tardioris, non plura potuerunt affluere indivisibilia mobilis velocioris, ac tardioris, ut iste Author censet & ratio probat: quia æquè illa indivisibilia motus, sunt indivisibilia, ac puncta temporis, sunt indivisibilia. Ergo minus alio nō est: adeoq; nec potest aliquid effluere, in motu tardioris, minùs indivisibili motus, qui effluxit respectu mobilis velocioris. Ergo etiam neque in illis instantibus motus A. B. simul sumptis; potuerunt effluere plusquam duo indivisibilia motus. Quod ipsum probatur: Tempus illud compositum ex duobus indivisibilibus, nihil plùs habet, quàm illa duo indivisibilia. Ergo non majorem extensionem facit, quàm illa duo indivisibilia singillatim, simul tamen accepta: quia aliàs fieret illic extensio major illius temporis, non ratione indivisibilium, sed ratione alicujus alius. *Neque valet, si dicas*, fieri quid extensius propter connexionem: non inquam valet, quia si conjunctio duorum semipalmorum, non facit majorem extensio-

nem, quàm duorum semipalmorum, licèt faciat denominationem palmi; sic conjunctio duorum instantium, non faciet quidquam extensius duobus instantibus, licèt ut vult recentior Suar: fundet denominationem temporis.

Non Satisfacit tertiò. Ponamus in illis duobus instantibus temporis fluxisse tria indivisibilia motus, mobilis A. velocioris, & nonnisi unum indivisibile motus tardioris mobilis B. Quæro, vel in primo instanti temporis, effluxit tantùm pars indivisibilis motus A, vel unum indivisibile? Si pars? Ergo illud non est indivisibile motus; Si totum unum indivisibile? Ergo etiam illud conficiet mobile tardius B: ut ex dictis probari potest. Rursùs quando in instanti secundo movetur A, deberet conficere indivisibilia duo motus: quo ergo modo, non erit mobile A, uno eodemque instanti, in duobus locis. Deinde si mobile A, secundo instanti conficit duo indivisibilia motus: Contra erit. Non potuit conficere primo instanti, duo indivisibilia motus: Contra erit. Non potuit conficere primo instanti, duo indivisibilia motus. Ergo nec secundo: quia hoc secundum est æquale. *Vt hoc explicetur*:

Præmitto primò. *Si motus velocioris & tardioris mobilis, mensuretur Solis instantibus, æquè citò utrumq; movebitur*: neque enim minùs indivisibili motus, nec plùs, in uno instanti confici potest. Quia verò illa indivisibilia, solùm petuntur ex illa enuntiatione. *Nunc est motus*, quod *Nunc*, stare non potest, cum ratione prioris & posterioris, essentialiter importatis, à tempore Physicè accepto; ideo sicut illa enuntiatio non est nemine cogitante; ita nec illa mensura petita ex illa enuntiatione, erit nemine cogitante, sed nemine cogitante erit tantùm objectiva veritas illius enuntiationis, scilicet existentia motus non finita. Cæterùm si motus mensura, non sint illa instantia, non sequetur jam motus velocioris, & tardioris commensuratio. Ad quod intelligendum.

Præmitto secundò. *Mensuram tarditatis motus, & velocitatis, esse aliquam extrinsecam*, & hæc non aliud est, quàm circulatio cœlorum: qùia scilicet duplò tardiùs, non potest conficere spatium, nisi effluant circulationes v.g. 20: quod spatium, velocius mobile, conficit intra spatium circulationem v.g 10. Et licet quando circuli pars superior, conficit spatium sibi respondens majus, conficiat etiam pars circuli inferior, sub eadem circulatione cœli, suum spatium minus, non inde sequetur, esse æquales hos motus, quoad mensuram extrinsecam; quia scilicet, non respectu diversorum spatiorum, quæ conficiunt, sed respectu ejusdem spatii mensuratio accipi debet, quia scilicet si hoc spatium, quod habet pars circuli superioris, servato eodem motu, pars inferior, transiret, deberet plùs circulationum cœli transigi, quàm fuerit transactum, decurrente parte superiori circuli.

Quanquam mensura tarditatis motus, & velocitatis extrinsecæ, sed jam à posteriori potest esse ex 4. Phys. Tex. 96. ipsum spatium, ita ut sit tardus motus, si scilicet parum simílis loci transeatur, velocior autem, si multum. Sed insuper

Præmitto tertiò. *Præter mensuram extrinsecam tarditatis motus*, dari etiam mensuram, quasi intrinsecam, & per modum principii fundans tarditatem, v.g. potentiæ motivæ debilitas, vel innoscitivis defectus applicationis ex secundi de cœlo tex. 36. & 4 Phys: tex. 71. Rursùs dispositiones mobilis, qualis est figura apta, vel inepta ex quarto cœli tex. 42. medii commoditas, vel incommoditas ex quarti Phys: tex. 71. *His præmissis*

Explicatur tertiò. Cur v. g. aquila citiùs moveatur, quàm testudo? quia motus utriusq;, non mensuratur instantibus, vi quorum deberet esse æqualitas in utroque motu, sed mensuratur divisibili, & composito tempore ex partibus: ita ut v.g. aquila, plures partes spatii, sub eadem circulatione conficiat, quàm testudo. plures autem ideo conficit, quàm testudo, quia major est vis motiva in aquila, quàm in testudine, proportionaturque illi majori vi, applicatio. Quare autem v.g. in circulo moto, partes inferiores non sejungantur, licèt tardiùs procedant præ superioribus, fit hoc: quia quæ est proportio magnitudinis partium superiorum, ad partes inferiores, quoad quantitatem circularem, ea est proportio inter spatium conficiendum, à partibus superioribus, ad spatium conficiendum, à partibus inferioribus, datâ ergo propositione dupli, in quantitate partium circuli, datur etiam proportio dupli in spatio conficiendo: non ergo sejungentur partes inferiores, quia cum pauciores sunt, minùs habent sub eadem circulatione conficiendi spatii. Rursùs ideo non sejunguntur illæ partes inferiores, quia id spatii percurrunt immediatè sub eadem circulatione, quantùm spatii percurrunt mediatè partes superiores; & quia mediatè percurrendo illud spatium minus, non sejunguntur à se ipsis, nec partes inferiores percurrentes idem immediatè, sejungentur ab illis superioribus.

Contra hanc explicationem potest inter alia, hæc proponi difficultas. Vel maximè in præsenti tarditas vel velocitas motùs salvatur: quia scilicet principium motivum, habet vim percurrendi majus spatium, si fortè sit velocius, ex quo principio potiùs sequeretur, partes inferiores circuli; debere celerius moveri: sit enim manubrium in centro circuli positum, moveatur circulus, vis ei & impulsus æquè applicatur, immo magis partibus inferioribus circuli, quia vicinioribus immediatè moto, deberet ergo inferior pars circuli citius moveri.

Prima Via occurrendi huic difficultati est, recurrendo ad idem nempè quòd virtus illa motiva, magis applicetur partibus superioribus, quàm inferioribus: virtutis enim illius impres-

sio

sio incipit à magis proximo,& postea in remotiora procedit: & quia motus ille causatus in immediatori parte,juvat motum alius se superioris, & ille superior,motum alius superioris: hinc suprema pars , habebit ex impressione virtutis à movente manubrium facta& insuper ex inferioribus motum suum juvantibus, majorem impetum: & sicut si sint circuli ita connexi,ut ansæ unius,aripiant ansas alius, tunc motus supremæ rotæ,non tantum à movente primario,sed etiam ab aliis circulis notabiliter augetur: ita idem fieret in præsenti. *Neq; valet,si dicas,* vi hujus doctrinæ sequi, quòd partes remotiores illuminabilis,magis illuminentur conferentibus vim partibus immediatè illuminatis, sicut partes inferiores conferunt,ad motum superiorum partium circuli,non inquam valet: quia scilicet hoc experimur in rotis,non experimur fieri in luminoso. Et quamvis non experiamur,quod partibus superioribus,plùs virtutis motivæ insit, cùm tamen experiamur à posteriori id sequi, quod sequitur ex majori virtute motiva, vel applicatione illius,nempè celeritatem motus, ideo ex signo hoc,à posteriori colligimus,virtutem motivam majorem illic esse.

Hæc Via Respondendi, non est universalis; quia accipiamus circulum,vel pilam: projiciat illam movens extrinsecum ut volvatur, eo casu, virtus impulsiva immediatiùs imprimetur partibus superioribus,utpotè vicinioribus, deberentque partes superiores juvare virtutem motivam partium inferiorum,si est constans doctrina adlata,& tamen partes circuli inferiores, tardiùs moventur, *hinc*

Secunda Via satisfaciendi eidem difficultati est,scilicet posito,quòd æqualiter applicetur, omnibus partibus circuli,vis motiva, tardiùs movebuntur partes inferiores ex accidenti: quia scilicet,quamvis possent æquali celeritate & æquale spatium,sub eadem circulatione conficere,impediuntur situ quem medium habent, & ex altera parte, partes antecedentes, nec perrumpere,nec penetrare possunt. Quod autem merè,propter dictum impedimentum hoc proveniat,signum à posteriori est: quia si illæ partes ponerentur loco superiori,consimilem cursum superioribus facerent.

DIFFICULTAS II.

De motu projectionis.

His de divisione motûs in tardum & velocem dictis,restat dicere, de divisione motûs in naturalem & violentum. Naturalis est, qui secundùm inclinationem subjecti, violentus autè è contra. Et quia motus violentus maximè in projectione elucet,de hac agemus.

Punctum Difficultatis 1.

Præmittuntur quædam.

Præmitto primò. *Esse aliqua projecta,quæ non nisi secundùm modum, violentiam habent,* ut quando lapis cum violentia deorsum projicitur,de hoc motu.

Assero primò. *Illum motum etiam à principio naturali produci.*

Ratio: Tum quia,si sponte caderet, produceret illum motum,cur detinebit suam actionẽ, quando violenter producitur. Tum quia si non concurreret ad productionem illius motûs, deberet se, vel attollere, vel resistere illi motui quod improbabile est: nunquam enim habet vim,à centro recedendi,non etiam se habet merè passivè,quia majorem sentimus difficultatem in projiciendo eodem lapide sursum, quàm in projiciendo deorsum. Ergo apparet non à sola projectione,motum illum causari, cùm tamen ad motum sursum,passivè se habeat lapis. Tum quia si ob aliquam causam non concurreret gravitas naturalis ad illum motum,ex eo non concurreret; quia esset malum illius; hæc autem ratio non convincit: nego enim illum motum esse malum illius,sed potiùs bonum, licèt tale, quod à lapide haberi non possit, sine superaddito principio. Addatur gravitas tanta lapidi, quanta est sufficiens,talem motum ciere, quantum ciet virtus illa,non erit hoc violentum lapidi, & cur erit violentum, si hoc faciat aliunde habitâ virtute? Animali ex turri cadere est malum,& tamen casum illum principiat naturalis gravitas; dato ergo,quòd motus ille esset malum lapidis, non sequeretur jam inde principiari eundem à naturali virtute nullo modo posse.

Neque valet,si dicas,gravitatem respectu illius motûs, habere se solùm, ut conditionem. Tum quia conditio,nunquam est principium idem agendi,& ita approximatio,nunquam urit; & tamen aliàs gravitas principiat motum deorsum. Tum quia gravitas animalis,non est conditio sine qua non,ad motum,ex turri deorsum. Tum quia quodcunque ostenderis signum legitimum investigandæ non conditionis, sed principii agendi,idem ostendet,gravitatem non habere se per modum meræ conditionis.

Assero secundò,*motum illum non à sola gravitate innata,sed etiam à causa projectionis causari.*

Ratio,quia experimur projectum lapidem, citiùs deorsum descendere, cujus ratio non potest in aliud principium,quàm in projicientem, referri.

Assero tertiò. *Tunc projiciens plus agit, quàm gravitas,quando celeritas motus,excedit plus, quàm uniter,celeritatem naturaliter competentem.*

Ratio,quia si erit æqualis celeritas, æquè u-

tium aget: hinc si descendente lapide ut 2. cito, descendat ut 4. cito, æqualiter agent: si ut 5. magis aget projiciens. Quæ autem dicta sunt de motu gravium deorsum, proportionaliter applicanda ad motum levium sursum.

Præmitto secundò. *Causam projectionis immediatam non esse semper ipsum projiciens.* quamvis sit semper causa mediata.

Ratio primæ partis: Tum quia, sæpè durat projectio, cum jam non existit projiciens. Tum quia vel producit aliquid, quod defertur etiam in medium, projiciens in projecto, vel non producit? Si non producit? ergo vel agit in distans, vel nulla est causa motûs illus projectionis. Quod si producit aliquid? ergo quod voluimus, mediatè agit. Tum quia distans non potest esse causa, nisi mediata, sed defacto projiciens à projecto existente in medio distat. Ergo illius projectionis causa immediata, non est projiciens.

Ratio secundæ partis: quia nisi ponatur projiciens esse causa mediata projectionis, nulla dabitur causa illius motûs, reperireturque effectus sine causa.

Præmitto tertiò. *Causam projectionis & impulsûs non esse solùm aërem vel medium*, contra quam sensit Dandinus secundò de anima, Dig: secunda. Pereira, & alii, qui censent primò moveri projectum ab ipso projiciente, postea à medio, sine ulla qualitate impressa.

Ratio prima præmissi est Ovied. Quia si projecta moverentur ab aëre, omnia mota eâdem velocitate moverentur: Quia causa motûs esset eadem, aër, & eodem modo applicata.

Responderi posset negando causam motûs, eodem modo esse applicatam, dicerent enim oppositi, ideò in medio, majori velocitate pergere projectum, quia præ commotione facta aeris à projiciente, motæ partes, majori postea nisu promovent alias, consequenter causam motûs, non esse eodem modo applicatam.

Ratio secunda ex eodem est: quia si motus projectorum causaretur ab aere, non esset ratio, cur ad tantam distantiam deficeret, & cœlum v. g. non tangeret: eadem enim est vis agentis in fine motûs.

Responderi posset. Neg: Sequelam. Quia quò debilior est motus profectus primò à projiciente, eò facit ut brevius una pars aeris aliam trudat, & secum mobile deferre possit.

Ratio tertia hujus præmissi, petenda erit ex adferendis sequenti puncto.

Cæterum indubiè, aer, & medium juvant ad motum illum. Et quidem juvant partes anteriores aeris, & voluit Phys: 8. Philos: tex: 80. quia una protrudens aliam, aperit faciliorem viam projecto gravi, juvant etiam partes aeris subsequentes: quia dum hæc ad impediendum vacuum, & replendum illud spatium, quod mobile projectum deserit, accurrunt cum impetu, fit ut protrudant à tergo mobile projectum; sic. v. g. sit ingens sphæra projecta, post cujus tergum ponatur pluma, aut aliquid levius, factâ projectione trahetur aliquantulum pluma post illud projectum, quod in aliud referri non potest, nisi in succedentes à tergo, partes aeris. Juvant etiam partes laterales, quia & ipsæ commoventur versus partem, quâ procedit impulsus, immo etiam concurrere debent ad tergum lapidis, ut impleant etiam pro sua parte locum aeris, cum violentia sequentis. Et certè si ob exhalationes calidas, in terræ hiatibus interceptas, fit terræ motus, si ventus concutit etiam ædificia & turres, cur mobili projecto, aerem ad motum prodesse negabimus? Et sicut in pneumaticis molendinis, tanta rota solo vento circumagitur, cur non conferet in projectione quidquam aer? Et hoc expresè docuit Philosoph: 8. Phys: C. 10. Tex. 82. 3. de cœlo C. 2. Tex 28.

Quod autem dico de impulsu ordine ad motum, quòd scilicet ad eum conferat aer; proportionaliter dici debet, quòd conferat ad retinendum grave, ne deorsum ruat, hocque videntur probare experientiæ v. g. si in vitro circumagatur aqua, & dextrè orificio terræ obvertatur, nõ fluit, pondusque illud aquæ aer sustentat, idem dicendum de nummo itidem rotato in galero, qui etiam non decidit, & quamvis referri hoc principialiter debeat in hoc principium, quia posito illo corpore in æquilibrio, non est ratio, cur ad hanc potiùs, quàm illam partem vergat, tamen ad hoc confert ipse etiam aer, unde etiam si acicula dextrè ponatur in aqua, ob simile æquilibrium non immergitur, confert tamen ad hoc corpus aquæ, conferet ergo suo modo & corpus aeris. Sed restat quærere, an præter aerem ad ciendum motum in medio, detur aliqua qualitas?

Punctum Difficultatis 2.

An detur qualitas projectis impressa?

Dicendum est. *Probabile esse imprimi à projiciente impulsum, qui sit qualitas à projiciente producta, nata producere motum in corpore cui imprimitur*, vel si admittas impulsum etiam in spiritibus, de quo in materia de Angelis pro ly in corpore pone in re. *Ad id probandum.*

Prima Experientia est, qua utitur etiam Ovied: flante vento versus orientem, explosus in adversum globus, tanto impetu fertur: ergo latio illa non est in aerem referenda: quia hic adversus est.

Responderi potest, etiam fortissimo vento posito, quia major vis est aeris primo moti à globo excusso, resistere illi ventus non potest, & sicut flante maximo vento, impediri non potest,

ne

ne in terræ motu concluſus aer exeat, ſic nec tunc impediri poteſt.

Secunda Experientia eſt. Quia ſi lanceæ projectæ alligentur fila, vel plumæ, experientia docet, tàm fila, quàm plumas rejici poſt tergum lanceæ, ergò apparet minore violentiâ à tergo propelli corpus projectum ab aere, quàm urgeat ventus reflans à fronte: quia ſi majori violentiâ urgeret, plumas illas reflaret contra impetum venti.

Responderi poteſt, quòd ſequela illorum filorum poſt lanceam projectam, non cauſetur à vento, contra quem tendit lancea, nam quietiſſimo etiam aere projectâ lanceâ, fila tamen illum ſubſequentur: ergo ſequela illa non debet referri in ventum reflantem. Immò admiſsâ hac qualitate, illa non tantùm lanceæ, ſed & filis alligatis imprimeretur, cur ergò inadverſum nõ pergunt fila, ut pergit lancea. Ratio ergo hujus ſequelæ, in hoc potiùs principium referri debet; quia ex una parte, motus illis à quocunque tandem movente, tantus conferri non poteſt, utpotè nimium levibus; & ex altera parte eſt illîc motus tractionis, in motu autem tractionis, corpus tractum, ſequitur, non antecedit, aerq; ipſe occurrens filis, aufert illis commoditatem anteceſſionis.

Tertia Experientia: quia trochus circumagitur, cujus rotatio aeri tribui non poteſt.

Responderi poteſt negando, quòd etiam aer rotari non poſſit, immò defacto in ventis rotatur confringentibus obtortè arbores, & ſinuantibus in rotundum pulveres. Caſu autem, quo aliquis adflabellet trocho, ſi violentè faciat, intercipiet motum; ſi lentè, juvabit adhuc; quia partes aeris jam motæ trahent ſecum adflabellatum aerem. Quod autem dicit recentior Suar: etiam in vacuo, rotandum eſſe lapidem, pro hoc non poteſt dari experientia, & ſi daretur rotatio, ea deberet tribui, nonniſi immediatè conjuncto projicienti.

Quarta Experientia. Quando currimus, non ſentimus impulſum retro ab aere, aliàs ab eo vehementer urgeremur.

Responderi poteſt, in curſu noſtro non eſſe impulſum, ſed lationem meram, ſolus autem impulſus per aerem ſalvandus: ſi autem non eſt illîc impulſus, quid mirum, quòd non ſentiamus aerem propellentem; & certè dum currimus, nullam nobis qualitatem projicientem imprimimus. Ergo ſi excurſu pro præſenti valet argumentatio, probabit nullam dari impreſſam qualitatem.

Quinta Experientia eſt, quia corpus magis grave, & minùs leve, æquè citò deſcendunt deorſum, quamvis, magis moveatur aer, globo majori.

Responderi poteſt, antecedens falſum eſſe, ſed poſitâ etiam ejus veritate, nihil evincetur, eò quòd dici poſſit aerem non poſſe vincere principium, quod aliàs eſt cauſativum æqualis motûs, etiam independenter à projectione.

Sexta Experientia eſt. Non poteſt intelligi, quomodo aer vim faciat, projiciatur enim jaculum longiſſimum, tunc vel urgetur jaculum ab aere, qui eſt retro; & hoc non: quia aer cùm ſit corpus liquidum, non habet vim, ut corpori cæteroqui ſubtiliſſimo jaculi, imprimat illum motum; non etiam urgetur ab aere, qui eſt lateralis: quia non à lateribus impellitur jaculum, ſed per lineam rectam.

Responderi poteſt, ex dictis ſupra, etiam à collaterali aere, juvari illum motum, modò ille motus, non in ſolum aerem, ſed immediatè etiã in projicientem referatur, immediatè commoventem aerem, qui ſecum trahit illud jaculum, qualecunque tandem eſt; & ſicut figura illa non obeſt virtuti impreſſæ, ita nec oberit projicienti & aeri.

Septima Experientia eſt. Pueri ita ſcitè projiciunt fragmenta teſtarum, & lapillos, ut aliquoties ſubintrent aquam & emergant, quod fieri non poteſt ſine virtute impreſſa.

Responderi poteſt, cùm rectà projicitur lapillus in aquam, præcipue cum impetu, ebullitio ſequitur, cujus ebullitionis non alia eſt cauſa, niſi aer aquæ immiſtus, qui poſtea ſe ſuo loco reſtituit; cur ergo in aerem ſubintrantem & emergentem, & ſinuatione ſuâ iteratò ſubintrantem, referri id non poterit; immò hæc experientia potiùs oſtenderet, non dari ullam qualitatem impreſſam, vi cujus illa emerſio ſequatur, nam perinde eſt illi qualitati impreſſæ, emergere, vel non emergere, cùm tamen naturaliter aer debeat ſe ſuperponere aquæ, niſi impetu aliò trahatur. Referri ergo hoc debet in modum factæ projectionis, & in aerem, volentem ſe reſtituere ſuo loco, & dum iteratò immergitur, ex colliſione varia, & reflexione id cauſari, quamvis autem aer, obvolvat illum lapidem, madefiet tamen lapis, quia aer non eſt corpus ita denſum, quod liquiditati, aquæ, intra poros ſuos locum non præbeat.

Octava Experientia eſt: ſi projecta à ſolo vento moventur, cur idem globus, maximo vento expoſitus, non tantâ celeritate movetur, quantâ movetur projectus?

Respondetur, quia globo, qui ſolùm exponitur vento, deeſt principium, quod eſt ipſe projiciens, & immediatè aerem movens, neque defectus ille motûs, debet rejici in vires aeris, vel venti debiles, nullus enim homo tàm validè projicit quàm validè ſubvertit, tempeſtuoſus ventus.

Nona Experientia. Nuclei recentiorum ceraſorum, ex compreſſis digitis, ita impetuosè excutiuntur, quod in aerem referri non poteſt, nam hic moderatiſſimus intra digitos comprimitur.

Respondetur. Cauſari id immediatè ab ipſomet comprimente, & ex impetu aeris, licèt non magni, impetuosè tamẽ primo moti, à projiciẽte.

Decima Experientia, Rotæ cum libratione, exiguo etiam corpori inclusæ, uno etiam digito, citissimè gyrantur, quod in aerem referri non potest.

Respondetur. Neque etiam referri posse in virtutem impressam, quantilla enim illa, à digito imprimi posset? referendum ergo hoc est, in ipsam libram & structuram.

Undecima Experientia est. Moveatur aqua in phiala, desinat movere movens, reponatur phiala in plano, adhuc movebitur, cujus motûs causa referri non potest in ipsum aerem: quia hic modicus est.

Respondetur. Primum motum causarum fuisse ab ipsomet movente, posteaaliæ partes, movent alias partes, sicut ipsum primò movens inceperat, qui motus juvatur ab aere intercepto, qui quamvis modicus sit, adjutus tamen aliis partibus, alias moventibus, motum illum ciere potest.

Hæ, ut vides, experientiæ, rem quidem probabilem reddunt, sed non ita, ut quiescat intellectus.

Ratio. Pro conclusione adferri potest. Impossibile est transire, à non esse projicientis, ad esse projicientis, sine sufficiente mutatione, quæ alia non erit sufficiens, nisi ipsa qualitas impressa. Si enim esset aliquid quod salvaret, esset ipsemet motus; de hoc ipso quæritur, re jam aliquantulum à movente distante, quomodo ille motus causari possit, quomodo ipse aer moveri? &c. Et sicut non sufficit dicere, calefactionem fieri ab igne, nisi ponatur intermedius calor, ita & ad motum poni debet intermedia qualitas impressa.

Objicitur primò auctoritas Arist. ex 4. Phys. tex. 68. & ex 3. Cœli textu 28.

Respondetur. Illis locis Arist: partialem virtutem motionis projectorum, referre in medium. Nam. lib. de Cœlo tex. 28. dicit Philosoph. projecto imprimi potentiam, & 8. Phys. tex. 92. contra Platonem, qui motum hunc, in aerem referebat, innuit de hac qualitate hîc in Comment: S. Thom: stat etiam pro hac qualitate Q. 2. de potentia ar: 6.

Objicitur secundò. Motus tractionis, non fit per qualitatem superadditam. Ergo nec motus projectionis

Respondetur. Disparitatem esse: quia tractio est tàmdiu, quàmdiu trahens, trahit actu, non ergo debet aliqua illi tribui instrumentaria virtus, quæ agat; cùm autem fiat projectio, cessante ab actu projectionis, projiciente, hinc danda est illi virtus instrumentaria.

Objicitur tertiò. Non esse explicabilem hanc virtutem, adeoque non admittendam.

Respondetur. Multa admitti, ad quæ ratio cogit, quamvis nos eorum penitissima cognitio lateat, ut huic objectioni satisfiat. *Sit*

Punctum Difficultatis 3.

Notantur quædam de hac qualitate.

Noto primò. Quòd impulsus, necessariò quidem, sed impedibiliter producat motum, ad eum modum, quo gravitas, necessariò quidem, sed tamen impedibiliter, causat motum deorsum, unde experimur, si rota sistatur brevissimè, leniss imè & postea dimittatur, rotabitur.

Noto secundò: Qualitatem hanc esse ex genere suo accidens, potest enim adesse & abesse, habereq; se per modum potentiæ, sed extrinsecè superadditæ, principiat enim motum, & non est ratio formalis motûs, eritq; eadem specie sivè in hanc, sivè in illam partem producat motû, nata enim est principiare motum, modò sit indebitus mobili, & sicut idem per adversarios, specie aer, principiat tàm diversos motus, ita eadem specie qualitas, principiabit eosdem, ita ut eadem qualitas, quæ servit ad motum sursum, potuerit servire ad motum deorsum. Est tamen ista virtus, distincta specie, à potentiis naturalibus, quia non est determinata ad eundem motû, sicut gravitas, semper est determinata ad motû, deorsum. Puto tamen illam produci successivè, ut sonum, qui quamvis non habeat contrarium, successivè tamen producitur, quia produci instantaneè, est produci perfecto modo, qui modus rebus materialibus non debet tribui, nisi Experientia, vel Ratio doceat.

Noto tertiò. Causam subjectivam istius qualitatis, esse mobile, & quamvis ista virtus materialis sit, permeare totum subjectum potest, ad eum modum, quo lux, corpus diaphanum, virtus m[illegible]etica ferrum. Cæterùm si partes aliquæ, magis sint capaces qualitatis illius, fieri potest, ut illis magis imprimatur, ut sic solidis calami partibus, magis imprimitur hæc virtus, unde etiam, in motu obvertuntur, ut solidis partibus priùs eant.

Noto quartò, Quare motus projectorum in medio, sit velocior, quàm in principio; & fine, cùm tamen motus naturalis, sit in fine velocior. Tota res ad experientias est devoluta. Arriaga censet gravia & levia, cæteris partibus, æquè citò moveri; idque sibi probatum esse: Non desunt impressi, qui oppositum sibi probatum asserunt, licèt id non possit discerni in parvis distantiis, quidquid de experientia; illud quod addit Arriaga, scilicet ab altiori motum, falsum esse, quòd majorem imprimat impetum, eô, quòd lapis de propinquo motus; magis lædat, quàm pila de longinquo, id inquâ nihil probat, nam ista sunt accipienda cæteris paribus, si scilicet æqualem gravitatem habeant, & sic idem lapis, ex altiori loco descendens, magis læderet, quàm de propinquo.

Circa

Circa thesim propositam sit hæc interim ratio; Quia in motu naturali, eadem virtus manet, invariata à principio, quæ in fine, jam ergo ex parte virtutis, nulla est diminutio, ex altera parte, minùs habet de resistentia aeris, & plus à tergo propellentis aeris; & licet aer, sit in loco suo naturali, nihilominus propter turbationem in illo factam, & periculum vacui, & quia, una pars protrudit aliam, ideò magis cietur ille motus. Jam autem, quia in motu projectorum ab initio, non est factus tantus aeris impulsus, qui fit, dum una pars aeris, aliam propellit, ideo ab initio, non est tanta velocitas motus. In fine etiam, projecta non ita citò moventur, quia virtus, & qualitas illa impressa, in fine enervata supponitur, & variata. In medio autem, cùm adhuc vigeat, & sufficientem ab aere habeat impulsum, ideò in medio velocissimus est.

Dici etiam fortassis posset. Omnem motum, cæteris paribus, motu ipso facilitari, quia ipse processus, motivam juvat. Sic v.g. equi ad agonem currentes, sub initium, non ita citò currunt, atq; in processu ulteriori: Pondus etiam difficiliùs trahitur ab initio, quàm semel motum, unde etiam ad multiplicationem, ut ita dicam, ejusdem motûs, faciendam, inventæ sunt rotæ, quæ quò plures sunt, plurificatum, magis eundem facilitant: hinc & [illegible]itas illa, sequitur naturam illorum motuum, unde magis in medio, multiplicatis scilicet jam motibus, quàm sub initium movet; sed quia hæc virtus languescit sub finem, hinc sub finem, non est ita velox. In motu autem naturali, quia manet idem principium invariatum, motu facto, qui sub finem plurificatus est, juvatur ad celeritatem, non quòd illa non existentia motuum influat in celeritatem, tanquam aliquod principium, sed reddit potentiam habiliorem, ad se exerendum, non quidem per aliquam qualitatem relictam, & habentem se, per modum habitûs, hic enim, talibus principiis non conceditur, sed per modum dispositionis cujusdam, & prærequisiti, præsuppositiq;, hoc ipsum à posteriori, ipsâ experientiâ monstrante.

Noto quintò. Quæ sit causa corruptionis impulsûs.

Respondet Vasquez, & causam illam refert, in productionem impulsûs contrarii, & ita, cùm sursum attollitur lapis, producit in se impulsum, deorsum, cui doctrinæ adjungit aliud, quòd terra sit in æquilibrio, fitq; ut ad omnem impulsum, contremiscat & moveatur, ad eum modum, quo in æqua bilance, quæ quidquid uni parti addideris, jam facit illam attolli, & aliam deprimi.

Multis, impugnant hoc adjunctũ Recentiores, quamvis illud placeat multis Mathematicis. Cæterùm, quòd terra ad additum uni parti pondus, non magis pro hac parte inclinet; Ratio est. Quia inclinaret ultra centrum, & quia processus ultra centrum, est ascensus, ascensum illum, nullum superadditum pondus causare potest. Aliud est, de bilance, quia si uni parti, aliquid addideris, pars depressa est talis, ut illi sit connaturale descendere deorsum, eò quòd non sit in centro. Quòd autem corruptionem impulsus, refert Vasq: in productionem impulsus contrarii, id universaliter, non convincit, potest enim esse impulsus gravis deorsum, qui elanguescat, & tamen non producat in se, impulsum contrarium, cùm secundùm conditionem illius, sit, trudere deorsum. *Hinc aliter*

Respondetur. Interdum qualitatem impressam corrumpi, solâ obsistentiâ oppositi, ut dum rem projectam manu fortiter arripimus ne procedat, aut dum objectus paries, resistentiam facit, aut dum medium enervat virtutem illam. Interdum corrumpi potest, per gravitatem naturalem, incipientem superare vires qualitatis impressæ. Denique corrumpi potest, quòd de se sit talis qualitas, quæ tantùm, vel tantùm, petat durare, Deusq; illam, secundùm hanc nonnisi ejus conditionem, gradualemq; intensionem tenetur conservare, hocq; contingit, dum v. g. per rectam tabulam, procedens globus desinit moveri. Illustrari hoc solet instantiâ de sono, qui, licet, non habeat contrarium, suapte naturâ desinit: Et ita v. g. dum lapis sursum ascendit, si impediat Deus illius gravitatem deorsum deposcentem, adhuc illa qualitas corrumpetur, non ob gravitatem, hæc enim supponitur impedita, suapte ergò sponte desinet.

Dices primò ex Ovied: Quòd gravitas naturalis, nullo modo, sit causa corruptiva illius qualitatis: quia gravitas in corpore conducet, ut in illo producatur impulsus. Ergo non potest corrumpere illum, quia nulla forma, conducere potest, ad id, cujus est causa corruptiva.

Respondetur. Hanc rationem multum probare, probaret enim gravitatem non conducere ad motum sursum, quia interdum contrariatur motui; si enim sit magnus lapis, projici non potest, & tamen experientiâ constat, lapidem mediocriter gravitantem, altiùs projici, quàm plumam. Directè autem, dici potest, quòd ea, quæ se passivè ad aliquid habent, per modum dispositionis, nunc verò, per modũ causæ, possint diversis effectibus servire, licèt causa, in quantum aliquid per se causat, oppositum causare non possit: & ita motum sursum non causat per se gravitas, sed per se, tantùm motum deorsum, per accidens autem, disponere conducereq; potest, ad motum sursum, & ita v. g. frigus per se nonnisi frigefacit, & tamen per antiperistasim, conducit ad calefaciendum. Quare autem, causa non possit producere, contrarios effectus per se, hoc experientia probat, deposcit naturæ ordo, & determinatio motus naturalis, qui semper est ad unum.

Dices secundò ex eodem: Nunquam gra-

dus, etiam remissus frigoris, potest conducere positivè, ut introducatur, gradus valdè remissus caloris: quia scilicet frigus, non potest esse princ[illegible] duorum oppositorum, ergo neque illa grav[illegible] potest deservire, tàm ad receptionem qualitatis impressæ, quàm ad corruptionem ejusdem.

Respondetur. Etiam gradus unus remissus frigoris, conducit in Antiperistasi, cum aliis, ad intensionem caloris, totumq; frigus, idq; ideò; quia hoc facit per accidens, nec per se producit calorem ita etiam, & gravitas illa per se non producit motum sursum.

Dices tertiò. Si gravitas esset contraria illi qualitati, diminueret de illa, cùm primùm imprimitur.

Respondetur. Gravitatem, cùm non sit qualitas per se activa, & principiativa, præterquam motûs deorsum, & eorum, quæ illi debentur, non potest se expedire ad diminuendam qualitatem impressam, si valdè intensa imprimatur, secus si debilis, & illius non superativa.

DIFFICULTAS III.

De motu reflexo.

NOn solùm motum violentum, qui causatur à qualitate impressa, sed etiam motum naturalem, reflectit interdum corpus obsistens, unde reflexio utriq; huic motui communis est, licèt reflexio ipsa non perficiatur motu, qui non habeat aliquid mistum de violento, non semper tamen est absolutè violentus; quia si tabulatum superius, obsistat motui lapidis, sursum projecti, non erit decidenti deorsum lapidi, motus violentus simpliciter, licèt admistum habeat sub initium, aliquid saltem violentiæ. Porrò de reflexione, in hoc difficultas est: Motus reflexus à quonam causetur, an à corpore reflectente, an ab illo, qui primò projicit corpus, postea reflexum?

Dicendum est: *Motum resilientiæ quemcunque causari à corpore reflectente, licet pro conditione requirat interdum motum projicientis*, dixi interdum, quia si pila aliqua, ponatur supra fila, quæ proprio pondere prærumpere possit, illa pila resiliet à pavimento, tamen illic nullum reperietur projiciens.

Probat primò Ovied: Quòd motus resilientiæ, non causetur à projiciente; consequenter quòd à corpore reflectente. Impulsus projicientis nullam habet virtutem, ad movendum projectum, in partem oppositam, quod probat: quia si hanc virtutem haberet, etiam causaretur resilientia, quando impediretur corpore molli, quod est contra experientiam.

Responderi posset, quòd projiciens, habeat hanc vim, non quomodocunq; acceptus, sed habens circumstantiam corporis obsistentis; & sicut potentia motiva, habet vim producendi motûs localis, quantumvis sine loco, illum exercere non possit, sic projiciens, quamvis habeat vim causandi motum resilientiæ, tamen nisi habeat corpus, ad quod allidat, facere id non poterit: projiciens item vitrum, habet vim concutiendi illud, quamvis projiciens in plumas, concutere non possit.

Probant secundò alii. Manente eodem principio, adhuc secundùm diversitatem corporis obstantis, magis vel minùs, fiet resilientiæ, nullaq; erit, si nullum sit corpus obsistens, ergò id referri debet in ipsum obsistens.

Respondetur hoc argumento, id solùm evinci; quòd independenter, à circumstantia corporis obsistentis, non possit uti, illâ suâ virtute, projiciens. *Antequam probetur Conclusio,*

Suppono. Quòd corpus reflexum ab eo, quod est causa motûs reflexi, (quæcunq; tandem illa causa statuatur) debeat accipere virtutem aliquam, ut resiliat, quam tamen virtutem, antea non habuerit.

Ratio: Tum quia, si projectio imprimit virtutem, cur non imprimeret resilientia? & quidem virtutem permanentem, quia sicut remotum à projiciente corpus adhuc movetur, ita resiliens, adhuc movetur. Tum quia, quando vehemens ventus, rapit aliquid, unà secum illud deportando, ita ut moveatur ad motum ipsummet, tempestuosi venti; nulla tunc datur virtus impressa: cùm sit conjunctum semper principium motivum, moto; & tamen illud ipsum, impactum corpori obsistenti, resiliet; Ergo, debebit habere novam virtutem motivam. Tum quia, non rarò corpus resiliens, longiùs procedit, quàm processisset, si motu directo perrexisset, ergò apparet, imprimi novam virtutem. *Hoc supposito*

Probatur tertiò conclusio. Illud est causa motus resilientiæ, quod est causa virtutis illius noviter impressæ; sed causa virtutis noviter impressæ, est ipsum corpus obsistens. Ergo. Major probatur istis, quæ adlata in supposito. Minor autem probatur: quia primò projiciens, nihil tunc agit, potestq; jam non existere.

Confirmatur hoc ipsum. Quia si resilientia proveniret à projiciente, tunc allisa ad plumas pila, resilire deberet, nam ex una parte, non potest ulterius procedere, sicut non posset ulterius procedere, allisa lapidi, & ex altera parte, impulsus, per adversarios est causa motus reflexi; quæ adhuc causa manet, poteritq; pilam longiùs promovere, ergo si non promovet, deest aliqua causa, nempe additio novæ virtutis, à reflectente.

Quòd autem, pro conditione respiciat ipsum projiciens.

Ratio, quia nisi accedat, motus projectionis,

nis,ad corpus obsistens,non fiet reflexio, Ergo respicit projectionem illa reflexio, sed non tanquam causam reflexionis,ut dictum, ergo tanquam conditionem.

Objicitur primò: Non est ratio,cur potius ipsum corpus obsistens,non sit potiùs conditio, quàm ipse motus projicientis.

Respondetur.Esse potiorem rationem,quia datur illic qualitas nova, quæ pro principio,debet aliquid importare, sed non importat projicientem, ob dictam rationem, ergo importabit corpus obsistens.

Objicitur secundò. Impulsus,erat sufficiens ad protrudendum longiùs pilam,& adhuc persistit in illa pila, cur ergo reflexionem, non operabitur?

Respondetur, quòd qualitas illa, post impactionem, non persistat, sed violenter in puncto reflexionis extinguitur, eo planè modo, ac si manu arreptâ, pilâ currens sisteretur,nisi, quòd manus arripiens: non imprimat postea resilientiam.

Objicitur tertiò. Reflexio lucis per speculum, non causatur à speculo, ergo nec resilientia,à corpore obsistente.

Respondetur.Disparitatem esse,quia lucem nihil causare potest, nisi luminosum jam autem motum,quodcunq; corpus proportionatum.

Objicitur quartò.Si motus resilientiæ, causaretur ab obsistente,semper causaretur.

Respondetur.Non semper causari,quia sæpè deest conditio, v. g. adlatio impetuosa corporis resilituri, gravitas corporis impacti, superans vires obsistentis, cæteroqui impressuri virtutem reflectibili,si non fuisset tàm ponderosum.

Instab: Quò impulsus est fortior,eò resilientia est fortior. Ergo apparet, illam causari ab illo impulsu.

Respondetur. Etiam corpus quod est durius,ordinariè loquendo, eo magis resilit ab illo projectum, cur ergo, vi ejusdem medii termini, non causabitur à corpore obsistente? est autem fortior impulsus, conditio resilientiæ fortioris, quia experimentum docet, quòd duritia, non meliùs quàm impetu probetur, & quia resilientia illa, est quasi experimentum duritiei, & modus, quo se illa exhibet, ideo requirit fortior resilientia,fortiorem impetum, unde virtus ista repulsiva,ita se habet, sicut exercitus ordinatus, in quo plures hostes, si ingruunt,eò plures expediuntur milites.

Objicitur quintò. Paries non se movet,ergo non imprimit impulsum.

Respondetur. Ad impulsum propulsionis,esse necessarium motum propellentis, ut patet, dum manum reducimus lapidem projecturi, sed hoc non est necessarium, ad motum resilientiæ. Quòd autem,non sit necessarius motus, ut qualitas impressa producatur, ratio negativa potest dari, quia scilicet, nec ratio, nec experientia, id evincit, quæ stat pro aliis, quæ motum requirunt.

Restat quærere, An mobile projectum, in puncto reflexionis quiescat?

Triplex potest accidere reflexio,Primò dum suapte naturâ deficit impulsus, sursum elevativus,& cùm incipit grave, reflectere se deorsum. Secundò dum occurrit corpus,magis grave,deorsum descendens. Tertiò, alliditur corpori obsistenti, v.g. pila parieti, *Circa quæ*

Assero primò. *In reflexione primi generis,intervenire semper quietem.*

Ratio: quia devenire est, ut sicut gravitas est v. g. ut 4. deprimens deorsum, ita etiam sit virtus elevativa ut 4. attollens sursum, quo casu, nulla pars aget, quia victoria semper est ab excessu; adeoque nec huc, nec illuc movebitur, consequenter, quiescet, idemq; etiam contingeret in vacuo, quia etiam in vacuo, dari posset æqualitas illarum virtutum.

Assero secundò. *In casu secundò non dari ullam quietem.*

Ratio: Tum quia,quies hæc, ut dixi, infundatur æqualitati,jam autem extemplò, gravius superveniens, vincit vim sursum elevativam. Tum quia, si quiesceret illa pila, quiesceret etiam imminens illi pondus,est enim illa pila,medium corpus inter centrum gravitatis, & inter grave descendens. Motus autem remotioris, non datur,non moto intermedio, aliàs tunc fieret penetratio. Quòd si quiescit, quæ causa illius quietis, non gravitas descendentis, quia hoc appetit deorsum, non vires pilæ, quia hæ exiles,ergo nulla illic causa quietis. Et quamvis motus reflexus, & modus directus, sint motus contrarii, adhuc tamen continuari poterunt, quoad tempus, quamvis continuari, quoad aliqua non possint,sicut continuatur motus mortui animalis,cum motu viventis, dum exturti v.g decidens moritur, punctumq; illud reflexionis, diverso respectu erit, & finis, & principium,incipietq; tunc moveri deorsum, cùm sistet motum sursum.

Assero tertiò. *In casu tertio dari quietem,* sed sub distinctione, si virtus impressa à corpore reflectente, superet impressam, à projiciente,non dabitur quies.

Ratio: quies est negatio motûs, non datur autem in illo casu, negatio motûs, quod ipsum probatur, post impactam qualitatem impulsivam:non datur quies. Ergo nec post impressam qualitatem reflectentem, idque ex eo, quia sicut impulsiva,excedit gravitatem impulsi, ideoque movet, ita reflectens qualitas, excedit & gravitatem & qualitatem,in oppositum moventem. Cæterùm si sit virtus æqualis impulsiva, & reflexiva,accedente gravitate movente deorsù, dabitur punctum quietis.Ratio,quia neutra pars

exce-

excedit, nec inde sequetur, motum illum fuisse in instanti, quia sicut corpus illud, per partes recedit, nec habet vim, nisi determinatæ celeritatis principiandæ, ita, & per partes succedit aer.

QUÆSTIO III.

De inceptione, & desitione motûs.

HÆc quæstio, ad multas materias Theologicas, & Philosophicas, intellectu est necessaria, quod tamen difficillimum erit, deducetur per motum Corollarii, ex materia, de quantitate.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur quædam.

PRÆMITTO primò. *Ea quæ hîc dicuntur, de Inceptione & desitione motûs, proportionaliter applicanda sunt, de ipsis terminis motûs.* Et quia, termini motûs, interdum sunt res permanentes, interdum successivæ, hinc & motus, alii sunt permanentes, alii successivi. Rursùs, ex permanentibus, alii sunt termini indivisibiles, & quoad se, & quoad modum incipiendi, & desinendi, quomodo incipiunt & desinunt, anima, Angelus, actus intellectûs; alii verò sunt divisibiles quidem quoad se, tamen indivisibiliter incipiunt, ut visio, phantasma materiale, &c. Jam verò, quod attinet ad terminos motûs successivi; isti interdum sunt successivi per se, tam quoad modum incipiendi, quàm quoad suam entitatem, quale est tempus, motus localis, alii successivi, quoad modum incipiendi, idque per accidens, eò quòd toti simul, incipere potuerint, ita v. g. dum intenditur gratia, motus ille, quemadmodum, est successivus, quia, tota simul intensio gratiæ produci potuit, & de his omnibus, in præsenti dicendum.

PRÆMITTO secundò: *In hac Materia attendendum est*, tàm quoad formas substantiales, quàm quoad accidentales, incompossibiles, sive quoad se, ut est, odium, & amor, sive incompossibiles, quoad intensionem, qualis est oppositio, inter summum calorem, & frigus; attendendum inquam est primò, ut talis, ipsis, modus incipiendi, & desinendi tribuatur, vi cujus, non sequatur, duas esse formas in subjecto simul, sive sint illæ substantiales, sive incompossibiles accidentales. Secundò attendendum est, ne ex modo incipiendi, & desinendi, sequatur esse aliquod instans, quo materia, sit sine ulla forma substantiali.

PRÆMITTO tertiò. *Modos istos incipiendi, vel desinendi, dividi in intrinsecos, & extrinsecos.* Intrinseci modi, sive desinendi, sive incipiendi, important semper esse: Modi autem desinendi & incipiendi extrinsecè, semper important non esse, pro tunc, cùm incipiunt, vel desinunt. Dicuntur autem modi desinendi per esse, pro tunc, dicuntur inquam, modi intrinseci, quia ipsum esse, illis ipsis instantibus intrinsecatur, & est, esse illorum terminorum, tunc, cùm est esse ipsarum interceptionum & desitionum, sicut è contra, modi incipiendi & desinendi, qui sunt per non esse, pro tunc dicuntur extrinseci, quia illis, non intrinsecatur esse.

PRÆMITTO quartò: *Quando aliquid, incipit intrinsecè, vera est de illo, hæc propositio: Nunc est tempore antecedenti, non erat*, ubi esse formæ, & esse illius instantis principiativi, secum intrinsecantur, quando autem aliquid desinit intrinsecè, verum est de illo dicere: Ultimò est, tempore sequenti non erit, ubi desitio, adhuc intrinsecatur, cum esse. Quando autem aliquid incipit extrinsecè, verum est de illo dicere: Nunc ultimum non est, immediatè post erit, ubi inceptio non habet intrinsecatum sibi esse, sed sequelam tantùm, esse immediatè futuri importat; si etiam desinat extrinsecè, verum est de illo dicere: Primò non est, immediatè antè fuit: diciturque hic modus, existendi extrinsecè, quia non involvit esse.

PRÆMITTO quintò. *Præter hos modos incipiendi, & desinendi, comminisci aliquos, modum incipiendi, & desinendi, in tempore indeterminato*, quod licèt indeterminatum sit, antecedit tamen certum aliquod, v. g. ultimum durationis instans, & ita dicunt. Si Deus formaret tale præceptum, fac amoris actum, ante ultimum instans tuæ vitæ, non servando illud præceptum, peccaret mortaliter homo, & tamen desitio gratiæ, & inceptio peccati, in nullo fit tempore determinato, quia quodcunq; determinatum tempus, cùm sit divisibile, non importat obligationem, si enim divisibile est, nondum est immediatum, ante ultimum instans vitæ, præceptum autem erat, de eliciendo actu in tempore, immediatè antecedente instans mortis, quia aliàs daretur instans, ante instans. Ergò, peccabit in tempore indeterminato, nihil enim aliud excogitari potest.

RESPONDET primò Konin: Quòd sit peccaturus, ante instans, inter quod, & inter ultimum instans vitæ, intercedit tempus, sed ita breve, ut in illo, moraliter loquendo, non possit impleri præceptum, ad quod humano modo explendum, requiritur tempus majus.

NON SATISFACIT hæc responsio. Nam demus, Angelo impositum hoc præceptum, quando ille Angelus peccabit? non peccabit in instanti, antecedente ultimum instans vitæ, aliàs dabitur instans, ante instans, non in instanti, post quod intercedit tempus, quia adhuc illo tempore, posset Angelus implere præceptum, non in certa aliqua parte temporis, quia post illam certam partem, adhuc est aliquid temporis, ergo illo adhuc impleri præceptum potest. Quando ergo ille Angelus peccabit?

RESPONDET secundò Lugo, disp. 4. de Sacr. Sect. 6. Illud præceptū non posse dari, quia præceptum

ceptum importat obligationem, obligatio ligationem subditi, ad aliquid, quod nisi faciat, peccet, hæc ligatio subditi, importat redactionem ad talem statum, in quo citra peccatum, aliud facere non possit, tunc autem, inquit, ideo non ita se haberet, quia in quolibet instanti, vel in qualibet parte temporis, posset adhuc differre, si vellet, ergò nunquam obligaretur.

Non Satisfacit hæc responsio, in principiis, tenentium, componi tempus ex indivisibilibus, quia datur instans, immediatè antecedens instans vitæ. Non satisfacit etiam in principiis tenentium componi tempus, ex partibus in infinitum divisibilibus, quia datur saltem instans ultimum vitæ, cur ergo tunc non obligabit hoc præceptum.

Respondetur tertiò: Peccaturum illum hominem, in tempore indeterminato. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia nullæ dantur istæ partes indeterminatæ, ut dictum suprà. Tum quia, datis partibus, ipsis indeterminatis, non salvabitur difficultas adlata: quia etiam illa pars incerta, & indeterminata; quâ tu, dicis incipere peccatum, & desinere gratiam, adhuc est divisibilis, adeoq; poterit posterius, committi peccatum, & desinere gratia. Tum quia, hæc responsio, præjudicat scientiæ Dei, quia, ex illa sequitur, Deum nescire, quando aliquid primò fiat, quia nescit, quando primò subtrahit concursum conservativum gratiæ, subtrahit enim illum, ut tu dicis, in tempore incerto.

Vt resolvatur tota doctrina præmissi quarti.

Assero primò: *Non dari ullam inceptionem, & desitionem, in tempore indeterminato.*

Ratio, quia nullæ dantur partes temporis indeterminatæ.

Assero secundò: *Posse Deum, hoc imprimis modo, prædictum præceptum ferre*, volo, ut instanti, immediatè antecedenti, elicias actum, tunc-que antecedenti instanti, ipsum instans mortis, peccabitur.

Ratio, quia, si hoc non posset fieri, ideò non posset fieri; quia sequeretur, instans post instans, hoc non tenere, alibi dicta, suadent.

Assero tertiò: *Posse Deum, hoc alio modo, prædictum præceptum formare*, volo, ut in tempore immediatè antecedenti, instans mortis, elicias actum, & tunc, ille actus, obligabit, in minimo Physico temporis: quod, si dividas, non erit jam tempus, & est immediatum instanti mortis, quia, post hoc minimum Physicum temporis, non est dare quidquam temporis.

Et quia decidendæ sunt inceptiones, & desitiones, conformiter ad hanc doctrinam, ut illa in compendio repræsentetur.

Teneri posset: Tempus Mathematicè acceptum, componi ex indivisibilibus, ita tamen, ut tempus acceptum sic, non sit nemine cogitante, sub formalitate Mathematici; sed tantùm objectivè, & fundamentaliter, in quantum, rerum duratio, fundat veritatem, hujus propositionis: Nunc est. Quodsi, illud tempus non est, nemine cogitante, nec compositio illius, erit nemine cogitante. Tempus autem, Philosophicè acceptum, componitur ex minimis Physicis, quæ si dividas, jam non poterunt habere rationem prioris, & posterioris, adeoq; nec quantitatem sibi debitam, & hoc tempus, est nemine cogitante, ita, ut in illo, his, quæ fiunt in instanti, nihil omninò proportionatum, respondeat. Ut alia hujus materiæ pernoscantur. *Sit*

DIFFICULTAS II.

Quid tenendum?

In communi sententia; circa inceptionem rerum permanentium hæc est.

Prima Difficultas. Non possunt incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, formæ substantiales, eodem instanti, quia secundùm explicationem horum terminorum, verum esset dicere, de forma desinenti, Nunc ultimò est; & de forma incipienti, Nunc primò est: hoc autem dici non potest, quia aliàs eodem instanti, duæ formæ substantiales, eandem materiam informarent. Quod ipsum probatur, quia erit adhuc illa forma, de qua verum est dicere; Nunc ultimò est, quia si pro illo instanti, non esset, falsa esset propositio, ultimò est, quia difformis objecto, affirmando scilicet esse, quod non est. Ex altera parte, esset etiam illa forma, de qua verum est dicere; Nunc primo est, quia si illa forma, non esset, illa propositio vera non esset, utpote difformis objecto. Non possunt etiam formæ substantiales, in uno instanti intrinsecè incipere, & desinere, in alio sequenti, quia jam dabitur contra principia communis sententiæ, instans post instans, Non possunt etiam formæ substantiales, desinere ita, ut inter inceptionem, aliûs formæ substantialis, intercedat tempus, quia aliàs illo intercedente tempore, daretur materia, spoliata omni formâ substantiali.

Secunda Difficultas est, in communi sententia, quòd scilicet, non possint formæ substantiales (idemq; judicium, de incompossibilibus) incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè.

Ratio. Illo instanti, quo verum est dicere: Nunc primò forma est, verumne est dicere, ultimò non est forma præcedens, vel certè, verum id fuit, in antecedenti instanti, vel in tempore interjecto. Non primum, quia si in eodem instanti, in quo, verum est dicere: Nunc primum incipit forma, verum etiam est dicere: Nunc ultimò non est forma, quæro, an duobus illis instantibus inceptionis, & desitionis, convenientibus in unum, respondeat aliquid proportionatum, in tempore successivo, vel non respondet? si in tempore, non respondet quidquam proportiona-

tionatum, Ergo etiam si duo instantia, immediatè, penes se ponantur, nihil proportionatum respondet, consequenter, nec sequetur, componi tempus ex indivisibilibus. Quòdsi, respondet aliquid proportionatum, ergo & in tempore, & in quantitate permanenti, dabuntur aliqua indivisibilia, realia & physica, contra, quam censeant ordinariè, talia docentes. Rursùs, in tempore, quod respondet, non potest esse, nisi tempus, quia in tempore, nihil aliud est, nisi tempus, sicut in aqua, nihil respondet, quod non sit aqua. Si autem respondet tempus, ergo respondet prius & posterius, & tamen non habenti, idq; essentialiter, prius & posterius; non potest respondere, quod est prius & posterius. Forma autem substantialis spiritualis, nec in inceptione, nec in desitione informativa, habet prius & posterius. Non potest etiam dici secundum; quia sequeretur instans, post instans, quod communis sententia non admittit. Non tertium. Quia, si in tempore interjecto, verum est dicere; Ultimò non est, quomodo ultimò non est, si per tempus illud *Vltimò* trahitur, nec habet indivisibilem rationem ultimi. Quæ autem dicta sunt, si dicatur incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, commutatâ proportione, dici possunt, si dicatur, desinere intrinsecè, incipere extrinsecè.

Tertia Difficultas est, Istud primò esse, vel primò non esse; item ultimò esse, vel ultimò non esse, vel verificatur, de ipsis terminis motûs, vel etiam, de ipso tempore extrinseco, Ergo sive dicatur, primò esse, & ultimò non esse, vel ultimò esse, & primò non esse, &c. sequi post se immediatè, non sequetur componi tempus ex instantibus, siquidem istud primò & ultimò, non spectat ad tempus, nec illud importat: si autem verificatur, de ipso tempore extrinseco, ergò in tempore, datur aliquid primum. Ergo, non est compositum tempus, ex prioribus, & prioribus in infinitum, quæram enim illud primum, estne divisibile? si indivisibile, ergo componitur tempus, ex indivisibilibus; si divisibile, ergo habet prius se, adeoque non est primum de illo ipso priori, quærere restat: an sit divisibile, an indivisibile, redibitq; argumentum factum? His circa communem sententiam pensatis.

Dicendum est: *Formas substantiales, & incompossibiles accidentales, vel secundùm se, vel secundùm gradum, incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, ita, ut uno, eodemq; instanti inceptionis, verum sit dicere*: Nunc primò forma est, & de præcedenti; Nunc primò non est. Quòd incipiant intrinsecè, Ratio est, quia cùm sint indivisibiles, verum est de illis, nunc primò sunt. Rursùs, quia sunt causa desitionis aliûs formæ, debent esse, adeoque non debent incipere extrinsecè. Et quia se invicem, pati non possunt, non per se ultimò, sed per primò non esse desinent. Quamvis autem, physicè loquendo, simul id fiat, tamen non in eodem instanti naturæ; quia priùs est inductio formæ novæ, quàm expulsio veteris.

Quod autem attinet ad formas accidentales, quæ successivè inducuntur, propter resistentiam contrarii, quomodo inducitur calor, vel quæ successivè, per motum localem propagantur. Tunc si horum inceptio in determinata parte subjecti accipiatur, & pro minimo sui Physico, incipiet etiam intrinsecè, & desinet extrinsecè, cur non enim? par erit illarum ratio, cum aliis formis, licèt, si sumantur respectu totius illius, quod paulatim disponitur, non sit verum dicere: Nunc primò, est, quia supponitur fuisse in antecedentibus partibus.

Rursùs in communi sententia, circa inceptionem, & desitionem rerum, per se successivarum, quale est tempus, motus localis continuus, hoc ordinariè docetur, nempè quòd incipiant extrinsecè, seu per ultimum non esse, & quòd desinant extrinsecè, per primũ non esse.

In communi sententia circa, inceptionem & desitionem rerum successivarum.

Prima Difficultas est, quam urget Arriag: De quo verum est dicere: quòd incipiat extrinsecè, verum est dicere; Nunc ultimò non est, de quo autem, verum est dicere: Nunc ultimò non est, de eo verum est dicere, Immediatè post, Nunc erit, aliàs falsum esset, quòd ultimò non sit. De quo autem, verum est dicere, immediatè post; Nunc erit, de eo etiam, verum est dicere, Nunc est, nam omnis propositio ex Aristotele, quæ est vera de præterito, aut futuro, vera etiam erit de præsenti, ut sit propositio de ineſſe.

Secunda Difficultas est. Quia fundamentum, quod assumit communis sententia, non convincit, habet autem ita. Quia, quòd successivum ens incipiat extrinsecè, & desinat extrinsecè, hoc inde est, quia nullum assignari potest instans determinatum, in quo, ita primò vel ultimò sit tempus, ut non prius & prius fuerit, nec est assignabile, instans determinatum, in quo ultimò sit propter easdem partes proportionales. Hæc autem ratio, non convincit, quia multùm probat, nam probaret res successivas, nec extrinsecè incipere aut desinere, idq; ex eo, de successivis per se, v. g. de motu, non potest verificari, primò non est, vel ultimò non est, quia quando verum est dicere, ultimò non est, vel inter positionem actualem illius objecti, quod ultimò non est, vel inquam, intercedit immediatè tempus divisibile, vel immediatè intercedit instans; Si intercedit instans, Ergo dabitur instans, post instans, si intercedit tempus divisibile, ergò falsum fuit dicere, ultimò non est, quia post istud ultimò, est aliud ultimum, correspon-

dens

Idem Medius terminus sic aliter proponitur: Non potest v. g. tempus incipere intrinsecè, ergo nec potest desinere extrinsecè. Probatur conseq: ideò non potest tempus incipere intrinsecè, quia non potest de tempore verificari, primò est: sed neque potest verificari, primò non est, quod ipsum probatur: ob multiplicitatem partium, quæ sunt in continuo, non potest verificari, quod primò sit, ergò neque propter multiplicitatem partium, quæ deficiunt, potest verificari, primò non sunt. Probatur consequentia, iis partibus, & taliter sumptis, applicatur *non est*, quibus partibus, & qualiter sumptis, applicatur *est*, sed propter partium proportionalium infinitatem, non potest applicari *primò esse*; ergo nec applicari poterit *primò non esse*.

Tertia Difficultas est: Inceptio, & desitio, debet esse talis & per talia instantia explicari, ut quod incipit, impossibile sit non incipere, & quod desinit, impossibile sit, non desinere, aliàs idem inciperet, & non inciperet, desineret & non desineret; sed si aliqua successiva, inciperent extrinsecè, possibile esset, illa non incipere, quod probatur; quia, de quo verum est dicere, Ultimò non est, quæro, vel adhuc impedibile est esse illius, à Deo, vel nõ impedibile: Si est impedibile, ergo illud, quod inciperet, non inciperet, quia, si esse non haberet, non inciperet, tu autem dicis, illud non habere esse: Si autem non est impedibile illud esse. Contrà erit: Quia quidquid à Deo impedibile non est ut existat, illud vel antecedentem habet necessitatem existendi, vel consequentem, nulla autem, ex his necessitatibus, convenit illi termino inceptionis, non antecedens necessitas, existendi, quia hæc est impossibilis, utpote destructiva libertatis Dei, non consequens, quia hæc est, ex suppositione esse, quod pro illo instanti, seu pro ultimo non esse, non censetur haberi, aliàs si illud, jam haberet. falsa esset propositio, quòd ultimò non sit, cùm jam esset. *His circa communem doctrinam pensatis*:

Dicendum est secundò. *Entia successiva, incipere intrinsecè, seu per primum esse, desinere extrinsecè.* Probatur prima pars: Quia si nihil obsit, dicendum est, res incipere, per ipsum esse, ut ita inceptio, & id, quod incipit proportionentur, si nihil obsit, id autem quod incipit esse, est, non autem, non est. Secunda autem pars probatur. Quia si successiva, non desinerent, per primum non esse, non proportionaretur, desitio rei desinenti, desinens enim, dicit non esse, & tamen desitio, importaret esse. Rursùs, si successiva non desinerent, per primò non esse, sed per ultimum esse; adhuc desitio illorum, esset impedibilis; quia, cùm verum est, de illis dicere, ultimò sunt, adhuc habent esse, si habent, adhuc esse, non habent adhuc suppositionem non esse; si non habent suppositionem, quòd non sint, possunt adhuc impediri à Deo, ne non sint; si possunt impediri, à Deo, ne non sint, non desinunt, quia quod potest impediri, ne non sit, non desinit, sed adhuc est.

Objicitur primò. Illud temporis, quod primò est, vel est divisibile, vel indivisibile: Si indivisibile, ergo componimus ens successivum, ex punctis; si divisibile, ergo non est primum, quia est illo prius, illud scilicet, in quod, dividi potest.

Respondetur ex dictis, illud primum temporis, physicè spectari, esse minimum physicum, divisibile quidem, sed ita, ut si dividatur, jam non salvetur ratio quanti, nec ratio temporis; illud ergo minimum physicum, quod ponitur, est primum in ratione temporis.

Objicitur secundò. Si ens successivum, desineret extrinsecè, etiam verborum Sacramentalium prolatio, desineret extrinsecè. Si desineret extrinsecè, per non esse desineret; si desineret per non esse, causare physicè gratiam non possent, nam quod non est, etiam Divinitus, causare physicè non potest.

Respondetur. Si Sacramenta causant physicè gratiam, non causant per sui desitionem, sed per inceptionem quandam, hoc est, quando ultima syllaba, incipit primò esse, humano modo sensibilis, adeoque in aliquo minimo physico, suæ sensibilitatis humano modo, de quo aliàs, nam quamvis musicè producatur, ultima formæ Sacramentorum syllaba, non desinit prolatio formæ, & tamen in actu supponitur, producta gratia, ergo apparet, non per desitionem causari gratiam, à Sacramentis.

Objicitur tertiò. Etiam minimum illud temporis habet partes, priorem & posteriorem. Ergo non potest de illo dici primò est.

Respondetur. Habet partes, sed quarum neutra per se, est tempus, ut dictum suprà.

DIFFICULTAS III.

Resolvuntur reliqua, idem concernentia.

Quæres primò. *Quid sit sentiendum de doctrina recentioris Suar: quam proponit*, Disp. 2. de motu Sect. 2. §. 8. *Circa hanc illius doctrinam*

Assero primò. *Forma substantialis, vel accidentalis, incomposibilis, respectu unius, ejusdemq; instantis, non potest incipere, & desinere intrinsecè.*

Ratio, quia tales formæ, vi talis inceptionis, & desitionis, important coexistentiam, pro illo instanti, utriusq; formæ, quod tamen supponitur, saltem naturaliter, non posse fieri.

Assero secundò. *Antequam verum sit dicere: Nunc non est primò forma, verum quidem est dicere, ultimò est forma, sed tamen, per hoc, non salvatur desitio, de qua hic,*

Ratio prioris est, quia hoc ipso, si datur primò

mò non esse, debuit præcedere ultimò esse, qui enim primò nunc non comedit, hoc ipso, ultimò debuit comedisse. Ratio posterioris est, quia hîc quæritur, de desitione, quæ inferat non esse, in impedibile etiam à Deo, ultimum autem esse, non est tale.

Assero tertiò. *Quòd in omni inceptione, sit duplex desitio; & in omni desitione, duplex inceptio,* attendendo ad naturalem rerum ordinem. In inceptione enim, est duplex desitio, quia est, & desitio formæ antecedentis, & desitio, negationis, præsentis formæ: & in omni desitione est duplex inceptio. Inceptio scilicet formæ subsequentis, & inceptio negatæ negationis desitionis. Comparando ergo, inceptionem formæ, cum desitione, negationis præsentis formæ, quando verum erit dicere: Nunc primò est forma, verum erit etiã dicere, nunc ultimò non est, negatio desitionis formæ præsentis, quo in sensu salvari potest extrinseca ejus inceptio, sed hæc inceptio, Analogicè se habet, ad hanc, de qua in præsenti; nam quamvis involvat non esse, quod commune est, imò formalisat inceptionem extrinsecam, non est tamen extrinseca durationi rei, sed conjuncta illi, si autem esset verè extrinseca, non involveret esse rei.

Quæres secundò. *Quid sit sentiendum, de doctrina Pontii,* Disp. 47. Q. 4. qui asserit, supposito etiam, quòd tempus, constet in infinitum divisibilibus, non esse tamen necesse, ad explicationem inceptionis & desitionis rerum, adhibere extrinseca instantia.

Assero, *tenendum hoc non esse.*

Ratio, quia, quòd incipit intrinsecè, de illo, verum est dicere, primò est, hoc autem non posset verificari, suppositâ compositione temporis, & in infinitum divisibilibus: Quod ipsum probatur, de quo verificatur, primò est, vel est, habens partes priores & posteriores, vel non est habens; Si non est habens, sententiam deseris; Si est habens, Ergo illud primum, non est primum, sed dantur partes illo priores.

Dices primò. Potest dici, quòd motus hodiernus, incipiat hodiè, & quòd desinat, post diem hodiernam.

Respondetur. Potest quidem dici: Nunc vulgariter incipit, hodiernus motus, sed non potest dici: Nunc primò, propter rationem, suprà adlatam.

Dices secundò. Incipere rem aliquam esse, est idem, ac esse, pro aliquo tempore, & immediatè ante, non fuisse, sed verum est dicere, quòd motus hodiernus, sit hodiè, & quòd non fuerit antè. Ergo potest dici de illo, quòd hodie inceperit.

Respondetur. Motum hodiernum incepisse Nunc, seu hodiè, vulgariter, sed non hodiè, neq; nunc, quod sit primò, & per exclusionem prioris & posterioris.

Dices tertiò cum eodem, Qui dicunt, quòd motus incipiat in instanti extrinseco, in quo, verum est dicere, jam non est, & immediatè, post erit, debent admittere, quod immediatè post erit.

Respondetur. Hoc quidem est verum, quod id debeant admittere, sed quod id, salvare possint, conformiter ad sua principia, ut tenendo partes proportionales, non admittant extrinseca instantia, hoc erat probandum. Nam sicut non datur, primò esse, nec dari potest, immediatè erit, tàm enim illud primum non potest esse primum, quia in infinitum divisibile, quàm non potest esse immediatum, quia etiam illud immediatum, est in infinitum divisibile.

Quæres tertiò. *An id, quod naturâ suâ natum est, incipere intrinsecè, & totum simul, qualis est, v.g. Angelus & gratia, possit incipere extrinsecè & successivè?* v.g. an possit Deus facere, ut ad gratiam producendam, assumatur forma sacramentalis, quæ necessariò est successiva, ut, quâ successiva, producat gratiam, ita, ut ejus productione, successivum aliquid, etiam in tempore, proportionetur, & de hoc est major difficultas, nam quod possit, desinere intrinsecè, & incipere intrinsecè, id, quòd natum est incipere intrinsecè, & desinere extrinsecè, probat vel hoc ipsum, quod miraculosè possint, duæ formæ substantiales, secum permanere, multò magis se compati, ut una sit ultimò, altera sit primò; ad priorem ergo illam difficultatem quod attinet.

Assero primò. *Quòd partes jam transactæ, si dum actu existunt, nihil erant operatæ, dum non existunt, divinitus assumi non possunt, ad productionem gratiæ, vel ad aliquid causandum Physicè.*

Ratio, quia ad elevabilitatem, & causalitatem physicam requiritur existentia, de quo aliàs actum, fuitq; sermo etiam in materia de causalitate Sacramentorum.

Assero secundò. *Quòd etiam Divinitùs fieri non possit, ut gratia, secundùm suam practicè entitatem spectata, per partes producatur, v.g.* ut unus gradus gratiæ, per partes producatur.

Ratio, quia quod non habet partes, implicatq; ut illas habeat, etiam Deus non potest facere, ut producatur per partes: nam & non haberet partes, quia ei implicant, & haberet, quia per partes produceretur, unus autem v.g. gradus, non habet partes.

Assero tertiò. *Id quod existit forma Sacramentalis, actu sensibilis, humano modo, dupliciter assumi potest, ad producendam gratiam.* Primò, ut actio illius sit productio & conservatio gratiæ: Si priori modo, assumatur ad producendam gratiam, actio illius, necessariò instantanea erit, non habebit enim prius, & posterius; quòd si posteriori modo assumatur, scilicet, ut circa gratiam, non

non solum rationem primò producentis, sed etiam rationem primò conservantis, habeat, tunc non erit necesse, illam actionem esse indivisibilem.

Ratio, quia illius gratiæ conservatio, potest etiam in tempore fieri.

Assero quartò. *Etiam Divinitùs fieri non posse, ut quando, non est aliqua pars Sacramenti, quæ supponitur causasse gratiam, succedens pars, continuet ejusdem actionem, si fortè aliquam haberet.*

Ratio, quia actio, est essentialis dependentia ab hoc principio. Ergo ab alio pendere & continuari non potest.

Assero quintò, *partes antecedentes formæ, v.g. producere gratiam, in aliquo sui, hoc est, in illo complemento, illius pronuntiationis, constituente, & complente ultimò formam, reddente q; ultimam syllabam, primò, humano modo sensibilem.*

Ratio, quia in ante, non possunt illam producere, alias maneret aliquis v.g. absolutus, id q; per infusionem gratiæ, ante prolationem formæ, sed de hoc in materia de Sacramentis.

DISPUTATIO XIII.

De Ubi, Duratione & Tempore.

Ubi, est terminus motûs, sed non semper motu acquiritur. Nam Adam habuit locum in paradyso, nec tamen illum acquisivit per motum, sed per sui productionem in illo loco; quia tamen etiam motu acquiritur, rectè, post tractationem de motu, ejus consideratio adjungitur, succedet postea, Duratio, & Tempus.

QUÆSTIO I.

Quid Locus?

Locus, dupliciter spectari potest, primò, secundùm quod, dicit formaliter, præsentiam hic: & hic locus intrinsecus, vocatur Ubi. Secundò spectari potest locus extrinsecè, pro contentivo Ubicatorum eorumq; ambitivo.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Locus extrinsecus?

Definit Locum Aristot: *Quòd, sit ultima superficies corporis continentis immobilis*, 4. Physic. tex. 39. & 41. Dicitur *ultima superficies*, ad condistinctionem, à loco improprio, qualis est Civitas, regio, &c. & ut ostendatur, quòd quamvis ipsa superficies, postea cingatur aliâ superficie, quia non cingitur prout cingit, & per se loquendo, sed secundùm quod corpus est, ideò adhuc erit ultima superficies, vel certè dicitur esse superficies, quæ, quâ talis, non indiget uniri, sed solùm esse contigua. Ly autem superficies, non debet sumi, prout est de prædicamento quantitatis, importatq; extensionem, in Longum & Latum, sed prout dicit Continentiam rei. Dicitur autem *esse immobilis*, ut condistinguatur à loco improprio, quale est vas, vestis &c. quid autem significet hæc immobilitas, infrà dicetur. Probatur bonitas definitionis, quia convenit Omni, Soli, & Semper, procedit-que per prima prædicata.

Dices primò. Si locus, est dicta superficies, sequitur, quòd, qui habet plures superficies, ille sit in pluribus locis, adeoq; virgam aquæ infixam, quæ habet superficiem, aquam & aerem, esse in duplici loco: sequitur item, quòdsi duo corpora se penetrarent, & haberent eandem superficiem ambientem, quòd essent in uno loco, & tamen dicuntur, duo esse locata.

Respondetur, plures illic esse superficies materiales, formaliter autem est una, quia omnes illæ conveniunt in ratione formali continentis immobilis, secundùm eundem locum immobilem & idem Ubi. Corpora illa penetrata, hoc ipso, quia penetrata sunt, sunt in eodem loco, quamvis autem sint plura locata, non sequitur plurificari loca, quia multiplicatis subjectis denominationum, non est necesse multiplicari formas, sic plura essent alba, quamvis unâ replicatâ albedine dealbarentur, quod etiam in id resolvi debet, quia usus obtinuit, ut locatum multiplicetur, non per ordinem ad locum, sed rei, quæ locatur.

Dices secundò ex 4. Phys. tex. 3. Tàm locus debet esse adæquatus corpori, quàm ipse locus, debet adæquatè occupari, quorum neutrum dictæ superficiei convenit, idq; ideò, quia continens, est majus contento; & si illa superficies est adæquata locato, à centro locati descripti circuli ad superficiem, concavam loci, & ad superficiem convexam, tunc illi circuli æquales esse deberent, quod est contra Mathematicos.

Respondet Averroes, Locum debere esse æqualem locato, non ratione dimensionis, sed ratione continentiæ, quia scilicet nulla est pars

locati, quæ loco non ambiatur, & nulla pars loci, prout ambit, est major locato, quo enim excedit locatum, jam eo non ambit.

Dices tertiò. Locus debet esse forma locati, debet esse terminus mobilis, debet esse id, quod trahit corpora, ut ea conservet ex 4. Physic. tex. 4. & 4. Cœli, Tex. 22.

Respondetur. Locus est forma impropria locati, constituit enim locabile in ratione locati, est terminus mobilis, quia mobile movetur, ut acquirat locum, trahit etiam corpora, quia corporum, bonum est, esse in loco, non in vacuo, quæ omnia conveniunt loco, quamvis ille sit ultima superficies.

Addo, quòd, quamvis dictâ definitione potiùs explicetur, quæ res sit Locus, quàm, quid sit, hoc tamen bonitati definitionis non obest, nam formalitates benè describuntur, ostendendo, quid sint, & additâ competenti connotatione, sic unum describitur, quæ res sit, cum certo connotato dicendo, quòd unum sit ipsum ens prout dicit negationem divisionis.

Major est difficultas explicare, quid sit ista immobilitas. Missis non ita vulgatis explicationibus.

Explicat primò de Lugo, de Eucharistia, d. 5. Sect. 4. Immobilitatem loci esse ipsam superficiem realem corporis circumdantis, prout est affixa, tali spatio imaginario. Unde infert, si piscis moveretur unà cum aqua, non maneret in eodem loco, & tamen contineretur sub eadem superficie, quia scilicet locus, est quid complexũ, & ex superficie & ex immobilitate illa, hinc uno deficiente, non est idem locus.

Non Satisfacit hæc Explicatio. Tum quia esse in loco, non pendet ab aliquo, quod non est nemine cogitante, nemine autem cogitante, non est spatium istud imaginarium. Tum quia ly superficies, trahit ad se tanquam adjectivum, ly immobile, consequenter non aliquid distinctum à superficie, debet esse immobile, dicta autem explicatio, non superficiei, sed spatio imaginario tribuit immobilitatem. Tum quia vi istius explicationis locus coalescit, ex superficie, & exillo imaginario; quia autem superficies stantis in eodem loco mutatur, debebit mutari & locus, nam semper mutatur res, alterutrâ parte componente mutatâ, præcipuè cum Lug. rejiciat explicationem immobilitatis per æquivalentiam succedentis alius semper superficiei.

Explicant secundò alii immobilitatem loci, cum D. Thom. 4. Phys. ad tex. 42. locum esse immobilem ratione fixarum mundi partium, ad quas, quando non variatur distantia, in eodem loco res dicitur esse.

Non Satisfacit hæc Explicatio. Tum quia, qui ambularet per æquatorem, servaret semper eandem distantiam, à centro & polis, tamen mutaret locum, ut benè advertit recentior Suar. Tum quia, si Deus totum hoc Universum promoveret, non motis in illo contentis, tunc contenta haberent eandem distantiam ad partes fixas mundi, & nihilominus verè mutarent locũ, Ergo hæc immobilitas ad partes fixas, non salvat rationem loci. Tum quia promoveat Deus spatia fixa, immoto Petro, Petrus non movebit se loco ut supponitur, & tamen habebit aliam distantiam à partibus fixis, Ergo per illas, non explicatur universaliter ratio loci.

In idem ferè recidit sensus recentioris Suar:, qui superficiem dicit se materialiter habere ad rationem loci, sed indistantiam à partibus fixis, sive illæ sint poli, sive centrum, sive quævis alia puncta, ut alii addunt possibilia, additq; ; quòd ambulans per æquatorem, licèt haberet eandem distantiam à partibus fixis, haberet tamen illam aliter, & per diversas lineas, simileq; quid contingeret, si ipse æquator moveretur, licèt haberet, inquit, à partibus fixis etiam possibilibus æqualem distantiam, haberet tamen aliam distantiam ratione partium, à partibus fixis aliter & aliter distantium.

Non Satisfacit hæc explicatio. Tum quia esse in loco formaliter, non pendet à partibus fixis, quæ de facto sunt, ut suprà probatum, nec item à spatiis imaginariis propter itidem dicta, non etiam à possibilibus ut probatur. Quod est esse in loco, est aliquid reale positivum & existens. Ergo & id quod complet locum, debet esse reale existens, quod possibilibus non competit. Et certè possibilia, tàm verè non sunt actu, ac spatia imaginaria; quid ergo præ illis plus habent, ut actu locum, ut actu est, constituant. Tum quia, supponamus per impossibile poni à Deo omnes possibiles partes fixas, promoveat mundum Deus ipsis rebus immotis in se, tunc alius erit locus illarum rerum, & tamen eadem distantia à partibus fixis, quæ suppositio in nostris principiis, de productione omnium possibilium, est quidem impossibilis, non tamen destruens seipsam. Tum quia, quamvis nullæ sint partes fixæ, si aliquid moveretur motu locali progressivo, mutaret locum, hoc ipso enim non progrederetur. Ergo ratio partium fixarum, non est quid constitutivum loci. Et certè ly immobilis, ut dictum suprà, est adjectivum referibile ad superficiem, quomodo autem referibile erit, si immobilitas penes aliud se teneat, nempe penes partes fixas, & penes aliud se teneat, ratio superficiei, Et sicut, si lapis non moveretur, ego autem moverer, non juvaret quidquam hoc, ut competat mihi immobilitas loci; sic nec juvabit superficiem, si sit mobilis, quamvis immobiles sint partes fixæ, aliud enim est superficies, & aliud partes fixæ. Neq; valet si dicas, immobilitatem hanc, esse immobilitatem ratione distantiæ, quia quamvis non moto locato, non mutetur distantia partium fixarum & locati, mutatur tamen distantia ipsius superficiei. Unde ergo superficiei immobilitas competet?

Explicat tertiò Pontius. Immobilitatem loci desumi à tali distantia ad terminum; At quem, motûs

localis, quo movetur corpus à loco ad illum terminum. Nam locus, inquit, ut dicit talem distantiam, nequit moveri etiam de potentia absoluta, dicitq; consequenter, quando turri stante in eodem loco mutatur superficies, non mutat illa locum, quia quamvis mutet superficies se ambientes, nihilominus, quia non est distantia inter illas superficies, propterea non dicitur moveri localiter. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia, ut dixi, immobilis, est adjectivum pertinens ad substantivum, superficies, quòd si ipsa superficies in se immobilitatem non habet, quomodo dicitur immobilis? Tum quia extortum videtur, ideò turrim mutato aere, non esse in alio loco, quia inter illas superficies, non est distantia, quid enim confert, eadem superficierum indistantia, inter se, ut locatum sit in eodem loco. Tum quia impossibili etiam motu locali, poterit esse locus. Ergo per hoc, quòd locus non possit moveri ad terminum, ad quem, vel recedere ab ipso, non benè explicatur loci ratio.

Tota, ut vides, Difficultas est, in explicanda mente Philosophi, & in conjungendo ly immobile, cum ly superficies. Posset dici Philosophum hoc voluisse; Considerabat ex una parte esse aliqua continentia, quæ moto mobili non sunt unà mobilia, v.g. aer & aqua, alia autē continentia esse mobilia, ut cum transfertur vinum cum vase, attendit Philosophus plus ad hæc continentia, quæ cum mobili non transferuntur, & talia continentia non transferibilia appellavit superficiem immobilem. Ad miracula autem quæ fieri possunt, ut si Deus totum universum promoveat, nō attendit Philosophus, egitq; hîc Philosophus, utpote tractans Physica de loco nonnisi materialiter, & secundùm naturalia spectato. Quando autem sentit Aristot: quòd superficies aquæ, in flumine ambiens navigium, non sit locus, intelligendus est Aristot: de parte intima, non de extima navigii, quia extimæ locus, aqua est. Ex quo ulterius vides, Cur sit turris in eodem loco immobili, mutato etiam aere, quia scilicet, non est factus aer ille, translatâ aliò turri, sequi eandem. Porrò locum ut sic, communem loco extrinseco & intrinseco, ita definivit Pontius, Quòd sit id, ad quod res habet præsentiam, vel est id, ratione cujus res habet, ut sit illic, ubi est.

DIFFICULTAS II.

Quid sit in re Locus intrinsecus?

Nominales negant, Ubi, esse entitatem superadditam, Modalem, Affirmat Suar: uterque, de Lugo de Euch: d. 5. Sect. 5. Ovie: & alii. Arriaga realiter distinguit.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

Præmitto primò. *Non dari negationem negationis*, qua de re agitur etiam in materia de Peccato Commissionis. Ratio præmissi, præter dictas ibi, est; Tum quia negatio objectivè spectata, est, non esse, formaliter autem spectata, est, formale non esse, seu negatio esse; sed negatio objectiva aufert esse, ergo & negatio formalis auferet esse, adeoq; non dabitur negatio negationis, sed negatio esse. Tum quia si daretur negatio negationis, non haberet aliquid, quod negaret, negaret negationem, sed hoc non est negare, quod ipsum probatur. Negatio enim, rigorosè loquendo, non est aliquid, Ergo negare negationem, non est negare aliquid. Quod ipsum sic aliter proponitur, Nihil negare, est non negare, sed negare negationem, est nihil negare, Ergo negare negationem, est, non negare. Nihil enim, & negatio idem sunt. Tum quia rationes in oppositum, non convincunt. Nam non sequitur, quòd, sicut datur affirmatio affirmationis, ita dari negationem negationis, quia negatio habet pro objecto esse negandum, ut probatum: ubi ergo esse non reperit, non habet quod neget, & quia illud in negatione non reperit, non poterit illam negare, affirmatio itidem habet pro objecto esse, quòd esse, quia reperit, etiam in affirmatione, benè illam affirmare poterit, Quod esse, latiori modo etiam chimæris competit, quia etiam de illis multa affirmantur. Quod autem dicitur ex eo dari negationem negationis, quia datur mors hominis cæci, mors autem est quid negativum, cæcitas item; hoc etiam non convincit, quia aliud est dari negationem ejus, quod connotat aliquid negativum; & aliud negationem negationis, priori enim casu negatur hominis vita, quæ connotat negationem potentiæ ad videndum expeditæ. Quando etiam actus reflexus habet pro objecto negationem, non erit negatio negationis, sed erit negatio nonnisi repræsentans negationem, actu directo cognitam, eritq; potiùs cognitio cognitionis.

Posito quòd non detur negatio negationis, danda erit talis explicatio ubi, ne ex illa sequatur dari negationem negationis.

Præmitto secundo. *Distantiam, per omnes, non aliud esse, quàm non esse hîc*, & præsentiam, per omnes, non aliud esse, quàm esse hîc, de quibus duobus, postea quæritur, per quid habeatur formale esse hîc, nam Modalistæ concludunt id haberi per Ubi superadditum, & distinctum nemine cogitante, Nominales per solam negationē. Porrò cùm non detur, ut dixi, negatio negationis, videndum est, quid neget distantia, vel quid

neget Ly: non est hic,& clarum est, negare entitatem locati, pro illo spatio, quid enim est distantia Luciferi à cœlo, est non esse ejus entitatis in cœlo, habet ergo ut vides illa negatio, pro objecto esse,quod negat,& insuper, habet pro connotato & pro formali illa negatio esse,est enim distantia Luciferi à cœlo negatio entitatis Luciferi in cœlo, quamvis illa distantia in Recto dicat negationem, ad eum modum,quo negatio extensionis, dicit in recto Non esse, seu ipsum rei *non*. Pro obliquo autem,dicit ens,hoc est extensionem, quam negat. Sic annihilatio, dicit in recto, negationem concursûs conservativi, ipse autem concursus, & ens conservabile, est quid positivum & ens.

Quibus positis, infertur quòd distantia prædicto modo explicata,non erit negatio negationis, est enim negatio alicujus positivi, nempe negatio locati,in hoc spatio.

Sic descriptâ distantiâ, restat quærere, quid in recto sit illa negatio, ad eum modum, quo non esse Leonis, est quid negativum in homine, & tamen quærere est, quid in re sit istud non esse Leonis.

In re ergo illa negatio,erit v.g. existentia locabilis, & existentia loci, & inter illa interceptum spatium,vel interceptibile. Quòd requiratur ad distantiam,existentia locabilis, vel inde probetur,quia Antichristus non dicitur propriè distare ab hac parte. Quòd etiam requiratur existentia Loci, Ratio est, quia nemo dicitur propriè distare à nihilo. Quòd etiam requiratur spatium interceptum, vel interceptibile ad distantiam,ratio est,à posteriori, quia inter Deum & creaturas non est distantia, & non est etiam quidquam interceptibile, positâq; universaliter interceptibilitate corporis, ponitur distantia, non positâ interceptibilitate,non ponitur. Ergo apparet,ingredi rationem distantiæ dictam interceptibilitatem,sicut ingreditur indistantiam non interceptibilitas.

Unde colliges distantiam,dupliciter spectari posse. Formaliter & Negativè, sicq; est negatio hujus locati,in hoc loco. Deinde spectari potest materialiter, & in re, & sic, dicit corpus locabile, locum, &inter hæc interceptibilia,vel intercepta corpora.

Præmitto tertiò. *Oppositum distantiæ, indistantiam accommodatè ad duplicem distantiæ acceptionem,dupliciter spectari posse.* Primò negativè, & sic spectata, opponitur distantiæ positivè acceptæ, & secundùm quod est,in re, & quia negatio perfici non potest,nisi negatione,etiam indistantia,in quantum est quid negativum, perficietur,seu constabit negatione,cum autem non neget existentiam locabilis, quid enim indistaret? cùm item non neget existentiam loci,à quo enim indistaret? restat ut illud,quod negat indistantia,sit corpus interceptum,vel interceptibile,inter locum & locabile. Ubi ut vides, indistantia negativè accepta, non est negatio negationis, sed est negatio alicujus positivi, nempe spatii interceptibilis. Rursùs,possemus spectare indistantiam oppositam distantiæ, tanquam aliquid positivum, in quo negationes concernentes indistantiam fundari possint, & quia negatio & affirmatio sunt ita opposita,ut illud,quod una negat, hoc idem alia affirmare debeat, aliàs si non idem affirmaret,non huic negationi,sed alteri opposita esset, hinc fit, ut cùm distantia Petri importaverit non esse Petri, in hoc loco, indistantia illi opposita importat esse Petri,in hoc loco, quo casu, indistantia non erit negatio negationis,sed erit affirmatio illius esse, quod negabat distantia.

Explicatur, & aliâ viâ, quomodo indistantia opposita distantiæ negativè acceptæ, adhuc insuper,non sit negatio negationis. Quando aliqua sunt mutuò relativa, tunc illud, quod est connotatum unius relationis, est in altera relatione fundamentum, & quod est in alia relatione fundamentum,est connotatum alius relationis. Sic v.g Paternitas & Filiatio, sunt mutuò relativa, & in relatione Paternitatis connotatum, est entitas Filii, quæ in relatione Filiationis, est fundamentum; & fundamentum, quod erat in relatione Paternitatis,transit in connotatum. Ita etiam in præsenti,id quod, in relatione distantiæ, pro connotato importabatur necessariò in relatione indistantiæ in recto,&pro fundamento importabitur; cùm ergo distantia Petri importaverit in obliquo Petrum, in recto, ipsius non esse, seu non existentiam: distantia enim est,non existentia Petri,in hoc loco,tunc illi opposita indistantia, importabit Petrum in recto. Quòdsi importabit indistantia Petrum in recto, non erit negatio negationis, sed erit affirmatio esse, quod negabat distantia, & sic sumpta indistantia, erit esse Petri, prout negat negationem sui esse,adeoq; affirmat se,hîc esse. Et in hac explicatione, negativè jam indistantia non accipitur, sed affirmativè, nam ex duobus negationibus, fit una affirmatio, eritq; indistantia Petri ipsum Petri esse,seu esse locabilis, prout negat negationem sui esse, adeoq; affirmat se hîc esse.

His præmissis

Dicendum est primò. *Indistantiam seu Ubi,non esse entitatem suprà additam,* sed esse Ubi,seu locum negativè acceptum, ipsammet entitatem locati, prout negat inter se & locum, interceptũ spatium,vel interceptibile. Positivè autem acceptum ubi est ipsamet entitas Petri, prout negat negationem sui esse,in hoc spatio, vel prout dicit esse illic,vel esse in hoc spatio. Quoad secundum hoc membrum explicationis peti debet probatio ex præmissis. Quia scilicet hæc explicatio,convenit omni,soli,& semper,proceditq; per prima in hoc genere,facileq; suaderi potest hoc secundum membrum conclusionis, modò constet de primo,nihil enim est residuum,quod dicatur,modò constet, Ubi, non esse entitatem suprà additam: Quod ut fiat, Pro-

PROBATUR primò Conclusio argumento Nominalium. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas superadditæ hujus entitatis modalis, ut solutione objectionũ constabit, inferrique potest hæc præmissa ex suppositis, ideò enim admittitur hæc superaddita entitas, ne ponatur negatio negationis, quamvis autem Ubi, non sit entitas superaddita, non ponetur adhuc negatio negationis, secundùm adlata in suppositis. Ergo.

PROBATUR secundò. Ponamus, Petrum esse, in loco A. habereque superadditam illam entitatem, ponamus rursùs non exhibito ullo concursu DEI, qui sit requisitus ad motum, annihilari illud Ubi superadditum, vel erit Petrus in alio loco, vel in eodem: non in eodem, quia aliàs, superflua esset entitas illa superaddita, siquidem potest esse in eodem loco, adeoque habere præsentiam ad eundem locum, hæc enim verbis differunt, & tamen non habere illam entitatem superadditam, non erit etiam in alio loco, quia supponimus DEUM non exhibere concursum exigitum ad motum, vel per alium, vel per ipsummet Petrum faciendum, quomodo ergo deferetur ad alium locum?

RESPONDEBIS primò. Esse suppositionem impossibilem.

CONTRA. Tum quia, quamcunque tu impossibilitatem ostenderis, illa erit cum petitione principii, inniteturq; propositionibus, quæ ipsæ sunt, quæ negantur. Tum quia simile argumentũ, si ponatur ad probandum relationẽ, non esse entitatem superadditam, recte procederet, cur ergo in præsenti non procedet? Tum quia quamvis hoc esset, impossibile, sufficit, quod non esset suppositio impossibilis, tollens se ipsam, de qua, quid sit, egi ubi, de actu, vellem non peccasse in materia de Pœnitentia & aliàs.

RESPONDEBIS secundò. Tali suppositione positâ, fore Petrum in loco remote & radicaliter, non proximè & formaliter.

CONTRA. Tum quia de hoc ipso quæritur: Cur ad esse formaliter in loco, requiratur Ubi, superadditum. Tum quia formaliter esse hîc, quocunque modo definieris, modo legitimè, jam erit hæc definitio, competens corpori in prædicta suppositione. Tum quia, si quis diceret, sublatâ relatione superadditâ, non fore relatum formaliter, non satisfaceret argumento, Ergo in præsenti idem dicendum.

RESPONDEBIS tertiò. Prædicta suppositione positâ, fore locatum in loco, negativè, sed non positivè.

CONTRA. Tum quia, nulla est necessitas, ut aliquis sit in loco, per positivitatem aliam, quàm suæ entitatis. Tum quia posito quòd termini quantitatis, sint indistincti realiter, sufficit illis dare positivitatem desumibilem ab ipsa quantitate, Ergo & ipsi Ubi, sufficit, dare positivitatem, desumibilem ab ipso locato. Tum quia ipsum Ubi, superadditum, importat etiam negationẽ distantiæ à loco, non enim importat esse distantiæ, & tamen sufficit, positivitatem illius, salvare, per ipsam positivitatem entitatis ipsius Ubi, Ergo eandem positivitatem sufficiet salvare, per ipsam entitatem locati.

PROBATUR tertiò. Certum est, in principiis modalium, non posse produci præsentiam localem hujus loci, in Petro, nisi hîc locus, circumfluat Petrum, quæro, in illo priori rationis, in quo jam hic locus circumfluit Petrum, & nondum intelligitur producta esse præsentia localis, vel est jam hîc, vel non est hîc Petrus: Si non est hîc. Ergo hic locus illum non circumfluit. Rursùs si, in illo priori, in quo nondum intelligitur pullulasse præsentia localis, non sum hîc. Ergo in illo priori, nondum potest produci præsentialitas, quia hæc, non potest produci, pro hoc loco, nisi ad exigentiam hujus loci. Quòdsi in illo priori, in quo, nondum intelligitur pullulasse præsentia localis, jam sum hîc, Ergo frustra ponitur pullulare hæc entitas si sum hic, sine superaddita entitate. Quod autem dicit recentior Suar: in illo priori, intelligi solùm effectivam determinationem, ad hunc locum, per actionem & Causam productivam rei ubicatæ: Contrà erit, quæro in illo priori effectivè determinationis, vel est in aliò loco Petrus, quàm erit adveniente illâ præsentialitate, vel in eodem: si in eodem ad quid adveniet, aliud hîc; si in alio, hoc erit merum figmentum.

RESPONDEBIS. Nullum dari tale prius.

CONTRA, quia illa Ubitas, producitur, non solùm ad exigentiam locabilis, sed ad exigentiam hujus loci, exigentiæ autem priores sunt exigito, utpotè suo modo causæ exigiti.

CONFIRMATUR Conclusio. Indifferentia DEI, quam habet ad indistandum ab hoc mundo, si non sit mundus, sufficienter tollitur solâ positione mundi, quam implet DEUS, & â qua indistat suâ entitate, Ergo etiã indifferentia quã habemus, ad esse in hoc loco, sufficienter tollitur per esse hujus loci, quod impletur. Et certè DEUS, qui est incapax superaddendæ sibi entitatis modalis, si per aliquid sufficienter determinatur, ut sit in loco; casu, quo illud idem habeat creatura, quamvis capax sit superaddendæ Modalitatis, cur non per hoc sufficienter transibit, ad esse in loco, hoc autem, per quod habet, Ubi, DEUS in mundo, est ipsius entitas, inter quã & mundũ, nihil potest intercipi, & sic quia DEUS, seipso est essentialiter determinatus, ut unicuiq; loco coexistat, sic & creatura, seipsâ est determinata, ut coexistat loco, modò locus illam circũfluat. Et sicut DEUS seipso essentialiter determinatus, ut unicuiq; loco existat formaliter, coexistit seu indistat ratione negationis, alicujus interceptibilis, inter DEUM & mundũ, cùm similis negatio reperiatur in creaturis independẽter

ab Ubitate superaddita, cur illa non sufficienter formalisabit esse ubi.

Dicendum est secundò. *Præsentiam localem, interdum non esse sine modo.*

Probatur. Quia interdum, est immò ut plurimum, cum motu locali, qui non est, sine modo.

Dicendum est tertiò *Interdum, præsentiam localem esse modum.*

Ratio, quia motus localis, unio modalis &c. inquantum hîc existunt, habent hîc præsentiam, sed non præsentiam à se, entitate distinctam, Ergo ejusdem secum entitatis, sed illa sua entitas, est modus. Ergo & præsentia, erit modus.

Sed addo hîc non quæri, an præsentia aliqua, quoad rem, sit modus, quod habet hæc Conclusio, sed an sit modaliter distincta, ab eo, cujus est præsentiâ.

Colliges per quid, locabile à non esse hic, ad esse hîc, transeat, nempè per suam Entitatem & entitatem loci, & per negationem corporis interceptibilis quàm ipsa sui, vel productione vel replicatione, vel motu proprio locali acquirit. Quòd verò Unionem substantialem non possit formalisare negatio distantiæ, possit Ubi, hoc inde est, quia anima & corpus, dispositum possunt indistare, & nondum uniri substantialiter, jam autem negatione, distantiæ positâ, hoc ipso aliquid est in loco.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicit primò Lugo, Petrum esse hîc, non est aliquod ens rationis, antecedenter enim, ante omnem mentis operationem, Petrus verè à parte rei est hîc vel illîc, sed sine hoc esse hîc, potest manere entitas Petri, Ergo hoc, quod est hîc esse, est aliquid distinctum à Petro; sed hoc non potest esse aliquid negativum, omnis enim negatio nova, debet esse per ablationem alicujus positivi præcedentis, sed Petrus, non dicitur esse hîc, quia amittit aliquid positivum, Ergo hoc, quod est hîc, non est aliquid negativum, sed positivum distinctum ab entitate Petri.

Respondetur, posse esse entitatem Petri, non esse hîc, si sit sine circumstantia negationis, distantiæ ab hoc loco, secus si istam negationem dicat, in qua circumstantia, esse hîc, non est distinctum à Petro. Quod autem dicit, omnem negationem debere esse per ablationem alicujus positivi, id verum est, de ablatione vel intrinseci, vel extrinseci positivi, non autem de ablatione, nonnisi intrinseci, ad eum modum quo etiam negatio dextri, oritur in locato, sine ablatione alicujus positivi intrinseci, nisi fortè ad infringendam instantiam velis concedere alium esse modum dextrum, alium sinistrum; hoc autem positivum extrinsecum, quod aufertur in præsenti, est corpus interceptibile.

Instat primò Maurus, sicut motus calefactionis ordinatur ad hoc, ut res sit calida, ita motus localis ordinatur ad hoc, ut mobile sit in loco; sed esse calidum, est perfectio positiva, per calefactionem acquisita, ergo & esse in loco, est perfectio positiva per motum acquisita.

Respondetur, Ipsa separabilitas quoad existentiam caloris, à subjecto, ostendit esse quid entitativè superadditum calorem; nulla autem similis separabilitas ostendi potest, ipsius Ubi, & cæteroqui ex dictis salvari illud potest, sine entitate superaddita, ratione connotationis: calor autem per connotationem salvari non potest.

Instat secundò idem. Major est perfectio rei, quiescere in loco, quàm moveri ad locum; sed motus localis, est aliquid positivum, ergo & quies, ubicatio autem est, per quam locatum, quiescit in loco.

Respondetur. Non rectè colligitur majoritas perfectionis ex superadditione entitativa alicujus positivi, nam DEUS, est quid perfectissimũ, neque tamen habet sibi ullam perfectionem positivam superadditam: independentia item est prædicatum negativum, & per nos asseitas, est tamen quid perfectius dependentiâ, & abalietate, quæ sunt quid positivum.

Instat tertiò. Ordo, secundùm locum, debet addere perfectionem intrinsecam rebus localiter ordinatis.

Respondetur. Sufficere ad hoc additionem Metaphysicam, non Physicam; & si sit res de additione Physica, hoc ipsum probandum fuisset.

Objicit secundò Lugo. Motus localis, est vera actio, Ergo vera productio, Ergo habet aliquẽ terminum positivum, de novo productum, omnis enim productio, est productio alicujus; sed hujus productionis non est alius terminus quàm præsentia localis.

Respondetur imprimis, per Nominales actio quidem productiva, debet aliquid producere, sed non actio adductiva, qualis est motus.

Rursùs argumentum multùm probat, visio enim, est vera actio, quid rogo producit, ipsa intellectio seu verbum mentis, est vera actio, quid producit, ubi ut vides, si nomine actionis venit actio, quæ sit motus efficientis, in isto sensu, motus localis non est vera actio. Si autem per veram actionem intelligas exercitium actuale potentiæ, in isto sensu vera est actio, sed non sequitur illam debere aliquid à se distinctum producere, Ergo sicut quamvis Ubi modale faciat me esse hîc, nihil tamen distinctum à se producit, sic nec ille motus localis, quamvis faciat me occupare diversa spatia successivè, non erit necesse ut aliquid producat. Unde etiam univer-

sa-

saliter docent non pauci, Actiones immanentes distinctum à se terminum non habere.

Instat Ovied: Si motus localis, non est actio, cur, in illo nihilo agendo; defatigamur.

Respondetur. Non ex conatu producendæ alicujus modalitatis defatigamur, sed ex consumptione spirituum, & alteratione interveniente in ipso motu. Quando autem Ovied: ibidem ex Nominalibus quærit, quid sit in termino, esse adductum, dici potest, quòd sit ipsum locatum, prout dicit negationem distantiæ à loco, vel locus à locato. Denique dici potest, quòd motus localis, sit actio, sed identificans sibi suum terminum, nempè præsentiam sibi debitam, sicut enim alia entia, ita præcisè etiam ipse motus, habet suam præsentiam.

Objicitur tertiò ex eodem. Ablato quovis extrinseco, manet eadem præsentia Petri hic, &c. Ergo hæc non est denominatio extrinseca.

Respondetur. Ubi importat negationem distantiæ, seu corporis intercepti, vel interceptibilis, ad cujus tamen distinctiones & varietates entitativas, non attendit Ubi, sed attendit ad hoc formale, quod est negatio distantiæ, & eâ mutatâ impossibile est non mutari locum. Addo, Ubi, esse denominationem intrinsecam, secundùm id, quod dicit in recto, licèt sit ad aliquid à se connotatum extrinsecum.

Instat primò. Etiam si corpus extrinsecum, annihilaretur à DEO, adhuc Petrus maneret in eodem loco, moverique posset localiter ad aliud spatium, Ergo hæc determinatio, provenit ab aliquo extrinseco.

Respondetur. Si annihilentur omnia corpora, annihilabitur etiam, & ipse locus, qui est superficies corporis, habebitque se tunc locatum, sicut si poneretur extra cœlos vel in vacuo, hinc rigorosè corpus, non esset tunc formaliter in eodem loco, sed esset in eodem loco æquivalenter; quia si circumponatur illi, corpus extrinsecum, eandem negationem distantiæ dicet, quam antea dicebat.

Instat secundò. Ultima superficies cœli empyrei, verè est præsens ibi, ubi nunc est, & posset moveri à DEO localiter, & tunc jam non esse ibi, ubi nunc est; illa autem superficies, non denominatur esse ibi, ab alio corpore extrinseco, non enim habet corpus aliud ulterius, à quo circumdari possit, Ergo denominatur esse ibi, ab aliqua forma intrinseca.

Respondetur. Expresè Aristot: 4. Physic. Tex: 45. docet, ultimam sphæram nullibi esse. In principiis autem ipsius, Lugo, dici posset Cœlum empyreum dicere negationem distantiæ, ab aliquo imaginabili, æquivalente in ordine ad hunc effectum, reali corpori, à quo locatum dicit negationem distantiæ.

Instat tertiò. Si Petrus denominaretur esse hîc, ab aliquo corpore extrinseco, vel illa denominatio proveniret locato, à corpore secundùm suam entitatem, vel secundùm aliquid superadditum; Si convenit propter aliquid superadditū, illud certè superadditum, non aliud erit quàm Ubi modale. Si autem illa denominatio provenit ab ipsa entitate corporis, tunc quoties in rerum natura est illud corpus, denominabitur Petrus ab illo corpore.

Responsum suprà, denominationem hîc, accipere Petrum, à sua entitate, sed in circumstantia negationis distantiæ, quod esse hîc, est denominatio intrinseca, ratione extrinseci, identificata secundùm id, quod dicit in recto. Ad illud etiam principium: nova denominatio realis nō potest haberi, nisi à novâ forma reali, ita intelligendum est, quòd debeat esse à nova forma reali, vel realitate desumibili à nova entitate, vel realitate desumibili ab entitate quidem præhabita, sed ratione circumstantiarum de novo accidentium, sortiente, novam aliquam formalitatem; & ita ratio Ubi, est denominatio nova intrinseca realis, sed non realitate, de novo superadditæ entitatis, sed realitate desumibili à præhabita entitate locati, non sortiente tamen hanc formalitatem, nisi in accessu novæ circumstantiæ, quæ est negatio distantiæ.

Objicitur quartò. Non potest esse negatio nova, nisi deficiat aliquid positivum, quod antea non erat, cujus enim illa negatio esset, in præsenti autē non potest ostendi, quid deficiat.

Respondetur. Deficere aliquid positivum dupliciter potest, primò ut existente reddatur non existens, & sic deficit vita, succedit mors. Secundò deficit aliquid positivum non per hoc, quasi revera non existat, sed quod se ita hîc & nunc habeat, ac si non existeret, & ita absentia Petri à domo, Solis ab Hemisphærio, non facit ne Petrus, & Sol existant, sed ut ita se habeant, hîc, ac si non essent; ita & in præsenti dicendum, quòd posità negatione distantiæ, deficiat aliquod corpus interceptum vel interceptibile, non quidem deficientiâ, quæ faciat non existere illud corpus, sed deficientiâ quæ facit illud corpus, eo modo se hîc & nunc habere, quasi non existeret.

Instat. Ovied: quando ego sum Madriti, habeo negationem essendi Toleti, Ergo aliquid positivum producitur.

Respondetur. Sufficere ut constituatur, in illo loco ipsa entitas locabilis quæ est quid positivum, expulsivū v. g. negationis essendi Toleti.

Objicit quintò idem. Ex hac sententia sequitur, corpora contigua, esse corpora indistantia, quid ergo erit esse corpora penetrativè. Quòd si dicas corpora penetrativè esse, est idem ubique; spatium occupare; Contra erit quia penetratio, præter corporum entitatem & spatiū, dicit adhuc aliquid aliud, & hoc aliquid aliud non est aliud quàm præsentia.

Respondetur. Corpora contigua, secundùm partes contingentes se duorum corporum distin-

distinctorum, sunt simul, sed ita, ut unumquodque illorum sit, in distincto loco: nam sint contigua, A, B, annihilato B, non censebitur A, occupare spatium B, adeoque non censentur esse in eodem loco, & certè esse contigua, & habere eundem locum, non sunt idem, primum enim indicat locum nonnisi proximè vicinum, quod etiam ipsum ly simul indicat. Unde hospites dicuntur esse simul cum Domino, quamvis non se penetrent. Penetratio autem & excludit diversitatem loci, & intereitatem importat.

INSTAT primò Arriaga. Non est corpus interceptum inter contigua, & tamen non sunt in eodem loco. Ergo negatio corporis intercepti non est locus.

RESPONDETUR. Non est quidem interceptum corpus, condistinctum ab illis duobus, est tamen corpus interceptum intransitivè, hoc est illa ipsa duo. Retorqueri item potest argumentum, cur contigua non habeant eandem præsentiam, & quamvis inter corpus A, contiguum, & inter corpus B, nullum sit corpus, tertium interceptū, ipsum tamen v. g. corpus, B, est æquivalenter interceptum, quia cohibens terminos, corporis A, ne ulteriùs procedant, ut dixi.

INSTAT secundò idem. Interceptibilitas quæ negatur, dum sum hîc, dicit substantiam locati. & locum, quæ duo, sunt positiva, & insuper dicit negationem interceptibilitatis; sed cùm non sum hîc, non negantur duo illa positiva, nam supponuntur manere, Ergo negatur aliquid tertium, quod acquirit de novo corpus, atqui, illud, est sola negatio. Ergo sola negatio negatur.

RESPONDETUR, quando non sum hîc, negatur hîc ipsa entitas mea, non quòd non existat, sed quòd se respectu illius loci ita habeat, ac si non esset.

INSTAT tertiò idem. In Petro existente hîc de novo, solum est de novo, negatio ejus, quòd me pulso, in me verè periit, atqui in me solum verè periit negatio, quia illa sola verè destructa est. Ergo Petrus acquisivit solum negationem meæ negationis.

RESPONDETUR. Petro existente hic de novo, est negatio entitatis Pauli, secuta in illo loco, adeoque non negatio negationis, sed negatio alicujus positivi.

INSTAT quartò idem. Quando totum aliquid, dicit duas partes positivas, & tertium aliquid negativum, si maneant in rerum natura, duo positiva, & sola negatio pereat, tunc nō potest de novo intelligi, nisi negatio solius negationis, sed in denominatione mei existentis hîc, duo positiva locus & corpus manent. Ergo solùm est cessatio, seu negatio illius negativi.

RESPONDETUR, illo câsu manere quidem corpus, quoad existentiam in rerum natura, sed corpus pro illo loco ita se habet, ac si non esset in rerum natura, unde negatio subsecuta, non erit negatio negationis, sed negatio illius, quod ita est, ac si non esset.

Continuatur solutio argumentorum.

OBJICIT sextò Oviedo. DEUS potuit creare mundum, cum eo ordine, quem nunc habet in spatio alio, v. g. in hoc, in quo potest hodiè creare mundum alium, quo casu non esset hic mundus in eodem loco. Ergo esse in eodem loco, non est habere hunc tantum ordinem, sed aliquid aliud præter hæc, & hoc est præsentia.

RESPONDETUR. Per Aristot: totus hic mundus acceptus scilicet secundùm supremæ sphæræ externam partem, non est in loco; sed posito etiam hoc, universum, secundùm rationem universi, esse in loco, si hoc ipsum universum in alio loco crearetur, haberet alium locum, quia haberet aliam negationem, distantiæ ab alio scilicet illo spatio.

INSTAT Ovied: Ad hoc, ut novus effectus formalis reperiatur, requiritur nova productio connotati, sed ad hoc ut aliquid sit in loco, cùm non fuerit, non potest novum aliquid connotatum assignari, quod producatur, nisi præsentia modalis.

RESPONDETUR ad hoc, ut nova formalitas oriatur, est necesse produci novum connotatum, si fiat mutatio in entibus, non verò, si fiat mutatio in non entibus, cùm enim non entia produci nequeant, debet tantùm ostendi novam negationem pullulare, quid est enim v. g. annihilatio nova Petri, certè non est productio novæ entitatis, sed est ipse Petrus non existens, & dum ab esse existentiæ ad non esse existentis transitur, non producitur aliquod novum connotatum, sed nova sola pullulat negatio, hoc est subtractio concursûs conservativi. Deinde ipsa adductio corporis locati, quæ non fuit, est quasi pro hoc locato, æquivalens productio illius, cùm antequam esset adductum, pro illo loco, habuerit se acsi non esset. Quamvis autem producatur per nos novum connotatum, ac producitur per Modalistas nova præsentia modalis, non sequitur æquè per utramque sententiam, non servari illud principium, Non sunt multiplicanda entia &c, &c. Certè enim istud principium, non vetat multiplicari negationes, præcipuè si substituantur ad id salvandum, quod alii salvant, nonnisi per entitates.

OBJICIT septimò Arriaga, indistantia est aliquid separabile â me & loco. Ergo est entitas aliqua realis.

RESPONDETUR. Annihilatio mei est aliquid separabile â me & existente DEO, & tamen non est entitas aliqua. Duratio item, est â me aliquid separabile, â quantitate item ratio termini & tamen hæc per Modalistas multos, non distinguitur entitativè Quòd si dicas hæc, non esse separabilia propriè, si item durationem dicas non esse separabilem ab Ente, secundùm quòd duratio,

tio,dicit aliquid in recto, dicit enim ipsam entitatem rei,ita & in præsenti dicetur indistantiam, secundùm id,quod dicit in recto, non esse separabilem à locato &c. Denique dici potest indistantiam non esse separabilem in circumstantia entitatis locati,negationeque corporis interceptibilis,inter locatum & locum, in quibus tantùm circumstantiis,identificatur indistantia.

Instat primò Arriaga. Præsentia localis, per nos,est carentia distantiæ. Ergo distantia, est aliquid positivum,distantia autem, est Ubicatio. Deinde,quid majus habet distantia, ut sit quid positivum quàm approximatio.

Respondetur ex dictis suprà, præsentiam localem diverso respectu esse quid positivum, inquantùm scilicet importat locabile, negativum autem,inquantum negat corpus interceptibile inter se & locum. Distantia etiam diverso respectu,est quid positivum, inquantùm dicit corpus interjectum,vel interceptibile,& diverso respectu,est quid negativum,in quantùm dicit, hic, negationem locati.

Instat secundò. Angeli sunt præsentes corporibus & Cœlo,non per negationem corporis intercepti,quia in eodem loco,in quo sunt Angeli,potest esse corpus. Ergo præsentia non est ista negatio Corporis intercepti.

Respondetur. Nos hic loqui de loco Materiali. Præsentia verò ut sic posset describi; Quòd sit entitas, prout dicit negationem spatii intercepti,vel interceptibilis,inter Angelum enim,& inter hoc spatium ubi est,secundùm quod in illo est,nec intercipitur,nec intercipi potest, ullum spatium,ly spatium,accipiendo prout est, quid commune ad locum,vacuum &c. Deinde dici potest,distinguendas esse has duas propositiones; possunt esse in eodem loco, in quo sunt Angeli,corpora,& hæc propositio est vera, Spiritus enim ob defectum quantitatis, habet vim penetrandi corpus,& alia est hæc propositio: inter Angelum in Oriente positum, & Angelum in Occidente positum,non potest intercipi corpus,& hæc propositio est falsa,verumque est oppositum,hoc est posse intercipi Corpus,ad quod solùm,respicit nostra sententia.

Instat tertiò. Per hoc,quod sum hic, nihil positivum ampliùs habeo, quàm si non essem, neque si essem alibi,& non hic, carerem aliquo positivo,Ergo non potest esse in posteriori naturæ aliqua negatio,quæ non fuerit in priori naturæ.

Respondetur. Quamvis nihil positivum superadditum ego habeo,quòd hic sim, locus tamen ipse,habet aliquid positivum superadditũ, quod non haberet nisi essem hic, nempè meam entitatem,quam negatio distantiæ, in recto dicit,& sicut sufficit per multos Modalistas ponere aliquid positivum in sola materia,ad hoc ut fiat compositum,censeaturque non solùm Materia sed & forma uniri,ita sufficiet ad esse Ubi,ut ipsi loco superaddatur aliquid positivum, quod antea non continebat, nempè entitatem locati.

Instat quartò idem. Ex dictis sequi circulum vitiosum,dicitur enim rem esse hîc,est nullum alium esse hîc,& rursùs alium esse hîc, est me non esse hîc.

Respondetur. Me esse hîc, non explicatur per hoc,quia nullus alius est hîc, quia duo entia v.g. Angeli possunt esse in eodem loco, & tamẽ unũ non dicet, quòd nullus alius est hîc: Me ergo esse hîc,est mea entitas, dicens negationem distantiæ ab hoc spatio. Consequenter vides, quòd in priori antequam expellantur alia corpora ab hoc loco in quo sum,priùs est naturâ me esse hîc,quia positio meæ entitatis est causa expulsionis aliorum corporum,sicut ingressus venti,est causa apertionis fenestrarum.

Instat quintò,in hac sententia non potest intelligi,quomodo aliqua causa efficiens possit me hîc ponere,nec enim producit me, nec locum, negatio autem in se produci non potest, quæ tamen per nos formalisat Ubi.

Respondetur,eô modo quo producitur Pater,durans,dextrum &c. eo modo producitur ab efficienti esse hîc; quia scilicet ponitur entitas,in his circumstantiis, in quibus postea hæc formalitas resultat.

Punctum Difficultatis 3.

An possit esse corpus sine ullo, Vbi.

Resolvenda est difficultas, tàm in principiis modalium,quàm in principiis nostris.

Dicendum est primò. *Posito,quòd Vbi, sit Modalitas,possibile est, ut maneat locabile sine ullo ubi Modali*,Ita Vasq: & Ovied: contra Suar: & Arriaga.

Probatur primò. Quia hoc,non implicat contradictionem.

Probatur secundò. Entitas locabilis, non est entitas Ubi modalis,concursus item conservativus,quem DEUS exhibet ipsi locabili,non est idem cum concursu conservativo,quem exhibet DEUS ipsi Ubi modali; nam conservatio, multiplicatur ad multiplicationem entis, Ergo saltẽ ab una parte,poterunt esse sine se,ad permanentiam.

Probatur tertiò. Ex essentia modorũ,hoc sequitur,ut possit esse modificatum sine modo, licèt modus non possit esse sine modificato, ex quo jam sic urgetur; Non solùm modus ut sic,sed & omnes modi in particulari accepti,servant essentiam modorum,Ergo si ex vi essentiæ modorum,possunt esse modificata sine modo, poterunt etiam esse sine modis,his in particulari.

Respondebis. Sine quocunq; calamo distributivè accepto,potest esse scriptio, non tamen

sine

sine omni calamo. Ergo etiam quamvis locabile possit esse sine quocunque Ubi, distributivè accepto, non sequetur, quòd possit esse sine omni Ubi.

Contra, quia nonnisi ex suppositione, quòd sit scribendum, est necessarius calamus, sed independenter à suppositione scriptionis, nullus est necessarius. Ergo etiam non nisi ex suppositione quòd debeat esse locabile, in loco, erit necessarium Ubi, sed independenter à suppositione locationis, non erit necessarium; possibile autem est, ut sit locabile, sine ulla suppositione locationis.

Objicit primò Suar: Angelus eo casu vel esset distans à mundo vel indistans: Si esset distans, Ergo haberet Ubicationem alibi; si indistans, Ergo haberet approximationem, quia approximatio, constituitur formaliter, per præsentiam.

Respondetur, in principiis Modalium, dici posset, illum Angelum, non fore indistantem formaliter, fore tamen indistantem materialiter, & radicaliter. Seu, ut alii loquuntur, fore indistantem negativè, non positivè. Dici etiam posset, illum Angelum eo casu, neque fore indistantem, neque distantem, sed absolvere ab utroque, cùm nec modum distantiæ, nec modum indistantiæ sit habiturus.

Objicit secundò Arriag: Implicat quantitatem, non esse extensam, aut inextensam, hæc enim duo, privativè opponuntur; Si esset extensa, Ergo habet præsentiam, ex vi cujus, extenditur; Si inextensa, Ergo habet partes penetratas, Ergo partes in eodem loco.

Respondetur, hoc argumentum saltem universaliter non concludit, saltem enim Angelus, qui partes non habet, nec per illas extenditur, poterit ab omni Ubitate absolvi. Rursùs saltem poterit res materialis, si spolietur omni quantitate, quæ per nos distinguitur realiter à quanto, quidquid in oppositum voluerit Arriag. poterit inquam res materialis sine ullo Ubi existere.

Directè autem in principiis Modalistarum dici potest, illo casu, fore illas partes, in eodem vel diverso loco, negativè, non autem positivè. Deinde cùm extensio non sit idem cum præsentia, sunt enim diversi prædicamenti, extensioque quantitatem in præsenti sequitur, quæ non est modus, poterit esse extensio sine præsentia, nam desitio entitatis, quæ est præsentia, non infert desitionem aliûs entitatis, quæ est quantitativa extensio, consequenter erit illic diversitas loci extensiva, non Ubicalis.

Objiciuntur tertiò Paritates aliquæ.

Prima Paritas. Non est possibilis linea, quæ neque sit curva, neque recta. Ergo neque possibilis creatura absolvens ab omni Ubicatione.

Respondetur. Disparitatem esse, quia hoc ipso daretur individuum genericum à parte rei, nam linea quæ est genus, dividitur in curvam & rectam, tanquam suas species, tale autem nullũ absurdum sequeretur, si creatura absolvat ab omni Ubicatione. Deinde, si legitima daretur comparatio, deberet ita poni, ut lineæ Ubicatio, rectæ autem & curvæ, opponatur hìc vel ibi, teneretque paritas, quòd sicut, impossibile est, esse lineam, & tamen, nec curvam, nec rectam, ita impossibile sit Ubi, quod, neque sit hìc, neque alibi. Cæterùm sicut potest non esse linea, ita poterit & nullum esse Ubi. Deinde curvitas & rectitudo lineæ opponuntur contradictoriè, nihil enim formalissimè est curvitas, nisi negatio rectitudinis, & cùm ex contradictoriis alterutrũ competere debeat, si linea non est recta, & tamẽ est linea, curva erit; præsentia autem, & ipsa Ubi, opponuntur contrariè, hinc si careat locabile uno Ubi, non est necesse ut habeat aliud Ubi.

Secunda Paritas est: Non est possibilis creatura, quæ sit, & durationem non habeat. Ergo & quæ non habeat præsentialitatem.

Respondetur. Si duratio sit modus, Negandum est Antecedens; si autem non sit modus, disparitas est, quia non est alietas entis continuatè existentis à duratione, adeoque nec separabilitas, jam autem alietas est Entis locabilis, à modo Ubitatis.

Tertia Paritas est. Non potest esse aliquid existens sine omni relatione, Ergo neque sine omni Ubicatione.

Respondetur. Quia relatio, est quid identificatum in circumstantia termini, Modus autem Ubitatis non identificatur.

Quarta Paritas, Forma, non potest esse in subjecto sine unione, Ergo neque sine Ubicatione.

Respondetur, ly in subjecto ut teneat antecedens, supponit pro conjuncto substantialiter; si autem esset sine unione conjunctum, esset sine conjunctione conjunctum, adeoque non conjunctum, non sequeretur autem esse ens aliquod præsens formaliter, & positivè, sine ubicatione.

Quinta Paritas. Non potest esse creatura sine omni actione producta, Ergo neque sine omni Ubi.

Respondetur. Cùm creatio sit, indistincta à re creata, falsum est Antecedens, si procedat de actione distincta, si autem procedat etiam de actione indistincta, disparitas erit, quia hoc ipso illa creatura non esset acta, non enim quidquam est actum, sine actione, si non esset acta, hoc ipso non esset creatura, pro consequenti autem nullum absurdum.

Examinat multo paratu hanc & paritatem, & argumentum Oviedo. Implicat creatura quæ non sit præsens DEO, Ergo implicat creatura absolvens ab omni præsentialitate, sed in principiis Modalium dici potest, implicare creaturam, quæ non sit præsens DEO negativè, potest tamẽ non esse præsens DEO positivè.

Ut

Ut in principiis nostris resolvatur hæc difficultas.

Præmitto primò. *Quòd duplex possit haberi, esse, cujus interceptionem negat præsentia hic*; Primò potest haberi esse corporis, quòd de facto datur interceptibilis, & hæc non esset universalis ratio salvandi aliquem esse hîc, nam si inter aliquem & locum, intercipi potest, quodcunque creabile corpus, hôc ipso non sum hîc. Secundò esse cujus interceptibilitatem negat indistantia, potest cogitari quodcunque spatium, quodcunque tandem corpus, quicunque tandem Spiritus, & per hoc rigorosè salvatur indistantia, si enim vel Angelus, inter me, & locum, in quo sum mediè, intercipi potest, hôc ipso hîc non sum, sed neque hic modus est, universalissimus, quod ut intelligatur.

Præmitto secundò. *In triplici suppositione cogitari posse esse aliquid, interceptibile, inter locum & spatium, in quo est locatum.* Primò spatium vel corpus actu existens, quod intercipi possit, & hoc per accidens, ut dixi, salvat rationem ubi, sufficit enim ne sim hîc quodcunque aliud corpus posse intercipi. Secundò potest cogitari interceptibile non quidem actu, possibiliter tamen existens, & sic rebus omnibus annihilatis, & solo relicto, Petro, inter DEUM & Petrum non posset intercipi aer, qui est possibilis. Tertiò cogitari potest, si DEUS & una tantùm creatura esset possibilis, reliqua impossibilia, adhuc tùm temporis creatura, non distaret à DEO, & tamen per negationem alicujus intercepti, vel interceptibilis, indistantia illiùs salvari non posset, nullum enim jam esset interceptibile, sicut nec modò indistantia mea, per hoc salvari potest, quia inter me & DEUM non potest intercipi chymæra. Ut ergo salvetur, quo modo impossibilibus quibuscunque spatiis realibus, interceptibilibus, adhuc creatura non sit distans à DEO.

Præmitto tertiò. *Quòd quamvis ad clariùs explicandum dicamus*, præsentiam Petri esse ipsiusmet entitatem Petri, prout dicit negationem spatii interceptibilis, & quod spatium istud, ejusque negatio, magis sit accommodata nostris phantasmatibus, & quæ appellari potest præsentia negativa, supereſt tamen alius, idem explicandi modus, per præsentiam, quam suprà appellavimus positivam, quæ est entitas Petri, importans se esse illîc ubi est, vel ut superiùs diximus, est ipsum esse locati, prout negat negationem sui esse hîc, quod totum salvari potest, sine ulla Entitate Modali.

Dicendum est secundò. *Non esse possibile ut separetur à locato id, quòd, ubi, dicit in Recto.*

Ratio. Quia idem separetur à se ipso dicit enim in recto, ipsum locatum.

Dicendum est tertiò. *Non esse possibilem Creaturam actualem, quæ absolvat ab eo, quod suo modo importat. Vbi in obliquo, ita ut absolvat ab omni præsentia.* Dixi Actualem, quia Anti-Christus nullam habet præsentiam, quia necesse, quod esse, primò impotat præsentia.

Probatur primò. Auctoritate S. Augustini ex Epistola 57. ad Dardanium, ubi censet ea quæ nusquam sunt, non esse.

Probatur secundò. Argumentis contra Conclusionem primam adlatis, quæ evincunt negativâ præsentiâ, non posse creaturam spoliari suppositò, quòd existat, quamvis positivâ superadditâ spolietur, & quia apud nos nulla est præsentia superaddita hoc ipso, si existat non poterit illa omni absolutè spoliari.

Probatur tertiò. Vel est possibile, ut creatura existens non existat immensitati Divinæ, hoc est, ut illîc non sit immensitas Dei, ubi est creatura Dei, aut si vis ita dicere, in illo nullibi in quo est abusivè creatura, vel non est possibile, ut creatura non coexistat immensitati Dei; Si non est possibile, ut non coexistat immensitati Dei, habet ergo suum Ubi, nam secundùm illam phrasim, negativè Ubi explicantem, inter Deum, & illam Creaturam, nihil est, interceptibile; Si autem non est illîc immensitas Dei, derogas eidem, & adhuc tamen sequitur, non absolvere tunc creaturam, ab omni Ubi, quia non absolvit ab illo, illîc spatii, in quo, illîc spatii est.

Addo. Non est dubium quòd possit esse corpus, sine ullo ubi extrinseco, quia posset poni in vacuo, in spatiis extra Cœlos.

DIFFICULTAS II.

De divisione in locum definitivum & circumscriptivum.

Præmitto primò. *Quid sit esse definitivè in loco, & quid circumscriptivè.* Definitivè esse in loco, est ita esse, ut locatum totum sit in toto, & totum in qualibet parte. Circumscriptivè autem esse in loco, est ita esse, ut pars locati, parti loci, ut totum locatum, toti loco respondeat. Primum illud Vbi, est proprium spiritualium. Secundum etiam corporeorum. Sed quomodo res spiritualis, dicetur esse tota in toto, & tota in qualibet parte, cùm non habeat partes v. g. Angelus, immò quomodo erit tota in toto, quia comparando Vbi intrinsecum rei ad Vbicarum, videtur significari, quòd totum adveniat toti, ut ita sit totum in toto. Sed cogitandum non est, quasi sit duplex præsentia definitiva, una, quæ singulis partibus, & alia quæ toti conveniat; sed per hoc solùm significatur; quòd quamvis in singulis partibus loci sit totum, non

tamen plura illic sint tota, sed Unum, loquiturque definitio, non de partibus ubicati, sed de partibus loci. Licèt casu quo ubicatum habeat partes, possit id accommodari ad partes ubicati, & ita corpus Christi totum est, in singulis etiam articulis Christi, & articulus in toto corpore, idque titulo penetrationis.

Præmitto secundò. *Rem corpoream, posse habere Vbi definitivum.*

Ratio. Quia ipsum Mysterium Eucharistiæ, positioque in eo corporis Christi id suadet. Cæterum substantia spiritualis, non potest esse circumscriptivè in loco, cùm enim partes non habeat, quomodo pars illius, parti loci correspondebit: admisso per impossibile quòd sit aliqua substantia spiritualis, & tamen habens partes, admisso etiam, quòd in intensione spiritualis qualitatis, sint partes, & non plura tota, nondum illud intensum, poterit esse circumscriptivè in loco, quia adhoc ut extensè aliquid in loco, requiritur principium, ut ita dicam evolutivum extensionis, nempe quantitas, quæ tamen rei spirituali non convenit. Nisi fortè competat illi beneficium extensionis virtualis, quale beneficium competit Angelo, in ordine ad implendam totam sphæram locabilitatis divisibilem, neque tamen inde sequetur, quòd si Angelus haberet partes, ut intensio spiritualis habet, & insuper habendo virtualem illam extensionem quòd possit esse circumscriptivè in loco, nam virtualis illa extensio, non excludit penetrationem. Unde & Angelus habendo partes illas penetratas cum toto, non posset circumscriptivè occupare locum, nam impenetrabilitatem adjunctam habet, nonnisi quantitas formalis, quantum quidem per experientiam colligimus. Si tamen daretur res spiritualis habens partes, habens beneficium extensionis virtualis, & insuper impenetrabilitatem spiritualem, non apparet quare talis res spiritualis, non deberet occupare locum circumscriptivè.

Præmitto tertiò. *Quòd divinitus corpus, in eodem loco possit & ubi definitivum, & ubi circumscriptivum.*

Ratio. Tum quia, nulla in hoc repugnantia. Tum quia, ubi est Christi caput circumscriptivè, potest illic poni, per ubi definitivum, totum corpus Christi. Tum quia potest facere Deus decretum, ut eam continentiam, & ambientiam, quam exercent species Sacramentales, respectu corporis Christi habeat ipsum corpus replicatum, ita ut circumscriptivè positum, ambiat ubi illa definitiva, ejusdem corporis Christi.

Præmitto quartò. *Quòd sicut ubi intrinsecum indistinguitur modaliter ab ubicato, ita indistinguentur ubi definitivum, & circumscriptivum, à suis ubicatis naturaliter*, dixi naturaliter, quia posset esse difficultas; an ubi definitivum corporum, non sit quid superadditum. Ratio dubitandi. Quia possibile est, ut corpus habeat ubi, & non habeat definitivum, per quid ergo transit, ad tale ubi, nam ad ubi naturale offensa supra mutatio, in negatione corporis interceptibilis, quæ negatio, non apparet, quid conferat corpori, ad ubi nonnisi definitivum. Qui tamen vellet universaliter dicere, nullum ubi, esse modalitatem, diceret, sufficientem mutationem ad tale ubi, esse impeditionem quantitatis quoad impenetrationem, hoc ipso enim quòd corpus maneat penetratum, dicensque negationem supra explicatam distantiæ, hoc ipso habebit ubi definitivum. Sed quomodo ad hanc ipsam penetrationem venietur, & quidem veniri facilè potest, per ablationem ipsiusmet quantitatis, hoc ipso enim jam erit illud corpus penetratum, adeoque habens ubi, nonnisi definitivum. Sed difficilius est ostendere, quomodo deveniatur ad istam penetrationem, retentâ etiam quantitate, videtur enim debere provenire, nonnisi per superadditum ubi, possetque hoc defendi ita, ut superaddita illa modalitas, non sit ad faciendam rem indistantem, hæc enim indistantia haberi potest, ab aliquo negativo, sed ad impeditionem impenetrabilitatis. Cæterum addi hoc potest, quòd videatur non debere concedi dari modalitatem, quæ sit impeditiva quantitatis, ne reddat aliquod impenetrabile, quamvis enim talis modalitas possit poni, sed videtur hoc revocari posse, ad aliquid intimius, ne ita multiplicentur entia sine necessitate, nempe ad subtractionem concursus, ad istos secundarios effectus. Hic tamen ipse concursus, ad secundarios effectus, in hoc habet difficultatem, quia sicut ipse effectus formalis primarius, indistinguitur à forma unita, subjecto capaci, ita ut concursus ad effectum formalem primarium, à parte Dei, non alius est, quàm concursus conservativus ipsiusmet entitatis formæ, subtractioque hujus concursus, causaret non existentiam ipsiusmet formæ, ita à paritate etiam concursus, ad effectus formales secundarios, videtur non posse subtrahi.

Totum hoc ulterius urgeri posset, sed ita, ut extrahatur difficultas, non ad ubi definitivum, casu quo, illud competat corporibus, sed ad hoc, quid sit impediri effectum secundarium ipsiusmet formæ, quæ duo distincta sunt. Quia tamen salva entitate formæ, possunt illius effectus secundarii impediri, quod colligit Christiana Philosophia, vel ex eo mysterio Eucharistico, in quo est quantitas corporis Christi, & tamen non habet effectus suos secundarios, hinc colligitur, effectus secundarios, non perfici ipsa absolutè entitate, formæ unitæ, subjecto capaci, sed per aliquid distinctum, hinc huic distincto, in quod refertur impenetratio, si subtrahatur concursus, erit jam sufficiens muta-

mutatio, ad ubi definitivum corporibus competens.

Præmitto quintò. *Unam eandemque rem, posse habere in loco uno, ubi definitivum, in alio circa circumscriptivum.* Ratio. Quia ex Christiana Philosophia fundata in fide, & in principio, non implicat. Christus est in cœlo circumscriptivè, & in Eucharistia definitivè. His quæ non ita multum disputantur, præmissis. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

An unum corpus possit esse circumscriptivè in pluribus locis.

NEgat S. Thomas & Vasquez 3. par. d. 169. c. 5. licèt oppositum videatur innuere Tomo 4. d. 6. q. 3. c. 1. & 23. affirmat autem Scot. Suar. & alii communiter.

Dicendum est. *Posse id fieri.*

Probatur primò. Quia nulla est in hoc implicantia.

Probatur secundò. Quia si hoc implicaret, implicaret vel ratione repetitionis & replicationis corporis, vel ratione replicationis cum circumscriptione, non ratione replicationis corporis, quia corpus Christi de facto per plures definitivas præsentias multiplicatur; non ratione replicationis cum circumscriptione, quia replicatum corpus supernaturaliter, quantum est de se, potius exigit multiplicari circumscriptivè, quia exigit non impediri ea, quæ sunt secundùm suam naturalem inclinationem & bonum, præcipuè si ipsa præcisè replicatio, non deposcat illius boni sublationem, ut non deposcit destructionem ubi circumscriptivi. Quod ipsum probatur. Quando Deus replicat corpus actio replicativa quà talis, non est essentialiter actio impeditiva quantitatis, effectuumque illius secundariorum, qui inter alios est extensio partium in ordine ad locum.

Probatur tertiò communiter. Non repugnat duplex definitiva præsentia. Ergo nec duplex circumscriptiva, imò magis repugnat duplex definitiva, quàm duplex circumscriptiva, ad eum modum, quo magis repugnat igni, non habere calorem quàm habere duplicem; ita etiam magis repugnabit, non habere circumscriptivam præsentiam, quàm habere duplicem.

Objicitur primò. Assumendo principia Philosophica.

Primum Principium. Unum, est quid indivisum in se, & divisum à quolibet alio, ex quo sic arguitur, corpus replicatum circumscriptivè existens in duplici loco, & esset idem corpus, ut supponitur, & non esset idem, quia positum circumscriptivè in duplici loco, non esset indivisum à se.

Respondetur. Imprimis argumentum multum probat, quia probat, quòd idem corpus, nec duplicem definitivam præsentiam habere possit. Deinde Suar. dicit: Illud corpus ratione diversarum præsentiarum, posse distare à seipso, in idem recidet, quod alii dicunt, fore illud corpus divisum, à se non quoad entitatem, sed quoad locum & præsentiam. Lugo tamen dis. 5. de Eucharist. Sect. 17. negat illa duo corpora distare à se, quia distantia dicit distinctionem duorum, quæ distant, quæ distinctio illic non est: Et sicut si paries haberet duplicem albedinem, non esset similis sibi ipsi, sic nec in præsenti divisus à seipso.

Quod attinet ad assumptum principium, posita etiam replicatione salvari potest, quomodo replicatum sit indivisum in se, & divisum à quolibet alio, erit inquam indivisum in se, quia replicatio non facit illud, aliud à se: Rursùs quia replicatio, non facit, ut divisio in illo fiat quod replicatur, sed totum replicatur, cum sua indivisione, erit autem replicatum divisum, etiam à quolibet alio, quia entitas replicati, non est entitas alius, sive replicati, sive non replicati.

Secundum Principium. Locatum non debet esse majus loco, & tamen si aliquid posset poni in duplici loco circumscriptivè, sequeretur oppositum, nam ex vi hujus præsentiæ commensuraretur cum hoc loco, ex vi alius præsentiæ, cum alio loco.

Respondetur. Ad hoc salvandum principium, sufficit dicere, quòd locatum prout est in hoc loco, non excedat suum locum, & prout est in alio, non excedat illum alium locum. Addit Oviedo, quòd sicut ex duabus præsentiis, non constituitur una præsentia, quæ sit major locato, sic nec ex duobus locis constituitur unus locus, major locato; sed tantùm sunt duo spatia, quorum utrumque æquale est corpori, prout illud continet.

Tertium Principium. Effectus formalis non potest crescere, nisi crescat ipsa forma, & ita non potest fieri magis calidum, nisi crescat calor, sed extensio localis est effectus formalis quantitatis, ergo crescere non potest sine quantitate: Ergo nec duplicem circumscriptivam præsentiam habere potest, sine duplici quantitate.

Respondetur. Ex vi hujus argumenti sequi, esse possibilem replicationem circumscriptivam, saltem duplici quantitate posita, in eodem replicabili: ad medium autem terminum dici potest, quamvis non possit aliquid magis esse calidum, nisi crescat calor, tamen fieri potest replicatio ejusdem caloris, nullo novo superaddito gradu, quo casu non crescet calor,

quia crescere calorem notat additionem caloris non præhabiti, & tamen replicabitur; sic & in præsenti non crescet quantitas, & tamen repetitò ponetur replicatum, non ergo crescet tum replicatum, sed multiplicabitur, seu repetitò ponetur.

Objicitur secundò ex absurdo. Si posset poni in duplici loco circumscriptivè corpus, posset in pluribus, consequenter & in infinitis; quod dici non potest; aliàs posset poni ubique, adeoque posset habere æqualitatem cum immensitate Divina.

Respondetur. Posse poni corpus in infinitis spatiis syncategorematicè, distinguetur tamen ab immensitate, etiam per hoc, quia ex vi hujus replicationis, quæ actu habetur, non est jus in illa creatura replicata, ad alibi etiam existendum, quod convenit immensitati.

Objicitur tertiò. Circumscriptiva præsentia ita constituit corpus in hoc spatio, ut non possit esse extra illud.

Respondetur. Negand. assumptum quod ad maximum verificatur, ut scilicet non possit esse extra illud spatium, in quo non est circumscriptivè.

Objiciuntur quartò Paritates aliquæ.

Prima Paritas est. Non potest esse simul idem in duobus temporibus. Ergo nec in duobus locis.

Respondetur. Disparitatem esse, quia tempus, ex ratione successivi, importat prius & posterius: si ergo coexistat ei, quod prius est, non est tunc coexistere illi posteriori, cùm posterius non sit simul cum priori, bene autem possunt esse duo spatia simul, in quibus existatur.

Secunda Paritas est. Non potest idem poni in eodem loco, per diversas præsentias. Ergo nec in pluribus locis per replicationem.

Respondetur. Si est præsentia indistincta ab entitate, sicut eadem entitas non potest esse diversa à seipsa, ita nec potest habere diversas præsentias; si autem præsentia est distincta modaliter, si diversitas sit penes præsentiam ejusdem loci, potest duplici præsentia in eodem loco existere; si autem sit diversitas secundùm præsentiam in alio loco, hoc ipso jam & esset in eodem loco, ut supponitur, & non esset, quia haberet præsentiam alius loci, quod absurdum non sequeretur in præsenti, quia nullo modo in uno, sed in duobus locis esset.

Tertia Paritas est. Idem non potest habere plures figuras: Ergo nec duplex ubi circumscriptivum.

Respondetur. Hac paritate impugnari etiam duplex ubi definitivum. Disparitas est, quia figura, est quantitas ita terminata, quæ si ita terminata est, adeoque hanc figuram habens, non potest esse non ita terminata, adeoque non habens talem figuram, nullum autem simile absurdum sequeretur, si ponantur ejusdem esse duo circumscriptiva ubi.

Objicitur quintò. Sequeretur data tali circumscriptiva duplici præsentia, idem in uno loco moveri, in alio non moveri, vel unum duobus, motibus moveri, &c. quæ omnia sunt absurda. Ut hoc argumentum solvatur. *Sit*:

Punctum Difficultatis 2.

De prædicatis replicati entis.

Præmitto primò. *Aliqua esse prædicata, quæ sunt identificata substantiæ rei.* v. g. ratio animalis, ratio rationalis, identificantur homini, ratio item creaturæ, & alia ejusdem prædicata primò vel secundò essentialia, quæcunque item proprietates Metaphysicæ, & hæc non possunt non replicari, replicato homine.

Ratio. Quia & esset tunc homo replicatus ut supponitur, & non esset replicatus homo, cùm illius entitas non sit replicata, cùm illa omnia, sint hominis entitas.

Præmitto secundò. *Aliqua esse prædicata, quæ sunt quidem essentialia homini, Physicè spectato, una tamen pars non est identificata alteri,* & sic v. g. ratio Materiæ, est essentialis homini, non tamen identificatur alteri comparti, nempe formæ, & circa hæc dupliciter replicatio fieri potest, vel totalis, vel tantùm partialis, potest enim replicari vel totus homo, vel nonnisi pars illius, hoc est v. g. Materia, quòd possit replicari nonnisi Materia v. g. resolvitur in principium, quia non implicat, habetque suam diversam entitatem secundùm quam, si potuit replicari ante unionem, cur posita etiam unione replicari non poterit? Cæterùm si replicetur, petit ob naturalem concomitantiam, replicari etiam formam & unionem, quod in simili agnoscit Trid. sess. 13. c. 3. quod censet, quamvis vi verborum ponatur solum corpus, propter naturalem connexionem, poni etiam animam. Cumque bonum sit materiæ hîc & nunc hæc Forma, hæc Unio deposcit ut etiam replicata, cum suis sit bonis.

Casu verò quo totum compositum replicetur materia & forma & unio replicari debebit.

Ratio, quia & replicaretur totum ut supponitur, & non replicaretur totum, quia totum nihil aliud est, nisi illa tria.

Præmitto tertiò. *Sive potentiæ, sive accidentia realiter distincta à subjecto, absolutè loquendo, possunt non replicari subjecto replicato*, neque enim hoc implicat. Supponuntur enim habere entitates condistinctas, exigit tamen illa replicari subjectum, quia sunt bonum illius.

Dices

Dices primò. Non potest subjectum moveri localiter, non motis iis, cum quibus unitur, Ergo nec potest replicari subjectum, nisi replicatis omnibus, quæ sunt in subjecto.

Respondetur. Disparitatem esse, quia, si moto subjecto non moverentur subjectata, hoc ipso jam daretur disunio, quæ non sequeretur, si replicetur Petrus Romæ existens, ita ut simul ponatur Neapoli, manentibus accidentibus unitis Petro v.g. Romæ, licet non uniantur v.g. Neapoli existenti Petro, unde nec periret tunc unio illorum accidentium, sed tantùm non replicaretur.

Instabis. Si possent illa accidentia non replicari, & haberet illa corpus, ut supponitur, & non haberet, quia non replicarentur.

Respondetur. Ex eo, qui illa accidentia non replicarentur, non sequeretur absoluta veritas hujus propositionis; Substantia non habet hæc accidentia, quia ad hoc verificandum, non solùm est necesse, ut ea non habeat Neapoli, sed etiam ut nullibi habeat, ad eum modum, quo non sequitur absoluta veritas hujus Propositionis, Petrus non habet pecuniam, quia illam non habet in manu.

Dices secundò. Immeritò assumi, quòd connaturaliter loquendo exigat subjectum, replicari illa accidentia. Reproductio enim est magis miraculosa, & minus connaturalis, quàm productio alterius numero distincti accidentis. Ergo si subjectum non exigit produci alia numero accidentia, nec petet replicari.

Respondetur. Si comparentur inter se replicatio & productio, est magis connaturalis productio, quàm replicatio, sed si utrumque comparetur ad subjectum replicatum, connaturalior jam est subjecto, accidentium quæ sibi unita sunt, replicatio, idque ideò, quia illa jam sunt bonum illius, & perfectio actualis, quæ ipsa etiam deposcit, sequi conditionem subjecti.

Instabis primò. Ergo connaturale illi subjecto est aliquid supernaturale, nempe replicatio, quam deposcit.

Respondetur. Ex suppositione supernaturalitatis, potest aliquid supernaturale connaturale reddi, sicut intellectus informatus Lumine gloriæ, connaturaliter deposcit, non impediri, ne videat Deum, exigitque jam connaturaliter visionem, quam non exigit independenter à suppositione elevationis.

Instabis secundò. Natura constituta in diverso loco, connaturalius petit diversum pondus attollere, & non idem, amisso item accidenti, connaturalius est aliud simile produci, quàm idem reproduci. Ergo & connaturalius est, diversa accidentia produci, quàm eadem replicari.

Respondetur. Quod attinet ad pondus, disparitas est, quia pondus non supponitur esse unitum potentiæ attollenti, imò diversam habet unionem indistantiæ, ratione cujus petit ab hoc attolli, imò, si idem haberet unionem indistantiæ, idem peteret attolli quia autem subjecto, supponuntur unita esse illa accidentia, petet illa produci. Quod autem attinet ad secundum, dici potest, quòd quando subjectum deperdit accidens, non supponatur pro tunc habere cum illo connexionem, adeoque nec supponitur ex vi connexionis, deposcere reproductionem illius, aliàs insuper obstante principio, quòd à privatione ad habitum, non detur regressus: jam autem natura replicata, supponitur unita suis accidentibus, vi ergo hujus unionis deposcit illa, ne bono suo actuali spolietur, reproduci, cùm insuper non detur ullum principium, quod deposcat, ne ponatur illorum replicatio.

Instabis tertiò. Materia pedis unitur animæ rationali, & tamen non est, ubicunque est anima rationalis, nec petit esse connaturaliter. Ergo nec est juxta naturam rerum, ut ea, quæ alicui uniuntur, sint, ubicunque illud est.

Respondet Lugo. Doctrinam nostram procedere de locis adæquatis, tunc enim subjectum debet suas proprietates, & accidentia deferre, non verò debet secum habere, omnia accidentia in locis inadæquatis. Ratio. Quia in locis adæquatis ita debet existere, acsi nullibi alibi existeret, adeoque sua secum habere debet, quod non requiritur in loco inadæquato, quia partialis illa præsentia, supponit rem partialiter alibi existere, adeoque non debet esse talis, ut secum omnia deferat, quasi alibi illa habere non posset.

Dices tertiò. Si potest replicari materia, non replicata forma illi unita, & erit eadem materia, & non erit, quia non erit unita, cum alibi sit unita.

Respondetur. Eandem quidem fore Materiam quoad entitatem, sed non eodem modo se habentem, de quo infrà in simili.

Præmitto ultimò. *Accidentia dependentia à loco, quæ jam accidunt in uno loco, post transactam replicationem, absolutè possunt convenire in alio loco.*

Ratio. Tum quia hoc non implicat, immò hoc semper evenire asserunt Lug. Arriag. Ovied. Tum quia potest Deus replicare ipsas substantias, cur non & accidentia? Sed restat difficultas, an connaturaliter exigat illa, subjectum replicatum, habere in utroque loco, saltem, an divinitus illis carere in alio loco possit.

Dicendum est primò. *Accidentia quæ transactâ replicatione contingunt in uno loco, non est connaturale, ut fiant in alio loco.* Ita Suar. uterque. Amicus disp. 19. de Euchariſt. Licèt dicat actus appetendi & cognoscendi, utrobique debere esse eosdem.

Probatur primò. Non magis inter se repugnant, desinere in uno loco, & non desinere in alio loco, quàm in uno loco frigefieri, in alio

non frigefieri. Desinit autem Christus,in uno loco Sacramentaliter,in alio non desinit. Ergo, imò hoc ipsum quod est esse Corpus in uno loco circumscriptivè, in alio non esse, non magis repugnant,quàm in uno loco frigefieri, in alio, non frigefieri, defacto autem Christus est in cœlo circumscriptivè, non est autem circumscriptivè replicatus in Eucharistia.

Probatur secundò. Quia non fit id connaturaliter,cujus causa secundùm cursum naturæ, ostendi non potest. Sed dictorum accidentium causa, secundùm cursum naturæ, ostendi non potest. Si enim quis hîc oculis privetur, quæ causa erit, ut exoculetur alibi, ad Deum autem in hac parte recurrere tanquam causam specialem, non videtur secundùm cursum naturæ,tuncque Deus solus etiam agit secundùm cursum naturæ,quando datur exigentia creaturarum, ut Deus solus hoc vel illud agat,ut cùm ad exigentiam materiæ dispositæ,producit animam rationalem, non est autem causa creata, exigens hæc accidentia,tanquam aliquid replicati,cùm non præsupponantur fuisse bona subjecti, unita ante replicationem, alia etiam exigentia legitima, nulla ostendi potest.

Probatur tertiò. Quia si esset connaturale, ut accidentia quæ transactâ replicatione contingunt in uno loco, conveniant eidem in alio loco, sequeretur connaturale esse subjecto, ut unum idemque connaturaliter vivat & moriatur, sit enim in uno loco applicata medicina, quæ attendendo ad temperamentum subjecti, non potest non esse efficax,nisi miraculo impediatur, & ex altera parte propinetur uno eodem instanti v.g. venenum, quòd attendendo ad temperamentum, non potest non esse mortale, nisi accedat miraculum, jam hoc ipso connaturale illi erit,& vivere,& mori. Item in uno instanti, sit in tenebris in loco A, & in loco B, sit in luce,tunc eodem instanti, connaturaliter & deberet esse videns, & non videns. *Neque valet,si dicas*,venenum pharmaco, tenebras luce destruendas, non inquam valet, quia etiam pharmacum veneno, & lux tenebris, destrui deberet, nam non una pars accidentium, sed utraque simul convenire debet. Consequenter inferes, quòd possit portare in uno loco pondus,quo majus portare non possit,& in alio loco, aliud simile, & quia utrobique nonnisi uniter,maximum pondus portabit,non portabit pondus majus, quàm portare possit. Et certè, si sequitur ex conclusione data, replicari debere pondus, supponuntur etiam replicatæ vires, & sicut ex replicatione ponderis,sequitur contra nos,à replicato portari plus quàm aliàs posset, ita sequetur contra illos, non portare replicatum plùs quàm possit, siquidem replicantur ipsæ vires.

Dicendum est secundò. *Possibile esse, ut in uno loco replicatus eliciat unum actum, & alium in alio, quamvis illi inter se respectu ejusdem subjecti, & objecti, saltem naturaliter impossibiles sint.*

Probatur primò. Quia in hoc nulla est implicantia.

Probatur secundò. Accommodatione argumenti, suprà, primo locô facti.

Confirmatur. Vi replicationis, acquirit creatura æquivalentiam quandam ad plura, quæ æquivalentia in hoc inter alia fundatur, quia concursus replicativus & ponens locatum, in loco B, cùm antea fuerit nonnisi in loco A, & concursus primitùs conservativus, qui continuatur in loco A, sunt concursus distincti,poterit ergo unus desinere, non desinente alio, facereque æquivalenter duo, vi cujus æquivalentiæ ad duo, potest esse hîc, & non esse hîc, esse productum actione uniter,& non replicativè causativâ,non esse productum actione uniter sed replicativè causativâ. Ergo ratione ejusdem æquivalentiæ poterit salvari, ut hîc amet, illic oderit.

Probatur tertiò. Si non posset creatura intellectualis,in uno loco amare,in alio odisse,sequitur debere componi inter se, amorem & odium,quod repugnat,& quod solùm,ut evadant oppositi, dicunt utrobique debere esse, nonnisi amorem. Sit enim v.g. Petrus replicatus, Paulus item replicatus,in uno loco,Petrus replicatus demus quòd Paulo replicato lethaliter infligat vulnus,Petrus,ex principiis Amici, non est necesse,ut vulneret in alio loco Paulum. Supponamus eundem Paulum,in alio loco defendere salutem Petri contra alium, in hoc loco amabit Paulum, & quia amare non potest, quin etiam in alio loco oderit, utroque loco,& odisse debebit,& amare. Quod absurdum, in nostris principiis non sequetur, nam hîc tantùm amabit, illic tantùm oderit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta in Contra.

Objicitur primò. Si vera conclusio, sequitur eundem hominem, posse in uno loco peccare,in alio non peccare, adeoque unum & damnari,& salvari.

Respondet recentior Suar. Quòd fieri quidem possit,ut in uno loco peccet, in alio non peccet, utrobique tamen spoliabitur gratiâ, quia gratia,non est per ordinem ad locum,sed ad personam, benè vel malè operantem, ut autem censeatur, persona esse malè operans, sufficit,ut in uno loco malum operetur,bonum enim est,ex integra causa. *Hæc Responsio*

Non

Non Satisfacit. Tum quia ex vi hujus principii, quòd bonum sit, ex integra causa non infertur, quòd si in uno loco amet Deum, non possit in alio odisse. Ergo ex eodem principio non inferetur, illum in utroque loco, debere spoliari gratiâ. Tum quia ex eo, quòd gratia non sit, per ordinem ad locum, non sequitur, utrobique perdendam, quia etiam actus, qui eliciuntur ex præhabitis speciebus impressis, non dependent à loco, & tamen per Suar. non est necesse, ut si illis in uno loco utatur, debeat etiam uti in aliis. Tum quia sicut ipsa natura, cum suis potentiis, ita & ratio personæ tunc replicatur, sed ex vi replicationis potentiarum, potest facere unum, non facere idem in alio loco, ut censet hîc recentior Suar. Ergo etiam ex vi replicatæ personæ, potest in uno loco habere gratiam, in alio non habere. Tum quia hæc responsio, non est conformis pluribus principiis Theologicis, tale est, quòd neminem Deus per gratiam deserat, nisi ipse deseratur per peccatum, hæc autem Responsio dicit, quamvis non peccet, adeoque hîc peccando non deserat, hîc tamen sit à gratia deserendus. Deinde vivens posset per pœnitentiam delere peccatum, adeoque recipere gratiam, quid ergo fiet, si in alio loco moriatur, in quo non peccavit, & tamen jam deberet esse in inferno, utpote non decedens in gratia, quæ supponitur ab illo ablata. Dicere autem talem ad tempus cruciandum sub conditione, si superstes non pœnituerit, non valet; nam hoc secundùm usurpatos articulos non procedit, qui nullam admittunt post mortem redemptionem, & absolutam in morte agnoscunt Dei judicis sententiam, ad quos articulos, si procedere possit responsio ut potest, probabilior erit. *Hinc*

Respondetur. Concedendo sequelam. Verè enim, etiam in dicto casu, potest de illo replicato, ac de duobus discurri; dubitari tamen posset: an esset futurus completè beatus, siquidem replicatus, esset, in summa miseria.

Instabis primò, cum aliquibus apud Amic. Ut actus meritorius constituat hominem justum, & demeritorius injustum, sufficit moralis præsentia actûs. Ergo quamvis in uno loco actum peccandi non eliciat, moraliter tamen imputabitur illi.

Respondetur. Quòd moralis imputatio actûs, etiam transacto actu, duret, sed fundatur semper, in antecessoria physica ejusdem productione, non implicat autem, ut in alio loco physicè non producat actum peccaminosum, consequenter moraliter illi non imputabitur.

Instabis secundò. Peccatum in capite sufficit ad inquinandos posteros: Ergo multo magis sufficiet, identitas realis, in replicato.

Respondetur. Negando consequentiam, quia constat de pacto divino, pro antecedenti, nec ad illud peccatum potuissent illi physicè concurrere, vel non concurrere, hinc jam spectari debuit ratio peccati, merè in capite, quia autem pro consequenti, nulla est revelatio, estque replicatus, capax, ut dum in uno loco Physicè peccat, in alio loco Physicè non peccet, fit ut peccatum in uno loco factum, non possit eidem in alio loco imputari.

Instat tertiò Dicas. disp. 5. de Euchar. num. 222. Non potest homo in uno loco amare, in alio odisse: ergo nec peccare in uno, in alio mereri. Antecedens probatur, quia hujusmodi actus, non solùm pendent à potentia, ut à subjecto recipiente, sed ut à principio efficiente: non habet autem potentia vim efficiendi simul duos actus contrarios, quia hujusmodi actus, sese omninò destruunt ex parte objecti, unus enim destruit objectum alterius.

Respondetur. Neg. Antecedens. Negatur item, quòd potentia præcipuè replicata, non habeat vim efficiendi, sicut motum & quietem, ita actum amandi & odiendi. Negatur ulterius, hos actus destruere sese, ex parte objecti, nam licet non possit idem objectum esse bonum & malum, nam de eodem, & ratione ejusdem, verificaretur, est, & non est, sed duobus illis actibus positis, non de eodem, sed de diversis entitate actibus, verificaretur, est & non est, amat & odit.

Objicit secundò Amic. Licet cognitio & appetitio, non fiat in utroque loco Physicè & informativè, est tamen in utroque loco objectivè & intentionaliter, saltem respectu animæ intelligentis & appetentis, quod sufficit, ut anima in uno loco informata uno actu, non possit in alio oppositum elicere, nam tota repugnantia, quæ est inter hos actus, est penes objectum, quia unum destruit objectum formale aliûs, nempe veritas falsitatem, & è contra. Assumptum probat. Eadem anima, quæ cognoscit objectum, per potentiam imaginativam, in una tantum parte corporis, in qua potentia illa residet, simul appetit per appetitum sensitivum, in alia parte corporis residentem, at non posset anima appetere objectum, in alia parte corporis, in qua non informatur actu imaginationis, nisi in ea parte corporis tale objectum cognosceret, cum nequeat in incognitum ferri. Ergo potest cognoscere objectum, etiam ubi actu cognitionis non informatur. Nec impedit, quòd anima sit in uno loco, replicata autem in duobus, v.g. quia hæc discontinuatio non est entitativa, sed localis.

Respondetur in forma negando majorem, probatio illius non evincit: nam multi Recentiores censent, etiam appetitum residere in cerebro, vel si non residet in cerebro, transmitti-tur aliquid simile speciebus visibilibus, ad appetitum in corde residentem, vel si neque fit

ulla transmissio, referendum id erit, in naturalem Sympathiam, & si est impedibilis, vel illa transmissio, vel sympathia à Deo, cur etiam divinitùs non potest fieri, ut impediatur volitio objecti, ne sit etiam in alio loco, accedente præcipuè replicatione, quæ licet non adferat discontinuationem entitativam, adfert nihilominus replicationem entitatis, quæ sufficiens est, in ordine ad talia, ut replicatus habeat se, ac se habent duo entia.

Instat idem. Ergo etiam posset Angelus existens in una parte sphæræ suæ locabilitatis, ignorare, quæ noscit in alia parte.

Respondetur. Negando Sequel. quia Angelus existens in tota sphæra, non est in illa replicatus: Si non est replicatus, non possumus illi, æquivalentiam ad plura distincta, realiter tribuere, adeoque neque quòd cogitet, tanquam duo v.g. distincti realiter Angeli.

Objicit tertiò idem. Non potest Anima in uno loco mereri, in alio demereri. Quia gratia & peccatum non solùm sunt causæ Physicæ, sed etiam morales, hinc censentur permanere, etiam transactæ. Cur ergo eadem moralitas, transfundi non poterit, etiamsi in uno loco peccet, ut in utroque perdat gratiam.

Respondetur. Quamvis peccata & gratia, sint causæ etiam morales, semper tamen antecedenter exigunt Physicum esse, seu exercitium actûs. Unde etiam peccatum durat habituale, quia præcessit actuale, cùm ergo in utroque loco, ut consentit ipse Amicus, actus elicitus non sit, ne contra Trid. priùs deserat nos Deus, per gratiæ ablationem, quàm nos illum deseramus positione peccati, fit ut ubi peccatum non elicitur, illic non auferatur gratia.

Instari potest ex eodem. Demus replicari solam humanitatem Christi, illa humanitas peccare non posset, & si peccaret, constitueret humanitatem, prout unitam verbo peccatricem, dicereturque Deus peccator, quod est absurdum.

Respondetur imprimis. Spectando robur ipsius argumenti, quòd dato peccato illius humanitatis replicatæ, non peccaret adhuc humanitas, qua unita verbo, consequenter nec peccaret Deus, quia supponitur non esse replicata unio substantialis hypostatica, fundans communicationem idiomatum, & sicut illa opera, quæ ita replicata faceret, non dignificarentur Personâ Verbi, utpote illi sic replicatæ non unita, ita nec peccatum illud refunderetur in Verbum, cùm sit penes Verbum debitum regendi humanitatem, ex suppositione nonnisi unionis.

Respondetur secundò. Replicatâ etiam solâ humanitate non posse illam adhuc peccare, id autem ex duplici capite colligi potest imprimis: quia connaturaliter, nulla natura operatur, nisi terminatâ suppositalitate, & quia illa humanitas replicata, ex vi principiorum Amici, non haberet adhuc personalitatem creatam, fit ut peccare non possit, & licèt quidem miraculosè possit elicere natura actiones etiam spoliata personalitate, non possit tamen elicere actiones peccaminosas, quia actionum, quas illa natura spoliata personalitate eliceret, specialis auctor esset Deus, qui tamen actionum peccaminosarum non potest specialis esse auctor. Aliud etiam principium adferri potest, cur non possit replicata humanitas peccare, quia Verbo, quod est essentialiter sanctitas, tribuenda est omnis possibilis, seu maxima sanctitas, major autem foret sanctitas, si id quod est sua humanitas, nullibi peccare possit, ratione unionis substantialis ad se, saltem in uno loco retentæ, tale autem nullum principium reperitur in Petro replicato.

Objicit tertiò Arriaga, & cum illo recentiores. Petrus in uno loco positus, vel si in eodem loco multiplicem Ubicationem haberet, non posset in eodem loco amare & odisse. Ergo nec in diverso.

Respondetur. Si non supponatur in uno eodemque loco reproductus Petrus, non poterit illos actus diversos, saltem naturaliter habere, nam illud posse habere, infundatur æquivalentiæ, ad duo distincta realiter, quæ independenter à reproductione non habetur; consequenter nec fundamentum compatiendi illos actus.

Instabis. Si posset Petrus in uno loco amare, in alio odisse, in uno peccare, in alio non peccare, dabitur distinctio virtualis in creatis, in ordine ad prædicata primò intentionalia, consequenter & Mysterium Trinitatis, ut ex alibi dictis scitur.

Respondetur retorquendo argumentum. Esse in uno loco tantùm, non esse in uno loco tantùm, sunt prædicata physica, & tamen competentia replicatæ uni eidemque entitati. *Neque valet*, si recurras ad duplicem ubitatis modalitatem, quia multi eam ex oppositis negant, & quia de illa redit quæstio, quomodo enti possit tribuere, tàm distinctum Physicè prædicatum, si illud non est in se illorum capax. Datâ autem æquivalentiâ prædictâ, nondum sequitur Mysterium Trinitatis in creatis, quia quando communicatur indistincta à Paternitate, v.g. natura, non communicatur reproducta, nec ullo modo replicatur, immò nec replicari potest.

Continuatur Solutio.

Objicit quartò Maurus Qu. 28. Principium proprium, ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de distinctione inter homogenea sensibilia, non potest falsificari per ullam poten-

potentiam, sed principium proprium, ex quo venimus in cognitionem certam distinctionis inter res homogeneas sensibiles, est quòd habeant diversas ubicationes circumscriptivas, v. g. ego videns albedinem A. existentem in uno loco, & albedinem B. existentem in alio, statim cognosco illas esse duas, & non unam albedinem: Ergo nec per divinam quidem potentiam falsificari potest hoc principium.

Respondetur. Hoc argumentum multum probat, quia probat ne divinitus quidem posse separari accidentia panis à pane, quia principium ex quo per sensum venimus in cognitionem certam de substantia panis, non potest per ullam potentiam falsificari, hoc autem principium, est, hæc albedo, hic sapor, hic color, hæc combinatio accidentium. Rursus omnes admittunt, principiis quidem Metaphysicis, ne divinitus quidem oppositum fieri potest, secus principiis Physicis, unde est principium Physicum: agens necessarium applicatum suo passo agit, & tamen ejus actio miraculosè impediri potest; ignis calefacit, & tamen divinitus frigefacere potest, & sic ulterius. Denique dici potest, quod principium proprium secundùm quod ipsum principium veritatem in se continet, falsificari non possit. Porrò principium hoc: unum corpus nunquam est in pluribus locis circumscriptivè, continet veritatem cum restrictione: viribus scilicet naturæ, & secundum suam exigentiam, nullumque tale corpus dari potest, secundum cursum naturæ, sed id non præjudicat dispositioni omnipotentiæ, & sicut quamvis uni una debeatur præsentia definitivè, estque hoc principium certum Physicè, tamen hoc non obstante, potest idem habere divinitus plures præsentias definitivas, ita & in præsenti.

Instat primò idem. Possumus dubitare, an omnes palmi albedinis non sint unus palmus replicatus.

Respondetur. Quamvis angeli videant, rem spiritualem unam occupare posse plura definitiva spatia, cur tamen non dubitant, quòd tantùm sit res una & non plura individua spiritualia? cur item videndo accidentia panis sine substantia, non dubitamus esse etiam accidentia parietis sine pariete, & panis profani nullam esse substantiam, sed sola accidentia: sicut ergo in istis recurrimus, hæc non esse affingenda, nisi ratio, experientia, fides urgeat, ita & in præsenti.

Instat secundò idem. Principia, quibus intellectus assentitur ex terminis, & non propter experientias sensibiles, falsificari non possunt, v. g. omne totum est majus suâ parte, sed quòd quæ sunt in pluribus locis circumscriptivè, sint plura, notum est ex puris terminis, cùm profectò nemo possit per ullam experientiam deprehendere, quod totum frumentum mundi, non sit unicum granum replicatum, ergo licèt non sit æquè evidens hoc principium ac alia, est tamen æquè infalsificabile, nam etiam principia non omninò evidentia sed probabilia, possunt esse omninò infalsificabilia.

Respondetur, inprimis licet nemo possit per experientiam ullam deprehendere, quòd non sit substantia panis sub quocunque pane, non licet inferre quòd non dentur accidentia panis sine substantia panis; ita nec ex eo, quia nemo per ullam experientiam potest deprehendere, quod totum frumentum mundi, non sit unicum granum replicatum, inferri non potest quòd unicum granum, divinitus replicari non possit. Rursus aliud est; hæc quæ sunt in pluribus locis circumscriptivè, sunt plura, & aliud; quod est in pluribus locis circumscriptivè, est plura: primum illud est verum, ly enim, quæ pluralitatem entitativam importat: secundum est falsum & non probatum. Hinc directè negatur minor. Concedo, quòd per experientiam nemo deprehendere possit, quòd frumentum totius mundi non sit granum unum replicatum, sed nego quòd id per rationem prætactam deprehendere non possit, neque enim ex eo quòd aliquid non implicet fieri à Deo, circa aliquid, inferri debet factum jam esse. Negatur item, quòd principia probabilia æquè sunt infalsificabilia ac Metaphysica, nisi fortè sumantur secundum quod veritatem in se continent. Et ita hoc principium, si mater est diligit filium, quia continet veritatem de ut plurimùm, non potest moraliter falsificari, sed absolutè loquendo falsificari potest, quomodo autem contineat veritatem principium de loco circumscriptive occupato, suprà dictum. Hinc negatur hæc propositio, principia non æque evidentia, sunt æque infalsificabilia.

Instari potest tertiò. Illud principium; omne totum est majus sua parte, falsificari non potest; ergo neque hoc principium; Quod est in pluribus locis circumscriptivè, est plura.

Respondetur, negat: Conseq. Quia illius primi implicantia est, & conceditur ab utraque parte; sed nego talem implicantiam posse dari in casu secundo. Unde in Logicis dictum; certò moraliter, posse oppositum contingere, physicè loquendo, consequenter potest esse vera v. g. mater, & non diligere filium; certò item physicè potest contingere oppositum absolutè loquendo v. g. ut ignis frigefaciat, sed certò metaphysicè ne divinitus quidem oppositum fit: Certum autem Metaphysicum deprehenditur inter alia ex ipso implicat, implicat autem ne totum sit majus sua parte, non implicat verò, ut unum sit in pluribus locis circumscriptivè.

Objicit quintò idem. Pars non potest esse æqualis toti ne divinitus quidem; sed si posset corpus replicari circumscriptivè, pars posset esse æqualis toti, nam ubicatio circumscriptiva mensurat rem ubicatam, eò quòd palmus ubicationis cor-

correspondeat palmo rei ubicatæ, digitus digito. Ergo tanta est tres ubicata, quanta est ubicatio ipsius, sed posset ubicatio medietatis esse æqualis ubicationi totius, si medietas replicaretur per aliam ubicationem æqualem, ergo medietas posset esse æqualis toti.

Respondetur. Alia est hæc propositio; non potest esse æqualis toti, & alia, pars non potest occupare locum tantum, quantum aliàs occupabat totum. Primum illud est verum, secundum est falsum, ut ostendit etiam experientia rarefactionis, ubi pars rarefacta, totum locum occupare potest, quem occupabat totum densatum: hoc autem secundum contingeret posita replicatione. Ubicatio autem circumscriptiva mensurat rem ubicatam hoc sensu, quòd quanta est ubicatio, tantum etiam spatium occupat ubicatum, ut scilicet si ubicatio sit tripalmaris, ubicatum etiam sit extensum ad tres palmos, sed non mensurat rem ubicatam, secundùm rationem ipsam entitatis suæ, ad quam attenditur in dicto principio, & non ad occupationem spatii.

Instat. Quæ sibi congruunt sunt sibi æqualia, sed medietas replicata congrueret toti, ergo esset æqualis toti.

Respondetur. Quæ sibi congruunt in eo, in quo congruunt, sunt sibi æqualia, non tamen in quo non congruunt, non autem congruunt sibi medietas replicata quoad entitatem cum toto, nec congruunt replicata pars, cum non replicato toto, sed cum replicato toto; quod replicatum, majus spatium natum est occupare, si æque replicetur ut pars v. g. si pars bis replicetur, & totum bis, semper majus spatium, occupabit totum.

DIFFICULTAS III.

De Actione replicativa.

Præmitto primò. *Duplicem actionem cogitari posse, per quam aliquid replicetur.* Prima, quæ appellatur actio adductiva: Altera, quæ appellatur productiva: per actionem adductivam, intelligitur productio solius ubi, sine ulla actione, quæ sit terminata, ad ipsam rei entitatem, & secundam illius, in suo esse, productionem. Quæritur ergo, per qualem actionem fiat replicatio.

Præmitto secundò. *Quamvis in hac quæstione, respiciendum sit ad præsentiam localem, quæ habeatur in hoc universo, sed & universalius, id decidendum est*, quia etiam extra cœlos, possunt entia replicari. Cur non enim?

Præmitto tertiò. *Aliquos Theologos*, ut videre est apud Lug. Disp. 7. Sect. 2. & sequentibus; *censere, ad salvandam substantialem conversionem, quæ sit in Eucharistia, necessariam esse reproductionem corporis Christi*, inter quos est Coninck ibidem citatus, sed aliqui, non censent quidem, hoc esse necessarium, ad salvandam substantialem conversionem, quod expressè docet Amic. disp. 18. de Euchar. Sect. 1. n. 28. ad salvandam tamen substantialem præsentiam, seu substantialem replicationem, necessariam esse actionem productivam, ut videre apud eundem est sect. 4.

Dicendum est primò. *Replicationem non fieri, per actionem solam adductivam.* Ita Amic. Coninck, & alii contra Lug. citat.

Probat primò Amicus. Sola actio adductiva, & collocatio ubi distincti, de se sufficiens non est, ad substantialiter replicandum subjectum, in loco distincto. Quod ipsum probat; Quia nulla forma potest conferre subjecto effectum formalem, quem non habet: At ubi non continet substantialem replicationem subjecti, quia ubi, est tantùm modus, à subjecti entitate distinctus, uniens subjectum cum loco: Ergo non continet substantialem subjecti replicationem, quia nulla forma potest conferre, nisi quod habet in se. Ergo si ubi non habet in se, nisi unire tantùm subjectum cum loco, non poterit subjecto dare substantialem replicationem, quæ præter unionem subjecti cum loco, includit ipsam entitatem subjecti.

Responderi posset Negando, esse de ratione replicationis, ponere replicationem substantialem subjecti, esseque argumentum, quasi de subjecto non supponente. Sufficitque uniter se habentis substantiæ, quod entitatem positio in duplici loco, sicut anima habet ubi, & in pede, & in capite, sine ulla replicatione substantiæ, habendoque esse uniter, ita & in præsenti.

Instat primò idem. Primò natura intelligitur subjectum, per suam entitatem, indistans à loco, quàm per ubi uniatur, formaliter loco. Ergo per ubi, non habet formaliter, ut fiat entitativè indistans à loco, Ergo hoc debet habere ab actione reproductiva. Probatur Antecedens. Quia entitas præsupponitur ad ubi, à quo ubi, tantum formaliter habet, ut uniatur positivè cum loco. Quod ipsum probatur: Quia nullum ubi, dat formaliter subjecto, ut fiat entitativè indistans à loco, cum quo illud unit, sed supponit illud, vel per motum localem, vel per creationem, ibi positum, esseque indistans.

Responderi potest in Modalium principiis, negando, prius naturâ subjectum esse indistans, dicentque creationem, vel motum localem, hoc solùm facere, ut acquiratur hoc potius ubi, quàm aliud, ita tamen, ut ante illud, non detur indistantia.

Instat secundò idem. Unio substantialis, non aufert subjecto, nisi esse uniti, supponitque illud jam aliunde habere esse, & si ponatur unio, quæ uniebat albedinem cum hoc subjecto, unire eandem cum alio subjecto, non poterit, nec dare

dare esse alibi: Ergo nec novum ubi id facere poterit.

Respondetur imprimis. Eadem unio, non potest cum alio subjecto, eandem albedinem unire, quia est essentialis determinatio, tenens se etiam à parte hujus subjecti. Consequenter non poterit facere, ut in alio loco sit, jam autem ubi replicativum, de natura sua, habet rem replicare, non quidem per reproductionem entitatis, in quo convenit cum unione, sed per replicationem, ratione plurificati Ubi, in eadem uniter posita natura. Deinde, cùm non sit de ratione unionis, ponere in loco, fit ut illa unio, non habeat vim replicandi, jam autem est de ratione ubi, ponere in loco, hinc ubi replicatum, benè poterit ponere in loco duplici.

Probari potest secundò Conclusio. In replicatione, vel est substantialiter præsens Petrus, vel non est substantialiter præsens: si non est substantialiter præsens. Ergo neque illîc est replicatus Petrus; Petrus enim importat solam substantiam. Quod si in replicatione est substantialiter præsens Petrus. Ergo debet replicari illius substantia.

Responderi potest. In replicatione, esse substantialiter præsentem Petrum, replicarique illius substantiam, sed replicatione adductivâ, hoc est contributivâ novi ubi, non replicatione productivâ pluries ejusdem entitatis, & hoc modo non nisi rem replicari sufficit, & non implicat.

Instabis. Impossibile est replicari Paternitatem, & non replicari ipsum esse Patris. Ergo etiam impossibile est replicari ubi, & non replicari entitatem.

Respondetur. Etiam hîc replicari entitatem actione adductivâ, non reproductivâ, præcipuè, cùm ipsa paternitas, per multos modalium, sit indistincta modaliter, secùs per multos eorum, ubi, quamvis autem ipsum ubi esset indistinctum, saltem non demonstratur distinguibile non esse, Consequenter in hac suppositione, replicari poterit. Deinde non potest replicari paternitas, nisi ipsum esse Patris replicetur, quia ipsa paternitas, est nata formalisare rationem Patris; jam autem ipsum ubi, non est natum formalisare substantiam rei, cui competit ubi; hinc replicato ipso ubi, & de novo producto, non erit necesse produci, ipsam substantiam rei. *Hinc aliter*

Probatur tertiò. Tum quia, vel habet replicatum Corpus, negativam suam præsentiam, præter præsentiam positivam, ab illo ubi replicante desumibilem, vel non habet: Si habet, replicari per actionem reproductivam debuit: si non habet: Ergo nec habet illîc suam substantiam, cùm per modales, illa negativa præsentia, sit indistincta à substantia locati. Tum quia, si non poneretur ubi distinctum productum, non haberetur ubi replicatum. Ergo etiamsi non ponatur reproducta entitas, non erit illîc substantialiter replicatè præsens: Tum quia, si in eodem loco poneretur duplex ubi, quod scilicet successivè aliàs esset acquirendũ, non faceret in eodem loco, nisi uniter illam substantiam esse. Ergo etiamsi supponatur duplex distinctorum locorum ubi, non facit illam substantiam, nisi uniter esse. Unde ergo rogo, quoad substantiam erit, in utroque loco? Tum quia, si Petrus Romæ existens, ponatur etiam Parisiis, deturq; scientia intuitiva ejusdem, alicui, nonnisi prout existit Parisiis, vel videbit illîc esse non solùm ubi illius, sed & substantiam illius: Si solùm ubi: Ergo dabitur modus, sine modificato. Ergo illîc non est Petrus: Si videbit etiam substantiam illius, si illa non nisi quoad suum esse uniter est, quomodo etiam videbitur Parisiis? debet enim illa substantia, prout condistincta, ab ubi, uniter esse, quia nullo modo, ut ita dicam, plurificatur. Tum quia, talis replicatio, secundùm substantiam, utrobique reperibilem spectata, difficilior esset præ præsentia immensitatis divinæ, nam quòd una res nõ replicata ubique, tamen tota existens occupet spatium divisibile, habetur ejus exemplum, vel in ipsa anima rationali, sed ut una res in se non multiplicata, & tamen occupet dissita spatia, id longè est difficiliùs.

Universaliùs tamen, & independenter à sententia modalium, sic arguitur pro Conclusione. Impossibile est, transire à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione. Ergò & à non esse præsentis per substantiam, ad esse præsentis per substantiam Sed nisi ponatur productio iterata ipsiusmet substantiæ, non dabitur ulla sufficiens mutatio ad transitum, ad esse præsentis per substantiam. Si enim esset aliqua mutatio, esset ipsummet ubi. Sed hæc mutatio, non est sufficiens. Tum quia non datur ullum superadditum ubi. Tum quia quamvis daretur superadditum ubi, illud ubi ipsammet substantiam, quoad esse substantiale, & faceret esse non uniter substantialiter, & non faceret esse nõ uniter: faceret quidem esse non unitet substantialiter, quia aliàs corpus non esset substantialiter in duobus locis; non faceret autẽ esse non uniter substantialiter, quia tua positio est substantiale illud esse, uniter se habere, quoad substantiam, & replicari nonnisi secundùm ubi, & si ubi illud faceret esse substantiam, non uniter substantialiter, hoc ipso reproductionem adferet substantiæ, quia esse uniter substantialiter, importat uniter positum ipsum esse substantiale. Ergo & esse non uniter, sed pluriter substantialiter, importat pluriter positum esse substantiale. Sicut enim uniter identificatur uni, non pluribus substantiis, ita esse pluriter substantialiter, identificari debet pluriter posito, ipsi esse substantiali.

Dicendum est secundò. *Positâ actione reproductivâ, non est necesse, superaddi ullum ubi.*

Pro-

Probatur primò. Quia hujus superadditionis, nulla necessitas.

Probatur secundò. Quia positâ productione uniter substantiæ, non est necesse addere illi. Ubi quodpiam distinctum, ut suprà probatum est: Ergo etiam positâ productione pluriter ejusdem substantiæ, non est necesse addere illi Ubi distinctum.

Probatur tertiò. Ipsum Ubi, si pluriter ponatur, sufficiens est sibi, ut sit in pluribus locis, vel bis in eodem: Ergo etiam ipsa substantia pluriter posita, in circumstantia indistantiæ, erit sibi sufficiens, ut sit in pluribus locis; Sicut enim tu dices ipsum Ubi, esse sibi rationem formalem indistantiæ ita pluries substantialiter posita substantia, in circumstantia indistantiæ, est sibi ratio formalis præsentiæ.

Dicendum est tertiò. *Implicare ut salvetur replicatio, sine reproductione ejusdem entitatis.*

Probatur primò. Quia impossibile salvare transitum, à contradictorio ad contradictorium, sine sufficienti mutatione, quæ non potest ostendi in replicatione, nisi ponatur reproductio, quia si esset aliqua mutatio, esset à duobus locis indistantia, de hac ipsa quæritur, quomodo haberi possit, ita ut utrique loco, substantialiter conjungat locatum, si ipsum locatum in se uniter est.

Probatur secundò. Quia si daretur prædictus modus replicationis, vel esset uniter, non nisi substantialiter illa substantia replicata, vel esset pluriter; Si esset uniter, Ergo non esset in utroque loco, quoad substantiam; Si pluriter quoad substantiam, quomodo id habere potest, sine plurificatione ut ita dicam substantiæ, Verbisque in præsenti discrepant, pluriter esse quoad substantiam, & plurificari quoad substantiam.

Probatur tertiò. Quia esse indistans, est concretum, ex locabili & ex indistantia. Jam autem, si non esset duplex indistantia, non posset esse aliquid in duplici loco. Ergo etiam si non sit pluriter substantia, non potest esse in pluribus locis substantialiter, quomodo autem est pluriter substantialiter, sine plurificatione substantiæ? Et certè, ut sit substantia uniter in loco, non sufficit sola indistantia formalis, sed requiritur ipsum esse v. g. substantiæ, quod debet necessariò supponi productum uniter. Ergò etiam ut sit substantia pluriter in loco, non sufficit sola indistantiæ formalitas, sed requiretur pluriter ipsum esse substantiæ, quod non potest esse, sine reproductione.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur primò. Nulla est necessitas multiplicandi has productiones, sufficitque hoc fieri per Ubi distinctum.

Respondetur.. Major est multiplicatio Entium per Oppositos, quàm per Nos. Major enim est multiplicatio, si dicantur nova Entia produci, quàm si dicatur, unum idemque reproduci. Nam ex priori productione, sequitur poni plura entia, ex reproductione autem sequitur poni, non nisi unum Ens, licèt pluriter. Deinde adest etiam necessitas, quia Vtrobique non potest intelligi substantialiter præsens locabile.

Objicit secundò Lug. Angelus, qui erat in hoc palmo spatii, sine ulla replicatione, retento illo palmo, potest se extendere, ad alios duos palmos, sed solùm per productionem novæ præsentiæ. Ergo etiam eodem modo, poterit à Deo poni in spatio distanti, non positâ novâ productione, sed positâ solâ novâ præsentiâ.

Respondetur. Missis aliorum responsionibus, imprimis quod argumentum hoc, procedat à minori ad majus, viâ affirmationis; ad eum modum, quo si quis probaret: posse animam informare partes materiæ non aggeneratas, quia potest aggeneratas, argueret enim à minori ad majº viâ affirmationis sita & in præsenti, difficiliùs enim est, esse in pluribus locis adæquatis, hinc non potest per idem salvari illa præsentia entis replicati, per quod salvatur aliàs præsentia prædicta Angeli. Disparitas etiam in hoc est, quia Angelus, ut possit se intra suam sphæram extendere, habet principium in seipso, hoc est actum suæ voluntatis, & virtualem suam locabilitatem; non est autem principium, quod salvet esse aliquod ens in duplici loco, sibi adæquato, habendo præsentiam suam non solùm localiter, sed etiam quoad suum substantiale esse, nisi ponatur reproductio illius pluriter positæ substantiæ, Ea autem quæ aliàs de Angelis urgentur, & ex suprà dictis, & ex Materia de Angelis solvi debent.

Objicitur tertiò. Si ponatur quòd in uno loco possit corpori replicato, convenire unum prædicatum, non convenire in alio, licèt illa cæteroquì incompossibilia inter se naturaliter sint, evertetur principium assumptum à Trident. quia evertetur principium, de concomitantia, vi cujus replicato corpore, censet Trident. per concomitantiam sequi sanguinem.

Respondetur imprimis. Quærendo ex oppositis, cùm concedant posse in uno loco convenire uni, quod non convenit alteri, modò prædicata non sint incompossibilia, quomodo per illos non evertatur principium de concomitantia, cùm in utroq; casu auferatur concomitantia. Porrò concomitantia à Trident: requisita est circa ea prædicata, quæ rei ante replicationem, & novi replicationis conveniunt, sed ratione unionis, de cujus principii veritate, nihil, nostrâ Conclusione dimittitur.

Instabis. Effectus qui jam productus est, exigit à Divina virtute nè reproducatur.

Re-

Respondetur. Effectus quamvis prodierit à Divina virtute, hoc est, illo operante, habeatque statum existentiæ, continetur tamen virtualiter in omnipotentia, nec enim per hoc, quia effectum Deus produxit, privavit se sua omnipotentia, quæ omnia possibilia continet.

DIFFICULTAS IV.

An in eodem loco possint plura corpora poni?

Supponimus non posse id fieri naturaliter, ipsa experientia id ostendente, etiam consensu quantitati tribuente impenetrationem, quæ tamen quantitas corpora sequitur, restat quærere, an id possit fieri Divinitus.

Dicendum est. *In eodem loco, posse divinitus esse duo corpora*, quòd autem dicitur de duobus, idem de pluribus sentiendum est.

Probatur primò. Quia hoc non implicat contradictionem, ut constabit ex solutione argumentorum.

Probatur secundò. Quia de facto contigit ea penetratio, ut cùm clausis januis intravit Christus, & cùm corpusculum ejus sanctissimum enixa est Beatissima.

Respondebis. Transiisse corpus Christi non per transito medio.

Contra. Posito quòd corpus ita possit transire, non accipientur verba Scripturæ ut sonant, quomodo enim propriè dicetur; quòd transeatur clausis januis, si per mediam januam non transeatur, jam enim quòd sint clausæ vel non clausæ fores, nihil pertinere ad illum motum, impertinensque esset illius clausuræ circumstantia.

Probatur tertiò. Quia, quòd in eodem loco corpora se non compatiantur, facit vel illorum quantitas, vel ut alii volunt impulsus, quæ omnes causæ divinitus impedibiles sunt.

Objiciuntur primò paritates aliquæ.

Prima paritas. Partes temporis, quæ sunt esse simul tempore. Ergo nec partes quantitatis permanentis.

Respondetur. Si simul essent partes quantitatis successivæ, hoc ipso non essent prius & posterius, quod tamen requirit definitio temporis. Unde sicut prius & posterius non potest esse simul, ita nec partes temporis, nihil autem simile deposcit definitio quantitatis permanentis.

Secunda paritas. Non potest idem esse æquale duobus quantis, si sit æquale uni. Ergo nec in duobus locis, cum unus sit æqualis locato.

Respondetur. Si sit replicatum quantum, non uni tantùm, sed & duobus, poterit esse æquale, accessu scilicet æquivalentis multiplicationis; consequenter eodem titulo poterit esse locatum æquale duobus locis. Sed quia hîc non attenditur ad replicationem, quantùm ad præsens, aliter solvitur hoc argumentum, quòd scilicet non possit esse idem æquale duobus quantis, inquantum ex illis consurgit tertium quantùm majus singulis distributivè acceptis, secus si non consurgat majus, illis, cùm autem in uno loco positis duobus corporibus non fit majus, hinc utrique illorum potest esse æqualis locus.

Objicitur secundò. Si possibile esset in eodem loco, poni duo corpora, sequeretur locum illum & esse à priori corpore occupatum, & non esse: esse ut supponitur, non esse autem, quia ab alio corpore impleri posset, & de facto per miraculum ut dicis impletur.

Respondetur. Licèt ab alio etiam corpore, ille locus impleatur, non sufficit ut non dicatur impleri ab illo corpore, quia impletur non per exclusionem alius corporis, sed per exclusionem negationis sui corporis, in illo loco. Simile quid contingit, si duæ totales formæ eandem materiam informent.

Objicitur tertiò. Ponamus duo gravia penetrari illa & moverentur deorsum, ut supponitur, & non moverentur, quia tunc deberet fieri alia nova penetratio.

Respondetur. Cum supponantur illa gravia penetrata, jam non erit necesse, ut se de novo penetrent, non penetrabunt etiam locum, quia hic natus est cedere & ambire locatum. Unde tota difficultas, quare duo corpora non possunt esse in eodem loco, non est ex ratione loci, sed ex ratione corporis prius locati, impedientis collocationem alius secum corporis, qua ipsa repugnantia sublata, loco extrinseco, perinde erit penetratum, vel non penetratum ambire, duobusque cæteroqui æqualibus corporibus, idem jam sufficiet locus.

Addo. Si duo corpora easdem haberent figuras & qualitates, discerni à seipsis non possent, si verò haberent plures colores diversos, fieret color ex duobus conflatis. Si autem illa corpora haberent duas qualitates contrarias, dicit Lugo, quòd agerent mutuo contra se, penetratio enim non impedit, sed potius juvat actionem, quia majorem præsentiam intimioremque illa principia contra agendi haberent.

DIFFICULTAS V.

De divisione in locum realem & imaginarium &c. & c. de Oppositis loci.

De divisione in locum realem nihil restat dicere, quod non sit tactum supra. De loco imaginario, aliqua perstringenda.

PRÆMITTO. *Quid sit spatium imaginarium.*

EXPLICANT primò aliqui, quòd nihil aliud sit quàm negatio veri corporis, aut veri spatii, quod verum spatium & verum corpus replere posset.

CONTRA est, quia illa negatio, esset negatio negationis, esset enim negatio repugnantiæ quominùs in illo (si detur) existat corpus, jam autem ipsa repugnantia, est negatio. Deinde non attingit ullo modo hæc explicatio formalitatem imaginarii, meræ enim negationes, non sunt quid imaginarium.

EXPLICAT secundò Lug. disp. 5. de Eucharistia. Quòd nihil aliud in re sit, nisi quòd unum ubi fundet talem distantiam ab alio tali, ubi & ita quando dicimus; quod Petrus sit hîc, nolumus significare aliquod spatium imaginarium, cur potiùs sit præsens, sed solùm volumus significare Petrum tale ubi habere, per quod tantum vel tantum distat ab aliis præsentiis.

CONTRA. Tum quia explicari hic debuit locus imaginarius, per ordinem ad quem formatur quæstio; an in illo sit, nec ne Deus, indubiè autem Ubi est, aliquod ubi, jam illic est Deus. Tum quia hæ ipsæ præsentiæ salvari solent per spatia imaginaria, non ergo ipsæ sunt spatium imaginarium. Tum quia sine ullo ubi vero, potest esse adhuc quæstio, de ubi imaginario.

EXPLICAT tertiò recentior Suar: Spatium imaginarium non aliud esse, quàm spatium reale positivum, sub tali distantia, ad puncta fixa à tali præsentia occupabile. Dicitur autem imaginarium, quod illud imaginemur, quasi actu existens sub certa distantia ad puncta fixa.

CONTRA, hoc ipso, quia illud spatium imaginarium est, ergo non est spatium reale positivum, ex alia etiam parte spatium istud imaginarium, non est merè spatium non existens, ut vult recentior Suar. quærere ergo restabit quid sit?

COMMODIUS dicitur ex Vasq. Arriag. Oviedo: Quòd spatium imaginarium nihil aliud sit, quàm spatium mente confictum, quod in re ipsa, nihil est.

RATIO communis est, quia hoc spatium concipitur tanquam existens ab æterno. Si existens ab æterno, cum non sit quid increatum, seu Deus, non etiam est quid creatum, quia nihil est creatum ab æterno. Ergo debet esse nihil. Notione hâc spatii imaginarii traditâ. *Sit:*

Punctum Difficultatis 1.

An Deus sit extra cœlum.

DICENDUM est: *Deum esse extra cœlos in seipso.* Ita recentior Suar: cum pluribus quos citat.

PROBATUR primò auctoritate Sacræ Scripturæ & Patrum: Nam Scriptura expressè docet; Deum esse excelsiorem cœlis, & quòd cœli illum capere non possint. Augustinus de Cognitione veræ vitæ c. 29. dicit de Deo; *Totus extra omnem locum.* Similia habet Damas. lib. 1. Fidei c. 17. Athan. Epist. 1. ad Serap. Greg. lib. 2. Moral. c. 8. & Richar. Victorinus lib. 7. de Trinit. c. 23. *Si essentialiter ubique est, ergo & ubi locus est, & ubi locus non est, erit itaque & intra omnem locum, erit & extra omnem locum.* Quæ omnia ut sonant accipi nihil vetat.

PROBATUR secundò. Nihil illud quod est extra cœlum, ita se habet ac nihil mundi antequam mundus esset, sed quando erat nihil mundi, seu antequam mundus esset, Deus erat in seipso. Ergo extra cœlum est in seipso, minor est certa apud Catholicos, sumiturque ex Phrasi August. in Psal. 122. & ex Tertull. Lib. Adversùs Praxeam cap. 5. & Divo Bernar. lib. 5. de Considerat. quorum textus vide apud eundem Suar. Major probatur. Quia sicut nihil mundi hujus, ante hunc mundum, erat nihil, ita nihil mundorum possibilium, & nihil rerum ponibilium, verè est nihil, & sicut nihil mundi hujus, antecedebat æternitate, positivum mundi hujus, ita nihil possibilis alius & alius mundi extra hunc, antecedit æternitate positionem illorum.

Hic ipse medius terminus, sic aliter proponitur.

Prius illo instanti quo Deus creavit primum, quid ex mundo hoc, vel verum erat dicere, est negatio Dei in seipso existentis, vel non erat negatio Dei in seipso existentis. Si erat negatio Dei in seipso existentis, ergo falsa sunt dicta Patrum dicentium, Deum ab æterno extitisse in seipso; quod si in illo priori, non fuit negatio Dei in seipso existentis, nec extra cœlum erit negatio Dei, in seipso existentis. Deinde annihilet Deus mundum hunc, illo annihilato præter extrinsecam existentiam mundi nihil mutatur in Deo, si nihil mutatur, eodem se modo habet ut ante. Ergo quoad sua intrinseca, non desinit hic esse ubi desiit mundus esse. Quòd si non desiit quoad sua intrinseca illîc esse, ubi mundus fuit, quoad sua intrinseca, etiam extra mundum erit. Denique, illîc ubi potest creatura existere, potest existere Deus, tunc quæro vel incipit illîc esse una cum creatura, vel non incipit, sed

sed supponitur esse; si supponatur esse, habetur intentum: si incipit, ergo quoad exercitium non est immensus, quod tamen concederetur illi, data existentia Deitatis in illamet ipsa, etiam extra cœlos, concedendumque est, si nihil obsit, nihil autem obstat.

Confirmatur primò. Existentia Dei in seipso ex una parte non dependet ab ullis spatiis, & distantiis, & locis existentibus actu, quod ipsum probatur. Tum quia non dicit ordinem ad aliquid à se distinctum, sed habet se per modum alicujus immanentis. Tum quia de facto ab æterno Deus extitit, & tamen ab æterno Deus erat in seipso ex mente Patrum, ergo esse in seipso, ab existenti spatio, non dependet, & ex altera parte eadem existentia Dei est necessaria, est enim ipsa ejus immensitas radicalis, ergo cùm necessaria sit, etiam extra cœlos Deum ponet, extra quos ut in se sit spatio Physico non indiget. Et certè quæro, an hoc mundo ita circumscribatur Deitas, ut totum esse Dei concludatur, hoc mundo, non solùm esse, ut ita dicam locale, sed etiam esse Dei, in se. Si non concluditur. Ergo est extra mundum in se; si concluditur. Ergo non ita se habet Deus respectu nihili mundorum possibilium, ac se habuit respectu nihili mundi præsentis, quia quando erat nihilum mundi præsentis, erat Deus in se per Patres. Porrò nomine Dei extra cœlos in se existentis intelligitur divina immensitas, quam non est necesse, alicubi de novo poni, licet ut aliquid dicatur ab illa indistare, & ut dicatur esse formaliter in loco, necesse sit ponere locum aliquem, vel corpus aut ens aliquod quo sensu aliàs in simili dicta, accipienda. Ly autem ibi vel ubi accipitur hìc non pro ubi vel ibi locali; sed quantum ly ubi vel ibi, est quid commune ad locum, & ad existendum in seipso, ad eum modum quo PP. quærentes, ubinam ante mundum conditum Deus fuerit, dicunt illum fuisse in seipso. Et jam tunc ubi, sumitur prout quid commune ad existendum in seipso.

Confirmatur secundò. Quasi à definitione, Deum esse extra cœlos in seipso nihil aliud est, quàm Deum eam habere immensitatem, vi cujus ita se habet, ut nullibi verum sit, negationem Dei esse, ut verè nunquam quoad sua intrinseca locum acquirat, sed hoc debet concedi, quia aliàs quoad sua intrinseca mutaretur Deus. Ergo.

Confirmatur tertiò. Deum esse extra cœlos, in seipso non implicat, est item conforme Phrasi Patrum. Ergo hoc concedendum est.

Probat tertiò recentior Suar: Quia Deus, per suam id habet immensitatem, ut essentialiter sit actu illic, ubi potest esse creatura, ut dictum etiam supra, sed potest esse creatura extra cœlos. Quod probat. Creet Deus novum mundum contiguum empyreo, & super illum creet angelum, annihilet mundum intermedium, inter angelum & empyreum, & tamen creatura manebit extra empyreum; vel si te hæc imaginatio offendit, pone illum angelum creari sub superficie concava alius cœli.

Objicitur primò. Esse extra cœlum, est esse per aliquam habitudinem ad cœlum, hæc autem habitudo est habitudo distantiæ, distantia verò rebus non convenit, nisi ratione quantitatis, quà Deus caret.

Respondetur. Negari posse imprimis majorem; quia cum Deus erat in seipso ab æterno, non erat per habitudinem, ad hunc mundum, sic nec modò, si ponatur Deum extra cœlos existere, dicet habitudinem hanc. Deinde quamvis distantia rebus conveniat nonnisi ratione quantitatis, hæc debet esse non in ubicato, sed ratione negationis quantitatis interceptibilis inter ubicatum & spatium, ubi supponitur ubicatum esse, quod etiam in præsenti de Deo verificabitur, inter quem & inter, *extra cœlos*, nulla est interceptibilis quantitas.

Objicitur secundò. In nihilo Deus esse non potest, extra cœlum nihil est.

Respondetur in nihilo, per coexistentiam Deus esse non potest, quia coexistentia duorum existentiam importat; Nihil autem cùm non existat, nec potest dici Deus illi coexistere. Cæterum falsum est, quòd impropriè in nihilo, propriè autem in seipso, existere non possit, etiamsi illic nihil sit. Vel certè extra cœlum nihil est, non ita ut excludatur esse Dei etiam in seipso, sed ut excludatur omnis creati existentia.

Objicitur tertiò. Si Deus esset extra cœlos, & esset extra illos ut supponitur, & non esset, quia nullibi esse, idem est ac non esse, Deus extra cœlum nullibi esset. Ergo extra cœlos non est.

Respondetur. Nullibi esse cum exclusione solius loci physici & realis extrinsecique; Nego quòd idem sit ac non esse, nullibi tamen esse cum exclusione tam loci extrinseci, quàm modi essendi in se, hoc demum erit nullibi esse.

Objicitur quartò. Deus non potest operari extra mundum, nisi ipsum ponat, seu nisi ipsum locum corporeum ponat. Ergo ex eò quòd Deus extra cœlos operari possit, non rectè colligitur, esse illic Deum.

Respondetur; Negando antecedens. Jam enim ante positionem loci, potest illic ipsam positionem loci operari. Deinde, istud extra duplex est, quoddam locale, & sic Deus non est extra hunc mundum; aliud extra negativum, hoc est non intra hunc tantum mundum, & sic Deus est extra cœlos.

Instabis primò. Sufficit quod Deus sit ibi ubi operatur, non ante, sed solum tunc, cùm operatur. Ergo extra cœlos non est.

Respondetur. Ex prædicato efficientis, sufficeret ut Deus sit non antè, sed tunc cùm operatur illic ubi operatur, sed non sufficit ex prædicato immensitatis & immutabilitatis, quoad intrinseca.

Instabis secundò. Si Deus creet Angelum non in mundo, per hoc non debet dici, quòd eum creet extra mundum, sed quòd eum creet nullibi. Ergo nec Deus debet dici extra mundum existere.

Respondetur. Negando antecedens, creaturque illic Angelus nullibi loci extrinseci, sed non nullibi, ut excludat esse Angeli illic, ubi est.

Instabis tertiò. Si Deus creet angelum extra hunc mundum, in spatio aliquo corporeo simul producto, & postea annihilet illud spatium non annihilato angelo & immoto relicto, tunc angelus esset extra cœlos non nisi ampliativè, nec esset jam ubi erat prius, sed esset nullibi, jam enim illi auferretur ratio formalis essendi extra cœlum, quia hæc petitur ab extreitate locali; & sicut sublatâ quantitate tollitur extreitas partium, sic sublato corpore tollitur extreitas localis.

Responsum suprà; Duplicem esse extreitatem positivam & negativam. Extreitas positiva tunc tollitur, hæc enim dependet à loco sicut extreitas partium à quantitate, sed extreitas negativa hoc est, quod non in cœlo esset tunc angelus, verè non tollitur, quòdsi non tollitur entitati illius angeli verè coexistit Deus, ita ut inter Deum & angelum nihil sit interceptibile? Si coexistit tunc angelo Deus. Ergo & antè jam illic erat, nam ut dicebam ubi potest esse immensitas Dei, jam illic est.

Objicitur quintò. Si Deus est extra cœlum, ideò esset quia nisi antecedenter illic esset, mutaretur, incipiendo illic esse, sed non mutaretur, quia Deus potest reddi præsens huic mundo, sine ulla sui mutatione.

Respondetur. Redditur Deus præsens huic mundo, & redditur non præsens, si esset mundus sine ulla sui mutatione, quia ubi illud intrinsecum Dei, semper est immutabile, nec dependet ab extrinseco corpore, sed si illud ubi essendi, scilicet in seipso, non haberet Deus, illic, ubi ponitur mundus, verè inciperet esse etiam quoad sua intrinseca. Quando autem Aristot. negat 4. Physic. c. 4. aliquid posse esse in seipso, intelligendus est quòd nihil posset esse in seipso tanquam in loco extrinseco, fortè etiam hanc præsentiam Dei non poterat inferre, quia putabat mundum alium esse impossibilem, consequenter non putabat debere esse extra cœlos in seipso Deum.

Punctum Difficultatis 2.

An Deus sit in spatiis imaginariis.

Dicendum est. *Si esse in spatiis imaginariis sit idem ac extra cœlum, Deus est in spatiis imaginariis; si autem esse in spatiis imaginariis idem sit ac existere in spatiis, quæ noster intellectus fingit & imaginatur, in talibus spatiis non est nemine cogitante.* Prima Pars probata suprà. Secunda Pars

Probatur primò. Si Deus daretur in spatiis imaginariis quà talibus, vel daretur actu nemine cogitante, vel non nisi nobis cogitantibus. Si nobis cogitantibus, ergo non datur, sed cogitatur dari; si autem datur in spatiis imaginariis actu nemine cogitante, contra erit; quia quod non est nemine cogitante, in eo non datur Deus nemine cogitante, quia hoc ipso illud ipsum jam esset nemine cogitante, quia cui convenit aliquid reale nemine cogitante, illud in quantum hoc prædicatum illi convenit, est nemine cogitante, præsentia autem actualis Dei est aliquid reale.

Probatur secundò. Si Deus esset in spatiis imaginariis qua talibus, coexisterentne Deo spatia imaginaria quâ talia, vel non coexisterent? si coexisterent, idque ut supponitur nemine cogitante. Ergo & existerent nemine cogitante, quia, à coexistere, supponitur existere; Quòdsi illa spatia non coexistunt Deo nemine cogitante, ergo nec Deus est in illis nemine cogitante, coexistere enim debet Deo, id in quo est Deus. Et certè si Deus esset in spatiis imaginariis quâ talibus, esset in nihilo rei, sed non potest esse nemine cogitante in nihilo rei, in nihilo enim esse, est non esse, sicut enim nihil esse, est non esse, ita in nihilo esse, est non esse, aut in nullo esse. Quòdsi in nullo est, falsa erit particularis, in aliquo est. Ergo falsa ulteriùs erit particularis, in spatiis imaginariis est. Ratio horum omnium à priori est, quia non & nihil sunt particulæ sublativæ esse, hinc in nihilo esse, est non esse.

Probatur tertiò ex Vasq. Deus non est in chimæra nemine cogitante. Ergo nec est in spatiis imaginariis nemine cogitante.

Respondet Hurtad: Disparitatem esse, quia chimæra non apprehenditur tanquam intercapedo quædam, apprehenditur autem ut intercapedo spatium imaginarium.

Contra. Intercapedo illa quæ apprehenditur non est nemine cogitante; sicut nec chimæra. Ergo utrobique non erit Deus.

Objicitur primò. Auctoritas Augustini. lib. II. Civit. cap. 5. ubi sentit: *Vaniloquium esse: Si dicas Dei substantiam à tantis extra mundum spatiis absentem esse.*

Respon-

Respondet Augustinus tantum vult DEUM esse extra Cœlos, nihil autem ait de spatiis imaginariis.

Objicitur secundò. Tempus imaginarium non est aliquid plus quàm spatium imaginarium. Sed DEUS verè existit in tempore imaginario. Ego verè etiam existit in spatio imaginario.

Respondetur. Etiam in tempore imaginario quâ tali, non existere DEUM nemine cogitante, licèt existat in tempore imaginario, materialiter accepto.

Objicitur tertiò. Si DEUS non est in spatiis imaginariis, sequitur DEUM propriè moveri localiter; DEUS enim non est in spatiis imaginariis, sed solùm in hoc mundo, moveat motu recto mundum versus spatia imaginaria, tunc de novo jam illîc DEUS inciperet esse, ergo moveretur.

Respondetur. DEUM non posse moveri ad spatia imaginaria, quâ talia, nisi imaginariè, extra Cœlos etiam moveri localiter non potest, quia extra Cœlos in seipso existit non potestque moveri ad seipsum, & si spatia imaginaria accipiantur materialiter, hoc est pro esse extra Cœlos, sic est in illis.

Objicitur quartò. Quod est in aliquo non tanquam forma in materia, nec pars in toto, nec tanquam genus in specie, nec tanquam effectus in causa, nec tanquam invasatum in vase, illud est verè in alio tanquam in loco. DEUS autem nullo ex prædictis modis, est in spatiis imaginariis. Ergo est in illîc tanquam in loco.

Respondetur. Negando Subjectum minoris; quia DEUS nullo modo est nemine cogitante in spatiis imaginariis. Consequenter dicitur Deum extra Cœlos posse aliquid creare, idq; nemine cogitante, sed non creare nemine cogitante in spatiis imaginariis, quâ talibus.

Addo diversas esse has propositiones, DEUS est extra Cœlum, & DEUS est in eo, quod est extra Cœlum: prima propositio est vera, & significat DEUM esse in seipso, secunda est falsa. Unde etiam per Pattes vera fuit hæc propositio, DEUM fuisse in seipso ab æterno, & tamen falsa fuit fuisse in nihilo, cùm tamen illud extra Cœlos, sit omninò nihil.

Objicitur quintò. Si DEUS non esset in spatiis imaginariis, sequitur DEUM posse distare à seipso. Creet enim DEUS tres mundos sibi continguos, tunc imprimis in lateribus interceptis non esset, quia inter latera supponimus nullum intercipi corpus actu, sed tantùm interceptibile esse; Si autem inter latera non esset. Ergo inter se positum in uno mundo, & inter se positum in altero mundo mediaret aliquid, ubi Deus non esset. Imaginemur rursum medium illum mundum annihilari, non motis nec annihilatis extremis mundis, in quorum utroque extremo esset DEUS, & non esset in medio, mdium enim est spatium imaginarium. Consequenter tunc DEUS distaret à seipso.

Respondetur. Respectu illius medii esset DEUS in seipso, adeoque adhuc non distaret à seipso, spatium autem illud imaginarium, non est, nisi materialiter.

Colliges. Nec in vacuo, quâ tali DEUM esse, sed esse DEUM in seipso vacuo posito.

Punctum Difficultatis 3.

De Oppositio loci quod est vacuum?

Quæres primò. *Quid est Vacuum?* Non accipitur hîc vacuum pro otioso, vel pro corpore carente eo intra-posito, ad quod artificialiter vel naturaliter instituitur continendum, quo sensu putamen nucis est interdum vacuum supple nucleo. Nec accipitur hîc vacuum pro negatione corporis simpliciter, quia Phil. 1. Cœli textu 59. & 7. Cœli textu 27. expressè negat dari vacuum extra Cœlos, quamvis illîc sit negatio corporum: accipitur itaque vacuum privativè, prout hîc de illo Philosophi, qui cum Aristotele 4. Physicorum textu 60. 65. 76. & 1. Cœli 89. definiunt vacuum. Est locus carens corpore.

Sed difficultas est, quomodo vacuum sit locus, si enim est locus. Ergo est superficies corporis continentis, si est superficies corporis continentis Ergo est corpus & non privatio corporis.

Duplici id viâ explicari potest. Imprimis entia connotativa, si sint negationes, non rarò assumere in recto illa positiva, super quæ fundatur illa negatio, & sic, quia tenebræ, seu negatio lucis fundatur in aëre, ideò in definitione tenebrarum ponitur aër, cum formali, carens luce, hocque toties evenire solet, quoties connotativa entia volumus describere, quid in re sint. Porrò vacuum est etiam aliquod non esse, quod non esse, fundatur in esse corporis, cujus latera, ita sunt collocata, ut medium interceptum inter illa latera corpore non impleantur, adeoque formalisetur negatione corporis implentis. Aliâ viâ hoc idem explicatur, in definitione vacui ly locus assumitur, quia scilicet dupliciter spectari potest vacuum. Primò in quantum continetur & intercipitur à loco circumposito. Secundo accipi potest pro ipso continente & intercipiente vacuum. Secundo hôc modo acceptum vacuum

est locus carens corpore, locus enim illam carentiam ambit. Primo autem modo acceptum Vacuum est carentia corporis, prout connotat locum.

Dicitur itaque vacuum locus ut distinguatur à negatione corporis, quæ est extra Cœlos, estque id, quod quodammodo ambit illam negationem, dicitur carens corpore, accipiendo ly corpus pro quocunque indeterminato corpore. Cæterùm rigorosè loquendo hæc definitio, non est nisi speciei antonomasticon vacui, hoc est vacui materialis, de quo in præsenti agendum fuit Philosopho, nam expellatur aër totus ex cubiculo, succedant in locum ipsius Angeli, vel plures, vel unus sphæræ suæ locabilitate, implens spatium, quo aër occupabat, ille locus carebit corpore, eritque vacuum materiale, licèt non sit vacuum simpliciter.

Quæritur II. *Potestne dari vacuum?* Respondet communis Philosophia, Naturaliter non posse dari, posse divinitùs.

Ratio prima. *Quare vacuum naturaliter dari non possit.* Quia indigent influxu cœlesti sublunaria, qui impediretur vacuo.

Respondet Arriaga. Sufficit per latera participari hos influxus, nec est necesse optimum semper influxum haberi, sicut nec illum habent flores sub denso tecto collocati. Addit recentior Suarez. Quòd eadem corpora, quæ tantâ vi ducuntur ad impediendum vacuum, possint eâdem vî attrahere corpora ad contiguitatem recuperandam, si ea tantùm indigeant ad recipiendos influxus Cœlestes.

Secunda Ratio est ex Arriaga. Quia dato, vacuo daretur penetratio corporum, quò enim abiret expulsum corpus, cum mundus totus sit plenus, nisi penetrentur corpora?

Respondet recentior Suarez. Cùm infra empyreum rediit Christus, apparituru S. Paulo, non erat necesse fieri penetrationem corporum, quamvis mundus sit plenus, nec item datum est vacuum, cùm Sanctus Paulus cum corpore (quod de se ille non negat, quamvis etiam non affirmet) translatus est in tertium Cœlum. *Hæc responsio*

Non Satisfacit, quia probabile est non realiter esse motum corpus Christi de Cœlo, sed id fecisse Angelos in corpore, hîc & nunc fabricato, sicut in veteri Testamento apparebant in Persona DEI. Posito etiam quòd realiter ipse Christus apparuerit, facilè est concedere factam penetrationem, donum enim penetrabilitatis, non otiosè datur corporibus glorificatio, immò probabile est non esse in potestate corporis beati, exercere vel non exercere donum penetrabilitatis, sicut non est in potestate beati reddere corpus suum carens claritate. De Sancto etiam Paulo nullum est fundamentum, fuisse illum cum corpore in Cœlo, positoque quòd fuerit, facile est dicere suppletum fuisse miraculosè hunc defectum vel rarefactionem factam. Dicit etiam Arriaga, quòd ad supplendum locum in mundo ejus materiæ, quam Christus in Cœlum secum tulit, produxerit aliquid Deus materiæ ne novo. Hæc ratio potest sustineri ut vides.

Ratio secunda, est quâ utitur recentior Suarez, quia scilicet vacuum est divisio quædam, & habet se per modum vulneris inflicti huic magno mundi corpori.

Responderi potest, nihil exinde convinci, quia per similitudinem declaratur res, non autem ratio adfertur. Rursus cùm vulnus possit naturaliter fieri, poterit etiam naturaliter fieri vacuum. Denique dici potest; Si patitur natura divisionem, quæ fit aëris ambulatione, aliasque divisiones, cur etiam hanc non patietur?

Hoc tamen totum ulterius referri potest in virtutem à natura insitam corporibus attrahendi alia corpora, ut docuit Vasquez, quam virtutem inesse à posteriori experientiæ probant, & ita, ut si ex fistula fistula extrahatur aër sequitur aqua, & si orificium diligenter obstruas fistulæ aquâ plenæ, ita ut non sit modus, quo novus subintret aër, etiam aperto orificio non effundetur aqua, sunt & aliæ experientiæ, quas & usus præsentat & referunt impressi. Experientias curiosas pro utraque parte consultò præmitto melioribusque ingeniis examinandas relinquo.

Meminit Aristot. Argumenti 4. Physic. tex. 53. probantis dari vacuum naturaliter, eô quòd motus non possit fieri in pleno, sine penetratione. Sed sufficit quòd cedat aër vel corpus, per quod fit mot⁹, ita ut aër motu expulsus, aut corpus succedat in spatium à corpore moto desertũ, licèt proximioribus nonnihil comotis partibus.

Quòd autem divinitus possit dari vacuum, nemo dubitat ex illo principio. Quia non implicat. Probabilius tamen est Angelicâ virtute illud dari non posse, quia quamvis connexio ista corporum finita sit, non sequitur ab Angelo illam superari posse, nam connexio accidentium cum substantia, impenetrabilitas item corporum inter se, est quid finitum, ab Angelis tamen fieri non potest. Ulteriusque hoc exinde suadetur, quia cùm impletio hæc & carentia vacui sit bonum Universi, videtur Angelus potentiam non habere, ad causandum malum universi, cumque Angelis tribuatur vis agendi in corpora, vel causandi motum, vel applicandi activa passivis, infertur vacuum ab illis non posse causari, quia vacuum neque est motus, neque est aliquod activum in passiva.

Quæres tertiò. *quid sit sentiendum de motu locali in vacuo.*

Asse-

Assero primò. *Gravia & Levia in vacuo propriè dicto movenda esse, non tamen in vacuo impropriè dicto.* Quale esset, si annihilato mundo relinqueretur lapis.

Ratio, quia adhuc haberet centrum gravitatis lapis in priori vacuo, in posteriori autem non haberet, hinc non esset ratio, cur huc potius quàm illic moveretur. Unde etiam hæc tota mundi Machina non cadit, quia non habet centrum gravitatis, ad quod ruat, & quamvis immediatè sub se non habeat grave, levius, inde non sequitur quòd descensurum non sit, quia sufficit quòd impediens non habeat, & ex altera parte appetit centrum; esset autem ille motus non motus localis, sed motus lationis. Quomodo autem istud grave collocari debeat ut moveatur, colligetur ex dicendis asserto quarto.

Assero secundo. *Motum progressivum corporum beatorum posse dari in vacuo*, ita S. Thom. Quod l. 6. art. 5. & ratio ejusdem est, quia corpora beatorum quoad hoc habent se per modum Spirituum, suntque absoluta à ratione adhærescendi corporibus.

Assero tertiò. *Motum progressivum aliorum corporum in vacuo dari non posse.*

Ratio. Quia progressivus motus, ut suppono, non fieret nisi supra solidum, quod attollere & à se revelli pedes non permitteret, propter adhærescentiam inter corpora, quæ tunc dimittunt aliud corpus à se, quando dimittendi, est quod suppleat locum, Motus tamen v.g. brachii non applicati corpori dari posset, quia principium, quod est adhærescentia, nihil pro tunc agere potest.

Assero quartò. *Circa projecta. Si extra vacuum projectio fiat ubi attingeret projectum, superficiem vacuum circumdantem, propter adhærescentiam non moveretur ulterius, si tamen Angelus projiceret lapidem à medio v. g. vacui, moveretur adhærescentiam corpus.*

Assero quintò. *Posito quocunque motu gravium in vacuo, non fieret ille in instanti.*

Ratio, quia nec auctoritas nec ratio, tribuit vim instantanei & indivisibilis motus, alicui corpori. Quando autem Aristoteles dicit, quòd eadem sit proportio inter motum in vacuo, & motum in pleno, quæ proportio inter plenum & vacuum id solùm voluit, quia scilicet, sicut in vacuo nullum est actuale spatium resistens, ita & in motu in vacuo, cùm tamen in pleno sit medium plus vel minus resistitivum.

QUÆSTIO II.

De Duratione.

Duratio duplex est, una intrinseca rebus, alia extrinseca. Extrinseca duratio desumitur à tempore quo res durat. Duratio autem intrinseca variè à variis explicatur. A Nominalibus explicatur per solam formalitatem & connotationem, eis accedunt Suar. uterque Vasq. Molina, Ovied. A Modalistis dicitur esse modus, ut docuit Arriag. Lugo de Incarnatione dist. 19. Sect. 1. n. 20. censet illum esse ipsammet actionem, quæ per illum modus est, vi cujus constituitur res existens. Et ex illis quidem, qui dicunt nemine cogitante distingui durationem, alii dicunt illam esse quid permanens, ut noster Rub. alii successivam ut Lug. & Arriaga.

DIFFICULTAS I.

Quidnam sit formaliter Duratio per alios.

Dicendum est primò. *Durationem non esse modum superadditum permanentem, & qui totus simul positus, faciat durare hodiè, cras, &c.*

Probat primò Ovied. Duratio sic explicata est indifferens, ut sit hodie vel cras. Ergo non est in hoc tempore per seipsam. Consequentiam admittunt Modales in aliis Materiis. Antecedens probatur. Hæc duratio heri me constituebat in diverso tempore, & hodie me constituit in hoc. Ergo est indifferens, ut me constituat in esse hodierno & hesterno.

Confirmatur hoc idem. Quia cum hodiè, non sit crastinum, nec me ad crastinum hodie, in actu secundo determinet, fit ut hæc determinatio non sit determinatio in actu secundo, sed solùm in actu primo. Quòd si determinat nonnisi in circumstantia temporis crastini, cur illud tempus, quod potest determinare illum modum, ut me constituat hodie durantem, non poterit determinare meam entitatem, sine ulla superaddita modali entitate.

Respondebis. Modum illum esse essentialem semper determinationem, quia quousque existit semper habet suum effectum formalem, licèt ratione defectus alicujus extrinseci, non tribuat totum suum effectum, quem extensivè tribuere potest. Sic etiam qualitas impressa projectionis, est in actu secundo talis, nec indiget per aliam qualitatem reddi qualitas projectorum, & tamen extensivum suum exercitium, non præstat simul.

Contra. Tum quia, si modus est essentialis determinatio, debet habere & præsupponere omnia sua requisita, nec advenire quin illa præsupponantur, hoc ipso enim & esset essentialis determinatio, ut deposcit materia modi, & non esset essentialis determinatio, defectu scilicet alicujus prærequisiti, & si potest esse modus non tribuens defectu alicujus extrinseci, id ad quod est essentialis determinatio, dicam posse existere unionem, expectarique adventum formæ, dicam posse esse actionem, sed expectando materiam in quam agat. Tum quia, & haberet tunc ille modus effectum suum formalem ut supponitur, & non haberet, defectu scilicet prærequisiti; & sicut si daretur ubi duplex, non posset nisi constituere in duplici loco, hocque ipso deberet habere omnia prærequisita, ita & in præsenti.

Tum quia instantia illa de qualitate non valet, hæc enim non essentialis determinatio, nec modalitas, sed res, nata successivè movere, ita ut si simul conciperetur movere, hoc ipso faceret contra naturam talis suæ entitatis, de linea rati, imò ut sit talis qualitas modus impossibile est, propter rationes ex essentia modi immediate petitas.

Neque valet si dicas, non magis duratio, si sit modalitas, debet esse determinans ad durandum, quàm duratio ipsius Dei, & tamen duratio ipsius Dei, hodie non determinat Deum, ut duret cras, quia cras non est hodie. Non inquam valet, quia duratio Dei, non est essentialis determinatio existendi cras pro hodie, jam autem modus est essentialiter determinatus etiam existendi cras pro hodie, essentialis enim duratio Dei ad existendum cras, est ipsamet entitas Divina, non quomodocunque spectata, sed in circumstantia crastini, hinc non præsupponit ante se vel secum prærequisita, sed expectat ut ita dicam, jam autem modus præsupponere debet ante se prærequisita vel secum. Unde etiam vi essentialis Deo durationis, fit, ut habeat totum actu, quod est necessarium, ut à parte sua possit durare cras, sed illa essentialis Deo duratio, non est essentialis determinatio, ut existat cras actu. Jam autem ex vi modi sequitur, ut si hodie sit essentialis determinatio ad existendum cras, debeat esse, (quod implicat) existentia cras, pro hodie.

Probat secundò idem. Me hodie existentem potuit Deus antecedenter heri corrumpere. Ergo modus ille ex vi cujus duro hodie poterat non esse. Ergo eandem habet indifferentiam ac mea entitas ad existendum, vel non existendum.

Responderi posset, quòd ex suppositione auferendæ illius modalitatis potuisset heri me Deus annihilare, non tamen suppositione facta illius modalitatis, ad eum modum, quo unio modalis hodierna, poterat hodie non unire supposito, quod heri corrumperetur.

Probatur tertiò. Quia nulla est necessitas hujus superaddendæ modalitatis, & sicut non datur unio quæ exspectet aggenerandas partes, vel formam adventuram, ita nec duratio modalis dabitur, exspectans crastinum tempus v. g. vel aliud post annum.

Dicendum est secundò. *Durationem non esse modum successivum.*

Probatur primò. Quia nulla necessitas talis modi.

Probatur secundò. Urgendo argumentum quod sibi opposuit Arriag. d. 17. Sect. subf. 2. Possibilis est creatura durans ab æterno, hæc non duraret per durationem successivam. Ergo non est necesse ponere durationem successivam. Minor probatur. Si illa creatura duraret duratione successiva ab æterno per durationem habentem prius & posterius, prius autem & posterius ab æterno esse non possunt.

Probatur tertiò. Quia vel componitur tempus ex partibus in infinitum divisibilibus, & sic non potest dari modalitas successiva, quæ sit duratio: vel ex punctis, & sic etiam non potest dari duratio, quæ sit modalitas successiva. Non in prima sententia, quia partibus proportionalibus deberet connumerari & proportionari illa duratio, omnibus enim illis duraretur, non posset autem omnibus illis proportionari, quia illæ habent prius & posterius, non posset autem dari modalitas, respondens priori & posteriori, hoc enim ipso non posset, cùm est prius, dari essentialis determinatio ad posterius, quod tamen deberet haberi vi modi. Si autem componitur tempus ex punctis. Ergo saltem ab æterno posita creatura permanente, non posset illa durare duratione successiva, quia jam intercessissent infinita ab æterno puncta, quibus connumeratæ durationes non possent esse nisi infinitæ actu, & quamvis negaretur tempus posse esse ab æterno, sufficeret quòd durationes illæ successivæ essent ab æterno, quæ non possent esse nisi infinitæ actu. Quando autem retorquet argumentum Arriaga de duratione æterna à parte post, id nihil evincit, nam duratio à parte post nunquam est infinita actu, sed semper erit, jam autem duratio à parte antè, esset infinita actu, semperque duratio à parte post, esset clausa duobus terminis, adeoque neque infinita, jam autem duratio à parte ante æterna, à parte ante, non haberet finem.

Dicendum est tertio. *Durationem formaliter non esse actionem conservativam, distinctam, vi cujus existat creatura.*

Probat primò Ovied. Possibilis est actio identificata termino. Ergo & actio conserva-

vativa identificata termino. Ergo & duratio identificata duranti.

PROBAT secundò, ad hominem Actio illa conservativa habet se per modum principii, ut quo efficientis durationem. Ergo habet terminum, sed non alium nisi ipsam durationem. Ergo duratio illa non est identificata ipsi illi actioni. Subsumptum probatur, quia si haberet aliquem terminum, haberet ipsam entitatem durantem : sed non potest habere illam ipsam entitatem durantem, quod probatur. Actio conservativa applicationis spatio non habet pro objecto ipsum applicatum spatio, sed habet pro objecto ipsum ubi in sententia Lugo: condistinctum. Ergo & actio conservativa rei habebit pro objecto durationem, non ergo ipsa conservatio formalissimè duratio. Quòd autem actio illa conservativa habeat se per modum principii efficientis durationem, inde probatur. Ipsum agens conservativum habet se per modum principii ut Quod efficientis durationem, nec potest aliud ostendi principium ut Quod, ergo actio conservativa habebit se per modum principii ut Quo.

PROBATUR tertiò. Tum quia, si de duratione loqui velimus, prout illa in re est, indubiè dicat non solam actionem conservativam, sed dicit etiam ipsum conservatam, dicit item tempus tunc fluens, sed exinde non sequitur quòd etiam reliqua in re non dicat duratio, & tamen illa formalissimè tribuitur per eundem nonnisi actioni conservativæ, & tamen non est ratio, cur etiam reliquis tribui non deberet. Si autem loquamur de duratione, prout illa subest nostris conceptibus, sic non est formalissimè conservatio ipsa, quia conservatio activa habet se per modum viæ, duratio per modum termini, conservatio item activa tenet se à parte agentis, licèt recipiatur in termino, duratio autem formalissimè tenet se à parte passi seu termini. Conservativa actio apprehenditur à nobis tanquam quid antecedens, duratio tanquam quid tandem sequens. Tum quia ratio fundandi relationem non est formaliter relatio, sed relatio est aut formalitas aut modalitas à ratione fundandi condistincta. Ergo & actio conservativa non est formaliter ipsa duratio: sicut enim ratio fundandi causat, ut ita dicam, statuitque relationem, ita concursus conservativus durationem statuit. Tum quia, tam propriè durat Deus, quàm propriè durat creatura, & tamen Dei duratio non est propriè ipsa actio Dei conservativa, cùm respectu Dei, sicut nulla datur actio productiva, ita nec conservativa. Ergo apparet quòd duratio ut sic, non sit actio conservativa, cur ergo creata duratio, & quidem formalissimè, erit actio conservativa.

DIFFICULTAS II.

Quid sit formaliter Duratio?

DICENDUM est primò. *Durationem esse ipsam entitatem prout coëxistentem his tot vel tot differentiis temporis, si eam respectivè accipias ad aliquid extrinsecum*, ut ordinariè accipi solet.

PROBATUR primò. Argumento negativo. Quia nulla necessitas, superaddendæ ullius entitatis.

PROBATUR secundò. Ponamus per impossibile annihilari illam entitatem superadditam, & non annihilari ipsum illud quo reddebatur illa entitas durans, vel habebit existentiam illa entitas durans, vel non habebit existentiam illa entitas durans, vel non habebit: Si habebit. Ergo erit durans, adhuc enim erit tunc tempus, cui coëxistet illa entitas. Ergo durabit, quia coëxistere tempori est durare; & sicut duratio ipsa superaddita si existat & coëexistat tempori est duratio, nec esset duratio (ut supponitur respectiva) si ista duo, non haberet, ita & illa entitas erit durans; Si autem illa entitas non habebit existentiam cur non? poneque per impossibile habere existentiam quærere restabit, an posset dici durans.

PROBATUR tertiò. Tum quia per id duratio entis salvari debet, per quod salvatur ipsius durationis tanta vel tanta permanentia, sicut per hoc salvatur ipsa extensio quantitatis, per quod salvatur, ratio ipsius quanti, & per quod salvatur ratio albedinis, per hoc salvatur ratio albi quà talis, & universaliter quæ ratio formalis, in uno est alicujus rei, eadem si alteri conveniat, erit ratio ejusdem rei in alio, sed durationis tanta vel tanta permanentia, optimè salvatur respectivè accepta, per coexistentiam entitatis tanto vel tanto tempori. Ergo & duratio ipsius entis per hoc salvari poterit. Minor probatur. Si enim quæram, quare illa ipsa duratio permanserit tribus horis. Respondebis, quia est entitas tribus horis coexistens. Cur ergo etiam de ipso ente hoc dici non poterit, per hocque salvari duratio illius? Tum quia, ut urget Ovied. Entitas quæ denominatur durans in priori, antequam illi superaddatur hæc modalitas, jam est durans. Ergo otiosa est illa superaddita Entitas. Antecedens probatur, quia illa entitas rata, est causa materialis illius entitatis si esset superaddita, jam autem ad rationem causæ materialis requiritur existentia in tempore, non in præterito, neque in futuro, ergo in præsenti, adeoque habet & durationem, existere enim in tempore præsenti, & durare, verbis differunt. Tum quia binarius numerus non est quid condistinctum à duabus unitatibus,

bus, quamvis neutra seperatim, constituat binarium. Ergo nec duratio ex eo erit quid condistinctum, quia potest esse entitas & tempus in diversis differentiis, & tamen non constituere coexistens seu durans.

Dicendum est secundò. *Durationem absolutè spectatam, non formalisari per coexistentiam cum tempore.*

Probatur primò. Impossibile est tempus ab æterno, & tamen possibilis est duratio ab æterno. Ergo duratio absolutè spectata non formalisatur per coexistentiam cum tempore Anteced. ex alibi dictis colligitur.

Probatur secundò. Ponamus impossibile reddi omne tempus, poteritné adhuc creari Angelus vel non? (Attenditur autem hîc ad formales consecutiones, non autem ad nexus rerum in omnipotentia) Si non poterit creari, cur non? & certè ante mundum conditum potuit creari Angelus, quo casu non fuisset tempus istud extrinsecum, & non est cur existentia rei, spiritualis debeat dependere à re materiali. Si autem poterit creari, cur non poterit conservari. Ergo poterit etiam habere permanentiam existentiæ, ergo & durationem absolutam, hæc enim verbis differunt. Ergo ulterius dabilis est duratio absoluta, independens à tempore. Neque recurras quòd tunc non absolvet illud Ens à tempore imaginario, quia hoc quod esset nemine cogitante, non esset dependens ab eo, quod est, nonnisi aliquo cogitante.

Probatur tertiò. Duratio Dei est æterna, & quà æterna, non mensuratur nisi æternitate. Ergo de conceptu durationis non est formalisari per coexistentiam cum tempore, quia si de conceptu durationis ut sic, esset formalisari tempore, nulla esset duratio quæ alio, quàm tempore formalisari posset. Antecedens principale probatur, & quidem quòd duratio Dei sit æterna Fides & Metaphysica docet. Quòd etiam duratio Dei quà æterna est, mensuretur nonnisi æternitate. Probatur. Tum quia, duratio temporanea mensuratur nonnisi tempore, duratio hodierna hodierno. Ergo & æterna æternitate. Tum quia, si duratio æterna mensuraretur tempore, infinitum mensuraretur finito. Tum quia, æternitas est possibilis, tempus autem ab æterno, est impossibile. *Neque valet*, si dicas hoc ipso mensurari durationem Divinam tempore, quia mensuraretur æternitate, nam ut dixi immediatè, tempus ab æterno seu habens prius & posterius, ab æterno est impossibile, cùm tamen sit possibilis æternitas antè. Deinde ipsa illa æternitas, nihil aliud est, nisi ipse Deus, ab æterno existens, habens illam mensuram sibi identificatam, tempus autem est motus cœlorum, est quid creatum, adeoque inidentificabile Deo.

Dicendum est tertiò. *Durationem absolutè spectatam, esse ipsam existentiam rei, permanentem, vel ipsum rei esse non desinens, quod abstractis terminis sic circumscribitur. Duratio est permanentia rei in existendo, vel est ipsa non desinentia esse*, prior autem præferenda, quia explicat per terminos positivos.

Probatur Bonitas explicationis; quia convenit omni, soli, & semper, proceditque per prima.

Addo primo. *Durationem absolutam, quæ foret omni impossibili tempore neque habituram prius, neque posterius respectu sui.*

Ratio: Quia illa duratio esset ipsa permanentia rei existentis, identificata ipsi existentiæ, quæ tamen respectu sui, non habet rationem prioris & posterioris, quid enim sibi est posterius?

Addo secundò. Casu quo Deus impossibili omni tempore crearet aliam creaturam, sed non simul cum priori, daretur prioritas & posterioritas durationum, sed non talis, quæ scilicet fundaret rationem hesterni, crastini &c. sed tantùm esset prioritas secundùm quam vera esset hæc propositio; Creatura hæc existit alia, postea autem verificatur utraque propositio.

Addo tertiò. Nullam conservationem posse tribui rei pro primo instanti, sed nec durationem. Non primum, quia conservatio supponit ante se inceptionem, ante inceptionem autem, non supponitur inceptio. Non secundum, quidquid velit recentior Suar. quia quod incipit non durat, sed duraturum est, nec est major ratio de uno, quàm de altero, cur scilicet conservatio præsupponat anteccessionem, & non duratio.

Dices cum eodem. Res quæ antecedit aliam instanti reali, dicitur prius durare illa.

Respondetur. Inde oppositum inferri, quia etiam hîc ad titulum durationis, prærequiritur anteccessio.

Instabis. Punctum spectat ad prædicamentum quantitatis. Ergo & primum instans existentiæ, spectabit ad prædicamentum durationis.

Respondetur imprimis. Nulla vera dantur puncta, datis illis, medius terminus potius erit pro nobis, quia sicut punctum lineæ inchoativum, non est linea, sic nec incepto, erit duratio, potestque benè dici, quòd prima productio spectet ad durationem, tanquam prærequisitum, & revocativè, non autem tanquam formaliter denominationem illam participans.

DIF-

DIFFICULTAS III.

Respondetur Objectionibus.

OBJICIT primò. Durare est correspondere partibus motus, sed iisdem partibus motus possum correspondere cras & hodie, quia eædem partes motus, potuerunt produci cras, quæ hodie. Ergo possum habere eandem durationem cras, quàm hodie.

RESPONDETUR. Imprimis, quòd durare, sit correspondere partibus motus, non quomodocunque, sed secundùm suppositionem positionis eorundem, secundùm quam motus hodiernus, non supponitur futurus cras, cùm sit factus hodie, etsi hodiernus motus cras fuisset, & alius hodie, hic qui supponeretur hodie, salvaret durationem hodiernam. Deinde dici potest, quòd duratio respiciat motum, non materialiter acceptum, quamvis enim alii specie distincti cœli, moverentur, adhuc eodem modo, duraremus hodie, sed respicit motum cœlorum formaliter acceptum, hoc est secundùm prius, & posterius, secundùm quam rationem, posterius formaliter acceptum, non potest esse prius, priori, itidem formaliter accepto. Motus autem qui est hodie nonnisi materialiter acceptus, potest esse cras.

OBJICIT secundò Arriaga. Hoc quod est durare, est aliquid reale, sed hoc est separabile ab existentia Petri. Ergo & duratio, est separabilis. Prob. Minor. Quia Petrus qui existit hodie, est separabile à substantia Petri.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, in principiis ipsius Arriag. probat enim æqualitatem quà talem, esse quid superadditum æqualibus, quia poterat existere hoc lignum, & non esse æquale, quòd si recurrat ad aliam entitatem ejusdem quantitatis, dicemus etiam & Nos requiri, & entitatem & tempus hodiernum. Probat item, existentiam esse quid realiter superadditum, item Relationem &c. similia. Directè autem dici potest. Durationem non esse extra quascunque circumstantias, sed requirere, & entitatem existentem, & connotatum hujus, vel illius, de quo quæritur temporis.

INSTAT primò idem. Hoc quod est coexistere Petrum tempori, est aliquid separabile ab ipso Petro, & tempore, quia potuit utrumque esse in rerum natura, quin invicem coexisterent.

RESPONDETUR. Esse hæc separabilia, si simul non sumantur, secus si simul.

INSTAT secundò. Antichristus absolutè, & simpliciter erit in rerum natura, & crastina dies absolutè, & simpliciter erit, & tamen non erunt simul. Ergo hoc, quod est: erunt simul, aliquid plus dicit, quàm hoc absolutè; ambo erunt.

RESPONDETUR. Negando, quòd hoc, quod est esse simul, si accipiatur in circumstantia existentiæ, actu habitæ, utriusque, sit separabile ab illis.

INSTAT tertiò idem. Quando dicimus, à Petro coexistenti huic instanti, non separari durationem, in hoc ipso sequitur jam includi durationem.

RESPONDETUR. Hoc ipso quia à Petro coexistenti huic instanti, non separatur duratio, sequitur includi re ipsa durationem, quicquid sit de alietate ex modo concipiendi ad eum modum, quo in fundamento, termino, ratione fundandi, includitur relatio, sed non distincta ab illis.

OBJICITUR tertiò. Voluntas Dei, creandi Petrum, in hoc instanti, habet aliquid pro objecto, quod sit distinctum à substantia Petri, quia hæc eadem esset, etiamsi producta fuisset heri, hoc autem distinctum, non potest esse ipsum instans, quia hoc imaginarium est, nec creatur à Deo, instansque existeret suo modo, quamvis Petrus, non existeret in illo.

RESPONDETUR. Hoc objectum, non esse præcisè ipsam substantiam Petri, nec præcisè ipsum instans, sed substantiam in tali circumstantia instantis, & quando hæc duo vult, jam non est necesse habere illum, distinctam voluntatem, ad hoc, ut simul sint, sicut quando Deus vult relationem, vult fundamentum proximum, & terminum, quibus volitis, non est necesse ut procedat ad volendam relationem, jam enim in prædictis continetur, ita & in præsenti.

INSTAT primò idem. Magis, minusve durasse, non potest intelligi, sine pluribus, vel paucioribus durationibus distinctis, si enim indivisibilis est, cur magis minusvè durat.

RESPONDETUR. Secundùm id, quod dicit in recto duratio, nec plus, nec minus durat, est enim eadem entitas, quæ secundùm se, nec major, nec minor est, sed est major vel minor, secundùm id, quod dicit in obliquo, hoc est ratione temporis, cujus partes plures, vel pauciores, intervenêre.

INSTAT secundò. Successio temporis pergit, sive duret Petrus, sive non. Ergo per illam nec dilatantur, nec limitantur termini vitæ.

RESPONDETUR. Durationem extrinsecè pendere ab actione Dei conservativa, intrinsecè autem pendet ab ipsamet entitate, extra causas existente. Unde etiam per tempus, non dilatantur termini vitæ, licèt quantùm duret, illa conservatio, & existentia, mensuret tempus.

IN-

Instat tertiò Maurus. Hoc quod est durare, aut vivere centum annis, addit viventi magnam perfectionem, quà careret, si uno momento viveret: Si addit perfectionem, ergo talis perfectio, debet esse actualitas, positiva, intrinseca.

Respondetur. Imprimis ex dictis aliàs, posse esse aliquam perfectionem negativam magnam: modo infundetur alicui positivo, qualis est perfectio aseitatis, independentiæ, &c. & in nobis multæ negativæ perfectiones dantur, ergo ex magnitudine perfectionis, non debet inferri positivitas & ratio superadditi. Rursus dici potest, quòd hæc additio, supra entitatem Petri, concursum conservativum, & tempus si vis extrinsecum, addat aliquid additione nonnisi Metaphysica, non autem Physica. Denique ostendi hîc potest actualitas positiva, stans in entitate Petri, concursu Dei, tempore extrinseco, quæ tria simul sumpta, quòd sufficienter non salvent rationem durantis, sine aliquo superaddito, hoc ipsum probari deberet, licèt defectu posito vel entitatis, consequenter concursus, vel temporis extrinseci, jam non salvetur, ratio durantis.

Solvuntur Objectiones aliæ.

Objicitur primò usitatum argumentum. Potest poni in rerum natura Petrus, secundum se, & potest poni tempus hodiernum extrinsecum, secundum se, & tamen Petrus non poni in tempore hodierno, sed in alio, unde etiam ponetur aliquando existentia Antichristi, & positum est tempus hodiernum, & tamen Antichristus non existit nec existet in tempore hodierno. Ergo rem permanentem existere, seu durare hodie, est aliquid nemine cogitante separabile, ac proinde accidens, distinctum à parte rei, ab existentia entis permanentis, & ab existentia temporis hodierni, præcisè sumpti.

Respondetur, Potest poni in rerum natura Petrus, & poni tempus hodiernum, simul & una coexistendo, & tamen Petrus non poni, die hodierno, sed alio. Neg. Antecedens, non una coexistendo. Concedo. Consequenter, hæc duo non erunt condistincta, in circumstantia coexistentiæ, secus sine illa.

Instabis primò. Existentia Petri, de præsenti, vel dicit aliquid plus objectivè, supra existentiam Petri, secundum se, vel nihil plus: Si primum, habetur intentum, hoc enim voco durationem hodiernam; si secundum, cur voces novas multiplicas, sine omni significato reali.

Respondetur. Existentiam Petri, de præsenti, præter tempus, hoc illi coexistens, nihil plus dicere objectivè, secus extra hoc tempus. Et certè, quamvis possit esse entitas Petri, & non habere denominationem hanc, componi entitate Filii, seu termino, tanquam parte, nihilominus non superaddis aliam modalitatem, constitutivam, in linea relationis: ita licèt poneres tempus extrinsecum, tanquam partem durationis, non esset necesse ponere modalitatem superadditam, constitutivam in linea durantis.

Instabis secundò. Existentia Petri, de præsenti, est nemine cogitante separabilis, ab existentia Petri, & temporis hodierni secundùm se, ergo est nemine cogitante distinctum quid.

Respondetur. Existentia Petri, de præsenti, est separabilis ab existentia Petri, & temporis hodierni, coexistentibus. Nego Antecedens, non coexistentibus, concedo.

Instabis tertiò idem. Petrum esse simul cum hoc tempore, est separabile ab existentia Petri, & hujus temporis secundùm se spectatorum, ergo significant aliquod objectum à parte rei distinctum, quod ego voco durationem.

Respondetur. Petrum esse simul cum hoc tempore, est separabile ab existentia Petri, & hujus temporis, si non supponantur coexistere, Concedo Antecedens. Si supponantur coexistere, nego Antecedens. Et si non coexistant, erit tunc negatio, vel Petri existentis, vel hujus temporis existentis, & sicut ab entitate Petri, est separabile, esse illum Patrem, & Paulum Filium, ex suppositione tamen, quòd hic genuerit, & hic sit genitus, non sunt separabilia, nec est necesse ponere relationem filiationis modum superadditum, ita & in præsenti, Petrum esse simul, cum hoc tempore ex suppositione coexistentiæ separari non possunt, secus sine hac suppositione, unde si non erit coexistentia horum duorum, erit ex parte objecti mutatio, nempe tunc ponetur non existentia alterutrius.

Objicit secundò idem. Deus, quando vult Petrum creare hodie, non vult Petri existentiam secundùm se, nec etiam existentiam temporis hodierni secundùm se, quia hæc velle poterat, quin vellet Petrum existere hodie, vult ergo simultatem existentiæ Petri, cum existentia temporis hodierni. Ergo ista simultas, seu coexistentia Petri cum tempore hodierno, est objectum distinctum ab existentia Petri, & tempore hodierno, secundùm se sumptis, inducturque per voluntatem Divinam efficacem, quà vult Petrum, esse hodie.

Respondetur. Simultatem coexistentiæ esse distinctam, ab utriusque entitate præcisè sumptis, extra suppositionem simultatis, non autem posita suppositione. Deinde quam-

quamvis concedatur, quòd simultas coëxistentiæ sit distincta ex parte objecti, à sola existentia Petri, & sola existentia temporis hujus; sola enim v. g. existentia Petri, dicit negationem existentiæ tunc, hujus temporis, negatio autem objecti, & positio, inferunt distinctionem ex parte objecti. Sed nego, ad istam simultatem, debere transiri per superadditum quid, entitativè utrique, sed per ablationem negationis existentiæ tam Petri, quàm temporis hodierni, quæ ablatio negationis, perficitur ipsismet illorum entitatibus tunc existentibus, requirendo, sicut ad existentiam utriusque actiones proportionatas, ita & requirendo easdem, tunc, ut tunc, dicatur esse, utriusque existentia. Et sicut potest esse entitas unius, & non esse entitas alterius, adeoque non esse par, vel prima jugatio numeri, & tamen esse primam jugationem numeri, non est quid distinctum modaliter ab ipsis unitatibus duabus, ita & in præsenti. Loquor autem non de ubitate unitatum, sed de pura & mera, constitutione paris, seu primæ jugationis numeri.

Objicit tertiò idem. Cùm creatura habeat esse dependens à Deo, singulis momentis destruibile, oportet ut singulis momentis, accipiat à Deo suum esse, tanquam novum donum, ergo, quòd ego habeam hodie meum esse, est novum Dei donum, separabile ab eo, quod habuerim heri esse, sed est novum donum, non per dationem novi doni, sed per repetitionem dati ejusdem doni.

Respondetur. Imprimis, non videtur quòd non sit hoc novum donum Dei, per dationem, si enim est novum donum, est etiam nova datio, cùm donum, & datio, sumpta pro eo quod datur, verbis differant, cumque hesterna duratio, non possit facere me hodie durare, non erit repetitio illius hesternæ durationis hodie, sed revera nova datio novi doni, quia novæ durationis. Deinde directè dici potest, quòd illic sit novitas, ratione novi actualis temporis, cui coëxistitur, ratione novæ non positæ subtractionis concursus, quæ poterat poni.

Addo esse inexplicabile, quid sit ista duratio modalis, v.g. Petri, vel enim una indivisibilis, datur pro tota vita, secundùm quod, illam prævidit Deus, & hoc negant oppositi, si demas Ruvium, & paucos alios, negare autem illam non deberent, quia sicut ex suppositione prævisionis, quousque sit victurus, & quousque velit illum Deus vivere, non potest nisi eousque vivere, ita & non potest, nisi eousque durare. Sed si hoc, quod negant, concederent, restaret quærere, cùm illa duratio, danda sit tanquam complementum decreti divini quod ipsum præciditur ratione nostra, à prævisione tantæ vitæ, tunc urgetur, si in illo priori ante decretam durationem, potest prævideri tanta vita, sine tanta superaddita duratione, ad quid erit illa superaddita necessaria? Non potest dici, illa duratio, singulis instantibus, esse commensurata, quia sequeretur instans post instans. Non potest dici de illa duratione, quòd sit commensurata instanti, & positioni temporis, quia jam illo tempore, necessario duraret creatura. Non potest dici quòd commensuretur partibus in infinitum divisibilibus, quia etiam illis necessario duraret, & cùm illæ partes, sint commensurabiles toti æternitati, posset etiam duratio, temporanea cæteroqui, commensurari toti æternitati. Non potest dici de illa duratione, quòd sit actio conservativa. Tum quia illi actioni, & quidem novæ, deberet respondere novus terminus, secundùm principia oppositorum. Ergo responderet duratio nova. Ergo duratio nova, non est illa ipsa conservatio. Tum quia, vel intelligitur de conservatione activa, & hæc videtur esse quid extrinsecum duranti, vel de conservatione passiva, & hæc non est actio conservativa, sed ejusdem terminus, qui deberet esse quid distinctum, ab ipsa actione conservativa. Tum quia duratio successiva, non est quid superadditum. Ergo cum duratio permanens non aliud sit per oppositos, quàm ipsa actio conservativa, singulis instantibus, variata, adeoque succedens, etiam ipsa, nonerit quid superadditum.

QUÆSTIO III.

Quid Tempus & Æternitas?

Quæres primò, *Quid sit Tempus?*
Respondet Arist. Esse mensuram motus secundùm prius & posterius. Hæc definitio est explicata, ubi de compositione continui.

Quæres secundò. *An tempus Mathematicè acceptum secundùm quod tale, existat formaliter?*

Respondetur. Existere solùm fundamentaliter. Ratio, quia scilicet hic motus, qui poterat esse tardior, vel velocior, existit, hoc est, non est defacto negatio illius, quod postea intellectui dat fundamentum formandi has propositiones: Nunc est: Quare autem tempus Mathematicè acceptum quà tale, formaliter non existat, probatur ubi de continuo. Et certè ly: Nunc, est indivisibile, nec enim admittit prius & posterius, si est indivisibile, non potest habere partes, si non potest habere partes, non

potest habere majorem vel minorem velocitatem, quæ tamen competunt tempori. Quando autem Aristot. negat de tempore, quòd possit dari velocius, vel tardius, loquitur, vel de tempore Mathematicè accepto, vel de æqualitate motus cœlestis, qui de facto datur, vel negat id competere tempori, sub formalitate temporis, licèt sub formalitate, motus possit competere.

Quæres tertiò. *Quid sit Æternitas?* Boëtius sic illam describit, quòd sit: Interminabilis vitæ, tota simul & perfecta possessio. Hæc descriptio patitur suas difficultates, quia possibilis est creatio rei permanentis ab æterno, v.g. lapidis, qui tamen quomodo interminabiliter vivet. Deinde redit quæstio, quid sit interminabilis vita. Denique hæc descriptio potius subjectum æternitatis ostendit, quàm mensuram. Commodius dicetur, quòd Æternitas sit possessio interminabilis existentiæ, vel mensura, distingueturque à tempore, quia non habet terminum, habet Tempus.

Et hic octo Physicorum terminus esto. Scribentibus autem & Legentibus dum terminabunt vitam, sit exordium beatæ

ÆTERNITATIS.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b.M.

INDEX

INDEX I.
Titulorum in Physica.

TRACTATUS I.

DE *Principiis & causis corporis naturalis.* pag. 5

DISPUTATIO I.

DE Principiis & causis in Communi. 6
QUÆSTIO I. De prædicatis essentialibus causæ ibid.
Difficultas I. Explicatur essentia causæ ut sic. ibid.
Difficultas II. De essentia causæ in actu primo 8
Difficultas III. An connexio causæ cum effectibus possibilibus, sit causæ essentialis? 10
Punctum Difficultatis 1. Expediuntur rationes probantes nexum essentialem causæ cum possibilibus 11
Punctum Difficultatis 2. Expediuntur rationes negativæ sententiæ 15
Punctum Difficultatis 3. Deciditur de difficultate 18
QUÆSTIO II. De prædicato prioritatis debito causæ 20
Difficultas I. Explicantur aliquæ prioritates ut sic. ibid.
Difficultas II. An omni causæ conveniat prioritas existentiæ. 22
Difficultas III. Solvuntur Objectiones. 24
QUÆSTIO III. De prædicato indistantiæ debito causis. 25
Difficultas I. An creaturæ miraculosè possunt agere in distans? 27
Difficultas II. An Deus possit agere indistans à se. 29
Difficultas III. Solvuntur aliqua quæsita. 31
QUÆSTIO IV. De prædicato distinctionis ab effectu, debito causis. 32
Difficultas I. Statuitur quid sentiendum. ibid.
Difficultas II. Solvitur Argumentum à pari. 34
Difficultas III. Respondetur Objectionibus aliis. 35
QUÆSTIO V. De divisione causarum in communi. 36

DISPUTATIO II.

De causis in communi comparativè spectatis. 37
QUÆSTIO 1. An duæ causæ eundem effectum causare possint. ibid.
Difficultas I. An duæ causæ divisim eundem effectum causare possint. ibid.
Punctum Difficultatis I. Quid tenendum? 38
Punctum Difficultatis II. Solvuntur aliæ Objectiones. 40
Difficultas II. An duæ causæ simul eundem effectum producere possint. 41
Punctum Difficultatis 1. An id fieri possit naturaliter ibid.
Punctum Difficultatis 2. An id fieri possit supernaturaliter. 43
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur alia Argumenta 46
QUÆSTIO II. An causæ se invicem causare possint in eodem genere. 51
QUÆSTIO III. Quid de causis in diverso genere? 52

DISPUTATIO III.

De principio intrinseco, quod est materia ut sic 54
QUÆSTIO I. Quid definitivè materia. ibid.
Difficultas II. De iis quæ non sunt primò essentialis conceptus materiæ. 55
Punctum Difficultatis, Proponuntur & refutantur duæ explicationes. ibid.
Punctum Difficultatis 2. An perfectibilitas & actus entitativus, sit primò essentialis conceptus materiæ. 57
Punctum Difficultatis 3. An determinabilitas sit primò essentialis conceptus materiæ. 59
Difficultas III. Quid primò essentialis conceptus materiæ. 61
QUÆSTIO II. De existentia Materiæ. 63
Difficultas I. An detur materia prima. ibid.
Difficultas II. Materia: suané, an aliena existentia existit. 65
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum? 67
Punctum Difficultatis 2. Respondetur Objectionibus 70
Punctum Difficultatis 3. Argumenta Recentiorum 73
Difficultas III. Quomodo materia dependeat à forma in existendo. ibid.
Punctum Difficultatis 1. Præmittuntur quædam. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Pensantur rationes, an materia possit existere sine omni forma. 74
Punctum Difficultatis 3. Decernitur de difficultate. 76
QUÆSTIO III. De Materia in quantum potentia est. 78
Difficultas I. An materia sit pura potentia? 79
Difficultas II. An esse potentiæ in materia primò essentiale illi, & an identificatum illi. 82
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solutio Objectionum. 85
Punctum Difficultatis 3. Esse potentiæ identificaturne Materiæ? 86
Difficultas III. De potentia materiæ, prout est appetitus formarum. 89
Punctum Difficultatis 1. Quid sentiendum? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Occurritur responsionibus & probatur ulterius conclusio. 91
Punctum Difficultatis 3. Solutio Objectionum contra primam Conclusionem. 92
QUÆSTIO IV. De Unitate, ingenerabilitate, & incorruptibilitate Materiæ. 95
Difficultas I. An corporum corruptibilium eadem sit specie materia. ibid.
Difficultas II. Eademne species materia in corporibus cœlestibus. 97
Difficultas III. De Ingenerabilitate & incorruptibilitate Materiæ. 100
QUÆSTIO V. De causa materiali. 103
Difficultas I. Quid materialis causa, quæ ejus causalitas, effectus &c. ibid.
Difficultas II. Respecta quorum materia exercet rationem materiæ. 106
Punctum Difficultatis 1. An accidentia recipiantur in sola materia? ibid.
Punctum Difficultatis 2. An eadem accidentia Materia subjectet in genito, quæ fuerunt in corrupto? 110
Punctum Difficultatis 3. An mediante quantitate Materia recipiat accidentia? 112

Difficultas III. Quid rationem causæ materialis exercere poteſt. 114

DISPUTATIO IV.

De principio intrinſeco quod eſt forma. 117
QUÆSTIO I. De eſſentia formæ. ibid.
QUÆSTIO II. De exiſtentia formæ. ibid.
Difficultas I. An defacto dentur formæ ſubſtantiales? ibid.
Difficultas II. Præexiſtuntne formæ ſubſtantiales in Materia? 120
Difficultas III. Quid eſt educi formas in ſtatum exiſtentiæ. 121
QUÆSTIO III. De diviſione formarum. 126
Difficultas I. An detur forma corporeitatis, ſubordinata formæ totali &c. ibid.
Difficultas II. An dentur formæ ſubſtantiales partiales. 128
Punctum Difficultatis 1. Proponuntur argumenta pro formis partialibus. 129
Punctum Difficultatis 2. Fundamenta negantium formas ſubſtantiales partiales. 135
Punctum Difficultatis 3. Proponitur tenenda ſententia. 140
Difficultas III. De Componibilitate Formarum in eodem ſubjecto. 142
Punctum Difficult. 1. Quid fieri poſſit naturaliter? ibid.
Punctum Difficultatis 2. An poſſint divinitus plures formæ totales eſſe in eadem Materia. 143
Punctum Difficultatis 3. An eadem forma Divinitus plures Materias informare poſſit? 150
QUÆSTIO IV. De Oppoſita privatione. 151
QUÆSTIO V. De Cauſa Formali. ibid.

DISPUTATIO V.

De Principio Extrinſeco, quod eſt cauſa efficiens. 153
QUÆSTIO I. De efficienti in communi. ibid.
Difficultas I. Quid ſit actio Efficientis. 154
Punctum Difficultatis 1. An ſine entitate modali ſalvari poſſit Actio. ibid.
Punctum Difficultatis 2. An formaliter actio ſit entitas modalis. 156
Punctum Difficultatis 3. Expediuntur reliqua actionem concernentia. 160
QUÆSTIO II. De diviſione efficientis cauſæ. 165
QUÆSTIO III. De efficientibus cauſis aliquibus in particulari. 166
Difficultas I. Quid efficiens principale & inſtrumentale ibid.
Difficultas II. Quid cauſa immediatè efficiens ſubſtantiarum. 168
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solutio Objectionum. 172
Punctum Difficultatis 3. Continuatur Solutio. 174
Difficultas III. De cauſa efficienti accidentium. 177

DISPUTATIO VI.

De efficienti Increato. 178
QUÆSTIO I. De Creatione. 179
Difficultas I. De diſtinctione actionis creativæ à re creata. 180
Continuatur Solutio Objectionum. 182
Difficultas II. Competitné creaturæ actio creativa 183
Punctum Difficultatis 1. Proponuntur implicantiæ, quod creatura ut cauſa principalis creare non poſſit. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Quid de reliquis implicantiis 186
Punctum Difficultatis 3. Quid tenendum? 188
Difficultas III. An creatio poſſit eſſe ab æterno? 190
Punctum Difficultatis 1. An penetrationes potuerint fieri ab æterno? ibid.
Punctum Difficultatis 2. An motus & tempus potuerint eſſe ab æterno? 192
Punctum Difficultatis 3. An ens permanens potuerit eſſe ab æterno. 194
QUÆSTIO II. De Conſervatione. 196
QUÆSTIO III. De concurſu Dei. 198
Difficultas I. An Deus concurrat immediatè ad peccatum? 199
Difficultas II. An concurſus Dei cum creaturis ſit quid concomitans? ibid.
Difficultas III. An concurſus Dei ſit quid determinatum phyſicè. 201

DISPUTATIO VII.

De cauſa extrinſeca quæ eſt finis & exemplar. 204
QUÆSTIO I. Quid finis? eſt ne cauſa realis? quæ ejus cauſalitas. ibid.
QUÆSTIO II. De reliquis cauſam finalem concernentibus, quoad effectus cauſæ finalis. 206
QUÆSTIO III. De cauſa exemplari. 209
Appendix de natura & Arte. 210

TRACTATUS II.

De ipſo compoſito. 213

DISPUTATIO VIII.

De ipſo Compoſito. ibid.
QUÆSTIO I. De Unione. ibid.
Difficultas I. An ſine entitate modali ratio unionis ſalvari poſſit. ibid.
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Proponuntur variæ reſponſiones ad argumenta. 215
Punctum Difficultatis 3. Continuatur propoſitum. 218
Difficultas II. An unio formaliter accepta ſit modus. 220
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 222
Punctum Difficultatis 3. Solvuntur reliqua argumenta. 224
Difficultas III. De aliis unionem concernentibus. 226
Punctum Difficultatis 1. Eſtne illa modalitas una. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 227
Punctum Difficult. 3. Eſtne hæc modalitas materialis. 230
QUÆSTIO II. De Compoſito, quod datur. 231
Difficultas I. De diſtinctione totius à partibus totius. 232
Difficultas II. Reſtaurantur quædam argumenta pro concluſione. 233
Difficultas III. De argumentis in oppoſito. 235
QUÆSTIO III. De totis poſſibilibus. 241
Difficultas I. An ſit poſſibile compoſitum ex materia & forma ſpirituali. ibid.
Difficultas II. An ſit poſſibile compoſitum ex partibus, quarum neutra ſit materia, neutra forma. 244
Difficultas III. Poſſibilené ſit totum, quod ſit corpus ſimplex compoſitum. 245

TRACTATUS III.

De proprietatibus & affectionibus. 248

DISPUTATIO IX.

De eſſentia quantitatis, diſtinctionibusque & competentibus ibid.
QUÆSTIO I. De primo eſſentialis conceptu, quantitatis. ibid.
Difficultas I. An habere partes entitativas, ſit primò eſſentialis conceptus quantitatis? ibid.
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum? ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 251
Difficultas II. An diviſibilitas & impenetrabilitas ſit primo eſſentialis conceptus quantitatis? 253
Difficultas III. An extreitas partium in ordine ad ſe, ſit primò eſſentialis conceptus quantitatis? 255
Punctum Difficultatis 1. Proponitur concluſio & probatur. ibid.

Pun-

Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 256
Punctum Difficultatis 3. Quid sentiendum de Materia, spoliata omni quantitate. 258
QUÆSTIO II. De distinctione partium quantarum continui. 260
Difficultas I. Proponitur & probatur defendenda sententia. 261
Difficultas II. Argumenta in oppositum. 263
Difficultas III. Possibilene est distingui partes continui in ratione partium formaliter. 267
QUÆSTIO III. De distinctione quantitatis à re quanta. 268

DISPUTATIO X.

De Compositione continui. 271
QUÆSTIO I. De continui permanentis compositione, in aliorum sententia. ibid.
Difficultas I. Componiturne ex indivisilibus. 272
Punctum Difficultatis 1. Proponitur primum fundamentum Philosophicum. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Proponitur secundum fundamentum Philosophicum. 274
Punctum Difficultatis 3. Proponuntur fundamenta ex Mathematicis contra indivisibilia. 277
Difficultas II. Componiturne continuum permanens ex partibus proportionalibus in infinitum divisibilibus. 278
Punctum Difficultatis 1. Examinatur primum fundamentum, contra partes proportionales. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Examinatur secundum fundamentum. 280
Punctum Difficultatis 3. Examinatur ultimum fundamentum. 282
Difficultas III. De fundamentis prædictarum sententiarum. 285
QUÆSTIO II. De compositione continui successivi per alios. 286
QUÆSTIO III. Quid tandem dici posset de compositione utriusque quanti. 288
Difficultas I. Explicatur continuum permanens. 289
Difficultas II. Explicatur continuum successivum. 291
Difficultas III. Solutio Objectionum. 293
Punctum Difficult. 1. Quomodo in his principiis dividi possit linea & quomodo minima se tangant. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Supponuntur quædam. 294
Punctum Difficultatis 3. Continuatur solutio Objectionum. 296
QUÆSTIO IV. Explicatur quid sit continuatio. 299
QUÆSTIO V. Quid termini quantitatis & de reliquis quantitatem concernentibus. 301
Difficultas I. Quid tenendum. ibid.
Difficultas II. Solvuntur Objectiones. 302
Difficultas III. Notantur quædam. 305

DISPUTATIO XI.

De infinito. 307
QUÆSTIO I. De essentia & existentia actuali infiniti. 308
QUÆSTIO II. De infinito Categorematico. 311
Difficultas I. De possibilitate infiniti categorematici creati in communi. ibid.
Difficultas II. De possibilitate infinitorum in particulari. 315
Punctum Difficultatis 1. An infinitum in extensione & mole sit possibile? ibid.
Punctum Difficultatis 2. An sit possibile infinitum categorematicum in numero. 317
Punctum Difficultatis 3. Quid de reliquis infinitum concernentibus. 319
Difficultas III. Fundamenta in oppositum. 322
QUÆSTIO III. De infinito Categorematico. 323
Difficultas I. Daturne infinitum Syncategorematicum. ibid.
Difficultas II. De Speciebus infinitis Syncategorematici. 325
Difficultas III. De infinito Syncategorematico prout est in mente Dei.

DISPUTATIO XII.

De motu. ibid.
QUÆSTIO I. De motu locali ut sic. 331
Difficultas I. Modus per se localis potestne salvari sine modalitate. ibid.
Difficultas II. Motus per accidens localis potestne salvari, sine modalitate &c. 333
Difficultas III. Estne de essentia motus localis esse successivum, & quid de motu puncti. 335
QUÆSTIO II. De Speciebus motus. 337
Difficultas I. De divisione motus in tardum & velocem. ibid.
Difficultas II. De motu projectionis. 339
Punctum Difficultatis 1. Præmittuntur quædam. ibid.
Punctum Difficultatis 2. An detur qualitas projectis impressa. 340
Punctum Difficultatis 3. Notantur quædam de hac qualitate. 342
Difficultas III. De motu reflexo. 344
QUÆSTIO III. De inceptione & desitione motus. 346
Difficultas I. Præmittuntur quædam. ibid.
Difficultas II. Quid tenendum? 347
Difficultas III. Resolvuntur reliqua idem concernentia. 349

DISPUTATIO XIII.

De Ubi, Duratione, Tempore. 351
QUÆSTIO I. Quid Locus. ibid.
Difficultas I. Quid definitivè Locus extrinsecus. ibid.
Difficultas II. Quid sit in re Locus intrinsecus. 353
Punctum Difficultatis 1. Quid tenendum. ibid.
Punctum Difficultatis 2. Solvuntur Objectiones. 356
Punctum Difficultatis 3. An possit esse corpus sine ullo Ubi. 359
Difficultas II. De divisione in locum definitivum & circumscriptivum. 361
Punctum Difficultatis 1. An unum corpus possit esse circumscriptivè in pluribus locis. 363
Punctum Difficultatis 2. De prædicatis replicati Entis. 364
Punctum Difficultatis 3. Proponuntur Argumenta in contra & solutio eorundem. 366
Difficultas III. De actione replicata. 370
Solvuntur Objectiones. 372
Difficultas IV. An in eodem loco possint plura corpora poni. 373
Difficultas V. De divisione in locum realem & imaginarium, & de oppositis loci. ibid.
Punctum Difficultatis 1. An Deus sit extra Cœlum. 374
Punctum Difficultatis 2. An Deus sit in spatiis imaginariis. 376
Punctum Difficult. 3. De opposito quod est vacuum. 377
QUÆSTIO II. De duratione. 379
Difficultas I. Quidnam sit formaliter duratio per alios. ibid.
Difficultas II. Respondetur Objectionibus. 381
Difficultas III. Quid sit formaliter Duratio. 383
QUÆSTIO III. Quid tempus & Æternitas. 385

INDEX II.

Conclusionum in Physica.

TRACTATU I.

De Principiis & causis corporis Naturalis.

SUb quo nomine assignandum objectum Physicæ in Prœmio.

DISPUTATIONE I.

De Principiis & causis in Communi.

QUæ definitio Principii ut sic. Quæ definitio principiorum corporis naturalis. Quot hæc principia.

In definitione causæ ad quid attendi debet. Non rectè causa definitur per hoc quod sit principium per se influens esse, in aliud. Nec est id quod per se influendo producit essentiam. Nec est principium per se influens esse, in aliquid à se dependens. Nec est principium propter quod per se, seu virtute sua influens, sequitur aliquod esse. Rectius dicetur quod causa sit principium vi sua determinans ad existendum. Aliqui Doctores veriti sunt nomen principii dare Patri Æterno respectu Filii. Alii è contra docuerunt quod Filius pendeat à Patre. Græci passim tribuunt Patri nomen causæ. Sed Latina phrasis id respuit.

Causa, inadæquatè accepta non constituitur actione. Adæquatè tamen spectata in actu primò importat actionem possibilem.

Quidnam discuti solet quando quæritur: An connexio causæ cum effectibus possibilibus sit essentialis. Aliqui concedunt omnipotentiæ hanc connexionem, non tamen relationem transcendentalem. Alii utrumque. Causa creata dicit Relationem transcendentalem ad effectus possibiles. Sed & causa increata. De connexione autem essentiali causæ cum effectibus possibilibus agendo, multa argumenta id non probant efficaciter. Sed & negativa sententia passim adfert argumenta non convincentia. Implicat contradictionem, ut effectus possibilis reddatur impossibilis, & è converso. Tamen hæc suppositio potest legitimè formari. Impossibili omni effectu, causa specificativè accepta non redditur formaliter impossibilis. Imò & reduplicativè accepta causa non redditur tunc impossibilis formaliter secundùm id quod dicit in recto. Licèt reddatur consequenter & arguitivè impossibilis.

Prædicatum prioritatis ed debitum causis. Prioritas temporis non rectè explicatur perdurationis antecedentiam. Quid illa. Quid prioritas? A quo & originis. In quo & naturæ.

Omni causæ convenit prioritas existentiæ. Ita: ut si aliquid non sit in se existens, vel in aliquo sui, hoc ipso non possit causare physicè.

Indistantia est etiam debita causis. Unde agens ut agat, debet per medium virtutem suam transfundere. Creaturæ possunt miraculosè agere indistans. Et Deus suo modo. Hæc approximatio effectus & causæ est talis, ut ab illa ad effectum, vel à negatione illis ad negationem effectus, non possit dari legitima subsistendi consequentia, per ordinem ad Deum. Habet tamen rationem Antecedentis licèt non sit necesse ut antecedat etiam instanti temporis.

Inter prædicata causæ, est distinctio ejus ab effectu. Possibile tamen est ut idem producat seipsum secundò. Variæ divisiones causarum.

DISPUTATIONE II.

De Causis in Communi comparativè spectatis.

CIrca quæstionem, an duæ causæ eundem effectum causare possint, quis status quæstionis & quæ difficultas. Unus idemque numero effectus à pluribus solo numero distinctis causis potest naturaliter produci in iisdem circumstantiis. Supposita Divina ordinatione, una causa non potest producere effectus numero distinctos, alius causæ. Non potest fieri naturaliter ut duæ causæ totales eundem effectum causent idque totaliter. Possunt supernaturaliter.

Non datur mutua causalitas in eodem genere quoad primò esse. Cæterum postquam causa diversi generis una, tribuit esse effectui, potest ab eodem recipere aliquam formalitatem, quæ non supponebatur ante habita.

DISPUTATIONE III.

De Principio intrinseco quod est Materia.

QUotuplex acceptio Materiæ. Quid definitivè Materia. Primò essentialis conceptus

ptus materiæ non stat in eo quod ei Forma suum effectum formalem tribuat. Nec in eo quia materia antecedenter se habet & ei superveniat Forma. Nec in perfectibilitate. Nec quod sit actus entitativus. Aut quod sit determinabilis. Sed primò essentialis conceptus Materiæ est, quod sit subjectum quo non datur prius radicaliter sumptum.

Datur materia prima. Habetque propriam existentiam. Dependet tamen in existendo à Forma. Non quidem à priori. A posteriori tamen. Et quomodo hæc dependentia accipienda. Non est ulla demonstratio per principia positiva, quod naturaliter non possit existere materia sine omni forma, licèt revera naturaliter existere sine omni non possit. Suppositaque diversa potentia, & actus acceptione. Supposito quod aliud sit, Materiam esse puram potentiam, & aliud Materiam esse in pura potentia. Tenendum erit, materiam primam, non esse puram potentiam cum exclusione actus Metaphysici. Licèt esse hoc potentiæ formaliter acceptum non sit de primo essentiali conceptu materiæ. Est tamen illi identificatum realiter. Materia ordinatur ad formas. Suntque illæ bonum materiæ. Et eapropter dicitur materia appetere formas. Respectu formarum possibilium habet appetitum inefficacem etiam cum est sub forma aliqua. Sumpta autem cum dispositionibus ad talem formam, desiderat appetitu proximo omnes formas illius speciei. Qui appetitus secundum id quod dicit in recto, non magis appetit formam nobiliorem quàm ignobiliorem, licèt sumptus pro eo quod dicit pro connotato, magis appetat nobiliorem. Quantumvis autem haberet materia formam alias formas eminenter continentem, tamen, desideraret appetitu remoto cæteras formas. Materia corporum sublunarium est eadem specie. Possibilis tamen est alia materia specie distincta à nostrate. Licèt implicet materiam nostratem plurificari specie. Non est ulla demonstrativa ratio, cœlos de facto compositos esse, supposito quod esset possibile corpus simplex. Nec demonstratur non esse compositos. Nec est convictiva ratio, quod cœli non habeant materiam specie eandem cum sublunaribus. Licet hoc ipsum non constet quod habeant specie eandem. Ingenerabilitas & corruptibilitas est etiam prædicatum materiæ. Sed in certa suppositione.

De causa materiali.

De causa materiali loquendo, non est illa idem quod materia. Definitivè est id ex quo aliquid fit cum insit. Materia respectu formæ educibilis est vera causa. Sed non respectu compositi. Unio prout recepta in Materia non est causalitas Materiæ, in formam eductam. Nec est ipsa Generatio, prout dependet à Materia. Quid ista causalitas. Accidentia communia in sola materia recipiuntur. Aliqua accidentia eadem sunt sub utroque mutationis termino. Possunt tamen immediatè in quantitate recipi. Defactoque recipiuntur. Accidentia spiritualia causantur materialiter à substantia spirituali. Quæ licet non possit esse subjectum naturale accidentium materialium. Potest tamen Divinitus illa recipere. Accidens spirituale non potest naturaliter causari à subjecto materiali. Potest Divinitus. Deus potest supplere defectum causæ materialis. Sed tantum in genere causæ efficientis.

DISPUTATIONE IV.

De Principio intrinseco, quod est Forma.

Definitivè Forma est ratio, quod quid erat esse. Dantur formæ substantiales. Illæ non præexistunt in Materia. Neque ratione alicujus esse inchoati. Educuntur tamen. Quæ eductio non rectè per hoc explicatur, quòd materia ordine durationis præcedat formam. Nec quòd eadem actione fiat quà fit compositum. Nec quod fiat cum dependentia à causa materiali receptiva. In quo ergo stabit Eductio.

Varia divisio Formarum. Non datur forma Corporeitatis. Nec sunt tot formæ quot illarum divisiones. Expenduntur argumenta pro formis partialibus. Et fundamenta negantium. Probabilius est formas partiales non dari. Duæ formæ totales non possunt actuare eandem materiam. Possunt duæ materiæ etiam adæquatæ, informari ab eadem forma Divinitus.

De Oppositâ formæ Privatione. Privatio definitivè, est carentia formæ in subjecto apto, Quid illa prout subest nostris conceptibus? Quid in re. Distinctio privationum specifica, sumitur ex distinctis specie formis.

De causa formali. Definitivè causa formalis est; Ratio ipsius quod quid erat esse. Forma non causat materiam quoad ipsum esse materiæ.

Dat tamen illi esse actuati Physicè. Expulsionis terminus quâ expellitur forma præterita, non est non esse formæ absolutè, sed non esse formæ in subjecto. Quæ expulsio, est simul cum introductione formæ sequentis.

De Principiis Extrinsecis.

Principium extrinsecum est causa efficiens. Definitivè efficiens est id, unde principium mutationis primum aut quietis. Sine entitate modali non potest salvari actio. Non est tamen formaliter modalitas. Admittenda est actio agens & acta. Actio & passio distinguuntur realiter. Actio antonomasticon accepta, non recipitur in causa. Nec in subjecto cui unitur terminus productus. Sed in termino producto. Unde nam specifica illarum distinctio accipitur. Itemque individualis.

Variæ divisionis efficientis causæ. Quid apud alios principale, quid instrumentale efficiens. Per nos principalis causa est, quæ respectu effectus, habet se ut quid primò & per se intentum, non intenditur sic instrumentalis. Possibile est ut accidentia, idque naturaliter producant immediatè substantia, tanquam causæ instrumentales. Et de facto ita producunt.

Substantiæ immediatè emanant ex se aliqua accidentia. Respectu accidentium passi, accidentia agentis sunt causa principalis. Si ignis spoliaretur omni calore, non posset connaturaliter producere eundem in subjecto extraneo.

DISPUTATIONE VI.

De Efficiente Increato.

DAtur efficiens Increatum. Operationum illius, ad intra duo principia intellectus & voluntas. Operationum autem ad extra est Omnipotentia. Quæ est formaliter condistincta ab ipsa voluntate.

De Creatione. Possibilis est creatio. Quidditativè est productio rei ex nihilo. Nec hæc definitio competit productioni verbi. Creatio activa non distinguitur à principio creante entitativè. Nec passiva à re creata. Creatio tamen passiva à creatione activa distinguitur realiter. Pleræque implicantiæ non ostendunt, quod creatura ut causa principalis creare non possit. Non est possibilis creatura, cui tanquam causæ principali competere possit creare. Non est possibile instrumentum connaturale creandi. Sed est possibile instrumentum obedientiale ad creandum.

Motus successivus & tempus non potuit esse ab æterno. Implicat contradictionem, ut si Deus ponat aliquam creaturam permanentem ab æterno, possit successivè aliam secundam producere, & tamen ab æterno. Potest tamen ab æterno unam vel plures simul ponere creaturas permanentes.

Quid conservatio.

Concursus Dei cum creaturis non est, quid concomitans. Nec est in actu secundo spectatus quid indifferens.

DISPUTATIONE VII.

De causa finali &c.

QUid finis. Est causa realis. Causalitas illius, motio metaphorica. Actus antecedentes positionem mediorum, non sunt effectus proprii causæ finalis. Sicut nec actus immediatè versantes circa media. Sed effectus proprius finis, sunt media. Sine cognitione prævia non movet finis. Possibile est ut moveat. Quænam agant propter finem. Quæ divisio finis.

Quid exemplar. Consistit illud in conceptu objectivo.

Quid tenendum de natura & Arte.

TRACTATU II.

DISPUTATIONE VIII.

De ipso Composito.

SIne modali entitate ratio unionis salvari non potest. Non tamen Unio formaliter est modus. Sed est ipsa entitas materiæ, prout determinata ad esse materiæ in actu secundo, & ipsa forma prout determinata ad esse formæ in actu secundo. Modalis determinatio est nonnisi una in unoquoque composito. Eaque materialis.

Compositum à Materia, forma, & unione simul sumptis, collectivè non est distinctum realiter. Impossibile est compositum ex materia & forma spirituali. Compositum ex partibus, quarum neutra sit materia neutra forma, prout explicari solet est impossibile. Possibile tamen est corpus simplex.

TRA-

TRACTATU III.

DISPUTATIONE IX.

De Quantitate.

De Essentia Quantitatis. Primò Essentialis Conceptus Quantitatis, non est conferre partes entitativas. Non tamen convenit illis partibus independenter à quantitate divisibilitas. Licèt ipsa divisibilitas non sit primò essentialis Conceptus quantitatis. Sicut nec Impenetrabilitas. Sed primò essentialis ejusdem conceptus est, Extreitas partium in ordine ad se. Casu quo auferret Deus quantitatem ab aliquo corpore, posset saltem Divinitus non tolli unio substantialis intercedens cum forma, nec unio continuativa: & tamen tunc non maneret extreitas partium in ordine ad se. Occuparet autem tunc indivisibile spatium. Deusque non posset partes illas continere cum eadem extensione locali. Idque quantumvis Deus replicaret eandem materiam. Cæterum si possibilis esset modus extensivitatis materialis, consimilis ei, qualem habent Angeli; posset corpus occupare divisibile spatium, quantumvis spoliaretur quantitate.

De Definitione partium continui variæ, circa hoc auctoritates Aristotelis. Partes in continuo sunt distinctæ actu quoad entitatem. Non tamen in ratione partium formaliter. Partes continui in ratione partium formaliter, impossibile est distinguiſsed quotiescunque distinguuntur nonnisi secundùm quid & vulgariter in ratione partium formaliter, distinguuntur. Quantitas accidentibus non est identificata. Nec substantia.

DISPUTATIONE X.

De Compositione Continui.

EXplicantur variæ notiones terminorum. Non componitur continuum ex indivisilibus. Componiturné continuum permanens ex partibus proportionalibus in infinitum divisilibus. Quomodo per alios componatur continuum successivum. Quid si (sine præjudicio sententiæ melioris) dicatur ne quidquam esse ex quo actu componatur continuum, compositione de qua in præsenti. Quid si dicatur in resolutione continui deveniendum tandem ad minima Physica. Consequenter si dicatur etiam continuum successivum ita resolvi. Quod minimum explicatur. Hujus minimi quæ distinctio ab indivisibili.

De Continuatione. Continuatio non fit per puncta continuativa. Nec est modus superadditus. Sed in recto, est ipsamet rei quantitatis pro formali dicens, indistantiam cum negatione terminorum utriusque extremi.

De Terminis Quantitatis. Termini quantitatis non sunt puncta terminativa distincta realiter. Sed explicari debent per connotata.

DISPUTATIONE XI.

De Infinito.

EXaminatur definitio infinitè ab antiquis posita. Infinitum est duplex. Consentiunt omnes infinitum creatum in essentia non dari. Traditur definitio infiniti. Non potest illud claudi terminis.

Etiam supposita illius possibilitate non est fundamentum asserendi quod defacto detur.

Non est possibile infinitum categorematicum creatum. Nec infinitum in extensione. Mole, Numero. Intensione. Etiam posito quod possibile esset infinitum creatum, adhuc impossibile esset infinitum creatum, adhuc impossibile esset, poni omne possibile infinitum: nec est necessarius, nec possibilis numerus maximus finitorum. Datur Syncategorematicum. Non apparet implicantia in creatura, quæ non sit in infinitum multiplicabilis. Nec devenietur unquam ad creaturam perfectissimam. Infinitum Syncategorematicum in mente Dei, non est categorematicum.

DISPUTATIONE XII.

De Motu.

QUid definitivè motus. Non ille superaddit quidquam reale actioni & passioni. Quid motus localis. Motus, qui sit per se, non potest salvari sine entitate modali. Nō indiget illa, motus per accidens. Motus localis successivus non potest fieri in instanti. Quid de motu puncti sentiendum. Dividitur motus in tardum & velocem. Quæ causa hujus per alios. Assignatur causa. Quid tenendum de motu projectorum, quæ nonnisi secundùm modum violentiam habent. Probabile est impulsum esse qualitatem à projiciente productam. Motus resilientiæ causatur à corpore reflectente, licèt pro conditione requirat interdum modum projicientis. Mobile projectum quiescitne in puncto reflexionis?

Explicantur termini concernentes inceptionem & desitionem motus itemque status quæstionis. Ostenditur difficultas communis sententiæ. Inferturque formas substantiales & incompossibiles accidentales incipere intrinsecè & desinere extrinsecè. Ostenditur difficultas communis sententiæ circa inceptionem & desitionem rerum successivarum. Inferturque entia successiva incipere intrinsecè, desinere extrinsecè. Resolvuntur reliqua, inceptiones & desitiones concernentia.

DISPU-

DISPUTATIONE XIII.

De Vbi, Duratione, Tempore.

EXplicatur definitio loci extrinseci. De loco intrinseco discurrendo, præmittitur non dari negationem negationis. Ostenditurque distantiam &c. non esse negationem negationis. Indistantia seu ubi, non est entitas superaddita. Interdum tamen præsentia localis non est sine modo, interdum est ipse modus sensu certo. Posito quòd ubi esset entitas modalis, possibile esset manere locabile, sine ullo ubi modali. Non est possibile ut separetur à loco id, quod, ubi, dicit in recto. Non est possibilis creatura actualis quæ absolvat ab eo, quod suo modo importat Ubi in obliquo, ita ut absolvat ab omni præsentia. Unum corpus potest esse circumscriptivè in pluribus locis. Accidentia, quæ transacta replicatione contingunt in uno loco, non est connaturale, ut fiant in alio loco. Possibile est, ut in uno loco replicatus eliciat unum actum, & alium in alio, quamvis illi inter se respectu ejusdem subjecti & objecti, saltem naturaliter impossibiles sint. Replicatio non fit per actionem solam adductivam. Posita actione reproductiva, non est necesse superandi ullum ubi. Implicat ut salvetur replicatio sine reproductione ejusdem Entitatis. Possunt esse Divinitus duo corpora in eodem loco.

Explicatur divisio in locum realem & imaginarium. Deus est extra cœlos in seipso. Deus est in spatiis imaginariis, si esse in spatiis imaginariis sit idem ac extra cœlum; si autem esse in spatiis imaginariis idem sit ac existere in spatiis, quæ noster intellectus fingit & imaginatur, in talibus spatiis: non est nemine cogitante.

Explicatur quid sit vacuum. Vacuum non potest dari naturaliter. Potest Divinitus. Quid sentiendum de motu locali in vacuo.

Duratio non est modus superadditus permanens, & qui totus simul positus faciat durare hominem cras. Nec est modus successivus. Duratio formaliter non est actio conservativa distincta, vi cujus existat creatura, sed est ipsa entitas prout coexistens his, tot, vel tot differentiis temporis, si eam respectivè accipias ad aliquid extrinsecum. Absolutè autem spectata, non formalisatur per coexistentiam cum tempore. Duratio absolutè spectata, est ipsa existentia rei permanens, vel ipsum rei esse non desinens.

Explicatur quid sit Tempus. Tempus Mathematicè acceptum, secundùm quod tale existit solum fundamentaliter.

Explicatur quid sit Æternitas.

PRÆLECTIONES PHILOSOPHICÆ

DE

GENERATIONE CORRUPTIONE

ET

ANIMA.

R. P.
THOMÆ MŁODZIANOWSKI,
POLONI, SOCIETATIS JESU.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

BIS GENITI FILII

SEMEL

MATRI

DE

GENERATIONE,

VITÆ MUNDI Bonavent. in Psalm.

DE

ANIMA,

PRÆLECTIONES PHILOSOPHICAS

edebat

Mancipium Ejusdem

T. M. S. J.

FACVLTAS

STANISLAVS BRANICKI, PROVINCIÆ POLONÆ SOCIETATIS JESU PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

LIbri de Generatione, Corruptione, & Anima à P. Thoma Młodzianovvski conscripti, à Patribus Societatis Nostræ lecti, & luce publica digni judicato concedo auctoritate Patris Nostri Joannis Pauli Propositi Generalis, ad id mihi concessa, ut typo vulgentur, si iis ad quos spectat, ita videbitur. Cracoviæ die 9. Junii 1677.

STANISLAVS BRANICKI,
Præpositus Provincialis Societatis IESV per Poloniam.

TRACTA-

TRACTATUS
DE
Generatione & Corruptione.

Generationem partiri possumus, in generationem Substantialem, & Accidentalem. In generatione substantiali, considerandæ est diversitas ejus a conversione; Et quia Generationem Argumentatio, postea & nutritio sequitur: hinc de iisdem agendum erit. Cum autem augmentationis sit aliqua species, Rarum & Densum, ideo de iis hucusque tractationem remisimus. Porro considerando generationem accidentalem, agendum erit de Alteratione, Intensione, &c. &c. Quia verò ex his non pauca supponunt Actionem & Reactionem, etiam hæc pensanda erit. Denique tractabitur de Mixtione. Eique oppositâ corruptione.

DISPUTATIO I.
De Generatione, Conversione, Augmentatione.

INquirendum erit imprimis, de natura generationis, postea de divisione, distinctioneque à reliqu s.

QUÆTSIO I.

De Generatione secundùm se, & ejus Divisione.

PRopter difficultates, quas patitur definitio ab Aristotele tradita, quas infra expendemus commenti sunt Recentiores, novas generationis definitiones.

DIFFICULTAS I.

Explicatur Generatio.

EXPLICAT I. Arriaga quid sit Generatio? Nempe quòd sit productio Entis ex subjecto. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia hæc definitio, convenit etiam Generationi Accidentali. Jam autem hîc, inquiritur potius definitio Generationis substantialis. Tum quia potest esse vera Generatio substantialis, sine productione, Entis ex subjecto; nam anima rationalis non producitur ex subjecto, & in multorum sententia unio illius est spiritualis, & tamen homo verè generatur. *Neque valet si dicas*, quod unio sit Materialis. Saltem enim non implicat illam esse spiritualem, quo tamen casu, homo esset verè genitus. *Neque valet si dicas*; eo casu, fore productionem entis ex subjecto, ratione compositi; non inquam valet. Quia compositum in re, non est aliud, nisi ipsæ partes unitæ; vi partes ipsæ ex subjecto non sunt productæ, neque etiam compositum dicetur ex Subjecto produci. Et licèt compositum, sit subjectum denominationis, subjectum tamen denominationis, quâ tale, non potest salvare productionem entis ex subjecto, quia hæc productio, importat actionem Physicam, quam, solum subjectum denominationis quâ tale, salvare non potest. *Neq; valet ulterius si dicas*, ratione alterationum; antecedentium omnem generationem, salvari, quomodo posita etiam unione spirituali, fiat productio entis ex subjecto. Quia nomine entis accipit, hîc Arriaga, illud quod generatur. Jam autem illud quod generatur in generatione substantiali, non sunt accidentia hominis sed homo.

Tum quia si Deus miraculosè primò produxisset ànimam equi, quàm materiam, faceretque eidem uniri, unione imediatè adhuc à se producta, vel emanata ex forma equi, non esset tunc productio ex subjecto; hoc est materia, & tamen tunc esset generatio. Nemo enim diceret, esse illud creatum totum. Sicut nec homo dicitur nunc creatus.

Explicat II. Oviedo; quod Generatio sit productio substantiæ, dependens à subjecto tanquam à Causa materiali. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia directè non aliud explicat, quàm eductionem formæ substantialis Materialis, cum tamen non sit idem formaliter, Generatio substantialis, & Eductio formæ substantialis. Tum quia potest fieri vera generatio, sine productione substantiæ, quæ sit dependens à subjecto, tanquam à causa Materiali, casu quo vel forma Materialis creetur, sensu aliàs explicato, vel intercedat tam unio, quàm forma substantialis spiritalis creata creata, vel casu, quo form substantialis creata, nata sit seipsa uniri Materiæ. Tum quia conservatio est vera productio. Dividitur enim productio, in primam productionem, & Continuatam productionem: ita tamen, ut utraque, sit vera productio. Ergo si fit conservatio substantiæ dependentis à subjecto, tanquam à Causa Materiali, erit vera productio, & tamen non erit generatio. Ergo generatio non est productio, qualem requirit Oviedo.

Explicat III. Commnuior Sententia & describit generationem ex Aristotele 8. Physicorum c. 2. tex. 62. & de generatione cap. 4. textu 23. & existis locis confleit hanc descriptionem. *Generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subjecto eodem.* Similia habet G. Physicorum cap. 1. tex. 7. *Ex subjecto sive termino non existente in existentem, secudùm contradictionem facta mutatio*: Per Ly *secundum contradictionem*, id vult significare, quod in generatione substantiali, à non esse, ad esse transeatur, adeoque à contradictorio, ad contradictorium; ut cùm à non esse ignis, ad esse ignis transitur ignitâ stupâ. Jam verò in generatione accidentali, ab esse tali, transitur ad aliud esse tale. v. gr. à calido, ad frigidum. Ut autem defendatur explicatio, nomine totius sensibilis venire debet sensibile primarium, & principale & cui primo, tanquam subjecto, tribuantur accidentia sensibilia, & hoc, est Compositum, quod idem non manet, posita nova generatione, licèt maneant quædam vetera accidentia. Casu autem quo produceretur ab æterno equus, eo casu, dicit recentior Suarez, non fore veram generationem equi, sed tantam eductionem. Sed de hoc redibit infra sermo. Rursus ut defendatur explicatio, debet accipi hic definitum, quod est generatio ordinaria, à Creatis agentibus profecta; nam communem generationem etiam Divinæ, non agnovit Philosophus. Et sicut potest stare per Oviedo, definitio generationis in hoc, quod sit productio substantiæ, dependenter à subjecto, tanquam Causa Materiali: Ita & in præsenti stare poterit, prædicta definitio Aristotelica. Ut tamen melius generatio explicetur. *Hinc sit*

Punctum Difficultatis I.

Defenditur Communis definitio Generationis, describiturque generatio ut sic.

Perpensis his, quæ hîc adferentur, facilius erit reperire, quomodo non sit definienda Generatio, quàm adferre quomodo sit definienda.

Assero I. *Ordinariam, à Causis secundis profectam, experientiâ cognitam generationem, bene circumscriptam esse ex mente Aristotelis.*

Ratio. Quia hæc, quæ possent contra eam adferri, de Toto, cujus Forma Materialis esset ab æterno creata. Item, quæ procedunt de generatione verbi, non procedunt de generationibus ordinariis; per experientiam cognitis.

Assero II. *Descriptionem prædictam salvare distinctionem Generationis ab omnibus, quæ non sunt ipsa, adeoque convenire soli ordinariæ generationi.*

Ratio. Quia, distinguetur sufficienter à Creatione. Nam mutatio totius, seu subjecti, supponit totum seu subjectum. Creatio autem fit ex non supposito subjecto; & non est ex toto in totum, sed ex nihilo in totum. Discriminabitur item generatio, ab eductione; quamvis hæc à plerisque confundi soleant, & quod non debeant confundi; Ratio est, quia generatio, datur in Divinis, & non datior eductio. Ergo aliud debet esse generatio, aliud eductio. Per hoc ergo distinguetur generatio, ab eductione; quia eductio tandem ultimò ordinatur, ad faciendum compositum ex forma, quæ non habet jus existendi extra subjectum; cum tamen generatio ex se; ad compositum non ordinetur, aliàs etiam Divina Generatio, inferret compositum in verbo. Rursus per hoc Generatio ab eductione condistinguetur, quia eductio propriè, non est mutatio totius in totum, sed potius mutatio in aliquid quod in toto; eductio enim est formæ, quæ est aliquid totius.

Assero III. *Prædictam definitionem non communem ad quascunque generationes*, sed generationem ut sic, commodiùs describere possumus quòd Generatio, sit productio totius similis; sive

sit

sit simile per decisionem ejusdem substantiæ, ut cum generatur vermis ex putri, sive per similitudinem in natura, ut cum homo generat hominem, sive per identitatem in natura, ut cum Pater Æternus generat verbum, Generatio autem quâ Sol generat hominem, est generatio quæ sumitur pro concursu, adeòque abusivè generatio; si autem sit productio viventis ei vivente &c. erit Nativitas. Prima pars asserti probatur. Quia si prædicta definitio Generationis esset universalis, conveniret etiam Nativitati, tanquam speciei, prædicareturque de iisdem, de quibus & Nativitas; quod non potest dici; quia aliàs de Generatione Divina, de qua prædicatur Nativitas, prædicari etiam deberet Ly mutatio. Secunda pars probatur explicatione terminorum. Ly productio adhibetur loco generis; est enim quid commune, & ad Generationes, & ad eductiones: Ly totius ponitur loco differentiæ distinctivæ ejusdem. Unde, per hoc Generatio, ab eductione distinguetur, quia eductio stare potest sine hoc, quia à priori præintelligatur poni Unio, adeòque & totum; & tamen essentialiter ordinatur Generatio, ad ponendum totum, unde & textus Aristotelis meminit mutationis totius in totum. Ponitur autem potius Ly totum, quàm Ly compositum, quia in Divinis est vera Generatio, neque tamen vi illius ponitur compositum, sed totum: Certè enim in Divinis licèt sit falsum dicere, sunt tria tota, quia Ly *tria* neutraliter positum, supponit pro natura; Verùm tamen est dicere, sunt tres habentes rationem totius: sunt enim tres personæ, in Materia enim de subsistentia dictum; personam importare rationem totius; ponitur autem indefinitè Ly totius, ut sumatur vel pro toto Substantiali, vel pro toto Accidentali, vel pro toto; quod est persona.

Dices. Formæ dicuntur generari, & tamen explicatio adlata Generationis, videtur id negare.

Respondetur. Formas, in quantùm simpliciter ponuntur extra causas, non generari propriè, sed educi; eductio autem non est propriè Generatio; generantur tamen propriè, in quantùm generatione genitum, non est creatum, quod illi commune est, cum eductione.

Instabis. Vi hujus explicationis sequitur: Creationem Angelorum esse generationem, quia illorum Creatio, est productio totius similis.

Respondetur. Productionem Angelorum ponere quidem totum, cùm Angelus non sit pars sitque persona; sed non ponitur Angelus proportionali productione cum tamen productio sine addito, pro proportionali supponat productione. Porrò productio proportionalis in hoc stat, nimirum ut sit processio à vivente, si sit vivens modoque debito, hoc est Nativitate; cum autem Angeli sint substantiæ viventes neque producantur Nativitate à Deo, fit ut illorum productio non sit generatio. Deinde in explicatione positi fontes similitudinis: nempè decisio substantiæ, similitudo vel identitas in Natura nihil horum Angelo competit, sed sola imitatio divinæ Naturæ.

Punctum Difficultatis 2.

Quis sit salvandi modus de ratione Generationis esse mutationem.

Primus Modus est. *Quod hæc actio, quæ est generatio, secundùm suam intrinsecam entitatem, connotet privationem formæ præcedentis*; ita ut si hæc privatio non præcedat, non sit futura hæc eadem numero actio, sed alia loco illius, quæ non esset generatio, sed eductio.

Dices I. Cum Oviedo. Est contra rationem bonæ Philosophiæ dicere, quòd Physica entitas actionis, intrinsecè sit connexa cum privatione termini, præexistente. Privatio enim est ens negativum, quod est, non esse ens; & propriè non est. Ergo non potest ab illa pendere entitas positiva & Physica actionis, quæ enim esset connexio inter esse & non esse.

Responderi posset. Quod esse Physicum actionis, possit connecti cum non esse, tanquam cum connotato, licèt non possit connecti cum non esse, tanquam cum ratione constitutiva sui. Aliàs ex proprietate Negationis, quæ est malignantis naturæ, traheretur actio tota ad non esse; quod autem alicujus positivi, possit esse connotatum necessarium aliquid negativum, ratio est. Tum quia nullum in hoc absurdum. Tum quia etiam creatio pro connotato respicit nihil subjecti. Tum quia quando prædicatur Petrus hodie vivens, duravit, est connotatum dies hesterna, quæ non est. Productio item est entitas Physica, & tamen prout condistincta à conservatione, importat negatione potionis esse, in ante.

Dices II. Cum eodem. Entitas Physica actionis, eadem est in primo instanti, in quo dicitur esse productio, & in instanti, in quo dicitur conversatio, sed in instanti, in quo dicitur: Conversatio existit, quin immediatè ante, præcesserit privatio termini. Ergo in instanti in quo dicitur esse prima productio, posset illa existere, etiamsi immediatè ante non præcesserit privatio termini.

Respondetur. Eandem quidem esse productionem & Conservationem, quoad entitatem, sed non quoad formalitatem; hinc quamvis quoad formalitatem exigat conservatio, ne sit in ante, negatio esse, poterit productio prima exigere negationem esse. Deinde posset dicere quispiam productionem non ex vi

productionis, sed ex vi generationis, deposcere negationem esse antecedentem.

Dices III. Cum eodem. Hæc actio Physica, quæ est Generatio, nullam oppositionem habet cum termino ut existente, neque ut præexistente. Ergo nullam connexionem habet cum ejus negatione. Antecedens probatur; quia nullum caput hujus oppositionis assignari potest.

Respondetur. Quod requirat generatio mutationem, quæ connotet privationem formæ præcedentis, haberi ex auctoritate Aristotelis, quæ ipsa sufficiens est fundamentum, præcipuè cùm nulla adferatur convincens ratio, quæ ab ejus auctoritate divellat.

Dices IV. Cum eodem. Etiamsi inter privativum & positivum admittatur connexio, hæc vanè fingitur, respectu termini non existentis, sed qui jam præterierit, quia id quod præteriit in ordine ad id quod modo est, perinde se habet, acsi nunquam fuisset.

Respondetur. Diem hesternam non habere se, atque si nunquam præteriisset, in ordine ad dandum hodierni dici v.g. formaliratem succedentis, licet in ratione non entis, ita se habeat, atque id, quod nunquam fuit.

Dices V. Posset Deus de novo producere materiam, idque spoliatam omni forma; posset item applicare eodem instanti agens ad generandum, quo casu, non præcederet ulla privatio formæ præexistentis. Ergo non est de ratione generationis privatio formæ præcedens.

Respondetur. Hanc imaginationem, & alias similes convincere interitum. Consequenter redeundum esse ad dicta superius; quòd scilicet prædicta mutatio conveniat nonnisi generationibus ordinariis, & in quarum cognitionem, experientia duxit.

Secundus Modus. (Cujus etiam sicut & prioris meminit Oviedo) defendendi, quod de ratione generationis sit mutatio, est talis; *quod scilicet si privatio formæ non præcesserit, erit quidem eadem numero actio, sed non habebit denominationem generationis.*

Dices cum Oviedo. Per hanc doctrinam ratio formalis, constituens ultimo generationem, sita erit, in ratione quadam extrinseca, actioni superaddita, quæ ab illa potuit deficere; consequenter nulla dabitur actio, quæ sit intrinsecè generatio, cùm omni actioni, ratio mutationis, quam essentialiter dicit generatio, accidentaliter contingat; quod si hæc tantùm ad modum loquendi pertinent, tamen absurdè dicitur, quia totius scholæ consensus, actiones generativas agnoscit, qui per aliquid intrinsecum, in ratione actionum generativarum constituantur.

Respondetur. Quamvis stante fundamento, possit deficere terminus, quia tamen stante relatione non potest deficere, & illo non deficiente, non potest non esse relatio in fundamento, ita quamvis potuerit esse mutatio, & non præcessisset privatio, si tamen præcessit, non poterit tunc non esse generatio, & si est generatio, non potest non esse mutatio, quam præcessit privatio, adeòque sicut relatio, ita & generatio, habebit sua intrinseca constitutiva.

Cæterum hujus ipsius modi, posset aliquis requirere rationem, cur scilicet, non potuerit esse generatio instantanea formæ, & sine præcedentia privationis?

Tertius Modus salvandi, quomodo mutatio ingrediatur rationem generationis, ex iis quæ docet Pontius hic num. 3. *accipiendo mutationem non pro mutatione actuali, sed pro mutatione aptitudinali, seu radicali*, quia scilicet generatio est mutatio, quâ ex natura sua intrinseca, potest converti totum in totum; nam quamvis sit separabile à generatione, quod actu convertat, posset tamen convertere, si in materia poneretur alia forma, incompatibilis cum forma, per ipsam acquisita. *Hic modus*

Non Satisfacit. Quia generatio posset contingere etiamsi daretur Materia determinata nonnisi ad unam formam, & forma determinata nonnisi ad unam materiam; quo tamen casu, generatio illa non esset aptitudine & radicaliter mutatio, quia non est aptum totum, etiam divinitus converti in aliud totum, positione formæ incompossibilis, cum nunquam illa Materia & forma separari possent.

Quartus Modus. Quomodo mutatio à generatione requiratur salvandi, est, *quia scilicet si ponatur aliquid genitum ab æterno, quia poterat non esse genitum ab æterno, habebit mutationem, non quidem actualem, sed aptitudinalem*; & ita etiam sub initium mundi, res sunt genitæ, quia cum hac Materia, poterat uniri alia forma. *Hic etiam modus*

Non Satisfacit. Quia eadem ratione, omnis actio, & non sola generativa erit mutatio: imò & actio merè Creativa erit mutatio, quia etiam poterat non esse illa creatio. Neque est hic modus universalis; quia sub initium mundi, potuisset esse vera generatio compositi, habentis materiam & formam, abutrinque determinatarum essentialiter, & tamen non esset tunc mutatio aptitudinalis, propter unionem aptitudinalem cum alia materia & forma.

Quintus Modus expeditior est jam prætactus. *Quod scilicet requisierit Aristoteles, mutationem ad generationes ordinarias, à causis secundis procedentes, & in quarum cognitionem experientia adducit.* In omnibus autem generationibus ordinariis intercedit mutatio. Quando autem urget Arriaga; quòd scilicet ex essentia, in primo instanti productionis, pullulent passiones, quo casu verè datur generatio illarum, & tamen essentiæ non mutantur, quia in eodem instanti, in quo existunt, habent illas passiones, hoc in-

quam

quam non convincit, quia videtur, quod productio passionum, non sit generatio vulgariter, neque enim dicitur, quòd Materia generet quantitatem, sed potius emanat, & aqua calefacta reducens se ad statum pristinum, non dicitur generare frigus, sed emanare.

Punctum Difficultatis 3.

Dispositiones quomodo concurrunt ad Generationem.

POtest procedere quæstio, vel de productione, vel etiam conservatione formarum. *Quod attinet ad productionem:*

Assero I. *Respectu formæ Materialis; concurrere dispositiones & dispositivè & effectivè.* Dispositivè quidem; quia materia de se indifferens, ad hanc, vel illam formam recipiendam, & impotens naturaliter illam recipere; nisi compleatur per dispositiones, fit ut complementum illud Materiæ teneat se ex parte Materiæ, eamque disponat. Ergo illæ formæ ita disponentes, censendæ erunt dispositivè concurrere. Quod autem etiam concurrant affectivè; Ratio est, quia substantiæ agunt; nonnisi mediis accidentibus.

Assero II. *Etiam respectu formæ Spiritualis substantialis, concurrere accidentia dispositivè.* Quia Materia sine illis dispositionibus; naturaliter non est apta ad recipiendam formam spiritualem; imò etiam concurrunt quodammodo moraliter; quia nonnisi iis positis, movetur quodammodo Deus, ad producendam formam spiritualem, ita, ut si produceret illam; non ad exigentiam dispositionum, censeretur miraculosè agere.

Assero III. *Respectu formæ spiritualis, dispositiones non concurrere effective*; quia anima spiritualis nonnisi creatur.

An autem in suo conservari in corpore, pendeat anima à dispositionibus difficultatem instituit Oviedo hic Controver. 1. punct. 4. ubi censet, quòd illæ dispositiones, quæ *mortaliter* causant productionem formæ spiritualis, non possint postea dependere à forma. Quod certum est, de dependentia per se, jam enim supponuntur existere ante formam; adeòque habere omnes causas ad sui existentiam requisitas: Cùm ergo eo casu non influat forma in illarum esse, non est ratio cur postea influat. Ex accidenti tamen, possunt conservari à forma, quia scilicet forma posita, procurat augmentum, intensionem qualitatum similium illis, quæ ad se disponebant. Illud autem augmentum adfert, vim magis resistitivam contrariis dispositionibus.

An autem in suo conservari, dependeat forma à dispositionibus, difficilius est decidere. Nam imprimis hoc difficultatem habet, cum forma conservet dispositiones, quomodo illæ vicissim conservabunt formam? sed satisfieri posset difficultati, quod dispositiones conserventur à forma nonnisi per accidens; hinc adhuc illæ, poterunt per se concurrere, ad conservationem formæ; sine hoc, quod se mutuò recausent. Est & alia difficultas ex Oviedo. Dispositiones non sunt priores forma in genere causæ efficientis, non etiam in genere causæ Materialis, aptando Materiam, sicut aptat quantitas. Ergo tantùm influunt moraliter, determinando principium productivum illius, ad productionem ejusdem, semel autem jam productâ formâ influxus ille moralis, non est necessarius ad conservationem. Quod ipsum probat, quia forma semel producta per suam entitatem petit conservari à Deo. Ergo movebitur Deus potiùs exigentiâ ipsius formæ ad illam conservandam, quàm exigentiâ dispositionum. Sed & huic difficultati satisfieri potest. Nam falsò supponit, respectu formarum materialium, non habere se dispositiones effectivè; cum mediis nonnisi accidentibus, formæ substantiales Materiales producantur. Immeritò etiam supponit; solam quantitatem esse causam dispositivam: Videndo enim materiam, talibus dispositionibus effectam, esse capacem recipiendi talem formam, non positis autem, non esse capacem, benè inferimus, disponi materiam per illas dispositiones. Quia si bene inferimus ex eo, quia positis his causis, sequitur hic effectus, has causas concurrere effectivè. Ergo etiam ex eo, quia positis his dispositionibus, materia est apta ad recipiendum, non positis, non est apta; benè inferemus disponi materiam per has dispositiones. Et quamvis respectu productionis animæ rationalis nonnisi moraliter concurrant dispositiones, respectu tamen unionis ipsius concurrunt dispositivè Physicè omnino. Quia etiam animam rationalem, non est proximè apta recipere materia sine dispositionibus certis. Quod autem addit; formam semel productam, per suam entitatem petere à Deo ut conservetur, si res sit de anima rationali, vera est doctrina; cum illa petat esse immortalis, secundum suam entitatem. Cæterum si res sit de hoc, cur petat anima conservari unita corporis; id rejici debet potiùs in conditionem dispositionum. Si enim solum sua entitate petit conservari, non esset ratio, cur non peteret pro semper conservari, in corpore; & si dispositiones ad illius uniri concurrunt materialiter, cur non etiam concurrent ad petitionem, ut conservetur in corpore. Quod etiam attinet ad formas Materiales, non videtur, quòd petitio conservationis earundem, referri debeat in entitatem formarum Materialium ipsam; non videtur enim, quòd aliqua entitas substantialis, saltem ex istis quæ de facto dantur, determinata sit, ut non-

nisi

nisi ad certum tempus, sibi velit bene, adeòque se velit conservari ad certum tempus. Potiùs ergo id referendum est, in dispositiones. Ut autem distinctim de hac conservatione loquamur. *Hinc*

Assero I. *Dispositiones non concurrere ad conservationem simpliciter animæ rationalis.*

Ratio est. Tum quia de se est immortalis, adeòque de se habens exigentiam, ad conservariin semper. Tum quia nullis positis dispositionibus, ut pote materialibus, illisque corruptis, defacto durat anima in statu separationis. Tum quia quando anima æternat, vel miraculosè conservatur, vel non. Si miraculosè? Ergo datur in natura principium destructivum animæ. Si non miraculosè. Ergo ad exigentiam Naturalem. Sed hæc non est exigentia dispositionum, nam non possunt meliùs velle dispositiones, alteri à se distincto, v. g. animæ, quàm sibi velint. Ergo si nolunt sibi conservationem æternam, nec illam exigent animæ. Et cum hæc exigentia, non possit in aliquid aliud referri, debebit referri in animam rationalem ipsam.

Assero II. *Conservationem animæ rationalis restrictè acceptam, hoc est per ordinem ad conservationem ejus in corpore, pendere à dispositionibus tam in genere causæ moralis, quam in genere causæ dispositivæ Physicæ.*

In Genere quidem causæ moralis; quia exigunt à Deo, nonnisi eousque unitam illam corpori conservare, quousque illæ durant. Quod autem concurrant in genere causæ dispositivæ Physicæ.

Ratio est. Tum quia, ut dictum supra, ita concurrunt, etiam in primo instanti productionis animæ. Tum quia videmus talibus dispositionibus positis, servari animam rationalem in corpore, & non servari illis corruptis. Unde medici prædicere possunt mortem. Malitia humana invenit modus, itemq; justitia vindicativa, separandi animam à corpore, reddereque materiam inhabilem, ad informari hîc & nunc ab illa. Ergo apparet, dispositiones ad conservationem animæ in corpore, concurrere Physicè dispositivè, & sicut, secundùm dicta immediatè, censemus aliquid concurrere Physicè effectivè, quando eo posito, videmus poni effectum, & non posito illo, vel aliquo locum illius supplente, videmus non poni effectum; cæteraque adsint paria, colligimus inde influxum in genere causæ efficientis. Ergo cùm videmus illis dispositionibus positis, disponi materiam, non positis illis, aut aliquo illarum locum supplente, non disponi, bene inferemus, dispositivè concurrere, illas dispositiones ad conservandam animam in corpore.

Assero III. *Conservationem animæ rationalis in corpore, compleri duabus exigentiis.* In primis exigentiâ, quam habent dispositiones ad conservandam animam in corpore, ut dictum immediatè. Deinde exigentiâ, quâ exigit ipsa forma, positis his dispositionibus servari in corpore unita.

Ratio. Quia nulla est ratio negandi hanc exigentiam animæ. Et sicut non sola anima exigit, dispositiones, sed & dispositiones animam, ita & in conservari, eodem modo se habebunt.

Quæ autem in hoc asserto dicta sunt, consequenter dici debent de anima Materiali. Cujus in hoc major est connexio cum dispositionibus, quia destructis illis, non habet jam jus existendi.

DIFFICULTAS II.

De Generatione Substantiali viventium.

Triplex Generatio viventium ordinariè assignatur. Primò. Lato modo prout importat Generationem viventis, & sic dicuntur nasci etiam vermes ex putri, folia ex ramo. Secundo modo in quantum vivens generat vivens simile, & hoc modo sumpta generatio hic explicabitur. Tertio modo, pro generatione, quæ fit per cognitionem, de qua 1. par. D. 9. n. 219. Generationi viventium, appropriatum nomen est, Nativitas; quam vel activè, vel passivè accipere possumus. Nativitas activè sumpta, supponit pro productione faciente nasci, seu pro exercitio generandi. Jam autem Nativitas passivè spectata, tenet se ex parte geniti, & est generatio passiva, seu id quod, respondet exercitio generandi.

Dicendum est. *Generationem pro Nativitate sumptam, bene definiri. Quod sit Origo viventis à vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ.* Sunt verba S. Thomæ 1. p. quæst. 27. artic. 2. Coincidunt verba Damasceni. lib 15. cap. 5. ex cujus verbis confitetur hæc descriptio. *Quod sit productio Rei alicujus ex alicujus Substantia in similitudinem naturæ.* Hoc idem innuit Aristoteles 2. de Anima. cap. 4. Hoc in viventium (inquit) operibus, maxime est naturale; nam quidem quæ perfecta sunt, & non mutila, vel quæ non sponte nascuntur, alterum tale facere, quale ipsum, velut animal, planta itidem plantam. Qui quidem locus probat, generationem debere esse in similitudinem naturæ; quod verò debeat esse à principio conjuncto, indicat Aristoteles &c. Eth. cap. 12.

Explicatur definitio. Ly *Origo* accipitur pro Genere. Nam est commune quiddam etiam generationi non viventium. Additur *viventis* ut excludatur Generatio, qua ignis unus, generat ignem alium. Ly à *vivente* indicat imprimis, quod debeat vitaliter se movere generans: particula enim *A*, est nota principii productivi. Indicat rursùs, quòd non sufficiat ad

ad generationem viventis à vivente, suppeditare solam Materiam, si enim sufficeret sola suppeditatio Materiæ, non deberet dici; quod sit processio viventis à principio vivente, sed potius quod sit processio ex principio viventis. Indicat item, quòd generatio vermium in cadavere, non sit Nativitas, quia terra non est principium vivens. Sed eo casu, fit sola suppeditatio Materiæ. Productio item Evæ, quæ facta est ex costa Adami, non fuit generatio, eo quod nonnisi Materiam & quidem mortuo modo suppeditant. Ly à principio Conjuncto non indicat solam indistantiam generantis & geniti, quia fieri potest, ut sint distantes quoad substantiam, & solo semine conjungantur; indistantiaque non est characteristica Nativitatis, cum competat etiam aliis actionibus; sed Ly à principio conjuncto significat genitum participare debere ex substantia generantis, vel per identitatem ut fit in Divinis, vel saltem per decisionem partis substantiæ generantis. Et per hanc particulam sicut & per aliam sequentem, quæ est major declaratio prioris, salvatur, quòd incubus, vel succubus, non sit Pater aut Mater geniti; neque enim est aut similis illi, aut participans ex substantia ejusdem, sed potius ex substantia ejus, cujus illud est semen. Gallinæ item nonnisi incubantes & excludentes pullos, non sunt Matres, quia nullam partem substantiæ communicarunt. Angeli non generantur à Deo, quia non producuntur in similitudinem naturæ. Nec putre, est Pater & Mater, vermis.

Objicies I. ex Oviedo. Ex vi hujus explicationis sequitur, arborem non generare aliam arborem, quia semen unius arboris, non decidit, vitali modo, sed mortuo. Consequenter, vel debet dici unam arborem non generari ab alia arbore, vel non est necessarium, ut fiat à vivente quâ tali, seu non mortuo modo.

Respondet Oviedo ad hanc difficultatem, quod sufficiat semen elaborari vitaliter: *Hæc responsio*

Non Satisfacit, quia etiam casu, quo, ex adulto acciperet Deus costam, & elaboraret hominem, ita ut produxit Evam, quamvis multæ illic sint partes vitaliter per nutritionem elaboratæ, sola elaboratio vitalis, non fundaret, illic Nativitatem, nec homo productus ex illa costa, dicendus esset Filius ejus, cujus costa est. *Hinc*

Respondetur. Referri id debere in hoc quòd quamvis arbor mortuo modo decidat semen, quia tamen illud semen est virtus & instrumentum agendi, ipsius viventis, fit ut adhuc arbor dicatur, generare aliam arborem.

Objicies II. Mulus vere generatur & tamen non est similis in natura. Ergo Nativitas non requirit similitudinem in natura. Tota difficultas est in reddenda ratione cur Muli generatio, sit vera Nativitas.

Respondent 1. Aliqui Muli generationem esse veram Nativitatem, quia scilicet similitudo in natura, quamvis genito competat in generationibus ordinariis, non tamen competit in generationibus innaturalibus & inordinatis. Est responsio Conimbri censium. *Sed*

Non Satisfacit. Tum quia sequitur ex illa, inordinatam generationem non esse Nativitatem, siquidem illi non competit definitio generationis; idque quo ad principalem sui partem. Tum quia, si potest in inordinata generatione salvari ratio Nativitatis, sine similitudine in natura, poterit etiam salvari in Nativitate ordinata. Tum quia ex vi hujus responsionis sequitur, non esse bonam prædictam definitionem Nativitatis ut sic, sed debere assignari aliam, quæ sit communis ad generationem ordinatam, & inordinatam.

Addo. Non explicari per rationem, in quo sita sit, ratio istius inordinatæ generationis, si enim in hoc sensu dicitur inordinata, quia non est similis principio producenti: hoc ipsum est manifestè petere principium, de hoc enim ipso quæritur. Si autem dicatur esse inordinata, quia non intenditur à natura. Certe id ulteriori explicatione indiget. Naturalis enim generatio Muli non est ex Mulo, nec intenditur ut fiat per speciem Muli, cum instrumentis generationi debitis credantur destituti, quidquid sit de veritate aliquarum Historiarum, quæ referunt quòd Muli generent.

Respondetur 2. Quod scilicet Mulus etiam sit similis in natura; non quidem simpliciter, sed similitudine tali, qualis, est capax Mulus. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia sequeretur etiam vermes ex homine genitos, esse veros Filios hominis, non eam participant similitudinem, quam participare possunt. Nec obest, quod ad productionem vermis, homo vitaliter non concurrit, quia etiamsi supponeretur vitaliter concurrere, nec dum sequeretur vermem esse Filium hominis, quia illi non competeret Nativitatis definitio, similitudinem in natura ex gens. Tum quia sequeretur ex hac responsione, etiam Spiritum Sanctum esse Filium, nam habet similitudinem perfectissimam, hoc est, identitatem in natura, adeòque similitudinem, quam habere potest, quamvis non habeat similitudinem requisitam ad generationem.

Responderi potest 3. ex Amico 1. p. disp. 12. scit. 7. similem Mulum esse, non tantum in ratione generica, equo & asinæ, sed etiam in ratione specifica. Mulus enim, etsi non procedat in perfectam similitudinem naturæ specificæ cum equo & asina, cum non potest procedere in specie duplici, procedit tamen similis utrique per differentiam, quæ multum participat,

pat, de proprietatibus utriusque ut constat ex extrinseca figura. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia non determinat Ly aliquomodo simile, quando sufficiat ad fundandam rationem Nativitatis, & denominationis, & quando non sufficiat. Tum quia hæc ratio supponit aliquomodo. Mulum convenire in specie cum equo & asina; quod dici non potest. Nam similitudo in specie externa, est similitudo in specie omnino æquivoca, & quæ non est hujus loci. Similitudinem autem in specie, quæ sit species Metaphysica, nullo modo habet, species enim Metaphysicè acceptæ consistunt in indivisibili & participare ex specifico prædicato, quocunque modo, est participare totam speciem, cumque Mulus ab asino non differat, solo individuo, differet nonnisi specie. Tum quia dicam simili modo: Spiritum Sanctum generari, eò quòd participet similitudinem, quæ multum habet de ratione Filii, propter similitudinem in natura Divina, quamvis non participet similitudinem eandem adæquatè.

Respondent 4. alii. In Generatione Muli, per se intendi similitudinem in natura cum generante; sed ex accidenti, nempe quod in se semina agant, impediri similitudinem. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit. Tum quia casu quo intendat homo generans generare hominem & nascatur monstrum, ita inorganisatum, ut non sit capax infusionis animæ rationalis. Generatio illius monstri passiva, non est Nativitas, de qua hîc, nec dicetur talis habere Filium; & tamen ex accidenti continget monstrositas. Ergo & de Mulo deberet dici, quòd non sit natus. Tum quia dato, quòd aliquod genitum ex Petro, sive ex accidenti, sive per se, non sit animal rationale, nullo modo est homo. Ergo etiam sive per se, sive ex accidenti Mulus non sit similis asinæ, hoc ipso, non competet ei Nativitas, quia non competit similitudo definitiva Nativitatis. Tum quia ex accidenti ille Mulus non est similis in natura. Ergo ex accidenti non est natus.

Respondetur 5. De Generatione Muli potest esse quæstio de re, & de voce. De re est quæstio, an sit similis in natura: de voce autem, an sit vocandus Filius, equi & asinæ. *Quoad difficultatem* de re:

Certum est quod sit similis in natura generica, est enim verè animal, sed hæc similitudo non sufficit ad denominationem Filii. Tum quia vermes geniti ex homine, sunt illi similes in genere proximo, non sunt tamen Filii hominis. Tum quia eodem jure, monstrum ita deorganisatum, ut non possit esse capax animæ rationalis infundendæ, vivens tamen, posset appellari Filius. Tum quia similitudo penes rationes formales spectatur, Genus autem quà tale, habet rationem Materialis.

Certum est deinde quod Mulus, similitudinem naturæ specificæ non habeat, cum equo vel asina. Nam imprimis non habet similitudinem cum utroque specificam, aliàs in duplici specie infima esset. Non etiam cum una, quia cum qua illa? ita ut combinatio accidentium sit eadem, quæ aliàs urget eandem esse formam substantialem specie. Parum autem refert, quòd sit magis similis species Muli, speciei equi & asini, quàm aliis speciebus, quia hoc non infert similitudinem specificam. Quia magis simile est nonaginta duo, ad centum, quàm tria ad centum: & tamen hoc non obstante, verè nonaginta duo non est centum, similius item est vitrum coloris gemmei gemmis, quam iisdem carbo: & tamen, hoc non obstante, differunt specie gemma & vitrum.

Certum denique est, malè competere similitudinem cum suo principio, si nomine similitudinis veniat etiam similitudo oriunda ex decisione substantiæ seminali. Et hæc de re certa sunt, quòd scilicet, in re definitio Nativitatis, Mulo non competat, quia non competit ei similitudo specifica, sed solùm oriunda ex decisione substantiæ seminali, aut competit illi sola similitudo generica, quæ non est sufficiens ad salvandam generationem viventis, cum formalitate nascentis.

Quoad difficultatem autem de voce attinet. Potest Mulus appellari Filius, cum Aristotele, saltem æquivocè. Voces enim sunt ad placitum, præcipuè, quia in danda denominatione Filii, non attendit usus ad id quod in re est: nam tota definitio Nativitatis, convenit ramo, qui pullulat ex trunco, & tamen ramum, usus communis non appellat, Filium trunci. Quod si potest usus abrogare nomen Filii, ei, cui res tota convenit, poterit usus arrogare denominationem Filii, ei, cui res tota non competit Nativitatis. Adfert pro ratione Oviedo, cur arbor non dicatur Filius arboris alius. Quia ordinariè non magis est similis arbori, à qua generatur, quàm sit similis alteri, à qua non generatur, sed hæc ratio non convincit. Quia poterat usus applicare id nomen Filius, etiam iis, in quibus sensus, majorem similitudinem ad principium generans, non advertit, appellanturque Filii Æthyopum ex Candida nati, appellantur inquam Filii, quantumvis sint dissimiles Patri. Idemque est in aliis dissimilitudinibus. Debet ergo hæc denominatio Filii, merè referri in placitum.

Dices. Ergo nunc conceditur, quod supra ad Responsionem secundam negabatur.

Respondetur. Antea negabatur, quòd vermes sint Filii hominis, quod illis nunc non conceditur, quia vermibus nō tantùm non competit tota ratio Nativitatis, quod est illis commune cum mulo, sed nec usus saltem æquivocè appellat illos Filios, nec Aristoteles ita illos appellavit, appellavit Mulum.

DIFFI-

DIFFICULTAS III.

Resolvuntur insuper quædam quæsita.

QUÆRES 1. *An Generatio sit distincta ab Alteratione.* Negant Thomistæ, affirmant aliqui. Ratio affirmandi. Quia alteratio, præcedit inductionem formæ. Ergo præcedit generationem. Ergo alteratio, non est generatio, quia idem non potest existere, & non existere, aut præcedere seipsum. Fusè hanc quæstionem tractat Oviedo contr. 2. Punct. 2.

QUÆRES 2. Supposito quòd unio sit Modalis, & quòd in entitate sit Spiritualis, an illam unionem emanet anima, an producat agens?

ASSERO 1. *Posito quod detur unio modalis Spiritualis, non posse illam produci à Parentibus.*

RATIO. Quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sic nec modi agendi. Nulla autem necessitas asserendi, posse à principio, in operando dependenti à Materialibus, haberi vim efficiendi merè spiritualia.

ASSERO 2. *Productionem hujus unionis, non posse referri merè in Deum.*

RATIO. Quia etiam Spiritualium, si nihil obsit, assignandæ sunt causæ secundæ.

ASSERO 3. *Hanc unionem produci ab ipsa anima unibili.*

RATIO. Quia potest ex se emanare suas spirituales perfectiones. Ergo & unionem. Ex altera parte, nullum aliud principium connaturale, producendæ unionis illius assignari potest.

DICES 1. ex Arriaga. Quamvis unio illa sit Spiritualis, cum Mater componatur ex anima Spirituali & corpore, poterit producere unionem Spiritualem.

RESPONDETUR. Nullum esse fundamentum, tribuendi vim animæ, agendi aliquid, actione transeunti; & si ad illam generationem concurrit anima Matris, mediis accidentibus Materialibus, fiet effectus Materialis qualis est visio, quam producit in oculo anima Spiritualis.

DICES 2. Unio Spiritualis nullo modo potest produci ab anima unienda, quia anima, non potest aliquid substantiale in corpus operari, nisi ut actus illius, ut pote actus, non assistens, sed informans, quomodo ergo potest producere aliquid substantiale, nisi intelligatur unita.

RESPONDETUR. Anima nihil operari potest in corpus, nisi tanquam illius actus, vel in fieri immediato, vel in facto esse. In facto esse, est causa motuum vitalium, in fieri, est causa illius unionis.

DICES 3. Si anima esset causa unionis; sequitur resurrectionem mortuorum fieri naturaliter.

RESPONDETUR, quòd non; quia nullum datur principium, iteratò restaurativum earumdem dispositionum, & quæ exigant non novam, sed veterem restitui formam.

QUÆRES 3. Quis sit terminus formalis intrinsecus Generationis. *Est quæstio de voce.*

ASSERO 1. *Terminus totalis Generationis, est compositum.*

RATIO. Quia ex una parte, terminus debet rem finire; composito autem habito, finitur generatio. Est etiam Terminus totalis generationis, quod terminat, & est totum in Generatione; utrumque hoc habet compositum. Terminat quidem; quia illo posito, cessat actio generandi: habetque hoc compositum, ut sit totum, quia nihil plus est in composito, quàm illud ipsum. Ergo compositum, habet rationem termini totalis.

ASSERO 2. *Ejusdem Generationis, sub diversis nominibus acceptæ, diverso respectu, diversi sunt termini formales inadæquati.*

RATIO est. Quia si sumatur generatio, prout est inductio formæ, habet pro termino formam, prout est Materialisatio, habet pro termino formali Materiam; prout actio unitiva Materiæ & formæ, habet pro termino formali Materiam & formam, in circumstantia modalitatis à nobis admissæ. Et quod dixi de Generatione, idem applicari potest in aliis Materiis proportionaliter, ut advertit Lugo. Nam processiones Divinæ sub nomine productionis, habent pro termino personam productam; sub nomine communicationis, naturam communicatam; sub nomine autem Processionis, habent terminum adæquatum, h. e. essentiam tali personalitate, terminatam.

ASSERO 3. Quòd non semper terminus formalis sit forma.

RATIO. Quia actionis conversivæ, terminus totalis, est Corpus Christi sub speciebus panis, & formalis terminus est ipsum Corpus Christi, neque tamen Corpus Christi est ipsa forma. Nec item terminus formalis necessariò debet esse entitas, quæ de novo producatur. Ratio. Quia in æterna Filii Dei Processione, accepta sub nomine communicationis, terminus formalis, est ipsa essentia: & tamen hæc non producitur. Denique non est necesse ut terminus formalis actionis, semper sit condistinctus, à termino totali & adæquato; quod admitti debet, etiam in principiis modalium; inquantum dicunt, possibilem esse aliquam materiam & formam seipsis unibiles: quo casu, idem erit terminus formalis, & totalis. Quid autem sit terminus intrinsecus, dictum in materia de incarnatione; explicando quomodo respectu unionis Hypostaticæ, habeat se persona verbi, tanquam terminus intrinsecus.

ADDO. Generationem Divinam, perfectissimè esse generationem, non tantum ex vi prædicati Deitatis, in qua nihil non summum est: sed etiam ex modo generationis. Imprimis quia in nulla generatione, totum geniti pendet à generante, vel via communicationis, vel via productionis. Nam quamvis in generationibus materialibus producatur forma; non tamen tribuitur tota

Materia genito, sed illam paulatim acquirit. In Generatione autem VERBI, & Essentia tribuitur via communicationis, & Personæ Productione. Rursùs, in nulla generatione, est tanta conjunctio cum producente, neque tanta similitudo, quia nulla est major connexio & similitudo, quàm per identitatem; in Divinis autem, eadem est natura Generantis, & Geniti. Quamvis autem casu quo aliquid generet seipsum secundo, interceßura sit etiam identitas; quia tamen hæc nonnisi obedientialis est, & non quoad primum esse, fit, ut adhuc excedat in similitudine, Divina Generatio. Imò rigorosè loquendo, & accipiendo generationem; prout involvit motum vitalem, non potest aliquid seipsum generare secundo, licet producat seipsum secundo, quia ad Generationem est requisita vitalitas; nihil autem habet ab intrinseco vim generandi seipsum.

QUÆSTIO II.

De Conversione.

DEFINITUR Conversio. *Quòd sit transitus unius rei in aliam.* Quæ definitio, licèt ipsum objectum rectè circumscribat, nihilominus quoad Phrasim non est exacta; quia cum conversio pro Genere proximo, dicat vel actionem mutationem, aut actionem, debuit alterutrum poni, sicut in aliis etiam definitionibus, usu venit. Ad quod reflectendo, dici potest, quòd *conversio sit actio per quam aliquid, fit, aliud quid.* Accipio pro genere ly *actio* potius quam Ly transitus. Quia transitus magis se tenet ex parte transeuntis, quàm ex parte ejus, quod facit transire, adeòque non se tenet ex parte agentis, vel actionis, sed potius ex parte passi. Conversio autem, importat respectum ad agentem, vel sumi debet conversio pro specie actionis; quamvis in re, coincidat cum passione, tenente se à parte passi. Quod autem importet vi vocis conversio potius actionem, usus ipse docet vocis. Dico autem illa actione, fieri *aliud quid*, non verò aliud simpliciter, quia per conversionem, non transitur ad esse simpliciter, sed ad esse secundùm quid, adeòque non in aliud, sed in aliud quid, quod est, aliud, cum addito.

DIVIDITUR Conversio in naturalem, & supernaturalem. In Physicam quæ est inter terminos Physicos: & in Moralem, quæ inter terminos Morales. In substantialem & accidentalem; quæ etiam distinguuntur ratione terminorum. Rursùs dividitur in conversionem, Materialem, Formalem, Totalem. Conversio Materialis est, quando eadem forma permanente, mutatur subjectum: quod fit in Nutritione hominis, eadem enim anima, informat partes Materiæ, de novo nutritione ad genitas, quæ informabat deperditas. Formalis verò est, quando eadem Materia manente, nova forma advenit ut cum ex frigido, fit calidum. Hæc tamen conversio Materialis, non est conversio rigorosa, quia terminus *A quo*, vi illius, simpliciter non desinit. Totalis autem conversio est, quando materia & forma, tota convertitur in aliam materiam & formam; & hoc dicitur propriissimè transsubstantiatio, nec fieri potest naturaliter.

DISTINGUITUR. Generatio à Conversione. Ratio. Quia Generatio quâ talis, non importat necessario, ut sit à termino positivo, sed potest esse inter terminum negativum à quo, ad terminum positivum ad quem. Jam autem conversio non potest esse, nisi inter terminos positivos, & hoc indicat ille terminus, *aliquid*. Rursùs conversio si sumatur respectu totius, involvit non solùm terminos positivos *à quo, & ad quem*; sed etiam negativum, qui neget compositum, quod sequitur. Et ita, dum convertitur e. g. Lignum in ignem, præcessit negatio ignis, quomodo enim lignum, diceretur converti in ignem?

Quod attinet ad conditiones Conversionis.

CERTUM est. Quòd conversio debeat versari inter duos terminos positivus.

RATIO. Quia id deposcunt ipsi termini definitionis, Ly aliquid & ly *aliud quid*. Rursùs si conversio, posset habere terminum à quo negativum, saltem totalis conversio, nullo differret à creatione. Item si terminus. Ad quem in conversione, non esset quid positivum, nihil acquireretur illâ conversione, adeòque nec foret conversio, quia nec mutatio in aliud quid. Denique si Terminus à Quo non esset quid positivum, tunc Terminus à Quo non desineret esse in conversione; hoc enim quod propriè, & sine addito desinit esse, debet aliquid esse, ut supra illud esse cadat negatio. Cum ergo in conversione desinat terminus à Quo, debet Terminus à Quo esse aliquid positivum.

CERTUM item est. Quòd ad conversionem requiratur, ut maneat aliquid commune sub utroque Termino.

RATIO. Quia omnis conversio, explicabilis est per has particulas. Id quod erat, v. g. id quod erat lignum, nunc est ignis, quibus particulis, in omni converso debet respondere aliquod objectum; quomodo enim verè affirmaretur Ly id quod, si in converso nihil maneret commune? Præcipuè verò quia non de aliquo antecedenter, sed de ipso formaliter converso, verum est dicere, id quod erat v. g. lignum, est nunc ignis. Deinde si nihil maneret commune, esset simplex desitio Termini à Quo, & simplex productio Termini ad Quem, adeòque nec conversio. Porrò illud commune, quod sub utroque termino remanet, debet esse proprium à Quo termini, hoc ipso enim non esset commune, non enim spectaret ad Terminum à Quo, utpote, tractum nonnisi, cum Termino ad Quem; hinc fit, ut alteratis speciebus, & conversis in substantiam chili, non di-

dicatur in chilum converti Corpus Christi, quia illæ species, non sunt propriæ Corporis Christi.

CERTUM est, quòd ad conversionem requiratur, ut desitio Termini à Quo, & inductio Termini ad Quem, habeant inter se connexionẽ; ut scilicet ex vi desitionis uniûs, sequatur positio aliûs.

RATIO. Missis aliorum probationibus, est, quia si non esset connexio, inter desitionem termini ad Quem, non poterit salvari ratio conversionis. Quod ipsum probatur, quia eo casu, quo desierit simpliciter terminus à quo, non est conversio, aliàs etiam annihilatio diceretur conversio. Eo etiam casu; quo incipit terminus ad Quem, non est conversio; quia aliàs etiam creatio esset conversio, nam etiam vi creationis, incipit terminus ad Quem. Ergo debet esse ex connexione utriusq; termini, quæ non potest esse alia, nisi ut sit connexio desitionis Termini à Quo, cum positione Termini ad Quem. Illustrari hoc potest instantiâ ex Logicis petitâ; ubi videmus, quòd cum præmissæ, se solis non sint conclusio: rursus cùm ipsa tertia propositio, materialiter accepta, non formet conclusionem, ideò ibi diximus, debere conclusionem inferri, ex vi connexionis cum antecedentibus præmissis: sic & hîc, debet poni positio termini ad Quem, ex vi connexionis, cum desitione termini à Quo.

CERTUM rursûs est, quòd ad conversionem moralem, sufficiat connexio moralis.

RATIO. Quia si sufficiunt termini morales, sufficiet etiam connexio moralis, ut cum ex Canonico, fit Monachus.

Hoc magis dubitabile est, quid fieret, casu quo faciat Deus decretum, de non conservando duos Angelos simul, & ideo de producendo uno, si destruat alium; certè enim inter desitionem unius, & positionem aliûs, foret connexio moralis: Cæterum tamen, illa connexio, non fundaret rationem conversionis: quia nihil remaneret commune utriq; quod tamen ad conversionem requisitum est, & unus non succederet in munus aliûs, intra aliquod compositum. Hinc desitio illius Angeli, vera esset annihilatio; quia esset desitio in nihil, involvereturque sola subtractio concursus conservativi alterius, quæ trahit secum simpliciter non esse Angeli alterius.

Restant alia circa conversionem difficiliora.

DIFFICULTAS I.

An terminus ad Quem conversionis simpliciter debeat produci?

AFfirmat Suarez, Hurtadus & Arriaga hîc S. 3. sub Sect. 1. Negat Vasquez, Lugo de Eucharistia, disputatione 7. Sect. 2. & 6. Amicus & alii.

PRÆMITTO 1. *Conversionem, simul inferentem replicationem, deposcere, ut terminus ad Quem reproducatur.* Quod probari debet ex istis, quæ dicta sunt: An aliquid in pluribus locis poni possit.

RATIO. Insuper est quia per nos, ubi, quod in pluribus locis ponere deberet rem replicandã, non datur distinctum. Hinc cum non possimus recurrere ad pluralitatẽ ubi, recurrere debemus ad productionẽ ejusdem entitatis, quæ est æquivalens pluralitas, cumq; me esse in hoc loco, semper, saltẽ inadæquatè importet meipsum, quod fieri nequit, si ipsummet meipsum, nec ex prima positione, quæ tunc non fit, nec ex reproductione, ipsius meipsum illic reperiatur. Denique non solùm est meum ubi illic, sed etiam meum esse, mea entitas, quæ nisi replicetur quî fit ut illic ponatur? & sicut incogitabile esset, non plurificato ubi, habere me pluries ubi in loco, ita quomodo non multiplicato, ut ita dicam, per reproductionem esse, potero in tot locis habere esse. Hocq; verba videntur Patrum significare, ubi dicitur à Cypriano Christus usque hodie, hoc veracissimum & propriissimum corpus suum creare.

PRÆMITTO 2. *Quamvis conversioni important anti replicationem, conjungi debeat reproductio termini ad Quem, reproductio tamen quà talis, non est ratio formalis conversionis.*

RATIO. Quia quod est ratio formalis alicujus, quoties ponitur illud toties ponitur & illud, cujus illud, est ratio formalis, sed non ponitur toties conversio, quoties ponitur reproductio: potest enim reproduci aliquid quin aliud desinat, & quin desinat ex vi reproductionis. Conversio etiam non infert semper reproductionem. Ratio est. Quia fieri potest, ut uniter se habeat ille terminus ad Quem, adeòq; non occuper plura loca. Ergo pro sua parte conversio, non exigit formaliter esse reproductio. Quod ipsum pluribus rationibus probat Lugo.

PRÆMITTO 3. *Quòd aliud sit replicatio, aliud conversio.* Restat difficultas an conversio, non quidem reproductionem termini ad quem, sed saltem novam ejus productionem requirat, casu quo terminus ad Quem, nonnisi uniter ponatur.

DICENDUM est. *Ad conversionem, quà talem, non requiri productionem termini ad Quem de novo.* Seu cum titulo multiplicationis ipsius substantiæ.

PROBATUR 1. Argumento Theologico, quo etiam utitur citatus Lugo. Quia conversio Eucharistica, quâ talis, non indiget nova productione termini ad Quem. Ergo simpliciter conversio quà talis, non exigit productionem termini ad Quem, Si enim vel semel non conveniat aliquid, rei alicui, apparet quòd non conveniat ei, quâ tali. Antecedens probatur. Conversio Eucharistica id tantùm exigit, quod necessarium est ad salvandam veritatem hujus propositionis. *Hoc est Corpus meum.* Nam Ecclesia conversionem Eucharisticam colligit, nonnisi ex sensu formæ consecrationis, quod clarè indicat Trident Sess 13 cap. 4. Sed ad salvandum sensum istorum verborum, non est necessaria nova productio. Quod ipsum Probatur. Ponamus non existere Christum in cœlo, neque sub ullis aliis speciebus, si desinente substantia panis, succederet actione connexa illud Corpus Christi. uniter tunc positum, verificaretur tunc forma, & tamen terminus ad Quem, hoc est, Corpus Christi, non produceretur, de novo inferendo titulum multiplicationis ipsius esse Christi, revera enim tantùm uniter esset. Ergo ad verificandum sensum verborum formæ, non est necesse quidquam de novo produci.

RESPONDET 1. Arriaga retorquendo argumentum, & dicit, quòd si substantia panis ahbi conservaretur, & non annihilaretur, si tantùm

sub speciebus panis non esset, verba formæ Consecrationis panis tam propriè essent vera, quàm modo sunt. Ergo universaliter non ex proprietate verborum, omnia requisita ad conversionem, deducenda sunt.

CONTRA est. Aliud est: ex sola proprietate verborum, deducere omnia requisita ad conversionem, & aliud est deducere ex illa; concedo ergo quod ex sola proprietate verborum formæ non deducatur annihilandam substantiam v. g. panis, deducitur tamen etiam ex illa. Nam deducitur ex proprietate verborum, non esse illic panem, adeòque id requiri ad conversionem, ut aliquomodo desinat terminus à Quo. Quod autem annihiletur tunc substantia panis, hoc jàm ex alio principio deducetur. Restauratur autem prædictum argumentum sic: Quod non requiritur ad conversionem Eucharisticam, illud non requiritur ad conversionem simpliciter ut sic; productio autem termini ad Quem, non requiritur ad Eucharisticam conversionem, quia conversio Eucharistica, colligitur ex verbis formæ per Trident. ad verificanda autem verba formæ, non requiritur productio Termini ad Quem de novo.

Quodsi quæras ex quo principio id deducatur, deduci potest ex argumento negativo. Quia quando nec ratio, nec experientia urget, ad dandum alicui existentiale esse, de cujus existentia controvertitur, inclinandum potius est, in hanc partem, quòd non sit; quia non multiplicanda entia: jam autem nec ratio, nec experientia probat illam substantiam existere. Rursùs, in pane est materia panis, est forma panis; neutro titulo habet jus substantia panis existendi pulsa suis speciebus. Nam non habet jus existendi ipsa forma, independenter à dispositionibus sibi debitis: eo autem casu, forma panis non habet dispositiones debitas; hæ enim, sunt formæ accidentales, quæ censentur manere, & sub eis latere Corpus Christi. Deniq; materia etiam non habet jus existendi in rerum naturâ sine forma, ex communi Philosophia, nisi obstet miraculum. Cum ergo ipsa forma non habeat tunc jus existendi, nec etiam materia sine forma, inferimus utramq; annihilari, nisi velimus multiplicari miracula, h. e. dare jus formæ existendi independenter à debitis dispositionibus. Dare item jus materiæ existendi, sine forma & accidentibus.

RESPONDET 2. Arriaga, majus esse miraculum destrui panis substantiam, quàm conservari sine accidentibus. Ergo stantes in nostris principiis, deberemus dicere illam, non desinere.

CONTRA, ut sub speciebus panis, quæ sunt dispositiones ad panem, non sit panis, est id quidem miraculum, sed ut annihiletur substantia panis, supposito quòd non maneat sub suis accidentibus, id non est majus miraculum, sed simpliciter secundùm conditionẽ materiæ & formæ. Nam neutrum habet jam jus existendi in rerum natura. Hinc non tantùm non est majus miraculum, si annihiletur substantia panis separata à suis accidentibus, sed miraculũ esset, si non annihiletur.

RESPONDET 3. Suarez apud Lugo; quòd Ecclesia sensum verborum consecrationis hunc faciat, qui potest esse cum majore proprietate & decentia; cum majori autem proprietate, sumentur termini. Si ponatur de novo produci terminum ad Quem.

CONTRA. Quia tota proprietas verborum salvatur, quantumvis non ponatur, titulo conversionis præcisè produci de novo terminum ad Quem, seu Corpus Christi. Quod autem attinet ad instantiã pro hac responsione, quæ sic habet; Quòd scilicet in Cana Galileæ non esse aliunde allatum vinum, sed verè conversam aquam in vinum, inferunt fideles, non ex alio principio, nisi quia ille erat perfectior modus cõversionis, consequenter & in conversione Eucharistica reproduceretur Christus. Hæc etiam instantia non concludit, nam imprimis etiam miracula Christi non sunt significanda; nisi fundamentum positivũ istius significationis habeatur: alias excogitata quacunque possibili significatione alicujus miraculi adscribendum erit, illud miraculum dignitatem illam habuisse, per quod multis imaginationibus daretur locus. Vera ergo hæc propositio: significanda illa esse, quàm maximè habito fundamento, quale non ostenditur, quod in conversione Eucharistica, ex vi conversionis, sequi debeat reproductio. Habetur autem fundamentũ, quòd illic fuerit conversa aqua in vinum, Imprimis ex verbis Architriclini, qui dicit, vinum aquam factum. Quam locutionem insperatam, non censurat Evangelista S. Joannes, & tamen illi hoc facere non insuetum, ut cùm dissolutione templi explicat, &c. Habetur item fundamentũ id asserendi, in communi persuasione Ecclesiæ & Doctorum. Deniq; supervacaneè dixisset Christus *afferte aquam*, si, ut advertit Lugo, non voluisset ex aqua vinum facere.

PROBATUR II. Ex principiis ipsius Arriaga. Conversio alimenti in substantiam aliti, est vera conversio, & tamen terminus ad Quem, hoc est, anima rationalis tunc non producitur. Ergo de ratione conversionis non est productio Termini ad Quem.

RESPONDEBIS. Conversionem alimenti, non esse veram conversionem formæ alimenti, in animam rationalem.

CONTRA. Tum quia si est quæstio de voce, an illa mutatio sit dicenda conversio, pro nobis stat usus comunis. Quid enim pervulgatius est, quàm dicere alimentum converti in substantiam aliti? Quodsi sit quæstio de re, nihil ab oppositis adferri potest, in quo deficiat illa convertio à ratione veræ conversionis, nisi petendo principium. Et certe, cum Universaliter dicatur, alimentum converti in substantiam aliti, alanturq; & homines & bruta. Cur tam bene ex objecto loquendo non dicetur forma panis, converti in formam rationalem, atq; dicitur converti in formam bruti. Si enim vera hæc est, alimentum convertitur in

substan-

substantiam aliti, (non significando per hoc accessum solius materiæ) quæ est universalis, verificabitur etiam particularis, quòd convertatur alimentum, in formam rationalem.

PROBATUR III. Quia nullum est fundamentum, & nulla necessitas, ut ex vi conversionis produci debeat forma; sicut autem non sunt multiplicanda etiam sine necessitate; ita nec conditiones actionum.

DIFFICULTAS II.

Solvuntur Argumenta.

OBJICIT 1. Arriaga S. Thom. tertia parte q. 2. art. 1. Ideo DEUM non posse converti in ullam rem, quia DEUS est ingenerabilis & inproducibilis, quæ ejus ratio non valeret, si ad conversionem non requireretur de novo produci, vel generari Terminum ad Quem.

RESPONDETUR. Illo loco S. Thom. agere, non de conversione quacunque, sed de conversione ratione commixtionis; qua ratione unum elementum convertitur in aliud; Talis enim conversio, indiget productione formæ.

INSTAT idem. In quæstione de nomine standum esse communi acceptioni.

RESPONDETUR. Negando hanc esse communem acceptionem, cum pro nostra etiam parte, dentur Authores. Quod autem addit, in omnibus conversionibus naturalibus semper produci Terminum ad Quem, id non convincit, in conversione naturali alimenti in substantiam hominis; Quare autem id accidat in aliis conversionibus. Ratio est quia ante conversionem, introducuntur dispositiones, quibus inductis, expelluntur veteres dispositiones, & illis expulsis, jus non habet existendi forma, & retinendi suam Unionem ad materiam. Quia verò materia non potest naturaliter existere sine forma, necessariò tunc nova materialis forma educi debet, sed non sequitur exinde, de essentia conversionis quâ talis, esse novam productionem.

INSTAT II. idem. Ut terminus totalis in alium totalem convertatur, requiritur destructio totalis Termini à Quo, & productio Termini totalis ad Quem. Ergo etiam si ipse Terminus formalis, dicatur conversus in terminum formalem, requiritur destructio illius, & productio hujus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia si non ponatur productio totalis Termini ad Quem, & esset conversio totalis, ut supponitur & non esset, quia deesset productio totalis Termini, sine qua, ne quidem concipi potest, talis conversio. Similis autem implicantia non urget pro consequenti. Quanquam negari potest antecedens, si sub nomine totalis conversionis, veniat Transsubstantiatio; nam in hac requiri productionem novi Termini ad Quem, jam est negatum. Requireretur tamen productio Termini totalis ad Quem, in conversione aliqua totali speciali, cum inter species conversionis sit, ut in ea producatur Terminus ad Quem totalis, sed negatur id esse de ratione conversionis ut sic.

INSTAT III. idem. In conversione intercedere debet desitio termini à Quo. Ergo etiam intercedere debet productio termini ad Quem. Multis solvit hoc argumentum Lugo citatus à n. 150. sed videtur prævidisse solutiones Arriaga. *Hinc aliter*

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia nisi desinat terminus formalis à Quo, non potest salvari secundùm communem Phrasim definita conversio; nempe quod sit transitus unius rei in aliam, si enim non desinit desinentiâ, de qua infra, permanet; si permanet, non transit; si non transit, quomodo salvabitur hic transitus Unius ab alio, qualem assumit definitio: Casu autem quo non producatur terminus formalis ad Quem tota illa defin tio salvabitur secundùm id, quod sonat accepta, & certè tam est aliud illa forma de novo succedens, si hîc & nunc producatur, sicut est aliud, si producta ponatur in ante, unde ly transitus salvabitur, quia ille tenet se ex parte termini à Quo, qui supponitur desinere, & ly aliud quid salvabitur, quod se tenet à parte Termini ad Quem; supponitur enim uniri de novo. Secundùm autem phrasim definitionis à nobis probatam disparitas est. Quia nisi desinat (desitione, de qua infra) Terminus à Quo, illa conversio & esset conversio, ut supponitur, & non esset, quia non esset actio, per quam aliquid, fieret aliud quid, nec ostendi poterit, per quid illa actio formetur in ratione conversionis, nisi desinat antecedens forma, quomodo enim convertitur, si non se movet ut ante? Quæ ratio non militat pro consequenti.

OBJICIT 2. Arriaga. Nisi detur productio substantialis termini ad Quem, non potest esse conversio substantialis: sola enim successio localis sub iisdem accidentibus, non est conversio substantialis; nam quòd substantia, jam sit sub his, jam sub aliis accidentibus; non est conversio substantialis: aliàs casu, quo Deus albedinem Petri, transferret in Paulum, Petrus converteretur in Paulum ergo cùm in Eucharistia, juxta definitionem Ecclesiæ, detur conversio substantialis, seu transsubstantiatio, debet necessariò dari productio substantialis Corporis Christi Domini.

RESPONDETUR. Sicut potest dari generatio substantialis, quamvis non generetur forma substantialis, & quantumvis Unio non generetur, casu quo sit spiritualis; sic potest esse productio substantialis, sine terminata productione, noviter, ad terminum ad Quem substantialem. Quæ omnia in hoc fundantur ulterius, quia productio illa termini ad Quem, est productio unitiva, ratione totius ex partibus substantialibus conflati: actio autem unitiva, non exigit aliquid substantiale producere de novo, sed tantùm terminari ad substantiam, qua responsione utitur recentior Suarez hîc n. 48. & Lugo citatus Sect. 8.

Colligitur ex hac occasione non concludere illud argumentum modalium, dari scilicet unionem Substantialem, ex eo, quòd non posset ostendi terminus generationis Substantialis. Si enim potest salvari nova substantialis conversio, sine productione nova substantialis Termini, ita potest salvari generatio substantialis, quamvis pro termino illius, non ponatur Unio substantialis modalis. Rursùs si omnes actiones sunt accidentales, ut censetur voluisse Lugo, etiam Generatio erit actio accidentalis, consequenter non erit necesse ponere Unionem pro termino, quæ sit aliquid substantiale, de novo productum. Hinc vi istius responsionis, verum est dicere, quod hæc conversio sit conversio substantialis, & quod habeat terminum substantialem, sed inde non sequitur, terminum illum debere nova produci actione. Verum rursùs est: Conversionem esse actionem, sed inde non sequitur, eundem esse debere terminum productionis & introductionis, ut inquit Lugo. Anima enim in generatione humana introducitur, Unio producitur; sic etiam in conversione, terminus productionis erit Unio. Conversionis quà talis, inductio formæ, quæ non erat unita. Attendendo autem ad ulteriores Probationes ipsius Arriaga, nego tunc fore solam successionem localem, si non producatur de nova forma.

Instat I. Idem, & supponit sententiam probabilem, quòd quantitas sit indistincta à materia prima. Hoc supposito sic argumentatur. Locum occupare inpenetrabiliter, est proprium substantiæ materialis, & non accidentium, quæ non occupant locum, nisi ratione substantiæ. Ergo succedere in ordine ad occupandum locum, est succedere etiam in munere proprio Substantiæ materialis. Ergo ex hoc capite, quando quis succedit in locum realem alterius, licèt non detur conversio, eò quòd non maneat terminus communis, dabitur tamen mutatio substantialis, quia Una, succedit alteri, in munere proprio substantiæ, non secus ac in Eucharistia, substantiæ panis, succedit Corpus CHRISTI.

Respondetur. Succedere nonnisi præcisè in ordine ad occupandum locum, non est succedere in munere proprio substantiæ, quà substantia est, licèt succedere tam in ordine ad occupandum locum, quàm in aliis, quæ ratio substantiæ importat, sit succedere in ratione substantiæ, quà substantia est. Quia verò is, qui succedit alteri in loco, præcisè nonnisi ad occupandum locum succedit, sit ut non succedat ei in munere substantiæ, quà substantia est; præcipuè cum definitivè substantia non sit penetratio loci impenetrabiliter, sed est alia, de quo, ubi de Substantia.

Instat II. Falsum esse Christum succedere in munere proprio substantiæ. Impossibilis enim est, causalitas Christi Domini in accidentia, in qua constituitur munus substantiæ, nam prior est conservatio accidentium, quàm Christum esse sub speciebus, ideo enim Christus est ibi, quia accidentia durantur non è contrario. Ergo accidentia illa non conservantur à Christo in Sacramento, sed potius ideo Christus est illic Sacramentaliter, quia accidentia conservantur.

Respondetur. An Christus succedat in munere proprio substantiæ, de hoc consulantur dicta de Eucharistia. Causalitatem substantiæ panis, quòd Christus non possit exercere, in genere causæ efficientis in Accidentia, non ostenditur. Conservatio Sacramentalis accidentium, quòd sit prior quàm esse Christum sub speciebus non probatur, licèt conservatio illorum non Sacramentalis, præcedat positionem Corporis Christi. Illa causalis: Christus est ibi, quia accidentia durant, non è contrario; resolvenda ex dictis. Quomodo dispositiones concurrunt ad Generationem.

Instat III. idem. Quod Christus efficienter conservet accidentia, demus, cæterum tamen hoc munus non est proprium substantiæ, imò est contrarium substantiæ, neque enim accidentia trahunt substantiam, sed potius substantia movet secum accidentia. Ergo per hoc non succedit Christus in munere substantiæ, sed potius in munere accidentis, & si dicas quod Christus sit alligatus accidentibus in ordine ad motum, hoc non est proprium substantiæ, sed contrarium, neque enim accidentia trahunt substantiam, sed è contra.

Respondetur. Novum hoc esse, quòd conservare accidentia, non sit munus substantiæ. Quamvis enim verum sit, quòd sicut substare accidentibus, ita & illa conservare, non sit universalis, aut primarius conceptus substantiæ; tamen hoc etiam illi competit. Est quidem verum, quòd illam causalitatem non suppleat Christus in genere causæ materialis: sed cur non sufficiat, ut suppleat in genere causæ efficientis? Illa propositio: non accidentia trahunt secũ substantiam, sed substantia movet secum accidentia, ambigua est. Si illius sensus sit, ex vi unionis substantiæ cum accidentibus, non verò unionis accidentiũ cum substantia sit motus, hæc propositio est falsa; eadem enim est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas, eò quòd eadem sit unio, quæ est radix illius tractionis. Si autem hic sensus sit, attendendo ad subjectum: cùm substantia sit subjectum accidentium, non autem accidentia subjectum substantiæ, fit ut attento subjecto, potius substantia moveat accidentia, & trahat, quàm substantia accidentia: hæc propositio est vera, sed nihil facit contra nos.

Addit Lugo. Non posse disparitatem ullam assignari, in modo movendi, quo Sacerdos movet Corpus Christi, quod non impellit immediatè: & in modo, quo moveret substantiam panis si illic daretur. Quoadsi in hostia consecrata, immediatè moventur accidentia, etiam aliàs,

dum

dum est substantia panis, immediatè movebuntur. Et sicut immediatè visus attingit albedinem, mediatè parietem album, ita immediatè moventur accidentia, mediatè substantia.

Instat IV. Arriaga. Eò quod dicatur Christus contentus sub speciebus panis, & denotetur pronomine *Hoc*, non requiritur ullo prorsus modo, ut Christus exerceat munus substantiæ, erga illa accidentia; Sicut cum ostendo in cista aurum contentum, & dico, hoc est aurum, non est necesse, ut cista exerceat ullum munus substantiæ in aurū. Ergo non potest illa conversio dici substantialis, ex successione in munus substantię. Ergo in hac sententia præcisè dicetur ea conversio substantialis, quia una substantia, succedit in locum alterius.

Respond. Quando dico demonstrando istam, Hoc est aurum, est locutio figurata, contentum significans; sed particula Hoc in Consecrationis forma, non accipitur figuratè, sed in proprio sensu, ut significet, Hoc, non est panis, sed Corpus Christi, quod verificari non posset per Lugo, si Corpus Christi, non succederet in minus substantiæ, quæ successio in munus substantiæ, salvabit conversionem quantumvis sine nova productione Corporis Christi. An autem Ly *Hoc* demonstret Christum, petatur ex Materia de eucharistia.

Instabis V. Si non producitur de novo substantia Corporis Christi, idque præcisè titulo conversionis, etiam successio unius in locum alterius, erit Conversio.

Respondet Lugo, esse quidem illic conversionem aliqualem compositi resultantis ex loco & locato, non esse tamen transubstantionem ut in Eucharistia, nec rigorosam Conversionem substantialem, ex dictis supra.

Objicitur III. Quantumvis Conversio, non exigeret, quà talis productionem Termini formalis ad Quem, saltem exiget Conversio Eucharistica, quia verba vim habent ponendi & producendi Corpus Christi. Hinc quamvis in cœlo corpus Christi non esset adhuc vi verborum poneretur, præsentia enim Eucharistia, non pendet à naturali. Si autem verba illa, habent vim producendi corpus Christi, producent illud. Nam causa necessaria, quod potest ponere, ponit.

Respondetur. Quòd conversioni qualis defacto datur in Eucharistia, annexa sit productio, quando tamen ex vi Verborum consecrationis ponitur corpus Christi ponitur non ex vi exigentiæ & prædicato conversionis, sed ex vi conversionis replicativæ, qualem voluit esse Christus in Eucharistia.

In instantiis allatis duæ tangebantur difficultates. Prima, An corpus Christi in Eucharistia, succedat in locum substantiæ panis, & hæc petatur ex materia de Eucharistia. Secunda. An vi conversionis produci debeat Terminus ad Quem, hæc difficultas in præsenti resolvitur.

DIFFICULTAS III.

An Terminus formalis à Quo, desinere debeat in Conversione.

Assero I. *Terminus formalis à Quo totalis simpliciter desinere debet.*

Ratio Quia & foret tunc Conversio, ut supponitur, & non foret, quia non esset ulla mutatio.

Assero II. *Non esse de ratione Conversionis secundùm quam dicatur totum converti ut desinat simpliciter Terminus à Quo.*

Ratio. Quia quod de ratione, Conversionis est, in omni Conversione reperiri debet, sed desitio Termini Formalis à Quo, non reperitur in in omni Conversione; quod ipsum probatur. Tum quia defacto dicitur homo converti in cadaver, vermes, & similia; & tamen forma illius non desinit simpliciter. Tum quia ut non multiplicanda sunt entia sine necessitate, sic nec conditiones agendi; nulla autem necessitas addendi hanc conditionem Conversioni, ut in illa desinat simpliciter Terminus formalis à Quo. Tum quia posita forma, habente jus existendi in rerum natura, sine unione, si illa expellatur actione tali, quæ inferat positionem alicuijus formæ, cur non dicetur tunc convert in aliud? & tamen non erit desitio termini formalis à Quo.

Assero III. *In Conversione, Forma materialis naturaliter desinere debet.*

Ratio Quia non habet jus existendi independenter ab unione, secus de forma spirituali.

Assero IV. *Quamvis de ratione Conversionis non sit, secundùm quam dicatur totum converti, ut desinat simpliciter Terminus formalis à Quo, tamen est de ratione Conversionis, in qua forma, dicitur converti in aliam formam*, de ratione inquam talis conversionis est, ut desinat simpliciter forma prior.

Ratio. Ad hoc ut dicatur converti Terminus totalis à Quo, debet desinere terminus totalis à Quo. Ergo etiam ad hoc ut dicatur converti terminus ipse formalis à Quo. Deinde, casu quo dicatur converti Terminus formalis à Quo, & tamen non desinere, & erit conversio formalis, ut supponitur & non erit, quia illa forma nullo modo fieret aliud quid, æquè enim manet immutata in sua entitate ut ante. Denique non semper quando mutatur Terminus totalis à Quo, desinit forma, ut patet in Conversione hominis in cadaver. Ergo ad hoc ut dicatur converti ipsa forma debet habere aliquod speciale conversionis fundamentum; hoc autem ostendi non potest, nisi dicatur desinere ipsum terminum formalem à Quo.

Dices. Terminus formalis à quo totalis, dicitur converti in aliud totum quamvis non

desinat forma. Ergo etiam ut dicatur converti terminus formalis à Quo, non debet illa forma desinere.

Respondetur. Disparitatem esse, Quia totum formaliter & in re, cùm nihil aliud sit, nisi ipsæ partes unitæ, ad hoc ut dicatur totum desinere, sufficit ut desinant esse unitæ, hoc ipso enim jam non sunt totum, adeoque sufficienter jam ostenditur, per quid salvetur conversio totalis, adeoque mutetur totum, quam mutationem, pro genere aut assumit, aut supponit Conversio. Ut autem salvetur conversio formalis, non poterit ostendi sufficiens transitus nisi dicatur desinere ipse terminus formalis à Quo.

Addo tamen, licèt interdum non dicatur forma conversa in aliam formam, & ita, non dicitur frigus conversum in calorem. Sed frigidum in calidum: bene tamen hoc etiam usurpatur; bene enim dico, etiam formam ligni conversam in formam ignis, licèt etiam bene dicatur lignum conversum in ignem, quæ locutio magis est usitata, quia denominatio desumitur à principaliori, rationem autem principalioris, habet totum præ forma.

Assero V. *In Eucharistia positis alterationibus, vi quorum desinit esse corpus Christi, sub speciebus sacramentalibus, non debet dici corpus Christi converti, in illud succedens totum.* Est assertum contra Lugonem hic Sectione decima qui cum distinctione loquitur, si sumatur corpus Christi pro toto illo, ex corpore Christi, & accidentibus conflato, converti illud. Verè enim desinit illud totum, & reliqua ad conversionem spectantia servantur. Si autem corpus Christi sumatur præcisè, tunc, vel potest procedi in sententia quæ reproductionem admittit, & sic certum est reproductum illud, quâ reproductum est, verè desinere. In sententia autem reproductionem non admittente, non desinit. *Sed nostri asserti*

Ratio est. Tum quia quamvis concedatur corpus Christi, quâ reproductum, desinere, non tamen debet dici converti, quia usus communis, illi desitioni, non applicuit nomen conversionis. Tum quia idem Lugo citatus Sectione 9. ægrè fert numer. 155. ab Arriaga corpus Christi dici converti substantialiter in vermes, & quare ipse non ægrè id fert, dictum de Eucharistia, quo nomine, venit totum, conflatum ex corpore Christi & accidentibus panis. Tum quia, ut supra dicebam nihil commune, proprium corpori Christi, manet sub utroque termino & tamen vidimus supra, in utroque mutationis termino, manere aliquid utrique commune.

Neque valet si dicas, quod illa accidentia quamvis non sint propria corporis Christi, sint tamen propria illius conflati ex corpore Chtisti & accidentibus; quia illa accidentia dicuntur esse propria alicujus, quæ illi debentur secundū esse illius, eò, quòd illa vel emanârit, vel produxerit, vel à generante sint illi provisa. Sic v.g. si albedinem Pauli transferat Deus in Petrum, non dicetur illi esse propria, sic nec illa accidentia dicentur propria Eucharistiæ.

QUÆSTIO III.

De Augmentatione.

Præmitto I. *In quo sit in præsenti status quæstionis.* Et imprimis non est hîc status Quæstionis de augmentatione latissimè, & per quam quocunque modo fit aliquid majus; quali augmentatione augetur aqua, si cum altera cõtinuetur: Nec hîc est Quæstio de rarefactione tantùm, quia illa est solùm species augmentationis, & convenire potest tam viventibus, quàm non viventibus. Hîc autem primò per se agitur de augmentatione solis viventibus. Rursùs agendo de augmentatione solis viventibus debita, hæc in triplici ordine spectari posset. Primò ita, ut addatur aliquid substantiæ, sed non æquivalens ei, quæ deperdita supponitur, & hæc additio non debet appellari nomine augmentationis, sed potius nomine diminutionis. Secundò addi potest aliquid substantiæ, æquivalens deperditæ, & hæc appellari potest propriè, status. Tertiò acquiri potest plus substantiæ, quàm fuerit deperditum, & hoc propriè appellatur augmentatio.

Præmitto II. *Quod non congruè referatur essentia augmentationis in motum unitivum quantitatis majoris.* Ratio præmissi; quia dantur partes entitativæ substantiis materialibus propriæ, exigitivæ quantitatis. Cur ergo non potius motus illi unitivus erit ad illas partes? Rursùs, ponamus quòd materia alimenti sit spoliata quantitate; ponatur, rursùs quod in illam ita spoliatam, agat nihilominus potentia augmentativa, idque per miraculum. Verè tunc fiet augmentatio partium entitativarum, & tamen non erit motus unitivus quantitatis majoris. E converso, ponatur quantitas alimenti, & non ponatur substantia alimenti, & per potentiam augmentativam addatur hæc quantitas, præexistenti viventis quantitati, erit motus unitivus quantitatis majoris, & non erit augmentatio. Quod ipsum probatur, quia augmentatio non est nisi fiat conversio in substantiam aliti, jam autem sola præcisè quantitas, cùm non sit substantia, non potest dici, converti in substantiam aliti. Denique sicut datur augmentatio in quantitate, ita datur augmentatio in substantia, & cùm hîc agatur primo per se de augmentatione substantiali, non debet illa per augmentationem accidentalem explicari.

Dices In oppositum esse Aristotelem primò de Generatione textu 4. ubi dicit quòd caro, os, manus augeantur adveniente aliquo quanto.

Respon-

Respondetur. Aristotelem non cognovisse separationem substantiæ ab accidentibus, & ex hac præsuppositione locutum fuisse, cujus oppositum supponit Christiana Philosophia. Vel certè loquitur hîc & de augmentatione substantiali, & de accidentali; nam textu 41. ibidem augmentationem refert in quantam carnem, quanta autem caro, addita præexistenti, infert augmentationem & substantialem, & accidentalem. Quando autem adfertur tex. 34. in quo supponit Aristoteles, ratione quantitatis alimenti manentis, fieri illam augmentationem, id etiam non convincit: quia supponit quidem Aristoteles, quòd maneat quantitas, sed supponit etiam, quòd maneat materia, adeoque substantia alimenti, quam non pertinere, ex sententia Aristotelis, ad augmentationem non ostenditur. Eodem modo debet explicari primi Physicorum tex. 13. 5. Physic. tex. 18. 2. de anima tex. 47. Posita autem distinctione substantialis & accidentalis augmentationis, distinguentur realiter inter se; sunt enim separabiles, licèt id non cognoverit Aristoteles.

Præmitto III. *Non rectè explicari augmentationem, per productionem formæ, aut productionem novæ unionis.*

Ratio prioris partis est. Quia homo augetur in qua augmentatione, non producitur forma rationalis. Ratio posterioris est. Quia hæc nova unio, vel est tantùm inter formam, de novo productam, & inter materiam, & sic non dicit ullam augmentationem, sed solam generationem, vel est inter formam jam ante productam, & materiam de novo additam. Ostende ergo quòd illi ipsi præcisè unioni competat prædicatum augmentationis; ostende per quid extrahatur ad rationem augmentationis; & hæc ratio potius ostendet rationem definitivam augmentationis. Cæterum in augmentatione quamvis debeat addi de novo aliquid materiæ, nam non esset unde deberet dici illa substantialis augmentatio; quamvis item illa materia debeat supponi informata, vel formâ, jam in ante productâ, vel tunc de novo educta, nam hîc agitur de augmentatione viventis, cujus vita nulla est sine forma. Quamvis item supponatur unio nova formæ; nam, ut dixi, augmentatio perfici non potest, sine informatione; informatio autem sine unione, nihilominus.

Præmitto IV. *Quod ratio formalis ultimò constitutiva augmentationis non sit actio terminata ad unitivum unionum.* Est præmissum contra Oviedo hîc puncto 7. num. 6.

Ratio est I. Quia compositum, non consistit formaliter, in ipsa productione unionis. Ergo nec augmentatio compositi, consistet formaliter in actione unitiva unionum; per quod enim constituitur compositum, per hoc constitui debet & augmentatio compositi, cùm nihil sit illa augmentatio nisi compositum additum.

Ratio II. Quia unio non est id quod augmentat; hîc autem agitur, de eo quod augmentat. Assumptum autem probatur. Quia unio, tantùm unit id, quod augmentat. Rursùs, augmentatio accidentalis seu quantitativa, necessariò est quantum quid, unio autem quà talis, non est quid quantum; aliàs si quà talis esset quid quantum, etiam unio spiritualis quæ saltem possibilis est, deberet esse quanta; quod enim enti quà tali convenit, semper, & in omnibus inferioribus, illi convenit.

Ratio III. Quia possibile est compositum, imò in sententia modalium aliquorum, datur, cujus duæ uniones partiales, exigant uniri tertia, & tamen nemo inde infert, unionem illam unionum, esse augmentationem. Ergo ratio augmentationis, non consistit formaliter, in illa unione unionum.

Præmitto V. *Augmentationem accipi posse, vel pro termino, vel pro actione augmentativa.* Accipiendo augmentationem, pro Actione, ratio generica augmentationis, quæ sit communis, ad augmentationem substantialem, & accidentalem. Sic describi potest. Quod sit actio essentialiter ordinata ad faciendum majus. Si autem sumatur pro termino. Est ratio ut Quod constituens majus. Restrictiùs autem loquendo, augmentatio substantialis pro actione sumpta, est motus ad ponendam majorem substantiam. Sicut proportionaliter, augmentatio accidentalis, est motus ad ponendum majus accidentaliter. Pro termino autem accepta augmentatio, si sumatur pro augmentatione substantiali, erit ratio ut Quod constituens majus substantialiter. In augmentatione autem accidentali, accidentaliter. Jam autem ratio communissima augmentationis, complectens tam augmentationem sumptam pro actione, quàm sumptam pro termino. Sic describitur. Est id quo fit majus. Ipsum autem, quo fit majus, duplex est, aut quo fit majus ut *Quo*, & hoc erit augmentatio, sumpta pro Actione, aut quo aliquid fit majus ut *Quod* & sumetur tunc augmentatio pro Termino.

Præmitto VI. *Quid non sit augmentatio.* Primo. Generatio non est augmentatio.

Ratio. Quia nihil dicitur generare seipsum, & tamen omne vivens vegetabile augmentat seipsum. Unde quando generans ponit genitum, non dicitur esse augmentatio. Rursùs, Generatio dicitur esse à privatione ad formam, augmentatio, à minori substantia, ad majorem.

An autem omnis augmentatio sic Generatio divisi sunt auctores. Affirmat Arriaga, negat recentior Suarez. Difficultas est resolvenda in diversis suppositionibus. Primò intelligendo au-

do augmentationem, quæ continuationem solùm importat, nulla tunc est Generatio.

Ratio. Quia nihil hîc producitur, nisi continuatio, quæ continuatio per nos, nihil aliud est, nisi negatio terminorum. Secundò intelligendo augmentationem, quæ non solam continuationem, importat, sed supponit pro augmentatione non viventium, talis augmentatio, semper importat generationem. Ut cum augmentat se ignis, producendo alium similem. Tertiò supponendo pro augmentatione viventis, ea semper in materialibus, importat, productionem Formæ materialis, & in homine, modi materialis.

Ratio. Quia augmentatio non potest perfici sine informatione, quę in materialibus, deposcit etiam productionem formæ: in homine autem, productionem modalitatis.

Dices. Actio illa continuativa debet habere aliquem terminum, qui assignari non potest. Si nihil in continuatione generetur.

Respondet Recentior Suarez, quòd actio illa, tendat in Terminum, non productum, sed continuatum, sicut & conversio quâ talis, tendit in terminum non productum, sed succedentem. Quæ responsio conformis est principiis nostris, sed enervat argumentum illud modalium: ideo dari debere unionem substantialem, quia non assignaretur Terminus Generationis substantialis.

Præmitto VII. *Quotuplex sit augmentatio* Et dico. Aliam esse substantialem, aliam accidentalem, substantialis dividitur in augmentationem materialem, hoc est partium materiæ, & formalem, hoc est partium formæ, si sit divisibilis, & augmentationem modalitatum. Rursùs alia est augmentatio, quæ viventibus; alia, quæ non viventibus competit. Augmentatio connaturalis viventium, vocatur nutritio. Dixi connaturalis, quia si fiat sine ullo motu viventis ab extrinseco, esset tunc verè augmentatio, licèt non connaturalis. Augmentatio autem non viventium, si fiat per productionem novæ partis, vocatur aggeneratio; quomodo ignis se augmentat. Si fiat absque productione novæ partis, vocatur simpliciter augmentatio, ut cùm continuantur duo ignes, duæ guttæ, &c. Augmentatio autem viventium & non viventium, secernitur per hoc, ut scitur ex alibi dictis, quòd viventia augmentent se, per intus sumptionem, non viventia autem, per solam appositionem & accretionem. Jam verò augmentatio accidentalis, dividi potest in quantitativam, & qualitatis.

Ad principale in hac materia punctum descendendo. *Sit*

DIFFICULTAS I.

Quomodo fiat augmentatio.

In hac Materia. *Difficultas prima est.* An augmentatio ita perficiatur, ut fiat per partem aliquotam. Certum, simul in instanti. *Secunda.* An fiat per partem proportionalem, ita ut augmentatio involvat prius & posterius in illa parte. *Tertia.* An hoc utrumque adhuc perficiatur, per inter positas morulas, vel non. Fieri augmentationem per partes proportionales tenent Conimbricenses Rubio, & post illos Oviedo. Fieri autem per partes aliquotas tenet Hurtadus, Arriaga, recentior Suarez, Morulas admittat Arriaga, & ex parte Oviedo: negant alii, & post illos recentior Suarez. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Fundamenta utriusque partis.

Quod fiat augmentatio per partes aliquotas.

Primum Argumentum est ex Arriaga & Hurtado. Qui supponunt formam non posse induci, nisi in materiam, determinatæ magnitudinis, quo posito, sic argumentatur. Illa materia non fuit tota disposita simul, si non. Ergo prius una pars fuit ultimò disposita ad formam ignis v. gr. quàm altera: & tamen non prius habuit formam ignis, siquidem dicis Augmentationem non fieri per partes aliquotas; hoc autem manifestè repugnat, quia quando est ultima dispositio ad formam ignis, necesse est ut ipsa forma inducatur, naturaliter enim petitur ab ejus dispositionibus.

Respondetur. Omissis retorsionibus quas ponit Oviedo, aliam esse difficultatem, an tota materia sit simul disposita, & alia, an tota simul sit ultimò disposita tenendo ergo, quod augmentatio fiat nonnisi, per partes proportionales, dicetur quòd non tota simul disponatur, sed per partes, licèt tota simul disponatur ultimò, hoc sensu, quia non dispositio tot partibus, quot ad minimum materiæ in viventibus requiruntur, non dicetur ultimò disposita, jam autem nonnisi disposito toto minimo materiæ, dicitur esse capax formæ viventis. Hujus responsionis meminit etiam Oviedo controversia 5. puncto 4. paragrapho 2. qui etiam addit inter dispositiones ultimas, non solum esse tantam intensionem, sed etiam tantam extensionem, quę extensio non datur in eo, quòd est minus minimo requisito.

Secundum Argumentum est, quod proponit Arriaga & recentior Suarez petitum ab experientia. Quia scilicet videmus, sonum æqualiter audiri, in certa aliqua distantia, ab omnibus

bus qui in illa sunt, licèt intra illam existant inæqualiter distantes. Ergo signum est, quòd in illa certa distantia, producantur species æquè simul.

Respondet Oviedo, species soni contrario carere, ac proinde in eodem instanti produci in tota sphæra activitatis. Hinc fit, ut contenti intra illam sphæram, eodem tempore sonum audiant. Quod autem à longè citius videatur ictus, quàm sonus, id ideo fit, quia color & lux, majorem habent activitatis sphæram, quàm sonus, & ipse sonus devolvitur ad auditivam, mediante moto aëre, qui non ita citò movetur, ut pervadit lux suum medium. Deinde dici potest quod etiam intra sphæram activitatis soni, prius audiant sonum, qui sunt viciniores, quàm qui sunt intra eandem sphæram remotiores, quamvis propter distantiam non notabilem, ea sensu percipi non possit. Quæ responsio tali imaginatione firmari potest: sit sphæra activitatis soni, unius v. g. leucæ, collocentur in illa, per lineam rectam homines sonum excepturi; extra illam leucã, sint alii itidem, per lineam rectam dispositi. Inter illum primum qui est extra sphæram plenæ activitatis collocatus, & inter secundum itidem collocatum extra eandem sphæram, non potest intercedere notabilis differentia, quamvis defacto sit aliqua. Cæterum indubiè prius percipit sonum, immediatè assistens sonoroso, quàm is, primus est in secunda leuca, non quidem extra sphæram simpliciter; collocatus tamen extra sphæram plenæ activitatis. Ergo etiam idem dicendum est de illis contentis intra sphæram activitatis, quod qui priores sunt, prius audiant, licèt sensu percipi non possit differentia. Et sicut impulsus aëris, flabello factus, successionem habet, quamvis intra certam sphæram sentiri non possit; ita idem dicendum de sono.

Aliam experientiam adferunt Arriaga & Recentior Suarez, quia lux solis, si descresceret continenter, juxta majorem distantiam ab ipso sole, decrevisset, dum ad nos accedit prope in infinitum, quia sunt prope infinita distantiæ puncta, ad nos, ab illo, cum tamen videamus, maximam lucem produci à sole juxta nos.

Respondetur. Ex illa interceptione punctorum, prope infinitorum probari multum quia probaretur, non illuminari æquè luminosè digitale spatium, cum etiam in illo intercipiantur prope infinita puncta, referri ergo hoc debet in id principium, quamvis. Successivè minor lux producatur in remotionibus à sole, quia tamen producitur magna intensione, fit, ut juxta nos etiam sit magna lux.

Tertium Argumentum ex Arriaga. Qualitas materialis non potest existere in una superficie indivisibili hinc agens quamvis virtutem habeat citius producendi in viciniore parte, quàm in remotiore; tamen quia non potest ita indivisibiliter existere, sed requirit certam magnitudinem, non potest nisi in certa magnitudine qualitatem producere.

Respondetur. De hoc ipso quæri, cur in ipsa illa certa magnitudine, simul non producatur tota qualitas.

Sunt alia argumenta pro hac sententia, sed illa vel supponunt heterogeneitatem graduum, aut infinitudinem partium.

Quod attinet ad fundamenta Contrariæ partis.

I. Ratio est ex Oviedo hîc controversia 5. puncto 4. numero 46. Quia scilicet nullum est fundamentum quo probetur agens agere uniformiter, difformiter per partes aliquotas.

Responderi posset: non esse etiam fundamentum, quare debeat agere oppositò modo. Neque valet si dicas sufficere argumentum negativum, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; adeoque nec modi agendi: Perfectior autem est modus agendi per partes aliquotas; quàm per proportionales. Non inquam valet, non enim apparet, hunc esse perfectiorem modum. Supponamus enim quòd agens nonnisi habeat vim agendi ad duas leucas, quid interest, si per partes aliquotas, vel proportionales agat, ad eum modum quo eleemosynarius Principis habet jus dispensandi triginta aureos, majorne erit vis, si uni det totum vel si uni det quindecim, alteri quatuordecim, & ultimo unum. Tota ergo perfectio agendi, spectatur penes sphæram ultimam, præcipuè cum totum cumulum accipiendo, tam productorum per partes proportionales, quàm per partes aliquotas, æqualitas habeatur. Rursùs, si taxa perfectionis est pensanda, ex vi agendi in parte potius aliquota, quàm proportionali, sequeretur, quod si luminosum aliquod, posset illuminare per leucas decem, per partes proportionales, minus perfectum licidum esse, eo lucido, quod, nonnisi ad duas leucas per partes aliquotas tamen produceret lumen.

II. Ratio est ex eodem. Et supponit, quòd inter partes aliquotas aliquæ sint magis propinquæ, quædam magis remotæ. Supponit item, pars magis propinqua, magis intendatur, minus propinqua, minus intendatur; ex quo format argumentum. Ideo agens magis agit in hanc aliquotam partem, quàm in illam, quia est illi propinquior, sed similiter quæcunque proportionalis, est propinquior agenti præ alia sibi succedente. Ergo magis agit in illam, quàm in aliam, illi ipsi succedentem.

Respondetur. Disparitatem esse quæ communiter adfertur, quia partes proportionales intra aliquotam A. contentæ, sunt intra sphæram agendi nonnisi uniformiter; Jam autem pars aliquota B. non continetur intra sphæram agendi uni-

di uniformiter, quod ipsum probatur, rejiciendo id in naturam agentis, quæ nobis in posteriori, per experientiam v. gr. de sono innotescit. Hinc illa causalis aliquota pars remotior minus intenditur, quia est remotior, non est adæquata; sed quia non continetur intra sphæram agendi uniformiter, neque est hoc immeritò recurrere ad naturam agentium, quia experientiam illam de sono, non negat Oviedo. Illustrari hoc etiam potest. Quia etiam in vivente, non prius medietati minimi naturalis conjungitur forma, quàm toti minimo, ita & in præsenti.

III. Ratio est. Accretio successivè fit; fit enim medio motu locali, est enim extensio ad majorem locum, quòd si fit medio motu locali, fit per prius & posterius, adeoque successivè.

Respondetur. Aliud esse, an aliquid fiat medio motu locali, & aliud; an fiat majorem locum occupando. Quod accretio, item nutritio fiat medio motu locali, falsum est, nam hic ut benè arguitur supponit prius & posterius, adeoque successionem, quæ, non potest in nutritione respectu minimi materiæ salvari. Alia autem hæc est propositio, an in accretione, fiat extensio ad majorem locum, & hæc propositio est vera, pro statu naturali. Et certè anima rationalis, minimum materiæ non incipit informare per localem motum, nec Angelus totam sphæram locabilitatis suæ, simul implendo, facit id per motum localem. Luminosum item spargit suam lucem, non per motum localem. Sed hæc omnia id præstant vi, quam habent ad tantum operandum in tanta sphæra, licèt his competat extensio ad majorem locum vel minorem.

Addo. Quando dicitur nutritio esse extensio ad majorem locum, qui occupari debeat per localem motum, si id accipiatur de ipsa materia mutationis, hæc, licet supponatur in ante mota localiter, pro priori tamen, immediatè antecedenti ipsam unionem formæ viventis, jam supponitur immediatè præsens, adeoq; non mota localiter. Si autem extensio ad majorem locum, sumatur ratione formæ, extendet se in illam materiam approximatam nutritionis forma. Sine ullo motu locali.

Quando autem Aristoteles primi. Physicorum textu 18. & octavo Physicorum textu 55. eam augmentationem dicit motum: vel non loquitur de motu locali, sed de motu convertente alimentum in substantiam aliti: vel si loquitur de motu locali, accipit augmentationem latius, prout involvit transmissionem & attractionem materiæ alimenti, quod non fit, sine motu locali. Quando autem S. Thomas innuit oportere augmentationem fieri successivè, nihil concludit, an debeat fieri per partes aliquotas, an per proportionales. Nam etiamsi fieret per partes aliquotas, sicut illæ sibi succedunt, ita & augmentatio per illas facienda, poterit successionem habere.

Punctum Difficultatis 2.

Deciduntur Tenenda.

Dicendum est I. *Augmentationem fieri per partes aliquotas.*

Probatur I. Si non fieret per partes aliquotas, ideo non fieret quia in partibus aliquotis, sunt partes proportionales proximiores & remotiores, quæ depoſcunt ut fiat augmentatio per prius & posterius, sed id nequidquam probat: quia aër illuminatus habet partes priores & posteriores, locus item divisibiles, quem occupat Angelus. Item materiam, quàm primò informat anima rationalis, & tamen ista omnia fiunt absque motu locali.

Probatur II. Inductio formæ substantialis viventis fit per partes aliquotas; hoc ipso enim non fieret secundùm minimum necessariò requisitum. Ergo & augmentatio.

Probatur III. Argumento negativo; Cum tanta sit difficultas partium proportionalium, quantum fieri potest caveri debet, ne quidquam per eas explicetur, & in oppositum non urget ratio.

Restat aliud decidendũ. An hæc augmentatio fiat per interjectas morulas, quæ difficultas est communis, sive augmentario fiat per partes aliquotas, sive per proportionales, quia de utrisque inquiri potest, an fiat per morulas interceptas. Quando autem quæritur, an agens agat per interjectas morulas, non est iste sensus: An si debeat producere formam substantialem, continuò eam producat, certè enim non continuò illam producit, nam prius hæc pars ligni ignitur, postea remotior ut sensus etiam docet. Hic item est sensus. An si successivè applicetur agens, successivè fiat effectus, & hoc enim certum est, hinc fit ut non simul totum orbem sol illuminet, quia successivè, ad diversas mundi partes applicatur. Sensus ergo tantùm est: An conquiescat aliquando agens necessarium, quantum vis applicatum ad agendum; ita, ut illa quies, possit appellari morula interjecta.

Dicendum est II. *Agens non agere per interpositas morulas.* Est conclusio post alios Recentioris Suarez & Pontii hîc disputatione 53. numero 10.

Probat I. Pontius, cujus

I. Ratio est auctoritas Aristotelis quinti Physicorum textu 39. ubi Philosophus docet, motum propriè dictum esse continuum, & tamen nullus motus, est magis propriè dictus, quàm alterationis.

Responderi potest. Agere illic Aristotelem, de motu locali, qui est proprijssimè motus. Imò

ibidem

itidem 8. Physicorum textu 20. dicit, quòd asserere aliquid continuo alterari, sit valde manifestis adversari.

II. Ratio ejusdem est. Successio in qualitate oritur ex divisibilitate ipsius, ac qualitatis sibi oppositæ. Sed est divisibilis in infinitum. Ergo non potest ulla ipsius pars in instanti produci. Illa enim pars quæ produceretur, haberet plures partes, & consequenter haberet principium successionis.

Responderi potest. In principiis multorum continuum non componitur ex partibus in infinitum divisibilibus, sed ex punctis finitis. Sed quidquid sit de hoc, aliunde argumentum non convincit, distinguendæ enim sunt hæ duæ propositiones. Res divisibilis habet successionem entitativam. Et Res divisibilis nonnisi divisibiliter, & successivè produci potest. Prior propositio est vera, posterior autem non probatur ab arguente.

III. Ratio Ejusdem est. Quia sequitur agens naturale debitè applicatum passo, pro aliquo tempore nihil in ipso producere quod est absurdum.

Respondent aliqui huic argumento, quòd posità illa morulâ intendatur nonnisi effectus. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia fieri potest quòd producatur aliquid incapax intẽsionis. Videtur item hoc esse mera divinatio. Deinde si potest tunc intendi effectus, cur & non produci.

Respondent alii II. Produci tunc dispositionem. *Sed hæc responsio*

Non Satisfacit Quia fieri potest, quòd nulla alia prærequiratur dispositio, ut si primæ dispositiones producerentur, vel si nulla sit ad effectum requisita dispositio, v.g. ad ponendum lumen in aëre,

Respondetur III. Posita debita dispositione agere agens, negabitur autem inter has debitas dispositiones, non esse interceptionem morularum. Nihilominus

Probatur II. Argumento negativo, quia scilicet ex una parte nulla experientia, & nulla ratio suadet requiri, vel tanquam dispositiones, vel tanquam modum agendi istas morulas. Ex altera parte necessarium agens, nisi sit impedimentum semper agit, quod impedimentum habere illud à morulis, nec ratio, nec experientia probat, per quod restauratur etiam ratio Pontii, ad negativum principium illam reducendo.

Probatur III. Iis rationibus, quæ allatæ in materia de Continuo, contra ejus morulas.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Arriaga. Si ignis applicatus alicui magnæ trabi, continenter omnibus momentis in eam operaretur, eam calefaciendo, in primo, verbi gratia, instanti primam superficiem, in secundo secundam, & sic de aliis, deberet tota trabs in ictu oculi usque ad finem calefieri, quia in ictu oculi, sunt tot instantia, quot superficies in una trabe, quia sol, in ictu oculi conficit unam vel duas leucas spatii, & in quolibet instanti non potest de novo conficere, nisi unicum indivisibile spatii. Ergo ignis singulis instantibus, unam superficiem de novo calefaceret, & in ictu oculi totam trabem percurrit.

Respondetur. Supponit hoc argumentum aliquid, quod in nostris principiis est falsum, nempe trabem constare indivisibilibus. Sed etiam hoc posito, nondum convincit argumentum, quia fieri potest, ut in primo instanti propter resistentiam passi, non possit formam intentam producere, & propter limitatam agendi sphæram, non potest agere in partem aliam aliquotam, idque simul, sed nonnisi successivè ad eam pervadendo, licèt sine ullis morulis desistentis actionis. Deinde hoc argumentum, dum probat suam sententiam, hoc ipso illam improbabilem reddit, quia si valet calculatio argumenti, sequitur infinitè pluribus morulis, & instantibus otiari ignem, & quodcunque agens necessarium, quàm agat. Sequelam alia calculatione probo; demus lignum tripalmare, computetur quoties illud in duabus leucis contineatur; si ergo sol duas leucas cõficit in ictu oculi, ignis calefacere debuisset illud lignum, minus ictu oculi, & citius, toties quoties, & quot partibus minus est lignum tripalmare, duabus leucis. Ergo si non ignescit illud lignum referendum est in morulas. Ergo istæ morulæ notabiliter perceptibiles, plures sunt quàm instantia, quibus calefacit ignis. Ergo ulterius sequitur, quòd plures, verbi gratia, plumas, vel fila tenuia non possit comburere ignis in illa duratione ictus oculi, quàm comburere, quia habet plura instantia, in quibus non agit quàm agit. Sequitur item, quòd quamvis interdum possit tardiùs agere, non tantùm ob morulas, sed etiam ob resistentiam passi, nunquam tamen poterit citius, quia habet præfixas velocitatis metas, per alligationẽ ad statas morulas. Sequitur item, quòd interdum per plures morulas, quiescente igne, si illi applices intra illas morulas digitum, non sis illum adusturus. Neq; valet si dicas propter citissimam transactionẽ illarum morularũ, reassumere actionem ignẽ, semperq;

† (C) sequi

sequi ustionem, quia hoc quidem experimur, sed si dentur morulæ, experiri non deberemus, quia per plures incomparabiliter morulas sequitur, quòd non peragatur ustio.

Objicit II. Idem: Sonus producit species sui ad certum spatium, & quidem in instanti, ut patet experientiâ, quia qui proximè adstant æquè primò vident ictum ac sonum, in partibus autem remotioribus, citius videtur ictus, quàm sonus; quod in aliud principium referri non potest, nisi quia illæ species cessarunt ab operando: & postea operatæ sunt. Ergo potest agens naturale esse, quòd non possit continenter operari.

Respondetur. Missis aliorum responsionibus variis; negando ex eo tardiùs audiri sonum à remotioribus, quòd species soni cessarint ab operando. Explicationem autem, unde oriatur illa successio, difficilem reddunt hæc. Primò quia species secundæ, ut ita appellem, sphæræ soni, sunt ejusdem rationis cum speciebus primæ, Ergo si in sphæra prima instantaneè producebantur, etiam in sphæra secunda instantaneè producentur. Si autem instantaneè producuntur, cur tardius causant sui auditionem? Secundò quia in secunda sphæra audientes, æquè primò audiant, sive remotiores, sive propinquiores intra eandem sphæram contenti. Ergo etiam in illa secunda sphæra tota, instantaneè produci debuerunt species. Tertiò si in prima sphæra per partes aliquotas, & non proportionales productæ sunt species soni, etiam in secunda sphæra, ita produci debent, unde ergo illa mora.

Suppono I. Dupliciter posse discurri de productione specierum audibilium; primò dicendo, sono producto, illum exemplo interire, & solas species, se se propagare. Secundò, sonum productum durare, eumque propagare species.

Suppono II. Posito quòd dentur species soni, probabilius esse, quòd ipse sonus producat sui species: Quia si ipsæ species producunt alias species, non est ratio, cur alias species non producant, idque in instanti; non enim est major ratio de his, quàm de illis; si autem illas in instanti producunt, causare deberet in instanti auditionem. Ergo per te falsum erit tardiùs percipi sonum, quàm ictum in secunda verbi gratiâ sphæra, cum utrumque æquè in instanti producatur, & tamen oppositum docet experientiæ. Rursùs, quando ostendi potest causa alicujus conservativa naturalis, ad eam potius recurri debet, quàm ut recurratur ad DEUM, cùm ergo species soni indigeat causâ conservativa, & hæc referri possit in sonum, dicendum est, sonum species illas conservare; quodsi illas poterit conservare, poterit & causare. Deinde quando dubitatur, quæ sit causa alicujus effectus, si illius causa inveniri possit naturalis, potiùs illa assignanda est: Si autem indubium revocetur, an existat illa causa, signum à posteriori, & probatio illius existentiæ, erit causatio illius effectus. Quodsi inter duas causas dubium sit à quanam ille effectus procedat, ab illa causa potius sentiendum est, illum effectum produci, à qua primò productus est, causas enim natura, cum potest, non multiplicat. Quod totũ ad præsentẽ difficultatem applicando, dicõ potius in sonum revocari debere aliarum specierum productionem: quia primæ species ab illo primum productæ sunt, potestque esse signum à posteriori existentiæ illius, ipsa illa efficientia specierum, quæ si illi tribuatur, non multiplicabuntur causæ sine necessitate. Quia nec tribuetur vis succedentes species causandi, nisi sono, qui primò, etiam species audibiles produxit. Quod autem dicitur hîc de productione specierum à sono, dici proportionaliter debet, quòd lumen non propagetur ab alio lumine, sed à luminoso.

Suppono III. Posito quòd sonus sit causa productiva, non tantùm in prima sphæra, sed etiam in secunda specierum, non negandum est intervenire illic aliquem impulsum. Ratio quia quòd sonus tormenti citiùs audiatur, quàm sonus, qui ab ictu securis ligno impactæ editur, id commodius in aliud, quàm in impulsum referri non potest. Nam si in aliquid aliud referretur, referri posset in majorem activitatis sphæram. Sed si quæras hujus ipsius causam, id comodissimè in impulsum referri, esset. Rursùs, si quis apponat auriculam tubo susurrante alio, sentiet leviter auriculam suam percuti; posità autem vociferatione sensibilius afficietur, quòd in congregatum nonnisi impulsum soni referri potest. Denique videmus omnibus sonoris, impulsum adjungi; sic fragori tormentorum adjungitur impulsus, item fragori chordarum pulsatarum, &c.

Suppono IV. Cæteris paribus, & quantum est ex vi impulsûs, in medio deberet esse sonus fortior, sed quantum est ex vi soni, ab initio est fortior, quod ipsa experientia à posteriori magistra docet, præcipuè quia per nos sonus non est impulsus, licèt sit aliquid conjunctum impulsui. Et sicut verbi gratia, si calor cum impulsu deferatur, aliundeque augeatur non sequetur, in medio debere esse illum vehementiorem, ita & in præsenti.

Suppono V. Fieri posse ut agens aliquod, producat aliquid instantaneè, quantumvis ex accidenti actioni illius sit adjuncta successio, Sicque verbi gratia, Sol instantaneè illumi-

illuminat, quia tamen successivè per cœlos movetur, non omnia simul illustrat, licèt quod illustrat instantaneè illustret: Sic & sonus, quamvis, cùm producit species, instantaneè illas producat, fieri potest ut ex accidenti, actioni illius, sit adjuncta successio. *His suppositis*

Ratio est. Cur non ita, esto in remotiori loco audiatur sonus: quia sonus, & ejus species, cum impulsu deferuntur, qui nonnisi successivè operatur. Et sicut sol, quamvis ubi illuminat, in instanti, ut dictum, illuminat; tamen illud spatium totum, sicut successivè percurritur, ita illuminatur: Sic & sonus & quia continuatè illud spatium percurrit, continuatè auditur. Rursùs sicut sol in suo cursu aliquas partes luminis conservat & alias, de novo producit sic & sonus aliquas species conservat, aliquas producit.

Quodsi non admittas ullas species soni, ita de ipso sono discurres, sicut de ejus speciebus.

Instat I. Arriaga. Licèt sonus per motum localem deferatur, specierum tamen productio, non fit per motum localem, sed in instanti ipsius soni, cur ergo productis speciebus, tardius illæ veniunt ad aures magis dissitorum?

Respondetur. Retorquendo argumentum: Cùm lux solis producatur in instanti, cur tamen in instanti totus mundus non illuminatur? Dices quia non habet tantam sphæram activitatis, dicam etiam sonum non habere, tantam sphæram activitatis. Et sicut, quamvis alias nesciremus, solem, movendo se, illustrare mundum, ex hoc principio, quia non habet tantam sphæram activitatis, & ex altero principio, quia successivè istam sphæram, quam non impleverat luce sua, occupat, benè inferemus. Ergo sol successivè se movendo & propagando lucem, illuminat; sic ex similibus principiis, benè inferemus, successivè sonum ipsum applicatum esse remotioribus partibus.

Instat II. Idem. Motus localis soni, fuit in ordine ad primam productio non specierum, etsi à motu hæc tota tarditas provenit, etiam vicini debuissent eum tardè audire.

Respondetur. Vicini intra primam, ut ita dicant sphæram, sphæram constituti, æquè citò audient; vel si non æquè citò, id non erit notabile, nec discernibile.

Instari potest III. Supponamus, spatium primæ sphæræ, in qua simul soni species, & visibilis objecti pervenerunt, esse tripalmare, quando digito uno recedit sonus à termino à Quo, vel operatur in digito secundæ sphæræ, vel non operatur, si non operatur, Ergo concedis morulas in operando interceptas. Ergo ulterius ille audiens, qui respondet illi digito, nihil audiet; quia nihil operatur sonus tunc. Si autem operatur, Ergo non per species aliquotas operatur sonus, quia quantùm recedit à Termino à *Quo*, tantùm operatur in Termino ad Quem. Sed nonnisi successivè recedit, & non per partes aliquotas. Ergo nonnisi successivè; & non per partes aliquotas operatur in Termino *ad Quem*, contra quam toties suppositum est.

Respondetur. Retorquendo argumentum de illuminatione solis, qui etiam per partes aliquotas illuminat, & supponitur moveri, successiveque lucem producere, licet retorsio non teneat, in principiis morulas admittentium. Directè autem dici potest: quando digito uno, recedit somno à termino à *Quo*, operatur in digito Termini *ad Quem*, Cæterum successivè quidem impulsis operatur, sed ipse sonus non accommodat se conditioni impulsûs in hoc, adeoque operari poterit, nonnisi in partibus aliquotis simul, ut dixi de lumine solis, cujus sparsio conjungitur, motui successivo solis, & tamen illuminatio fit in partibus aliquotis simul.

Instabis IV. Si impulsus est annexus sono, sequitur, quòd posteriores illius partes, citius sint audiendæ, quam priores. Posteriores enim partes viciniores sunt, adeoque prius sui species causabunt; consequenter prius finem audiremus quam principium.

Respondetur. Instantiam in omni sententia solvendam esse. In nostris principiis dici potest: Quòd species illæ soni, vel partes ipsius soni, quamvis sint penetratæ, servant tamen inter se ordinem productionis soni proportionatum, ad eum modum, quo etiam species visibiles, quantumvis inter se penetratæ, servant tamen similem ordinem. Quare autem in Echo nonnisi ultimo syllabæ pronuntientur, id non ex eo est, quasi primo nonnisi finis, perveniat ad locum repercussionis. Quia si primo finis pervenit, cùm Ly primo sit quid relativum, deberet posterius advenire principium, adeoque post finem principium audiri deberet. Nec idem in id rejici debet, quod sonus immediatè productus impediat auditionem Echo, quod non auditur nisi post transactum priorem sonum. Quia saltem remotiores non impedirentur ab illo percipiendo, ad eum modum, quo interdum duorum canentium, nonnisi unusquisque se audit, cum remotiores sonum utriusque percipiant. Potius ergo ratio est per quam restauratur doctrina Suarii. Quia scilicet eo ipso tempore, quo reflecti deberet sonus prioris syllabæ supervenit ei alius sonus, qui impedit ne refringatur, ad eũ modum, quo si duæ pilæ allidantur, casu quo

prior refringi deberet superveniat alia; impediret retusionem prioris, ita & posteriores panes impediunt, ne priores refringantur, adeoque ne edant Echo. Sed hæc ratio, habet adhuc has difficultates.

Primam. Sit trisyllaba dictio, prior prius allidatur. Ergo audiri debet. Dici potest, prior prius allidatur. Ergo audiri debet. Dici potest prior alliditur, sed non refringitur ad corpus illud, & tamen refractio facit Echo.

Secundam. Aër sequens syllabam, quæ reflectitur, non impedit quominus refringatur illa syllabas. Ergo nec sequentes primam syllabam, impedient illius refractionem. Dici enim potest majorem esse resistentiam & impressionem à sono sequentium syllabarum primam, quàm ab aëre; quod ipsum, à posteriori, hæc, ipsa experientia docet.

Tertiam. Cur primæ syllabæ sonus, non se potest refringere ad latus pergendo, & causare sonum? dici potest, quòd sonus allisus extemplo esset, nec ad latera pergat.

Instabis V. Quando exploditur bombarda, ii qui plus quam in mediò sunt audiunt tardiùs sonum, quàm videant factam explosionem, cujus ratio reddi non potest in nostris principiis.

Respondetur. Falsum esse quòd etiam vicini explosioni, non advertant successionem fragoris ipsi ignitioni. Directè autem ratio est, quia defertur sonus medio impulsu, qui successivè operatur.

Objicit III. Arriaga. Lapis gravis supra asserem gravitans, non statim frangit asserem. Ergo non agit à primo statim instanti continenter in illum.

Respondetur. Quia successivè superantur vires resistitivæ ipsius asseris, ideo ille successivè frangitur, licet non interceptis morulis.

Instat. Si continuò ille lapis impulsum imprimeret ligno, posito v. gr. quòd nonnisi per tres annos frangeretur lignum, deberet ille impulsus esse infinitus.

Respondebunt Peripathetici. Sicut tempus componitur ex partibus finitis in infitum, ita & partes illius implsus erunt finitæ in infinitum.

Punctum Difficultatis 4.

Quid sit sentiendum de augmentatione accidentali.

Assero I. *Augmentationem accidentalem non interrumpi morulis.*

Ratio. Quia necillis interrumpitur augmentatio substantialis.

Assero II. *Augmentationem earum qualitatum quæ habent contrarium, non esse continuam.*

Ratio. Quia obsistentia oppositorum, prohibet continuationem. Cæterum quando producitur qualitas, quæ non habet contrarium ex accidenti fieri posse, ut non sit augmentatio illius continua.

Ratio. Quia fieri potest quod augmentans successivè, nonnisi applicetur, ut videre est in sole, sono, & aliis.

Assero III. *Vniversaliter loquendo non esse necessarium quod qualitates quæcunque per partes aliquotas producantur* ex vi præcisè qualitatum.

Ratio. Quia principale fundamentum asserendi aliqua per partes aliquotas produci, est, quia determinat sibi certum aliquod minimum naturale, ut dictum est de Inductione formas substantialis Viventis. Jam autem non est necesse, ut omnes qualitates certum sibi minimum determinent, nisi fortè sit minimum quantitatis; quod ipsum probatur: quia tota illa determinatio oritur ex exigentia certorum organorum, quæ organa non exiguntur à qualitatibus.

Assero IV. *Notam, ex qua colligi debet, an aliqua qualitas producatur per partes aliquotas, petendam esse non nisi à posteriori*, si scilicet in aliqua certa distantia æque efficiat remotiores ac proximiores partes.

Assero V. *Si nomine partium aliquotarum, intelligas, non plura aliqua minima quantitatis, sed nonnisi unum minimum, in isto sensu, quodcunque agens Materiale, agit per partes aliquotas.*

Ratio. Quia non potest agere minus quàm in minimo quantitatis, non enim potest agere in id, quod quantum non est.

Dices I. Augmentatio, prout importat inductionem formæ substantialis, non est continua. Ergo nec ulla productio formarum accidentalium, poterit esse continua, ut supponebatur Assertо secundo.

Respondetur. Disparitatem esse, quia inductio formæ substantialis supponit dispositiones, quæ quia habent contrarium, non statim possunt induci. Jam autem formæ accidentales, non est necesse ut supponant alias dispositiones, & possunt non habere contrarium.

Dices II. Supponamus, calorem produci unicâ hora; quæro, vel singulis illius instantibus productus est calor, vel non. Si singulis instan-

instantibus, Ergo divisibile produci poterit in instanti. Rursùs, si singulis instantibus productus est calor, Ergo erit infinitus, cum instantia in una hora sint infinita. Si autem non est productus singulis instantibus calor, Ergo in illius productione interceptæ sunt morulæ, quod negatur.

Respondetur. Non debere supponi, quòd hora constituatur, ex instantibus infinitis; sed quidquid sit de hoc, potest dici non in singulis instantibus produci calorem, ob resistentiam passi. Illud etiam, quod divisibile, instantaneo produci non possit, habet difficultatem, quia lux habet partes, & tamen per omnes instantaneè producitur.

Dices III. Cum Oviedo hîc, controversia sexta, puncto 4. numero 22. Posito quòd agens per partes aliquotas agat, nullo modo augmentatio accidentalis potest esse continua, & supponit, quòd agens æqualem intensionem producens in palmo, non prius agat in dimidia priori parte palmi, quàm in posteriori, hoc enim ipsum notat ratio agendi per partes aliquotas. Quo supposito, format argumentum. Agens non extendit suam qualitatem per partes proportionales, sed per aliquotas. Ergo si in singulis partibus proportionalibus infinitis, extenderet suam æqualitatem, in singulis illam extenderet per partes aliquotas. Sed partes proportionales sunt infinitæ. Ergo extensio qualitatis fit per partes infinitas aliquotas subjecti. Ergo infinitè extenditur.

Respondetur. Hoc argumentum in principiis continuum non ex partibus proportionalibus componente est nullum. Quanquam & hoc supposito non convincit; distingui enim potest consequens. Ergo si in singulis partibus proportionalibus, arithmeticè & connumerativè extendatur qualitas, sequeretur infinitudo, transeat; transeat inquam, quia nec ipsæ partes proportionales, ponuntur infinitæ actu. Si in singulis partibus proportionalibus, extendat agens qualitatem, hoc sensu, quod scilicet nihil sit, quòd illa qualitate affectum non sit, sequeretur infinitudo. Nego propositionem. Addo, argumentum multum probare; quia probaret nec per partes proportionales posse produci qualitatem, cum in illis infinitudinem supponat arguens.

Punctum Difficultatis 5.

Quis terminus magnitudinis & parvitatis in non viventibus.

Ressero I. *Magnitudinis nullum esse terminum in non viventibus.*

Ratio. Quia non est ratio, cur sine ullo interventu miraculi, non possit magis & magis augeri ignis. Cum adstipuletur experientia, magis & magis illum augeri; experimur autem oppositorum in viventibus.

Dices. Ignis aliaque corpora non viventia exigunt determinatam intensionem accidentium. Ergo & exigunt determinatam extensionem, ultra quam crescere non possint.

Respondetur I. Quia quando censetur communiter, stare intensionem in octo gradibus per Lyocto, non intelliguntur certæ aliquæ numerabiles partes, sed intelligitur intensio tanta, quanta capax est subjectum. Quod si nomine intensionis ut octo intelligitur tota intensio, quantæ capax est subjectum, intelligitur tanta, quâ major dari non possit; hoc ipso enim non esset tanta, quantam subjectum habere potest. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia datur tamen intensio, quanta major dari non potest, & si daretur major, hoc ipso non esset prior illa tanta, quanta dari potest. Ergo etiam dabitur & summa extensio non viventium, quanta major dari non potest.

Respondet II. Arriaga, & recentior Suarez: Quia scilicet intensio recipitur in eadem parte subjecti, quæ habet determinatam capacitatem; extensio autem non recipitur in eadem parte, sed fit cum continuatione partium cum partibus, & nulli repugnat ulterius continuari. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Quia redit argumentum. Intensio recepta in eadem parte subjecti ultra nominatos gradus, non potest esse major, & subjectum non est capax ulteriorum graduum, & ultimus gradus, quamvis continuatur cum antecedentibus, non potest ulteriùs continuari cum subsequentibus. Ergo etiam extensio, quæ fit in diversis partibus ultra determinatas partes, non potest esse major, & totum quodcunque non est capax ulteriorum partium; & ultima pars, quantumvis continuetur antecedentibus, non potest ulteriùs continuari, cum subsequentibus.

Nihilominus hæc disparitas, sic defendi potest: Materia est ejus naturæ, ut quamvis successivè in infinitū, alias & alias recipere formas possit, tamen simul, substantiales quidem præsertim totalis, nullas admittit formas: nullas item accidentales, quæ habent idem officium, & illo numero differunt. Quod tamen attinet ad illas, quæ diversum habent officium, quamvis plures admittere possit, tamen illa determinat sibi in certa magnitudine, ut experientia osten-

dit. Jam autem in magnitudine, hæc ratio non militat, quia magnitudinis tota ratio, pendet à quantitate; quantitas rursùs petit materiam, & quia materiæ non habent inter se repugnantiam, quominus uniantur, fit ut magnitudo semper & semper crescere possit. Pro qua fiat parte, etiam experientia.

ASSERO II. *In sententia componente quantitatem ex minimis, determinant sibi etiam non viventia, minimum parvitatis.*

RATIO. Quia illa debent habere formam, quæ supponat quantitatem, quantitas autem per nos in minori, quàm sit minimum haberi non potest.

ASSERO III. *In sententia quæ tenet requiri determinatum minimum materiæ requisitum ad receptionem formæ, tunc si illud minimum sit requisitum ad connaturaliter recipiendam illam formam, illa Forma nec Divinitas quidem potest esse in minori.*

RATIO. Quia tunc quod naturaliter fieri non potest, potest fieri Divinitas, cujus concursus Divinitus suppleri potest. Suppono autem materiæ concursum, in eodem genere, suppleri non posse.

DICES. Hæc sententia de minimis est propè Renonistica.

RESPONDETUR. Sententiam de minimis non esse propè Renonisticam, assensum est in physicis Disput. 10. n. 184. & 212. pridem Impressis.

QUÆRES quid sit sentiendum de termino magnitudinis vel parvitatis viventium.

ASSERO I. *Dari terminum magnitudinis viventium.* Hoc probat experientia. Nullus enim equus crevit in elephantem nec elephas in turrim, calorque ipse naturalis, qui ratione paulatim deficit, facit ne ulterius & ulterius augmentare possit.

ASSERO II. *Dari terminum parvitatis viventium*, qui appellari solet minimum parvitatis, ad compositionem viventis requisitum.

RATIO. Quia vivens ad operationes suas, requirit certam organorum dispositionem, adeoque certam quantitatem.

ASSERO. III. *Minimum illud ad compositionem viventis requisitum, debet habere plura minima quantitatis, auctori naturæ nota.*

RATIO. Quia si requirit vivens plura organa, & unum organum non sit aliud, non possunt illa plura organa, esse uno v. gr. minimo quantitatis contenta.

DIFFICULTAS II.

De Specie augmentationis per Rarefactionem.

SPecies aliqua augmentationis, Rarefactio est. *De qua in præsenti.*

PRÆMITTO I. *Quid sit Rarefactio.* Aristoteles 4. Physicorum textu 84. innuit, quod rarefactio sit id, quod sub magnis dimensionibus, parum habet materiæ. Densum verò est id, quod sub parvis dimensionibus, multum habet materiæ.

PRÆMITTO II. *In præsenti maximam esse difficultatem de modo, quo fit rarefactio* in qua difficultate, tres sunt potissimum sententiæ: *Prima* rarefactionem fieri, eò, quòd res accipiat majorem quantitatem. Ita Scotus in 4. distinct. 12. quæstione 4. Secunda sententia est, quòd rarefactio fiat per intromissionem corpusculorum: hanc sententiam tenet Arriaga, Oviedo, recentior Suarez. Pontius autem utramque conjungit disputatione 55. numero 30. Tertia sententia est, quod rarefactio fiat per qualitatem quandam productam, per quam determinatur corpus Quantùm, idem omnino, ad occupationem majoris spatii. Eam sententiam tenet Suarez, Hurtadus & alii.

PRÆMITTO III. *Ad quid debeat attendi in præsenti difficultate*, & in quo sit punctus illius. Certum est, quod in rarefactione occupetur majus spatium quàm ante, & in condensatione minus. Si ergo majus spatium occupatur quàm ante, attendendum erit quî fiat, quòd una eademque pars, non fiat pluri locata, & cum ante rarefactionem minus spatium occupavit, attendendum erit, qui fiat, quòd minus spatii occupando, partes aliquæ non fuerint secum penetratæ, quę tamen penetratio in rebus quantis, non datur.

Punctum Difficultatis I.

An Rarefactio perficiatur additione novæ quantitatis.

DICENDUM est. *Rarefactionem non debere referri in quantitatem.*

PROBATUR I. Quia illa quantitas, vel eandem materiæ partem, quam jam invenit alia quantitate informatam, extenderet, vel illam partem materiæ extenderet, quæ supponitur nondum extensa. Vel eam partem materiæ, quæ tunc produceretur, vel nullam; nihil horum dici potest. Ergo nec rarefactio referri debet in quantitatem. Minor probatur, quoad primam partem. Quia illæ duæ quantitates, vel essent ejusdem, vel diversæ rationis. Non ejus.

ejusdem, quia si duæ qualitates ejusdem rationis, non habentur connaturaliter in subjecto eodem, nec haberi poterunt duæ quantitates. Si autem diversæ rationis, ex qua ratione, non petente principium, vel ex qua experientia id constat? Explica item quî non bilocentur tunc partes materiæ, cùm eadem sit materiæ, & non plures entitativæ ejus partes. Quod argumentum urget, quantumvis dicatur expelli antiqua quantitas, & induci nova. Et si quantitati, ut communiter docetur, nihil est contrarium, quare deberet expelli præterita quantitas, ex qua etiam expulsione, daretur resolutio usque ad materiam primam, cum subjectum immediatum accidentium sit quantitas. Non etiam dici potest, rarefactionem fieri ratione quantitatis, quæ extendat partes materiæ ante in extensas, quia alias darentur partes materiæ, idque naturaliter sine quantitate, quod omnes negant. Nec est ratio, cur illæ etiam partes, non emanârint quantitatem. Denique antequam causa rarefactiva agat, supponit jam subjectum quantum, non enim agens materiale in subjectum indivisibile & inextensum agere potest. Ergo non dantur partes materiæ, quæ antea supponantur non extensæ. Non etiam dici potest, rarefactionem fieri ratione quantitatis, quæ informet eas partes materiæ, quæ tunc producuntur. Ratio quia vel tunc producerentur illæ aliæ materiæ partes, vel jam productæ intromitterentur: Neutrum dici potest. Non primum, quia deberet tunc materia creari, non enim alia ratione produci potest. Non etiam adderentur tunc partes materiæ, jam in ante productæ, quia hæc sententia coincideret, cum intromissione corpusculorum, de quibus infra.

Probatur 2. Una quantitas non est magis quanta, quàm alia quantitas. Ergo si præcedens quantitas plus non potest extendere, nec poterit, ad majorem locum partes materiæ, etiam adveniens extendere: Sicut quia forma substantialis una, non est magis substantialis quàm alia, non potest fieri, ut magis informet quàm alia.

Probatur 3. Quia hæc explicatio, non satisfacit principali puncto: Si enim quæram qui rarefiat aliquid? respondebitur, quia acquirit novam quantitatem. Quæro ulterius, qui fiat ut illa quantitas, non faciat bilocari aliquas partes materiæ? vel si non est bilocatio, quî salvabitur quod ante illam rarefactionem, non fuerit penetratio?

Objicit 1. Pontius. Nunquam aliquid vidimus rarefieri, absque occupatione majoris loci, neque condensari absque occupatione minoris spatii, sed evidens est, absque acquisitione majoris quantitatis, & extensionis quantitativæ, non posse occupari majorem locum, neque minorem, absque deperditione quantitatis. Ergo.

Respondetur. In sententia Pontii, tenentis quantitatem constare partibus in infinitum divisibilibus, sequitur unum granum papaveris, totũ posse tegere cœlorum orbem, & ultra uo casu, licèt v. g. quoad dimensionem profundi, minus spatii occupet, tamen quoad reliquas assignabiles, longi & lati dimensiones, plures spatii partes occupat, idque absque acquisitione novæ quantitatis; Cur idem in præsenti fieri non poterit? quod enim est in illa divisione negatio profunditatis, hoc in præsenti est negatio spissitudinis &c. Vi cujus instantiæ ad minorem responderi posset, quod absque acquisitione quantitatis, non posset occupari major locus, si nulla sit differentia in modo & ratione occupandi majorem & minorem locum, concedo minorem, si sit aliqua differentia, in ratione occupandi, nego minorem. Hæc autem differentia in præsenti, in hoc erit, quòd olim spissius occuparit, nunc cum negatione spissitudinis. Aliter etiam difficultati satisfit. Evidens est absque acquisitione majoris quantitatis, vel modi quantitatem illam efficientis, non posse occupari majorem locum, concedo minorem; Sine acquisitione simpliciter nonnisi quantitatis, non posse majorem locum occupari. Nego minorem.

Instabis. Extensio in ordine ad locum fit à quantitate, Ergo & extensi ad majorem locum, erit à majori quantitate.

Respondetur. Antecedens est falsum universaliter, quia res spirituales occupant locum, ut illi se coextendunt, & tamen illis non cõpetit quantitas. Quod si dicas competere illis quantitatem virtualem, dicam etiam, competere virtualem quantitatem qualitati, quæ habetur in Rarefactione, de qua infra. Illatio etiam hoc sensu admittitur, quod major extensio, competat vel à minori simpliciter quantitate vel à majori secundum modum, quo superaddito, plus spacii occupatur, non recurrendo ad quantitatem nonnisi novam.

Objicit 2. idem. Secundùm omnes, in Rarefactione extenditur corpus rarefactum, in ordine ad locum ergo acquirit novam quantitatem: quia non potest dari effectus formalis novus, sine causa formali nova; extensio autem in ordine ad locum, est effectus formalis quantitatis.

Responderi potest 1. Quòd, sicut vidimus in Physicis, extensio est duplex. Alia quidem partium in ordine ad se, alia in ordine ad locum. Ita duplex potest cogitari extensio rarefactiva, in ordine ad se, & in ordine ad locum; & quod miraculosè rarefieri posset corpus, sine ulla ad locum extensione; quod certè posita etiam sententię veritate, de Rarefactione quòd fiat per intromissionem corpusculorum, adhuc vim habet; quia etiam in ista sententia, posset nondum fieri extensio in ordine ad locum, ut simile quid apparet in Eucharistia; ubi Christi Corpus caret extensione locali. Non ergo ratio formalis ra-

refactionis erit extensio in ordine ad locum, ut supponit objectio, & si nonnisi pro statu connaturali, vi rarefactionis, debet major sequi extensio in ordine ad locum; hoc ipsum probabit majorem hanc extensionem, non esse de ratione constitutiva rarefactionis, quia ubique deberet reperiri, ubi reperitur rarefactio, non etiam potest recurri, ad solam aptitudinem illius majoris occupationis loci, hoc enim in materia de quantitate impugnatur.

Responderi potest 2. Duplicem esse effectum formalem quantitatis. Unum quidem primariũ, qui est extensio in ordine ad se, & alium secundariũ, qui est extensio in ordine ad locum. Quod si extensio in ordine ad locum est secundarius effectus quantitatis, bene ab aliis principiis haberi poterit, tam Divinitus, quia id non repugnat; quàm à principiis naturalibus, non est enim ratio, cur à pluribus principiis naturalibus, idem effectus secundarius proficisci non possit. Sic à pluribus herbis primarias Virtutes habentibus, idem potest promanare effectus secundarius, calefactio item fit à tot diversis principiis &c. Porrò si ab alio principio proficisci posset extensio in ordine ad locum, quam à quantitate, non est infallibile signum ut ex extensione majori ad locum, arguatur major quantitas.

Responderi potest 3. Quòd sufficiat tunc acquiri novum modum Quantitatis, licèt non acquiratur nova Quantitas.

Instat 1. Sequitur ex dictis; posse dici quòd corpus valde extensum, non habeat majorem quantitatem, quàm corpus parvum, quia non habetur principium id colligendi, nisi quia magnum corpus, magnam habet extensionem localem.

Respondetur 1. Secundùm instantiam aliàs allatam, potest per non paucos Divinitus spoliari paries omni quantitate, & occupare eundem locum, & tamen stat argumentum quòd ex majori occupatione loci, major arguatur quantitas. Ita dicetur secluso miraculo, vel modo quantitatis noviter superaddito, benè concludi, ex majori occupatione spatii, majorem quantitatem. Rursùs si ex majori occupatione spatii, quali majoritate, rectè colligitur major quantitas, sequitur granum in plures partes divisum, & secundùm has dimensiones majus spatium occupans, acquirere secundùm illas dimensiones, novam quantitatem.

Respondetur 2. Distinguendo antecedens. Scilicet, non posse dici, quòd corpus magis extensum, non habeat majorem quantitatem, quàm corpus parum. Si sit extensum tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, concedo antecedens. Si sit magis extensum nonnisi in ordine ad locum, nego antecedens. Quodsi quæras unde ulterius colligi possit major extensio in ordine ad se, responderi potest; Si secludantur miracula, applicatio agentis Rarefactivi &c. Similia, rectè id colligi posse, ex majori extensione in ordine ad locum.

Instat 2. Per nos dicitur esse extensio major quantitatis, post Rarefactionem, quàm ante. Ergo etiam cùm quantitas correspondeat spatio majori, debet dici major.

Respondetur. Illam quantitatem esse majorem non simpliciter, adeòque non ex productione novæ entitatis, quæ sit quantitas, sed majorem quoad modum, qui modus ab alio haberi debet, & non à quantitate.

Instat 3. Eadem quantitas non potest aliquem habere modum, quo mediante sit in pluribus locis simul, vi autem modi illius, esset in pluribus locis; nempe in illo, quem ante Rarefactionem occupabat, & in alio, quem occupat post Rarefactionem.

Respondetur. Id solvendum esse per explicationem nostræ sententiæ, de qua infra.

Objicit 3. Posito quod nova quantitas non acquiratur, & quod non intromittantur corpuscula, sequitur quantitatem esse penetrabilem, quod est absurdum. Sequela probatur, quia si manus affecta quantitate, esset in eodem loco naturaliter, cum alia manu quanta, sine dubio esset illic penetratio. Idem hîc est; quia medietas v. g. Rarefacti lactis, ad duplum spatii, occupabat ante non duplum spatium.

Respondetur. Negando sequelam. Instantia de manibus non tenet, non enim est in illis manibus, in quid referri posset occupatio ejusdem spatii, nisi in penetrationem. Jam autem occupatio, quæ fit in Rarefactione, refertur in condensationem, de qua infra.

Objicitur 4. Auctoritas Aristotelis, qui tarum definit quod habet multum quantitatis & parum materiæ. Ergo ab eo formaliter loquendo habetur esse Rari, à quo habetur formaliter multum quantitatis sub parva materia.

Respondetur. Nomine quantitatis accipi ab Aristotele non quantitatem præsè, sed ita ut & ad modum quendam, & proportionatum quid cum quantitate, referri possit, quanquam Aristoteles utitur termino non Ly *multum quantitatis*, sed sub magis dimensionibus; dimensio autem, potest servire etiam non quantis rigorosè, nempe iis quibus rigorosè servit, nonnisi tantùm non tantùm. Ly autem tantum non tantum, potest explicare, etiam locabilitatem Angelicam, quæ non est quanta propriè.

Instabis. Aristoteles cap. de qualitate, negat quòd raritas & densitas sint qualitates.

Respondetur. Aristotelem illo loco ex professo non tractare, quid sit raritas, sed accipere eam secundum æstimationem magis vulgarem, adeòque secundum majorem extensionem localem, quæ vulgariter ad quantitatem refertur; quamvis ab alio principio, quàm à quantitate proficisci possit.

Objici-

Objicitur 5. In intensione accedit nova qualitas. Ergo & in Rarefactione nova quantitas.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disparitas quia nullum est absurdum, ut in eadem parte materiæ plures qualitatis gradus recipiantur, imò hoc est de definitione intensionis, est autem absurdum si in eadem parte materiæ, plures quantitates recipiantur.

Punctum Difficultatis 2.

An Rarefactio fiat per intromissionem Corpusculorum.

NOn est difficultas de Rarefactione, aut Condensatione impropria, nam certum est Rarefactionem impropriam, & vulgarem fieri per intromissionem corpusculorum, nam bullæ illæ ferventis aquæ, mistum habent multum ex tenuiori aëre, bullæ enim illæ, non sunt absimiles bullis, quas pueri ex fistulis exsufflant, quæ nihil aliud sunt nisi aër inclusus, quæ Rarefactio est impropria, quia propria, etiam per oppositos, importat dissolutionem partium perceptibilem, earumque divisionem, cùm tamen tunc, non sit dissolutio partium. Ratio autem est, cur interdum Rarefactioni, conjuncta sit intromissio corpusculorum, quia cum rei Rarefaciendæ, indistet aër, illo alterato, fit mistum utriusque. Si item corpus Rarefaciendum, sit plenum exhalationibus, vel vaporibus, illi nonnisi ad præsentiam calidi Rarefactivi emergunt, & rarefacto corpori commisceri possunt. Sed agendo de Rarefactione rigorosa.

Dicendum est. *Rarefactionem rigorosam non fieri per intromissionem corpusculorum; nec condensationem per eorumdem extramissionem.*

Probatur 1. ex definitione. Si formaliter Rarefactio fieret per intromissionem corpusculorum, & esset illa Rarefactio, & non esset: Esset ut supponitur, non esset autem ut probo; quia non esset in illo raro, parum materiæ sub magnis dimensionibus, quod ipsum probatur. Ponatur lebes A, plenus oleo, ponatur alius æqualis lebes B, nonnisi medietatem olei habens, rarefiat lebes B, usque ad orificium, eo casu intrabunt tot corpuscula, quot sunt necessaria ad implendum spatium æquale, quod impletur ab oleo in lebete A. Ergo nec erit illic parum materiæ, sed ratione corpusculorum, erit tantum materiæ in lebete B, quantum est in lebete A.

Respondebis ex Pontio. In Rarefactione ideo dici esse parum materiæ, quia non accedit aliqua pars nova & substantialis, quæ sit substantia corporis rarefacti; nec accedunt eo modo illa corpuscula, quomodo fit augmentatio substantialis, quæ fit per accessum substantiæ, quæ ipsa substantia, ejusdem rationis evadat cum substantia antecedente.

Contra 1. Quia vel ratione ejusdem, dicitur habere corpus rarefactum parum materiæ, & multas dimensiones, vel non ratione ejusdem. Si ratione ejusdem. Ergo nulla tua est responsio, nam tu parvitatem materiæ refers ad corpus rarefactum, & magnas dimensiones, tam ad corpus Rarefactum, quàm ad corpuscula intro recepta. Quodsi non ratione ejusdem dicitur corpus Rarefactum habere parum materiæ, & magnas dimensiones. Ergo non corpus Rarefactum debebit dici occupare majus spatium; nam illud corpus ratione sui non plus occupat spatii, quàm ante, ut dicis.

Neque valet si dicas quòd non sola corpuscula, nec solum corpus rarefactum, sed utrumque occupet plus spatii; non inquam valet si dicas, nam sicut cum dicimus Petrus plus bibit quàm ante, hæc propositio verificari non potest rigorosè, si nonnisi bibendo cum alio plus hauriat, ita nec in præsenti, simile quid dicendum.

Neque ulterius valet si dicas. Ex corpusculis & oleo fieri unum quid, hoc enim est falsum, nam revera intervenit illic distinctio realis, revera non habent eandem substantiam, & se habent sicut vas aquâ plenum, quod ratione aquæ non dicitur rarefieri, quod enim aqua non sit corpus tenue, & quod ab igne non introducatur quid obstat, si eundem effectum præstat, quem præstant corpuscula.

Contra 2. Quia ex hac responsione sequitur, nullum corpus Rarefieri; quod probatur. Non rarefit oleum in sua substantia, quia idem spatium occupat, & habendo eandem materiam propriam suam quàm ante, easdem dimensiones habet quas ante, & dimensio quæ fit ratione corpusculorum, non est dimensio olei, sed dimensio corpusculorum. Rursùs non Rarefiunt corpuscula, quia hæc etiam easdem dimensiones habent, & tantundem materiæ ut ante, non etiam utrumque ex conjunctione; quia oleum si infundatur alteri oleo, non dicitur rarefieri, quia neutra medietas illius olei, dicitur parum habere materiæ, sub magnis dimensionibus. Neque valet si dicas, ideo mistionem illam deficere à ratione raritatis, quia non fit à calore, non inquam valet si dicas, quia hîc inquiritur de ratione ultimo differentiali raritatis, quam tu non adfers, sed recurris ad agens, quod non est ratio ultimo differentialis.

Contra 3. Quia hæc responsio, sicut & tota doctrina recedit omnino à definitione, est enim in hoc difficultas: Quî fiat, ut parum materiæ cùm habuerit parvas ante dimensiones, acquirat illudmet ipsum parum materiæ, acquirat inquam magnas dimensiones, & hæc fuit mens Philosophi, qui quarto Physicorum textu 84. *idemmet inquit rarum & densum & una materia utriusque*,

utriusque, non est autem una materia utriusque si parvæ dimensiones & magnæ, in eodem subjecto, in eadem materia non subjectentur. Et certè sub termino *parum materiæ* illud intelligitur, quod etiam intelligitur sub termino *multum materiæ* per quem definitur condensatio, sed sub termino multum materiæ, non intelligitur nisi ipsa materia densati, aliàs si & illic ponis corpuscula, ponis in denso Rarefactionem, in quæ refers tu eandem. Quodsi sub termino multum materiæ, intelligitur ipsum densatum, & non aliquid adveniens densato, etiam sub Ly parum materiæ, sub magnis dimensionibus, intelligitur ipsum corpus, & non aliquid ipsi adveniens.

Probatur 2. Applicetur cucurbita invisæ carni, intra illam continetur aër calore Rarefactus, qui postea condensatur, & in locum illius, succedit sanguis, quæ tractio sequi non deberet, si condensatio fit corpusculorum extramissione ab aëre. Quod ipsum probatur, vel possunt occupare illud spatium corpuscula extra missa, quod antea occupabant, dum immissa erant aëri rarefacto, vel non possunt. Si non possunt. Ergo nec aëre rarefacto, illa occupatio tanti spatii referri poterat in aërem & corpuscula, quid enim est plus corpusculorum & aëris in Rarefactione, quod non sit post Rarefactionem. Si ergo post Rarefactionem, utrumque illud tantum spatii non occupat, debuit illa occupatio spatii in aliud principium tertium referri. Si autem possunt occupare tantum spatii, illa corpuscula & aër, transacta Rarefactione, quantum occupabant spatii, in Rarefactione, Ergo non est ratio cur sanguis succedat, succedere enim deberet ad occupandum spatium, quod ab aëre rarefacto occupabatur, & transacta Rarefactione non occupabatur.

Respondetur 1. Exspirare illa corpuscula, & in locum exspirantium succedere sanguinem.

Contra. Si enim exspirant, ergo etiam aër per eosdem poros intrare poterit, per quos exeunt corpuscula, adeoque non erit necesse, sanguinem cum violentia trahi.

Respondetur 2. Corpuscula illa carnem intrare.

Contra. Si enim corpuscula carnem intrant illis intrantibus, succedunt alia corpuscula, adeoque deberet incipere periculum vacui, à partibus superioribus cucurbitæ, quid autem implet, ne illic sit vacuum. Rursùs experientia ostendit, periculum vacui, incipere ab ea parte cucurbitæ, quæ adhæret carni, & si corpuscula illa intrant cutim, non esset ratio cur ad impediendum vacuum, potius sanguis succedat quàm redeant corpuscula. Denique non est probabile, quòd corpuscula illa introevant cõcisam cutim, quia cum introitum illum consequitur periculum vacui, quod sequi non potest, nisi ex causa violenta, non potest autem ostendi, ex qua causa, violenta intrare deberent corpuscula cutim, & cur illa potiùs non retineat natura, ne detur periculum vacui, curque illa expelleret, & se in periculum vacui conjiceret.

Respondet 3. Arriaga, attolli cutem (idem dic de sanguine attracto) non ob periculum vacui, quia si caro elevaretur ad replendum vacuum, elevaretur in instanti, natura enim nec per unicum instans patitur vacuum, aut cucurbita frangeretur, & tamen non statim attollitur caro. Itaque nonnisi ideo elevatur caro, quia per calorem aperti sunt pori, & per illos intromittitur aër paulatim, & calor ascendit ad replendum locum relictum ab aëre.

Contra. Tum quia si aër ingreditur poros carnis, redeunt argumenta in simili facta. Tum quia dum negat hæc responsio, fieri elevationem carnis, propter vitandum vacuum, tandem concludit illam fieri propter vitandum vacuum, cum ait carnem ascendere ad replendum locum, relictum ab aëre, quod idem est, ac dicere, attolli carnem, ut succedat in locum aëris, ne detur vacuum. Tum quia Ratio quæ probat, attractionem istam cutis, non fieri propter periculum vacui, non concludit, quod enim dicit, debere illam actim in instanti attolli, non convincit, nam quòd non statim attollatur, rejici id debet in id, quia aër rarefactus, non statim illam raritatem amittit. Item in duritiem carnis, defectumque subtiliratis unde prius Spiritus, & alia similia extrahuntur, & non statim attollitur tota cutis.

Confirmatur conclusio. Si rarefactio perficitur intromissione corpusculorum, sequitur medietate sui rarefactum lac, hoc est, quod ante mediam ollam occupabat, & nunc occupat totam; non esse æquè dulce ac ante fuit, cùm ei medietas sit admista non dulcium corpusculorum.

Probatur 3. Quia ex hac sententia sequitur, esse impossibile naturaliter rarefieri unum corpus, quin densetur aliud, & è contra. Sequela probatur, quia quando rarefit corpus, debent è viciniori corpore exire corpuscula, ad rarefactibile rarefaciendum. Ergo illud vicinum corpus debet densari. Rursùs densato uno corpore deberent ex alio exire corpuscula, & intromitti in corpus vicinum. Ergo illud vicinum corpus, illo casu deberet rarefieri, quod tamen sensus communis Doctorum negat, non poteritque ostendi causa efficiens illius rarefactionis. Si autem istud tertium corpus, emittit ex se corpuscula, minus occupat spatium. Ergo quartum corpus debebit emittere ex se corpuscula, & sic per totum mundum uno rarefacto reliqua & densari, & rarefieri deberent, aut aliud quid simile contingere.

Respondetur. Cum Pontio corpuscula rarefa-

rarefactiva non extrahi à viciniori corpore, sed rarefactione generari.

Contra. Si enim causant rarefactionem, quomodo à rarefactione generantur, cumque non generentur de novo per additionem materiæ novam, quî rarefactura subintrant corpus, quin aliud densetur?

Solet idem intentum probari ex eo, quod deberent in infinitum fieri separatio per illa corpuscula corporis rarefacti. Sed hoc argumentum non convincit, quia patitur instantiam, quamvis rarefactio in aliqua qualitate constituatur.

Solvuntur Objectiones.

Objicit 1. Arriaga. Ex communi apprehensione. Condensatio videtur dicere majorem partium unionem.

Respondetur. Concedendo assumptum, sed nego id referri debere in expulsionem corpusculorum; & certè exceptis sectatoribus sententiæ Arriaga, nemo dicet densato oleo exiisse corpuscula tenuissima.

Instat 1. ab experientia. Quando enim aqua calore bullit, habet quasdam bullas aëre plenas, & quo magis bullit, eo sunt majores, illas autem bullas sensus manifestè percipit, & illæ interius habent aërem. Ergo ea raritas aquæ, fit per intromissionem aëris in aquam.

Responsum supra. Rarefactioni miscerì interdum intromissionem corpusculorum, sed nego miscerí semper, nego item unquam in hoc stare formalem rarefactionem.

Instat 2. idem. Caro humana est rara propter poros, & vitrum dicitur densum, quia poros non habet, & ordinariè quicunque auctores cum non agunt de raritate, ponunt in omnibus rebus poros, etiam in ferro, quando autem venitur ad præsentem Materiam, negant eosdem. Rursùs quis neget pauciores esse poros in aqua congelata, quàm in fluida, ex quorum diminutione, occupat glacies minorem locum, quàm aqua fluida, & si infundas vinum glaciei, non permeat, secus si aquæ fluidæ, hoc autem est exinde, quia in aqua invenit poros.

Respondetur. Examinando adlatas propositiones. Negari potest in poros rejici debere, quod vinum aquæ fluidæ infusum, facilius misceatur; nam rationes rerum, non debent in principia dubia rejici, si possint rejici, in principia magis manifesta; magis autem est manifesta fluiditas aquæ, quàm isti pori fluiditatis. Rursùs, certum est istos poros, non esse tota superficie aquæ sparsos, ita ut nihil sit in illa superficie, nisi pori, si enim tota superficies, non sunt nisi pori. Ergo tota aqua, non sunt nisi pori, nam nonminus est fluida aqua in superficie, quàm in fundo, & tamen non potest dici, totam aquam non esse nisi poros: aliàs aqua, esset non aqua, quia pori sunt vacuitates aquæ. Quod si isti pori, non sunt tota superficie sparsi, cur tamen tota superficies diluitur? Cæterum non nego, dari poros in aqua, sed nego in illos referri debere mistionem vini, sed influiditatem ipsam, cedentem superpositis, & facilè insinuabilibus partibus vini. Quod dicit in aliis Materiis admitti, etiam in ferro poros; & in præsenti negari id immeritò dicit: non negamus enim poros, sed negamus raritatem de qua hîc, salvari debere per receptionem corpusculorum intra ipsos poros. Deinde cum ipse hoc dicendo, innuat se admittere poros, etiam in ferro, nescio quo pacto clarè enunciet densum dici vitrum, non aliam ob causam, nisi quia poros non habet; dicere potius debuisset, quia pauciores poros habet, cum per illum etiam vitrum sit porosum, ob universale dictum, quod in omnibus rebus sint pori. Quod addit corpus humanum dici rarum, propter poros quos habet, certè hæc raritas, non est ea, de qua quæritur; & sicut subtile est aliud, & aliud rarum, nam subtile non plus importat, quàm quod facile cedat alteri corpori, rarum autem non plus importat, quàm parum materiæ sub magnis dimensionibus; sic etiam aliud est rarum, de quo in præsenti, & aliud mollities seu teneritudo carnis.

Directè ad Argumentum dici potest, concedendo interim dictos poros, & negando inde sequi, quod rarefactio perficiatur formaliter, intromissione illorum corpusculorum.

Instat 3. In aliis sententiis, non potest reddi ratio, cur calor rarefaciat, frigus comprimat, in suis autem principiis calor rarefacit, quia sejungit inter se partes, & exinde dat locum, ut aër, vel atomi introëant, frigus verò magis unit partes.

Respondetur. Etiam in nostris principiis rationem reddi, quia scilicet sejungit partes, quæ sejunctio est necessaria ad rarefactionem, sed an hoc fiat per intromissionem corpusculorum, an alio modo, id controversum est.

Objicit 2. Recentior Suarez auctoritatem S. Thomæ 4. Physicorum, lectione 10. ubi rationem reddens condensationis aquæ, *id enim*, inquit *fit, per exclusionem aëris intro existentis in aqua.*

Respondetur. Nos non negare, interdum rarefactioni intromissionem, & condensationi pulsionem corpusculorum, conjungi; sed negamus id de ratione rarefactionis rigorosæ esse, quod ipse S. Thomas eodem loco attingit, ubi dicit etiam *spongiam densari, & hujusmodi corpora porosa, per exclusionem aëris intus existentis.* Et tamen hæc rarefactio & condensatio est impropria.

Objicit 3. Oviedo. Per hanc sententiam optimè explicatur, quomodo idem corpus rarefactum, majus spatium occupet; quia rarefactione hoc modo constituta, corpus rarum non occupat

cupat plures, nec majores spatii partes, sed magis distantes inter se, quarum distantia, repletur aliis corpusculis, spatium interjacens occupantibus.

RESPONDETUR. Hanc sententiam ostendere quomodo magis distans spatium occupet, sed non ostendere secundùm propositum & intentum difficultatis, negatur enim ob dictas rationes, eo modo, perfici illam occupationem.

Punctum Difficultatis 3.

Proponitur Modus explicandi Rarefactionem.

PRÆMITTO 1. *Quòd magis nobis nota sit extensio in ordine ad occupandum majorem locum,* quæ occupatio connexa est rarefactioni, hinc de ea utpote notiori discurrendum erit, quâ explicatâ, explicabitur proportionaliter rarefactio, quæ per miraculum posset esse, sine extensione majori ad locum.

PRÆMITTO 2. *Extensionem in ordine ad locum, esse effectum secundarium quantitatis,* adeoque talem ut dictum supra, qui potest haberi ab alio principio, quàm à quantitate.

PRÆMITTO 3. *Sicut quando non in omnes dimensiones æqualiter occupatur ab aliquo corpore divisibili spatium, potest occupari incomparabiliter magis distans, quàm ante ut dictum supra, sic potest occupari spatium magis distans, modo sequatur dissolutio aliqua, & disunio partium.* Quod sic explicatur. Dividamus v. g. in quatuor partes oleum rarefaciendum. Prima pars A, sursum assurgit, & secundùm aliquas partes discontinuatur ab aliis, & attenuat sese, ad eum modum, quo quis globulum ceræ manu fricat, & illo calefacto, pyramidulam efficit, qua attenuatione posita, assurgit altius pars A, & majori attenuatione posita altius, & sic rursùs, quia verò illa pars A, altius assurgendo, relinquit aliqua spatia, hinc ex naturali connexione rerum, quæ est ad impediendum vacuum, fit ut posita dissolutione partis A, ab aliis partibus immediatis, & posita illarum dilatatione, orta ex illa dissolutione, ad illam accurrit pars B, quâ periculum vacui ducit, & sic ulterius faciunt duæ reliquæ partes olei.

PRÆMITTO 4. *Hoc potius salvari primo posse* quî fiat ut parum materiæ, manens sub eadem parvitate materiæ, occupet magis distans spatium, adeoque habeat majores dimensiones; quia scilicet dissoluta conjunctione aliquarum partium, & attenuatione, potest fieri magis distans spatii occupatio, ut fieret, dum papaver divideretur in sententia Aristotelis, & contegeret Sphæram orbis universi. *Secundo* salvari potest, quî fiat id sine bilocatione ejusdem partis, quia scilicet dum deserit una pars locum aliquem, & attenuando sese attollit, ut occupet magis distans spatium, tunc etiam alia pars, dissoluta unione immediata, cum aliis partibus, ob periculum vacui, illuc accurrit: & prior etiam ita dispensat suas partes, ut in altum eant, ita inquam dispensat, ut attendat, an dissolutis partibus aliis, spatium quod ante occupabat repleri possit, quæ attentio, non alia in re est, nisi connexio à natura ordinata, ad implendum vacuum. *Tertio* salvari potest, qui fiat ut antea partes, quæ nunc magis distans spatium occupant, ante istam occupationem non fuerint penetratæ, quia scilicet in rarefactione ita se habent, sicut papaver, quod in divisione versus aliquas dimensiones, plus spatii occupat, quàm ante, quantumvis illæ partes, non fuerint penetratæ in ante. Rursùs per nos, non ideo plus spatii à corpore rarefacto occupatur, quia singulæ partes proprium locum obtinent, cùm ante rarefactionem plures in eodem loco fuerint, ex hoc enim sequeretur clarè, penetratas illas partes ante rarefactionem fuisse; sed tantùm dicimus, alio modo illud spatium impleri; quæ alietas modi implendi, provenit ex calore dissolvente, unionem aliquarum partium, adeoque attenuante, quâ attenuatione positâ, sequitur majoris spatii occupatio.

PRÆMITTO 5. *Aliam esse rigorosè hanc propositionem: An rarefactione occupetur majus spatium, & aliam: An occupetur magis distans.* Falsum est quod in rarefactione occupetur majus spatium, cùm enim non plures partes entitativas, eisque adnexam quantitatem contineat in rarefactione, quàm ante rarefactionem, fit ut rigorosè loquendo, non occupet majus spatium, occupet tamen magis distans, quia hoc ipsa experientia ostendit.

PRÆMITTO 6. *Quod omnes quidem partes spatii occupat corpus rarefactum, & plus, quod non occupabat ante rarefactionem, sed non occupat eodem modo,* non tanta spissitudine, non ea continuatione, & cætera similia. Et quia non eodem modo occupat, fit ut plus spatii occupari possit. Quod autem in omnes dimensiones, æqualiter occupet illud spatium, corpus rarefactum, non occupat autem papaver, si divisione in partes minores & minores posita, tegeret sphæram cœlorum, oritur id ex fluiditate v. g. olei cujus vi, facilius dispensare partes suas potest, in omnem partem, qualem fluiditatem non habet papaver, hinc in aliquam dimensionem, nonnisi se extendit.

PRÆMITTO 7. *Quod sit ista attenuatio.* In re non aliud est, nisi dissolutio partium aliquarum, quâ positâ sequitur ut in aliquam dimensionem, partes se porrigant. Imaginare ignem positum, applicetur illi globulus parvus ceræ, positus supra planum aliquod, non facile bibulum, si paulatim calefiat, incipiet se diffundere, adeoque rarefieri, & globulus ille paulatim attenuabitur, ipsaque illa attenuatio, & illa fluiditatis

tatis sequela salvabit illam rarefactionem. *Hinc jam*

Explicari posset Rarefactio, quòd fiat per solam partium attenuationem, quarum aliquæ dum se versus unam dimensionem porrigunt, ita id faciunt, ut tot partes in eodem loco maneant, quot sunt necessariæ ad id, quod antea replebant spatium replendũ, una cum vicinis partibus itidem attenuatis & dissolutis, totam illam & prioris & novi spatii occupationem, in modum occupandi referendo, hoc est, quòd non tanta spissitudine occupetur idem spatium. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit plenè, licet in aliqua materia sustineri possit, non satisfacit inquã plenè, quia evidens est, in oleo rarefacto totũ illud spatium occupari, quod & ante, & simul novũ æquale, vel majus, hinc in nullas dimensiones est minor occupatio spatii, & si secundũ unam dimensionem, occuparet corpus rarefactum, magis distans spatiũ, posset sustineri prædicta explicatio. Unde ergo provenit, ut in omnes dimensiones spatium majus occupetur? Solùm ergo illa attenuatio, salvat aliquid rarefactionis, nempe diffluentiam partium vel earum secundum aliquã dimensionem, ad distantius spatium exporrectionem. Hinc ut comodius idem explicetur, *sit*

Punctum Difficultatis 4.

Explicatur Rarefactio.

Præmitto 1. *Quantitatem secundum effectum suum formalem spectatam, ita cum illo connecti, ut ille effectus sine quantitate haberi non possit.* Ratio quia effectus formalis primarius, importat, etiam ipsam formam entitatemque ejus, entitas autem formæ, non potest poni sine entitate formæ. Hoc tamen non obstante, effectus formalis secundarius suppleri potest à Deo, & poni sine quantitate, ut dictum supra.

Præmitto 2. *Quod est effectus formalis secundarius alicujus formæ, pro statu connaturali, potest esse effectus formalis primarius formæ.* Sic v.g. motus progressivi effectus formalis secundarius est, facere præsens localiter. Jam autem ipsius ubi, in sententia modalium prædicta præsentia, est effectus formalis primarius. Rursùs quæ in combinatione aliqua qualitatum sunt quid primarium, in alia combinatione sunt quid secundarium, or ordinarieq; effectus formales secundarii, à pluribus etiam principiis proficisci possunt, ut videre est in calefactione. Quæ omnia resolvuntur in principiũ negativũ non repugnat. Consequenter fieri potest, ut extensio in ordine ad locũ quæ est nonisi effectus secundarius quantitatis, sit effectus formalis primarius, alicujus aliûs formæ.

Præmitto 3. *Attendendo ad verba Aristotelis, & retinendo sine ulla distinctione definitionẽ ipsius, videtur esse de essentia rarefactionis, actualis extensio in ordine ad locum, priori majorem.* Jam autem Aristot. definit raritatem per mensurabilitatem, definit enim illã per majores dimensiones, quàm ante, major autem dimensio, est per ordinem ad locum: nam quæ non habent extensionẽ in ordine ad locũ, nec dimensiones habent; hinc actualis extensio in ordine ad locũ, videtur esse definitivè raritas; quę extensio, non est nisi secundarius effectus quantitatis. Quod ut ulterius explicetur.

Præmitto 4. *Quòd rationes superiores ab inferioribus restringantur.* Ut videre erit in omnibus Categoriis, consequenter etiam raritas, dimensionem & extensionẽ in ordine ad locum, quæ est illi communis cum quantitate, restringere ad se aliquomodo debebit, quod restrictivum posset in præsenti poni, quia scilicet Raritas, facit corpus esse in majori loco, quàm facere possit quantitas, seu quod in idem recidit, facit parũ materię esse, sub majoribus dimensionibus, quæ phrasis commodior est, ne positivùm quid, qualis est Raritas, per aliquid negativum, h. e. per præstare, quod non præstat Quantitas.

Præmitto 5. *Esse possibilem talem qualitatem, quæ faciat parum materiæ, retenta eadem entitate partium materiæ, occupare plus spatii quàm possit facere quantitas.* Ratio. Tum quia quamvis extendat quantitas corpus quantum, faciatq; ne se illæ partes penetrent, non tamen extendit tantum, quantum extendi possint ab alio principio, à se condistincto, quæ enim in hoc repugnantia? Tũ quia, materia seipsa non habet extensionẽ localẽ, & sublata quantitate, nonisi ad punctum loci redigeretur. Habet tamen capacitatem ut accessu quantitatis, plus quàm indivisibile spatii occupet. Ergo etiam poterit habere capacitatem, ut quãvis parum illius, non possit ex vi quantitatis, esse sub magnis dimensionibus, possit esse ex vi alicujus aliûs principii. Tũ quia in omnibus formis hoc apparet, ut quod una facere non potest, possit alia, sic nigrũ non disgregat visum, disgregat album. Ergo etiam quantumvis quantitas parum materiæ non possit ponere sub magnis dimensionibus, poterit ponere alia forma physica h. e. raritas. Cæterum recedendo à phrasi Arist. potest dici raritas, qualitas, ejus, quod habet parum materiæ, plus extensiva, quia videtur dimẽsio ad extensionem illam sequi. *Hinc*

Dicendum est. *Raritatem esse qualitatem superadditã natã parum materiæ amplius extendere.*

PROBATUR 1. Quia ex una parte talis qualitas non implicat contradictionẽ, ut colligitur ex præmissis. Ex altera parte, nihil deest quominus dicatur defacto poni illa qualitas, dum perficitur Rarefactio.

PROBATUR 2. Quia impossibile est poni effectum primarium, sine ipsa forma. Ergo cum possibilis sit forma, seu qualitas, cujus effectus formalis, ut suppono primarius, sit esse extensivum plus, quamvis sit parum materiæ, si hic effectus ponatur, hoc ipsò ponetur & forma.

Probatur 3. Quia per dictam qualitatem commodè salvantur, quæ in præsenti difficultatem habent. *Salvatur primo.* Quomodo parum materiæ, possit admittere magnas dimensiones, quia scilicet materia de se est capax, ut stante sua parvitate, majores, ut inquit Aristot. dimensiones habeat. Ex altera parte, qualitas ista, est ejus naturæ, ut capacitatem hanc materię expleat, fitque, ut retenta parvitate majores di-

mensiones habeat. *Salvatur secundo* quî fit ut materia, sine bilocatione, spatium occupet magis distans, quàm ante, quia tota occupatio spatii, debita est materiæ, non ratione præcisè sui; hinc spoliata omni quantitate nonnisi in puncto existeret. Quodsi occupatio spatii, debita sit materiæ non ratione sui, quantumvis certum jam spatiũ occupet ratione quantitatis, potest majus occupare ratione alius principii, quod dicimus esse qualitatem rarefactivam, & sicut posito, quod materiam spoliatam quantitate, adeoq; redactã in punctum, accedens quantitas extendat, & faciat occupare spatium divisibile, non sequitur bilocari materiam, ita nec bilocabitur in præsenti. *Salvatur tertio.* Quî fiat ut ante rarefactionẽ non fuerint partes penetratæ, quia penetratio vel illis competit, quæ non habent quantitatem, singulę autem partes supponuntur habere suam quantitatem, vel illis, quæ cùm habeant quantitatem, in eodem tamen sunt loco, cum vi illius quantitatis, possint non esse in eodem loco. Quod ex dicta explicatione non sequitur, quia non dicimus ante adventũ hujus qualitatis occupasse aliquas partes eundem locum, cum alium occupare potuerint, vi ejus, quam retinent quantitatis, sed tantum non occupasse majorem, quem aliàs, vi superadditæ qualitatis, occupare possent.

Punctum Difficultatis 5.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Illa qualitas, & esset quantitas, quia non haberet quo distingueretur à quantitate, & non esset ut supponitur.

Respondetur. Illam qualitatem distinctam fore à quantitate, quia non est uniusq; formalis idem primarius effectus, & qualitas illa adferet, extensionem localem talem, qualem non potest adferre quantitas.

Instabis. In quantitate non admittitur intensio, ergo nec in effectibus illius, sive primariis, sive secundariis, per nos autem adstruitur in extensione intensio, quia scilicet per raritatem redditur parum materiæ, potens plus spatii occupare, quàm possit cum sola quantitate.

Respondetur. In hoc qualitas raritatis comparata ad quantitatem similis est intensioni, quia sicut intensio fit receptione graduum in eadem parte subjecti, sic & illa raritas ibi reciperetur, ubi est quantitas. Sed hoc in raritate non arguet intensionem, quia quæcunq; alia accidentia recipiuntur, ubi recipitur quantitas, & tamen non dicitur hoc ipso jam fieri intensio. In hoc autem qualitas raritatis deficiet ab intensione, quia intensio ad idem ponendum, licèt profectiori modo tendit. Jam autem non ad idem ponendũ tendit qualitas & quantitas raritatis, nam quantitas tendit ad ponendam materiam proportionatam quantitati, in loco æquali suæ quantitati: Jam autem qualitas raritatis, tendit ad ponendum parũ materiæ, sub majoribus dimensionibus, & sicut non intenditur albũ, per positionem lucidi, quia longè diversæ rationis est qualitas lucis, & albedinis; Sic nec intendetur quantitas per raritatẽ, imò magis inter se opponuntur raritas & quantitas, quàm albedo & lux, quia positio unius, non involvit aliquid oppositum alteri; jam autem positio raritatis, involvit aliquid oppositum quantitati, quia majus, æquali est oppositum. Jam autem quantitas exigit æqualem dimensionẽ materiæ, raritas autem majorem adferre debet, cum debeat ponere parũ materiæ sub magnis dimensionibus. Unde in eo casu, quo parum materiæ ponatur sub magnis dimensionibus, non supplebitur entitas materiæ, sed eadem manens, accessu dictæ qualitatis aliter se habebit, in ordine ad occupandum locũ, si illi accedat novum principium, h. e. qualitas rarefactiva, & sicut accessus qualitatis ponens materiam in spatio divisibili, non supplet defectum materiæ, ita nec supplebit illa qualitas.

Objicitur 2. auctoritas Aristot. Qui quarti Physicorum textu 84. docet raritatem fieri nulla re de novo accedente. Et capite de qualitate, negat raritatem esse qualitatem.

Respondetur. Docet Aristot. raritatem fieri nulla re, h. e. substantiâ, quæ Res est sine addito, adveniente. Non negat autem fieri illam aliquo, quod est rei, h. e. accidente, adveniente. Secundo loco autem considerat raritatẽ, secundùm quod dicit solam situationem corporis rarefacti, quæ non est qualitas, non considerat autem secundùm principiũ, vi cujus parùm materiæ ponitur sub magnis dimensionibus. Unde etiã 7. Physic. textu 11. & 15. numerat raritatẽ inter qualitates.

Objicitur 3. à recentiori Suar. Ex vi conclusionis sequitur, etiam Angelũ rarefieri & condensari posse, per qualitatẽ productivam ejus ubicatiõis, vicarius in majori vel minori spatio põatur.

Respondetur. Negando sequelam, quia definitivè raritas est parũ materiæ, sub magnis dimensionib⁹. Materia autẽ non competit Angelo.

Objicit 4. Oviedo. Quando corpus densum rarefit, spatiũ quod occupabant omnes partes corporis, dum erat densum occupatur modo v. g. medietate earundem partium, sed antea correspondebant omnes partes corporis, partibus spatii, ita ut adæquatè commensurarentur partes corporis cũ partibus spatii. Ergo modo cùm eadẽ partes corporis paucioribus spatii partibus correspondeant, non poterunt adæquatè commensurari, ita ut cuilibet parti corporis, ab aliis distinctæ, distincta pars spatii, reliquis spatii partibus, correspondeat.

Respondetur. Cum comensuratio spatii, proveniat in materia, ut dixi ab aliquo principio superaddito, dico quòd ante rarefactionem erat adæquatio inter partes loci, & partes locabilis ex vi quantitatis. Quando autem non est adæquatio, sed pars locati potest occupare totum locum, fit id ex via alius principii, nempe qualitatis, quæ est rarefactio. Nec inde sequetur ulla bilocatio, sicut non sequitur, dum materiam in punctum redactam extendit adveniens quantitas, per spatium divisibile.

Instat 1. Pauciores partes aliquotæ spatii correspondent partibus aliquotis corporis jam densi,

jam densi, quàm antea respondebant eisdem numero partibus corporis rari. Ergo vel antea dabatur illorum bilocatio, vel modò datur eorum penetratio.

Responsum supra in argumento 3. pro conclusione ad hanc objectionem.

Instat 2. idem. Non possunt esse partes majores, quin sint plures, ergo si correspondeant corpori raro majores partes spatii, quàm corpori densо, correspondebunt etiam plures partes. Antecedens probatur, quo pars est major, est magis divisibilis, quo magis divisibilis, continet in se plura membra dividentia, sed hæc membra dividentia sunt partes. Ergo quo partes sunt majores, sunt plures, sicut plures partes absolutè, & non solum majores, continet totum, quod componitur tribus ulnis, quàm totum, quod componitur tribus palmis.

Respondetur. Retorquendo argumentum. Quod ostendit materiam redactam in punctum, cum postea per quantitatem partes majores acquirit, acquirere plures, & tamen supponitur eadem manere materia. Directè autem dici potest non possunt esse partes entitative majores, quin sint plures entitativè; possunt tamen esse majores quoad dimensionem, & non plures quoad entitatem. Unde posita divisione corporis rari, non plures reperientur partes entitativæ, sed eædem reperientur, majoris spatii occupativæ.

Objicitur 5. Partes quantitatis ante condensationem non erant penetratæ, sed una extra aliam in loco sibi adæquato. Sed quantumvis novum modũ in condensatione acquirant, non potest poni quælibet in loco minori, quia non potest esse nisi in loco adæquato sibi, nec possunt duæ poni in eodem loco, quin penetrentur.

Respondetur. In condensatione poni corpus in loco adæquato sibi, adæquatione exigita à quantitate, consequenter sine penetratione; non tamen in condensatione ponitur corpus in loco adæquato sibi, ex vi alius principii, hoc est, qualitatis rarefactivæ, adeoque sine bilocatione, quam evitat qualitas rarefactiva.

Objicit 6. Arriaga. Per nostram sententiam non potest salvari quomodo fieri possit, ut unum corpus dum rarefit, aliud non densetur.

Respondetur. Retorquendo argumentum contra corpuscula per quæ salvatur raritas, apud illum; contingit autem id sine condensatione, quia unum corpus cedit alteri loco, & quia retinet eandem quam in ante extensionem, non densatur de novo.

Objicit 7. idem. In principiis nostris salvari non posse, cur repugnet vacuum; nec item explicari, cur scilicet ferrum, lapides & cætera similia corpora dura, etiamsi ferè ardeant, non tamen rarefiant.

Respondetur. Primæ difficultati iisdem terminis satisfieri, quibus satisfacit Arriaga, quia scilicet quælibet pars materiæ, quantitate affectæ, debet habere suum locum adæquatum, & non potest minorem occupare. Si autem materia non occupat minorem locum, non datur periculum vacui. Secundæ difficultati satisfit, quia pro dispositione introducendæ qualitatis rarefactivæ, requiritur mollities corporis, quæ quia non habetur in ferro, non rarefit.

DIFFICULTAS III.

De Oppositâ Rarefactioni Densitate.

Difficultas in hoc est: An scilicet Condensatio sit qualitas realiter superaddita, sicut & raritas, an non? Videtur enim ex una parte non esse quid superadditum, sed nihil aliud esse quàm ipsum corpus extensum in ordine ad locũ, extensione proportionata principio, quod est quantitas. Quodsi interdum occupat minorem locum, quàm occupant etiam sine raritate, id rejici debet in extramissionem, vel intercepti aëris vel partium subtiliorum. Ex altera parte videtur debere poni aliquid superadditũ, eo quòd contrariorum eadem debeat esse ratio, & si non salvatur raritas per interceptionem corpusculorum, nec salvabitur densitas per eorumdem extramissionem. *Circa hanc difficultatem*

Assero 1. *Hac difficultate premi etiam alias sententias.*

Ratio. Quia quamvis ponatur non fuisse corpus rarefactũ, consequenter nec intromissa corpuscula rarefactiva, nihilominus experimur, rem interdum minorem locũ occupare quàm ante, adeoq; esse sub minoribus dimensionibus, unde illa minoritas, non ex corpusculis rarefactivis extramissis, quia supponitur corpus non fuisse rarefactum in ante, non ex diminura sola quantitate, & non diminuta materia, quia nullũ agens naturale est separativum quantitatis: unde ergo illa imparitas dimensionum? Neq; valet si dicas. Non dari corpus, quòd non sit rarum, adeoque quod non habeat corpuscula extramittenda, si enim per corpus rarum intelligatur porosum, de hoc in præsenti non agitur, sed si agitur de corpore raro, sicut hîc sumitur, ne quidem oppositi id dicent.

Assero 2. *Accipiendo condensationem nonnisi pro reductione corporis ad dimensiones proportionatas,* & quantitati quam habet æquales, ita ut corpus intelligatur nonnisi eum locum occupare, qui illi debetur, cum est in naturali sua consistentia, talis condensatio consistit, nonnisi in aliquo negativo, nempe in carentia qualitatis, quæ corpus sub majoribus dimensionibus ponat, h. e. in carentia raritatis, ita ut illa densitas, non sit aliud in Recto, nisi ipsa materia quantificata, & occupans locum suæ quantitati proportionatum, & prout dicit negationem principii sub majoribus dimensionibus eandem materiam ponentis.

Ratio Asserti, quia nulla necessitas est positivæ entitatis superaddendæ.

Assero 3. *Accipiendo condensationem quâ corpus minus spatii occupet, quàm illi debeatur in statu*

connaturali, suæ consistentiæ, ea condensatio debet referri in expulsionem partium subtiliorum, compactionem pororum qualitatis rarefactivæ carentiâ, &c. similia. quando autem est singulariter notabilis, magnæ materiæ ad parvas dimensiones contractio, & quæ in causas adlatas sufficienter referri non posset, probabiliter dici posset, dari qualitatem ita condensativam.

RATIO. Quia talis qualitas non videtur repugnare. Est hæc secunda pars asserti ut vides hypothetica.

DICES 1. Illa qualitas nullo modo est necesaria.

RESPONDETUR. Hoc argumento non probari ejusdem impossibilitatem. Suppositâ autem qualitatis ejus possibilitate, necessitas ejus ponendæ deducitur, ex adlatis sub hypothesi.

DICES 2. Illa qualitas vel faceret, nt non occupet tantum locum corpus, quantum exigit quantitas, vel non faceret. Non primùm, quia faceret penetrare sese partes. Non secundùm, quia hoc non esset necessarium.

RESPONDETUR. Cum penetratio corporum sit impossibilis naturaliter, non faceret illa quantitas penetrari inter se partes, faceret tamen sine penetratione minus spatium occupantes, cum non adesset aliud principium occupationis majoris spatii.

DICES 3. Vi hujus doctrinæ admitti intensionem majorem vel minorem densitatis.

RESPONDETUR. Sicut potest esse magis vel minus aliquid rarum, ita potest esse magis vel minus densum.

DISPUTATIO II.

De Alteratione, Intensione, Remissione.

GEnerationi substantiali succedit, Generatio Accidentalis, quæ Alteratio dicitur. Et quia Alteratio appropriatiùs qualitatibus convenit, pensanda primo est qualitatis natura quæ quidem si exacta habeatur, per definitionem haberi debet, licèt eam non sit obvium reperire. *Hinc*

PRÆMITTO. *Quid sit Qualitas.* Plures definitiones ponunt Suarez uterque, Arriaga & Oviedo, easque refutant, quos consule. Recentiorum explicationes pensandæ.

EXPLICAT 1. Arriaga. Quod qualitas sit accidens absolutum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia probabilius est contra Arriaga, quantitatem esse distinctam realiter à substantia, quo casu, illa erit Accidens, absolutum, & tamen non erit qualitas. Ergo qualitas non est accidens absolutum, saltemque non repugnat quantitas distincta realiter, quæ certè erit accidens absolutum, & tamen non erit qualitas. Tum quia per merum genus, non rectè definitur species. Ly autem Accidens absolutum est genus, quia ens absolutum, rectè dividitur in substantiam absolutam, & accidens absolutum. Sub quo tum primum ponitur qualitas, quam esse nonnisi unicam speciem hujus generis, non probatur. Tum quia ut arguit Oviedo, vel nomine accidentis absoluti, intelligitur accidens non dicens relationem ad aliud, & sic definitio non competit actibus vitalibus, qui dicunt ordinem ad principium, à quo producuntur. Si autem nomine accidentis absoluti intelligat, accidens reale, prout enti modali opponitur, & sic non congruet principiis Arriaga, qui dicit præsentiam esse entitatem realem, & tamen præsentia non est qualitas. Casu quo quis concederet, ubi illud, esse qualitatem, non urgeret argumentum.

EXPLICAT 2. Oviedo controversia 8. Metaphysica, punct. 1. Qualitatem dicitque illam esse accidens, quod secundùm rationem superiorem prædicamenti, tantùm sequitur actualitatem perfectam. In idem recidit Recentior Suarez. Quod sit accidens intrinsecum, quod tantum sequitur actum substantialem. Nomine autem actus intelligunt vel formam in composito, vel esse substantiale actuale, si non sit compositum, quale est esse Angelicum. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia est obscura, non satis enim liquet, quid velit sibi illud Ly secundùm rationem superiorem prædicamenti, continet etiam hæc definitio terminos superfluos contra leges bonæ definitionis, quia ratio superior prædicamenti qualitatis, est Accidens, ad quid ergo idem bis ponitur, nempe Ly accidens & Ly secundùm rationem superiorem. Tum quia dispositiones, quà tales, sunt qualitas, de iisq; tanquam de Specie Generis, Qualitas prædicari potest: & tamen dispositiones qua tales natæ sunt, non sequi, sed antecedere actualitatem perfectam. Quod ipsum ulterius proponitur. Non implicat qualitas antecedens actualitatem perfectam. Ergo de ratione qualitatis non est sequi actualitatem perfectam, possibilisq; est materia, quæ quà talis exigat aliquam certam qualitatem perfectam, ad eum modum, quo præsens materia exigit Quantitatem, licèt præsenti materiæ, non competat determinatam qualitatem exigere. Tum quia in istis quæ sunt composita, rationem actualitatis perfectæ per eosdem, habet nonnisi ipsa forma, qualitatemq; uterque docet sequi formam, possibilis est autem qualitas, quæ neque solam formam, neq; solam materiam, sed compositum sequatur. In explicatione etiam Suarii desideratur insuper, quid sit qualitatem esse accidens intrinsecum, omne enim accidens, hoc sensu est intrinsecum, quia natum est inhærere substantiæ.

EXPLI-

Explicat 3. Pontius d. 16. n. 9. Nempe quòd qualitas sit accidens absolutum penetrabile. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia penetratio importat aliquid ad lineam quantitatis spectans, quomodo ergo per negationem ejusdem, definietur qualitas, & sicut mala est Hurtadi definitio per Pontium, quâ definit qualitatem quod sit accidens distinctum à quantitate, ita & hæc definitio non erit bona. Tum quia definitio qualitatis debet esse talis, quæ sit ratio formalis, ob quam qualitas in ratione qualitatis constituatur. Sed ratio penetrationis non est talis ratio, quia non ex eo est aliquid qualitas, quia est penatrabile, hinc quantitatem potest Deus facere actu penetratam, neque tamen faciet illam actu qualitatem; suppositoq; quod ista impenetrabilitas, non sit de primo essentiali conceptu quantitatis, forte non implicat qualitas penetrabilis. Tum quia penetrabilitatis prædicatum, nihil habet coincidentiæ cum nomine hoc Qualitas.

Explicant 4. aliqui apud Oviedo. Quòd qualitas sit accidens per se intensum. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Tum quia possibilis est qualitas non intensibilis. Tum quia ratio definitiva qualitatis, debet esse primus illius conceptus, sed esse intensibile non est primus qualitatis conceptus; quia jam supponitur constituta esse in suo esse qualitas, quando ei advenit prædicatum posse intendi; quia sicut prius est esse, quàm operari, ita prius est esse, quàm taliter affici, vel augeri.

Tum quia ratio in oppositum non convincit, quamvis enim de ratione quantitatis sit extensio, non sequetur de ratione qualitatis esse intensionem, quia à modo essentiæ unius, non licèt arguere ad modum essentiæ aliùs, nisi positivum habeatur fundamentum, quòd hîc non ostenditur.

Concludes inde, non esse nobis notum ullum prædicatum, primo essentiale qualitatis, ad eam tamen exemplo Aristotelis circumscribendam, utendum Methodo divisiva.

Explicari potest 5. Quòd sit accidens Physicum, quod neque est quantitas, neque relatio, neque ubi, nec quidquam eorum, à quo ens non denominatur tale.

Ratio. Quia ex una parte ponit etiam Aristoteles tales definitiones, ex altera parte quando desunt primo essentiales conceptus, & prædicata prima, bene utimur Methodo divisiva. Per terminos tamen positivos, qui ipsi inniti debent inductioni, posset dici quòd qualitas sit accidens Physicum reddens subjectum tale.

Dices 1. Quod hæc descriptio non ostendat quid sit qualitas, sed quid non sit. Ergo non est bona.

Respondetur. Retorquendo argumentum, de definitione Materiæ, Methodo simili, ab Aristotele definitæ.

Dices 2. Quod illa particula non est quidquam eorum à quo ens non denominatur tale, sit superflua, & quòd videatur committere circulum vitiosum. Nam si quæratur quid sit aliquid, à quo aliquid non dicitur tale. Respondebitur, quod sit omne illud, quod non est qualitas, qui est circulus vitiosus.

Respondetur. Non rarò in descriptionibus traditis per Methodum divisivam poni solet particula, quasi genericè rejecta membra complectens. Quod autem non committatur circulus vitiosus. Ratio est. Quia quando quæretur, quid sit illud à quo dicimur tales, non erit necesse recurrere ad qualitatem, sed nonnisi ad solam inductionem; ad eum modum, quô si quæratur ab Aristotele, quid sibi velit illud, quòd materia non sit quidquam eorum, à quibus ens determinatur, non erit necesse recurrere ad hoc, & ponere in responsione, quòd sit materia, sed erit facienda inductio, quod etiam fit in præsenti.

Dices 3. Contra illam positivam quasi descriptionem, quòd illa describat qualitatem per ordinem quasi ad se ipsam.

Respondetur. Idem describi per ordinem ad seipsum, sed aliter conceptum, quod usu venit in omni definitione. Rursùs sicut qui describit Patrem per Filium, non committit circulum vitiosum, quia definit relativum per correlativum aliud; & cùm correlativum qualis sit tale, bene per tale describetur qualitas. Et quia si quis ignoret qualitatem, ignorabit & tale. Hinc alibi unde inductione notificari debet.

Ponit Aristoteles divisionem qualitatis in Habitum & dispositionem, potentiam & impotentiam, in passionem & possibilem qualitatem, in formam & figuram, quæ omnia post alios explicat Pontius.

QUÆSTIO I.

De Alteratione.

Quæres 1. Quid sit Alteratio per alios. Alterationem liberalius acceptam describit aliquis, quòd sit mutatio in qualitatibus, per quam subjectum alterum sit, non aliud. Hæc descriptio in re bona est, sed quoad modum loquendi non omnino satisfacit, quia continet membra contra opposita; dicit enim ex una parte non fieri aliud subjectum in mutatione alterativa, & nihilominus dicit fieri aliud, quod ipsum Probatur: quia ly alterum sine addito, significat alietatem in substantiali aliquo, hinc in Divinis Filius sicut non dicitur aliud à Patre, ita nec dicitur alter rigorosè, sed alius. Quodsi dicas, te non talem alteritatem supponere, hoc ipsum exprimere debuisses.

Quæres 2. *Quæ definitio alterationis.* Commodius sic describeretur. *Quod alteratio sit mutatio in qualitatibus, per quam subjectum aliter se*

habet, & non fit aliud. Alteratio autem prout de ea in libris de Generatione agitur, ordinariè describitur quod sit mutatio, per quam manens idem subjectum sensibile, mutatur in passionibus contrariis aut mediis, nomine passionum intelligendo qualitates. Nomine contrariarum, quatuor primas, nomine mediarum qualitates pugna restrictas & commistas. Breviori phrasi ex Aristotele 1. de Generatione textu 23. diceret quis, quòd sit mutatio secundum quale.

Quæres 3. *Quomodo fiat alteratio.* In unaquaque alteratione intervenire debet, determinata vis agendi, & simul determinatum spatium, in quod nonnisi agens agat, appellaturque hoc, sphæra activitatis, quam dari ostendit imprimis experientia; omnia enim nonnisi ad determinatum spatium agunt; & sicut sunt determinata in essendo, ita sunt determinata in operando licèt non sit æqualis sphæra activitatis; nam major est sphæra illuminandi in stella quàm in face. Neque valet si dicas, potest una forma substantialis, producere aliam formam substantialem. Ergo & octo gradus lucis, alios octo consequenter, non dabitur ulla determinata sphæra activitatis. Non inquam valet, quia experimur defacto lucem non propagare ita sese, aliàs una candela illuminaret totum orbem, jam autem forma aliqua substantialis univoca, producit perfectam substantialem formam, quia si quid illi deesset, hoc ipso substantialis non foret. Porrò in hac sphæra Activitatis, modus quo agit Agens alterativum, est agere uniformiter difformiter, uniformitas consistit in hoc: quia quam qualitatem producit in vicino, producit etiam in remotiori, difformitas autem in hoc: quia producit qualitatem non æqualiter ubique intensam. Ratio asserti est experientia, & determinatio agentis in agendo. An autem fiat per partes aliquotas, an per proportionales, ex dictis supra decidendum.

QUÆSTIO II.

De Intensione.

Species alterationis est intensio, de qua pluribus disceptandum, supposito hoc, quænam sit definitio intensionis, quæ posset describi. *Quod sit mutatio qua aliquid fit magis tale.* Communis definitio ita habet. Quòd sit augmentum qualitatis, secundum eandem partem subjecti, sed non satis est commoda, quia in ipsismet terminis, supponit, quòd intensio fiat per additionem gradus ad gradum, ponendo terminum augmentum, cùm tamen probabilis sit sententia, quod fiat per aliquid heterogeneum, procederet ergo definitio nonnisi secundum principia particularis sententiæ, licèt verioris. Si autem dices Ly augeri, sumi etiam pro augeri per heterogenea, rectè procedet definitio. *Interim sit*

DIFFICULTAS I.

Quid in sententia aliorum Intensio.

Attungentur magis principalia Auctorum sensa.

Punctum Difficultatis 1.

An intensio fiat sola contrarii expulsione.

Dicendum est. *Quod intensio non fiat sola majori contrarii expulsione.* Est conclusio contra aliquos apud Gregorium, qui dicebant tunc v. g. lignum reddi magis calidum, quando ex eo plures v. g. gradus frigoris expelluntur.

Probatur 1. conclusio. Vera est ista propositio. Aliqua intensio non fit ob majorem expulsionem contrarii. Ergo falsa est ista universalis. Omnis intensio fit ob majorem expulsionem contrarii. Ergo ulterius malè definitur, quia definitio competere debet: Omni. Antecedens probatur instantiâ Theologica; quod totum simul expellitur, non potest dici magis vel minus expelli, & tamen forma expellens potest magis & magis intendi, quia gratia potest magis & magis intendi, & tamen quicunque illius gradus expellit, totum simul mortale peccatum. Ostendit id etiam instantia Philosophica; quia totum quidquid est tenebrarum simul expellitur, & tamen potest esse magis vel minus lucidum. Species item intentionales; visio &c. admittunt intensionem, & tamen non habent contrarium, quod expellant. Quæ omnia in hoc fundantur principio. Possibilis est intensio, impossibili omni expellendo contrario. Neque valet si dicas. Intensionem stare in expulsione contrarii absoluta. vel conditionata si detur; quia sequeretur illas qualitates, quibus respondet nonnisi conditionatè expulsio, non esse actu intensas, quia conditionata expulsio, seipsa nihil ponit in rebus, & tamen in re est illic intensio.

Probatur 2. Supponamus, materiam in ante non præextitisse, nec ullâ aliâ formâ informatam fuisse, supponamus rursùs primo educi à Deo formam ignis, cui annexus sit calor intensus ut octo, quo supposito, sic arguitur. Si intensio per te stat in expulsione contrarii, Ergo ille calor & erit intensus ut supponitur & non erit, quia nihil expellet. Si enim expelleret aliquid, expelleret frigus, non expelleret frigus, quia non supponitur illud præfuisse, sequiturque ex hac sententia, quòd non posset unquam Deus producere calorem intensum, neque frigus intensum, adeoque convenire frigori intenso & calori intenso impossibilitatem intrinsecam. Sequela

quela probatur; si vellet Deus producere calorem intensum, deberet prius producere frigus intensum, quia intensio caloris sistit in expulsione frigoris intensi. Rursùs frigus intensum non posset producere quin prius producat calorem intensum, quia intensio frigoris, sistit in expulsione caloris intensi, & sic ulterius. Ergo nunquam esset ponibilis calor intensus, & frigus intensum, quia quod primò produci deberet, jam deberet supponere prius. Hoc ulterius fundatur in hoc principio: Necessariò debet deveniri ad aliquid quod primo producatur. Ergo si nihil potest esse quod primo producatur, nihil unquam producetur, in præsenti autem non posset primò produci calor v. g. intensus, ut probatur.

Probatur 3. Quia vel totum simul contrarium expellitur, vel per partes, si totum simul. Ergo non est successiva alteratio, quod est contra experientiam. Ergo ulterius non datur intentio, quia in eo quod simpliciter, & totum simul non est, non potest dici magis vel minus non esse, hoc enim ipso, non totum simul non esset, consequenter nec potest magis vel minus expelli. Quod si non detur in expellendo contrarie magis vel minus expelli. Ergo nec datur majus & minus expellere, consequenter nec intensum stat per te in illo expellere. Quodsi contrarium non totum simul expellitur. Ergo remissio sit per partes. Ergo & intensio fiet per easdem, qua enim ratione unum diminuitur eadem & aliud augetur, cum ita debeat augeri, quomodo casu alio sit remittenda, sed remittitur per partes. Ergo & augetur per partes. Ergo & intenditur per partes. Hæc enim idem sunt in re, cur ergo in illa potius additione partium, non stabit intensio?

Per hoc tamen non nego, quòd sequatur tanquam aliquid secundarium ad intensionem, vel actualis expulsio contrarii, vel aptitudinalis, ut sequitur ex esse, negatio non esse oppositi, nam ex esse hominis, sequitur negatio non esse hominis. Sic & ex frigore, sequitur suo modo negatio non frigoris positivi, seu calidi, & hoc voluit Aristoteles 5. Physicorum Textu 11. & 3. Topicorum cap 19.

Punctum Difficultatis 2.

An Intensio fiat productione novæ Qualitatis corrupta veteri?

Dicendum est. *Intensionem non fieri per corruptionem in ante productæ qualitatis & productionem alius novæ.* Et assertum contra Avicennam, Durandum, & alios.

Probari solet I. Illa intensio, & esset intensio ut supponitur, & non esset, quia non esset illic augmentum qualitatum, non enim id dicitur augeri, cui succedit aliud priori corrupto.

Responderi posset. Augmentationem in omni intensione debere fieri non numeralem, adeoque quamvis antecedens aliquid non servetur: sed debere esse augmentationem virtutis, quæ fieri potest corrupto priori, & succedente aliquo novo.

Probat II. Oviedo; hic contra 4. num. 10. Agens in primo instanti in quo applicatur potens est producere calorem perfectum, seu intensum, quem producit postquam alios minus perfectos producit. Ergo in primo instanti potuit illum producere, & subjectum illo calore intendere sine ulla intensionis successione.

Responderi posset. Retorquendo Argumentum, nam in sententia Oviedi, Intensio fit per additionem gradus ad gradum, cur ergo non statim agens producit octo gradus. Quod si recurrat Oviedo fieri per resistentiam manentis contrarii; ergo posità indefinitè hæc propositio jam non tenet. Quando agens potens est aliquid agere (supple à parte sua) exemplo illud agendum, possentque dicere oppositi, etiam illic post corruptionem unius contrarii, productionem alius contrarii sequi, ita, ut nunquam maneat materia spoliata contrario, donec producatur tota intensio, & quòd ultimò hæc, quæ complet intensionẽ non producatur qualitas, referri id debet, in resistentiam, qua stante, hanc tantùm qualitatem potest producere agens.

Probat III. Recentior Suarez. Agens naturale non corrumpit sibi simile, immò illud conservat. Ergo calor ut octo, non destruet etiam præcedentes gradus, ut quator.

Responderi posset. Antecedens, si includat etiam agens naturale intensivum falsum esse & videtur petere principium. Licèt fortè sit verum de aliquibus agentibus. Sed agentia, sicut in esse, ita & in agere non omnia sibi sunt proportionata; & sicut productio unius præsentiæ, est corruptio alius præsentiæ, quamvis similis, quæ præsentia in sententia arguentis est quiò reale, cur productio sequentis gradus, non exigat corruptionem alius; quæ instantia ostendit ex eo præcisè quia aliquid est simile alteri, non sequi quòd præcedens corrumpi non debeat. Deinde immeritò supponit, hocque ipsum probare debuisset, quod gradus imperfectior sit similis perfectiori.

Probatur IV. Ab Arriaga; vide eundem. *Sed ejus argumento*

Respondetur. Posset imprimis dici illos gradus esse diversæ speciei, & non ex eo perdi gradum imperfectiorem, quia deberent manere in eodem subjecto qualitates diversæ speciei, sed ex aliis principiis; posito autem quòd non sit diversæ speciei, posset aliquis intra eandem speciem admittere majorem & minorem

perfectionem, consequenter per perfectiorem qualitatem, non erit subjectum æquè calidum atque per imperfectiorem.

Probat V. Pontius. Quando intenditur ignis calorem in aqua, non est ulla causa à qua destruatur præcedens calor, quia non est ignis destructivus caloris, absurdum enim videtur quod ignis habeat virtutem destructivam caloris.

Responderi potest. Absurdum esse, ignem habere vim destructivam caloris absolutè, licèt habeat vim destructivam caloris imperfecti, nec id impugnat Pontius, in quo tamen in præsenti est difficultas.

Probatur VI. Communiter. Remissio non fit per destructionem intensi, & productionem remissioris. Ergo nec intensio. Antecedens probatur, quia ponamus aquam calidam, circumdatam vicino frigido, eo casu remittet se calor in aqua. Ergo per te producetur magis remissus calor, cujus producendi nullum principiũ attendi potest, non enim hoc prinpiũ est aqua, quia hæc non habet vim producendi calorem; non vicinum agens, quia supponitur circumdata corpore frigido non Deus, quia ad illum recurrere non est Philosophicum.

Responderi potest, quòd non sit Philosophicum recurrere ad Deum, quando subest alia causa naturalis alicujus effectus, quę hic ostendi nõ potest; & sicut Deo tribuitur conservatio caloris in aqua, sic poterit tribui etiam productio remissionis caloris. Si aliunde non probetur Remissionem, non stare in productione remissionis gradus.

Vt aliquæ ex dictis restituantur Rationes:

Probatur VII. Conclusio argumento negativo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergo nec dignificanda; nullum autem fundamentum est ponendi gradum perfectiorem in intensione. Confirmatur; quia ille gradus perfectior vel est specie distinctas ab imperfectiori, vel solo numero, vel minus quàm specie, & plus quàm numero; non potest dici quod sit specie distinctus, quia hujus specificæ distinctionis nulla necessitas & signum; Sicut nec ulla necessitas ponendi in igne vim productivam specie distinctorum calorum. Non etiam potest dici quod sint solo numero distincti illi gradus: quia sequeretur quòd imperfectior possit producere totum id, quod perfectior, aliàs non essent solo numero distincti; hoc autem dici non potest, quia in istis principiis tolleretur intensio. Nam quia facere potest perfectior calor id, quod imperfectior, Perfectior exigit imperfectionis corruptionem, Ergo cùm etiam per te imperfectior gradus, sit solo numero distinctus, exiget ne producatur perfectior, utpote totum id potens præstare, quod perfectior, consequenter per te non dabitur intensio, quia non dabitur productio gradus perfectioris; nec apparet, quî ille gradus esset imperfectior, non enim esset imperfectior specie, utpote ejusdem speciei, non imperfectior numero, nam numerica quâ talis distinctio, non importat imperfectionem; nam unum in bis, est æquè perfectum, atque unum in sex. Non etiam dici potest, quod calor perfectus & imperfectus sint distincti plus quam numero, minùs quàm specie; quia posito quod talis detur distinctio, nullum est fundamentum in præsenti, & nulla necessitas adstruendæ hujusmodi distinctionis, hac etiã posita distinctione, non sequetur non posse inter se, illos duos gradus consistere, quæ enim hujus ratio? immò suppletio imperfectionis à perfectiori, videtnr arguere distinctionem specificam, sicut suppletio formæ vegetativæ à forma sensitiva arguit eandem.

Objicitur I. Calor imperfectior est Terminus à Quo, respectu caloris perfectioris, qui & est Terminus ad Quem. Sed in omni mutatione debet terminus à Quo desinere, Ergo & gradus imperfectior.

Respondetur. Calorem imperfectiorem non secundùm entitatem esse terminum à Quo, tam enim hic numero, qui primus ponitur, poterat octavo loco poni, atque octavo loco positus, primo loco; Sed tantum calor imperfectior est terminus à Quo, secundùm quod dicit negationem sequentium graduum, quæ negatio productione illorum graduum auferetur. Addo Terminus à Quo, in quantum importat privationem termini ad Quem, positione termini ad quem tollitur, vel in quantum importat terminum à Quo localem, formaliter acceptum, sed non est necesse simpliciter auferri terminum à Quo, aliàs discessus Româ, deposceret destructionem Romæ, quamvis propter motum localem, necesse sit illam deseri, qui motus localis, quâ non exercetur in alteratione intensiva, non est necesse in illa tolli terminum à Quo. Et ratio est, quianisi desirantur in motu locali terminus à quo, non erit motus, sed consistentia in eodem loco; quamvis autem non destruatur prior gradus, & addatur illi alius similis, non sequetur eodem modo esse intensum calorem, habebit enim plus ex illo, quàm ante.

Objicitur II. Eadem anima potest supplere & gradum sensitivi, & gradum vegetantis, nec est necesse multiplicari animas ad has operationes. Ergo & intensio stabit in uno perfectiore gradu.

Respondetur. Quia ex una parte, cùm constet, defacto dari animam rationalem, benè possumus inferre, ad evitandas multiplicationes entium, unam illam esse; eamque hoc præstare quod aliæ. Cùm autem non constet dari

dari de facto istum calorem perfectiorem unum, non erit multiplicare entia sine necessitate, ponere plures illos gradus. Non nego tamen, quod possibilis sit calor perfectus, continens in se eminenter plures gradus.

Objicitur III. Sonus & vox intenduntur per productionem novæ partis destructa priori. Ergo & qualitas.

Respondet Pontius. Illa priora entia sunt successiva quorum partes non debent simul existere, qualitas autem intensa, est quid permanens, & propterea non debet ad productionem unius, altera destrui. Deinde in sono duo sunt, intensio & extensio. Extensio prout ab organo percipitur, exigit productionem novæ partis destructa priori, quia quando dico: Pater. Cùm sonat *ter*, non sonat *Pa*; intensio tamen debita syllabæ *ter* nullo modo, quantùm ex vi intensionis, exigit destructionem syllabæ *Pa*, quia cum syllaba *ter* sonat, semper æquè non est Ly *Pa*, & tamen non semper est eadem intensio. Ergo intensio quâ talis, non est ex destructione antecedentis syllabæ, consequenter intensio, aliundè petenda erit.

Instat A pari pro eadem sententia Maurus, quæst. 27. Quando arcus intenditur, non remanet eadem curvitas quæ erat ante, sed mutatur in aliam curvitatem majorem, & è converso cum arcûs remittitur curvitas, major mutatur in minorem. Ergo etiam cum per actionem intensivam, subjectum fit magis calidum, non remanet idem calor, qui fuit ante.

Respondetur. Quòd nullæ partes arcûs, retineant eandem curvitatem in intenso arcu, quæ erant in remisso, & tamen curvato, ægrè probaretur. Quidquid, sit de hoc, cum tamen in dubiè omissa, veteri curvitate, aliquæ partes, novam acquirant, quoad has partes disparitas dari potest, quia scilicet cùm illæ partes, novam acquirentes curvitatem, acquirant eam non sine motu locali, & si retineretur & pristinum ubi, & novum, ratione novæ curvitatis, deberet res bilocari. Ideo in nova curvitate, amitti debet curvitas pristina; quia autem in intensione, quantumvis fieret sine novæ qualitatis, destructa priore acquisitione, non sequeretur rem bilocari, nec quidquam aliud, ideo adhuc non significando entia sine necessitate, poterit salvari intensio, sine productione novæ qualitatis perfectioris.

Punctum Difficultatis 3.

An Intensio fiat per radicationem ejusdem qualitatis.

Est sententia Thomistarum, docentium, quòd Intensio fiat per majorem radicationem, ejusdem qualitatis. Quæ doctrina duplicem potissimum habet explicationem. Primò quod intensio fiat per productionem novæ existentiæ ejusdem qualitatis. Secundò quod fiat per unionem majorem ejusdem qualitatis.

Dicendum est I. *Intensionem fieri per productionem novæ existentiæ ejusdem qualitatis.*

Probatur I. Quia existentia non distinguitur à re ut dictum alibi. Ergo non potest prduci nova existentia ejusdem qualitatis, cum supponitur illa qualitas non produci.

Probatur II. Etiam posito quòd existentia caloris sit distincta à calore, sequitur intensionem non fieri per productionem novæ existentiæ caloris. Sequela probatur: Existentia caloris est distincta realiter à calore. Ergo & existentia nova caloris. Quomodo ergo cùm intensio debeat esse à majori calore, poterit illa haberi ab existentia nova caloris, quæ est distincta realiter; & sicut magis album non redditur aliquid, quia redditur magis sapidum, eò quod sapor & albedo sint distincta realiter, sic etiam cùm existentia sit distincta à magis calido, non poterit existentiâ, reddere magis calidum.

Respondebis. Per nos subjectum redditur magis album, quantumvis ab illo albedo sit distincta realiter. Ergo etiam quamvis existentia sit distincta realiter, poterit adhuc reddere magis calidum.

Contra. Quia albedo à se non est distincta realiter, in seque ipsa importat albedinem, hinc si uniatur subjecto, denominabit illud magis album, tu autem in magis calido, non ostendis quid sit plus caloris, non in ipsa existentia, quia hæc distinguitur realiter à calore; non in ipso calore, quia eundem dicis esse qui fuit antè.

Probatur III. Quia illa existentiâ perperfectior, non habetur unde sumatur; nam existentia stat in non esse nihil, & esse actu extra causas; in quo non videtur quî possit haberi perfectio major, cùm semper nonnisi verificetur hæc propositio, vi existentiæ non est nihil.

Dicendum est II. *Intensionem non fieri per ejusdem formæ indivisibilis majorem unionem.*

Probatur I. Vel illa perfectior unio, unit aliquem calorem cum subjecto, quem non uniebat imperfectior, vel non unit, si unit, Ergo illa qualitas non est indivisibilis, quia pars illius qualitatis aliqua unitur per perfectiorem, aliqua per imperfectiorem unionem. Quodsi illa perfectior unio, non unit quidquam, quod non unierit imperfectior. Contra erit, quia non poterit salvari intensio, quia entitas unionis, non est intensio. Ergo perfectior intensio, non est perfectior Entitas unionis. Antecedens probatur, quia intensio tenet se à parte qualitatis. Unde quod magis calefacit, est magis calidum: & tamen ipsa unio caloris, non

est

est calor ; cumque unio sit ratio formalis ut Quo. Ergo ostendere debes alium terminum, ut Quod, intensionis, hoc autem non aliud erit, nisi ipsa qualitas.

Probatur II. Non implicat contradictionem quod ponatur albedo non unita subjecto, & tamen sit intensa. Ergo intensio non consistit in majori unione, vel productio : ne perfectioris unionis in subjecto. Et certè item intensio caloris in subjecto, quod est ignis, vel est ex majori illius unione cum igne, vel ex aliquo alio principio. Si ex majori unione cum igne. Ergo calor ignis separatus ab igne, desineret esse intensus, nam desineret esse unitus subjecto, quod videtur falsum; si autem sublata unione cum subjecto, adhuc manet ille calor intensus, Ergo intensio formaliter, non consistet in unione cum subjecto, nec apparet, quî ipsa exigentia illius unionis, pandet intensionem.

Probatur III. Si intensio fieret per majorem unionem cum subjecto, vel id fieret per unionem distinctam à re intensa, vel per indistinctam, si per distinctam. Ergo cum ipsa unio possit esse magis vel minus intensa. Sicut & intensio, potest esse major & minor deberet esse magis illa unio intensa per aliam unionem ; absurdum autem est dari unionem Unionis, utpote fundantem progressum in infinitum. Si autem fieri potest hæc major intensio per unionem indistinctam etiam à subjecto, tunc illud subjectum unionis, seu illa qualitas & esset intensa, ut supponitur & non esset intensa, quia eadem est entitativè intensa & non intensa. Ergo si cum non erat intensa, etiam intensa, erit non intensa; erit enim eadem.

Objicitur I. Auctoritas Aristotelis & Sancti Thomæ. Aristotelis quidem 8. Physicorum textu, 84. *ex calido inquit fit magis calidum nullo facto in materia calido* S. Thomas verò 1. 2dæ, quæstione 52. articulo 2. docet augmentum habituum & aliarum formarum, non fieri per additionem formæ ad formam, sed per hoc quòd subjectum magis participet unam & eandem formam.

Respondetur. Aristoteles hoc vult, quod scilicet in intensione calor non debeat recipi in nova parte materiæ, sed in eadem. S. Thomas hoc tantùm vult, quòd unus calor, non informet alium calorem, sed eandem partem subjecti, unde etiam explicando intensionem, recurrit ad subjectum magis participans.

Objicitur II. Pars qualitatis, addita parti qualitatis, vel est eadem specie cum antecedente, vel diversa. Si eadem, Ergo per talem additionem intendi non potest subjectum, quia accidentia solo numero diversa, non possunt informare idem subjectum, quodsi sunt diversa specie, non possunt uniri & facere Ens unum per se, cum tamen intensio, importet Ens, unum per se.

Respondetur. In eodem subjecto quædam quidem accidentia solo numero distincta posse dari, quædam non. Quod possint quædam dari probant instantiæ, de visionibus, speciebus, & cætera similia, quæ objectorum solo numero distinctorum, & à principiis iisdem. Sunt solo numero distincta, & tamen dantur. Quod autem quædam accidentia, solo numero distincta, non possint dari in eodem subjecto, probat instantia ducta ex quantitate & aliis. Quodsi regula inquiratur; quænam accidentia solo numero distincta possint dari in eodem subjecto, & quæ non, à posteriori colligendum. Si enim additio alius non plus facere possit, quam positio unius, talia secum naturaliter in eodem subjecto non stant, quia alterutrum superfluit: & quia tam benè extendit una Quantitas, quàm alia, tam benè principiat unus intellectus intellectiones quàm alius, ideo hæc secum stare non possunt in eodem subjecto. Quia verò alia accidentia sunt talia, ut unum, non æquè benè aliquid præstet, ac cum alio; fit ut illa secum stare possint, non enim jam superfluet aliud.

Instabis. Accidentia individuantur à subjecto. Ergo plura accidentia solo numero distincta non possunt recipi in eodem subjecto.

Respondetur. Negatum esse antecedens in Metaphysica.

Objicitur III. Multa sunt quæ intenduntur, & tamen non habent partes, nam etiam res spirituales intendi possunt. Ergo intensio universaliter non consistit in additione partis ad partem.

Respondetur. Spiritualem entitatem non habere partes molem importantes, divisibiles, habere intensivas, seu Graduales. Denique dicent alii antecedens esse verum de substantiis spiritualibus, non de accidentibus.

Objicitur. IV. Paritas. Ratefactio fit sine additione partis ad partem. Velocitas item, quæ admittit intensionem, non perficitur additione partis ad partem. Ergo nec intensio.

Respondetur. Etiam rarefactionis intensio fit per additionem partis qualitatis rarefactivæ, ad partem qualitatis rarefactivæ, licèt per nos non fiat additione partis corpusculorum, ad corpus. Quod attinet ad velocitatẽ, Respondet recentior Suarez, etiam intensionem motûs seu velocitatem, fieri per additionem plurium partium motûs, in tempore, æquali illi, quo motus tardior perficiatur.

Objicitur V. Tota ratio partium sumitur à quantitate. Ergo Intensio non debet sumi ab additione partis ad partem, cum non sumatur à quantitate.

Respondetur. Ratio partium extensarum in ordine ad se sumitur à quantitate, non

ratio

ratio partium simpliciter. Unde partes entitativæ in materia præsupponuntur à quantitate, consequenter etiam poterunt convenire & ipsi Qualitati.

DIFFICULTAS II.

Quid per nos Intensio.

DICENDUM est. *Alterationem Intensivam, fieri per additionem unius gradus ad alium.* Quidquid sit de intensione actuum Vitalium, de quo infra. Est conclusio utriusque Suarez, Vasquez, Hurtadi, Pontii.

PROBATUR I. Quia datur intensio, & non potest commodius per aliud explicari ut vidimus in impugnatione sententiarum. Ergo ita fit.

PROBATUR II. Ab Oviedo eo Recentiori Suarez. Calidum fit à calore. Ergo & magis calidum à majori calore, sed calidum non fit sine productione entitatis caloris. Ergo & magis calidum non fit sine productione majoris entitatis; Ergo intensio fit per additionem majoris caloris entitatis.

PROBATUR III. Quando fit intensio vel crescit & augetur qualitas v. g. caloris, vel non crescit, nec augetur. Si crescit nec augetur. Ergo fit intensio per additionem partis ad partem, gradus ad gradum; nihil enim plus hac phrasi significatur, quidquid sit quales sint isti gradus. Si autem non crescit & non augetur. Ergo nec illic est ullo modo intensio. Et certè ponamus addi gradum qualitatis ad qualitatem, & non fieri ullam majorem unionem, majorem radicationem, &c. quæro, vel erit illud magis calidum, vel non erit? Si non erit. Ergo duo non facient plus quàm unum, & unus calor qui facit calidum si multiplicetur, non reddet magis calidum, comparativusque gradus non verificabitur, pluralitate ejusdem positivi. Si autem reddetur magis calidum, Ergo reddetur intensius calidum, hæc enim verbis tantum differunt.

NEQUE valet si dicas. Quòd reddetur tunc magis calidum extensivè, non intensivè, quomodo enim, si de verbis non disceptetur, non reddetur magis calidum intensivè, si calor recipitur in eodem parte subjecti.

OBJICIT I. Complutensis Thomista apud Oviedo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem est necessitas intensionis facienda, per additionem gradus ad gradum, potest enim idem calor, sine novæ partis additione, idem præstare, quia eadem indivisibilis entitas animæ, potest diversis subjectis, diversos tribuere effectus formales. Oculo enim dat potentiam videndi, auriculæ audiendi, &c. Eadem idem indivisibilis quantitas, magis explicat subjectum rarefactum, quàm condensatum. Eadem species impressa, ab objecto sensibili promanans, non reddit aërem in formatum intentionaliter, sed tantum entitativè, oculum autem reddit in formatum & entitativè & intentionaliter. Gratia item habitualis in puro homine posita, constituit illum filium adoptivum, non constituit Christo. Ex quibus sequitur eandem formam posse esse unitam subjecto totam, & non totaliter, nec explicare omnes effectus quos potest, consequenter reperiri poterit calor in subjecto, pauciores in illo effectus explicans, & illud remissè calidum constituens, & per majorem sui explicationem, constituens postea illud subjectum magis calidum.

RESPONDETUR. Negando minorem primam, paritas non tenet. Ratio, quia quod non tribuat anima manui v. gr. potentiam videndi, id referri debet in solam incapacitatem organi, non est autem ostendibilis incapacitas, quæ faciat, ne subjecto, præsertim contraria qualitate non in formato, tribuat totam intensionem unitus calor, quam potest. Immò exinde formatur in oppositos argumentum.

Quamvis, nescio qua ratione, explicet sese anima in manu, non potest illam reddere videntem. Ergo nec major explicatio ejusdem caloris, potest reddere subjectum magis calidum. Quod etiam dici debet ad instantiam de speciebus. Illi paritati de quantitate negatur antecedens. Nam non ad quantitatem spectat rarefacere. Paritas de Gratia ostendit aliquid sequi contra principia arguentis. Ex eo calor, dat subjecto denominationem magis calidi, quia magis se in illo explicat, & non dat ab initio, denominationem magis calidi, quia non ita se in illo explicat. Ergo etiam & gratia in Christo, non fuit ita explicata, ut in creatura; cumque hæc major explicatio fundet intensionem, sequitur in Christo non fuisse ita intensam gratiam, ac in infante in quo est magis explicata, dans scilicet illi denominationem filii. Quodsi dicas gratiam in Christo fuisse maximè explicatam. Ergo cum ex majori explicatione sequantur denominationes ulteriores, ex ut hujus principii Christus Filius adoptivus erit. Quodsi dixeris, ex subjecti incapacitate non posse Christum denominari Filium adoptivum, Ergo jam deseris principium illud de majori explicatione. Ergo paritas non tenet, nam non denominatur Christus Filius adoptivus, quia est subjectum incapax. Ergo cum subjectum calidum; capax sit ut denominetur magis calidum, cur ita non denominabitur.

OBJICIT II. Bannez. Essentia qualitatis consistit in indivisibili. Ergo qualitas non potest habere partes, quæ illi per intensionem addantur.

RESPONDETUR. Essentia materiæ consistit in indivisibili, itemque quantitatis & tamen materia

materia habet partes entitativas, quantitas, extensas, bicubitum item consistit in indivisibili, quia sive illi addas sive demas non erit bicubitum, & tamen bicubitum habet in se plures palmos. Directè autem dicitur essentiam qualitatis & aliorum, quoad Metaphysica prædicata, stare in indivisibili; compati tamen potest illa indivisibilitas divisibilitatem Physicam.

Objicitur III. Purus actus non habet quidquam potentiæ. Qualitas est purus actus. Ergo non habet quidquam compositionis, consequenter nec additionis partis ad partem.

Respondetur. Phrasim in hoc argumento non esse exactam. Ly enim actus purus supponit pro Deo, vera ergo erit propositio de actu puro Increato, non creato; dicique potest, actum creatum non habere quidquam potentiæ, hoc est, materiæ, prout illi appropriatur Ratio potentiæ & subjecti: nam forma quâ talis non dicit materiam, falsum tamen est, quòd non dicat quidquam potentiæ, in ordine ad aliquod creatum constituendum, consequenter dabitur adhuc locus ad constituendum intensum per additionem partis ad partem.

Agendum hic esset de mente Sancti Thomæ, de ea exacte Hurtadus sectione 5. Inter locos adduci solet ille, quo docet, formam separatam à subjecto, non posse intendi, sed hanc auctoritatem rectè explicat Cajetanus, quòd scilicet si daretur forma, quæ non esset in subjecto, nec ordinem diceret ad illud, talis forma intendi non posset, siquidem intensio exigit fieri in eadem parte subjecti. Pro nobis est S. Thomas 2da 2dæ quæst. 24. Art. 4. ubi docet, eos propriam vocem ignorare, qui dicunt habitum charitatis per radicationem intendi in subjecto, quin ipsa charitas in subjecto augeatur.

DIFFICULTAS III.

De Gradibus Intensionis.

ID quod præcipuè in hac materia quæritur, est; An gradus intensionis sint homogenei, hoc est ejusdem rationis, soloque præcisè numero distincti; an verò heterogenei, seu diversæ rationis, & plusquàm numero distincti.

Punctum Difficultatis 1.

An gradus Intensionis sint homogenei?

DOcet esse gradus heterogeneos Suarez. Hurtadus. Lugo de Incarnatione Disputatione 5. Sect. 7. n. 44. Negat Vasquez. Arriaga. Recentior Suarez.

Dicendum est. *Gradus intensionis esse homogeneos*; Missis aliorum probationibus, quas confutatas videbis apud Recentiores.

Probatur Conclusio. Ex una parte non implicat contradictionem intensio, quæ fiat nisi per additionem homogeneam, sicut etiam non implicat alia quæ fiat per additionem heterogeneam. Ex altera parte, nulla est necessitas, & nullum fundamentum heterogeneæ pluralitatis. Ergo sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ita nec hetereogenanda.

Probatur 2. Ponamus unum gradum intensionis; hic cum sit Materialis, continet inse plures partes & proportionales, & aliquotas, quæro, an illæ partes unius gradus sint homogeneæ? an heterogeneæ? si homogeneæ? Ergo & reliqui gradus poterũt esse homogenei, nõ enim major ratio unius, quàm alius. Si heterogeneę, quæro, an omnes sint heterogeneæ? an aliquæ? Si aliquę tantùm, Ergo dabuntur aliæ homogeneæ, cur ergo non & gradus, quod si omnes partes illius unius gradus, sunt heterogeneæ, quæro an partes illæ sint divisibiles? an indivisibiles? si indivisibiles, redeunt argumenta facta in Materia de Quantitate contra Zenonistas. Si autem sunt divisibiles. Ergo in illa heterogeneitate, sunt similes adeoque homogeneæ, Ergo & gradus homogenei esse possunt.

Probatur III. Communiter à pari. Quæcunque ratio probat partes quantitatis esse ejusdem rationis, & posse nihilominus facere extensionem, eadem probabit, esse posse partes ejusdem rationis, & facere intensionem.

Respondebis. Quantitatem, cùm sequatur Materiam, quæ ipsa habet partes homogeneas, debere habere itidem partes homogeneas, ita passio sequatur naturam subjecti.

Contra. Quia saltem intensio Materialis sequitur Materiam, cur ergo saltem illa non habebit partes ejusdem rationis? reditque argumentum. Potest sequi extensio naturam materiæ, partes homogeneas habentis, & tamen nonnisi partibus homogeneis. Ergo & intensio.

Objicitur I. Qualitas magis perficitur intensione quàm extensione, quæ perfectior salvari non potest, si sint gradus homogenei, nam iidem gradus qui sunt in extensione, si ponantur in eadem parte subjecti, perficient intensionem.

Respondetur. Argumentum multum probare, probat enim etiam gradibus heterogeneis non posse perfici intensionem, quia gradus v. g. Quintus posset poni in prima extensionis parte aliquota. Directè autem dici potest quòd Qualitas magis perficiatur, intensione quàm extensione; sed hoc non obstante, poterit adhuc illud esse Intensio, quod aliàs foret nonnisi Extensio, casu quo in eadem parte subjecti, eadem Qualitas ponatur, nec oppositum probat Argumentum.

Instat Hurtadus. Perfectio extensiva, est valde materialis, & per accidens; hinc hoc complexum Deus & creatum est perfectius extensi-

tensivè ipso Deo, quamvis intensivè nihil possit esse Deo perfectius.

Respondetur. Concedo interim totum, nego autem inde sequi, quod qualitas non sit intendenda, si id, quod extensivè in pluribus erat positum, in eadem omnino parte subjecti ponatur; quæ intensio non competet Deo addita creatura, quomodo enim reciperetur in eadem parte subjecti, Deus & creatura, quomodo ordinaretur ad eandem rationem, &c.

Objicitur 2. Si intentio efficeretur sola additione graduum homogeneorum, non esset ratio, cur potius primus producatur, quàm secundus. Item cur in remissione hic potius expellatur, quàm alius; & tamen certum est, cum gradu caloris octavo, non posse stare naturaliter vel unum gradum frigoris.

Respondetur. Unumquodq; agens calidum ut octo, habet plures numero inde sua virtute gradus heterogeneos, quos producere potest; unde ergo provenit, quòd hunc potius gradum heterogeneum producat; si id referes in ordinem à Deo præstitutum, referemus & nos. Quod attinet ad remissionem cur hic potius vel ille gradus expellatur, referri etiam debet in determinationem divinam; quod non est novum, cum desunt alicujus indifferentiæ determinativa creata, quodque unus gradus frigoris non sit compossibilis cum gradu octavo, non oritur ex speciali aliqua conditione gradus octavi, sed quia subjectum est incapax, vel quia octo gradus caloris, extemplo debellant unum gradum frigoris. Et sicut referre tu id posses in excellentiam gradus octavi, ita & nos referre possemus in excellentiam omnium simul positorum.

Instabis 1. Non est major virtus requisita in subjecto informato octo gradibus caloris, ad recipiendum unum gradum frigoris, quàm sit in eodem subjecto informato octo gradibus caloris, ad recipiendum octo v.g. gradus lucis: imò plus videtur esse recipere octo gradus lucis; quàm recipere unum frigoris, sed potest v.g. aër calidus ut octo, recipere octo gradus lucis. Ergo poterit recipere & unum frigoris.

Respondetur. Rigorosè & presse loquendo, nec secundùm phrasim communem, non ex incapacitate subjecti oritur, quòd cum octo gradibus caloris non possit stare unus gradus frigoris, si enim ex incapacitate subjecti id oriretur, etiam divinitus id non fieret, quia capacitas subjecti, est ipsa entitas subjecti: si ergo entitate sua repugnat subjectum recipere illos gradus, illam entitatem capacem non potest reddere etiam Deus. Sicut quia entitate sua Rationale repugnat Irrationali, ne divinitus quidem Rationale fieri potest Irrationale. Ordinariè tamen dicitur id proficisci ex incapacitate subjecti latiori modo; quia scil. cùm agens nullum sit, quod subjecto calido ut octo, manenti calido ut octo, inducere possit unum gradum frigoris, fit, ut dicamus incapax esse subjectum: quia capacitas proxima respicit naturale agens. Quod autem non detur tale Agens inductivum, rejici id debet in naturam ipsorum accidentium, & contrarietatē à posteriori cognitam, secundùm quam, ignem qui est calidus ut octo, non dicimus unquam frigere. Quia autem calor non habet talem contrarietatem cum luce, stare cum illius, non tantùm uno, sed etiam octo gradibus potest.

Instabis 2. ex Oviedo. Ponamus quòd subjectum habeat gradus quatuor caloris, & quatuor frigiditatis, accedat aliud agens, quod inducat unum gradum caloris, eo casu non est ratio, cur potius cedat aliquis gradus caloris, quàm frigoris, idq; ideo, quia gradus caloris adveniens non opponitur cum gradibus frigoris, imò stare cum illis posset, si non inveniret subjectum octo gradibus informatum. Ergo opponitur cum tota nonnisi illa collectione. Ergo non erit ratio, cur potius cedat unus gradus frigoris quàm caloris.

Respondetur. Attendo ad incompossibilitatem una cum octo gradibus præexistentibus unius insuper gradûs, ex vi hujus tituli, non magis calor depoſcet expulsionem unius gradus caloris, quàm expulsionem unius gradus frigoris; idem enim titulus, nempe octo gradus, utrobiq; reperiuntur; nihilominus unus gradus caloris, respectu subjecti quatuor gradibus caloris, & quatuor gradibus frigoris informati, alio titulo determinat sibi potius expulsionem frigoris, nempe ratione oppositionis contrariæ, secundùm quam pugnant inter se; contrariæ inquam, & non tantum dissimilis, quia aliàs accessus caloris, deberet depoſcere expulsionem coloris, cui etiam dissimilis est: & cùm gradus præexistentes frigoris non potuerint resistere ut non produceretur ille gradus, nec etiam se poterunt conservare, & defendere omnes, in circumstantia præcipuè aliorum etiam præexistentium graduum caloris.

Instat 3. Maurus quæst. 28. Operationes naturæ sunt ordinatæ per se, & non solum per accidens, sed in alteratione prius inducitur unus gradus, deinde alius. Ergo certus gradus ex sua natura intrinseca postulat introduci post alium. Ergo tales gradus habent aliquam heterogeneitatem ordinis.

Respondetur. Concedo, quòd operationes naturæ, sint ordinatæ per se; ad salvandam tamen hanc ordinationem, non est necesse ponere in ipsis gradibus heterogeneitatem; certè enim quando generatur aqua, aër, ignis, terra, est illic operatio naturæ per se ordinatæ, nec prius generatur multum aquæ, antequam generetur minus aquæ, & tamen ad hoc salvandum, non est necesse ponere partes illas substantiales elementorum heterogeneas, ita nec in præsenti

erit necesse illas ponere; salvaque homogeneitate, erit illa operatio naturæ per se ordinata, quia scil. non potest fieri priùs major intensio, postea minor, licèt per se, non sit ordinata illa operatio hoc sensu, quòd sit ordo per se, inter ipsos gradus adlativos Intensionis.

Objicitur 3. Si gradus sunt homogenei, sequitur non intendi tantùm aliquid, quin possit intendi magis: quia quando aliquid crescit per extensionem, non ita crescit, quin magis & magis semper possit crescere; idque ideo: quia quantitatis partes sunt homogeneæ. Ergo etiam non ita aliquid intenderetur, quin magis & magis intendi possit cùm etiam intensionis partes sint homogeneæ.

Respondetur. Quærendo, cur si gradus sint heterogenei non sint ulterius multiplicabiles, adeoque magis intendentes, si id referatur in incapacitatem subjecti, vel defectum agentis productivi; idem & nos dicemus.

Instabis. Transferat Deus homogeneum calorem ignis A, in ignem B, additio illa, vel faciet magis calidum, vel non, si non faciet. Ergo nec prior additio graduum homogeneorum fecit magis calidum, si faciet. Ergo per nos non est ratio, cur magis & magis intendi non possit calor.

Respondetur. Retorquendo argumentum, in casu quo heterogeneus calor unius ignis transferatur in alium; directè dici potest, in intensionibus talium qualitatum haberi terminum supremum, ipsos octo gradus, hinc quidquid ultra poneretur magis intensum? non faceret.

Objicitur 4. Si ad rationem intensionis sufficiunt gradus homogenei, sequitur quod si divinitus duæ quantitates in eadem parte subjecti reciperentur, redderent subjectum intensius quantum, & tamen hoc falsum est.

Respondetur. Disparitatem esse; quia ad intensionem non solum id requiritur, ut aliquid sit in eadem parte subjecti, sed etiam ut sit natura sua de genere qualitatis; quod ipsum non sufficit, quia multæ dantur qualitates quæ essent distinctæ ab anima, censent omnes quod non essent intensibiles, sed sequerentur conditionem animæ, quæ non intenditur, & licèt quidem perfectiones aliquæ dentur, quæ quamvis consequantur suas essentias, nihilominus intenduntur, id nihilominus verum est de passionibus, quæ ad diversas formas disponere possunt; sic humiditas, frigiditas, aqua, sunt passiones, intensibiles tamen, quia ad diversas formas disponere possunt, jam autem quantitas nec est de genere qualitatis, & quamvis foret non ostenditur, quòd secum traheret prædicatum: Intensivæ ideo quantitas multiplicatò posita, in eadem parte subjecti non intenderet illud.

Noto ex Arriaga & recentiori Suarez. Casu quo octo partes quantitatis penetrarentur, & in singulis partibus quantitatis esset unus gradus caloris, adhuc non intenderetur calor ut octo, quia ille gradus esset in diversis partibus subjecti, quantumvis penetratis, & sic v. g. albedo partium corporis Christi, est penetrata, neque tamen Christus in Eucharistia & magis albus, quàm in cœlo, quia illi gradus sunt in diversis partibus subjecti, quantumvis penetratis.

Instabis. Tam perfectè quantitas unius digiti est quantitas, quàm quantitas unius palmi, idq; ideo quia quantitas partibus homogeneis constat. Ergo etiam tam perfectus erit unus gradus qualitatis quàm octo, quia eis convenit homogeneitas partium.

Respondetur. Cùm quantitas non sit qualitas, & recipi etiam non possit in eadem parte subjecti, non faciet intensionem. Secus unus gradus qualitatis, qui gradibus octo est æquails quoad prædicata essentialia, non autem numerica & individualia.

Objicitur 5. Si intensionis gradus sunt homogenei, sequitur quòd si in Intellectum alicujus plures cognitiones aliorum transferrentur, intensiùs ille cognosceret objectum; nihil enim deesset ad intensionem: nam cognitio ex sua parte admittit intensionem, ex altera parte per nos intensio, multitudine homogenea stat.

Respondetur. Eo casu non futuram cognitionem illam intensiorem, quia ad hoc ut fiat intensio per additionem gradûs ad gradum, est necesse ut subjectum possit participare rationem, sibi ab illis formis tribuendam; & sic si non posset calor calidum facere, non intenderetur per illum calorem calidum, cùm ergo cognitio ab uno principio producta, non possit aliud principium reddere intelligens, fit ut multiplicatio illarum cognitionum, non reddat animam, in qua illæ cognitiones recipiuntur magis intelligentem. Quodq; in aliis intensionibus est unitas subjecti, quod intenditur, hoc in actu vitali est unitas ipsius actus. Quia ergo non intra unitatem ipsius actus, sed cum illorum plurificatione fit illa multiplicatio, non fundabit actum intensiorem.

Punctum Difficultatis 2.

Solvitur principale fundamentum.

Objicit Suarez. Si gradus intensionis omnes sunt homogenei, sequitur quod agens, potens producere octo gradus in diversis partibus, possit eosdem in eodem subjecto producere; quod si verum sit, sequitur agens ut quatuor, quod potest in diversis partibus subjecti, producere calorem ut tria, fore etiam potens producere in eodem subjecto. Ergo poterit producere majorem intensionem quam habet. Eadem difficultas sic aliter proponitur calidum ut quatuor,

tuor potest producere unum gradum caloris in subjecto frigido. Ergo etiam poterit producere unum gradum caloris in subjecto calido ut quatuor, est enim ejusdem rationis cum gradu caloris uno, producendo in frigido. Ergo si potest illum producere in subjecto frigido, poterit etiam producere in subjecto, calido ut quatuor.

Advertit Oviedo circa hæc præsentem difficultatem versari, cur agens non producat in prima parte subjecti totam qualitatem, quam potest in tota sphæra producere? cur saltem non producit talem intensionem? cur nullum gradum in passo sibi simili producere possit? cur in passo sibi dissimili quoad gradum unum, illum saltem gradum producere non possit? &c.

Respondet Oviedo 1. & supponit agens habere sphæram divisibilem & terminum definitum ut probat experientia, supponit itē quòd agentia habeant determinatam virtutem agendi, cum & ipsum esse illorum sit finitum & determinatum. Quo supposito rationem dat, cur in prima parte non producat agens omnes gradus, quos alias in sphæra activitatis producere potest: quia si omnes produceret, nihil ulterius in sphæra posset producere, neq; haberet sphæram divisibilem, quod autem non producat talem intensionem, qualem in se habet, aut majorem rationem reddit, quia habet sphæram finitam & limitatam, quam non haberet, si produceret effectum æquè intensum, quia si calor ut octo, existens in parte A: produceret calorem ut octo, calor ut octo productus in B. parte produceret alium calorem ut octo in parte C, & sic nunquam terminaretur activitatis sphæra: dicit ulterius quod agens in sua virtute contineat certos & determinatos gradus qualitatis, quos semel potest producere, & ex altera parte habens sphæram divisibilem, sic gradus quos producere potest dispensare debet, ut in omnibus partibus illius, aliquem gradum caloris producat. Cujus ulterior ratio à priori est. Quia omnes gradus quos potest producere insumpsit in determinata sphæra. Quare autem nullum gradum in passo sibi simili producere potest, & in passo sibi dissimili, quoad unum gradum, non possit nihilominus illum gradum producere, rationem dat, quia scil. agens est potius solicitum de conservandis illis gradibus, quàm de producendo novo, neq; illos potest conservare, & alium producere, quia eadē virtus requiritur ad conservandum, & ad producendum. *Hæc Responsio*

Non satisfacit 1. Quia ut videre est apud ipsum hic puncto 1. n. 19. non debet rejici solutio hujus difficultatis in naturam agentium, quod ipsum tamen facit Oviedo. Quia si quæram cur divisibilem habeat agendi sphæram, nulla alia ratio reddi potest nisi rejiciendo in naturam agentium. Rursùs si quæram, cur agens in sua virtute nonnisi certos gradus contineat, quos simul potest producere, etiamsi in remotioribus possit adhuc aliquid, referri non potest nisi in naturam agentium, si quæram, cur obligatum sit agens ita dispensare actionem, redditur ratio natura agentium. Si quæram, cur agentia potiùs sint solicita de conservandis ab alio agente productis gradibus, quàm de aliquo à se producendo, id etiam nonnisi in naturam agentium referri potest.

Non satisfacit 2. Quia immeritò assumit quòd si calor ut octo in parte vicina produceret calorem ut octo, quod inquam non haberet sphæram finitam & limitatam. Quod ipsum probatur. Possibile est agens quod haberet certam & determinatam sphæram, quamvis in singulis partibus æquè intensam producat qualitatem, quo casu adhuc limitatū esset illud agens. Sic v. g. Angelus habet limitatam suæ locabilitatis sphæram, quam se toto implet, & æquè est in prima parte loci, ac in secunda, & in omni ejus parte æquè agere potest. Neq; tamen ultra sphęram locabilitatis, locare se potest, aut extra illam agere, habetque adhuc & locabilitatis & activitatis sphæram finitam. Ergo ex præciso titulo æqualitatis agendi, in tota sphæra, non debet inferri infinitas agendi, quod ipsum in hoc resolvitur. Quia aliud est æquè agere posse in tota sphæra, & aliud est extensio sphæræ. Poterit ergo quoad sphæram esse determinatum agens, quamvis in tota sphæra, æquè agere possit; sed istis etiam positis, divisibilitas sphæræ agendi salvari posset ex certa parte, in quam agitur divisibili.

Non satisfacit 3. In quantum docet solicitum esse agens potius de conservando, quàm de producendo novo gradu. Ratio, quia fieri potest ut ab alio principio conservetur illa qualitas eoq; naturali, cur ergo tunc solicitudinem illam de conservando nō deponet, & non transfert illam ad producendum, & cur tam multum rationis, ut ille in simili inquit, tribuendum sit agentibus, quæ ita respiciant ad conservationem, & nolint se movere ad productionem. Danda itē ratio, cur agentia potius sint solicita, de conservandis quàm de producendis gradib⁹.

Respondetur 2. communiter. Quia scilicet finis agentis est, assimilare sibi passum, quo fine cessante, cessat actio; hinc non aget in sibi simile, non defectu virtutis, sed defectu finis intenti ab agente. *Hæc Responsio*

Non satisfacit 1. Quia ex eo quòd agens intendat assimilare sibi passum, nō respondetur ad prætactas difficultates. Nam in primis ex eo, quòd agens intendat assimilare sibi passū, sequitur debere illud assimilare cum potest, sed eo casu quo calidum ut quinq;, produxit in prima parte nonnisi tres gradus caloris, potest assimilare sibi possum, producendo eos gradus residuos duos, quos in remotioribus partibus produxit. Ergo eos producere poterit. Deinde prædicta responsio probat, quòd in remotio-

ribus partibus nihil deberet producere, sed totum se conferre, nonnisi ad primam partem.

Non satisfacit 2. Calidum ut quinq;, producens plures gradus quàm quinq;, in remotioribꝰ partibus subjecti, nõ censetur agere contra finem agentis, qui est assimilare sibi passum; quod passum, illius est tota sphæra. Ergo etiam non censebitur agere contra finem agentis, cujus est assimilare sibi passum, si producat in parte passi totum id, quod producit in passo antonomasticè, hoc est in tota sphæra activitatis.

Non satisfacit 3. Quia posito calido ut quatuor, sequitur ab alio calido ut quatuor, debere produci alios quatuor gradus caloris, quod ipsum probatur. Tunc debet producere calidũ ut quatuor, alios gradus ut quatuor, quando potest obtinere finem à natura intentum, qui est assimilare sibi passum. Sed tunc poterit adhuc assimilare sibi passum, quia illi priores gradus non sunt passum illius, sed nonnisi posteriores ques produceret. Ergo nonnisi posteriores producendo assimilaret sibi passum. Et sic hanc assimilationem in eo stare ut nec ab alio principio inveniat simile quid productum, hoc ipsum probari deberet.

Omnes has difficultates, dicunt se clarè solvere, ii, qui gradum heterogeneitatem defendunt, dicuntq; calidum ut quatuor in alio calido ut quatuor non producere unum gradum, quia deberet producere quintum, quem producere non potest, utpote nobiliorem illis gradibus; debilius autem non potest producere effectum fortiorem. *Nihilominùs*

Retorquetur 1. argumentum. Quærendo cur in 1. parte subjecti, in qua supponitur calidum produxisse duos gradus heterogeneos, cùm alios duos sequenti tempore producat, cur inquam eodem tempore illos non producit, idq; in eadem parte subjecti, si id referatur in conditionem agentis, etiam nos referemus, cur non producantur illi gradus homogenei; si id referatur in debilitatem principii. Contra erit, æque est agens potens in prima ac in secunda parte temporis. Deinde cur illas vires quas effudit ad alios gradus producendos, in remotioribus partibus, non colliget ad nobiliores gradus producendos, bene enim dicere possemus etiam nos, quod majores vires requirantur ad producendum in eadem parte plures gradus simul, quàm dispersim, nec adhuc reddunt rationem, cur in passo sibi dissimili quoad gradum unum, non possit poni ille unus gradus.

Dices. Supra contra responsionem Oviedo, dictum esse non debere securri, ad naturam agentium.

Respondetur. Dictum est non debere recurri hîc ad naturam ipsorum agentium, quia concessit Oviedo non esse recurrendum, cui tamen ostensum est, quòd ad naturam agentium recurrat. Hîc autem recurritur ad naturam ipsorum agentium, ex concessis.

Retorquetur 2. Argumentum, quærendo, quando producit agens calidum ut octo, in parte proxima tres gradus, an etiam in partibus remotis producat gradum, qui sit homogeneus, cum aliquo ex illis tribus in parte eadem subjecti producas, vel heterogeneus. Non possunt dici heterogenei, quia per illos primus gradus caloris producit nonnisi gradum primum, & secundus secundum, erit ergo homogeneitas. Quodsi gradus in partibus remotioribus producti sunt homogenei, cum gradibus in parte viciniori productis, quærere restat, cur in eadem parte subjecti non fuerint producti. Ergo ulterius, tota sphæra illa, constat gradibus non solum heterogeneis, sed etiam homogeneis. Ergo idem dici poterit de intensione. Denique si illi gradus sunt homogenei, cum eodem tempore producantur cum gradibus productis, in proxima parte, & primum gradum in illa non producit, nisi primus gradus agentis, qui fiat ut unus gradus, vim habeat similes eodem tempore gradus producendi? Unum quidem in propinquiori, & alios in partibus remotioribus; curque illas vires non colligit, vel ad producendos nonnisi heterogeneos, vel ad homogeneos in eadem parte. Neq; valet si dicas. Quòd in eadem parte subjecti, non possent esse plures gradus ejusdem rationis, cur non enim? Sicut possunt esse in eadem sphæra: & si dicatur ex natura agentis oriri, quòd non possit in eadem parte subjecti eos gradus ponere, dicemus & nos, ex natura subjecti oriri, quòd eos gradus simul ponere nõ possit, qui ponũtur divisim.

Retorquetur 3. argumentum. Quia casu quo sit passum intensum ut quatuor, & accedat agens intensum ut quinque, non est ratio cur in passo ut quatuor, non producat gradum ut quinque, nam habet gradum æquè nobilem, qui, non est ratio cur non principiet illum gradum ut quinque. Neq; valet si dicas, quod antecedentes gradus inveniat ab alio principio productos, quæ enim hujus ratio quod jam tunc agere non possit ulterius, etsi invenisset duos gradus, potuisset addere alios duos, cur non illum quintum gradum? Unde in solutione hujus difficultatis non poterit recurri ad heterogeneitatem, ad quam tamen unicè recurritur.

Hac retorsione posita

Suppono. Imprimis agens agere uniformiter difformiter, hoc est producendo sibi similem qualitatem, non tamen cum intensione tanta, qualem habet, & quidem in parte remotiori producendo qualitatẽ minus intensam. Quodsi velis dicere servandam esse hanc uniformem difformitatem, quantumvis in viciniore parte, producat totum simul quod potest sparsim, modo in parte remotiori, producat aliquid non ita intensum, ac in prima, si inquam id velles dicere, verum erit quòd aget tunc agens uniformiter difformiter; sed jam non satisfacies experientiæ & principio, quod jam

Suppo

Suppono 2. Unumquodq; agens, habet activitatis suæ sphæram, in qua agit semper, quod si habet certam activitatis suæ sphæram, obligatum est in tota illa agere. Sed si in partibus vicinioribus produceret id, quod deberet producere, in remotioribus partibus, vel adhuc produceret aliquid in iis partibus remotioribus, vel non produceret. Si nihil produceret. Ergo non impleret sphæram activitatis. Si autem produceret aliquid. Ergo illa sphæra & esset sphæra activitatis illius, ut supponitur; & non esset, quia haberet vires sufficientes ad agendum etiam ultra illam, nam conferendo vires ad producendum in parte viciniori, quod aliàs produxisset in parte remotiori, & tamen agendo etiam in partes remotiores, ostendit sphæram suam agendi, non claudi vi illa priore agendi conversa ad partes viciniores, sed posse illam extendi ad partes remotiores, adeoq; priorem illam sphæram, non esse adæquatam sibi.

Suppono 3. Si ulteriùs quæras, cur unumquodq; agens habeat determinatam activitatis suæ sphæram, reddi potest ratio, quam adferrent oppositi; cur etiam in ipsorum sententia, sit determinatum agens, ad tantam heterogeneitatem graduum, & in tanta extensione ponendam? Ratio rursus reddi potest, quia conditio operandi, sequitur conditionem essendi. Si ergo conditio essendi est limitata, etiam erit limitata conditio operandi. Quodsi quæras, quare tantam & non majorem habeat conditionem operandi, iterato id in conditionem essendi, ita vel sic limitatam referri debet. Videmus enim plura Angelos posse quàm homines, plura Deum, quàm Angelos; exigente ipsa conditione essendi, talem conditionem operandi, ad quam etiam in præsenti attendi debet.

Suppono 4. Quando aliqua sunt æquè limitata in ratione essendi, sunt etiam æquè limitata in ratione operandi, & si unum ex illis non potest aliquid agere, etiam aliud ex illis non potest idem agere, si negatio agendi oriatur ex defectu virtutis. Atq; ita si v.g. calidum ut quatuor, non possit agere aliquid, nec producere aliquem gradum, idque defectu virtutis, nec aliud calidum ut quatuor, poterit quidquam agere, cùm, quæ est ratio non agendi in uno, sit etiam ratio non agendi in alio, nempe defectus virtutis.

Suppono 5. Omnia hactenus dicta, resolvi ultimatè in naturam agentium, à posteriori nobis cognitam. Quod autem non sit absurdum, ultimatè aliquas difficultates in naturam agentium refundere, pluribus ostenditur; & ita v.g. calidum opponitur frigido. Cujus ratio reddi non potest ultima, nisi natura à posteriori per experientiam cognitio. Rursùs, posito quòd dentur species visibiles, penetrant se in eadem parte subjecti, nec tamen efficiunt confusam visionem, cujus ratio ultima, est natura specierum, & sic de reliquis. *His Suppositis*

Respondetur. Primæ difficultai, cur non producantur in prima parte omnes gradus, qui possunt produci in partibus remotioribus; quia scil. agens habet sphæram activitatis determinatam, quam implere non posset, si eos gradus, quos deberet producere in parte remotiori, produceret in parte proxima, ut dictum est supposito secundo.

Respondetur 2. difficultati. Cur scilicet non producatur tanta intensio, quantam in se habet agens accidentale. Quia obligatum est agere uniformiter difformiter, ut dictum est supposito primo & secundo.

Respondetur tertiæ difficultati. Cur passum illud calidum v. g. ut quatuor, non possit producere in seipso quintum gradum. Cur item aliud agens calidum ut quatuor, in eodem passo nihil producere potest, idque ideo, quia duo agentia similia, ejusdem etiam sunt conditionis in operando, ut dictum supposito quarto.

Respondetur difficultati quartæ. Quia actio, semper debet esse in talibus agentibus uniformis difformis: hinc in calido ut quatuor, non potest calidum ut quinque addere illum unum gradum.

Instabis ad responsionem quartam, quòd passum intendere seipsum non possit, non est ex defectu virtutis, sed ex eo quod nihil agat in seipsum.

Respondetur. Sicut ignis se augmentans non dicitur agere in seipsum, quia illud passum in quod suam formam induit, est ab illo distinctum realiter, quamvis postea ratione partium homogenearum, cum illo continuetur, consequenter si calidum ut quatuor, produceret in se quintum gradum, nondum ageret in seipsum, adeoq; quòd in se non producat illum quintum gradum, non debet rejici in hoc, quòd ageret in seipsum. Quodsi transferas difficultatem & inquiras, cur ipsum passum calidum ut quatuor, non possit in seipso producere quintum gradum, recurri debet ad naturam agentium secundùm suppositum quintum.

Punctum Difficultatis 3.

Satisfit instantiis Theologicis.

Objicitur 1. Si staret intensio gradibus homogeneis, non posset salvari intensio visionis beatificæ. Quod ipsum probatur. Qui intensius videt Deum, visio illius est dissimilis visioni eorum, qui vident Deum remissius; supponamus enim unum sanctum videre Deum visione intensa ut octo, quatuor autem sanctos videre Deum visione intensa, ut duo, quo posito visio illius qui videt Deum visione intensa ut octo debet esse dissimilis visioni illi quatuor Sanctorum, si enim non esset dissimilis, æquè illi viderent Deum ac videt ille perfectius videns.

Respondetur communiter, quòd collecti-

vè accepti illi quatuor sancti, æquè perfectè videant, ac videt unus ille, licèt distributivè accepti, non æquè videant; sicut si decem habeant singulos denarios, & unus etiam decem, singuli distributivè accepti non erunt æquales illi uni divitiis, erunt collectivè accepti. Est alius satisfaciendi huic argumento modus, quia scil. intensio, sicut debet recipi in eadem parte subjecti, ita debet recipi intensio actuum in eodem actu, quam unitatem actûs, quia non habent visiones plurium sanctorum, habet autem actus illius unius, fit ut adhuc sit dissimilis in intensione, hæc una Visio, illis aliis pluribus.

Objicitur 2. Sequitur ex nostra sententia, quemlibet justum mereri tantùm gratiæ, quantum in ante præhabuit: nam actus meritorius dignitatem sumit, à persona magis digna dignitate gratiæ; quo posito, demus quod aliquis justus habeat decem gradus gratiæ, ipsum dignificantis, sanè cuilibet gradui dignificanti, debet respondere saltem unus gradus gratiæ, quia uno gradu gratiæ non datur minus. Sequela autem concedi non potest, quia aliàs unusquisque justus, mereri deberet semper duplum gratiæ, quod vix Beatissimæ conceditur. Quæ difficultas locum non habet, si gradus sint heterogenei; facile enim dicetur, actu illo non acquiri gradum gratiæ, superiorem omnibus antecedentibus, sed acquiri gradum nonnisi gratiæ inferioris ordinis.

Respondetur. Negando sequelam. Illam propositionem, actus meritorius sumit dignitatem à persona magis digna, dico esse veram, si cætera sint paria, inter quæ est, ut totus ille habitus, quantùm potest, concurrat ad illum actum. Quia autem non ad unum, quemque actum, concurrit habitus quantùm potest; hinc nec per unumquemque actum, meremur tantùm gratiæ, quantùm præhabuimus.

Instabis ex Hurtado. Casu quo idem objectum pluries videatur v. g. in se, & in speculo; item audiatur sonus & echo, ex utraq; visione & auditione, nõ fit una perfectior visio aut auditio, scil. duplex imperfecta. Ergo major intensio non fit additione gradus ad gradum.

Respondetur. Præter dicta ex Arriaga, quod ad hoc ut dicatur intensio fieri, non solùm sit necesse repræsentari idem objectum, sed eodem modo, cum ergo non eodem modo repræsentetur Objectum in seipso, & in speculo, fit, ut ex duabus visionibus, non constituatur una intensior visio. Quod attinet ad auditionem soni & echo, addit Oviedo, cum corrupto sono directo, tùm primùm fiat Echo, ideo ex sono & Echo una intensior auditio cõstitui non potest, quia illa quæ non existunt eandem intensionem constituere non possunt.

Ad solutionem hujus Instantiæ, & aliorum Argumentorum superius factorum:

Quæres. An visio unius, v. g. sancti, sit intensior non additione gradus ad gradum (idem proportionaliter dicendo de operationibus vitalibus) sed ita, ut effectivè quidem proficiscatur illa intensio visionis Dei, à lumine gloriæ, & in aliis materiis, à potentia fortiore, vel magis applicata: Jam autem formaliter, ab ipsa indivisibili actus entitate, pluribus aliorum actibus æquivalente. *Ad quod affirmandum*

Ratio 1. haberi potest. Si visio (idem dic de quacunq; operatione vitali intensior fieret) additione gradus ad gradum, vel illa additio esset, ratione gradus claritatis ad gradum claritatis, vel additione unius entitatis cognitionis. v. g. spiritualis, ad aliam cognitionem homogeneam neutro ex his modo salvari potest intensio cognitionis. Non primo, quia claritas & evidentia cognitionis, non est quid realiter à cognitione distinctum. Ergo per solam additionem gradûs claritatis, ad gradum claritatis non potest salvari intensio cognitionis, cùm non sit distincta realiter à verbo mentis seu cognitione.

Non etiam secundo modo. Quæro enim, an illa cognitio sit una & indivisibilis, an plures, si est una, ergo illius intensio, non potest salvari per additionem gradus ad gradum: nihil enim additur sibimet ipsi. Si autem illa cognitio est multiplex. Contra erit, quia nemo dicit Sanctum, videntem intensè Deum, dicere simul plures actus circa Deum sed unum nonnisi, & sicut quando aliquis intensè peccat, non dicitur plura peccata committere, sed unum, quòd malitia æquivaleat pluribus; ita idem dicendum de cognitione, quæ est visio Dei, & de aliis actionibus Vitalibus.

Ratio 2. Quia dum cognosco idem objectum quod ante, ex eodem motivo, quo ante, sed nunc clariùs & evidentiùs, vel habeo cognitionem illammet ipsam, quam habui antea, & hoc non, quia à privatione ad habitum non datur regressus. Vel habeo plures similes *illi*, quas habui ante, & hoc non, quia non experimur nos multas habere cogitationes, ex eodem motivo, circa idem objectum. Cùm tamen diversitatem nostrarum cognitionum experiamur in nobis. Et si dicas illas non discerni, quia sunt ex eodem objecto, & de eodem objecto, & ex eodem motivo, cur illas ponis, cum pro illis nec ratio sit nec experientia. Ponamus item de aliquo objecto cognitiones inevidentes, cõant illæ ad intensionem faciendam, vel constituent cognitionem magis evidentem, vel magis inevidentem. Si constituunt magis evidentem: Ergo qui intensius opinatur, evidentius noscit, si evidentius: Ergo habet evidentiam. Opinio autem evidentiam non admittit, consequenter nec ille jam opinabitur. Quodsi illæ cognitiones constituent magis inevidentem cognitionem, ergo & ex pluribus cognitionibus remissis, constituetur potius magis remissa cognitio, quàm intensa, tu autem vis intensionem salvare.

Respon-

Respondebis. Quod opinans, evidentiùs sit habiturus quod opinetur,

Contra. Quia: cognitiones illæ non versantur circa opinionem, tanquam circa objectum penetrando an illud sit opinio. Hinc evidentia, non debet crescere circa opinionem tanquam objectum, saltem solam; sed crescere debet circa objectum opinionis. Restat ergo ut dicas, quod quando ex eodem motivo, & circa idem objectum, nunc clariùs versor, referendum id esse, in conditionem ipsius actus, suprà descriptam.

Ratio 3. est. Quia si ex pluribus cognitionibus remissis, conflaretur una intensior, id ideò fieret, quia etiam ex pluribus gradibus caloris remissis, fit unus intensior, sed hæc ratio non evincit, quia non est absurdum dicere, quod maneat unus gradus, & exspectet ut ita dicam productionem alius gradus; est autem absurdū dicere, quòd una cognitio duret, quousque adveniat alia, numero solo distincta, nulla item est ratio vel experientia, quæ dicat, fieri simul plures illas entitates cognitionum, cumque illę cognitiones etiam plures, secum consistentes, possint facere cognoscentem, pluribus cognitionibus cognoscentem, & non intensius cognoscentem, quomodo dicetur reddi intensiùs cognoscens. Et certè accessu unius, tunc intenditur aliud, quando duo communicare possunt subjecto aliquid, quod unum non communicat, & sic duo gradus caloris intendunt subjectum, quia unus non potest hoc communicare, quòd communicat alius; hinc & ipsum subjectum recipiens calorem, si experientiæ sit capax, experitur de illa additione magis calere. Jam autem duæ cognitiones de eodem objecto, ex eodem motivo, pares item in omnibus, non videtur, quid communicent subjecto, & cur se non habeant ita, sicut nonnisi plures posita cognitio, sine ulla intentione. Denique experimur quod interdum habeamus cognitionem valde debilem de objecto, repetimus cognitionem, æquè manet debilitas, quamvis ratione habitus acquisiti, facilitemur ad illas habendas. Experimur rursus, interdum de eodem objecto, ex eodem motivo, immediatè postea cognitionem sequentem intensiorem, clariorem, evidentiorem esse. Quæro: cur repetitio illa, cognitionem pro prima parte casus non causaverit intensiorem? Quæro, immediatè post succedens, cognitio, quare est intensa? Apparebit autem hujus cognitionis intensionem non haberi præcedentibus, quia in priori parte casus, supponebantur esse plures cognitiones, & tamen nihil plus esse evidentiæ. Neque valet si id referas in id, quòd posteriori cognitioni coëxistant; unde enim de hac coëxistentia?

Dices. Intensio, ex dictis contra Durandum, non fit per productionem excellentioris entitatis, corrupta imperfectiori, Ergo nec intensio cognitionis stabit in indivisibili illius entitate.

Respondetur. Intensionem esse duplicem. Unam formalem, & aliam æquivalentem. Formalis intensio fit additione gradus ad gradum. Æquivalens autem in indivisibili aliquo consistet. In intensione formali, est necesse ut præsupponantur plures gradus, idq; tu existentes. In intensione autem æquivalenti, supponitur nonnisi una illa entitas. Ratio quia cùm illa formalis intensio stet additione, & addi non dicitur quod non est, necessariò deposcetur existentia illorum plurium graduum. Jam autem intensio æquivalens, cùm stet solo uno actu, nō exiget aliorum minus remissiorum coexistentiam. Directè autem ad argumentum dici potest. Durandi sententiam non tenere, ob rationes contra illum supra allatas; quæ non militant pro præsenti.

DIFFICULTAS IV.

De Intensionis termino.

Sicut duplex est terminus, Unus à quo, & alius ad Quem; ita & in intesinone terminus à Quo est parvitas, terminus ad Quem est magnitudo. *Quod attinet ad Terminum parvitatis in intensione.*

Assero 1. *Intensionem rerum materialium, habere terminos parvitatis, ultra quos naturaliter non potest existere.*

Ratio: quia intensio materialis exigit subjectum materiale, subjectum materiale quantitatem, quantitas autem determinat sibi certum minimum, ut explicatum est in quantitate, infra quod minimum conservari non potest. Ergo nec naturaliter conservari poterit intensio materialis, quæ etiam exigit naturaliter subjectum extensum, & hoc appellari potest: terminus parvitatis extrinsecus.

Assero 2. *Posito quòd dari possit punctum materiale, dari etiam potest punctum qualitatis.*

Ratio, quia non est major ratio, pro uno, quàm pro alio.

Assero 3. *Quamvis possit dari punctum qualitatis, non potest dari punctum seu indivisibile intensionis.*

Ratio. Tum quia illud indivisibile intensionis, & esset indivisibile intēsionis, ut supponitur, & nō esset: quia intensio formalis ut supponitur, stat pluralitate partium: nulla autem pluralitas in indivisibili intensionis. Tum quia illud & esset intensum ut supponitur, & non esset intensum. Quia intensio formalis dicit augmentationem, additionem, & quo non posito, non esse illud Tale, magis Tale; jam autem indivisibile excludit ista: imò non apparet, quo tunc illud indivisibile intensionis, esset distinctum ab indivisibili qualitatis, quidquid enim adferetur destruet in indivisibili intensionis, rationem indivisibilis. Tum quia non est de ratione qualitatis esse intensam, aliàs non esset possibilis qua-

litas, non intensa, detur ergo punctum qualitatis; certè per aliud debet constitui in ratione puncti qualitatis, per aliud in ratione puncti intensi qualitatis. Quid autem illud?

Dicesi. Non repugnat existentia intensionis indivisibilis.

Respondetur. Repugnare ex dictis asserto tertio existentiam indivisibilis intensionis formalis.

Dices 2. cum Arriaga. Non magis repugnat existere indivisibile intensionis, quàm indivisibile extensionis.

Respondetur. Hanc objectionem in duplici sensu urgeri posse, nempe quod intensio salvari possit in indivisibili, & in hoc sensu falsum est, posse illam salvari quoad intensionem formalem ob dicta asserto tertio. In secundo sensu hæc difficultas urgeri potest, quia scilicet possibile est punctum, & tamen actu facere extensionem. Ergo etiam possibile est punctum, & tamen intensum. Sed antecedens est falsum in sententia Aristotelis & nostra.

Dices 3. Formæ substantiales existere possunt in indivisibili, & etiam aliquæ accidentales ut quantitas. Ergo etiam reliquæ formæ. Nam quòd sint capaces intensionis non arguit, quòd possent eam aliquando habere, quò differunt à substantialibus, & à quantite, quæ neq; habent, nec habere possunt intensionem.

Respondetur. Si hæc objectio non aliud velit, quàm quòd forma possit salvari in indivisibili, Ergo & qualitas, quæ non sit actu intensa, & intensibilis. Sic nullo modo est contra nos, præcipuè autem si concedatur esse possibile punctum qualitatis.

Dices 4. Continuum componitur ex indivisibilibus, Ergo & intensio.

Respondetur. Etiam posita veritate antecedentis, non evincetur intentum, quia sicut non positis pluribus indivisibilibus non erit continuum, ita & in uno indivisibili non salvabitur intensio.

Dices 5. ex Oviedo contra assertum secundum. Qualitas requirit certam & determinatam intensionem ad operandum, Ergo & ad existendum, Esse enim est propter operari.

Respondetur. Cùm actio semper sit ab excessu, requiretur determinata intensio ad operãdum, quia autem non ostenditur principium, quare non possit dari punctum qualitatis, si impossibile erit sit punctum materiale, ideo adhuc dari poterit punctum qualitatis.

Quod ad Terminum Magnitudinis attinet.

Assero 1. *Quod non omnis qualitas habeat terminum suæ magnitudinis in intensione.* Ratio est, quia non apparet implicantia, quare Divinitus magis & magis augeri non possit lumen gloriæ, v. g. & ex eo profecta Visio beata.

Assero 2. *Qualitates, quæ non sunt dispositiones, etiam intra ordinem, non determinant sibi certam magnitudinem.* Ratio, quia non apparet cur sonus v. g. magis & magis augeri non possit, & cur sonativum majus & majus esse non posset.

Assero 3. *Qualitates, quæ sunt dispositiones, habent terminum suæ magnitudinis intra ordinem naturæ.* Ratio, quia quælibet causa habet determinativam vim agendi, Ergo & intendendi. Rursus omne agens agendo intendit assimilare sibi passum, & cùm ipsum habeat determinatam intensionem, etiam determinatam tribuet.

Utraque hæc ratio videtur multum probare, & impetere assertum secundum. Nam etiam sonativum habet determinativum esse. Ergo devenire erit ad sonum quo non fit major.

Commodiùs per hoc probatur assertum, cùm formæ exigant dispositiones, debet inter illas & formas esse proportio, coęquatio, & correspondentia, quod ipsa inductio ostendit. Et ita eadem specie siccitas, huic quidem elemento nonnisi in excellenti, & alteri in summo competit; si sunt dispositiones æquo minores, non producitur illa forma, v. g. quæ est aurum, sed producitur æs; si autem sint dispositiones meliores, producitur aurum; quod ostendit à formis determinari sibi dispositiones. Addit Oviedo, quòd quamvis aqua exigat frigus ut octo, & ex accidenti fieri possit, ut contra suam exigentiam, careat ista passione aqua, dum calefit, nihilominus fieri non potest, ut supra exigentiam formæ, intensiores producantur dispositiones. Videmus item ignem, qui validissimus est in calefaciendo, non procedere nisi ad determinatum calefaciendi gradum, hoc est similem sui.

DIFFICULTAS V.

De Conditionibus Intensionis.

Conditio omnium agentium: Indistantia est, quam alibi explicuimus: Alia conditio hoc axiomate exprimi solet: Simile non agit in simile; Finis agentis est, agere in similitudinem: Nihil agit in seipsum &c. Ad intelligendam naturam istius conditionis.

Præmitto 1. *Duplicem posse spectari similitudinem inter agens & passum. Primò* similitudinem in Forma substantiali, stantem cum similitudine in qualitatibus activis, v. g. aqua calidissima, & aqua frigida, sunt similes in Forma substantiali, & dissimiles, hîc & nunc in formis activis, caloris & frigoris. Secunda similitudo potest esse in formis substantialibus, & simul in formis accidentalibus activis. Qualis est inter ignem A, & ignem B.

Præmitto 2. *Similitudinem in activis qualitatibus duplicem adhuc spectari posse. Primo* similitudinem nonnisi in sola essentia qualitatum activa-

activarum, dissimilitudinem autem in gradu. Sic v.g. ignis, & aqua tepida, sunt similes in sola essentia qualitatis, quæ est calor; dissimiles autem in gradu, quia ignis est calidus ut octo, aqua autem calida v. g. ut quatuor. *Secundò* similitudo in activis qualitatibus, spectari potest etiam in gradu qualitatis, qualis est quoad calorem in duobus ignibus, quæ ipsa similitudo in activis qualitatibus, tam secundùm speciem qualitatis, quàm etiam secundùm gradum qualitatis, dividitur adhuc in similitudinem, etiam in materialibus agendi conditionibus, & in dissimilitudinem in illis, nomine materialium conditionum, venit extensio, censitas, & cætera similia, sic v.g. ignis receptus in ferro, & ignis accensus in stupa; non sunt æquales in materialibus agendi conditionibus; ignis enim receptus in ferro, est densior igne recepto in stupa.

Præmitto 3. *Non esse quæstionem in hoc, an duo agentia similia in specie, jam autem dissimilia in qualitatibus activis, possint contra se agere.* Certum enim est calidissimam aquam infusam frigidæ, calefacere frigidum; sed est difficultas: An similia in specie, & qualitatibus activis, possunt contra se agere. An verò quæ sunt similia in Essentia qualitatum; dissimilia autem in gradu, agere contra se possint, duplici sensu discutitur. *Primò.* Casu quo unum ab alio non excedatur notabiliter; An scilicet illud nobilius possit agere in minus nobile v. g. Aqua calida ut quinque in aquam calidam ut quatuor. *Secundò.* An ignobilius possit agere in nobilibus, quod alia phrasi exprimitur: An minus intensum, possit agere in magis intensum. Denique difficultas est; An similia in activis qualitatibus, dissimilia quoad Materiales agendi conditiones, agere contra se possint.

Punctum Difficultatis 1.

An simile in omnino Simile agere possit?

Dicendum est, *simile in omnino simile non posse agere.* Est conclusio Aristotelis 1. de Generatione textu 48. 54. 61. 78. 2. Physicorum textu 17. 2. de Anima textu 34. Et de conclusione quidem non est difficultas, sed ratio pro eadem difficulter assignatur.

1. Ratio est, quâ utitur Suarez & Complutenses. Quia agens in tantum agit, in quantum est in actu, & passum in tantùm patitur, in quantum est in potentia, sed duo similia quoad speciē & quoad gradum qualitatis, non sunt in actu, & potentia respectu sui. Major probatur, quia agēs in tantum agit, in quantum virtute sua continet effectū, & passum in tantum patitur, in quantū ex potentia reducitur in actum. Jam autem simile non est in potentia ut sit tale; quale est, sed actu est tale.

Respondetur. Negando minorem, negando item similia respectu sui non esse in actu & in potentia, respectu novi de novo producendi similis, idque probandum fuerat.

2. Ratio est communis. Finis agentis est assimilare sibi passum, quem finem assequi non potest, cùm jam invenit gradus, quos potest producere.

Responderi potest, hoc argumentum non concludere. Supponamus enim assumi à DEO tanquam instrumentum calidum ut quatuor, vel tunc producendo ad duos gradus, producit sibi simile, vel non, si non. Ergo vel non producit calorem, vel non producit talem, qualem produxisset in subjecto, quod nullo calore informatum. Si autem produceret simile, Ergo quamvis naturaliter illos gradus produxisset, non censeretur dissimile sibi produxisse. Rursus hoc principium; simile non potest agere in simile, hîc & nunc non supponitur aliunde cognitum, sed probandum est; unde qui negabit simile non agere in simile, negabit etiam finem agentis esse, assimilare sibi passum, quod ipsum si negetur, manebit nondum probata Conclusio.

3. Ratio, est quâ utitur Oviedo. Quia scilicet calidum ut quatuor, applicatum alteri agenti calido ut quatuor, est potius occupatum in conservandis jam productis gradibus, quàm in aliis producendis. Sed hæc ratio, jam etiam in simili supra ab illo usurpata, à nobis impugnabatur. *Hinc aliter*

Probatur 1. Conclusio experientiâ, quia scil. nunquam deprehensa actio similis omnino, in simile omnio. Rursus calidum ut duo, nō redditur magis calidū, deberet enim reddi calidum usq; ad octavum gradum, quia si calidum ut duo potest producere in illos gradus, etiam quatuor gradus, qui ipsi quatuor gradus, cur non possint alios quatuor usque ad octavum. Quod ipsum in hoc fundatur, quia sc. agens non potest id agere, quod ne agat, est conditione, & naturâ suâ determinatū ad hoc, sed ne simile agat in simile, est conditione & natura sua ad hoc determinatum, ut ostendit experientia, & absurdum quod, ut dixi immediatè, sequeretur.

Probatur 2. Quando sunt duo aliqua ejus rationis, ut non sit ulla ratio, cur unum potius agat, quàm aliud, neutrum aget. Sed sibi similia sunt talia, ut non sit ratio, cur unum potius agere debeat, quàm aliud, Ergo utrumque non aget. Major probatur instantiis, quia quando non est ratio, cur potius hic lapis confringat illum, quàm ille hunc neuter confringit. Æquales item virtutes magneticæ tractivæ suspendunt trahibile, id quod etiam videre est in bilance. Quod ipsum in hoc resolvitur, quia actio determinat semper sibi agentē, & passio passum, ita ut sine hoc, nec quidem possit concipi actio. Ergo si actio non possit sibi determinare agens, idque propterea, quia non est ratio, cur hoc potius subjectum determinet sibi, nunquam poni

actio

actio poterit. Minor autem principalis probatur, quia si esset aliquid, quod nonnisi actionem sibi determinaret, & aliud nonnisi passionem, hoc ipso non essent similia, agere enim & pati non sunt similia, in præsenti autem sunt illa duo similia

Respondebis. Spectare ad Deum determinationem.

Contra erit. Simile additum simili, cùm non agat ut experimur in simile, bene colligimus hanc determinationem non deponi ab illis similibus ponendam à Deo.

Respondebis 2. Ex hoc quòd non sit ratio, cur unum potius agat quàm aliud, sequi debere ut utrumque agat.

Contra, quia hoc tum temporis nonnisi contingit, quando passum est distinctum ab utroque agente, sed non in iis quæ pati deberent & agere eadem omnino.

Respondebis 3. Si calidum ut quatuor, agat in calidum ut quatuor ita, ut constituatur calidum ut sex, non erit ratio cur calidum ut sex, jam dissimile non agat in calidum ut quatuor. Contra hoc ipsum negatur quod calidum ut quatuor, possit agere in calidum aliud ut quatuor.

Probatur 3. Quando duo sunt æqualia virtute, si unum, aliquid tertium agere non possit, nec illud secundum agere poterit, & si unum non supponatur vim habere ad aliud agendum, nec secundum supponetur habere, sed calidum ut quatuor non potest intendere seipsum. Ergo nec aliud calidum ut quatuor poterit intendere.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones hæ petuntur ab experientiis.

1. Experientia est. Duo specula æquè intensa, refundunt in se ad invicem species objectorum.

Respondetur communiter. Unum simile, posse agere in simile, introducendo formam, in qua non sunt similia; & sic duo specula similia, agunt in se, quia unum introducit in aliud idipsum, in quo non sunt similia, nempe speciem. *Hæc responsio*

Non satisfacit. Quia eodem iure dicam, quòd calidum ut quatuor, simile calido ut quatuor, possint in se agere, & unum producere in alio calorem ut quinque, quia inducent formam, in qua non sunt similia, similia enim sunt gradibus quatuor, non quinque.

Respondetur aliter. Hæc propositio: Simile non potest agere in simile, in hoc sensu vera est: quòd scilicet simile non possit producere formam, quæ nata sit præstare id, quod jam præsupponitur haberi, in illis similibus, sive similia sint in homogeneis, sive in heterogeneis. Quia autè duo specula æquè tersa, similia in tersitudine, lucido, & aliis; has perfectiones jam in se non introducunt, sed nonnisi refrangunt species, in quibus non supponebantur esse similia, eodem modo solvenda est experientia: Cur duo vera similia se frangant: cur duo oculi opositi species sibi transmittant, & similia.

2. Experientia est. Una manus calida ut quatuor, sentitur ab alia similiter calida ut quatuor. Ergo agit in illam.

Respondet 1. recentior Suarez. Unam manum sentire aliam, ratione aëris intermedii, qui nunquam est calidus æquè. *Hæc responsio*

Non satisfacit, quia fieri potest ut se illæ manus, quoad aliquas partes contingant immediatè, non mediante aëre. Deinde experimur nos illo tactu pervenire ad id, quod resistit, nempe carnem manus, Ergo calor ille potiùs debet sentiri, qui est in manu.

Respondet 2. idem. Manum unam, sumptam sub potentia tactiva, sentire aliam sub objecta tactûs, quod consistit in duritie, asperitate, &c. Una autem manus penes hæc est dissimilis alteri: una quidem sumpta sub potentia ad tangere, altera ad tangi. *Hæc responsio*

Non satisfacit, quia si potest una manus, sumpta in ratione potentiæ tactivæ, sentire aliam, acceptam sub ratione objecti tactûs, dicam etiam simile agere in simile, simile inquam acceptum sub ratione agentis, in aliud simile sub ratione passi. Deinde procedit argumentum de perceptione ipsiusmet caloris, & urgeri potest difficultas, quomodo si sese sentiant ipsæ asperitates, non agat tunc simile in simile.

Respondet 3. aliquis produci eo casu speciem tactilem, quo posito, agit simile in simile, non secundùm formam, secundùm quam sunt similia. *Hæc responsio*

Non satisfacit. quia dubium est quòd dentur istæ species tactiles. *Hinc aliter*

Respondetur experientiæ. Duæ quidem manus calidæ sentiunt se ad invicem, & de hoc habemus experientiam, sed quod utraque sit æqualis caloris, de hoc nulla est experientia. Casu autem quo æquales essent in calore, possent se sentire, quia non in eo, in quo sunt similes illæ, agerent in se; non enim agerent augendo vel inducendo calorem, aut secundùm qualitates, in quibus sunt similes, sed agerent in ipso sentire, unaquaque habente vim suam sentiendi, & prodeunte in actum illius. Et sicut dum unus intellectus intelligit alium, non agunt illi in se, sic nec duæ manus se invicem sentientes agunt in se.

3. Experientia est. Quando jam Petrus induxit sui species in aëre, potest nihilominus Paulus producere sui species in aëre. Ergo simile potest agere in simile.

Respondent Aliqui, species has differre non solis individuis, eò quòd Essentialiter species

cies Petri, non sit nata repręsentare nisi Petrum; sed quidquid sit de hac doctrina, verũ est imprimis, quòd una species non intendat aliam, tam bene enim si cætera sint paria causat sui visionem Petrus, præsente Paulo ac absente. Rursus quamvis concedatur, quòd una species agat in aliam, non sequitur quòd simile agat in simile, quia ad hoc ut dicatur agere simile in simile, est necesse ut non solum in specie, sed etiam in accidentibus sint similia; secundùm quæ accidentia agunt. Jam autem alia accidentia habet species Pauli, & alia species Petri. Denique quia eæ virtutes, secundùm quas agunt illæ species, sunt virtutes producendi visionem, cumque una species, non causet in alia visionem, quam nata est causare, non censebitur agere secundùm virtutem agendi, quam habet; si non censebitur agere, secundùm virtutem agendi quam habet, hoc ipso non censebitur simile, agere in simile.

Addo, quòd sit aliud quærere: An simile possit agere in simile, & aliud: An subjectum una qualitate informatum, possit qualitate ejusdem rationis iterato informari, si adferat id quod non adfert sola illa. Prima propositio est falsa, secunda vera, ostenditurque etiam in ipsa receptione; similium graduum caloris, in eadẽ parte subjecti. quia autẽ hoc ipsum contingit, in receptione duarum specierum in eadem parte subjecti, consequenter, stare secum illæ poterunt.

Quarta Experientia. Actus ut quatuor, intendit habitum ut quatuor, Ergo simile agit in simile.

Respondetur. Actum & habitum non esse similia; actus enim est quid transiens, habitus quid permanens, nec conveniunt univocè, quòd tamen requiritur ne simile agat in simile.

Quinta Experientia. Sit candela producens lumen ut duo, & alia producens lumen ut duo, si ponantur in aula intendent lucem, & tamen sunt similes. Ergo simile agit in simile.

Respondetur. Non intendetur tunc lumen, non enim producetur ex illa conjunctione quintus gradus luminis.

Sexta Experientia. Fundum lebetis est minus calidum, quàm sit superficies. Ergo fundum quod est minus calidum, potest intendere superficiem ut sit magis calida. Ergo multò magis simile poterit intendere simile.

Responsum huic instantiæ, in materia de actione in distans responsionis tota vis in hoc est, quòd scilicet partes & vapores frigidiores & aquæ & lebetis, illuc concentrentur, concurrentibus illis ad resistendum, illic ubi datur actio contrarii, & deferendo sensim partes remotiores, in quas ita desertas, facilius se exerit vis calefactiva, sed inde nihil sequitur contra conclusionem.

Punctum Difficultatis 3.

Resolvuntur quæsita.

Quæres 1. *An agens minus intensum, possit agere in passum magis intensum?*

Assero, *quod non.*

Ratio, quia quando aliqua duo agentia sunt ejusdem rationis, & unum fortius illorum, non potest aliquid præstare, neque minùs fortè agens potest idem præstare. Sed magis intensum, non potest ulteriorem gradum producere in se, Ergo ne producet minùs intensum, præcipuè cùm actio sit ab excessu.

Dices. Aër non est ita frigidus ut aqua, & nihilominus hyeme facit congelari aquam.

Responderi potest. Congelationem per accidens provenire ab aëre, relicto sibi in suo nativo frigore, sed causatur à frigore aquæ, adventitio frigore aëris, exhalationibus terreis & siccis in fluxu siderum &c.

Quæro 2. *An similis in intensione, dissimilia in materialibus agendi conditionibus, supra explicatis, possint contra se agere?*

Assero 1. Quòd non.

Ratio. Tum quia ita docet Aristoteles primi Physicorum textu 19. 6. Physicorum textu 9. primi de Generatione textu 50. & 77. Tum quia dissimilitudo illa in materialibus agendi conditionibus, non est vis ulla calefaciendi. Tum quia ponatur ferrum, quòd supponitur esse densum, frigidum ut quatuor, ponatur rursus aqua, quæ supponitur esse rara, frigida ut quatuor; immergatur ferrum aquæ, sequitur quod in aqua ferrum illud produceret quintum gradum frigoris, est enim densius, sequitur item quòd aqua in ferro, sit productura quintum gradum frigoris, quia docet Aristoteles 1. Physicorum textu 45. quando agens & patiens conveniunt in materia, & habent aliquam activitatis & resistentiæ portionem, utrique datur actio, & tamen quòd tunc non producatur frigus, experientia ostendit, quàm hîc fallere, nulla ratio ostendit.

Assero 2. *Agens magis extensu, habens cum minus extenso gradum intensionis eundem, non potest agere in minus extensum.*

Ratio, quia præcisa ratio extensionis, non est ratio agendi.

Assero 3. *Densitatem & majorem extensionem conferre ut actio sit celerior & per majorẽ sphæram.* Supponit hanc doctrinam Aristoteles primi Physicorum textu 42. & 5. Physicorum textu 80.

Ratio. Virtus unita est fortior sed in denso est magis unita, Ergo erit in illo fortior, Ergo celeriùs & efficaciùs aget. Rursus, in agente informato qualitatibus activis, eoq; magis extẽso,

plures

plures sunt partes quæ agunt, Ergo celerius agunt, cumque majus spatium occupent, per majorem sphæram poterant actionem suam dispensare. Denique si agens magis extensum, nec celeriùs, nec ad majorem sphæram agit, imponere ligna foco, non faciet quidquam ad calefaciendum, nam ignis parvus & magnus, nonnisi extensione & densitate differunt.

Assero 4. *quod agens tam densius, quàm extensius, non plus producit, quàm possit producere rarum, eodem gradu qualitatis informatum.*

Rationem dat aliquis à simili Mathematico, sit basis. a.b. & super eam fiat triangulus a b c. & super eandem basim a b. fiat aliud triangulum A b d, includens prius triangulum. Hæc duo triangula secundùm basim sunt æqualia, in qualibet autem linea, quæ in eadem vicinitate dari potest, basi parallela erunt inæqualia. Ponamus ergo quod basis a b. sit superficies agentis luminosi ut quatuor rari, & sphæra ejusdem protendatur usque ad c, fiat deinde idem agens densius, & portendat sphæram usque ad d, quo posito quælibet pars sphæræ luminosi densioris aut majoris, fit magis extensè luminosa, quàm fuerit priùs, licèt nulla excedat quartum gradum luminis, quem habuit luminosum ut quatuor rarum, & sicut illa triangula sunt æqualia quoad basim, inæqualia quoad lineas, æqualiter à basi distantes; sic & luminosum ut quatuor, in conditione intensionis erit æquale, cum luminoso ut quatuor raro, quamvis sint inæqualia secundùm quascunque determinatas partes, à virtute agentis luminosi distantes.

Planior Ratio est: Quia tota tam rari quàm densi luminosi, æqualiter intensi activitas petenda est ex viribus quas habet, quæ sunt gradualis intensio, in istis autem viribus sunt æqualia, Ergo.

Dices 1. in oppositum esse Aristotelem.

Prima ejus Authoritas est ex 8. Physicorum, textu 80. ubi dicit in majori magnitudine majorem existere virtutem.

Respondetur. Id verum esse cæteris paribus, eò quòd in majori extensione pluries possit esse intensio, unde etiam in tripalmari igne, in singulis palmis est ignis, hinc Aristoteles intelligit illic majorem virtutem extensivè, non intensivè.

Secunda Authoritas est ex sectione tertia, Problemate 22. ubi dicitur majorem ignem comburere minorem.

Respondetur. Assumptionem istam vulgariter sumi, quæ assumptio est in hoc, quia pabulum illius consumit, sine quo pabulo, non potest esse ignis, occurrentibus duobus ignibus ne simile agat in simile, reprimitur ulterior actio, cessatque incendium.

Dices 2. Experientias esse in oppositum.

Prima Experientia est, Ferrum ignitum non est calidum in summo, cùm non est calidum in summo, cùm non sit ignis, & tamen ignit stupam, quod non potest in aliud referri, nisi in densitatem ferri.

Circa ferrum candens *Triplex circiter invenitur sententia.* *Prima*, quæ docet in ferro esse formam ignis; & hæ facile impugnatur; quia naturaliter duæ formæ substantiales, non possunt eandem Materiam informare, manebit autem tunc etiam forma ferri, siquidem se ferrum reducit ad pristinum frigus. *Secunda sententia* est, quòd ignis nonnisi juxta poros ferri recipiatur; hæc sententia ex toto non est vera, quia quamvis certum sit recipi ignem juxta poros ferri, probabile tamen quòd non in solis recipiatur, quia remanent aliquæ partes, quæ nunquam se reducunt ad pristinam formam ferri. Ergo debet dari principium expellens illam formam, & similem sibi introducens, nempe formam ignis, quæ postea deficientibus dispositionibus, dat locum tertiæ. *Hinc Tertia sententia* est, quòd tam in poris ferri, quàm in aliquibus ejus partibus, contineatur ignis, non erit ergo mirum, quòd igniat stupam.

Instat Toletus. Si ratione ignis contenti intra poros ferri, ignitur stupa, sequitur quòd facilius igniretur stupa à corpore raro, eò quòd plures sint in eo pori.

Respondetur, quod non, quia ista densitas ex dictis, juvat ad citius similem formam producendam.

Secunda Experientia est, quia duæ candelæ intendunt lumen aulæ.

Responsum supra, eo casu extendit nonnisi magis sphætam lucis.

Tertia Experientia est, Major lapis gravior est quàm minor, quantumvis uterque supponatur habere gravitatem æquè intensam. Ergo apparet magnitudinem per se magis esse productivam impulsûs.

Respondetur. Isti qui gravitatem non condistinguunt à materia sub tali forma, facile negabant, quòd major lapis, non magis gravitet minori. Alii dicunt esse lapidem majorem magis ponderosum, non magis gravem, eò quòd gravitas secundùm se sit principium loci acquisitivum, ex quo inferunt gravitatem terræ, esse majorem gravitate aquæ. Jam autem pondus quâ tale, sunt plures partes extensivè corporis gravis, atque ita terra & lapis cujuscunque sint quantitatis, sunt æquè gravia, non enim possunt esse inferius, quàm sub aqua. Supposita autem distinctione gravitatis à re gravi, negari potest experientia; quia partibus illis pluribus vel respondet gravitas singulis, vel non respondet, si non respondet, cùm per se materia neque gravitet neque levitet, magnitudo illarum partium, non faciet magis gravitare. Quod si singulæ habeant gravitatem proportionatam, immeritò supponitur esse illam æquè intensam gravitatem, præcipuè verò quia gravitas quâ talis, fortè sibi non determinat certum gradum sicut & sonus.

Quarta

Quarta experientia est, quod plures homines plus possint portare simul, quam si idem pondus in illos postea partiri velis. Respondetur. Experientiam hanc non posse actu probari; quomodo enim ita pond⁹ dividetur in singulos, ut commensuretur viribus singulorum, & sic fiat, quod poterant portare collectim, poterunt portare divisim.

Quinta Experientia est, quia quando plures clamant, sonus illorum intenditur, & auditur, ubi antea unius vox non audiebatur.

Respondetur in sententia quæ admittit species distinctas à sono, intensio illa in causam æquivocam, nempe in sonum, species intendentem referri potest. Jam autem sive admissis sive negatis speciebus soni, concedi potest, quòd acquirant illæ species vel sonus majorem sphæram, faciliusque permeant aerem, quæ permeatio aeris facilior est, licet non titulo intensionis, sed titulo plurificationis principiorum penetrantium aerem.

Dices 3. Si applicetur calidum ut sex producetur quintus gradus caloris, applicentur duo calida ut sex eidem subjecto, certe debent omnia, simul agendo, producere ad minimum sextum gradum, quia non plura applicantur agentia, magis intensa, intensior producitur effectus. Quod si illa agentia producant sextum gradum caloris. Ergo dissimile in extensione, potest agere in simile in intensionem, illa enim ut sex calida sunt similia in intensione, & dissimilia in extensione nonnisi.

Respondetur. Negando sequelam, negando item quòd quando plura agentia applicãtur, intensior producatur effectus, sed tantum producitur in majori sphæra, & citius.

Instabis. Ubi plus est formæ activæ, illic major est virtus agendi. Sed in calido denso aut magno, plus est formæ activæ, quam in calido raro aut parvo. Ergo.

Respondetur. Ubi plus est formæ quoad vires activas, seu quoad gradus, illic est major virtus agendi, sed non ubi plus est formæ, secundum pluralitatem in sola extensione.

Quæritur 3. *An idem possit agere in seipsum.* Quod agens non possit agere in seipsum producendo seipsum primò, concedunt omnes, licèt divinitùs possit agere in seipsum, producendo seipsum secundo, de quo in Physicis, salvabiturque adhuc illud principium, quod agens non possit agere ut acquirat esse, sed quia jam habet esse, quia enim habet esse primo, potest divinitus agere, ut habeat esse secũdo, quod dum agit, non supponitur jam ante habere esse secundo. Quod item agens non possit agere in seipsum destructiva actione ad hoc plane directa, oritur id ex appetitu innato suæ conservationis. *Restant tamen aliqua particularium discutienda.*

Assero I. *Vniversaliter loquendo non est necesse, ut agens & passum distinguantur suppositis.*

Ratio I. est. Auctoritas Aristotelis 3, Physicorum, textu 27. ubi docet, quod idem possit moveri à se, si in se habeat partem moventem & motam, per ly autem *partes*, non sunt accipiendæ partes Physicæ substantiales, alias Angelus seipsum suis actibus non moveret, sed nomine partis quæcunque pluralitas est accipienda.

Ratio II. Quia si esset necesse, ut agens & passum distinguantur suppositis, vel id intelligendum est de mutationibus, quæ fiunt per actus, vel quæ fiunt per aliquas qualitates ab ipsis actionibus distinctas, si intelligatur de mutationibus quæ fiunt per actus, sequitur homines & Angelum non esse intelligentes, quia intelligunt principiata à se, & in se recepta intellectione, & cum agens & recipiens debeant à se supposítis distingui, homo autem vel Angelus in se sumpti, duo suppositа non sunt, hoc ipso non poterunt intelligere. Quod si concedatur, posse esse agens & patiens idem suppositum, idque respectu mutationum; quæ fiunt per actus, etiam idem suppositum, poterit esse Subjectum respectu mutationum, quæ fiunt per qualitates.

Ratio III. Una pars ligni potest calefacere aliam partem intra idem lignum. Ergo etiam dari actio & passio intra idem suppositum.

Assero 2. *Si sit res Physica, & motus Physicus, & ipsum agens habeat partes continuas, unaque pars in aliam agat, debet intercedere distinctio realis.*

Ratio, quia partes continui distinguuntur realiter quoad entitatem, quoad esse autem formale partium, tunc distinguuntur, quando amittunt unitatem terminorum, quæ tunc amittitur, quia alii sunt termini agentis, & alii patientis partis.

Assero 3. *Per Accidens fieri potest, ut eadem pars sit agens & passum in motu Physico*; per partem autem intelligo, etiam partem ex modo concipiendi.

Ratio, quia intellectus non est distinctus realiter ab anima, est autem pars animæ ex modo concipiendi, & tamen & producit intellectionem, & eam recipit.

Assero 4. *Per se non potest eadem pars agere in se, actione corruptiva*; Et secundum hoc assertum, intelligendus est Aristoteles, primo de Generatione textu 44.

Ratio, quia alias natura malum intendisset, dando vim agendi contra se, licet id per accidens fieri possit, ut cum pars *tabida* inficit sanam.

Assero 5. *Per se potest eadem pars agere in se, actione perfectiva æquivoca.*

Ratio est, quia unaquæque pars Materiæ, emanat ex se suam quantitatem, & naturæ suas passiones. Quando autem in oppositum urgetur: quod non possit esse idem simul in actu & in potentia, id verum est, vel de solo actu existendi, vel quod non possit esse in actu & potentia, respectu eodem.

Assero 6. Alia hæc est propositio inter effectum primo productum, & causam primo

producentem, debet esse relatio realis, & alia inter agens & patiens debet esse distinctio realis. Prima propositio est vera, secunda fallit etiam in principio vitali, quod idem debet agere & recipere.

ASSERO 7. *Non potest idem, secundum eandem partem, agere in se actione univoca.*

RATIO, quia alias idem posset intendere seipsum. Nec obest quòd possit agere in aliud, nam Magnes trahit ferrum, & tamen non trahit seipsum.

DIFFICULTAS VI.

De Speciebus Intensionis.

INtensione superius explicatâ, restant Species; Nempe reflexio, refractio, antiperistasis.

PRÆMITTO I. *Quid sit Reflexio.*

EXPLICAT 1. recentior Suarez, quòd sit directio qualitatis in aliam partem, quàm dirigebatur à producente. *Sed hæc Explicatio*

NON BENE SATISFACIT: Quia posito quod Intensio reflexiva fiat à principali agente, ab eodem dirigitur tam directa quam reflexa qualitas dirigi n. qualitatis quid aliud est, quam producì.

EXPLICAT 2. Ariaga: Quod sit productio qualitatis, quæ ulterius tendere ab interjecto corpore impeditur. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT: Quia reflexio secundum punctum reflexionis, in quo coeunt maximè gradus qualitatis, est vera reflexio, & tamen tunc non est prædicta impeditio, quæ ab aliis partibus, & non à puncto reflexionis fit. Deinde pro priori quo nondum intelligitur peragi reflexio, est jam obsistentia, per quam qualitas non permittitur ulterius progredi, estque illa qualitas jam producta, nam ei quod non est, nihil obsistit, & tamen tunc non est reflexio. Ergo reflexio non bene describitur per productionem qualitatis impeditæ, ne ulteriùs progrediatur.

EXPLICATUR 3. & ut tradatur commodior descriptio reflexionis, dico illam sumi posse vel pro actione, vel pro termino, pro actione sumpta, est actio producens qualitatem intensiorem, posita obsistentia corporis apti. Sumpta autem pro termino, est intensior qualitas producta ad obsistentiam corporis apti. Est autem hæc descriptio distincta à priori, quia hæc ostendit & ponit productionem ejus, quod non antecedit illam obsistentiam, sed post illam ponitur.

PRÆMITTO II. Experientia constare *quod detur Reflexio.* Videmus enim quòd si opponatur speculum Soli, major producatur lux, quam quando est lux in aere medio.

PRÆMITTO 3. *In tribus potissimum qualitatibus* fieri reflexionem. *Primo* in lumine, *secundo* in speciebus intentionalibus. *Tertio* in calore. Sed in istis posterioribus, potius concedi deberet refractio; & ita ob refractas species, in aqua, apparet baculus fructus, & dum obsistunt parietes hypocausti, calor refractus concentratur.

PRÆMITTO IV. *Rigorosè loquendo, aliud esse refractionem, aliud reflexionem:* Quia refractio qua talis, non dicit ullam intensionem, sed solum obsistentiam, ne ulterius progrediatur ad latitudinem suæ sphæræ, vel qualitas vel species, & sic v.g. echo, fit ex refractione soni vel specierum, & non importat ullam intensionem, refractio specierum ligni in aqua, non importat ullam intensionem earundem, in vitro item triangulari, refractio quæ causat varietatem apparentium colorum, non videtur augere species, quamvis alia sui parte illas augeat. Hinc experimur, quod appareat nobis oculus aspicientis per triangulum in enormem magnitudinem diductus; Coincidunt tamen ut plurimum reflexio & refractio, quando refractio etiam intensionem habet. Secundum autem se spectata refractio describi potest; Quod sit qualitatis, ratione corporis obsistentis, tenuosa permeatio.

PRÆMITTO V. *In quo sit in præsenti difficultas.* Ad tria ferme attendi debet. *Primò*, ut ostendatur quomodo posita obsistentia corporis, quam præsupponit reflexio, simile v. g. corpus obstens, informatum luce, non agat in simile, hoc est, in medium, quod supponitur simili luce affectum. *Secundo*, salvari debet quomodo minus intensum non agat in magis intensum, nam in corpore obsistente, & reflectente, non est tanta lux, quanta in puncto reflexionis. *Tertio*, salvari debet, quomodo actio non fiat in distans, nam partes viciniores corpori reflectenti, non sunt ita lucidæ, atque sunt lucidæ, in puncto reflexionis.

Præmitto sexto notionem aliquorum terminorum.

PRIMUS TERMINUS est, *Corpus densum*, quod hic non sumitur pro corpore affecto densitate, prout illo opponitur adventitiæ raritati. Nec accipitur hic pro quocunque non fluido, vel non liquido, quia certè aqua est fluida, & tamen reflectit radios solares, refrangit species, & similia. Accipitur itaque hic densum, pro quocunque corpore, non facile permeabili.

SECUNDUS TERMINUS est, *Corpus opacum.* Nomine corporis opaci venit corpus, quod quà tale, non est aptum habere speciem, ad id complentem, ad quod ordinatur, & ita paries est corpus opacum. Neque enim qua talis, potest repræsentare Solem vel lucem, eo modo, quo repræsentatur in aqua vel in speculo: Huic Opaco est oppositum diaphanum.

TERTIUS TERMINUS est *Corpus terssum.* Nomine corporis terti venit corpus, partes immediatas aliquas non habens sensibiliter eminentiores aliis; Dixi partes immediatas, quia in vitro votivo, partes quæ sunt in medio, eminentiores aliis sunt, & tamen vitrum ustivum & reflectit & refringit. Dixi sensibiliter eminentiores, quia si simpliciter non essent eminentiores, non

posset

posset unquam corpus eo modo protuberare, quo protuberat vitrum votivum.

Præmitto 7. *Nomine Antiperistaseos, venire intensionem unius qualitatis, ad præsentiam contrariæ illam circumstantis.* Et quidem circa illam in hoc tot difficultas, quomodo fiat, non autem quod fiat: quòd enim fiat experientiæ videntur urgere; nam aqua est calidior tempore hyemis, quam sit tempore æstatis. Calx item viva, injecta frigidæ, concipit ignem. Nullaque est ratio negandi has experientias, potiusque ille tepor in calorem referri debet, & in alias causas magis proportionatas, quam in alia principia.

Assignatur causa Reflextonis & Antiperistaseos.

Suppono I. *Quod ipsa obsistentia corporis juvet ut agens principale ponat intensiorem qualitatem.* Non permittendo, ut in ulteriores partes sphæræ distribuatur.

Ratio I. est. Quia agens principale intensivum, non est cognoscitivum, nec scit sibi obsistere corpus. Ex altera parte cum sit agens necessarium, aget qualitatem, quam agere nata est, nec cessabit à productione qualitatis, quæ occupasset ulteriores partes sphæræ; si non cessat à productione ejus qualitatis, ergo illam producit, si illam producit, necessario illa in iisdem partibus subjecti recipi debet, in quibus recepta est qualitas prius producta, si recipitur in iisdem partibus: Ergo fit intensio, quæ stat, plurium partium qualitatis receptione, intra easdem partes subjecti. Ergo ulterius obsistentia corporis qua talis, conducit ad intensionem. Et per hoc suppositum explicatur, quomodo obsistentia corporis habeat se per modum conditionis, & quo pacto illa est conditio, non tantum non impediens, sed etiam conducens ad intensionem. Explicatur item, quo pacto procedat principale agens ad intensionem, posita illa obsistentia.

Ratio II. Quia nisi ipsa obsistentia conduceret ab intensionem, & nisi reflecteret illam qualitatem, quæ potuisset poni in ulterioribus partibus sphæræ, immeritò vocaretur illa Reflexio, sed deberet potius vocare desitio, vel potius faciens desinere actionem, & qualitatem; ad eum modum, quo, cum pila plumbea allidit pavimento, non dicitur illa pila reflecti, quia desinit tantum impulsus ille.

Ratio III. Accendatur thus in cubiculo, fumus ille odoratus, allidit se ad parietes cubiculi, & nihilominus pergit ulterius ignis in producendo fumo odorato, qui ulteriores partes sphæræ activitatis occupasset, si illis parietibus locus concluſus non fuisset; Cur ergo etiam de reflexione universaliter id non dicetur. Quæ omnia in hoc ulterius resolvuntur: quia posito quod impediat obsistens, ne ulterius producta qualitas protendatur, non est ratio, cur desinat agere principale agens, cum nondum assimilarit sibi passum totum, in quod agit, & habeat virtutem assimilandi, si non desinit agere agens; producta qualitas, cum sit accidens, necessario in subjecto recipi debet; & quia jam invenit subjectum informatum, ut dictum, non primo illud informabit, sed informatum intendet.

Respondebis: Si suppositum sit verum, sequitur quod totam sphæram sine obsistentia ulla corporum, possit agens magis & magis intendere: nam semper procedet in agendo; & producta qualitas, inveniet jam consimili qualitate informatum medium.

Contra. Quia si agatur de tota sphæra æqualiter intendenda, falsum assumit responsio, aget enim semper agens uniformiter difformiter. Si autem nonnisi agatur de intensione uniformi difformi; in duplici adhuc suppositione procedere potest responsio. Inprimis de intensione qualitatum habentium contrarium: & in isto casu, potest tamen aliquantulum plus quam prius fecerit, intendere, nihilominus propter reactionem mutuam, non potest magis & magis intendere. Si autem sit qualitas non habens contrarium, hæc etiam ex duplici capite intendi non potest. Primo, quia cum qualitas producta, v.g. lux in aëre, perpetuo fluctu & in sequente aëre, nova debet produci lux, & sic luminosum est occupatũ in producenda luce nonnisi de novo, si autem medium constanter retineat productam qualitatem, v.g. lucem, necdum sequeretur illam magis & magis intendi, quia luminosum, statim producit, quidquid potest, usque ad terminos corporis obsistentis, hinc quali intensione primo produxit, tali & conservat, ex altera parte, non est unde saltem per accidens fiat intensior qualitas.

Suppono II. Præter obsistentiam corporis, ex alio etiam principio oriri intensionem, v.g. lucis, & ex illa orti caloris, quod jam explicatur. Corpus diaphanum habet hoc, ut incidentes in illud species, compleant illam diaphanitatem, v.g. ut ex perspicua potentia fiat perspicuum actu. Porro, hoc perspicuum actu, fit, cum positis illis speciebus, efformatur luminosi principalis in illo corpore species expressa. Quod vero tunc efformetur species expressa luminosi, vel cujuscunque alius objecti effundentis species visibiles. Ratio est, quia verè id quod est cognitio hominis, est species expressa hominis, pictura item, est species expressa artificialis. Cur ergo non dicetur etiam in diaphano corpore, exprimi speciem expressam luminosi, v. g. referendo id in conditionem & naturam ipsius diaphani, ipsa experientia probatam. Quod autem hæc species expressa principalis luminosi, conferat ad intensionem. Ratio est in primis experientia, experimur enim, quotiescunque ponitur expressa hæc species, quod intensio sequatur. Deinde species expressa objecti, est quasi repetita illius positio, congruit ergo, ut habeat repetitam quasi vim agendi, illud, quod agit principale.

Suppono 3. *Triplicis in præsenti reflectionis habendam esse rationem. Primo* ejus quæ fit in pariete: *Secundo* ejus quæ fit in speculo. *Tertio* ejus quæ fit in vitro ustivo. Harum trium reflexionum in hoc est differentia: quia prior reflectit lucem, sed principale luminosum non repræsentat. Secunda & reflectit, & repræsentat. Tertia & reflectit & repræsentat, & transmittit fortius, quam si immediate egisset agens. Rursus sicut triplex est conditio ipsorum corporum reflectentium, sic & duplex est conditio qualitatum reflexibilium, quales ordinariè in præsenti considerantur: Calor scilicet & Lux. Porro calor reflexus à pariete, non semper est tantus, quantus est in partibus vicinioribus principali calefactivo; Jam autem lux reflexa major est in pariete, quam in partibus, & in medio, inter parietem & luminarum principale interceptum.

Suppono IV. *Cur lux sit major in pariete reflectente in debita distantia & minor interdum calor.* Dixi interdum, quia à Sole, magis calefit, v.g. paries, quam aër intermedius. Cujus missis aliis rationibus, hæc posset dari causa, nempe natura qualitatis, & natura principalis agentis. Deinde quia paries est magis densus, quæ densitas resistit calori, & hæc resistentia ægre superatur, licet hac resistentia victa, major possit postea reperiri calor in pariete, etiam semoto principali calefactivo.

Suppono V. *Ex jam præsuppositis, salvari ea, quæ diximus supra, in hac materia salvanda fuisse. Salvatur inprimis;* Cur simile non agat in simile, quia intensio illa effectivè proficiscitur ab ipso principali agente, posita obsistentia corporis oppositi. *Salvatur item,* quod minus intensum non agat in magis intensum, quia tota illa actio non debet tribui qualitati receptæ, sed ipsi principali, quod eousque qualitatem intendet, quousque habebit virtutem naturalem illam intendendi. *Denig, salvatur,* quomodo cum in corpore obsistente, quantumvis producatur intensior qualitas, non agatur tamen in distans, quia toto medio transmittitur qualitas ininterrupta. Quando autem in vitro ustivo oppositio Soli, non perficitur nisi incerta parte ustio, rejici debet in transmissionem radiorum, quæ fit pyramidaliter basi, quæ basis quasi inhæret vitro, cujus conus pars ea est, ubi perficitur ustio.

Ex his suppositis

Ratio majoris intensionis ex reflexione est.

Quia qualitas spargenda in partes ulteriores sphæræ, impeditur à corpore obsistente ne ulterius progrediatur, pergit autem principale in producenda quam potest qualitate, quæ qualitas quia est accidens, recipi debet in subjecto. Quod ipsum subjectum, quia jam est simili qualitate informatum, ex adventu similis alius qualitatis, intenditur.

Antiperistasεos autem causa est, inprimis in corpore calido. Quia scilicet illud dum obsidetur à corpore frigido, habet extimas sui partes constrictas, qua constrictione posita, partes calidiores & tenuiores prohibentur exspirare, exspiratio neque prohibita, totus ille calor introrsum continetur, & tamen dum principale agens pergit in agendo, id, quod deberet in partes remotiores diffundi, in vicinioribus partibus ponitur, adeoque intenditur. Hocque significavit Aristoteles 1. Meteororum summa 3. capite 1. 41. Meteororum summa 7. capite 2. & Problemate 23. & 29. Si ulterius velis indagare, cur calx oleo superfusa non ardeat, ardeat autem aqua superfusa, id referri debet in hoc principium, quia oleum cum sit subtilioris naturæ quam aqua, hinc ei semper supernatat, non potest ita constringere partes extimas calcis, adeoque minus prohibet, ne calidæ exhalationes calcis exspirent. Rursus in corpore frigido, quando scilicet circumobsessum frigidum à calido, intendit suum frigus, hæc ratio intensionis assignari posset. Quia calidum laxat poros frigidi, quibus laxatis, exhalationes calidæ & tenues facilius exeunt, relinquuntque corpus cum sola qualitate, aut majori prædominio frigidi. Hæc omnia cæteris paribus sunt accipienda. Quia quando tepida aqua exponitur frigori, citius congelatur, quam calida, cum tamen propter circumpositum frigus intendi deberet adeoque diutius resistere. Accipiendum inquam hoc est cæteris paribus, nam si sit corpus circumobsidens excedens activitate, intendatque etiam illam, sequetur potius citius expulsio oppositi, ut contigit in congelatione aquæ tepidæ.

DIFFICULTAS VII.

De Impedimentis Intensionis.

Sub hoc titulo agetur inprimis de Resistentia qualitatum, deinde de reactione & repassione.

Præmitto I. *Qualitates contrarias, quales sunt, v.g. calor & frigus, posse esse secum naturaliter in gradu remisso.* Est assertum Aristotelis 5. Physicorum textu 19. & Metaphysicorum textu 36. Ratio, quia quando calefit aqua, vel ponitur aliquid caloris, vel non! Si non ponitur caloris aliquid, ergo non calefit, quod est contra suppositionem, supponitur enim calefieri, calefieri autem non potest, nisi calore, sicut nec dealbari nisi albedine, quod si cum calefit aqua, producitur aliquid caloris, vel manet aliquid frigoris, vel non, si non manet. Ergo extemplo fit calidum, quod falsum est: Si manet aliquid frigoris. Ergo cum nec sit maximus calor, nec maximum frigus, manebunt illæ duæ qualitates in eodem subjecto, secundum gradus remissos.

Respon-

Respondet Gregorius, producit tunc non nisi qualitatem mediam, ita ut color rubeus, vel cæruleus, misceatur ex coloribus extremis.

Contra. Tum quia, si illa qualitas media, indivisibiliter una, potest esse partim calida, partim frigida. Ergo multo magis subjectum, ratione diversarum qualitatum, potest esse partim calidum, partim frigidum, & si calor & frigus, non eam habent contrarietatem, quo minus possint eandem indivisibilem entitatem constituere. Ergo nec habent talem entitatem, ut se in gradibus remissis non possint compati; difficilius enim est, imo & impossibile, ut eadem sit anima bovis, & asini, licet saltem divinitus secum stare possint. Tum quia salvari potest remissio per amissionem præexistentium graduum. Ergo sine necessitate ad novas entitates recurretur. Tum quia non implicat istos gradus remissos secum stare, nec quidquam arguit, id de facto, non evenire.

Dices I. In oppositum esse paritates aliquas.

Prima paritas est. Assensus & dissensus, amor & odium, non possunt se compati in gradibus remissis. Ergo nec frigus & calor.

Respondetur, *Disparitas est*, quia pro priori nulla est experientia, quæ habetur pro posteriori, ad eum modum, quo nec ipsi oppositi admittent qualitatem neutram odii & amoris. Rursus, quia supponitur à communiore sententia in entitate positiva assensus, fundari consequenter negatio dissensus, consequenter infertur non posse illos stare secum. Jam autem positio aliquorum graduum, non infert negationem aliorum graduum, & hoc est remissos gradus secum stare.

Secunda Paritas est. Idem non potest esse magis & minus calidum. Ergo neque simul calidum & frigidum.

Respondetur. Magis & minus calidum, spectari possunt vel ratione diversarum formarum, vel ratione ejusdem. Si spectentur ratione diversarum formarum, & graduum, falsum est antecedens, consequenter etiam ratione diversarum formarum, poterit aliquid esse partim frigidum, partim calidum. Si autem difficultas procedat de magis calido & minus calido, respectu ejusdem formæ, id non poterit evenire, quia nihil respectu eodem, est magis & minus; non eodem autem respectu, illa aqua esset frigida & calida.

Tertia Paritas est. Non potest idem calefacere & frigefacere, simul congregare & disgregare heterogenea. Ergo nec simul esse calidum & frigidum.

Respondetur, Antecedens esse verum, ratione ejusdem formæ, & principii immediati; nego autem ab eadem forma & principio immediato, esse illic calidum & frigidum.

Dices II. Calor & frigus, etiam in remississimis gradibus accepta, sunt adhuc contraria. Ergo esse in eodem subjecto non possunt.

Respondetur. Non ideo calor & frigus intensus non possunt esse simul in eodem subjecto, quia sunt simpliciter contraria, sed quia sunt contraria in excellenti, nullumque datur principium, quod utramque æqualitatem inducere possit in idem subjectum, quod à posteriori experientia probat. Jam autem experientia probat dari tepidum, scilicet utroque opposito habito, non in gradu excellenti.

Dices 3. Aristoteles videtur negare, quod possit esse aliquid album & nigrum. Respondetur. Procedere doctrinam Aristotelis de albo & nigro, sine addito, adeoque sumptis in excellenti.

Præmitto II. Duas qualitates etiam in gradu excellenti contrarias, posse divinitus in eodem subjecto esse. Ratio, quia id non implicat, probaturque in simili de formis substantialibus in Physica.

Præmitto III. Tunc dum naturaliter in gradibus remissis, stant secum qualitates contrariæ, faciunt sibi resistentiam, reagunt & repatiuntur, quod etiam contingeret, si divinitus in gradibus intensis secum starent, & ab agendo & reagendo non impedirentur à Deo. *Ut hoc totum intelligatur, sit*

Punctum Difficultatis I.

De Resistentia qualitatum.

Quæres I. *Quotuplex sit Resistentia.*

Assero, *duplicem esse Resistentiam.* Unam Positivam, aliam Negativam. Seu quod idem est, unam activam, & aliam nonnisi formalem, vel phrasi Suarii. Unam per immediatam repugnantiam, hoc est nihil producendo, & alia est per resistentiam radicalem, sitam in diminutione virtutis alius contrarii, sic v. g. dum calor reagit contra frigus, dicitur habere resistentiam positivam, seu activam, seu radicalem, seu diminutivam virium sui contrarii. Quando autem nihil agendo, petit una forma, ne altera secum informet idem subjectum, ista dicitur resistentia formalis negativa, seu per immediatam repugnantiam. *Sed aliter*

Explicant I. Conimbricenses Resistentiam negativam, & eam condistinguunt à privativa. Resistentiam negativam appellant incapacitatem subjecti ad formam aliquam recipiendam. Resistentiam autem privativam tribuunt subjectis formæ capacibus, cum ei tamen ægrè aut neutiquam cedant. Prior resistentia

conveniet Angelo, aut unicuique substantiæ spirituali, respectu accidentium materialium, præcipuè quantitatis. Secundam resistentiam habet lapis, ne frangatur, vel ne moveatur sursum. *Hæc explicatio*

Non Satisfacit. Quia resistentia illa negativa, est potius incapacitas, incapacitas autem, non est idem cum resistentia, sicut homo non dicitur resistere, ne etiam supernaturaliter sit Leo, sed potius est incapax ut sit, resistentiaque potius importat contendentiam ne vincatur, cum cæteroqui quocunque modo vinci possit. Angelusque non dicitur resistere ne illi naturaliter uniatur quantitas; sed incapax est.

Explicat II. Oviedo hic controversia 6. numero 1. & condistinguit resistentiam activam. Unam quidem secundùm quam, una qualitas immediate agit in aliam, & hanc dicit esse impropriam resistentiam, & aliam secundùm quam unum, non agit in aliud, & tamen active illi resistit, eamque resistentiam dicit esse propriam. Quod ipsum ita proponit. Ponamus duo agentia contraria, quorum neutrum agit in aliud, idque ideo quia vel Deus illis denegat concursum, ne in se agant, vel sunt posita extra sphæram, ut in se agere non possint. Ponamus rursus quod illa duo agentia contraria, agant in tertium passum. Ponamus deinde quod calidum ut octo, applicatum illi passo, producat gradus quatuor caloris, & frigidum ut octo, quatuor vel tres gradus frigoris; quo casu, illa duo contraria, impedient se, quia calidum ut octo produxisset septem gradus caloris, nisi illi restitisset frigidum ut octo, & tamen hæc resistentia non est formalis, quia formalis resistentia consistit in informatione qualitatum. Jam autem antecedenter ad calorem productum, resistebat agens calidum, ne frigidum præoccuparet subjectum, frigiditate producta; imò hæc resistentia præcedebat natura productionem qualitatum, adeoque resistentiam formalem, quæ ipsis formis identificatur. Non ergo illa resistentia est formalis, non etiam illa resistentia, & resistentia activa, qualem ponit communis sententia, quia hæc stat in destructione cõtrarii, vel gradus ipsius, quæ destructis tunc non peragitur. *Hæc Explicatio*

Non Satisfacit I. Quia confundit duo quæ erant distinguenda. Alia hæc est propositio, an præter resistentiam formalem & activam, possit ex alio capite fieri repugnantia & impeditio, ne aliquæ formæ sint in eodem subjecto: & alia, an inter ipsas formas quà tales, detur alia repugnantia, quam formalis & activa. Prior propositio quam probat Oviedo, est vera, unde illa impeditio, potest fieri ab incapacitate subjecti, & à defectu virium agentis. Posterior propositio est falsa, nec eam probat argumentum Oviedo.

Non Satisfacit II. Quia suppositio, secundùm quam illæ duæ formæ non agunt in se, bona est. Nam supposito quod DEUS illis formis subtrahat concursum activum, adhuc illæ habent repugnantiam activam, non quidem actu exercitam, sed exercibilem. Sicut impediente DEO ne quantitas extendat in ordine ad locum, adhuc quantitati convenit extensio proxima in ordine ad locum. Altera suppositio, in qua ponuntur illa agentia contraria, extra sphæram agendi contra se, non concludit quod illis non competat adhuc eo casu resistentia activa. Si scilicet conditio hæc, quæ est poni agentia, in certa sphæra, ponatur, quanquam si dicatur poni extra sphæram illa agentia, non debet id rejici in resistentiam aliquam, ut vult Oviedo; hæc enim non habetur, si agens extra sphæram sit, sed potius in impotentiam. Ergo ostenditur potius impotentia, quàm nova aliqua præter dictas resistentia.

Non Satisfacit III. Quia non probat Oviedo, quod eo casu non detur reactio & repassio, adeoque quod tunc non sit resistentia activa.

Quæres II. *Quid sit Resistentia formarum?*

Repugnantia communis ad Formalem & Activam. Est repugnantia seu disconvenientia formarum inter se. Hæc ipsa dividitur in eam, quæ est per ipsam entitatem formæ, & vocatur formalis. Et in eam, quæ petitur ex productione alicujus qualitatis, & hæc vocatur activa: *Explicanda erit utraq;*.

Assero I. *Resistentiam formalem, si sumatur secundum quod subest nostris conceptibus, non aliud est, quam formalitas*, secundum quam, una forma incompossibilis est cum alia, exigitque suam solitariam conservationem. Dicit illi formalitas incompossibilitatem cum alia forma, si enim esset compossibilis, non interveniret resistentia. Sicut quia albedo & dulcedo sunt compossibiles, non resistunt sibi, deposcit item solitariam sui conservationem, quia si illam non exigit, posita forma contraria non cessebitur resistere illi, sed potius cedere. Sic explicata resistentia, convenit radicaliter & remotè etiam non productis formis, proximè autem, jam productis.

Assero II. *Resistentiam formarum in Re, non aliud esse quam ipsam entitatem formarum* quæ ex sua ratione specifica deposcunt, ne simul informent idem subjectum. Dixi ex ratione specifica, quia gradus duo caloris, non possunt informare subjectum, quod jam informant gradus octo caloris, neque tamen gradus duo caloris dicunt resistentiam, cum octo gradibus caloris, ita

ita ut illa incompossibilitas, non ex oppositione formarum oriatur, sed ex incapacitate subjecti. E contrà gradus frigoris ut tria, cum gradibus caloris ut quinque, dicunt resistentiam formalem, quamvis idem subjectum informare possint, quia habent ex ratione sua specificam resistentiam.

Quæres III. *Quotuplex sit Resistentia formalis?*

Condistinguit hìc Oviedo Resistentiam formalem, in resistentiam in actu primo & resistentiam in actu secundo. Resistentiam in actu primo, dicit fieri per ipsam entitatem formalem. Resistentiam autem in actu secundo, dicit constitui per præsentiam contrarii in actu secundo. *Vt hæc difficultas resolvatur.*

Assero I. *Resistentiam Formalem in actu secundo, attendendo ad modos nostros concipiendi, non constitui per hoc, quia illi aliquid contrariatur, vel opponitur contrariando, tanquam terminus.*

Ratio, quia Resistentia ex modo nostro concipiendi non est illud contrarium, sed contra contrarium. Ergo contrarium potius erit terminus illius oppositionis, in actu secundo, & non oppositio, adeoque nec ipsa resistentia formaliter sumpta.

Assero II. *Resistentiam formalem in actu secundo ex modo nostro concipiendi, esse formalitatem, in actu exercito opponentem sese contrario.*

Ratio, quia si oppositio formalis exerceretur aliquo superaddito, tunc resistentia formalis, esset. Actus Physicus secundus, ut Quo opponendi. Ergo si resistentia illa sit aliquid non nisi ratione distinctum, erit mera formalitas, resistentia ut Quo.

Assero III. *Spectatam Resistentiam formalem in actu secundo in re ipsa esse ipsammet entitatem ita circumstantionatam contrario actuali.*

Ratio, quia nulla est necessitas condistinguendæ illius resistentiæ entitativè, ab ipsismet formis.

Punctum Difficultatis 2.

Quid Resistentia formarum sita in appetitu conservationis suæ solitariæ.

Assero I. *Quod ex modo nostro concipiendi hic appetitus conservationis, sit quasi actus aliquis elicitus Formæ* qua petit à causa cõservante, ut procedat ulterius in ea actione, qua primo illam qualitatem produxit, vel suppleat illam actionem, pergatve, supplere qua erat primo producta. Dixi quod id sub disjunctione petat forma, quia etiam res non eodem modo omnes conservantur, interdumque aliud est producens, aliud conservans.

Ratio autem asserti est, quia appetitus elicitus, nobis notior, concipitur à nobis, immo & est actus quidam. Ergò ex notiori arguendo ad ignotius, etiam appetitus innatus, ita concipiendus erit.

Assero II. *Appetitum illum conservationis in resistentia formali, nihil aliud in re esse, nisi ipsam entitatem.* Secundùm cursum naturæ natam tam diu esse extra causas, esseque in actu.

Ratio, quia etiam appetitus naturæ ad formas, nihil aliud in re est, quàm ipsa materia capax formarum. Ergò & ipse appetitus conservationis, nihil aliud in re erit, nisi ita sicut circumscribitur accepta entitas.

Quod si ulterius quærat, quæ sit mensura ut tantùm vel tantùm duret forma, adeoque petat conservari, hoc determinativum interdum petitur & ex ipsa entitate, & ita anima in æternũ petit durare: interdum hoc determinativum habetur à sola libera voluntate Dei, & ita liberè determinat Deus, ut tantum vel tantum duret visio beatifica; determinari itẽ possunt à negatione cõtrariæ formæ, & hoc modo petunt cœli semper durare: quia formæ calorum, nihil est contrarium; determinantur item si non producatur opposita forma, aut quod adhuc integræ sint dispositiones, &c.

Casu autem quo duæ formæ deposcant conservari, illa potius conservabitur, quæ magis petet, major autem petitio sita est, in naturali conditione formæ, quod si utraque æqualiter petat se conservari, illa potius conservabitur, quam deposcent alia entia conservari in sui bonum. Si autem nulla sit talis illarum formarum, pro hac potius conservanda determinatio, spectabit ad authorem naturæ.

Decidendum *adhuc restat pro quo instanti dicat forma appetitum conservationis.* Quod ita explicat. Oviedo & supponit, quòd forma pro conservatione deposcere possit, tam conservationem sui, quam negationem contrariæ qualitatis: dicitque quod forma in instanti A, pro quo supponitur existere, non exigat in actu secundo conservationem sui, sed existens in instanti A, deposcit in instanti A, conservationem sui pro instanti B, quamvis existens in instanti A, deposcat in instanti negationem contrariæ qualitatis pro instanti A.

Quod qualitas existens in instanti A, non deposcat conservationem sui pro instanti A, rationem reddit. Quia forma pro quo instanti resistit, pro eo instanti supponi debet existe-

re, neque enim resistere potest quod non existit, pro eo instanti pro quo resistit, supponitur existere. Ergo supponitur pro illo instanti non posse non existere. Ergo supponitur pro illo instanti non posse corrumpi. Ergo supponitur pro illo instanti non resistere corruptioni faciendæ in eodem instanti. Quia resistentia in actu secundo debet esse respectu rei possibilis, & respectu rei, quæ, ablata resistentia, fieri posset. Jam autem impossibile est id quod conservatur pro instanti A, non conservari pro eodem.

Hæc doctrina Oviedo.

Non Satisfacit I. Quia libertas maxima est, libertas in actu secundo, & pro instanti, quo fit exercitium actus; quod, pro illo instanti, impossibile est non esse. Ergo etiam maxima resistentia est, resistentia invincibilis, & pro eo instanti quo res supponitur esse in actu secundo, & quam pro illo instanti impossibile est non esse, cum præcipuè Oviedo id etiam velit esse resistentiam, quod dicit impossibilitatem & incapacitatem, & sicut actus liber nonnisi ex suppositione habet hoc, quod impossibile est, non esse ipsum; sic & illa resistentia, erit ex suppositione nonnisi conservationis, adeoque appetitus ad illam. Quod si impossibilitas quin sit actus liber, cum est, non destruit libertatem. Ergo & impossibilitas ut non sit, non destruet resistentiam, nec destruet appetitum ad conservari.

Addo. Quia illa resistentia nihil aliud est in re, quam ipsa entitas habens jus existendi. Sed cum de facto existit, est entitas, & habet jus existendi. Ergo & dicit resistentiam.

Non Satisfacit II. Quia non condistinguit in uno eodemque instanti temporis, duo instantia rationis: Potest enim prius ratione concipi deposcens DEO à creatura ut existat, intelligique DEUS pro illo priori indifferens ad illam servandam, & in posteriori signo rationis gaudens impetrata conservatione, quamvis toto temporis instanti, supposito quod existat, non possit non existere. Deinde doctrina Oviedi non condistinguit resistentiam vincibilem, & resistentiam invincibilem. Resistentia in instanti A, quo res supponitur existere, est invincibilis pro illo instanti, non enim in eodem instanti potest aliquid existere & non existere. Et alia est resistentia vincibilis, qualis est resistentia Entis in instanti A, ne corrumpatur pro instanti B, quæ ut dixi, est resistentia vincibilis. Ergo etiam in instanti A, per ordinem ad instans A, erit petitio conservationis, sed petitio invincibilis & proportionata ipsi resistentiæ, ut ait Oviedo, invincibili.

Non Satisfacit III. Quamvis qualitas existens pro instanti A, corrumpi non possit pro instanti A, ut vult Oviedo. Nihilominus resistit contrariæ qualitati, & petit negationem contrariæ qualitatis. Ergo etiam in instanti A, potest resistere negationi suæ conservationis. Quod ipsum ulterius sic proponitur. Resistentia debet esse respectu rei possibilis, ut vult Oviedo. Impossibile autem est, ut pro quo instanti supponitur qualitas existere, eodem instanti supponatur expulsa, & tamen hoc non obstante deposcit qualitas existens, pro instanti A, negationem qualitatis contrariæ. Ergo tunc poterit resistere pro instanti scilicet A, etiam negationi suæ conservationis.

Respondet Oviedo. Quod qualitas existens pro instanti A, deposcat, ne corrumpatur ab alia qualitate, deposcat id pro instanti sequenti, non autem pro præsenti, idque dicit sub finem numeri octavi.

Contra. Quia sub initium numeri noni expresse dicit, quod Forma existens pro instanti A, resistat introductioni formæ contrariæ, pro instanti in quo est, & pro instanti sequenti redibit ergo Argumentum hinc.

Assero III. *Quod Forma, tam pro instanti quo est, quam pro instanti futuro, supposito quod possit esse, deposcat sui conservationem & negationem contrarii.*

Ratio. Quia si non peteret sui conservationem, pro instanti pro quo est, ideo non peteret, quia pro instanti pro quo est, non potest non esse. Sed id non probat, quod adhuc non petat sui conservationem, ut probatum est. Tum quia pro illo instanti res respectu DEI existit libere, quia ex suppositione nonnisi consequenti, non potest non existere; Si libere existit. Ergo potest à DEO annihilari, licet ex suppositione à DEO non annihiletur. Si potest annihilari. Ergo & exigere, ne annihiletur. Tum quia oppositæ sententia, diminuit gratiam & beneficium conservationis. Nam in instanti A, dum existo, non possum non existere, quid ergo pro hoc debeo DEO, non etiam dum existo in instanti B, quia hoc jam, tunc, habet se ac instans A, non etiam ratione secuturæ conservationis, quia diminuta est obligatio pro beneficio futuro, præcipue si, dum illud possideo, ad nihil teneor.

Punctum Difficultatis 3.

De Resistentia per Reactionem & Repassionem.

Præmitto I. Explicationem Terminorum hujus Materiæ.

Primo. *Quid Agens, quid Passum in hac Materia?* In re, id quod est agens, diverso respectu est passum hic; nam idem agens, quod est calidum, si amittat aliquem gradum caloris, revera est passum, patiens scilicet sui diminutionem, nihilomi-

hilominus nomine agentis illud venit, quod est majoris activitatis; & nomine passi illud, quod est minoris activitatis.

SECUNDO. *Quid agens principale, quid agens minus principale.* Agens principale est illud, quod excedit activitate, minus autem principale, quod non excedit.

TERTIO. *Quid passum magis principale, quid passum minus principale.* Illud quod est majoris activitatis vocatur passum minus principale, in quantum scilicet opposita qualitas, diminuit aliquem gradum in illo, redigitque illud agens, in conditionem patientis illam diminutionem. Quod autem minus habet activitatis, vocatur passum principale, quia plures gradus amittens quam producens.

QUARTO. *Quid sit pars repassa, quid pars non repassa, quid pars passa?* Nomine partis repassæ vocatur illa pars principalis agentis, quæ est vicinior contrariæ qualitati, & in quam exerit passam principale (quod alias appellavimus agens minus principale) vim suam, similem sibi gradum producendo; Partes a. remotiores, & in quas vim suam non exeruit minus principale agens, vocantur partes non repassæ. Nomine autem partis passæ propriissimè venit pars illa passi, in quam immediate agit principale agens.

QUINTO. *Quid sit Reactio, quid Repassio.*

Actio, qua inducit agens minus principale, similem sibi qualitatem, vocatur Reactio, & est actio passi in suum agens. Repassio autem tunc est, cum agens magis principale, amittit aliquid, ob actionem, minus principalis agentis, ut cum calidum ut octo, amittit unum gradum, dicitur repati.

Maurus quæstione 24. commune hoc effatum: Quod qualitates magis activæ sint minus resistitivæ, putat implicare in terminis. Rationem dat, quia qualitates contrariæ sunt calor & frigus, v.g. implicat autem in terminis, quod si calor est magis activus quam frigus, frigus magis sit resistitivum, quam calor. Quod ipsum probat. Qualitas magis activa est, quæ agit vehementius & citius, sed si calor vehementius & citius agit in frigus, illud corrumpendo, quam frigus in calorem, eo ipso, magis calor resistit frigori, quam frigus calori, quod ipsum probat. Quia si calor agit citius in frigus, illud destruendo, frigus citius patitur destructionem à calore. Sed quod citius patitur destructionem ab altero, minus illi resistit; major enim resistentia est, per quam difficilius & tardius aliquid destruitur. Sed hoc etiam argumento posito effatum communis doctrinæ sustineri potest. Hac inprimis via, quod scilicet, si comparentur inter se activitas ignis, & ejusdem ignis resistivitas, major appareat in igne activitas, quam resistentia. Unde cum plurima comburat, tamen tam multis, ut cinere, & aqua, & aliis modis facile restingui potest, licet comparative accepta resistentia frigidi, ad activitatem caloris, non possit dici absolute major, præ resistentia frigoris. Posset alia via idem salvari, ostendendo resistentiam, non quidem majorem simpliciter, quia si major esset simpliciter resistentia, non posset jam effectum habere major activitas, adeoque nec esset major activitas, nisi majoritate aliqua materiali, ostendendo inquam majorem resistentiam in hoc, quod si comparentur gradus resistentiæ, qui non sunt determinati ad gradum nonnisi octavum, nulla enim hujus determinationis necessitas cum gradibus activitatis, plures sint, licet unus gradus activitatis sit potens, ad plures gradus resistentiæ superandos.

PRÆMITTO II. *Resistentiam effectivam, communiter sumi pro Reactione, sed exacte loquendo, non debet appellari resistentia effectiva, nomine Reactionis.*

RATIO. Quia resistentia effectiva, æque primo utrique formæ convenit, etsi deberet alicui principalius convenire, potius conveniret agenti principali, seu magis activo, cum reactio potius passo, seu minus principali agenti tribuatur. Quod autem resistentia effectiva, utrique qualitati æque primo conveniat. Ratio est, nihil est ratione cujus huic potius, quam illi qualitati debeatur, tam enim conatur frigus ut vincat calorem, quam calor ut vincat frigus.

PRÆMITTO III. *Resistentiam effectivam dupliciter posse spectari. Vel in actu primo, vel in actu secundo.* Resistentia effectiva in actu primo, est ipsa illa potentia, quæ potens est principiare actum resistendi. Resistentia autem effectiva in actu secundo duplex est. Primo effectiva ut *Quo*, & hæc non aliud est, quam motus ad qualitatem, quæ agendo produci debet, & alia resistentia effectiva ut *Quod*, & est terminus, qui producitur illo motu, & per quem positive tanquam per entitatem ratam unum expellit aliud. *His præmissis*

QUÆRES I. *An datur Reactio & Repassio.*

Assero dari. Ita Aristoteles 1. de Generatione cap. 7. & 3. Physicorum textu 8.

RATIO est. Tum quia datur mistio, aut generatio nova, ex conflictu duorum. Tum quia ostendit hoc experientia, quod detur actio caloris in frigus ferri, & à ferro expugnetur calor. Tum quia frigus & calor habent vim agendi. Hinc si sint debite applicata, necessario utrumque aget, adeoque sequitur debere dari reactionem & repassionem, si enim unum tantum ageret, daretur nonnisi passio, sed quia & aliud agit, debet in illo quod patitur, dari reactio, & in illo quod principaliter agit, repassio.

DICES I. Si ignis dum agit, v.g. in lignum repatitur, sequitur quòd aliquem gradum amittat. Si aliquem gradum amittit, ergo tantam intensionem in passo non producet, quantam produxisset, si repassus ignis non fuisset. Si autem

tantam

tantam intensionem producere non potest, non assimilabit sibi passum, consequenter nec in ligno producetur, forma ignis.

Respondetur. Ex Vi majori activa caloris, sequitur, ut se reducere possit in pristinum, aut resistere, ne impediatur, ab inductione formæ.

Dices II. Si verum est assertum, inexplicabile est, quomodo agens in eodem instanti, quo agit, possit repati, v. g. quomodo ferrum candens calidum ut sex, admotum nivi frigidæ ut septem, in eodem instanti possit destruere, v.g. duos gradus frigoris in nive, & amittere unum gradum caloris, aut enim in illo instanti, secundum illum gradum frigoris, quem amittit, nix, agit aut non agit. Si agit, contra erit, quia omne agens dum agit, existere debet. Non etiam secundum, quia frigus quo plures habet gradus, eo plus in primo instanti operatur. Ergo omnes in primo illo instanti illud juvant, & non est ratio, cur frigus in priori naturæ non utatur illo suo gradu.

Hanc objectionem proponit recentior Suarez & respondet, quod frigus secundum gradum amissum non agat, ad illam autem propositionem, agens quo plures habet gradus, magis agit, dicit Ly magis cum sit gradus comparativus, comparari potest, vel magis respectu alius agentis, quod appellatum est suprà, agens minus principale, & sic ratione graduum remanentium magis adhuc aget. Quod si Ly magis comparetur ad ipsummet agens principale, indubie si nullum gradum caloris amisisset, calidum magis ageret. Quod autem recurritur ad illud prius naturæ, id in præsenti non convincit, quia prioritas illa naturæ, est secundum intentiones nostras, actio autem illa debet esse quid Physicum.

Dices III. Movens quodpiam localiter, non est necesse à moto localiter moveri. Ergo nec est necesse agens à passo repati.

Respondetur. Disparitatem esse, quia non ex eo ipso, quia motum movetur localiter, supponitur motum habere vim movendi. Jam autem agens calidum & frigidum, supponitur habere vim agendi, nihilque illis deest, quo minus sequatur actio, quamvis autem illa agentia supponantur inæqualia, non impedientur ab agendo, licet ingrediatur debilius, à vincendo simpliciter.

Quæres II. *An pars repassa simul moveatur duobus motibus contrariis?*

Figatur imaginatio. Ponatur calidum ut octo, octopalmare, frigidum etiam ut octo, octopalmare. Ponatur rursus, quod in octavum palmum calidi, reagendo frigidum, induxerit unum gradum frigoris. Quæritur? An in partem octavam illius palmi, agunt & partes septem caloris, non repassæ, & ipsum passum seu frigus? si enim eorum que agat, movebitur illa pars, duobus motibus contrariis caloris & frigoris.

Assero. *Partem repassam non moveri duobus motibus contrariis.* Est assertum commune contra Aversa.

Ratio Asserti est. Quia si pars repassa moveretur duobus motibus contrariis, illisque in summo ut supponitur, tunc pars una subjecti esset capax plurium graduum quam octo, haberet enim gradus septem non repassos, in parte autem repassa haberet unum gradum frigoris, qui fundant in illa rationem partis repassæ, haberet etiam rursus in eadem parte gradum unum, à partibus non repassis introductum. Ergo illud subjectum novem gradibus informabitur.

Respondebis. Quod eodem instanti quo producunt partes non repassæ unum gradum, cessurus sit gradus frigoris, consequenter non habebit subjectum plus quam octo gradus.

Contra. Ergo jam non sentis idem moveri duobus motibus contrariis, de quo tamen fuit Difficultas. Quod ipsum sic urgetur. Quia vel eodem instanti, quo inducitur à passo in partem repassam, gradus frigoris expellitur, vel non eodem. Si eodem. Ergo eodem instanti est, & non est ille gradus frigoris, quod est impossibile. Si sequenti. Ergo non stas in proposito, non enim ostendis, quod simul moveatur duobus motibus contrariis, redibitque insuper Argumentum factum.

Quæres III. *Cur reagente passo in partem repassam, partes non repassæ non agant in partem repassam.*

Ratio dubitandi est. Quia partes non repassæ agunt in Passum, quod supponitur esse distantius parte repassa, cur non potius agent in partem repassam, & si habent vim agendi sufficientem, ut agant in passum, cur non habebunt vim sufficientem ut agant in partem repassam?

Respondet I. Pontius. Quod si supponatur Passum, tam esse applicatum, ut ad producendum secundum gradum frigoris, quam pars non repatiens ad producendum unum gradum caloris, eo casu, potentius habebit effectum, etsi sint æqualis potentiæ, vel neutrum producet quidquam, vel à Deo determinabitur, quodnam producere debeat.

Contra. Quia non respondetur ad intentum, quia non est quæstio de Productione secundi gradus frigoris, sed est quæstio, cur agat pars non repassa in passum, & non agat in partem repassam? & cur producere possit aliquem gradum caloris in passo, & non possit impedire, ne producatur quidquam frigoris, in parte repassa.

Respondet II. Quidam. Quia si Passum potuit aliquid corrumpere de qualitate partis repassæ, & contra, si partes non repassæ contra vim passi non potuerunt conservare gradum partis repassæ, multo minus poterit contra eandem vim passi eundem restituere & producere, non enim minor vis necessaria ad aliquid de novo producendum, quam ad aliquid conservandum.

Contra.

Contra. Partes non repassæ contra Activitatem omnem passi, possunt aliquid producere in passo, itemq; contra resistentiam tam graduum Passi, antequam passum illos amisisset, quam contra resistentiam reliquorum graduum passi, quos supponitur adhuc habere passum. Ergo multo magis contra resistentiam pauciorum jam partium passi, poterit in partem repassam inducere gradum deperditum.

Deinde suppono, quod sicut partes agentis agunt uniformiter, difformiter, sic etiam partes passi agunt uniformiter, difformiter, quo posito argumentor. Partes passi integræ, uniformiter difformiter agentes, potentius conservabant gradum amissum, quam conservent in parte repassa productum, utpote magis remotum, & tamen contra vim conservativam passi, partes non repassæ, poterant producere in partibus passi gradum sibi similem. Ergo in parte viciniori multo magis id poterunt.

Respondet 3. Idem. Quia in quocunque casu datur Reactio. Qualitas quæ producitur à Passo, in parte repassa, magis distat ab intensione passi, quam qualitas, quæ in eadem parte repassa, produci deberet, à parte non repassa, distet ab intensione ejusdem partis non repassæ. Ex quo fit, quod plures partes passi concurrãt ad producendam & conservandam, in parte repassa qualitatem, quam concurrerent partes partis non repassæ, si pars non repassa deberet agere in partem repassam.

Contra, Redit Argumentum jam factum. Partes non repassæ contra omnem nisum partium passi, possunt in passo producere suam qualitatem. Ergo producent in parte repassa. Deinde, non sola ultima pars passi producit qualitatem in parte repassa, sed & omnes partes agunt, quantumvis agant uniformiter, difformiter. Ergo etiam non sola ultima pars non repassa, sed & omnes reliquæ agent, quamvis uniformiter, difformiter: Negatur item, quod Gradus producendus in parte repassa, magis distet ab intensione partium non repassarum, quam distet unus gradus ab intensione passi, neque enim hæc major distantia est, per Heterogeneitatem, cum supponantur esse gradus homogenei, imo heterogeneitas hic nihil impediret: nec est major distantia localis, magis enim est vicina pars repassa, partibus non repassis, quam sit pars repassa vicina passo, cum supponatur induxisse suos gradus in partes viciniores passi. *Ad Quæsitum ut respondeatur*

Assero I. *Quod eo ipso instanti, quo producitur in partem repassam qualitas passi, non possint partes non repassæ restituere suam qualitatẽ.* Ratio. Quia alias eodem instanti esset illic frigus, quia supponitur inductum, & non esset, quia supponeretur expulsum à partibus non repassis.

Assero II. *In secundo vel alijs posterioribus instantibus, posse partes non repassas agere in partem repassam.* Ratio, quia experientia ostendit partes repassas redire ad pristinum.

Assero III. Ratio, cur agens impediatur, ne producat in parte repassa qualitatem, quamvis tunc in passo producat similem sibi qualitatem, rejicienda est in naturam agentium, qualem si non haberent, tunc ignis v.g. quia activissimus est, omnia depasceretur, tolleretur que omnis mistio. Rursus rejici debet in id, quia agens necessarium tantum agit, quantum potest, hinc si eodem modo se habeat semper, non potest postea plus. Quia ergo in primo congressu calidum ut octo, cum frigido ut octo, exeruit omnes suas vires contra frigidum ut octo, & tamen eo in tempore simul amisit unum gradum, cum eodem modo se habeat agens calidum, ut habuit ante, non potest simul procedere in illa actione, vel conservatione graduum productorum in passo, & simul concurrere ad producendum gradum in parte repassa. Nam pro illo quod primo agit conservando, & producendo, omnes vires intendit, hinc nisi accedat calido melius aliquid, non potest agere in partem repassam, citius tamen postea à distantiori passo submovebit actionem, ut se in parte repassa tueatur.

Quod attinet ad aerem, intermedium inter agens & passum, conditionem hujus partis sequetur, cujus qualitatem habebit.

QUÆSTIO III.

De Remissione.

De Remissione nihil speciale dicendum occurrit, quod ex dictis solvi nõ possit, si enim sit res de remissione, in quantum illa opponitur intensioni, sicut intensio fit additione gradus ad gradum, ita remissio stabit in ablatione gradus à gradu. Si autem sit res de remissione activa & passiva, quæ perficitur reagendo & repatiendo, de ea sic discurrendum, ac de reactione & de repassione.

DISPUTATIO III.

DE MISTIONE.

Attenditur in hac disputatione ad elementa, qualitates primas, &c. Exactior tamen horum notitia aliunde peti potest.

QUÆSTIO I.

De Principijs mistionis, & eorum Proprietatibus.

Nomine principiorum mistionis, veniunt elementa. Nomine proprietatum, qualitates primæ, quæ sunt calor, frigus, humiditas, siccitas, *sit*

DIF-

DIFFICULTAS I.

De Elementis tanquam principiis mistionis.

ASSERO I. *Principia mistionis esse Elementa.*

RATIO. Quia, ut videbimus infra, per ordinem ad mistum definiuntur. Quando autem Aristoteles secundo de Generatione textu 21. censet ex igne nihil generari, præcipue cum non appareat quo modo ignis, in fundo maris contineri possit, in quo tamen continentur mista, intelligendus erit, quod negat ex igne intemperato generari quidquam. Virtute autem, etiam in fundo maris potest contineri ignis, quia v. g. continentur exhalationes calidæ.

ASSERO II. *Elementum rectè describi* ex 1. Cœli textu 31. quòd sit corpus, in quod alia corpora dividuntur, quod inest potentia aut actu, ipsum autem est indivisibile in diversa specie; Dicitur corpus sine addito, quia supponit pro principali, hoc est pro corpore completo, per quod à ratione elementi excluditur materia & forma, quæ sunt potius corporis. Dicitur debere inesse actu, ut cum de facto est mistum, vel in potentia, quia elementum dum non est in misto, dicit ordinem & potentiam, ut in illo sit.

Ariaga definit aliter elementa & dicit: Elementum esse corpus substantiale, exigens duas ex primis qualitatibus. Cæterum videtur prior definitio retinenda. Tum quia est Aristotelica, & defendi potest. Tum quia definitio Ariagæ substantiam, per ordinem ad accidentia describit. Tum quia nihil in contra objicitur, quod solvi commodè non possit. Quando autem dicitur inintelligibile esse, quomodo elementum non dividitur in diversa specie; intelligi hoc debet, quòd non dividatur in diversa specie corpora completa, dividitur enim de facto in materiam & formam substantialem, ex secundo de generatione textu 54. & tertii Metaph. textu 17. Et ratio est, cur habeant materiam & formam substantialem elementa, quia alias aqua calefacta, non posset se reducere in pristinum frigus, quia non haberet principium reducendi se ad illam, hoc enim principium non est materia ipsa, quæ est indifferens ad formas. Ergo debet esse forma substantialis, quæ ipsa cum sit materialis, non potest esse sine subjecto, quod est materia. Quamvis autem elementa sint sibi contraria, non sequitur illa debere definiri per ordinem ad accidentia, possunt enim habere contrarietatem radicalem, oriundam ab ipsis formis, licet contradictio formalis & proxima, sit ratione accidentium.

ASSERO III. *Esse quatuor elementa:* RATIO prima adferri solet ex loco elementorum, quia datur elementum quod est leviissimum, & altissimum locum occupat, & hoc est ignis, gravissimum, occupativumque loci infimi, & hoc est terra. Ergo debent dari elementa. Prope summum: & hoc erit aer: Prope infimum: & hoc erit aqua.

Hæc ratio non convincit. Cur enim non poterit dari aliud propius propè summo, & propius propè infimo, & sic consequenter.

SECUNDA RATIO est. Quia sunt quatuor Combinationes utiles primarum qualitatum.

Hæc ratio non convincit. Quia negatur à combinatione utili qualitatum, numerum elementorum pendere, sed à formis illiorum substantialibus. Cur item non posset esse elementum contentum nonnisi una qualitate. Cæterum prior ratio habet fundamentum 7. Cœli: textu 34. independenter ab authoritate.

TERTIA RATIO numeri elementorum est ipsa experientia, quatuor ostendens nobis illa dari. Non implicant tamen plura in alio rerum ordine.

DIFFICULTAS II.

De primis Qualitatibus tanquam proprietatibus elementorum in Communi.

ASSERO I. *Proportionaliter ad definitionem principiorum Physicorum bene describi primas qualitates.* Quæ neque ex aliis, neque ex se mutuo fiant, sed ex ipsis oriuntur cæteræ.

RATIO ASSERTI. Quia hæc descriptio convenit omnibus, solis & semper qualitatibus primis. Dicitur, quod qualitates non fiant ex aliis, ut excludantur colores extremi. Albus & niger, à ratione primarum qualitatum, cum illi ipsi fiant, ut dicitur, ex certa attemperatione primarum qualitatum. Sub Ly autem ex aliis intelliguntur qualitates, seu similia accidentia, indubiè enim licet non promanent qualitates primæ ex aliis qualitatibus, promanare possunt qualitates à substantiis. Aqua v. g. se reducit ad frigus. Astra influunt siccitates, humiditates &c. Dicitur, quod non fiant ex seipsis, intellige per se loquendo. Hinc quando calor causat siccitatem, id non fit per se, sed tantum partes humidas resolvendo, in quas resolutas, faciliùs intrat siccitas. Accipiuntur autem istæ qualitates in supposita materia, h. e. prout deserviunt generationi & transmutationi. Hinc quia qualitas magnetica, non deservit venerationi, prima qualitas non nominatur. Addo quod quando dicitur, quod ex primis qualitatibus oriantur reliquæ qualitates, non est necesse, ut nonnisi certo subjecto attribuantur; quia sicut ipsa temperamenta qualitatum sunt varia, sic & secundæ qualitates variæ, variisque subjectis propriæ sunt. Addo denique, appellari istas qualitates primas non absolutè, sed inter qualitates generationi & transmutationi servientes. Qua ratione etiam densitatem & raritatem principiant. Nam raritatem

tatem principiat calor vel aer, densitatem siccitas vel frigus.

Assero secundò. *Quatuor esse primas qualitates, scilicet frigus, calorem, humiditatem, siccitatem.*

Ratio numeri est, à definitione ad definitum, quia scilicet non possunt ostendi plura, quæ neque fiant ex se, neque ex aliis, & ex illis cætera.

Assero tertiò. *Ponendas infra definitiones primarum qualitatum, non esse quidem exactas, benè tamen rem explicare.*

Calor, *est qualitas congregans, ea, quæ sunt ejusdem speciei, disgregans autem ea quæ sunt diversæ speciei.* Certè enim calor duos certos globulos inter se unit; secernit autem scoriam ab auro; per hoc tamen non nego, quòd per accidens fieri possit, ut dissipet calor etiam homogenea, findit enim vitrum, temperamentum illius dissolvendo, & consumendo partes continuationi necessarias; vel quia vult illud rarefacere; & quia cætera desunt ut majorem locum occupet vitrum, diffindi debet, nomine autem homogeneorum, non solùm veniunt ea, quæ habent eandem speciem, sed etiam quæ habent eandem raritatem, levitatem, adeoque vim idem præstandi.

Frigus, *est qualitas prima contraria, tam homogeneorum quàm heterogeneorum congregativa.* Ostendit hoc experientia. Videmus enim quòd in glacie omnia frigore coagmententur. Quamvis autem frigus & calor sint contraria, non obest quominus secundarios effectus hoc est congregare, eosdem habeant, diversa tamen id ratione præstat calor, diversa frigus, nam calor per dissolutionem partium, frigus per constrictionem, per hoc tamen non nego, quòd per accidens disgreget, ut cùm extrudit partes necessarias unioni, compressione, vel depascendo humidiores partes, vel expellendo calorem &c.

Humiditas, *est qualitas prima contraria, per se reddens subjectum, non facile proprio termino terminabile, facile alieno.* Et hoc patet in aqua, quæ terminatur figurâ vasis. Per accidens potest aliquid humidum, nõ facile alieno termino terminari, v.g. glacies quæ est substãtialiter aqua, quia scilicet multum habet exhalationum siccarum. Porrò hæc terminabilitas facilis, debet accipi pro activo, ut ita dicam appetitu, illius figuræ acquirendæ. Nam corpora rara, qualis est ignis, sequuntur etiam formam continentem illa, quamvis non appetant id, nec quidquam per se agant, ut se terminent simili termino, ut nihil per se ad hoc agit cinis, lana &c.

Siccitas, *est qualitas prima contraria, per se reddens subjectum, facile terminabile termino proprio, difficile alieno*, ut videri est in lapidibus. Quando autem dicunt aliqui marmora sudare, adeoque habere liquiditatem, nec facile terminari alieno termino, id immeritò assumitur, nam marmora intus non sunt liquida, & aliunde provenit & sudent.

Quæres. *An hæ qualitates sint positivæ & distinctæ?*

Quòd frigus & calor sit qualitas positiva, ostendit hoc vel ipsa actio eaque distincta utriusque; quod enim agit positivum est. Quando autem Aristoteles describit frigus per privationem caloris, facit id suâ praxi, quâ contrarium minus nobile, appellat privationem nobilioris.

Quod attinet ad humiditatem & siccitatem, negat illas esse positivas Ariaga, contra communem sententiam, quæ retinenda. Ratio, Tum quia id docet Aristoteles 1. de generatione textu 7. secundi de Anima textu 65. 2. de partibus animalium capite 3. secundi de Generatione textu 24. 25. 27. ubi actionem tribuit omnibus primis quatuor qualitatibus, adeoque positivitatem. Tum quia si hæ qualitates non essent positivæ ac distinctæ, id ideo esset quòd humiditas non esset aliud, quàm substantia fluida, & siccitas hujus substantiæ privatio. Contra erit. Suppono enim quòd cognoscamus quid sit humidum, quid siccum, quodque id sensu exploremus, quo posito sic urgetur. Quando sensu exploro humiditatem (idem dic de siccitate) vel tunc tango immediatè ipsam substantiam fluidam, vel sentio nonnisi frigus vel calorem illius, vel certè sentio Accidens ab his distinctum.

Non primum, quia nonnisi accidentia sub sensus cadunt. Verè autem humiditas cadit sub sensum, non ergo illa erit ipsa rei substantia.

Non secundum. Quia revera idem corpus manens idem, nunc est frigidum & tunc calidum, condistinguitque sensus tunc fluiditatem permanentem, quòd si tunc sentitur aliquod Accidens, voca illud ut volueris, hoc ego humiditatem esse volo. Tum quia vino consecrato manet postea humor vini. Ergo apparet illum non identificari vino Neque dicas illic manere fluxibilitatem vini, cur enim multiplicabis entia, & loco humiditatis fluxibilitatem substitues. Et si dicas per miraculum illic aliquid substitui simile illi fluiditati, certè illud dices accidens positivum distinctum, & quia nulla illius differentia potest ostendi ab aliis naturalibus humiditatibus, etiam illa (nisi divinare velis) accidens erit; & sicut color vini remanens, verè est accidens, ita & fluiditatem illam dicam, verè esse accidens.

Dices primò cum Ariaga, nullum esse fundamentum ponendi ponendi has qualitates esse positivas.

Respondetur. Negando antecedens ob dictas rationes.

Instabis; Humiditas & siccitas non sunt activæ qualitates, quia corpora humida non aliter humectant nisi seipsa applicando, effectivè autem nihil producunt.

Respondetur. Cùm supponatur quodvis elementum posse transmutari in aliud, debent etiam illorum qualitates esse activæ, quomodo enim aër transmutaretur in ignem, cùm utrumque corpus sit calidum, si humiditas & siccitas activa non sunt. quarti item Meter. sum. 2. cap. 3. siccitati coagulatio tribuitur, quod est quoddam agere. Rursus humiditas & siccitas refractæ concurrunt ad alterationem, alteratio autem non fit sine mutua actione. Accedit experientia, quam adducit Oviedo. Quòd scilicet si humectetur terra, etsi ponatur supra illam vitrum, vitróque supponatur corpus humiditatis capax, humectabitur magis versus illam partem viciniorem, agit ergo tunc humiditas. Res etiam siccæ in locò humido si ponantur, putrescunt. Glacies item si imponatur in aquam frigidam, dissolvitur, quamvis tardius, quam dissolutionem non aliud producit, quàm humiditas aquæ. Quamvis autem Aristoteles humiditatem & siccitatem appellat passivas qualitates, hoc dicit Aristoteles ad significandum quòd non sint ita activæ ac calor & frigus. Quando autem Maurus dicit quæstione 37. ex eo humiditatem & siccitatem esse qualitates non activas, quia definiuntur per quoddam pati, nempe facilè terminari proprio termino, vel alieno, id etiam non convincit, nam licèt per ordinem ad terminari habeant se passivè, nego tamen his, quibus competit habere se passivè in ordine adterminari, non covenire actionem, præcipuè cùm ipsum posse facilè terminari, accipi debeat secundùm dicta, pro activo terminari.

In forma argumento allato negatur antecedens, propter experientiam ex Oviedo. Deinde transito illo negatur consequentia. Quia potest humiditas vel habere debilem sphæram, vel esse alligata in suo modo agendi ad contactum objecti.

Addo. Quamvis hæ qualitates non essent activæ, posset aliunde probari illorum positivitas; ex ipsa sensuum experientia, discernit enim sensus inter frigus quale habetur in ferro, & aqua, ab humiditate solius aquæ. Et quamvis humiditas non principiet dolorem, nego quòd non moveat sensum; quod autem dicit Ariaga, hominem in se non sentire siccitatem, non probat, quòd illa non sit qualitas positiva, quia calor debitus temperamento non sentitur per multos, & tamen est qualitas positiva.

Dices secundò. Ab aqua non potest separari sua humiditas, incorrupta aqua.

Respondetur. Ipsum hoc, quod ostendit nobis fides, in calice consecrato, docet humiditatem immistæ illic aquæ separari divinitus ab aqua, adeoque illi non identificari. Rursus quantitas separari non potest à subjecto naturaliter, & tamen est positiva qualitas; inseparabilitatem autem illam facit ipsa exigentia formæ substantialis sibi relictæ.

Dices tertiò. Sicca humidis applicata, & humida siccis, nihil longo tempore operantur, quod patet in vitro; quia nec humiditas humectat vitrum, nec vitrum exsiccat humiditatem.

Respondetur. Procedere id ex debilitate virium, non autem ex impotentia simpliciter agendi, nam etiam lux est qualitas positiva, quamvis non possit irradiare per opacum, sufficitque quòd agat per diaphanum.

DIFFICVLTAS III.

De primis qualitatibus elementisque in particulari.

Discurretur hîc de debita combinatione qualitatum singulis elementis; Sed prius hoc quæritur: An debeat utraque qualitas, convenire in summo, an alterutra nonnisi poni potest? Si attendatur ad experientiam sensuum, certum est, in unoquoque elemento, dari unam qualitatem quam magis experiamur. Et ita est prædominium in igne caloris, deducimusque ignem in se, vel in aliquo sui, esse alicubi, quia res calet, non autem quia sicca est. Sentimus in terra prædominium siccitatis, &c. Videturque idem & ratio suadere: quia si potest consistere ratio elementi, nonnisi cum una qualitate in summo, & cum altera nonnisi in excellenti, asserendum id est. Ratio, quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sic nec gradus qualitatum. Rursus si utraque qualitas in summo conveniret, non esset ratio cur aër & terra distinguantur. Utrique enim siccitas & humiditas conveniret. Cæterum nihil in hoc certi posse determinari, idque vel ex eo, quòd absolutè loquendo, possibile sit elementum cum qualitate utraque in summo; vel cum qualitate nonnisi una in summo. Quod autem illæ qualitates etiam in diversis elementis sint ejusdem speciei, probat negativum argumentum. Non sunt multiplicanda entia, nulla etiam experientia, quæ ostendat diversitatem. Sed ad titulum accedendo. *Sit*

Punctum Difficultatis I.

Quam combinationem primarum qualitatum, habeat ignis.

Dicendum est: Ignem esse calidum & siccũ. Quòd ignis sit calidus, experientia ostendit.

dit. Quòd autem sit siccus, probandum venit contra Cabæum, qui docet ignem non esse siccum in excellenti, sed humidum. Quod

Probatur primò à Recentiori Suarez, si ignis esset humidus, humectaret, sed ignis non humectat, immo exsiccat, quis enim unquam expertus est se ab igne humectari, & pluvia humectatæ vestes, ad ignem suspenduntur.

Responderi posset pro Cabæo: Nempe ignem, formaliter non esse siccum, sed formaliter humidum, quantumvis effectivè sit siccus; Sic Sol formaliter non est calidus, licet effectivè calefaciat, quod autem dicit ille, sicut frigus effectivè non potest producere calorem, & è converso, ita nec ab humiditate posse produci siccitatem, id etiam non convincit, certe enim Sol non est calidus in se, & tamen producit calorem, cur ergo simile non continget humiditati respectu siccitatis. Dici etiam potest ex eo à frigore non produci calorem, quia non habet aliam additam virtutem, cui effectivè respondere possit calor, habet autem humiditas ignis additum calorem, cui potest respondere siccitas; quamvis humiditatem sibi determinet tanquam bonum suum, & ignis & aqua.

Probari solet secundò. Quia experimur ignem calidum esse & siccum.

Respondetur. Difficile hanc experientiam posse ostendi; nam maximè exploraret illam tactus, sed ille præoccupatur, excessivè movente sensum calore.

Probatur Tertiò ex Negativo Principio. Quia scilicet ex una parte experimur ab igne causari siccitatem, ex altera parte nullum est fundamentum, quòd causetur semper nonnisi per accidens à calore, & quòd non habeat ullam sui causam univocam, præcipuè instrumentalem ut vocant.

Neque valet si dicas; sufficere quòd siccitas in terra posita, sit principium univocum, quia cùm siccitas ordinariè non nisi ab igne causetur, ei potiùs, tanquam ordinario causativo, tribuenda erit.

Addo. Non sufficit in igne ponere solum calorem, qui sit effectivè calor, sed ponitur verè formaliter calor. Ergo si nihil obsit poni etiam debet formaliter siccitas, & sicut calorem ignis benè colligim⁹ ex eo, quia producit calorem, & nihil obest; ita ex eo, quia producit siccitatem, colligetur siccitas, & nihil obest.

Cæterùm si nomine humiditatis veniat liquiditas, ut ita dicam quædam, secundùm quam partes ejus continuantur, sinuantque sese talis liquiditas tribuēda est igni. Ratio: quia videmus sinuare sese ignem, & hoc, in aliud principium commodiùs referri non potest, quàm in liquiditatem. Deinde: quia ignis quando liquiditatem in aliquo subjecto aliàs jam sibi apto, servare nō potest, subjectum illud deserit nec in aliud agit. Et ita ignis ex cinere evanescit, quod non in aliud principium commodius referri potest, quàm quia liquiditatem deposcit ignis.

Dices cum Cabæo. Humidum est, quòd proprio Termino difficile, alieno autem se hābet ignis.

Respondet Recentior Suarez, ignem non esse facilè alienâ figurâ terminabilem, sed contra illam indignari, unde etiam tentat quoscunque cancellos infringere. *Hæc Responsio*

Non satisfacit. Quia idem dici posset de aqua, quia & hæc aggeres subruit.

Respondetur. Esse quidem similem liquiditatem illā ignis, & humiditatē in aliquo, sed in hoc dissimilantur: quia ignis natura sua non defluit ad latera continentis, secus humiditas. Ut apparet in manifestè humido, quod est aqua.

Instat idem. Illa qualitas est alicui naturæ propria, sine qua qualitate, illa natura, nec produci nec conservari potest. Jam autem ignis, nec produci nec conservari potest sine aliquo humore, hinc cinis non est capax formæ ignis.

Respondetur. Sufficere ad hoc prædictam assertam liquiditatem.

Punctum Difficultatis 2.

Quæ Combinatio Aquæ.

COmmunis sententia tribuit aquæ humiditatem in excellenti, frigiditatem in summo. Arriaga tribuit aquæ humiditatem in summo, frigiditatem in excellenti.

Pro Frigiditate Aquæ nonnisi in excellenti.

Primum Argumentum format Arriaga. Quia si illi conveniret summum, frigus congelaretur.

Respondetur. Negando sequelam. Quia congelatio illa non tantum in frigus sed & in alia alumini similia, & salnitraria referri debet. Unde etiam artificiosè fieri solet glacies, temporeque æstatis in aliis puteis vel fontibus non congelascit Aqua, quamvis sit longè frigidior præ ea, quæ in hyeme coalescit.

Secundum Argumentum. Glacies est frigidior aqua, Ergo aqua non est in summo frigida.

Respondetur. Glaciem esse magis frigidam, secundùm materiales agendi conditiones, hoc est ratione majoris condensationis, ut etiam magis urit ferrum candens quàm ignis.

Pro frigiditate aquæ in summo.

Prima Ratio est. Quia aqua contraria igni est, & illum extinguit, Ergo debet habere frigus in summo.

Respondetur. Illum extingui non ratione frigoris, sed ratione inepti pabuli ad ignem concipiendum, unde & cineribus bene extinguitur: Aqua item calidissima; extinguit ignem, frigidissimum autem oleum non extinguit, quia est aptum pabulum igni. Ergo non

exeo, quia aqua extinguit ignem, inferri præcisè potest, quòd aqua sit frigida in summo; non nego tamen quòd etiam juvet ad exstinctionem humiditas.

Secunda RATIO est hæc: Quia nullum aliud elementum recuperat, ita cito suum frigus atq; aqua.

RESPONDETUR. Nullum etiam elementum tamdiu & tam fortiter retinet suam humiditatem ac aqua, cur ergo non dicetur in summo humida, utpote minus vincibilis, & unicè retineri solita, & est magis activa humiditas, nam qui imponit manum extemplo madefit non extemplo frigefit. Quod autem aqua faciliùs præ alio elemento recuperet suum frigus, id fit beneficio humiditatis tantæ, eo enim quia non est sicca, non ita viscosè, peregrina & adventitia retinet eaq; contraria. Unde etiam valde siccum ferrum si igniatur, difficile remittit calorem, ob contrarium principium, siccitatem.

Tertia RATIO. Quia animalia aquatilia sunt fluidiora, & ut plurimum exsanguia, aut valde parum sanguinis habentia, ideo oportuit illis dari ad habitandum elementum omnium frigidissimum.

RESPONDERI posset. Si conditio elementi pensanda sit ex conditione animalium, quæ illud inhabitant, sequeretur, quòd terra deberet esse calida, quia eam inhabitant animalia calida, imò eo ipso quia frigidi sunt pisces, debuit illis ad habitandum dari elementum non maximè frigidum, ne magnus excessus foret nocivus, experimurque maria non esse frigida, imò pluribus exhalationibus calidis scatentia, quæ etiam per multos salsedinem causat.

Quarta RATIO est. Quia tempore æstatis aqua in puteis intendit frigus.

RESPONDERI potest. Si ex conditione puteorum, pensanda esset natura aquæ, dicendum foret illam esse calidam, quia tempore hyemis est calida, quodsi calorem illum referas in adventitias qualitates, idem dic in præsenti. Deinde nego ad istam intensionem non sufficere excellentiam frigoris, nam summa, intensionem non patiuntur, sed solùm excellentia.

Contra frigiditatem aquæ in summo.

Primum Argumentum est: Quia aqua generatur ex calido, pluvia enim fit ex vaporibus calidis, vi caloris levibus effectis, & sursum ascendentibus. Ergo & ipsa aqua calida est.

RESPONDETUR huic objectioni: pluviam fieri per frigus mediæ regionis aëreæ, in qua de vaporibus calidioribus, illuc elatis, ibiq; frigefactis & densatis, concrescunt aquæ pluviales, quod quidem non est propriè & substantialiter generari aquas ex vaporibus calidis, sed est solum vapores calidos, qui sunt substantialiter, aqua, indebitè se habens, recuperare connaturale suum frigus, & suam nativam humiditatem sine quibus, substantiæ aquæ, non tribuitur denominatio aquæ, aut pluviæ, sed vaporum.

Quia verò contra hanc responsionem objici potuisset, quòd scilicet vapores ex illis ascendentes & in opercula impingentes, calore generantur.

RESPONDET idem calore, non verti vapores substantialiter in aquam, sed cum sint substantialiter aqua rarior, solùm conantes sursum evadere comprimuntur ex iisq; confluit aqua.

Referri id posset etiam in hoc principium quod vaporea illi natura suâ redeant ad pristinum frigus & quando derisantur decidunt in terram hocque est ipsum pluere. Quæ responsio non recurrit ad hoc quasi ab aëre frigefiant illi vapores.

Secundum Argumentum. Quia aqua excessu caloris non corrumpitur sed fit vapor, qui adhuc est substantialiter aqua, excessu autem frigoris corrumpitur, vertitur enim in glaciem, ergo apparet non esse illam in summo frigidam.

RESPONDERI potest. Vapores cùm sint substantialiter aqua, hinc non debet dici quod corrupta aqua in illos resolvatur, sed tantum quod secernantur calore, & attenuentur raritate inducta, consequanturque levitatem vi cujus assurgunt; glacies etiam non est corruptio aquæ, nec est acquisitio majoris frigoris, sed spirituum aluminis & salnitrati. *Sed ad difficultatem descendendo,*

ASSERO 1. *Nullam esse rationem à priori, quæ convincat, potius frigiditatem, quàm humiditatem in summo convenire aquæ.*

RATIO Asserti, solutio argumentorum supra relata.

ASSERO 2. *Attendendo ad experientiam sensuum, potiùs tribui debet aquæ humiditas in summo.* Tum quia nullum aliud est elementum ita humidum. Tum quia frigus etiam in aliis experimur, non minus quàm in aqua, nullibi autem experimur tantam humiditatem. Tum quia & resistentia humiditatis & activitas major est in aqua, videturq; strictiùs semper illam sibi vincire, quàm frigiditatem: Ergo illa potiùs poni deberet in summo.

ASSERO 3. Ex dictis supra, hoc ipsum adhuc certo non constare, quia posset hoc non in rationem summitatis gradus, sed in conditionem qualitatis & subjecti referri.

Punctum Difficultatis 3.

Quæ combinatio aeri debita & terræ?

Quod

QUod ad aerem attinet.

Pro frigiditate aeris.

Primum Argumentum est ex Hurtado. Quia non est alia qualitas, quæ ei tribuatur in summo.

RESPONDETUR Negando, ex dicendis infra, antecedens.

Secundum Argumentum. Aer in media regione, in qua expeditior est ab omnibus contrariis, est valde frigidus, ut patet, conscendenti montes altissimos. Unde etiam in illis servari potest nix continuò.

RESPONDET huic rationi recentior Suarez. ab extrinseco illic frigiditatem provenire, nempe à spiritibus frigidissimis, sive illi vapores sint, sive spiritus. Contra arguit Ariaga: Aerem secundæ regionis esse serenissimum, consequenter illis exhalationibus vacuum, non ergo in illas frigus rejici debet. Deinde illæ exhalationes vel sunt calidæ vel frigidæ, si calidæ, Ergo debent potius augere calorẽ, non possunt q; per antisperistasim intendi, quia non habent contrarium circum obsistens, cùm & illæ sint calidæ, & aer calidus; Si sunt frigidæ, quo id probabis, non petendo principium.

RESPONDERI potest secundò. Frigiditatem illam referendam esse in vapores, qui quia non sunt multum terrei, nec multum humidi serenitatem non impediunt, & sicut quando sunt frigidissimi venti, potest esse serenitas, Ergo & de aere idem dicendum, illos autem esse frigidos à posteriori ostenditur ex illo frigore aeris, qui cæteroqui probatur ab oppositis esse calidissimus. Non est etiam universale, quòd in altissimis montibus nives reperiantur, experientiaque docet ningere interdum sub altissimis montibus, serenitate supra manente, & sicut cùm pluere debet in æstate, ab impendentibus nubibus fugiunt calidæ exhalationes, faciuntque aerem magis calidum, sic vicissim, dum frigidæ fugiunt superficiem terræ calefactam, faciunt aerem frigidum.

RESPONDERI potest tertiò. Non constare quanta elevatio sit necessaria ad hoc, ut censeatur aer esse in æqualitate, statu, & conditione sibi proportionata. Hinc quamvis concedatur altissimos montes habere frigidiorem aerem, non sequetur jam, quòd eo casu sit in statu sibi debito; Et certè vel in illis montibus sunt nives, & venti, vel non: si sunt nives, nec contra calorem, nec pro frigore aeris, certo urgeri potest. Nam defectus caloris in nives, positio frigoris in easdem referri debet. Quod si desunt nives & venti, adsit tamen frigus, dicetur cum Conimbricensibus, mediam regionem aeris à DEO creatam esse frigidam, contra quidem inclinationem aeris, sed ita deposcente ordine universi. Nisi hæc doctrina videatur ad placitum adferri.

Tertium Argumentum est quo utitur Ariaga, quia aer ubicunque ab agentibus extrinsecis validis liber est, statim frigidus est, & ita in nocte semper est frigidior. Loca item æstate clausa, frigidiora sunt, partes item Septemtrionales, frigidiores Meridionalibus.

RESPONDERI potuisset huic difficultati, quia cubicula hyeme sunt calida, ad quæ venti non permeant. Ergo etiam inferri poterit ex eadem instantia calor aeris. Ut id solvat Ariaga, dicit id referri posse, quia agentia frigida multum illic operari non possunt. Sed similiter dici posset calidum esse aerem, si adsunt repulsiva agentium frigidiorem. Unde dici posset noctu aerem frigidum esse, quia cum in regione infima non sit purus, sed mistus multis vaporibus, qui ipsi fugiunt activitatem Solis, & illo abscedente frigefiunt.

Quartum Argumentum ejusdẽ est. Aer motus flabello refrigerat, Ergo natura sua est frigidus. Nam motus in rebus calidis excitat calorem, frigus verò in frigidis.

RESPONDETUR. Aerem istius infimæ regionis, frigidis vaporibus esse plenum, & hos impactos facici refrigerationem illam adferre, & sicut ex follibus, quæ ignito carboni materiam suppeditant, illumque fomentant, non rectè colligitur calor aeris, ita nec rectè colligitur ex flabello frigus.

Quintum Argumentum ejusdem est. Quando homo patitur colicam, aer intus inclusus, naturali sua frigiditate hominem vexat, tantumque rerum calidarum applicatione ei mederi possumus.

RESPONDETUR. Negari posse quòd aer aliquis corpus intret, quàm is, qui respiratione trahitur, hic autem nonnisi calefactus immittitur, concesso autem quòd etiam alius aer immittatur, facilè negari potest illum etiã permeando non calefieri, sed posito etiam, quòd revera aer tunc frigidus noceret, frigiditas ejus in misturas referri potest. Causa etiam doloris colici, etiam in calorem rejici potest, nempe in spirituum calidorum copiam, qui vexant intus quæruntque locum quâ evadant, hinc ei dolori, non aliter mederi possumus, quàm laxando poros, quibus laxatis, exeunt illi spiritus.

Sextum Argumentum est. Quia observatum est à multis, diabolum in corporibus aereis assumptis, non posse tantum calorem efficere, quantus est hominis, quod falsum esset, si aer esset summè calidus.

RESPONDETUR. Hoc argumentum utrumque probare, nam probat aerem esse calidum & frigidum, calidum quidem, quia corpora illa sentiuntur calida, quamvis non eo temperamento quo humana, frigidum autem, quia non accedunt ad calorem humanum. Addit recentior Suarez, diabolum esse potius sollicitum de externa figura, non autem de calore, fortè etiam Deus ob suæ providentiæ fines ordinavit, ut illa differentia in corporibus appareat.

Septimum ARGUMENTUM est. Quia juxta cœlum lunæ, est ignis elementaris, Ergo necessarium fuit, ut nimius illius calor, temperaretur aëre frigido.

RESPONDETUR. Hoc argumentum potius probare, debuisse illic poni elementum calidum, ne posito frigido, pugnarent inter se. Quod si dicas illum ignem non esse inibi activum, cur ergo poni jam debebit elementum, quod temperet calorem illius, sua frigiditate.

Pro caliditate Aëris.

Primum ARGUMENTUM Commune est. Possibilis est combinatio humiditatis & caloris. Ergo datur. In nullo autem elemento poni debet nisi in aëre.

RESPONDETUR. Non secundùm omnes possibiles combinationes, est numerus elementorum & constitutio; de quo suprà.

Secundum ARGUMENTUM est ex recentiori Suarez per experientias.

Prima Experientia est; quia res calore attenuatæ, in aërem resolvuntur, ut patet in aqua, quæ in lebete, dum igne calefit, minuitur.

RESPONDETUR; Experientiam non convincere: quia res calore attenuatæ, interdum resolvuntur etiam in aquam, quæ est frigida.

Secunda Experientia est, quia ea quæ sunt magis aërea, sunt etiam magis calida, ut mel, oleum.

RESPONDETUR; Etiam illum calorem, in alias misturas & temperamentum referri debere, non in aërem, dici etiam potest, oleum & mel, ignea potiùs esse, quàm aërea.

Tertium ARGUMENTUM. Levitas est comes signumque caloris. Sed aër est levis. Ergo calidus.

RESPONDETUR. Levitatem hanc pensari vel maximè ex aëre infimæ regionis, qui vel maximè experientiæ nostræ subest, quem tamen constat multis misturis plenum. Levitas ergo hæc in aliud principium referri posset. Rursus nec aërem, nec ignem, purum misturis habemus, & tamen aër superponit se igni, ut videri est in follibus, à quibus impactus aër, superponit se carbonibus ignitis. Denique levitas illa aëris, non in calorem qui major est in igne, sed in conditionem ipsius corporis, referri posset.

Quartum ARGUMENTUM est. Quia nimio calore, in aërem aqua convertitur, & nusquam frigiditate convertitur in aerem. Ergo calor & non frigiditas humiditatem aeris comitatur. Nulla enim substantia gignitur qualitate opposita, proprio temperamento.

RESPONDETUR. Liquor glacie constrictus, glacie dissoluta non tantum spatium occupat ut ante; cujus ratio reddi potest, quòd partes aquæ, frigore in aerem abierint. Quod si dicas frigore excludi nonnisi partes aeris, non verò partes aquæ in aerem converti. Idem dicent oppositi. Deinde, quamvis nulla substantia, possit à qualitate opposita proprio temperamento, per se loquendo gigni; tamen per accidens id contingit: ut dum operculum, calido superpositum, madefit. Et ratio est, quia fieri potest ut partes aliquas ita alteret calor, ut quamvis non sint capaces & gignantur, destruatur tamen in illis forma misti. Jam ergò in elementum aliquod resolvi debent; & quia fieri potest, quòd sit res levis, non poterit habere debitas terræ dispositiones; fieri item potest ut non habeat pondus illud requisitum ad aquam, debebitque generatio aëris resultare. Quando autem ad hoc recurritur: Quòd si ponatur aër humidus & frigidus, nulla cognatione vicino elemento, scilicet igni, aer sit conjungendus, adeoque turbandum ordinem elementorum, id non convincet; nam negabitur talem ordinem debere poni, dicetur que talem esse ordinem elementorum, ut superemineat summè calidum ignis, infra sit summè frigidum aer, tum summè humidum aqua; denique summè siccum terra.

Quintum ARGUMENTUM est. Quia aer in locis humidis & frigidis, puta in terræ cavernis, vertitur in aquam, non aliam ob causam, nisi quia frigus simul cum humore, est dispositio aquæ, non aëri debita. Deinde quia aer & aqua debent habere virtutes, per quas possent agere in se, & pati, exigente id mistorum temperie. Hæc autem ex parte aeris non potest esse alia, quàm calor; & ex parte aquæ frigus.

RESPONDETUR. *Quoad primum*, illò potiùs probari aerem esse frigidum; quia elementa symbolas qualitates habentia faciliùs in se convertuntur; cùm ergo in illis locis facile aer convertatur in aquam, quæ est frigida, & ipse debet esse frigidus. Rursus dici potest, quòd aer *in illis* locis hauriat multos vapores, levitati *suæ* contrarios, commodos gravitati aquæ, in quam etiam solvitur.

Quod attinet ad alterum. Agent adhuc contra se aer & aqua, secundùm aliam qualitatem, quia aer agnoscente ipso Arriaga, est siccus; humida aqua.

RESTAT adhuc inquirere. An aer sit humidus, an siccus. Pro siccitate aeris stat Ariaga cum Stoicis. Hoc ut penetur.

Pro siccitate Aeris.

Primum Argumentum est ex Ariaga; quòd non habeat tantam humiditatem aer; quantam aqua, vel hoc ipsum ostendis, quia aqua magis humectat.

RESPONDETUR. Potest humectare quidem magis aqua, & hoc probat, quò sit magis humida; sed non non sequitur, quòd aer non sit humidus, licèt non æquè ac aqua.

Secundum Argumentum: Quia aer nimis humidus convertitur in aquam ut constat experientia. Ergo humor in summo non est proprietas aeris; sed aquę consequentia probatur: quia nulla forma ejicitur è subjecto, & in aliam convertitur per qualitatem propriam formæ ejectæ.

RESPON-

Respondetur ex dictis, per se id non fieri per accidens tamen id contingere, de quo in simili supra actum.

Tertium Argumentum, aqua non est summè frigida. Ergo est humida. Ergo id aëri non competit.

Respondetur. Quod quærendum restet, an saltem in excellenti non sit humidus aër, De antecedenti esse difficultatem supra innuimus.

Pro humiditate Aëris.

Primum Argumentum Oviedo est. Humidum ex Aristotele est illud quod non facilè proprio termino, sed alieno terminatur. Hæc definitio præ omnibus elementis competit aëri, facilius enim aër continetur intra telam, valde tenuem quàm aqua.

Respondetur. Telam duplici modo posse continere aërem. Primo quòd sit valde porosa, ita ut exeunte uno aëre, subintret alius, & sic non potest probari quidquam pro humiditate aëris. Quodsi tela non sit porosa, adhuc non probabitur humiditas, ad eum modum, quo non probatur lanæ vel milii humiditas, licèt advolvatur lateribus vasis; quodque faciliùs contineatur aër intra telam, illud exinde proficiscitur, quia non est corpus ita densum aër, atq; est aqua.

Secundum Argumentum est. Quia aqua est summe frigida. Ergo tantum aër habet humiditatem in summo.

Respondetur negando in aliorum principiis antecedens.

Tertium Argumentum est. Quia eo modo congruè disponentur elementa, non enim duo contraria, videlicet summè calidum, summè frigidum immediatè collocabuntur, sed medium aliquod constituetur.

Respondetur. Sicut nihil obest, quòd in sententia Oviedi, in excellenti sicco, in summo humidum, sic nec oberit ut summè calido, supponatur summè humidum. Rursus dicerent oppositi, quòd ille est optimus ordo elementorum, qui est magis proportionatus naturæ eorum, unde non debent naturam talem habere, quia ita collocari debent, sed ideo collocari debent, quia habent talem naturam. Cum ergo aliunde non probetur aërem esse summè humidum, ex collocatione elementorum, nihil decernetur. In sententia etiam Ariaga medium aliquod ponetur inter duo opposita, quia ignis est calidus & siccus; jam autem aër est siccus & frigidus, ubi ratione qualitatis symbolæ, quæ est siccitas, non ponentur immediatè, & se totis, contraria.

Quartum Argumentum ex Recentiori Suarez. Aqua elementaris, non est magis humida, quàm aqua rosacea, vinum, & cætera, & tamen ista non sunt humida in summo, sunt enim mixta.

Responderi potest retorquendo argumentum. Si ponatur vinum in profundo puteo non minus erit frigidum, quàm aqua, neque tamen arguitur quòd summa frigiditas, non competat aquæ. Ergò nec in præsenti bene arguetur.

Deinde ad objectionem dici potest magis esse siccum vinum, quàm aquam puram, est enim vinum mixtum corpus, licèt illa siccitas, propter excessum liquiditatis, non appareat.

Quintum Argumentum pro eadem sententia sumi potest. Quia ea quæ in oppositum adducuntur facile solvi possunt. Nam si dicas aërem exsiccare, referri id poterit in exhalationes. Si dicas aërem tempore pluviæ reddi humidiorem non redderetur autem si esset in summo humidus dici, poterit reddi tunc aërem magis humidum, hoc est crassius humidum, in quod etiam principium referri potest, cur magis humectet aqua, quàm aër. Quia scil. id densius facit.

Pro hac sententia notat recentior Suarez humiditatem dupliciter spectari posse. Primò activam, & hæc humiditas competit potiùs aquæ secundo passivam, quæ sita est in minore consistentia; in suo proprio termino, & hæc magis competit aëri, magis enim delabitur & defluit.

Quæ combinatio Aeri debita.

Assero 1. Attendendo ad mentẽ Aristotelis, *aërem esse humidum & calidum*, expressa est illius authoritas secundo de Generatione, textu vigesimo tertio: *Cum simpliciter inquit quatuor sint: quodque unius est, terra, siquidem sicci potius est quam frigidi, aqua verò frigidi magis quàm humidi, aër humidi magis quam calidi, ignis calidi magis quam sicci.*

Assero 2. *De humiditate aëris, vel ejus siccitate, frigiditate item vel caliditate per experientiam nihil concludi potest.*

Ratio est. Quia cum elementa multis sint peregrinis qualitatibus; apud Nos referta, quidquid attuleris, in peregrina rejici poterit principia, licèt magis experientia stare videatur, potiùs illum esse siccum quàm humidum, & potiùs, frigidum quàm calidum, idquè probant experientiæ allatæ, & cùm nulla ratio manifesta urgeat, pro illius humiditate, quis unquam controversiæ ignarus, ex solo judicio sensuum, dicat se humectari ab aëre.

Assero 3. *Si nomine humiditatis non aliud intelligas quàm id quod facile cedit, eo sensu aer est magis humidus quam aqua*, faciliùs enim cedit.

De Combinationibus Terræ.

Communior sententia tenet, terram esse siccam in summo, & frigidam in excellenti. Ratio est. Ipsa auctoritas Scripturæ appellantis terram siccam & aridam, & quia siccum maximè resistit figuræ alienæ, ex elementis autem hoc vel maximè competit terræ; condistingueturque adhuc sua combinatione ab aëre, quia

ille non est in summo siccus. Ignes autem qui ex terra oriuntur, referuntur in mineralia, quæ sol in visceribus terræ operatur, & materiam, concipiendo igni aptam.

QUÆSTIO II.

De ipsa Mistione.

Duo hîc præcipuè attingentur. Imprimis natura ipsius Mistionis, deinde an Mistum deposcat in se actualem, an virtualem remanentiam Elementorum.

DIFFICULTAS I.

An, Quid, & Quarum Conditionum Mistio?

Quoad Quæstionem, *An detur Mistio*; communis sententia illam admittit. Tum quia experimur ex variis Mistionibus varia generari. Tum quia ut ait recentior Suarez data causa, & non impedito effectu, sequitur effectus; datur autem causa Mistionis, nempe mutua contrariorum actio, & non apparet impedimentum effectus. Tum quia non omnia, quæ in orbe sunt, sunt aut terra, aut aqua, aut ignis, aut aër. Ergo dantur aliqua præter hæc, & hæc vocantur Mista, cum suo modo contineant etiam illa priora.

Quando autem dicitur Mista ideo non dari, quia fierent ab elementis, ab elementis autem fieri non possunt, cum sint nobiliora illis, mobilius autem ab ignobiliori non fit: id non convincit, nam in eo in quo fiunt, non sunt nobiliora Mista elementis, quanquam effectus æquivocus, potest esse nobilior sua causa. Sed quicquid sit de hoc, Mixta excedunt præ elementis ratione formæ, quam tamen non producunt elementa, sed aliud principium.

Quoad quæstionem: Quid sit Mistio?

Mistionem definit Aristoteles. Primo de generatione, textu vigesimo: quòd sit mistibilium alteratorum unio. Videtur hæc descriptio non esse bona. Ratio, quia de hoc ipso quæritur, quid sit hoc ly mistibilium, & qui ignorat mistionem, ignorat mistibile, concedo quidem posse descriptionem procedere per causam, sed tunc quando ipsa causa aliunde est nota, aliunde autem ignoratur causa mistionis.

Quando autem alii ad salvandam definitionem, ad id recurrunt, quod ly *Vnio*, positum in definitione, supponat pro generatione substantiali, terminata ad inductionem formæ misti, in materiam, mistibilium, sufficienter præparatam, alteratam, continuatam. Id etiam non convincit, quia quærere restat, quid est non quidem generatio substantialis, hæc enim alibi supponitur definita, sed quid significat generatio substantialis ly *Misti*.

Explicatur 1. Mistio ab aliis apud Oviedo. Quod scil. mistio sit generatio corporis resultantis ex contrariorum congressu. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit. Quia ut sonat definitio hæc accepta, supponit potiùs debere fieri congressum elementorum, & pugnam, antequam dicatur fieri mistum; quod est falsum: quia potest bene ab ipsomet Deo immediatè produci, & revera potest esse mistum, quamvis non ex pugna contrariorum. Deinde cùm mistio sit aliqua generatio, sicut generatio non debet dici generatio corporis, sed potius generatio totius, sic & mistio non debet dici generatio corporis, sed generatio totius.

Explicat 2. Ariaga: quòd mistio sit duorum corporum alteratorum unio. *Hæc descriptio*

Non satisfacit: quia alteratio videtur debere præcedere mistionem, quæ tamen præcedentia ut dixi ad mistionem non requiritur; mistum item præsens quatuor includit elementa, non ergo debet esse duorum corporum unio. Ut hæc descriptio aliæq; similes, imò & Aristotelica definitio explicari possit, & ab impugnationibus allatis defendi.

Suppono 1. *Triplicem in præsenti mistionem cogitare possumus.* Primò corporum notabiliter discretum numerum constituentium, quando intra idem spatium includuntur, & sic v. g. miscetur triticum cum pisis. Secundò mistio est corporum continuatorum fluidorum simultanea permeatio, & hac ratione aqua miscetur vino. Tertio prout hic de mistione agitur, vi cujus resultat aliquid ex elementis.

Suppono 2. *Mistionem ipsam, prout hîc de illa agitur dupliciter spectari posse.* Primo pro actione, ex qua resultat mistum, & hæc adhuc duplex spectari potest; scil. ipsorum elementorum inter se, & de hac idem dicendum, quod de reactione & repassione; vel certè sumi potest actio extrinseci, quæ ipsa actio extrinseci agentis, duplex spectari potest.

Primò, applicativa nonnisi elementorum, & de hac in præsenti nulla est difficultas, vel certè productiva ipsius formæ misti, & de hac ita discurrendum ac de reliquis generationibus.

Secundo sumi potest mistio pro ipsa ratione formali, & ut quo, & hæc non aliud est, quam ipsa unio, de qua proportionaliter loquendum sicuti sumus locuti de unione substantiali.

Tertio sumi potest pro ipso termino seu ratione formali ut quod: de sic sumpta mistione, ita in pluribus discurrendum, sicut de toto composito. Utroque hoc posteriori modo sumpta mistio in præsenti considerari debet.

Suppono 3. *Ly mistibilium ly unibilium & alios terminos tripliciter adhuc spectari posse.* Primo pro eo quod alteratum non est v. g. sed alteratur. Secundo pro eo quod jam v. g. non alteratur actu sed alteratum est. Tertio sumi potest pro ratione communi ad hæc membra, quod alteratum est, vel alterabitur. *His suppositis*

Expli-

Explicatur mistio. Pro ratione formali, ut quo sumpta, quòd sit mistibilium alteratorum unio. Ita Aristoteles: Et deinde, quia formalis ut quo mistionis, non est aliud, nisi ratio per quam mistum ut quod constituitur, jam autem mistum ut quod, non alio ut quo constituitur nisi unione, & quia hoc quod hîc definitur est mistio ut sic accepta, quando ponitur Ly *mistibilium*, non ponitur definitum in definitione, quia hoc definitum in præsenti est ratio formalis ut *Quo*, non autem ut quod, quale est mistum. Ipsa autem mistio pro termino ad quem, seu ipsum mistum, est totum substantiale ex elementis alteratis constitutum; Unde si quæratur, quid sit mistibilium alteratorum unio, bene ista mistibilitas per constitutionem ex elementis alteratis describetur.

Quod attinet ad conditiones Mistionis.

Prima Conditio est. Ut non sit mistio secundùm accidentia in eodem subjecto existentia, sed secundùm ea, quibus competit esse completas substantias. Conditio hæc sumitur ex 1. de Generatione textu 28. propter defectum hujus conditionis, materia & forma non dicuntur misceri, neque enim sunt completæ substantiæ, albedo item & nigredo.

Secunda Conditio. Ut mistibilia sint mutuo activa & passiva alterativè, adeoq; habeant communem materiam & accidentia. Unde duo Angeli si secum unirentur, non essent mistum, quia nec communem materiam nec alterativa accidentia habent. Sumitur id ex textu 87.

Tertia Conditio. Ut propter faciliorem mistionem mistibilia sint divisibilia in partes exiguas, sumitur hæc conditio ex textu 84. defectu hujus conditionis adamas non miscetur facile, cum aliis corporibus.

Quarta Conditio. Ut sint proportionata corpora ipsa, in ratione agendi, ex textu 88. & 89. defectu hujus conditionis, si aquæ guttam rogo infundas, non fit mistio.

Quinta Conditio. Ut mistibilia, possint ex quacunque misti parte generari, est conditio ex textu 47. Ratio quia ex quacunque parte non generarentur, jam supponeretur illa pars, non esse mistum.

DIFFICULTAS II.

Quomodo elementa maneant in Misto.

Duplex est hac in parte sententia; alii dicunt formaliter entitateque sua retenta, esse in misto. Id docent ordinariè Medici quibus adhæsit Dandinus lib. 2. de anima digressione 8. Alia sententia docet elementa manere nonnisi virtualiter, hoc est, ratione qualitatum debitarum elementis, quæ restrictæ & temperatæ inibi sunt, estq; communis reliquorum.

Dicendum est. *Elementa manere nonnisi Virtute in misto.*

Probatur 1. Auctoritate Aristotelis de Generatione textu 84. & 89. & 2. de Generatione textu quadragesimo septimo & 2. de partibus animalium capite primo. Ratio ejusdem est. Elementa sunt omnium rerum principia prima, manereq; debent in re genita, si enim non manerent, non essent prima principia, compositiva omnium, si manent, debent manere nonnisi virtute, quia aliàs non daretur vera generatio, sed solum alteratio, si enim erit aër, inquit Aristoteles 2. de Generatione textu 31. siquidem permanet, alteratio erit non generatio.

Probatur 2. Communi argumento. Vel formæ elementorum manent in eadem parte subjecti, hoc est materiæ, vel in diversis partibus. Neutrum dici potest; non secundum. Tum quia sequeretur quòd nullius misti materia esset continua, nam ita distincta continuari non possunt, absurdum etiam est dicere, quod aurum purum, heterogeneas partes habeat, sequereturque contra Aristotelem 2. de Generatione textu 47. quod non ex qualibet parte misti segregari possent elementa, nec posset illud mistum, nisi ratione totius dici mistum; non autem ratione partium, habereq; se ratio misti sicut decem, quod singulis, suis partibus non convenit, sequereturq; ulterius quod illud mistum, & esset arbor v.g. & aqua, quia utriusque haberet formam substantialem, nec jam pars misti appellabitur mistum contra Aristotelem 1. de Generatione textu 86. Non potest etiam dici primum, quia aliàs duabus formis substantialibus; una eademque materia informaretur.

Probatur 3. Vel in misto præter formas substantiales elementorum datur forma distincta realiter à prioribus, quæ sit forma misti, vel non datur; neutrum dici potest; quod ipsum probatur, si enim non datur præter formas substantiales elementorum, distincta realiter forma misti: Ergo nullæ res sunt distinctæ specie, quia omnes habent easdem formas specificas, & nihil insuper substantiale specificum est in uno misto, quod non sit in alio, si autem insuper datur forma misti: Ergo non dantur formæ elementorum. Quod ipsum probatur; quia vel potest præstare totum id illa forma, quod præstarent elementa, vel non potest, si potest, ergo otiosa erunt ipsa elementa, si non potest. Ergo illa forma & esset forma misti, ut supponitur, & non esset forma misti: Quia sicut forma ignis, quæ non potest præstare id quod præstat forma aquæ, est forma nonnisi simplex, nec est forma misti, ita nec illa forma misti, erit forma misti; Nec apparet undenam transeat in denominationem, & esse formæ misti.

Respondebis, formam misti, se solam non posse præstare, quod præstant formæ substantiales elementorum; sed indigere formis illorum, tanquam dispositionibus.

Con-

Contra erit: Quia non est ratio, cur non sit contenta forma misti, solis qualitatibus elementorum, pro dispositione. Tum quia non est explicabile, an illæ dispositiones, sint in tota materia, an tantùm in parte materiæ. Tum quia talis collocatio formarum elementarium, vel est in homogeneis. Vel tantum in heterogeneis, si tantùm in heterogeneis: Ergo ratio misti quâ talis, salvari potest sine his elementis; cùm ratio misti salvari possit in homogeneis. Si etiam in homogeneis. Ergo non erit jam homogeneum, quia involvit tot heterogeneitates formarum.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Auctoritas Aristotelis.

Prima est ex Metaphysicis ex 5. Metaphysicorum Textu 4. & 7. Metaphysicorum Textu 60. ubi definitur elementum esse id ex quo quidpiam fit, cum insit.

Respondetur. Sufficere ut insit virtualiter, & quoad qualitates, ineritque misto elementum quoad suas virtutes.

Secundus Locus est. Quia sicut docet Aristoteles primi Physicorum Textu 83. Materiam inesse actu iis quorum est materia, ita secundi Physicorum Textu 31. dicitur, elementa esse materiam misti.

Respondetur. Mistum habere materiam Physicam, elementa autem sunt materia illius insuper, secundùm suos qualitates spectata.

Tertius Locus est. Ex libro de cœlo ubi 3. cœli Textu 63. docet elementa non retinere in misto propriam figuram.

Respondetur. Inde non sequi, quòd retineant suam Entitatem, quando autem 1. Cœl. Textu 1. & 2. docet, mista moveri prædominantis elementi motu, sufficienter ille locus intelligi potest, de Prædominio non secundùm Entitatem, sed secundùm qualitates.

Quartus Locus est. Ex libris de Anima ubi 2. de Anima Textu 39. dicit Aristoteles nisi Anima esset in corpore, fore ut elementa distrahantur, & propria loca capesserent; & Textu 62. quæritur: cur elementa in sensu existentia, non sentiunt quæ omnia supponunt dari actu elementa in misto.

Respondetur. Primum Textum procedere contra Empedoclem, qui viventibus animam negabat, & dicebat plantas radicari, quia à terra ad centrum propelluntur, ramos verò se attollere quia ab igne sursum attolluntur. Secundus autem locus inquirit cur qualitates elementorum non sentiant; inde autem nihil evincitur contra conclusionem.

Quintus Locus est. Ex 1. De Penetratione Textu 34. ubi negat lignum cum igne misceri, qui lignum dum comburitur, vertitur in formam ignis: Ergo supponit ad mistionem requiri ut mistibilia retineant formas.

Responderi potest; non ideò præcisè lignum non misceri cum igne, quia corrumpitur, sed quia vertitur in ignem, & non in aliquid tertium commune, ut debet fieri in misto. Quando autem textu 84. docet: posse elementa separari à misto, intelligendus est, non de separatione locali, sed de Generatione, eò quòd in misto sint tanquam in medio communi, in quo virtualiter, ratione qualitatum continentur elementa. Dicit autem quòd separari possint, non autem generari, ut ostendat diverso modo generari elementa ex elementis, diverso ex mistis. Nam universaliter quando elementum generatur ex elemento, non est necesse ut qualitates generandi, quoad utramque combinationem contineat in se elementum, sicut continetur in misto. Quando autem textu 90. dicitur ibidem, quòd mistio sit elementorum alteratorum & non corruptorum mistio id non convincit; nam hoc solum vult Aristoteles, scil. ipsas illas qualitates alteratas, & refractas esse debere, nec dicit simpliciter elementa corrumpi, cùm quoad virtutes contineantur in misto.

Objiciuntur 2. aliqua principia.

Primum est, quod ex qualitatibus colligatur esse alicubi aliqua forma, & sic ex qualitatibus & dispositionibus arboris, colligitur Cedrum esse arborem. Ergo cum per nos maneant qualitates elementorum in misto, poterit colligi manere formas.

Secundum Principium est, quia forma eo usq; durat, quousq; habet suas dispositiones, elementa autem habent suas dispositiones in misto.

Respondetur utriq; principio: quòd qualitates & dispositiones non quomodocunque sumptæ arguant formam, aliàs cum accidentia quæ erant in genito, maneant in corrupto, deberemus asserere, quòd simul sit corrupta & genita forma. Tunc ergo qualitates & dispositiones arguunt formam substantialem, quando habentur ultimæ dispositiones & in mensura requisita, cùm tamen in misto virtutes elementorum sint refractæ.

Objicitur 3. Mistio est elementorum unio. Unio autem arguit existentiam unibilium.

Respondetur. Talis arguitur existentia unibilium ex unione, qualis supponitur esse unio. Et quia supponitur esse unio, nonnisi ratione qualitatum elementarium attemperatarum, etiam nonnisi illæ qualitates manere debebant.

Objicitur 4. Res in quæ resolvitur, ex his & componitur. Mistum autem resolvitur in elementa.

Respondetur. Resolvi hominem in elementa non propriè, sicut dum fit resolutio in materiam & formam: sed impropriè; quia tum primum ex misto generantur. Unde quando stillat arbor, non est illic aqua elementaris, nec spiritus in animali sunt realiter ignis.

Obji-

Objicitur 5. Cùm elementa miscentur aut nullum elementum vincit, & tunc non dabitur vera mistio, aut vincit, & tunc non dabitur mistum, sed tantum erit elementum quod vincit. Ergo debent omnia vincere, & sic omnia propriam formam producent in materia misti. Ergo formæ illorum manebunt in misto.

Respondetur. Quòd vincant omnia elementa in misto, ratione qualitatum elementis debitarum, quæ etiam qualitates manent in misto, à forma autem accedente misti vincuntur vel maximè, quæ etiam manet in misto.

QUÆSTIO III.

De proprietatibus misti.

Nomine proprietatum primarum misti, accipiendæ hìc sunt qualitates, quas principia misti, hoc est elementa, misto adferunt. Nomine autem qualitatum secundarum, veniunt virtutes motivæ elementorum, quæ non ideò secundæ appellantur, eò quòd ex primarũ qualitatum pugna & mistione veniant, sicut veniunt colores, sed quia supponunt primas qualitates, & ad earum variationem variantur. Hæ autem virtutes elementorum, motivæ ad capiendum locum, sunt gravitas & levitas.

Nomine autẽ gravitatis & levitatis, veniunt principia, quorum primũ inclinat sursum, secundùm autem inclinat deorsum, vel attenta phrasi Aristotelis ex primo cœli textu 1. & 4. cœli textu 6. Grave est quod ferri natum est ad mediũ, hoc est ad centrum mundi. Leve autem, quod ferri natum est ad extremum, seu sursum, quæ descriptio distinguit dictas qualitates ab impulsu: quia hìc non est determinatus ad motum sursum tantum, vel tantum ad motum deorsum, cùm possit vel circulariter, vel per lineam rectam procedere. Distinguit item à virtute motiva animalium, quia hæc est principium motûs progressivè, subditur appetitui &c. quod non ita se habet in gravitate & levitate.

DIFFICULTAS I.

An gravitas & levitas sint qualitates distinctæ realiter.

Cõmunis sententia tenet esse distinctas realiter, negat Valesius, Ariaga, Pontius.

Dicendum est, *Gravitatem esse qualitatem distinctam realiter à substantia*, adeoq; verum accidens Physicum.

Pensanda sunt argumenta pro hac sententia.

Primum Argumentum commune adferri solet. Quia in Eucharistia, datur gravitas panis, & tamen non datur substantia panis.

Respondet Ariaga, non dari formaliter gravitatem, seu formam gravitatis, sed tantùm effectum poni gravitatis, hoc est impulsum.

Instat 1. recentior Suarez. Eodem jure dicere possemus illic non manere colorem & saporem.

Respondet Ariaga, non debere ponderari quæ sint accidentia, vel substantia rei (his exceptis quæ sensu percipiuntur) ex mysterio Eucharistiæ, sed ex aliis principiis Physicis; cognito autem quæ sint accidentia, debemus universaliter dicere, ea omnia manere in venerabili Sacramento. Addit idem, etiamsi quis diceret albedinem non esse distinctam à luce, consequenter non esse illic albedinem distinctam, sed lucem solam, non posset ex hoc mysterio ullo modo redargui, sed aliunde.

Instat 2. Recentior Suarez. Aut in accidentibus Eucharisticis admittitur vera gravitas, aut non, si primum. Ergo distinguitur realiter à substantia, si secundum multiplicabitur miraculum, de quo non meminere Patres.

Respondet Ariaga, potiùs à communi sententia multiplicari miracula, nam admissa gravitate distincta, illa debet conservari efficienter à substantia rei gravis, non enim est qualitas quæ conservatur in subjecto ante formam substantialem, sed neq; emanat ab illa. Ergo si hæc gravitas conservatur, duplex datur miraculum nempe accidentis sine substantia servati, alterũ quòd sit sine causa efficienti, cum tamen Ariaga nonnisi unum miraculum ponat, nempe suppleti sine causa naturali impulsus.

Commune tamen argumentum hoc, restaurari sic posset. Quia si dicatur, quòd nonnisi effectus gravitatis suppleatur in Eucharistia à Deo, subruitur modus arguendæ distinctionis realis accidentium Physicorum. Quod ipsum probatur, quia non alius est modus arguendæ distinctionis realis, quàm separabilitas aliàs explicata, & tamen ipse fatetur, ex aliis principiis Physicis petendum id esse, cum tamen non habeatur exemplum separabilitatis, accidentis à substantia ad permanentiam accidentis, nisi in Eucharistia. Deinde non rectè per Ariagam ex Eucharistia deducitur distinctio gravitatis, quãtitatis, albedinis. Ergo si ratio consulatur, & non attendatur ad phrases Patrum, nullum accidens esse separatum à substantia panis actu, sed nonnisi effectus illorum suppleri à Deo, & ad salvandas phrases Patrum, dicam quod non doceant manere accidentia, secundùm formas, sed secundùm effectus illorum, dicamq; ipsa accidentia non esse separabilia realiter, nec distincta realiter, eò quòd nullum sit ad hoc fundamentum, & nulla necessitas, sed esse nonnisi necessitatem & fundamentum, distinguendi effectus accidentium à substantia, non autem formas accidentium.

Restaurari item posset idem argumentum; quia quodcunque fundamentum adferet distinguendi Ariaga saporem v.g. vel quodcunq; aliud accidens, idq; ad sui etiam permanentiam, idem adferri potest quod distinguatur gravitas.

Restau-

Restaurari denique posset, quia ex dictis illius constat, quod bene arguatur distinctio realis eorum accidentium, quæ sensu percipiuntur, quæ ergo est taxa quod legitimè sensu percipiatur sapor in Eucharistia, idque secundùm ipsam formam, non autem effectum illius, & non rectè percipitur forma gravitatis, sed percipitur sensu nonnisi illius effectus.

Secundum Argumentum est, quo utitur Oviedo. Gravitas & levitas non identificantur cum materia, eadem enim materia gravitat sub una forma levitat sub altera; non item gravitas & levitas sequuntur formam, quia forma spiritualis non gravitat, & tamen corpus humanum gravat. Item gravitas & levitas non sequitur unionem, si forte hæc sit in homine spiritualis, seclusaq; unione, in mortuo manet gravitas. Deniq; non identificatur composito, quia illud nihil est aliud præter illa tria. Ergo gravitas debet esse quid distinctum à substantia.

Respondet Ariaga, quòd gravitas posset sequi formam. Anima autem rationalis licèt in se sola non sit productiva motus deorsum, in his tamen circumstantiis gravitat, sicut eadem anima sola non famescit, posita tamen in corpore, famescit, videt posita in corpore, non videt extra corpus.

Instat. Oviedo esse disparitatem inter visionem v. g. & inter gravitatem; quia scil. potentia visiva, est productiva visionis, quæ est accidens corporum, nec potest educi ex subjecto spirituali, neq; item potest produci sine concursu specierum, quæ etiam ipsæ in subjecto materiali recipi debent, quæ omnia sunt materialia, desuntq; animæ separatæ; terminus autem producendus à gravitate, tantum est præsentia localis; & actio ejus, est motus localis, ex vi cujus producitur hæc præsentia. Jam autem nec præsentia localis, nec actio illius productiva ullo ex capite indiget subjecto materiali.

Responderi potest, argumentum probare multum etiam in principiis Oviedo, probaret enim gravitatem non esse qualitatem materialem, cum nec actio, nec terminus illius, deposcant subjectum materiale.

Restaurari tamen potest hoc argumentum sic: Quia in principiis Ariaga, idem corpus nunc majorem, nunc minorem producit v. g. motum deorsum, cujus ratio reddi non potest, nisi concedatur gravitatem habere majus & minus, nam ipsæ formæ spirituales eædem manent, imò & materiales, si sunt indivisibiles. Materia etiam de se non gravitat.

Tertium Argumentum sit authoritas Aristotelis ex secundi de Generatione textu octavo, quinti Metaphysicorum textu 19. secundi de partibus animalium capite 1. ubi gravitas & levitas numerantur inter qualitates tangibiles.

Objicitur 1. cum Valesio apud Oviedo. Si gravitas & levitas essent accidentia distincta, convenirent corporibus absolutè in ordine ad se, in certa & determinata intensione, sicuti competit calor & frigiditas, cuicunque corpori, sed gravitas & levitas non ita subjecto conveniunt; sed respectivè & in ordine ad aliud; si enim absolutè convenirent, eodem modo respectu cujusvis medii convenirent, non convenire autē eodem modo, ostendunt experientiæ.

Respondetur. Quamvis calor ignis A, respectu ferri igniendi, non habeat tantam efficaciam, quantam respectu stipulæ igniendæ, tamen id non probat calorem non esse qualitatem respectivam, & non absolutam, ergo nec hîc probabit. Quod autem libra hujus corporis supernatet aquæ, libra alius non supernatet, referri debet, vel in poros corporis, in quos se insinuat aqua, & ipsum corpus attollit, vel referri debet in aërem in corpore supernatanti inclusum, qui etiam attollit corpus. Referri item debet in temperamentum.

Objicitur 2. cum Ariaga: Nullum esse fundamentum distinguendi à substantia, gravitatem & levitatem.

Respondetur. Quodcunq; Arriaga assignaverit fundamentum distinguendi alia accidentia, idem in præsenti assumemus.

Objicitur 3. Potentia loco motiva in animali non distinguitur realiter ab anima. Ergo nec gravitas quæ est potentia loco motiva deorsum.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia non videmus potentiam loco motivam esse separatam ab animali: Jam autem gravitatem panis, sentimus in Eucharistia sine substantia panis, quam illic sentiri idem fundamentum habetur, quod habetur sentiri saporem panis, sine substantia panis.

DIFFICULTAS II.

An Gravitas & Levitas sint qualitates speciales.

Sensus tituli est, an gravitas & levitas identificentur primis qualitatibus, earumque temperamento, an verò sint quid distinctum realiter ab illis. Esse has qualitates distinctas docet communis sententia. Negat Oviedo & Recentior Suarez.

Dicendum est, *Gravitatem v. g. esse distinctam qualitatem à primis qualitatibus.*

Probatur 1. Quia vel gravitas in una tantùm qualitate consistit, vel in duabus, vel in omnibus. Si in omnibus qualitatibus consistit levitas & gravitas. Ergo elementa nulla dantur gravia, nulla levia, quia elementa non habent combinationem omnium qualitatum: hoc ipso enim mista foret; si autem in duabus qualitatibus consistit gravitas & levitas. Quæro an æqualiter in utraque prima qualitate consistant,

fistunt, vel non æqualiter. Si non æqualiter, non erit ratio major unius quàm alius, qualitatis. Si æqualiter: Ergo nullum elementum dabitur simpliciter grave, vel simpliciter leve; quia adjunctum habebit principium, quod in alio elemento principiat gravitatem, in alio levitatem; quod proportionaliter applica si gravitas & levitas in una tantum qualitate consistant. *Hoc ulterius sic explanatur.* Ignis est levissimus; competit illi ex communi sententia siccitas & calor, quæro quid in igne principiet levitatem? si principiat siccitas simul & calor: Ergo terra non est summe gravis, quia competit illi principium levitatis; nempe siccitas; quodsi levitatem principiat calor. Quæro quò ex principio levior est aqua, quàm terra, cum illi calor nullo modo competat. Neque valet si recurras ad formam substantialem, sumptam cum certa combinatione, certè enim vapor est substantialiter aqua, & tamen levior est aquâ. Econverso si siccitas est principium gravitatis in terra, erit & in igne, adeoq; non dabitur quidpiam summè leve. Quòdsi frigiditas est principium gravitatis, etiam aqua erit summe gravis; est enim frigida. Quòdsi utrumque principiat summam gravitatem nempe & siccitas & calor, redit difficultas, quod etiam siccitas gravitatem in igne principiare deberet. Quæro etiam unde hoc habebit hæc qualitas, ut si cum hac conjungatur qualitate, faciat levitare, si cum alia, faciat gravitare: & si siccitas conjuncta cum alia qualitate non potest facere nisi siccum, cur siccitas quæ est principium levitatis, conjuncta cum alia qualitate, principiare poterit gravitatem.

Probatur 2. Quia magna parte dissoluta combinatione qualitatum remanet eadem gravitas, ut patet in aqua calefacta, ferro ignito & cætera similia: Ergo apparet gravitatem, non sequi conditionem qualitatis.

Probatur 3. Quia in corporibus damnatorum receptus ignis, non facit corpora illa leviora, alias esse illis in centro terræ, esset contra inclinationem physicam, quam tunc haberent ad motum sursum.

Respondet 1. recentior Suarez retorquendo argumentum. Ponatur gravitas & levitas, qualitates distinctæ, resultabunt nihilominus à temperamentis primarum qualitatum. Cur ergo fundat in igne levitatem istud temperamentum, & in terra, vel aëre non fundat.

Contra. Quia in nostris principiis ratio reddi potest ejus quod quæritur, referendo gravitatem in formam substantialem, quæ sit nata principiare illam gravitatem, suppositâ sui unione cum materia, in qua spectata quantitate, & ejus mole, proportionatam principiat gravitatem; hinc aqua est gravior vaporibus, quî etiam substantialiter sunt aqua, quia materia vaporis non est magna; & licèt quidem etiam per nos gravitas supponat combinationem qualitatum, supponit tamen non præcisè ratione sui, sed ratione formæ, & ratione corporis cui competit; Hinc anima etiam rationalis, propter ordinem essentialem quem dicit ad corpus, potest idem præstare sine imperfectione, quod præstant formæ materiales; posita autem separatione, forma nata succedere, succedit etiam in officio gravitatis causandæ. Quodsi Deus impediret, ne formæ substantiali, alia succedat, si nollet supplere concursum conservativum gravitatis, non esset cadaver grave. Sicut nec alia Accidentia haberet, si in dicto casu, nollet Deus supplere causas conservativas eorundem.

Respondet 2. Idem. Gravitatem & levitatem consistere in temperamento, quod etiam admittit mixturam densitatis, & raritatis, & subtilitatis.

Contra est. Quia quamvis concedamus hæc simul necti cum gravitate, non tamen in illis formaliter consistit gravitas. At quidem de temperamento jam supra dictum. Quod attinet ad densitatem, ita urgetur, nam densitas per illum sunt corpuscula, de quibus ipsis quæritur unde sint gravia, nec posset etiam dari summè grave, quia non daretur principium summæ gravitatis, densitas enim etiam est in aqua, & tamen non principiat summam gravitatem. De raritate idem proportionaliter dicendum.

Respondetur 3. Duplex esse temperamentum. Quoddam quidem, quod appellatur à Chimicis fixum, & hoc cum candet ferrum, cum calefit aqua non dissolvitur, & in isto temperamento consistit gravitas. Aliud temperamentum mobile.

Contra est, quia saltem non admittit iste auctor densitatem fixam, & aliam mobilem; rursùm cum densitas aquæ bullientis, notabiliter attollatur, deberet ex una parte reddi magis levis aqua, nam deficiente principio gravitatis, quale est per illum densitas, deberet densitati succedere levitas; & tamen hoc falsum est; ex altera parte deberet illa aqua reddi gravior, quia in illam intrant corpuscula, quæ etiam habent suam gravitatem. Redit etiam argumentum supra factum. Cur scil. istud temperamentum fixum cùm quoad aliquid sui reperiatur in aliis elementis, non principiet eundem effectum? vel si principiat, non dabitur jam ullum summè grave, vel summè leve.

DIFFICULTAS III.

An Gravitas & Levitas sint una, an duæ qualitates, & de illis prout sunt in elementis.

ASSERO 1. *Levitatis non est sola negatio gravitas.*

RATIO. Tum quia Angeli habent negationem gravitatis, non tamen ex eo ipso sunt leves, hoc est petentes locum sursum. Tum quia quodcunque fundamentum haberi potest, gravitatem non esse negationem levitatis, idem fundamentum haberi potest, levitatem non esse negationem gravitatis. Tum quia quamvis dentur aliqua accidentia, quæ contrarium non habent, quale accidens est lux, species intentionales, & cætera similia: nihilominùs etiam dantur alia, quæ habent contraria; quale accidens est frigus. Quando autem est dubium, ad quam speciem accidentium spectet aliquod accidens, colligi id debet, cui sit magis simile. Habentiné contrarium, an non habenti; major autem est similitudo inter gravitatem & primas qualitates, quàm inter gravitatem v.g. & lucem. Ergo, si primæ qualitates habent contrarium, etiam gravitas habebit, præcipuè cum videatur ipsa levitas sub sensum cadere. Dicimus enim hoc esse leve, & hoc esse grave, non secus ac cum dicimus: hoc est siccum, hoc est humidum.

ASSERO 2. *Levitatem & gravitatem non principiari ab eadem qualitate.* Est assertum contra Cabæum, qui eandem qualitatem, prout est principium motûs deorsum, appellat gravitatem, & prout est principium motûs sursum, appellat levitatem.

RATIO asserti; quia ad hoc, ut non multiplicentur entia, non est necesse fingere otiosa entia, porro qualitas v.g. in igne esset otiosa; non enim exigit ignis motum deorsum; debetque hæc qualitas promanare in bonum formæ temperamenti: nullum autem est bonum ignis si eat deorsum, vel terra sursum. Per hoc tamen non nego fieri posse, ut per accidens, malum principietur à qualitate, cæteroqui provisa in bonum elementi; & sic malum per accidens causatur, dum homo gravitate sua agitur è turri deorsum.

ASSERO 3. *Gravitatem & Levitatem in elementis non esse absolutam sed respectivam.* Sensus asserti est: quòd aqua v.g. non debeat dici simpliciter in summo gravis; quæ gravitas intelligitur nomine absolutæ. Sed est gravior aëre, & levior terra, quòd est esse gravitatem respectivam.

RATIO. Tum quia si ponatur aqua, & in illam injiciatur terra, terra statuet se sine ullo alio principio in loco infimo. Ergo apparet illam esse magis gravem; neque id referas in impulsum: nam utroque elemento æqualiter impulso, adhuc terra deorsum petet, cum nec ipse major impulsus, causari possit sine majori gravitate. Dixi, quòd terra statuet se infra aquam, sine ulla alia causa, quia quando aqua statuit se infra terram; id referri potest in vacui periculum, vel quod etiam tunc respectu aliarum partium terræ, sit adhuc supra illas. Tum quia datur, ut appellant extractum quoddam Chymicum, quatuor elementorum, quod verte ut volueris semper redibit ad eundem locum. Ergo apparet elementa semper sibi determinare certum locum distinctum; sicut determinant sibi partes illius extracti. Si autem æqualis esset gravitas, saltem interdum in locum unius gravis, succederet aliud grave, &c.

Sed potestne dici ignis aliquo modo gravis, an nonnisi levis?

PROBABILIUS est: *Ignem & aërem nullo modo gravitare.* Tum quia nec ratio, nec experientia, id ostendunt. Tum quia si aër est gravis, quando cum impetu projicitur lapis, defertque secum aliquas partes aëris, non conaretur iterato se superimponere aër aquæ, & respirante homine in aqua, halitus illius cum bullis supra aquam non evaderet. Tum quia, si quæ ratio suaderet aërem esse gravem, ea esset, quia si esset levis, impetum non faceret in ignem, quæ ratio non convincit: quia etiamsi esset gravis non faceret impetum in aquam, consequenter deberet esse nec gravis, nec levis.

Censet tamen Maurus quæstione 48. quod aër non habeat positivam levitatem: cum quo

DICES 1. Illa corpora non habent positivam levitatem, quæ nullum habent impetum ascendendi supra gravius in specie. Talis est aër: sicut enim illa corpora quæ habent innatum impetum descendendi, subtracto corpore inferiori, suo impetu descendunt in locum illius, quo pacto aqua, subtracta terra, descendit in locum terræ; sic corpora quæ habent naturalem impetum ascendendi, subtracto corpore superiori, quod impediebat ascensum, naturali impetu ascendunt in locum illius. Jam autem aër vel aqua subtracto corpore superioni, non naturali impetu ascendunt, sed violenter trahuntur ad vacuum supplendum.

RESPONDETUR negando, quòd naturali impetu non ascendat aër super aquam, ut videre est in bullis, quæ erumpunt ex aqua, in quam fuit intrusus aër, cum aliquo projecto; idemque sequeretur, si quis impetu aërem aquæ ingerat. Aristoteles qui in oppositum citatur, loquitur: quòd aër non ascendat ad regionem ignis, quia aër est jam tunc in suo connaturali loco, & debito suæ levitati minori, tamen extincto igne in foco: suapte sponte locum illius occupat aër. Concedo ab Aristotele aëri tribui levitatem secundùm quid, hoc est, non tantam ac igni; sed nego levitatem illam, secundùm quid, non esse levitatem positivam.

INSTA-

INSTAT Idem. Cum uter inflatus demergitur in aqua, magno conatur impetu ascendere. Si verò illa aqua, in qua est demersus, esset conglaciata, maneret quietus sub aqua graviore, imò potiùs supra glaciem se inferiorem ponderaret, & conaretur illam rumpere. Rursùs evidenter apparet aërem inclusum in concavitatibus lapillorum, & metallorum, nullum habere impetum ad ascendendum: Ergo etiam & impetus, quo uter inflatus ascendit ex aqua, imprimitur ab aqua extrudente.

RESPONDETUR negando, quòd maneat quietus uter sub aqua conglaciata; unde si sit glacies tenuis, perfringeret illam, quòd autem glaciem inferiorem se conaretur rumpere, id ex eo est; quia uter contentivus aëris, petit esse sub aqua, nisi impediatur; hinc uter includens aërem, duo operari potest, si poneretur sub glacie tenui, perfringeret illam, quia operaretur secundùm vires aëris, conantis superponere se aquæ. Si verò poneretur supra glaciem, perfringeret tenuem secundùm gravitatem utris, & ipsum continens aëris. Aër inclusus in metallis facit illa magis levitare licèt impetum non faciat, quia ad impetendum sensibiliter, virtutem sufficientem non habet, & si aqua extrudit utrem, non videtur id aliunde esse, quia uter minus gravat, & cur non erit hæc minor gravitas, à levitate positiva.

DICES 2. Cum eodem aër non habet impetum ascendendi: Ergo descendendi.

RESPONDETUR negando ex dictis Antecedens.

DICES 3. cum eodem: Cum in terra aperitur fovea, eodem pacto descendit aër ad illam implendam, sicut descendit aqua, sed aqua descendit per positivam gravitatem. Ergo & aer. Item aer inclusus in utribus addit pondus. Ergo est ponderosus & gravis.

RESPONDETUR. Cum non eodem modo descendat aer in foveam, ac descendit aqua, nam aer descendat cum nisu superponendi se aquæ, hoc ipso descendet aer, cum sua positiva levitate. Ponderatio utris aere impleti rejici potest in peregrina mista aeri, & in ipsam materiam utris. Quæ adfert ex Galileo quod quadringentis circiter partibus, minus ponderet aer præ aqua æqualis molis, illa procedunt de aere itidem peregrinis qualitatibus affecto, si adhuc vera sit experientia. Quando enim dicitur: Ponderetur phiala plena aqua post egressum aeris, & invenietur minus ponderare, quam ante dum erat in phiala plus aeris. Si enim illud spatium occupat aqua, quî non gravabit magis, si alius aer, quî crescit pondus, cum similis aer non possit plus ponderare.

DIFFICULTAS IV.

An elementa gravitent & levitent in propriis locis?

COmmunis sententia est *nec gravitare nec levitare*; consequenter nec aerem impetum facere in ignem ut illi se superimponat, nec una pars terræ gravitat supra aliam, quod totum fundatur in experientiis; & insuper quia gravitas & levitas data sunt & provisa à natura, tanquam principia obtinendi locum debitum. Ergo si sint in loco debito nihil amplius agent, & sicut si ab hac superficie terræ usque ad alteram perforaretur terra, lapis ad centrum veniens non se ultra moveret, eò quod esset in loco sibi debito, sic nec se movebunt elementa, si sint in loco sibi debito. Sed recentior Suarez cum concessisset reliqua elementa nec gravitare nec levitare in propriis locis, docet nihilominus gravitare aquam.

DICES cum eodem Primò. Aqua est gravis, & omnis gravitatis centrum, est infimus locus, quem aqua non obtinet.

RESPONDETUR retorquendo Argumentum. Aer est levis & omnis levitatis centrum est supremus locus, quem aer non obtinet. Ergo in suo loco levitat. Directè autem dici potest, aquam esse gravem sed non summè, consequenter nec centrum ejus est infimus locus, sed propè infimum, quem cum obtinet, plus non petit.

DICES 2. cum eodem: quia aqua super pavimentum cubiculi gravitat: Ergo etiam gravitabit supra terram. Ad respondendum huic argumento præ oculis habendum est quod experiamur aquam non gravitare supra natantes, gravitare autem supra pavimentum. Misso aliorum sensu.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia dum aqua est supra pavimentum, quod suppono esse elevatum à terra, atque adeo suspensum quasi in aere, est extra proprium locum, si est extra proprium locum, necessariò gravitare debet; cum autem est supra terram est in proprio loco: hinc supra terram non gravitabit, quòd autem gravitet supra pavimentum, & non gravitet supra natantem in eodem v. g. cubiculo. Ratio: quia supra illud gravitat, quod impedit conjunctionem illius cum loco proximo supra infimum, quia verò natans in cubiculo, non impedit quominus tendat ad suum locum aqua, impedit autem pavimentum, fit ut gravitet supra pavimentum, non supra natantem. Unde etiamsi aliquod vas aquæ imponeretur dorso natantis gravitaret supra illum, quia impediret, accessum aquæ ad proprium locum. Casu verò quo, idem cubiculum aqua plenum, imponatur aqua, dupliciter continere poterit

aquam. Primò ut non elevet illam notabiliter supra residuum circumfluentis aquæ, & eo casu non gravitabit notabiliter supra pavimentum aqua. Casu autem quo illud cubiculum faciat aquam notabiliter superiorem aere, eo casu gravitabit, quia eo casu non erit in proprio loco. Quòd autem superior pars aquæ non gravitet, supra inferiores aquæ. Ratio est, quia cum partes illæ sint homogeneæ, non petunt una esse sub alia, cumque habeant continuationem inter se, eam non disrumpunt, nisi accedat causa extrinseca.

Dices 3. Aristotelem 4. Cœli tex. 20. docere elementa igne inferiora gravitare in propriis locis, idq; probat exemplum utris inflati, qui plus in aere gravitat quam vacuus.

Respondetur. Aristotelem non plus velle, quàm quòd reliqua elementa quæ non habent tantam levitatem ac ignis, si aliquo ex motibus moveri debeant, quòd sint potius movenda motu deorsum, comparative ad ignem, quo igne semper sunt inferius.

DIFFICULTAS V.

An Gravia æquè cadant deorsum?

POsito corpore magis gravi, quòd cadat per se loquendo æquè cito deorsum nonnisi experientiâ probat Ariaga, quem secutus Pontius & recentior Suarez, negat antiquitas.

Dicendum est 1. *Posito quòd detur corpus magis & minus grave, magis gravè celerius cadet deorsum.*

Probatur 1. Causa naturalis quæ est potentior, agit potentius, quàm causa minus potens, si agere debeat, cæteris reliquis partibus, v.g. simili dispositione medii, figura, & cætera. Sed magis grave, est causa potentior. Ergo aget potentius. Ergo potentius principiabit motum deorsum; adeoq; celerius perveniet. Major probari potest instantiis, fundaturque in hoc principio; quia causa naturalis necessaria, cum debitis prærequisitis posita, tantum agit, quantum potest; hinc si plus possit, plus aget. Minor principalis probatur; quia grave, est causa motus deorsum. Ergo magis grave, est causa magis potens, sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita majus ad majus. Ergo si esse grave, facit simpliciter motum deorsum, magis grave, faciet potentiorem, hoc est magis activam causam; secunda autem illatio probatur, Hoc quod principiat idq; primario gravitas, est motus. Unde & per ordinem ad hunc, definitur gravitas. Ergo major gravitas, majorem, hoc est, celeriorem causabit motum deorsum. Consequentia autem probatur. Quia si non principiaret major gravitas, majorem, hoc est, celeriorem motum deorsum, causa potentior non ageret potentius.

Quod ipsum, sic aliter proponitur. Unicuique causæ debet respondere aliquis effectus, primò & per se, cum dicat ordinem ad illum, sed gravitas est causa motûs. Ergo debet illi respondere effectus, qui non est alius, nisi motus deorsum: Quia aliàs si motus deorsum non esset effectus, respondens gravitati, daretur effectus specialis, cujus nulla esset causa. Quæ enim alia nisi gravitas, præcipuè cum id referri non possit in impulsum, quia hic principiat motum principio intrinseco soli indebitum. Gravi autem, est debitus motus deorsum. Item impulsus non est determinatus ad motum deorsum, est determinata gravitas; jamque non daretur causa determinata illius effectus; hæc enim non est impulsus, utpote indifferens ad motum deorsum vel sursum.

Probatur 2. Quia nulla assignari potest ratio illius experientiæ, in qua se fundant oppositi.

Prima Ratio adfertur ab aliquibus, quòd scilicet corpus gravius, habeat plus de materia, quæ est trahenda deorsum, quàm habeat corpus minus: & hinc fieri compensationem.

Contra est. Hinc sequitur, magnum rogum æque fore calidum, ac parvum; quia in magno rogo plus est materiæ accendendæ; imò ex hac ratione sequitur conclusionis intentum: nam materia non contrariatur motui deorsum. Jam autem major gravitas, est principium potentiùs, ad illum producendum.

Secunda Ratio est. Quia quælibet pars illius lapidis, seipsam solam trudit deorsum, non verò aliam.

Contra est. Etiam posito quòd una non tradat aliam, cur omnes non agent simul per modum unius, producendo motum deorsum.

Tertia Ratio. A majori gravitate, non produci majorem motum deorsum, sed majorem impulsum. Quod ipsum probatur. Quia motus exercetur in ipso pondere, & in ordine ad seipsum, ita se habet pondus minus, & pondus majus: tantum enim est pondus minus, respectu sui ipsius, ac respectu sui ipsius est, pondus grave. At verò impulsus exercetur in alio corpore, ad quod diverso se modo habet pondus minus, quàm majus.

Contra. Si illa propositio: In ordine ad seipsum ita se habet pondus minus ac majus; sensum hunc habet: ita se habet in ordine ad se movendum, petitur principium: si autem habet alium sensum, non apparet quis ille sit. Ipseque ille major impulsus, proficiscitur à majore gravitate, cur ergo & motus non proficiscetur. Tum quia non est major ratio: Cur principiari debeat major impulsus, à majori gravitate, & non major motus. Quod autem dicit Pontius. Corpus gravius, habere etiam plus gravitatis, seu plus partium movendarum, plures etiam partes medii resistentes: id etiam non convin-

cit,

cit, ob rationes contra Ariaga allatas. Illud, de resistentia aëris non convincit, quia hæc non est notabilis; immò oppositum hæc ratio videtur convincere, ideò enim non citius descendit minus, gravi, quia plures habet partes aëris quæ illi resistunt. Ergo si cætera sint paria citius descendet: quia si cum majoribus impedimentis, æquè citò descendit, certè cum majoribus adjumentis, citius descendet. Et quia plures partes recipientes in se qualitatem impulsivam, majorem faciunt impulsum; etiam plures partes gravitatis majorem facient motum deorsum, citiusque perrumpent partes aëris, adeoq; & citiùs descendent.

Probatur 3. Major gravitas principiat majorem impulsum. Ergo & principiabit majorem motum deorsum, præcipuè autem cum ille ipse impulsus sit etiam lativus rei gravis deorsum.

Respondetur 1. ab Ariaga, corpus grave dum se movet, fortè non producere in se impulsum, sed solùm in corpora quæ occurrunt & resistunt, quod si grave in se novum impulsum producit, ille impulsus non juvabit ad motum deorsum, quia impulsus ab intrinseco, non videtur augere motum naturalem, sed violentum.

Contra est: Tum quia nulla est ratio cur impulsus in ipsomet mobili non recipiatur; tum quia nulla item ratio, cur impulsus ab intrinseco, idque mad motum deorsum adferat violentiam ei, quod vadet deorsum. Tum quia si ratio Ariaga convincit, probabit simul impulsum majorem, non produci à majori gravi, quia non videtur impulsus posse proficisci ab intrinseco, vel si proficiscitur, nego quod tunc ex accidenti, hoc est, ex vi illius impulsûs, non sit motus ille violentus, adeoq; augens motum.

Respondet 2. Ariaga, majus grave non producit velociorem motum, sed fortiorem.

Contra est, quia non apparet, cur fortior ille motus, non sit velocior.

Dicendum 2. *Si non datur major gravitas, hoc est intensior, sed sola extensior, non videtur probari posse, quod magis grave, velocius sit movendum deorsum.*

Probatur 1. quia rationes adlatæ respiciunt, quòd unum præ alio sit intensiùs grave.

Probatur 2. quia sola extensior gravitas ita se haberet, ac gravitas in pluribus partibus recepta, & singillatim agens; singillatim autem positæ actiones, non faciunt unam intensiorem.

Probatur 3. Lumen sparsum per plures partes non ita illuminat, ac collectum & intensum. Ergo idem dicendum de gravitate.

Contra primam Conclusionem

Objicit 1. Ariaga, Experientiam; quia minus grave & majus grave, æquè citò cadunt deorsum.

Responsio communis est, quod detur quidem excessus, sed qui sensu percipi non possit, præcipuè si ex ordinaria altitudine projiciatur lapis. Hoc ut commodiùs intelligatur.

Suppono 1. Quod nulla experientia contra rationem prævalere possit, sed si aliter ratio, aliter experientia docet, vel neganda est experientia, vel dicendum non esse illam exquisitam. Hinc sufficienti data ratione pro conclusione, experientia contra illam non tenebit, nisi ratio solvatur.

Suppono 2. Nunquam veram experientiam, contra veram rationem procedere posse. Ratio, quia experientia in talibus proficisci debet ex causis necessariis, ad quas etiam vera ratio attendere debet, quia si non attendet, hoc ipso non erit vera, quia nec conformis objecto.

Suppono 3. Quamvis omnis nostra scientia dependeat à sensibus, atque adeò ab experientiis, cum tamen scientia non sit experientia, sed deductum ex experientiis, hinc fit ut experiri solum, non sit scire, sed principium ad scire, quia verò ex diversis principiis & circumstantiis, sensus nostri falli possunt, fit ut scientia à pluribus circumstantiis pendere debeat, petendæque sunt experientiæ ab aliis sensibus, vel similibus effectibus. Ita etiam in præsenti uni experientiæ huic, fidendum non est, sed una experientia, contra quam militat ratio, aliis in simili experientiis, & similibus regulanda. Videmus autem quod à potentiori causa, cæteris paribus, semper potentior fiat effectus. *Hoc posito*

Respondetur. Produci quidem motum velociorem deorsum à magis gravi, sed excessus gravitatem non adverti, ob spatii brevitatem, ut etiam à principio duorum non æquè currentium statim non dignoscitur diversitas. Dici item potest quod excessivum ponderosum, impulsu suo quo propellit aërem, juvet & in minori gravi augeatur motus. Referri etiam id potest in figuræ varietatem, & cætera similia. Quanquam docent etiam impressi, experientiam hanc in prærultis turribus fallere.

Instat 1. Ariaga. Si valet responsio, dicam inquit tibi: citiùs cadere, corpus minus grave, etiamsi id non percipiatur.

Respondetur. Non posse id dici, quia in oppositum est ratio, quæ ostendit minus potens principium, non ita potenter operari.

Instat 2. Gravitas non solum decuplo, sed etiam centuplo est major in uno, quàm in altero, hinc si quo major est gravitas, eò citiùs

corpus debet moveri, certè ita jam centuplo gravius, centuplo citius deberet moveri.

Respondetur, centuplo gravius, centuplo citius moveri, si moveatur per spatium bene notabile. Jam autem non pauci motus sub initium æquales sunt, quorum postea, nonnisi processu temporis, & spatii, differentia advertitur; sic si duo sagittas arcu excutiant, sub initium videntur æquè citò currere, & tamè postea appareret differentia. Quod autem sagitta, quæ postea superat aliam, etiam sub initium celerius currat. Ratio est, quia supponitur plus habere qualitatis propulsivæ, sibi impressæ.

De oppositâ Generationi Corruptione.

Corruptio spectari potest vel ratione termini, vel ratione actionis. Spectata ratione actionis, est id ratione cujus, tanquam rationis formalis ut quo, sequitur corruptio termini ut quod. Spectata ratione termini, est id quod corrumpitur. Rursus corruptio termini ut quod, est duplex. Ipsius formæ quæ supponitur esse materialis, adeoque corruptioni subjecta, & alia ipsius compositi. Jam autem corruptio ratione actionis spectata, dividi potest in actionem, quæ desinit, ratione cujus desinentis actionis, dicitur aliquid corrumpi; & in actionem positivam, vi cujus sequitur aliud; & hæc actio est potius eductio, vel creatio formæ, aut generatio compositi. Jam autem corruptio spectata, secundùm actionem, quæ desinere dicitur, sicut duo imprimis non esse actionis. Secundo esse actionis in ante positum: sine his enim duobus non potest concipi.

Quæres 1. *Quid sit corruptio.*

Explicat 1. Recentior Suarez cum Conimbricensibus, quòd sit mutatio totius ex toto. *Hæc responsio*

Non satisfacit. Quia per illam corruptio appropriatur toti, cum possit convenire etiam formæ.

Explicat 2. Oviedo, quòd sit desitio rei in aliam.

Non satisfacit. Quia corruptio est quid prius, quàm mutatio, mutatio enim dicit positionem novi totius. Corruptio autem est prior positione novi totius. Ergo illud quod est prius, non debet explicari per hoc, quod est posterius. Deinde quantumvis Deus impediat, ne sequatur novum totum, verè erit corruptio, & tamen non erit desitio in aliam rem.

Assero 1. *Corruptionem spectatam ratione termini, qui est forma, esse desitionem actûs Physici, in subjecti potentiam*, Ly Desitio est per modum Generis, est enim commune ad annihilationem, Conversionem, & cætera, Ly in subjecti potentiam, est illius differentia, per hoc enim discernitur ab annihilatione.

Assero 2. *Corruptionem spectatam ratione termini, qui est totum compositum, esse desitionem seu cessationem totius à toto.* Dico à toto, non in totum. Quia si Deus impediret formæ positionem, non esset desitio in totum, esset tamen desitio seu cessatio à toto; adeoque corruptio.

Quæres 2. *An tota substantia corrupta, sed manentibus accidentibus, dicenda sit res corrumpi?*

Assero 1. *Si terminus corrumpatur qui est forma, & maneat subjectum, ex quo illa educi possit, non erit dicenda res illa annihilari.*

Ratio. Quia alias formæ materiales, dicendæ essent semper annihilari. Oppositum sentit Durandus & Ocham: sed eorum argumenta supponunt creationem non aliud esse, quàm non esse rei in ante, & annihilationem, non aliud esse quam non esse rei in præsenti.

Assero 2. *Non sufficit ad annihilationem etiam desitio subjecti.* Si inter desitionem subjecti & positionem alius, fit connexio. Quia tum temporis potius erit conversio ut fit in Eucharistia.

Assero 3. *Quando desinente simpliciter aliquo, tam quoad formam, quàm quoad subjectum, remanent nonnisi accidentia, verè dicetur illa res annihilari.*

Ratio. Res spectatur penes sua essentialia; essentialia autem illius rei, verè tunc non sunt: Vide pluribus de hoc Amicum tomo de Angelis, disputatione secunda, sectione decima tertia. Unde etiam in Eucharistia dicitur annihilari substantia panis, quamvis maneant ejus accidentia.

Dices 1. Forma cujus manet materia, non dicitur annihilari: Ergo & res cujus manent accidentia.

Respondetur. Disparitatem esse: quia adhuc ipsa materia est aliquid essentiale, consequenter adhuc manet res in aliquo sui, quod non est annihilari; accidentia autem non sunt de essentia rei.

Dices 2. Etiam manentibus nonnisi accidentibus, est vera propositio, hoc restat ejus, quod erat. Ergo non est annihilatum.

Respondetur. Cum restet nonnisi id, quod non est rei essentiale, & nihil sit essentialis, erit nihil rei, adeoq; annihilatio.

Dices

DICES 3. Ideò in Eucharistia non dicitur annihilari substantia panis, quia manent illius accidentia.

RESPONDETUR. Nego in Eucharistia non annihilari substantiam panis, annihilata ejus materia & forma, cum hoc tamen stat ut sit illic conversio, quia ut dictum supra, non est illic simpliciter desitio panis; sed vertitur in corpus Christi, ob connexionem Sacramentalem, inter annihilationem substantiæ panis, & positionem corporis Christi; non utcunque sed sub speciebus panis.

QUÆRES 3. An accidens aliquod materiale, si postea conservetur concursu creativo, desinatque esse, an desitio illius dicenda sit annihilatio.

ASSERO. *Si maneat materia eadem, ex qua accidens fuit eductum, & postea conservatum actione creativa, adhuc illius desitio accidentis erit nonnisi corruptio.*

RATIO. Quia non desinet in nihilum simpliciter, sed in potentiam subjecti, & sicut concursus ille creativus, dum est præsens, non facit quominus illa materia sit potentia illius accidentis, quamvis impedita, ita nec faciet, ne dicatur rediisse in potentiam subjecti, consequenter nondum annihilari. Quando autem assumit Amicus, sufficere ad annihilationem, ut totus terminus creationis, desinat in nihilum sui; id falsum est, si non desinat etiam in nihilum subjecti. Nam non manet quidem formaliter tunc terminus creationis, manet tamen in aliquo sui: hoc est in subjecto.

Ad M. D. G. Bq; V. H.
b.M.

INDEX I.

Titulorum.

TRACTATUS de Generatione. pag. 5

DISPUTATIO I.
De Generatione, Corruptione, Augmentatione, ibid.

QUÆSTIO I. ibid.
De Generatione secundùm se.

DIFFICULTAS I. ibid.
Explicatur Generatio.

Punctum Difficultatis 1.
Defenditur communis definitio Generationis. 6

Punctum Difficultatis 2.
Quid sit salvandi modus, de ratione Generationis, esse mutationem. 7

Punctum Difficultatis 3.
Dispositiones quomodo concurrunt ad Generationem. 9

DIFFICULTAS II.
De generatione substantiali viventium. 10

DIFFICULTAS III.
Resolvuntur insuper quædam quæsita. 13

QUÆSTIO II.
De Conversione. 14

DIFFICULTAS I.
An terminus ad quem conversionis simpliciter debeat produci. 15

DIFFICULTAS II.
Solvuntur argumenta. 17

DIFFICULTAS III.
An terminus formalis à quo, desinere debeat in conversione. 19

QUÆSTIO III.
De argumentatione. 20

DIFFICULTAS I.
Quomodo fiat argumentatio. 22

Punctum Difficultatis 1.
Fundamenta utriusq; partis. ibid.

Punctum Difficultatis 2.
Deciduntur Tenenda. 24

Punctum Difficultatis 3.
Solvuntur objectiones. 25

Punctum Difficultatis 4.
Quid sit sentiendum de argumentatione accidentali. 28

Punctum Difficultatis 5.
Quis terminus magnitudinis & parvitatis in non viventibus. 29

DIFFICULTAS II.
De specie argumentationis per Rarefactionem. 30

Punctum Difficultatis 1.
An Rarefactio perficiatur additione novæ quantitatis. ibid.

Punctum Difficultatis 2.
An rarefactio fiat per intromissionem corpusculorum. 33

Solvuntur objectiones. 36

Punctum Difficultatis 3.
Proponitur modus explicandi Rarefactionem. 36

Punctum Difficultatis 4.
Explicatur Rarefactio. 37

Punctum Difficultatis 5.
Solvuntur objectiones. 38

DIFFICULTAS III.
De oppositа Rarefactioni densitate. 39

DISPUTATIO II.
De Alteratione, Intensione, Remissione. 40

QUÆSTIO I.
De Alteratione. 41

QUÆSTIO II.
De Intensione. 42

DIFFICULTAS I.
Quid in sententia aliorum Intensio. ibid.

Punctum Difficultatis 1.
An Intensio fiat sola contrarii expulsione. ibid.

Punctum Difficultatis 2.
An Intensio fiat productione novæ qualitatis corrupta veteri. 43

Punctum Difficultatis 3.
An Intensio fiat per radicationem ejusdem qualitatis. 45

DIFFICULTAS II.
Quid per nos Intensio. 47

DIFFICULTAS III.
De gradibus Intensionis. 48

Punctum Difficultatis 1.
An gradus Intensionis sint homogenei. ibid.

Punctum Difficultatis 2.
Solvitur principale fundamentum. 86

Punctum Difficultatis 3.
Satisfit Instantiis Theologicis. 89

DIFFICULTAS IV.
De Intensionis termino. 91

DIFFICULTAS V.
De Conditionibus intensionis. 92

Punctum Difficultatis 1.
An simile in omnino simile agere possit. 93

Punctum Difficultatis 2.
Solvuntur objectiones. 94

Punctum Difficultatis 3.
Solvuntur quæsita. 95

DIFFI-

INDEX I. TITULORUM.

DIFFICULTAS VI.
De speciebus intensionis. 98
DIFFICULTAS VII.
De impedimentis Intensionis. 100
Punctum Difficultatis 1.
De resistentia qualitatum. 101
Punctum Difficultatis 2.
De resistentia formarum sita in appetitu conservationis suæ solitariæ. 103
Punctum Difficultatis 3.
De resistentia per Reactionem & Repassionem. 104
QUÆSTIO III.
De remissione. 107

DISPUTATIO III.
De Mistione. 107
QUÆSTIO I.
De principiis mistionis & eorum proprietatibus. ibid.
DIFFICULTAS I.
De Elementis tanquam principiis mistionis. 108
DIFFICULTAS II.
De primis qualitatibus tanquam proprietatibus elementorum in communi. ibid.
DIFFICULTAS III.
De primis qualitatibus, elementisq; in particulari. 110
Punctum Difficultatis 1.
Quam combinationem primarum qualitatum habeat ignis. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Quæ combinatio Aquæ. 111
Punctum Difficultatis 3.
Quæ combinatio aeri debita & terræ. 112
QUÆSTIO II.
De ipsa Mistione. 116
DIFFICULTAS I.
An, quid, & quarum conditionum Mistio. ibid.
DIFFICULTAS II.
Quomodo elementa maneant in misto. 117
DIFFICULTAS III.
Solvuntur objectiones. 118
QUÆSTIO III.
De proprietatibus Misti. 119
DIFFICULTAS I.
An gravitas & levitas sint qualitates distinctæ realiter. ibid.
DIFFICULTAS II.
An gravitas & levitas sint qualitates speciales. 120
DIFFICULTAS III.
An gravitas & levitas sint una, an duæ qualitates, & de illis, prout sunt in elementis. 121
DIFFICULTAS IV.
An Elementa gravitent & levitent in propriis locis. 123
DIFFICULTAS V.
An gravia æquè cadant deorsum. 124

INDEX II.
Conclusionum.

DISPUTATIONE I.
De Generatione.

QVid per alios Generatio. Per Aristotelem est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente ut subjecto eodem. Hæc descriptio convenit ordinariæ, & à causis secundis profectæ generationis. Sed non generationi ut sic. Quî salvari possit de ratione generationis mutationem esse.

In generatione, respectu formæ materialis, concurrunt dispositiones, & dispositivè & effectivè, respectu autem formæ spiritualis substantialis dispositivè sed non effectivè. Imò nec concurrunt simpliciter ad conservationem animæ rationalis. Nisi restrictè acceptam. Generatio pro nativitate sumpta, est origo viventis à vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ. Generatio est distincta ab alteratione. Posito quòd detur unio modalis spiritualis, non potest illa produci à parentibus, nec potest referri in Deum. Sed producitur ab anima unibili.

Terminus totalis generationis est compositum. Licèt illius sub diversis nominibus acceptæ, diversi sint termini formales inadæquati. Divina generatio, est perfectissima generatio.

De Conversione.

DEfinitivè conversio, est actio per quam aliquid sit aliud quid. Varia ejus divisio. Distinguitur à conversione. Debet versari inter duos terminos positivos. In illa manere debet aliquid commune. Debet item in illa esse desitio termini à quo. Conversio simul inferens replicationem deposcit ut terminus Ad quem reproducatur. Quantumvis illa reproductio non sit ratio formalis conversionis. Ad conversionem quâ talem, non requiritur productio termini Ad quem de novo.

Terminus formalis A quo totalis. Simpliciter desinere debet in conversione. Non tamen debet desinere ipsa forma spiritualis. Licet naturaliter forma materialis desinere debeat. Deberet tamen desinere etiam forma, si esset conversio in qua forma converteretur in aliam formam. Dum desinit corpus Christi sub speciebus sacramentalibus, non debet dici corpus Christi converti in illud succedens totum.

De Au-

De Augmentatione.

ESsentia augmentationis non ſtat in motu unitivo quantitatis majoris. Nec fit per productionem formæ aut novæ unionis. Nec per actionem terminatam ad unionem unionum. Quid augmentatio. Quæ ejus diviſio.

Augmentatio fit per partes aliquotas. In illa agens non agit per interpoſitas morulas.

Etiam augmentatio accidentalis, non interrumpitur moralis. Non eſt continua in qualitatibus habentibus contrarium. Quæ nota, quòd qualitas augeatur per partes aliquotas.

Nullus eſt terminus magnitudinis in augmentatione non viventium. Quid de termino parvitatis?

Species augmentationis eſt Rarefactio. Quæ non debet referri in quantitatem. Nec fit per intromiſſionem corpuſculorum. Proponitur primus modus explicandi Rarefactionem. Et alius, per qualitatem ſuperadditam.

Quid ſentiendum de denſitate.

DISPUTATIONE II.

De Alteratione.

QVid Qualitas. Alteratio definitivè eſt mutatio in qualitatibus, per quam ſubjectum, aliter ſe habet, & non fit aliud. Quomodo perficitur.

De Intenſione.

INtenſio non fit ſola majori contrariæ qualitatis expulſione. Nec per productionem novæ qualitatis. Nec per productionem novæ exiſtentiæ ejusdem qualitatis.

Nec per ejusdem formæ majorem unionem. Sed per additionem unius gradus ad alium. Gradus intenſionis ſunt homogenei. Intenſio rerum materialium, habet terminos parvitatis. Poteſt dari indiviſibile qualitatis, ſed non intenſionis. Non habet omnis qualitas terminum ſuæ magnitudinis in intenſione.

Simile in omnino ſimile, non poteſt agere. Nec minus intenſum in paſſum magis intenſum. Nec ſimilia in intenſione, diſſimilia in materialibus agendi conditionibus. Denſitas & major extenſio, confert quidem ut actio ſit celerior, & per majorem ſphæram. Sed non ut plus de qualitate producat. Non eſt tamen neceſſe, ut agens & paſſum, diſtinguantur ſuppoſitis.

Quid reflexio? Quibus qualitatibus convenit? Rigoroſè aliud eſt refractio aliud reflexio. Quæ ratio majoris intenſionis ex reflexione.

Datur reſiſtentia qualitatum. Eſt duplex. Quid illa. Quid reſiſtentia formarum, ſita, in appetitu conſervationis.

Ad pernoſcendam naturam Reactionis & Repaſſionis, explicantur varii termini. Datur Reactio & Repaſſio. Pars repaſſa non movetur duobus motibus contrariis &c.

DISPUTATIONE III.

De Miſtione.

PRincipia miſtionis ſunt elementa. Quid illa. Quot. Primæ qualitates ſunt, quæ neq; ex aliis, nec ex ſe mutuò fiunt, ſed ex ipſis oriuntur cæteræ, ſunt quatuor. Quomodo definiendæ. Sunt illæ quid poſitivum realiter diſtinctum.

Quæ combinatio debita Igni, Aquæ, Aeri, Terræ. Datur miſtio. Eſt definitivè miſtibilium alteratorum unio. Variæ ejusdem conditiones.

Elementa manent nonniſi virtute in miſto. Quid qualitates ſecundæ. Gravitas eſt qualitas diſtincta realiter à ſubſtantia. Diſtincta item à primis qualitatibus.

Levitas non eſt ſola negatio gravitatis. Nec principiatur ab eadem qualitate, à qua principiatur Levitas. Non eſt abſoluta in elementis, ſed reſpectiva. Probabile eſt ignem & aerem nullo modo gravitare. Elementa nec gravitant nec levitant in propriis locis. Magis grave celerius cadit deorſum. Si non detur major gravitas, hoc eſt intenſior, ſed ſolùm extenſio, non videtur probari poſſe, quòd majus grave, velocius ſit movendum deorſum.

De Corruptione.

QVid per alios corruptio ſi illa ſpectetur ratione termini qui eſt forma, eſt deſitio actus phyſici in ſubjecti potentiam. Corruptio autem totius eſt deſitio totius. Corrupta forma materiali & manente ejus ſubjecto, non erit dicenda res illa annihilari. Nec ſufficit ad annihilationem utcunque deſitio ſubjecti. Deſinente toto, tam quoad formam quàm quoad ſubjectum, manentibus tamen accidentibus, verè adhuc erit annihilatio. Si maneat materia eadem, ex qua accidens fuit eductum, & poſtea conſervatum actione creativa, deſinatque accidens eſſe, non annihilatio tunc, ſed corruptio erit.

TRACTA-

TRACTATUS DE ANIMA.

Tractatus de Anima est complementum Disputationum Physicarum; De illa, sit

DISPUTATIO I.

De Anima ut sic, & ejus Divisionibus.

DARI ANIMAM iisdem ferme rationibus probari debet ac probatum in Physicis dari formam substantialem. Additis tamen notionibus & characteristicis Animæ, præcipuè à prædicato vitæ petitis.

Quod autem attinet ad ejusdem definitionem eam duplicem exhibuit Aristoteles.

Primam, Libro 2. de Anima capite 1. textu 6. quòd sit actus primus corporis naturalis, potentiâ vitam habentis, tale autem, quod utique sit instrumentale.

Ly Actus, sumitur pro genere, quod tamen genus, simul, differentiale est, in anima, respectu aliarum formarum, quæ non nisi assistentes essent; ad eum modum: quo ly animal, respectu Angelorum & lapidis est in homine quid differentiale. Neque valet si dicas, quòd non dentur ullæ formæ assistentes; nam non dantur quidem ullæ formæ assistentes, hoc sensu, quia omnes ordinantur ad informationem subjecti, & si non ordinarentur, hoc ipso, completæ essent substantiæ; dantur tamen hoc sensu formæ assistentes, quia possint habere, aliquo casu miraculoso, alligationem aliquam localem, vel solam (sine miraculo) indistantiam, sine ullo jure informandi corpus; quo casu distinguerentur ab Anima informante; quia informans respectu illius corporis, haberet rationem actûs quia rationem informantis, secus illa alia forma.

Dicitur Ly Actus primus, ut distinguatur ab actibus secundis, quales sunt operationns vitales. Unde Ly Actus primus diverso respectu, est prædicatum genericum, diverso differentiale, in quantùm unaquæque forma differentialis est, actus primus importat prædicatum genericum in quantum autem distinguit ab operationibus v. g. vitalibus, est prædicatum differentiale prædicatum. Sumitur autem Ly Actus primus, pro eodem, ac forma, de cujus ratione non est semper actuare, sed esse aptum actuare. Vocatur etiam forma actus primus materiæ, non quod sit de essentia materiæ quam animat, sed quòd cum sit forma substantialis, & constituat compositum substantiale, non inveniat ante se aliam formam substantialem, nec materiam completam substantialiter. Dicitur corporis Physici, eò quòd hîc agatur non de corpore Metaphysico, hoc est de ratione communi corporis, cujus actus non est, nisi illius Metaphysica differentia nec agitur de corpore artificiali. Dicitur Ly potentiâ vitam habentis: eò quòd vi animæ, de qua hîc agitur, possint ab animato exerceri functiones vitales, & exercitia vitæ in Actu secundo ut colligere est ex Aristotele.

Textus sic habet, *Vitam autem dicimus quæ per ipsum fit, altionem, augmentationem, diminutionem.* En ponit altionem, augmentationem quæ sunt exercitia vitæ. Unde ly potentiâ vitam habentis, supponit pro Ly potentiam habent ad operationes vitales. Et ita explicant, qui negant nomine corporis venire hîc materiam, sed potiùs totum compositum. Qui verò censent nomine corporis hîc venire materiam, dicunt ly potentiâ vitam habentis, intelligendum sic esse: quòd materia ultimo disposita, habeat potentiam proximam, ad habendam animam, quæ est vita illius. Ly autem instrumentale, notat istud corpus, ut dicitur communiter, debere esse organicum: quod tamen

jam erat sufficienter expositum, in ly organicum. Circa hanc definitionem

Quæri solet, *quid hîc veniat nomine corporis materiané an totum compositum.*

Quod veniat nomine corporis totum compositum

Probari solet imprimis. Auctoritate Aristotelis ex secundi de anima, textu 8. ubi docet animam quam definierat esse quod quid erat corporis, quæ tamen non est quod quid materiæ, sed compositi.

Respondet Ariaga: Animam esse de primo conceptu materiæ, non quidem constitutivo sed completivo. Hæc Responsio non satisfacit; Quia etiam forma est quid completum, neque tamen dicenda est esse de primo conceptu formæ materia, non quidem constitutivo, sed completivo. Ergo neq; forma erit de primo completivo conceptu materiæ; quæ ratio fundatur in dictis de primo essentiali conceptu materiæ. Deinde complementa non solent appellari universaliter quod quid completorum, neque enim ultima unitas complens decadem, est quod quid decadis, cur ergo eandem conditionem, non sequetur forma, complens materiam. Deinde vel materia completur à forma in esse materiæ, & hoc falsum est, vel in esse constituentis compositum, & sic compleri, etiam formæ convenit.

Respondetur itaq; aliter quòd scilicet verum sit, quòd anima quam definivit Aristoteles, sit quod quid corporis, sed nego quòd Aristoteles idem corpus acceperit in definitione animæ, quod accepit dum illam definit, quod quid esse corporis. Non enim insuetum Philosopho, terminos variare, præsertim qui variationem patiuntur, & suadetur ex aliis locis, qui ostendunt nomine corporis, venire materiam, de quo infra.

Probari solet secundò. Quia sicut calor potest dici actus calidi, & lumen actus lucidi, sic potest dici anima actus corporis hoc est compositi.

Respondetur. Posse Animam dici actum corporis, hoc est compositi: Sed nego hîc in definitione, ita illud sumi, ad eum planè modum, quo potest dici canis natans, de cane, qui est piscis, & de cane domestico! Non sequitur tamen debere semper accipi pro cane pisci. Sicut ergo attendendum est ad suppositionem termini canis, ita & ad suppositionem termini corpus, quam non ostendis esse hîc, pro composito.

Instari solet. Ex textu ejusdem libri nono, ubi docet Aristoteles oculum mortui hominis, non esse organum, nisi metaphoricè, & æquivocè, adeoq; illum esse compositi.

Respondetur. In hac definitione Animæ, non ponitur ly corporis organici, sed corporis physici seu naturalis. Deinde dicit Aristoteles, istud corpus potentia vitam habere, compositum autem non potentia, sed actu vitam habet, unde non dicit Aristoteles, quod anima sit actus corporis vitam habentis, sed potentiâ vitam habentis: Et sicut alia hæc est propositio lux est actus lucidi, & alia est actus, potentiâ lucem habentis, hæcq; secunda notat lucidum in potentia, ita & distinctæ erunt hæ propositiones: Est actus potentia vitam habentis, & est actus vitam habentis, hoc posterius, competit composito, prius materiæ.

Probari solet tertiò. Lapis non dicitur constare corpore & forma etsi constet materia & forma. Ergo apparet ly corpus, non supponere pro materia.

Respondetur. Usum non esse, ut significando compositionem lapidis dicamus illum constare corpore & forma, in re tamen ita esse, & certè si illius materia non est spiritus, debet esse corpus. Enimverò quamvis Polonica lingua Castellanus dicatur Dominus, non sequitur quod alii non sint Domini: ita quamvis dicatur lapidem constare materiâ, non sequitur non constare corpore.

Quamvis autem dicamus in Physicis: Materiam solam cum diversis accidentibus esse corpus organicum, non sequetur lapidem esse corpus organicum, quamvis habeat materiam cum diversis accidentibus. Quia quamvis organum in re, solam dicat materiam cum accidentibus, supponit tamen ad significationem salvandam organi, quod illa accidentia habeant se per modum instrumenti, ad definitas operationes à natura, destinati, quas nec habet lapis, nec accidentia illius sunt talia, quæ ad hoc ordinentur, consequenter non dicetur lapis esse corpus organicum.

Instabis. Melius definitur res, per proprium finem, & per effectum formalem, quàm per media, jam autem finis ad quem ordinatur forma, est compositum: Ergo per illud debet definiri forma.

Respondetur. Hæc ratio imprimis probat contra Aristotelem per actuationem definit formam. Deinde nego finem formæ solum esse compositum, sed illum, etiam esse, informationem materiæ. Pone etiam per impossibile illud, quod pro certo supponit schola Scotistica, compositum scilicet esse tertiam Entitatem, numquidne non haberet finem intentum forma si informaret materiam quamvis non resultaret tertia illa Entitas finem inquam, saltem proximum & immediatum.

Quod autem nomine Corporis veniat materia.

Prima Ratio est. Quia Aristoteles lib. 2do textu 4to docet: Animam esse in corpore sicut in subjecto, non est autem in composito sicut in subjecto, aliàs esset inadæquatè in seipsa: Ergo apparet nomine corporis venire materiam.

Respon-

RESPONDETUR. Animam quidem esse nonnisi in materia, tanquam in subjecto, esseque hanc materiam corpus, sed unde hoc probatur, quòd corpus supponat hîc in definitione pro materia, cum aliàs etiam supponat pro composito.

RATIO Secunda est. Quia ibidẽ textu septimo, supponit ita distingui animam & corpus in definitione positum, sicut distinguuntur figura & cera, hoc est realiter & adæquatè, & tamen forma nonnisi à materia distinguitur realiter adæquatè, non autem à composito. Ergo apparet hîc intelligi solam materiam.

RESPONDETUR. Hoc ipsum arbitrariè dici, quòd ubicunque ponit Ly corpus Aristoteles, quòd ponat realiter adæquatè distinctum à materia, cùm certum sit apud eundem, nomine materiæ venire etiam compositum, cur ergo non veniet etiam positum in definitione Animæ. Deinde comparat animam Aristoteles ad corpus sicut figuram ad ceram non in distingui, sed in informare: quia scilicet sicut figura ceram ita informat materiam Anima. Unde etiam quamvis septimo Metaphysicorum corpus vocet Animæ instrumentum, quod instrumentum non est compositum, sed materia; id probat nomine corporis venire materiam, sed cum aliàs etiam compositum veniat nomine materiæ, id probat, Ly corpus, in definitione animæ positum, non supponere pro composito.

RATIO Tertia est. Si nomine corporis Organici veniat compositum, sensus erit: quòd anima sit Actus compositi, habentis animam.

RESPONDETUR, in re, verum assumi ab argumento, sed non quoad modum significandi, & sic Homo definitur in re per Hominem, non tamen quoad modum significandi: & sicut bene dicitur lucidum, id, quod habet lucem, universaliterque concreta bene definiunter per abstracta, ita & in præsenti, bene definietur Anima, quòd sit Actus animati.

Ex his colliges pro utraque parte nihil esse certi, quomodo Ly corpus sumpserit Aristoteles in præsenti definitione; propter quam ipsam ambiguitatem, censetur hæc definitio non esse exacta, est tamen sufficienter descriptiva & notificativa. Hinc etiam habet plures terminos, qui idem nonnisi aliter atque aliter explicant, certè enim ly organicum, & potentia vitam habere, pro eodem supponunt, cum corpus organicum nonnisi in viventi habeatur.

Secunda DEFINITIO sumitur Animæ ex cap. 24. Anima est id quo vivimus, & sentimus, & movemur, & intelligimus.

Hæc definitio etiam non est exacta, non tam enim definit Animam, quàm definit ea, quæ sunt anima: quia tamen traditur per manifestiora utcunque rem explicat. Porro ly *Et*, toties hîc repetitum, sumendum est partim disjunctivè partim copulativè. Si enim sumeretur tantùm copulativè soli Animæ rationali competeret; debet ergo ratione præcedentium particularum copulativè accipi; nam quod intelligit, & movetur, & sentit, & vivit; ratione autem consequentium particularum, debet disjunctivè accipi, nempe ut vivat tantum, vel etiam sentiat. Prior definitio magis est in usu. Ex verbis illius potest erui hæc rigorosior definitio. Anima est actus primus incompletus vitæ vel forma in actu primo vivificandi.

His de Existentia & Definitione Animæ prætactis, quoniam definitio illius importat quid sit actus corporis potentia vitam habentis. *Sit*

QUÆSTIO I.

De Anima prout est vita.

EST hîc necesse examinare quid sit vivere, tam in actu primo, quàm in actu secundo, & cui subjecto competat.

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè Vita?

EXplicationes varias quid sit vita, videbis apud Arriaga, fusè & Oviedo hîc ad difficultatem totam intelligendam.

PRÆMITTO 1. *Non esse hic principale intentum ostendere quid vivat, seu subjecta vitæ.* Certum enim est Deum, Animalia, &c. vivere, cæterum etiam de aliquibus subjectis vitæ, erit aliqua difficultas ut an species impressæ, habitus, &c. sint principia vitalia. Maximus punctus in hoc est: quæ sit ratio communis vitæ, omnibus his saltem communis analogicè.

PRÆMITTO 2. *Spectaliter attendi in definitione vitæ* ad immanentiam, ad, proficisci ab intrinseco; quos terminos latissimè explicat Oviedo integerrimo Puncto primo. Sufficerit id præ oculis habere; quòd immanentia, quæ requiritur ad vitalitatem, non intelligatur immanentia per identitatem, quia talis immanentia non nisi soli Deo competit identificanti sibi suos actus. Per immanentiam ergo intelligitur potius actio, quæ nata est recipi in eodem principio quod operatur, & quidem non sola ipsa sed etiam terminus, qui vi illius actionis producitur. Ex quo ulterius vides, quòd ly immanentia ut ita dicam sit passivum quid, hoc est ad patiendam actionem & ejus terminum. Jam autem ly ab intrinseco, tenet se ex parte principii, cui scilicet, tanquam Ratio formalis ut Quo agendi, debeatur illa actio; & Terminus actionis, tanquam effectus: possetque hoc ly ab intrinseco appellari Immanentia principiativa: vocando aliam immanentiam unionis.

PRÆMITTO 3. *Dupliciter posse spectari vitam.* Primò in Actu primo quæ sita sit in possessione

sione principii vitaliter operativi, de quo quæritur hîc, in quo statuendum sit: & aliam vitam in actu secundo, quæ sita sit in exercitio illius potentiæ.

Præmitto 4. *Vitæ in actu primo, non deberi essentialiter immanentiam Vnionis.* Quia potentiæ identificatæ animæ, non dicunt immanentiam Unionis, & tamen sunt vitales in Actu primo.

Præmitto 5. *Vitalitatem in actu secundo salvari non posse, sine hoc, quod est proficisci ab intrinseco,* seu sine immanentia principativa.

Ratio, quia alias omnes operationes essent vitales, si semel dicatur, aliquam operationem vitalem, posse non esse ab intrinseco. Tum quia omnia quæ manifestè vivunt, operantur ab intrinseco, & quæ manifestè non vivunt, non operantur ab intrinseco. Ergo apparet vitalitatem in actu secundo, non posse salvari sine motu ab intrinseco, imò nisi hoc dicatur, poterit dici: quòd digiti cadaveris si moveantur aliqua arte vel impulsu hoc ipso vivant. Tum quia quæcunque tandem afferetur definitio vitæ, semper in illa ponetur vel formaliter vel æquivalenter ly ab intrinseco. Ergo apparet Ly ab intrinseco, necessariò requiri.

Addit & bene. Amicus, Tomo 3. Disp. 2. num. 76. vitalitatem non posse desumi ex hoc, quòd sit actio à principio, quod est simpliciter vita, aliàs omnes actiones essent vitales, utpote profectæ à Deo, tanquam à principio, quod est vita; nec etiam desumitur vitalitas à subjecto recipiente quod est vita, aliàs nobis receptio gratiæ vitalis esset, non etiam desumitur ab objectis, quia hæc sæpe vitalia non sunt. Restat ergo, ut desumatur ab ipso moveri ab intrinseco; unde etiam Tridentinum, definiens, quòd in justificatione non habeamus nos mortuo modo, explicat id per hoc, quia nos movemus per actus nostros.

Præmitto 6. *In hoc quod est uniri potentiæ producenti* terminum productum ab intrinseco, seu in immanentia per unionem non stare essentialiter Vitalitatem.

Ratio prima est. Tum quia ponamus, quod ab intrinseco moveat se homo ad producendam intellectionem, supposito quòd intellectio seu verbum mentis sit res, impediat Deus illius unionem, transferatque eam in lapidem. Quæro an tunc dicendus sit intellectus operatus vitaliter vel non dicendus. Si est operatus vitaliter. Ergo facit operationem vitalem, quæ tamen ut suppono non dicit immanentiam unionis. Quodsi illa operatio non est vitalis, cur non? cum ad illam fuerit motus ab intrinseco.

Ratio Secunda est. Quia in actu vitali sunt duo. Immanentia unionis & immanentia principiativa sive motus ab intrinseco. Quæro an in utraque consistat vitalitas, independenter ab alia. Si in utraque consistit independenter ab alia, Ergo si productam ab alio qualitatem faciat mihi Deus uniri, vitale mihi illud erit. Quodsi dependenter ab acceptione esse à principio intrinseco, vitalitas refunditur, in hoc, quod est habere immanentiam unionis, si in ipsa immanentia principiativa, vitalitas non sistit, quomodo vitalitatem refundere poterit, in immanentiam unionis? ad eum modum, quo si essentialiter non staret libertas in actu interno solo, non posset illam refundere in actum externum. Unde quòd Philosophi velint ab eodem principio proficisci & recipi actionem vitalem, id non ex eo invaluit, quasi illa receptio sit essentialiter requisita ad vitalitatem, sed quia cum illa actio utpote accidens recipi debet in aliquo, non habet connaturaliùs sibi subjectum, illud principium à quo producitur, sed nego hanc receptionem formalisare vitalitatem.

Respondebis. Sufficere ad vitalitatem quod ille terminus petat recipi, in eo, à quo producitur. Contra, hoc ipsum priùs probari debuit, requiri ad vitalitatem. Deinde sicut non sufficit, ut aliqua sit actio vitalis, quòd petat produci ab intrinseco, casu quo non producatur ab intrinseco. Ergo ne sufficiet exigere recipi in subjecto, si non recipiatur in subjecto, possitq; Divinitus non recipi.

Ratio Tertia est. Quia id in quo essentialiter stat vitalitas, debet esse ejus rationis, ut ubicunque ponatur, adferat secum prædicatum vitalitatis, sed præcisa immanentia unionis, non adfert secum vitalitatem, ut constat ex unione gratiæ, specierum, habituum. Ergo.

Respiciunt hæ rationes principium negativum, quod non sint multiplicanda Entia sine necessitate. Ergo nec multiplicanda formalisativa vitalitatis, nulla autem est necessitas ponendi, quòd præter Immanentiam principativam, requiratur ad vitalitatem immanentia per unionem.

Dices 1. Ea quæ sunt complexum duorum, sunt ejus rationis, ut unum sine alio, non constituat illud complexum; & sic unitas non constituit binarium, nec sola anima compositum.

Respondetur. Quæ plura unum constituunt, includunt in se inadæquatam rationem constituti; & ita unitas, est inadæquatè binarius: Jam autem immanentia unionis, nec inadæquatè constituit vitalitatem. Nihilominus salvari non potest sine immanentia unionis nutritio. Si enim in nutritione non ponetur unio partium, non esset nutritio, sed id deposcit nutritio, non ex prædicato vitalitatis, sed ex natura nutritionis. Deinde nego vitalitatem esse complexum ex produci & recipi in eodem principio, sed stat solo produci ab intrinseco.

Dice-

Dices 2. Si non requiritur ad vitalitatem receptio actionis, sequitur, quòd si lapis assumatur ad productionem intellectionis in Petro, erit illi intellectio illa vitalis.

Respondetur. Negando Sequelam. Ratio quia necdum lapis eliceret illam intellectionem ab intrinseco.

Dices 3. Assumatur Petrus ad producendam intellectionem in Paulo, eo casu movebitur ad illam ab intrinseco, & tamen illa productio, non erit illi vitalis, idq; non ex alio capite, quam quia illam intellectionem non recipiet in se. Ergo ratio vitalis Essentialiter stat, in illa immanentia unionis.

Respondetur. Dupliciter posse assumi Petrum ad producendam intellectionem in Paulo. 1. Ut eliciat intellectionem in se, quam postea Deus transferat in Paulum. Et dico, non esse illic assumptionem rigorosam, sed potius impeditionem unionis cum intellectu Petri. Assumptio enim rigorosa in linea efficientis, stat in productione effectus supra naturam, vel quoad Entitatem, vel quoad modum operandi: neutrum autem horum competit illi intellectioni, quam elicitam à Petro, transfert Deus in Paulum: & hæc productio est illi vitalis, atq; si nunquam translata fuisset illa intellectio in Paulum. Quia si non fuisset translata fuisset vitalis. Ergo etiam quamvis transferri debuit, non desiit esse vitalis, quia per hoc quod alicui postea evenire debet, non mutatur res.

2. Potest assumi Petrus ad producendam intellectionem in Paulo, ita, sicut assumeretur etiam lapis, ad eandem producendam, & sic illa intellectio, non erit vitalis Petro, non ex defectu immanentiæ per unionem, sed quia non est ab intrinseco, non enim habet Petrus intrinsecam vim, producendi intellectiones, in anima, quæ non est ipse producens.

Præmitto 7. *Præter jam dicta* in explicatione vitæ, ad hoc attendi debet, ne ratio vitæ conveniat emanationi passionum & potentiarum ab anima, si hæ sunt distinctæ. Item ut salvet in Deo rationem vitæ. Denique ut salvet quomodo ignis dum augetur non vivat, vivat autem planta.

Punctum Difficultatis 1.

Adferuntur aliorum Explicationes.

Explicat 1. post alios, rationem vitæ recentior Suarez, quòd sit principium motus, per se immanentis ab intrinseco. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. Quia de essentia vitalitatis non est immanentia per unionem & receptionem in Subjecto ut probatum supra, & tamen hanc immanentiam per unionem supponit dicta definitio.

Non satisfacit 2. Quia anima emanans potentias emanat illas ab intrinseco, & est principium illarum per operationem immanentem, & tamen non vivit illas emanando ut communiter docetur, & aliàs posset dici ignis vitaliter emanare calorem.

Respondet recentior Suarez productionem passionum non esse vitalem, quia tribuuntur externo generanti, itemq; motum elementorum v.g. ad sua loca, quia hæc loca, data sunt illis, à generante, ut propria.

Contra est 1mo. Quia talis debet dari definitio vitæ, ut illa ipsa contineat prædicata quibus excludantur, ea quibus non competat vivere, hoc autem non facit dicta definitio; quia quando quæro, cur ab intrinseco non proficiscatur emanatio passionum, respondit: quòd tribuantur generanti, de quo tamen nihil loquitur ipsa definitio, saltem distinctè: præcipuè quia proficisci passiones ab intrinseco & tamen tribui generanti, nihil aliud in re est nisi proficisci à principio, quod illas passiones non emanasset, nisi fuisset productum à generante. Quid autem hoc obstat vitalitati, si illa stat præcisè in hoc, quod est esse principium motus per se immanentis ab intrinseco.

Contra 2. Ponamus per impossibile, animam rationalem esse à se, emanare tamen ex se potentiam intellectivam distinctam, illa emanatio non esset jam attribuibilis producenti. Numquidnè jam deberet esse vitalis? & cum hoc proficisci à generante, non inferat ullum influxum immediatum in ipsam emanationem passionum, sed illa emanatio est totaliter à forma, cur non motus ad illam emanationem, dicendus erit esse ab intrinseco adeoque vitalis.

Contra 3. Quia operationes intelligendi productæ ab intellectu, non producuntur, nisi ponatur anima, & tamen operationes illæ non tribuuntur ipsimet generanti. Ergo nec tribui debent emanationes potentiarum, cum utrobiq;, scilicet, tam ad operationes, quàm ad emanationes, ponatur modus ab intrinseco.

Neque valet si dicas, perfici animam potentiis ideoque illarum effectionem tribui generanti. Dicam enim & ego intellectum perfici operationibus. Dices perfici per accidens. Dicam etiam potentias perfectivas esse animæ per accidens. Dices qui dat esse, hoc est generans, vel producens, dat consequentia ad esse. Dicam & ego actus potentiæ, esse actus consequentes ad esse potentiæ. Denique quamcunq; attuleris

disparitatem, illam ego accepto, & ex eo infero, te non rectè explicasse hac definitione actum vitalem, quia non desumis illam ex ipsis terminis definitionis.

Non satisfacit 3. Quia hæc explicatio non ostendit cur ignis, cui intrinseca potentia est calefactiva, dum producit calorem, non agat vitaliter itemq; dum se augmentat; nam augmentando se, movetur, & quidem non ab alio, sed à se, adeoq; ab intrinseco illa augmentatio immanet illi.

Respondet recentior Suarez. Motum ignis se augmentantis non esse vitalem, quia motus ille non est immanens, nec talis suapte natura, sed solum per accidens, augmentatur enim per subministrationem pabuli.

Contra est. Tum quia augmentatio quæ est per subministrationem pabuli in nutritione est vitalis. Ergo ex hoc principio, quòd ignis se augmentet, per subministrationem pabuli, si cætera adsint, nempe motus ab intrinseco, non desinet esse vitalis. Tum quia de hoc ipso quæritur, quid sit esse istum motum suapte natura talem, ut illa talitas, fundet vitalitatem. Tum quia accrementum illud partis & materiæ, quod accipitur per nutritionem, per Accidens accrescit, poterat enim primo informari ab Anima. Ergo illud incrementum non suapte natura, sed per Accidens est tale, & tamen illud incrementum habetur per actionem vitalem. Unde nova definitione explicandum veniet, quid sit esse motum immanentem, non talem suapte natura, sed solùm per Accidens.

Explicat 2. Oviedo. Vivens esse illud in actu primo, quod est principium actionis, ex sua essentia immanentis, quæ supponat præter principium activum & passivum, aliud principium illius, respectu cujus immanens dicitur. Explicat hanc definitionem suam in manifestè viventibus, nutritio, præter vivens, respectu cujus immanens dicitur, supponit materiam alimenti & alterationes, adeoque supponit aliud præter vivens; sensatio externa, supponit speciem impressam & præsentiam objecti, sensatio item interna, supponit sensationem externam, volitio intellectionem, intellectio speciem. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit 1. Quia ultimo differentialis ratio viventis per hanc definitionem esset, supponere aliud principium præter passivum & activum; nam reliqua conveniunt essentiæ unicuique, in emanatione suarum passionum. Sed in hoc non potest stare differentialiter ratio vitæ; quod ipsum probatur. Quia vita debet stare in aliquo ejusmodi differentiali, quod ipsum differentiale, importet principium operandi, ex ratione ipsa operandi, differens ab aliis principiis. Non enim ratio vitæ, est aliquid passivum vel mortuum, sed hoc quod est præsupponere aliud præter principium activum & passivum, stare potest cum hoc, ne inferat operandi principium, differens à principiis mortuis. Neque enim illa præsuppositio alius principii, ex vi sui conceptus & verbis in definitione positis, infert quidquam exclusivum principii mortui, quid enim? Porrò sicut malè assignaretur id pro ratione differentiali hominis, quod posset stare cum ratione bruti; ita nec rectè assignabitur pro ratione differentiali vitæ, quod potest stare cum principiis mortuis.

Non satisfacit 2. Quia sensatio vitalis, potest divinitus exerceri, sine ulla præsentia objecti, adeoque non supponendo aliud præter principium elicitivum & receptivum. Neque valet si dicas quod supponeretur tunc concursus Dei indebitus; quia ex vi concursus indebiti, non sumitur differentialiter ratio vitæ, hîc autem quæritur de tali ratione, quæ adferat rationem vitæ.

Respondebis, quòd supponere aliud præter principium activum & passivum, se solo, non fundet rationem vitæ, licèt fundet in circumstantia principii operantis ab intrinseco & recipientis.

Contra est, quia ex hac responsione sequitur nullum dari prædicatum differentiale vitæ, à principiis mortuis distinctivum. Quod ipsum probatur; quia hoc quod est esse principium ab intrinseco, convenit alicui mortuo, neque enim ignis ab extrinseco movetur ad combustionem; hoc, quod est esse immanenter receptivum, convenit mortuo cæteroque igni, dum emanatum à se calorem, in se recipit. Hoc etiam quod est supponere aliud principium activum & passivum, stat cum ratione principii mortui, quid enim implicat. Ergo non adfers prædicatum differentiale vitæ.

Non satisfacit 3. Quia sequitur vi illius ignem se augmentantem vivere, nam in nutritione præter principium activum & passivum præsupponitur aliud nempe alimentum & alterationes, ita & in præsenti. Deinde sequeretur quod notitia, quam aliquis Angelus habet de se existente, non sit vitalis; quia per illum hic numero 29. intellectus & voluntas si sint accidentia superaddita non producuntur vitaliter, quia supponunt nudam animæ entitatem. Ergò cum etiam cognitio quâ cognoscit Angelus se existere, supponat nudam Angeli entitatem non erit vitalis, neque enim Angelus per superadditam speciem noscit se existere. Denique ex vi hujus explicationis sequitur, Deum non videre propriè, notitia sui, quod enim aliud principium supponit illa notitia.

PUN-

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur Ratio Vitæ.

EXPLICARI potest ratio vitæ, quod scilicet vita in actu primo nihil aliud sit præter principium, per quod subjectum, vel si mavis dicere substantia in suo esse connaturali constituta exercet operationes immanentes per se ab intrinseco; *Addo ly immanentes* propter dicenda ad objectionem primam; *Addo ly per se* propter dicenda de nutritione; *Addo ly ab intrinseco* propter dicta in præmissis. Pono autem loco generis ly principium potius, quàm ly potentia eò quod possunt haberi aliqua per multos principia vitalia, quibus non competit ratio potentiæ, ut si quis defendat habitus acquisitos esse principia vitalia.

PROBATUR bonitas explicationis, qui convenit omni, soli, & semper proceditque per prima in hoc genere; Ut autem manifestiùs declaretur probatio, resolvendæ sunt difficultates, quas resolvi debere, in definitione principii vitalis suprà monui.

Primò, ex vi hujus explicationis emanationes passionum non sunt vitales.

RATIO. Quia emanatio passionum non supponit subjectum in esse suo connaturali constitutum, sed constituit illud, & sic si calorem non emanaret ignis, non esset in suo esse connaturali, constitutus, emanationeque illa, primùm, in tali statu constituitur.

Secundò. Ex vi hujus explicationis, salvatur ratio vitæ in Deo, quia & ipsæ exercet operationes suas per se ab intrinseco, processiones etiam Divinæ sunt immanentes, nec ab extrinseco Deus illas habet, & per se, non enim ex accidenti est, quòd Pater generet Filium.

Tertiò. Ex vi hujus explicationis salvatur, cur ignis non vivat augmentando se, vivat autem animal nutriendo se. Antequam ratio supponatur.

SUPPONO imprimis, in quo sint paria Nutritio & Argumentatio ignis. Paria sunt imprimis in hoc, quòd & forma Ignis ab intrinseco urat & nutritiva ab intrinseco augmentetur. Paria sunt in hoc, quia nisi applicueris nutritiæ alimentum, non se nutriet: Paria sunt in hoc, quia si applicetur ignis jam productus in stupa alteri igni, non censebitur movere se ab intrinseco ille ignis, ad illam igniendam stupam; sic etiam, si non per aggenerationem, sed per primam unionem, illi Materiæ alimenti; forma unita fuisset, eo casu non se movisset ab intrinseco nutritiva, ad illam partem uniendam. Paria sunt rursus in hoc: quia sicut hæc pars non est essentialiter aggenerata, sed poterat primò informari ab anima; sic nec iste ignis, qui est productus, necessariò producitur ab hoc igne, sed poterat ille priùs & potiùs producere.

Denique in hoc paria sunt: quia si omnem perfectionem augmentationis haberet ignis, non se augmentaret: sic nec nutritiva nutriret, si vivens, quiete posideret omnem suam perfectionem.

SUPPONO secundò, Quid alii præter jam dicta pro ratione adferant, cur ignis non vivat augmentando se. Quia scilicet ignis non per se, sed ex Accidenti se augmentat; quia scilicet non est in statu suo, unde hic qui est suprà aërem, non se augmentat; sed hæc ratio non satisfacit. Tum quia ut dicebatur, si anima haberet id totum, per se, quod, per nutritionem habere posset, non se augmentaret, & tamen hoc non obest, quominus nutritiva dicatur vitaliter agere. Ergo etiam ex hoc præcisè, quòd ignis non se augmẽtaret, si esset in loco sibi debito, cùm se de facto augmentat, non dejicitur illud augmentum à ratione vitalis. Tum quia indigeret hoc ipsum probatione, quòd suprà aërem sit ignis, quod illic non combureret stupam &c. similia. Tum quia si ex hoc dejici potest, aliquid à ratione vitalitatis, reddique quasi per accidens agens, quia non habet illam perfectionem, quam requirit illa actione, sequitur etiam nutritionem & intellectionem non esse vitales, quia intellectionem producit intellectus, eò quòd intra se non habeat perfectionem illius, & nutritio ponitur ex suppositione, quòd non habeantur nutritivæ; neque valet si dicas, quòd data sit & provisa à natura potentia nutritiva, ad hoc, ut nutriat, haberetque id per se; jam autem non habet id ignis per se, ut se augmentet; Non inquam valet si dicas: quia quo fundamento dices à natura datam nutritivam, ut adgeneret partes, eo fundamento dicam, dari à natura igni vim combustivam, ut se propaget: da ergo rationem ulteriorem, cur se non propaget ignis vitaliter. *His suppositis*

RATIO formatur; Cur scilicet ignis augmentando se non vivat; quia scilicet augmentatio facta per ignem non fit actione immanenti, sed transeunti, adeoque actione non fit, in ipso augmentante sed extra. Jam autem augmentatio per adgenerationem fit actione immanenti ab intra. Rursus dici potest, ideo non est vitalis augmentatio facta ab igne: quia non est per se, sed per accidens illa augmentatio. Quod ipsum probatur: quia ex accidenti est, quòd conjungatur ignis genitus generanti, tam enim benè potest generare illum non uniendo illum sibi, quàm uniendo; Jam autem per se nutritiva augmentat, quia per se producit unionem, & nisi produceret, non censeretur nutritiva, egisse. Quod ipsum sic ulterius explanatur. Secundùm eandem vim agit ignis, sive uniat sibi alium ignem sive non uniat, nec ulla est differentia in agendo, vel ratione principii, vel ratione termini, aget enim semper, secundùm eandem vim ignitivam seu combustivam. Apparet ergo quod illa augmentatio, non sit per se, sed si nutri-

tiva non adgeneraret quidquam, non censeretur egisse, nam actio illius, est productio unionis vel formæ sibi additæ, si sit materialis, quæ ferri non potest, nisi sibi uniat & adgeneret partem. Erit ergo per se, non per accidens motus in nutritiva ad suum augmentum, adeoque motus vitalis, quia hic debet esse ut dictum per se.

ADDO. Ad non pauca in hac materia solvenda. Quod immanentia requisita ad vitalitatem, duplex possit spectari; quædam immanentia ipsius termini, & hanc diximus supra, non esse de ratione vitalitatis, potest enim produci terminus vitaliter, & non uniri principio producenti; alia est immanentia ipsiusmet actionis, sive illius terminus uniatur, sive non, & hanc immanentiam requirimus ad vitalitatem; nec obest quòd aliqua actio vitalis exigat immanentiam etiam termini, hoc enim est ex accidenti, nec requisitum ex prædicato vitalitatis, ad eum modum, quo generatio interdum vitalis exigit productionem formæ v. g. materialis, non tamen id exigit ut sic, omnis generatio vitalis.

Quartò ex vi hujus explicationis solvatur; Quare motus gravium deorsum, non sit vitalis. Qua in materia, duplex est sententia prima, quæ motum gravium rejicit non in aliud, nisi in ipsam gravitatem, medium aptum, & negationem obstaculi, quam sententiam defendere quis posset, etiam posito, quòd motus progressivus involvat modalitatem, idque ex eo, quia à non esse moti, ad esse moti progressivè, non transitur per ipsum medium aptum, & negationem obstaculi, secus hîc. Et in ista sententiâ facile est salvare, cur motus gravium non sit vitalis: quia non competit subjecto, in suo esse connaturali jam constituto: quando enim grave non est deorsum, non censetur, esse, in suo esse, constitutum, connaturali. Secunda sententia motum gravium cum aliqua modalitate salvat, & in hac sententia, ideo motus ille, quamvis sit immanens, non esset tamen vitalis, quia non esset per se, ideo enim principiatur, quia ponderosum est in statu violento. Quæ autem fiunt ratione violentiæ, non sunt per se. Non autem propter aliquam violentiam, potentia nutritiva, augmentat vivens.

Quintò solvatur, cur motus ille, quem causat magnes attrahens ferrum, non sit vitalis, si enim sit res de ipsa qualitate tractiva, illa non est vitalis, quia spectat ad esse connaturale magnetis, etsi illam non haberet magnes, non censeretur esse constitutus in suo esse connaturali. Si autem sit res de ipsa tractatione, hæc etiam non est vitalis, quia non est immanens actio sed transiens.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR 1. Si ad vitalitatem, ut dictum suprà, non requiritur immanentia producti termini, sequitur inexplicabile esse, qualem nos immanentiam concedamus.

RESPONDETUR. Immanentia à nobis concessa non aliud est, quàm quòd actio vitalis, non fiat extra subjectum, nec sit illic ubi non est subjectum. Hinc actio illa qua producitur v. g. intellectio, quia non extenditur extra subjectum vitalis est. Casu autem quo sentiret aliquis identificare actionem termino vitali, adhuc diceret esse illic immanentiam, quia ipse terminus non producitur extra subjectum, quidquid sit quod uniatur intellectui, vel non.

OBJICIT 2 Oviedo. Demus vivens, cui à primo instanti productionis suæ, debita sit cognitio alicujus objecti, sicut de Angelis multi sentiunt. Hæc actio pertinebit ad naturalem constitutionem viventis, & erit vitalis, Ergo non est de ratione actionis vitalis, esse distinctam ab illis, per quæ vivens, in suo esse naturali constituitur. Quòd sit illa actio vitalis, sic probat; Quia omnes cognitiones censentur esse vitales, quòd etiam illa cognitio sit permanens ad naturalem constitutionem viventis probat, inquirendo, quid sit illud quod pertinet ad constitutionem naturalem viventis.

RESPONDEBIS. Id quod pertinet per modum habitus, urget quid est hoc aliquid pertinere per motus habitûs, quid pertinere per modũ actûs.

RESPONDETUR; Illam actionem esse quidem vitalem, non esse tamen pertinentem ad constitutionem ipsius Angeli, quia ea quæ constituunt subjectum ineſſe naturali, debent esse per modum principiorum & potentiarum, sive agendi sive patiendi: Actio autem seipsa non est talis. Deinde habetne Angelus totum suum esse completum, antequam agat illam intellectionem vel non habet; Si habet, ergo illa actio non spectabit ad complementum esse ipsius, sed erit effectus illius esse; Si autem non habet totum complementum, Ergò illa actio requiretur ad sui productionem tanquam ipsius potentiæ agendi completivum. Illustrari hoc potest Instantia ex esse supernaturali desumpta, in quo non constituitur homo per Actionem supernaturalem, sed per infusionem, quæ se habeat per modum potentiæ; Quod ipsum ulterius in hoc fundatur, quia cum esse sit radix ad operari & pati, id quod constituit aliquid in esse naturali, debet etiam constituere in posse operari vel pati, sive illud operari patique sit rigorosum, sive minus rigorosum. Cùm ergo actio quà talis, non constituat in posse operari subjectum, nec constituat in posse pati, fit ut non requiratur ad constituendam rem in suo esse naturali. Præter ipsum esse, præter potentias & principia operandi, ad esse connaturale rei, spectant proprietates, qualis est in materia quantitas, in igne calor &c. Cùm ergo prima Cognitio Angelica, neque sit esse Angeli, neque potentia operandi, neque proprietas emanata, fit ut illa prima cognitio

gnitio non spectet ad esse connaturale Angeli.

Objicit 3. Idem. Essentia Dei ex communi Theologorum sententia consistit in cognitione, hæc cognitio Dei pertinet ad naturalem constitutionem Dei, & est vitalis. Ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctam ab illis, quæ vivens constituunt in sua naturali dispositione.

Respondetur. Quòd primò essentialis conceptus Dei in ratione essentiæ, non sit intellectio, de quo agitur in prima parte, sed independenter ab hoc principio solvi potest adlata difficultas. Ii qui censent quòd esse intellectivum sit de primo essentiali conceptu Deitatis in duplici sunt sententia. Aliqui enim admittunt intellectionem in actu primo, aliqui negant: In principiis horum, qui admittunt intellectionem in actu primo, facile est ostendere vitalitatem in Deo cognitionis, quia ex modo nostro concipiendi in suo esse constituitur Deus illa intellectione in actu primo, hinc quando intelligitur exercere intellectionem in actu secundo, non censetur aliquid ponere, per quod ex modo concipiendi constituatur in esse suo. In principiis autem istorum qui negant reperiri in DEO ullo modo actum primum intelligendi, nondum urget difficultas, quia talem conceptum Dei constituendo, non constituunt in Deo vitam nisi in actu secundo, si non ponunt vitam nisi in actu secundo, debent constitutivum vitæ in actu secundo ponere ipsam scilicet vitam in actu secundo, non obest autem ut vita in actu secundo, per aliquid quod est actio, constituatur, imò ita constitui debet. Ex vi cujus doctrinæ: distinguendum est consequens, Ergo non est de ratione operationis vitalis esse distinctum ab illis, quæ vivens constituunt, si illud vivens sit vivens in Actu secundo nonnisi. Concedo, si sit vivens etiam in Actu primo; Nego. Quod si ulterius quæratur, quare vivens in actu primo non possit constitui vitali cognitione & possit vivens in Actu secundo.

Ratio est; Quia si vivens in actu primo constitueretur vita in actu secundo, & esset vivens in actu primo ut supponitur, & non esset vivens in actu primo, quia non haberet constitutivum in actu primo, sed id, quod est formalissimè, actus secundus. Ex quo etiam inferes vitam in actu secundo, debere constitui aliquo vitali.

Addo, Verum quidem esse, quod quamvis nos ponamus in Deo vitam in actu primo non sequatur illum re ipsa habere vitam in actu primo; Quia tamen hujus cogitationis nostræ datur in Deo fundamentum, ratione hujus fundamenti, salvamus in Deo rationem vitæ in actu primo. Dici etiam posset, quòd Deus, sit vita in actu secundo, eminenter, hoc est, habens hoc totum, quod habet perfectissimus actus vitalis creatus, licèt non habeat conditiones imperfectionem involventes, quales sunt proficisci à principio intrinseco ex suppositione substantiæ in suo esse constitutæ, habendo id, sine tali proficisci, quod in creatis habetur ratione dicti proficisci.

Instabis primò ex eodem, quòd non implicet creatura seipsa intellectiva illa cognitio erit cõstitutiva substantiæ, vitalis tamen erit, Ergo de ratione vitalitatis, non est supponere substantiam, in suo esse connaturali constitutam.

Respondetur. Negari ut plurimum Antecedens, sed illo transito proportionaliter addicta supra distinguitur Consequens, Ergo de ratione vitalitatis non est supponere substantiam in suo esse naturali constitutam supposito, quod sit vivens in actu primo realiter. Nego Consequentiam supposito quòd sit ipse actus secundus. Concedo Consequentiam.

Instabis secundò. Anima est quid vitale, & tamen in suo esse connaturali, non supponit, sed constituit hominem, Ergo non est bona adlata explicatio vitalitatis.

Respondetur. Non negari per nos, quòd id quod est vita, possit esse pars constitutiva alicujus, sed tantum dicimus quòd vitalis operatio, præsupponat principium jam in suo esse constitutiva, quod salvatur, quamvis idem principium sit pars constitutiva; adhuc enim ad operationem vitalem, supponetur substantia in suo esse constituta.

Instabis tertio; Ergo saltem non datur definitio communis illis viventibus, quæ vitaipsa constituuntur, aut componuntur, siquidem ante illam compositionem vel constitutionem, non intelligitur substantia, in suo esse constituta.

Respondetur; Concedo, quòd ante illam constitutionem, quæ fit per ipsam vitam in actu secundo, non intelligatur res realiter constituta, sed imprimis antecedit illam ratione actus primus vivendi, ut dictum. Deinde ipse actus secundus, per prius est constitutivus, posteriùs autem ratione, habet formalitatem actûs secundi vitæ, in illo quod constituit. Denique ut dixi, quia supposito quòd per vitam in actu secundo aliquid constituatur, adhuc operatio vitalis non supponetur ad substantiam in suo esse constitutam.

Ex his ulterius, Colliges quid sit vitalitas in actu secudo; quòd scilicet sit motus immanens, per se ab intrinseco, profectus à principio, substantiam in suo esse connaturali constitutam proportionaliter supponente.

Dixi proportionaliter, quia intellectio Divina & intellectio creata identificata noscenti si daretur, non præsupponeret realiter actum primum vivendi distinctum ab actu vivendi.

DIF-

DIFFICULTAS II.

De iis quibus competit Vita.

QUia aliquid proficiſcitur ab eo, quod eſt vita, non continuo debet inferri, quod ſit jam vitale, aliàs cùm omnia proficiſcantur à Deo, qui eſt vita, omnia deberent eſſe vitalia, ad quod in dicendis infra attendendum erit.

Punctum Difficultatis I.

Species ſuntné quid vitale?

DE duobus hîc inquiri poteſt; Imprimis an Species vitaliter producantur? Secundò, an ſint ipſæ vitales?

Quod ad primum attinet; An ſcilicet vitaliter producantur, penſandæ ſunt rationes utriusque partis?

Quòd producantur vitaliter:

RATIO prima adferri poteſt; Quia illa productio ſpeciei eſt immanens natura ſua, neque enim intellectus poteſt connaturaliter producere ſpecies in extraneo ſubjecto.

RESPONDETUR; Præcisè talis immanentia, ſe ſola, non arguit utilitatem vitalitatem; hinc tali immanentia etiam ignis in ſeipſo producit calorem.

RATIO ſecunda. Quia Actio illa productiva ſpecierum, proficiſcitur à principio intrinſeco per ſe: quia quamvis eo caſu ſuppleat intellectus vicem objecti, facit id tamen nomine proprio ad eum modum, quo Deus ſupplet in generatione ex putri defectum cauſæ univocæ, non tamen tanquam inſtrumentum cauſarum ſecundarum, non enim ab illis accipit vim operandi, ſed id facit nomine proprio.

RESPONDERI poteſt. Ad hoc ut dicatur aliquid agere nomine proprio non tantum requiritur, ut nõ agat virtute, ab alio, cujus nomine agit, communicatâ, ſed etiam ne agat virtute propria in bonum aliûs ordinata; & ita calor in ſe ſpectatus virtute propria agit, eſt tamen inſtrumentum, quia agit in bonum ignis. Jam autem intellectus producens ſpecies, quamvis agat virtute propria, quia tamen illa virtus eſt communicata in bonum objecti, quod ſe ipſo, illas ſpecies producere non poteſt, fit ut in illarum productione, non dicatur intellectus per ſe ab ab intrinſeco agere. De DEO diſparitas eſt; Quia DEUS non ordinatur ab alio & propter aliud, ſed omnia propter ſe facit; imò hic ipſe medius terminus probat oppoſitum: Quia ſupplens vicem cauſæ univocæ non agit vitaliter, Ergo nec intellectus aget vitaliter, ſupplens vicem Objecti.

INSTABIS. Eodem titulo dici poſſe, quòd intellectus producendo intellectionem gerat vices objecti.

RESPONDETUR Negandò ſequelam. Tum quia intellectus habet ex ſe ipſo vim producendi intellectionem, unde eam poteſt producere non exiſtente Objecto, non habet autem vim objectum producendi intellectionem ſine intellectu, Ergo apparet majorem eſſe connexionem intellectionis cum intellectu, quàm cum Objecto, in ratione effectivi: quomodo ergo poterit intellectus dici gerere vices objecti in productione intellectionis. Tum quia Objectum ſine concurſu potentiæ, producit ſibi ſpecies, ut patet, in ſpeciebus materialibus: Si ergo habet vim objectum producendi ſpecies, & non habet vim ſe ſolo producendi intellectiones, fit ut intellectionem faciens Intellectus, non cenſeatur agere, vi ſibi tributa in Objecti bonum, ſed in proprium bonum: faciens autem ſpeciem, præſtabit, vi ſibi tributa, in bonum Objecti.

Quòd autem productio ſpecierum non ſit vitalis.

RATIO prima adferri poteſt; Quia ſi ipſum Objectum immediatè produceret illas ſpecies, illa productio non eſſet vitalis, Ergo etiam cum producit illas Intellectus, erit productio non vitalis.

RESPONDETUR. Retorquendo inprimis argumentum, partem nutritione acquiſitam potuiſſet habere vivens in inſtanti generationis, nec illam tunc vitaliter acquiſiiſſet. Ergo cùm illam etiam nutritione acquirit, vitaliter non acquirit. Deinde quoad modum, quo Objectum producit ſuas ſpecies, non ſe accommodat intellectus objecto, nam objectum agit actione tranſeunti, immanenti autem intellectus agens. Quod ſi non ſequitur modum agendi objecti intellectus agens, fit ut ex vi modi agendi ſibi proprii, poſſit vitaliter agere.

RATIO ſecunda adferri poteſt: Quia concurſus ſpecierum ad cognitionem non eſt vitalis, quia fit nomine objecti, Ergo etiam & concurſus intellectûs agentis, ad productionem ſpeciei, non erit vitalis: fit enim etiam nomine Objecti.

RESPONDETUR. Quomodo ſolvendum ſit Argumentum conſtabit, ubi inferius agetur, de Antecedenti, his nihilominus penſatis

DICENDUM eſt: *Etiam productionem ſpecierum eſſe vitalem*: Probatur ex dictis. Quia ex una parte procedũt à principio per ſe, immanenter, & ab intrinſeco, ex alia parte nihil obeſt quominus illa productio ſit vitalis, nam quã vis producantur nomine objecti; ſufficit quòd in modo producendi, non accommodent ſeſe objecto, ut ſuprà dictum.

Quod ad ſecundum attinet: *An ſcilicet ipſæ ſpecies ſint principium vitale.* In hoc puncto diviſi ſunt Authores, negat Arriaga & Oviedo, affirmat recentior Suarez, Penſandæ erunt rationes utriusque partis.

Pro parte negativa RATIO prima eſt ex Arriaga;

ga; Quia species non operantur ut virtus intrinseca animæ, sed ut vicariæ objecti. Ergo cùm per illas potentia operatur, non operatur ab intrinseco.

Respondetur; Distinctas esse has duas propositiones; quod non est virtus intrinseca animæ, non potest operari vitaliter; & hanc: virtus intrinseca animæ, non potest esse vicaria objecti. Prima est vera propositio, secunda est falsa, quia certè nomine objecti producit intellectus species, & tamen intellectus est potentia vitalis. Ergo ex hoc solo titulo, quia scilicet fit aliquid vicem supplendo objecti, non dejicitur à ratione vitalis. Nego ergo consequentiam.

Instat Idem. Quia si objectum concurrat ad notitiam non concurrit ab intrinseco. Ergo nec species.

Respondetur. Si objectum producat species, non producet vitaliter, & tamen hoc non obstante producit intellectus vitaliter species, ut ipse docet Ariaga. Ergo etiam poterit producere, species, vitaliter cognitionem, quamvis non produceret illam vitaliter objectum. Deinde sicut quia non eodem modo, ut dictum suprà, producuntur species ab objecto, producuntur vitaliter; ita quamvis id faciant species quod faceret objectum, quia id faceret species modo, alio, fit, ut adhuc essent vitales, & alio modo, hoc est, operantes vitaliter.

Ratio secunda ejusdem. Quia species per se non exigunt inhærere potentiæ, à qua producuntur actus. Ergo per se non sunt virtus intrinseca Animæ. Antecedens probatur à paritate de speciebus materialibus, quæ etiam in medio reperiuntur.

Respondetur, imprimis retorquendo argumentum. Per se species non exigunt produci ab intrinseco, de facto enim in Angelis concreatæ sunt à Deo. Ergo & productio specierum non erit vitalis, contra quam æstimet dici debere Ariaga. Deinde si per se, idem significat, quod universaliter loquendo, concedo, quòd non exigant species in sola potentia esse, à qua producuntur; Concedo item quòd hoc sensu, non exigant esse virtus intrinseca Animæ. Si autem ly per se significet, quòd species, nec ex speciali ratione, possint inhærere potentiæ, adeoque, quòd nunquam possint esse virtus intrinseca Animæ, in isto sensu falsa est propositio. Paritas ducta à speciebus materialibus non tenet. Quia non est licitum argumentari, à modo causandi uniûs ad modum causandi aliûs; & cùm constet actione transeunti produci species materiales, idque ab objectis etiam non vitalibus, benè arguitur illas non esse vitales, quæ ratio non militat pro speciebus, actione immanenti productis.

Instat primò idem. quòd species spirituales reperiantur in ipsis principiis cognoscentibus, id est, omnino per Accidens, nec fundare potest intrinseeitatem specierum. Quod ipsum probatur; Quia id totum est ex defectu spiritualis subjecti, in quo recipiantur. Si enim inter unum & alterum Angelum interponerẽtur res spirituales, non video, inquit, cur per illud medium ab uno Angelo ad alium non possint mitti species.

Respondetur. Hæc omnia dici arbitrariè; Nam quamvis id non implicet contradictionem, non sequitur id esse connaturale, quantumvis poneretur medium spirituale.

Instat secundò Idem. Species ut concurrat, non requirit unionem sui cum potentia, sed sufficit ut sit contigua potentiæ. Sicut enim objectum contiguum v. g. sapor, potest causare sui perceptionem, & universaliter in causis, sufficit ad actionem contiguitas, ergo etiam ut species concurrat cum potentia, sufficit illam esse contiguam vel penetratam cum potentia.

Respondetur. Imprimis retorquendo argumentum, quod probat habitum naturalem, quem tenet Ariaga, esse principium vitale, posse esse nonnisi contiguum potentiæ; casuque quo distingueretur intellectus ab anima, posset non esse principium vitale, quia posset esse, nonnisi quod contiguum. Deinde directè nego Majorem, quæ positivè non probatur. Deinde diceret aliquis, quòd ut salvetur intrinsecitas agendi, debeat esse principium non solum contiguum: hinc si species sint vitales, non debent esse tantum contiguæ, tu autem aliunde non probas, species non esse vitales.

Instat tertiò. Unus Angelus penetratus cum alio, posset immediatè concurrere ad sui cognitionem in illo Angelo, quem penetravit, Ergo apparet objectum ad concursum exhibendum non exigere unionem cum potentia, nec ergo illam exiget ipsa species, cùm non sit necessaria major unio speciei, quàm objecti.

Responsum suprà, quòd modum agendi Objecti, non debeat in omnibus imitari virtus vicaria Objecti. Et certè cùm illa virtus objecti sit Accidens, accidentia autem naturaliter sine subjecto existere non possunt, hoc ipso exigent uniri potentiæ, tanquam subjecto; habereque intrinsecitatem sufficientem, cùm tamen objecta noscenda, sæpe, non sint accidens.

Ratio Tertia ex Oviedo est. Actus vitales non inhærent, neque speciebus uniuntur, nec alicui cum quo species unum totum essentiale constituant, cùm enim species accidentiæ sint, cum suo subjecto, in quo recipiuntur, unum totum essentiale constituere non possunt; jam autem ad vitalitatem requiritur, vel uniri principio, à quo producitur, vel cum aliquo, quòd se habeat per modum compartis, in ordine ad totum substantiale.

Respondetur; Imprimis ostendendo hoc argumentum ad principia ipsius Oviedo, docet enim ille hîc puncto tertio, numero secundo, dato,

dato, quòd potentiæ animæ sint superadditæ realiter, & non recipiant in se actus vitales, nihilominùs dici debere vitales, non quidem vitalitate formali & primo per se, sed saltem vitalitate animæ ad quam juvandam producuntur potentiæ, cur ergo eadem vitalitate non gaudebunt species ipsæ. Deinde nego esse necessarium ut omni principio vitali, quod habet vim concurrendi, cum alio principio ad actum vitalitatis recipiantur actus vitales, sed sufficere ut recipiantur in alio comprincipio, quod rationem principialis habet, qualis est intellectus, poteratq; bene provideri à natura ne recipiantur intellectiones in speciebus, quia cum species non sint notscitivæ, non deposcunt specialiter, ut illis notitiæ uniantur.

Ratio quarta est. Si sola species per se operaretur, illa cognitio non esset vitalis. Ergo apparet speciem non esse vitale principium.

Respondetur. Nego Antecedens. Nam tum Deus suppleret defectum intellectûs, & ex alia parte ad vitalitatem sufficit, unum esse principium vitale. Et sic visio beatifica est vitalis quamvis lumen gloriæ non sit vitale. Item quando actus amoris elicitur, cum solo auxilio extrinseco, illo casu auxilium non est vitale, & tamen sequitur actus vitalis. Deinde sicut tu diceres intellectionem productam sine specie impressa, Deo defectum speciei supplente, esse nihilominùs vitalem; sic & in præsenti, quamvis sola species concurreret, & Deus suppleret concursum potentiæ, adhuc posset dici ille actus vitalis.

Ratio quinta est. Duæ sunt tantum species manifestæ viventium. Primo viventium per introsusceptionem alimenti, ad hanc speciem non possent revocari species utpote quæ non vegetantur. Alia species est viventium notscitivorum, ad hanc etiam speciem non potest revocari, quæ etiam nihil notscit: Ergo apparet speciem impressam non esse quid vitale.

Respondetur negando Antecedens. Nam etiam voluntas est principium vitale, & tamen nec alitur, nec notscit, utpote cæca. Commodius ergo dividetur vitale in introsusceptivum alimenti & motivum intentionaliter, tale autem erit motivum, etiam species.

Pro parte Affirmativa Primum Argumentum est. Quia species sunt principium agendi. Rursùs non producunt nisi immanentes operationes, non enim alias quàm quas producit intellectus, producunt item per se: quia definitivè ad hoc ordinantur; nec producunt intellectiones ex suppositione alicujus violentiæ. Producunt etiam ab intrinseco, quia non aliunde sed à sua natura, supposito, quòd producantur, vim agendi habent.

Respondetur. Argumentum probare multum. Quia etiam species materiales productæ ab Objectis, & agunt, & actiones immanentes agunt & per se &c. & ab intrinseco, neq; tamen sunt vitales. Quodsi dicas produci illas ab extrinseco, id non obest: quia anima rationalis producitur etiam ab extrinseco, Deo creante, & tamen non definit esse quid vitale, & si creatam animam in cœlo transmitteret Deus per medium, per hoc ipsum non desineret esse vitalis. Ergo idem dicendum esset de specie materiali, quod scil. sit principium vitale. Absolutè tamen loquendo non potest dici species materialis vitale quid, alias ab objecto non vitali, utpote ignobiliori, produci non posset.

Secundum Argumentum est. Si aliquid vitalitati specierum obstaret, obstaret hoc, quòd loco objecti concurrant; Sed hoc non obstat: quia intellectus agens, loco Objecti producit speciem, & tamen productio illa est vitalis: Ergo quòd loco objecti concurrat, non officit, quominùs sit species principium vitale.

Respondetur. Hanc potiùs esse rationem, quia scil. nullum est fundamentum tribuendæ illi vitalitatis.

Tertium Argumentum est. Si gratia produceretur à nobis, non haberemus ullum fundamentum illam non esse vitalem: Ergo idem dicendum de speciebus, quæ à nobis producuntur.

Responderi potest defacto & gratia & supernaturales habitus infusi & acquisiti, educuntur de potentia animæ obedientiali neq; tamen sunt quid vitale. Nam quamvis educantur à Deo, non obest vitalitati, sicut nec obest quando anima creatur: Ergo idem dicendum esset de speciebus. *His pro utraque parte pensatis, nihilominùs*

Dicendum est. *Species impressas non esse quid vitale.*

Probatur. Quia quod non est principium operandi ab intrinseco, non est principium vitale. Species non sunt principium operandi ab intrinseco quod ipsum probatur. Quia non coëfficiunt intellectionem ut probabile est, de quo infra, sed nonnisi complent potentiam intellectivam, quæ autem non agunt in aliquo genere, non possunt dici in illo genere operari vitaliter.

Punctum Difficultatis 2.

Quid sentiendum de Habitibus?

Potest esse res de Habitibus naturalibus & supernaturalibus.

Quod attinet ad Habitus naturales. Illos esse vitas censet Ariaga & recentior Suarez, negat Oviedo. *Quod etiam habitus supernaturales sint vitales* inclinat Ariaga, negat recentior Suarez, & quidem non est difficultas, an productio habituum naturalium sit vitalis. Probatur enim esse vitalem iisdem rationibus, quibus probatum est productionem specierum esse vitalem, sed est difficultas de ipsis habitibus, an illi sint vitales.

Dicen-

Dicendum est primò. *Habitus naturales esse formaliter vitales* in sententia quæ illis tribuit concursum effectivum in actus.

Probatur 1. Si daretur intellectus distinctus ab anima, esset potentia vitalis, Ergo & habitus; neque obest quod habitus naturalis, det nonnisi facile posse, hoc enim ipsum in argumentum accipitur, cur scilicet aliquid exigitum nonnisi ad facile posse, nõ possit esse principium vitale, sicut intellectus distinctus realiter. Non quod censeam distinguente realiter potentias ab Anima, requiri intellectum ad facile tantùm posse. Sed argumentum procedit à pari. Intellectus distinctus realiter si daretur, quamvis non requireretur tãtum ad facile posse, nihilominus foret vitalis. Ergo & habitus Naturales distincti realiter, quamvis requirerentur tantùm ad facile posse, esse possunt vitales. Nec enim est major unius quàm alterius ratio.

Probatur 2. Quia tota definitio principii vitalis convenit habitui acquisito, si enim aliqua particula non conveniret illi, maximè non conveniret illi, ly per se operari, cùm requiratur nonnisi ad facile posse; sed etiam hæc particula illi convenit; qui etiam habitus non ex accidenti, sed per se habet, ut facilitet: & sicut non obest, quamvis una potentia non faciat, quod facit potentia alia, ita nec oberit, quòd habitus det nonnisi facile posse, quamvis alibi potentiæ dent simpliciter esse.

Probatur 3. Quia nihil impedit, ut habitus acquisitus sequatur conditionem principii, quod est quid vitale, nempe vel ipsi actus, vel potentia, quæ in actibus intentionalibus, exercet sese.

Objicitur 1. Habitus non operatur per se immanenter, quia eandem actionem, posset intellectus verbi gratia se solo producere, quem producit cum habitu. Ergo habitus non est principium per se agendi.

Respondetur. Habitum non esse principium per se agendi, hoc est necessario requisitum; esse tamen principium per se agendi facilitando; parumq; refert quòd eandem actionem possit ponere intellectus sine habitu, sufficit enim quòd non possit ponere eodem modo, sicut vivens posset habere eandem partem materiæ habere acquisitam non vitaliter, & tamen hoc non obstat, ne aliàs eam possideat acquiratque vitali modo.

Objicitur 2. Motus lapidis deorsum non est per se, quia fit nonnisi ex eo, quòd lapis sit in statu violento, Ergo & actio habitûs, non est per se, quia est suppositio nonnisi quòd sentiatur difficultas.

Respondetur; retorquendo argumentum; actus imperatus nõ fit nisi ex suppositione, quòd ponatur imperans, judicium non formatur nisi ex suppositione primæ operationis, nec quidquam amatur nisi ex suppositione propositionis objecti, & tamen omnia illa possunt esse vitalia, Ergo idem in præsenti dici poterit, unde in forma negatur consequentia, nam non omnis suppositio facit, nec actio aliqua sit vitalis, vel certè ex dictis distinguitur consequens, Ergo & actio habitus no est per se, hoc est non est simpliciter & necessariò requisita concedo, non est per se in ordine facilitandi. Nego.

Objicitur 3. Nulla est necessitas multiplicãdi vitalitatem, sicut autem non multiplicanda entia, ita nec principia vitalia.

Respondetur; esse necessitatem, quia tota definitio vitalis principii competit habitui. Non potest quidem dici habitus vita, quia neque est vita vegetativa, neque sensitiva, neque rationalis, cùm ipse habitus non sit anima, potest tamen dici vitalis, quia illi, non quidem vitæ tamen vitalis competit definitio, ad eum modum quo unio vel subsistentia modalis, non est quidem substantia completa, nec incompleta, quia nec est forma v. g. anima, neque materia, est tamen aliquid substantiale, quia illi substantialis competit definitio.

Quod attinet ad habitus supernaturales.

Dicendum est; *Habitus supernaturales infusos, non esse vitales.*

Probatur 1. Quia statuenda est aliqua regula certa taxans vitalitatem in principiis, hæc autem non est alia, nisi quod aliquid sit vita, vel productum ab ipsamet vita, tanquam aliquid subordinatum & provisum ab eadem, ad agendum: hæc enim duo, salvant id, quod est operari ab intrinseco, hoc est quòd sit aliquid vel anima, vel ab anima productum; maximè enim est intrinsecum, anima, & per quod anima, tanquam per aliquid sui, agit; Jam autem principium per se infusum, nec est anima, nec producitur ab anima.

Probatur 2. Quia habitui infuso non competit intrinsecitas, adeoque nec definitio habitûs; non competit inquam intrinsecitas, quia est merè ab intrinseco, habetque se ut species materialis ab objecto producta, in ratione extrinseci principii.

Probatur 3. Quando assumeretur lapis per potentiam obedientialem ad producendam v. g. visionem Dei, potentia illa obedientialis, non operaretur ab intrinseco, & tamen illi potentiæ obedientiali, jam non esset supra naturam, operari supernaturaliter; sicut nec ipsi principio supernaturali, est supra naturam, operari supernaturaliter. Ergo sicut in potentia obedientiali quà tali, operari illud, non fundat intrinsecitatem requisitam ad vitalitatem, ita nec fundabit in habitu supernaturali infuso.

Objicitur 1. ex Ariaga. Habitus supernaturales sunt determinati ad operandum, intra proprium subjectum, exigunt item per se esse in illo, quamvis subjectum illos non exigat per se; hoc autem non reperitur, in aliis principiis non viventibus. Ergo apparet, habitus supernaturales infusos, esse quid vivens.

Respondetur. Majorem esse similitudinem habituum supernaturalium cum vita', quam cum aliis principiis non viventibus. Non esse tamen in illis talem similitudinem, quæ fundet prædicatum vitæ; quia deficiunt in principali, hoc est in esse ab intrinseco, & sicut impulsus magis accedit ad vitalia principia quàm ad mortua, neque tamen impulsus est quid vitale, ita & in præsenti.

Objicitur 2. Actus supernaturalis est vitalis, Ergo & habitus productivus ejusdem.

Respondetur. Actus supernaturalis, est vitalis, quia habet id prædicatum, cujus carentia in habitu supernaturali, facit ne habitus supernaturalis sit vitalis, nempe quia est ab intrinseco, cùm tamen habitus supernaturalis, non sit ab intrinseco. Deinde quando plures causæ concurrunt ad eundem effectum, habentem diversa prædicata, non est necesse, ut omnes causæ illa prædicata contineant, sed sufficit ut contineant aliqua ex illis. Sic v.g. quando intellectus concurrit ad actum supernaturalem, sufficit ut alia tantùm concausa sit supernaturalis. Rursus in sententia concedente concursum objecto cum potentia ad intelligendum, concursus objecti non est vitalis, sed solus concursus intellectûs. Deinde quando Deus & Creatura concurrunt ad peccatum, adeoque ad defectuosum aliquid, sufficit, ut una causa sit defectuosa, & sic in reliquis. Cur ergo etiam non sufficiet, ut concursus intellectus ad actum supernaturalem sit vitalis, licèt habitus supernaturalis simul concurrens, non sit vitalis.

Objicitur 3. Habitus supernaturales educuntur de potentia animæ obedientiali, Ergo sunt ab intrinseco.

Respondetur. Hoc ipsum educi, non est sufficiens, ad vitalitatem; quia etiam calor productus ab extrinseco in vivente, producitur de potentia viventis, nec tamen est quid vitale. Sed quid sentiendum de habitu supernaturali acquisito? si producitur ab ipso principio elevato creato, poterit dici vitalis, non poterit autem esse vitalis, si à Deo ipso producitur ad exigentiam actuum, propter paritatem actionis, cum habitu infuso.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de motu.

Quod attinet ad motum localem. Illum negat esse vitalem Ariaga & Oviedo. Affirmat uterque Suarez.

Assero 1. *Potentiam loco motivam esse vitalem.* Ratio quia nostra sententia ut infra videbitur, identificat potentias animę, quę ipsa est vita.

Assero 2. *In Modalistarum sententia dicente motum localem esse ipsummet exercitium potentiæ loco motivæ ad terminũ, motus localis est quid vitale.*

Ratio. Quia nihil deest ad vitalitatem, cùm sit ipsum exercitium potentiæ ab intrinseco.

Assero 3. *Impulsum qui producitur per motum impellentis vitalis produci actione vitali.*

Ratio. Quia tali motui nil deest ad vitalitatẽ.

Assero 4. *Impulsum productum non medio motu, sed media sola gravitate vel aliquo alio simili non produci actione vitali.*

Ratio. Quia producitur à consimili causa, & consimili modo, quo illum produceret lapis, qui indubiè illum non produceret vitaliter.

Assero 5. *Impulsum spectatum penes objectum recipiens extrinsecum*, non esse illi subjecto vitalẽ.

Ratio. Quia ab intrinseco non se movet ad illum, est q; illi violentus, de quo supra.

Dices 1. cum Oviedo. Eadem præsentia, per eandem indivisibilem actionem, per quam producitur motu progressivo, potest produci motu, quo corpus naturaliter descendit deorsum, quòd enim anima rationalis moveatur, determinata proprio voluntatis actu, vel quòd moveatur determinata motu naturali corporis gravis, cui est unita, non infert, neque inducit diversitatem actionis.

Respondetur. Supponit imprimis argumentum, quòd ideo vitalis sit ille motus, quia producit præsentiam, quod falsum est, ut scitum est ex Physicis, quæ docent illam præsentiã esse meram formalitatem; sed etiam hoc transito falsum est, quòd eadem indivisibili actione uterq; motus producatur, progressivus enim producitur ab anima activè: Posterior nonnisi ab impulsu & gravitate. Neque valet quòd principiũ pertingens ad actionem sit idem, sufficit enim quòd non eodem modo se exercet. Transeat ergo, quod eadem præsentia diversis actionibus produci possit. Sed inde non sequitur, quòd eodem modo semper producatur, unde si producitur modo hoc, in quo non habet se passivè sed activè anima, erit motus vitalis ille; sicut eadem pars materiæ, potest nutritione, hoc est vitali actione acquiri ab anima, & non vitali, dum scilicet illi primò unitur anima.

Instabis. Actus voluntatis idẽ manet sive ex hac sive ex illa actione proficiscatur, Ergo & eadẽ actione exercebitur ille motº, sive ad illum se determinet voluntas, s. determinetur gravitate.

Respondetur. Disparitatem esse, quia cognitio, nõ est principiũ Physicè & sufficienter influens, in volitionem; hinc ead. manet entitativè volitio, sive sit hæc sive alia cognitio; unde idem etiam erit motus, sive ab hoc, sive ab alio voluntatis actu imperetur, quia hi actus voluntatis, sunt solum conditiones, applicativæ ad motum; actio autem non distinguitur penes causas applicantes; hinc eadem erit ignitio, s. applicet ignem Petrus sive Paulus; sed non est ead. ratio de ipso principio influente, quia in casu objectionis, si motum principiat nonnisi gravitas & anima ad illum nõnisi se passivè habet, motus ille non potest esse vitalis, quia non est jam ab intrinseco. è contra motus qui principiatur elicitivè ab anima, est actuale ipsius exercitium, nec se ad illum passivè habet, hinc poterit esse vitalis.

Dices secundò cum eodem: Eandem numero

mero præsentiam, quam acquito motu progressivo, ponere potuisset in me aliud agens, Ergo actio productiva præsentiæ non habet immanentiam requisitam.

Responsum supra. Vitalitatem motûs, non esse pensandam ex termino, qui est præsentia, sed ex modo illius acquirendæ; non eodem autem modo, acquireretur, si acquireretur impulsu v. g. quem produceret aliud agens, quia ad hunc nonnisi passivè se haberet anima.

Dices tertiò. Actio, quâ manus seipsam movet, non est diversa ab actione, quâ movet alterius manum; sed quâ movet alterius manum, non est vitalis, Ergo nec prior est vitalis. Major probatur; Quia eadem est ubique præsentia, idem specie motus, idem specie subjectum, Ergo & actio eadem specie erit.

Respondetur. Ad diversificandos hos motus, attendendum est ad diversitatẽ modi agendi; quia motº, quo se movet manus, est immanẽti actione productus: motus autem productus in aliena manu, est productus actione transeunti.

DIFFICVLTAS III.

Quale sit prædicatum Vitalitas.

Alia phrasi idem proponi solet, an actum vitalem Deus, vel alia potentia, supplere possit. Plura huc concernentia videnda erunt, ubi agetur qualenam sit prædicatum libertas.

Dicendum est primò. *Actum vitalem qua talem, seu retentâ vitalitate, non posse à Deo suppleri, vel ab alia potentia distincta.*

Probatur primò. Et esset ille actus vitalis, & non esset, esset quidem ut supponitur, non esset autem, quia non esset ab intrinseco, sed v. g. à Deo vel ab alia potentia.

Probatur secundò, Hoc quod est me agere, non potest suppleri à Deo, quia & ego agerem & non ego; agerem ego quia dicis suppleri à Deo posse, hoc, quod est me agere, & non agerem ego, quia ageret nonnisi Deus adeoq; non ego. Quodsi hoc est me agere non potest suppleri à Deo, Ergo nec id, quod est agere ab intrinseco, potest suppleri à Deo. Quia hoc quod est me agere ab intrinseco, solis verbis differunt.

Probatur tertiò; Hoc quod est supernaturale, non potest suppleri à naturali, ut scil. prædicatum naturalis, sit idem quod prædicatum supernaturalis, Ergo nec id quod est esse ab intrinseco potest suppleri ab extrinseco, tam enim naturale supernaturali, quam intrinsecum extrinseco opponitur; Sed hoc quod est esse actum vitalem, est esse ab intrinseco, Ergo ab extrinseco suppleri non potest.

Dicendum est secundò. *Actum vitalem non retenta vitalitate, seu secundùm solam Entitatem spectatum, posse à Deo produci, vel ab alia causa, à Deo assumpta.* Est conclusio Thomistarum & Suarii Disputatione 48. Sectione secunda num. 9. contra Amicum tomo 3. Disp. 2. num. 80. & alios.

Probatur 1. Entia quæ aliqua prædicata connotativa habent, possunt eadem in Entitate manere, sublatis iis, quæ connotant, modo connotatio illa, non inferat respectum secundo essentialem, qualem dicunt creaturæ ad Deum. Sed prædicatum vitalitatis in actu v. g. cognitionis, est connotativum, & non fundat respectum secundo essentialem. Ergo potest manere eadem entitativè cognitio, & non dicere prædicatum vitalitatis. Major probatur inductione in omnibus connotativis entibus; Minor quoad primam partem probatur, quia vitalitas semper in obliquo importat principium intrinsecum, Ergo est prædicatum connotativum, & sicut relatio dicit esse ad, ita vitalitas dicit esse ab, adeoque utraque formalitas est connotativa. Quod autem non sit respectus ille secundo essentialis inclusus in ipsa entitate actus vitalis, inde probatur, quia non est major connexio actus vitalis quoad entitatem cum principio, quam sit connexio fundamenti quoad entitatem spectati, cum suo termino, connexio autem fundamenti non est talis, quin entitativè idem possit manere fundamentum, non posito tetmino Ergo. Tum quia sicut entia non sunt multiplicanda sine necessitate, sic nec multiplicandæ formalitates ita essentiales, ut ipsis deficientibus stare non possit eadem entitas; nulla autem necessitas & nullum fundamentum ponendæ talis connexionis inter entitatem actûs vitalis & inter suum principium. Tum quia si perpendatur tota definitio vitalis ex illa non inferretur esse essentialem in ipsa entitate inclusam dependentiam à suo principio.

Probatur 2. Quia id non implicat cõtradictionem, ut patebit solutione Argumentorũ.

Probatur 3. Restaurando rationes quas sibi opposuit Amicus, easque solvere conatus est.

Prima Ratio. Libertas non est intrinseca actui libero, Ergo nec vitalitas.

Respondet Amicus, Libertas nequit salvari nisi in potentia, liberum enim enim est quod potest operari & non operari, hoc autem non competit actui, qui dum est, non potest non esse, vitalitas autem maximè competit actui, est enim ipsum exercitium vitæ ab intrinseco perficiens viventem, ultra perfectionem quam à generatione accepit. *Contra*; Tum quia actus liber est ipsum exercitium libertatis, & tamen potest salvari & poni illius entitas, & non à potentia libera, Ergo & actus vitalis poterit poni quoad entitatem, licèt actus vitalis sit exercitium vitæ. Tum quia posse esse & non esse est connotatum actus liberi, tale, ut esse possit ipsa entitas actûs, sine tali connotato, Ergo & esse ab intrinseco, erit simile connotatum actus vitalis, ut sine eo possit esse, quoad entitatem. T. 2. posse esse & non esse infert extrinsecitatẽ libertatis, Ergo & esse ab intrinseco inferet extrinsecitatem vitalitatis, & sicut exercitium actuale libertatis solvatur per Amicum nõ ratione actûs, sed ratione potentiæ, ita & exercitium vitalitatis, salvabitur ratione ipsius principii, non verò ratione actûs.

Secunda RATIO est. Potest Deus producere actum vitę vegetantis quoad totam suam intrinsecam perfectionem, Ergo & actum vitæ cognoscentis.

RESPONDET Amicus negando Consequentiam, disparitatem dat; Quia in entitate actus vitæ vegetantis, nullus includitur intrinsecus respectus ad principium vegetans, secùs in entitate actus vitæ cognoscentis, idque ex eo, quòd actus vitæ cognoscentis atque appetentis, sit ipse activus, vitalisq; conatus, & attentio potentiæ, ad objectum, non per ipsam productionem formaliter, quæ est sola dependentia actûs à potentia, sed per entitatem ipsam actûs. Actus verò vitæ vegetantis, solùm dicit vel intrinsecum incrementum viventis, vel substantiæ genitæ, quæ nonnisi ratione solius productionis, dicit respectum ad principium vegetans. Unde hi actus dici possunt vitales, tantum extrinsecè ratione productionis. Actus autem vitæ cognoscentis, & appetentis sunt vitales intrinsecè ratione suæ entitatis, ratione enim suæ entitatis sunt vitales tendentiæ. *Contra* est: Tum quia in entitate actûs vitę vegetantis, non includitur intrinsecus respectus ad principium vegetans, nec actus vitę vegetantis est activus & vitalis conatus ad ponendum suum effectum, Ergo nec actus vitæ cognoscentis, consequenter si potest Deus producere quoad entitatem actum vitæ vegetantis, poterit & actũ vitæ noscentis; Tum quia falsum est, quòd actus vitæ vegetantis, dicat solum extrinsecum incrementum viventis, vel substantiæ genitæ, ut patet ex supradictis, etsi in vegetatione substantia producta nonnisi ratione solius productionis dicit respectum ad principium vegetans, inferam etiam cognitionem nonnisi ratione productionis, dicere respectum ad principium vitale. Tum quia actus vitæ vegetantis, nonnisi extrinsecè est vitalis, Ergo & actus vitæ noscentis.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT 1. Amicus Auctoritatem S. Thomæ 1. Parte quæst. 34. art. 1. ad 2. ubi definiens verbũ, quod est actus ipse intelligendi, ait esse aliquid ab alio emanans, idemq; dicit de conceptu mentis, & quæst. 2. de Veritate art. 2. ad 5. Omne intelligere in nobis proprie loquendo est dicere, jam autem dicere importat habitudinem ad dicentem & 2da 2dæ. quæst. 23. art. 2. dicit de actu voluntatis esse, ut à voluntate operantis procedat.

RESPONDETUR. S. Thomam asserere quidem, quòd verbũ procedat ab alio, sed non dicit istud procedere esse insupplebilem rationem, & certè aliud est verbum est ab alio, &, verbum secundùm entitatem suam spectatum, non est nisi ab hoc alio. Primum dicit S. Thomas non secundũ. Quod autem Amicus dicit de ratione amoris esse, ut sit voluntarius; si ly voluntarius significet, quòd amor quoad entitatem nonnisi à voluntate procedat, petit principium. Si autem ly voluntarius est amor, idem significet, ac, quòd amor, natus sit procedere à voluntate, vera est propositio; sed nihil contra facit.

INSTAT idem. S. Thomas Activam dependentiam actûs vitalis à potentia vitali, ponit in ipsa definitione actus vitalis, & tamen non ponuntur nisi essentia in definitione.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum, ponitur in definitione veri actus conformitas cum objecto, in definitione actus liberi, ponitur posse esse non esse, in definitione relationis terminus &c. tamen nec veritas actui vero, nec libertas libero, nec terminus relationi est quid intrinsecum, Ergo quamvis actus vitalis per dependentiam ab intrinseco definiatur, non sequitur, ly illud: ab intrinseco esse, importare formalitatem, ipsi etiam entitati actûs innexam. Directè autem ad argumentum dicitur, quòd in definitione entium connotativorum, poni soleant, etiam ea, quæ sunt extrinseca illi connotata, licèt in definitione absolutorum id non fiat.

OBJICITUR 2. Si posset entitas actus vitalis quoad omnia intrinseca à solo Deo produci, sequeretur illam si uniatur potentiæ vitali collaturam suum effectum formalem. Sequela probatur; quia si non conferret suum effectum formalem, vel ideo non conferret, quia activa productio potentiæ vitalis, requiritur ut ratio formalis, quâ potentia attingit suum objectum, vel saltem quia est conditio necessario prærequisita, ut potentia per suum actum, possit objectum attingere. Neutrum dici potest. Non primum. Quia potentia per id formaliter attingit objectum, quod est formalis attingentia objecti. Atqui non productio, sed terminus ipse productionis, est formalis attingentia objecti, quę est intentionalis tendentia in objectum; intentionalis autem tendentia, est formalis expressio, vel inclinatio in objectum, qualis non est ipsa productio; cùm non sit aliud, nisi ipsa dependentia actûs à potentia producente. Non etiam secundum, quia ipsa tendentia activa non requiritur ut ratio formalis attingendi objectum, non apparet cur requiri debeat, nisi ut uniatur actus cum potentia, quæ unio fieret, quamvis à solo Deo produceretur ille actus.

RESPONDETUR. Distinguendæ sunt hæ propositiones: habere intellectionem & intelligere, habere intellectionem non aliud dicit, nisi unitũ sibi esse actum intelligendi, hocq; verificabitur etiam posita intellectione in lapide. Intelligere autem præter capacitatem subjecti, habentis illum actum, notat motum ipsum activum intelligentis, ab intrinseco, per se immanẽtem; hinc eo casu, illa intellectione producta, & posita v. g. in intellectu Petri, non esset Petrus intelligens, quia non se moveret ab intrinseco, ad illam productionem, quæ activa productio non est quidem ratio formalis, tendentiæ in objectum, est tamen ratio formalis, salvativa vitalitatis; quæ sola facit intelligentem, quia sola facit

cit moventem se ab intrinseco, tales autem denominationes, non habentur nisi ex formalitate vitalitatis.

Instat idem primò: Quicunque actus potentiæ cognoscentis, atque appetentis, dicit essentialem respectum, ad intrinsecum principium cognoscens & appetens, tanquam proprius effectus ipsius, Ergo neque secundùm Entitatem à solo Deo producibilis est.

Responsum supra retorquendo argumentum, de veritate, relatione, libertate. Ad maximum, actus notitię, dicit essentialem respectum ad intrinsecum principium, tanquam ad connotatum, salvans suam vitalitatem; sed extra circumstantiam salvandæ vitalitatis, non dicet respectum essentialem.

Instat secundò. Talis respectus ad potentiam, non distinguitur ab ipsa Entitate actus, Ergo si sine hac entitate producatur, non idem producetur.

Responsum supra. Quòd talis respectus secundùm id quod dicit in recto, non distinguatur ab ipsa Entitate actûs, secus secundùm id, quod dicet in obliquo; &, quòd ille respectus, ad potentiam, non distinguatur ab ipsa entitate actûs, in circumstantia retentæ formalis vitalitatis.

Objici potest tertiò. Modi ita sunt determinati ad hanc potentiam, ut aliud principium illorum non possit esse, nisi hæc potentia, Ergo & actus vitales, ita sunt determinati ad hanc potentiam, ut non possint principiari, nisi ab hac potentia. Probatur consequentia, ideo modi non possunt produci nisi ab hac potentia, quia sunt essentialis determinatio hujus potentię; sed etiam actus vitales, sunt essentialis determinatio hujus potentiæ, ex quo principio, infra etiam dicetur, illos non produci per intermediam aliquam actionem. Ergo si modi non possunt produci nisi ab hac potentia, etiam actio vitalis, non poterit produci, nisi ab hac potentia.

Respondetur. Argumentum hoc multum probare, probat enim quod eundem Caimum non poterit generare Abel, non enim potuisset eandem unionem producere sive hæc sit modus sive non sine modo; nam hæc modalitas, nonnisi sibi unũ principium determinat, ut vult objiciens. Directè autem ad argumentum dicitur, quòd modus respectu ejus, cujus est modus, determinat principium, & ita actione Petri non potest agere Paulus, quia actio respectu Petri, habet rationem modi; nihilominus modus non determinat sibi principium, & ita actione Petri, non potest agere Paulus, quia actio respectu Petri, habet rationem modi, unione etiam Petri non potest uniri Petrus, quia unio respectu Petri habet rationem modi; nihilominus modus non determinat sibi principium, si respectu illius, habeat potiùs rationem termini vel effectus; & ita eadem numero unio, potest diversis actionibus produci, nam respectu illarum actionum, habet se per modum termini, quamvis hæc unio ut dixi, non possit esse nisi hujus materiæ & hujus formæ, quia respectu istorum extremorum, exercet rationem modi; sic & in præsenti, actio vitalis respectu hoc, quo, non exercet rationem vitalis, non determinat sibi principium, licèt in quantum exercet rationem vitalis, determinet sibi illud.

Instabis primò. Ex vi doctrinæ nostræ, sequitur, quòd distinguatur ab actu vitali vitalitas, sitque illi aliquid superadditum extrinsecum; siquidem potest esse entitas actus vitalis, & non esse vitalitas, non potest autem dici, quòd vitalitas, sit quid extrinsecum actui vitali, quia nihil vivit per aliquid extrinsecum.

Responsum supra; Quod non possit esse entitas actus in circumstantia productionis ab intrinseco, & non esse vitalis, & à sic sumpto actu, non distinguitur vitalitas, licèt extra has circumstantias, distinguatur à vitalitate; petatur explicatio ex materia de relatione. Quòd attinet ad illud principium: nihil vivit per superadditum; si simpliciter accipiatur, probabit corpus non vivere per animam, nec animari, quia nihil vivit per superadditum: itaque dicta propositio debet sic restringi: quòd nihil vivat per extrinsecum & superadditum, si illud superadditum, vel se non habeat per modum partis, ut se habet anima respectu corporis, vel illud superadditum non se habeat per modum connotati extrinseci quidem, intrinsecè tamen requisiti.

Instabis secundò. Ergo saltẽ deberet actio vitalis per actionem distinctam produci, cùm possit esse entitas actûs, & non esse vitalis; & sicut quia potest esse entitas effectus, & non producere ab hac causa; sequitur illam produci debere per intermediam actionem, ita idem dicendum erit de actione vitali; & tamen huic oppositum infra dicetur.

Respondetur. In Physicis diximus in materia de creatione, quòd possit esse entitas aliqua & non esse creata, tamen si creatur, non est necesse illã creari distincta actione, sic & in præsenti, quamvis possit esse entitas actus vitalis, & non produci ab intrinseco, si producatur ab intrinseco, non sequitur produci debere per actionem condistinctam. Cujus ulterior hæc ratio est; tunc scilicet debere produci effectum per distinctam actionem, qui aliàs potest esse à parte rei, & non produci ab hac causa, quando transitûs à nõ esse causati ad esse causari, sufficiens dari mutatio nõ potest, nisi ponatur modalis entitas. Potest autem sufficiens hîc dari mutatio sine entitate modali, nempe si proficiscatur actio à principio debito, quæ mutatio non sufficit ut dicatur Abel esse filius Adami, quia ejus generatio de se, non minus est debita Adamo, quam Abeli.

Instabis tertiò. Dictam mutationem non esse sufficientem, si enim quæratur: quare hæc entitas actûs cùm potuerit esse & non esse vi-

talis, transeat ad esse vitalis, respondebitur: Quia non proficiscitur à principio indebito, si quæratur, potest esse entitas actûs, & non habere hoc quod est non proficisci à principio indebito, respondebitur; Quia proficiscitur ab intrinseco principio, de quo ipso quæritur, quid sit? petiturque principium, quia respondetur ideo esse actum vitalem, quia est vitalis.

Respondetur. Non peti hoc principium, quia respondere per definitionem actus vitalis, non est respondere petendo principium, sed est dare ultimum responsionis. Quod si ulterius quæratur quid sit proficisci ab intrinseco? & per quid transeatur ad esse proficiscentis ab intrinseco? melior responsio formari nõ potest, quàm faciendo inductionem, & ostendendo, quid sit proficisci ab intrinseco.

Instabis 4. Non potest sufficiens mutatio ostendi ad transitum à non esse causantis ad esse causantis, quòd scilicet nulla alia causa creata se moverit ad hunc effectum producendum. Ergo nec ad vitalitatem sufficiens erit mutatio, quòd non sit producta illa entitas à principio indebito.

Respondetur. Negando Consequentiam, quia ut dicebam in Physicis fieri potest ut omnes assumantur causa ad eundem effectum Divinitus producendum, quo casu non est sufficiens mutatio, cur hæc causa causabit, quia scilicet aliæ non causarent, cùm posset fieri ut aliæ causent, causet tamen & hæc, nec ejus causatio explicari poterit per negationem causantium aliarum causarum. Jam autem si assumantur omnes aliæ causæ ad actum cognitionis producendum, respectu omnium aliarum, non esset cognitio illa vitalis, nisi respectu principii intrinseci & debiti, hinc negatio perfectionis à principio indebito, erit sufficiens, ut hæc nonnisi causa, causet illum effectum, utque ille sit vitalis.

Instabis 5. Hoc quod se ipso dependet ab aliquo principio non potest produci per intermediam actionem, Ergo cùm actus cognitionis per se pendeat à principio vitali, non potest produci per intermediam actionem, quo posito sic ulterius urgetur: Quod non producitur per intermediam actionem, non potest nisi ab hoc principio produci.

Respondetur. Actum illum à principiis indebitis actione condistincta producendum, sed à principio debito sine ulla actione intermedia: quia tamen hoc, quod est dependere seipso, non habet actio vitalis nisi in circumstantia retentæ vitalitatis, sit ut extra hanc circumstantiam, distincta actione produci possit.

QUÆSTO II.

De Divisione Animarum & Subjectis.

Dividitur communiter anima in negativam, quæ plantis convenit, in sensitivam, quæ animalibus, in rationalem, quæ homini, & circa hanc ultimam

Quæri potest: An secundùm gradum intellectui informet corpus Anima Rationalis negat Cajetanus, affirmant communiter reliqui. Commodius sub distinctione respondebitur. Si enim intellectuale sumatur, prout est à parte rei identificatũ sensitivo & vegetativo in anima, sic etiam secundum gradum intellectui informat; quod enim convenit creatæ formalitati, realiter debet convenire & alteri cui identificatur. Si autem intellectivum formaliter, sumatur per ordinem ad nostros conceptus, præcisè; sic sumpta, non est informativa anima corporis, secundùm gradum intellectualis; ex præcisa enim ratione intellectualis, absolvit à corpore.

Sed ante infusionem animæ rationalis præceditné distincta realiter anima vegetativa per quam nutriatur fœtus, & quam postea subsequatur sensitiva, ac denique hac expulsa succedat rationalis. Hæc successio non est admittenda, multiplicat enim Entia sine necessitate, poterit enim rationalis anima, in quantùm habet dispositiones ad vitam nonnisi vegetativam, exercere officium vegetativæ in quantum habet dispositionem nonnisi ad sensationes, exercere operationes sensitivas. In hac resolutione unum difficile est, nam ante quadraginta dies, non infunditur anima fœtui masculo, & tamen fœtus post conceptionem brevi, nutritur sanguine per venam umbilicarem & in abortivo quatuordecim v. g. dierum, si figatur stylus retrahit sese, Ergo vivit & non per animam rationalem, quæ tum non supponitur adhuc infusa. Sed neque id evincit, nam nutritio illa referri debet in vim materialem, & retractio illa in spirituum calidorum copiam; & sicut amputato capite si extemplo pungatur, solet retractio accidere, & non propter animam, sic & in præsenti.

DIFFICULTAS I.

Animaturnè Sanguis?

Affirmat Hurtardus, Ariaga & Oviedo, negat uterque Suarez, Vasquez, Pontius, pensanda sunt fundamenta utriusque partis.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur argumenta partis negativæ.

Primum Argumentum est, quo utitur recentior Suarez. Solæ partes componentes & integrantes corpus informantur ab anima, non verò partes non integrantes. Sed sanguis non est pars componens & integrans corpus, sed solùm pars requisita ad operationes, Ergo &c. Minorem probat authoritate Innocentii: qui condistinguit partes componentes, & has appellat quatuor elementa, à partibus non componentibus; quales sunt quatuor humores.

Respon-

Respondetur. Argumentum hoc fundari in sola voce. Si enim nomine corporis veniant nonnisi solidæ partes, in ista acceptione vocis, sanguis non integrat corpus: si autem sumatur pro toto, quod est condistinctum formæ, sive per modum fluidi, sive per modum solidi, sive compositivè sive integrativè pertinentis, isto sensu, est pars integrans, corpus, sanguis. Quod attinet ad auctoritatem citatam, illa condistinguit quidem sanguinem & alios humores ab elementis, quę dicuntur componere mistum, sed illo loco non negat illos humores condistinctos ab elementis, spectare ad integritatem corporis, imò ex hoc loco, ut infra videbimus, opposita sententia pro se arguit.

Instat Idem authoritate Tridentini Sessione 13. cap. 3. Ubi docet Tridentinum ex vi verborum poni corpus, concomitantem sanguinem, quod non diceret, si pars integrans corporis, foret sanguis.

Respondetur, accipere Tridentinum ly corpus, prout est in usu & significatione humana morali, in qua nomine corporis, non venit sanguis, & tamen ex vi verborum consecrationis panis, debet hoc nonnisi poni, quod ex usu humano, significat corpus solidum. Neq; inde sequitur, quod debuisset addi in forma consecrationis panis, ly corpus solidum, nam sine hoc addito, secundùm usum humanum, ly corpus, supponit pro solido, quamvis enim v. g. aqua licet sit fluida, nihilominus appellatur corpus, inde non sequitur sanguinem etiam nomine corporis venire debere, quia appellatio unius, tali nomine, non inducit appellationem alius, eodē nomine; consequenter appellari potest fluida aqua, corpus; non appellari autem sanguis.

Addit Ariaga, quando dicitur: Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris, non est necessarium, ut hoc verificetur de toto hoc, quod includit homo, sed nonnisi de carne, sic quamvis dicatur vi verborum poni corpus, poni potest non totum id, quod simpliciter est corpus, sed verificari poterit, nonnisi de parte illius, hoc est de solido corpore. Ergo ea ponuntur directè & non concomitanter vi verborum consecrationis panis, quæ subsunt in humana significatione huic voci corpus, quæ vox pro solido hîc & nunc supponit. Cumque ipse Christus contra distinctè à corpore meminerit sanguinis, non debebat directè vi verborum consecrationis panis, poni sanguis.

Secundum Argumentum est Pontii: Anima indivisibilis humana, non potest animare partes discretas, & non continuas, sed sanguis non continuatur cum aliis partibus solidis humanis. Ergo non animatur anima rationali, consequenter nec animabitur anima aliorum animalium. Minor probatur auctoritate Aristotelis lib. 4. Hist. animalium cap. 14. & 2. de parte Animalium, cap. 3.

Respondetur. Majorem esse falsam, nam non nisi homogeneorum est continuatio, & tamen multæ sunt partes heterogeneæ in homine, nihilominùs animatæ, nam non sunt quid homogeneum ossa est caro, imò caro & forte cutis, quæ tamen animantur, sufficit itaque ad id sola contiguitas, totius, habentis unitatem corporis, intentam per se, à natura. Quodsi dicas inter ossa intercedere cartilaginem beneficio cujus totum animatur, nihil evinces; quia illa ipsa ossa, cartilago, & caro, non sunt homogenea, adeoque nec continuata, & tamen ad animandum, illa continuatio requiritur per Objectionem.

Tertium Argumentum est. Sanguis est alimentū viventis, absurdum autem videtur, aliquam partem integralem viventis, esse à natura institutam pro alimento ejusdem viventis.

Respondent multis ad hoc argumentis Hurtadus & Ariaga negat omnem nutritionem debere esse substantialem conversionem ossaqi dicit ex medulla nutriri. Deinde dici potest, id, quod Antonomasticè nomine nutritionis venit, est alimentum ab extra sumptum, sed inde non sequitur, quòd sanguis minus principaliter intro jam positus, non possit dici nutrimentum. Quod autem addit Pontius absurdum videri, quòd una pars viventis, ordinetur à natura, ut convertatur totaliter in aliam partem; id potius probabit sanguinem non esse alimentum; nam si absurdum est partem viventis ordinari à natura, ut convertatur in aliam partem; sic dicam absurdum etiam esse, ut pars non vivens, quæ tamen integrat ipsum vivens, nutriat aliam partem. Unde informa negatur id esse ullum absurdum, quod assumit objectio. Quod autem dicit Mastrius hîc 109. ar. 2. exinde sequi, quòd vivens seipsum destrueret; id non convincit; non enim destrueret sed repararet, cum sanguinis v. g. temperamento destructo substitueret aliam partem sanguinis.

Punctum Difficultatis 2.

Rationes pro animatione sanguinis deciduntur, Difficultas.

Ratio prima est, qua utitur Ariaga & Oviedo ex auctoritate. Quia scil. sanguis, est vera pars hominis, pertinens ad veram ipsius constitutionem. Ergo verè animatur, quia partes totius, debent formâ totius informari. Antecedens autē probatur ex auctoritate Innocentii supra citati, qui docet, aquam & sanguinem, fluxisse de latere Christi, ut ostenderetur, Christum habuisse quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis constitutionem.

Respondetur huic rationi, imprimis ut patet ex textûs verbis à recentiori Suarez citatis, illic non habetur, quòd constituatur corpus à sanguine, sed tantùm quòd sicut sunt quatuor elementa constituentia corpus, sic dentur ad augmentationem consimiles illis humores quatuor, sanguis, cholera, phlegma, & melancholia: & tamen certum est, melancholiam & flavam bilem non vivere. Rursùs transito Antecedente negatur consequentia, quamvis autem partes constitutivæ totius, debeant informari formâ totius, non tamen informari debebunt omnes partes integrantes, etiam non primariæ, qualis est sanguis, nam primariæ qualis est caro, ossa, nervi dicuntur communiter animari, quantumvis sanguis, quia est necessarius ad obeundas functiones animæ, magis ad integritatem corporis spectet, quàm aliæ partes non nisi ad ornatum requisitæ, ut capilli, ungues &c.

Denique posset quispiam dicere, quòd aliud sit quærere, an partes informentur forma totius, & aliud an vivant; nam qui simpliciter omnes formas partiales excludere vellet, dicere posset, quòd omnes illæ partes informentur anima, sed non vivant; quia sicut fieri potest ut anima tribuat primo nonnisi gradum vegetantis, deinde sentientis, idque defectu dispositionum debitarum, sic informare poterit sanguinem, non tribuendo illi gradum viventis.

Dices. Ergò poterit aliquid informari ab Anima, & non vivere.

Respondetur. In sententia quæ negat dari ullas formas partiales, debet dici omnes partes informari ab una eademque forma, & cum doceatur esse aliquas partes in vivente, quæ non vivant, hoc ipso consequenter debet dici quòd informentur aliquæ partes ab anima, & non vivant, si ipsæ non sint capaces, ut vivant.

Secunda Auctoritas est Tridentini. Quod docet per concomitantiam, quâ inter se partes copulantur, sanguinem esse sub speciebus, quod non diceret, si non sentiret corpus & sanguinem esse veras hominis compartes, adeoque animari animâ.

Respondetur. Quod sanguis sit quidem pars integrans, sed non primo integrans Christi, consequenter non debebit esse animatum quid. Addo nec ex vi animati, nec ex vi non animati taxari debet, quid vi verborum directè ponatur. Non ex vi animati, quia si ex vi verborum, non est necesse directè poni animam quare erit necesse ex vi verborum poni aliquid, quia est animatum. Non etiam ex eo debet taxari, non poni aliquid vi verborum, quia est inanimatum, nam directè vi verborum consecrationis panis ponitur quantitas corporis Christi, & tamen illa non animatur.

Tertia Auctoritas. Est Ephesini concilii in Epistola ad Nestorium, ubi dicit: Verbum factum esse hominem, assumptione carnis & sanguinis, unde sentit concilium partes hominis esse carnem & sanguinem, & si una compars, hoc est caro vivit, vivet & sanguis, cum eodem modo, de utraque parte loquatur Ephesinum.

Respondetur. Quod verba concilii nihil dicant de vita sanguinis, quamvis autẽ de utraq; parte eodem modo loquatur concilium, locutio illa accipienda est cæteris paribus, non enim sequetur, ex eo, quia corpus & sanguis sunt partes hominis, eundem jam habere modum essendi partium. Et sicut quando dicitur, homo in pulverem reversurus, non sequitur etiam animam in pulverem reverti, ita quamvis constet homo corpore & sanguine, non sequitur, si corpus vivat, debere etiam vivere sanguinem.

Quando autem dictum est, sanguinem esse partem integralem & requisitam ad functiones animæ, non sequetur etiam aërem esse partem integrantem hominis, eò quòd sit necessarius ad operationes vitæ in homine, nam hæc ratio cæteris paribus accipienda est; deficit autem aër à modo partis, ad integritatem viventis requisitæ, nam si Deus conservaret hominem sine aëre, non diceretur incompletus esse, & exigens aliquid integrum conjunctum, ad sui complementum; & tamen sine sanguine conservatus, esset incompletus homo. Deinde non ordinatur aër ad conservationem viventis per se, hinc omni vivente sublato, non esset necesse corrumpi aërem. Jam autem corrupto vivente, corrumpitur sanguis, propter ordinem quem dicit, per se, ad conservationem viventis.

Ratio Secunda est, qua utitur idem Ariaga, Sanguis est pars hominis ut responsum est, non est autem pars essentialis, nam hæc est materia & forma, utrumque ante unionem incompletum essentialiter, quam incompletionem in se non dicit jam sanguis. Non etiam sanguis est pars integralis, quia si esset pars integralis, deberet esse vivens, nam homo in suo conceptu essentiali, dicit necessario animam rationalem. Ergo pars integralis hominis, dicit necessario partem materiæ unitam illi animæ, semper enim pars integralis totiûs, dicit essentialiter id, quod totum ipsum essentialiter includit.

Responsum jam supra, qualis pars integralis hominis sit sanguis, & qualis pars integralis debeat informari formâ totius. Deinde, nego hominem in suo essentiali conceptu dicere necessario unitam rationalem animam, singulis ejus & omnibus partibus. Nego item, quòd sanguis

sanguis sit pars integralis totius viventis quâ vivens est, licèt sit pars totius viventis denominativè; scilicet in quantùm dicit, totum completum ex partibus, quas continet; sive illæ sint viventes sive non viventes, desumpta viventis denominatione à nobiliori.

INSTAT 1. Ariaga. Anima rationalis in omnium sententia, est totalis & completa forma. Ergo non potest unum facere cum sanguine, si ille non animatur, sed aliam habet formam. Imò ægrè concipitur, quomodo anima uniatur cum forma sanguinis, tum propter diversitatem, tum ex hoc, quòd cum forma sanguinis deberet facere extensionem, sicut punctum materiale additum alteri, facit extensionem & continuationem. Quodsi anima rationalis non continuatur cum forma sanguinis, nec materiæ utriusque continuabuntur, neque poterit esse sanguis pars hominis; nam partes, debent esse inter se unitæ.

RESPONDETUR imprimis. Qui admittunt formas partiales etiam partium viventium, eodem modo discurrent de forma sanguinis ac de aliis formis partialibus; qui autem non admittunt formas partiales, partium viventium, dicent se ita discurrere de sanguine, ac discurrit idem Ariaga, de lacte, semine, & si quid aliud non vivit in homine: sicut ergo ille dicit, non fieri unum per se ex anima & forma lactis, sic illi dicent, non fieri unum per se, ex anima & sanguine, rigorosè loquendo. Nam hoc non constat, nisi iis, quæ se habent per modum materiæ & formæ, vel quæ continuantur; esse tamen unum per se quodam modo, propter subordinationem & ordinem, & bonum totiûs propter intimitatem, &c. similia. Concesso etiam quod illorum materiæ, de quibus hîc, continuentur proportionata continuatione, non sequitur inde, quod cum forma sanguinis faciat anima extensionem, sicut nec facit extensionem anima unita materiæ. Negamus item quod punctum additum puncto, possit facere extensionem, imò concesso etiam hoc, non tenebit paritas; quia nonnisi ex accidenti punctum non faceret extensionem sine alio, si natum sit illam facere in accessu alius puncti; Anima autem rationalis, non est nata facere extensionem, hinc continuata, sive cum materia sive cum forma, habente extensionem vel partes, non facit ipsa extensionem. Addo denique illa propositio: Anima rationalis est forma totalis & completa, si hunc sensum faciat, quod præter illam, nulla alia sit forma, petit principium & apertè falsa est in sententia tenentium formas partiales, cum tamen dicat Ariaga propositionem à se adlatam in omni sententia esse veram.

INSTAT 2. Ariaga. Homo sine sanguine est mutilus; pars autem integralis est illa, sine qua est animal mutilum.

RESPONDETUR à Recentiore Suarez, negando antecedens cum etiam corpus Christi in sepulchro exsangue fuerit, neque tamen illud quispiam appellavit mutilum. Sed pone hominem sine sanguine esse mutilum, non sequitur jam sanguinem animari, licèt ille spectet ad complendam suo modo totalitatem hominis, exigentia autem sanguinis fundatur nonnisi in eo, quod ob humiditatem & fluiditatem suam, pervadat omnes partes corporis, & deserviat ad deferendos spiritus vitales, tanquam vehiculum quoddam, de quo vide etiam citatum Pontium.

RATIO 3. est. Si sanguis non esset animatus non fuisset assumptus à verbo, & tamen fuisse assumptum constat ex materia de Incarnatione. Sequela probatur. Tum quia irrationalem animam assumere non potest verbum. Tum quia aliàs assumpsisset naturas plures, quam unam, posset sanguis denominari Deus & Verbum, cum ipso diversum suppositum constituisset.

RESPONDERI potest negando Sequelam, negando item irrationalem naturam assumi non posse, & quamvis Christus assumpserit unam singularem naturam, quia tamen assumpsit includentem alias incompletas, potuit etiam assumere & sanguinem. Sanguis tamen ille non potuit dici Deus, quia Deus prædicatur nonnisi de eo, quod habet rationem totiûs, ut colligi potest ex materia de subsistentia; quia autem sanguis non habet rationem totius, sic ut etiam de assumpto sanguine non possit dici, quòd sit Deus, sed tantùm, quòd sit sanguis divinus. Quod autem dicitur: diversum suppositum constituendum fuisse ex sanguine & verbo præter jam dicta sic solvitur. Quia si sumatur diversitas, materialis, certum est quia aliud est materiale sanguinis, aliud materiale v.g. carnis, si autem sumatur diversitas formalis, nulla hîc erit, quia utrobique unitum idem verbum divinum. Quanquam ut jam dixi, ex sanguine & verbo, non constitueretur unum suppositum, quia suppositum habet rationem totius, quod non habet sanguis.

INSTARI potest adhuc. Si non animatur sanguis vel datur alia forma substantialis informans sanguinem, vel eadem anima informat eum, non tribuendo illi gradum animati, si alia. Ergo dantur formæ partiales, si informatur sanguis ab anima. Ergo supervacaneè informatur sanguis ab anima, cum illi non tribuat gradum animati.

RESPONDETUR. Imprimis argumentum multum probare, probaret enim lac, semen &c. esse animatum quid. Quamvis autem non tribueret lacti, anima, rationem animati, non erit supervacanea; quia tribuet gradum informati, defectusque non tribuendi gradum animati, re-

ti, rejici debet in defectum dispositionum, de quo etiam aliàs dictum, & quia ipsa anima, non exigit in sanguine istas dispositiones, non ponetur tamen anima ita in sanguine sicut v. g. in lapide, quia in anima non determinat dispositiones sanguinis. Sed concessa etiam forma speciali sanguinis, possunt negari formæ partiales viventis in partibus viventibus, non verò in iis quæ non vivunt, quia in non viventibus collectio accidentium non potest in aliud principium referri, quàm in illam formam partialem. His consideratis pro utraq; parte.

Dicendum est: *Sanguinem non animari.* Probatur: Quia ex una parte nullæ rationes convincunt illum animari, nec habetur in illo signum manifestum vitæ, quale ordinariè admittitur augmentari per intus-susceptionem, ex altera parte sicut non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, sic nec gradus excellentiæ, qualis est esse animatum, unde etiam à simili infertur, nec lac nec semen animari, præcipuè cum lac à sanguine, nonnisi accidentibus differat ex 4. de Generatione animalium capite 8vo, nostram Sententiam docet sanctus Thomas Ima parte Quæstione ultima articulo primo.

DIFFICULTAS II.

De aliis quænam animentur.

Assero 1. *Animari Ossa.* Ratio: Nam si ossa non animarentur partes primò constituentes corpus non animarentur, consequenter primò pars constitutiva animalis non esset animata, sensusque ipse doloris qui est in ossibus, suadet illorum animationem; quodsi in aliquibus ossibus non sentiatur dolor, tamen ob similitudinem cum istis quæ aliàs sentiunt dolorem, animari dicenda sunt. Clarè id docet Aristoteles Primo de Generatione Capite 4.

Assero 2. *Dentes animari.* Ratio, quia augmentantur, & illorũ augmentatio non potest rejici nisi in introsusceptionem, nam dum crescunt dentes, lateralibus partibus augmentatis, non apparet, à quo, extra aggesto, augmententur. Neque valet si dicas dentes non habere terminum magnitudinis, eò quòd attriti continuo usu reparent sese, non inquam valet si id dicas, quia quando assumitur viventia habere terminum magnitudinis, non est iste sensus quod se non reparent, ut se in eodem statu servent, sed quod non excedant certam magnitudinem.

Assero 3. *Capillos vivere.* Ita Ariaga contra Oviedo.

Ratio. Tum quia ita videtur sensisse Aristoteles libro tertio historiæ animalium cap. 10. & de generatione animalium cap. 3. & 4. Tum quia per intus susceptionem nutriuntur unde cum attonduntur, crescunt in cuspidem, proximè, ad partem attonsam; illaque parte molliores sunt; quod utrumque apparet manifestè, vivente arbuscula, si præscindatur, primo constat per experientiam in barbis promissis partiri sese capillos, qualis partitio per frondes arguit in arboribus vitam. Valesius etiam observavit in radicibus capillorum observari fibras, seu venulas quibus attrahunt nutrimentum. Neque valet quod urget Oviedo, nempe in aliquibus equis ita crescere capillos, ut terram verrant, quod notat illos non habere terminum magnitudinis, non inquam valet si dicas, quia hoc bene referri potest in multitudinem materiæ & dispositionum ad capillos debitarum, & sicut quia homines aliqui sunt vel erant valde proceri non sequitur carentia vitæ in illis corporibus, vel quod non habent terminum magnitudinis sic nec in præsenti sequetur, capillos non vivere. Denique cum ordinariè videamus etiam non attonsos capillos ulterius non crescere, ab hac experientia poterimus argumentari quod vivant.

Dices 1. Aristoteles 2. de Generatione animalium cap. 4. docet quod capilli gignantur ex excrementis per virtutem expulsivam inutilis materiæ, quæ per poros propulsa, cum in exhalationes subito non evanescat frigore duratur & exsiccatur, excrementa autem non animantur.

Respondetur ex secundo de generatione animalium capite 4to. Excrementum esse duplex, quoddam absolutè, & ex hoc negatur augeri capillos & excrementum partium primariarum & ex hoc concedo nasci capillos. *Nobilissima, inquit loco citato quæque pars ex concocto sincerissimo primoque alimento, reliquæ necessariæ ac illorum gratia constituendæ ex deteriore & reliquis excrementis.* Quod ipsum ulterius illustrat instantia petita à Patrefamilias, qui cibum liberis meliorem, deteriorem servis, vilissimum dat sociis animalibus. Unde quamvis nata ex excrementis absolutè, non viverent, possent vivere nata ex illo, ut vocat Aristoteles concocto sincerissimoque.

Dices 2. Constare per experientiam, quod mortuorum capilli crescant. Ergò apparet illos non vivere.

Respondent aliqui, quod nonnisi evolvantur, sed hæc responsio non satisfacit. Nam hoc est arbitrarium, nam quis credat teneri illos prius paratos & plicatos, sub cute nec primum tunc eos pullulare cum emicant. Commodius dicetur: Non raro contingere ut fiant aliqua opera vitalibus consimilia, quæ nonnisi ex modo productionis & agendi diversitatem habeant, unde non sunt illi propriè capilli, sed est consimile quid iis, quæ ex putredine arboris nascuntur arboremque obsident, nec sunt vel adeò firma radice forteque tonsi in acumen

non

non desinerent. Quodsi id referatur in ignobilem formam, tamen vegetantem tunc reperibilem? Quod autem in confirmationem nostri asserti adducit recentior Suarez plicam abscissam sanguinem fungere, constat per experientiam, id non ita se habere.

Assero denique. *Vngues vivere.* Quamvis clarius censeantur vivere in sua radice.

Ratio. Quia augentur per introsusceptionem, quæ introsusceptio non est quidem definitivè vita, est tamen illius signum in viventibus materialibus.

Dices. Si ungues per introsusceptionem augerentur, tunc omnes partes æque crescerent, sed non omnes partes æque crescunt, quia si signes unguem punctulis, puncta illa æquè à se distabunt æquè à radice. Ergo non omnes partes æquè augentur, quia deberent à se recedere, & cum illæ maculæ tandem in extremitates deveniant signum est, totum unguem nonnisi per protrusionem augeri.

Respondent aliqui, quod in juvenibus ungues distantiam illarum notularum rei ferant eo, quod plus acquirant quàm deperdant licet in unguibus senum non deprehendatur major distantia. Nec urget quod illa signa tandem in extremitates desinat, ut ex hoc probetur non, augeri illos per intussusceptionem poterunt enim adhuc per fibras bene trahere à radice alimentum.

Responderi etiam posset. Quod si cætera essent paria etiam illa signa magis à se distarent, sed quia obest caro ad latera circumposita, hinc fit ut nonnisi illam partem notabilius vergant, ubi non est obsistentia carnis tandemque in extremitates defluant, forteq; ipsa figura qualem illis natura providit facit ut non possint diducere situm.

Deniq; ipse modus crescendi unguium scilicet latior in extremitatibus ostendit illos vivere, quia etiam dilatantur arbores ratione frondium, & si hic esset nonnisi mera protrusio non esset ratio illius dilatationis, deberet enim proportionari foramini, ut ita dicam per quod protruditur. Quod autē magis crescant in morbis non probat illos vivere, sed ostendit in illis plus reperiri materię ad illorum pullulationem. In his tamen quidquid placuerit teneri potest.

QVÆSTIO III.

De Potentiis Materialibus.

De distinctione potentiarum agetur infra ubi de anima rationali potentiisq; immaterialibus. Ipsæ potentiæ Materiales dividuntur in internas & externas. Externæ sunt, quinque sensus. Internæ autem, sensus communis & appetitus sensitivus, seligemus circa hæc quæ sunt magis disputabilia.

DIFFICULTAS I.

Potestné Sensus ferri in Objectum absens.

Dicendum est 1. *Potentias materiales externas non percipere naturaliter objectum absens.* Probatur experientia: Quia nemo experitur se videre rem absentem, nec audire vocem neminē loquente. Neq; valet si dicas per breve tempus durare posse species objecti, nam quamvis hoc foret verum de aliquibus non tamē universaliter de omnibus, & ita videmus quod species visibiles imitentur naturam lucis, quæ non durant luminoso ablato, quod autem durent aliquantulum species soni sustinet Ariaga. Quod autem non durent species visus, rejici id debet in naturam specierum à posteriori nobis cognitam.

Dicendum 2. *Divinitus fieri posse ut oculus videat objectum non existens.*

Probatur. Quia non implicat contradictionem, ut Deus per suam omnipotentiam producat speciem objecti non existentis uniatq; illam sensorio. Ergo tunc elicietur visio, nam habebit omnia complementa videndi, nec ad sensorium spectat discernere, undenam ortæ illæ species.

Non implicat item ut sine positione speciei suppleat Deus concursum speciei ut compleat potentiam ad eliciendam sibi proportionatam sensationem. Ita docet Oviedo Controversia 4ta animastica Puncto 4to. Contra utrumque Suarez & contra Conimbricenses in quantum docent fieri non posse divinitus ut sine specie produci possit sensatio supplente scil. Deo concursum speciei, ut complente potentiam.

Objicit 1. recentior Suarez. Sensus non possunt ferri extra suum Objectum, qualis est sola res sensibilis, res autem sensibilis non est nisi existens & quæ sit præsens saltem apparenter.

Respondetur. Sensum posse ferri extra suum objectum naturale licet non possit ferri extra suum objectum obedientiale; Nego autem quod intra objectum obedientiale oculi non contineatur objectum non existens. Imò cum eodem modo se habeat in ordine ad præsentari sive in se existens diffundat species, sive ex illo absente construeretur species, censendū erit, quod ad pernoscendum objectum alterutro ex his modo habens ab intrinseco possit moveri potentia, adeoque ad illud noscendum inchoatam ut vocant vim habebit; dico rursus objectum sensus esse sensibile vel in se vel in aliquo locum ejus seu concursum supplente.

Objicitur 2. Impossibilis est visio quæ nihil videat: Ergo visio non existentis objecti est visio quæ nihil videt: Ergo visio non existentis objecti est impossibilis, Major probatur, quia si possibilis esset visio quæ nihil videat, & esset visio & non esset, esset ut supponitur, non esset

esset autem, quia æquè nihil videret ac cum non erat, sed cum non erat, non erat visio. Ergo etiam cum nihil videt non est visio Minor principalis probatur. Quod videt non existens nihil videt, cum & ipsum non existens sit nihil, sed visio non existentis objecti, videt non existens: Ergo nihil videt.

Respondetur. Committi hîc fallaciam Accidentis ex diversa acceptione termini Nihil, quod sic ostenditur in simili. Impossibilis est intellectio quæ nihil intelligit. Sed Intellectio non existentis objecti est intellectio quæ nihil intelligit: Ergo Intellectio non existentis objecti est impossibilis. Porrò hæc diversitas acceptionis termini Nihil in hoc consistit, quia ly Nihil significat non esse objectum, circa quod versetur illa visio & quod non attingat quidquam, & in hoc sensu vera est Major. Ly autem Nihil in minori positum supponit pro objecto aliquo quod videtur quamvis non existens, seu non positum extra causas.

Addo. Quando dicimus videri objectum non existens non est hic sensus quod negatio videatur, sed tantum sensus est videri objectum etiamsi illud objectum non sit præsens, vel non existat.

Instabis. In visione non videntur species ut infra dicetur, sed ipsum objectum quod tunc neque apparenter est, hoc ipsum sic aliter proponitur. In visione duo ex parte objecti pensari possunt. Primò concursus effectivus. Secundò ipsa terminatio, & quamvis illud prius concedatur posse suppleri à Deo, non videtur quomodo rationē terminativam supplere possit Deus præcipuè cum ratio termini sit in genere causæ formalis. Deus autem concursum in genere causæ formalis supplere non possit.

Respondet Oviedo. Objectum pure ex ratione terminandi non influit. Ergo adhuc ut objectum terminet actum non requiritur illius præsentia. Hæc responsio non satisfacit. Nam ex eo quod terminet colligi potiùs debet, terminationem illam suppleri non posse cum nihil suppleat nisi genus causæ efficientis, & certè si suppleret Deus rationem termini, vel suppleret seipso, & sic non illud objectum non existens, sed Deus videtur illa visione, quod est impossibile, vel suppleret faciendo apparentiam objecti, & sic habet intentum objectio, & licet hoc quod est terminare sub ista formalitate nihil faciat physicè in genere causæ efficientis, facit tamen in genere causæ formalis extrinsecæ. Quod autē addit Oviedo non minus terminat actum quo dico Petrum currere Petrus currens quam visio, qua video parietem album, & tamen ad illud prius nō requiritur præsentialiter Petrus currens. Ergo nec requiretur ad visionem existentia objecti, hoc inquā quod addit non convinceret oppositos, quia ab objecto dicerent, terminatur cognitio noñisi intentionaliter, hinc etiam naturaliter non potest intelligi non existens, jam autem visio non terminat objectum physicè, unde etiam naturaliter non existens, videri non potest.

Respondetur 2. Aliter eo casu imprimis visionem non esse visuram speciem sed ipsum objectum, hoc autem quod est illo casu videre objectum nihil aliud erit, quam elicere illam sensationē quam elicuisset potentia si præsens fuisset objectum. Quod si quæres quomodo eo casu objectum terminabit visionem, dico hoc sensu, quia illa visio non erit alicujus alius repræsentatio sensibilis, nisi ejus cujus concursum, completionem, determinationem per speciem &c. &c. supplet Deus.

Quod si quæras: Quod autem assumit Objectio Deum nonnisi in genere causæ efficientis supplere posse concursum formalem, id etiam eo casu verificabitur, quia faciet produci illam visionem, quæ producta fuisset, si præsens fuisset objectum.

Addo. Instantiæ hujus totum hunc cardinem in hoc verti, quia hoc quod est ab objecto absente terminari visionem imaginatur aliquid esse aliud, quàm hoc quod fit ipsamet repræsentatione producta à potentia repræsentante hoc & non aliud, & hoc ipso objectum absens terminat illam visionem, quia illa visio hoc & non aliud repræsentat.

Dicitur 3. ex Conimbricensibus. Sunt externi sensus talis naturę ut tendāt in objecta prout se habent hîc & nunc, i. e. prout conditionibus materialibus situs, distantiæ, quantitatis affecta existunt, adeoq; ut sunt præsentia à parte rei vel saltem ut repræsentantur ut præsentia.

Respondetur. Verum id esse secundum vires naturæ præcisè. Sed eritné illa visio vitalis? affirmativè responderi potest. Ratio, quia erit ab intrinseco parumq; referet potentiæ, sive ab existentia objecti compleatur, ut exeat in suum actum, sive compleatur à Deo in indebitis circumstantiis offerente concursum.

Continuatur solutio Argumentorum.

Objicit 4. Mastrius Disput. 5. num. 23. Cognitio intuitiva per hoc essentialiter ab abstractiva differt, quia dicit respectum transcendentalem ad objectum in se præsens, cum abstractiva notitia prę scindat ab existentia objecti. Ergo cum cognitio externorum sensuum sit intuitiva, & respectus transcendentalis sit realiter identificatus fundamento, non poterit ab intuitivo actu, neq; à Deo separari.

Respondetur. Negando Majorem. De differentia autem harum notitiarum dictum in 1. parte Disp. 7. num. 94. & hîc Disp. 4. quæst. 1ma. Cognitio quidem ex vi cognitionis dicit respectum transcendentalem ad Objectum. Sed nego quod dicat hunc respectum ad objectum in se præsens, nec hoc probatur.

Instat

Instat Idem. Ad hanc notitiam non posset species objecti concurrere, quia hæc ex sua ratione est productiva cognitionis intuitivæ, cùm sit nata repræsentare objectum verè præsens, quare hæc cognitio deberet produci totaliter à Deo.

Respondetur. Negando sequelam; Concedo quòd species sensibilis ex sua ratione sit productiva cognitionis intuitivæ; sed nego visionem objecti non existentis, non fore intuitivam. Concedo quòd illa species naturaliter sit nata repræsentare objectum verè præsens, sed nego quòd obedientialiter non sit nata repræsentare objectum absens.

Objicit quintò Idem Disput. 6ta num. 328. Notitia identificat sibi respectum tendentiæ in objectum ut terminũ & quidẽ tanquam respectum, & quidẽ tanquam spectũ transcendentalem, talis autem respectus identificatur cum fundamẽto, unde quælibet notitia dicit duos respectus, unum in quantum accidens, quo respicit subjectum alium respectum sibi identificat, in quantum notitia quo respicit objectum, & iste respectus est essentialiter primus; quia notitia potest stare sine primo, non potest sine hoc secundo. Essentialitas tamen hujus respectus, quem dicit notitia ad objectum, non est ratione moventis & causantis, sed in ratione terminantis, hoc autem Deus supplere non potest.

Respondetur. Concedo quòd notitia intuitiva identificet sibi respectum tendentiæ in objectum ut in terminum; Sed nego istum terminum debere esse præsentem; Concedo quòd rationem terminantis non possit Deus supplere in objecto, si enim Deus suppleret rationem terminãtis in objecto, jam non illud objectum, sed Deus cognosceretur, hoc enim terminat notitiam quod noscitur, sed quantumvis Deus rationem terminantis suppleri non possit. Nego quod hæc ratio terminantis ab objecto præsentari non possit, quantumvis objectum non sit existens, cùm etiam in abstractiva notitia objectum retineat rationem terminantis, & tamen abstractiva notitia attingit non existentia.

Instat Idem. Intuitiva notitia per hoc distinguitur ab astractiva quòd intuitiva sit rei existentis & præsentis in se, habetque in se annexam relationem realem & actualem ad ipsum objectum. Unde non potest esse talis cognitio nisi cognoscens habeat actualiter ad objectum talem habitudinem, quæ necessario requirit extrema inter se actu & realiter distincta. Unde etiam S. Paulus appellat intuitivam notitiam, notitiam facie ad faciem.

Respondetur. Ex dictis in explicatione notitiæ intuitivæ & abstractivæ, constat, non per hoc quod assumit objectio distingui has notitias; & quidem licèt intuitiva notitia dicat respectum realem actualem ad objectum, non erit necesse objectum illius esse actu præsens & existens; nam etiam notitia abstractiva, dicit relationem realem & actualem ad suum objectum, hoc enim est imbibitum in essentia ipsius notitiæ ut ita referatur ad suum objectum, & tamen notitia abstractiva non indiget existentia objecti. Rursus Omnipotentia dicit relationem realem actualem ad creaturas possibiles ab æterno, nec tamen ab æterno existebant creaturæ realiter. Unde universaliter docetur quòd Relatio transcendentalis non requirat existentiam termini. Talis autem est relatio notitiæ ad objectum. Quomodo autem tunc videnda sit res facie ad faciem, videatur loco citato in prima parte.

DIFFICULTAS II.

De Potentia visûs, tactûs, illæsque concernentibus.

Assero imprimis *visionem non fieri per emissionem radiorum.*

Ratio. Tum quia aliàs Visio, non esset actio vitalis, utpote non nata esse immanens. Quodsi dicas intervenire illic adhuc factionem visionis in oculo; Non stabis jam in tuo sensu, qui ponebat visionem fieri per emissionem radiorum, multiplicasque sine necessitate radios visionis; Tum quia nulla necessitas, & nulla experientia probat hanc emissionem & ex altera parte, alii sensus, operationes suas recepta specie in potentia exercent, sine ulla simili emissione; neque enim sunt aliqui radii ex potentia auditiva emissi qui capiant sonum.

Aliter probat idem assertum recentior Suarez. Quia vel reverterentur illi radii, & hoc non, quia non est credibile, cùm videmus stellam, nostros radios ad illam pertingere in tanta distantia, & reverti. Deinde hæc reversio fieret per reflexionem, & non semper oculus impingit in objectum sufficienter obsistens ac reflectens, & talis est stuppa. Quòd si tales radii non revertuntur, emissio illorum debilitaret potentiam non juvaret. Sed responderi posset huic rationi. Sicut enim credibile est à posteriori, nos videre stellam in tanta distantia, illamque posse jaculari suas species usque ad oculum; sic & oppositi, nisi aliunde convincantur, dicent posse oculum radios suos jaculari. Quod ait de refractione, dicerent oppositi: rem subtilem, qualis est ipse radius, à quocunque corpore refringi posse; & quamvis non refringerentur illi radii, nec redirent ad oculum, non sequetur exinde potentiam debilitandam; quia nulla potentia exercens suos actus, per se debilitatur, nisi ex accidenti, vel ad maximum posset fatigatio admitti in oculo, nonnisi tunc, cùm nos etiam illam experientiâ admittimus. Quando autem inquirit si visio sit per emissionem specierum, cur perspicilliis utamur? ad hoc dici poterit, quòd sicut in communibus principiis, juvant perspicilia,

lia, ad colligendas ſpecies, ita juvare ad colligendos radios emittendos. Hiſtoriis, quæ dicunt aliquos, vidiſſe ſe, ante ſe ipſos, derogari poſſet fides, eò quòd id fuerit mera imaginatio.

ASSERO ſecundò. *Ad hoc ut videat oculus, ſufficit objectum eſſe illuminatum & non eſt neceſſe illuminari medium.*

RATIO à poſteriori eſt, qua aliquis in tenebris conſtitutus videt objectũ à longè illuminatum, & non videt proximum, videret autem ſi eſſet lux diffuſa per medium, idque videtur ſenſiſſe Ariſtoteles 2. de anima textu 2. & libro de ſenſu & ſenſibili capite 2.

RURSUS. Oculi e. g. catorum videntur, ligna item putrida, lapidesque aliqui, & tamen hæc medium non illuminant. Sed poteſtne videri etiam color non illuminato medio videtur negare Ariſtoteles, qui dicit colorem eſſe motivum perſpicui in actu, perſpicuum autem in actu non poteſt eſſe ſine luce. ex 2. de anima textu 31. Videturq; etiam hoc experientia probare; quia ſi luminoſo apponas coloratum, illud non videbis niſi ex propinquo, & in tali diſtantia, & lux illumians coloratum, poſſit etiam illuminare medium; & ſi coloratum non poteſt ſpecies ſuas projicere, niſi in illuminatum medium; nec etiam ſine illo videri poterit. Quòd ſi quæras cur poſſit videri lux, non illuminato medio, non poſſit color, referri id debet in naturam objecti à poſteriori cognitam.

ASSERO tertio. *Quod color qui videtur non ſit lux in extremitate corporis opaci recepta.*

RATIO. Quia mutatio lumine non mutantur colores, ſed iidem manent; nec videtur quomodo lux facere poſſit colorem nigrum. Addo quamvis in Iride, in collo item columbæ, ſint nonniſi apparentes, & in lucem referribiles colores, non ſequitur idem dicendum de aliis, experimur enim illos colores non eſſe permanentes, mutariq́ue cum lumine, ſecus alios.

Quod attinet ad Tactum.

ASSERO; *Illum ſentire qualitatem non tantùm ſenſui vicinam, ſed etiam inhærentem.* Eſt aſſertum Oviedi contra recentiorem Suarez. *Quòd tactus ſentiat qualitatm vicinam.*

RATIO, experientia; quia manus ſentit calorem ignis, qui non eſt inhærens manui, nam ſi inhæreret, immediatè poſt, tantundem ex illo ſentiretur. *Quòd autem ſentiatur calor inhærens manui.*

RATIO. Tum quia aliàs calor febrilis, ſentiri non poſſet; Tum quia ſi non ſentiretur calor inhærens, deberet ſentiri nonniſi à parte vicina. Sed falſum eſt quòd ſentiatur nonniſi à parte vicina; nam fieri poteſt ut toto corpore ſit ſparſus calor febrilis. Tum quia ut addit benè Oviedo, incredibile eſt hominem non ſenſurum calorem, ea parte, quâ corpus ejus combureretur.

DICES primò cum recentiori Suarez; Ex noſtro aſſerto ſequi tactum, ſemper ſentire, quia ſemper illi qualitates inhærent.

RESPONDERI poteſt. Sentire ſemper ſi ſint in exceſſu aut in indebito temperamento & nõ ſecundùm proportionem debitam licèt non ſentiantur ſi ſint in menſura debita. Cujus ratio eſt ipſa experientia, & natura ſenſûs & ſenſibilis.

REDDIT aliam rationem Oviedo, quia ut ſenſatio eliciatur, neceſſe eſt ut anima ad illam eliciendam convertatur, & ab aliis operationibus vacet, quibus diſtrahi poſſet à ſenſatione elicienda, quæ converſio licèt in actu ſecundo fiat, per ipſam ſenſationem, in actu tamen primo, fit per præſentiam intentionabilem objecti apti, ſive per ſe, ſive per ſpeciem impreſſam producentis ſenſationem, quæ intentionalis præſentia, animam revocat, à variis objectis, & illam trahit ad productionem ſenſationis, quando talis præſentia eſt quaſi nova animo. Cùm verò præſentia objecti eſt connaturalis & diuturna, & non de novo adveniens, non ſufficienter animum vocat in actu primo, ut poſtea in actu ſecundo ſenſationem illius producat.

Hic Diſcurſus & ratio Oviedo in multis

NON SATISFACIT. Quia licèt ad operationes aliquas valde intenſas, neceſſe ſit ita converti animam, ut vacet à reliquis, Falſum tamen eſt, quòd debeat vacare ab aliis, hinc cogitans aliquid, poteſt bene comedere, percipereq́; quid comedat, cur ergo non poterit ſentiri calor, manui inhærens, cogitando ſimul de aliis. Rurſus non eſt neceſſe, ut moveatur animus ad eliciendam ſenſationem tactûs, non eſt inquam neceſſe, de novo advenire, aliàs veterem dolorem nemo ſentiret. Denique quia hic totus diſcurſus tandem delabitur, in hoc quòd ſcilicet ille calor, non ſit de novo, ſit connaturalis &c. de quo ipſo quæritur: cur non moveat ſenſum?

DICES ſecundò cum eodem. Nullus alius ſenſus ſentit ſibi inhærentem qualitatem.

RESPONDETUR. Negando, quòd v.g. Sonus & Sapor non ſentiatur à ſenſu, in quo recipitur, ſuppoſito præcipuè, quòd iſtæ qualitates, nõ per intermedias ſpecies, ſed ſpecies moveãt ſenſum.

DICES tertiò cum Eodem. Quia tactus ſentit mollitiem & duritiem, quæ non eſt in ipſo tactu.

RESPONDEMUS. Non negamus ſentire poſſe à tactu aliquid, nõ inhærens tactui, ſed inſuper dicimus ſentire poſſe aliquid inhærens ipſi.

DIFFICVLTAS III.

De Senſibus Materialibus internis.

ASSERO imprimis *dari ſenſum internum.* Ratio; quia niſi daretur ſenſus internus in brutis, non eſſet cur repeterent loca, ubi paſcuntur, quę non vident hîc & nunc, nec poſſent dignoſcere voces Dominorum & cętera ſimilia. Deinde ut advertit Maſtrius hîc Difficultate 5. num. 246. indubiè animalia diſtinguunt dolorem à ſapore, hinc canis pictam ad vivum carnem non vorat, & tamen hanc diſtinctionem coloris à ſapore non percipit ſenſus externus, quia

quia non potest potentia aliqua cognoscere distinctionem inter aliqua duo, nisi utrumque possit apprehendere, unde si unus homo cognosceret tantùm album, & alter tantùm nigrum, neque aliquis illorum solus, nec ambo simul, perciperent differentiam inter album & nigrum, nullus autem sensus externus se solo apprehendit colorem simul, & saporem, referri ergo id debet in sensum communem. Quod autem etiam in hominibus detur sensus cõmunis, ratio est, quia agnoscimus nos diversitatem gustabilis & adorati, & quidem sensibiliter, Ergo cùm intellectus sensibiliter non noscat, notitia hæc debebit in aliud principium referri, & hoc principium est sensus communis.

Assero secundò. *Sensum communem, in quantùm dicit vim percipiendi Objecta particularium sensuum eo nomine vocari.* Idemque principium in quantum non dependet à præsentia objecti externa, vocari sensum internum; Item in quantùm cudit imaginem vocari imaginativam; In quantùm confundit varias species vocari phantasiam, in quantum autẽ retinet species transactarum operationum sensibilium, vocatur memoria sensitiva, & in quantùm proponit objecta appetitui sensitivo, sequenda vel vitanda vocatur æstimativa.

Ratio asserti ex una parte, quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate, ex alia parte nullum est fundamentum ponendę inter ista, realis distinctionis.

Assero tertiò. *In homine hæc identificari omnia animæ.* Ratio eadem quæ & prioris asserti, quę infra fusius proponetur, Ariaga in Disputatione 5. animastica tota Sect. 5. examinando an sensus internus percipiat negationes multa discutit, quæ hic attingenda sunt.

Punctum Difficultatis I.

De variis actionibus Sensus communis.

Sub hoc titulo quærendum imprimis venit, cur bruta terreantur umbrâ hominis.

Respondent Aliqui, quia per species nigredinis apprehendunt ibi hominem.

Impugnat primò hanc Responsionem Ariaga; Quomodo scilicet per speciem nigredinis concipiant bruta hominem; An quia putant illum esse nigredinem, vel umbram illam, esse nigredinem, & sic concipiunt rigorosa entia rationis. *Hæc impugnatio*

Non satisfacit. Nam non sequetur exinde fieri à brutis rigorosa entia rationis, nam ea nonnisi confunderent, quæ sensibus subsunt, talia autem confundere, non est facere ens rationis, ut alibi dicitur. Deinde fieri potest ut tantum simultanea apprehensio umbræ & hominis illos terreat, quo casu non fit Ens rationis, quia simultanea duorum possibilium apprehensio non facit Ens rationis, nam hæc simultanea apprehensio, nõ identificat umbrã v. g. & hominẽ.

Impugnat secundò. Quomodo species de nigredine excitari possunt, nam ab ipsa umbra non possunt excitari, quia hæc est purum nihil, purum autem nihil non habet vim quidquam excitandi, etsi ex eo excitantur illæ species, quia immediatè percipiunt umbram, hoc ipso concedetur virtus cognoscendi carentias & negationes sensu communi, quod negatur communiter, quamvis id asserat Ariaga. *Hæc impugnatio*

Non satisfacit; Quia tota illius Difficultas transferri potest ad ipsum sensum externum, quidnam scilicet ille tunc percipiat videnter oculis umbram, si enim dicas quòd non videat, contra erit quia non se æquè tunc habet oculus, ac cùm est constitutus in tenebris; si dicas videri umbram, jam oculi objectum non erit solum coloratum cum umbra utpote nihil, colorari non possit. Quòd si dicas videri tunc lucem ita terminatam, dicent etiam oppositi, videri idem à bruto, per hancq; excitari sibi speciem hominis.

Impugnat tertiò Ariaga. Si tegatur murus panno nigro usque ad ipsam terram, non tentabit canis egredi per illum pannum, quòd si reperiatur porta aliqua vel foramen, etiamsi post foramen illud, nihil videatur, statim canis rectà, ac non casu, fertur ad foramen, Ergo foramen illud non concipitur per modum nigri. *Hæc impugnatio*

Non satisfacit; Quia quicquid sit, an percipiatur illa umbra per modum nigri, quòd canis tendat potius ad foramen, non inde est, quòd sensus illius, distinguat inter nigrũ, & illã umbram: Sed quia recurrunt illæ species locorum quibus pertransiit sentitque instigationem ut etiam modo pergat, quò pergebat ante; immò & ipsa aura ducit illum, ad illuc transeundum redibitque & retorsio facta, quidnam scilicet tunc percipiat, sensus externus canis, qui tamen aliquid percipere debet, ne independenter à sensibus dicatur brutum aliquid operari.

Contra hanc ipsam retorsionem hoc adferri potest, quia nullam rationem adfert suæ responsionis, nec ostendit quomodo per species nigredinis apprehendatur homo.

Respondet secundò aliquis apud eundem Ariaga, brutum se reflectere per sensum internũ supra suos actus, ideoq; quia videt ibi lucem & illic non videt, noscit ibi non esse objectum, & hoc modo percipit negationes.

Impugnat primò hanc responsionem Ariaga, quia inde sequitur bruta discurrere, non enim immediatè percipiunt negationes, sed hoc quasi modo, video colorem hîc, & ibi nihil video, Ergo ibi nihil est. *Hæc impugnatio*

Non satisfacit; Quia quando oculus videt lucem, & cùm non videt umbram, sensus internus dicit, circa hoc non versari visum, seu nullam dari actionem videndi, quod certè potest fieri, sine ullo discursu, nam illis actibus positis in sensu interno, quorum uno dicit, hoc

videt oculus, & quo dicit, circa hoc non versatur visus, ulterius non procedit ut inferat, nihil hîc esse, sed in prioribus duobus actibus sistit. Quòd si non procedit ad tertium, non discurrit, quia discurrere est progredi, ex duobus in tertium.

Impugnat secundò Idem. Sequi ex hac responsione, quòd bruta, non tantùm percipiant suos actus, sed etiam suam substantiam, dicunt enim, Ego non video, *Hæc Impugnatio*

Non satisfacit; Quia si per cognoscere suam substantiam, non aliud intelligatur, quàm habere notitiam experimentalem, ut ita dicam, qua percipiat se famescere, se percuti &c. id certè brutis denegandum non videtur. Quòd si per ly suam substantiam cognoscere, non aliud intelligatur, quàm cognoscere, Prædicatum præcisum substantiæ, id falsum est; sed nec sequitur, concedi debere, ex responsione facta.

Respondet tertiò ipse Ariaga, quòd quando v. g. bruta cognoscunt murum album, foramina &c. percipiunt per sensus positivum aliquid, jam autem Deus infundit illis species ut formentapprehensiones negativas. Addit Idem in apprehensione formata vi illarum specierum inditarum non agnosci à brutis negationes propriè, brutaque attendere semper ad objectum reale. Item quando faciunt comparationem sui cum brutis majoribus vel minoribus, non cognoscunt propriè negationes, sed cognoscunt objectum positivum, nempe corpus suum & alienum. Addit inferiùs, quòd quando ad foramina recurrit canis, ut per illa evadat, quamvis non videat ultra foramen aliam lucem, formattalem apprehensionem, nihil est ibi, eo modo quo illam formant pueri, qui non dicunt non esse ibi nigrum rubrum &c. sed dicunt nihil est. Sic etiam bruta apprehendunt in illo foramine nihil esse, adeoque audacter introeunt. *Hæc Responsio*

Non satisfacit; Quia si nihil obsit & tota Difficultas aliter salvari possit, non est recurrendum ad Deum; quid autem ad Difficultatem respondendum sit, ex infra dicendis collige sub hoc titulo.

Quærendum secundò venit, ut etiam quærit Ariaga, cur v. g. ursus projiciens lapides, seligit nonnisi minores, hæc enim selectio in urso, cæterisq; animalibus, videtur adstruere cognitionem parvitatis, adeoq; carentiam magnitudinis, consequenter videtur adstruere id negationum cognitionem.

Respondet primò aliqui apud Ariaga, quòd eo casu percipiant bruta res parvas, sed non eorum parvitatem.

Impugnat hanc responsionem Ariaga; Quia illi lapides qui sunt parvi, ob parvitatem, formalissimè sunt utiles urso, Ergo non appetit solam positivam eorum lapidum Entitatem, sed sub hac quasi circumstantia, quòd sint exigui. *Hæc impugnatio*

Non satisfacit. Quia quamvis appetantur lapides ab urso exigui, negari potest quod appetantur, quia sunt exigui, sed solo impetu & instinctu ad lapidem tantùm, quantus oculis monstratur ferri bruta; Et certè per ipsum Ariaga, potest cognosci tantitas, & talis terminatio luminosi, sine formata apprehensione, de negatione quà tali. Ergo idem fieri potest, cùm appetit ursus parvos lapides. Denique non est negandum quòd oculus videat hunc lapidem esse magnum, & hunc parvum, & tamen non sequitur negationem qua talem, minoritatemque qua talem ab oculo attingi.

Contra tamen hanc responsionem est, Quia non explicat, quomodo attingendo parvum lapidem ursus, non attingat parvitatem quâ talem.

Respondent secundò alii apud eundem Ariaga; Quòd bruta cognoscant carentias per sensum internum.

Impugnat hanc responsionem Ariaga, inquirendo unde sensus habeat species illarum carentiarum, cùm externi sensus illas non percipiant. *Hæc impugnatio ex dictis*

Non satisfacit, quia licet carentiæ qua tales non percipiantur à sensibus externis, percipitur tamen id, quod in re sunt illæ carentiæ, nempe tantum coloratum.

Punctum Difficultatis 2.

An in Sensu interno dentur Species insensatæ?

Sicut in primo Puncto, ita nec in præsenti, quidquam decernetur, sed pensabitur nonnisi Doctorum sensus.

Status difficultatis est; An res quæ sub sensum non cadunt, cognoscat sensus internus, v. g. amicitiam convenientiam rerum & cætera similia, quæ per sensus externos non percipiuntur, ita ut etiam ad illas notitias, habeant species, quæ quia non desumuntur à sensibus, sint insensatæ. Admittit has species Ariaga, Disp. 6. animastica Sect. 1. Subsectione 7. Negat illas recentior Suarez Disput. 1. de speciebus numero 74. & Oviedo, Controversia 13. Puncto 2. negat Pontius Disputatione 49. num. 94. & quidem recentior Suarez negat quidem species insensatas, sed concedit cognosci ea, quæ sub sensus non cadunt. Oviedo autem & negat species, & negat talia objecta cognosci.

Ad negandas Species insensatas.

Primum Argumentum Pontii est Ipsemet intellectus, non potest absque discursu considerare objectum, sub ulla ratione, sub qua non percipitur à sensibus sibi subordinatis, Ergo neque potentia materialis, quæ non potest discurrere, percipiet illa objecta.

Respon-

Responderi potest. Negando Antecedens. Sine enim ullo discursu, per appetitum sensitivum, appetit homo v.g. umbram, vel aquam, vel baculum sibi porrectum, dum in aqua periclitatur. Addo sicut finem potest velle brutum, & non formaliter propter finem, nec ex ullo discursu, quamvis homo ordinariè finem appetat ex discursu, sic fieri potest, ut id quod ordinariè nonnisi per discursum percipit homo, sine ullo discursu, percipiat æstimativa bruti.

Secundum Argumentum ejusdem est. Quia ad actum illum de Objecto non sensato, nihil potest determinare potentiam. Non ipsum objectum sensu perceptum externo, supponitur enim, illud objectum, non percipi sensu, non etiam specie sensata, quia species lupi objicitur alteri lupo, nec tamen eum determinat ad odium, sicut determinat ovem, non etiam se determinat ipsa potentia, quia illa est indeterminata, non etiam omnia illa simul quia si ovis educaretur simul cum lupo, non perciperet lupum sub ratione disconvenientis, aut inimici.

Respondetur. Determinationem illam oriri à specie insensata, & ut educata ovis non timeat, habet speciem per quam cognoscit lupum, ita secum cohabitantem ferum non fore, quod nullus sensus percipit, diceretque aliquis cum Ariaga has species à Deo infundi, alius diceret formari ab ipsomet sensu communi bruti, qui sufficienter determinatur, per aliqua sensata, ut procedat ad alia quæ sunt insensata v.g. ex æstu quem sentit, determinatur ad capiendam umbram.

Tertium Argumentum ejusdem est. Potentia interna æstimativa ovis v.g. non potest percipere lupum, nisi percipiendo illum vel tanquam inimicum actualem, vel tanquam inimicum aptitudinalem, utrumque autem percipitur nonnisi per species sensatas. Quod ipsum probatur, non potest concipi per modum inimici actualis, nisi percipiat molestiam ab illo illatam, quæ non percipitur nisi sit sensibile aliquid; Non etiam illum concipit tanquam inimicum aptitudinalem, quia non potest apprehendi aliquid per modum calefactivi, nisi præcesserit experientia quod id calefaciat. Ergo nec potest percipere ovis lupum aptitudinaliter inimicum, nisi præcesserit notitia, quod nocuerit, hoc autem spectat ad sensum. Addit item, casus qui adferuntur à tenentibus notitiam insensatam, esse tales, in quibus actualis experientia præcessit.

Respondetur. Hoc addito, infringi argumentum, falsum enim est quod canis non iret ad umbram, nisi fuisset expertus illam refrigerativam, falsum item quod avis non sentiret suam prolem primo allatam nisi prius fuisset ablata, & tamen ablatio illa est aliquid insensatum. Negatur itaque universaliter, quod aptitudinalis disconvenientia, vel convenientia sentiri non possit, nisi propter præcedentem experientiam. Quod autem dicit Mastrius hîc Disp. 5. numero 259. ideo dolere v.g. vaccam ablato vitulo, quia species vituli in memoria existens, movet sensum vaccæ, ad cognitionem, & appetitum, ad amorem, & quia non adest cognitio visiva in oculo, hinc sensus communis cognoscit vitulum absentem. Quod inquam dicit Mastrius, non convincit, quia difficultatem proponibilem de objecto insensato, transfert ad negationem cognitam, nempe ad negationem cognitionis visivæ, quæri ergo potest quomodo sensus internus extendi possit ad noscendam negationem cognitionis visivæ, unde item habeat species ad noscendam hanc negationem, quomodo item noscitur vitulus absens, non cognita negatione illius in illo loco.

Pro speciebus insensatis hæ sunt rationes: videndum est quî solvat Pontius in oppositum objecta.

Prima Ratio est. Ovis fugit lupum non propter colorem aut figuram, sed quia inimicus est suæ naturæ; avis etiam congregat festucas, ramusculos, non quia id delectat sensum, sed quia est utile ad nidificandum. Ergo ovis percipit inimicitiam lupi, & avis utilitatem paleæ, festucarum, & cætera, quæ omnia sunt insensata.

Respondet Pontius, Molestiam quam sentit ovis viso lupo, causari ab accidentibus externis lupi, hanc autem molestiam naturali instinctu fugit, sine cognitione ulla, præter cognitionem objecti externi sic molestantis, hinc fit ut unus lupus, videns alterum lupum, non fugiat illum, fugiat autem ovis, quia propter diversitatem illam, complexio ipsa, & accidentia illa lupi, possunt bene causare molestiam ovi, non lupo. Aves etiam solo instinctu naturæ moventur ad nidificandum.

Contra. Tum quia redit instantia supra facta, posito quòd simul sint educati lupus & ovis, cur non incutiat ille terrorem, hæc non percipiat timorem. Tum quia illam molestiam vel causat species impressa lupi vel species expressa. Non impressa, quia hæc non terrefacit lupum, & tamen est eadem quæ in ove. Nec etiam molestat species expressa, quia hæc non exprimit plusquam possit beneficio speciei impressæ quæ ut dictum, non est terrefactiva. Tum quia illam molestiam vel percipit aliquod principium cognoscitivum vel non percipit, si non percipit, quomodo imperat fugam appetitui sensitivo, qui cum sit cæcus illuminari debet de illa molestia causanda. Quodsi illam molestiam percipit principium cognoscitivum. Ergo percipit sensus internus bruti. Ergo ille percipit aliquid insensatum, quo enim sensu illa molestia percipitur.

Punctum Difficultatis 3.

Deciditur tota Difficultas.

Dicendum est I. *Sensum internum attingere objecta insensata.* Probatur primo, quia datur instinctus ad objecta insensata. Ergo debet dari & cognitio objectorum insensatorum. Antecedens probatur, quia in instinctum refertur ovis fuga à lupo tanquam inimico, collectio item palearum in avibus ad nidificandum & similia. Consequentia probatur, quia ille instinctus vel est dictamen aliquod tenens se ex parte potentiæ æstimativæ, vel est imperium tenens se ex parte appetitûs sensitivi. Ex utroque autem sequitur dari cognitionem objectorum insensatorum. Quod probatur, quia si ille instinctus tenet se ex parte potentiæ æstimativæ, cum instinctus instiget ad insensata, & sit quasi actus æstimativæ, fit ut sicut cognitio non potest non tendere in objectum quod noscit, ita nec possit instinctus insensatum non percipere, si circa illud versatur. Quodsi instinctus tenet se ex parte sensitivi appetitûs, cum appetitus sensitivus sit cæcus, ut fugiat vel prosequatur illud objectum insensatum, à pravia cognitione illuminari debet.

Probatur II. Si non perciperetur à sensu interno objectum insensatum, fuga v. g. ovis à lupo viso, referri simpliciter deberet, in solam antipathiam, sed non potest referri in solam antipathiam. Tum quia antipathia non potest pervertere ordinem naturæ in agendo, qui est ejusmodi ut potentiam appetitivam, præcedat cognitio. Tum quia antipathia vel est competens nonnisi noscitivis vel non noscitivis etiam, si competit etiam non noscitivis. Ergo non potiori titulo refugit ovis lupum, quam humor ligni refugiat ignem, refundendo se in partem non accensam, quod improbabile videtur, nam entia quò sunt perfectiora eò per actus perfectiores provident suæ conservationi. Quodsi antipathia convenit nonnisi cognoscitivis, fuga e. g. ovis à lupo, inexplicabilis erit sine notitia insensatorum. Tum quia multa sunt, quæ nec in antipathiam, nec in Simpathiam referri possunt, ut cum canis quærit januam, egressurus.

Probatur III. Quia ex communi sententia, sensus internus, percipit diversitatem inter sensationes externas, sed hæc est quid insensatum, ut probatur. Quia illa diversitas, sita est in comparatione & negatione unius de alio, ut ita dicam, quid autem sensationis habet, comparatio & negatio de alio?

Confirmatur. Quia sensus externus non percipit motum, & sensus internus percipit illum. Ergo aliquid percipit sensus internus, quod nõ percipit externus. Antecedens quoad primam partem probatur. Quia sensus externus tantum percipit objectum præsens, motus autem includit & præteritam & præsentem præsentiam. Quoad secundam partem probatur. Quia si motum non perciperet sensus internus quomodo percipiet fugam leporis canis venaticus, eumque insequi appeteret.

Respondet Oviedo. Contr. 13. Animastica Pun. 2. Sensum internum non percipere negationes.

Contra. Hoc ipsum est quod negatur, quod autem addit sensum internum percipere æquivalenter motum, quia habet memoriam præsentiæ, quæ præterit, & simul cogitationem præsentiæ quæ modo est; qui duo actus quasi æquivalent cognitioni motûs & per illos excitatur canis ad prosequendum leporem. Sed neque id convincit. Quia hoc quod est præteritum, est aliquid insensatum. Ergo si canis habet memoriam præsentiæ, quæ præterit, cognoscit aliquid insensatum. Memoria enim est actus cognitionis, æqualisque videtur esse difficultas, concedere cognitionem insensati objecti brutis, atque illis concedere memoriam præteriti motûs.

Objicitur. Ex vi hujus conclusionis sequi, quod concedi debeat, etiam discursus brutis.

Respondetur. quòd non. Nam discursus in communi sententia, ex ratione sua generica, debet esse actio spiritualis. Jam autem illa sensatio interna, non est spiritualis. Rursus, discursus ex ratione sua specifica, debet inferre unum ex alio, & cognoscere unum tanquam connexam causam cum alio, tanquam cum quodam effectu in linea noscendi, quam connexionem, non attingit sensus internus, de quo fusius in materia de actibus humanis, Disp. 5.

Instat. Oviedo. Sensus internus non est discursivus. Ergo non infert unum ex alio; Ergo per species unius objecti non potest aliud cognoscere, consequenter non habet principium ad cognoscenda objecta quæ prius sensata non fuêre, cum etiam homini, non infundantur species insensatorum objectorum, qui tamen est nobilius agens.

Respondet Ariaga, à Deo infundi illas species, præcisa etiam formalitas hæc, quod à DEo aliquid infundatur, nec in Angelis nec in brutis, arguet præcisè perfectionem. Quia sicut non habere esse nisi ab alio, non arguit perfectionem, sic nec arguet habere species nonnisi ab alio, hoc est Deo. Aliunde ergo erit pensanda perfectio specierum, hoc est ex entitativa perfectione, universalitate, modo repræsentandi objectum. Sed ad DEum hîc recurrere Philosophicum, non videtur. Hinc aliter

Respondetur. Concedo sensum internum non esse discursivum, consequenter per species

cies unius objecti non potest aliud cognoscere illativè. Sed nego quod non habeat principium cognoscendi objecta quæ prius non fuerunt sensata, nempe ipsum sensum internum, qui etiam ad talia se extendit. An autem, & unde ad talia insensata species habeat, de hoc mox

Dicendum secundo. *Quando ovis per sensum oculi advertit v. g. lupum, sensus etiam internus percipit lupum, qua perceptione posita per sequelam naturalem posset dici quòd exerceat sese antipathia circa suum objectum*, quo exercitio posito, sine ulla ulteriori specie disconvenientiam lupi statim cognoscit ovis, & postea illuminat appetitum sensitivum ad fugam ejusdem. Quod autem dico de antipathia, proportionaliter, dicendum est de sympathia, quòd scilicet posita sensatione externa, percipiat objectum illud etiam sensus internus, qua perceptione posita, sympathia naturalis exercet suum officium, quo posito, convenientiam agnoscit sensus internus & illustrat appetitum sensitivum, ad prosecutionem illius.

Dicendum est III. *Ad præsentiam vel objecti sensati vel speciem ejus vicariam producit sensus agens internus speciem objecti insensati, quando objectum insensatum percipiendum est.* Dixi sensus agens externus, quia sicut datur intellectus agens cujus officium est species impressas fabricare, ita sensum internum fabricativum speciei materialis, ad percipienda insensata appellare possumus sensum agentem.

Probatur Conclusio. Quia posito quòd sensus internus sit noscitivus objectorum insensatorum, debent dari etiam species insensatæ, totum id probant rationes, quæ ostendunt necessitatem specierum in universum. Tum quia quamvis non appareret tanta necessitas specierum, in circumstantia præsentis objecti proportionati, aliàs sensu, actu percepti; tamen extra hanc circumstantiam, notitia salvari non potest sine specie, sæpe autem noscunt bruta v. g. objectum absens. Tum quia tenet paritas, quæ suaderet non dari species impressas ullas. Ita enim posset argui. Percipi potest objectum insensatum à sensu communi sine ulla specie. Ergo etiam ab intellectu objectum intelligibile, & ab aliis sensibus objectum sensibile percipi poterit, sine ullis speciebus.

Posito autem quòd debeant dari, species insensatæ, debebit dari principium illarum productivum, hoc non est objectum ipsum insensatum, non objectum aliquod sensatum non denique Deus. Ergo illas producet sensus internus agens. Quid enim aliud quod species insensatas non producat objectum ipsum, ratio est, quia illud objectum est non raro non Ens, Cum autem productio specierum sit Physica, non Enti, tribui non poterit. Et sicut Ens materiale, non producit species spirituales, quia sunt altioris ordinis, ita nec poterit non Ens producere Ens, quia plusquam ordine distant inter se Ens & non Ens. Non etiam species insensatas producit objectum sensatum. Ratio quia lignum non producit speciem impressam adamantis. Ergo nec objectum sensatum producit speciem insensatam; non enim minus differunt sensatum & non sensatum, quàm lignum & adamas, quod ipsum in hoc resolvitur. Quia species est vicaria objecti. Si ergo objectum est sensatum, effundit etiam sensati speciem adeoque non insensati. Non etiam species insensatas producit ipse Deus. Tum quia hoc non est Philosophicum asserere. Tum quia quòd Deus potest facere per causas secundas præsentis rerum ordinis, id semper, per illas facit, sicut enim natura, ita nec Deus, qui est natura naturans, in necessariis deficiunt. Potest autem Deus id facere per sensum internum prout agentem. Tum quia species spirituales in anima non producit Deus, sed intellectus agens. Ergo & species insensatas producet sensus agens.

Dixi in secunda conclusione, quòd quando oculus ovis aspicit lupum, timetque ovis, quòd inquam non sit necesse ponere aliquam speciem impressam ut excitetur affectus timoris, & tamen admitto sensum internum agentem, quia aliàs dicetur infra, ubi de speciebus, quod non ita clarè appareat necessitas specierum, quando adest præsens objectum, quod actu noscitur sensu externo. Hic autem conclusio tertia loquitur, de specie objecti insensati.

Solvuntur Objectiones.

Objicit I. Mastrius Disput. 5. n. 256. contra conclusionem secundam. Si vera est doctrina illa de Antipathia & Sympathia, sequeretur, quòd quando objectum aliquod habet naturalem convenientiam cum duabus naturis specie diversis, ab æstimativis earundem deberet percipi, ut conveniens, quod falsum est, nam multæ herbæ sunt medicinales & convenientes nobis & brutis; & tamen nos apprehendendo speciem unius herbæ existis, experimur nos non percipere, illam convenientiam. Ergo nec in brutis movebit species illa æstimativa illorum ad cognoscendam convenientiam, aliàs deberemus ponere sensus internos perfectiores in brutis, quàm in nobis, cujus oppositum fatentur omnes, propter propinquitatem cum potentia intellectiva.

Respondetur. Si naturæ specie diversæ habeant æqualem sympathiam v. g. & æquè intensam, circa aliquod particulare objectum, tunc æqualiter utraque natura percipiet convenientiam, secus si non sit sympathia æquè intensa. Unde inter feras species distinctas, est æqualis appetentia convenientiarum herbarum, quia & æquè intensa, quam intensionem

in hominibus non haberi, ostendit à posteriori experientia. Cumque aliunde natura providerit homini præsidium, nempe per intellectum, & non à Sympathia, concedi potest, quòd per illam vincatur homo à brutis; & sicut vincitur homo à multis feris per externos sensus, licet sub alia formalitate, etiam sensus externi in homine sint nobiliores, ita idem dicendum de sensibus internis brutorum, comparatis ad sensum internum hominis, indubieq; in multis brutis sensatio externa bruti est melior sensatione externâ hominis; ita concedi potest sensus internus in bruto melior.

Objicit 2. Idem accidentia externa lupi non sunt disconvenientia ovi, sed potiùs natura ipsa lupi species autem sensibilis, solum repræsentat accidentia lupi, non naturam. Unde si ovis, mutaretur quoad accidentia externa in lupum, non idcirco esset alteri ovi disconveniens.

Respondetur. Natura quidem lupi, est disconveniens ovi, sed mediis accidentibus, quæ dum sui ingerant speciem, terrent ovem. Et si ovis mutaretur quoad externam speciem in lupum, ipsa quidem mutata ovis, non sentiret se incitari in aliam ovem, verè tamen aspiciens ovis, terreretur illis accidentibus; sicut canes terrentur à puero, lupum vel ursum simulante, induendo illorum pellem, & per terram reptando.

Objicit 3. Idem Quæst. 4. num. 55. contra conclusionem tertiam. Ideò ponitur intellectus agens, ut transferat objectum de ordine materialium, in ordinem spiritualium; quæ actio à phantasmate fieri non potest, unde non admittitur intellectus agens, respectu objectorum spiritualium. Ergo cùm objectum sensibile, ut percipiatur à sensu, non indiget, ut transferatur de ordine in ordinem, non erit multiplicandus sensus agens.

Respondetur. Sicut est distinctus ordo materialium ab immaterialibus, ita est distinctus ordo sensibilium, ab insensatis; & de fabricatione specierum, respectu objectorum insensatorum procedit conclusio. An autem totaliter an partialiter sensus ille agens, producat speciem insensatam, conformiter discurritur, ac de intellectu agente. Addo quòd immeritò supponat objiciens, non dari species spirituales intelligibiles, spiritualium objectorum.

DISPU.

DISPUTATIO II.

De Anima rationali secundùm se.

COmmunia prędicata animæ, vel sumi possunt pro communibus genericè, & in istis convenit cum aliis animabus, petiq; possunt ex dictis supra de Anima, ut quod sit actus corporis, quod sit vita &c. Sumi etiam possunt prędicata communia animæ, pro communibus specificè, vel si mavis dicere, pro prædicatis animæ rationalis, in se spectatæ, ut quòd sit spiritualis, quòd indivisibilis, perfecta &c. similia. *Sit*

QVÆSTIO I.

De spiritualitate Animæ.

PRono hunc titulum, ad servandam potius methodum, quàm ad discurrendum de eodem. Quia in materia de Angelis, discurrendo de incorporeitate Angelorum, manet explicata ratio Entis spiritualis ut sic. Quanquam ut verum fatear, colligiq; potest ex inibi dictis, non potest formari conceptus aliquis Entis spiritualis, per exigentiam radicalem maximæ subtilitatis, ipsam subtilitatem, pro aliquo substantiali accipiendo. Hac ergo quæstione in illum locum rejecta. *Sit*

QUÆSTIO II.

De Indivisibilitate Animæ rationalis.

ITa hîc tractabitur de prædicato indivisibilitatis, ut simul etiam attingatur prædicatum divisibilitatis animarum, alicubi reperibilis.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum de Anima rationali?

DIcendum est 1. *Animam rationalem esse indivisibilem in partes essentiales*; hoc est, non compositam ex materia & forma.

Probatur 1. communiter. Si constaret anima materia & forma, esset ens completum, si esset ens completum, non posset facere cum corpore ens per se, adveniret enim tanquam quid completũ parti incompletæ, h. e. corpori.

Respondebis ex Ariaga. Si anima componeretur ex materia spirituali, & sua Entitate, posset adhuc dicere ordinem ad materiam, ut ita dicam, materialem. Et sicut anima, in omni sententia, in quantum informat, dicitur actus; in quantum recipit accidentia, dicitur subjectum; sic materia illa spiritualis, respectu materiæ materialis haberet se per modum actûs, respectu verò ipsius animæ, tanquam materia & subjectum.

Contra. Tum quia, ut urget Oviedo, si ideo illa forma est incompleta, quia ordinatur cum sua materia, ad aliam materiam, dici etiam poterit, quòd compositum illud, adhuc posset ordinari ad aliam materiam: & hoc compositum constans jam tribus materiis, ad aliud compositum, constans quatuor materiis. Tum quia. Si forma componitur ex materia & sua Entitate, quæro, illa ratio aliûs partis, quam tu appellas actum, an sit composita, vel non? Si non est composita: Ergo neq; prior est composita, cur enim hæc potius exigeret componi, quàm alia? Si autem etiam illa altera pars, adhuc est composita, quæram de illa ipsa adhuc, & sic aut dabis processum in infinitum in istis compositionibus, aut devenietur ad aliquam formam, non compositam, & hæc sola, potiùs erit verè forma. Tum quia, non esset ratio, cur potiùs non fieret tunc aggregatum tantùm ex tribus: illa scil. forma ita composita, & ex materia; non autem fieret unum per se; cùm tamen forma, ordinetur per se, non ad aliquod constituendum aggregatum, sed ad constituendũ unum per se.

Probatur 2. Subjectum primum, non est compositum: Ergo nec actus primus, est compositus; sed forma est actus primus, est enim quid correlativè respondens subjecto primo: Ergo forma, non est quid compositum. Antecedens primum probatur, simulq; consequentia. Quia si subjectum primum, & actus primus, supponeret aliud subjectum, & alium actum, utrumq; illud primum, non esset primum.

Probatur 3. Forma, vel dicit essentialem ordinem ad subjectum primum, vel non dicit: si non dicit, forma non est; dicere enim talem ordinem, de ratione formæ est, utpote informativę. Si autem dicit essentialem ordinem ad subjectum primum, supponere priorem materiam non potest, hoc ipso enim non diceretur ordo essentialis ad subjectum primum.

Respondebis. Respici subjectum primum à forma, sed non sub formalitate primi, cum possit forma per prius respicere materiam, ex qua componitur.

Contra. Tum quia, non implicat contradictionem forma, respiciens subjectum primũ, sub ratione primi: nec apparet, cur non omnis forma, debeat esse talis. Tum quia immeritò jam appellaretur subjectum primum, materia, cum ante illam detur prius, h. e. materia ipsam formam componens. Tum quia, sicut creatura refertur ad Deum, non tantùm ut causa est, sed ut causa prima est, ita & forma, referetur ad subjectum primum, etiam quà primum est.

Dicendum 2. *Animam rationalem carere partibus integrantibus.* Plures pro hac conclusione adferibiles rationes examinat Ariaga hîc disp. 1. sect. 4. subsec. 8.

Probatur 1. ratione, quæ communiter censetur esse efficacior. Quia si anima rationalis est.

lis esset divisibilis, abscisso brachio, pars correspondens brachio, vel ipsa etiam abscinderetur, vel non. Si non abscinderetur, quomodo esset divisibilis. Si abscinderetur, quæro, vel maneret separata ab aliis partibus, vel non maneret. Si non maneret. Ergo corrumperetur, falsum autem est animam esse corruptibilem. Si maneret? ubinam maneret? possetné una pars damnari, alia adhuc mereri salutem, & cætera similia.

Respondebis ex Ariaga, quod posset pars animæ abscisso brachio, uniri aliis partibus animæ, non informando tamen, illas partes materiæ, quas præinformatas ab aliis partibus animæ, inveniret.

Contra est. Quia arbitrariè asserit istam unionem partium animæ, cum aliis partibus, & si aliæ divisibiles partes aliarum animatum, post abscissionem non se sibi uniunt, cur hæ se uniunt. Imò illæ partes, ut urget Oviedo, essent in statu separationis à corpore, utpote quod non informarent, consequenter possent operari independenter à corpore. Et quamvis diceres, has nonnisi partes, quæ sunt in capite, esse intellectivas, deberes saltem etiam illis, operationem aliquam spiritualem attribuere, concedereque quòd de facto detur aliquid substantiale spirituale, non tamen intellectivum.

Respondebis 2. ex eodem Ariaga. Quòd quantumvis anima sit divisibilis, habeat tamen modum existendi, consimilem corpori Christi, ut scil. sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quo casu, etiamsi abscinderetur brachium, nullam adhuc partem animæ, admitteret homo.

Contra est. Quia nulla est necessitas, & nullum fundamentum, tribuendi divisibilitatem animæ, & partes. Deinde modus existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, est modus existendi rerum non habentium divisibilitatem, ita ut divisibilia existere eo modo, non nisi divinitus possint; hinc, si concedatur talis modus existendi animæ, isq; connaturalis, hoc ipso negabitur illi divisibilitas partium.

Probatur 2. Illud Ens spirituale, habens partes divisibiles, & existeret connaturaliter totum in toto, & totum in qualibet parte; & non existeret. Non existeret quidem, quia esset divisibile, divisibili autem, ut dixi, connaturaliter non competit talis modus existendi. Haberet autem talem modum existendi, quia esset Ens spirituale, cui non potest competere modus existendi corporum, ut scil. pars parti commensuretur. Respicit hęc ratio illud principium, quod scil. omne Ens determinet sibi modum existendi, quo, aliud, saltem connaturaliter, existere non poterit. Ita *Deitas* determinat sibi ubiquitatem, corpora commensurabilitatem, & spiritus, ubi est, ut sit totus in toto, & totus in singulis partibus, connaturaliter.

Objicitur 1. Si anima non haberet partes, & indivisibilis, posset informare corpus divisibile, etiam divisum & separatum informare posset. Quia non plus subjecti informaret, quàm informet, informando magnum aliquod corpus.

Respondet Recentior Suarez unam formam, ordinari nonnisi ad unam materiam. *Hæc Responsio*

Non satisfacit. Cur enim dissitæ materiæ, non erunt per modum unius, sicut sunt per modum unius plures partes materiæ. *Neq; valet si dicas*, quod una anima constitueret hinc duo composita. Cur enim illi hoc tribui non poterit, modo in utroque, non plus sit materiæ, quàm aliàs in uno. *Neque valet*, si recurras cum Oviedo, ad aliquam organisationem. Quia in duplici loco non potest esse Angelus, vel anima; & tamen organisatio ad hoc non requiritur. Non ergo impotentia informandi duo corpora separata, rejici debet in defectum organisationis præcisè, quærereque restabit, cur organisationem partium, nonnisi unitarum, requirat anima.

Respondetur aliter. Quantumvis non plus esset materiæ in separato corpore, quàm in partibus unitis, nihilominus duas separatas materias, non posset informare anima, quia esset in pluribus locis adæquatis, quod non potest contingere sine replicatione, quæ ipsa non est naturalis. Et sicut si ponamus sphæram locabilitatis Angeli, A, esse unam leucam, posset præsentem se facere Angelus, toti leucæ sine replicatione, & tamen solis extremis partibus leucæ, non se posset præsentem facere, sine replicatione; debetque se facere præsentem etiam medio; sic & in præsenti; aliàs distaret anima à seipsa, nec esset ratio, cur non plus & plus distas posset informare materias. Sicut posito quòd aliquid semel posset operari in distans, non esset ratio, cur non posset in magis & magis distans operari.

Objicitur 2. Quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Sed recipiens animam est divisibile. Ergo & ipsa anima est divisibilis.

Respondetur. Sicut non sequitur ex eo, quòd recipiens animam, sit corporeum, etiam animam esse corpoream; sic nec sequetur in præsenti, esse divisibilem animam; & ad Majorem verificandam, sufficit, quòd recipiatur secundùm capacitatem subjecti forma, quæ capacitas, est quasi mensura recipiendi.

Objicitur 3. Si est indivisibilis anima quomodo salvari poterit, quod eadem duplici motu contrario non moveatur, nec habeat præsentiam duplicem.

Respondetur. Anima sine ulla sui replicatione, ex vi modi existendi spiritualibus debiti, habet quandam virtualem multiplicitatem. Vi cujus multiplicitatis virtualis, principiat motus diversos, moveturque tota in toto, & tota in qualibet parte, licèt ipsos motus contrarios ipsa non

non recipiat, sed recipiuntur in diversis organis, in quibus fiunt, existensque tota in toto, & tota in qualibet parte, habet etiam ubi (quod est mera formalitas) totum in toto, & totum in qualibet parte; adeoque nec habet præsentiam duplicem.

Quæres. *Cur materiam majorem & majorem, modo unitam, non possit informare eadem forma.*

Respondetur. Quia organisatio, transmissio spirituum, & alia ad vitalitatem requisita, requirunt determinatam magnitudinem, certum spatium &c. consequenter anima, in informatione, ab his dependens, quamcunq; molem informare non potest.

DIFFICULTAS II.

An soli Animæ rationali indivisibilitas competat.

De viventibus perfectis, qualia sunt bos, leo, &c. & de viventibus imperfectis, quales sunt plantæ, insecta &c. procedere potest quæstio. Et de plantis quidem non est tanta difficultas, quia abscissus ramus, colligitur vivere; proximè enim insertus floret, radicem agit &c. quæ omnia animam indicant. Si enim indivisibilis esset anima, ramum & truncum informans, quomodo posita divisione, utrumq; informaret. *Neque valet si dicas*, aliam tunc produci animam; quod enim agens producit illam; in Deum etiã tanquam auctorem naturæ, id rejici non potest. Quia Deus agit ut auctor naturæ, ad exigentiam creaturarum: quæ autem est exigentia in ramo, ad producendam novam animam trunci. *Neque valet si dicas.* Idem accidere ramo inserto, quod grano, quod aliam vitam habet, dum est in spica à se genita, & aliam, dum erat in spica, à qua primò producebatur. Non inquam valet si dicas, quia ramus, si emoriatur, nunquam viresceret. Ergo apparet, quod si insertus crescat, habuerit vitam. Jam autem granum exsuccidum, mortuum, nonnisi post corruptionem vivit, consequenter aliâ numero vitâ. De insectis communius docetur, quod animam habeant divisibilem. Nam partes serpentis dissectæ, saliunt, tactæ, retrahunt se. Unde colligitur, illas partes vivere. Sed si id quisquam referre vellet in spiritus remanentes, ægrè convinci posset. Nam etiam circumfertur experientia, quod homo recenter decollatus, & aciculâ punctus, retrahat sese.

In præsenti de hoc est difficultas, an perfecta animalia, habeant animas divisibiles.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum de Animabus perfectorum animalium.

Dicendum est. *Perfecta animalia habere animas divisibiles.* Ita Scotus, Suarez, Hurtado, Ariaga, Oviedo.

Probari solet 1. Forma materialis equi, educta de potentia materiæ, sufficienter dependet à materia, quam informat in primo instanti generationis. Ergò illa materia est causa adæquata illius. Ergo quando equus augetur, non potest habere dependentiam, à materia, acquisita per nutritionem. Ergo produci debet nova pars formæ, quæ incipiat dependere à nova materia. Ergo equus jam nutritione adauctus, constat partibus formæ. Nempe una parte formæ dependente à materia, quam in generatione habuit, & alia parte formæ, quæ dependet à materia, per nutritionem acquisita.

Respondebis ex Ariaga. Quia fieri potest, ut prior materia accessu aliûs per nutritionem acquisitæ, temperet suum concursum, & admittat concursum aliûs materiæ, & ita ab utraque dependeat partialiter, ita tamen, ut casu quo una deficiat, altera vicem talis causæ, habere possit.

Contra. Non apparet, quî possit attemperari concursus causæ materialis. Nam quod in genere causæ efficientis attemperari possit, inde est, quia agens non applicando, & non exercendo totam vim suam activam, diminuat suum concursum; sed in causalitate materiali, quæ est mera passio, sustentatio &c. non apparet quî id fiat. Et sicut non apparet, qui sol actu attemperet suum concursum illuminativũ, in circumstantia lucis alius; sic nec in præsenti.

Probari solet 2. Si forma materialis esset indivisibilis, deberet esse tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Hoc autem dici non potest. Quia is modus existendi, est proprius rerum spiritualium; & hoc concesso materialibus, elevabitur magnitudo miraculi in Eucharistia, in qua miraculosè corpus Christi existit totum in tota hostia, & totum in qualibet parte.

Responderi posset; modum existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, esse debitum titulo indivisibilitatis, non spiritualitatis. Quia verò corpus Christi, titulum indivisibilitatis non habet, fit, ut talis illius existentia sit omnino miraculosa.

Contra. Si modus existendi totius in toto, & totius in qualibet parte, sequitur titulum indivisibilitatis, etiam puncta materialia, deberent eundem modum existendi participare; quod non concedent oppositi: præcipuè quia arbitrariè dicitur, quod prædictus modus existendi, sequatur titulum indivisibilitatis.

Probatur 3. Forma indivisibilis, & tamen materialis, hoc ipso quia est materialis, educitur de potentia materiæ. Si educitur de potentia materiæ, vel educitur ex materia divisibili, vel ex materia indivisibili. Si educitur ex divisibili materia, quæro, an educatur tota ex tota materia, & tota ex qualibet parte? Si non edu-

educitur tota forma, ex tota materia, & tota, ex qualibet parte: Ergo non salvas quòd indivisibile ex divisibili educatur. Non enim aliter quàm dicto modo, indivisibile ex divisibili educi potest. Si autem forma indivisibilis, educitur ex divisibili materia, tota scil. forma indivisibilis ex tota materia, & tota ex qualibet parte materiæ. Ergo dabuntur plures causæ adæquatæ totales ejusdem Entitatis. Quia scil. unicuique parti materiæ, conveniret totaliter esse causam adæquatam, ejusdem formæ indivisibilis, quod naturaliter repugnat. Quodsi forma indivisibilis educitur ex indivisibili materia. Contra erit. quia Thomistę non agnoscunt indivisibilitatem materiæ. Deinde etiam concursus cõservativus deberet esse indivisibilis, sicut & prima productio, & tamen concursus conservativus, dicitur esse attemperabilis, adeoque non sistens in indivisibili.

Objicitur 1. Nullum est fundamentum, admittendi formas divisibiles; præcipuè, cum sicut posita abscissione pedis humani, nihil planè operatur pes humanus; sic nec operatur pes equi abscissus. Imò quamvis adhuc operaretur, quæri adhuc posset, an id, in aliud, quàm in animam, referri non posset; ut quæritur, cur interdum truncatum caput, decollati immediatè, post ictum pronuntiet: v. g. JESUS.

Respondetur. Fundamentum esse ex rationibus adlatis. Quod autem æquè non operetur pars bruti ac hominis abscissa, in id referri debet, quia ad operationem requiritur certa organisatio, dispositio, transmissio spirituum, & cætera similia, quæ non habentur, si bruto præscindatur pes.

Objicitur 2. Possibilis est anima indivisibilis brutorum, dependens à materia divisibili, nec est ratio cur eæ, quę defacto dantur, non sint indivisibiles.

Respondetur. Non apparere quidem implicantiam claram, quod tamen defacto non sint indivisibiles, probant rationes adlatæ.

Objicitur 3. Si animæ materiales sunt divisibiles, tunc pars leoninæ animæ, & erit anima, & non erit. Erit anima, quia ita se habebit sicut gutta aquæ, quæ etiam est aqua. Et non erit anima, quia hæc est actus corporis organici; pars autem animæ non est actus corporis organici, sed est actus solius organi.

Respondetur. Animæ partem esse animam partialiter, licet ex usu humano, non appelletur simpliciter anima. Nec obest quod pars animæ, sit, nonnisi actus organi. Quia esse actum corporis organici, spectat ad animam totaliter acceptam, non verò ad animam partialiter, & non integraliter acceptam. Et sicut in humanis, dicitur interdum, non est hîc totum vinum, quamvis id, quod est, sit etiam vinum; ita & absciſſa parte animæ leoninæ, non erit tota anima leonis, licet remanentes partes, sint etiã anima.

Objicitur 4. Ex eo, quod anima rationalis intenta uni operationi, cesset ab aliis, rectè infertur illam esse indivisibilem. Ergo cum etiam animalia perfectiora, intenta uni operi, cessent ab aliis, rectè inferetur, animas illorum esse indivisibiles.

Respondetur. Sicut ex multitudine operationum, quæ simul proficiscuntur ab anima rationali, non rectè inferretur ejus divisibilitas, sic nec ex illa revocatione ad unam operationem, rectè inferretur ejus indivisibilitas; præcipuè cum illa revocatio, possit referri in inopiam spirituum, comprincipiorum defectum, conditionem agentis, à posteriori cognitam.

Objicitur 5. Percussus canis totus se movet, ad se defendendum. Ergo apparet indivisibilem esse animam illius.

Respondetur. Motum illum referri posse in sensum communem, qui illuminat appetitivam sensualem, de malo imminente. Hoc verò, despoticè movet potentias loco motivas, & alia organa, ad avertendum impendens malum.

Objicitur 6. Albedo educta de subjecto dulci, non debet esse dulcis. Ergo nec forma educta è materia divisibili, debet esse divisibilis.

Respondetur. Cum ipsa dulcedo, non sit id, ex quo educitur albedo, nec influat in illam, hinc albedo educta è subjecto dulci, non debet esse dulcis. Quia autem forma materialis, educitur è subjecto divisibili, & ipsa divisibilis debet esse.

Objicitur 7. Nulla necessitas multiplicandi partes formæ materialis.

Respondetur. Necessitatem ostendi, adlatis rationibus.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur argumenta Recentiorum.

Maurus quæst. 27. docet probabilius esse, quòd animæ perfectorum brutorum, sint indivisibiles. Insectorum autem animas, putat esse divisibiles, sed in partes potentiales.

Objicit 1. Si anima cognoscitiva & appetitiva canis, aut serpentis, constat ex partibus actualibus vel plures partes simul cognoscunt & appetunt, vel una tantùm. Si una tantùm, quæ non constet ulteriùs ex partibus actualibus: Ergo anima cognoscitiva & appetitiva, non constat ex partibus actualibus. Si plures partes cognoscunt & appetunt: Ergo sunt plura formaliter cognoscentia & appetentia; taliter autem plura, per nullam unionem possunt constituere, unum formaliter, cognoscens: sicut plures animæ rationales, quantumcunq; unirentur penetrativè, in eodem corpore, adhuc non possent constituere animam unam cognoscentem. Si verò dicatur, quòd ita omnes partes simul cognoscant & appetant, ut non simpliciter seorsim cognoscant & appetant.

Con-

Contra est. Quia ità, nec tota multitudo, cognoscet & appetet; Sicut exercitus ex eo videt solem, quod singuli milites videant solem.

Respondetur. Quod attinet ad Objectum difficultatis contentæ; illud in hoc versatur, an sit concedendum quòd omnes partes animæ bruti, concurrant ad cognitionem v. gr. de quo infra. Qui diceret, omnes partes animæ concurrere ad cognitionem, consequenter diceret, quod ita concurrant, sicut concurrunt omnes partes rogi, ad objectum distans igniendum, quantumvis poneret illam cognitionem, nonnisi in cerebro exerceri. Sicut etiã ignitio fit, in aliqua determinata parte passi; eruntque plura formaliter cognoscentia, hoc est plura partialia, ad eandem notitiam fabricandam concurrentia, sed non plura cognoscentia, adæquata; & licet plura cognoscentia adæquata, non possint inter se uniri, quales sunt animæ rationales, hoc enim ipso, quia sunt cognoscentia adæquata, excludunt rationem unibilium: plura tamen cognoscentia inadæquata, quorum termini sunt idem, hoc ipso quia termini eorum sunt idem, benè uniri possunt, & sicut quamvis lapis & arbor, per nullam unionem constituant unum; tamen plures ignes, partialiter ad igniendum concurrentes, constituunt unum igniens; ita & constitutivæ partes, animæ bruti, ad notitiam concurrentes, unum noscens constituent, licèt non possint constituere unum noscens, plures animæ rationales. Consequenter ad dicenda infra, defendi debet, quòd tantùm pars animæ bruti, residens in organo notitiæ fabricandæ, producat notitiã, licet illa pars, habeat etiã plures partes; quomodo autem illis partibus competat uniri, jam dictum est. An autem illæ actu, an potentiâ distinguantur, proportionaliter discurrendum, ac de partibus continui. Hæc autem consequentia non tenet. Si una tantum pars cognoscit, quæ non constet ulterius ex partibus actualibus, Ergo anima cognoscitiva & appetitiva, non constat ex partibus actualibus. Non unquam tenet, quia illud productivum notitiæ, licèt ipsum non habeat partes, poterit esse ipsum pars, comparatum ad residuum animæ bruti perfectius; aut habere partes potentiales, licèt non habeat partes actuales, adeoque nec esse, indivisibile quid.

Instat Idem. Quia vel duæ partes animæ, cognoscunt per duas partes cognitionis, vel non. Si non per duas partes, Ergo cognitio illa, non constat duabus partibus, quarum una sit in una parte animę, & altera pars notitiæ, in altera parte animæ, nec extenditur cum suo subjecto. Ergo multò magis non extenditur ipsa anima bruti, sed erit tota in toto, & tota in qualibet parte. Si autem dixeris partem animæ bruti, cognoscere per diversam partem cognitionis, apparet magis impossibile, quòd plura cognoscentia, per diversas cognitiones, constituant unum cognoscens.

Respondetur. Cum divisibili, proportionatus effectus divisibilis sit, etiam illa notitia, profecta, à partibus animæ divisibilis, divisibilis erit; poterunt que plura illa cognoscentia inadæquata, constituere unum cognoscens: Sicut plures partes ignientes, constituunt unum igniens, & plures partes cognoscibiles, constituunt unum cognoscibile, præcipuè cùm non sit necessaria major unitas, inter partes cognitionis & cognoscentis, quam inter partes cognoscibiles.

Quæres, cur plura adæquata noscentia, uniri inter se non possint, possint inadæquata.

Respondetur. Plura cognoscentia adæquata, hoc ipso quia adæquata sunt, dicunt rationem totius, adeoque excludunt formalitatem actus & potentiæ, formalitatem item potentium habere eosdem terminos: quod non competit inadæquatis noscentibus.

Objicit II. Idem. Ex operatione propria cujuscunque formæ, innotescit modus essendi talis formæ. Sed animæ brutorum, per operationes cognoscendi & appetendi, secundùm idem intentionaliter, uniuntur, toti objecto cognito. Ergo uniuntur etiam physicè toti formato subjecto, & omnibus partibus subjecti.

Minor probatur. Quia cum anima canis cognoscit & appetit panem, quem videt, eadem pars animæ, quæ cognoscit & appetit totum panem, cognoscit & appetit omnes partes illius; neque enim potest fingi, quòd prima medietas animæ, cognoscat & appetat solùm primam medietatem panis. Immò si nulla pars animæ cognosceret totum panem, neque tota cognosceret totum panem; ad eum modum, quo, si ex duabus intellectibus, neuter cognoscit totum binarium, sed singuli singulas unitates, neque etiam uterque intellectus, cognoscet formaliter binarium. Item si intellectus per quatuor cognitiones, cognoscat seorsim quatuor unitates, & non sit cognitio, qua cognoscat, simul dicendo, quatuor, iste intellectus non cognoscet formaliter quatuor. Ergo à fortiori, si plures partes animæ bruti, diversis cognitionibus cognoscunt plures partes panis, tota anima bruti, non cognoscit totum panem, & tamen canis cognoscit & appetit totum panem. Ergo per eandem partem animæ cognoscit totum panem, & ejus partes, & unitur intentionaliter toti pani, & partibus illius. Sed anima cognoscitiva & appetitiva, habet esse proportionale, ad suam operationem cognoscitivam & appetitivam. Ergo sicut operatio cognoscitiva & appetitiva, tota, afficit totum objectum, & tota, singulas partes objecti, ita anima cognoscitiva, tota est in toto subjecto, & tota in singulis partibus objecti.

Respondetur Imprimis, hæc probatio,

nihil habet de indivisibilitate animæ brutorum perfectorum, & divisibilitate animæ insectorum in partes porentiales: cum tamen id probari debuerit. Hinc jam patebit retorsioni locus, an scilicet animæ insectorum, divisibili cognitione noscant objecta; redduntque argumenta facta. Si autem animæ insectorum noscunt indivisibili cognitione, & ipsæ debent esse indivisibiles, cum anima, debeat esse proportionata suæ operationi. Retorquetur rursus argumentum. Sit statua v. gr. ænea, quam trahant diversa animalia, non est imaginabile, quòd hoc animal trahat crines effictos, illud dentes, sed idem animal, debet trahere totum, & partes illius: numquidne jam tractio, partes non habebit divisibilisque non erit? Idem dic de illuminatione profecta à pluribus luminosis, quæ non est indivisibilis. Denique directè dici potest, negando minorem. Nego enim quod animæ brutorum, licèt uniantur intentionaliter toti objecto cognito, uniantur secundùm idem; hoc est, per cognitionem indivisibilem. Nego enim, quod una pars cognitionis materialis, non respondeat uni parti objecti materialis, & tota notitia, toti objecto: licèt fortasse concedi possit, ita illas esse inter se penetratas, stante pluralitate partium, ut sunt penetratæ species impressæ, ab objecto materiali porrectæ: Eadem pars animæ, quæ cognoscit & appetit panem, cognoscit & appetit omnes partes ipsius, eadem quidem anima, sed divisibilis, appetit panem & omnes partes illius, sed notitia divisibili. Et licèt non dicatur, quod prima medietas animæ, cognoscat & appetat, solam primam medietatem panis, eò quòd tota, saltem hæc pars animæ, quæ residet in organo noscendi, eliciat divisibilem cognitionem illam, licèt dici possit, quod hæc quidem medietas notitiæ, attingat hanc medietatem panis, illa autem medietas notitiæ, attingit illam medietatem: quia autem & tota cognitio, & partes cognitionis, uniuntur animæ parti, residenti in cerebro, ideo dicitur quòd anima bruti, cognoscat omnes partes panis, & totum panem. *Concedo* si duo intellectus cognoscant singulas unitates, neutrum intellectũ cognoturum binarium. Quia cum principia illa sint adæquata, notitia unius intellectus, nec illi intellectus uniri nati sunt inter se: uniuntur autem inter se, & uniri natæ sunt, partes divisibiles animæ bruti noscitivi. Uniri autem possunt partes notitiæ divisibilis, adeoque repræsentare & totum panem, & omnes partes illius. Unde quando principia notitiarum non sunt unibilia, qualia sunt principia adæquata, nec notitiæ sunt unibiles; Si autem principia sint inadæquata, & unibilia, etiam notitiæ sunt unibiles; talemque unibilitatem habent partes notitiæ, noscentes partem objecti. Quodsi notitia illa est divisibilis, non erit necesse principium ipsum esse indivisibile.

Instat Eadem proportione, qua cognitio, quæ est propria operatio formæ, cognoscitivæ, elevatur à materia, etiam forma cognoscitiva, elevatur à materia. Et ita si cognitio non indigeat objecto sensibili, nec forma, indiget ullo objecto sensibili, & talis est Angelus. Si autem cognitio indiget objecto sensibili, à quo incipiat, sed potest deinde abstrahere à materia formas, qualis est intellectio nostra, tunc licet forma indigeat in primo sui esse materiâ, quam informet, potest tamen postea manere sine materia, & talis est anima rationalis. Ergo etiam si cognitio indigeat objecto sensibili, & extenso, sed ita, ut tota attingat totum, & tota attingat quamlibet partem objecti, etiam forma indiget subjecto extenso, sed ita, ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte subjecti.

Respondetur. Imprimis retorquendo argumentum. Sicut enim malè arguitur ex eo, quòd species materiales diffusæ ab objecto, totæ sint in medio, & totæ in qualibet parte, etiam objectum esse totum in toto, & totum in qualibet sui parte; ità concesso, quòd partes notitiæ divisibiles; sint inter se penetratæ, malè arguitur, animam, quæ principiat illam notitiam, esse indivisibilem. Directè autem concesso Antecedenti, distinguitur consequens. Ergo etiamsi cognitio indigeat objecto sensibili, sed ita ut tota sit in toto, & tota in qualibet parte, sui una, retinendo pluralitatem partium, etiam anima erit tota in toto, & tota in qualibet parte hoc est indivisibilis, nego Consequentiam. Si notitia non retineat pluralitatem partium, erit anima indivisibili, Concedo consequentiam. Deinde negatur absolutè, unamquamque partem notitiæ, repræsentare totum objectum.

Punctum Difficultatis 3.

Explicantur variæ Authoritates.

Prima sit Aristotelis l. de Anim. t. 90. *Quid igitur continet animam si partibilis est Natura*, &c.

Respondetur. Illo loco non plus vult Aristoteles, quàm quòd non alia sit anima, quâ intelligimus, quâ sentimus, dicebant enim id aliqui, ut videre est ibidem. *Dicunt* inquit *itaque quidam, partibilem ipsam, & alia quidem intelligere, alia autem concupiscere.* Negatque hoc Aristoteles, quod nec nos dicimus, sed censemus animam sensitivam, non esse distinctam ab anima vegetativa. Unde etiam verificatur Aristotelis textus, *egrediente inquit exspirat & putrescit.*

scit. Rursùs expresè inibi Aristoteles contradistinguit animam rationalem, & loquens de illa, dicit illam esse indivisibilem, neque enim pars animæ, potest informare partem corporis, *quam enim* inquit *partem, aut quomodo intellectum continebit, difficilè est etiam fingere.* Loquens autem de animabus plantarum & insectorum, loquitur tanquam de divisibilibus, licèt in partes homogeneas. Verba ejusdem sunt. *Videntur autem & plantæ vivere divisæ, & animalium insectorum quædam, tanquam eandem habentia animam, specie,* (en homogeneas) *etsi non numero* (en partes) *utraque enim* (inquit) *partium sensum habet.*

Secunda authoritas est Augustini ex lib. de quant.

Respondetur. Illo loco videtur S. Augustinus solùm voluisse, quòd animæ etiam materiales, non habeant quantitates de se.

Addo quid sit sentiendum de illa explicatione Mauri, quâ utitur ad *Svum.* Quomodo animæ insectorum potentiâ plures partes contineant. Dicit enim, quòd pars à residuo abscissa, informetur substantiali aliâ formâ: nimirum à corpore cœlesti; quod cum non potest conservare amplius materiam sub forma, sub qua erat, dat illi proximam formam, ad quam erat in potentia; Et sicuti digitus vivus, est in potentia proxima, ad formam digiti mortui: Sic cauda serpentis integri, est in potentia proxima, ad aliam animam imperfectiorem. Sed hæc explicatio partium in potentia non tenet; Tum quia quando dicitur; continuam componi ex partibus potentia distinctis, per auctores etiam oppositum sentientes, sensus est, quod non sit continuum quid indivisibile, sed habeat plures partes potentiâ, quarum entitatem non sit necesse de novo produci. Ergo etiam, si dicatur animas insectorum habere plures partes potentiâ, non est dicendum, ipsam animam esse indivisibile quid, nec dicendum carere pluribus partibus. Tum quia si de novo anima illa educitur, in cauda serpentis abscissa, quomodo illa anima, est pars prioris animæ, si non est pars, quomodo dicitur illa anima, esse divisibilis, in partes potentiâ? & si anima illius serpentis, comparatè ad plures animas serpentum distinctorum, non est pars animæ; ita nec anima tunc producta, erit pars animæ ante productæ, secumque non continuæ. Tum quia. Quamvis mortuo homine succedat forma cadaveritatis, non dicitur, quòd anima rationalis, sit divisibilis, in partes formæ etiam dantis solum esse formati. Ergo nec anima insectorum dicenda erit divisibilis in partes potentiâ, ratione alius novæ succedentis animæ. Quæ omnia ulterius in hoc fundantur. Quia aliud est, quærere, an casu amissæ formæ, succedere possit alia similis forma, & hoc conceditur: & aliud an succedens forma, & non continua, dicenda sit pars animæ prioris, & hoc negatur.

DIFFICULTAS III.

Qualesnam partes animarum divisibilium?

Heterogeneas partes tenuit Suarez lib. 1. de Anim. c. 2. & 4. Hurtadus & alii. Negat Arriaga, Oviedo, recentior Suarez.

Dicendum est. *Partes animarum divisibilium non esse heterogeneas.*

Probatur 1. Partes animarum divisibilium vel uniuntur inter se, ita sicut partes ignis, aqnæ, Sanguinis, &c, vel non uniuntur ita, sed ita se habent, sicut ramus, folium, caro, os, &c. Si priori modo uniantur, Ergo non sunt specie distinctæ & heterogeneæ, quia specie distincta, ita uniri non possunt. Non enim specie distinctorum est continuatio, continuantur enim ea quorum termini sunt idem, quorum autem termini sunt idem, non possunt esse specie distincta, aliàs & eosdem, & non eosdem terminos haberent. Eosdem, ut supponitur ex definitione continuationis. Et non eosdem, quia specie distincta non habent eosdem terminos. Quodsi partes animæ divisibiles non continuantur inter se. Contra erit. Tum quia non erit jam una anima, sed plures. Sicut pluralitatem habent, os, & caro. Tum quia si non continuâtur inter se, quæro vel est ex illis partibus conflata anima totum quoddam per se, vel est totum per accidens conflatum. Si est ens per se, debebit vel una pars respectu illius alius habere se ut actus & potentia, vel se habebunt ita, sicut continuum aliquod homogeneum; si enim tantùm duo modi sunt unius entis per se. Nullo autem ex his modo, potest salvari ratio unius per se in anima, heterogeneas partes habente. Non primo modo. Quia partes animæ si una esset actus & potentia, hoc ipso altera pars, quia esset potentia, non esset forma. Secundò etiam modo non poterit salvari in anima ratio unius per se, quia si partes sunt heterogeneæ, hoc ipso non possunt facere unum per se, per continuationem.

Respondet Hurtadus; Ea quæ distinguatur specie incompleta, possunt uniri per se; ita autem distinguuntur partes animæ, cum ordinentur ad aliquid constituendum unum specie.

Contra. Quia, ut advertit Arriaga & Oviedo, si ea sunt specie incompleta distincta, quæ ordinantur ad aliquid tertium constituendum. Ergo cum caro & sanguis ordinentur ad cõstituendum unum vivens sensitivum, continuabuntur inter se. Deinde etiam specie incompleta distincta, si non habent se sicut actus & potentia, quomodo facient unum per se continuativè,

nuativè, cum in illa incompletione habeant adhuc heterogeneitatem.

Respondent II. Aliqui; heterogeneitatem convenientem partibus animæ, non esse specificam, sed solum numericam.

Contra. Quia si solam tenes diversitatem numericam, Ergo tenes talem, qualis est inter partes aquæ, quæ diversitas numerica, non est heterogeneitas. Deinde illæ partes & essent solo numero distinctæ, ut dicitur, & non essent. Quia distinctio numerica, staret cum diversitate operandi, nam in hac sententia oculus non potest audire, hæc autem diversitas, est diversitas specifica.

Respondebis III. Ex Arriaga. Non videri implicantiam cur non possint specie distincta continuari.

Contra. Esse implicantiam ostenditur, quia specie distinctorum extrema, non possunt esse unum, quod requiritur ad continuationem.

Probatur II. Quia nulla est necessitas, ponendi diversitatem specificam partium animæ: Sicut autem non debent multiplicari entia sine necessitate, ita nec diversificari specie. *Neque valet si dicas* homogeneitate magis dignificari partes, magis enim accedunt ad unitatem animæ spiritualis: Sicut autem non debent multiplicari entia sine necessitate, ita nec dignificari. Non inquam valet, quia in omni forma partiali heterogenea v. g. oculi debes etiam admittere partes homogeneas, neque enim inter se distinguuntur specie. Ergo admittis heterogeneitatem, quia distinctionem specificam à forma aurîs, & istam homogeneitatem. Ergo duplici titulo multiplicas entia, scilicet & numericè & specificè, adeoque & multiplicas & dignificas.

Probatur III. Ex Oviedo. Si partes animæ divisibilis essent heterogeneæ, id ideo esset, quia exercent operationes specie distinctas. Sed hoc non arguit heterogeneitatem partium in anima. Quod ipsum probatur. Quia diversitas hæc, benè referri posset, in diversa temperamenta aut & organa; temperamenta autem & organa diversa, non notant heterogeneitatem partium. Nam anima rationalis est indivisibilis, & tamen supponens, diversa organa.

Objicitur I. Si partes animæ divisibilis non sunt specie distinctæ, nec distinguentur specie, anima Bovis & Leonis. Sequela probatur. ideo anima Bovis & Leonis debent esse distinctæ specie, quia exigunt diversa temperamenta: hoc autem exigere diversa temperamenta, non arguit distinctionem specificam. Nam partes animæ divisibilis, exigunt diversa temperamenta, & tamen non sunt per Te distinctæ specie.

Respondetur. Retorquendo argumentum, & inquirendo, cur exigentia diversarum formarum partialium, aut si illæ non admittuntur, cur exigentia tam diversorum accidentium, & temperamentorum, non fundat in anima rationali, diversitatem specificam. Directè autem, negari potest quòd pars animæ, quæ est in oculo bovis, exigat nonnisi temperamentum oculi. Et si exigeret temperamentum nonnisi oculi, distincta foret specie, ab alia parte animæ bovis. Quod autem non exigit diversum temperamentum pars animæ Bovis, quæ est in oculo. Ratio est. Quia hæc ipsa pars, posset esse in pede; tota tamen anima Bovis & partes illius collectivè spectatæ, exigunt tantam diversitatem temperamentorum, licet unaquæque distributivè accepta, non determinet sibi hoc nonnisi temperamentum: consequenter tota anima bovis, & partes illius collectivè sumptæ, ita diversum exigentes temperamentum, distinguuntur specie ab alia anima v. g. Leoni, & ejus partibus collectivè sumptis non exigentibus tale temperamentum, ac exigit anima bovis.

Instat Hurtadus. Hæc exigentia temperamenti, qualem tribuimus partibus animæ v. g. Bovis, non posset esse nisi exigentia appetitus elicit. Nam appetitus innatus, est nonnisi ad bonum proprium: & tamen non est bonum proprium, animæ bovis, existentis in pede, non est inquam bonum proprium, temperamentum, v. g. oculi. Quis autem dicat partes animæ bovis, exigere temperamentum tale per actum elicitum.

Respondetur. Bonum proprium non esse bonum huic soli adæquatè dandum, sed bonum dandum appetenti adæquatè vel inadæquatè sumpto. Temperamentum ergo oculi, non est bonum animæ bovis, prout in pede existentis, adeoque inadæquatè sumptæ, licèt sit bonum illius adæquatè, & cum aliis partibus sumptæ. Unde & bonum temperamenti totius, est bonum proprium, adeoque appetibile appetitu innato, licèt non sit adæquatè dandum, nonnisi unius partis exigentiæ.

Objicitur II. Si partes animæ bovis non sunt heterogeneæ, sequitur, abscisso pede equi animam illius non esse imperfectiorem, animâ hinnuli haberet enim tot partes, quot anima hinnuli.

Respondetur. Si perfectio attendatur penes pluralitatem partium, illa anima erit extensivè perfectior, cujus partes plures eductæ, numerari possent. Unaquæque autem pars, potest hoc facere, quod facit abscissa, licèt ex accidenti, propter defectum organi, vel propter defectum tot partium homogenearum animæ, quot sunt necessariæ ad informandum tantum corpus, præstare id non possit.

Objicitur III. Pars animæ Bovis quæ est

est in oculo, vel poterat esse in aure, vel non poterat. Si non poterat, Ergo est heterogenea. Si poterat. Ergo indigebat determinativo ut esset in oculo; quod autem est hoc determinativum; & si recurras ad Deum, non agis Philosophum.

Respondetur. Retorquendo argumentum. Saltem pars animæ posita in dextro oculo, poterat esse in sinistro. Per quid ergo determinatur, ut sit in dextro? Rursùs accipiamus partem animæ, quæ est in dextro oculo, hæc, utpote materialis, habebit plures partes sintque v. gr. A. B. C. quærere restabit cur pars A, non informet, materiam, quam informat pars C. Directè autem responderi potest, determinationem hanc haberi ab ipsa eductione hujus partis formæ, ex hac parte materiæ.

Instabis. Si omnes partes animæ sunt ejusdem rationis, non est ratio, ut si aliquo casu introducantur dispositiones carnis, non possint introduci dispositiones oculi. Nisi dicas, eo casu non haberi illic partem animæ debitam oculo.

Respondetur. In homine introducuntur dispositiones debitæ carni, & non introducuntur dispositiones debitæ oculo, si forte eruatur; & tamen hoc non arguit distinctionem partium in anima. Ergo nec in præsenti arguet. Directè ad objectionem dicitur, causare dispositiones oculi v. gr. non pertinere immediatè ad animam, licèt exigere illas pertineat ad animam, & jam præhabitas, posita aggeneratione informare. Et certè pro priori tempore, antequam infundatur anima, jam invenit omnes dispositiones, ad quarum exigentiam producitur vel educitur. Hinc quòd non reproducantur dispositiones oculi, rejici debet, quia jam tunc non laborat, vel virtus formatrix fœtus, vel alia similia comprincipia.

QUÆSTIO III.

Quomodo animæ Rationales inter se distinguuntur?

Præmitto I. *Perfectionem animæ dupliciter spectari posse. Primò* in illa ipsa secundùm se spectata; & hoc stat definitione animæ rationalis. *Secundò* spectari potest, comparando illam ad alias extra eandem speciem, vel intra eandem.

Præmitto II. *Accipiendo animam comparatè ad alias animas, de illa duo inquiri possunt. Primò* animæ rationales intra eandem speciem, possint sese ita excedere, ut una possit aliam perfectione superare. *Secundo* an possint dari duæ animæ rationales, specie distinctæ, & tamen utraque alteri æqualis in perfectione.

Præmitto III. *Perplexam reddi hanc quæstionem*, partim quæstionibus de voce, partim aliquibus obscuris, & pro neutra parte satis explicatis principiis. Quale est principium, quidnam sit specie differre? Si enim dicas specie differre esse notabiliter differre, quærendum restat, quid est hoc notabiliter differre. Si respondens per oppositum, hoc est non differre parum, quærendum restat, quid sit hoc non differre parum. Si recurras ad inductionem, ostendendo quid sit differre notabiliter, vel parum, quomodo resolves, Hoc de quo dubitatur: An differat specie; & ex quonam principio dices, id, de quo dubitatur, spectare ad notabiliter differentia, vel ad differentia parum. Si ultimatò recurras, pensandum id esse ex judicio prudentum; quid agendum erit, si prudentes sint, pro utraque parte; & de eodem judicio prudentum, quærendum restabit, quod illius judicii prudentum, fundamentum habeatur. Nam judicium prudentum, non confert speciem; sed supponit; cumque judicium prudentum sit quid morale, hîc autem quæritur de aliquo Physico, fit ut hæc explicatio, aliquid aliud insuper, adferre debeat.

Intra eandem speciem animæ rationalis admiserunt perfectiora individua Suarez. & Arriaga. Negarunt Fonseca, Hurtadus; & alii.

DIFFICULTAS I.

Decisio Quæstionis.

Ut abstineamus quàm fieri potest, à quæstionibus de voce.

Assero I. *Si nomine distinctionis specificæ, non intelligas quidquam aliud, nisi reperibilitatem unius prædicati & perfectionis, quæ ipsa æquivalens, non reperitur in alio ente, in isto sensu intra eundem speciem, non possunt dari individua, unum perfectius alio.*

Ut innotescant termini, pono præ oculis hominem & leonem, specie distinctos. Reperitur in homine ratio vitæ, reperitur & in Leone; reperitur in homine ratio sensitivi, reperitur & in leone. Sed reperitur in homine rationalitas, cui prædicatum æquivalens, non habet leo; reperitur in leone rugibilitas cui etiam æquivalens prædicatum, non habet homo. Hinc quia prædicatum ab uno habitum, non habetur equivalenter ab alio, inferimus illa duo specie differre. *Hac notificatione terminorum præmissa.*

RATIO asserti est. Quia si intra eandem speciem, posset dari individuum unum perfectius alio, & esset intra eandem speciem, & non esset. Esset ut supponitur, esset enim individuum. Et non esset intra eandem speciem, quia esset distinctum specie. Quod ipsum probatur. Quia unum haberet prædicatum, quod prædicatum, aliud non haberet, nec quidquam, æquvialens illi.

ASSERO II. *Si distingui specie, sit aliquid aliud, tunc intra eandem speciem poterit dari unum individuum perfectius alio.*

RATIO. Quia hujus nulla ostendi potest implicantia, suadentque id infra ponenda.

ASSERO III. *Admodum loquendi attendendo, probabilius est, ista differre specie, quorum unum habet aliquod prædicatum & perfectionem, cui æquivalentem non habet aliud.*

RATIO. Tum quia ea, quæ manifestè differunt specie, sunt talia, quorum unum habet quodpiam prædicatum, & aliud hoc ipsum, aut illi æquivalens non habet: & ita Petrus & Paulus non differant specie, quia habent æquivalentiam prædicatorum; nam Petreitati quam non habet Paulus, æquivalet Pauleitas. Tum quia, si daretur intellectus qui tantum apprehendere posset, & non judicare; item, qui esset inelevabilis ad videndum Deum, specie differrent tales intellectus à nostro; quæ diversitas, nihil vetat cur colligi non possit ex eo, quòd scilicet unus intellectus, haberet prædicatum aliquod, quod ipsum vel illi æquivalens, non haberet alius.

Ex quibus conficitur quasi argumentum ab inductione. Ea scilicet specie distingui, quorum unum aliquod habet prædicatum, quod ipsum aut illi æquivalens, non habet aliud. Tum quia, nisi dicatur hoc esse specie distingui, non poterit ostendi, quid sit distinctio specifica.

Quia vel hactenus dicta, hoc etiam respiciunt, an non possint dari specie distincta, quæ tamen sint æqualis perfectionis, hinc de hoc etiam puncto discurrendum erit. Ideo sit

DIFFICULTAS II.

Possuntne dari specie distincta, & tamen æqualis perfectionis?

PEnsandæ sunt imprimis rationes utriusque partis.

Rationes pro æqualitate specierum.

PRIMA RATIO est Lugonis. Relationes Divinæ ut distinctæ virtualiter ab essentia, sunt dissimiles inter se, & quidem notabiliter, sunt tamen omnino æquales. Quæ æqualis illis prout præcisis ab essentia, non convenit ob essentiã, sic enim acceptæ eum non includunt. Hinc æqualitas illa erit ab illismet ipsis. Ergo possunt esse aliqua notabiliter distincta, & tamen specialia in perfectione.

RESPONDETUR. In utraque suppositione, tam quæ dicit, quòd perfectionem in se importent Relationes Divinæ, quàm quæ, negat illis perfectionem. Et quidem in suppositione non tribuente Personalitatibus propriam perfectionem, dici posset, quod eo casu illæ Relationes, erunt quidem specie distinctæ, sed neque æquales propriè, nec inæquales, prout concipiuntur condistinctæ ab essentia. Quia æqualitas vel inæqualitas, est secundum mensuram perfectionis, & supponit tanquam genus perfectionem in subjecto; quam, quia relationes non dicunt; quamvis etiam non dicant imperfectionem, fit, ut nec æquales, nec inæquales sint. Jam autem species creatæ, in seipsis dicunt perfectionem, adeoque in seipsis dicunt genus contrahibile ad æqualitatem, vel inæqualitatem. Cur ergo non erunt inæquales, si sunt distinctæ specie, fudamentumque habeant, in quo fundetur inæqualitas, hoc est perfectionem; quæ est divisibilis in æqualem & inæqualem; quo fundamento carent Relationes Divinæ, si nullam dicunt in se perfectionem.

In sententia autem ponente, quod Relationes Divinæ in seipsis dicunt perfectionem, hæc disparitas dari potest. Paternitas cum Filiatione æqualis est perfectionis, Filiatio item cum Paternitate, quia cùm Paternitas, sit quid relativum, debet specificari ab extrinseco, quod est ipse filius. Tota ergo dignitas illius & specificatio, est ab extrinseco acceptibilis, nempe à filio. Cum ergo filius respectu sui, non sit magis & minus dignius, etiam specificatum à Filio, & dignificatum, non erit dignius dignificante & specificante adeoque æqualis erunt perfectionis paternitas & Filiatio. Quam rationem applica ad probandum, quod etiam Filiatio non sit dignior paternitate. Quia verò dignificatio unius speciei, non sumitur in dignificatione alius speciei, nec ab illa, tanquam à specificativo extrinseco dignificatur, sed à sua entitate simpliciter; hinc fit ut habeamus fundamentum, dicendi, Personalitates Divinas, quãtumvis notabiliter distinctas, non posse esse nisi æquales in perfectione; cujus Tu fundamentum non ostendis in istis quæ creata sunt, & notabiliter differunt.

SECUN-

Secunda Ratio. Duo individua possunt esse æqualia. Ergo etiam & species.

Respondetur negando Consequentiam. Eò, quòd si individua non essent æquè perfecta, hoc ipso non essent individua, habeturque fundamentum adstruendæ æqualitatis in individuis. Tu autem non ostendis positivum fundamentum simile, ad ponendam æqualitatem specie distinctorum.

Tertia Ratio ex Ariaga est. Ex ipsis terminis videtur manifestum, aliud esse diversitatem, aliud inæqualitatem. Hinc in moralibus quamvis videamus res diversas, æquè tamen æstimare solemus unam ac alteram. In Physicis item æqualem voluptatem adferre possunt bona, quamvis specie diversa. Intellectui item, arridere æquè solent, duo conceptus ingeniosi, quamvis specie diversi. Ergo diversitas specifica, non arguit necessariò inæqualitatem.

Respondetur. Quia in ordine morali, nec item in voluptate, attenditur ad speciem; sed assumuntur illa omnia, tanquam solo numero diversa, fit ut æqualiter moveant. Quòd verò in ordine morali, non attendatur ad rationem specificam, quâ talem, hoc inde est. Quia qui indiget tali summa, indigentia circa summam, non circa materiam monetæ versante, illi æquale erit, habere nummum aureum, vel sex florenos; ita ut ad illius indigentiam materialiter se habeat illa diversitas. Idemque proportionaliter ad alias partes instantiæ dici debet. Quia autem hîc loquimur non de speciebus materialiter, nec Tu, aliunde posse esse species æquales in perfectione positivo fundamento ostendis, hinc non probas, ex diversitate specifica, non inferri inæqualitatem. Et quamvis termini hi: *diversitas* & *æqualitas* non sint iidem; inde tamen non sequitur, hoc ipso posse esse species æquales, quia illarum inæqualitas, non adstruitur ex phrasi, sed inquiritur, an pro æqualitate stet positiva ratio.

Quarta Ratio ejusdem est. Videmus ipsis oculis colorem rubrum, & viridem, esse notabiliter diversos, eos autem esse inæquales non videmus. Rursùs, experientia nulla ostendit talem excessum, nec ratio est naturalis ulla quæ id persuadeat. Unde fit, ut nobis sit dubium, quis eorum sit perfectior. Cur ergo debemus dicere, necessariò esse illos inæquales.

Respondetur. Titulum perfectionis non esse quid sensibile, adeoque nec sensibus, subjectum. Diversitas autem est subjecta sensibus, hinc parum refert, quod advertat sensus ad diversitatem, non ad perfectionem. Deinde non videmus illorum accidentium speciem æqualem, nec ulla ratio positiva id evincit; cur ergo illos dicemus esse æquales? Imò, cum videamus multas species inæquales, v. g. hominem & leonem, leonem & murem; de nulla autem scimus, quod sit æqualis alteri: hinc est fundamentum dicendi, quod nulla positiva ratio, probet æqualitatem specierum in perfectione.

Quinta Ratio est recentioris Suarez. Unio hypostatica, & cognitio terminata ad Patrem sunt notabiliter differentes, & tamen sunt æqualis perfectionis. Hinc autem sequitur quod possint esse aliqua specie distincta, non tamen inæqualia.

Respondetur. Negando hæc duo esse æqualis perfectionis, indubiè enim unio Hypostatica quæ in sententia Modalistarum est substantialis est perfectior præ cognitione quæ est Accidens. Vide in simili dicta, ad Rationem primam.

Rationes contra æqualitatem specierum.

Ratio I. est, quam adfert Suarez. Si darentur duæ species æquales in perfectione, æquè distarent à non ente; æquè autem distare non possunt à non ente, aliàs non essent diversæ.

Responderi potest negando minorem, cum sua probatione; & sicut lineæ aurea & plumbea, possunt æquè distare à centro, sic & duæ species, à non ente.

Ratio II. est, quam adfert Vasquez. Quæ commensurari non possunt, æqualia non sunt: species commensurari non possunt. Quia quæ commensurari possunt, sunt ejusdem rationis, species autem diversæ, necessariò sunt diversæ rationis.

Respondetur. Commensurari, non est idem, quod habere prædicata, quæ habet aliud: Sed sufficit, ut in qua ratione diversa sunt, in illa habeant æquivalentiam; certè enim commensurari possunt libra auri & plumbi, quamvis sint diversæ rationis. Et quamvis duæ quantitates commensurati non possint in magnitudine, si sint inæquales in magnitudine, bene tamen commensurari possunt in aliis rationibus: ita & species, quamvis non possint commensurari in diversitate, poterunt commensurari in æqualitate essentiæ; sicut linea brevior & longior, utraque tamen aurea, non commensurantur in magnitudine, commensurantur in essentia auri.

Ratio III. est, quam sibi objicit Oviedo. Sint Leo & Equus æquales in perfectione, tunc magis differet leo ab homine, quàm ab equo; quia respectu hominis esset imperfectior, æquè autem perfectus cum equo, quod dici non potest, quia aliàs, non omnes differentiæ genus contrahentes, æquè essent oppositæ;

neque quælibet omnimodam haberet oppositionem cum alia, quod est absurdum, & contra omnem Philosophiam.

Respondet pluribus Oviedo à num. 43.

Dici breviter potest. Si minus differre leonem ab equo, quàm ab homine, idem sit, quod non habere prædicatum, & rationem univocam conveniendi in ratione differentiali specifica, æquè differret leo ab homine, quàm ab equo. Quia etiam cum equo, in ratione differentiali, nullam convenientiam habet. Si minus differre sit idem, ac commensurari in aliquo, quamvis illud in quo commensurantur sit æquivoca ratio, in isto sensu magis conveniunt leo & equus, quàm leo & homo. Sed hoc asserere, non est quidquam contra Dialecticam, quæ cum docet differentias æquè esse oppositas, non aliud dicit, quàm non haberi in illis rationem univocam conveniendi in eo in quo sunt oppositæ.

Pensatis pro æqualitate specierum, & contrà æqualitatem rationibus.

Dicendum. *Haberi sufficiens fundamentum negativum, quòd dari possint duæ species æquales.*

Probatur I. Quia id non implicat contradictionem.

Probatur II. Quia si diversæ species hoc ipso essent inæquales, vel hoc sequeretur ex hac universali, quod omne diversum, sit inæquale, & hoc non potest dici; videmus enim auream & plumbeam mensuram, esse diversas, & tamen posse esse æquales. Si autem id oritur ex particulari aliqua conditione in speciebus, hæc ipsa ostendenda est. Quando autem Aristoteles dixit species habere se sicut numeros, non dixit id attendendo ad inæqualitatem numerorum, sed ad indivisibilitatem. Quia scilicet, sicut numero nihil potest addi vel subtrahi, salva ratione ejusdem numeri; ita nec speciebus, salva ratione specifica, quidquam addi vel subtrahi potest.

Sed hîc explicandum restat. Quia si distincta specie possunt esse æqualia in perfectione, & erunt distincta specie, & non erunt. Non erunt quidem ut supponitur. Erunt autem, quia unum continet æquivalenter perfectionem alius, utpote æqualis perfectionis. Sed id non convincit; æqualitas enim perfectionis duplex considerari potest; quædam æqualitas propter inclusionem æquivalentem prædicatorum aliûs; & hæc destruet distinctionem specificam. Secunda æqualitas est, non quidem propter æquivalentem inclusionem aliûs, sed propter simplicem distinctorum prædicatorum inclusionem, talem tamen, quorum perfectio non sit minùs æstimabilis, quàm alia, & hæc æqualitas, stat cum distinctione specifica.

Probatur III. Instantia, qua utitur Aristoteles. Duæ cognitiones æquè intensæ, quarum una attingat Petrum, alia Paulum, sunt distinctæ specie, & tamen æqualis perfectionis. Ergo & de speciebus aliis idem dicendum.

Respondebis. Esse distinctas specie, si una proficiscatur ab Angelo, altera ab homine, secus si utraque ab homine, idque ex eo, quia sicut Petrus & Paulus non distinguuntur specie, ita nec notitiæ de illis, si proficiscantur ab eodem principio.

Contra. Quia quæ dicunt ordinem essentialem alium illa distincta sunt specie, diversitatem enim essentiæ, infert diversitas ordinis essentialis. Jam autem notitia Pauli, ita dicit ordinem essentialem ad Paulum, ut non possit dicere ordinem essentialem ad Petrum. Cæterum qui diceret ordines illos essentiales, esse diversos solo numero, sicut sunt diversi solo numero Petrus & Paulus, ægrè convinci posset.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

Solvendæ sunt objectiones, contra explicationem adlatam: Quid sit differre specie.

Dices I. Canis albus, & canis niger, sunt individua intra eandem speciem, & nihilominus nigredo uniûs, non est æquivalens numero, albedini aliûs. Ergo si aliquid non habet æquivalentiam prædicati, non sequitur illa esse specie distincta. Ergo intra eandem speciem possunt dari individua, quorum unum, non habeat perfectionem aliûs, æquivalentem numero.

Respondetur. Illos canes in ratione nigri & albi differre specie accidentali; hinc non debent sibi in colore æquivalentes esse.

Dices II. ex Ariaga. Petrus & Paulus sunt ejusdem speciei, & tamen habent aliquam dissimilitudinem plusquam numericam, ergo non quæcunque dissimilitudo dicenda est specifica. Antecedens probatur. Unio Petri respicit Petrum, & unio Pauli essentialiter respicit Paulum, magisque conveniunt inter se uniones respicientes una Paulum, alia Petrum. Ergo possunt esse dico individua ejusdem speciei inter se, plusquam numero, minus quàm specie differentia.

Respondet Hurtadus. Recentior Suarez & alii. Quod istæ uniones distinguantur specie

specie inter se, nempe unio Petri & Pauli, propter alium & alium ordinem essentialem: neque tamen facient specie differre Petrum & Paulum, quia differentia attenditur penes conditionem ipsius formæ & animæ, quæ utrobique supponitur humana. Et sicut ex diversitate specifica formarum partialium, non arguitur distinctio sine addito specifica, corporis, à seipso. sic nec in præsenti arguetur. Idque ex eo ulterius, quia parum refert compositio de specie entitatis quam habeat unio. Hinc necdum distingueretur homo, etiamsi unus spiritualem, alius unionem materialem habeat. Sicut nec in Patria distinguemur à nobis, propter unionem indefectibilem, cum præsentem unionem defectibilem habeamus. Compositum enim certè ad hoc purè & merè attendit in unione, ut uniat, quidquid sit de conditione entitatis ejusdem unionis.

Est alius modus respondendi eidem difficultati. Certum est imprimis quod sicut dantur plures uniones, quæ respiciunt Petrum, sic dari plures quæ respiciunt Paulum, quæ uniones Petri magis inter se conveniunt, quàm si comparentur ad uniones Pauli. Deinde sicut Petrus quod non possit esse Paulus, & è converso, non extrahuntur per hoc à ratione individuorum; Sic nec uniones, quia hæc essentialiter est Pauli, illa essentialiter Petri extrahentur à ratione individualiter differentium. Quod ut explicetur. Uniones illæ dupliciter spectari possunt. Primo secundum suam entitatem, & sic non minus individualiter differt unio Petri A, comparata ad unionem Petri ejusdem B, quam unio Petri A, comparata ad unionem Pauli C. Secundò possunt spectari illæ uniones secundum terminos, & sic unio B Petri, ab unione A Petri, non differret ratione termini, quia idem est ubique terminus, hoc tamen non obstante differet ab unione Pauli numero, quia & ipse Paulus & Petrus differunt numero. Ex qua ratione, in forma negatur Antecedens. Probationis ejus secunda pars distinguitur, magis conveniunt inter se uniones Petri, quàm cum unionibus Pauli, si spectentur ratione terminorum, concedo Antecedens. Nam uniones Petri, respectu termini, non habent numericam distinctionem. eundem enim Petrum unient, qui à seipso non distinguitur individualiter. Magis conveniunt inter se uniones Petri, quàm conveniant cum unionibus Pauli, ratione entitatis nego Antecedens. Postea consequentiam. Et sicut quamvis identitas Petri secum, dicat connexionem cum Petro, cum identitas Pauli dicat connexionem cum Paulo, neque tamen hoc infert illarum identitatum, sicut nec individuorum distinctionem specificam; ita quamvis dicat unio Petri, nexum tantum cum Petro, unio autem Pauli dicat tantum connexionem cum Paulo, non sequetur illas uniones esse distinctas specie. Et hæc dicta sint pro probabilitate secundæ responsionis, sed prior potius retinenda. Similiter etiam respondendum est dum urget Ariaga, esse magis inter se similes cognitiones de Petro, quàm cognitiones de Paulo.

Dices III. cum eodem. Cognitio de Petro solo, non differt specie à cognitione de Paulo & Joanne. Et tamen cognitio de Paulo & Joanne perfectior est, ut pote plurium repræsentativa. Ergo duo individua ejusdem speciei, possunt esse inæqualia.

Respondetur Communiter, duo individua, extensivè & quoad specificationem extrinsecam, posse esse perfectiora, cum unum habiturum sit unam specificationem, & aliud duplicem. Hîc autem quæritur de specificatione intrinseca. Sed posset etiam defendi, cognitionem, quæ nonnisi unum individuum repræsentat, comparatam ad cognitionem quæ repræsentat duo individua, specie distingui. Tum quia, si daretur materia, nonnisi ab una forma informabilis, esset specie distincta à materia plurium formarum capaci. Ergo & illæ notitiæ duæ, distinguentur inter se; cum non minus notitia cum objecto, quàm materia cum forma, nectatur.

Tum quia distingueretur specie intellectus nonnisi pauciorum objectorum noscitivus, à præsenti intellectu, idemque videre est in aliis potentiis, si essent restrictiores quoad objecta à se percipienda. Ergo & illæ duæ notitiæ distinguerentur inter se. Tum quia unum, & nexum cum uno, non habet æquivalentiam ad duo, & ad nexum essentialem cum duobus.

Instat I. Ariaga. Ex hac responsione sequi, quod homo minor alio vel puncto materiæ, jam ab illo majori specie distinguatur; vel ipse homo à se, dum acquirit, vel deperdit minimam partem materiæ. Nam unio est indivisibilis, quæ, si mutetur materia, mutari debet, aliaque specie distincta venire, plurium scilicet vel pauciorum partium materiæ informativa.

Respondetur. Quod ex distinctione unionis, non sit desumenda diversitas, dictum supra. Constat etiam ex physicis, quod unio illa sit materialis, aut potius requirit modale connotatum materiale. Si autem illa entitas est materialis, casu quo plus aggeneretur materiæ, prior illa non mutatur, nec perit, sed additur alia pars materialis entitatis, requisitæ ad unionem. Unde ulterius negatur illam entitatem esse indivisibilem, in uno enim non est æquivalentia ad duo, duoque non æquivalent, sed superant unum. Unde etiam negatur illam entitatem esse indivisibilem.

Instat

INSTAT II. Cognitio essentialiter ordinata ad cognitionem objecti unius, & cognitio essentialiter ordinata ad cognitionem duorum objectorum, sunt cognitiones specie distinctæ. Ergo etiam unio essentialiter ordinata ad Petrum, & unio essentialiter ordinata ad Paulum erunt specie distinctæ.

RESPONDETUR. Concedet Suarez recentior totum. Qui vellet tueri secundam responsionem, datam ad objectionem secundam, disparitatem daret, quia in cognitione essentialiter ordinata ad unum objectum, nihil respondet æquivalens numero, cognitioni essentialiter ordinatæ ad duo objecta, quæ inibi colliguntur, in uno enim non est æquivalentia ad duo, duoque non æquivalent sed superant unum, vult etiam cognitioni A necessariò ordinatæ ad duo objecta, non est quidquam æquivalens nisi cognitio B ordinata ad duo numero objecta, & sicut unio, essentialiter per impossibile vel possibile ordinata, ad duas formas uniendas, esset distincta specie ab unione, ordinata ad unam nonnisi formam uniendam, totam specificè differendi rationem, accipiendo, non penes terminos, qui sunt numero distincti, sed penes nexum cum illis talem, cui æquivalens nexus, non est sententia nonnisi ad unum objectum. Quia autem tendentia unionis ad Petrum, habet æquivalens quid tendentia unionis ad Paulum, ideo hæ uniones non distinguuntur specie.

DICES IV. Differentia individualis est positivum prædicatum, perinde superaddita naturæ, ac differentia specifica. Ergo sicut differentia specifica addit notabilem diversitatem, sic individualis differentia, afferet numero differentibus inæqualitatem minùs notabilem.

RESPONDETUR. Quicquid sit de Antecedenti, concedo consequentiam, quâ non probatur, posse aliquid plus quàm numero, minus quàm specie differre.

DICES V. Modus dignoscendi diversa specie, est, si illa notabiliter differant. Ergo si differant minùs quàm specie, plus quam numero, dicenda erunt non differre specie.

RESPONDETUR. Quod nulla sit talis differentia; imò nec esse possit, quia modus ille differendi, & non esset modus differendi secundùm speciem, ut supponitur, & esset modus differendi secundùm speciem, quia inveniretur prædicatum in uno, cui æquivalens in alio non reperiretur.

QVÆSTIO IV.

De Potentiis Animæ rationalis.

QUæ hîc dicentur de potentiis comparatis ad animam rationalem, eadem proportionaliter applicanda erant, ad alias potentias, comparatas ad suas substantias.

DIFFICULTAS I.

Quomodo distinguantur potentiæ ab anima? & quomodo principient actiones?

DIstingui illas realiter docet Suarez uterque cum Sancto Thoma. Negat Scotus, nominales, & cum eis Ariaga & Oviedo.

DICENDUM est. *Potentias animæ non esse distinctas realiter ab anima.*

PROBATUR I. Quia nulla est necessitas & nullum fundamentum distinctionis realis, ut videre erit ex solutione objectionum.

PROBATUR II. Si potentia v. g. sensitiva, est quid realiter superadditum animæ, anima ipsa non esset formaliter sensitiva, sed nonnisi radicaliter. Sicut materia non est formaliter quanta, sed nonnisi radicaliter, quia quantitas ab illa distinguitur realiter, & tamen Anima, debet esse formaliter sensitiva. Quod ipsum sic aliter proponitur & probatur. Homo debet esse vivens sensitivum formaliter & substantialiter. Sed si potentia sensitiva, esset distincta realiter ab anima, non esset homo formaliter & substantialiter sensitivus. Quia esset formaliter sensitivus, nonnisi per accidens superadditum. Major autem probatur. Hoc quod est homo, debet esse formaliter homo. Ergo homo, debet esse vivens sensitivum, formaliter & substantialiter; cùm enim homo, stet animali & rationali, formaliter sumptus homo, debet stare animali formaliter, & rationali formaliter, adeoque vivente formaliter, & sensitivo formaliter, quæ duo definiunt formaliter animal.

PROBATUR III. Principio, quod assumit Oviedo & Ariaga, quod est ex indispensabili identitate volitivi cum cognoscitivo, quod principium infra ponetur Puncto Diff. 1. sub finem.

OBJICITUR I. Auctoritas Patrum & Aristotelis. Imprimis Dionysii quem refert Sanctus Augustinus lib. de Trin. c. 6. *Anima humana deficit à simplicitate Divina, propter multitudinem operationum & virtutum.*

Et

Et ibidem l. 15. c. 7. *Potentiam hominis non esse hominem, sed aliquid hominis.* Consentit Augustino Anselmus, idque ex mente Aristotelis 2. de Anim. t. 29. & 1. Eth. c. 6. *Quemadmodum in corpore est visus, sic in anima mens, & aliud in alio.*

Respondetur. Ad auctoritatem Augustini (qui nobiscum sentit l. 9. de Trin. c. 4. & l. 10. c. 11.) quod fortè per virtutes, non intelligantur potentiæ animæ, sed principia superaddita virtuosa. Nec obest quod potentia dicatur non esse homo, fortè enim negat non identitatem realem, sed ex modo concipiendi diversitatem ponit. Sicut & risibilitas ex modo concipiendi non est homo, sed hominis. Certè Bernardus Serm. 11. in Cant. expressius pro nobis loquitur. *In anima, inquit, tria intueor Rationem, Memoriam & voluntatem, & hæc tria, eandem esse animam.* Ad auctoritatem Aristotelis quod attinet, illa non convincit. Nam ibidem de Anima t. 19 & 20. appellat potentias animæ partes, & tamen ex altera parte indivisibilem agnovit animam humanam. Ergo debuit sentire, partes illas esse Metaphysicas, adeoque indistinctas realiter. Unde etiam comparat mentem visui, non in genere distinctionis & alietatis, sed quia sicut visus est lumen illustrans corpus, ita mens, est lumen hominis intellectuale.

Objicit II. Recentior Suarez. Elementa & mixta non animata, operantur per potentias realiter distinctas. Ergo & anima.

Respondetur negando consequentiam. Disparitas est quia cum elementa & mixta, agere debeant in bonum universi, etiam ubi substantialiter non sunt, debuit illis providere natura principia, connectendi sese cum passo, ne detur actio in distans. Hinc etiam experientia ipsa docet, principia hæc, à substantia mixtorum distincta esse. Quia verò non agunt potentiæ animæ rationalis, ubi non agat ipsa anima; fit ut natura non debuerit providere animæ potentias distinctas. Deinde non tenet argumentatio, à modo agendi unius potentiæ, ad modum agendi aliûs; nisi commune aliquod fundamentum ostendatur, aliàs cum agat calor separatus ab igne, intelligeret etiam intellectus, annihilatâ animâ, perque transmissam à se potentiam intellectivam, posset intelligere anima, sicut per calorem transmissum, calefacit ignis, cumque non videamus ullam distinctionem inter calorem productum ab igne & emanatum, sicut calor productus est distinctus realiter ab igne, ita emanatum inferimus esse distinctum. Nullum autem simile fundamentum habemus distinctionis potentiarum animæ & sicut potentias animæ ita & potentiam productivam caloris ab igne identificamus animæ, unde calor & calefactio habet proportionem cum actu producto à potentia utrobique supponendo distinctionem entitativam potentia autem productam caloris proportionatum cum potentia v. g. intellectiva utrobique supponendo identificationem.

Instat idem. Si potentiæ animæ, non distinguuntur realiter ab anima, nulla est ratio, cur visio oculi in homine sit potius corporea quàm intellectio, nam in hac opinione oculus est spiritualis, nimirum ipsa anima.

Respondetur. Nego aliquem oculum esse spiritualem, licet sit potentia visiva spiritualis. Quia nomine oculi venit organum, quod non est spirituale. Quare autem visio non sit spiritualis, ratio est, quia quotiescunque duobus principiis, materiali & spirituali indiget operatio, toties, utpote debiliorem partem, consequitur effectus materialis. Et ita motus cœlorum, quem principiat effectivè Angelus, subjectivè cœli, est materialis; generatio item alicujus corporis, quam facerent Spiritus, applicando activa passivis, esset materialis, & sic de reliquis. Cum ergo ad visionem requiratur anima, & organum tanquam instrumentum, fit, ut sequatur visio materialis. Quia verò ad intellectionem, non concurrit ullum principium materiale, fit, ut intellectio, sit spiritualis. Rursùs si sit agens spirituale, essentialiter ordinatum ad aliquid materiale, debebit habere vim etiam materialiter agendi: Sicut enim esse illius, est ad informandam materiam, ita, est, ad operandum materialiter. Si autem operatur materialiter, etiam effectus sequi debet materialis, adeoque & visio debebit esse materialis; si enim hoc non esset materialis, non esset quidquam ostensibile, quidnam vitale, materiali actione producat anima; quod absurdum non sequetur, si dicatur anima intelligere actione spirituali, adhuc enim alia poterit agere, actione materiali.

Objicitur III. Argumentum Sancti Thomæ. Potentiæ specificantur per actus. Substantia verò non potest specificari per actus accidentales, quod enim specificatur ab alio, ad illud ultimo ordinatur; cum verò accidens ultimo ordinetur ad substantiam, hoc ipso substantia, non poterit ultimò ordinari ad accidens.

Respondetur. Retorquendo imprimis argumentum, quomodo scilicet non specificentur animæ ab accidentibus, cùm emanant suas potentias, quæ sunt accidens. Directè autem ad obje-

ad objectionem dicitur, quod potentiæ ſpecificentur extrinſecè per actus, non autem intrinſecè: quod autem ſpecificatur ab alio, tanquam ab aliquo extrinſeco, poteſt eſſe accidentale, licèt illud ipſum ſpecificatur non ſit accidentale. Quod autem recurritur ad illud, quòd emanatio potentiarum accidentalium non tribuatur animæ, ſed externo generanti, id non convincit; quia quamvis hæc emanatio in anima v. g. rationali tribuatur generanti, tanquam diſponenti materiam, quæ ultimò diſpoſita, exigit creationem animæ; Nihilominus ipſa productio formalis potentiarum illarum, fieri debet nonniſi ab ipſa anima: nam agens materiale, quale eſt generans, producere non poteſt ſpirituales potentias.

Objicit IV. quidam. Proprietates ſubſtantiarum diſtinguuntur realiter ab ipſis. Potentiæ autem ſunt animæ proprietates.

Respondetur. Negando, potentias eſſe proprietates phyſicas animæ, licet ſint proprietates ex modo concipiendi. Quamvis autem ſoli Deo competat habere omnes potentias agendi, ſibi identificatas, non ſequitur quod animæ rationali aliquæ identificari non poſſint; licet aliæ non identificentur v. g. ſpecies, habitus, organa, & ſimilia.

Instat idem. Poteſt nemine cogitante, ſeparari potentia viſiva ab anima, quia Chriſtus cæcis reddidit ipſam potentiam viſivam, quod niſi aſſeratur, diminuetur gloria miraculorum Chriſti. Et ſi dicas ſolum uſum iſtius potentiæ defuiſſe cæcis, dicam, quòd ſolus uſus frigiditatis aquæ, ad poſitionem caloris amittatur.

Respondetur negando Antecedens. Priusque debuiſſet probari potentiam viſivam eſſe diſtinctam, & poſtea inferri, illam ipſam reſtitui debere, ut dignificentur Chriſti miracula. Nam hoc principium, debent dignificari miracula Chriſti, non infert entium diſtinctionem, ſufficitque dicere, quòd moraliter loquendo, cæcis reddita ſit potentia videndi, quia moraliter judicatur, pro non habente potentiam videndi, qui caret organo. Miracula etiam Chriſti non indigent attolli, ſi aliquid obſit, ut obſunt rationes pro concluſione adlatæ. Quod autem addebatur de frigore, non convincit, quia potius eſt pro nobis. Quia ſicut aquâ calefactâ, non adimitur potentia frigoris productiva, ſic nec cæcitate adimetur potentia viſûs, præcipuè verò, quia quodcunque eſt ſignum, aliqua eſſe diſtincta realiter, hoc oſtendet, frigus eſſe diſtinctum realiter ab aqua, non ſtabit autem, pro diſtinctione reali potentiarum animæ.

Instat II. idem. In homine anima eſt ſpiritualis. Potentiæ autem ſenſitivæ ac vegetativæ ſunt materiales, ſicut & actus & objecta earundem. Ergo ſaltem hæ potentiæ diſtinguentur.

Respondetur. Anima in entitate ſpiritualis, poteſt tribuere materiæ gradum completi corporis, ipſa anima ſpiritualis eſt, concurrit tamen cum potentiis materialibus, ad actus materiales. Ergo & potentiæ illæ, licèt ſint in entitate ſpirituales, poterunt ratione organorum, producere actus materiales, circa objecta materialia. Et ſi per oppoſitos anima ſpiritualis, poteſt ipſa formaliter ex ſe proferre & emanare potentias materiales, cur non poterit producere actus materiales, potentia ſpiritualis v. g. viſiva, identificata animæ.

Objicit V. Suarez. Quo imperfectior eſt creatura, eò majorem habet compoſitionem. Ergo anima rationalis, ſupra quam ſunt plures creaturæ poſſibiles perfectiores, non debet habere identificatas ſibi potentias.

Respondetur. Retorquendo argumentum quod probaret radicem emanandi ex ſe potentias, non eſſe unam ſed plures. Quodſi dicas ſufficere multiplicitatem in ipſis potentiis, dicam & ego ſufficere multiplicitatem in ipſis actibus, dicendo v. g. quod creatura intellectiva quò perfectior eſt, eò plura objecta per pauciores actus attingat, ut ſimile quid dicitur de ſpeciebus Angelicis. Quanquam ſufficiet ad ſalvandam majorem perfectionem, ſola entitativa excellentia, ſicut ſi comparentur ipſæ creaturæ, non, ſecundùm potentias, ſed ſecundùm entitates, una adhuc, eſt perfectior præ alia.

Instat I. Suarez per paritates.

I. Paritas. Materia recipit accidentia media quantitate. Ergo & anima producit operationes, mediis potentiis diſtinctis realiter.

Respondetur. Diſparitatem eſſe. Quia ex una parte poteſt tribui Quantitati vis receptiva, ex alia parte, ut tribuatur defacto hæc vis quantitati urget myſterium Euchariſtiæ, ne in illo multiplicentur miracula, tribuaturque vis creandi creaturæ, de quo alio loco egimus. Hic verò, quamvis poſſit eſſe anima agens, per potentias ſuperadditas, quia tamen nullum fundamentum habemus id aſſerendi, cumq; poſſit intelligere v. g. ſine ſuperaddito intellectu, fit ut colligamus illi intellectum identificari, ut non multiplicentur entia ſine neceſſitate.

II. Paritas eſt. Quia anima ipſa, per nos, utitur organis, quæ ſunt diſtincta realiter ab anima. Ergo & ipſæ potentiæ diſtinctæ erunt.

Respondetur. Quod organa ſint diſtincta realiter

realiter experientia docet, cum eruitur oculus, qui est organum visûs, & tamen manet eadem anima, separabilitasque arguit distinctionem: nihil autem simile, est, pro distinctione reali potentiarum ab anima.

Tertia Paritas. In ordine supernaturali, Potentiæ sunt distinctæ realiter v. g. Habitus fidei superadditur realiter gratiæ, quæ est ipsum esse supernaturale. Ergo & in ordine naturali, potentiæ erunt distinctæ realiter ab esse naturali.

Respondetur. Negando Consequentiam. Disparitas. Quia est separabilis gratia, ab habitu fidei, ut contingit in fidelibus peccatoribus; ex quo arguitur distinctio realis, nulla autem est similis potentiarum separabilitas ab anima. Quanquam aliqui Recentiores, censent habitus morales infusos, non distingui à charitate, quia nunquam reperiuntur sine charitate.

Instat II. Idem. Anima est indifferens ad operationes diversarum potentiarum. Ergo indiget determinari à potentiæ distinctis.

Respondet Arriaga & Oviedo, Anima est indifferens ad assensum vel dissensum, nec tamen indiget potentiâ assentiendi, distincta realiter à potentia dissentiendi. Deinde quod tollit in ipsismet potentiis in differentiam agendi, si supponantur distinctæ realiter. Quod si in potentiis distinctis, potest tolli indifferentia per occurrentiam objectorum, excitationem specierum, applicationem liberam, &c. similia, idem in præsenti nos dicemus.

Argumenta Recentiorum.

Maurus hîc Quæst. 30. putat etiam, quòd potentiæ animæ, distinguantur realiter ab anima. *Hinc ab illo*

Objicitur I. Auctoritas Aristotelis 2. de An. t. 6. ubi definit animam, quòd sit actus corporis organici, & tex. 11. dicit quasdam partes, seu potentias animæ, esse separabiles à corpore, eò quod non sint actus illius corporis. Si autem potentiæ non distinguerentur ab anima, sicut anima est actus corporis, ita omnes potentiæ, essent actus corporis.

Respondetur. Concedendo quod in re, etiam intellectus sit actus corporis, licet ut subest nostris conceptibus, præsentantibus eandem animam per modum potentiæ productivæ actuum intelligendi, non debeat dici actus corporis, cum actuare formæ competat, & non potentiæ. Tex. autem 11. non agit de potentiis animæ rationalis, sed de anima materiali partibili, de qua dicit, quòd supposito, quòd partibilis sit, sint tamen partes illius aliquæ tales, ut si eæ demantur, nullum actum habere poterit corpus, de animaque dicit, quod non sit separabilis à corpore ita, ut maneat in corpore motus, ratioque corporis animati. Verba textus sunt: *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore*, (supple, ut possit actus suos exercere corpus) *aut partes quædam ipsius si partibilis nata est, non immanifestum*, (supple posito quòd anima habeat partes, etiam talis animæ partes, sunt aliquæ ejusmodi, ut sine illis corpus motus suos habere non possit, exercereque actiones animalis) *quarundam enim actus partium, est ipsarum.* Quasi dicat ab actuatione aliquarum partium, pendere etiam in illis vitam, & motum, & actus. Unde præciso corde & capite animali perfecto, non vivunt reliquæ partes. Quod autem ea sit mens Aristotelis colligitur ex Antecedentibus. textu 8. habet. Si corpus aliquod esset substantialiter, securis movere se non posset, nisi haberet animam, qua abscedente, jam amplius non esset securis, eò quòd ad actum secandi, illa substantialis securis, indigeret animâ. Verba ejusdem sunt. *Sicut si aliquod instrumentum naturale esset corpus, ut securis; esset enim securi substantia ipsius, anima & hoc, separata autem hac, non utique amplius securis esset, nisi æquivocè*; ubi dicit sine anima non mansuram illam securim in ratione secantis, adeoque securis, sed ad hoc, requirit animam, illius corporis, quod est securis, quòd ita probat. *Non enim hujusmodi corporis ipsum quid erat esse* quasi dicat, non solo corpore constabit in ratione securis) *sed ratio anima*, supple, indiget anima, tanquam principio motus) *sed naturalis hujusmodi habentis in seipso principium motus & status.* Textu 9. idem dicit de oculo, non manere illum in ratione oculi formaliter, si abscedat anima. Textu 10. dicit. *Non est autem quod abjecit animam, potentia existens ut vivat.* Quasi dicat non est potentia motum exercere vitalem, quando anima abscedit, nisi in istis quæ habent semen, quo mediante movent. Hinc & textu 11. illa verba *Quod igitur anima non sit separabilis à corpore*, accipienda erant, quod nec separata anima indivisibili, nec reparata anima divisibili, si non maneant principales partes, erit principium animalis operationis. Quid ergo hîc de potentia intellectiva condistincta & separabili?

Objicitur II. Auctoritates Sacræ. Sed illæ solvendæ ex dictis supra ad objectionem primam, ubi dictum, quid nomine viventis veniat, cur item mens, dicatur oculus & visus. Quando autem S. Anselmus dicit, potentias animæ non esse substantiam ejus, loquitur de Metaphysico constitutivo, non loquitur autem, quòd physicè non sint substantia animæ. Nec item obest quod S. Damascenus in sua dialectica, ponat potentias animæ in prædicamento qualitatis, sunt enim qualitates metaphysicæ,

† (N) non

non physicæ; multa autem ponuntur in prædicamentis, quæ non sunt physicè & realiter distincta.

Objicit III. Actus illi, quos statim, ut experimur, distinguimus, per hoc, quod sint actus diversarum potentiarum, verè debent esse diversarum potentiarum, sicut à contrario, actus illi quos statim reducimus ad unam potentiam, verè debent esse actus ejusdem potentiæ. Sed omnes actus videndi v. gr. licèt de objectis contrariis, reducimus ad visivam, actus audiendi ad auditivam. Ergo & potentiæ ipsæ distinguuntur.

Respondetur. Retorquendo argumentum. Licèt statim ac experimur in nobis apprehensionem etiam contrariorum, reducamus illam ad intellectum, non utcunque tamen, sed ut apprehendentem, & dum experimur actum enuntiandi, vel inferendi, actum enunciandi reducimus ad intellectum non utcunque, sed enuntiativum, actum autem syllogisandi ad intellectum, non utcunque, sed syllogisantem referimus, nihilominus hi intellectus, non sunt in nobis distincti realiter. Ergo & in præsenti idem dicendum. Deinde distinguitur major; actus, quos statim, ut experimur, distinguimus, per hoc quod sint actus diversarum realiter potentiarum deberent esse actus diversarum realiter potentiarum, Concedo. majorem. Actus quos distinguimus per hoc quod sint actus diversarum, ob diversa connotata potentiarum, deberent esse actus diversarum realiter potentiarum, Nego Majorem.

Instat I. Idem. Licèt actus videnti & actus imaginandi, habeant aliquando idem objectum, adhuc distinguimus illos inter se, per hoc, quod sint actus diversarum potentiarum. Ergo potentia visiva & imaginativa sunt diversæ potentiæ.

Respondetur. Eadem methodo ut primo argumento. Negatur item hæc quæ hîc supponitur Major: Qui actus distinguuntur inter se realiter, illi ostendunt distingui realiter potentias. Unde actus distincti realiter, in suo effici, realiter pendent à potentiis, sed non pendent à potentiis, in suo distingui, quasi non essent distincti realiter; nisi quia proficiscuntur à potentiis distinctis realiter. Cum individua v. gr. humana, distinguantur realiter inter se, & in effici, pendent ab Omnipotentia, neque tamen distinctio illorum realis, proficiscitur à distinctione reali Omnipotentiæ producentis Petrum, & omnipotentiæ producentis Paulum.

Instat II. Idem. Primo aspectu non minus videtur absurdum quòd homo per intellectum velit, per voluntatemque intelligat, quàm quod per oculos audiat, per aures videat. Ergo voluntas & Intellectus distinguuntur realiter sicut oculus & auris.

Respondetur. Negando, absurdum esse dicere, quod intellectus velit, licet sit absurdum dicere, quod oculus audiat, quia hujus locutionis sensus est, auditio exercetur in organo oculi, quod falsum est; cùm manifesta sit diversitas & distinctio realis horum organorum.

Instat III. Horum omnium à priori est ratio, quia ad actus attingentes objectum sub diversa ratione formali, & per modos terminandi diversos, requiruntur diversæ potentiæ, & si tales sint actus materiales, requiri solent diversa organa materialia.

Respondetur. Ex dictis fallere majorem in intellectu enuntiante & inferente, definiente & discurrente, licet alia sit ratio definiendi, & diversus operandi modus. Fallit item major in sensu communi, quia ratio visibilis, est ratio formalis alia, modusque tendendi invisibile, est alius, ac in audibile; & tamen hæc omnia proficiscuntur ab eodem realiter principio, in sensu communi. Quare autem licèt organa sint realiter distincta, non sit necesse distingui realiter potentias, dictum supra.

Addo, quid sentiendum de illo quod dicit Maurus ad sextum, nempe in suis principiis potentiam apprehensivam, judicativam & discursivam, esse unicam potentiam, quia sicut omnes visiones reducimus ad unam potentiam visivam, ita omnes apprehensiones, judicia, ac discursus reducimus ad unam potentiam intellectivam. Memoria tamen inquit aliqualiter distinguitur ab intellectu, quatenus superaddit species objectorum, ante cognitorum. *Sed id etiam*

Non Satisfacit. Quia auditiones & visiones licet reducantur ad potentiam sensitivam, nihilominus reducuntur ad potentias, (ut vult Maurus) distinctas realiter, ita ut reductio ad potentiam sensitivam, sit reductio ad aliquid genericum, ergo etiam reductio apprehensionum, judiciorum, & discursuum, ad intellectum, erit reductio ad aliquid genericum, nec impediet, quominus reductio ad Intellectum, apprehendentem. v. gr. Sit reductio ad aliquid distinctum realiter, à potentia judicativa. Aut si hîc reductio, non est ad distinctam realiter potentiam, nec hæc erit. Item, si aliqualiter tantùm distinguitur memoria ab Intellectu, ratione specierum, quas superaddit; etiam intellectus indigens speciebus, quibus non indiget voluntas, quâ talis æqualiter tantùm, distinguetur à voluntate.

Punctum Difficultatis I.

Influeretnè Anima immediate in operationes, si distingueretur à potentiis?

Dicendum est. *Animam immediate eo etiam casu, influxuram in operationes.*

Probat

Probat I. Conclusionem Ariaga & Oviedo. Anima immediate debet concurrere ad actus voluntatis. Ergò immediatè influit in suas operationes. Antecedens probatur. Quia si sola potentia influeret in actus voluntatis, sola potentia & non anima peccaret, anima enim non efficeret peccatum, id autem solùm peccat, quod est causa peccati.

Respondet I. Recentior Suarez, Animam cùm peccat, solùm peccare per suam voluntatem, solum enim peccat in quantum est libera, & solùm est libera, per voluntatem, quomodo autē anima possit peccare per solam voluntatem, illustrat hoc instantiis. Omnes homines peccaverunt per solam voluntatem Adæ; & si ad hoc peccatum sufficiebat alligatio voluntatum moralis ad voluntatem Adæ, multò magis sufficiet alligatio physica, animæ cum voluntate. Et sicut Principes agunt moraliter per suos plenipotentiarios. Populi per Principes, pupilli per tutores, contrahentes per suos procuratores, propter alligationem moralem, cur non censebitur anima agere per voluntatem, propter alligationem physicam.

Contra. I. est. Tum quia, per quod transitur à non esse peccatoris, ad esse peccatoris, debet esse talis mutatio, ut illâ positâ, impossibile sit non fieri peccatum, ut notum est ex defensione hujus principii aliàs factâ. Sed si anima seipsa non influeret in actionem peccaminosam, non posset ostendi talis mutatio; quod probatur. Quia actio ipsa peccaminosa seipsa non potest inducere peccatum in animam, si enim per impossibile vel possibile, non esset voluntas unita animæ, & exerceret actionem peccaminosam, nullum esset fundamentum peccaturam tunc animam, haberet se enim tunc anima, sicut voluntas Christi Humanitatis, & Beatissimæ, non alligata voluntati Adami; sic nec anima esset tunc alligata voluntati peccanti. Conjunctio eriam ipsa cum voluntate, non potest facere, ut peccante voluntate, peccet anima. Quia nihilo aliter habet se anima in ordine ad actionem peccaminosam, conjuncta atque non conjuncta; in quo enim aliter se haberet, quod ad præsens sine petitione principii conducat, quomodo ergo ex conjunctione illa peccabit? Et non alligatio illa ad voluntatem, libera non sit animæ, si anima peccat nonnisi propter alligationem, quomodo liberè peccabit, idque per actum suum proprium, peccatoque actuali. Tum quia id quod meretur, exercetque negotium salutis, non se in illo negotio per Tridentinum merè passivè habet. Ergo & id quod peccat, non se merè passivè habebit. Si autem anima non se movet ad operationes, quomodo non se merè passivè habebit. Tum quia quomodo possit aliquis peccare peccato alienę voluntatis hoc est originali, explicabilius est, ut faciunt Theologi in materia de peccatis, sed quòd sine motu proprio & actuali, peccare possit anima actualiter, non est explicabile. Tum quia; peccante voluntate, vel ita transfunditur peccatum in animam, sicut transfunditur originale in posteros, vel ita sicut transfunditur in ipsam voluntatem peccantem. Si ita ac in ipsam voluntatem. Ergo ita aget sicut voluntas, illa enim transfusio nihil aliud est, nisi ipsa actio peccaminosa disordinans voluntatem. Quodsi ita transfunditur, sicut transfunditur originale, ostende, quî fieri possit, ut cum dicatur anima illa, non origine, sed actu peccatrix, sit tamen talis, sine ullo actu; quomodo item possit aliquid, per aliud à se, peccare suo physicè peccato. Tum quia. Demus Tutores pupilli occidisse aliquem; non poterit dici, quod occiderint nomine pupilli. Ergo nec in presenti dici poterit, peccante voluntate peccare animam.

Contra II. Quæro, voluntate peccante, vel potest dicere anima, nolo, volové peccare, vel non potest dicere? Si potest? Contra erit. Tum quia jam prout condistincta à voluntate velle posset, rediretque quæstio, an velit per identificatam, an per distinctam voluntatem. Si per identificatam, Ergo & prior illa erat identificata. Si per distinctam, dabis processum in infinitum. Tum quia si anima potest dicere volo peccare, idque prout condistincta à voluntate. Ergo prout condistincta à voluntate, influet in actum peccaminosam, illud enim influere non aliud est, quàm dicere, volo peccare. Quodsi non potest dicere anima, nolo, voloque peccare, Ergo non est libera, Ergo non peccat. Neque valet, si dicas, liberè illam mediatè, quia facit per voluntatem. Non inquam valet si id dicas, quia de hoc ipso quæritur, quomodo faciat per voluntatem; dicamque posse salvari libertatem totam, licèt Deus determinaret ad peccandum, quia mediatè homines habuerunt libertatem, habentq; potentiam liberam.

Contra III. Ponamus peccatum esse actum positivum, realiter separabilem à peccatore, si ille actus poneretur in anima alîus, qui illum actum non elicuit, unireturque unione physica eidem animæ, nihilominus per illum, anima non peccaret. Ergo nec per peccatum suæ voluntatis, sibi physicè unitum peccat, utrobique enim intercedit unio physica, quæ si in uno non facit, ut dicatur peccare per peccatum unitum physicè, quare faciet in alio. Ea certè anima, prout condistincta voluntati, vel peccat liberè, vel necessariò. Si liberè. Ergo proprio motu. Sinecessariò. Ergo non peccat. Neque dicas, quòd peccet liberè ratione voluntatis; argumentum enim procedit de illa, prout condistincta à voluntate.

Respondebis II. Quod admiserimus in physicis, mediantibus accidentibus causas prin-

cipales agere, modo causæ principali debito, hoc est, non agendo per se, sed per instrumenta.

Contra. Tum quia instrumenta illa, de quibus inibi actum, sunt talia, quorum vim agendi, quamvis non possint reprimere substantiæ, censentur tamen illa instrumenta, agere nomine substantiarum. Si autem non posset anima reprimere suam voluntatem, hoc ipso non censeretur anima peccare per voluntatem, quomodo enim jam esset illi liberum, non peccare. Ergo apparet aliter comparari debere animam ad voluntatem, & substantias ad sua instrumenta. Tum quia, illa instrumenta sunt ejus naturæ, ut etiam separata à principali agere debeant, salvo hoc, quòd actio illa, tribuatur principali. Hinc modus agendi illarum substantiarum est actio instrumenti. Jam autem voluntatis separatæ ab anima, actio, non tribueretur animæ. Ergo apparet actionem animæ, non esse præcisè actionem voluntatis. Tum quia, à modis agendi causæ necessariæ, non tenet illatio ad modum agendi causæ liberæ, quâ talis.

Probant II. Iidem. Idem debet esse principium volitivum & cognoscitivum. Sed nisi anima immediatè concurreret ad actus cognoscendi, & ad actus volendi, non idem esset principium volitivum & cognoscitivum, sed distinctum realiter. Ergo. Major probatur. Quia si non idem deberet esse principium volitivum & cognoscitivum, voluntas ferretur in incognitum, non enim posset cognoscere. Nec refert, quod aliquid, distinctum ab ea realiter, cognoscat Quia, ut illustrat Arriaga, parũ refert Petro, si Joannes viam sciat, nisi hæc sit notitia, etiam in Petro. Et certè cõmuni phrasi, voluntas appellatur cæca, quæ cæcitas actu tolli non potest, si alius quis, distinctis à se, videat.

Respondet I. Recentior Suarez voluntatem ferri in incognitum à se, cognitum tamen ab Intellectu.

Contra. Voluntas prout condistincta ab Intellectu, vel cognoscit, vel non cognoscit. Si cognoscit? Ergo identificat sibi intellectum. Si non cognoscit, quæro, an unio voluntatis cum intellectu, faciat voluntatem cognoscitivam, vel non facit? Si faciat, Ergo faciet illam intellectum. Si non facit cognoscitivam. Ergo ita cum unione illa manet cæca, sicut manebat sine unione. Ad eum modum, sicut si lux non illuminaret parietem & non faceret lucidum, ille ut ante, in tenebris esset. Sic etiam, nisi unio illa faciat voluntatem cognoscentem, ut ante, ferretur in incognitum. Rursùs, nihil plus habet voluntas illuminata ab Intellectu, si nihil percipit, atq; tunc, cum non illuminatur ab Intellectu. Quia illud illuminari non videtur plus esse, quàm percipere, sed si non illuminaretur esset cæca: Ergo & si non percipit, erit cæca.

Respondebis II. Propter radicationem illarum potentiarum in anima, fit ut ex operatione unius potentiæ, excitetur operatio alius potentiæ.

Contra. Redit argumentum. Quomodo poterit fieri illa exercitatio, ut salvetur voluntatem non ferri in incognitum, si illa nullo modo percipit objectum. & si non est idem volitivum & cognoscitivum.

Probatur III. Quia si anima non concurreret ad operationes, haberet se sicut aliquid mortuum, nec plus ageret in corpore, quàm forma lapidis unita ejus materiæ. Siquidem nihil jam ageret. Et sicut in materia de Angelis dicitur, quod si nihil operaretur Angelus, haberet se sicut mortuum quid, sic & in præsenti, anima esset quid mortuum.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Potest comitti peccatum, propter alligationem voluntatis humanæ, ad voluntatem Adami. Potest item fieri aliquid nomine populi, vel Principis, propter alligationem cum voluntate Principis, vel locum tenentis. Corpus item punitur propter sola peccata animæ, cui est alligatum corpus. Ergo etiam propter alligationem physicam voluntatis cum anima, poterit dici quòd peccante voluntate, peccet anima puniaturque.

Respondetur. Quod attinet ad Originale, Disparitas est. Quia connexio nostrarum voluntatum fuit nonnisi moralis, quomodo enim physicè connecti potuissent cum Adamo cum necdum fuerint; propter quam moralem nonnisi connexionem, fieri etiam potuit, ut absolutè nos physicè non peccaremus, peccante Adamo, siquidem hæc moralis connexio, fuit nonnisi ex pacto. Jam autem quando voluntas peccat, debet ita peccare, ut hoc ipso, non possit non peccare anima, si enim peccante voluntate potest non peccare anima, non ostenditur sufficiens ratio, cur potius peccet. Ut ergo peccante voluntate dicatur peccare anima, non sufficiant alligatio moralis, non etiam physica unio, propter rationes adlatas. Ergo apparet recurrendum hîc esse ad aliud, hoc est, ad motum proprium animæ: licèt in originali non sit recurrendum. Hoc ipsum, hac alia methodo proponitur. Quia ad peccandum peccato originali (idem dic de faciendo aliquid nomine Principis vel populi) non est necessarius motus physicus posterorum, hoc ipso enim, illud peccatum non esset originale. Ad peccandum autem actuali peccato, necesse est moveri motu suo physico, quia nec ad mereri, nec ad demereri, habemus nos merè passivè. Cum ergo anima sit peccatura tunc peccato actuali, debet etiam intervenire, motus physicus ejusdem. Quod ad instantiam de corpore attinet, illa parum evincit.

vincit. Quia corpus nullo modo rigorosè peccat, consequenter nec debet moveri motu proprio; rigorosè enim anima peccat. Immò hæc instantia adhuc aliquomodo est pro nobis, quia ad actus sensuales, physicè concurrit corpus, Ergo & ad actiones peccaminosas, Physicè debet concurrere anima.

Objicit II. Recentior Suarez. Quia sine necessitate admittitur hic concursus ipsius animæ.

Respondetur. Necessitatem ejus desumi ex adlatis rationibus.

Instat I. Motus progressivus, sufficit quod imperetur à voluntate, & eliciatur immediatè à potentia progressiva. Ergo non est necessarius concursus immediatus animæ.

Respondetur. Medium terminum esse pro nobis. Nam ipsa voluntas imperat motum, influitque in illum per actum suum. Ergo & anima, idem facere debebit. Rursùs cum voluntas non ambulet, sufficit, ut motus eliciatur immediatè à potentia progressiva: cum autem anima peccet, debet etiam producere immediatè actum peccaminosum.

Instat II. Non est necessarius immediatus concursus animæ, ad actum peccaminosum, ad hoc, ut dicatur peccare. Quod ipsum probat. Aut enim anima peccat, per solum suum concursum partialem immediatum, aut etiam per concursum partialem voluntatis. Non per solum suum partialem immediatum concursum, quia hic non est liber, adeoque nec peccaminosus. Si per concursum voluntatis, iste non est immediatè ab anima. Ergo anima potest peccare per concursum mediatum, non suum, sed suæ voluntatis.

Respondetur. Hoc argumentum esse pro nobis, quia cum partiales isti concursus non dentur, nec sufficiant ad peccatum, cum tamen constet peccare animam, fit, ut anima per indistinctam voluntatem, debeat concurrere ad illos actus. In sententia autem quæ distingueret potentias, deberet dici, quod peccet anima per suum immediatum concursum, qui etiam est partialiter, immediatè liber.

Instat III. Intellectio & volitio immediatè in potentiis recipiuntur. Ergo & immediatè ab illis causantur.

Respondetur. Negando Antecedens, suppposito quòd hæ potentiæ, non distinguantur ab anima. Supposito autem quod distinguantur, Disparitas est. quia hoc quod proprio peccato peccat actualique non potest dici, quod peccet sine motu proprio, consequenter & anima, quæ proprio physicè peccato peccat, debet agendo ad illud moveri. Non est autem necesse, ut aliquid dicatur immediatè peccare, non est inquam necesse recipere in se peccatum, cum quamvis in voluntate non reciperetur, adhuc peccaret voluntas.

Objicitur III. Impugnando rationem conclusionis secundam. Potest excitari habitus qui non sit cognoscitivus, adducique ut agat unà cum potentia, idque propter unionem & radicationem in eadem anima. Ergo etiam & voluntas, quantumvis non sit cognoscitiva, potest ad agendum excitari cognitione, in solo intellectu existente.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia habitus feruntur in incognitum, nec debent se determinare ut ad unam potiùs partem, quàm ad aliam concurrant, quia sunt determinati nonnisi ad similes actus. Jam autem voluntas non potest ferri in incognitum, debetque se determinare ad hanc potius, quàm ad illam partem, quod fieri non posset si non esset, idem principium, volitivum & cognoscitivum.

Instat Pontius. Ignis calefacit, quamvis calefactio ab eo immediatè non procedat, sed à calore ipsi inhærente. Ergo etiam peccare poterit & anima, quamvis actus peccaminosus, v. gr. non procedat ab illa immediatè.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia ad hoc ut dicatur ignis calefacere, sufficit ut se mortuo etiam modo habeat, cum illi tribui possit effectus, etiam non conjuncto cum calore, ut vidimus in physicis. Jam autem quod peccat, mortuo se modo, ad hoc, non debet habere. Si autem sola voluntas ageret, mortuo se modo ad hoc deberet habere anima. Quod autem dicit Pontius, sicut anima non concurrit immediatè ad operationes, sed nonnisi imperativè, sic etiam non punitur immediatè, sed pœna immediatè recipitur in potentiis, mediatè in anima. Id etiam non convincit. Quia phrases Patrum, sine restrictione docent, animam pati, animam damnari. Simpliciter autem dictum, Pati, supponit pro pati immediatè. Deinde argumentum adlatum non in eo se fundabat, quomodo scilicet, & quare puniatur anima, sed in eo, quomodo non est idem principium cognoscitivum & volitivum, & in eo, quomodo peccet anima peccato actuali, sine actuali suo motu.

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo influant partes animarum divisibilium, in Operationes?

Est hoc punctum Difficultatis, nonnisi complementum materiæ, de concursu potentiarum, & est solutio argumenti, quod ostendit sufficere, quòd intellectus eliciat cognitionem, & non anima. *Est autem*

Argumentum tale. Potentia hoc motiva residens in capite, movetur ex sensatione existente in pede v. gr. si pes percutiatur, & tamen non est idem principium sentiens illam dolorem, & movens. Ergo neque in creatura rationabili idem debet esse principium cognoscitivum & volitivum. Antecedens probatur. Distincta est pars animæ residens in capite, &

residens in pede. Ergo non est idem principium movens & sentiens dolorem. Et titulus, & argumentum propositum, deposcunt universalem resolutionem; An sensatio facta in hac parte, eliciatur à tota anima, divisibili, bruti.

Dicendum est. *Sensationem factam in oculo v. gr. non exerceri ab anima bruti posita in pede.* Et universaliter sensationes animæ divisibilis, non fiunt ab anima tota. Ita Arriaga contra Oviedo.

Probatur I. Quia si abscindatur pes equo, vel auricula, vel alia pars sine qua vivere potest, æquè benè videt ac ante, quòd certè non fieret, si influxisset in visionem etiam pars animæ, quæ est abscisa cum pede. Quia diminutis causis, non ita intensus prodit effectus.

Probatur II. Quia vel illa sensatio tota producitur ab anima residente in oculo, & tota ab anima residente in pede; & hoc non, quia à duabus causis totalibus, naturaliter idem effectus prodire non potest à totalibus inquam, ejusdem rationis. Si autem eliciatur ita, ut quamvis anima quæ est in oculo, sola possit elicere visionem, nihilominus attemperet suum concursum, detque locum agendi, etiam reliquis partibus, hoc dici non potetit, quia nullum fundamentum est asserendi, unde illa agentia moveãtur, ad temperandum concursum. Rursùs illæ partes non sunt æqualiter applicatæ; jam autem ex generali regula, quam advertit Arriaga, quando aliquæ causæ, sunt inæqualiter applicatæ, quamvis vim habeant agendi, si tamen absit applicatio æqualis, censendus est produci, à causa, melius applicata.

Confirmatur. Quia expresè dicit Oviedo. Ideo vivens majus corpore, non videre melius, viventi, quod est minus corpore, quia reliquæ partes habent sua munera, quæ exercent in pluribus partibus materiæ. Cur ergo non ita etiam occupat, & alligataa ad munera in pede exercenda, ut non concurrat ad sensationes oculo faciendas.

Probatur III. Quia si anima existens in pede, concurrit ad eliciendam visionem, vel sua entitate immediatè informat oculum, cum illoque concurrit: & hoc non, quia aliàs in duplici loco esset; vel certè transfundit virtutem suam per medium, quæ postea sit elicitiva visionis cum oculo, & hoc non quia tales virtutes nonnisi illis agentibus concedi debent, quorum virtus, etiam separata à suo principio, agere potest, ac egisset unita: & ita conceditur igni calor, qui calefacit, separatus ab igne, quantitas materiæ, separata in Eucharistia, subjectat accidentia; jam autem nulla est virtus, quæ separata ab Entitate animæ, se sola, producat visionem. Non etiam potest elicere actionem, eamque transmittere in oculum; quia impossibile est transmitti actionẽ per medium, nihil agentẽ in medio, hoc enim ipso illa actio, nõ esset actio.

Objicit I. Oviedo. Anima bruti secundùm se totam, est capax elicere visionem, constat enim partibus homogeneis. Rursùs secundùm omnes partes, est sufficienter applicata ad visionem eliciendam, nec impeditur quod in pede existens, non habeat in pede organisationem oculi. Quod ipsum probatur. Quia agens divisibile non debet esse, immediatè applicatum passo, secundùm omnes sui partes, sed sufficit ut habeat applicationem immediatam, ratione alicujus partis, mediatam ratione aliarum. Ergo idem dicendum de anima.

Respondet Arriaga, quod id verum sit, quando experientia adest, qualis experientia est, quòd non solùm partes conjunctæ ignis agant, sed & remotiores. Nam si remotiores dividantur, non fit tam intensa actio; experientia autem nulla est, quòd concurrat pars animæ existens in pede ad visionẽ. Immò est experientia in oppositũ ut vidimus, cum parte animæ abscissatũ pede, non fiat ulla diminutio in videndo.

Aliter eidem objecti satisfit, quòd procedat de operationibus inorganicis, non autem de organicis propter rationes adlatas.

Objicit II. Idem. Non impeditur anima bruti in pede existens defectu organi videndi. Ergo adhuc potens visionem elicere in oculo. Antecedens probatur. Quia organisatio se tenet ex parte subjecti, & non requiritur ex parte agentis, neque ratione principii activi, neque in illa parte, à qua fluit actio, sed in illa parte in qua recipitur, vel cui unitur illius terminus. Ergo visio recipienda in pupilla, etiamsi producenda sit à tota anima, non requiret organisationem, quoad omnes partes immediatam.

Respondetur. Negando Antecedens, quod scilicet organisatio requiratur ad solam recipiendam v.g. visionem, & non requiratur ad agendum, saltem tanquam necessarium prærequisitum, sine quo procedere non potest ad eliciendam actionem; aliàs anima videre posset independenter ab organo, & cum antecedenter ad receptionem sensationis, jam sensatio sit materialis, debuit dari restrictivum animæ, ut illam materialem eliceret, quod restrictivum non ostendi, nisi concedatur, præter receptionem in subjecto materiali, esse aliquid prius, quod antecedenter à parte principii etiam requisitum, restringat animam.

Objicitur III. Argumentum prætactum quomodo in bruto, idem sit principium cognoscens, & movens.

Respondetur. Communiter, à parte sentiente transmitti species ad cerebrum, ubi cognitiva brutorum residet, quæ adjuta speciebus, ut inquit Arriaga, transmissis, cognoscit objectum, quod prius anima sensérat in pede, quæ etiam prout appettius est, elicit actũ, quo vult movere totum corpus, aut partem, proceditq; ad motum nervorum ex cerebro per totum corpus diffusorum, quibus motis etiam anima in pede existens, movet v. g. pedem.

DIFFICULTAS II.

De Potentiis prout receptivis operationum.

Quæstio procedere potest, vel de operationibus materialibus, qualis est operatio phantasiæ, & sensuum, vel de immaterialibus nempe intellectione & volitione.

Dicen-

Dicendum est I. *Actus immateriales immediatè recipi in anima.*

Probatur. Quia v. g. intellectiones, non recipiuntur in potentia intellectiva, quia hæc condistincta ab anima non datur, non etiam recipiuntur in corpore, quia ex una parte anima est subjectum, sicut gratiæ ita & operationum immaterialium capax, salvabiturque ita, quomodo actus vitalis, si nihil obsit, ab eodem principio recipiatur, à quo producitur. Ex alia parte si nihil obsit, debet illis proportionatum subjectum assignari, major autem est proportio operationum spiritualium, cum subjecto spirituali. Et licèt quidem materia, sit subjectum connaturale animæ spiritualis, non sequitur esse subjectum connaturale etiam operationum illius, quia nisi reciperetur anima spiritualis in materia, non fieret ullum compositum substantiale, nec satisfieret ordini essentiali, quem dicit forma spiritualis, ad materiam. Immo nisi in illa reciperetur, nullum aliud esset subjectum repetibile, in quo recipi connaturaliter posset. In præsenti autem pro actionibus immaterialibus recipiendis, in materia, non militant similes rationes.

Dicendum est II. *Actus materiales ne quidem inadæquatè recipi in anima.* Est conclusio Oviedi contra Arriaga. Et à fortiori eorum qui censent, ne divinitus quidem posse recipi accidens materiale, in subjecto spirituali.

Probari I. Posset ex Recentiori Suarez. Quia non magis independerent sensationes à materia, quàm intellectiones: Si non reciperentur in materia ipsa, sensationes, sicut in materia non recipiuntur intellectiones.

Responderi potest. Actiones materiales quoad subjectum, æquè independere à materia, atque intellectiones, nam in his principiis sicut intellectiones, ita & sensationes, reciperentur saltem inadæquatè in anima spirituali, licèt quoad elici, magis pendeant sensationes à materia; quia materiales actiones, sine organo elici non possunt, cum sine illo eliciantur intellectiones.

Urget rursus. Quia non est unde illæ actiones forent materiales, non ex objecto, quia circa objectum materiale, fieri possunt actiones spirituales; Non ex subjecto, quia hoc esset spirituale, nempe ipsa anima.

Responderi posset. Actiones illas fore materiales, quia in illis eliciendis, restringitur anima spiritualis per organum. Quod dicit deferendas istas actiones ab anima separata; id non convincit, cum anima ne quidem actiones spirituales secum deferat. Si autem res sit de speciebus, dici posset illas non esse deferendas, quia corrumpuntur, utpote materiales, ordinatæque ad deserviendum corpori, quod deletur. Cumque ille status extendi, sit spiritualis, spiritualia nonnisi instrumenta depoicet, sin toque illo fine, ad quem natæ sunt deservire species materiales, hoc est operationes in corpore, & ipsæ desinent. Denique quod addit inde sequi solam animam videre & non oculum, ambiguum est. Si enim id velit significare, quòd non detur ulla potentia visiva condistincta ab anima, id libenter concederetur Si autem significet, oculum pro sola materia acceptum, non esse principium elicitivũ visionis id dare docet Oviedo hic contr. 3. p. t. n. 17. Si autem velit significare, quod independenter ab organo eliciatur illa visio, id omnes negabunt. *Sed aliter*

Probat idem Suarez conclusionẽ. Quia anima vel sentit per illam partialem sensationem, in seipsa receptam, aut etiam per illam partialẽ receptam in materia, si sentit etiam per illam partialem receptam in materia, ergo quamvis tota reciperetur in materia adhuc per illam sentire posset anima. Si autem sentit nonnisi per illam in se receptam, ad quid requiritur illa pars, recepta in materia.

Probat Oviedo. Non potest esse anima, subjectum adæquatum operationum materialium, ut docent oppositi. Ergo nec poterit esse subjectum inadæquatum. Quod probatur. Incapacitas recipiendi adæquate formas materiales, nõ oritur in anima ex alio, quàm ex improportione inter rem spiritualem & materialem. Sed eadem improportio manet, respectu subjecti inadæquati. Ergo.

Probatur III. conclusio. In linea agendi semper quæritur principium proportionatum. Ergo & in linea recipiendi. Jam autem spirituale subjectum, non est proportionatum, recipiendo alicui materiali.

Objicitur I. Si non reciperetur actio materialis v. g. visio in anima, & esset ille actus vitalis, & non esset. Esset ut supponitur. Non esset autem, quia de ratione actus vitalis est, ut actio ab eodem principio eliciatur, & recipiatur.

Respondetur. Si actus vitalis proficiscatur, à solitariè sumpta potentia, in illa recipi debet. Si autem actus vitalis non proficiscatur à potentia solitariè sumpta, sufficit ut in alterutro ex istis, quæ ad illum actum requiruntur, recipiatur; hoc est magis proportionato. Quia autem visio oculàris non fit ab anima solitariè sumpta, sed in organo, fit ut in illo tanquam proportionato, recipi possit, sufficitq; ut vel immediatè vel mediatè, in potentia recipiatur, quando recipitur in organo, cui unita est anima. Et certè tota ratio receptionis actûs vitalis, in principio à quo producitur, in hoc sita est, ne maneat accidens sine subjecto, & ne actus immanens extra exeat. Quod totum salvatur, quamvis recipiatur sensatio non in anima immediatè, sed in organo.

Potest & alia via teneri ad respondendũ huic argumento. Quod scilicet de ratione actus vitalis sit, non recipi in potentia eliciente, sed uniri illi, quæ duo distincta sunt, nam materia unitur formæ, nõ recipitur in forma. Sic etiam & ille actus, non recipietur quidem in anima, utpote spirituali, unietur tamen illi, quia indistabit ab anima unita organo in quo recipitur immediatè. Sufficere autem hoc ad rationem actus vitalis.

PROBATUR. Negativo argumento, quia nulla necessitas est, plura ad vitalitatem requirendi. Unde majorem habebunt immanentiam operationes bruti cum bruto, & intellectiones cum anima, quia & recipientur & indistabunt; jam autem operationes materiales hominis, indistabunt quidem ab anima, non recipientur tamen in illa. Quanquam supra etiam dictum, quod, de ratione essentiali vitalitatis, non sit, immanentia per receptionem.

INSTABIS. Non potest reddi anima volens, actu voluntatis sibi unito, ergo nec reddi videns, visione in alio recepta.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ad hoc ut dicatur aliquis velle, non debet se habere mortuo modo, debetque se movere, cæteraque sunt paria, quia est proportio inter animam & volitionem; jam autem etiamsi anima non subjectet visionem materialem, non dum se mortuo modo habebit ad illam anima, movebit enim se ad illam producendam, cæteraque sunt imparia, quia est improportio inter animam spiritualem, & inter materialem actionem.

OBJICIT II. Ariaga locum S. Augustini, ubi de Spiritu & anima, appellat animam sensum, dum sentit.

RESPONDETUR. Concedendo totum, neque enim hîc quidquam agitur de receptione, solumque fortè vult Augustinus dicere, quod potentia sensitiva, indistinguatur realiter ab anima. Denique hoc solum vult fortè Augustinus animam reddi sensum, principiando sensationem. Et quamvis non exprimat Augustinus se agere de productione sensatiois, sufficeret interim, quòd non agat de subjecto receptionis clarè.

OBJICIT III. idem rationes.

PRIMA est. Si anima bruti non reciperet sensationem, non redderetur magis sentiens & appetens, quàm materia. Vita enim æquè primò dicit receptionem & effectionem sensationis.

RESPONDETUR. In brutorum anima, utpote materiali, recipi sensationes, non in spirituali humana; magis tamen sentiet anima humana, quàm materia, quia ut dixi supra, vitalitas potissimum spectatur, penes ipsam actionem.

SECUNDA RATIO. Sensatio non potest facere materiam sentientem, ergo nec in illa recipi; sicut quia Quantitas non potest facere Angelum extensum, in illo non recipitur.

RESPONDETUR. Quod sensatio faciet materiam sentientem, hoc est, habentem sensationem sibi unitam, ad quam etiam concurrit, non faciet tamen sentientem, quasi se sola percipiat objectum. Quantitas autem ideo non recipitur in Angelo, quia Angelus est subjectum illius improportionatum, quæ improportio non est inter organum, & actionem materialem.

TERTIA RATIO. Si sensatio non reciperetur in anima, non posset reddere hominem sentientem. Quod ipsum probatur. Quia ut aliquod totum, propriè ac simpliciter denominetur tale, debet illa denominatio cadere, supra aliquam illius partem, sed si anima non recipit sensationem immediatè, denominatio sentientis nulla parti tribueretur determinatè; non enim tribueretur materiæ, quia hæc recipiens sensationem, non sentit; non item tribueretur animæ, quia hæc non reciperet sensationem. Ergo. Illustrat hoc instantia. Quia sicut anima, si reciperet immediatè albedinem, cum anima sit incapax denominari alba, non potest homo dici ratione illius albedinis, albus, sic nec in præsenti dici poterit sentiens.

RESPONDETUR. Negando sequelam, Quia anima denominatur sentiens elicitivè, quamvis non receptivè immediatè, ratione cujus, benè potest denominari totus homo sentiens, præcipuè cum sensatio, ut dictum supra, desumatur unicè ab ipsa actione. Eidem argumento bonam dat solutionem ipse Ariaga; quod scilicet denominatio sentientis, ex duplici ratione constet, ex recipere, & ex elicere, quorum utrumque non est necesse, ut eidem conveniat.

Continuatur Solutio,

Et quid de potentia absoluta fieri possit ostenditur.

QUARTA RATIO ejusdem est. Si quis effectus non possit coalescere ex aggregatione subjectorum, sed debeat esse in uno, is maximè erit effectus v. g. videntis, quod ipsum probat. Si forma rationalis interrogetur, videsné objectum? diceret: Nihil ego scio, & si interrogetur materia per impossibile, diceret: Nec ego scio, quomodo ergo uterque respondebit: scio.

RESPONDETUR retorquendo imprimis argumentum. Si quæram ex semiulna: Esné Tu ulna? respondebit: Non! & si quæram ex altera parte: Esné Tu ulna? respondebit: Non! cur ergo fieri poterit, ut utrumque simul sumptum dicat: sum ulna. Et sicut ex his duobus conflatur ulna, sic ex illis duobus, hoc quidem elicitivo, illo receptivo, consurgit denominatio sentientis. Deinde directè respondetur, quod anima, ratione ejus, quòd sit principium elicitivum visionis, dicere possit: Ego video.

QUINTA RATIO ejusdem est. Anima debet immediatè recipere cognitionem, ut possit excitari ad amandum, quia idem debet esse principium cognoscens & amans, sed etiam ex sensatione materiali, determinatur anima ad appetendum. Ergo etiam anima debet esse cognoscens & recipiens cognitionem materialem.

RESPONDETUR, Imprimis negando, quod eadē anima, indispensabiliter debeat recipere cognitionē, & amare; cū sufficiat solùm, ut eadē producat cognitionē & amet. Sed insuper disparitas dari potest, quia si nō idē esset princip. noscitivū & vo-

& volitivum, voluntas ferretur in incognitum, quod absurdum est; & ex alia parte, intellectioni est subjectum proportionatum anima; hoc autem absurdum non sequeretur, nec simile, si anima non reciperet in se cognitionem materialem, cui etiam ab alia parte est improportionata, adhuc enim verè eadem anima erit sentiens, & appetens, ratione ejus, quòd idem principium eliciat sensationem, & appetitionem, licèt illam sensationem non recipiat in se anima. Unde ulteriùs dicitur, quòd ad cognitionem, (ut illa reddat cognoscentem) non sit necesse ut informet immediatè, sic sufficit ut eliciatur, & vel recipiatur si sit proportionata, vel indistet ut dictum supra. *Sed poteritne Divinitus recipi sensatio materialis in anima spirituali?* Hæc quæstio decisa manet alibi, ubi diximus, accidens materiale, posse Divinitus recipi, in subjecto spirituali, quantumvis improportionato. Et ratio est, quia id non implicat contradictionem. Et quia extensionem illius, vel simpliciter potest auferre Deus, auferendo quantitatem, vel impedire effectum illius secundarium, qui est extensio localis.

Dices cum Recentiori Suarez. Accidens spirituale v. g. intellectio, si est distincta realiter, non potest ferri extra suum subjectum, sicut nec extra suum objectum. Atqui si poneretur in lapide intellectio, ferretur extra suum subjectum, ergo non potest in illo collocari.

Respondetur. Negando paritatem; Disparitas, quia non est tanta connexio accidentis spiritualis, quod est intellectio, cum subjecto, quàm cum objecto. Quod ipsum probatur. Quia impossibile est esse intellectionem, & non esse alicujus objecti, hoc ipso enim non esset intellectio, nihil enim intelligeret, quia si intelligeret, hoc ipso esset objectum, quod intelligeretur. Jam autem nullum tale absurdum sequitur, si non sit intellectio in proprio subjecto, cum possibile sit esse intellectionem, & non esse subjecti intellectionem, cum possibile sit aliquod accidens (ut patet in quantitate Eucharistica) sine ullo subjecto esse. Per hoc tamen non nego, quod accidens spirituale, involvat semper & essentialiter, esse aptitudinale ad poni in subjecto spirituali. Deinde licèt nihil possit extra suum subjectum poni, si illud subjectum respectu illius formæ recipiendæ, ne quidem habeat rationem subjecti obedientialiter, potest tamen poni extra suum subjectum connaturale. Nego autem quod subjectum spirituale, non sit subjectum obedientialiter, respectu accidentis materialis. Obedientialitatem subjecti quantùm ad præsens per hoc explicando, quòd scilicet nullum detur agens naturale, quod uniat accidens materiale alicui spirituali, possit tamen id facere supernaturaliter.

Instat Idem. Potentia productiva non potest ferri in id, quod est non producibile, & objectum adæquatum potentiæ productivæ, est solùm producibile, ergo & subjectum adæquatum intellectivi, erit solum intellectivum.

Respondetur. Verum esse totum, si procedat conclusio de subjecto naturali. Sed si plus intendat argumentum, negatur consequentia; quia si potentia productiva ferretur ad non producibile, hoc ipso non esset potentia productiva; non sequitur autem hoc ipso intellectionem, non fore intellectionem, si poneretur in subjecto improportionato.

DIFFICULTAS III.

De specificatione potentiarum.

Hæc difficultas multis sui partibus resoluta manet, ubi egimus de specificatione scientiarum. Aliqua tamen in particulari hîc addendo.

Quæritur I. per quid specificentur Potentiæ?

Assero I. *Sive distinguantur sive non distinguantur potentiæ ab anima, specificantur intrinsecè à suamet entitate.*

Ratio. Quia specificatio rei intrinseca, est differentia ejus à reliquis, & constitutio ejusdem, sed quicquid constituitur, non alio, à se constituitur, sed sua entitate constituitur. Ergo & sua entitate specificatur intrinsecè. Quia verò entitates rerum, & ipsorum prædicatorum in seipsis spectatorum, sunt nobis ignotæ, recurrere solemus ad aliqua extrinseca, per quæ se prodit illa res. Et ita quamvis indubiè detur ratio prior in homine ipsa rationalitate, ex qua, tanquam ex radice, profluit prædicatum rationalitatis, quia radix est quid absolutum in se, ex quo profluit id, quod est ad aliud, nempe rationalitas, quæ est principium actuum ratiocinandi, adeoque aliquid respectivum, tamen ad ipsam Rationalitatem tanquam ad aliquid notius recurrimus, &c. Sic etiam in præsenti inquirendum est aliquid extrinsecum, per quod prodant se potentiæ, quodque est specificativum extrinsecum, arguitivum, & indicativum ut ita dicam. *Hinc*

Assero II. *Specificativum extrinsecum ultimum potentiarum, sive illæ sint distinctæ, sive non distinctæ, est ipsa ratio formalis objecti ultima, ad quam tendit per suos actus potentia.* Talis ratio in intellectu est intelligibilitas objecti, in voluntate volibilitas, in visiva visibilitas. Quia verò visibilitas, intelligibilitas, volibilitas, & similes termini, dupliciter accipi possunt, I. pro conditione sub qua objecti, & sine qua, potentia non posset versari, circa objecta. II. Pro ipso objecto, secundùm quod dicitur, quòd intellectus, possit elevari ad videndum & intelligendum intuitivè, DEUM, quia

Deus

DEUS utpote intelligibilis est intra objectum, quod saltem supernaturaliter nosci possit: & in hac secunda acceptione intelligibile v. g. erit objectum intellectûs.

RATIO asserti est. Quia quæcunque tandem ponatur circumscriptio specificationis, illa ostendet, secundùm objecta, evenire specificationem potentiarum.

ASSERO III. *Etiam per actus specificari potentias extrinsecè.*

RATIO. Quia cum ipsi actus, sint quid distinctum à potentia, specificationem intrinsecam dare non possunt. Immediatius tamen specificabunt quàm specificent objecta, quia potentiæ nonnisi mediantibus actibus, habent jus versandi circa objecta, non specificant tamen ultimato, quia si ipsi actus specificantur ab objectis, apparet quod actus non sint ultima ratio specificandi.

QUÆRITUR II. An potentiæ diversarum specie animarum, sint specie distinctæ?

ASSERO I. *Si potentiæ non sint distinctæ ab animabus, distinctarum specie animarum distinctas fore specie potentias.*

RATIO. Quia ipsæ animæ sunt specie distinctæ inter se, ergo & identificata illis animabus, erunt specie distincta inter se.

ASSERO II. *Si potentiæ sunt realiter distinctæ ab anima, probabile est, esse adhuc illas distinctas specie intrinseca.*

RATIO. Quia imprimis certum est de aliquibus: & ita potentia generativa Leonis, est distincta à potentia generativa Hominis, nec posset generari, à potentia generativa hominis, leo. Hæ enim potentiæ, providentur à natura, in bonum hujus speciei, cui dantur. De reliquis etiam potentiis probabile; quia ipsis substantiis specie distinctis, magis sunt proportionatæ potentiæ specie distinctæ, hinc & organa sunt distincta, ut videre est in ipsamet constructione oculi ita variâ, specie distinctorum animalium.

ASSERO III. *Sive potentiæ realiter distinguantur ab anima, sive non, certum est illas specie extrinseca posse convenire.* Seu, quod idem est, posse similes actus, & circa idem objectum producere.

RATIO. Quia eundem colorem & leo percipit, secundùm eandem rationem coloris, adeoque secundùm specificativum extrinsecum.

* * *

DISPUTATIO III.

De intellectu & intellectione in communi?

SIcut est prius esse cognitum quàm volitum, ita prior erit disceptatio de intellectu, & intellectione in communi, quàm de voluntate & volitione. Quia verò prior est ratio, causa intellectionis, quæ est intellectus, & intellectio in communi, præparticularibus, utpote universalior; universalia autem sunt priora: ita & tractatio de intellectu & intellectione ut sic, prior erit, præ tractatu de intellectionibus in particulari.

QUÆSTIO I.

De intellectu secundùm se.

PRÆMITTO I. *Quid sit intellectus?* Nomine intellectûs venit potentia, quæ res intelligit; quæ responsio, secundùm phrases Aristotelicas est, qui docet concreta explicanda esse, per terminos abstractos: ut si quæras quid sit album? bene responderi potest, est id quod habet albedinem: sic & in præsenti, si quæras quid sit intellectus, responderi bene potest, est virtus, quæres intelligit. Quod si quæras quid sit hoc intelligere, id palam fiet, ex infra dicendis, ubi examinabitur quid sit intellectio. Hîc addi hoc unum potest, quod si sit impossibilis notitia Spiritualis objecti, quæ tamen non sit intellectio, tunc bene describeretur intelligere, per perceptionem objecti spiritualem. Si autem non sit impossibilis notitia, spiritualis objecti, quæ tamen non sit intellectio, describeretur intellectio, per notitiam spiritualem, etiam abstractorum à sensibus. Consulatur materia de Angelis, ubi discurritur an implicet substantia spiritualis non intellectiva.

PRÆMITTO II. *Quodnam sit objectum intellectûs?* Ordinariè ponitur esse verum, sed forte commodius diceretur, quod objectum intellectûs sit intelligibile.

RATIO. Tum quia in aliis materiis, objecta, si possit fieri, proportionata etiam quoad nomen ponuntur, aut saltem proportionata quoad significationem; & ita ædificatoris ponitur objectum domus, quæ quoad objectum significatum, idem est quod objectum ædificabile; sutoris objectum est calceus, quod objectum significandi idem est quod suibile. Fremifactoris objectum frenum, & similia. Tum quia sicut scientiæ, per Aristotelem, abscindunt sibi particulas entis, ita & objecta, abscindent sibi particulam entis, adeoque & objectum intellectûs abscindet sibi ens intelligibile. Quia hoc primo per se intendit. Quod ipsum probatur. Quia ens prius dicit prædicatum intelligibilis, quàm veri, habetque se verum tanquam passio intelligibilis, non autem intelligibilitas est passio veri, Ergo per prius tanquam per rationem priorem, attendet intellectus ad intelligibile, quàm ad verum. Tum quia ratio intelligibilis ex eo per prius objicitur intellectui, quia est magis universalis. Quia intelligibile etiam ad falsum extenditur, ad entia item rationis, quibus rigorosè non convenit veritas. Et licèt intelligibile intra eandem entitatem, cum vero & volibili coincidant, sufficit quod ratione formalitatum, reduplicationumque distinguantur, quod in multis etiam materiis evenit.

PRÆMITTO III. *Quotuplex sit intellectus?* Si sub nomine intellectûs quæras de speciebus variis intellectûs, ad hoc responderi potest esse infinitos specie. Quia infinitæ sunt possibiles intelligentiæ, animæque rationales inter se specie distinctæ. Quod si non de speciebus intellectûs quæras, sed potius de divisione; alius erit intellectus increatus, alius creatus, ut Angelicus & noster. Dividitur etiam intel-

intellectus in intellectum agentem & patientem, ex 3. de Anima t. 18. *Est quidam* inquit *intellectus qui omnia fit*, & sic intellectus appellatur possibilis, patiens, & similia. *Quidam verò qui omnia facit.* Et hic intellectus appellatur agens, quem S. Thomas de Spirit. creat. art. 9. in (-) definit. Quod sit virtus quædam specierum intelligibilium effectrix. Hi tamen duo intellectus, non distinguuntur realiter inter se. Quia nulla est necessitas multiplicandi illos, sed idem intellectus in quantum fabricat species impressas potest dici agens, & in quantum fabricat species impressas potest dici agens, & in quantum fabricat speciem expressam, potest vocari patiens.

PRÆMITTO IV. *Quænam sint numera intellectus?* Tria numerantur; illuminare phantasmata, ex intelligibili potentiâ, facere intelligibile actu, seu quod idem est, reddere objectum intelligibile, denique producere species intelligibiles. Sed hoc ultimum negat intellectui Hurtadus quem refellit Oviedo contr. 5. num. 4.

Quid sit illuminare phantasmata, varii variè explicant. Sufficerit dixisse, quando intellectus agens, ad similitudinem phantasmatis materialis, producit speciem impressam spiritualem, hoc ipso illuminat phantasmata materialia; quia scilicet sicut objectum coloratum, non potest movere oculum, nisi accedat lumen, sic nec phantasma materiale, ex communi sententia potest movere intellectum patientem ut cognoscat, nisi educatur species intelligibilis, quam dum producit, illuminat phantasmata materialia facitque ex objecto quod nonnisi in potentia remotiori erat intelligibile, proximè intelligibile, eò quòd jam intellectus patiens, omnia habeat expedita, ad producendam intellectionem. Ubi ulterius colligere potes, quòd intellectus agens producendo speciem intelligibilem, quod est officium illius tertio loco numeratum, hoc ipso & illuminet phantasmata, & redeat objectum intelligibile.

PRÆMITTO V. *Quod sit officium intellectus patientis*; Duplex numeratur. Primum recipere species, propter quam receptionem specierum, vocatur possibilis vel patiens. Nam recipere quoddam pati est. Secundum officium ejus est producere intellectionem, propter quod officium æquè bene appellari posset, agens, ut prior, intellectus; licèt termini actionis sint diversi; quia prioris, terminus est, species impressa, hujus expressa. Sub triplici tamen formalitate appellari potest hic intellectus passibilis, quia recipit speciem impressam, quia recipit expressam, quia patitur se fieri hoc vel illud intelligibile. Quia intellectus, per Aristotelem, intelligendo, fit omnia, propter quod etiam appellatur hic intellectus possibilis. *Sed*

Solvendæ sunt objectiones, quæ probant distinctionem realem istorum intellectuum.

DICES I. Dispositiones distinguuntur realiter ab eo quod disponitur. Intellectus autem agens, disponit possibilem ad intelligendum. Quia producit speciem intelligibilem, quæ est instrumentum intelligendi. Ergo distinguuntur agens & patiens intellectus.

RESPONDETUR. Dispositiones quidem distinguuntur realiter ab illo quod disponitur, quia sunt aliquid novum de novo productum, sed non est necesse ipsum disponens ut quod, ab eo distingui realiter, quod disponitur. Unde etiam homo dicitur seipsum disponere ad bene operandum. Cum ergo intellectus agens, habeat se sicut id quod disponit, & species tanquam dispositiones, posita distinctione specierum, non erit necesse distingui ipsum intellectum agentem, qui disponit ut quod.

DICES II. cum Recentiori Suarez. Intellectus & voluntas distinguuntur realiter. Ergo idem dicendum de intellectu agente & patiente. Quod probat. Quia sicut intellectus & voluntas habet diversa objecta, ita & intellectus agens & patiens.

RESPONDETUR. Si diversitas objectorum volibilium, & diversitas objectorum intelligibilium ab intellectu patiente, non infert distinctionem realem in voluntate, & ipsis intellectibus patientibus, sic nec in præsenti sequetur; imò cum intellectus agens & patiens habeant se per Suarez sicut agens in actu primo, & sicut agens in actu secundo, hoc ipso sequetur indistinctio. Quia agens in actu primo, & agens in actu secundo, non distinguuntur realiter. Non enim idem ageret in actu secundo, si non posset agere in actu primo, nec posset agere in actu primo, si non idem ageret in actu secundo. Sed Antecedens etiam, ex dictis supra, negandum est.

DICES III. cum eodem. Omnis actio immediatè egrediens à potentia cognoscitiva, est cognitio, sicut egrediens à potentia appetitiva est appetitio, sed productio speciei non est cognitio, ergo non potest egredi ab intellectu patiente.

RESPONDETUR. Omnem actionem procedentem immediatè à potentia cognoscitiva, sub nomine cognoscitivæ, esse cognitionem, licèt sub alio nomine, à potentia cognoscitiva egrediens, possit non esse cognitio. Ita lectio Philosophiæ, non egreditur ab homine nisi quà Philo-

Philosophus, licet visio non egrediatur ab illo, nisi quà sensitivus, est. Quamvis verò nulla potentia constituat se in actu primo, ad primam sui operationem, per operationem ejusdem rationis, quia ante primam operationem daretur prior, nempe per quam se poneret in actu primo; potest tamen se ponere in actu primo, ad primam operationem, sed per operationem diversæ rationis. Sic v. gr. ad primam volitionem, non potest se in actu primo ponere homo, per antecedentem volitionem, potest tamen se ponere in actu primo per antecedentem intellectionem: ita & intellectus ponit se in actu primo ad intelligendum per suum operationem, quæ non est quidem intellectio, est tamen requisitum ad intellectionem, hoc est species impressa.

DIFFICULTAS I.

An sit possibilis intellectus materialis? & an omnis substantia Spiritualis sit intellectiva?

PRior pars tituli hunc sensum habet: An possit dari potentia materialis, distincta specie, à præsentibus potentiis, quæ attingat res spirituales? De hac quæstione ago in prima parte, quærendo an oculus corporeus possit elevari ad videndum DEUM? Secunda etiam pars tituli discutitur in materia de Angelis, ubi inquiritur An ex esse illorum spirituali, rectè inferatur intellectivitas, illuc remitto legentem, sed pono titulum, methodi nonnisi causa.

DIFFICVLTAS II.

An sit possibilis intellectus determinatus nonnisi ad unum cognoscendum?

AFfirmat Arriaga & Oviedo. Negat Recentior Suarez.

ASSERO I. *Non posse dari ullam implicantiam, quæ probet impossibilitatem Intellectûs, ita determinati.* Desumo aliquas ex Recentiori Suarez.

PRIMA IMPLICANTIA est. Quia objectum Intellectûs est verum, omne autem ens est verum, Ergo omne Ens contineri debet intra objectum cujuscunque intellectûs.

RESPONDETUR. Negando Majorem hoc sensu, quod cujuscunque intellectus, quodcunque verum sit objectum, licèt præsentis intellectus objectum sit verũ. Et si ex cõditione supernaturalitatis objecti fit, ut ad verum supernaturale, quà tale, non se extendat intellectus naturalis; cur etiam ex conditione talis intellectus, & conditione talis objecti, non determinabitur ad non noscenda aliqua.

SECUNDA IMPLICANTIA. Non magis distat omne Ens ab Intellectu possibili, quàm distet Deus ab intellectu humano, qui defacto datur, sed Deus continetur intra objectum intellectus humani, qui defacto datur. Ergo & omne Ens, continebitur intra objectum cujuscunque intellectus possibilis.

RESPONDETUR. Quod non ex distantia & perfectione Entium, orietur, ne ad illa noscenda extendat se intellectus ille, sed ex conditione eaque naturali, secundùm quam determinatur, ad hęc Entia cognoscenda, quam conditionem Entis non posse dari, non probatur. Sic v. gr. quòd oculus non possit percipere sonum, non oritur hoc ex distantia perfectionis, quam habeat sonus præ lucido colorato, sed ex naturali conditione oculi, ad hoc determinati.

TERTIA IMPLICANTIA est. Nullum est lucidum & nullum coloratum quod non sit intra objectum potentiæ visivæ, Ergo & omne verum erit intra objectum cujuscunque intellectus possibilis.

RESPONDETUR. Incertum esse, quòd aliquod lucidum, & aliquod coloratum, non possit esse tale, quod excedat aliquam particulatem visivam: & sicut clarus intuitus solis, non excedit oculos aquilæ, excedit oculos vespertilionis; sic aliquam potentiam visivam, aliqua ratio colorati excedere poterit. Nec apparet implicantia, cur implicet oculus, qui nonnisi album videat.

QUARTA IMPLICANTIA est: quam solvit Arriaga. Quia si concedatur intellectus determinatus ad unum tantum cognoscendum, nulla esset ratio, propter quam dicamus, nostrum intellectum, qui defacto datur, non esse determinatum ad certa aliqua cognoscenda, & tamen hujus deberet dari aliqua ratio.

RESPONDETUR Cum Arriaga. Vel nosti per experientiam, aut per rationem, quòd intellectus noster, sit capax cognoscendi quæcunque Entia, vel non nosti? Si non nosti, Ergo neque nosti, non posse dari intellectum determinatum ad certa tantùm cognoscenda. Si autem nosti: Scis cur Intellect⁹ noster, nõ sit determinat⁹. Implicantiam autem aliunde non habes, cur Intellectus, determinatus tantùm ad aliqua noscenda, dari non possit. Addit, cum videamus rationes communissimas, nostrum intellectum cognoscere, quibus communiores possibiles non sunt; cum item videamus, quod cognoscat spiritualia & corporea, bene inferimus, non esse determinatum ad certa tantùm cognoscenda.

INSTABIS. Non possumus scire, quod non detur aliquod objectum, quod Intellectus noster percipere non possit. Quia de illo, quod esset extra objectum Intellectus, nulla potest esse notitia. Hinc nec nos dicere possemus, an illud cognoscere possimus, vel non? Illustrat hoc Oviedo. Fingamus per impossibile casum, quod extra objectum cognitionis Petri sint Angeli, tunc Petrus non posset dicere, Angelus est

extra objectum mei intellectus. Ergo etiam forte dari poterit aliquod Ens, de quo homo dicere non possit: hoc Ens, est extra objectum cognitionis meæ, licèt defacto esset extra objectum cognitionis.

Respondetur. Negando quòd præsens intellectus, non possit scire, quòd non detur aliquod objectum, quod intellectus noster percipere non possit. Nam illud quod esset extra objectum cognitionis, vel foret Ens, vel non Ens: Si non Ens, adhuc sub ratione non Entis poterit ab Intellectu nostro concipi, qui concipit rationes communes non Entis. Si erit Ens; Ergo adhuc sub ratione Entis concipi poterit. Quia rationem communem Entis concipit Intellectus. Et hoc demonstrat, nostrum intellectum, secundùm rationes communes, sub quibus quidquid possibile est, necessariò includitur, quodcunq; Ens vel non Ens, concipere posse. Hinc si per impossibile, nullo modo Angelus esset intra objectum intellectûs nostri, deberet non concipi ab Intellectu etiam ratio communis Entis. Sed si de rationibus particularibus res sit, illas defacto nescimus, scire tamen possumus: & ipsæ veritates supernaturales sunt tales, quas nescimus naturaliter, tamen scire possumus elevati. Omnia enim hæc, continentur, sub ratione communis Entis.

Assero II. *Nullum esse fundamentum positivum possibilitatis talis intellectus, qui sit essentialiter determinatus ad unum nonnisi cognoscendum.* Probatio asserti, stat solutione rationum in oppositum.

I. Ratio est Arriaga. Non quælibet potentia materialis, potest cognoscere omnia objecta Materialia ut patet in sensibus. Ergo non quælibet potentia Spiritualis potest cognoscere omnia objecta spiritualia.

Respondetur. Negando Consequentiam. Quia experientia probat hanc determinationem, pro consequenti autem, non est hæc experientia, nec positivum fundamentum. Deinde sicut ab impossibilitate unius, non tenet consequentia ad impossibilitatem alius, nisi detur commune aliquid fundamentum, ita nec tenebit, à possibilitate unius, ad possibilitatem alius, nisi ponatur commune utrique principium, quod hîc non ponitur.

II. Ratio ejusdem est. Datur res spiritualis cognoscitiva omnium, qualis est Deus, & ponamus etiam nostrum Intellectum. Datur etiam res spiritualis objecti non cognoscitivâ, qualis est v. g. character, cur etiam dari non poterit Ens medium, quod scilicet aliqua cognoscere possit, aliqua non possit.

Respondetur. Hoc argumentum non esse secundùm intentum. Quia hæc quæritur aliquod fundamentum positivum, Ly autem cur dari non poterit, est fundamentum negativum.

Quod attinet ad fundamentum Negativum. Illud est & pro parte affirmantium, & pro parte negantium. Dices enim non implicat contradictionem Intellectus, nonnisi ad certa objecta cognoscenda determinatus. Respondebit alter, quod implicet; & dicet; quòd ille intellectus & esset essentialiter determinatus ad certa nonnisi noscenda, ut supponitur, & non esset essentialiter determinatus; quia non implicat, ut id, quod certum aliquid cognoscit intellectualiter, cognoscat & alia: & non implicat, ut sit necessaria connexio cum quocunque cognoscibili, si ponatur in aliquo vel unius Entis cognoscitivitas. Redibis ad tuum argumentum. Quia non implicat ut cognoscitivitas unius Entis, non sit connexa essentialiter, cum cognoscitivitate aliorum Entium. Respondebit retorsio. Quia debita illi Enti cognoscitivitas, & non diceret connexionem, cum cognoscitivitate aliorum Entium, & diceret. Non diceret ut supponis, diceret autem, quia non implicat contradictionem ille nexus. En fundamentum negativum utrique parti serviens. Quodsi dicas eo modo retorquendi, non relinqui locum argumento huic negativo, non implicat contradictionem, ad hoc dici potest, relinqui quidem, sed ejus libertatem restringi, præcipuè in impugnando communes sententias, & reducendo ab eis, sine urgenti necessitate.

DIFFICVLTAS III.

An omne Intellectivum sit volitivum?

Dicendum est. *Non dari ullum positivum fundamentum, asserendi*, quod ratio intellectivi, necessariò involvat, rationem volitivi. Procedit conclusio non de istis, quibus identificatur ratio intellectivi & volitivi, sed procedit, casu, quo hæ potentiæ essent distinctæ, aut rigorosiùs loquendo, de Natura possibili, identificante sibi, nonnisi vim intelligendi. Probatio Conclusionis stat solutione argumentorum.

Punctum Difficultatis 1.

Examinantur implicantiæ.

Prima Implicantia est. Quautitur Amicus tom. 1. disp. 24. S. 1. Implicat Ens non inclinare ad bonum sibi conveniens, Ergo implicabit & Intellectum sine volitivo. Nam voluntate inclinatur Ens intellectivum, ad bonum apprehensum sibi conveniens. Antecedens ipsum

ipsum probat. Quia Ens illud intellectivum, non est determinatum ex se ad unum bonum, sed indifferens ad plura. Quia sæpe unum idemque bonum, uno tempore, eidem supposito est conveniens, alio disconveniens. Item uni supposito bonum, alteri malum, appetitus autem innatus, fundatus in natura, est determinatus ad unum & idem bonum.

Respondetur. Negando impossibilem esse naturam intellectualem, ad unum bonum determinatam, adeoque appetentem illud bonum, nonnisi appetitu innato. Rursùs bonum principale semper quidem appetit determinatè appetitus innatus; sed hoc etiam competit appetitui elicito. Si v. g. spectetur per ordinem ad bonum in communi, quod tenetur amare appetitus elicitus. Nego tamen quod appetitus innatus, eodem semper modo agat, ad consecutionem boni sui primarii. Et ita granum appetitu innato, nunc se in terram fodicat fibralis, nunc erigit ex terra, nunc potius se in spicam impendit quàm in culmum; cur ergo etiam intellectivum, carens appetitu elicito, non poterit similem varietatem habere appetendi, idque per solum appetitum innatum.

Secunda Implicantia est, qua utitur Recentior Suarez. Tract. 1. Met. num. 58. Intellectus est radix voluntatis. Sed impossibilis est radix non exigens proprietatem, Ergo impossibile est Intellectivum sine volitivo. Majorem dicit se probasse tract. 6. de Anima. num. 186. Sed illic tantum ad argumentum respondet, & assumit nonnisi, quòd Intellectus non sit formaliter, sed radicaliter liber.

Respondetur. Negando universaliter Majorem, & sicut nostrum intellectivum fundat risibile in nobis, non tamen in Deo vel Angelis, ita & præsens intellectivum, fundat volitivum, sed non sequitur, quòd in omni alia specie, fundare debeat. Quanquam intellectus noster, hoc nonnisi sensu potest dici radicaliter liber, quod indifferenti utriusq; objecti propositione, causare possit, ut liberè se determinet voluntas. Sed non in hoc sensu radicaliter est liber, quasi sit universaliter & ubique radicans, & fundans volitivum; hoc enim negatur.

Tertia Implicantia est. Ex istis quæ proponit sibi & solvit Oviedo; quale illud est. Intellectus ordinatur ad voluntatem, voluntas ad intellectum, Ergo non possunt sine se dari.

Respondet negando dari inter ista essentialem ordinem, si enim illæ potentiæ identificantur, non possunt alium ordinem dicere, quàm rationis; Si autem sunt distinctæ realiter, multò magis poterunt esse sine se. Deinde sicut animalitas Petri, ex specifica ratione, connectitur essentialiter cum rationalitate; neque tamen sequitur ut similis animalitas, non connectatur cum rationalitate, ita quamvis præsens intellectivum, connectatur cum volitivo, non sequitur, ubique, etiam in alia specie, connecti debere.

Instabis I. Omnis forma debet habere appetitum proportionatum sibi, creatura rationalis habet actum rationis, Ergo debet habere appetitum elicitum.

Respondetur. Si per proportionatum appetitum, intelligatur appetitus elicitus liber, falsa est prima propositio, & petens principium; Si per proportionatum appetitum, intelligatur etiam innatus, vera erit prima propositio, sed non faciet contra nos, nego enim implicare contradictionem, ut cum principio intellectivo conjungatur solus appetitus innatus.

Instabis II. Principium perfectissimum cognoscens, quod est DEUS, & imperfectissimum quale est brutum, utrumque est potens appetere. Ergo de ratione omnis cognoscitivi est appetere.

Respondetur. Perfectissimum cognoscitivum intellectuale, hoc est Deus, & imperfectissimum quod est homo, generat. Ergo de ratione principii cognoscitivi erit generare, adeoque etiam Angelis id conveniet. Sicut ergo generatio, fundatur nonnisi in speciali conditione talis Entis, ita & volitivum fundabitur nonnisi in speciali conditione intellectivi.

Instat III. Quia frustra Anima videret cibum, si non posset illum appetere; ita cum finis intellectivi, sit, proponere objecta amplectenda, & fugienda, frustra id faceret, si non detur voluntas.

Respondetur. Ratio nonnisi particularis intellectivi, habet hoc, ut proponat objecta fugienda, & amplectenda, non esse autem id, ex ratione, ut sic intellectivi. Deinde sicut dantur scientiæ sistentes in sola speculatione veri, sine ulla relatione ad voluntatem, & praxim, cur etiam similis non poterit dari potentia intellectiva.

Quarta Implicantia est. Quando potentia perfectior respicit idem objectum, quod imperfectior; debet circa illud versari modo perfectiori, sed sensus bruti, qui est imperfectior omni intellectu, respicit suum objectum, cum vi eliciendi appetitum, circa ipsum objectum, Ergò multò magis quodcunque intellectivum, respicit illud objectum, cum vi eliciendi appetitum, circa illud objectum.

Respondetur. Veram esse propositionem assumptam, de præsentibus intellectivis, non autem de possibili, adhuc tamen intellectivum illud sine volitivo, esset perfectius, sensitivo, habente appetitum elicitum, adhuc inquam esset perfectius, ex ratione Spiritualis, conditioneque specifica suorum prædicatorum.

Quinta Implicantia est. Existis quæ proponit Antonius Perez de voluntate DEI à num. 18.

Prima ejusdem ratio est ex Sancto Thoma. Omne cognoscitivum tendit in suum bonum. Sed nisi haberet voluntatem non tenderet in bonum. Quia nisi haberet voluntatem, non haberet appetitum, quo tenderet aut perseveraret in bono apprehenso. Et certè qui apprehendit aliquid esse bonum, infert consequentiam practicam, qua judicat esse illud prosequendum, Ergo ratio boni apparentis, in suo conceptu includit saltem implicitè convenientiam ad apprehendentem; alioqui male inferretur illa consequentia; quia consequentia nulla est, cujus antecedens, non includit connexionem cum consequenti. Deinde impossibile est intelligere & judicare optimum existere in rerum natura, quin statim ex ipsa ratione optimi apparentis, non judicet is, cui apparet illud bonum, esse illud à se appetendum summè.

Respondetur. Ponamus v. gr. scire nos per revelationem, quod DEUS nolit concurrere ad ullam volitionem, ponamus nos prædeterminatos, ne quidquam velimus, certè tunc per necessariam sequelam, non sequetur appetitus apprehensi boni, imò sequetur ne appetatur. Sicut ergo in illis instantiis in aliquid extrinsecum, rejici poterit negatio sequelæ, ita in præsenti, negatio appetendi, referretur in conditionem intrinsecam Entis, salvo hoc, quòd illud objectum maneat appetibile; & sicut nunc libertas potest impedire, ne ametur etiam summum bonum, sed abstractivè cognitum; cur ergo simile impedimentum dari non poterit ex intrinseca conditione Entis, impotentis velle: Ex visione etiam Dei seu apparentia, benè quidem pronunc infertur beatificatio videntis, etiam per voluntatem, non tamen pro omni eventu; & sicut si Deus per miraculum impediret voluntatem, ne amet posset adhuc bene salvari ratio videntis; cur ergo simile impedimentum non posset referri in intrinseca principia illius naturæ, non potentis velle, ut jam repetito dictum. In forma autem dici debet, verum esse antecedens de appetitu innato, sed concedo quod illud noscitivum, non appetitivum autem appetitu elicito, sit futurum appetitivum appetitu innato; qui potest haberi sine voluntate. Ex apprehensione boni in præsentibus cognoscitivis, infertur consequentia practica, de bono illo prosequendo, sed nego impossibilem esse apprehensionem boni, sine illa practica consequentia.

Quando autem dictum est, notitiæ illi conjungi appetitum innatum, non ita id accipiendum, quasi ex directione apprehensionis, sequatur appetitus ille, hoc enim ipso appetitus ille foret elicitus, sed hoc eo sensu accipiendum, quod conjungatur nonnisi appetitus innatus, illi notitiæ, licèt ex notitia non sequatur, sicut in nobis cognoscentibus formas, datur appetitus innatus materiæ ad easdem, conjungiturq; illi notitiæ, licèt ex ea non sequatur, hocq; sensu Omne cognoscitivum tendit in suum bonum: hoc est, intelligibile vel verum; verum enim est bonum cognoscitivi. Sed non hoc sensu cognoscitivum tendit in suum bonum, quasi omne cognoscitivum habeat vim appetendi, id enim esset non probare, sed petere principium.

Secunda Ratio ejusdem est. Quia si esset possibilis talis natura, jam daretur, quia Deus fecit omnes gradus rerum possibiles, quorum existentia melior est, ad complementum universi, si non adsit ratio impediens debitum existendi, qualis v. gr. esset ratio processûs in infinitum, præcipuè verò quia existentia illius, est melior quàm non existentia, imò est utilis, ut maneat distinctus in rerum natura ordo, gradûs intellectivi, à gradu volitivi.

Respondetur. In materia de Angelis, tam de complemento universi, quàm in examinando, an Angelorum Spiritualitas importet esse intellectivum, negatum est hoc principium, ubi dictum, completionem universi, non debuisse esse secundùm naturam rei, sed secundùm placitum conditoris, quarum scilicet ipse vellet completionem. Et sicut non dantur defacto multæ species intermediæ brutorum, sic nec erat necesse, dari speciem illam intellectivi, cum quo stat, ut universum hoc non sit imperfectum positivè, licet sit imperfectum negativè, hoc est non habens perfectiones, quas posset habere plures in infinitum. Arbitrariè etiam assumit quod creaturæ quæ defacto dantur, sint ultimæ & penultimæ, cum in infinitum imperfectiores dari possint. Illud etiam principium non est illativum actualis existentiæ, quia scilicet alicujus existentia, melior est quàm ejus non existentia. Nam unio hypostatica, cum sola anima & non cum corpore, melior est quàm negatio unionis. Melior est etiam multiplicata per singula individua, quàm negatio illius, neque tamen hæc varietas unionum datur. Alia, quæ in hac ratione, assumit, in materia de Angelis, locis citatis, examinata sunt.

Tertia Ratio ejusdem est. Omne Intellectivum potest videre Deum. Ergo & amare, alioqui & esset beatus ut supponitur, possideret enim summum Bonum; non esset autem beatus, quia illud bonum possideret sine ulla æstimatione, judicaret enim non posse à se amari, ac proinde non esset dignum suo amore.

Respondetur. Antecedens non ita facilè positivè posse probari, si quis puret, ex speciali sua cõditione, posse aliquod intellectivũ esse determinatũ nonnisi ad noscẽda creata. Sed quidquid sit de

sit de Antecedenti, negatur consequentia, dicturque quod tunc creatura illa esset incompletè beata; quia completio beatitudinis, proficiscitur à voluntate. Quanquam posset dici, quòd per ordinem ad se haberet beatitudinem completam, quia implicaret illi compleri per actum amoris. Et licet possideret bonum sine ulla æstimatione, oriunda ex appetitu voluntatis, haberet tamen æstimationem intellectualem, ex penetratis illius objecti prædicatis. Et quia voluntas non æstimaret illud objectum, suæ voluntatis actu, non attolleret bonum, sed etiam non depretiaret illud, & illa negatio æstimationis, oriretur ex conditione Entis. Et sicut cum ego dico non posse me amare Deum, ita sicut ille se amat, non sequitur in me contemptus talis amoris, nec judico Deum esse indignum tali amore, sed illud judicium solùm arguit in me perfectionem, & non in objecto, ita & in præsenti, si illud noscitivum judicaret non posse illud bonum à se amari, non hoc ipso diceret, esse illud indignum amore.

Punctum Difficultatis 2.

Continuatur Difficultas.

Quarta Ratio ejusdem est. Tota ratio cur aliquid non ametur, est, quia perfectè non cognoscitur, ut patet inductione, consequenter verum est, quòd adæquata ratio possibilitatis, amandi seu appetendi, sit cognitio, consequenter omne cognoscitivum erit appetitivum.

Responderi potest, pro præsenti rerum esse Antecedens. Rursus dici posset, rationem adæquatam tenentem se ex parte objecti, debitè applicabilis voluntati, esse propositionem objecti cogniti; nihilominus negando rationem adæquatam amandi, tenentem se ex parte principii, esse propositionem objecti cogniti, sed tale principium esse voluntatem, quam non implicat, non esse in aliqua substantia intellectuali. Deinde alia est hæc propositio, an sit possibile amare non cognoscendo, & hanc propositionem firmat ratio adlata: & alia est hæc propositio, an possit aliquod cognitum non esse amatum, & cognoscens non esse amans; quæ propositio non probatur, licèt de ea sit quæstio. Neque sequetur, illam propositionem objecti amabilis, quam non posset sequi amor, fore frustra. Quia sufficeret habere expressionem intentionalem illius boni, quantùm est ex illo, appetibilis. Deinde intellectus, de quo hîc agitur, posset judicare bonum illud esse amabile, non à se, quia hanc vim non habet, sed ab alio; ut fit cum intellectus meus judicat Deum esse amabilem amore increato, quem tamen ego ponere non possum.

Quinta Ratio est, quâ utitur Esparza de Angelis q. 17. art. 3. Quia Deus cum sit ipsa essentia Bonitatis, quidquid operatur, operatur ex intentione boni, & omnia ordinat ad bonum, quantùm & qualiter unum quodque capax, nec oppositum contingere potest. Ergo eadem necessitate quâ rebus sensu & intellectu carentibus, indit appetitum innatum, indet etiam appetitum sensitivum sentientibus, & rationalem ratione præditis.

Respondetur, negando consequentiam. Quia potest cum hoc stare, ut Deus omnia operetur, ex intentione boni, nec tamen det omnibus intellectualibus substantiis, appetitum elicitum ad bonum, stante bonitate talium substantiarum, in appetitu non elicito sed innato ad bonum. Dico enim non implicare contradictionem, ut Deo operante ex intentione boni, nihilominus sit creatura rationalis non appetitiva. Implicat quidem etiam per arguentem, creatura, non habens appetitum innatum ad bonum, sed hæc implicantia non ostendit implicare creaturam, non habentem appetitum elicitum ad bonum. Et certè appetitus innatus est in materia ut sit potentia formarum, qui ipse appetitus, est exigentia prædicatorum, exigentia autem prædicatorum, est ipsummet illud ens, quod sicut à seipso abesse non potest, ita nec ab illo abesse potest appetitus innatus. Nihil autem simile militat pro appetitu elicito, concedendo materiæ; ita nec sequetur ex eo, quia implicat substantia intellectualis, non appetitiva appetitu innato; implicare substantiam intellectualem non appetitivam appetitu elicito. Unde ulterius conceditur, in tali creatura fore appetitum innatum rationalem, non hoc sensu, quasi sit ex prælucente ratione sequens, sed rationalem, hoc est identificatum enti rationali. Vi cujus, licet in aliquo illa substantia sit superanda, à sensitivis, quæ ordinantur ad suum bonum, per actum elicitum, nihilominus aliis prædicatis, nobilitateque substantiæ rationalis, cui identificatur appetitus ille innatus, superabit sensitiva.

Instat idem. Sensus & ratio sunt ad oppositа? appetitus autem innatus, est ex suo conceptu determinatus ad unum, Ergo non sufficiet ordinari in bonam illam substantiam rationalem per solum appetitum innatum.

Responsum supra, quòd non semper sit determinatus appetitus innatus, ad eundem modum agendi. Deinde nego impossibilem esse creaturam, cujus appetitus non coæquetur varintati noscendi, ita, ut vis ejus noscitiva, extendatur ad plura; vis autem appetendi appetitu innato, extendatur ad pauciora. Non apparet item, cur appetitus innatus sit ad unum; materia enim tot specie distinctas formas substantiales appetit, & præter formas substantiales, appetit tot accidentales. Lapis item appetit deor-

sum, appetit tale frigus, appetit tale pondus, &c. Cur ergo simili varietate, illud noscitivum non volitivum, non appetet sibi bona appetitu innato? Denique non implicat noscitivum, determinatum ad unum appetendum, appetitu innato.

INSTAT II. Idem. Bonum apparens, est quoddam genus bonitatis, distinctum realiter à toto genere bonitatis purè Physicæ. Unde etiamsi malum sit in se, potest illi superaddi peculiaris aliqua ratio bonitatis. Necesse igitur est, ut detur peculiaris vis appetitiva, in quocunque datur intentionaliter objectorum perceptio, ne detur aliqua ratio bonitatis in aliquo, ad quam ipsum non sit congruenter ordinatum.

RESPONDETUR. Concedendo bonitatem apparentem, esse distinctam à vera, Nego tamen contradictionem implicare creaturam, quæ nec apparēs nec verum bonum prosequatur licet illud noscat. Nego idem implicare contradictionem, esseq; hoc essentialiter incongruens, ut aliquid ordinetur ad bonum nonnisi cognoscendum, adeoq; ordinatione cognitionis licet non ordinetur ordinatione apetitionis elicitæ.

VI. RATIO ejusdem est. Intellectivum est perceptivum contradictoriorum, complectiturque totam rationem entis universaliter, necesse igitur est, ut illi sit adjuncta vis appetitiva, similiter uiversalis, ut flecti similiter possit ad oppositum, alioqui esset essentialiter frustra vis ejusmodi oppositorum perceptiva.

RESPONDETUR Negando Consequentiam, non erit autem illa vis essentialiter frustra, quia habebit suum effectum ad quem ordinatur nempe verbum mentis, & sicut actum ipsum voluntatis, non est necesse ad aliquid aliud ordinari intentionale, sed per illum devenitur ad quietem actus, cur ergo ad simile prædicatum, quietis, non poterit perveniri ipso verbo mentis.

INSTAT Idem. Modus & quies circa bonum suum, debet esse magis vel minus perfectum, juxta mensuram perfectionis Entitativæ, convenientis unicuique. Quia bonum, cujus est capax aliquid, in se perfectius, est & ipsum perfectius ac majus. Motus autem ad bonum majus, est major, & major quies in eodem: oportet igitur ut detur in Intellectivo tum motus, tum etiam quies circa omnem rationem bonitatis, hoc autem non competit appetitui innato. Quia cum appetitus innatus, insit uniformiter rebus etiam vilissimis, ex suo conceptu est vilissimus.

RESPONDETUR. Etiam in appetitu innato, est quidam Metaphysicus motus & quies, quem solum motum & quietem Metaphysicam in bono, non implicat contradictionem connecti rationali. Et licet ille, ex conceptu suo generico, sit vilissimus, ex differentiali tamen ratione, potest esse præstantissimus; identificaretur enim prædicatis creaturæ rationalis. Et sicut vilissimum est prædicatum Entis, est enim quibuscunque conveniens, nec tamen excluditur illud à præstantissimis Entibus, quia vilitas illius attollitur, per talitates Entis & differentias, sic etiam attolletur & vilitas appetitus innati in creatura rationali.

VII. RATIO ejusdem est. Quia substantia purè intellectiva & non volitiva, foret inutilis universo, omnibusque intrinsecè tædiosa, quæ contra observaret, atque observando ita semper stupidè hæreret, ut nulli rei, ne quidem sibi, quidquam unquam provideret.

RESPONDETUR. Sicut creaturæ, nullo modo cognoscitivæ, non sunt tædiosæ universo, etsi illis exprobretur, quod nec velint, nec cognoscant, defendere se poterunt, suam esse talem naturam; ita & creatura rationalis non volitiva, defenderet se suâ naturâ, & quod non esset otiosa, in universo, vindicaret se actuali notitiâ.

INSTAT idem. Vis intellectiva est vis adductiva omnium indiscriminatim ad se, quia intelligens actu, est intellectum in actu. Ergo necesse est ut in Intellectivo, detur appetitus similiter universalis, & commensuratus universalitati intellectivæ, alioquin aliquod bonum perperam inesset alicui. Non enim adhærere posset modo adhæsionis, qui congrueret modo habitationis.

RESPONDETUR. Ut modo habitationis congruat modus adhæsionis, sufficere vim assentiendi, vel dissentiendi intellectualem, non enim implicat ut habito per speciem expressam objecto, non habeatur adhæsio per volitionem, & ut intellectivo universali, addatur appetitivum universale, proficiscitur id, non ex ratione intellectivi ut sic, sed talis intellectivi.

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de fundamentis in oppositum?

EXaminanda hîc sunt fundamenta, an sint scilicet aliqua, quæ positivè probent possibilitatem intellectivi sine volitivo.

Primum fundamentum est ex Perez. Possibile est esse intellectionem, quæ non sit principium effectus. Ergo similiter possibile erit intellectivum sine volitivo. Antecedens probatur: Decernat Deus (quod potest) nullam producere volitionem creatam, reveletque hoc decretum Petro, qui id per actum fidei credat, hic actus fidei non potest esse principium volitionis, non enim potest esse principium actus, qui si existat, reddat falsum eundem actum fidei.

RESPONDET I. Perez, postquam refutasset responsiones Herise, quòd scilicet casus pro-

propositus impossibilis sit. Et non esset enim productivus effectus ut supponitur, & esset ut probatum. Immò hæc argumentatio petit principium; perinde, atque si quis, ut probaret non repugnare actum fidei, qui non possit habere v. g. durationem, aut qui non posset à Deo destrui, assumeret posse existere actum fidei, qui de se certissimè affirmet, se nihil horum posse. Deinde revelare illud prædictum Decretum, perinde est atq; producere actum, qui non possit producere effectum, hoc autem repugnat ex propria ratione actus fidei. Quid enim est, inquit Augustinus, tam voluntarium atque credere. Essentialiter enim omnis actus fidei dependet ab imperio voluntatis. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia, non est probatum, implicare actum intellectûs, sine sequente se volitione; nego item implicare, ut tale decretum formet DEUS. Tum quia falsum est peti principium prædicto arguendi modo. Recurrit enim ad principium, non implicat, quod non petit principium. Sicut neganti possibilitatem hominis, bene assumeretur non implicare eundem. Tum quia quamvis de facto fides sit voluntaria, cur imperium illud voluntatis, per exhibitionem concursûs, aut prædeterminationem, suppleri non possit. Deinde, quamvis dicatur, de ratione actus fidei, esse voluntarium, explicari id posset, de voluntario Antecedenti, hoc est imperio voluntatis moventis intellectum, ut assentiatur sed non de voluntario consequenti, quasi omnis actus fidei, principiet actum voluntatis.

Respondet II. Esparza citatus ad 2dum, Universaliterque dicit non esse possibilem aliquam intellectionem, quæ non sit inductiva alicujus volitionis, quia quælibet intellectio, percipit & judicat se esse veram, allicit ergo per se ipsam ad amorem sui, immo hoc faciunt vel maxime cogitationes speculativæ, nemo enim est cui speculationes suæ non placeant per seipsas, unde etiam arguit, revelationem, de qua agit argumentum, esse arbitrarium. Quid enim absurdius esse potest, quàm DEUM supernaturaliter illuminare intellectum alicujus, ita, ut placere illi nequaquam possit, talis illustratio & revelatio Dei. Addit insuper, licet essent possibiles intellectiones essentialiter steriles affectuum, non sequitur impossibilem esse substantiam intellectivam, & non volitivam; quia perfectiones accidentales, non participant adæquatè, totam sui generis perfectionem, sed multiplicantur cum inadæquata ejus participatione, prout interest substantiæ, cui insunt; at substantia existit gratiâ sui, & est quid perfectum in genere suo, unde si intersit intellectivo, potest habere notitias non ordinatas, vel ordinatas ad volendum: at fieri nullo pacto potest, ut nullas habere possit intellectiones feraces affectuum. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia illa delectatio perceptibilis ex notitia veri, per aliquos ad intellectum spectat, docetque Perez, ab ipsa manu percipi delectationem, & non ab appetitu solo. Sed posito etiam quòd spectet ad voluntatem, rediret argumentum, quod non implicet contradictionem, ne sequatur illa delectatio. Tum quia, concedo quod unaquæque intellectio, alliciat amorem sui, quod sit aptum objectum ut ametur à volitivo rationali, sed nego quod hoc sensu alliciat, quasi impossibile sit, eam non amari ab eo, qui eam producit. Nego item impossibile esse, ut Deus illuminet revelatione intellectum, quin ei, cui revelatio facta, placeat revelatio. Tum quia hoc ipsum adhuc improbatum manet, quare interst substantiæ intellectivæ, idque essentialiter, ut sit simul volitiva. *Hinc prædicto argumento*

Respondetur aliter. Concedendo, quòd sint quædam notitiæ, quæ etiam per se non moveant voluntatem, eò, quòd non proponant, nec attingant bonum quà tale; concedo item aliquas esse notitias, quæ per accidens, non adjungunt sibi volitiones, idque, vel quia decretum DEI, aut revelatio in oppositum facta est, vel quia distractio aliqua intercessit, præcipuè quia sunt isti actus realiter distincti, cur ergo unus, non poterit dari, sine alio. Et sicut datur cognitio, quæ non semper ordinatur ad opus, cur etiam non poterit dari cognitio, non ordinata ad volitionem? Et ita posita illa revelatione, ex accidenti non potest sequi actus voluntatis. Ad consequentiam quod attinet, illa etiam non tenet, quia hîc quæritur positivum fundamentum, cur sit possibile intellectivum sine volitivo; mera autem paritas, non est positivum fundamentum. Quia non adfert commune aliquod principium antecedenti & consequenti, nisi merum repugnat vel non implicat; hoc autem non est positivum, quod quæritur fundamentum. Deinde, quòd saltem ex accidenti, possit non sequi intellectionem volitio, experientia probat, quæ est fundamentum positivum probandi, posse esse intellectionem sine volitione nulla autem talis experientia probat, separationem intellectivi à volitivo.

Secundum Argumentum est. Actus sensuum externorum, non producit affectum, alioquin in oculis & auribus esset appetitus.

Respondet I. Perez. Certum sibi esse, quòd sit in organis sensuum externorum appetitus, non quidem prosecutionis futuri boni, sed præsentis per delectationem aut tristitiam, quando enim dolet manus, dolet manus, &c. *Hæc responsio*

Non Satisfacit. Tum quia dicere, quòd insit sensibus externis delectatio, est idem ac dicere; quod in noscitivo sit delectatio & voluptas, quod nostri auctores respuere debent. Tum quia posito quod sensus delectentur, delectatio illa erit, non sequens ipsam perceptionem objecti, sed in ipsa perceptione objecti inclusa. Porrò quando discurritur, an intellectivum inferat volitivum, & delectativum, non discurritur de delectativo incluso in ipsomet actu intellectionis, sed de delectativo consequente Tum quia hoc ipsum quod dicit sibi certum Perez, probare debuisset ratione, quæ non adfertur. *Ideo*

Respondetur aliter argumento. Illud imprimis eò quòd à pari sit ut dictum supra, non esse fundamentum positivum quod quæritur; Deinde disparitas etiam hoc dari posset, quia licèt non detur appetentia ulla, singulis sensibus adstricta, benè hoc suppleri posset, per ipsum appetitum sensitivum, cui illæ notitiæ particularium sensuum deserviunt. Si autem esset intellectivum aliquod, non tamen volitivum, defectus ille sequentis volitivi, à nullo posset suppleri.

Inferes. Non doceri à nobis quòd possit dari intellectivum sine volitivo, sed solùm ostendi, quod id non probetur pro utraque parte demonstrativè. Loquendo autem de ipso objecto, sentiendum est: quod non possit dari intellectivum sine volitivo. Ratio quia ex una parte videmus inseparabilem connexionem inter noscens & volitivum & pro opposita parte nullum est fundamentum positivum, mera ergo erit divinatio contra sensum talium Doctorum, asserere quod hæc separabilia sint, in aliquo rerum ordine, etiam possibili.

QUÆSTIO II.

De Intellectione in communi.

Sub hoc titulo hoc discutienda erit natura intellectionis, quod ut fiat:

Præmitto I. *Tria spectari posse in intellectione.* I. Actionem ejus productivam. II. Terminum ejusdem. III. Unionem intellectionis cum intellectu. Et quidem hæc tria varia possunt sortiri nomina; actio enim productiva vocatur motus vitalis, conceptus formalis, intellefactio &c. Terminus autem ejus actionis ab aliis vocatur qualitas, ab aliis conceptus objectivus, prout repræsentatus, species expressa, verbum mentis, intellectio &c. Denique unio illa, ab aliis vocatur receptio, ab aliis passio, & cætera similia.

Præmitto II. *Varias esse sententias in quo tandem consistat natura intellectionis.* Alii enim dicunt illam stare in sola actione, habente suum terminum. In qua sententia est Molina, Conimbricenses, Cajetanus & alii. Et quamvis Cajetanus, in sola actione eandem constituens, censeat eam nullum habere terminum, sed ejus mens ita intelligenda, quòd scilicet nullum habeat distinctum à se effectum, sed quòd eadem entitas, diverso respectu sit actio, & diverso respectu effectus, sicut nos docuimus de creatura immediatè à solo Deo producta.

III. Sententia est tenentium in utroque consistere intellectionem. Hanc tenet Cardinalis Lugo, Hurtadus, Recentior Suarez.

Præmitto III. Difficultatem esse inter auctores, utrum illa qualitas producatur per actionem distinctam, an per actionem identificatam ipsi termino. Produci per actionem identificatam docuit Cardinalis Lugo disp. 19. de Incarn. Oviedo hîc, & alii apud eundem. Negat cum aliis Recentior Suarez & Mastrius disp. 51.

DIFFICULTAS I.

An intellectio producatur per actionem distinctam?

Dicendum est. *Intellectionem quæ reddat intelligentem, eum, qui eam produxit, non produci distincta actione.*

Probatur I. Non implicat contradictionem produci aliquid per actionem identificam sibi; & ex alia parte, nulla est necessitas asserendi, quod intellectio producatur per actionem distinctam, ut patebit solutione argumentorum.

Probatur II. Effectus essentialiter determinatus ad unum principium non producitur, actione condistincta, sed intellectionis qualitas, reddens intelligentem eum, qui eam produxit, est effectus essentialiter determinatus ad unum principium, Ergo non producitur actione distincta. Major supponitur ex materia de modis. Minor probatur, Modus est essentialiter determinatus non nisi ad hoc principium, Ergo & illa qualitas intellectionis, est essentialiter determinata, non nisi ad hoc principium, si faciat illud intelligens. Consequentia probatur. Ideo modus est essentialiter determinatus non nisi ad hoc principium, quia est ultima ratio talis determinationis, sed etiam qualitas intellectionis, est ultima ratio intellectionis, quod ipsum probatur. Quia positis quibuscunque aliis, ipsaque actione productiva illius qualitatis, in se formali-

maliter spectatæ, nondum ponitur determinatio ad esse intelligentis. Ergo hæc determinatio à sola illa qualitate habebitur. A quo enim alio? Immò quamvis hanc ipsam entitatem intellectionis, quâ intelligit Petrus, produceret v. g. Paulus, non redderet illa Paulum intelligentem, ut probatum in materia de vitalitate.

PROBATUR III. Creatio non infert aliquam modalitatem, Ergo nec productio illius qualitatis. Antecendens probatum in Physicis. Consequentia autem probatur: Ideo creatio non est modus, quia impossibile est, esse hunc effectum, sine concursu causæ creatæ productum, & non esse creatum à Deo, ita actio producens qualitatem intellectionis, quæ aliàs redderet Petrum intelligentem, actio inquam talis profecta à Paulo, erit distincta ab illa qualitate, non tamen profecta à Petro. Unde universaliter quę intellectio reddit producentem intelligẽtem, non fit condistincta actione, quæ autem non reddit eum intelligentem, producetur condistinctâ actione.

Pro nostra sententia vide Aristotelem, Metaphysicorum textu 11. & 16. Quod enim Recentior Suar. dicit illas authoritates hoc sonare, quòd illis actionibus nihil extrinsecus producatur id impertinens est. Quis enim inquã dubitare potuit, visione, speculatione, nihil fieri extrinsecũ.

OBJICIT I. Recentior Suarez. Ex hac doctrinâ sequitur, istam qualitatem non fore rem sed modum. Esset enim seipsa essentialiter immanẽs, ac proinde inseparabilis ab intellectu, consequenter esset imperfectior frigore & calore, aliisque qualitatibus, quæ sunt veræ res.

RESPONDETUR Oviedo, concedendo totum, foreque illam qualitatem imperfectiorem aliis qualitatibus in aliqua consideratione, in ratione tamen expressionis objecti, spiritualitatis, fore perfectiorem.

RESPONDETUR II. Negando illam qualitatem fore modum. Ratio, Quia de ratione modi, non est hoc, per intermediam actionem non pendere, aliàs unio, quæ producitur, non sine modo, modus non esset. Idem quæ creantur, non creantur per intermediam actionem, & tamen modi non sunt. Ergo de ratione modi non est, immediate pendere à principio effectivo, licèt verbum sit, quod aliqua species modorum, immediate pendeat à principio effectivo, & ita actio non agitur per aliam actionem. Itaque ex hoc principipio non convincitur illam qualitatem esse modum. Ex alia parte non video, cur implicet illam qualitatem poni in lapidem divinitus q; transferri in aliud subjectum, quæ omnia probant, illam qualitatem non esse modum.

INSTAT idem. Non omnia quæ pendent in fieri & conservari, dependent se ipsis immediatè, & ita lux dependet in fieri & conservari à sole, non tamen immediate, sed mediante actione Ergo idem dicendum est de qualitate illa.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, Disparitas. Quia qualitas illa, à quocunque eandem principio produceretur, eundem effectum tribueret, consequenter non est determinata, ad hoc principium. Jam autem intellectio, non à quocunque principio producta intelligente, reddit quemcunque intelligentem, unita etiam illi. Hinc fit, ut determinet sibi principium, tum, cum debet reddere intelligentem determinareque ut intelligat.

OBJICIT II. Arriaga. Intellectio non est vita Physica, sed intentionalis, vita autem intentionalis, cur indentificaret sibi actionem, quam sibi non identificat gratia, calor, &c?

RESPONDETUR. Intellectionem ita esse vitam intentionalem, ut simul sit vitalitas Physica. Est enim motus ab intrinseo. Sed quidquid sit de hoc, negatur consequentia, propter adlatam disparitatem, Quia v. g. gratia à quocunque producatur, reddet subjectum gratum, consequenter non determinat sibi principium, secus intellectio.

OBJICITUR III. Actio est ordo realis ad terminum, ordo autem realis, est, quid distinctum realiter, consequenter & actio productiva illius qualitatis, erit distincta ab illa qualitate.

RESPONDETUR. Negando universaliter Majorem, quæ non nisi in casu perticulari vera est. Ratio autem negandi, quia non implicat contradictionem, actio identifica cum termino.

INSTABIS, ex hac responsione sequitur, Deum prædeterminare voluntatem. Quia actio qua Deus producit volitionẽ, est distincta ab ea, quâ voluntas producit volitionem, & aliunde, est prior illa, quia omnis actio est prior suo effectu. Ergo prædeterminat.

RESPONDETUR. Cum concursus Dei non sit alius, præ actione creaturæ, in quantum illa actio pendet à Deo, fit ut concursus ille, sequatur conditionem actionis creatæ. Quia autem ipsa actio creata identificatur ex dictis suo termino, fit ut eidem & concursus identificetur.

OBJICITUR IV. Non implicat contradictionem Abelem v. g. generari à Caimo. Ergo neq; etiam implicabit. Contradictionem eundẽ actũ intellectionis produci ab alio principio.

RESPONDETUR. Dupliciter in hac materia procedi posse, primum dicendo, quod ne divinitus quidem, intellectio v. g. Petri produci possit à Paulo, ad eũ modum, quo modalis actio Petri ne divinitus quidẽ produci potest à Paulo, eo quod sicut actio ita & intellectio, determinet sibi essentialiter hoc principium, sed non esse necesse hoc defendere, idque propter dicta in simili de vitalitate. 2do, quod divinitus quidem intellecto Petri quoad entitatem produci possit à Paulo, ita tamen, ut non reddat intelligentem Paulum. Quo posito, distinguetur consequens: Ergo etiam non implicabit contradictionem eundem actum intellectionis, produci ab alio, ita tamen, ut non reddat eum intelligentem concedo, ita ut reddat intelligentem Nego. Consequenter cum reddet intelligentem, non producitur ut dixi actione distincta: secus si non reddat intelligentem,

ita

ita ut actio illa sit indistincta ab intellectione, in circumstantia, quòd reddat eum qui eam producit intelligentem; ad eum plane mudum, quo relatio indistincta est à fundamento & termino, non quomodocunque, sed in circumstantia rationis fundandi.

Ad hoc defendendū dupliciter procedit posset. Imprimis ponendo quòd intellectiones Petri, ad rationem tribuendi, esse intelligentis, requirant nonnisi, à Petro produci, ita ut intellectus Pauli, ad illam productionem eductionemque è sua potentia, nonnisi obedientialē potentiam habeat. Deinde concedi posset, quod eadē intellectione, qua intelligeret Petrus, posset intelligere Paulus, si illam intellectionē produceret, concedi posset quòd itidem, eandem intellectionem & Petrus & Paulus indistincta actione produceret: Quodsi quæratur. Quod ergo erit determinatum ut dicatur potiùs intellectionem illam produxisse Petrus, quam Paulus recurri posset ad hoc: Quia casu quo illam produceret de facto potius Petrus, quàm Paulus diceret illa intellectio connaturalem exigentiam, ut conjungatur noñisi intellectui Petri, cum omne accidens, petat connaturaliter uniri ei subjecto è quo eductum est. Videtur tamen ille prior modus, esse planior, & superiùs dictis conformis.

Objicitur V. Nulla est causa, quæ determinet sibi individuos effectus. Ergo nec potentia intellectiva. Quodsi non individuat sibi intellectiões, debebit illas distincta actione producere.

Respondetur. Attendendo ad immediatè dicta, quòd hoc sensu individuet sibi effectus, ita, ut alia eosdem, nonnisi obedientialiter producere possit; sed hoc sensu non individuat sibi effectus, quasi ad plures in sua potentia contentos, non indigeat à Deo determinari, ut videre est dum Deus determinat ad hanc individuationem modi, licet hic individuus modus, huic nonnisi principio sit adstrictus. Sed quidquid sit de hoc principio, potest ad huc dici: quòd effectus qui sunt simul essentialis determinatio hujus ad hoc, non indigeat, à causa, distincta actione produci, licèt producat distincta actione effectus causa, quia effectus, non habent simul determinationem, hujus ad hoc.

Argumenta Recentiorum.

Mastrius hîc disp. 6. n. 91. censet, produci verbum mentis, per distinctam actionem, ejus hîc pensanda argumenta.

Objicit I. Auctoritatem Augustini 9. de Trinitate capite 7. Ubi ait conceptum verum, veracem notitiam, tanquam verbum, aqud nos habemus, & dicendo intus gignimus.

Respondetur. Cum Augustinus nihil exprimat, de dictione distincta ab ipsomet verbo, poterit adhuc illud verbum, generari & produci in nobis productione indistincta entitativè.

Objicit II. Verbum vocale, verè producitur per locutionem, & dicere corporeum, veluti per actionem distinctam. Ergo & verbum mentale, producitur per locutionem & dictionem spiritualem, distinctam.

Respondetur, negando antecedens. Cum enim verbum vocale, non aliud sit (si sonum demas) nisi locutio & dictio corporea, sicut locutio & dictio corporea, non est distincta à seipsa, ita nec erit distincta, à verbo corporeo seu vocali.

Objicitur III. Verbum divinum nequaquā seipso immediatè producitur à Patre. sed per internam actionem generativam, cujus ipsum, est Terminus. Ergo idem dicendum, de verbo creato.

Respondetur. Antecedens, ne indigeat ulterius probari, si negetur, indiget ulteriori explicatione, nam negando, quòd per actionē distinctam, producatur verbum creatū, nihil dissimilatur productio verbi creati, productioni verbi Increati, sicut enim, licèt vere generatur verbū, actio agens, ut ita dicam, adeoq; generativa, non est entitativè quid distinctum à Paternitate, imò nec virtualiter, sed virtualitas generationis est in distincta virtualiter à Paternitate. Ita quamvis verbum creatum producitur ab intellectu, ejus productio activa, non erit entitative distincta, ab ipsomet intellectu dicente.

Instat I. Mastrius. Quamvis actio illa agens, sit identifica Paternitati, id non tollit, quin generatio in divinis, sit vera & realis actio, & quod identificetur paternitati, non provenit ex rationibus formalibus actionis, sed accidit ex summa simplicitate divina.

Respondetur. Concedo, quod identificatio actionis illius agentis, ut ita dicam, cum paternitate, non tollat, quo minus sit vera & realis actio, licet non sit verè & realiter distincta, mediansq; inter Patrem & filium, ita etiam & dictio creata erit vera & realis Actio, quamvis non mediet verè & realiter, inter intellectum & verbum creatum. Concedo, quòd identificatio ista actionis, non procedat ex rationibus formalibus Actionis, aliàs nulla daretur condistincta entitative aut connotans aliquid condistinctū. sed procedit ex connexione verbi mentis cum intellectu, cui tribuit rationem intelligentis actu. Et sicut simplicitas Divina, exigit, ut non intermediet illa generatio, inter Patrem & Filium, ita nexus verbi creati cum hoc intellectu, cui tribuit rationem intelligentis, exigit, ne intermediet distincta realiter dictio.

Instat II. Verbum nostrum ex limitatione sua est accidens, ergo ex eadem limitatione, potest produci, distincta re ipsa, actione.

Respondetur. Concedo quòd ex sua limitatione, verbum nostrum, sit accidens, si enim esset substantia communiter infertur, quòd esset actus purus in ratione intelligendi, adeoq; Deus, sed nego quòd si aliquid producatur per actionem

nem indistinctam, quod non possit esse accidens, & aliquid limitatum.

Instat III. Etiam in divinis, generationis actio, distinguitur à verbo genito.

Respondetur. Sicut in divinis distinctio illa oritur, non ex ratione intermediæ realitatis, sed ratione indistinctionis à Paternitate, ita & dictio activa creata, distinguetur à verbo creato, ob suam identificationem cum intellectu.

Objicitur IV. Quando aliquis effectus, nec ab alia causa, nec alio modo prodire potest, signum evidens est, dependentiam à tali causa, esse illi essentialem, ac realiter identificatam; jam autem Verbum mentis, idem numero, potest à diversis principiis oriri, cum habitu, vel sine habitu, vel cum specie impressa, cum uno, vel altero Dei auxilio, si sit actus supernaturalis, imò potest totaliter à Deo imprimi.

Respondetur. Non potest ostendi sufficiens mutatio, per quam, à non esse agentis, transeat habitus ad esse agentis (& similia numerata in antecedenti) nisi ponatur modalitas, quia autem non recurrendo ad aliquid intermedium, potest ostendi, per quid transerat intellectus, à non esse agentis illud verbum, ad esse agentis, nempè quia per illud redditur intelligens, ideò non erit necesse, per intermediam actionem; produci illud Verbum. Unde à nulla alia causa potest produci hoc Verbum creatum, reddens intelligens, & exigens uniri, nonnisi cum hoc intellectu, nisi ab hac causa, consequenter cum tali causa, dicit essentialem nexum. Nego item, quòd idem numero verbum, possit à solo Deo produci & imprimi, ut reddat intelligentem, eum, cui imprimitur.

Objicitur V. Alii effectus producunt media actione quæ sit modus, vel non sine modo, ergo & Verbum mentis.

Respondetur. Quæ creantur, non producuntur actione intermedia, cur non & Verbum mentis? de aliis dispar est ratio, quia nisi ponatur intermedia actio, saltem non sine modo, non erit ostendere sufficientem mutationem, per quam transeatur à non esse agentis, ad esse agentis, quæ in præsenti, ut dictum, ostendi potest.

DIFFICULTAS II.

In quonam consistat Intellectio?

PLures sententias in hac materia, supra proposui, nunc examinandæ sunt.

Punctum Difficultatis I.

An intellectio consistat in Actione?

IN duplici suppositione procedere debet resolutio, nempe posito, quòd intellectio actione distincta producatur, & posito, quòd indistincta actione.

Dicendum est I. *Actionem quantumvis foret distincta à termino seu qualitate producta non fore formaliter intellectionem.*

Probatur I. Illa entitas actionis, prout condistincta à suo termino, vel notificat objectum potentiæ vel non notificat: si non notificat. Ergo in illa formaliter non consistit intellectio. Quia illa, est definitivè notificativa objecti, si notificat. Ergo frustra producitur verbum mentis, siquidem quod facere deberet, jam hoc præfacit actio, & sicut productio caloris non calefacit, sed calor, productio etiam gratiæ non gratificat subjectum, sed gratia: ita & productio intellectionis, non faciet intelligere, sed terminus ejusdem.

Respondebis. Illam actionem requiri ut producatur verbum mentis.

Contra. Transeat illam actionem requiri ut producatur verbum mentis, nec de hoc est quæstio; sed inquiritur, in illané actione stet formalitas intellectionis?

Neque valet si dicas: in utraque stare; jam enim superabundaret alterutra, effectusque formalis idem, non potest à diversis principiis pendere. quamvis effectus in genere causæ efficientis, id possit habere: quia effectus formalis non est aliud, nisi forma ipsa unita subjecto capaci: sicut ergo ipsa forma, non est idem cum alia forma, sic nec eundem effectum formalem præstabit. Si autem dicas præstare quidem diversum effectum, utrumque tamen de linea intellectionis, restat quærere, in quo sit sita illa diversitas, ita ut neutra sit forma otiosa.

Probatur II. Si in actione consistit formaliter intellectio, illa intellectio vel producit aliquid vel non producit, si non producit, actio non est, ut supponitur in ratione actionis Physicæ, si producit, quid illud est quod producit? non producit aliam intellectionem, quia hæc intellectio deberet etiam in actione consistere; cur enim una in actione consisteret, & non altera. Rursus illa actio si producit intellectionem producit actionem, cum per te intellectio consistat formaliter in actione, dabitur ergo actionis, & sic dabitur processus in infinitum, vel deveni re erit ad intellectionem, quæ non sit actio, & sic aliqua intellectio, non in actione consisteret cum illa prior, in actione consistat. Non etiam illa actio quam tu dicis intellectionem, potest producere aliquid aliud, præter intellectionem; quia nullus terminus alius, illius assignari potest, vocaturque actio, intellectionis productiva.

Probatur III. ex Oviedo. Si tota ratio intellectionis consistit in actione, terminus illius actionis tantũ esset necessarius, ut subsistat actio, non enim ille terminus constitueret eum intelligentem. Quia si per impossibile actio illa esset sine termino, jam præcise per actionem esset intelligens. Ergo terminus tantum requiritur ut præcise sit actio. Hoc autem dici non potest: Quia jam non terminus esset propter actionem, sed actio propter terminum.

Dicen-

Dicendum est II. *Actio productiva intellectionis, si detur distincta à termino requiretur tanquam prærequisitum necessarium ad intellectionem, in suppositione autem quòd identificetur termino, sub formalitate tendentiæ motusque prior est, & prærequisita, ante formalitatem Termini & quietis ut ita dicam.*

Probatur. I. Conclusio auctoritate Tridentini, quod sessione 6. Canon. 4. respectu justificationis, dicit nos non esse, tanquam inanimatum instrumentum, nihil operans. Ergo supponit, ut non dicamur nos habere tanquam inanimatum instrumentum, debere intercedere actionem, consequenter cum in intellectione, nõ habeamus nos in animato modo, debet illic intercedere actio, sed non tanquam aliquid subsequens: Ergo tanquam prærequisitum necessarium.

Probatur II. Illud quod dicit necessarium & essentialem connexionem cum suo principio, adeoque insupplebilem etiam à Deo, necessario debet involvere rationem, ob quæ dependet à suo principio. Hæc autem non alia est, nisi actio, quæ enim aliam? quod si dicet intellectio actionem, tanquam rationem, ob quam dependet à suo principio, & cum eam non deposcat tanquam aliquid posterius: Actio enim semper prior est effectu, cum etiam actionem non deposcat tanquam rationem formalem intelligendi. Ergo illam deposcet, tanquam necessarium prærequisitum.

Probatur III. Non potest intellectus reddi intelligens per intellectionem ab alio productam. Rursùs illa intellectio, non est improducta, Ergo intellectio involvet actionem, sed non involvet eam, ut rationem formalè intelligendi ut probatum. Ergo tanquam aliquid prærequisitum, vel potiùs ut rationem, ut Quo, suæ productionis.

Objicitur I. Intellectio increata non involvit actionem. Ergo neque creata.

Respondetur. Si nomine actionis intelligas rationem formalem Quo, cui correspondet factum, nulla est in divinis actio, quia nihil factum, cum tamen in creatis omnia fiant facta.

Quodsi nomine actionis intelligas productionem, cum distinctione respondendum erit. Si enim nomine intellectionis increatæ, intelligas intellectionem personalem, seu verbum, respectu illius datur vera productio. Si autem nomine intellectionis increatæ intelligas ipsammet naturam divinam, quà natura est, illa cum sit improducta, respectu illius non potest dari productio. Quia autem creata intellectio est producta benè respectu illius, potest dari Actio.

Objicitur II. Arriaga. Vel essentia tota salvatur in qualitates, seu termino Actionis sine actione, vel non salvatur, si non salvatur, Ergo deficit aliqua pars essentiæ intellectionis sine actione, adeoque actio quæ deest, deest tanquam aliquid ad essentiam intellectionis spectans, si autem salvatur sine actione, Ergo sine actione dabitur intelligens, hoc enim nihil aliud est, quam tota essentia intelligentis, sicut homo non aliud est quam tota essentia hominis.

Respondetur. Posita nostra sententia, quòd identificetur actio, intellectioni productæ, sicut intellectio sine se ipsa, ita nec sine actione, salvari poterit, cum hoc tamen stat, ut reddatur per illam homo intelligens, non sub formalitate actionis, sed sub formalitate termini: si autem distinguatur actio à termino, in solo termino stabit intellectio, tanquam in ratione formali intelligendi, sed non in solo termino, quasi in se solo, claudat omnia prærequisita.

Objicit III. Oviedo. Actio pro connotato sumpta, vel est additum diminuens vel destruens, rationem essentiæ intellectionis, vel contrahens, si contrahens, ratio intellectionis consistit in actione, & termino, si diminuens, intellectionis essentia adæquatè constituetur in termino.

Respondetur. Quærendo, an tempus vespertinum, sit ratio diminuens an contrahens comestionem, & quam responsionem dederit ille, aptari poterit in præsenti. Directè dici potest, rationem actionis esse rationem contractivam, sed per modum connotati, efficiens scilicet, ut illa intellectio sit vitalis, sed non contrahit illam, tanquam ratio manifestiva formaliter.

Objicitur IV. Vita substantialis non consistit ullo modo in actione, nec illam importat, sed solum formam substantialem. Ergo & vita accidentalis, quam habet potentia in actu secundo operans, nullo modo importat rationem actionis.

Respondetur. Vita substantialis divina, est formalissime ipse actus 2dus, vita autem substantialis creata, prerequirit actionem sui productivam, cur ergo idem etiam non dicetur de vita accidentali quæ est per intellectionem. Sed disparitatis ratio etiam adferri potest. Quia ab hac actione produci, non est essentiale vitæ substantiali, ut scitum est ex Physicis. Jam autem essentiale est intellectioni, actione vitali produci, quàndo reddit intelligentem, consequenter dicet specialem nexum ad actionem, saltem tanquam ad prærequisitum.

Objicitur V. Solus conceptus, est similitudo objecti, ergo in solo illo consistet intellectio.

Responsum supra. In solo conceptu consistere intellectionem, tanquam in ratione formali

formali intelligendi, sed non consistere in solo conceptu, quasi non requireret alia prærequisita saltem ex modo concipiendi distincta.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Obejections.

PRæter adlatas objectiones contra conclusionem secundam, restant eæ solvendæ quæ magis impetunt conclusionem primam.

OBJICITUR I. Intellectio divina in sola processione consistit. Ergo & intellectio creata in sola actione. Anteced. probatur. Quia intellectio divina, considerari potest tam notionalis quàm essentialis, utraque autem in processione consistit, ut probatur. Quia intellectio notionalis dicit processionem seu originem activam, & processionem passivam, seu verbum divinum, quæ intellectio, non consistit in verbo seu termino. Quia prius intelligitur Pater, actu intelligens, quàm producens verbum: cognitio etiam essentialis, consistit in operatione, & non in termino.

RESPONDETUR. Hanc difficultatem pendere ab illa, quæ examinatur in materia de Trinitate, quodnam scilicet sit principium immediatum, formale, ut Quo processionum in divinis. Interim videamus quid sit directe respondendum. *Hinc*

RESPONDET imprimis recentior Suarez. Negando consequentiam, disparitatem dat, quia pater non intelligit per verbum, imo quando illud producit, jam supponitur esse intelligens, non enim illud produxit ex necessitate intelligendi, seu ut intelligat, sed ex fœcunditate intelligendi, seu quia intelligit, hinc pater non intelligit per verbum. Creatus autem intellectus intelligit per conceptum seu terminum. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Instauraturque sic argumentum. Pater non per verbum intelligit, sed cum illud producit, supponitur jam intelligere. Rursus Pater non intelligit per verbum, Ergo quando producit verbum creatura æque etiam supponitur intelligens actione, Ergo ulterius, non ideo illud producit ut intelligat, sed quia intelligit actione.

RESPONDET II. Oviedo. Pater non tantum est potens intelligere, quatenus potest percipere objectum, quod est illi commune cum aliis personis, sed potens est intelligere notionaliter producendo verbum consubstantiale, habens tamen diversam personalitatem; Quod subsistere nequiret, si Pater non haberet verbum distinctum à se, quod sit terminus cognitionis notionalis Patris. In creatis verò nulla est ratio quæ cogat imò neque permittat verbum aliquod assignari productum per cognitionem formalem, quod ad rationem formalem cognitionis non pertineat. *Hæc responsio*

NON SATISFACIT. Supponit enim dari notionalem cognitionem, quæ si non aliud est quam cognitio, communis reliquis personis affecta personalitate non solvitur argumentum quia ipsa ratio personæ Patris quâ talis, nihil habet formalitatis, quæ sit cognitio, consequenter ad hùc verum erit, rationem cognitionis, stare in ipsomet actu secundo, non autem in termino illius: consequenter etiam creata cognitio, stabit in actione non autem in termino, si autem aliquid aliud per notionalem cognitionem intelligitur, nempè cognitio appropriata Patri non aliis personis, vi cujus aliquid intelligat Pater, quod non intelligant aliæ personæ; talis intellectio notionalis rejicitur à Teologis. Deinde concedo ad solvendas processiones divinas, debere admitti verbum distinctum realiter à Patre, sed inde non sequitur, quòd in divinis, non stet cogitatio in processione. Concedo in creatis non dari necessitatem ad producendum verbum subsistens, sed inde non sequitur, quòd sicut in divinis in processione consistit intellectio, sic non consistere in creatis. Concedi item potest, in creatis, non pertinere verbum ad rationem formalem cognitionis, sed tanquam terminum illius intellectionis & partum. Inde autem non sequitur sicut in divinis, ita & in creatis, intellectionem non stare in processione, & in productione verbi. *Hinc aliter*

RESPONDETUR. Intellectio communis omnibus personis, de fide est, quod in processione non consistat: Quia illa, est ipsamet natura divina communis, cui nullo modo competit, habere productionem, cum sit improducta. Distinguendo autem actum primum intelligendi in Deo ab actu 2do, prioritas illius conedi ex modo concipiendi potest, sed non cum prædicato productivi. Quia natura divina etiam ex modo concipiendi, non potest dici producta, tribuimusque actum secundum intelligendi DEO, seclusis imperfectionibus, qualis esset si conciperetur producta. Instantia de intellectione personali stat contra oppositas, idque ideo, quia intellectio personalis; stat in ipsa ratione termini seu verbi producti. Ergo & nostra intellectio, in termino debet stare. Quod autem dictio, stet in processione, aliud est. Quia cum dictio sit ipsa processio Ut Quo sumpta, sicut sine se, ipsamet dictio, esse non potest, ita nec sine processione, sed inde non sequitur, intellectionem in divinis stare in processione, Quia dictio licet sit de linea intellectionis, non aliud tamen importat, quam actuale exercitium locutivitatis paternæ, de quo fusius prima parte, estq; ratio Ut Quo, productionis verbi seu intellectionis personalis, quod nos concedimus etiam illi actioni creatæ (si detur) quæ est productiva verbi mentis.

OBJICIUNTUR II. Paritatis aliquæ.

PRIMA PARITAS. Modus localis non in termino, sed in actione consistit, Ergo & intellectio.

Respondetur. Disparitatem esse Quia nisi in ipsa actione staret motus, non posset aliud haberi in quo ille salvetur, non enim posset salvari in termino, hic enim vel est quies, adeoque negatio motus, vel ubi, quod etiam quantum est de se, nullo modo importat motum. Nulla autem talis ratio urget, ut ponatur intellectio in actione, imò, ut dictum rationes in oppositum urgent.

Secunda Paritas. Volitio consistit in actione Ergo & intellectio. Antecedens probatur. Quia volitio est libra, libra autem non esset, si in termino consisteret, quia terminus non potest non sequi actionem, adeoque non est indifferens, ad esse & non esse.

Respondetur. Suppositionem consequentem non esse destructivam libertatis, sed ipsum actuale exercitium ejusdem. Terminus autē ille non posset non esse tantū ex suppositione consequenti, hinc quamvis volitio in termino consisteret adhuc salvaretur volitionis libertas. Deinde in ipsa volitione duo possunt distingui, Actio productiva volitionis, & ipsa volitio producta; nego ergo volitionem stare in actione illa productiva, & sicut supposito quod sit actio, non potest non esse, nec hoc præjudicat libertati, ita nec præjudicabit libertati termini, quod supposita actione non possit non esse.

Objicitur III. Per actionem constituitur principium intellectivum, vivens in actu secundo, vita intellectuali. Ergo de ratione intellectionis est, tantum actio, & non terminus.

Respondetur. Per actionem scilicet constitui principium intellectivum vivens, tanquam per rationem tendendi ad formam vitalem, non autem, tanquam per formam & ultimum complementum vitale, per intellectionem autem constituitur tanquam per formam vitalem. Sic v. g. possessio rei, non est ipsa sententia ad possessionem, sed ipsa res possessione habita, est possessio, cum ergo intellectio, sit possessio objecti vitalis, non tendentia ad illam possessionem, quæ est actio, erit illa possessio, adeoque actio non erit intellectio, sed ipsa res possessione habita, seu terminus qui est possessio intentionalis objecti. Quod ipsum sic ulterius proponitur: In esse actuali vitæ, duo considerari possunt. Primò Ratio reducendi sese in actum secundum. Secundò spectari potest, ipse actus secundus. Ratio reducendi sese in actum secundum, tribui debet actioni; ratio autem ipsius actûs secundi, debet tribui illi termino, qui respondet illi rationi, reducēti actuum primum, in actum secundum, sic ergo, & intellectio, cum sit actus secundus vitæ intellectualis; non debet tribui rationi, reducendi intellectum in actu primo, ad esse intellectivi in actu secundo, sed debet tribui ipsi actui secundo, qui est terminus illius actionis. Unde ratio reducendi sese in actum secundum ut quo, dupliciter sumi potest, primò pro ipsa forma quę est actus secundus, & in hoc sensu ipsa actio non est hæc forma, sed terminus illius, secundò pro ipsa actione Ut quo, & formali producendi illam ipsam formam, producendi illam ipsum actum 2dum, & hoc sensu actio, & Ratio reducendi in actum secundum.

Punctum Difficultatis 3.

An intellectio consistat in Qualitate producta.

Dicendum est. *Intellectionem creatam consistere in Qualitate producta.* Est conclusio Authorum supra citatorum.

Probatur I. Quia intellectio consistere debet in aliquo, non consistit formaliter in actione ut probatum est, Ergo in termino illius, nihil enim tertium inveniri potest.

Probatur II. Pone quamlibet actionem, & non pone repræsentationem objecti, & eorum prædicatorum quæ res continet, non intelliges rem. Ergo intellectio in eo stat, quod est illa repræsentatio, quam dicimus esse terminum. Idem sic aliter proponitur, in illo consistit intellectio, quod negat non intellectio, sed non intellectio, nihil aliud importat, nisi non esse in mente prædicata rei repræsentata. Ergo intellectio repæsentationem importabit, sed qualitas illa producta est repræsentatio, non enim actio est repręsentativa ut dictum. Ergo in qualitate illa stabit intellectio.

Probatur III. Impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, Ergo nec sine illa transibitur à non esse intelligentis adesse intell gentis, sed nisi ponatur intellectio stare in dicta qualitate, nulla dabitur sufficiens mutatio, Ergo in illa debebit stare intellectio.

Ex quo ulterius Inferes, non esse possibile, ut producatur creata intellectio, quæ non habeat rationem verbi producti repræsentationem objecti, &c. Ratio est, quia ratio repræsentationis, specieique expressę, itemque ratio verbi mentis, intra intellectionem, vel sunt idem realiter, vel nō sunt. si sunt idem realiter. Ergo unum illorum posito, ponetur & aliud, si autem non sunt idem realiter. Ergo tu multiplicas Entia sine necessitate, attendendoque ad definitionem speciei expressę, & verbi mentis, facile inferetur identitas.

Clarè id docet S. Thomas prima parte quæstione 27. articulo primo in (.) ubi dicit; qui cumque intelligit ex hoc ipsō quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum quod est conceptio rei intellectæ.

Objicitur I. Intellectio Divina, quæ est ipsamet natura Divina, non est productiva verbi mentis, nec est cum illo idem, Ergo nec idem erit intellectio creata.

Re-

Respondetur. Concedere quidem Martionem, verbum esse duplex in divinis, essentiale & notionale, ut videre est disputatione 24. num. 5. & disputatione 29. numer. 1. id tamen rejeci in prima parte. Hinc disparitas hæc assignari debet. Quia scilicet de ratione verbi imaginisque etiam objecti, est habere formalitatem producti, Hinc in prima parte verbum Divinum non dicitur inesse imago creaturarū, quia non producitur à creaturis, Quia autem in divinis, nullam datur commune productum, fit ut intellectio divina, nō sit verbum, nec imago objectorum, nisi dicas nomine imaginis & verbi, te non aliud accipere, quàm quòd notificetur objectum, hæc enim notificatio indubie est in Deo, sed quia non est producta, non potest dici verbū & imago. Quia autem omnis intellectio creata, est ita notificativa, ut sit etiam producta, fit, ut omnis cognitio creata, debeat habere formalitatem intellectionis, & formalitatem verbi imaginisque.

Objicitur II. Sufficit, intellectionem non aliud esse, quàm receptionem specierum.

Respondetur. Quod non. Tum quia Angeli, supposito quod habeant sibi concreatas species semper intelligerent omnia illa, supposito etiam quod eas sibi fabricent, intelligerent semper omnia, quorum habent species. Tum quia intelligere, esset pati, hoc autem esset contra mentem Tridentini de Justificatione. Aristoteles & S. Thomas explicandi sunt, quod intelligere in actu primo, & remotum, sit quoddam pati, quod producto illi verbo, competat recipi in anima nosentis.

Objicitur III. Cum Amico. Sufficit in visione seu intellectione beatifica DEI, quod sit sola vitalis tendentia & intentionalis unio intellectûs creati cum DEO, proxime & immediatè intelligendi.

Respondetur. Quod non. Ratio est, quia illi tendentia, vel est actio vel Qualitas, si actio, debet habere terminum saltem cui identificetur, si autem est Qualitas producta, habetur intentum.

Objicit IV. Idem; de ratione speciei expressę est, ut exprimat intentionaliter objectū, ut in eo objectum proximè & immediate cerni possit: Consequenter de ratione speciei expressæ est, ut quamvis objectum sit absens & non existens, adhuc aliud repræsentare possit species expressa; Jam autem si non existeret DEUS, aut absens à beatis esset, Beati DEUM non viderent. Ergo apparet non dari illic speciem expressam, rigorosam.

Respondetur. Falsum esse quòd objectum videatur in specie expressa, vel quod verbum mentis, sit medium in quo, videndi objectum. Rursùs dictum est alibi, non existentem colorem videri non posse ab oculo connaturaliter, fieri tamen posse supernaturaliter, & Deo supplente defectum alicujus requisiti, Sed DEI non existētis, defectum, nulla creatura supplere posset. Fusior deberet dari huius objectionis solutio, sed ea tractatur in prima parte. Ubi de specie DEI impressa. Videantur etiam aliàs dicta ubi discurrebatur, an sensus ferri possit in objectum absens.

Objicitur V. Ex Salmaticensibus. DEUM esse actum purum, adeoque per suam essentiam, esse suum intelligere, & intellectū esse. Ergo implicat illum, per aliquid aliud esse intellectum.

Respondetur. Hoc argumentum multum probare, adeoque nihil: Quia probat DEUM, nec per actionem videri, nec ullum lumen gloriæ videnti Deum superaddi posse. Quia DEUS actus est purus, sine ullo lumine & actione, suum intellectum esse. Quodsi saltem creatū esse intellectū Dei, potest haberi ratione luminis gloriæ, nō in Deo sed in creatura reperibilis, idem dicetur, quod intellectum esse creatum, objecti increati, possit esse, per aliquid superadditum, actione illud vitali producente.

DIFFICULTAS III.

Verbum mentis quomodo se habeat ac objecta intelligenda.

CEnsent Thomistæ, intellectum informatum jam speciebus, primùm producere verbum mentis, & in illo prius cognitio cognosci objectū, & quod illius verbi efformationem, postea subsequatur intellectio objecti, idemque docet cum illis Amicus tomo 1. disputat. 9. Sectione 3.

Dicendum est I. *Verbum mentis, non esse medium, In Quo noscatur objectum.* Est sententia nostrorum communior.

Probatur I. Argumento negativo, Quia scilicet nulla est necessitas multiplicandi hæc entia, quorum aliud sit verbum, aliud cognitio objecti; ut patebit solutione argumentorum. Hic ipse medius terminus sic aliter proponitur, cognitio illa objecti, vel manifestat objectum noscenti, vel non manifestat, ergo ipsa illa est verbum, nomine enim verbi, id intelligitur: sin autem non manifestat. Ergo non est cognitio.

Probatur II. Illud verbum & esset cognitio objecti, & non esset, non esset, quia cognitio objecti subsequitur productionem verbi, & esset cognitio objecti, quia repræsentaret intellectualiter objectum. Quodsi dicas: alio modo repræsentari objectum in verbo & alio modo in se: Contra erit, Quia hoc ipsum non est necessarium, diversitatemque hanc nunquam experimur.

Confirmatur. Quia si verbum quocunque modo esset medium noscendi, In Quo objecta falsificarentur Propositiones, nulla darentur universalia, & his similia. Nam hujus Propositionis, Petrus est Animal: deberet esse sensus, Petrus est meus conceptus de animalitate, prædico enim hoc de Petro, quod cognosco, prædi-

† (P) 2 & 3 cabile

cabile de Petro; per te autem cognosco conceptũ & Verbum meum. Deinde nulla esset condistinctio inter notitiam animalis, & inter cognitionem reflexam, quæ noscit ipsam notitiam animalis, quæ tamen duo sunt distincta, nam in notitia notitiæ, directum est objectum: Notitia, in notitia autem animalis, directum est objectum: Animal, & tamen si verbum esset medium In Quo, noscendi objecti, deberet esse ipsa notitia, directum objectum, Quod noscitur.

PROBATUR III. Non cognoscitur Deus in verbo tanquã in medio In Quo, nec enim essemus beati per aliquid increatum. Rursùs per ipsosmet Thomistas non cognoscitur prius Deus in verbo, postea in se ipso. Ergo neque alia objecta, cognoscuntur prius in verbo, postea in seipsis.

RESPONDERI potest 1. ex Amico. Quia S. Thomas 1. parte Quæstione 12. artic. 2. negat omnem similitudinem tenentem se, ex parte rei visæ.

CONTRA est. Quia præsens, locus non plus vult, quam quod non detur actu ulla species impressa Dei. Neq; valet si dicas cum eodem, ex eo non posse dari expressam speciẽ essentiæ Dei, quia nulla species creata potest exprimere essentiam divinam, secundùm omnem perfectionem quam habet in esse reali. Non inquã, valet si dicas, quia aliàs neq; substantia creata poterit habere sui speciem expressam, eò quòd species expressa, sit imperfectior, utpote in entitate accidens. Quodsi dicas sufficere ut habeatur vis repræsentandi, sine ulla continentia objecti, idem in præsenti dici poterit.

RESPONDEBIS II. Deum non videri omnino perfectè, adeoq; non videri in verbo creato.

CONTRA erit. Quia non est major ratio de objecto perfecte quàm imperfecte viso, & rationes oppositorum, utrumque probant.

DICENDUM II. *Objectum non cognosci nisi prout repræsentatum à Verbo mentis.*

PROBATUR I. Quia ita intelligitur objectum sicut intelligitur; sed sicut præsentatur per Verbũ mentis, ita intelligitur objectum, in hoc enim verbo mentis, stat formaliter intellectio. Ergo sicut præsentatur verba mentis ita intelligitur.

PROBATUR II. Quia nisi intelligerentur objecta, prout repræsentata per verbum mentis, nullum posset fieri universale, hoc enim non datur aperte rei, non etiam est ipse meus conceptus. Ergo non debet esse aliud, quàm ipsum objectum, prout sic & ita cognitum.

PROBATUR III. Rationibus quas oppositi adferunt, ostendentes verbum esse medium, in quo, noscendi, quæ rationes saltem probant, nosci objectum prout repræsentatum. Differt autem hæc sententia à sententia Thomistarum per hoc: quia non distinguit cognitionem objecti à verbo mentis, differt autem: quia non dicit ipsam cognitionem, esse quasi speculum, in quo vulgariter dicitur objectum videri, sed dicit ipsum in se attingi, licèt non attingatur, prout in se, sed prout repræsentatur. Differt deniq; quia ponit verbum mentis tanquam rationem formalem intelligendi, non autem tanquam medium In Quo.

OBJICIT I. Amicus auctoritates S. Thomæ.

RESPONDETUR. Locus quem adfert ex libro 1. contra gentes cap. 53. pro nobis potiùs est. Quia illic appellat S. Thom. verbum, intentionem intellectam, hoc est ratione objecti intellecti resultantẽ, quæ etiam est similitudo intellecti concepta, ut loquitur 4. contra gentes cap. 11. sed non dicit illam esse medum In Quo. Locus autem ille ex opusculo 13. ubi dicit verbum comparari ad intellectum, non sicut Quo intellectus intelligit, sed sicut In Quo intelligit, non etiam contradicit nobis in re, non enim dicit, quod nonnisi potest verbum mentis, sequatur cognitio objecti, sed tantum ostendit verbum non esse actionem intellectus quâ intellectus intelligat, seu producat intellectionem, sed quòd sit id, in quo intelligitur, non quidem tanquam medio noscendi & in Quo, sed quod sit terminus & qualitas producta. Idem alii explicant, quod in verbo, non quidem objectivè sed tamen formaliter habeatur objecti expressio. Quomodo etiá intelligi debet locus ex opusculo 14. Ubi dicit, rem non intelligi nisi in verbo; quanquam dici potest, hoc loco probari, quòd objectum intelligatur prout repræsentatum. Aliæ etiam authoritates S. Thomæ non plus volunt, quàm quòd non intelligamus sine efformatione verbi mentis.

OBJECIT II. Amicus auctoritates aliorum Patrum qui verbum appellant imaginem objecti.

RESPONDETUR. Non loquuntur Patres, quòd illa imago, distinguatur à cognitione objecti, ut volunt Thomistæ, vel quòd sit medium in quo. Aliunde, etiam nos, appellamus verbum imaginem objecti, quia est ratio exprimendi intentionaliter. Quando autem dicit Amicus in verbo increato Patrem agnoscere omnia. Ergo etiam nos in verbo nostro cognoscimus, quæ cognoscimus, aliàs in hoc verbo mentis nostræ distingueretur à verbo increato, & tamen hujus differentiæ non meminerunt Patres, id non convincit, ex eo enim, quòd prius supponatur Pater intelligere antequam producat Filium, inferri potiùs debet: Ergo illi verbum est medium noscendi. Quando autem insuper etiam in verbo noscit creaturas, est illi verbũ, noscendi medium, non adsimile ei, quo noscit easdem in omni potentia, quæ est quidem medium noscendi, sed non medium tale, de quo hîc, sed hoc discutere ad Theologiam spectat.

OBJICIT III. Potentia visiva percipit objectum in sua visione, ut in propria imagine expressum. Ergo & intellectiva objectum suum percipit in verbo mentis. Antecedens probatur, quando species variantur quoad intensionem, objectum apparet crassius, & quando species variantur quoad multiplicationem in conspiciliis v. g. Multangularibus, objectum apparet multiplex, quando item species, refranguntur, objectum apparet fractum. Ergo potentia visiva, percipit suum objectum, in sua visione, tanquam in propria specie expressum, si enim visibile cerneretur non in sua imagine, sed in propria natura existens, non posset cognosci, nisi cum ea dispositione, quàm in se ipsa haberet.

RESPONDETUR. Negando Antecedens. Probationi consequentiam, ad ulteriorem ejus probationem dicitur, si visibile cerneretur in sua propria natura, & non qua repræsentatum intervenientibus etiam speciebus, tunc non posset cognosci nisi cum ea dispositione, quam in se ipso habet: secus si videatur, prout repræsentatum, & intervenientibus speciebus, ratione medii variabilibus. Hæc etiá probatio, potentia visiva percipit objectum in sua visione, si faciat hunc sensum, non aliter videtur objectum, quam repræsentet illa visio, vera est propositio, si autem faciat hunc sensum, quod percipiatur objectum in visione, ita, ut non attingatur in se objectum, falsa est.

INSTAT I. Quod non se habet objectivè ad potentiá, non potest mutare objectivè potentiam, quia nihil potest esse medium mutandi alterum, quod non est medium efficiendi illud, sub ea ratione, sub qua debet illud mutare. Cum ergo visio mutet potentiam, debet esse objectum cognitum, & non debet esse tantum subjectivè in potentia.

RESPONDETUR, negando Antecedens. Negando ulteriùs probationem illius, quæ ad maximum hoc evincit, quod objectum non quomodocunq; mutet potentiá, sed prout repræsentatũ. Quamvis autem in conspiciliis multangularibus, non possit discerni inter verum & apparens objectum, non sequitur jam, quòd in visione tanquam in medio, videatur objectum, sed tantum sequitur intervention illic multiplicatarum specierum, repræsentativum objectum multiplicatum; quod objectum, aliàs non videtur, nisi prout repræsentatum.

INSTAT

Instat idem II. Variatâ visione, per solam variationem specierum visibilium, diversum quid apparet, quod antea non apparebat, sed hoc diversum, non est in objecto in se ipso existente. Ergo in objecto per visione expressio.

Respondetur. Hoc diversum est in ipso objecto prout repræsentato per species impressas, quod ipsum non videtur, nisi prout repræsentatum abillis, de quo in materia de speciebus.

Instat III. idem. Conservata tantum visione in oculo vel concepto visibili cujus est visio eodem prorsus modo apparet oculo ipsum visibile Ergo apparet oculum non intueri visibile immediate inseipso sed in visione expressum.

Respondetur. Ablato visibili, non posse esse naturaliter visionẽ, quando autem divinitùs conservaretur visio, sine termino præsente, adhuc tunc terminaretur visio ad terminum non existentem, quia præcisa ratio terminandi, ut dixi aliàs, non est requisitiva existentiæ. Immerito etiã supponit Amicus, quòd lucis species, in tenebris serventur: hoc ipso enim non essent illic tenebræ quia hæc privatio lucis. Quando autem transacta luce, adhuc aliquid videretur, referri hoc potest in imaginationem, in aliquos etiam spiritus lucidos, ex oculis ut aliqui autumant scintillantes.

Objcit IV. idem. Species expressa, est adæquatus effectus speciei impressæ, species verò impressa, est adæquata similitudo objecti. Ergo species expressa, est adæquata similitudo objecti. Ergo in ea sufficienter cernitur objectũ, quia in adæquata imagine, adæquatè cernitur imaginatũ.

Respodetur. Quod etiam in adæquata imagine debeat ipsum imaginatum attingi, saltem alia notitia, colores enim externi, qui terminant visionem ocularem, nõ sunt imaginatum. Deinde concedo in adæquata imagine posse adæquate cerni imaginatum, sed difficultatẽ habet: An species, sive impressa, sive expressa, ex conditione speciei, sit adæquata imago. Hoc etiam concesso: dupliciter potest notitiam ingredi imago illa adæquata. Primò ut objectum directũ, eo modo, quò omnes notitiæ ingrediuntur cognitionem reflexam, & hoc sensu negatur semper attingi imaginem adæquatã. Secundò imago adæquata ingredi potest notitiam, tanquã ratio ut Quo noscendi, & sic sumpta imago, semper ingreditur notitiam. Sed inde non sequitur, quòd tunc non attingatur objectum, prout repræsentatum.

Instat idem. Species intentionales sunt ejusdem naturæ, & quidditatis in repræsentando, cum objectis quæ repræsentant.

Respondetur. Species intentionales habere in repræsentando eandem vim cum objectis, in ordine ad complẽdum potentias, vel in ordine ad efficiendam notitiam, sed non habent eandem vim, in ordine ad terminum.

Objcit V. idem. Quia non à nobis non potest ostendi causa, ex qua desumatur hæc visionis objectiva variatio.

Respondetur. Id per non esse causam diversæ visionis objectivæ, quod per Amicum ex causa illius speciei expressæ, ita, vel ita se habentis in qua videtur objectum. Quodsi ille id retulerit in species impressas, in medium, etiam nos referemus.

Explicantur varii termini, item qui producatur Intellectio.

Plures in hac materia usurpant terminos scholæ, quos operæ pretium erit, sub aspectum simul ponere.

Primo. *Conceptus formalis* duplicem significationem habere solet in scholis in hac materia. I. Supponitur pro illa actione, sive illa sit identificata termino, sive distincta à termino, non quod illa actio, sit forma intelligendi, sed quòd efficiat illam formam, estq; appropriate loquendo, intellefactio. II. Est quidem usitatius, sumitur pro conceptu rei, prout eum format intellectus de objecto, quo sensu dicitur, quod quando prædico de Petro ly homo, non prædico meum conceptum formalem: hæc q; explicatio, coincidit in re, cum conceptu objectivo, mox explicando, per conceptum objectivum, intelligendo hic & nunc ipsam qualitatem productam, quæ in quantum procedit ab intellectu, est q; fœtus ipsius, dicitur conceptus formalis. In quantum autẽ repræsentat objectum, dicitur conceptus objectivus.

Secundo. *Conceptus objectivus*, ut olim notari in logica: duplicem sensum facere potest I. Conceptus sumitur objectivus intentionalis, & hic, non aliud est, nisi cognitio repræsentans objectum. II. Accipi potest conceptus objectivus extra intentionalis, qui est, illa ipsa res, quam repræsentat meus conceptus, quam acceptionẽ est necesse ponere, aliàs falsæ redderentur omnes prædicationes, neque enim cum dico: Petrus est homo, affirmo meum conceptũ de homine. Rursus qui amaret Deum, non amaret Deum sed conceptum objectivum suum, quem haberet de Deo quæ omnia falsa sunt.

Tertio. *Species expressa*, imago objecti, similitudo intentionalis, in idẽ recidunt, in quantùm scilicet prædicatũ, quæ objectum continet, transferuntur in mentẽ. In particulari autem vocatur similitudo intentionalis, propter identitatẽ prædicatorum intentionaliter repræsentatorũ, & prædicatorum re ipsa contentorum in objecto, prout præsentato.

Quarto. *Verbum mentis*, est ipsamet etiã intellectio, prout habet rationem manifestantis, adeoq; loquentis, dẽ ipsomet objecto, ipsimet cognoscenti quia enim verbum id, quo alteri loquimur, appellatur verbum externum, ita intellectio, qua intelligens loquitur sibi ipsi, dicitur verbũ mentis. Et quia loquendo alteri, exprimimus ei nostrum conceptũ; sic quia exprimimus nobismet ipsis conceptũ objecti, dicimur nobis ipsis loqui, de conceptu objectivo, supple extra intentionali.

Dictio autem ipsa potest dupliciter spectari, si enim ut dictum supra, non datur actio distincta, realiter productiva intellectionis, adeoq; verbi mentis, in his principiis creata dictio & verbum idem est, si autem distinguatur actio à termino intellectionis, Actio illa, dictio erit, verbum autem, erit terminus.

Sunt aliquæ conditiones verbi mentis de quibus consule etiam S. Thom. 1. parte quæst 5. artic. 1. Prima est, debet habere esse in mente secundum auctoritatem Augustin. 5. de Trinitate cap. 11. *Per corporalia* inquit *signa, verbum, quod in mente gerimus, innotescit.* Secunda est, debet esse quid productum ab intellectu, & progenitum juxta illud Augustini 9. de Trinitate cap. 8. Conceptum, rerum veracem notitiam, tanquam verbum, apud nos habemus, sed dicendo intus gignitur, nec a nobis nascendo discedit. Tertia, debet esse similitudo objecti, exprimereque illud, sicut enim verbum exterius, exprimit conceptum internum, & est similitudo ad placitum interioris notitiæ, pro ipsa notitia substitutum, sic verbum internum, debet exprimere objectum, assimilarique illi per repræsentationem prædicatorum. Quartam alii conditionem ponunt, ut non maneat, cessante actu cognoscendi.

Quinto *de verbo increato & creato, inter se comparatis, hæc colligunturr.*

Inter verbum increatum & verbum creatum licèt sit aliqua similitudo, est tamen non pauca differentia, Verbum enim creatum, est accidentale, mutabile, & unum, succedens alteri, verbum autem divinum, est substantia, permanens, mutable, & idem semper. Rursus verbum creatum reddit formaliter cognoscentem eum in quo, & à quo producitur, increatum autem supponit cognoscentem Patrem, ipse etiam filius qua verbum est, licet sit intellectio passiva, qua Deus tamen est, intelligit cognitione essentiali, communi omnibus tribus personis. In hoc autem verbum increatum est simile verbo externo; quia sicut verbo externo, non nobis, sed alteri loquimur, sic verbo æterno, non sibi loquitur Pater, sed filio,

Ad hactenus explicata refertur intellectio passiva & intellectio activa quæ duo in creatis, sunt idem. Si autem secundum formalitates spectentur, formalitas intellectionis passivæ, idem erit quod intellectio, verbum mentis, species expressa &c. adeoque etiam idem cum reliquis similibus formalitatibus, intellectio autem activa idem erit, quod Intellefactio, dictio, &c.

Quod attinet ad modum fabricandæ intellectionis, hic traditus est in logicis ubi de fabricatione universalis, attingitur etiam in materia de pœnitentia sub initium, juvat tamen hoc loco, utpote proprio, idem retexere.

Primò objectum sensibile producit sui species, vel si illas non habet, conjungitur sensorio. Deinde productæ species recipiuntur in sensu, complentque sensum, ut producat speciem expressam v.g. visionem ocularem, subinde determinatur etiam sensus communis, ut idem objectum noscat & phantasietur ex communiorique sententia sibi fabricat speciem impressam materialem, remanentem naturaliter, etiam amoto objecto, specieque impressa habita procedit phantasia ad speciem expressam formandam, ponendamq; phantasiam visi objecti repræsentativam. Rursùs pro sua parte, intellectus noscitus objectum illud materiale, format sibi per intellectum agentem speciem impressam spiritualem, per hancq; completur ex sententia multorũ, etiam præsente actuali sensatione objecti, ut intellectus patiens suo officio fungatur, adeoque formet speciem expressam objecti, sensu percepti, remanetq; postea duplex species. Prima illa species impressa antecedens speciem expressam spiritualem. Secundò manet illa species impressa, quæ ostendit, habitam speciem esse expressam hujus objecti, seu fuisse illud cognitum, Prima specie utitur anima ad directas notitias fabricandas, secunda autem utitur, quando fabricat sibi similem notitiam, sed simul repræsentantem, quòd hoc etiam in ante cognitum fuerit. Positis illis variis speciebus impressis, comparat anima similitudinem & dissimilitudinem objectorum, ad imitationemq; præhabitarum specierum impressarum, quæ erant de rebus singularibus & materialibus, procedit ad formandas alias species impressas rerum universalium, & spiritualium, idq; ex collatione objectorum, & ad similitudinem aliarum specierum, quo posito, redditur apta, ad noscenda universalia, spiritualia &c. objecta.

DISPUTATIO IV.

De Intellectionibus in Particulari.

PRimum agendum hîc esset de tribus Intellectûs operationibus, sed de his actum est sufficienter in Logicis.

Noto I. Copulam in Propositione, necessariò habere respondentem sibi objectivam identitatem, alia phrasi idem exprimitur quòd scilicet objectum judicii, non sint sola extrema. Est contra Vasquez 1. parte Disp. 223. & contra Conimbricenses in caput 4. Peri hermenias.

Ratio I. Quia si non responderet quidquam particulæ: Est, & esset cognitio illa judicativa & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, quia per nihil, posset distingui, à prima operatione; & certè subjectum & Prædicatum possunt esse simul objectum primæ operationis, & constituere terminum complexum.

Ergo per hoc præcisè quod simul apprehendatur subjectum & prædicatum, non distinguetur prima & secunda operatio, cum judiciũ per te non sit aliud, nisi ipsi illi duo termini apprehensi.

Ratio II. est. Impossibile est esse judicium quin sit verum vel falsum. Sed si secunda operatio non esset nisi duo extrema, possibile esset judicium neq; verũ neq; falsum. Quod ipsum probatur. Isti termini, Homo lapis si per te habent veritatem Propositioni debitam quamvis nihil respondeat particulæ Est, formabo hanc propositionem, Homo est lapis, en redderur falsa, si autẽ dicas illos terminos habere falsitatem formabo hanc Homo non est lapis, quæ tamẽ est vera propositio. Ergo apparet propositionem quâ talem non stare in duobus terminis simul apprehensis.

Ratio III. est. Quia tertia oparatio nõ est duæ secundæ operationes, ergo nec secunda operatio sunt duæ operationes primæ, h. e. prædicatũ & subjectum, aliàs non dabuntur etiam tres operationes intellectus, sed nonnisi prima, quæ duplicata supponat pro secunda operatione & triplicata supponat pro tertia operatione.

Noto II. Judicium illud quo stat secunda operatio esse Qualitatem indivisibilem idemq; proportionaliter dicendum de judicio illativo.

Ratio I. Ex Oviedo est. Quia cum dico, Homo est rationalis, iste actus est simplex, Quod ipsum probat. Quia hic actus dicit hominem & rationale convenire, & hoc ipso, quia dicit hominem & rationale convenire, dicit etiam rationale convenire homini, hæc enim idem sunt. Ergo quando dico homo convenit cum rationali, superfluus erit, iste alius actus, rationale convenit cum homine, consequenter secunda operatio erit unus adeoque indivisibilis actus.

Responderi posset huic argumento, retorquendo illud. Probat enim quod quando dico, Pater refertur ad filium. Sit actus otiosus, si dicam filium referri ad Patrem; Rursùs non insuetum est, ut ea quæ in obliquo ponuntur, si ponantur postea in recto diversum sensum faciant. Denique sicut fieri potest, ut unum referatur ad aliud, & vicissim illud non referatur ad ipsum, ita etiam fieri potest ut non eundem identitatis modum dicat subjectum cum prædicato, quem dicit Prædicatum cumb subjecto; & ita rationale dictum de animali, dicit identitatem cum animali, sed cum modo irreperibilitatis sine animali, cùm tamen subjectum, hoc est animal dicat identitatem sed cum reperibilitate sine rationali, quâ saltem vel simili diversitate interveniente cur non erit Locus diverso Judicio adeoque bino & excludente rationem indivisibilis qualitatis à secunda operatione.

Ratio

Ratio secunda est. Quia impossibile est attingere identitatem duorum, vel negationem identitatis eorundem, quin hoc ipso actu concipiam illa duo. Ergo neque possibile est, concipi identitatem vel negationem identitatis Prædicati & subjecti, quin hoc ipso actu attingam Prædicatum & subjectum, quod enim verum est de identitate vel negatione identitatis duorum in communi verum etiam debet esse de identitate vel negatione identitatis prædicati & subjecti tanquam de singularibus in illo communi contentis Antecedens in quo est Difficultas probatur. Tum quia compossibile est relativum concipi sine suo termino. Ergo etiam impossibile est identitatem duorum concipere sine illis terminis. Tum quia si unum tantum concipiatur non erit identitas duorum, nam unum nõ sunt duo. Quodsi impossibile est concipere idẽtitatem duorum vel negationem identitatis duorum quin hoc ipso actu concipiam illa duo. Ergo otiosus erit alius actus & superfluus consequenterque judicium quod illi identitati attendit stabit in uno actu, eritque simplex Qualitas?

Ratio tertia. Quia si non esset simplex Qualitas secunda operatio, non posset dari unquam una secunda operatio, utpote semper duplici judicio constans, non potest autem dici quod non possit dari una secunda operatio, cum etiam de illa status Quæstionis procedat, an scilicet una secunda operatio sit simplex Qualitas; Indubiè enim duæ secundæ operationes sunt duæ Qualitates.

Dices I. Id quod constat partibus non est simplex qualitas, cum tamen judicium constet partibus, hoc est, prædicato & subjecto.

Respondetur. Subjectum & Prædicatum non sunt pars judicii, objectum autem in quod cadit judicium, hoc est, identitas vel negatio identitatis objectiva est quid indivisibile.

Dices II. Diversus est actus conclusionis ab actu judicii quod est in secunda operatione. Ergo & actus judicii de connexione subjecti cum Prædicato. Diversus erit ab actu judicii de connexione prædicati cum subjecto.

Respondetur. Negando consequentiam. Disparitas est. Quia nisi judicium tertiæ operationis sit distinctum à judicio secundæ, non habebit per quid cõstituatur tertia operatio quod absurdum non sequetur, etiamsi unico judicio, constet secunda operatio una quæ hoc ipso una non esset, si diversa judicia haberet.

Dices III. Diversa est apprehensio quod Pater sit qui habet Filium & Filius sit qui habet Patrẽ. Ergo etiam est diversum judicium quo judicatur identitas Subjecti & Prædicati ab Identitate Prædicati & Subjecti.

Respondetur. Diversitatem illam apprehensionũ oriri ex diversitate objecti directi hic quidem quod est entitas Patris & illic quod est entitas Filii: quia autem sive judicem identitatem prædicati cum subjecto, sive subjecti cum Prædicato, idem est objectum, nempe identitas affirmata, ideo & judicium idem erit, affirmationes quidem respicientes subjectum sub conditione subjecti, sunt diversæ ab affirmationibus respicientibus prædicatum sub ratione prædicati; affirmatio tamen identitatis utriusque est eadem indivisibilis & objectum indivisibile sicut & ipsum Ly *Idem* indivisibile est.

QUÆSTIO I.

Quid Intellectio Intuitiva & Abstractiva.

Non est necesse hîc omnes notitias percensere, quia aliquæ quidem quantum ad Philosophum pertinet sunt sufficienter traditæ, ubi de divisione scientiæ & in secunda operatione, ubi de veritate contingentium actuum. Aliquæ etiam Intellectiones v.g. Simplicis intelligentiæ, visionis, &c. ex praxi communi in Theologia tractantur. Hîc secernemus eas, quæ commodè hîc explicari possunt, impedirentque longitudine Theologum.

DIFFICULTAS I.

Quid per alios dictæ Intellectiones.

Intuitus propriissimè, aut saltem magis manifestè significat visionem corporalem, à qua translatum est nomen ad intellectiones, quarum aliquæ intuitivæ appellantur.

Explicat I. Recentior Suarez. Quod cognitio intuitiva sit cognitio rei præsentis, ut præsens est: jam autem abstractiva cognitio rei, non ut præsens est; Idem docet Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 6. num. 6 *Hæc explicatio*

Non Satisfacit I. DEUS Antichristum cognoscit intuitivè & tamen non cognoscit rem præsentem ut præsens est, ergo cognitio intuitiva non est cognitio rei præsentis, ut præsens est. Antecedens probatur. De quo falsum est dicere est præsens, de illo falsum est dicere quod cognoscatur præsens, prout præsens est. Sed de Antichristo falsum est dicere, quod sit præsens. Ergo falsum est dicere, illum cognosci præsentem prout præsens est: Major Probatur. Quia prius est esse præsentem, postea cognosci præsentem: ideo enim cognoscitur præsens, quia est præsens. Deinde illa cognitio si cognosceret præsens, quod non est præsens, esset cognitio falsa. Jam autem nec Divina cognitio, nec intuitiva creata, falsa est.

Respondebis. DEUM noscere omnia in sua præsentialitate, quam habent ad æternitatem adeoque ut præsentia.

Contra. Quia quando assumitur DEUM noscere omnia in præsentialitate non hoc significatur, quasi dicat illud objectum. DEUS non habere rationem futuri, sed tantum hoc significatur, quòd determinativum, ut hæc potius pars quàm illa noscatur, petatur ex præsentia-

sentialitate determinata eorundem ad æternitatem, significatur item quod ad Divinam notitiam non comparentur illa ut futura, hoc est, postea noscenda, restabitque quærere: Quid sit aliquid noscere intuitivè in sua præsentialitate, nec enim repugnat aliquid, in sua præsentialitate noscere, & tamen abstractivè.

NON SATISFACIT II. DEUS intuitivè cognoscit tres differentias temporis, hoc est, præsens, præteritum, & futurum, ex quibus excepto præsenti, non potest cognoscere reliqua præsentia ut præsentia, cum essentialiter negent præsentia.

RESPONDEBIS. Futura à DEO intuitivè cognosci, prout sunt præsentia in certa differentia temporis, quæ nondum advenit; præterita item cognosci in præsentia temporis & differentia quæ jam præteriit.

CONTRA est. Quia cognoscit DEUS, intuitive, differentiam inter præsens, quod est, & inter præsens quod futurum est, & enuntiat de illis, illa non esse idem, quod enuntiare non posset, si futurum quâ tale non cognosceret. Hoc ipsum sic aliter proponitur. Præsens quod nondum advenit, intuitivè DEUS cognoscit, & enuntiat de illo: falsum est quod jam advenerit; quæro ergo, an cognoscat hoc Ly quod non advenerit? vel non, si non cognoscit, qui illud enuntiat: si cognoscit, ergo cognoscit futurum, & quidem non sub ratione præsentis, sed sub ratione ejus, quod nondum advenit. Deinde, vera hæc est Propositio & intuitivè à Deo cognita, futurum non est præsens, tunc quæro. An hæc sit in Deo identica Propositio? Si identica sensus illius erit Præsens est præsens. Si non est identica, quæro, huic termino ly Futurum, respondetne aliquid quod formaliter ex modo nostro concipiendi, non respondet termino præsens? Si non respondet aliquid formaliter distinctum, ergo illa propositio erit identica. Si respondet, ergo cognoscit futurum, prout distinctum à præsentis & tamen cognoscit illud futurum intuitivè. Ergo apparet, de ratione intuitivæ, non esse, noscere præsens ut præsens.

NON SATISFACIT III. hæc Explicatio. Quia nos nonnisi abstractivam cognitionem habemus de Deo, & tamen illam habemus de Deo, prout præsente, qualis est hæc ipsa, quæ concipit, reduplicationem Dei præsentis, prout præsens est. Sicut cognoscere parietem affectum, albedine inquit Pontius, est cognoscere ut album. Deinde ut advertit Oviedo. Si cognitio intuitiva debet esse objecti ut præsens est, eadem cognitio poterit esse intuitiva & abstractiva v. g. casu, quo video per intelligentiam intuitivam objectum præsens, potest Deus annihilare objectum, & eandem cognitionem conservare in absentia illius objecti, quæ enim hoc implicantia? ergo non est de ratione intuitivæ cognitionis, esse cognitionem rei præsentis, ut præsens est.

RESPONDEBIS. Cognitionem intuitivam esse cognitionem rei præsentis ut præsens est in hoc sensu: quia videlicet debet causari ab ipsomet objecto ut existente & præsente secundùm se, & non à speciebus emendicatis ab aliis rebus.

CONTRA est. Quia saltem divinitùs posset esse notitia intuitiva à speciebus emendicatis, & circa objectum non existens, nec ab illo causari ut casu quo Deus utatur pariete, ad producendam speciem germanam Antichristi, illamque ponat, in intellectu Petri. Ergo esse notitiam intuitivam non est illam causari ab objecto ut existente, aut causari à speciebus non emendicatis.

Inferes ex adlatis rationibus, esse necesse, explicari specialiter, quid sit istud præsens cognosci objectum, tuncque primum videri, an ipsum illud futurum sit legitimè explicativum, notitiæ intuitivæ.

EXPLICAT II. Pontius hic Disp. 53. num. 108. Illam scilicet esse cognitionem intuitivam, quæ cognitio terminatur ad ipsum objectum secundùm esse suum reale actuale, & non secundùm esse intentionale. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia per illam sequitur, futura qua talia intuitive cognosci non posse, non enim habent esse reale actuale. Tum quia DEUS non habet esse reale actuale sine attributis, & tamen videri potest intuitive sine attributis de quo in prima parte. Tum quia cognitio quam habemus de DEI existentia est abstractiva, & tamen terminatur ad DEUM, secundùm esse illius reale: non enim intentionaliter DEUS existit. Denique quando dicit scientiam visionis non terminari ad objectum secundum esse intentionale, vel intelligit esse intentionale fictum, & sic nostra cognitio de DEO existente, erit intuitiva, non enim terminatur ad esse fictum. Vel intelligit non debere terminari notitiam intuitivam ad objectum secundum esse intentionale, hoc est secundum esse, prout subest nostris secundis intentionibus. Nihil explicat, quia non terminari ad esse intentionale objecti, erit non terminari, ad esse, prout subest nostris intentionibus; terminari autem ad objectum non secundùm quod subest nostris intentionibus, est terminari ad illud non secundum quod abstrahitur; atque adeo à primo ad ultimum, cognitio intuitiva, erit cognitio non abstractiva, de quibus utrisque simul sumptis quæritur, quid sint?

EXPLICAT III. Suarez, Vasquez & alii, cognitionem intuitivam illam esse, quæ attingit omnes formalitates objecti, nullâ præcisione factâ inter illas. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Tum quia ut dicitur in prima parte, potest videri essentia sine attributis. Ergo non est de ratione intuitiva, non esse præcisivam.

Dein-

Deinde communicare potest Pater naturam Divinam Filio, & non communicare Paternitatem. Ergo multo magis poterit terminare cognitionem natura Divina & non terminare Persona, idque notitiam intuitivam, neque enim adferetur disparitas, nisi per dictam definitionem quæ ipsa negatur.

Non satisfacit 2. Quia si de ratione intuitivæ est attingere omnes formalitates objecti, nullâ præcisione factâ inter illas, etiam visio ocularis, non erit cognitio intuitiva, quia non attingit omnes formalitates objecti, non enim attingit rationem entis, rei, sed solam rationem colorati. Rursus cognitio omnipotentiæ beatifica, est intuitiva, & tamen non discernit omnes formalitates illius, quia nec attingit Terminos omnes creabiles.

Non satisfacit 3. Duplices sunt formalitates objecti adæquatæ & inadæquatæ. Adæquatæ sunt tota Entitas. Inadæquatæ, sunt aliquid illius Entitatis, quo posito sic urgetur: Si attingantur adæquatæ formalitates cognitione aliqua abstractiva, ut attingi illas non repugnat non erit actus ille Intuitivæ. Ergo apparet in ratione intuitivæ non constitui notitiam, præcisè per rationem attingentis omnes formalitates. Rursus potest dari intuitiva adæquata, Ergo poterit dari & intuitiva inadæquata, & sicut inadæquata Formalitas. hoc ipso quia inadæquata est, non amittit esse Formalitatis; ita & cognitio quæ attinget Formalitatem inadæquatam, non desinet esse intuitiva. Quod ipsum sic ulterius proponitur. Quando videtur objectum adæquatè per cognitionem intuitivam, vera est hæc Propositio: Totum videtur intuitivè. Ergo est explicabilis per descensum & hoc videtur intuitivè, & illud videtur intuitivè; Cur ergo fieri non poterit, ut sit possibilis alia cognitio, eodem modo intuitiva formalitatis: A quo modo est intuitiva ea notitia quæ omnes formalitates adæquatè attingit, hoc ipso demto, quia se non extenderet ad omnes alias formalitates.

Respondetur communiter. Quòd ad intuitivam, spectet attingere omnia, quæ attingibilia sunt, cum ergo non sit attingibilis. v.g. Ratio accidentis ab oculo, salvari poterit ratio visibilis quamvis non videatur accidens.

Contra est. Tum quia vel intelligit per Ly: *debet totum attingi quod potest attingi*, vel inquam intelligit, attingibilitatem absolutam, ut scilicet si sit visio supernaturalis, attingantur omnia attingibilia visione supernaturali, & si sit visio naturalis, attingantur omnia attingibilia visione naturali, & hoc non potest dici; quia alias visio beata nõ esset intuitiva, quia non attingit omnia, quæ supernaturaliter in Deo videri possunt. Rursus visio ocularis non erit intuitiva, quia à longè multa non videntur quæ visibilia sunt, de propinquo. Quod si per Ly *attingere omnia quæ potest* intelligatur restricta attingibilitas, quòd scilicet illa visio, attingat omnia, quæ illa visione attingibilia sunt, modo attingatur objectum, secundùm quod ipsum, restabit inquirere, cur non possit esse visio restricta, ad hanc formalitatem, & cognoscens illam, secundùm quod ipsa est, attingendo objectum non irrestrictè & simpliciter, sed restrictè, modo suæ attingitivitati proportionato. Tum quia hæc responsio supponit, quòd sensus non possit percipere distinctionem, adeoque nec præscindere, quod tamen competit intellectui. Sed conceditur, quod non distinguat oculus, quia ad hoc est necesse, utrumq; membrum distinctionis attingere. Sed cur non potest sine prædicato distinctionis, videre album, & non videre rationem accidentis. v. g. Quod si hoc potest oculus, poterit & intuitio intellectualis. Demus etiam quod non distinguendo id faciat, sed simpliciter non attingendo objectum. Tum quia ut urget Oviedo. Si objectum non attingatur in formalitate non attingibili ab illa visione, non deficiet ratio visionis. Ergo etiamsi non attingatur ex alio capite, adhuc poterit stare ratio cognitionis intuitivæ.

Solutio argumentorum in contra petatur ex prima Parte, & ex Materia de Præcisionibus.

DIFFICULTAS II.

Continuatur eadem Materia.

Explicat 4to. Martinon & non pauci alii, quòd intuitiva cognitio, sit cognitio per proprias species objecti, & abstractiva per species alienas *Hæc explicatio.*

Non satisfacit 1. Quia in multorum sententia, nec videtur Deus per speciem impressam, nec videri potest intuitivè, & tamen intuitivè attingitur. Ergo apparet per Ly noscere per proprias species (ut sonat acceptum) non rectè explicari intuitivam.

Non satisfacit 2. Quia ut advertit Oviedo si Deus mecum concurreret ad visionem coloris existentis, non media specie propriâ, non mediâ etiam alienâ, neq; immediatè ipso objecto concurrente, sed solo Deo determinante ad visionẽ, illa visio esset cognitio intuitiva, non enim fieri illam, talem repugnat, & tamen neq; esset per proprias species, neque immediatè concurrente objecto. Ergo de ratione intuitiva non est, videri, per proprias species.

Non satisfacit 3. Quia nõ implicat contradictionem, assumi à Deo tanquam instrumentum obedientiale, speciem alienam, ad producendam cognitionem intuitivam. Ergo stare potest ratio cognitionis intuitivæ, cum concursu specierum alienarum, ad eum modum, quo assumere potest oculum, ut producat mortuo modo auditionem, & ad eum modum, quo assumere potest aquam, ad producendam etiam physicè gratiam.

Neque valet si dicas per species proprias, te intelligere: non species impressas, sed expressas, Non inquam valet: Quia hoc non esset explicare quid sit cognitio intuitiva. Si enim quæram ex te, quid sit cognitio intuitiva Angeli, respon-

debis: Esse cognitionem per speciem expressam propriam objecti, hoc ipsum autem ego quæro quid sit?

Rursus si intelligis per species proprias speciem expressam, Dico nos intuitivè cognoscere Deum, quia conceptus hic, qui latet sub entibus illis rationis, quæ formamus concipiendo Deum, est proprius Dei, hoc sensu, quia nulli alteri, præter Deum conveniens, & quia concipit prædicata, quæ demonstrativè, v.g. conveniunt non nisi Deo.

Responderi potest 1. Quando dicitur cognitionem intuitivam fieri debere per species proprias, sensus est, non debere fieri per alienas.

Contra est. Quia per te cognitio abstractiva est, quæ fit per species alienas, Ergo cognitionem intuitivam fieri non per species alienas, erit illam fieri non per abstractionem. De quo ipso quæritur.

Deinde redit Argumentum factum, quod ostendebat, cognitionem intuitivam etiam per species alienas fieri posse. Denique Quia non ideò dicimus, DEUM intuitivè à beatis videri, quia illum non concipiunt, per modum visis, aut Luminis, sed quia concipiunt eum secundùm quod ipsum est, ad quod consequitur non nosci per species alienas. Ergo istud Ly nosci per species alienas, non est definitivum notitiæ intuitivæ.

Responderi potest 2. Intuitivam cognitionem fieri debere per proprias species, vel aliquid illis æquivalens, v. g. ipso objecto concurrente, Deo vices specierum propriarum supplente &c. ut fieret, si elevaret Deus alienas species ad producendam intuitivam.

Contra est. Quia jam per te cognitio intuitiva erit, sive fiat per proprias species, sive per alienas, vices propriarum supplentes, Ergo abstractiva per te erit illa, quæ producitur per alienas species, non supplentes vicem propriarum. Ergo nihil explicas quid sit abstractiva cognitio, ad eum plane modum, quo si posset dealbare nigredo, non rectè albedinem diceres illam esse, quæ dealbat, nisi aliunde assumatur aliquid tanquam instrumentum dealbationis. Deinde quæritur hic in quo formaliter consistat cognitio intuitiva, non verò à quo causatur. Ergò si fieri potest, non debes respondere per id, quod est causativum talis cognitionis ut sunt causativæ in plurium sententia species. Denique cognitio producta ab intellectu per species proprias est intuitiva, producta per alienas, vices propriarum supplentes, est intuitiva & quæro ergo an cognitiones à tam diversis principiis profectæ, conveniant in ratione intuitivarum vel non? Si non conveniunt. Ergò immeritò dicitur à tam diversis principiis intuitivam posse principiari, si conveniunt. Ergò illud potius erit formaliter constitutivum intuitivæ notitiæ.

Explicat 6. Oviedo Cognitionem intuitivam, quâ non attingitur objectum instat alius objecti, à se distincti. Abstractiva autem illa est, quâ objectum instar alius à se distincti, cognoscitur.

Hæc sententia habet etiam fundamentum in Conimbricensibus qui volunt illam esse scientiam intuitivam, per quam videtur objectum in se. Illam verò abstractivam, per quam videtur objectum in alio. Contra hanc sic propositam explicationem sunt instantiæ.

Quia DEUS nosci, creaturas in sua omnipotentia, & tamen videt illas intuitivè se ipsum item videt intuitivè in creaturis, comprehensio item effectuum in causis & causarum in effectibus, est intuitiva, & tamen in alio, ut sic de reliquis. Has instantias ut vitaret Oviedo, alia phrasi definitionem concepit, quæ nihilominus

Non satisfacit 1. Quia esse intuitivam cognitionem, non dependet ab alio objecto negato. Ergo male definitur, intuitiva cognitio, quod sit ea, quæ non attingit objectum instar alius. Antecedens probatur. Si per impossibile non cognosceret Deus ulla objecta, cognosceret tamen, seipsum ut est interrogatus, an cognoscat se intuitivè, responderet cognosco, & tamen non posset dicere, quod se ipsum cognoscat, non per modum alius. Quod ipsum probatur. Quia nesciret, quid sit cognoscere aliud, Ergo non posset affirmare, quòd seipsum cognoscat, non per modum alius, prius enim concipi debet illud aliud, & postea negari, quòd se non cognoscat per modum alius; Rursus, per imaginariam ut vocant similitudinem arguendo: Si interrogatus oculus respondere posset, quæreturque ex eo, cognoscisne intuitivè colorem illuminatum, responderet cognosco, si autem ulterius quæratur, cognoscisne non per modum alius. v. g. non per modum soni vel saporis, responderet nescio: Quia non attingo quid sit sonus; Ergo etiam DEUS cognoscens se ut est, & non cognoscens alia à se, respondere posset, se cognoscere intuitivè, & tamen non posset dicere, se eo casu non cognoscere per modum alius.

Non satisfacit 2. Tum quia prædicata negativa posteriora sunt affirmativis, consequenter nec rectè descriptiva affirmativorum: nam definitio debet procedere per prima. Ergo cum non cognoscere per modum alius, sit aliquid negativum, intuitiva autem notitia, sit quid affirmativum, non rectè describetur per non cognoscere, ad instar alius. Tum quia esse in se prius est, quam esse ad aliud, Ergo & esse cognitionem intuitivam, prius est, quàm non esse per modum alius, quia hoc est respectivum, & consequens positionem prioris.

tis. Tum quia etiam posito, quòd teneat prædicta definitio, saltem non dictis terminis exprimi debuisset sed potius his : Intuitiva est quæ attingit objectum non instar aliùs objecti à se distincti, cum tamen ponat Oviedo Ly quæ non attingit objectum. Quod autem adlata phrasi potiùs explicari debuerit, ratio est: Quia cognitio est attactus intentionalis, Ergo potius debuit, exprimi & non negari iste attactus, cumque cognitio intuitiva, non sit quid negativum, debuisset exprimi potiùs termino positivo, scilicet adhibendo hunc terminum attactus. Et si sufficit termino negativo, describere cognitionem intuitivam, dicam Lapidem habere cognitionem intuitivam Angeli, quia non attingit Angelum instar alius objecti ab Angelo distincti. Quod si dicas non posse id quadrare Lapidi, quia nullo modo attingit Angelum. Sed ut hoc ad propositum serviat, exprimendus fuisset ille attactus, termino positivo.

Non satisfacit 3. Quia admittit Oviedo possibilem esse cognitionem quæ sit reflexiva supra seipsam, si autem staret prædicta definitio, non esset possibilis notitia reflexiva supra seipsam, quia nunquam posset reflectere supra seipsam quin saltem confusè reflectat se supra alias: & dicat se non esse talem quales aliæ sunt. Unde non esset purè reflexiva supra seipsam sed etiam reflexiva supra alias.

DIFFICULTAS III.

Explicatur quid Intuitiva?

COgnitio Intuitiva *Est cognitio quæ attingit objectum secundùm quod ipsum, seu est cognitio objecti sicuti est.* Ly Est accipiendo pro aliquo communi ad existentiam & essentiam. Seu est notitia, in qua Ita cognitionis, respondet ad Ita objecti. Ly attingit objectum, Ly cognitio objecti, sunt loco generis, reliqua autem, differentiæ loco. Non dico autem illam cognitionem attingere objectum ipsum, sed secundùm quod ipsum, quia cognitio demonstrativa de existentia Dei, cognitio item fidei credentis Deum, attingit ipsum Deum, sed non secundùm quod ipsum, modus enim essendi Dei alius est, à modo, quo illum cognoscimus; Licet ipsummet cognoscamus. Et quod latet sub illis entibus rationis, quæ fingimus cognoscendo Deum, est quidem ipsummet esse Dei, sed non cognitum à nobis, secundùm quod est ipsum. Et quidem ut à magis notis ad ignotiora procedamus, quando oculus videt album, quod est album, nigrum quod est nigrum, dicitur videre ipsum secundùm quod ipsum, sic intellectus, tunc etiam dicetur noscere intuitivè, quando noscet ipsum objectum, secundùm quod ipsum. Rursus non dico quod cognitio intuitiva attingat objectum secundum quod ipsum est. Quia Ly est, ambiguum faceret sensum, an non supponeret pro existentia. Hinc etiam in secunda explicatione positum quidem Ly est, quia non potuissent sine illo concipi verba explicationis possunt autem concipi in priori illa explicatione. Unde & in priori explicatione omissum Ly est. Ideo autem non debet accipi Ly est, sumptum pro existentia, quia indubiè intuitivè possunt nosci, saltem à Deo, etiam non existentes res.

Explicari potest ulterius hæc definitio à paritate cum visione oculari. Intueor Cæsarem præsentem, attingo ipsum secundùm quod ipsum, si autem obtrudatur mihi alius similis illi in aliquibus, vel is, qui personam ejus gerit: eo casu non viderem Cæsarem secundùm quod ipsum; & si acciperet Cæsar larvam non viderem eum secundùm quod ipsum, non dicerer attingere intuitivè. Fundatur ulterius hoc totum in hoc principio. Objecta quantum est ex vi sui, & ex natura sua, petunt non nisi intuitivam cognitionem. Quia id quod petit cognosci, petit, secundùm quod convenit ei prædicatum intelligibilitatis, & quia hoc prædicatum intelligibilitatis, est ipsamet rei entitas, sicut unaquæque entitas non petit nisi suam entitatem, non petit ipsum esse, nisi secundùm quod ipsum est, sic nec petet intelligi aliter, nisi secundùm quod ipsum. Rursus appetitus ille quem habent, ut ita dicam objecta, non est alius, nisi ut se notificent noscenti quid sint, & quia hæc notificatio rei, non habebitur, si non noscantur secundùm quod ipsa, fit ut appetendo nosci, appetant nosci secundùm quod ipsa. Ly ergo nosci secundùm quod ipsum, reddit hunc sensum; quod si sit intuitiva adæquata, debeat secundum quod ipsum adæquatè noscere, secus si sit intuitiva inadæquata, tumque cognoscetur secundùm quod ipsum, quando ut dixi, Ita & modus noscendi, respondebit ad Ita & modum objecti.

Ratio 1. Bonitas explicationis desumitur ex auctoritate Sancti Pauli, qui visionem beatam explicans phrasi hac utitur, Videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, item videbimus eum sicuti est, quæ verba coincidunt cum nostra explicatione, idemque significant, ac dicere: noscemus Deum, secundùm quod ipsum.

Ratio 2. Quia prædicta explicatio, convenit omni soli, & semper, proceditque per prima.

Ratio 3. Quia reliquæ omnes descriptiones ab aliis adlatæ, supponunt hanc nostram, ad eamque revocari possunt. Imprimis non

cognoſci per modum aliûs, revocatur ad cognoſci ſecundùm quod ipſum, tanquam negatio ad prædicatum affirmativum, ad eum modum, quo negatio brutalitatis in Petro, revocatur ad eſſe hominis. Cauſari à propriis ſpeciebus, ab ipſo objecto, à Deo per ſe, vel per alium ſupplente propriarum ſpecierum vel objecti concurſum, revocatur tanquam principium elicitivum cognitionis, attingentis objectum, ſecundùm quod ipſum. Item cognoſci non præſcindendo, revocatur tanquam ſpecies aliqua ad genus. quod ipſum revocari, eſt ſignum à poſteriori rectæ definitionis, ſicut quia omnia revocantur in homine ad animal rationale, ſignum eſt, per animal rationale, rectè definiri hominem.

Dices Non omnis veritas eſt cognitio intuitiva, & tamen omnis veritas, cognoſcit objectum ſecundùm quod ipſum. Ergo cognitio intuitiva non eſt cognitio attingens objectum ſecundùm quod ipſum.

Respondetur ſolvi hanc objectionem etiam in prima parte, nunc ſuffecerit dicere. Cum omnis cognitio intuitiva ſit vera, non eſt mirum, involvi in illa, etiam prædicata veritatem indicantia; nihilominus diſtinguetur ſufficienter formalitas veritatis, à formalitate intuitivæ, quia veritas dicit radicalem exigentiam conformitatis cum objecto, ſecundùm quod ipſum, nihil requirendo, de modo illius ipſius conformitatis, repræſentandæ. jam autem intuitiva requirit hunc modum, ut ſcilicet noſcatur objectum ſecundum quod ipſum, & ut ad Ita objecti, reſpondeat Ita modi noſcendi.

Instabis ſaltem cognitio quidditativa non eſt cognitio intuitiva, & tamen cognoſcit objectum ſecundùm quod ipſum.

Respondetur negando, quod cognitio quidditativa, non ſit cognitio intuitiva, de quo actum in Ethicis.

Quæri hic ſolet quid à nobis cognoſcatur intuitivè. Imprimis actus noſtros, quos de facto experimur nos habere, cognoſcimus intuitivè, non quo ad quid ſint, ſed quod ſint. Quod autem non cognoſcamus illos, quo ad quid ſint ratio eſt quia ſunt ſpirituales, nos autem in corpore, non cognoſcimus ſpiritualia, quo ad quid ſint. Imò putarem, quo ad quod ſint illos actus ſine ullo phantaſmate noſci, ſeu ſine ſpecie impreſſa, nulla enim illius neceſſitas. Quod autem actum ſuum internum noſcere poſſit anima, licèt oculus non poſſit videre ſuam viſionem referri id debet in hoc, quòd intellectus ſit potentia ſupra ſeipſam reflexiva, & latioris ſphæræ; oculus autem adſtrictus, ut nihil videat, niſi coloratum. Quod poſita abſtractione poſſit aliquid intuitivè videri petatur ex prima parte, ex quo fundamento dubitari poſſet, an non etiam rationes communes ipſaque univerſalia, à perfectiori intellectu, intuitivè noſci poſſint, ſi cæteroqui aliæ rationes abſtractæ, ſunt intelligibiles intuitivè.

QUÆSTIO II.

Quid notitia Comprehenſiva?

De hoc diſcurrere ſpectat ad primam partem, tamen etiam hic tradenda eſt ejus aliqua notitia.

Noto 1. breviter ex prima parte, Notitiam comprehenſivam, eſſe notitiam intuitivam profectam, à principio ſaltem æquè perfecto, atque eſt objectum noſcibile. Hinc nulla creatura erit comprehenſiva Dei, quia nulla productiva notitiæ, quæ ſit ab illa, tanquam principio æquè perfecto, atque eſt perfectum objectum, quod eſt Deus! Bonitatem hujus explicationis ſuppono inibi probatam.

Noto 2. duplicem comprehenſionem nos imaginari poſſe, unam adæquatam, aliam inadæquatam. Comprehenſio adæquata eſt, per quam attingitur comprehenſivè totum objectum. Comprehenſio autem inadæquata, per quam attingitur objectum inadæquatè, Comprehenſivè tamen quoad illam partem. Quod poſſit ſic dividi comprehenſio. Ratio eſt. Tum quia ſicut poſſibilis eſt, differentia ſubalterna, quæ diverſo reſpectu non eſt differentia, ſed genus, cur poſſibilis etiam non erit comprehenſio, quæ diverſo reſpectu, non ſit comprehenſio. in quantum comprehenſio hanc præciſam formalitatem habet, quæ eſt tenentia totius objecti. Jam quia in materialibus poteſt comprehendi, v.g. pars pomi & totum pomum non comprehendi, ut ſi poſita diviſione partem pomi ambiat manus, Ergo etiam facta præciſione intentionali, diviſioneque poterit una pars comprehendi. Tum quia non implicat contradictionem Lumen gloriæ quod elevet, v.g. ad videndam eſſentiam, & non perſonas, & cur repugnabit elevatio, per quam homo comprehendat in Angelo gradum genericum ſpiritualitatis, non comprehendendo differentiam ejus ſpecificam, ita tamen, ut per ordinem etiam ad noſcenda m, etiam partem objecti, debeat proficiſci illa notitia à principio tam perfecto ad minimum atque eſt perfectum objectum, ſaltem defectum perfectionis, elevatione ſupplente.

Noto 3. Tam partialem quam totalem comprehenſionem ſpectari poſſe, vel ſecundùm omnimodam perfectionem, vel ſecundùm non niſi exigitam neceſſariò; Ad eum planè modum, quo Lumen meridianum, ex Luminibus quæ naturaliter habentur, eſt Lumen perfe-

perfectissimum, quod illustrare possit objecta, Licèt sit & aliud Lumen minus, quale est Lumen crepusculi; ita tamen, ut res, necessariò non nisi Lumine, illustrari possit. Porrò absolutissima perfectio utriusque comprehensionis includit cognitionem imprimis intensissimam. Deinde extensissimam, seu cognitionem omnium eorum, quæ vel formaliter vel eminenter continentur in objecto.

Quod perfectissima comprehensio utrumque illud requirat. Ratio est, Tum quia illud requiritur ad maximam perfectionem alicujus, quo posito perfectior illa res redditur, sicut ex eo principio quòd DEUS sit Ens perfectum, omne illud illi tribuitur, per quod perfectior redditur DEUS. Sed comprehensio perfectior redditur intensione & extensione prædicta, Ergo utrumque hoc, ad illam dum perfectissima est, concurrere debet. Tum quia illud, à posteriori, est perfectissimum, per quod acceditur ad requisita, quæ necessaria sunt ad comprehensionem, quam DEUS habet de objectis indubiè perfectissimam, & ea comprehensio quæ magis accedet ad eam quam Deus habet de illo objecto, erit comprehensio perfectissima, sicut illud Ens est perfectius, quòd magis accedit ad Deum. DEUS autem comprehendit omnia & totaliter, & quoad modum, perfectissimè.

Quod autem attinet ad exigitam perfectionem comprehensionis, istam debere dari in omni notitia comprehensiva. Ratio est, Tum quia nulla est res, quæ non habeat suam essentiam, adeoque exigitam perfectionem. Ergo & comprehensio similiter habere debebit: tum quia si non habet exigitam suam perfectionem comprehensio, poterit esse unaquæque notitia intuitiva, comprehensio; quia non haberet per quod dejiciatur à ratione comprehensionis, non enim cognitio potest dejici à ratione comprehensivæ cognitionis, nisi negatione prædicatorum exigitorum ad comprehensivam. Si autem nulla sint prædicata essentialiter exigita à comprehensione, quomodo illa cognitio, dicet negationem illorum prædicatorum, per quam dejicienda sit, à ratione Comprehensivæ.

Noto 4. Duplicia posse prædicata spectari in re comprehendenda. Quædam quidem primò essentialia, & primò constitutiva, alia autem prædicata secundò essentialia. Quod notitia horum secundò essentialium prædicatorum non sit necessariò requisita ad comprehensionem: probant dicta de inadæquata comprehensione. Quod autem simpliciter sit necessarium ad comprehensionem, cognosci prædicata primò constitutiva. Ratio est, Quia si illa non conciperet comprehendens, & comprehenderet quod comprehendit ut supponitur, & non comprehenderet. Quia res comprehensa, nihil aliud est quàm illa ipsa primò constitutiva prædicata, quæ quia non comprehenderentur, nec res illa comprehenderetur. Imò si comprehendens non deberet de necessitate comprehendere prædicata primò constitutiva, nihil esset, quòd de necessitate comprehensionis comprehendere deberet, non enim est necesse comprehendere prædicata secundò essentialia, ut dictum, non etiam primò essentialia prædicata ut asseritur: Ergo nihil esset quod necessariò comprehendi deberet; Quod dici non potest, quia aliàs non darentur prædicata constitutiva comprehensionis, cujus oppositum probavimus.

Noto 5. Prædicata secundò essentialia interdum de necessitate debere comprehendi. Primò si objectum adæquatè comprehendatur. Et ratio est. Quia & adæquatè comprehenderetur objectum, & non comprehenderetur adæquatè. comprehenderetur adæquatè ut supponitur. non comprehenderetur autem, quia illius aliquid non comprehenderetur, nempe prædicata secundò essentialia. Secundò de necessitate comprehendi debent, prædicata secundò essentialia, si immediatè ad illa, terminetur cognitio. Ratio quia & terminaretur ad illa prædicata cognitio, & non terminaretur, terminaretur quidèm ut supponitur, non terminaretur autem, quia non attingerentur ut dicis. Deinde prædicata primò essentialia, necessariò debent tangi, Ergò etiam ex suppositione, quòd tangantur illa prædicata secundò essentialia, comprehensione comprehendi debent, quia secundò essentialis conceptus, rebus quidem potest esse secundò essentialis. Sed non sibi, sicut accidit homini esse album, sed albedini esse albedinem essentiale est. Si autem secundò essentialis conceptus, non est sibi secundò essentialis, comprehendi ergo debet, comprehensione, secundò essentialem conceptum attingente, cum attingi debeat primò essentiale in omni comprehensione, primò autem essentiale est, secundò essentiali, esse secundò essentiale.

Noto 6. Casu quo tangantur prædicata secundò essentialia, dupliciter adhuc tangi possunt, vel perfectissimè, vel non perfectissimè. Perfectissimè tanguntur, quando etiam termini quicunque, clarâ & evidenti cognitione intuitiva attin-

guntur, & talis comprehensio nulli etiam perfectissimo enti debita est naturaliter, quia aliàs debita esset cognitio intuitiva Dei, omne enim ens, de secundo essentiali conceptu, importat, esse creaturæ: Ratio autem creaturæ respicit Deum, tanquam terminum, qui tamen à nulla pura creatura naturaliter videri potest. Rursus creatura dicit potentiam obedientialem, potentiæ autem obedientialis termini, saltem aliqui, sunt supernaturales quo ad substantiam, nullum autem ens naturale, potest supernaturale quo ad substantiam intuitivè videre. Non perfectissimè autem tunc tanguntur prædicata secundò essentialia, quando comprehenso ipso prædicato secundo essentiali, termini illius non nisi confusè attinguntur. De quo actum in simili in prima parte, ubi actum de visione unius personæ sine alia.

NOTO 7. Per hoc, quod est attingere perfectissimè vel non perfectissimè, item per hoc, quod est attingere non nisi primo essentialia prædicata, vel insuper etiam secundo essentialia, non distingui comprehensionem ab intuitiva, quia hoc utrique commune est, sed differentialiter per hoc distinguuntur, quia comprehensiva addit formalitatem notitiæ procedentis saltem ab æquè perfecto principio, atque est objectum quod noscitur.

QUÆSTIO III.

De aliis Notitiis.

SUb hoc titulo non examinabimus definitiones notitiarum ad quas ex aliis Locis petendas relegavimus supra, sed attendemus maximè ad hoc, quænam notitiæ? & quænam illarum motiva possint secum stare?

DIFFICULTAS I.

Quænam Intellectiones possint secum stare?

PRÆMITTO 1. *Vnum eundemque intellectum posse simul plures actus elicere.* Quia si potest oculus plures simul visiones elicere plurium objectorum, poterit & intellectus. Deinde si intellectus non potest se exercere pluribus actibus, nihil unquam posset inferre: nam imprimis debet habere actum illationis, cùm sine illatione nihil inferatur, debet etiam habere cognitionem ejus ex quo infert bonitatisque illationis, quem actum experiuntur rudes arguendi in se explicitum, & directum; hinc si nemo possit se exercere unâ pluribus operationibus, nemo poterit syllogisticè inferre. Deinde potest intellectus, simul percipere plura objecta, ergo & simul habere cognitiones plures. non enim est major ratio unius, quàm alterius. Antecedens autem probatur. Quia aliàs nunquam posset concipere v.g. tria, sed semper non nisi unum. Denique videtur hoc probare experientia, pluralitatem cogitationum nobis accidere, in omni distractione in qua duo operamur, v.g. discurrendo, & insuper simul aliud memoriâ versando.

PRÆMITTO 2. *Non esse difficultatem an isti actus secum stare possint, qui nullam secum dicunt oppositionem*, sed an possint stare oppositi actus, quales sunt assensus & dissensus, amor & odium.

PRÆMITTO 3. Incipiendo difficultatem ab assensu & dissensu, certum esse apud omnes, illos actus non posse naturaliter secum stare. Ratio est, vel ab ipsa experientia, quia nemo dum videt Petrum currere, judicatque illum currere, judicat simul illum non currere, sola ergo difficultas restat, an id fieri possit supernaturaliter, & quidem nec supernaturaliter id fieri posse, tenet Suarez, Conimbricenses, Ariaga dicitque istam sententiam esse communiorem hic disputatione 6. Sect. 5. Sed oppositum docet Oviedo hic contr. 6. puncto 3.

Punctum Difficultatis I.

Proponuntur fundamenta, Quod assensus & dissensus secum stare non possint.

QUod assensus & dissensus non sit possibile secum stare.

IMPLICANTIA 1. est, quam adfert Ariaga. Intellectus nequit assentiri falso, atqui eo ipso, quòd judicet, v.g. simul Petrum currere, & non currere, assentiretur, evidenter falso, Ergo non potest simul assentiri Petrum currere & non currere. Minor probatur, quia eo ipso, quòd judicet simul Petrum currere, cursus ei proponitur verus, & ejus carentia ut falsa: quia nihil potest esse simul & non esse, Ergo non poterit, eo ipso quòd judicet Petrum currere, dissentiri ipsi cursui, nisi assentiendo falso, dissentiendo vero.

RESPON-

Respondet Oviedo. & dubitat imprimis, an intellectus necessariò feratur non nisi in verum, quod si necessariò fertur non nisi in verum sufficit, ut feratur in verum, saltem apparens, potestque diversis actibus, apparere objectum uni actui verum, & alteri ut falsum. Addit, intellectui non semper proponi ut verum cui assentitur, nec ut falsum cui dissentitur, sæpe enim nulla præcedente apprehensione, dissentitur, vel assentitur. Quod si non est necesse præsentari semper objectum ut verum, in ordine ad assensum, nec ut falsum in ordine ad dissensum, poterunt adhuc illi actus secum stare, cum tamen ex vi istius repræsentationis, dicantur illi actus, non posse secum stare. Sed posito etiam quod illæ repræsentationes sint necessariæ, adhuc naturaliter præcedit semper apprehensio quâ objectum proponitur ut verum, & alia quâ proponitur ut falsum, antequam scilicet intellectus affirmet vel neget: Ergo etiam ex vi illarum repræsentationum, cum illæ coexistere sibi possint, quantum ex vi illarum, etiam naturaliter, sibi coexistere possent, assensus & dissensus. Quem discursum ad argumentum, applicando, dici posset, quod falso, si appareat verum possit assentiri intellectus, consequenter assentiendo dum Petrus currit, Petrum currere, posset assentiri falso apparenti ut vero, præcipuè cum proposito vero ut vero, possit falsum proponi, tanquam apparenter verum.

Respondetur 2. Intellectum non posse assentiri falso, naturaliter & seipsum purè determinando, posse tamen assentiri determinatum ab alio, & non secundùm exigentias connaturales. *Quod ipsum ulterius.*

Explicatur 1. Proponatur intellectui cursus Petri, deneget DEUS concursum ad eliciendum assensum, quæ enim est in hoc implicantia. Rursus determinet intellectum ad habendum & eliciendum hunc actum, Petrus non currit, jam tunc habebitur dissensus, hoc posito duret adhuc propositio objecti de Petri cursu, & simul DEUS offerat, concursum ad actum, quem sibi vendicat objectum, necessariò tunc elicietur assensus de cursu Petri, quia scilicet intellectus est potentia necessaria, adeoque omnino agens, posita propositione objecti, & aliis requisitis ad agendum.

Neque dicas illum non habere tunc requisita ad agendum. nempe carentiam dissensûs, qui supponitur adhuc durare, de hoc enim quæritur cur carentia dissensus, v. g. necessariò sit requisita & indispensabiliter, ad habendum assensum, eritque actus ille adhuc vitalis, quia ex una parte intellectus est principium capax eliciendi dissensus de cursu Petri, casu quo non currat Petrus, & ad vitalitatem sufficit, saltem in aliis circumstantiis, posse elici actum, cujus similes ejusdem Lineæ, alius eliciuntur, ut videre est *quid simile* in visione beata.

Explicatur 2. Videat Petrus currentem Andream, & eliciat hunc actum, currit Andreas, non videat autem Paulus currentem Andream & eliciat hunc actum, non currit Andreas, tunc transferat DEUS dissensum Pauli eodem instanti, quo Petrus elicit assensum in intellectum ejusdem Petri, sicut illum ex probabili sententia potest ponere in Lapide. Ostende ergo implicantiam in conservatione illorum duorum actuum in eodem subjecto, & quæcunque adferetur illa ostendet assensum quidem fore vitalem, non autem illum dissensum, sed hoc in præsenti non quæritur. Sed quæritur implicantia, orta ex præcisa ratione assensûs & dissensûs, cur illi secum stare non possint. Vide Oviedo citatum nu. 1.

Explicatur 3. transacto objecto, quod est cursus Petri, determinet Deus, ad habendum actum de cursu, conservando scilicet illum actum, quid enim in hoc implicantiæ? & si potest dari supernaturaliter visio coloris absentis, cur non poterit dari supernaturaliter conservatio prædicti actûs. Ex alia parte informet sensus de cursu, & ex dictis explicatione prima, poterit elicere actum assensûs. quo posito, stabit dissensus de cursu, ratione conservationis descriptæ, & assensus de cursu, ratione naturaliter exigitæ operationis.

Implicantia 2. est. Si possibilis esset assensus & dissensus circa idem objectum, possibile erit ut sit quis simul fidelis & hæreticus. Consequens est falsum, Ergo & antecedens.

Respondetur. Sequelam esse absurdam, non demonstratur. Cur non enim posset Deus determinare hæreticum ad habendum actum fidei, vel conservare in illo actum fidei qui antecesserat v.g. hæresim. Quod attinet ad habitus fidei & hæreseos minor est difficultas, si enim ex dictis alibi peccatum & gratia possunt simul secum stare divinitus, cur non & prædicti habitus.

Implicantia 3. est ex Suarez. Assensus & dissensus requirunt objecta incompossibi-

sibilia. Ergo sunt & ipsi actus imcompossibiles.

Respondet Oviedo retorquetque argumentum, quòd gratia dignum beatitudine constituat, & peccatum dignum damnatione, & tamen & peccatum & gratia, stant secum in sententia Suarii. Bona etiam & illa disparitas est; quia scilicet assensus & dissensus, non opponuntur sicut esse & non esse, opponuntur autem sic, esse in cœlo, non esse in cœlo.

Responderi poterit 2. Intellectus non dat esse objecto extra se, si non dat esse objecto extra se, supposito, quod objectum non sit, non datur causa, quæ simul ponat illud esse, quia mera cogitatio intellectûs, de objecto, quòd sit, non dat illi esse, si in se non sit; & aliunde non est reperire causam, quæ possit principiare illius esse. hinc supposito, quòd non sit, tantum non erit, non verò simul erit. Jam autem *posito quod sit assensus & negatio dissensus* datur causa quæ possit principiare dissensum & assensum nempe intellectus.

Quod si ulterius quæras. Cur non sit in potestate currentis dum currit non currere, est tamen in potestate intelligentis, dum assentitur, etiam dissentiri, id inde est: quia currere & non currere, sunt ita opposita, sicut assentiri & non assentiri. Porrò, quemadmodum in potestate currentis, supposito quòd currat, non est, non currere, sic in potestate assentientis, non est non assentiri, supposito quòd assentiatur. Sed inde non sequitur, non esse in potestate assentientis, dum assentitur ponere dissensum, quia implicat contradictionem esse & non esse, cadente negatione assensûs, supra assensum, jam autem assensus & dissensus non sunt contradictoria, quia contradictoria non possunt esse positiva, quales sunt assensus & dissensus; Rursus quia vera contradictoria, debent esse ejusdem de eodem, jam autem dissensus, negat quidem quod sit ipsemet dissensus consensus, sed non negat alium, à se actum, qualis est assensus, ad eum planè modum, quo album negat non album, sed non negat nigrum.

Quod si dicas assensum & dissensum esse consequenter contradictoria. Contra erit. Quia illa tantum possunt agnosci consequenter contradictoria, quæ exprimuntur quidem terminis positivis, alterutrum tamen importat ex objecto, non nisi formam negativam, sic tenebræ exprimuntur termino positivo, comparatæ tamen ad Lucem, sunt illi contradictoriè oppositæ, quia important sub termino positivo formam non nisi negativam, quæ est privatio Lucis, sub termino autem dissensus, significatur aliquid positivum, nempe actus ipse dissentiendi.

Instat 1. Idem Suarez. Cum dico Petrus existit, pono existentiam in Petro, & cum dico Petrus non existit, pono negationem existentiæ Petri, sed in Petro non potest esse existentia & non existentia seu negatio existentiæ. Ergo neque judicium de existentia & non existentia.

Respondet Imprimis Oviedo retorquendo argumentum, nam gratia ponit dignitatem beatitudinis, peccatum autem negat istam dignitatem, & tamen secum stare possunt Ergo idem dicendum in præsenti.

Respondetur 2. Cum hoc argumentum non sit categoricum, negando illi consequentiam; Supponit enim talem majorem, quarum cognitionum objecta non possunt secum stare, neque cognitiones secum stare possunt, quæ major probanda fuisset, negaturque in his principiis, & falsitas illius, ad tertiam implicantiam ostenditur.

Instat 2. Idem. assensus & dissensus ita se habent ut unus actus destruat objectum formale aliûs. Ergo non possunt in eodem subjecto poni.

Respondet Oviedo negando antecedens, ad eum modum, quo circa unum objectum materiale, potest esse actus & scientiæ, & falsi, & opinionis. nec unus destruit objectum formale aliûs, Quod ulterius in hoc fundatur, quia actus meus nihil ponit in objecto.

Respondetur 2. Quod saltem in alio subjecto assensus non destruat formale objectum dissensus, aut in casibus supra explicatis, transferatur ergo actus dissensus ab uno intellectu elicitus in alium intellectum, qui assensum elicuit, habebit uterque suum formale, cur ergo non poterunt secum consistere. Deinde hæc objectio non satis explicat quid sit hoc, per assensum tolli objectum formale dissensûs? Si enim idem sit quod tollitur aliquid, quo non posito, non possit judicare intellectus, quod v.g. Petrus currat, si Petrus non currit, & tunc erit petitio principii, de hoc enim ipso quæritur. Si autem per objectum formale intelligas, non posse præsentari cursum tanquam non cursum, id hoc sensu verum erit, quòd supposito cursu, non possit verè repræsentari non cursus, sed cur non poterit præsentari apparenter, vel ad maximum ita, ut sine etiam præsentatione antecedenti, determinetur intellectus, ad habendum hunc actum: Petrus non currit.

Implicantia 4. est. Currente Petro, actus ille qui dicit Petrus currit, habet pro obje-

objecto cursum Petri, actus autem, qui dicit: Petrus non currit, non habet pro objecto, cursum, sed non cursum, qui tunc non datur, Ergo est actus sine objecto, vel habet pro objecto non cursum, si autem habet pro objecto non cursum, non erit respectu ejusdem objecti assensus & dissensus, quia objectum quod est cursus, non est objectum quod est non cursus, & tamen ille assensus & dissensus deberet esse respectu ejusdem objecti, & si ille actus habet pro objecto non cursum, verus erit, supponitur autem alterutrum horum actuum falsum esse debere.

Respondetur hanc difficultatem non esse respectu assensus & dissensus ponibilis non nisi in eodem subjecto, sed æquè impugnare assensum & dissensum positos etiam in diversis intellectibus, quæram enim currente Petro, si dicat Paulus, non currit Petrus, dicat autem illum currere Andreas, quod objectum habeat ille actus, Petrus non currit. Quod si dicas esse tunc objectum non cursum apparentem, & in præsenti idem dici poterit.

Implicantia 5ta. est. Non potest idem accedere & recedere, commensurari & non commensurari. Ergo neque assentiri & dissentiri eidem objecto.

Respondetur. Assensum & dissensum ita se habere, sicut se habet replicatus homo, qui potest accedere & recedere, non verò sicut homo uniter positus, quare autem homo uniter positus, non possit accedere & recedere. Ratio est, Quia idem accederet & recederet, ab eodem termino, jam autem si ponatur assensus, non idem assensus dissentiret, sicut idem homo accedens recederet, sed aliquid aliud, distinctum realiter, esset dissensus. Deinde commensurari & non commensurari opponuntur sicut esse & non esse, quia important esse tot partium, & non esse tot partium. Jam autem assensus & dissensus, ut dictum, non se habent, ut esse & non esse.

Punctum Difficultatis 2.

Deciditur difficultas.

Assero 1. *Non adferri legitimam contradictionem, quod stare secum non possint assensus & dissensus.* Ratio asserti, petenda ex solutione argumentorum, jam facta.

Assero 2. *Non posse esse assensum & non assensum circa idem objectum.* Ratio quia habent se sicut esse & non esse, adeoque sunt contradictoria formaliter, de quorum ratione est, non posse secum stare.

Assero 3. *Non esse ullum positivum fundamentum, quod probet assensum & dissensum posse secum stare.* Ratio asserti petenda est ex solutione fundamentorum positivorum.

PRIMUM FUNDAMENTUM est. Assensus & dissensus ita se habent, sicut album & nigrum, sed hæc duo possunt secum stare. Ergo & assensus & dissensus.

Respondetur negando majorem, quia compatibilitatis nigri & albi radix est, quod se in gradibus, remissis compatiantur, jam autem tu concedis, assensum & dissensum neque in gradibus remissis se compati. Ergo sequitur majorem esse repugnantiam, inter assensum & dissensum quàm inter nigrum & album. Quam majorem repugnantiam non pervenire usque ad gradum incompossibilitatis etiam divinitus tu positivo medio non probas.

Neque valet, si dicas, In assensu formidoloso compati se saltem in gradibus remissis illos duos actus, quia in assensu opinionis nego esse duos actus. Sed esse unum imperfectè assentientem, quia quando elicio v. g. de cursu Petri assensum opinativum, elicio hunc actum, Petrus fortè currit, fortè non currit, qui duo actus non sunt distincti. Quod ipsum probo, quia in illo actu, quo dico fortè currit, jam involvitur fortè non currit. Sic enim non involveretur: Ly fortè non currit, ille actus simpliciter esset affirmativus. Ergo in se simpliciter non involveret formidinem. Quod si ille actus est unus, non probas, quod in gradibus remissis possint se ita duo compati. cum simpliciter non sint duo, sicut in tepido, sunt duo calor & frigus. Casu autem quo fiant distincti actus fortè currit, fortè non currit, non sequitur adhuc in gradibus remissis duo aliqua se compati. importantia assensum & dissensum, sed tantum sequitur, duos quidem esse actus, sed nihil habere unum de assensu tantùm, aut de dissensu tantùm.

Secundum Fundamentum Quia non potest ostendi, unde oriatur, incompossibilitas horum actuum, si enim oriatur inde, quia scilicet posito assensu exigit assensus, ne â Deo conservetur dissensus, quamvis adsint quæcunque causæ naturales exigentes & producere illum & conservare, unde enim de hoc quod exigat ita v.g. assensus destructionem dissensus, ut istam exigentiam Deus superare non possit eiq; contravenire. Rursus si dicas, istam repugnantiam venire ex incompossibilitate for-

formali, quia qui præbuit assensum præmissis, quamvis vel per nimiam ad alia objecta attentionem, vel diversionem animæ, possit non exire in actum conclusionis, est tamen impossibile naturaliter, ut exeat in actum dissensus. Nam formalis incompossibilitas, debet esse in præsentia utriusque formæ, jam autem quod fieri non possit dissensus, non fit ex incompossibilitate, cum assensu, quia hic non est exhibitus ut supponebatur. Deinde si dicas incompossibilitatem istorum actuum oriri, ex incompossibilitate principiorum, istud etiam est falsum, quia principium utriusque est eadem anima. Denique non aliunde hæc incompossibilitas oriri potest, quàm ex eo quod objectum intellectui repræsentetur per unum actum, ita ut determinet intellectum, reddatque impotentem tendere in illud objectum, per actum oppositum. Quod ulterius infundatur huic principio; quia intellectus vero sibi proposito dissentiri non potest. Sed id etiam non convincit, quia quærere restat, cur saltem aliunde intellectus determinari non possit, v.g. ad dissensum, cur item, licèt intellectus vero dissentiri non possit, etiam tunc dissentiri non possit quando simul, apparenter, videretur falsum.

Respondetur, Hoc argumentum non tam esse fundamentum positivum, quàm relabi in negativum, scilicet non implicare contradictionem determinari intellectum à DEO contra exigentiam ejusdem, & quod incompossibilitatis hujus nulla sit ratio, hic autem est intentum examinare non nisi positiva fundamenta, cui ipsi negativo fundamento responderi potest, per principium negativum, Non implicare scilicet contradictionem, dari aliquas tales duas formas intentionales, quarum utraque essentialiter exigat non produci simul aliam sibi oppositam, adeoque exigere assensum, ut illo posito, non ponatur dissensus. Immeritò etiam assumit arguens quod ut dicantur aliqua incompossibilia formaliter, sit necesse, ut utrumque existat, & unum tollat aliud, sufficit enim unum esse, & non posse esse nisi unum, per hoc enim sufficienter formalisatur incompossibilitas formalis, ad eum modum, quo species infima animalis rationalis, quæ est homo, excludit aliam speciem infimam hominis hujus, seu talis hominis.

Tertium Fundamentum Ejusdem Oviedo. Ideo non possumus intendere, simul ambulare & non ambulare, quia objecta proponuntur ut impossibilia, & voluntas, in objectum apprehensum ut impossibile, ferri non potest, etiamsi in illud ut possibile apprehensum, spontè feratur, Ergo tota ratio propter quam voluntas non potest ferri in deambulationem & negationem ejusdem, est, ex defectu propositionis, attrahentis ad eos actus, & retrahentis. Sed defectus propositionis potest suppleri à Deo, Ergo potest illud impedimentum tolli.

Respondetur quòd defectus, qui facit, ne possit simul intendi deambulatio & non deambulatio, immediatè non referatur in defectum propositionis utriusque partis, sed ultimatè refertur in ipsorum objectorum incompossibilitatem, quæ objecta quia DEUS non potest reddere compossibilia, nec ullâ vi poterunt simul intendi, adeoque & proponi. DEUS autem potest supplere defectum, determinando ad propositionem objectorum, sed non nisi compossibilium.

Quartum Fundamentùm Ejusdem. Incompossibilitas assensûs & dissensûs, oritur ex solo defectu principii determinantis animam ad utrumque habendum, sed hic defectus potest subveniente DEO auferri.

Respondetur Incompossibilitatem illam potius oriri ex oppositione formali assensûs & dissensûs, quas oppòsitiones formales, repugnat à Deo auferri.

Quintum Fundamentum est ex iis quæ adducit Ariaga. Datur apprehensio cursus & non cursus simul coexistens. Ergo assensus & dissensus de cursu poterunt etiam secum stare.

Respondetur. Disparitatem esse, quia experientia probat, nullam esse formalem incompossibilitatem, in dictis actibus. Probat autem incompossibilitatem eadem experientia, quæ ostendit assensum & dissensum nunquam secum stare, posseque stare non probatur argumento positivo. Quando autem viget à paritate quod si possit dari simplex complacentia in re impossibili, possit etiam dari efficax amor, & odium ad hoc etiam prædicta disparitas applicari debebit. Concedimus quidem quòd intellectus possit judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, hoc est, quòd neutra habeat rationes cogentes ad determinatè ferendū judicium; Sed non potest judicare utrāq; contradictionis partem esse probabi-

babilem hoc sensu, quasi indicet esse probabile, utramque partem simul existere, indicaret enim probabile, esse & non esse, simul poni.

Punctum Difficultatis 3.

Verum stare secum possint scientia & opinio.

NOn est difficultas, an possint secum stare scientia & opinio de diversis objectis. Si enim stare non possunt, aut omnia sciremus, aut omnia nesciremus. Ponamus enim, quod vel unus actus scientiæ habeatur, jam non poterit haberi actus opinionis de aliis objectis. Quia hic est incompossibilis cum actu scientiæ. Hinc, si de aliis objectis experiamur nos notitias habere, inferre debebimus, illas esse scientificas non opinativas. Idem proportionaliter dicendum, quod non possemus scire, si vel semel opinemur. *Procedit itaque difficultas.* Non nisi de scientia & opinione circa idem objectum. Agendo autem de scientia & opinione circa idem objectum, agi potest 1. an actus secum stare possent simul eliciti. 2. an possint stare ipsi habitus simul *In hoc puncto sunt diversi Auctores.* Quòd habitus & actus scientiæ possint stare cum habitu & actu opinionis idque de eodem objecto. Negat Scotus, & cum eo Barthlomæus Amicus. Affirmant Ariaga & Oviedo cum plerisque nostris, Notat Suarez recentior tractatu Logico numero 165. in opinione duplicem formidinem spectari posse. Primo extrinsecam, quæ se tenet ex parte subjecti, & est dubietas & vacillatio intellectûs, in assentiendo objecto, eò quòd dubitet, ne forte objectum aliter se habeat. Jam autem formidinem intrinsecam dicit se tenere ex parte cognitionis, & est essentialis opinioni. Hac explicatione formidinis positâ. Censent aliqui scientiam cum opinione involvente extrinsecam formidinem, stare non posse, inter quos est noviſſimè recentior Suarez Loco citato numero 178. Inferiusque docet ne divinitus quidem stare posse scientiam cum opinione extrinsecam formidinem habente, Licet possit stare, cum habente intrinsecam nonnisi formidinem.

DICENDUM EST *Vniversaliter actum scientiæ posse stare cum opinione etiam extrinsecam formidinem habente.*

PROBATUR 1. Negativo argumento, quia scilicet non implicat contradictionem, ut videbimus solvendo argumenta.

PROBATUR 2. & supponitur quod unus idemque effectus, possit habere causas & necessarias & non necessarias. Quò supposito sic formatur argumentum. Vel potest intellectus etiam naturaliter cognoscere utramque illam causam vel non potest, si non potest, cur non? & si in illatione conclusionis, potest simul relucere utraque præmissa, nexûsque utriusque inter se, & cum medio termino, cur non etiam simul movere poterunt assensum, idque adhuc duplicem, duæ illæ causæ; & si in hac propositione: Ens non est nihil, potest relucere in eodem actu utrumque contradictorium, cur in diversis actibus non poterunt relucere causæ necessariæ & non necessariæ? Ergo opinio & scientia simul secum stare poterunt, quia causæ necessariæ generant scientiam, & non necessariæ, generant opinionem.

PROBATUR 3. Fieri potest ut simus dubii de aliqua sententia. In processu cogitationis potest naturalis demonstratio occurrere, tunc quæro vel potest dici simul: priores illæ rationes non notificant verum sine formidine, posteriores notificant sine formidine, vel non potest? si non potest, cur non? si autem potest, Ergo scientia ad titulum demonstrativum, & opinio ad titulum priorum rationum simul stare poterit.

OBJICITUR 1. ex recentiori Suarez. Intellectus per scientiam judicat objectum non posse aliter se habere, per opinionem verò attinguntur rationes dubitandi, quòd possit aliter se habere, intellectus autem non potest sibi persuadere duo contradictoria, qualia sunt posse & non posse, aliter se habere.

RESPONDETUR. Posse ex vi harum rationum, & non posse ex vi earundem rationum, aliter se habere, sunt contradictoria. Non sunt autem contradictoria, si sint secundùm diversas rationes. Quia autem in præsenti procederet illa persuasio secundum diversas rationes, non esset persuasio contradictoriorum. Respicit hæc ratio, quòd in contradictoriis, debeat verificari non tantum idem, sed de eodem, & quidem ratione ejusdem.

OBJICI POTEST 2. ex Oviedo hic controver. 5. punct. 3. de objecto de quo certus sum certitudine scientifica, non potest admitti formido, reddit enim intellectum ita certum, ut in nullam suspicionem oppositi cadere valeat.

RESPONDETUR ex vi motivi scientifici, nulla suspicio cadere potest in intellectum nullaque formido, nego tamen quod ex vi alius motivi, cadere non possit; & quod idem objectum per medium scientificum cognoscatur, impertinens est ad adimendam formidinem alteri motivo annexam, quia opinativum medium, semper est opinativum, adeoque nec extrahibile ad gradum scientiæ, & sicut certitudo adhæsiva, non adfert cer-

certitudinem objectivam, ita nec certitudo motivi, adferet motivo formidoloso certitudinem.

Instari potest 1. ex eodem. Assensui scientifico per suam entitatem repugnat formido, Ergo etiam ex diversis motivis non conjungetur scientiæ.

Respondetur in sensu, in quo hic ponitur: Ly per suam entitatem, hoc est cum ex elusione potentiæ ad componenda hæc duo, falsum reddi antecedens, In hoc tantum sensu est verum, sed non ad propositum, quòd scilicet assensus formidolosus, non per aliquid distinctum à se, realiter constituatur, in ratione formidolosi.

Instabis 2. ex eodem. Quando duo principia concurrunt unum spirituale & alterum materiale, effectus spiritualis secundum se totum spiritualis est, & à nullo principio est materialis, potest tamen dici non esse spiritualis, ex principio materiali. Ergo etiam non potest dici assensum esse formidolosum, casu, quo etiam objectum ex motivo scientifico cognoscatur.

Respondetur Antecedens indiguisse explicatione, nam concursus animæ spiritualis cum instrumento materiali quod est organum, non spiritualem sed materialem visionem producit, & per alios phantasma materiale, elevatur ab intellectu agente, ad producendam speciem impressam spiritualem. Hæc de antecedenti. Negatur autem consequentia, quia quando duo principia concurrunt duabus diversis actionibus, uno principio non corroborante debilitatem alterius, utrique suus terminus respondet, ut fit dum robustior portat pondus ut decem, & debilior pondus ut tria, quia autem scientificum motivum, non tribuit opinativo ullas vires, fit, ut utrumque motivum disparatum habeat effectum: hoc est scientiam & opinionem. Secus fit in casu antecedentis: in quo supponitur spirituale agens, tribuere vires materiali, ad eundem effectum.

Objicit 3. Pontius qui censet non quidem naturaliter, supernaturaliter tamen, posse duo hæc secum stare ut videre est disputat. 22. num. 33. Impossibile est quod quis formidet de oppositio propositionis, quam evidenter & certo scit esse veram. Sed scit omnem propositionem circa quam versatur actus scientiæ esse certam & veram evidenter. Ergo nequit habere de ulla tali, opinionem, cum formidine de oppositio.

Respondetur hoc argumentum propter Ly impossibile positum probare ne divinitus hæc duo secum stare posse. Informa autem dicitur, quod sit impossibile ex vi motivi scientifici dubitare, secus ex vi alius motivi.

Instat 1. Experientiâ constat, nos non moveri per motivum incertum, ad assentiendum propositioni, quando habemus certum & evidens. Ergo nequeunt esse simul actus opinionis & scientiæ de eodem objecto.

Respondetur, quando offertur aurum melius in tanta quantitate, ut non sit necesse supplere aliqua ex auro deteriori, experimur semper accipi melius, & tamen inde non sequitur, naturaliter non posse accipi etiam deterius. Ergo nec sequetur ex adlata experientia, non posse actu scientiæ & opinionis secum stare. Rursus falsum est Antecedens, quia id quod per rationes demonstratum est, interdum congruentiis probatur, ut fit probando immortalitatem animæ etiam per rationes morales.

Instant 2. aliqui apud eundem. Non potest esse idem objectum evidens & inevidens, quia hæc sunt contradictoria vel formaliter vel virtualiter, sed ita accideret si daretur de eodem objecto scientia & opinio. Ergo nequeunt esse simul.

Respondetur. Objecto in se invariato & evidenti, v.g. in se, potest affingi inevidentia, non illa objectiva, sed inevidentia ut ita dicam apparendi; evidens autem in se, & inevidens apparenter, non sunt contradictoria.

DIFFICULTAS II.

Quæ motiva in intellectione secum stare possint.

Præmitto 1. *Quis sit in hac materia status quæstionis?* Quæritur hîc, an idem actus, possit elici ex motivis pluribus, etiam contrariis, v.g. motivo scientiæ, opinionis, fidei. Quanquam hæc quæstio tractari etiam posset, an scilicet idem actus, etiam propter diversa motiva scientifica elici possit, ita ut uno actu, ex duplici motivo assentiar.

Præmitto 2. *Motiva duo scientifica vel motivum unum scientificum & aliud, v. g. opinionis dupliciter considerari possunt.* Quod concurrant ad eundem actum, ut advertit Lugo de fide disput. 2. Sec. 3. Primo per modum motivorum, partialium, sine quorum alterutro, intellectus non assentietur, & de hoc nulla potest esse difficultas, quia de facto assensus omni conclusioni non nisi ita elicitur. Cui assentimur, non propter unam præmissam, sed propter utramque. 2. Motiva duo considerari possunt, con-

concurrentia totaliter ad eundem actum, qui modus concurrendi totaliter dupliciter adhuc spectari potest. Primo ut quamvis aliud motivum desinat, adhuc tamen idem actus eliciatur, & talis modus concurrendi est impossibilis, quia sicut impossibile est esse idem & duo, ita impossibile est esse idem, Actum, ex duobus motivis factum, & Actum, ex uno motivo. Secundò potest considerari motivum totale concurrens ad eundem actum, quia scilicet ita concurrunt, ut quamvis aliud desineret motivũ, tamen vi illius remanentis motivi, paratus esset elicere actum, non quidem eundem, actum tamen consensus v.gr. Et de talibus duobus motivis procedet hic quæstio: An scilicet unus idemque actus assentiendi, possit elici, propter talia duo motiva.

PRÆMITTO III. *Quis sit sensus in hac materia auctorum.* Unum eundemque actum posse elici ex motivo scientiæ & fidei divinæ, item ex motivo scientiæ & opinionis, negat Suarez, Salas, Conimbricenses, Pontius disput. 22. num. 30. Affirmat Vasquez ut eum citat & sequitur Oviedo, Lugo de fide, recentior Suarez. 2. In sententia affirmante est inter cætera in hoc difficultas, cur scilicet potius unus tunc eliciatur actus intellectus, quando enim proponuntur duo motiva, tunc pro sua parte potentia potest principiare duos actus. Videtur autem cum intellectus sit potentia necessaria, possitque plures actus elicere, & habeat omnia requisita, quòd sit plures actus eliciturus. Sed vi hujus rationis dubitandi, nisi ulterius quid addatur, non habebitur intentum, cur non enim eliciet unum actum, si possit elicere etiam unum. Hurtadus apud Lugonem dicit, quod si simul utrumque motivum applicetur fiat unus actus, sed æquè difficultas est, quomodo simul applicentur duo motiva: & explicato etiam quomodo applicentur duo motiva, quærere restabit: posita æquali duorum motivorum applicatione, cur non poterit unus vel plures actus fieri. Lugo autem dicit, quod quamvis Angelus qui habet majorem in suos actus reflexionem & potestatem, possit sua voluntate imperare unum vel plures actus propositis sibi pluribus motivis, ea tamen potestas, non videtur concedenda homini in suos actus, quia quamvis homo possit sibi imperare successionẽ actuum, non tamen plures simul, vel unum non nisi. Neque enim possumus postea cognoscere an unus ille actus an plures fuerint, quodsi non possumus id cognoscere, nec potestatem possumus attribuere homini id sibi imperandi, cum non possit cognoscere an id faciat; quæ doctrina non respondet ad punctum difficultatis: nempe quî fiat ut unus potius eliciatur actus quàm duo. Potius ergo id in id referri debet, quia scilicet DEUS exhibet concursum ad unum non nisi actum, nam in talibus non infrequens est ad DEUM recurrere, instante simul appetitu creato, & conatu, ad habendum talem actum.

PRÆMITTO IV. *Posse concurri ad eundem effectum & partialiter & totaliter.*

Partialitas rursus duplex spectari potest, vel partialitas ex vi naturæ vel partialitas per accidens; partialiter per accidens ad eundem effectum concurrunt v. gr. duo ignes simul æquè applicati, ita attemperantes suum concursum, ut uterque conjuncta actione agat, & ab utroque verè & realiter producatur effectus. Partialitas hæc per accidens, est vis sufficiens producendi effectum totum, licèt hîc & nunc, non producatur, partialitas autem effectus ex vi naturæ vis naturæ est, producendi effectũ sed nõ ita, ut se sola illũ producere possit. Talis partialitas cõvenit speciei impressæ, ex vi enim naturæ hoc habet, ut sola non possit producere intellectionẽ, in sententia etiam, qui tribuit illi vim effectivam intellectionis. Rursus hæc partialitas, vel potest spectari respectu principii, vel respectu effectûs & ita speciei impressæ competit partialitas ex parte principii, sed non partialitas ex parte effectus, quia effectus qui ab illa producitur, est indivisibilis, nempe intellectio. Proportionaliter autem discurrendo de causa totali, alia est causa totalis re ipsa, ut cum solus ignis A. generat ignem B. Et alia totalitas est ratione potestatis causandi, ut cum duo ignes cæteroqui seorsim potentes producere, conjunctim eundem ignem producunt. Rursus totalitas alia est in suo genere & alia sine addito v. gr. totalitas materiæ, est totalitas causandi in genere materiæ; totalitas autem sine addito, excludit omne aliud genus causæ, ut cum DEUS, se solo, creat Angelum.

PRÆMITTO V. *Posse spectari concursum tam causarum partialium, quam totalium, quacunque tandem partialitate vel totalitate, cum aliis tamen concausis concurrentium ferme quadruplíciter.*

PRIMO. Ita ut una causa sit potentior, & alia debilior, vel utraque æquè potens agant tamen unaquæque secundùm suas vires, quòd fit, ex conjunctione utriusque potentiæ, ad effectum, de genere suo, intra vim utriusque principii contentum, ita tamen, ut ratione suæ conditionis, illud objectum superet vim utriusque divisim accepti sic v. gr. equus fortis & debilis possunt trahere rhedam, en tractio est objectum contentum intra rationem formalem tractivæ, quod utrique convenit, si tamen Rheda sit ita ponderosa, ut unus sine consortio alius, non sit potens illam trahere, eo casu excedit tractio vires utriusque tractivæ seorsim sumptę. Hoc posito. Probat universaliter inductio, effectum tunc esse majorem, & superantem vires utriusque principii, divisim accepti.

SECUNDO possunt duo comprincipia ita agere, ut quamvis conjungantur ad agendum, ratione tamen suæ heterogeneitatis, conjunctæ diversis dispositionibus inter se pugnantibus, unum agat contra aliud, quo casu, sequitur semper effectus dissimilis utrique principio, magis tamen accedens ad principium fortius, ut fit quando asina & equus concurrunt ad productionem muli, vel cum ignis & aër, conveniunt ad productionem, humidi.

TERTIO possunt duo principia ita agere, ut unum sit debilius, & aliud infirmius, sed firmitas unius non tribuit vires ullas debiliori, immò concursus ignobilioris restringit, concursum principii nobilis, ita concurrunt Tibia recta & curva, neque enim recta influit incurvam, ita concurrit anima spiritualis, cum organo materiali, præmissa affirmativa cum negativa. Ita etiam concurrit ad constituendum hominem corpus & anima, evaditque compositum non spirituale sed materiale, præmissa item una vera & altera falsa, non faciet nisi ignobiliorem conclusionem, hoc est falsam. Ex qua inductione habetur, ita concurrentibus principiis, debiliorem semper sequi effectum, & ignobiliorem.

QUARTO duo principia possunt eo modo concurrere, ut unum, quod est fortius, debiliori vim & robur agendi communicet, & ita evenit cùm discipulus dirigitur à tenente manum Inspectore ad scribendum. Item cum Lumen supernaturale, confortat intellectum &c. &c. & in talibus inductio ostendit, quòd effectus sequatur conditionem nobilioris agentis, hinc tunc discipulus meliores formabit characteres, & visio evadet supernaturalis. Porrò quando duæ causæ una firmior altera debilior concurrunt ad eundem effectum, non de omnibus pronuntiandum universaliter quod firmior causa elevet debiliorem, sed hæc elevatio per experientiam haberi debet, vel per naturam principii nobilioris, & sic experientia adstruit, quod in concursu adscribendum boni & alius imperfecti scriptoris charecter sequatur principium nobilius, & natura Luminis gloriæ (per Patres explicata) est, ut tribuat vires agendi, intellectui naturali illumque elevet.

Punctum Difficultatis I.

Quid tenendum?

DICENDUM EST. *Possibile esse unum, eundemque actum ex duobus motivis fieri scilicet scientiæ & opinionis.*

PROBATUR I. Quia hoc non implicat contradictionem, ut videbitur, in solutione argumentorum. Quod autem id etiam naturaliter fieri possit, ratio est, quia non apparet, unde id excedat vires intellectivæ sibi relictas.

PROBATUR II. Tum quia propter duas præmissas elicitur conclusio. Ergo & unus actus potest elici propter duo motiva. Tum quia possunt plura objecta quæ poterant attingi pluribus actibus, eodem actu attingi, Ergo & plura motiva, quæ poterant formalisare plures actus, possunt formalisare unum actum. Tum quia unum eundemque actum voluntatis possumus elicere ex duobus motivis v. gr. volitionem deambulationis propter recreationem, & visitationem amici; ergo idem dicendum de actibus intellectus.

RESPONDET Ad hanc ultimam paritatem Pontius, dando disparitatem. Quia voluntas, non est causa naturaliter agens respectu sui actûs, nec consequenter, objectum propositum sub uno motivo, determinat ipsam ad actum, sive proponatur sub illo solo motivo, sive proponatur sub diversis motivis; adeoque non est conveniens, quòd voluntas uno actu possit tendere in illud objectum. At intellectus, est causa naturaliter agens, respectu actûs scientiæ & opinionis v. gr. licèt quantum ad actus opinionis & fidei subordinetur voluntati. Unde determinatur ad plures actus positis istis motivis præcipuè cum non possit à voluntate determinari, ut possit pro libitu unum actum vel plures elicere.

CONTRA EST I. Potentia libera, potest unum actum exercere ex pluribus motivis, Ergo poterit & necessaria, imò ad hoc magis videtur conducere necessitas in operando quam habet intellectus, eò quòd liberum non sit illi resistere, quin simul moveant illa motiva, & ille moveatur simul illis motivis, quæ rere que restat, cur movẽtibus simul, duobus simul motivis eandem potentiam necessariam, non sit illa, unum tantum actum elicitura.

CONTRA II. Potentia cujus actum non sibi determinat motivum sive sit unum sive plura, potest elicere actum, qui sit propter duo motiva, Ergo & potentia intellectiva, in qua motivum determinat sibi actum, si illi proponantur simul duo motiva, poterunt sibi determinare unum actum.

CONTRA III. Si concurrat simul motivum scientiæ & opinionis, potest voluntas inclinare ad motivum opinativum amplectendum, Ergo & poterit elici unus actus ex utroque motivo. Antecedens probatur. Potest extra circumstantias concurrentis moti-

motivi scientifici, determinare voluntas intellectum ad sequendum hoc motivum. Ergo multo magis poterit inclinare in circumstantia motivi scientifici, facilius enim est, inclinari intellectum ad id, ad quod aliunde propendet, ut propendet ex motivo scientifico, imò necessitatur ad actum.

PROBATUR III. Conclusio. Imprimis potest naturaliter habere sibi proposita duo motiva intellectus, quorum aliud sit v. gr. scientiæ aliud opinionis cur non enim? difficiliusque videtur, si diversi simul actus fiant, quam si proponantur diversa non nisi motiva, occupante se intellectu, tam circa motiva proponenda, quàm circa ponendos actus.

Quod si possunt proponi duo simul motiva, cum non sit ratio, cur unum potius moveat quàm aliud, idque in suo & sibi debito genere, non erit ratio cur non ex utroque motivo fiat actus.

OBJICIT I. Pontius citatus. Licet intellectus possit habere plures actus circa diversas conclusiones ex motivis scientiæ & opinionis, tamen de facto nequit habere unum actum, ex diversis illis motivis circa plures conclusiones, Ergo quamvis de facto possit habere plures actus, ex diversis motivis, scientiæ & opinionis, circa unam conclusionem, non tamen poterit habere unũ actum, ex diversis illis motivis, circa eandem conclusionem. Consequentia probatur. Quia scilicet sicut una conclusio determinat sibi unum actum, ita & unum motivum, determinat sibi unum actum.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia de essentia Conclusionis est, inferri ex his positis, seu eo quod hæc sint, quod si de essentia Conclusionis est inferri ex his positis, si nulla sit Conclusionis connexio, cum præmissis, hoc ipso ex illis inferri non potest, Conclusio: quæ rursus connexio Conclusionis cum præmissis, est ejus naturæ, ut nihil debeat esse in Conclusione, quod non fuerit in præmissis. Sicut ergo eædem præmissæ non sunt plures seipsis, sic nec plures Conclusiones in se continent, nam continentia Conclusionum, sunt ipsæmet illæ præmissæ. Quod si non continent plures in se conclusiones plures conclusiones ex illis inferre, esset inferre id, quod non sit in præmissis. Cum tamen ex regula Dialectica, nihil debeat esse in conclusione, quod non sit in præmissis. Jam autem si unus actus fiat ex pluribus motivis, non sequitur quidquam inferri quod non contineant in se illa motiva. Addo Antecedens ipsum debuisse explicari à prædicto auctore, quia certè per enthimemata, ex eodem principio, inferuntur plures Conclusiones.

INSTAT I. Idem. Nequeunt duæ conclusiones cognosci unico actu, ex diversis motivis, quia unica conclusio, cum uno motivo, est sufficiens causa uniûs actûs, & consequenter quoties ponitur, sufficienter causabit illum unicum actum, sed una Conclusio cum unico motivo scientiæ v. gr. est sufficiens causa actûs scientiæ, qui non sit opinio. Ergo causabit illum actum & consequenter nõ causabit actum, qui sit opinio.

RESPONDETUR. Transeat major, bene enim unico actu conceptis duabus conclusionibus possum dicere utramque legitimè inferri, distingue, interim minorem unica Conclusio cũ unico motivo scientiæ, si nõ adsit insuper motivum formidolosum, est sufficiens causa actus scientiæ, qui nõ sit opimo, concedo minorem est sufficiens causa illius actûs si ille actº insuper formidoloso motivo moveatur, Nego minorẽ, sub eademque distinctione consequentiam. Quam distinctionem ideo adhibeo, quia supponit argumentum unum actum ex diversis motivis procedentem non fore diverso respectu scientificum, si procedat ex motivo scientifico, & non fore opinionem, si idem actus procedat ex motivo opinativo.

INSTAT II. Idem. Quotiescunque applicatur causa naturalis adæquata alicujus effectus, producet illum effectum, nisi ponatur aliquod impedimentum sed Conclusio scientificè proposita, cum intellectu, est causa adæquata actûs scientiæ, quæ non est simul actus opinionis Ergo quoties applicatur, sufficienter absque impedimento, causabit illum actum.

RESPONDETUR. Concedo totum, sed quia possunt applicari simul plures Conclusiones & plura motiva, poterunt etiam eundem actum scientiæ causare.

INSTAR I POTEST III. Unus idemque effectus non potest causari duabus causis adæquatis Ergo nec formaliter à duobus motivis.

RESPONDETUR. Si antecedens procedat de causis adæquatis diversi generis est falsum: nam homo in genere causæ materialis totaliter constituitur à corpore & in genere causæ formalis totaliter ab anima. Si autem res sit de duabus causis totalibus, ejusdem generis, idque in ordine ad potentiam naturalem, verum est antecedens. Sed ad consequens, respondet citatus Lugo; illa duo motiva non esse singula adæquata, respectu hujus assensûs. Quia tunc Solum dantur duæ causæ adæquatæ ejusdem effectus, quando ablatâ unâ illarum; manet idem effectus, ex vi concursus, quo dependet ab altera, hic autem assensus ablato uno ex his motivis, non posset esse idem ullo modo, cum altero solo motivo. Dicuntur autem illa motiva, totalia, quia ita approbantur, ab intellectu, ut manente altero solùm, fiat alius assensus circa eandem Conclusionem, propter solum

illud motivum, quod remaneret, sed aliter insuper

Respondetur II. Disparitatem esse. Quia si causæ ejusdem generis totales concurrunt ad eundem effectum, alterutra esset frustra, non erunt autem frustra, si sint causæ totales in diverso genere, quia verò molitivum totale opinativum & totale, quod est scientificum, non sunt ejusdem generis imò & duo scientifica, qui à aliam & aliã importabunt rationẽ formalẽ, fit ut neutrum ex illis sit otiosum & utrumque præstet suum effectum. Neque valet si dicas sequi ex hac responsione duas formas substantiales, totales posse esse intra eandem materiam, quia sunt diversi generis, & quem effectum præstaret una, non præstaret alia non inquam hoc dicas, quia illæ formæ aliunde, secum habent repugnãtiam nempe ratione dispositionum contrariarum, temperamentorumque diversimodorum, quæ quia naturaliter secum stare non possunt, nec formæ etiam illæ secum stare poterunt, quamvis singulæ, alium effectum formalem præstare sint notæ.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur objectiones.

Objiciuntur secundo variæ Paritates.

Prima Paritas est, duæ differentiæ specificæ non possunt conjungi intra eandem entitatem, ut sit idem homo & bos, Ergo etiam neque possũt conjungi duæ differentiæ specificæ actuũ, qualis est differentia specifica, intra scientiam & fidem, scientiam & opinionem &c.

Respondet I. Oviedo. Non posse ex duabus speciebus oppositis resultare unam tertiam, neque id contingere, quando idem actus fit ex pluribꝰ motiivs: quia ille actus nõ resultat, neque habet illam speciem quam habet actus qui est purus actus fidei, neque illam speciem habet, quam habet purus scientiæ, sed habet tantum prædicata fidei & scientiæ. *Hæc responsio*

Non Satisfacit II. Quia ille actus elicitus v. gr. ex motivo scientifico & opinionis, & haberet prædicata non nisi universalia scientiæ & opinionis ut ille supponit, & simul etiam haberet prædicata ultimo differentialia scientiæ & opinionis, quia prædicatum hoc, est ipsummet v. gr. motivum scientificum & opinativum, movens in actu, & si movet Actu, hoc ipso tribuit suam speciem.

Non Satisfacit III. Quia quod dicit diversam illic fore speciem, hoc ipsum videtur impossibile, sicut impossibile est, ut ex homine & Leone, diversa fiat species.

Respondetur II. Retorquendo argumentum. Species impressa repræsentativa hominis, est diversa à specie repræsentativa bovis, & tamen hæ in universalioribus Angelorum speciebus concrescũt, alia item est specie cognitio & hominis, & alia cognitio bovis & in tamen in una simplici qualitate secundæ operationis unico actu dicere possum, homo non est Leo, Ergo etiam quid in simile præsenti contingere potest.

Respondetur III. Duplicem esse specificationem intrinsecam & extrinsecã specificatio intrinseca habetur ab ipsamet entitate, specificatio autem extrinseca habetur ratione objectorum, terminorũ &c. implicat autem unam eandemque rem, habere duplicem specificationem intrinsecam, nam deberet esse identificatio duarum specierum, quæ identificatio, est formalissime ens rationis. Possibile autem est unam eandemque entitatem, habere diversas specificationes ab objectis, quia nulla ex hoc sequitur Implicantia. Neque enim duo objecta: illa, deberent inter se identificari neque ulla alia sequeretur identificatio, aliam enim, unumquodque ex illis objectis, haberet vim movendi, neque una vis, identificaretur alteri. Quia verò specificatio ratione motivorum diversorum, esset specificatio ratione diversorum objectorum, adeoque extrinseca, benè in unam entitatem colligi poterit. Et ita bos & Leo possunt circa idem objectum versari, habereque idem specificativum extrinsecum, licèt quoad suam entitatem seu specificationem intrinsecam, non possint adunari.

Secunda Paritas. Ex apprehensione & Judicio, affirmatione item & negatione, non poterit conflari tertia species actus, Ergo neque potest esse tertia species actuum, quorum aliquis sit scientia & opinio vel scientia & fides.

Respondetur. Disparitatem esse. Quia non apparet, quid tertium conflari possit, ex apprehensione & Judicio, nec apparet quid induceret illud tertium; affirmatio item & negatio, identificari non possunt, quia identificarentur duo contradictoria, quæ identificatio non sequitur ut dictũ, si idem actus procedat ex motivo scientiæ v. gr. & opinionis inductivumque talis actus ostenditur, diversitas motivorum simul repræsentatorum. Addo quod identificatio affirmationis & negationis traheret secum, illorum duorum identificationem quoad intrinseca, nec enim desumeretur specificatio ratione objectorum. Si autem idem actus sit opinionis & scientiæ erit non nisi duplex specificativum extri-

extri-

extrinsecum ejus actus. Cæterum si dicta paritas hoc velit quasi non possit esse unus idemque actus continens apprehensionem & Judicium, affirmationem & negationem, tunc paritati negandum Antecedens.

Tertia Paritas est ex elephante & gallina non potest generari quidquam tertium, Ergo nec ex scientia & opinione, quia sicut ex elephante & gallina non generatur quidquam propter summam utriusque improportionem, ita propter improportionem non concurrent ad eundem actum. Scientia v.g. & Opinio.

Respondetur ut improportio faciat, ne duo principia, concurrant ad eundem effectum, debent esse cætera paria. Certè enim nulla est proportio inter bacephalum & asinum, inter Cœlos & Angelum, & tamen inter hæc, datur concursus, ad eundem effectum. Imò hæc improportio reperibilis est in omnibus causis æquivocis. Tunc ergo improportio impedit actionem, quando conjungitur negationi virtutis causandi, cujus negationem experientia probat vel ratio. Et ita quod non possit quidquam generari ex elephanto & gallina experientia & ratio ex inæqualitate membrorum petita probat. Jam autem, quamvis opinativum motivum & scientificum, sint sibi improportionata, nec ratio, nec experientia ostendit quod non habeant vim concurrendi ad eundem actum.

Instabis quando generatur mulus, concurrunt duo principia specie distincta, proditque effectus, utrique causæ dissimilis, qui nec est asinus, nec equus; Ergo etiam quando duo motiva, scientia v. g. & opinionis, ad eundem actum concurrunt, prodibit actus, utrique principio dissimilis; consequenter non erit actus, qui sit scientia & opinio.

Respondetur. Negando consequentiam, quia ex pugna seminum & qualitatum, mutuaq; actione & repassione, debet prodire mistum, utrique suo modo dissimilis. Jam autem motivum scientificum & opinativum, non habent similes pugnas qualitatum, adeoque poterit prodire actus, qui sit scientia & opinio.

Objicitur III. Ille actus foret evidens & inevidens, clarus & obscurus.

Respondetur. Ratione diversi motivi fore evidentem & inevidentem, certum & incertum; sed non ratione ejusdem. Erit quæstio de voce; An debeat ille actus vocari inevidens & incertus, & secundum communiorem modum loquendi, non debet vocari incertus & inevidens, quia ista prædicata sunt negativa, adeoq; malignantis naturæ, & omnis prædicati sibi oppositi, consumptiva, consequenter sublativa omnis evidentiæ, & omnis certitudinis, quæ tamen diverso respectu conveniunt illi actui.

Instabis. Ille actus nullum haberet sui principium elicitivum, si enim ille actus est opinionis quomodo ad illum causandum concurret scientia quæ formidinem rejicit.

Respondetur. Habiturum principium intellectum informatum illis duobus motivis.

Objicitur IV. assumitur pro Principio in Dialectica. Conclusio sequitur debiliorem partem, adeoque si concurrant Præmissa probabilis & scientifica, Conclusio sequetur non nisi probabilis. Ergo etiam in concursu ad eundem actum, tam motivi scientifici quàm opinativi, sequetur actus, qui sit non nisi opinio.

Respondet recentior Suarez, id verum esse, quando scilicet partialiter non nisi concurrunt motiva, secus cum concurrunt totaliter. *Hæc Responsio*

Non Satisfacit quia quærere restat, cur id contingat si partialiter concurrant causæ, & non contingat, si concurrant totaliter?

Respondetur. Ex dictis Disparitatem esse; quia Præmissæ concurrunt sicut principia, tertio modo concurrentia ut probat Logica. Jam autem duo illa motiva, non repugnat concurrere ita, sicut principia primi generis, vel quarti.

Objicitur V. Si idem actus potest esse fidei & scientiæ, poterit etiam idem esse naturalis & supernaturalis.

Respondetur. De hoc inferius inquirendum esse.

Continuatur solutio.

Mastrius Disp. 6. Animast. oppositum sentit & num. 263. ita

Objicit 6. Non potest dari una species impressa plurium quidditatum disparatarum. Ergo nec poterit dari una species expressa, unusquisque enim actus determinatus & limitatus est, ad quoddam suum adæquatum objectum, à quo sumit unitatem & specificationem. Unitas enim posterioris, pendet ab unitate prioris. Ergo cum actus sit posterius natura objecto, ab unitate objecti pendebit.

Respondetur. Negando antecedens unde etiam in Angelis quò perfectioribus, concessæ sunt eo universaliores species, imò posset concedi, quòd unâ Angelus posset noscere tot objecta, quot sunt repræsentabilia ab una specie universali, sed quamvis non posset noscere simul omnia objecta, quot possunt repræsentari, ab una specie universali, non sequitur illius speciei impossibilitas. Quamvis enim species ordinetur ad actum cognoscendi sibi adæquatum, non sequitur, quod inadæquatum sibi actum elicere non possit, sicut potentia A portativa ponderis B C D. tanquam sibi adæquati, non sequitur, quod non possit portare pondus tantum B sibi inadæquatum. Et sicut pendet à circumstantiis ut tantum B portetur, quia tantum B occurrit portãdum, ita fieri potest, ut non omnia objecta noscantur, quæ nosci possunt, habita specie universali: quia scil. occurrit hoc potius objectum,

vel quia potentia, alio actu est occupata. &c. Deinde etiam concesso, quòd non possit dari species una impressa plurium repræsentativa, non sequitur quod unum actum indivisibilem, plures species producere non possint. Quia hic actus Animal est Ens mobile, per Maistrium habet plures species impressas, ad se concurrentes, si enim una species impressa ad illum actum concurrit, hoc ipso sequitur dari unam speciem plurium repræsentativã hoc est Animalis & Entis mobilis. Quod autem ille actus, cum sit secunda operatio, sit operatio indivisibilis, immediatè ante dictum. Concedo quidem unumquemque actum esse determinatum & limitatum ad quoddam suum adæquatum objectum, sed nego illud adæquatum objectum, esse exclusivum, ne plura in se complectatur: Negoque actum ab objecto, plura in se complectente, unitatem sumere non posse proportionatam, ut scilicet sicut objectum plura in se complectitur, ita & unus actus, plura repræsentet. Quando autem dicitur quod ab unitate objecti, tanquam prioris, pendeat actûs unitas, tanquam alicujus posterioris, id eo sensu verum est; quod ab unitate objecti, prout existentis in actu suæ scibilitatis, pendeat unitas actus, non autẽ ab unitate objecti materialiter sumpti. Unde si ab unitate objecti materialiter sumpti, penderet unitas actus, non daretur ullus terminus complexus, qui hoc ipso quia complexus est, plura involvit. Sicut ergo in termino complexo, plura materialiter objecta, ratione objicibilitatis simultaneæ, (quæ non repugnat) evadunt unum quid, in ratione objicibilis; ita & in præsenti, plura objecta, poterunt habere unam rationem objicibilis. Si autem plura objecta habere possunt rationem unam objicibilis, etiam unum actum terminare poterunt.

Instat I. Multiplicato priori Essentialiter, opus est ipsum posterius multiplicari, sicut multiplicata unitate, multiplicantur numeri, multiplicata differentia specifica, multiplicantur species, multiplicata causa multiplicantur effectus. Ergo si objecta priora sunt plura, actus illa exprimens nequit esse unus.

Respondetur ex dictis, quòd si objecta sint plura formaliter, hoc est non unà objiciuntur, & actus nequeat esse unus; si autem plura sint materialiter, una autem objiciantur, possint uno actu exprimi. Multiplicata unitate multiplicantur numeri, quia definitivè numerus, est ipsa unitas multiplicata, definitio autem actus, non est objectum, consequenter nec objecti multiplicatio, invehet multiplicitatem actus: Idem dic de multiplicatione differentiæ specificæ. Quod autem dicit multiplicata causa, multiplicari effectus: id limitatione indiget; cùm omnes effectus subsint DEo, & causis universalibus, & tamen multiplicantur causæ particulares. Sed concesso etiam assumpto, disparitas erit: quia multiplicata causa, nisi ponantur multiplicati effectus, non habet unde multiplicetur & causa jam autem multiplicatis objectis, & non multiplicato actu, habebit in quo salvet suam multiplicitatem objectum, nempe in ipsa vi, ut possit multiplici actu attingi, licet non attingatur multiplicibus actibus, & sicut unum idemq; invariatum objectum, potest plures actus terminare, nec id destruit unitatem objecti; ita quamvis objecta plura attingantur uno actu, non destruet id multiplicitatem objectorum.

Instat II. Actus ita specificantur ab objectis extrinsece & causaliter, quod licet ex entitate objecti, non valeat semper inferri unitas actus, unde diversæ potentiæ, possunt versari circa idem objectum, nihilominus ex distinctione objectorum, si præsertim sint formalia & prima, valet semper inferre, distinctionem actuum.

Respondetur. Concedo ex distinctione objectorum formalium, si in ratione suæ objicibilitatis, multiplicitatem hanc exerceant, adferri multiplicitatem actuum, sed nego quod distincta objecta, non possint carere exercitio hujus multiplicitatis, in ratione objicibilis.

Instat III. Actus, est naturalis similitudo objecti, non videmus autem, quomodo inter se objecta valde diversa, possint per eandem imaginem repræsentari.

Respondetur. Materialitas colorum, & termini diversi, faciunt, ne valde diversa, eadem imagine repræsententur, simile autem nihil obest, ne imago intentionalis, plura repræsentet. Ostende enim quid illud?

Instat IV. Admisso quòd possint plura objecta disparata simul uniri ad eundem actum causandum, tolletur omnino specificatio actuum per objecta.

Respondetur. Specificabuntur & multiplicabuntur actus per objecta, prout exercent rationem objicibilium, ita, ut si unum tantum objiciatur, unus sit futurus actus, si plura, unà tamen se objiciant, possit fieri actus unus, secus si non simul objiciantur.

Instat V. Etiam in scientiis assignatur unum obiectum totale præter partialia, si autem plura objecta possint uno actu attingi, ad quid esset necesse desudare in objecto inveniendo.

Respondetur. Quod sit difficultas in inveniendis objectis attributionis, ea non exinde oritur, quod plura, non possint uno actu attingi, sed ex eo, quod sit necesse invenire aliquam rationem communem, quæ quidem de aliquibus prædicatur ut genus, tanquam de speciebus objecti, ita ut omnes species, ad illud revocentur, non in ratione noscibilis utcunque, sed scibilis scibilitate tali; Rursus ut ad illud revocentur reliqua, vel tanquam passiones, vel tanquam principia, vel tanquam opposita, quæ tota difficultas manet, licet plura uno actu attingi possint.

Objicit 7. Immerito à nobis recurri ad aliquas instantias: Prima Instantia de sensu communi, qui unus, attingit objecta particularium sen-

sensuum, non enim dicitur sensus communis, quod per communiores cognoscat species, sed quia virtutem habet illimitatam sentiendi omnia, quæ sensus exteriores percipiunt.

RESPONDETUR. Quidquid sit an sensus communis, per communiores quia magis sibi proportionatas species intelligat sufficit ad intentum sententiæ hæc illatio: Potest virtus particularium sensuum, in uno sensu communi colligi, ergo & virtus specierum in una specie comuni.

SECUNDA INSTANTIA à nobis usurpatur de actu voluntatis, qui unus, vult propter plura motiva, in quo est magna disparitas. Nam voluntas est causa totalis sui actus, nec objectum concurrit nisi terminativè. Deinde quia actus voluntatis, non est similitudo sui objecti, gignitur autem partialiter à suo objecto actus intellectus, voluntas se habet tantum amplectendo vel respuendo, non repugnat autem plura uno actu respui, sed non simul exprimi. Deniq; quia non de hoc quæritur, an objecta illa possint intellectus attingere ut partialia.

RESPONDETUR. Imprimis dubium est, an non objectum etiam ad actus intellectus, tantum cõcurrat terminativè ad maximum etiam completivè, sed posito etiam, quod objectum non tantum terminative sed mediante specie effective concurrat ad actum, restat paritas, cur eodem modo se habere non possint objecta ac motiva, adeoque cur plura ad eundem actum concurrere non possint? cur gignentia plura objecta, non possint se habere sicut plura motiva? cum uno actu, plura complecti possit voluntas, cur non & intellectus plura repræsentativè? Denique concedo, non de hoc quæri, an plura objecta partialia, possit intellectus attingere, sed redit paritas: potest moveri voluntas pluribus totalibus motivis, ad eundem actum, ergo & intellectus, plura totaliter objecta, repræsentare.

Punctum Difficultatis 3.

De reliquis hanc Materiam concernentibus.

ASSERO I. *Casu quo concurrat motivum scientificum & motivum fidei, ad producendum, actum supernaturalem, habetur fundamentum dicendi, quod motivum scientificum, elevari possit à motivo fidei.*

RATIO, de facto enim fides elevat species naturales, elevat intellectum. Ergo etiam elevare poterit etiam motivum scientificum, nec apparet, casu quo ille actus esset etiam fidei supernaturalis, quomodo possit ad illum scientia viribus propriis procedere.

ASSERO II. *Non esse fundamentum, quòd naturaliter scientia, sit elevativa opinionis ad actum scientificum una secum eliciendum.*

QUIA imprimis sicut sunt Instantiæ, quæ probant ignobiliorem causam corroborari à nobiliori, ita etiam sunt Instantiæ, quæ ostendunt, interdum causam nobiliorem, restringi ab ignobiliori, cur ergo hanc conditionem non sequitur motivum scientificum & opinativum; tum quia quod adfert recentior Suarez, semper scilicet quando duæ causæ totales concurrunt, elevari ignobiliorem causam à nobiliori, id universaliter falsum est; quia totalis est causa in suo genere anima, in constitutione compositi, sensationis productione, & tamen non elevat materiam ut constituat compositum spirituale, nec organum, ut producat notitiam spiritualem.

ASSERO III. *Quamvis non tribuatur ulla vis motivo scientifico per quam elevet motivum opinativum, adhuc tamen poterit elici idem actus ex duplici motivo.*

RATIO, quia sufficit intellectum habere vim eliciendi illum actum, præcipuè cum non motiva illum actum eliciant, sed intellectus ex motivis.

ASSERO IV. *Duplicia prædicata posse spectari in actu uno elicito propter duo motiva. Primo* prædicata quædam absoluta, qualia sunt esse supernaturale vel naturale, neque enim supernaturalitas desumitur à solo extrinseco, hoc est principio indebito omni naturæ concurrente ad aliquem actum, sed etiam ab ipsa entitate effectus, qui etiam ipse in sua entitate spectatus, excedit vires naturæ, aliàs non actus ipse deberet dici supernaturalis, sed principium illius; verumque esset, quod mereremur beatitudinem per actus in entitate naturales quod Pelagianismum sapit. Tale idem prædicatum absolutum, est ratio spiritualis similia, & ad talia absoluta prædicata tribuenda actui illi elicito ex duobus motivis, si intellectus vim non habeat, elevari debet, quomodo enim sine elevatione, illa principiaret, consequenter nec poterit idem actus entitative esse naturalis & supernaturalis, spiritualis & materialis, hæc enim non unam sed duplicem entitatem important. Secundo alia sunt prædicata connotativa & respectiva tale est prædicatum veritas, quæ non est perfectio aliqua intrinseca & entitativa, qua careat actus falsus, prædicatum item evidentiæ, non est aliquid absolutum, sed respicit objectum, & ad hæc prædicata connotativa tribuenda, non est necessaria elevatio, possuntque etiam aliàs contraria, ad eundem entitativè actum movere. Quod non sit necessaria elevatio. Ratio est, quia quod eadem propositio sit principium reliquarum conclusionum, & simul hujus discursus, conclusio diversoque respectu etiam propositio, non est necesse, vel à principio propositionem, vel à propositione conclusionem, vel è converso elevari. Ergo neque est necesse, motivum opinativum, à motivo scientifico elevari, præcipuè quia elevatio ad hos actus est necessaria, quando effectus est supra vires alius, sed in eo casu effectus quem præstat v.g. motivum opinativum, est intra vires illius, quia tribuit effectum cum formidine assentiendi, quam formidinem tribuere potest, intra vires opinionis.

DICES I. Non produceret actum intellectus, habens motuum non nisi scientificum, quem producit concurrente motivo opinativo Ergò non potest producere illum. Sine motivo opinativo Ergo debet elevari illud motivum.

RESPONSUM supra, motivum non producere actum, vel si illum producit, non producit illum tribuendo actui prædicata absoluta, sed connotativa, quæ ut dixi, & consistere secum possunt diuersa, & non indigent elevatione.

DICES II. Hic actus elicitus à duobus motivis, est actus scientiæ, hunc actum producit motivum opinativum Ergo producit actum scientiæ.

RESPONSUM, Jam est à motivis non produci actum, sed etiamsi produceretur non conuinceret argumentum, quia hic actus respicit motivum opinativum, non qua scientificus est. Videtur etiam posse inverti argumentum, actus visionis beatificæ est actus productus à potentia vitali; hunc actum producit Lumen gloriæ per modum potentiæ, Ergo lumen gloriæ est potentia vitalis: sicut ergo hoc argumentum non tenet, quia lumen gloriæ non producit vitaliter actum visionis, nec ab illo est formaliter vitalis, ita actus qui simul est scientiæ & opinionis, ab opinione, non est scientificus formaliter.

DICES III. Esse propter motiva est aliquid intrinsecum actui, Ergo non potest duo intrinseca motiva habere.

RESPONDETUR Esse propter motivũ est quidem intrinsecum actui hoc est non aliquid illi superadditum connotativum tamen, non repugnat autem uni eidemque rei multiplicatas connotatorum.

ASSERO V. *Ad actum elicitum ex duobus motivis non concurrunt habitus scientiæ & opinionis aliàs præhabiti.*

RATIO, quia habitus ad illorum actuum productionem concurrunt, qui similes iis, à quibus illi habitus sunt producti, sed actus ex duobus motivis scientifico v. gr. & opinativo, non est similis iis, quæ generarunt scientiæ & opinionis habitum, certe enim specie distinguuntur actus ex duplici motivo habiti, ab actibus habitis ex uno non nisi motivo, & sicut alius est habitus Conclusionum, & alius præmissarum, quantumvis nihil sit in Conclusione, quòd non fuerit in præmissis, ita & alius erit habitus actuum proficiscentium ex duplici motivo, ab actibus proficiscentibus ex uno motivo. In non paucis tamen præcontenti habitus, hoc est habitus scientiæ tantùm, & habitus opinionis tantùm, deservire poterunt.

DISPUTATIO V.

De Voluntate & Volitione in Communi.

EXplicabimus eadem Methodo voluntatem quà intellectum, à Consideratione ut sic, ad divisionem actuum voluntatis descendendo.

QUÆSTIO I.

Quod objectum & quæ natura voluntatis?

EX dictis de intellectu facile conjicere est, voluntatem non esse distinctam ab anima, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate urgentque argumenta aliàs proposita. Solvenda restant aliqua argumenta à recentiori Suarez opposita.

DICES I. Cum eodem. Intellectus & voluntas, feruntur in objecta validè diversa, qualia sunt verum & bonum. Modus item operandi est maximè diversus, nam modus operandi intellectus, est assimilativus. Et attractivus objecti, voluntas autem attrahitur ad objectum. Ergo & principia, hoc est, Intellectus & voluntas sunt distincta.

RESPONDETUR. Si non plus, saltem æquè distincta sunt albedo & nigredo, quàm bonum & verum, & tamen possunt ad eandem specie potentiam visivam pertinere. Rursus alio modo procedit intellectus informanda simplici apprehensione, alio in formanda enunciatione, alio denique in formanda illatione. Rursus, alio modo se habet ipsa voluntas in amando, facit enim prosecutivè & cum suavitate, alio in odiendo, facit enim hoc fugiendo, & cum amarore, & tamen modi hi non arguunt distinctionem formalem. Ergò ex præcisa diversitate objectorum, & modorum tendendi, non rectè arguitur distinctio realis, sed illam probat vel experientia separationis vel ratio pro illa. Ad diversitatem autem illorum modorum agendi salvandam, sufficit ponere distinctionem realem, in ipsismet actibus.

DICES

Dices II. Intellectus dirigit voluntatem, & hæc sæpius imperat & resistit intellectui. Ergo cum sint hæ potentiæ limitatæ, realiter distinguuntur.

Respondetur. Dirigit seipsum intellectus præscribendo sibi regulas operandi, indicat Intellectus seipsum errasse, contradicit propositionibus quas affirmârat, & tamen hæc omnia, non arguunt distinctionem realem ipsius intellectus à se, sed tota distinctio, est, non nisi penes actus. Ergo similis directio intellectus, voluntatem dirigentis, itemque imperium, quo voluntas imperat intellectui, non arguet distinctionem realem potentiarum, sed non nisi actuum.

Instat I. Sicut ejusdem est virtutis amare bonum & fugere à malo, sic ejusdem est potentiæ assentiri & dissentiri.

Respondetur. Si assentiri & dissentiri, amare & odisse possunt ad eandem potentiam spectare, ut contrariorum sit eadem potentia, cur non idem dici potest de amare & intelligere, ita ut sit eadem potentia præsentare amplectendum, & amplecti præsentatum.

Instat II. Idem, Ideo assensum & dissensum ab eodem principio eliciuntur quia conveniunt in ratione repræsentationis. Amor autem & cognitio, habent inter se rationes, maximè oppositas.

Respondetur. Esse actum spiritualem, versantem circa objectum, convenit & amori & cognitioni, quæ ratio, ita est illis generica repræsentatio, ad tres operationes, cur ergo sicut tres operatiões ob Convenientiã in dicta ratione generica, ad eandem potentiam spectant, non poterit etiam intelligere & velle ad eandem realiter entitatem potentiæ spectare. Quodque non repræsentet quidquam volitio, repræsentet intellectio, sufficiet esse distinctionem realem in ipsismet actibus.

Dices III. Impossibilis est nasus, qui simul à parte rei sit oculus, sin minus, ille nasus videret & odoraretur quod est supra sphæram nasi.

Respondetur. Si sit quæstio de naso & oculo formaliter acceptis, hoc est pro potentia odorativa & visiva, per nos, aliæ identificantur, si autem quæstio procedat de naso materialiter sumpto, hoc est pro organo ita constructo, licèt organa qualia dantur, repugnet, ut secum identificentur, non repugnat tamen aliud organum unum, licet specie à præsenti distinctum, quod & videat & oderetur; ad eum modum, quo sensus Communis percipit objecta partialium sensuum, in organo, aliam longè constructionem, habente.

Instat I. Impossibilis est qualitas, quæ eadem à parte rei sit cognitio, & appetitio, Ergò etiam repugnabit potentia, quæ à parte rei sit cognoscitiva & appetitiva.

Respondetur. Posse aliquem dubitare de Antecedente, propter Instantias, quas tangit ipse Suarez, nam idem actus in Conclusione negativa est affirmativus seu approbativus præmissarum reprobativus, autem seu negativus ipsius connexionis, inter prædicatum & subjectum Conclusionis, actus item Contritionis, est fuga peccati, & prosecutio DEI; nec inde sequetur de facto etiam dari actum qui sit simul cognitio & appetitio, quia pro illa priori stat experientia non stat pro posteriori. Sed negatur interim argumento Consequentia. Disparitas est, quia plura possunt colligi in potentia, quam possint colligi in ipsismet actibus, & ita potentia visiva colligit in se visivam omnium colorum, tamen non inde sequitur, visionem unius caloris, esse visionem omnium calorum: Deinde non tenet Consequentia ab implicantia unius ad implicantiam alterius, si non ostendatur, commune utriq; principium; quod hic non ostenditur.

Instat II. Impossibilis est entitas, quæ à parte rei sit substantia & accidens physicum, homo & brutum, rationalis & irrationalis, Ergo etiam impossibile est eandem potentiam esse intellectum & voluntatem seu potentiam cæcam & videntem.

Respondetur. Confirmiter ad dicta, quod ab implicantia unius, non sit argumentatio, ad Implicantiam alius, nisi ostendatur principium implicandi commune. Rursus retorquetur argumentum quòd sicut non potest esse eadem entitas quæ sit substantia & accidens, ita non possit esse eadem entitas, quæ sit potentia assensus & dissensus: Disparitas etiam assignari potest, in casu antecedentis esse implicantiam, quia implicat stare in se, quod est substantia, & non stare in se, sed in alio, & sic de reliquis proportionatè. Quæ implicantia non est contra potentiam elicitivam actuum notificativorum, & elicitivam actuum non notificativorum nisi sit multum probans, adeoque nihil.

Instat III. Eadem Entitas non potest constitui diversis oppositis differentiis non subalternatis. Ergo neque potest dici, eandem potentiam, esse intellectivam volitivam.

Respondetur. Retorquendo argumentum, quo probat, non posse esse eandem entitatem acclivè & declive, non posse eandem speciem

ciem in Angelis esse repræsentativam hominis & plantæ. Hinc Antecedens nisi ulterius explicetur negandum est, aut ad maximum procedit, de differentiis, quæ sint specificativa intrinseca, non autem de differentiis quæ sint specificativa extrinseca.

DIFFICULTAS I.

An Solum Bonum moveat voluntatem?

DICENDUM EST I. *Posse esse actum fugæ formaliter non nisi propter malitiam, adeoque non solum bonum movere formaliter voluntatem.*

PROBATUR. I. Quia nullum est fundamentum asserendi, non posse nos simpliciter odisse, sine ullo formali amore oppositi, ut patebit solutione objectionum.

PROBATUR II. Possibile est, ut proponatur solum non nisi malum qua tale, & non proponatur ullo modo bonum, possibile item est ut DEUS faciat Decretum concurrendi non nisi ad odium mali, conceptum ex sola malitia intrinseca illius, consequenter decernendo quòd nullo modo esset concursurus ad amorem boni oppositi, sed tunc versabitur voluntas circa malum non versando circa bonum. Ergo, non solum bonum formaliter, movet voluntatem.

Prima Propositio, in qua est difficultas, probatur. Tum quia nullum est fundamentum asserendi, quod prædicta fieri non possint; Tum quia malum in circumstantia consideratæ bonitatis oppositæ, movet ad actus detestationis. Ergo & sine circumstantia illa movere poterit, nam circumstantia illa non tribuit malo quidquam, ratione cujus mereatur actus detestationis, malum enim seipso malum est sicut & oppositio cum calore, non tribuit frigori frigus. Ergo & sine illa circumstantia boni oppositi, malum erit, adeoq; habens meritum, non nisi actus detestationis. Quod si sine ulla circumstantia boni oppositi, potest movere malum ad actus detestationis. Ergo non solum bonum movet voluntatem, tum quia prius est aliquid esse malũ in se, quam esse oppositum bono, priora enim sunt absoluta relativis, esse autẽ oppositum bono, est aliquid relativũ, esse autem malum in se, est aliquid absolutum. Deinde non ideo aliquid est malum, qua est oppositum bono, sed idem est opositum bono, quia est malũ, sicut nõ ideo gelu est frigidũ, quia oppositum est calori, sed ideo oppositum est calori, quia est frigidum. Quod si prius non esse malum, quàm est esse oppositum bono. Ergo per priùs est detestabile quàm quod sit oppositum bono, Ergo pro illo priori, cùm non supponatur habere meritum actuum prosecutionis, poterit pro illo priori, ex merito suo, terminare actus detestationis. Quod ipsum sic proponitur. Voluntas movetur ad detestandum malum, ex eo, quia opponitur bono, Ergo multo magis movebitur ad id detestandũ, propter quod opponitur bono. Ergo multo magis detestabitur, id, quod pro priori, antequam censeatur effluere illa oppositio ad bonum, est radix illius oppositionis; non est oppositio bono, hæc enim est quid consequens, Ergo neque detestabilitas, pro illo priori considerati mali, erit detestabilitas propter oppositionem bono, Ergo illud malum independenter ab oppositione, detestari poterit voluntas. Supponit hoc argumentum quod radix oppositionis ad bonũ sit detestabilis, imò detestabilior ipsa oppositione, quia radix oppositionis & suam malitiã continet absolutã, & simul virtualiter cõtinet oppositionem bono, & sicut in linea rationalis, quod est radix risibilitatis, magis est principale, ita & in linea mali, radix oppositionis bono, magis erit principalis.

PROBATUR III. Tum quia non ideo movet bonum ad sui amorem, quia est oppositum malo, Ergo nec ideo movebit malum ad sui detestationem, quia opponitur bono; Tum quia experimur diverso modo se habere voluntatem dum amat, nam tunc suavitas quædam & delimentũ in voluntate capitur, & diverso modo se habet voluntas, dum odit, non ergo semper amamus oppositum cum elicimus actum odii. Tum quia licet, eadem virtus inclinet ad bonum, & ad fugiendum malum, sufficit quòd possit inclinare, sed non est necesse, ut in omni actu formaliter inclinet. Per hoc tamen non negamus, fieri posse, ut interdum detestemur malum ex oppositione cum bono, sed dicimus, non semper hoc formaliter propter talem oppositionem fieri.

DICENDUM EST II. *Omnem actum persecutionis esse virtualiter actum detestationis, & omnem actum detestationis, esse virtualiter actum prosecutionis.*

PROBATUR. Quia qui detestatur malum, eo ipso paratus est amare bonum oppositum. Ergo illa detestatio, est virtus, in qua continetur processus ad actum alium, qui sit amor boni.

Aliam rationem assignat Lugo. Quia inter extrema contradictoriè opposita, accessus ad unum, est recessus ab altero, & è contra, recessus ab uno, est accessus ad alterum, idem ergo erit accedere ad tenebras, per amorem tenebrarum, ac recedere à Luce, quam tenebræ negant. Responderi posset quòd recessus ab uno extremo sit accessus ad aliud extremum in accessu materiali, non autem in accessu intentionali. Disparitas est, quia aliàs non posset esse recessus per odium, quin fiat formaliter per amorem accessus, sicut impossibilis est recessus materialis, quin sit formalis accessus, & certe cum eadem entitas sit accessus & recessus in materialibus, non potest esse materialis accessus, quin sit recessus materialis, bene tamen poterit esse recessus intentionalis, sine accessu intentionali, quia hæc

hæc duo non sunt formaliter eadem entitas.

DICENDUM EST III. *Objectum voluntatis ut sic, est ratio volibilis. Communis ad malum & bonum.*

PROBATUR I. Quia unaquæque potentia, diversa objecta attingens, pro objecto Attributionis unum aliquid habet, & ita ratio colorati, est ratio una ad quam attendit visiva Ergo, & voluntas, debet habere objectum tale attributionis, sed hoc non aliud est, quàm volibile, quod enim aliud? Ergo.

PROBATUR II. Quia tam de actibus prosecutionis verum est dicere versantur circa volibile prosecutivè, quam de actibus detestationis quod versantur circa volibile detestativè. Ergo ratio volibilis, est ratio Communis utrique quam rationem cum nulla alia potentia sibi appropriet, appropriabit voluntas & cũ non possit appropriare tanquam aliquid particulare est specificum, appropriabit tanquam rationem Communem.

PROBATUR III. Actus omnes conveniunt in hoc, quod sint volitivi ut quo, Ergo & objecta conveniunt in hoc quod sint volibilia ut quod, debet enim esse, proportio inter actus & objecta; Quòd si objecta conveniunt in hoc, quòd sint volibilia, hinc sic Urgetur inquo conveniunt omnia objecta alicujus potẽtiæ, illud ipsum in quo conveniunt, est objectum illius potentiæ, quod probat Inductio & requirit unitas potentiç, Ergo cum objecta voluntatis omnia conveniant in ratione volibilis, volibile illud erit objectum.

Tamen ut volibile dicatur esse objectum voluntatis, non debet accipi, prout opponitur nolibili, aliàs actus nolendi, qui sunt per modum fugæ excluderentur à voluntate, illorumque objecta, sed debet accipi tanquam quid commune ad utrumque sicut & voluntas sit quid Commune etiam ad noluntatem. Quo item sensu ipsum volibile debeat accipi, ut ostendatur, quòd sit objectum voluntatis, dictum supra, ubi de objecto Intellectûs.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur objectiones.

Contra Conclusionem primam.

OBJICITUR I. Inter actus intellectus, dissensus, quin sit assensus, Ergo neque potest esse fuga, quin sit prosecutio, adeoque nec potest esse odium, quin sit formaliter amor. Minor probatur, quia negare v.gr. quod Petrus nõ sit rationalis, est asserere, quòd sit rationalis.

RESPONDETUR. Si omnis propositio negativa est formaliter affirmativa, cujus usus erit, divisio in propositionem affirmativam & negativam. Item poterit ex tribus negativis universalibus rectè fieri Conclusio, quia etiam rectè infertur ex tribus affirmativis universalibus. Probatio hoc solum evincit, dissensum esse virtualiter & implicitè assensum, sed non formaliter & explicitè.

INSTABIS I. Ille qui negat hominem esse lapidem, negationem illam non negat sed affirmat. Ergo ille actus, non est merè dissensus, sed etiam assensus. Ergo & actus detestationis non solum est detestatio, sed etiam prosecutio.

RESPONDETUR. Negationem illam nec affirmari nec negari, quia illa negatio non est objectum, sed ratio versandi circa objectum, sola autem objecta sunt, quæ affirmantur vel negantur. Deinde quamvis hoc sensu concedatur, actum negandi, esse actum affirmandi, quòd negatio illa non negetur; Sed non hoc sensu, quasi circa ipsum objectum, de quo procedit negatio, non possit versari intellectus negando, quin simul versetur circa oppositum illi objectum affirmando. Quod autem in actu negativo non negetur negatio, hoc inde est quia si negaretur negatio, hoc ipso non jam negatio sed affirmatio esset; duæ enim negativæ faciunt unam affirmativam. Poterit autem saluari quod actus negativus, sit actus negativus, quantumvis nihil affirmet de oppositо.

INSTABIS II. Actus honestantur ex objecto Ergo ut sit actus bonus, debet habere pro objecto bonum. Ergo etiam ut actus detestationis sit honestus, debet habere pro objecto bonũ.

RESPONDETUR. Si ut sonat accipiatur Antecedens falsum est, quia probaret odium DEI esse bonum, versatur enim circa DEUM bonũ, ut ergo verum sit Antecedens, hunc sensum facit. Actus honestatur ex objecto, si fiat secundum merita objecti, sed hoc etiam detestationis actus habet, quia versatur circa objectum quod est malum, secundum merita objecti, hoc est fugiendo illud. Vel certe actus honestari ex objecto verùm tantum est, de actibus prosecutionis non verò de actibus fugæ.

OBJICIT II. Recẽtior Suarez, Finis est id cujus gratia aliquid fit, sed voluntas non fugit à malo amore ipsius, sed amore bõi contrarij, Ergo ab hoc & non à malo finalisatur.

RESPONDETUR. Ly cujus gratia, non debet sumi pro amore sed pro merito, ita ut sensus sit: Finis est, cujus merito, vel quo movẽte fit aliquid, quo casu, etiam malum, erit id, cujus merito, elicitur actus detestationis.

Porrò dum malum & bonum movet, conveniunt in hoc: quia utrumque est ratio motiva, conveniunt in hoc, quia finis, respectu sui in executione ponendi, non habet effectum distinctũ realiter, non enim distinguitur finis intentione, à seipso in executione. Sed in hoc disconveniunt: quia dum movet finis, qui est bonum, ad media, media illa producunt aliquid reale, nempe illud, quod erat ratio motiva & finalisativa, jam autem media, ad quæ conformiter ad suam conditionem, malum laudabiliter movet, non producunt malum, sed impediunt ne ponatur, & ita detestatio impedit, ne ponatur malum.

INSTA-

INSTABIS. Actiones specificantur à Termino ad quem, sed in actu fugæ Terminus à quo est malum, Terminus ad quem, est bonum. Ergo à bono specificabitur fuga.

RESPONDETUR. Imprimis, quòd tantum actiones prosecutionis, specificentur à Termino ad Quem. Deinde actiones specificantur à termino ad quem, si sit & supponatur esse Terminus ad quem, sed nego in omni actu fugæ, esse Terminum ad quem, ipsum bonum. Dico ulterius, per actus fugæ formaliter recedi à Termino à Quo, non accedi autem formaliter sed non nisi æquivalenter ad Terminum ad quem, & quamvis non possit in progressu materiali (ut dictum etiam supra) recedi à termino à quo, nisi accedatur formaliter ad terminum ad quem, potest tamen recedi intentionaliter à malo, & non accedi formaliter ad bonum. Ratio quia hoc ipso quod recedatur materialiter, non potest non accedi aliquo & ubicunque fistas, est Terminus ad quem, consequenter sisti poterit in actu fugæ, quæ sistentia, non sit sistentia in bono, tanquam in Termino ad quem.

INSTAT Idem. Dissensus intellectus, non est propter falsum sed à falso, Ergo & fuga voluntatis, non est propter malum sed à malo.

RESPONDETUR. Dissensum Intellectus, non solum esse à falso, sed etiam propter falsum, quia ratio motiva dissensus, est id, quod est reddibile, tanquam ratio dissentiendi; potest autem pro ratione dissentiendi reddi, quia objectum est falsum, adeoque falsitas, esse ratio motiva, propter quam dissentiatur.

OBJICITUR III. ex Amico Tomo Tertio. Disputatione quarta, sectione prima. Nequit voluntas detestari malum, nisi cognitum, & disconveniens proprio supposito; Ergo nequit malum fugere, nisi mota à bono, cui malum adversatur.

RESPONDETUR. Negando imprimis Antecedens: Nam DEUS dignus est amore propter se solum, & non propter Convenientiam adamantem. Rursus quantumvis homo nihil cogitet, malum sibi esse, ulcerosum fieri, tamen ex conspectu ulceris, concipit horrorem. Ergo fieri potest, ut exeat in actum fugæ, non attendendo, quòd carere illo ulcere, sit conveniens supposito. Deinde non tenet etiam Consequentia, quia in præsenti non quæritur: an possit voluntas detestari malum, non attendendo ad bonum, quod habeat rationem finis Cui, sed de bono, quòd habeat rationem Finis Qui; Jam autem Antecedens, procedit de Fine Cui, Consequens de Fine Qui.

INSTAT I. Idem. Ab illo objecto movetur principalius potentia, ad quod principalius ordinatur, sed principalius, ordinatur ad bonum. Ergo principalius ab illo movetur.

RESPONDETUR. Si Ly principalius supponat pro nobiliori, cõceditur hæc principalitas bono in ordine ad actus. Si autem Ly principalius supponat pro adæquato, negatur hæc principalitas bono, & sicut in Physica principale objectum hoc est dignissimum, est homo, non tamen omnes actus Physicæ referuntur ad notitiam hominis, ita nec referentur omnes actus ad bonum relatione formali & explicita.

INSTAT II. Idem Nulla potentia operari potest nisi mota à proprio suo specificativo at proprium specificativum voluntatis est bonum, ut commune fert Axioma. Ratioque est quia voluntas est quidam appetitus, omnis autem appetitus specificatur ab aliquo bono, quod bonum respectu voluntatis est bonum suppositi.

RESPONDETUR. Negando minorem ob dicta supra. Quod attinet ad axioma illud procedit de bono, quod semper directe vel in directe attingatur, sed non de bono quod debeat semper directè attingi in omni actu voluntatis.

INSTAT III. Idem Malum cum sit contrarium & destructivum boni, non potest specificare potentiam, quia hæc non specificatur ab oppositis & sic visiva non specificatur, nisi à visibili, ab eoque solo nõ nisi mota procedit in actũ.

RESPONDETUR. Quia malum est destructivum boni, sed non est destructivum potentiæ, hinc si aliunde non impediatur, potest specificare potentiam; Et licet potentia ab oppositis specificari non possit si illa non conveniant in ratione Communi; objecti illius potentiæ, ut non conveniunt visibile & non visibile intra Potentiam visivam; possunt tamen opposita specificare potentiam, si conveniant in eadem ratione objecti communi, ut conveniunt assensus & dissensus. Quando autem dicitur omnes actiones esse propter finem, cumque solum bonum sit finis, propter hoc ipsum omnes actiones voluntatis esse propter bonum, id etiam non convincit, nam omnes actiones esse propter finem, hunc sensum facit: quod scilicet nulla media adhibeantur, nisi propter motum, quo finis movet; hinc etiam ad hunc finem qui est fugere malum, adhibentur media non nisi amore finis, qui est, fugere malum, sed non habet hunc sensum: quasi nulla sit actio, quæ formaliter non intendat ponere id à parte rei, à quo movetur. Unde poterunt actus detestationis moveri à malo, nec tamen intendere positionem illius mali, à parte rei.

Mastrius disputatione septima, numero nonagesimo quinto putat esse probabile, quòd objectum voluntatis, sint ens in sua latitudine sumptum. *Hinc*

OBJICIT IV. Appetitiva debet adæquari in objectis, sphæra, suo cognitivo. Ergo cum objectum intellectus sit ens, etiam objectum voluntatis, erit ens.

RESPONDETUR. Debet appetitiva adæquari in objectis, sphæra, modo sibi proportionato, vestita, sed non debet adæquari, quasi formale illius

lius non deberet esse distinctum à formali noscitivæ, aliàs neque esset distinctio noscitivæ & appetitivæ.

Objicit quinto. Idem voluntas est perfectior intellectu, Ergo non debet coarctari ad minorem, sphæram objectivam, eique tribui imperfectius objectũ, quod fieret, si poneretur objectum adæquatum intellectus, Ens, Entis autem passio, voluntatis esset objectum, nempe bonum.

Respondetur. Imprimis non esse certum, quòd voluntas sit perfectior intellectu; hoc eõcesso, negabit communis sententia, ipsum ens. Sub ratione entis esse objectum Intellectus sed sub ratione veri, si autem voluntas est perfectior, dicetur etiam bonum esse perfectius attributum præ vero; & quantumvis diceretur objectum intellectus esse ens, voluntatis bonum, si modo meliori verſetur voluntas, quàm intellectus circa suum objectum, ratione modi versandi melioris, melior erit volitiva. Et sicut visio beata, quæ versatur circa Deum, melior est quam Metaphysica quæ versatur circa ens qua ens. Quia visio, versans circa restrictum objectum, aliunde id supplet, ita & suppleret voluntas. Quod autem dicit Mastrius, sufficere ut Ens objectum voluntatis, sit bonum virtualiter & fundamentaliter, id non convincit; quia formali etiam proprio, distingui debet à formali proprio intellectus, sicut & ipsæ potentiæ habent suum formale aliud.

Punctum Difficultatis 3.

An malum quâ malum, itemque indifferens, possit prosequi voluntas?

Dicendum est I. *Malum qua malum, si ulteriori ratione boni vestiatur, posse terminare actum prosecutionis.* Probatur quia potest aliquis mortem apprehendere tanquam malum, & ideo quia mala est, velle illam inimico. Quod autem illo casu velit malum qua malum, hoc inde probatur. Ille vult malum qua malũ, qui vult malum sub motivo detestationis, sed volens mortem inimico, vult id motivo detestationis, tam terminatæ ad objectum malum, quod nisi detestaretur, sed potius prosequeretur, non vellet inimico, quàm motivo detestationis, terminatæ ad inimicum, quem nisi odisset, hoc illi malum non appetiisset. Ergo debet tunc moveri à malo, quâ malum est. Quod autem ulterius illud malum quâ malum vestiatur ratione boni. Ratio est, Quia nisi hoc apprehenderet tanquam bonum ut inimicus illo malo affligatur, nollet illud optare eidem, prosequique optando. Idem videre est cum ex duobus malis minus eligitur, tum enim minus malum vestitur ratione boni. Item cum aliquis se vult occidere sub prætextu boni v. gr. vitandi tædii, quod habet in vivendo.

Dicendum II. *Malum quâ malum, non vestitum ulla ratione boni, non posse terminare actus prosecutionis.* Est Conclusio Communis, sed inquirenda ratio illius efficax.

Ratio I. est Oviedi. Quia Intellectus non potest assentiri falso. Ergo nec voluntas prosequi malum.

Responderi posset, hanc probationem fore bonam si adferret utrique potentiæ fundamentum commune. Posset etiam negari consequentia, eò quòd malum, possit extrahi ad objectum prosecutionis sub formalitate boni; non enim discernit voluntas, an hoc sit apparens bonum, sed hoc pertinet ad intellectum; cum tamen intellectus non possit sibi ipsi extrahere objectum falsum, ut sciens illud esse apparens verum, nihilominus assentiatur, proponatque illud ut verum, quamvis sciat illud esse falsum. Jam autem voluntas movetur malo, quod tamen scitur apparenter tantum esse bonum, cumque intellectus sit potentia necessaria, voluntas autem potentia libera, restabit quærere, cur hac Libertate sua uti non posset ad volendum malum quâ tale?

Ratio II. Ejusdem est. Quia nemo potest affectu odii prosequi Personam, si in illa indignitatem non reperit, ob quam illam personam oderit.

Respondetur. Quod hæc ratio petat principium, de hoc enim ipso quæritur, cur odisse non possit aliquis, talem personam.

Ratio III. Ex Amico. Voluntas est appetitus naturæ rationalis, ad expetenda ea, quæ sunt naturæ propriæ convenientia, & repudienda ea, quæ sunt disconvenientia. At malum est naturæ propriæ disconveniens. Majorem probat. Quid non potest exigere natura. Potentiam, quæ inclinet ad destructionem sui.

Respondetur. Demus quod malum quà malum est, non possit appetere voluntas suæ naturæ, sed cut simpliciter, sine respectu ad naturam suam, sed per respectum ad naturam alienam, amare malum non poterit? Rursus is qui se ocidit ex malitia, vult sui occisionem, voluntate, quæ inclinet ad destructionem sui. Ergo ex hoc principio, quia non potest dari voluntas, quæ inclinet ad destructionem sui, urgeri non potest, quòd dari non possit mali quà mali prosecutio.

Ratio IV. Ex Pontio est. Quia voluntas non potest amare indifferens qua indifferens. Ergo multo magis non poterit amare malum quà malum. Nam indifferens non habet per quod impediat amorem, ut impedit malum.

Responderi potest. Negando Antecedens ipsumque illud indigere Probatione. *Hinc aliter*

Probatur Conclusio. Quia experimur

in nobis quod malum quà malum sine palliatione per formalitatem v. gr. sibi utilis boni, si malè alter habeat, sine hac inquam palliatione nemo amet. Deinde & prosequeretur tunc temporis voluntas malum, & non prosequeretur. Prosequeretur quidem ut supponitur, non prosequeretur autem, quia prosecutio definitive est appetentia boni, quid enim est aliud? Denique quod pro ratione formali actuum prosecutionis semel adfertur, illud quoties non reperitur, toties nec reperietur actus prosecutionis, sicut quod pro ratione formali hominis semel adfertur, ubi defuerit, non erit homo. Quod infundatur in hoc, quòd scilicet rationes formales, sint constitutivæ rerum, quarum sunt formalitates, adeoque illarum negatio, erit negatio constituti, sed pro ratione formali prosecutionis, vel semel adfertur ratio boni, ut si quæratur, quare amemus Deum, respondebitur quia est bonus. Ergo ubicunque deerit ratio boni, deerit etiam ratio appetentiæ.

Quod attinet ad objectum indifferens quà tale.

Assero I. *Si nomine objecti indifferentis veniat objectum, neque bonitatem ullam, neque malitiam ullam continens circa tale indifferens, non potest versari voluntas.*

Ratio. Quia nihil invenit circa quod versari potest. Non enim potest alios actus exercere nisi prosecutiõis, qui sunt ad bonũ, vel fugæ, qui sunt ad malum; jam autem indifferens; neque est bonum neque malum. Cæterum si indifferens objectum, vestiatur ratione boni vel mali, poterit illud attingere voluntas.

Assero II. *Circa objectum indifferens ut vocant præcisivè seu circa objectum; quod potest esse bonum & malum potest versari voluntas.*

Ratio. Quia adhuc tunc reperiet sibi proprium objectum, de quo supra.

Assero III. *Circa bonum quod neque habeat rationem Finis neque medii potest versari voluntas.* Ita Mastrius disputatione prima num. 3. contra Cajetanum Medina, Vasquez, Salaz.

Ratio I. est. Quia datur ratio Communis boni ad bonum finis & bonum mediorum, nam de utroque dicitur quod sit bonum. Ergo datur & ratio Communis appetibili, nullum enim est appetibile, sine appetitivo.

Respondebis I. Illud bonum Commune, cum non propter aliud, sed propter se amatur, hoc ipso amatur ut finis.

Contra. Bonum Commune amatum, participat quidem in hoc similitudinem cum amore finis, quia non propter aliud amatur, sed non habet in hoc similitudinem, ut moveat ad media, quod tamen formalisat rationem finis quâ talis.

Respondebis II. Ex Mastrio, hanc doctrinam supponere, quod bono illi communi competat appetibilitas propter se, cum tamen possit voluntas amare aliquid objectum præscindens à rationibus propter se, & propter aliud.

Contra. In dubio datur ratio Communis boni, ad bonum propter se, & bonum propter aliud, quia tamen etiam bonum ita præscindens dum amatur, non amatur propter aliud, nam ex his Contradictoriis amatur propter aliud, non amatur propter aliud, si affirmativa est vera, corruet intentum adversariorum Si negativa, stat nostrum intentum, cum nos per amorem illum boni propter se, non plus intelligamus. Unde amari propter se negativè ut ita dicam, spectat ad rationem illam communem, amari autem positive propter se, & sub ratione positiva propter se, competit bono restricto.

Respondet III. Vasquez Negando dari rationem communem, bono honesto, jucundo ut ibi.

Contra Quia quidquid sit an detur ratio illis communis univoca, saltem datur ratio communis analoga, & quia rationes analogæ, per nos, habent conceptum perfectum unum, cur ad rationem. Illius boni etiam ita analogam, in quantum habet conceptum perfectè unum, non poterit terminari amor, cum de omnibus illis, prædicetur vere quoad rem, Ratio boni, neque enim bonum de illis dicitur ac Lycanis, de sidere & animali.

Ratio II. Est. Potest Intellectus apprehendere Terminum, non tantum ut est pars cõpositiva propositionis, sed stando in illo; potest item enunciare propositionem, & non versari circa illam, ut est præmissa & pars compositiva syllogismi: Ergo & voluntas poterit versari circa bonum, non tantum ut habet rationem finis vel medii, sed etiam secundùm se, volendo illud.

Ratio III. Est Mastrii. Conjugatus per modum simplicis complacentiæ amat bonum castitatis, nec movetur ad eligenda media, quibus illud bonum assequatur, potest item illud bonum castitatis amare sub ratione boni utilis, ita tamen, ut non eligat illud, tanquam medium ad aliquem finem, Ergo potest aliquod bonum amari abstrahendo à ratione medii & finis.

Proponendæ restant objectiones quæ probant malum quà malum posse amari.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur I. Si malum qua malum est, non potest amari, non potest fieri meritum, & demeritum, quia si proponatur intellectui, occidere malum est, vel potest illud voluntas velle vel non potest; si non potest: Ergo non potest demereri, si potest, Ergo potest amare malum quâ malum.

Respondetur. Ad rationem demeriti sufficere voluntatem mali apparentis, licèt vestiatur formalitate boni, v. gr. vindictæ apprehensæ, tanquam bonæ.

In-

INSTABIS I. Nisi dicatur oppositum; non poterit salvari distinctio peccati commissi ex malitia, ab aliis peccatis.

RESPONDETUR. Hanc distinctionem desumi ex eo, quòd peccetur cum plena advertentia, & tamen non instigante excessivè appetitu sensitivo. Rursus quia in peccato ex malitia intenditur ipsamet formalis malitia relucens sub formalitate mali, vestiti tamen ratione boni, ut faceret qui blasphemaret ex malitia; eò quòd blasphemia sit malum extrinsecum Dei, & ipse apperit hoc malum; irrogare Deo.

INSTABIS II. Si non potest odio haberi bonum qua bonum, & amari malum qua malum; tunc peccator odiendo Deum, deberet illum odisse tanquam malum; si odit illum tanquam malum, omnis peccans erit Hæreticus, quia dicere: Deum esse malum, est hæresis.

RESPONDETUR. Dicere Deum malum, adimendo illi bonitatem est hæreticum, sed dicere esse malum; hoc est esse impedientem bonum delectabile peccaminosum, non est hæreticum, hoc autem solum fieret in præsenti.

OBJICITUR II. Libera est voluntas nostra, Ergo poterit amare malum qua malum.

RESPONDETUR. Ad libertatem solùm spectare elicere vel non elicere vel non elicere actum; sed non spectat ad libertatem odium boni.

OBIICITUR III. Potest voluntas odisse malum per nos, non per respectum ad oppositionem bono, Ergo etiam poterit inimico malum appetere, sine respectu ad bonum, quod habet ex malo illius.

RESPONDETUR. Nullum absurdum sequetur & nulla ratio in oppositum, si dicatur Antecedens, dicta autem contra consequens, obstant eidem.

INSTABIS. Si non potest malum qua malum quisquam appetere inimico nisi sub formalitate boni, quod inde percipitur, sequitur odium illud non esse odium sed actum concupiscentiæ.

RESPONDETUR. Spectata malitia, quæ apprehenditur in Persona inimici, nõ est illic actus concupiscentiæ sed odii, spectato autem malo, quod apparet tanquam bonum, in vindictam, Concedo secundùm hunc terminum, esse illic actum concupiscentiæ & prosecutionis.

Attingo rationes quæ ostendunt bonum amari debere non nisi sub ratione finis vel sub ratione medij prout etiam eas sibi opposuit Mastrius.

OBJICIT I. Cajetanus apud Mastrium. Quando intellectus repræsentat bonum, abstrahens à ratione finis vel medii, nihilominus illud bonum à parte rei, & in esse exercito, aut est propter se, aut propter aliud. Ergo & voluntas in actu exercito, non potest habere actum amoris, qui neque sit finis neque medii.

RESPONDETUR. Alia est hæc propositio bonum in actu exercito à parte rei vel est finis vel medium; & alia hæc, in actu exercito attingendi, vel attingitur ut medium, vel ut finis, prima propositio, conceditur esse vera, fortè enim (de quo aliàs) id bonis, non semper, saltem de se, sed dependenter à prævia notitia; libertateque assumentium competit, sed secunda propositio est falsa. Hinc dicimus, quòd quando amat voluntas bonum, amat quod à parte rei vel est finis vel medium in actu exercito. Falsum tamen est, quòd in actu exercito attingendi, attingatur illud, non nisi vel sub formalitate Finis, vel sub formalitate medii.

INSTAT IDEM. Per nos illud bonum præscindens amabitur non propter aliud negativè, hoc autem sufficit ad rationem finis.

RESONDETUR Negando; id sufficere ad rationem finis; cum enim ratio finis sit respectiva, & ratio illa negativa, non sit respectiva, hoc ipsa, non habet rationem finis formaliter, illa ratio amati propter se; negativè. Addit Mastrius, sicut ad rationem medii non sufficit amari propter aliud negativè, imò non stant secũ amari negativè & propter aliud, Ergo etiã & ratio finis amati propter se, non erit ratio amati, negativè, ut ita, sicut proportionantur inter se finis & media, ita proportionentur amores.

OBJICITUR. II. Auctoritas Aristotelis ex secundo Physicorum 729. 3. Ethicorum capite primo. Primi Ethicorum capite septimo.

RESPONDETUR. Sed in illis locis, amor boni propter se, potest sumi & positivè, sicque competit fini; & negativè, & sic competet amari, etiam ei, quod non est finis. Consequenter omne bonum aut amabitur propter se aut propter aliud, propter se dividendo in positivum & negativum; & hoc amari propter se negative competat rationibus illis boni; præscindentibus à ratione finis & medii vel propter aliud, & competet mediis.

INSTABIS. Omne bonum aut est honestum aut jucundum, aut utile; si utile, est medium, si jucundum vel honestum, est finis.

RESPONDETUR. In reomne bonum est aut utile aut honestum aut jucundum Concedo, sed hoc non obstat, quominus detur ratio communis boni, ad hæc tria, adeoque ratio appetibilis.

OBIICITUR III. Intellectus assentitur objecto vero, vel propter se & hoc erit principium, vel propter aliud, & hoc erit Conclusio. Ergo & voluntas pariter amabit objectum, vel propter se, vel propter aliud.

RESPONDETUR. Etiam Intellectus interdum versatur circa objectum propter se positivè, & hoc est principium, & propter se negativè, ut cum format simplices apprehensiones veras v. gr. termini hujus Homo: hinc & voluntas poterit amare objectum propter se, & positive & negative.

INSTAT. Sunt ista Cõtradictoria appetere propter se & propter aliud, & etiamsi essent contraria, esset tamen ista oppositio immediata & denotaret hoc, aliquam negationem consequenter, nempe non relatè ad aliud, appeti aut saltem ille amor boni, propter se negativè erit actus in individuo indifferens.

RESPONDETUR. Amari propter se & propter aliud non sunt contradictoria, hinc poterit alicui actui, neutra pars convenire. Ex oppositione immediata nihil argui potest, nisi ulterius illa explicetur, quia immediatè opponuntur frigus & calor, nigredo & albedo, & tamen potest aliquid esse nec frigus nec calor, nec nigredo, nec albedo. Et licètquidẽ supra omnia positiva fundentur negationes aliquæ, negativæ, tamen non fundent necessario alias negationes cum autem propter se attingi in præsenti sit formaliter negativa, non erit necesse, ut fundet aliquas negationes, inferentes appeti illud bonum, tanquam finem. Non erit tamen, ille actus, attendens ad rationem boni secundùm se, actus indifferens in individuo, erit enim de facto bonus, quia debitè versans circa suum objectum.

OBJICITUR IV. Actus ille erit actus humanus, Ergo necessario debet esse boni ut finis, quia actus humanus, est propter aliquem finẽ.

RESPONDETUR. Omnem actum esse humanum propter finem non illum relativum ad media, sed propter finem, hoc est motivum & objectum.

OBJICITUR V. Omne bonum ab intellectum repræsentatur vel secundùm propriam bonitatem vel secundùm alienam. Si primum, est finis, si secundum, ergo est medium.

RESPONDETUR. Actum illum fore propter bonitatem propriam, sed non relatè ad media, adeoque non erit propter finem rigorosè.

DIFFICULTAS II.

De dependentia volitionis à cognitione.

INvestigando naturam voluntatis, necesse est investigare, etiam causas ejusdem, circa quam difficultatem, præcipuum est, investigare connexionem volitionis cum cognitione.

Punctum Difficultatis I.

An cognitio sit principium effectivum volitionis, & An imperet voluntati Intellectus? &c.

Quoad primum.

ASSERO I. *Cognitionem non esse principium effectivè concurrens ad voluntatis actus.* Est assertum Suarii utriusque, Vasquez Arriaga & Oviedo contra Molina, Salas, Fonseca.

RATIO I. est Quia sicut entia, ita & causæ, non sunt multiplicandæ sine necessitate & fundamento, nullum autem est fundamentum, tribuendi concursum effectivum cognitioni, respectu actuum voluntatis.

RATIO II. EST. Quia reliquarum potentiarum actus, non principiantur effectivè, ab actu, alius distinctæ potentiæ. Ergo nec actus voluntatis, principiabuntur ab actu cognitionis.

RATIO III. Quia actus cognitionis si effective produceret actum volitionis, deberet se per modum potentiæ habere, nam efficiens omne, habet se per modum potentiæ, ad suum effectũ. Non potest autẽ ille actus, habere se, per modum potentiæ ad actum volitionis; quia vel se haberet per modum potentiæ permanentis, vel per modum potentiæ transeuntis. Non primum, quia potentiæ permanentes, sunt aut identificatæ realiter animæ, aut si sunt ab illa distinctæ realiter, perpetuant tamen cum anima, actus autem ille, est transiens; non etiam ille actus est principium transiens, quia ne multiplicentur principia etiam transeuntia sine necessitate, potiùs illa efficientia, tribui deberet intellectui, & non intellectioni. Deberetque illa intellectio producens volitionem, potius appellari, & esse ipsamet voluntas. Quia sicut quod producit intellectionem per modum potentiæ, si non teneat se ex parte objecti, intellectus vocatur, ita & ille actus, si producit volitionem, debebit appellari voluntas.

DICES. PRIMO In oppositum esse paritates quasdam Theologicas.

PRIMA PARITAS. Verbum Divinum est actus intellectus & producit spiritum sanctum, qui est actus voluntatis.

RESPONDETUR. Si hoc sensu dicatur VERBUM Divinum esse actus intellectus, quia est terminus respondens Intellectioni paternæ, vera est propositio, sed ex illa nihil sequitur Contra Nos. Si autem dicatur verbum Divinum, esse actum Intellectus, qui sit actus secundus Intellectionis paternæ, falsa est Propositio, quia verbum non est actus secundus Intellectionis patris, sed terminus ejusdem, præsupponiturque hic actus secundus, tanquam principium Quo, variè per Theologos circumscriptibile.

Deinde non tenet etiam Paritas: quia cum in Divinis, nullæ dentur potentiæ, physicè & rea-

realiter ab Actu secundo distinctæ, & tamen dentur producta, benè illorum productio, actibus ipsis secundis tribui poterit, in req; ipsi actus secundi, erunt potentia, & ita volitio divina actualis, erit ipsamet volitiva seu voluntas divina; Quia autem datur in creatis, distinctio realis volitionis à voluntate, danturq; potentiæ reales, illis etiam tribui debebit actus, cùm autem actus intellectionis, non sit ipsamet potentia volitiva, fit, ut illi, non possit tribui productio volitionis in genere causæ efficientis. Deniq; ita Pater communicat naturam Divinam Verbo, ut etiam illi communicet virtualitatem spirandi, qua communicatione virtualitatis spirandi communicata, etiam à verbo spiratur Spiritus sanctus, quia autem intellectus, actui intellectionis, non communicat rationem potentiæ, imò respectu volitionis, ne quidem ipse intellectus habet, formaliter rationem potentiæ, ideo non sequetur, debere ab actu intellectionis creatæ, produci volitionem creatam.

II. Paritas est gratia excitans prout stat in illuminatione intellectꝰ concurrit effectivè ad actū voluntatis. Ergo & in præsenti idem dicendum.

Respond. Negando Antecedens, sed vel habitus, vel supplens defectū habitûs auxiliū supernaturale, concurrit effectivè ad illam volitionē.

Dices II. In oppositum esse paritates aliquas philosophicas.

Prima Apprehensio concurrit effectivè ad judicium, præmissæ item ad conclusionem. Ergò & intellectio concurret effectivè ad volitionē.

Respondetur negando Antecedens, hæc enim omnia causantur ab intellectu effectivè.

II. Paritas est. Electio medii pendet effectivè ab intentione, Ergo & volitio à cognitione.

Respondetur negando Antecedens, propriè enim electio pendet potiùs à voluntate intendente, quàm ab ipsa formali intentione.

III. Paritas est, Intellectus est potentia præstantior quàm sit voluntas & nihilominus dependet in cognoscendo à speciebus vel concursu objecti immediato, neq; est intellectus se ipso completus in intelligendo Ergo & voluntas, quæ est potentia ignobilior, compleri debet per principium coeffectivum, quod non aliud, est, nisi intellectio.

Respondet recentior Suarez. Disparitatem esse, quia cognitio est assimilatio objecti, si est assimilatio, concurrere debet aut objectum, aut ejus vicarium semen, species. Voluntas autem per assimilationem non operatur, consequenter non indigebit concursu ejus, quod vices suppleat objecti. Deinde non est certum ipsas species & objectum coeffectivè propriè concurrere ad notitiam principiandam. Sed posito etiam hoc concursu, non tenebit paritas; quia non concesso etiam concursu effectivo intellectionis ad Actum volitionis benè salvari potest incompletio voluntatis per hoc solum, quia nisi ponatur intellectio, non potest, in actum exire voluntas, rationeq; illius prærequisiti, incompleta voluntas erit, & hoc ipsum prædicatum, quod sit voluntas cæca, facit illam non æqualem intellectui, quamvis seipsa sit potens, sine distincto comprincipio, ponere suum actum naturalem.

Salvabitur autem concursus objecti etiam ad volitionem, non eo sensu, quod effectivè concurrat ad illam per cognitionem, sed concurrendo terminativè id est terminando volitionem.

Dices III. Omnis causa universalis, ut causet particulare effectum, debet determinari ab alio comprincipio effectivo, ut patet in intellectu, qui determinatur à speciebus, quod etiam comperit sensibus. Sed voluntas est etiam universalis causa. Ergo etiam & illa indigebit determinari, hæc autem determinatio non tribuitur alicui alteri, quàm intellectioni.

Respondetur. Majorem veram esse de causis necessariis non de liberis, & sic, quia nulla alia causa est libera nisi sola voluntas, fit ut aliæ causæ universales comprincipio indigeant, non tamen illa; quia cum sint indifferentes, & non habeant dominium actionis, necessariò non possunt à se determinari, sed aliunde determinari debent. Jam autem causæ liberæ, quamvis sint indifferentes, habent dominium agendi, hinc à se ipsis ad agendum, in circumstantia requisitorum, determinari possunt. Rursus si causæ sint universales, æquivocæ, indigebunt illo determinativo, & quidem coefficienti, quia non esset ratio, producendi hunc talem effectum; & ita, cum sol & homo, generant hominem, non posita generatione activa ab homine profecta, non esset ratio, cur sol prodiret in actum generandi hominis. Quamvis autem intellectio non concurrat effectivè ad productionem volitionis, sed se habeat nonnisi per modum necessarii prærequisiti, sufficiens erit ratio producendi actum voluntatis, voluntas, actu intellectûs illuminata. Concesso quod per cognitionem specificetur volitio (potiùs enim specificetur per suum objectum) non esset adhuc necesse, illam cognitionem efficaciter concurrere ad volitionem, quia termini specificant relationem, actus item potentiam, nec tamen ista specificativa, concurrunt effectivè ad id quod specificant.

Assero II. *Cognitionem influere in volitionem per modum efficientis impropriè.* Ratio, Quia influit per modum illuminantis, & eo modo, quo præmissæ in conclusionem, quam rationem influxûs, appellavimus in Logicis, efficientiam impropriam.

Quoad II. Supponendum est Thomistas aliquos, ante volitionem, requirere imperium quoddam intellectus, quod imperet voluntati positionem volitionis, quod imperium, sit æquivalens his terminis; fac hoc; & quidem aliqui censent hoc imperium esse distinctum ab apprehensione, judicio & discursu, *ut hoc resolvatur.*

Assero I. *Si detur imperium, quo imperet intellectus voluntati positionem volitionis, illud imperium necessario debet esse aliqua ex illis tribus operationibus.*

Ratio, Quia nulla est cognitio, quæ non sit aliqua ex illis tribus operatio, ut docet Philosophia, beneq; illud imperium si detur, revocari poterit ad judicium.

Assero 2. *Non dari tale imperium.* Tum quia tolleretur tunc libertas, quia tolleretur judicii ad operationem deservientis indifferens propositio, quod ulterius sic proponitur. Illa judicii determinatione posita, vel potest non operari voluntas, vel non potest non operari, si hoc secundum dicatur, tollitur libertas; Si primum: Ergò non est illic imperium, omninò operare, cùm possit non operari. Tum quia si datur illud imperium significabile his terminis, fac hoc omninò, etiam voluntati debebit proponi, quod hoc debeat facere omnino, nam nisi hoc proponatur voluntati, non sciet de illo imperio, si autem hoc concedatur: Ergo ante volitionem Objecti delectabilis prohibiti, præcedet assensus, quod debeat illud objectum prohibitum omnino amari, istud autem omnino, quomodo erit omnino, si liberum est voluntati non operari, quomodoque peccabit voluntas, si illi proponitur, omnino hoc faciendum esse.

Respondebis 1. Quod illud imperium dependenter à voluntate fiat.

Contra est. Quia si dependenter à voluntate fit illud imperium, illi ipsi volitioni vel prævit tale imperium ab intellectu factum, vel non prævit, si prævit dabitur processus in infinitum, si non prævit: Ergo nec aliis voluntatis actibus præire debebit. Deinde si dependenter à voluntate illud imperium fit, quæro, illo imperio posito, vel potest non operari voluntas, ad quid ergo ponetur, vel non potest non operari: Ergo per illud tolletur libertas. Deniq; si illud imperium possit non requiri, sed salvari totum, per meram prælucentiam & illuminationem ponibilem ab ipsamet intellectione, de qua prælucentia quod detur constat, ad quid exigitur illud imperium.

Respondebis 2. Ideo illud imperium dependenter fieri à voluntate, quia postquam propositum est voluntati objectum, potest voluntas sinere, ut ab illo objecto moveatur, vel non sinere; quòd si sinat se moveri ab illo objecto proposito, tunc primùm accedit illud efficax imperiũ.

Contra est, quia intellectus non potest scire, quod sinat se voluntas moveri, nisi se moveat voluntas, unde quærendum est quando sinit se moveri voluntas, vel se movet suo actu aliquo, vel non se movet actu aliquo, si non se movet actu aliquo, quomodo illud, quòd sinat se moveri voluntas, cum non se prodiderit, noscet intellectus, si autem illud sinere prodit aliquo suo actu voluntas, restat quærere, ille actus voluntatis vel dependet ab imperio, vel non dependet, si non dependet, nec reliqui dependebunt, si dependet: Ergo concedis processum in infinitum, & ante primum actum voluntatis, concedere debitis alium actum voluntatis, utpote cum concedas etiam ad primum actum voluntatis, imperium intellectus formatum. Rursùs posito illo sinere, vel non potest non moveri voluntas, & sic consequentes actus erunt necessarii, adeoque nec meritorii formaliter, si autem illo sinere posito, potest non agere voluntas, cui usui illud imperium.

Dices, interrogatus aliquis quare amet. Respondet, quia judicio esse amandum: Ergo apparet judicium illud præcedere.

Respondetur. Concedimus quidem, quod illam volitionem præcedat judicium, sed negamus, quòd præcedat per modum imperii efficacis.

Punctum Difficultatis 2.

Qualis notitia sit necessaria ad actum voluntatis rationalis?

Procedet difficultas de eo, an prælucente solâ cognitione sensitiva, possit subsequi appetitio spiritualis & rationalis, universaliterq; qualis requiratur cognitio, ad volitionem ponendam.

Assero 1. *Etiam ex simplici apprehensione sequi potest volitio*; *Ratio*: quia apprehensio sensitiva quâ talis, stat sola apprehensione, & tamen illam apprehensionem, sequitur appetitio sensitiva: Ergo & apprehensionem rationalem, poterit sequi appetitio rationalis; & certè multi motus primò primi: videntur non habere aliud, quàm simplicem apprehensionem, sibi prælucentem.

Assero 2. *Ad hoc ut voluntas modo perfectiori operetur, indiget judicio*, quod decernat de possibilitate finis, mediorum, connexione cum fine.

Ratio; quia hæc omnia ad judicium spectant, & quibus nonnisi positis, prudentes censentur homines, & ex judicio adeoque perfectè egisse; Expressè etiam docet Amicus quod ad liberum motum, non sufficiat cognoscere objectum, sed necessarium est cognoscere utramq; partem, comparareq; inter se, quæ comparatio ad judicium spectat.

Difficilius est determinare, *an cognitionem solam sensitivam seu phantasiæ, sequi possit volitio*, & quidem non est tantum dubium, an possit sequi volitio meritoria vel demeritoria, eò quòd ad meritum, non pauci requirant considerationem honestatis vel inhonestatis objecti, quâ talem, cum tamẽ ad honestatem, non pertingat cognitio sensitiva; sed Major est difficultas: An possit quæcunq; alia volitio sequi. Negat uterq; Suarez præcipuè recentior, Tractatu 2. de Causis disp. 8. Sect. 3. Vasquez, Cajetanus & alii. Affirmat Amicus Tomo 3. disp. 5. sect. 2.

Expendendæ sunt Rationes utriusq; Partis.

Affirmativæ partis

Prima Ratio est, Auctoritas S. Thomæ, qui ima 2dæ quæst. 10. art. 3. ad 3. docet voluntatem moveri, non solum à bono universali apprehenso per rationem, sed etiam à bono apprehenso per sensum.

Respondetur. Sanctum Thomam hoc solum velle, quòd voluntas non tantũ bonum universale & spirituale amare possit, sed etiã bonum parti-

particulare, & sensibus subjectum, nõ dicit autẽ quod voluntas à sola notitia sensitiva moveatur.

Secunda RATIO est, impediat Deus omnem cognitionem intellectualem de bono sensibili, & maneat sola cognitio sensûs, tunc poterit moveri voluntas à bono, sola cognitione sensitiva apprehenso, nam accedens illi cognitio intellectualis, non variat priorem notitiam sensitivam.

RESPONDETUR, accessu notitiæ intellectualis, non variari quidem notitiam sensitivam, sed nego illam sufficientem esse, vel illuminantem appetitum intellectualem; consequenter negabitur, sola notitia sensitiva posita, moveri voluntatem.

Tertia RATIO est, quam urget Amicus loco citato, Bonũ sensu apprehensum, est intra sphæram potentiæ volitivæ, objectum enim voluntatis est bonum cognitum: Ergo quacunq; cognitione fiat cognitum, ponetur intra sphæram voluntatis, præcipuè quia cognitio est tantum conditio approximans objectum. Ergo quodcunq; tandem principium cognoscitivum; illud objectum approximet, potest circa illud versari voluntas.

RESPONDERI potest, Bonum cognitione sensitiva apprehensum, esse intra sphæram potentiæ volitivæ, remotè, quia est id, quod potest velle voluntas, sed non est proximè intra sphæram volitivæ, ob defectum modi proponendi; Illa autẽ propositio, quòd voluntatis objectum sit bonum cognitum, si supponat cognitum quacunq; cognitione, petetur principium, hocque ipsum probandum erit. Nec obstat quod cognitio sit tantum conditio approximans objectum, neque enim ista approximatio debet esse materialis, qua ratione, perinde est, si ignem approximet Angelus, vel homo, vel brutum, sed debet esse approximatio formalis, adeoq; proportionata volitivæ potentiæ, quam proportionem servari inter cognitionem sensitivam & volitionem intellectualem non probat ratio adlata, & sicut notitia ab alio formata si in Petro poneretur, non excitaret illum ad appetendum, quia non habent inter se proportionem dependentiæ ab eodem principio, ita & notitia sensitiva, non excitabit volitionem spiritualem, propter improportionem in gradu Entis.

INSTAT Amicus: quod movet voluntatem ad operandum non est cognitio, sed bonum cognitione repræsentatum, eademque est bonitas delectabilis, à sensu proposita, & proposita à cognitione intellectuali. Ergo sub utraq; formalitate movere poterit.

RESPONDETUR: Quod movet voluntatem ad operandum, est bonum cognitum, sed cognitione proportionata, qualem proportionem, non ostenditur dari inter notitiam sensitivam, & volitionem spiritualem.

Quarta RATIO est. Per hanc doctrinam melius salvatur continua pugna inter partem superiorem & inferiorem, de qua ad Rom. 7.

RESPONDETUR. Illorum verborum potest esse hic sensus, quod bonum delectabile moveat sensum, quem motum prohibet voluntas superior, illuminata intellectiones spirituali, habita de Objecto sensibili.

Quinta RATIO est. Potest phantasma materiale concurrere cum intellectu agente licèt hic spiritualis. Ergo etiam poterit cognitio sensitiva concurrere, cum voluntate.

RESPONDETUR. Per nos Antecedens est falsum, posita illius veritate disparitas difficile assignatur. *Si enim disparitatem esse dicas*, quia ponitur adhuc proportionatum principium ponendæ speciei impressæ spiritualis, ipse intellectus agens, hîc autem non ponitur alia notitia proportionata volitioni spirituali, sed sola sensitiva.

Urgeri potest. Poni scil. proportionatum principium ipsam voluntatem: *Si dicas* disparitatem esse, quia habet intellectus vim elevandi phantasma materiale, in his principiis, ad ponendam speciem impressam spiritualem. *Sed urgerent oppositi.* Cur non habeat voluntas vim elevandi notitiam sensitivam.

DICES. Disparitatem esse. Quia nisi concedatur concursus hic phantasmati materiali, ad fabricandam speciem impressam spiritualem, non erit sufficiens ratio, quare determinetur Intellectus agens ad fabricandam hanc potius speciem spiritualem impressam; potest autem ostendi, per quid compleatur voluntas, ut hoc potiùs, quàm illud objectum amet, nempe notitia; sed redit difficultas, cur compleri non possit, per cognitionem materialem, cum similis completio concedatur phantasmati materiali, ideo standum potius erit negationi Antecedentis.

Partis negativæ

Primum Argumentum est, cujus etiam meminit recentior Suarez citatus. Ad causam finalem requiritur cognitio, quæ attingat convenientiã & proportionẽ mediorum cum fine, sed cognitio sensitiva, non attingit istam habitudinem. Ergo.

RESPONDETUR. Quòd aliquis quidem actus voluntatis requirat prædictam cognitionem proportionis, sed non omnis, cur ergo saltem ille, non erit contentus cognitione sensitiva.

Secundum Argumentum ejusdem est: Voluntas cum sit essentialiter appetitus rationalis, non potest moveri, nisi à cognitione rationali, adeoque ab intellectione.

RESPONDETUR. In Antecedente peti principium, dicerentq; oppositi appetitum hunc appellari rationalem, nõ ratione prælucentis notitiæ rationalis & spiritualis, sed ratione suæ Entitatis spiritualis, adeoque Entitatis rationalis, prout rationale opponitur materiali. *His expensis*

ASSERO 3. *A cognitione sensitiva, non posse connaturaliter moveri voluntatem, posse supernaturaliter.*

Ratio primæ partis asserti est: Quia connaturaliter appetitui rationali, respondet potentia rationalis cognoscitiva, hinc dicunt connexionem naturalem inesse, & ea intentione ab Autore naturæ dantur. Ergò etiam dicent connaturalem connexionem in operando; Rursus repræsentatio sensibilis objecti, est ita improportionata potentiæ spirituali, sicut dulce repræsentatum potentiæ visivæ, non sub ratione colorati; Non minus enim distant gustabile à visivo, sicut sensibiliter propositum, ab appetitivo spirituali & rationali. Denique cum ex una parte videamus objectum sensibile posse intellectualiter proponi voluntati, voluntatemque ipsam appellamus potentiam volitivam intellectualem, & ex altera parte natura quæ paucis contenta est, & non facit per plura, quòd potest facere per pauciora, supponendum est determinasse illam, ut volitiva rationalis, connaturaliter nonnisi à principio intellectivo moveri possit. Et sicut in sententia istorum, qui censent phantasma materiale concurrere ad productionem speciei impressæ, dicunt id fieri per elevationem, qua elevatur illud phantasma ab intellectu agente, sic in consimili hîc, tribui deberet elevatio cognitionis sensitivæ, ut moveat volitivam intellectualem, quàm elevationem à natura intendi, non est probabile, si supersit aliud, quòd non elevatum, ad idem præstandum, concurrere possit.

Ratio secundæ partis asserti est: Quia hoc non implicat contradictionem. Deinde tota ratio, cur id etiam naturaliter fieri non possit nulla alia adferri potest, nisi quia connaturalis est à proportionata cognitione moveri appetitum, cum tamen contra inclinationes naturales, possit procedere Deus.

Dices. Nequit intellectus cognoscere objectum sensibile, media cognitione sensitiva, etiam divinitus. Ergo nec voluntas illud velle.

Respondetur. Negando consequentiam, quia cognitio debet esse actus vitalis, ut supra dictum, consequenter debet proficisci nonnisi à principio, à quo dependet connaturaliter, sensatio autem, non dependet connaturaliter ab intellectu. Quia autem tota vitalitas cognitionis adhuc salvari posset, quamvis ferretur voluntas in objectum cognitione sensitiva propositum, ideo non repugnat divinitus ita operari voluntatem.

Punctum Difficultatis 3.

An voluntas possit ferri in incognitum.

Assero primò. *Non posse connaturaliter.*

Ratio. Tum quia axiomatis loco habetur, nihil volitum nisi cognitum. Tum quia id ordo naturæ postulat, nam ea intentione datur intellectus ab Auctore naturæ, ut illuminet voluntatem, nec esse ratio, cur ex non movente se, ad hoc objectū, transeat ad se movens ad hoc objectum, si non sit sufficiens mutatio, & hæc non apparet quòd alia possit esse, quàm propositio objecti: Tum quia experimur nunquam nos velle aliquid, quòd non cognoscimus, quis enim vult illud pomum, quod crevit hodie in horto Indico, de quo nullam cognitionē habet, & sicut quia experimur nunquam frigefacere calorem, inferimus, non posse connaturaliter illum nisi calefacere, ita quia nunquam experimur voluntatem ferri in incognitum, bene inferemus id non posse fieri connaturaliter.

Assero 2dò. *Non adferri ullam positivam contradictionem, quòd non possit voluntas ferri in incognitum.* Conantur eam adferre Vasq. & Amicus Tom. 3. disp. 5. Sat. 1. Ariaga hîc, & recentior Suar. in Phys. tr. 2. disp. 8. sect. 4. Affirmativam autem sententiam nempè quòd possit ferri in incognitum docent Conimbricenses Granado & Oviedo. Examinandæ sunt implicantiæ, harum enim solutio, est Ratio asserti.

Implicantiæ recensentur.

Implicantia I. Est, quam adfert recentior Suarez. Voluntas est potentia cæca. Ergo non potest tendere in incognitum, aliàs se exponeret periculo amplectendi bonum, pro malo.

Respondetur. Consequens esse verum, quòd voluntas non possit tendere in incognitum naturaliter loquendo, licet possit divinitùs. Rursus non apparet implicantia, cur non possit voluntas se exponere periculo errandi. Denique posset aliundè huic periculo occurri, determinante scilicet Deo, ut bonum quamvis incognitum, amet, oderitque malum, quamvis incognitum.

Implicantia II. Est, quam adfert Amicus & supponit imprimis auctoritatem Aristotelis ex 3. de Anima textu 54. Ubi docet appetibile non movere appetitum, nisi ut intellectum & imaginatum, quod alii exprimunt: Objectum voluntatis esse bonum apparens, quàm etiam doctrinam supponit Augustin. 10. de Trin. c. 1. quo supposito sic formatur implicantiam. Proprius modus operandi potentiæ appetitivæ, est, ut seipsam ad objectum moveat, ab ipso objecto mota vitaliter, sed hæc motio non potest fieri etiam divinitus, nisi media cognitione, eò quòd nullum objectum moveat vitaliter potentiam, nisi sit intra ipsum appetentem expressum. Ergo etiam divinitùs non potest ferri voluntas nisi in incognitum. Major probatur, quia per hoc essentialiter appetitus vitalis discriminatur à naturali, quòd vitalis non se moveat, nisi motus & illectus ab objecto, naturalis verò movetur, etiam non motus ab objecto.

Respon-

RESPONDETUR. Multa hic esse, quæ non demonstrantur, Major dici potest vera, si connaturaliter agat voluntas, non verò si agat supernaturaliter. Rursus non demonstratur, ex allato solùm principio, distingui appetitum naturalem à vitali, possunt enim condistingui etiam aliunde; quia scilicet innatus & naturalis, non deposcit præcognitum, etiam in statu connaturali, secùs appetitus vitalis. Rursus non demonstratur, esse impossibilis voluntas, quæ non nisi determinata à DEO agere possit, adeoque quæ non indigeat immediatè moveri ab objectis, per quod illa voluntas assimilaretur appetitui Naturali, dissimilaretur autem eidem appetitui, per hoc, quia posset principiare spirituales volitiones, tendentesque etiam in insensibilia. Rursus non demonstratur antecedenter ad volitionem, ab aliquo præexigito, qualis est Propositio objecti debere voluntatem nonnisi vitaliter moveri, quid enim implicat qualitas, quæ habeat hunc effectum in ordine ad complendam voluntatem, quem habet cognitio, certè per multos præderminatio est qualitas inanimis & tamen potest determinare voluntatem. Addo aliud esse vitaliter moveri potentiam suo actu, & aliud moveri per aliquid vitale, Concedo quod si DEUS per se ipsum immediatè vel per qualitatem superadditam determinaret voluntatem, non moveret per aliquid vitale, sed nego illa determinatione & completione posita, non posse se ab intrinseco movere voluntatem, adeoque vitaliter. Neque valet quod inferius subdit de ratione actus volitionis esse ut sit voluntarius & spontaneus, certè enim actus amoris beatifici, est actus voluntatis, & tamen non fit spontaneè sed necessariò, quod etiam contingit in motibus primò primis. Suppositum illud quod adfert ex doctrina Aristotelis, procedit non nisi de statu connaturali.

INSTAT Idem Auctor. Intellectus judicium ferre non potest de objecto non apprehenso, Ergo volitionem eliciet voluntas, de objecto incognito.

RESPONDETUR. Imprimis, non demonstratur Antecedens, cur scilicet prædictam apprehensionem supplere non possit concursus & determinatio ad immediatè eliciendum judicium & si quæ pro Antecedenti adferatur Implicantia, ea procedet de apprehensione, in quantùm identificata realiter ipsimet judicio, quia verò cognitio non identificatur realiter volitioni, fit, ut ex hoc titulo, non impediatur, quo minus possit esse volitio, sine cognitione.

III. IMPLICANTIA est, qua utitur Arriaga & est deducta à variis paritatibus.

PRIMA PARITAS est. Non potest amari malũ, si proponatur ab intellectu ut malum. Ergo voluntas non potest ferri etiam in incognitum.

RESPONDETUR. Quid sit sentiendum de Antecedente, dictum supra. Disparitas etiam adferri potest; Quia non est, quod suppleat rationem formalem quam intendit actus prosecutionis, nempe quod suppleat tunc rationem boni quam nata est prosequi voluntas; Jam autem haberi potest quod supplear defectum & cognitionis, quæ nata est præcedere volitionẽ, & hoc suppletivũ, erit aliqua determinatio divina

II. PARITAS. Non potest appetitus naturalis ferri ad rem non habentem in se bonitatẽ Ergo nec volitio potest ferri ad objectũ, non habens esse per intellectum, id est, quod non est cognitũ.

RESPONDETUR. Disparitatem eandem adferendo, quæ data immediatè.

III. PARITAS est, res non existens, nec divinitus operari Ergo nec incognitum amari, quia quod in physicis est existentia physica ad producendum, hoc in objecto voluntatis, est existentia per cognitionem.

RESPONDETUR. Peti principium, negatur enim requiri ad volitionem existentiam objecti per cognitionem. Disparitas adferri potest, quia si causa non existens causaret, hoc ipso existeret, esset enim causans, adeoque non esset nihil, Jam autem non hoc ipso, quia voluntas vellet, cognoscere deberet, cum in ipso velle, non includatur cognoscere, sicut in Ly esse causans, includitur, non esse nihil, adeoque existens.

IV. PARITAS Adferri posset. Spiritus Sanctus qui est Amor divinus, non potest procedere sine prævia cognitione Ergo nec volitio creata. Antecedens probatur; quia defacto ita procedit. Ergo impossibile est ut aliter procedat.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, imprimis, quia non licet argumentari à modo actuum & professionum divinarum, ad actus creatos, aliàs deberent actus nostri esse substantia, & iidem licet personarum distinctarum realiter &c. similia. Tũ quia, Nostra voluntas, naturaliter non potest agere sine Cognitione, consequenter nec divina agere potest sine Cognitione, & quia respectu nostri datur aliquod elevativũ, & extrinsecum determinativum, ad actionem internam ponendam, fit ut supernaturaliter velle possimus, sine ulla cognitione, quia autem respectu DEI, nullum datur Principium elevativum, aut determinativum extrinsecum ad ponendam processionẽ internam, fit ut processio spiritus sancti, non possit esse sine prævia cognitiõe. Tũ quia, si fieret processio spiritus sancti sine prævia ognitione, hoc ipso deficeret principium spiritus sancti productivum, nempe filius qui intellectione originatur, & est ipse, intellectio passiva & personalis. Cum autem principium volitionis productivum non sit cognitio, habebitur adhuc principium, si cætera adsint productivum illius volitionis poteritque esse volitio sine cognitione.

V. PARITAS. Non potest aliquid etiã divinitus videri ocularitèr sine lumine, Ergo ne potest esse voliti sine cognitione.

RESPONDETUR. Non probari Antecedens demonstrativè, & si probaretur, deberet assumi hoc principium, quod scilicet visio, sit actus perspicui, implicat autẽ esse perspicuum sine lumine, hoc enim se consequuntur, identificanturq; sibi perspicuum & illuminativum, seu habens lumen. Quia autem nõ identificantur sibi cognitio & volitio, fit ut sine se, esse possint, saltẽ divinitus.

Aliæ

Aliæ Implicantiæ.

MAstrius negat voluntatem etiam divinitus posse ferri in incognitum ut videre est hic disp. 7. Num. 120. ex quo desumitur.

IMPLICANTIA IV. Cognitio est necessaria voluntati, ut ea mediante, fiat ei objectum præsens. Cum ergo nulla potentia vitalis, sine Objecto sufficienter præsenti, valeat operari, nec poterit voluntas operari. Facit autem objectum sufficienter præsens voluntati, Cognitio.

RESPONDETUR. Non implicat ut potentia vitalis sine Objecto sufficienter præsenti operetur, sufficitque ut objectum habeat se terminativè ad actum, ad rationem autem actus terminandi, non est necessaria præsentia, quia nec existentia. Quando autem dicit Mastrius, quòd appetitivæ respondeat Cognitiva, & quòd id sit, non ex decreto DEI, sed ex indigentia orta ex Natura rei; id etiam non convincit. Quia concedo quidem juxta legem Naturæ, nõ posse esse volitum sine cognito, idq; ex indigentia orta ex Natura rei, sed nego hanc indigentiam esse insupplebilem & indispensabilem.

IMPLICANTIA V. Ex eodem est. Non potest dari potentia volitiva & non intellectiva, ergo neque potest dari volitio sine cognitione, qui enim est ordo in essendo, debet esse & in operando.

RESPONDETUR. Supposito quòd sit implicantia in antecedenti disparitas hæc inter alia dari potest. Quia si daretur volitiva sive intellectiva, deberet deposcere determinativum sui consimile, ac concedi deberet determinativum, Ut volitio fiat sine cognitione; nisi enim hoc determinativum ponatur, non erit ratio, cur hoc potiùs velit illa volitio, quàm illud, debebit ergo illa volitiva exigere illud determinativum, omne enim principium, exigit necessaria sua ad operandum, si autem illa volitiva, quæ non est intellectiva, deposceret aliud determinativũ, tunc illa volitiva substantia & non intellectiva, & non esset supernaturalis quoad substantiam ut supponitur, & esset supernaturalis quoad substantiam, quia secundum conditionem suæ substantiæ, deposceret illud determinativum, quod tamen determinativum, supponitur esse quid supernaturale, quæ autem substantia deposcit aliquod supernaturale, hoc ipso illa Natura seu substantia supernaturalis est.

INSTAT. Posita volitiva sine præcognito, & posito, quod volitio illa imperet, actiones aliarũ potentiarum, tunc ejusmodi actiones, deterioris essent sortis, quàm brutales: quia fierent & exercerentur modo cæco.

RESPONDETUR pluribus viis. Imprimis si quid evincit Instantia detur illi, quòd illa volitio, non posset imperare actus aliarum potentiarum, nè sint illæ deteriores actionibus brutorum. Rursus negatur, quòd talis operatio, foret deterior operatione bruti; Nam imprimis licèt illi volitioni non præluceret cognitio, posset fieri, quod ipsi illi operationi imperatæ, præluceret, vel si non requireretur hoc, ex eo adhuc non esset deterior operatione bruti, quia secundum Entitativam suam dignitatem, quàm accipit ab ipso principio, illam producente, quod principium est in Entitate ut supponitur nobilius, excederet adhuc operationem bruti, licet in aliquo prædicato, esset inferior. Et sicut Lynceus oculus, perfectius videt, & tamen visio quam operatur v.gr. Petrus, quoad aliqua perfectior est, utpote profecta à potentia nobiliori humana, ita & in præsenti idem dicendum.

Fundamenta Affirmantium.

ASSERO III. *Nullum dari fundamentum positivum, quod demonstrativè probet, posse dari volitionem sine Cognitione.*

RATIO ASSERTI pendet ex solutione argumentorum in oppositum.

PRIMUM ARGUMENTUM est, quo utitur Oviedo, voluntas pendet â cognitione tanquam à Conditione, jam autem Conditionis defectum, supplere potest DEUS.

RESPONDETUR. Non omnem Conditionem posse à DEO suppleri, quia approximatio partium unibilium, est sola conditio, ut ponatur unio & compositum, & tamen hanc conditionem, non potest DEUS supplere, non possunt enim dissita inter se, uniri, extrema compositiva, per multos etiam existentia causæ, est conditio ad operandum, & tamen hæc conditio, suppleri non potest. Non ergo præcisè ex hoc titulo, quia cognitio est conditio, sequetur posse illam suppleri, & sicut, tu dicis esse cognitionem esse conditionem supplebilem, ita & oppositi dicent esse insupplebilem, deberesque positivo argumento firmare, cognitionem esse conditionem insupplebilem.

ARGUMENTUM II. EST, quando concurrit habitus cum voluntate ad actum amoris, non est necesse, ut habitus sit cognoscitivus. Ergo etiam quando voluntas concurret cum omnipotentia, non erit etiam necesse ut habitus sit cognoscitivus.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam, quia cùm certum sit aliunde, habitum esse qualitatem inanimem, etiamsi constet illum requiri, benè inferetur, non debere esse cognoscitivum, hinc ab eo quod operatur naturaliter non cognoscendo, non valebit, consequentia ad potentiam, quam constat, saltem naturaliter operari non posse sine cognitione, quia autem ipsa cognitio, est cognoscitiva ut Quo, aliunde eq; cẽsetur esse requisita naturaliter ad volitionem, adferre deberes positivũ argumentũ, probans, in actu

actu extraordinario, illam non requiri. Et certè minor est connexio habitûs, cum actu amoris, quam cognitionis cum volitione, potest enim esse amor naturaliter, sine ullo habitu, non potest esse volitio sine cognitione, & tu nec dum probas connexionem hanc cum cognitione, non esse indispensabilem.

ARGUMENTUM III. Est ejusdem Oviedo. Qualitas quæ est volitio, potest uniri lapidi Ergo eodem modo potest eam DEUS infundere voluntati.

RESPONDETUR. Non de hoc quæstionem esse, an possit in aliquo subjecto, aliunde translata, fieri volitio, non transferendo cognitionem, sed de hoc; An possit esse volitio, in eodem subjecto, quam, non præcedat Cognitio, unde quia adhuc illam volitionem, à Petro formatam, & divinis positam in Paulo, præcessisset cognitio Petri, adhuc non esset volitum incognitum, adeoque adhuc hoc fieri posset; Cujus oppositum contingeret, si esset volitio sine cognitione.

Deinde, quia non est bona argumentatio à Causa materiali seu subjectiva, quæ quia talis, nullam cognitionem requirit, ut instantiis probatur, ad Causam efficientem qualis est voluntas, quæ in suo efficere, quod non sit alligata essentialiter dependentiæ à cognitione, nullum positivum adfers fundamentum. Rursus naturaliter potest recipi aliquid in voluntate, quin receptum cognoscat voluntas, & sic non cognoscit habitus, quos recipit, & similia, è contra autem nihil vult voluntas nisi cognoscat. Da ergo positivum fundamentum, quòd non sit indispensabilis ordo, secundum quem cognitio, præcedat volitionem.

ARGUMENTUM IV. Est. Potest Conservari volitio sine cognitione Ergo, & produci.

RESPONDETUR. Retorquendo argumentum, potest conservari effectus & quidem naturaliter, sine Causa, Ergo & produci sine existentia Causæ. Et certè dantur aliqua Entia, quæ ad primam productionem exigunt plura, quàm ad sui conservationem, & ita aqua, non calefit, nisi admoveatur ignis, quo tamen amoto, conservatur calor. Deinde conservata volitione, non conservata cognitione, adhuc salvatur Axioma; Nihil volitum nisi cognitum; quod Axioma non salvatur, si primo producatur volitio, sine cognitione.

ARGUMENTUM V. Est à Pari.

PRIMA PARITAS est. Potest DEUS elevare voluntatem ad producendam gratiam sine prævia cognitione, Ergo & ad producendam volitionem.

RESPONDETUR; Quia illo priori posito, nullum convellitur principium philosophicum, ideo benè admitti potest, convellitur autem si dicatur, volitionem esse sine cognito; Deinde cum nec vitaliter, nuiloque modo naturaliter producatur gratia, non habetur ullum fundamentum, nexus inter cognitionem & productionem gratiæ; Quia autem vitaliter producitur volitio, danturque nexus naturalis inter volitionem & cognitionem, hinc nisi in oppositum adferatur, experientia, auctoritas, vel positivum fundamentum, standum est, non posse fieri oppositum, etiam divinitus.

Hæc responsio ad omnes fermè alias Objectiones præ oculis habenda, quæ sic proponitur. Scientiæ nostræ omnes incipiunt à sensibus, paulatimque devolvuntur ad rationes altiores, & abstructas, & quod in externis est notitia sensuũ, hoc in internis, est ipsamet experientia; sicut ergo in istis quæ experimur sensibus, quando auctoritas in oppositum non accedit vel ratio convincens, dicimus, non posse aliquid etiam divinitus fieri, & ita quia experimur radium solarem esse lucidum, dicimus radium solarem nè divinitus quidem posse non lucidũ quia experimur colorem rubeum talem habere colorem, inferimus, nè divinitus quidem, posse habere non talem colorem & sic de reliquis, quæ omnia stabiliunt hanc Propositionem. Quæ experimur sensibus, si oppositum auctoritas vel ratio non probet, accedatque ad hoc insuper sensus communis Auctorum, illud nè divinitus quidem fieri posse putandum est. Cum autem experientia interna, æquivaleat experientiæ sensuum, experiamurque nos nihil velle, nisi Cognitum, arguendum erit, etiam divinitus hoc non posse fieri, nisi auctoritas, vel ratio positiva oppositum suadeat, & si hæc regula non teneatur, dabitur ansa errandi in omnibus Materiis, negandi v. gr. quod figura & quantitas sit idem, Ens & Entitas &c. similia.

II. PARITAS Est. Potest objectum videri, & non præsens, Ergo & appeti, non præsens per cognitionem.

RESPONDETUR, Disparitatem esse quia absentiam objecti, potest supplere species impressa, & ipsamet species expressa, defectum autem cognitionis, non apparet quid supplere possit, salvans illud Axioma, Nihil volitum nisi cognitum.

III. PARITAS, est, suum actum vult voluntas, non prævia cognitione, Ergo & alia objecta velle potest, sine prævia cognitione.

RESPONDET Antecus, sicut vult non nisi implicite suum actum voluntas sic & cognitio illius est implicita, quia scilicet dum proponitur objectum appetendum, proponitur implicites appetitio actûs tanquam via ad Objectum. Deinde dici potest quod antecedenter ad volitionem non velit distinctè suum actum voluntas, sed nonnisi confusè, hinc fit ut nonnisi etiam confusè illum cognoscat, Quando autem dum illum exercet, actu reflexo eundem vult, intercedit tunc cognitio experimentalis ipsiusmet actus volitionis, fundans illam reflexam volitionem.

IN-

INSTABIS. Potest voluntas delectari de cognitione directa, non cognita per aliam reflexam, Ergo & de quocunque objecto, non cognito.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum; quia adhuc salvatur, quòd non sit quidquam volitum, nisi cognitum ut experitur, per notitiam experimentalem, ipse volens, suam volitionem; hoc autem non salvaretur, si sine prævia intellectione, vellet aliquid voluntas.

DISPUTATIO VI.

De Actibus voluntatis in particulari.

HÆc Materia multas habet difficultates, quæ hìc non possunt expediri, sed reliqua in Prima Secundæ tractantur, quanquam & hæ ipsæ, quæ hîc adferentur, à non paucis tractantur dicto loco.

QUÆSTIO I.

De Intentione & Electione.

PRÆMITTO I. *Post propositum objectum voluntati, primus est actus inefficax*, seu Complacentia, quem postea subsequitur actus efficax seu amor, Hic amor, attingit non restrictam aliquam rationem bonitatis, nam reliqui omnes actus prosecutionis ad restrictum bonum attendunt v. gr. desiderium ad bonitatem restrictam futuritione, & quia irrestricta sunt magis universalia, & universaliora, sint cæteris priora, fit, ut actus ille voluntatis, qui est amor, sit prior reliquis actibus prosecutionis. Et certè sicut actus reflexi, fundantur in directo, sic & actus alii prosecutionis, in amore, cum pro ratione reliquorum actuum prosecutionis reddi possit ipse amor. Et sic desideramus quia amamus, gaudemus quia amamus &c. similia. Amorem immediatè sequitur desiderium, quod est Causa, ut potentia, moveatur ad bonum, & est instrumentum boni, volentis trahere voluntatem, & hoc quidem desiderium, in quantùm attingit finem, vocatur Intentio, in quantum attingit media, vocatur Electio.

PRÆMITTO II. *Casu quo proponatur solum bonum ab intellectu, mereatur que amorem à voluntate elicitum, si non proponantur simul media, dupliciter se posse habere voluntatem.* I. Ut ex vi illius desiderii & illius actûs, quem pro tunc habet, parata sit eligere media, si sibi ab intellectu proponantur & tale desiderium appellari potest, non quidem formalis, virtualis tamen Intentio; vi enim illius actus, paratus est volens, exire in ulteriorem actum, qui constituat formalem Intentionem, censetur enim Intentio in illo actu ineluſa, tanquam in Causa, adeoque virtualiter.

II. Potest ita se habere voluntas respectu Objecti, ut vi illius desiderii, quod tunc habet, non sit parata procedere ad inquisitionem mediorum; & tale desiderium, nec formalis, nec virtualis intentio appellari potest.

PRÆMITTO III. *Dari posse aliquem actum voluntatis, qui sit Intentio Objecti obtinendi*, ut etiam adverit Oviedo, & tamen sit sine ulla inquisitione mediorum.

RATIO. Quia fieri potest, ut aliquis moveatur honestate actûs eliciendi, circa bonum honestum, quo casu, finis erit elicere actum illum, ad quem tamen finem obtinendum, non est necesse quærere media, quia ille actus, immediatè supponitur esse in potestate elicientis. Rursus fieri potest ut aliquis pro fine habeat ipsam intentionem eliciendam, sed ad intentionem eliciendam, non est necesse habere media, quia hæc non antecedunt sed subsequuntur Intentionem, vocari autem illum actum posse intentionem, inter alia ex eo docet Oviedo, quia scilicet inquireret media, si essent necessaria.

PRÆMITTO IV. *Intentionem in vi intentionis non constitui connotatione mediorum formali.* Hoc præmissum, supponit possibile esse, ut distincto actu finis appetatur, distincto media, adeoque quod sit distinctus actus intentio, & electio, supponit rursus, posito illo priori actu, posse DEUM denegare concursum ad electionem. *His duobus positis:*

RATIO Præmissi formatur. Ille actus prior vel est intentio, vel non, si non est intentio, nec accessu aliûs actûs, erit intentio, quia alio actu accedente, simpliciter jam prior ille desinit, si ergo non fuit intentio antequam desineret, neque erit intentio postquam desiit; si autem intentio, est intentio antequam accedat electio, Ergo intentio quà talis, non constituitur, ex vi formalis electionis, nec ex vi formalis connotationis mediorum.

RESPONDEBIS I. Ex accidenti hoc esse, quòd illic non sequatur electio, per se autem sequi deberet.

CON-

CONTRA EST. Quia non sequente per accidens electione, si adhuc essentia intentionis manet, Ergo apparet essentialem connexionem, non dici ab intentione cum electione formali, sicut si per accidens rationale hominis, non comitaretur risibile, benè inferretur, non esse risibile essentialiter connexum cum rationali.

RESPONDEBIS secundò. Cum intentio imperet electionem nonnisi tanquam connotatum, non est necesse tunc existere connotationem.

CONTRA EST. Quia falsò assumitur, quòd si exigatur electio tanquam connotatum, hoc ipso jam non sit necesse existere illud connotatum, certè enim tempus vespertinum exigitur à cœna tanquam connotatum, & tamen non potest esse cœna, sine tempore vespertino.

RESPONDEBIS tertiò. Sufficere ut intentio quantùm ex illa, sit apta necti cum electione.

CONTRA. Hoc adferendo, nihil dicetur contra præmissum, immo hoc vult præmissum, nam propter illam proximam aptitudinem nexûs, cum electione, ponitur ille actus in ratione boni, per modum finis amati. Casu autem, quo intendatur finis & advertantur in consequenti media ad illum finem esse impossibilia, involvetur tunc suo modo non quidem formalis, materialis tamen, eaque conditionata electio.

PRÆMITTO quintò. *Quid sentiendum sit de conditionata intentione.* Et quidem potest aliquid intendere voluntas sub conditione; Primò non ponendo actus illa conditione significatos, v.g. vellem tibi dare librum si peteres, quo casu actus sub illa conditione significatus, est volitio donandi, quæ hinc non est, sed esset si peteret, potestque hæc voluntas appellari conditionata ex parte actus & ex parte objecti. Secundò potest intendere aliquid & quidem efficaciter, ponendo ipsos actus illa conditione significatos, sed nonnisi intendendo objectum sub conditione v. g. dicendo: volo dare tibi librum, si petieris, quo casu, vult dare librum absolutè quoad Entitatem actus, habetque pro objecto dationem, sed conditionatam, sunt autem hi duo actus per hoc distincti: quia prior ille, pro objecto habet & volitionē dandi ponendam, & ipsam dationem libri, posterior autem habet pro objecto, nonnisi dationem libri. Deinde, quia ille prior potest negare, se habere volitionem dandi libri, sed tantùm, quòd habeat volitionem, de volitione habenda, dandi libri, secundus autem actus, importat esse volitionis. Tertiò uterque hic actus, vel potest esse circa conditionem possibilem, vel circa conditionem impossibilem, conditio possibilis, est conditio non repugnans, conditio autem impossibilis seu repugnans, adhuc est multiplex, aut enim est impossibilis in re, præsentatur tamen ut possibilis, & sic de illa discurrendum ac de conditione possibili, nam ita vestitum impossibile, meretur actus, quos aliâs meretur possibile objectum. Aliud autem est impossibilis conditio, etiam repræsentata ut impossibilis, quod adhuc dupliciter fieri potest; Vel enim est impossibilis moraliter, vel impossibilis absolutè, si repræsentatur ut impossibilis absolutè, & sub ratione impossibilis, tunc est ostensio, quod nolit aliquid fieri volens, ut si dicat, tunc tibi reconciliabor, quando Chymæra erit medicus. Si autem repræsentatur ut impossibilis moraliter, tunc ostenditur, non poni actum, posse tamen, licèt difficulter poni, ut si dicat aliquis inimico, cæteroqui homini inepto & indigno: Reconciliabor tibi, cum fueris Episcopus.

Cæterum impossibile, vel est tale, ut contineat in se aliquid possibilitatis actusq; ipse est ita energicus, ut extendat se, ad inclusa possibilia, vel certè impossibile est tale, ut nihil contineat in se, ad quod, tanquam possibile, possit se extendere actus. Prioris actus exemplum est: vellem te esse immortalem, ubi actus extenditur, ad possibiles plures annos, inclusos in immortalitate. Posterioris actus exemplum est, vellem te satiari Chymæra, qui actus ostendit, quòd nihil illum comedere velis sed semper famescere. Quomodo autem ad priorem actum revocetur; Vellem non peccâsse, actus ille solennis pœnitentium, de hoc tractatur in materia de pœnitentia.

PRÆMITTO sextò. *Intentionem non aliud esse, nisi desiderium efficax, consequendi finis* qui actus per efficaciam distinguitur à simplici complacentia. Non dico autem intentionem, debere esse volitionem efficacem consequendi finis per media propter adlata superiùs. Electio autem est volitio efficax mediorum propter finem intentum, quæ media, si in confuso nonnisi noscantur, erit electio imperfecta, si cognoscantur clarè, erit electio perfecta.

Porro de amore alicujus boni, dupliciter discurrere possumus? Primò in quantum est amor boni, qui nec formaliter vult media, nec virtualiter, virtualitate supra explicata. Hic actus versatur circa solam bonitatem objecti, nullo modo dici debet intentio. Tum quia non habebit jam, per quid constituatur in intentione, prout illa condistinguitur, formalitati amoris. Tum quia intentio qua talis, importat amorem boni, sub formalitate consecutionis, sed in illo actu, nihil est, quod bonum qua consequibile attingat, hoc enim ipso, non ad præcisam bonitatem attenderet. Tum quia intentio, est causa

electionis, actus autem prædictus, non est causa electionis, stat enim in solo amoroso attactu objecti. Hujus actus exemplum est, quo aliquis dicit Amo DEUM super omnia, hic actus distinguitur à simplici cõplacentia, quia simplex cõplacentia in Dei bonitate stare potest cum peccato, actus autem ille nõ potest stare. Per ipsam ergo talẽ efficaciam, distinguitur rectè à cõplacentia, distinguitur autẽ idem actus ab intentione, quia non versatur circa bonum, sub formalitate consecutionis, nec ullo modo promovet ad electionem. Per hoc tamen non nego, quòd ille actus, possit habere rationem finis, & intendi, adeoque desiderari, sed aliud est, an actus ille sit intentio & desiderium, & aliud, an actus ille, possit esse objectum desiderii & intentionis, & hoc solum in prædicto actu verificatur. Secundo spectari potest amor, in quantum est intentio finis per media consequendi, & ipsa etiam electio, in quantum est medium utile ad finem, & sic neutrum horum potest dari sine respectu ad invicem, important enim habitudinem ad se.

PRÆMITTO septimò. *Electionem formalem non posse esse sine actuali habitudine ad finem consequendum*, expressè id docet S. Thomas prima secundæ quæst. 8. ad secundam.

RATIO præmissi, quia illud medium, vel amatur amore tendente ad bonitatem quæ habetur in illo, vel amatur propter bonitatem, quam habet ad consequendum finem, si amatur propter bonitatem, quam habet in se, Ergo non amatur tanquam medium, sed tanquam finis, de quo hîc non procedit quæstio. Quod si amatur propter bonitatem, quam habet ad finem, Ergo amatur relatè ad finem, Ergo dicit habitudinem actualem ad finem. Deinde medium debet importare id, quod essentialiter dicit, sed medium quâ medium, essentialiter dicit habitudinem ad finem Ergo. His tanquam facilioribus præmissis sit

Difficultas I.

An eodem actu possit velle Voluntas Media & finem, æquè directè?

DICENDUM EST *affirmativè*. Est Conclusio utriusque Suares, Amici Tomo 3. disp. 5. sect. 1. Oviedi hic num. 3. contra Vasquez Ruiz & alios.

PROBATUR primò ab Amico. Quotiescunque duo ita se habent, ut unum sit ratio formalis primaria, propter quam cognoscatur vel appetatur aliud, utrumque potest eodem actu cognosci, sed ita se habent finis & media, Ergo. Majorem probat, quia illud quod est primarium, habet se tanquam ratio formalis, & quod est secundarium, tanquam ratio materialis, actus autem potest æquè primò in objectum materiale & formale cadere. Ita visio, æquè primò cadit in colorem & lucem, visio beatifica, æquè primò fertur in creaturas in DEO visas, & in DEUM tanquam objectum formale &c. & sicut intellectus potest, æquè primò in duo objecta tendere, sic & voluntas, cùm non minus circa suum objectum efficax sit & universalis voluntas, æquè ac intellectus.

PROBAT. secundò recentior Suares, voluntas eodem indivisibili actu amat finem Qui, & finem Cui, Ergo eodem actu, poterit amare finem propter se, & media propter finem.

Utraque hæc ratio probat, posse amari uno actu finem & media, sed non probant æquè primò posse amari. Paritas adlata ab Amico de sensibus, nihil evincit, quia non est sensuum indirectè attingere objectum, cùm tamen hoc competat intellectualibus, possetque etiam negari, æquè primò materiale & formale objectum debere attingi. *Hinc aliter.*

PROBATUR tertiò Conclusio. Potest intellectus formare hanc propositionem uno actu, hic finis & hæc media sunt bona, Ergo & voluntas eodem actu potest velle objectum illius propositionis, quia illud omne potest velle voluntas eodem actu, quod eodem actu, præsentare potest intellectus, cur non enim, sed ille actus intellectus æquè primò & æquè directè attinget utrumque, Ergo & voluntas eo casu, æquè directè appetet utrumque. Subsumptum probatur. Tum quia quodcunque potest adferri fundamentum, duo aliqua æquè ab intellectu concipi, illud probabit, etiam objectum hujus propositionis; hic finis & hæc media sunt bona, æquè directè attingi. Tum quia si in dicta propositione, non æquè primò attingerentur finis & media, id ideo esset, quia media seu electio, sunt quid causatum, intentio autem quid causans, sed id non probat, hæc duo non posse æquè primò attingi, quia Pater & Filius in creatis sunt causa & causatum, & tamen æquè primò utrumque nosci potest ex illo principio, Relativa sunt simul cognitione, & certè aliud est, aliqua esse æquè primum ex objecto, & aliud æquè primò cognosci, nec apparet ratio, cur aliquid æquè primò cognosci non possit, etiamsi non sit æquè primum, præcipuè cum illa notitia non sit affirmatura illud objectum, ex parte objecti, æquè esse primum. Tum quia illa non attinguntur æquè primò, quando unum attingitur

tur nonnisi ratione aliûs, sed hic nihil est, quod attingatur ratione aliûs, finis enim non attingitur ut propter media, media etiam non attinguntur ut propter finem. Quod ipsum probatur. Quia alia hæc est propositio, hic finis est consequibilis per media, & alia hæc propositio, hic finis & hæc media sunt bona, quarum diversitas ostendi non potest, nisi quia in priori media indirectè attinguntur, directè autem in posteriori, ad eum modum, quo distincta hæc est propositio, Pater refertur ad filium, & hæc, pater & filius referuntur ad se.

ADDO, Quando intellectus dicit: Hic finis est acquisibilis per hæc media, & hæc media sunt acquisitiva hujus finis, eo casu intellectus & finem & media bis cognoscit, nempe implicitè sub termino finis, indirecteque in Ly: per hæc media explicitè autem in termino; hæc media.

OBJICIUNTUR Primo *Paritates aliquæ.*

PRIMA EST. Assensus præmissarum, distinctus est semper, & præcedit assensum conclusionis, ergo & intentio distincta est semper ab electione.

RESPONDETUR. Antecedens imprimis falsum esse in discursu virtuali, in quo assensus præmissarum, non antecedit assensum conclusionis. Deinde dupliciter, quantùm ad præsens concipere possumus formari assensum præmissarum & conclusionis. Primo quòd dicat intellectus: assentior conclusioni propter præmissas, eo casu præmissæ, indirectè attingentur, sicut etiam cum dicit intellectus; hic finis est assequibilis per media, media nonnisi indirectè attinguntur. Secundo assentiri potest intellectus præmissis & conclusioni, quod fieri posse uno actu, probant dicta, & tali assensui respondet hic alius actus, qui dicit; hic finis & hæc media sunt bona, ubi etiam utrumque æquè primò attingitur. Denique adferri potest disparitas, quia scilicet de definitiva ratione syllogismi est, ut sit assensus uni directo objecto, propter aliud, seu, eò quod hæc sint, adeoque indirectè attactum. Jam autem non est de definitiva ratione finis & mediorum, ut non possit hic actus formari: finis & media, sunt bona.

SECUNDA PARITAS est. Non potest idem actus esse odium & amor, ergo nec potest esse idem actus intentio & electio.

RESPONDETUR, si res sit de diversis objectis, potest idem actus respectu diversi objecti esse amor & odium, & ita contritio formaliter odit peccatum, virtualiter amat Deum, circa tamen idem objectum, non potest idem actus esse amor & odium, quia verificarentur de illo duo contradictoria, nempè quod appetat objectum, & non appetat, nulla autem contradictoria ostenderur in actu de quo hic. Ex quo principio solvi etiam debet, quare non possit esse idem actus gaudium & tristitia. Aliam disparitatem dat amicus, quia scilicet odium & amor, gaudium & tristitia, supponunt in objecto, rationes objectivas oppositas, sed hæc disparitas non est plena, quia etiam alia est objectiva ratio, quæ est finis, & alia objectiva ratio, quæ sunt media, & tamen dicit amicus, ista uno eodemque actu attingi posse. Deinde quid magis oppositum quam ens & non ens, & tamen actu uno dicere possumus: falsum est, ens, esse non ens, ergo in eundem actum convenire possunt etiam objecta opposita.

Standum ergo prædictæ disparitati, & certè contritio adfert secum tristitiam de peccato, & tamen etiam adfert gaudium circa bonitatem divinam, quæ tunc virtualiter attingitur, possumusque gaudere de tristitia concepta ob DEum offensum. Quanquam dubitari posset de antecedenti, si ista restringatur. An scilicet, non possit dari unus actus, qui dicat una eademque sui entitate. Amo sub hac formalitate hoc objectum, odi sub hac.

TERTIA PARITAS est. Non potest idem esse causa & effectus, ergo nec idem actus est intentio & electio, quia intentio causat electionem, nec aliud est medium, esse volitum propter finem, quam volitionem medii, causari à volitione finis.

RESPONDETUR. Antecedens esse falsum in causa, & effectu, secundò producto, verum autem circa causam & effectum primò productum. Sed etiam Disparitas erit in præsenti hæc, quia causa & effectus primo productus, ut ex dictis alibi constat, debent esse distincta realiter, cum tamen possit esse distinctio nonnisi per rationem, inter formalitatem electionis & formalitatem mediorum, & si quæ in hac materia intervenit distinctio realis, illa non debet esse inter actus intendendi & eligendi, sed inter media ipsa & ipsum finem, inter hæc enim intercedit ratio verè causati, & veræ causæ.

OBJICITUR secundò. Consultatio non præcedit intentionem, præcedit autem electionem, ergo non possunt esse idem, intentio & electio.

RESPONDETUR. Posse imprimis fieri

ut consultatio præcedat finem, si scilicet plures simul fines proponantur. Deinde hoc argumentum saltem universaliter non concludit, quia fieri potest, ut si. Unicum sit tantum medium, consultatio illud non præcedat, quia hæc semper inter plures terminos versatur, quo saltem casu, poterit intentio & electio, in eundem actum coire. Rursus demus præcessisse actum intentionis successisseque consultationem, cur postea sequi non posset actus, qui sit repetitio intentionis, & simul electio.

QUÆRES, *quando non est idem actus electionis mediorum & intentionis finis, an tunc permaneat intentio.*

ASSERO primò. *Posse simul esse illos duos actus, durareq; intentionem dum fit electio.*

RATIO ASSERTI, quia plures etiam actus, voluntas simul ponere potest, cur non ergo, & hos duos habere.

ASSERO secundò. *Non est necesse, in se physicè existere intentionem finis semper*, quando ponitur electio.

RATIO, quia si esset hoc necessarium, esset necessarium propterea, ut intentio causet electionem, sed ad hoc non est necessaria existentia formalis intentionis, quia non est ullum fundamentum, concedendi vim causandi physicam, uni actui voluntatis, respectu aliûs, sed hæc tota causalitas, potest esse moralis, ut scilicet determinata per intentionem voluntas, procedat ad electionem; ad causalitatem autem moralem non est necessaria existentia physica, sicut merita Christi causabant gratiam in veteri testamento, nec tamen tunc existebant.

ASSERO tertiò. *Virtualiter debere semper, dum fit electio, existere intentionem.*

RATIO ASSERTI, quia aliàs non haberet voluntas determinativum ad electionem mediorum, idque sub formalitate mediorum, cum electio mediorum, quâ talium, sit suo modo relativa ad finem. Hæc autem virtus, potest esse memoria intentionis factæ, & ipsum exercitium electionis, cujus hic & nunc redderetur ratio: eligo, quia intendi.

DICES. Non sufficit præmissas esse in sui memoria, ad hoc, ut causent conclusionem, Ergo etiam ut causet intentio electionem, non sufficit illam existere in sui memoria.

RESPONDETUR Negando consequentiam. Disparitas est; Quia si ponatur sola memoria præmissarum sine assensu, non dabitur determinativum ad assensum Conclusionis, hic enim definitivè debet esse, eò quòd hæc sint, per quæ verba intelligitur assensus Conclusionis, propter assensum præmissarum; Jam autem non potest ostendi fundamentum, petibile ex ipsamet essentia electionis, quod non sufficiat sola memoria factæ intentionis, & virtualis jam supra explicatus influxus.

INSTABIS. Ex Oviedo hîc num. 14. Si illa electio immediatè principiatur à sola voluntate, sin circumstantia consultationis factæ, & in circumstantia repræsentationis quam facit intellectus, de præhabita intentione, sequitur posse efficaciter finem intendi, in ipso instanti, in quo est executioni mandandus, & non eligi medium ad talem finem necessariò requisitum. Quod ipsum probatur, si intentio efficax qua media confusè cognita amantur, non influit neque determinat voluntatem, ad electionem singularis medii, illa permanente, posset volutas medium non eligere, eodem modo, ac posset cessante prima intentione, non elicere aliam identificatam cum electione.

RESPONDETUR hujus difficultatis pleniorem solutionem petendam ex dicendis de necessitate vel libertate electionis. Supposito autem quòd necessitetur intentione efficaci voluntas ad electionem, & concesso nihilominus, quòd voluntas sola sit principium illius electionis, dici poterit; quòd spectata electione, penes solam voluntatem, quæ est potentia libera, posset non esse electio, spectata tamen propositione, quam facit intellectus, de intentione præhabita, necessitari voluntatem, eò quòd non plus energiæ habeat præsentia illius intentionis in sua entitate, ad determinandam voluntatem, quàm habeat illa cognitio seu memoria præhabitæ intentionis, quæ repræsentat intentionem jam factam, quia illius præsentia, in tantùm conferret ad determinandam voluntatem, in quantùm proponitur potentiæ volitivæ. Cum ergo utrobique sit repræsentatio intentionis, fit, ut non sit ratio, cur sicut præsens in se, & posita à cognitione, determinat, determinare etiam non possit, si sit præsens per cognitionem memorativam, præcipuè, cum præsens etiam non determinasset aliter, nisi media cognitione. Ut autem expendatur hoc punctum de libertate & necessitate electionis,

Sit.

DIFFICUL-

Difficultas II.

An sit libera vel necessaria electio, sequens intentionem efficacem.

Non est difficultas de inefficaci intentione finis, sed de efficaci, de qua quæritur: An libertatem relinquat voluntati ut ponatur vel non ponatur electio. Non relinquere libertatem docet communis sententia apud Oviedo hic punct. 3. & recentiorem Suarez citatum num. 90. Pro affirmativa sententia Medina suppresso nomine citat aliquos Doctores.

Punctum Difficultatis I.

Præmittuntur quædam.

PRÆMITTO primò. *Publicem electionem cogitari posse.* Primam quæ est inter plura media, in quorum electione, dicunt etiam oppositi, salvari libertatem. Quia liberum est voluntati, alterutrum ex his eligere, quamvis necesse sit ut eligat, unde admittitur hic, ab oppositis etiam, libertas contrarietatis, licèt non contradictionis. Secundò potest electio cogitari nonnisi circa unum medium, casu, quo finis ille, non sit, nisi uno modo acquisibilis.

PRÆMITTO secundò. *Quod electio formalis, possit versari etiam circa unum medium* ut docet Oviedo hic punct. 1. num. 9. cum utroque Suarez contra Vasquez. Quod ut explicetur. Advertendum est electionem duo dicere, primo unius præ alio acceptionem & hæc potest dici materialis electio. Secundò potest accipi pro eo, quando aliquid appetitur ob bonitatem, relatam ad acquisitionem alius, & hæc posterior ratio, est intrinseca electionis adeoque formalis. Quod ergo acceptio unius etiam medii sit electio.

RATIO est. Illud quod appetitur, & non appetitur propter se, appetitur propter aliud Ergo habet rationem medii Ergo volitio versans circa illud, erit electio, erit enim appetitio boni propter finem. Quando autem Aristoteles illud appellat eligibile, quod consultabile, loquitur de electione qualis est ut plurimum, in qua unum, præfertur alteri, vel loquitur de consultatione, per quam advertitur discretio illius medii, ab aliis, quæ non sunt hoc medium.

PRÆMITTO tertiò. *Ad pensandam præsentem difficultatem esse determinandum in quonam stat efficax intentio & in quo intentio inefficax.*

EXPLICANT primò aliqui, & dicunt: Nomine intentionis inefficacis venire intentionem non intensam & nomine efficacis intensam.

CONTRA EST. Quia sæpe est aliqua intentio intensa, & tamen inefficax, ut est in ægroto intensissime appetente sanitatem nolente tamen consentire in abscissionem membri, omnino necessariam ab sanitatem.

EXPLICANT secundò alii, & dicunt intentionem efficacem, versari circa objectum absolutum, inefficacem circa conditionatum.

CONTRA EST. Quia actus: vellem non peccasse, est conditionatus, & tamen in pœnitente efficax. Deinde non est ratio, cur circa objectum absolutum simplex complacentia esse non possit.

EXPLICANT tertiò alii & dicunt, intentionem illam esse efficacem, quæ necessario movet ad media.

HÆC EXPLICATIO supponit electionem non esse liberam, quod examinandum est. *Hinc*

EXPLICATUR DENIQUE quod illa potius intentio erit efficax, quæ connotat positionem finis, non dico quæ potest connotare, quia etiam inefficax intentio, potest id connotare & sic defacto inefficax intentio salvandi omnes homines, connotat posse salvari eorundem nec item dico intentionem efficacem, connotare media, quia intentio inefficax salvandi omnes homines, connotat positionem mediorum, hoc est gratiarum sufficientium, quæ sunt media ad hunc finem, qui est salus æterna & tamen illa intentio est inefficax, sed dico quod connotet actualem positionem finis.

RATIO explicationis, quia hæc explicatio convenit omni, soli & semper, intentioni efficaci, proceditque per prima, & sicut gratia efficax explicatur in ratione efficacis, per actualem positionem effectus gratiosi, ita & intentio efficax qua efficax, debet explicari, per actualem connotatam intentionem finis.

NEQUE VALET SI DICAS. Si aliquando non poneretur effectus à gratia efficaci, malè illius efficacia explica-

retur, per connotatum effectum. Ergo cum sæpe non ponatur finis efficacis intentionis, malè explicabitur, per connotatam positionem finis. Non inquam valet si dicas. Quia ad positionem effectus gratioſi non aliud est necessarium nisi ipsa gratia & operatio voluntatis, hinc sicut ipse effectus est efficaci sativus, ita & gratia efficax, importat eundem, sed quia ad positionem finis, præter intentionem efficacem, etiam alia sunt requisita, fit, ut sufficiat, quod à parte intentionis, non oriatur defectus ponendi finis, licet oriatur aliunde.

Punctum Difficultatis 2.

Expenduntur argumenta affirmantium libertatem electionis.

PRIMUM ARGUMENTUM EST. Quia si nulla esset libertas in electione, nullum etiam meritum, & sic qui martyrium subiret vi suæ electionis, nihil mereretur, sed sola intentione. Huic argumento variæ adferuntur responsiones.

PRIMA RESPONSIO EST. Scilicet fieri posse ut versetur electio circa plura media in quibus eligendis libertas adhuc erit.

CONTRA EST. Quasi quis damnatus ad furcam liberè eligeret, ex pluribus unum funem quo suspendi deberet, quid magnæ libertatis haberet, si necessitaretur ad eligendum aliquem. Deinde fieri potest ut sit nonnisi medium unum, v. g. in articulo mortis unum nonnisi medium contritio numquidnè jam illa censenda esset necessaria?

SECUNDA RESPONSIO EST. Quia scilicet electio libertatem habet, eò quòd fieri possit, hoc vel illo instanti.

CONTRA EST. Quia hæc responsio concedit aliquid difficile, nempe ratione substantiæ actus non esse tunc meritum, sed solum ratione circumstantiæ temporis, unde etiam non dicitur libere mori damnatus ad furcam, si detur ei licentia tantisper orandi, licèt ille pro sua libertate diminuat suam orationem. Est hæc responsio, refutata in simili, de Incarnatione, ubi de libertate Christi.

TERTIA RESPONSIO EST. Quòd actus electionis licèt non habeat libertatem, addat meritum, quia addit honestatem & distinctum motivum intrinsecum.

CONTRA EST. Tum quia supponamus quod post efficacem intentionem placendi DEO, infundatur prædeterminatio necessitans, vel adhuc erit meritum vel non erit? Si non erit, cur non? cum maneat idem morivum electionis, & tu ad meritum non requiris libertatem. Si autem erit ille actus meritorius, convelles communem Patrûm sententiam, ad meritum libertatem requirentium, nec sufficiet quod in ante intentione ipsa exercuerit libertatem; quia præcedens actus, non facit actum sequentem liberum, deinde per nos posita physica prædeterminatione, nonnisi post prævisum consensum nostrum conditionatum, adhuc tolleretur libertas ut alibi dicitur, nec antecessio libertatis, salvaret libertatem, ita & in præsenti. Et certè si aliquis liberè dixerit: liga me, & tamen volens postea religari, non possit id efficere, non pertinebit jam ad honestatem moralem, illum manere in vinculis, ita nec spectabit ad honestatem moralem, eligere medium, si necessitor ad illud eligendum. Tum quia si actus externus nullum habet meriti ut ita dicam primitivæ honestatis, quia caret libertate, ita nec habebit meritum illa electio, quòd enim illa electio proficiscatur à principio intrinseco, & à potentia libera, parum refert, si ipsa potentia, tunc liberè non operetur; & sicut quamvis externus actus habeat honestatem quadam externam, non auget primitivum meritum, quia caret libertate, ita nec electio habens internum motivum, augebit meritum utpote carens libertate. Tum quia antecedentia libera, qua volunt beati amorem beatificum, non facit illum meritorium idque ob defectum libertatis. Ergo nec antecedentia liberæ intentionis, faciet meritoriam electionem, si illa est necessaria. Hoc tamen argumentum, saltem universaliter non convincit: Hi enim quo dicunt actu externo nihil nos mereri, libenter concederent, ipsa intentione martyrii, nos mereri.

SECUNDUM ARGUMENTUM EST. Posita intentione efficaci, medium, circa quod est, illa electio, non ostenditur tanquam summe bonum ergo potest adhuc illud voluntas non eligere, consequen-

sequenter nec necessitatur ad electionem. Quod autem non appareat tanquam summum bonum vel inde ostenditur : Quia non apparet tanquam bonum, carens omni defectu.

RESPONDERI potest. Non solùm summum bonum esse nostri necessitativum cum etiam præmissæ, licet non sint summum bonum, necessitent ad inferendam conclusionem, & sicut hic admittitur necessitas ex suppositione assensus, ita & hic erit necessitas electionis, ex suppositione intentionis.

TERTIUM ARGUMENTUM EST. Non apparet quomodo necessitet intentio electione, quia si supponamus esse necessariam electionem intra annum, quacunque parte anni nondum urget electio, quia posteriùs fieri potest, in sententia. Aristotelis, dividende partes continui, in finitum. Hæc ratio non multum evinceret, quia non ostenderet libertatem in substantiam actionis sed nonnisi in tempus. Quando etiam alii urgent, quòd si aliquis putaret, ad ostendendum amorem Dei, liberè utentis creatura, esse utile odisse, illum, quod inquam necessario deberet odisse DEUM, quia procedit ex suppositione destruente seipsam, nihil omnino concludit.

Punctum Difficultatis 3.

Argumenta oppositæ partis & decisio Difficultatis.

PRIMA RATIO EST. Probans necessitari voluntatem ad electionem ponitur ex Oviedo voluntas efficaciter amans finem, tenetur illum amare, eo modo, quo possibilis est. Ergo si medium sit unicum ad finem obtinendum, cum finis possibilis non sit, nisi per tale medium, tenetur voluntas velle finem, per tale medium.

RESPONDETUR Antecedens hoc non satis esse explicatum, & quid sibi velit amari finem eo modo quo possibilis est, si enim is sit sensus : Amari finem sub formalitati possibilis falsa erit propositio, cum etiam in impossibile sub conditione possit ferri voluntas. Si autem faciat hunc sensum ; amant finem efficaciter, tenetur illum amare qua assequibilis est, si per Ly tenetur significatur libertatis, ablatio, etiam ipsa intentio libera non erit, siquidem etiam ipsa, & quidem vel maximè, tenetur amare finem tanquam consequibilem, & sicut, licèt supposito quòd velit voluntas amare, debeat amorem ponere, non sequitur ulla necessitas in ipsomet amore, si nec sequetur in præsenti.

SECUNDA RATIO Ejusdem est. Voluntas efficaciter amans finem, tenetur velle finem, per aliquod medium, quo possit comparari, quia cum finis non possit comparari nisi per media aliquod, & hoc determinate in executione ponendum, & voluntas efficaciter intendat finem comparare tenetur velle in particulari medium aliquod exequi, ut finis possibilis sit.

RESPONDETUR præter jam dicta negando teneri voluntatem ad amplectendum illud medium, eo modo, qui necessitatem inducat. *His expensis*

ASSERO PRIMO *Actum intentionis de objecto liberè intento, non adferre ullam necessitatem, per quam tollatur libertas.* Et assertum S. Thomæ, ut videre est *prima* part. quæst. 82. art. primo ad tertium videtur idem sentire Borull. num. 606. & Mastr. Disp. 7. num. 166.

RATIO prima est quia si necesitaretur electio, necesitate tollente libertatem, vel haberet hoc ex ratione essentiali intentionis efficacis, vel ex ratione intentionis efficacis creatæ, si id habet ex essentia ut sic intentionis Ergo etiam DEUS intendens efficaciter salvare prædestinatos, non liberè illos justificaret & salvaret, & tamen sentimus, quòd nos liberè genuerit verbo veritatis suæ. Si autem id habet ex vi intentionis creatæ, quod illud est tale necesiativum, necesitate libertatem tollente, & ex alia parte, par videtur esse utriusque ratio.

RATIO secunda est. Non habet majorem necessitatem electio comparata ad præcedentem intentionem efficacem, quàm ipsa intentio efficax, habeat necessitatem, ut sit, supposito quòd sit. Neque enim major est cujusquam necessitas in operando, quàm in essendo præcipuè cùm in esse intentionis, tanquam in causam, referri debeat ipsa quæ adstruitur necessitas electionis, sed necessitas ipsius intenrionis, non est necessittas tollens libertatem, Ergo & necesitas electionis, libertatem etiam habere poterit.

RATIO tertia est quia necessitas orta ex suppositione, quam ponere vel non ponere est in nostra potestate, vel quæ pendet abeo, quod est in nostra potestate, non tollit libertatem, sed necessitas quæ est in electione, est necessitas ex suppositione, quam ponere vel non ponere, erat in nostra potestate, est enim orta ex intentione, quam facere vel non facere poteramus, ergo. Major à nostris Doctoribus in materia de gratia assumitur, potestque probari per hoc principium, quia exercitium libertatis, non est destructivum libertatis, sed est vel maximè liberum ut quo. Necessitas autem prædicta, est ipsum exercitium libertatis. Deinde confirmatur assertum, quia vel potest mutari illa intentio, vel non potest, si non potest, inferam, ergo æque necessitatem habet ac electio, si potest mutari ergo etiam potest, non fieri illa electio. Neque valet si dicas fieri necessario electionem, supposito quod non mutetur intentio. Quia si ipsa intentio, supposito quod non mutetur, non est necessaria necessitate auferente libertatem, ergo etiam supposito, quod non mutetur intentio, non erit electio necessaria, necessitate auferente libertatem. Deinde si nihil obsit, debemus non solam intentionem efficacem merendi de DEO, dicere, esse meritoriam, ac consequenter liberam, sed etiam & ipsum actum amoris v. g. DEI, alias nunquam illo mereremur.

ASSERO secundo *Casu quo sit efficax intentio finis, sub formalitate per media obtinendi ita ut in intentione efficaci, ratio mediorum eluciat, tanquam aliquid indirectè cognitum, eo casu necessitatur voluntas, ex suppositione, ad electionem virtualem.*

RATIO quia illud, quod est, necesse est, esse sed illa intentio est virtualis volitio mediorum, est enim illic attactio etiam mediorum, ergo necesse est, poni tunc, virtualem electionem.

ASSERO, tertio. *Suppositâ efficaci intentione, concedi posse generale quandam necessitatem electionis, positam in hoc, quia non potest haberi sine mediis.*

RATIO asserti est, quia in dicto casu, ita se haberet electio, sicut se haberet suppositio exercitii libertatis, sed hæc etiam adfert necessitatem ex suppositione, ergo & illa intentio adferret.

Difficultas III.

An Electio velit semper majus bonum.

TItulum sic alii proponunt; an ex duobus bonis, voluntas possit, prosequi minus bonum, an vero debeat semper prosequi majus. Vasquez & Azor affirmant quòd voluntas debeat prosequi semper majus. Negat autem suares uterque Amicus tom. 3. disputat. 10. Ariaga Oviedo & alii.

DICENDUM EST. *Non necessitari voluntatem ad prosequendum nonnisi majus bonum.*

PROBAT primo Recentior suares. Voluntas est potentia libera, nec quisquam amat necessario, quod illi non proponitur ut necessariò amandum. Sed majus bonum, non proponitur illi necessario amandum, ergo.

RESPONDERI potest hoc argumento probari, quòd possit non amari majus bonum, hoc autem concedent oppositi, sed non probâri, quòd non sit semper actu amandum.

PROBAT secundo Oviedo Irrationabile est, cessare ab omni electione, quia mihi occurrunt duo media quibus consequi possum finem.

RESPONDETUR. Concedo totum. Alia enim est quæstio: An ex duobus inæqualibus, majus semper appetatur, & hoc volunt oppositi, alia est quæstio: An ex æqualibus alterutrum eligi possit, de quo nunc non discurritur: Quia autem etiam hæc quæstio hic deciditur, an ex duobus æqualiter propositis possit alterutrum eligi, dicent oppositi non posse eligi alterutrum, tuebunturque se auctoritate. Aristotelis, qui libr. de Cœlo Text. 9. 3. dicit. Et de esuriente & sitiente vehementer quidem, similitet autem & de esculentis, & poculentis æqualiter distante, etenim hunc quiescere; necessarium est. Non loqui autem Aristotelem de agente etiam libero, negabunt oppositi, nisi id aliunde probetur. *Hinc aliter*

PROBATUR tertiò, Conclusio argumento negativo. Quia scilicet nulla est necessitas, & nullum fundamentum, quod potentia libera, libertatem suam non exerceat, eligendo minus bonum, post habendo majus. Non est

est item fundamentum, quod proportionatus modus sequendi objectum in voluntate, sit, sequi melius. Ratione etiam positiva sic probatur. Tum quia minus bonum in comparatione alius vel est bonum vel non est. Si non est bonum, ergo & est minus bonum ut supponitur, & non est minus bonum, quia ut dicis non est bonum, quod autem non est bonum, quomodo potest esse minus bonum? Quodsi in comparatione alius majoris boni, minus bonum, est nihilominus bonum, ergo in comparatione alius boni, est amabile, ratio enim amabilis, rationem boni necessario sequitur, quodsi minus in comparatione alius boni est amabile, ergo & appetibile ergo & eligibile. Tum quia minus malum in comparatione majoris mali, est eligibile, item est magis detestabile illud majus, ergo & minus bonum, in comparatione majoris boni, est eligibile, & minus quidem, sed tamen amabile. Quodsi dicas minus bonum habere in se mistura mali, dicam etiam in minori bono esse aliquam misturam boni. Tum quia si impossibile est minus bonum præeligi majori, frustra intellectus proponeret plura media, quorum quædam sunt meliora, quædam non, sicut quando intendit voluntas attingere aliquem locum, mens non proponit illi Equo cervum, tanquam medium ad finem illum consequendum, quia impossibile est equo cervum velle, & post habere illi equum. Ex altera autem parte, deberet proponere minus bonum; quia nisi proponeretur melioritas aliûs medii, taxari non posset, sicut taxari non potest: Petrum esse majorem Paulo, si nescitur quantus sit Paulus.

Neque valet si dicas: Illa duo bona, proponi non tanquam sequenda, sed nonnisi ut intellectus cognoscat melioritatem unius præ alio, non inquam valet, quia sequitur non proponi voluntati minus bonum, sed solum intellectum pensare & post consultationem, nonnisi id quod judicat melius proponere. Hoc autem tu dicere non potes, quia quæstio procedit, non de hoc, an voluntas supposito, quòd velit eligere teneatur, nonnisi unum eligere, casu, quo nonnisi unum illi proponatur, sed procedit de hoc, an possit ex duobus bonis sibi propositis, minus bonum eligere.

Plura de hac materia vide prima parte, ubi de medio noscendi futura, quod est excessus, quem quidem modum, primus in provincia nostra docuit Magister meorum Magistrorum, nempe piæ memoriæ P. Laurentius Pikarski, vir vasti & acuti ingenii, cujus scripta Theologica, æquè ac Philosophica, utinam publicum vidissent.

OBJICIT primo Vasques auctoritatem Aristotelis ex tertii de anima capite undecimo ubi concludit voluntatem in consultatione, sequi id quod majus est. Tertii item Ethicorum cap. 3. *quod* inquit cæteris ex præconsultatione prætulimus id eligibile est. Similia habet S. Thomas prima secundæ quæst. 3. art. 6. ad 3. & Damascenus 2. fidei cap. 22.

RESPONDETUR hæc loca nonnisi velle, quod ordinariè in majus bonum inclinet voluntas, sed non probare quod semper inclinet nonnisi ad majus bonum, dicit etiam Oviedo Ly: voluntatem prosequi majus, non aliud dicto loco significare, quàm quòd majus sit objectum voluntatis, præ objectis sensitivæ & imaginativæ, cum quibus potentiis, comparat inibi voluntatem Aristoteles.

OBJICITUR secundo. Electio fit ex judicio consultationis, consultatio autem nequit esse de minori aut æquali bono, quia intellectus non judicat eligendum quod æquale, aut quod minus bonum est, sed quod utilius est. Quodsi dictat intellectus, melius esse id quod est majus bonum, contra hoc ejus judicium, oppositum non potest facere voluntas.

RESPONDETUR. Hoc argumentum supponere quod præcedat actum voluntatis aliquod practicum judicium, quod dicat voluntati: Fac hoc, elige hoc & similia. Hoc autem imperium non datur ut aliàs vidimus. Cæterum quamvis proponat intellectus voluntati, quòd melius sit factura eligendo melius bonum, non negat tamen bene facturam, si minus bonum eligat, cumque voluntas habeat vim se determinandi ad alterutram partem, determinare se poterit voluntas, unde ex consultatione eruitur hæc conclusio, si melius apprehendatur medium, erit melior consecutio finis, per medium autem minus bonum, apprehendetur quidem benè finis, sed non æquè bene, relinqueturque tota optio eligendi voluntati.

OBJICITUR tertio, Minus bonum comparativè est malum, malum autem eligi non potest, ergo nec minus bonum eligi poterit.

RESPONDETUR minus bonum sub formalitate, quia est malum, non potest eligi, sed sub formalitate boni tanti, potest eligi, ad eum modum, sicut formalitas minoris mali, sub formalitate mali, eligi non potest, licèt sub formalitate qualis qualis boni, eligatur.

Per hoc tamen non negatur ordinariè majus bonum, & melius medium, à voluntate arripi. Suadet id enim experientia, &

sicut

ficut à summo bono clarè cognito, ita abripitur voluntas, ut non possit denegare illi actum ita cum majus bonum, habeat vim, trahendi & abripiendi voluntatem, majorem, ordinariè illi adhærebitur, & sicut proposito intellectui motivo scientifico & opinativo, arripit potiùs intellectus motivum scientificum, quia in eo reperit plus de veritate, quam prosequitur, ita & voluntas ordinarie adhærebit meliori bono, eò quòd in illo reperiat, id, quod potissimum intendit.

QVÆSTIO II.

De Actu Imperante & Imperato.

NOn est difficultas an voluntas imperet aliis potentiis, clarum enim est voluntatem imperare potentiæ loco motivæ, ut se moveat, nec item est difficultas an imperet intellectui, certum enim est piam affectionem, antecedentem actum fidei, imperare intellectui assensum. Sed est

DIFFICULTAS I.

An voluntas, uno suo actu, possit imperare alium.

DUpliciter posset concipi imperare sibi voluntatem alterum actum. Imprimis per imperium reflexum, cum ex proposita bonitate alicujus actus, movetur voluntas ad illum sibi imperandum, Directum autem imperium est, ut cum ob connexionem unius actus, cum alio actu, movetur ad illum voluntas, v. g. cum ex amore DEI, movemur ad amorem proximi, & de hoc imperio directo, non est difficultas, experimur enim, quod ex connexione unius actus cum alio, devolvamur ad eundem. De imperio reflexo est difficultas, negat enim Vasques, Affirmat uterque Suarez Oviedo & alii.

DICENDUM EST. *Posse voluntatem imperare sibi alium actum.*

PROBARI solet primò Conclusio, argumento, cujus fundamentum est in Sancto Thoma, Quia quidquid est in potestate nostra, subjacet imperio seu voluntati nostræ, sed actus voluntatis sunt maximè in potestate nostra, sunt enim maximè voluntarii, Ergo imperari possunt.

Hæc ratio nisi ulterius explicetur petit principium. Si enim per Ly sunt in potestate voluntatis intelligatur, quòd scilicet sit voluntas potentia elicitiva actuum, vera est propositio, sed nihil probat, potest enim actus illos elicere, sed stat cum hoc, ut illi aliunde imperentur, si autem per Ly, sunt in potestate voluntatis, intelligatur dominium voluntatis in illos, ex quo sequatur imperium, erit petitio principii, & sicut quamvis motus progressivus, sit in potestate potentiæ loco motivæ, tanquam in principio elicitivo, inde tamen non sequitur, esse in potestate potentiæ loco motivæ, tanquam dominativæ motui, habere vim, uno motu, imperandi alium, ita & in præsenti, non sequetur ex continentia actuum voluntatis in voluntate, tanquam in potentia elicitiva, contineri illos in voluntate, tanquam in potentia dominativa.

PROBAT secundò à pari recentior Suarez. Voluntas habet dominium actuum aliarum potentiarum, Ergo potest habere & dominium suorum actuum.

RESPONDERI potest negando Consequentiam, quia ex dominio quod alicui convenit supra alios, non valet argumentatio, ad dominium supra seipsum, aliàs cum DEUS habeat dominium supra alios, dici poterit Dominus sui, & Rex, cum sit rex aliorum, poterit esse Rex sui, Ergo ex præciso dominio, & vi imperandi aliis, non sequitur dominium & vis, imperandi sibi.

PROBAT tertiò. Arriaga & Oviedo. Actus quo ego dico; volo elicere actum amoris, conducit ad habendum actum amoris, aliàs immerito à peccatoribus exquireremus proposita fugiendi peccati, cum dicas illam voluntatem non conducere quidquam, si autem conducit prædictus actus, Ergo interveni & imperium, quia non apparet, quomodo conducere possit, nisi imperando. Si enim dicas, quod conducat movendo voluntatem, ut imperet intellectui indagationem motivorum, quibus indagatis sequatur actus. Contra erit, quia fieri v. g. potest, ut dicat voluntas: Volo elicere actum amoris DEI, propter solam illius bonitatem, eo casu non esset necesse indagare ulla alia motiva, & tamen voluntas amandi conduceret ad amorem, Ergo illud conducere, non potest salvari, per imperatam indagationem mediorum, etsi potest imperare intellectui indagationem mediorum, cur non & sibi actum, potestque fieri ut illa voluntas, non respiciat indagationem mediorum tanquam objectum, sed immediatè ipsummet amorem.

RESPONDERI posset huic argumento, conducere illum actum tanquam causam dispositivam per se, per quam disponitur voluntas, ut eliciat actum amoris, sed intellectu, (posita illa dispositione) imperante actum

volunta-

voluntatis. Posset etiam conducere eo modo, quo v. g. assensus hic : Omne totum est majus sua parte, disponit ad assensum, quod digitus non sit æqualis manui, vel certe conducit ille actus, tanquam objectum cognitum, quia scilicet intellectus effingit sibi speciem expressam illius actûs, eumque repræsentat voluntati, ut postea eliciat actum, ita, ac elicuerat illum primum, quo dicebat, volo elicere actum amoris Dei. *Hinc*

PROBATUR commodius conclusio argumento negativo, quia scilicet nullum est fundamentum denegandi hoc imperium, respectu actuum propriorum, experimurque sæpe, ita se habere voluntatem, in movendo alias potentias, à se distinctas, ad actum, quo etiam se movet ad suum actum ponendum, si ergo prior ille actus, est imperium, cur non est posterior. Quæ ratio non ad hoc recurrit, quod voluntas si imperat aliis, imperabit & sibi, sed recurrit ad experientiam. Deinde datur de facto actus, quo dicat voluntas, volo elicere actum amoris, ponamus postea elici illum actum amoris, quæro vel potest pro ratione reddi, illum actum esse elicitum, quia illum intimavit eliciendum prior ille actus, vel non potest pro ratione reddi, si potest pro ratione reddi, ideo actum elicitum esse, quia illum intimavit voluntas, ergo potest pro ratione reddi, quia illum imperavit, per hoc enim imperium non plus intelligitur, quàm fieri quia intimavit voluntas, si autem non potest pro ratione reddi, quòd ideo ille actus sit factus, quòd illum intimaverit voluntas, ergo fallit experientia, quâ experimur intimationes voluntatis, ergo ulterius non experietur voluntas in se hunc actum intimatum : Volo elicere actum amoris. Deinde potest intellectus dicere, intelligo necessarium esse, ut hoc aliud intelligam, potestque intervenire hic imperium, ergo etiam cum ponat voluntas hunc actum, volo ut hoc velim, poterit illic intervenire imperium.

OBJICIT primò Vasques auctoritatem S. Thomæ, qui prima secundæ quæst. 18. art. 6. ad 2. docet, quod actus quidem exterior, ordinetur in finem ab actu interiori, non autem interior, jam autem si unus actus voluntatis imperetur ab alio, ordinabit unus actus interior, finem, alteri interiori.

RESPONDETUR, S. Thomam non aliud velle, quàm quod actus externus quà talis, non habeat finem suum intrinsecum honestum, & quod honestatem accipiat ab interno; Sed non negat, quòd actus interior, & suum finem ab intrinseco præstitutum habere possit, & ab alio actu præcedente, ordinatum.

OBJICITUR secundò, si possunt imperari actus etiam interni à voluntatis præcedente actu, & non soli externi, nulla erit inter hos duos actus distinctio, sicut enim externus ita & internus pendebit à voluntate. Rursus sicut externus non habet propriam libertatem, ita nec habebit internus.

RESPONDETUR an actus imperatus habeat libertatem de hoc inferius, sed supposito etiam, quòd libertatem non haberet, adhuc distingui posset ab actu externo, imprimis ratione hac, quia actus interni sunt immanentes, ex sua ratione & conditione; non autem actus externi. Rursus actio externa, naturâ suâ, nullam habet primitivam bonitatem vel malitiam, habet autem interna. Denique per accidens est, quòd actum internum præcedat imperium voluntatis, per se autem actio externa deposcit, nonnisi imperari.

OBJICITUR tertiò. Nihil est sibi ipsi subditum, ergo nec voluntas sibi tanquam subditæ imperare potest.

RESPONDETUR, non esse tale quidem hic imperium, quale est dum Dominus imperat servo, ubi est distinctio realis imperantis & cui imperatur, jam autem voluntas à se ipsa non distinguitur realiter, sed est distinctio alius & aliûs formalitatis, quantumvis ipse actus imperans ut Quo, & imperatus, sint distincti realiter, cumque inter hos actus interveniat intimatio, consimilis ei, quæ intervenire solet inter subjecta distincta realiter, fit ut hæc intimatio dicatur imperium.

Difficultas II.

De libertate Actûs Imperati.

PRÆMITTO primò, *Actum imperii dupliciter considerari posse. Primò.* Quo dicat voluntas. Volo hic & nunc fieri actum amoris, ita ut illi determinet instans, quo fieri deberet. Secundo potest fieri imperium sub disjunctione : Volo fieri hunc actum vel hoc vel alio instanti, neque enim repugnat actus voluntatis efficax, & tamen sub disjunctione, eo modo, quo Deus in lege purificationis voluit efficaciter offerri sibi munus, licèt sub disjunctione, vel Agnum, vel par columbarum, aut turturum.

PRÆMITTO secundò. *Quando voluntas imperat actum sub disjunctione hujus vel illius instantis, dupliciter adhuc illud imperium considerari potest : Primo*, ut duret omnibus illis instantibus. Secundo, ut duret nonnisi primo. Potissima difficultas est de priori suppositione.

PRÆMITTO tertiò, *quid sentiant Doctores*

Doctores in hac materia. Concedit libertatem actui imperato universaliter Suaretz libr. 12. de gratia cap. 11. num. 14. Jam autem tunc cum jam transit actus imperans, imperatum esse liberum, consentiunt etiam ij, qui universaliter non concedunt libertatem actui imperato, idque ex hoc fundamento, quia quando jam non est actus imperans, & sequitur imperatus, ita sequitur, ut potuerit non sequi, non enim repugnat, ut voluntas efficaciter velit actum imperatum, & postea nolit, si ergo sequatur ille actus, liberè sequetur.

Casu autem quo existat imperans, negat libertatem actui imperato, Vasques, Salas, Oviedo, & alii, si autem imperium sit sub disjunctione temporis, etiam durante actu imperante, dicunt actum imperatum, non solum esse liberum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam actûs, ex quo etiam principio in parte salvat Lugo libertatem Christi.

DICENDUM EST. *Actum imperatum esse actum liberum*;

PROBATUR primò argumento negativo, qua scilicet nullum est fundamentum tribuendi actui imperanti vim necessitandi, ut fiat imperatus, necessitate tollente libertatem. Quæ ratio stat solutione argumentorum infra ponenda.

PROBATUR secundò. Posito actu imperante, vel potest voluntas nolle imperantem actum, vel non potest nolle; Si non potest nolle, Ergo non datur unquam retractatio, quod est contra experientiam, si autem posito actu imperante, potest voluntas nolle actum imperantem, ergò etiam potest nolle imperatum, cum necessitatem imperantis te arguat, ex positione imperantis. Quodsi potest nolle imperatum actum, ergo quod illum velit, liberè vult, cum potuerit nolle.

CONFIRMATUR à pari, quia electio supra circumscripta est actus liber, etiamsi comparetur ad intentionem efficacem, ergo & actus imperatus, comparatus ad imperantem, erit liber.

RESPONDEBIS primò supposito, quod non retractetur imperans actus, non potest non sequi imperatus eaque propter non erit actus ille liber.

CONTRA EST. Supposito quòd sit imperans actus, quamvis non possit voluntas facere ne fuerit illius suppositio, potest tamen facere, ut desinat illa suppositio, desinat inquam ne sit, non autem ne fuerit suppositio, si enim fuit, non potest non fuisse. Ergo liberum illi est, quòd sit ille actus imperans, ergo & liberum illi est ut sit imperatus, si enim necessitativum subditur libertati, multò magis subdetur necessitatum. Deinde si prædeterminatio esset talis naturæ, ut eam ponere sit in nostra potestate, ut posita illa posset non procedi ad actum, posset que auferri ipsa prædeterminatio, ex nullo capite argueretur tunc necessitas, ergo & actus qui fit ex imperio, cum imperium ponere sit in nostra potestate, possitque positum auferri, actus sequens illud imperium, erit liber; sicut & actus sequentes circumscriptam prædeterminationem essent liberi. Rursus supposito actu quod sit, esse actus illius, est liberum voluntati: Quia poterat illum facere, & illius necessitas, est ex suppositione exercitii libertatis. Ergo etiam cum actus imperatus sit ex suppositione exercitii libertatis, erit liber. Denique si actus imperatus fieret post retractatum imperium, liberè fieret, ergo & cum fit non retractato imperio, libere fit, quia ad libertatem non requiritur retractare, sed posse retractare. Deinde præsentia actûs imperantis, in ratione entitatis, nihil confert ad causandum actum imperatum, sed tantum præsentia ejus in esse intentionali, sed præsentia ejus in esse intentionali, casu quo non habeat præsentiam quoad entitatem, non necessitabit voluntatem, per oppositos, ad actum imperatum, ergo nec in præsentia entitativa necessitabit voluntatem, ad ponendum imperatum actum, cum non causet illum, nisi prout est in esse præsentis intentionaliter, si enim non experiretur mens, nec nosceret illum actum, haberet se, atque si non esset. Denique vel potest pro ratione adferri cur fiat actus imperatus, quia scilicet illum voluit voluntas, vel non potest, si non potest id pro ratione adferri, ergo nec ideo fit, quia est imperans, cum idem sit, fieri illum: Quia voluit, voluntas, atque fieri, ideo, quia imperavit voluntas. Quod si pro ratione cur ille actus sit factus, adferri potest, quia illum voluit voluntas, ergo libere fit, tota enim ejus necessitas, est ex suppositione exercitii libertatis.

RESPONDEBIS secundò, distincta hæc esse velle liberè actum, & aliud est velle liberè faciendum, negarique debere, quod velit voluntas illum liberè faciendum.

CONTRA EST, quia rationes allatæ ostendunt, velle voluntatem actum imperatum, liberè faciendum, cum illius necessitas, aliunde argui non possit, quam ex supposito exercitio libertatis.

PROBATUR tertiò argumento, quod communiter in hac materia proponi solet. Si actus imperans adimit imperato libertatem, si quis ex affectu pœnitentiæ in articulo mortis imperaret sibi actum charitatis, quod inquam talis actus liber non esset, non est enim ratio, cur unus actus imperatus sit liber & alii non sint liberi. Quodsi ille actus charitatis non est liber, ergo nec est meritorius, si non est meritorius, non est justificativus.

Hoc

Hoc Argumentum in principiis Vasquez evitari posset, qui docet quod contritio sit forma justificans sicut & gratia suo modo, & tamen gratia non est quid liberũ & sicut, ut gratia dicatur liberè infundi, sufficit præcessisse actum liberum, ita & hic sufficiet præcessisse, actum pœnitentiæ liberum. *Sed aliter*

Respondet huic argumento Hurtadus & Oviedo: nempe quòd Deus acceptet illum actum imperatum à virtute pœnitentiæ, ut conferat gratiam habitualem, gratia enim habitualis datur homini peccatori, non ut præmium meriti de condigno, sed de congruo, poterit itaq; intuitu majoris vel minoris meriti conferri, ex voluntate Dei.

Contra est. Tum quia ponamus ex virtute pœnitentiæ imperari actum contritionis in homine justo, hic meretur de condigno augmentum gratiæ, tunc quæro illi contritioni, vel respondet meritum vel non respondet, si respondet: Ergo respondet sine libertate, si non respondet: Ergo actui supernaturali, in gratia elicito, non respondet meritum quod est absurdum. Tum quia hæc responsio ostendit quidem, quomodo sequatur gratia effectum pœnitentiæ, qui potest appellari minus meritum, sed non ostendit, qui sequatur actum charitatis imperatum, quia ille cum non sit liber, non est meritorius per oppositos. Tum quia sequitur ex ista responsione posse aliquem adultum, salvari, sine ullis propriis meritis. Ponamus enim à primo usu rationis peccasse aliquem, & in articulo mortis ex affectu pœnitentiæ imperare sibi contritionem, ille non habet ulla merita antecedentia imperium illud contritionis, hoc enim sensu formatur suppositio, non etiam meretur per ipsum imperium, quia pro illo instanti supponimus illum nondum fuisse in gratia, non meretur etiam contritione, quia meritum innectit sibi libertatem, quæ per te in illo actu contritionis non reperitur. Ergo salvabitur sine ullis propriis meritis ille adultus.

Objectiones solvuntur.

Objicitur 1. ex recentiori Suarez hic num. 52. Posito tali imperio, non potest non sequi actus imperatus.

Respondetur negando Antecedens, quod nonnisi in hoc sensu verum est, quòd scilicet non possit non sequi ex suppositione exercitii libertatis, non verò ex suppositione alius generis.

Instat Idem 1. Tunc adimitur libertas, cum inducitur necessitas antecedens, hoc est necessitas causæ, cui non potest resisti, sed actus imperans, inducit actui imperato, necessitatem antecedentem, hoc est necessitatem causæ, cui actus imperatus non potest resistere.

Respondetur. Posse illi necessitati resisti, eò quòd ipse actus imperans, auferri possit, ut dictum in probatione secunda, cumque illi resisti non possit nonnisi ex suppositione exercitii libertatis, erit necessitas stans cum libertate.

Instat Idem 2. Actus imperatus externus, sequitur non liberè, quia non potest non sequi.

Respondetur. Actus imperatus sequitur liberè, eò quòd possit auferri imperans, etsi non potest non sequi, est hoc, nonnisi ex suppositione exercitii libertatis, ne tamen actus externus dicatur primitivè liber obest inter alia, quia non proficiscitur à potentia interna, cui soli competit libertas primitiva.

Objicitur 2. Ex Oviedo hic controver. 9. pun. 4. Actus imperans ex natura sua efficax, si determinatum respiciat objectum, antecedit actum imperatum, & illius est causa, & non est indifferens ad existentiam actûs imperati & negationem illius, sed determinatus ad existentiam imperati. Ergo antequam actus imperatus sit determinatus in seipso, est determinatus in causa. Ergo hæc necessitas actus imperati, non est subsequens sed antecedens; quia nascitur ex aliquo antecedenti ipsum actum imperatum, & tenente se, ex parte principii, respectu illius.

Respondetur. Aliud esse, quòd actus imperans quantùm est de se non sit indifferens ad hoc ut imperet, & aliud est, quòd actus imperatus, non sit indifferens ut vi illius imperii fiat. Primum est certum, est enim de essentia imperantis imperare, sed secundum, est falsum, non enim ex eo, quia aliquis non est indifferens ut imperet, jam imperii executio, hoc ipso ponetur, aliàs nulla unquam daretur inobedientia.

Neque valet si dicas, quod hæc imperia sint extrinseca, nam secluſâ immanentiâ, tam est distinctus realiter actus imperans ab imperato, ac mandatum ab obedientia.

Directè autem ad Objectionem dici potest quòd necessitas actus imperati sit antecedens, sed non necessitate libertatem principii elicitivi tollente, eò quòd & ipsam causam illius semper auferre possit, & oritur necessitas inibi, ex sola suppositione exercitii libertatis. Unde universaliter causa determinata, quam ponere est in nostra potestate, & positam auferre, & quæ involvit exercitium libertatis, non aufert libertatem.

Objici potest 3. ex Arriaga. Totam libertatem salvamus nonnisi ex eo, quia potest voluntas si velit retractare actum imperandi, ex quo non aliud sequitur, nisi quod mediatam libertatem habeat actus. Quod ipsum probatur. Illa est mediata libertas, quæ nonnisi haberi potest omissione vel positione aliûs, quia

universaliter illud mediatè dicitur haberi, quod nonnisi per aliud, & mediante altero habetur, si autem actus imperatus nonnisi mediatam libertatem habeat, non contradicimus oppositis, nam etiam oppositi non negant mediatam libertatem actui.

Respondetur. Quod duplici titulo per nos ponatur libertas in actu imperato. Primò quidem antecedenter, nempe quod illud imperium retractare vel ab illo cessare possit voluntas, aliam autem libertatem ponimus quasi formalem, quæ est ex influxu potentiæ, à nullo, necessariò determinatæ, ad illum actum ponendum, ex quo secundo colligitur, non tantùm mediatam, sed etiam immediatam libertatem, convenire actui.

Instabis, ad hoc ut dicatur aliquis actus imperatus liber, non sufficit posse omittere, imperium, sed est necesse defacto illud omisisse, quia imperium eo ipso quòd existit, debet habere effectum suum formalem, qui est, voluntatem impedire, ne sit carentia actus imperati.

Respondetur. Negando effectum formalem imperii esse, ponere illud impedimentum; cum enim effectus formalis non aliud sit, nisi unita forma subjecto apto, effectus illius imperii formalis, erit esse imperativum ut quo; & certè si effectus formalis imperii est impedire, ne sit carentia actus imperati, sicut impossibile est etiam Divinitus, ut forma careat effectu suo formali, ita impossibile erit, dari carentiam illius impedimenti, atque adeo dari negationem actus imperati. Sed posito etiam quòd illius imperii sit effectus formalis impedire ne sit carentia actus imperati, sufficit quod non impediat, ne possit non esse, seu quòd non impediat ipsum posse.

DIFFICULTAS III.

De Influxu actus imperantis in imperatum.

Certum est vi actus imperantis sequi imperatum, sed unde hoc oriatur & ex quali influxu explicandum venit.

Explicant primò. Thomistæ & dicunt, quòd actus imperans, impingat imperato modum quendam, ratione cujus, constituitur dependens ab imperante.

Impugnat hanc responsionem Oviedo. Modus iste, est superadditus actui imperato, Ergo supponit substantiam actus imperati, tanquam subjectum, Ergo supponit illam jam productam à suis Causis. *Hæc Impugnatio*

Non satisfacit. Quia sicut in principiis Oviedo Creatio est modus superadditus rei creatæ, nec tamen supponit positionem creaturæ, sed illam ponit. Motus item localis, non supponit mobile quà tale, sed facit, & tamen est quid superadditum mobili. Ita & modus ille, superadditus posset esse actui imperato, non tamen supponens illum in esse; unde dicetur modus ille superadditus non quod adveniat actui imperato in esse imperati jam constituto, sed quia est aliquid non identificatum realiter, ipsi actui *Cæterum*

Non satisfacit hæc explicatio, quia de illo modo redit difficultas quid sit ille modus superadditus, & quali influxu influat, ut dicatur ex vi actus imperantis, fieri imperatus. Rursus si nihil obsit, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quæ autem necessitas illius modi.

Explicat secundo Ripalda apud eundem Oviedo, quòd influxus ille, nihil aliud sit, quàm fieri imperatum actum, movente imperante. Quod ipsum nihil aliud est, quàm poni entitatem imperantis, & entitatem imperati, quæ aliàs posita non fuisset, nisi movisset imperans, ita ut conditionalis hæc verificetur, quòd non esset actus imperatus, si non esset imperans.

Impugnat hanc explicationem Oviedo. Quia procedere actum imperatum, verbi gratia, abstinentiæ, est aliquid modo absolutè existens, si est absolutè existens, non potest consistere in eventu, qui non exist it, sed existeret; sed ille conditionatus eventus non existit cum defacto jam fiat, Ergò in illo conditionato eventu, non potest consistere influxus actus imperantis in imperatum.

Respondetur. Non esse novum res absolutè factas, explicare per aliquid conditionatum, sic in principiis nostris, pro statu jam physico adeoq; absoluto, efficax gratia explicatur per conditionatum eventum, vel per scientiam conditionatam, & omnes effectus & causalitates, explicantur similiter, dum dicitur: Si hoc ponitur, ponitur effectus, si non ponitur, non ponitur etiam effectus. Christum etiam nos redemisse explicare bene possumus, per hoc, quia nisi ille nos redemisset omnes damnati fuissemus. Conceptionem item Immaculatam Beatissimæ Virginis explicamus, per negationem maculæ originalis, quam incurrisset si redempta non fuisset & sic de reliquis. *Nihilominus*

Non satisfacit hæc explicatio, quia de hoc ipso quæritur, quid sit illud, quod nisi poneretur, actus ille imperatus non fieret, quid est ille influxus, & quo sensu dicitur illum actum imperatum, non futurum, vel enim dicitur non futurum simpliciter nisi influeret imperans, & hoc falsum est, quia idem entitativè actus amoris qui imperatur, poterat fieri sine imperio. Quodsi dicatur non futurum fuisse vi imperii, de hoc ipso quæritur, quid sit, illum esse vi imperii?

Ex-

Explicat 3. Oviedo, & dicit, hunc influxum non aliud esse, quàm coëxistentiam actûs imperantis, potentis in actu primo influere in imperatum, & actus imperati, potentis in actu primo ab imperato dependere, & in negatione dependentiæ imperantis ab imperato, eò quòd fieri posset, ut hic actus qui modo est imperatus sit imperans. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit, Tum quia de hoc ipso quæritur, quid sit in actu primo posse influere actum imperatum in imperantem. Tum quia, si nescio quid sit dependentia, nescire possum negationem dependentiæ. Tum quia potest esse entitas utriusque actus & coëxistentia, & tamen unus non habere formalitatem imperantis, alter formalitatem imperati, idque cum formalitate influxûs, quid ergo est ille influxus? Concedo enim interim actum imperantem & imperatum esse coëxistentes, sed quæro, quid est unum ita se habere, ut causet alium. Dices, intervenire illic negationem dependentiæ ab imperato: de hac ipsa quæro, in quo stet hæc dependentia.

Dices cum Oviedo posita hac coëxistentia imperantis actus independentis ab imperato, & quolibet alio secluso superaddito, rectè intelligitur, unum actum ab alio pendere, quia de ratione influxûs, non est entitas superaddita, inter principium influens & effectum.

Respondetur. Non esse in præsenti mentem evincere quod ille influxus sit entitas superaddita, sed quærere, quid sit iste influxus & quomodo perficiatur, quid sit item dependentia, cujus negatio, importatur ab imperante, & similia. *Vt id explicetur:*

Assero 1. *Quod actus imperans in imperatum non influat per modum principii physici elicitivi.*

Ratio. Quia ex dictis supra repetitò, unus actus, non habet vim, physicè elicitivam seu productivam, alius actûs.

Assero 2. *Influere non posse actum imperantem in imperatum nisi media cognitione.*

Ratio, quia non esset ullum fundamentum, propter quod diceretur voluntas agere propter imperium, si non cognoscitur imperium, cum non feratur in incognitum. Deinde interrogata voluntas, quare agat actum imperatum, deberet respondere, quia volui satisfacere imperio, quòd non posset respondere, si non noscitur imperium. Deinde vel mortuo modo imperium illud concurrit ad actum imperatum vel vitali. Si vitali modo, cum non concurrat effectivè ut probatum concurrere debet nonnisi prout præsentatum per intellectum, neq; enim supereſt alius modus vitalis concurrendi. Si autem concurrit nonnisi mortuo modo: Ergo poterit voluntas alium modum habere sui motûs, quàm objecti propositionem, quæ fiat à cognitione; consequenter ferri potest in incognitum.

Dices. Habitus concurrit cum voluntate & species v. g. cum intellectu, neutrum ut cognitum: Ergo & imperium poterit ità concurrere.

Respondetur. Disparitatem esse, quia hoc utrumque concurrit ex communi suppositione per modum principii effectivi, aut completivi, reducibilis ad causam formalem, ita ut formalitates suas ipse actus sufficienter sortiri possit, à sola potentia, habituque & speciebus. Jam autem actus imperans, non concurrit effectivè ad imperatum, formalitatemque imperati non apparet, quomodo à voluntate sola sortiri possit, si imperium non est præcognitum. Unde ulterius dici potest, posito quòd species non cognoscatur, ponaturque ab intellectu intellectio, non extrahitur à modo debito sibi operandi potentia intellectiva: si autem voluntas eliceret actum imperatum non præcognoscendo imperium, extraheretur ultra modum agendi suum, cum sit determinata, ut feratur nonnisi in cognitum, adeoq; in imperium cognitum. Denique quia nulla est ratio pro antecedenti, militat autem pro consequenti, actus enim imperatus est relativus ad imperantem, hinc si elicitur à voluntate actus imperatus, elicitur tanquam relativus ad imperantem, relativus autem ad imperantem à voluntate elici non potest, quia cum non proponatur voluntati ille actus imperans, quomodo ex præcognitione quam semper voluntas præsupponit, relativum illum actum imperatum, elicere poterit.

Assero 3. *Influxum actus imperantis in imperatum hunc esse*, elicit imperium voluntas, illud elicitum imperium præsentat intellectus voluntati cum sua bonitate, hæc bonitas movet voluntatem ad faciendum id quòd fieri illa voluntas vult, quasi dicendo: velis hoc aliud, i.e. actum imperatum, siquidem hoc volui, imperando, non ergo mihi ipsi debeo esse contraria, neque dicere possum, quòd nolim, cum voluerim jam, velle. Qua posita repræsentatione actus imperantis, iterato repræsentatur & motivum imperii, à quo si non resiliat voluntas, sequitur actus imperatus. Ubi ulterius vides, quando imperatus non imperatur, sed imperat, convenient illi omnia, quæ immediatè de imperante dicta sunt.

Hæc explicatio melius probari non potest, nisi rejectione aliarum explicationum. Deinde imperium à motivo nullo alio differt nisi sola intimatione ut ponatur actus, qui appetitur ab imperio. Ergo si ratio movendi debita motivis, rectè salvatur per dictam propositionem honestatis, rectè etiam imperium explicabitur, per intimationis propositionem; Denique hic

modus explicandi influxum imperantis actûs, in actum imperatum convenit omni, soli, & semper imperio.

QVÆSTIO III.

De Libertate Voluntatis.

DE libertate voluntatis nihil hîc agendum specialiter occurrit, quòd non sit tractatum in aliis materiis; ut in materia de Deo, ubi de prædeterminatione. In materia de Actibus humanis, ubi de eorum proprietate quæ est libertas. Illuc remitto Lectorem: titulus tamen positus est methodi causa.

DISPUTATIO VII.

De Habitibus & Speciebus.

DEfinitivè Habitus ut vult Gabriel in 3. dist. 23. q. 1. est qualitas difficilè mobilis, ex actu vel actibus producta, ad similiumque actuum productionem inclinativa. Dividi autem habitus possunt in naturales & supernaturales, & utriq; in habitus intellectûs & voluntatis &c. Ea quæ dici deberent de habitu supernaturali, peti debent ex materia de supernaturalitate: hic autem in communi de Habitibus discurretur. Connectitur autem tractatus de Habitibus & Speciebus cum tractatione de intellectu & voluntate, quia sicut voluntas & intellectus sunt principia intima agendi provisa animæ, ita habitus & species, sunt principia agendi ut ita dicam quæsita.

QUÆSTIO I.

De Subjecto Habituum.

SIcut cognitum prius est volito, sic & de habitibus intellectus prior debet esse tractatio præ tractatione de habitibus voluntatis. Lugo de Incarn. d. 21. sect. 1. Ariaga hic Hurtadus & Ovied. negant dari habitus in intellectu, qui sint aliquid aliud præter species objectorum intensas perfectiores, vel ut alii loquuntur magis ordinatas & radicatas.

DIFFICULTAS I.

An dentur Habitus in intellectu?

DIcendum est. *Præter species intensas ordinatas & radicatas, dantur habitus in intellectu, qui sunt qualitas superaddita.* Est conclusio utriusq; Suarez, communisq; apud alios.

PROBARI posset ex Recent. Suar. Perseverantibus iisdem speciebus, potest accrescere facilitas. Demus enim quod quis non acquirat novas species, & nihilominus iteret eandem conclusionem, acquiret facilitatem circa illam, specierumque dispositio in hoc solum consistet, ut minus obliquè, sed magis directè, objectum repræsentent.

RESPONDERI posset quod manentibus iisdem in entitate speciebus, sed sola mutatione quoad ordinem, radicationem intensionemq; posita, acquiratur facilitas, negaturque illam dispositionem & combinationem, non plus facere, quàm quòd directè repræsentent objectum, sed accrescit illarum intensio, ex qua oritur facilitas.

PROBAT 2. Idem. Intellectus proposito medio dubio & inevidenti, manet dubius & indeterminatus, quam indeterminationem, non tollet species, semper enim repræsentant objectum eodem modo, & indeterminatio eadem est, positis illis speciebus, & post illas

RESPONDERI posset. Quòd eodem quidem modo quoad substantiam repræsentetur objectum semper per illas species, sed non eodem modo quoad modum proponendi: Cujus alietas habetur ratione majoris intensionis, radicationis, coordinationis, &c. *Hinc aliter*

PROBATUR 3. Conclusio. Diversa est difficultas, quam tollere debent species ordinatæ & intensæ, & diversa, quæ se tenet ex parte ipsius potentiæ intellectivæ. Ergo si nihil obsit, debent dari diversa principia facilitativa, & amotiva illarum difficultatum. Sed hæc facilitas quæ se tenet ex parte potentiæ intellectivæ, non alia erit nisi habitus: Ergo dabuntur intellectuales habitus. Ant. prob. Diversa est difficultas quam sentit Cytharœdus, ut imprimat sibi species cantus, quem in cythara exprimere vult, & diversa est difficultas, quam sentit in ipsis digitis movendis. Ergo etiam difficultas erit diversa, quam sentit intellectus in modo movendi se ad suos actus, à difficultate, quæ est habendi species intensas & ordinatas, eorum, quibus illo modo assentiri deberet, non enim minus

minus necessaria est potentia loco motiva residens in manu, quàm sit necessaria potentia intellectiva. Et sicut tota illis difficultas est, in modo applicandæ illius potentiæ motivæ digitorum: sic & tota difficultas est, in modo assentiendi, per potentiam intellectivam. Et certè quando experimur in aliquibus potentiis difficultatem, si illa in remotionem impedimenti alicujus materialis referri non possit, necessario referri debet in habitum superadditum. Hinc concederemus etiam in Cytharisando habitum, tenentem se ex parte potentiæ, si illam facilitatem, in remotionem impedimentorum referre non possemus. Ergo cum in intellectu facilitas quam sentimus, referri non possit in remotionem impedimentorum materialium, referri debet in qualitatem habitûs condistinctam.

Respondebis 1. Hoc ipso quia ordinantur & radicantur species, facilitatur simul potentia, nec experimur difficultatem, illis jam radicatis.

Contra est, quia non probatur in Responsione, cur illa facilitas in solas species referri debeat: quod enim illis jam radicatis non sentiatur, difficultas, non ex eo est, quòd præter illas, nulla detur alia qualitas, sed ex eo, quia simul ex parte potentiæ, producitur dicta qualitas, producique illam debere, probat argumentum; producitur autem propter exercitium potentiæ. Cæterum si quis non exerceret potentiam actu cognoscendi, sed sola v.g. repetitione memoriæ circa actum quem fecit, posset sentire difficultatem in modo cognoscendi ut sentiret Cytharœdus, si solas species cantionis imprimeret, & non uteretur digitis, ad illam exprimendam, sentiret difficultatem in modo Cytharisandi.

Respondebis 2. Hoc argumentum potius esse contra nos, si enim ad Cytharisandum non datur habitus. Ergo nec ad actus intellectus dabitur.

Contra est. Quia ut dicebatur supra, facilitas illa in actibus, non potest referri in aliud principium, quàm in habitum: potest autem facilitas Cytharisandi referri in amotionem impedimentorum, causantem faciliorem nervorum flexuram. Præcipuè cum intentum argumenti sit, per hanc instantiam probare, quòd alia sit difficultas quæ se tenet ex parte potentiæ, & alia ex parte objecti. Ex quo per negativum principium infertur dari habitum: quia facilitas quam experimur dum agit potentia, non potest in aliud principium referri.

Confirmatur Conclusio 1. Si habitus omnis intellectualis consistent in coordinatione specierum, falsa esset hæc particularis. Aliquis habitus intellectualis, non consistit in coordinatione specierum ut notum est ex Dialecticis, sed vera hæc particularis, quod probatur: Quia habitus scientiæ, non consistit in coordinatione & radicatione specierum: potest enim habere aliquis species scientiæ coordinatas, & non habere habitum scientiæ: potest enim aliquis iisdem speciebus uti frequenter, non nisi opinando, quibus utetur postea ad scientiam. Ergo habitus scientiæ, non est coordinatio specierum.

Confirmatur 2. Quia species sunt vicariæ objecti, si autem objectum se solo concurreret, non facilitaret: Ergo nec species facilitabunt.

Confirmatur 3. Datur promotivum objecti in ordine ad actum, tenens se à parte objecti & hoc est species: Ergo dabitur & promotivum tenens se à parte potentiæ, & hoc erit habitus; & sicut ex communi sententia, si daretur species impressa Dei, esset illa condistincta à lumine, tenente se à parte potentiæ, quam elevat, ita debet dari habitus intellectualis, distinctus, à speciebus, tenens se à parte intellectus.

Objicit 1. Ariaga. Quamvis alia sit difficultas tenens se ex parte potentiæ, tamen non repugnat ut una eademque entitas utramq; virtutem habeat, nec est necessitas eam multiplicandi. Hinc illæ species & habebunt officium concurrendi cum potentia, & supplendi vicem objecti.

Respondetur. Imprimis ex eo, quòd aliqua entitas possit duarum vicem supplere, non est necesse extemplò inferre, talem entitatem, defacto dari. Nam à possibili ad factum non tenet. Consequentia licèt ergo fortè non implicet qualitas, & facilitans potentiam & vices supplens objecti, non sequitur defacto jam dari ejus naturæ species.

Deinde ostendi potest necessitas multiplicandi hæc Entia: nam imprimis receptum est principium in Philosophia, quod, tot sint distincti habitus & qualitates; quot sunt distinctæ difficultates; distincta autem est difficultas tenens se ex parte potentiæ, à difficultate tenente se ex parte objecti. Deinde quia potest reperiri expeditio & facilitas in repræsentando & non reperiri facilitas in agendo. Ergo apparet distincta esse facilitativa hæc.

Objicit 2. Oviedo. Posita specie sufficienti ad apprehensionem objecti necessariò illud apprehendit potentia, absque ulla indifferentia, sicut potentia visiva necessariò videt objectum. Ergo in ordine ad apprehensionem non indiget intellectus habitu.

Respondetur. Verum quidem esse, quod ad apprehensiones simplices saltem multas non sit necessarius habitus ut dictum in Logica, est

tamen necessarius ad apprehensiones compositas. Deinde immeritò supponitur, quod facilitas consistat in specie sufficienti ad apprehensionem: in hoc enim non potest consistere facilitas, quod simpliciter & necessariò est requisitum ad operandum, potestque intervenire & debet, etiam tunc, quando cum difficultate operamur: sed sufficiens species est necessaria ad operandum. Ergo in illa non potest consistere facilitas.

PARITAS allata de oculo non tenet. Quia quamvis oculus nunc clariorem, nunc minus claram visionem eliciat, tamen ut juvetur ad perfectius operandum sufficit requisita ad agendum meliora & commodiora poni; quis est v. g. vel approximatio objecti, vel luminis intensio, vel defectus humoris in oculo spectantis: & istis positis prærequisitis oculus semper æqualiter operabitur. Hinc quia positis omnibus ad agendum requisitis semper eodem modo operatur, fit ut non indigeat ullo superaddito habitu.

Jam autem intellectus positis iisdem & omnibus ad operandum necessariò prærequisitis, quia interdum expeditius operatur, si v. g. frequenter vel intendatur actus, fit ut illum expeditiorem operandi modum in aliquod aliud principium referre debeamus, & non in ipsa prærequisita ad agendum. Hoc autem principium est qualitas ex actibus acquisita, vulgo habitus.

INSTAT 1. Oviedo. Objectum vel apprehenditur evidenter ut verum vel tantum probabiliter. Si evidenter ut verum, non potest non assentiri illi intellectus, si probabilis tota indifferentia intellectus ad assentiendum vel non assentiendum tolletur à voluntate. Ergo intellectus non indiget habitu ut se determinet.

RESPONDETUR. Transfert totum. Quia hîc non quæritur, undenam determinatio oriatur, sed unde facilitas.

Deinde quamvis objecto proposito evidenter ut vero non possit non assentiri intellectus, potest tamen expeditius & minus expeditè assentiri. Cur ergo ad hoc non dabitur habitus? Cùm intellectus non sit determinatus ad modum expedite vel difficulter assentiendi: Universaliter etiam ex determinatione voluntatis non potest sequi facilitas assentiendi, quia in hæretico recenter converso datur voluntas imperans actum Fidei, & tamen sentitur difficultas in assentiendo.

INSTAT idem 2. Proposito objecto ut propositio objecto ut probabili sine imperio voluntatis non assentitur intellectus; posito autem imperio illo voluntatis non potest non assentiri.

RESPONDETUR. Etiam posito imperio voluntatis prædicto posse non assentiri intellectum, cùm intellectui despoticè non imperet voluntas. Sed posito etiam quod posito illo imperio non possit non assentiri voluntas. Quia potest expedite vel difficulter assentiri, datur locus principio facilitativo seu habitui.

OBJICIUNTUR 3. Paritates aliquæ.

Prima PARITAS est. Gustus per consuetudinem incipiunt sapere aliqua quæ non sapiebant. Nutritius item per assuefactionem consumit aliqua quæ antea consumere non poterat, & tamen in istis potentiis non dantur habitus. Ergo nec dabuntur in intellectu.

RESPONDETUR. Facilitatem quæ acquiritur in agendo tum primum referri debere in aliquod principium superadditum, si subjectum sit capax diversi modi agendi etiam positis omnibus necessariò prærequisitis sublatisque e.g. materialibus impedimentis. Quia autem positis iisdem necessariò prærequisitis, semper eodem modo agit v.g. nutritiva, non eodem autem modo intellectus, fit ut non indigeat nutritiva, principio facilitativo superaddito, indigeat autem intellectus.

Et certè facilitas in digestione refertur in qualitates ad similem digestionem disponentes, in intensionem caloris naturalis, qui est principium præcipuum, referri item potest in remanentia accidentia, ex illo cibo, quem antea nauseabat ventriculus, ratione quorum remanentium & prædominantium accidentium potest oriri appetitus ad cibum, antea cum nausea acceptum. Referri potest in amotionem humorum, qui antea contrariabantur tali gustabili. Quia verò facilitas tenens se ex parte potentiæ intellectivæ in nullum aliud principium referri potest, nisi in qualitatem habitûs, hinc inferimus per negativum principium, dari debere in intellectu habitus.

Secunda PARITAS. Angeli præter species nullos habent habitus. Ergo & in nobis non debent dari.

RESPONDETUR. Quia probabiliter putamus quod actus evidentes eodem modo semper operari Angelos pertinereque hoc videtur ad excellentiam naturæ illorum hinc fit, ut non habeamus fundamentum quod in ordine ad tales actus in Angelis detur habitus. Jam autem cum experiamur post frequentatos actus intellectus expeditius nos operari, & cum illam facilitatem in aliud principium referre non possimus, hinc fit, ut asseramus in nobis dari habitus intellectus. Cæterum Suarez uterque, etiam in Angelis, ex eodem principio, ponunt habitus acquisitos, in ordine ad actus inevidentes.

DIFFI-

DIFFICULTAS II.

An dentur Habitus in Voluntate.

DICENDUM est. *Dari habitus in Voluntate.* Ita Suarez uterque Ariaga & Hurtadus, quamvis negent habitus in intellectu. Est autem conclusio contra Lugo & Oviedo.

PROBAT 1. Ariaga & recentior Suarez. Habituatus in aliquo peccato, potest in dies agnoscere suam malam consuetudinem, esse offensam Dei, & tamen magis facilitari in mala consuetudine. Ergo hæc facilitas, non proveniet à cognitione, sed ab alio principio.

RESPONDERI potest. Quamvis talis in dies percipiat majoritatem offensæ Dei: quia tamen non movetur illa cognitione, fit, ut in illam cognitionem, facilitas referri non possit: cumq; moveatur Oppositа cognitione delectabilis objecti, in hanc propositionem objecti delectabilis, referri potest dicta facilitas. Unde etiam quando infert Ariaga: si facilitas in voluntate referri debet in intensiorem cognitionem, se qui datos fuisse habitus peccaminosos intensissimos in Christo. Id etiam non convincet. Tunc enim cognitio respectu voluntatis est habitus, quando actualiter movet, nunquam autem Christus motus est illa notitia ad peccandum. Posset etiam ex Oviedo addi, cognitionem esse facilitativam voluntatis in operando, nonnisi in circumcumstantia negationis appositi moventis voluntatem actu. Reliqua etiam quæ adfert Ariaga bene solvit. Oviedo quem consule. *Hinc aliter*

PROBATUR 2. Dantur in intellectu habitus, nec referri possunt, in solas species coordinatas, tenentes se à parte objecti. Ergo & in voluntate dabuntur, nec referri poterunt, in solam propositionem objecti, itidem tenentem se, à parte objecti.

PROBATUR 3. Argumento negativo. Facilitas illa quam experimur in voluntate, subsequi post difficultatem operandi, non potest in aliud principium referri, quàm in habitum.

RESPONDET Oviedo. Quod hæc facilitas reduci possit, in ipsosmet actus intellectûs, & illius species. Quod sic explicat. Voluntas constituitur potens amare objectum, per cognitionem qua illi repræsentatur ut bonum, & per negationem impedimenti ad talem actum, voluntas enim non potest agere, si sit impedita; hæc cognitio, est attractiva voluntatis, ad amorem talis objecti, & eò magis attrahit, quò objectum apparet magis bonum. Et hæc attractio vel est ex parte objecti, dum major ejus bonitas proponitur, vel ex parte actûs, cum vivacius idem proponitur, magisque tunc trahitur ad amorem, quando magis trahitur per cognitionem bonitatis objecti; quia tota ratio propter quam voluntas liberè fertur & inclinatur ad objectum, est, quia trahitur à bonitate. Ergo quo major apparebit bonitas, faciliùs trahetur. Tota ergo facilitas referri debet in ipsam cognitionem vivaciorem, vel majus bonum propositum.

Rursùs actus quo voluntas fertur in objectum v. g. delectabile, relinquit speciem sui & objecti delectabilis; quo fit, ut postea intellectus, vi specierum quas antea habebat, & specierum quas modo ex actu relictas habet, quæ sunt quasi experimentales species, vivaciùs postea ipsum objectum apprehendat. Addit inferiùs duplicem facilitatem cogitari posse: unam formalem & transeuntem, aliam radicalem: Facilitas formalis consistit in cognitione ex illis speciebus antecedentibus elicita. Radicalis autem, qualem, & difficile mobilem, ad habitum requirit Philosophus, in illis speciebus experimentalibus, stabit. Ex quo ulterius infert: posse aliquem habere facilitatem propter vivacitatem cognitionis sine ullo habitu.

Infert rursùs posse haberi facilitatem radicalem & formalem, ad duo objecta, licèt non in summo gradu; quia potest oppositorum bonorum experimentalem quis speciem habere, & actus ex illis speciebus orti, possunt ad distincta bona inclinare.

Infert rursùs eandem cognitionem sub diverso respectu esse necessariam ad simpliciter posse, & ad facile posse; est simpliciter requisita, in quantùm includit minimum intensionis, requisitum ad hoc, ut voluntas possit moveri, est autem requisita ad facile posse, ratione aliorum graduum intensionis, qui supersunt. Quia tamen illi gradus intensionis sunt ejusdem rationis, omnes tribuunt: facile posse.

CONTRA est 1. Quia hæc responsio ostendit totam facilitatem quę se debet habere à parte objecti, non tamen explicat facilitatem ex parte potentiæ se tenentem, & tamen, etiam à parte sua, potentia, non se merè passivè habet, ad illam facilitatem, per quid ergo ad illam inducitur? Rursus, quid repugnaret manentibus iisdem experimentalibus speciebus objecti delectabilis, magis & magis facilitari voluntatem, in depromendo amore, illius objecti: Ergo apparet facilitatem illam, in meras species, non posse referri. Pone dari species experimentales à parte objecti se tenentes, & nunquam secutam fuisse appetentiam & consen-

sum, post illam experientiam; quomodo hinc erit facilitas, sine omni omnino actu, & nusquam se movente voluntate. Ergo apparet non rectè referri illam facilitatem in species. Rursùs tota ratio libertatis non sistit in sola attractione, sed etiam in determinatione voluntatis. Ergo ut faciliùs se determinet, pro ista parte, debet dari principium facilitativum, & hoc erit habitus.

CONTRA 2. Ex duobus æqualibus bonis potest voluntas etiam præantecedente vivaciori propositione objecti melioris, eligere minus bonum, vel minus vivaciter propositum. Cur ergo ad talia bona volenda, non poterit dari facilitas, quæ cum non possit referri in propositionem objecti, debet referri in habitum. *Neque valet si dicas*, quòd frequenti usu electionis minoris boni, species relictæ, ex usu minoris boni, facilitent voluntatem ad eligendum minus bonum; non inquam valet, si dicas id: Quia vel species relictæ ex minori bono proponunt illud ut majus, vel ut æquale bonum, & sic jam non stas in proposito: quia fieri potest, ut voluntati semper illud proponatur bonum, ranquam minus, & tamen frequentatis actibus, reddatur facilis aliquis, ad illud potiùs bonum volendum, quæ facilitas non potest referri in species, minus bonum, tanquam majus proponentes. Quod si dicas illud minus bonum vivaciùs proponendum. Contra erit, quia fieri potest ut proponatur majori vivacitate majus bonum, quàm minus, & tamen ex frequenti usu, facilitetur voluntas ad minus illud, expeditè arripiendum. Quod totum supponit hanc doctrinam. Quòd voluntas possit pro sua voluntate, libertate eligere minus, & stante eadem apprehensione, frequentare suos actus, & ex frequentatione, acquirere facilitatem.

CONTRA 3. Quia de ratione habitus est, ut inclinet ad similes actus, à quibus est productus; sed species intellectus, producuntur ex actibus, vel ex notitiis actuum voluntatis: Ergo inclinabunt tantum ad actus intellectus, & ad notitias actuum voluntatis. Hîc autem non quæritur de inclinatione actuum intellectus, sed de inclinatione voluntatis, ejusq; facilitativo.

OBJICIT 1. Oviedo. Voluntas ex repetitione actuum aliquando acquirit majorē difficultatem quam antea habebat in exercitio illorum. Ergo sicut quando acquirit facilitatem, dicitur reliquisse actus præteritos qualitatem quandam seu habitum, quo voluntas faciliùs exequitur actus suos: ita quando acquirit difficultatem, dicetur præcedentes actus reliquisse qualitatem aliam, quâ voluntas, difficiliùs alios similes exercet. Voluntas enim secundùm se, non habet talem difficultatem.

RESPONDETUR. Non ex hoc principio simpliciter arguere nos, dari habitus, quia datur facilitas, aliàs etiam in membris, habitus, admittendi essent; sed quia hæc facilitas, non potest in aliud principium referri, quàm in qualitatem acquisitam: quia verò illa difficultas, potest in aliud principium referri v. g. in conditionem objecti, & ipsi potentiæ inductas dispositiones, quæ augent potius difficultatem quam minuunt, ideo id non potest referri in qualitatem aliquam. Non rarò etiam illa difficultas oritur nonnisi ex consequenti, & ita si aliquis habeat facilitatem odiendi Dei, inducto habitu amoris acquisito, reddetur difficiliùs odium, non propter qualitatem aliquam in se difficultativam, sed propter facilitatem inclinantem ad amorem, & ex consequenti reddentem difficile odium. Quodsi aliquis poneret facilitatem & expeditum modum, difficile reddendi objectum, referri debere in qualitatem Habitus, de novo acquisiti talis minus convinceretur, hoc argumento.

OBJICIT 2. Idem. In appetitu brutorum non datur habitus, & tamen bruta, faciliùs appetunt objectum jucundum, quod pluries sensêre. Ergo idem de voluntate dici potest.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia appetitus brutorum, est potentia necessaria, & insuper eodem semper modo, positis omnibus prærequisitis, agit; hinc non indiget principio, per quod facilitetur, ut expeditiori modo agat. Voluntas autem iisdem positis prærequisitis, posset non eodem modo agere, & ut eo modo agat, potest acquirere ex frequentatione facilitatem, sit ut illi habitus tribui debeat, cum in aliud principium, illa facilitas, rejici non possit.

INSTAT Idem. Voluntas eodem habitu instructa, potest habere facilitatem ad actus virtutis, in hac materia potiùs, quàm in illa; quia hæc felicitas proveniat ab habitu, & ita fieri potest ut aliquis instructus habitu pœnitentiæ, faciliùs illam exerceat jejuniis quàm flagellis. Ergo facilitas illa non necessario oritur ex habitu.

RESPONDETUR. Non semel concessum est, quòd facilitas aliundè etiam provenire possit, quàm ex habitu, ut ad jejunium facilitas provenire potest, ex temperie parum digerente, ex humoribus qui absumuntur loco ciborum; sed tum temporis nonnisi facilitas refertur in habitum, quando in aliud principium, referri non potest.

OBJICITUR 3. Voluntas non potest ferri in incognitum, sed si darentur habitus, voluntas ferretur in incognitum, secundùm illum scilicet excessum inclinationis, procedentis ab habitu.

RESPON-

Respondetur. Excessus ille inclinationis, procedens ab habitu, non inclinat independenter à cognitione, sed nonnisi posita illa, de quo infra.

DIFFICULTAS III.

Dantur né in appetitu sensitivo & Phantasia Habitus.

Negat Suarez & Ariaga, affirmat recentior Suarez & Fonseca.

Dicendum est, *Probabilius esse, non dari in istis potentiis, ullos habitus.*

Ratio. Quia ex una parte si in iisdē prærequisitis ponantur illæ potentiæ, eodem modo semper operabuntur. Ergò non est in illis reperire difficultatem, quæ se teneat ex parte potentiæ, ad quam superandam, dari debent habitus. Ex altera parte, bene id referri potest in species, in remotionem impedimentorum, & cætera similia.

Dices 1. cum recentiore Suarez tam appetitus quàm phantasia, operantur propter rationes motivas prius cognitas.

Respondetur. Ad hoc ut dicatur aliquid esse capax habituum, supponi quidem debet, quòd moveatur rationibus prius cognitis, sed hoc solum non sufficit; est enim necesse videre, an iis prærequisitis positis, expeditiùs agere possit: & quidem expeditione non in aliud quam in habitum referibili. Quia autem phantasia & appetitus sensitivus, positis omnibus prærequisitis, eodem semper modo agunt, fit, ut non indigeant habitu.

Dices 2. cum eodem. Experientia constat plurima animantia, ex frequentatione actuum acquirere facilitatem, in saltando, garriendo & cætera similia, quæ omnia referri non possunt, nisi in habitus phantasiæ.

Respondetur. Posse id referri in semotionem impedimentorum, in compagum, ipso usu, flexurum, & similia. Præcipuè in circumstantia specierum acquisitarum.

Dices 3. cum eodem. Licèt appetitus sensitivus sit materialis & phantasia non nisi materialiter cognoscat, hoc non tollit, quo minus proponatur aliquid magis vel minus bonum, & quod inde sequitur, stat cum hoc, quòd per illas cognitiones non determinetur appetitus, quantùm determinabilis est.

Respondetur. Proponi magis vel minus bonum, tantùm arguit facilitatem oriundam ex propositione, consequenter ex speciebus, qualis facilitas concedi illis potest, sed non facilitas ex habitu.

Dices 4. Illæ potentiæ sunt capaces habitus, quæ nunc perfectos, nunc perfectiores actus, habere possunt; hoc autem competit etiam potentiis sensitivis, imò & vegetativis.

Respondetur. Majorem esse ulterius modificandam ut dictum supra, illas scil. potentias esse capaces habituum, quæ nunc perfectos nunc perfectiores actus habere possunt, si perfectio illorum, non in species, non in amotionem impedimentorum, rejici possit, perfectior autem operatio sensitiva, fit, ratione v. g. impedimentorum, quæ sunt ablata &c. vel si impedimentis potentia careat, fieri potest, ut inde oriatur difficultas operandi, eò quòd careat speciebus requisitis iisq; bene radicatis, cum cæteroqui ipsa potentia, sit determinata, ad eundem modum agendi. De quo innui supra.

Dices 5. Potentia indeterminata ad suos actus, est capax habitus, multæ autem potentiæ sensitivæ, non sunt determinatæ ad suos actus, qualis est etiam potentia loco motiva, quæ ad hunc vel illum modum, determinari potest à voluntate, despoticè imperante.

Respondetur. Potentias sensitivas esse determinatas ad unum modum agendi, positis omnibus prærequisitis, quod autem motivæ possit imperare voluntas, nunc hunc, nunc illum motum, non argui indifferentiam potentiæ motivæ ad talem motum positis omnibus prærequisitis; sed solum esse illam potentiam subditam voluntati, & inter prærequisita agendi, habere, voluntatis imperium.

Inter præcipua argumenta quibus probatur non dari habitus, hoc etiam est, quòd non sit explicabilis modus, quo deberet concurrere habitus. *De quo, sit*

QUÆSTIO II.

De concursu Habituum ad actus.

Habitus concurrere ad actus, nonnisi tanquam dispositionem, & conditionem quandam, docet Hurtadus, concurrere effectivè docet Suarez. Concurrere nonnisi per modum causæ formalis tanquam probabilius docet Pontius Disp. 65. num. 26. concurrere & formaliter & efficienter Ariaga.

DIFFICULTAS I.

Explicatur quo modo Habitus possit concurrere formaliter ad actus.

Explicat 1. Ariaga formalem istum concursum habituum, per inclinationem, ipsam autem inclinationem, per proportionem ad impulsum. Quia sicut impulsûs qualitas, est natura sua, manum inclinans v. g. ad motum, & licèt actu illa motum non producat, casu v. g. quo resistatur illi impulsui, actu tamen inclinat, sentimusq; illam inclinationem, & illi resistendo laboramus. Ita habitus est impulsus natura sua inclinans v. g. ad producendum amorem, & dum est ille habitus in voluntate, posita, præ-

senti

senti cognitione voluntatem, inclinat ad Amorem. *Hæc Explicatio*

Non satisfacit. Quia dici potest, quòd cum impulsus sit quid violentum, mirum non est, quòd ut effectum habeat, sentiatur inclinatio illa impulsus, casu, quo impediatur, ne effectum habeat, habitus autem, cum non sit quid violentum, non est ratio, cur casu quo effectum non habeat, inclinatio illius sentiatur, idque vi proportionis cum impulsu. Deinde videtur longè esse dispar horum duorum ratio. Impulsus enim cum non duret diu, debuit illi provideri à natura, & si impediatur, sentiatur ejus inclinatio ordinaturque à natura, ut vel statim producat effectum, qui est motus, vel si non producat motum, depugnet contra impedimentum, resistens sibi, ne producat effectum. Hinc ex illo ordine, facile est illam inclinationem, in impulsu ponere. Quia autem non ordinatur ad hoc habitus, ut dum est in potentia, actu semper inclinet, sed sufficit, ut possit inclinare, quî ergo eodem modo se habebit inclinatio habitûs, quæ quæritur formalis, cum inclinatione, proveniente ab impulsu.

Explicat 2. Pontius. Quia scilicet habitus ita disponit potentiam, ut eo supposito, vel ipsemet actus, sit delectabilior voluntati, vel ab objecto actûs apprehenso, causetur aliqua causalitas, delectans, præviaque ad actionem, propter quam qualitatem delectantem, voluntas agat delectabiliter; vel certè per eam tollitur habitus oppositus, qui reddebat actionem difficilem. *Hæc explicatio*

Non satisfacit 1. Quia hîc debet dari talis explicatio concursus formalis, quæ conveniat omni habitui acquisito, expellere autem habitum oppositum, per hocque formaliter facilitare, non convenit omni habitui: fieri enim potest, ut habitus virtutum acquisitos habeamus, & eorum concursum formalem, sine expulsione habitûs vitiosi v. g. sine expulsione habitus luxuriæ, in istis qui sunt virgines. Deinde ipsa illa entitas habitûs oppositi, debebat concurrere formaliter, sicque facilitare, de hac ipsa quæro, per quid salvetur concursus illius formalis.

Non satisfacit 2. In quantùm dicit, quòd ab objecto, præviè ante actionem, producatur aliqua qualitas delectans. Tum quia facile negabitur talis qualitas, videturque esse nonnisi mera divinatio. Tum quia vel illa qualitas agit aliquid. Ergo tribues concursum, mediante illa qualitate habitus, tribues in quam concursum, etiam in genere causæ efficientis, quem tamen negat Pontius vel illa qualitas nihil agit, & de illa iterato reddit quæstio, quomodo inclinet? Tum quia si totus concursus habitus, sistit in productione illius qualitatis, non assignabitur ratio, cur expeditius substantiam actûs producat voluntas informata habitu. Tum quia interdum delectatur aliquis in productione actus virtuosi v.g. in dissensu objecto prohibito, & tamen sentit difficultatem: Ergo aliud est ista delectatio, aliud facilitas quam tribuit habitus. Tum quia si illa qualitas, producitur ab objecto, non ostendis concursum formalem immediatum habitûs ipsius, de quo quæritur, quid sit? Et deinde objectum per receptam sententiam, non aliud potest producere, quàm actum & speciem, qualitas autem illa, neque est actus neque species. Non inquam actus, qui sit v. g. actus intellectus, loquendo, de habitu intellectuali.

Non satisfacit 3. In quantùm explicat illum concursum quod habitu supposito, reddatur actus delectabilis voluntati. Non satisfacit inquam, tum quia de hoc ipso quæritur, quomodo reddatur ille actus delectabilis delectabilitate habituali? Tum quia etiam posito haberi hanc delectabilitatem habitualem, restat quærere, quomodo id fiat, in genere causæ formalis. Tum quia reddi potest aliquis actus delectabilis voluntati qualis esset Actus primæ delectationis sine ullo habitu. Ergo per præcisam delectabilitatem, influxus habitus, in genere causæ formalis, malè explicatur.

Explicat 3. Oviedo. Habitus est qualitas quædam, ex se determinata, ad producendum actum, in quem inclinat, hanc propensionem seu conatum ad talem actum habet dependenter quoad efficaciam, à libertate voluntatis, cui subditur, quo fit, ut cum quoad exercitium dependeat illa propensio à libertate voluntatis, fit inquam, ut salva libertate fiat. *Hæc explitio*

Non satisfacit. Concedo enim habitum quoad exercitium dependere à libertate, concedo esse natura sua propensionem ad actum, & post hæc omnia, quæro, quomodo in genere causæ formalis fiat ille concursus, quomodo comparatè ad Actum illam suam propensionem exerceat habitus.

Antequam explicetur difficultas.

Præmitto 1. *Definitivè habitum, esse qualitatem inclinativam*, ut vidimus supra & sicut impulsus est qualitas motia, species est qualitas vicaria objecti, ita datur etiam qualitas quædam inclinativa & facilitativa, tenens se à parte potentiæ, hæcq; vocatur habitus.

Præmitto 2. *Hanc qualitatem inclinativam, cum sit in genere causæ formalis, necessario unitam debere esse*, voluntati, aut cuicunque alteri principio, quod inclinare dicitur. Neque enim dicitur forma concurrere formaliter, nisi unita.

Præ-

Præmitto 3. *Concursum in quacunque tandem explicatione quem præbet in genere causæ formalis habitus, respectu actuum, non posse esse consimilem simpliciter, & in omnibus, ei concursui, quem præbent formæ aliæ* v. g. albedo ad constituendum concretum quod est album. Quia talis concursus semper actualiter exhibetur, nihil enim aliud est in re, nisi forma unita subjecto apto. Sicut ergò dum est unita, necessario est unita, sic dum est unita, sic dum est unita, necessario in genere causæ formalis concurrit. Jam autem concursus, quem respectu actuum, in genere causæ formalis, exhibet habitus, non est semper actu: aliàs etiam non posita cognitione objecti, inclinaretur voluntas ad actum, ferreturq; in incognitum. Cæterum talem exhibet concursum, ut constituat potentiam habituatam, semper enim, dum est habitus unitus, constituit habituatum. Unde concursum illius in genere causæ formalis, duplicem cogitare possumus, unum quasi vitalem, qualem multi concedunt præmissis respectu conclusionis, intentione efficaci respectu electionis, & imperio efficaci respectu actûs imperati. Alium concursum considerare possumus, quantumvis procedentem in genere causæ formalis, qui fiat modo non vitali, qualem imaginari possumus, si detur prædeterminatio, qualitas inanimis, quæ sua entitate, sine ullo motu vitali, potentiam ad opus urget, & qua ratione pondus impositum humeris, imprimit gravitatem. *His præmissis*

Explicatur. *Quomodo voluntas inclinetur ab habitu concurrente in genere causæ formalis.* Proponitur imprimis objectum Voluntati, & motivum, secundùm quòd agere debet Voluntas, nihil enim est Volitum nisi cognitum, & hoc est primum extrinsecum principium agendi, & à quo incipit omnis motus Voluntatis. Posita hac illuminatione Voluntatis, & principio movendi Voluntatem vitali, accedit aliud principium extrinsecum non vitale, nempe habitus, & ad id, quod ab intellectu propositum est, anteq; usurpatum, morto modo inclinat. Sicut enim v. g. diaphano posito & objecto in debitis prærequisitis, sine ulla diaphani actione, repræsentatur objectum in diaphano, sequiturq; ut officium suum & naturam, diaphanam exerceat, ex ipsa quantumvis extrinseci objecti propositione. Sic posita illuminatione debita ad actum, sine ulla actione, quæ proficiscatur ab habitu, sequitur ut naturæ suæ jus impleat habitus, quæ est, inclinare potentiam ad similium actuum positionem, quæ inclinatio cum ut dixi fiat mortuo modo, & ex entitate ipsius habitus naturaque, cum definitio illius sit esse inclinationem, fit ut modum illum, ipsa sua entitate exerceat. Et sicut pulsatis chordis unius cytharæ, fides aliûs resonant non pulsatæ, propter naturalem Symphatiam, & proportionatam extensionem. Sic cum maxima sit proportio inter illuminationem illam prævium, & inter habitum fit, ut prima illa invitatione Vitali, quæ est per actum intellectus posita, propter naturalem Sympathiam, proportionem, & convenientiam, in prædicato invitandi, ad similes actus, fit inquam ut juri suo satisfaciat habitus, adeoq; inclinet. Porrò sicut fides antequam pulsetur, non respondet sonus proportionatus in altera Cythara, sed solum respondere potest, si ponantur prærequisita, ita & ante propositionem objecti, non respondet, sed tantum respondere potest inclinatio, oriunda ex habitu.

Quod alterius ut explicetur videndum est, quòd ea, quæ in genere causæ formalis concurrunt, in duplici ordine considerari possunt. Primo in quantum ultra constitutionem concreti seu formati, non plus, in unione illius formæ, intendit natura. Et sic quousque unita est subjecto, verbi gratia, albedo, constituit album, nec dependet jam à quoquam, ut hoc genus exerceat causæ formalis. Secundo considerari potest in eo ordine causa formalis, ut præter constitutionem ejus concreti, quod constituere nata est, adhuc procedat alterius, ad aliquid aliud. Sic, verbi gratia, forma, quæ est albedo, in quantum est disgregativa visus, requirit visum, hunc enim solum disgregat: Lucem, nam in tenebris nulla fit disgregatio. Requirit denique debitam distantiam, nam si ponatur supra sensorium non disgregat illud. Data item prædeterminatione voluntatis, ad hoc, ut constituatur ex illa compositum, quod est prædeterminatum esse, ad hoc non plus requiritur, quam ut sit unita subjecto, sed in ordine ad hoc ut aliquid aliud in eodem genere causæ formalis principiet, formaliter determinando, indiget requisito, verbi gratia, cognitionis proportionati concursus &c. Et hic concursus in genere causæ formalis appellari potest concursus ad aliquid extrinsecum, qui fit ipsa entitate, quantùm est de se, inclinante semper in actu Primo, inclinatura in actu secundo, si circumstantiæ ponantur. Sic etiam & habitus ut faciat concretum cum voluntate, quod est, esse habituatum, & ut in hoc genere causę formalis, quod est ad intrinsecum (ut ita dicam) concurrat, nullo alio indiget, nisi unione cum voluntate, tamen ut concurrat ad aliquid extrinsecum in genere causæ formalis, est necesse, ut habeat prærequisita, quale imprimis est illuminatio ex parte intellectus, propter rationes prædictas. Et deinde ex eo quia inter habitus, voluntatis, & inter modum agendi ipsius necessario debet esse proportio, sicut enim non inclinatur voluntas habitibus intellectus,

ut-

utpote sibi improportionatis, sic nec inclinaretur habitibus voluntas, si proportionati voluntati non essent, imò hoc ipso à ratione habituum voluntatis deficerent, si interveniret improportio. Cum itaque modus agendi voluntatis, sit agere, ex prævia cognitione, etiam proportionatus voluntati habitus ipsius, inclinare debebit, posita prævia cognitione.

Breviter ergo concurrit habitus in genere causæ formalis ad actus voluntatis, quia inclinat sua entitate mortuo modo per modum comprincipii si ponantur alia prærequisita. Idem proportionatè dicendum est de habitibus intellectus, tantum quod ante præcognitionem, non sit necessaria alia præcognitio similis, sicut ante cognitionem actum voluntatis, ad quem inclinat habitus voluntatis, est necesse ponere præcognitionem, sed tamen erat necessaria occurrentia, & propositio objecti. *His explicatis*

Dicendum est. *Quòd habitus concurrat ad actus, etiam formaliter.*

Probatur 1. Quia habit⁹ concurrit ad actus, sed non concurrit in genere causæ finalis. Nam finis actuum, est alius longè; non etiam concurrit in genere causæ materialis, quia non ad habitum spectat recipere actus & subjectare, sed ad potentiam, non etiam concurrit in solo genere causæ efficientis. Ergo etiam concurrit in genere causæ formalis. Quod autem non concurrat in solo genere causæ efficientis. Ratio est, quia est impossibile causare in genere causæ efficientis, & non ponere actionem, rursus impossibile est ponere actionem, & non ponere actionum effectum. Sed habitus causat ante positionẽ effectus, quia habens habitum ebrietatis, sentit se habere inclinationem antequam inebrietur, & sentit se inclinari ut ipsam volitionem inebriationis eliciat. Et sic de reliquis habitibus.

Probatur 2. Quia si non causaret etiam in genere causæ formalis habitus, illa inclinatio quam sentimus ad actus, non posset ostendi, quodnam principium habeat.

Probatur 3. Quia possibilis est talis causandi modus, & quæcunq; indicia legitima possunt haberi causalitatis in genere causæ formalis, ea ostendi poterunt, etiam in habitibus.

DIFFICULTAS II.

An Habitus concurrat etiam effectivè.

Dicendum *est affirmativè.*

Probat 1. Ariaga. Quia impulsus producit effectivè motum, ergo & habitus quia etiam ille est impulsus ad actum.

Respondetur. Concedi debet impulsui vis productiva effectivè impulsus, quia nisi tribuatur vis agendi ipsi impulsui, sæpe nullum aliud principium effectivum motus poterit ostendi. Non rarò enim moventur impulsu, quæ se ipsis moveri nequeunt; si autem semel impulsus est causa effectiva motûs, cur non erit semper? Jam autem non concessa causalitate effectiva habitui in actus, assignari posset principium effectivum? illorum, ipsa potentia.

Probat 2. recentior Suarez. Quia habitus est veluti semen actus, semen autem concurrit effectivè.

Respondetur. Figuratam esse locutionem, quòd habitus sit semen, potestque habere similitudinem cum semine nonnisi in hoc, quia sicut semen deciditur & pullulat ex substantia viventis, ita habitus ex actibus. Deinde non est necesse tribuere habitui vim efficiendi actus, quia efficientia actuum, potest bene tribui alteri principio; nempe intellectui, multorum autem viventium efficientia, non potest alteri tribui quàm semini. Quanquam per multos etiam muliebre semen, effectivè ad generationem non concurrit. *Hinc alter*

Probatur 3. Experientia. Quia scil. non tantùm experiri solemus inclinationem ante positionem actus, sed etiam in ipsa illius effectione & productione experiri solemus majorem facilitatem, quæ in aliud referri non potest, nisi in conversum habitus in genere causæ efficientis, ipsumq; hoc quod minori conatu agat & tamen expeditè anima, ostendit, hoc effectivum aliud, ejusdem actûs.

Respondebis in principiis Vasquez, quod eo casu non concurrat ad actum, sed ad modum quendam actus ille habitus.

Contra 1. est. Quia hæc responsio, non negat, quòd effectivè concurrat habitus, licèt effectum illius non dicat esse ipsum actum, sed modum aliquem illius actûs. Quod autem concurrat ad ipsam entitatem actus, non verò ad solum modum illius, sic probatur. Ille modus vel est modus entitativus vel modus essendi, seu formalitas sola, si concurrit habitus, ad modum illum essendi: Ergò concurrit ad entitatem actus, quia hic modus essendi, est identificatus realiter ipsi actui, impossibile autem est concurrere ad aliquid realiter, & non concurrere ad alia, cui illud identificatum est realiter, Quodsi ille modus est modus entitativus. Contra est: Quia non erit ratio, quî fiat, ut sentiatur facilitas in producenda ipsamet substantia actûs, si ad substantiam actus non concurrit ille habitus. Deinde si potest habitus concurrere in genere causæ efficientis ad modum illum actus: Ergo apparet, quòd illi talis causalitas non repugnat. Ergo illam etiam in substantiam actus exercere poterit. Denique non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nulla autem necessitas prædicti modi: Ergo si habitus concurrit effectivè, potiùs concurret, effectivè, ad ipsam entitatem actus.

Contra 2. vel producit etiam potentia illum modum, vel solus habitus, si producit solus habi-

habitus, Ergo ad aliquid producendum, erit simpliciter necessarius habitus naturalis, nempe ad illum modum. Rursus si illum modum producit solus habitus, inexplicabile est, quomodo facilitetur tunc potentia, in producenda ipsa substantia actus, si autem illum modum producit etiam Voluntas, Ergo cum habitu agens, magis defatigabitur, producendo scilicet & ipsum actum, & modum, sicut & nos fatigamur oratione v. g. Psalterii & attentione ad illam.

NEQUE VALET si dicas, quod currus cum rotis magis ponderet quàm sine rotis, & tamen tractio illius cum rotis, facilior est: ita plus efficit Voluntas efficiendo & modum & actum, effectio tamen illius modi, facilitat ipsam productionem actus. Non inquam valet si dicas, Quia quando rotæ facilitant tractionem majoris ponderis, id inde fit, quia rotæ influunt sua circumvolutione, ad ipsum movendum currum, & mediantibus rotis, fit influxus ipsius primum moventis v.g. bigæ alicujus, quam similem actionem, si tu concedis modo illi, concedis influxum effectivum, in ipsam substantiam actûs, ut scilicet potentia & habitus, producendo illum modum, producat & ipsam substantiam actus.

NEQUE VALET ulterius si dicas, Quod sicut concessum est à nobis dari inclinationem, quæ fiat ipsa entitate in genere causæ formalis, & antecedat positionem actûs: ita etiam dari ipsam entitativam facilitatem, quæ etiam concurrat, nonnisi in genere causæ formalis: Nam urget ratio adlata, pro isto concursu effectivo. Deinde quia non tantùm ante positionem actus, experimur inclinationem, sed etiam ipsam facilitatem exercitii, quæ in aliud non potest referri, quàm in concursum effectivum.

Ad ea, quæ pro urgenda hac *Responsione adferri possunt solvenda*, habendum præ oculis est. Quòd concesso influxu in entitatem actus habitui, erit adhuc distinctus habitus naturalis acquisitus, ab habitu supernaturali infuso: quia actum illum totum quoad entitatem potuisset elicere Voluntas, quamvis non cum tanta facilitate; potentia autem naturalis, sine habitu infuso, aut auxilio locum ejus supplente, causare neutiquam potuisset actum supernaturalem. Deinde quamvis ad substantiam actus sufficiens sit potentia, quia tamen non est sufficiens ad illam expeditè & cum facilitate eliciendum, hinc fit, ut agnoscamus concursum habitûs, effectivum actûs. Quando autem urgetur: Quòd si concurrat habitus effective; deberet illi respondere aliqua formalitas, quæ non respondeat ipsi potentiæ, eò quod duabus causis concurrentibus, unicuique sua formalitas respondere debeat, eaque condistincta, id etiam non convincit. Videmus enim, quod concurrente causa prima & secunda ad eundem effectum, nulla respondeat formalitas causæ primæ, quæ non respondeat secundæ, & è converso. Idque videtur universaliter non requiri, quando duæ causæ concurrentes sunt sibi subordinatæ. Quia autem habitus subordinatur potentiæ, hinc fit ut nulla formalitas respondeat potentiæ, quæ non respondeat habitui. Potest etiam formalitas hæc distincta ostendi, nempe ipsa facilitas, in substantia actûs, faciliter prodeunte.

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones.

OBJICIT Pontius. Si concurreret in genere causæ efficientis habitus, id ideò esset, quia habitus daret potentiæ faciliùs operari, sed ab illo concursu non potest habere potentia, faciliùs operari. Quod ipsum probatur, quia ea tenus haberet à concursu habitus, facilius operari, quatenus à concursu proprio, haberet, difficilius operari, sed hoc est falsum, quod probatur, quia difficultas potentiæ in agendo, est difficultas sensibilis, quam experimur in nobis, Ergo provenit ab aliquo quod sentimus, sed prorsus non sentit potentia concursum aut influxum suum, Ergò difficultas illius non oritur ab influxu formaliter.

RESPONDETUR. Hanc objectionem involvere multa incerta. Nam imprimis supponit: Quod posito concursu habitûs, tollatur aliquid ex proprio concursu potentiæ, quod falsum est. Eodem enim modo ut ante, pro sua parte, potest Voluntas cum habitu concurrere, imò deberet magis, hoc est intensius concurrere, allicente duplici principio ad operationem, hoc est, propositione objecti, & inclinatione ab habitu oriunda. Deinde non apparet, quæ sit ista sensibilis difficultas, hoc est materialis in operatione spirituali, quodsi nomine difficultatis sensibilis, veniat difficultas, quæ sit per experientiam cognita: hæc quidem non negatur, sed tale etiam sentiri seu experiri, datur in actibus intellectus & Voluntatis cum ipsam facilitatem vel difficultatem experiamur, & ipsum etiam concursum potentiæ, qui identificatur ipsis actibus. Deniq; alia est hæc propositio: Quod difficultas in operando sumatur ex ipso influxu potentiæ, & ex concursu proprio illius, & hæc propositio est falsa, quia si ea difficultas oritur ex proprio concursu potentiæ, cum concurrat etiam potentia cum habitu, etiam cum habitu sentiri deberet, cum tota ratio difficultatis, ponatur, concursus proprius. Et alia est hæc propositio: Quod ipse concursus potentiæ, non facilitet actum, & ista propositio est vera, Videtur autem arguens istas duas propositiones confundere. Deinde nego, quod potentia non sentiat in suo actu & influxu difficultatem vel facilitatem, licèt non sentiat distinctionem inter influxum & actum.

INSTAT I. Idem, Ideò habet potentia difficultatem ab influxu suo, quia totum conatum

intendit,& absq; concursu alterius causæ,ipsamet totaliter , causat actum. Sed ex hoc non deberet sentire difficultatem , quæ superari deberet per habitum,quia potentia visiva exhibet totum conatum suum ad actum visionis, & tamen non sentit difficultatem , per hoc præcisè quòd exhibeat totum conatum quem potest, & quod non adsit concursus supplens partem concursus.

Responsum supra. Quia visiva in iisdem circumstantiis, semper eodem modo operatur, positisque prærequisitis , nunquam facilius videt ; fit, ut non sit fundamentum tribuendi illi comprincium facilitativum. Jam autem in iisdem prærequisitis , intellectus , non eodem modo operatur, sed cum sensisset difficultatem postea facilitatur , hinc habetur fundamentum tribuendi illi comprincipium facilitativum. Quod principium,quòd etiam in genere causæ efficientis agere debeat,probatum supra. Deinde argumentum multum probat:probat enim ne quidē concursum in genere causæ formalis tribui debere habitui, cum etiam illo destituatur visiva.

Instat II. Idem. Si proponatur bonum delectabile voluntati,ut delectabile præcisè,non sentit ullam difficultatem in ejus prosecutione quoad primum actum, & tamen habet influxum totalem in illum actum, absque concursu habitûs.

Responsum supra. Non ex eo præcisè, quòd sola potentia concurrat , sentiri difficultatem in omnibus actibus ; quare autem sentire difficultatem , & illam auferri arguat habitum, & quando, dictum supra.

Noto I. Difficultatem quæ in agendo sentitur non esse refundendam in hoc solum principium, quia nullum aliud principium concurrit cum potentia. Ratio,quia multa concurrunt se solo,ut principia necessaria,Deus creans, & tamen ex hoc, non oritur ulla difficultas.

Noto II. Difficultatem hanc provenire interdum à propositione objecti,ut si tanquam arduum proponatur , & hæc difficultas interdum experiendo,interdū radicatis speciebus vincitur.

Noto III. Difficultatem quam experimur in operando , interdum provenit ab aliquo positivo, ut cum provenit ab habitu in oppositum inclinante , quo casu si sit ita intensus habitus, ut exigat corruptionem oppositi, facilitas quam adferet habitus, erit ex consequenti corruptio alicujus positivi ; ita ad facilitatem, corruptio habitus oppositi , habeat se tanquam removens prohibens. De ipsa autem difficultate discutrendo , quam universaliter debet tollere habitus , illa dupliciter à nobis spectari potest, I. ut subest nostris conceptibus, & sic apprehendimus illam tanquam formam impedientem potentiam. II. prout est in re &sic accepta, aliud dicit in recto, aliud in obliquo : in recto, nihil aliud est, nisi ipsa potentia,in obliquo autem connotat negationē expeditionis promptitudinis,quam negationem, dicimus, in ipso exercitio actûs, non videri unde tollatur, nisi concedatur effectivè concurrere habitum. *Hinc consequenter*

Inferes, non ex concursu proprio & solius potentiæ illam oriri difficultatem, sed oriri ex ipsa potentia, non expedita, non prompte agente.

Objicit II. Idem. Per hoc quod potentia habeat inclinationem ad unum actum v. g. intemperantiæ , oppositus actus erit ipsi difficilis,qui non esset ipsi difficilis, si non haberet illam inclinationem , & ideò aliquis actus est ipsi facilis, quia aliàs erat difficilis, vel quia tollitur inclinatio ad oppositum actum , vel quia additur inclinatio ad actum illum, qui fit facilis, unde neq; ratione, neq; experientia , colligitur alia difficultas aut facilitas, in potentia,ad actus eliciendos. Ergò habitus solum debet poni, vel ad dandam inclinationem ad actum, vel ad tollendam inclinationem ad oppositum actum.

Respondetur. Duplicem nos sentire negationem facilitatis in eliciendo actu qui postea à nobis facile elicitur. I. sentitur à nobis negatio facilitatis , quæ antecedit positionem actus , quia scilicet post propositionem objecti, antea non sentiebamus nos inclinari ad actum, postea verò sentimus , & hanc facilitatem dicimus oriri,negationemq; illius tolli præcisè ex vi concursus,quam in genere causæ formalis , præbet habitus. II. negatio facilitatis sentitur in ipsa positione actus , quòd scilicet ponatur actus cum reluctatione interdum , vel saltem cum quadam inexpeditione ita ut postea sentiamus potentiam expeditè ipsum actum ponere , & hoc dicimus non ab alio principio provenire, nisi ab ipso concursu habitus, in genere causæ efficientis. Utramque hanc negationem facilitatis , augere potest positio habitus oppositi. Sed hæc difficultas non est universalis ut dictum supra. Directè ergo negatur, ideò actum ipsum facilem esse,qui aliàs erat difficilis, quia tollitur inclinatio ad oppositum, vel quia additur inclinatio antecedens actum,potest enim dari tertia facilitas,in ipso exercitio actûs.

Instat I. Idem. Per concursum habitûs, in genere causæ efficientis , non potest tolli inclinatio in oppositum actum, neq; addi inclinatio ad ullum actum, quod ipsum probat,quia concursus actualis habitus , solum habet supplere illam partem concursus, quæ non adest, & influxus adæquatus potentiæ & habitûs habet solum effectivè & formaliter tantum facere quantum fecisset concursus adæquatus solius potentiæ, qui sufficeret ad actum, si adfuisset, sed neq; pars concursus potentiæ , quæ deest, præsenti concursui habitûs,neq; totus influxus illius, tollunt inclinationem potentiæ ad oppositum: aut si tollunt, jam non esset productio habitus difficilis potentiæ. Ergò neq; partialis influxus potentiæ & habitus,neque totalis influxus ipsius potentiæ, tollit inclinationem ad oppositum.

Responsum supra. Immeritò imaginari Pontium, quod tollatur pars concursus propter accessum habitus , non ergo ex illo principio facilitatur potentia , quia diminuitur ille concursus, sed ex alio principio , jam explicato.

Instat

Instat 2. Idem. Quando aliquis habitualiter intemperans sentit difficultatem in eliciendo actu temperantiæ. Ergo ab aliquo oritur illa difficultas. Tum sic vel illud à quo oritur illa difficultas, formaliter loquendo, est solus habitus intemperantiæ absque aliqua productione, vel alia qualitate producta per ipsum, vel est productio aliqua alicujus alterius qualitatis, aut alia illa qualitas. Si dicatur primum, habetur intenta, quia quidquid habitus facit seipso, absque productione, facit illud non quatenus concurrit effectivè, sed quatenus determinat formaliter in genere causæ formalis, & haberet id facere, quamvis non esset productivus ulla ratione. Si dicatur secundum, præterquam quòd nihil possit produci ab habitu intemperantiæ nisi actus intemperantiæ, etiam de illo producto quæri potest, utrum in genere causæ formalis an in genere causæ efficientis faciat difficilem actum temperantiæ. Si formaliter. Ergo & habitus formaliter tantum facit difficilem actum oppositæ virtutis, si effectivè dabitur processus in infinitũ.

Respondetur. Quod intemperans à duplici principio sentiat difficultatem in exercendo actu temperantiæ. Imprimis ab habitu opposito, quæ difficultas est in genere causæ formalis, contingit autem eo modo sentiri difficultatem illam, quia scilicet quando proponitur intemperanti objectum temperantiæ excitatur mens ut advertat, quòd esse temperantem, oppositum sit præhabitis actibus intemperantiæ, propositioneque facta intemperantiæ, in genere causæ formalis, modo supra explicatio, inclinat habitus intemperantiæ. Secunda est difficultas, quam sentit intemperans in eliciendo actu temperantiæ, annexa est, ipsi exercitio actus, & hæc oritur ab aliquo negativo, hoc est ab ipsa potentia non habente facilitatem ad agendum, ad quem secundum modum difficultatis non attendit objectio, neque illum ponit inter modos difficultatis, cum tamen ponere necesse fuerit & hanc postea difficultatem, tollit unitus voluntati habitus temperantiæ, coefficiendo cum voluntate actum temperantiæ. Unde etiam ipse habitus intemperantiæ, ad actus qui facile ab intemperanti fiunt, concurrit in genere causæ efficientis.

Instabis 3. Si habitus intemperantiæ, reddit difficilem actum temperantiæ, nonnisi in genere causæ formalis, etiam reddendum facilem actum temperantiæ ab habitu ejusdem, nonnisi in genere causæ formalis.

Respondetur. Illa difficultas, quam facit habitus intemperantiæ, dum exerceri debet actus temperantiæ, est difficultas antecedens actum temperantiæ concedoq; quòd fiat in genere causæ formalis, ab ipsamet intemperantia. Hinc etiam facilitas quam ante actus temperantiæ temperans sentit, erit facilitans proveniens ab habitu temperantiæ, in genere causæ formalis. Quia tamen præter difficultatem illam antecedentem, habet intemperans difficultatem, in ipso exercitio actus temperantiæ, quæ potest referri in aliquid negativum, nempe potentiam non exercitatam, hinc datur adhuc locus habitui, qui concursu suo effectivo, illud negativum, quod difficultatem adferebat, tollit. In id etiam principium hæc difficultas resolvi potest quia non apparet quem & qualem influxum physicè & in genere causæ efficientis difficultativũ, exhibeat intemperantia, quando fit actus temperantiæ, cum concursus illius effectivus, nonnisi ad actum intemperantiæ extendatur, utpote, cum nonnisi ad hos actus concurrere possit effectivè, extensioneque suæ efficientiæ moveri à quibus similibus est productus; non est autem productus habitus intemperantiæ. Bene autem intelligi potest, quomodo possit concurrere effectivè habitus temperantiæ, ad ipsum actum temperantiæ.

Objicit 3. Idem. Ideo habitus deberet habere concursum effectivum, & non sufficit concursus in genere causæ formaliter determinantis, quia non potest esse absque effectivitate talis determinatio, potest autem fieri determinatio sine concursu in genere causæ efficientis, quod probat, quia intentio determinat ad electionem & tamen effectivè ad illam non concurrit assensus item principiorum, determinat ad conclusionem, nec eam efficit, delectatio itẽ quam ante actum prosecutionis producit objectum in appetitiva potentia, inclinat ad prosecutionem, & tamen illam non causat efficienter. Ergo nec habitus causabit efficienter.

Respondetur. Ex dictis, quòd inclinatio & facilitas antecedens actum, intelligi possit, sine concursu effectivo, & quia tam intentio quàm præmissæ, quam delectatio, habet se antecedenter ad positionem actus, sit ut id principiare possint in genere causæ formalis solius. Sicut etiam nos non negamus, facilitatem quæ antecedit positionem actus, præstari nonnisi in genere causæ formalis. Sed negamus intelligi posse facilitatem annexam ipsi exercitio actus, sine concursu effectivo. Deinde cum intentio, præmissæ, & cætera similia, sint per modum transeuntis, mirum non est, si denegetur illis ratio potentiæ productivæ, seu principiis coeffectivi; Sed habitus, cum sit per modum qualitatis permanentis, habet vel ex hoc ipso, proportionem, ad effectivè concurrendum, habendamque rationem principii coeffectivi. Directè autem ad argumentum respondendo, nego illam causalem, ideo debere dari concursum effectivum habitus, quia illo non dato, non posset intelligi concursus ejusdem habitus in genere causæ formalis, sed quia non esset, in quod principium referretur facilitas, in ipso exercitio actus.

Addo an plus vel minus cum habitu, applicet seſe potentia ad agendam, taxam applicationis certam, dari non posse. Posita enim etiam debili positione objecti, ex accidenti aliquo, v. g. ex sensualis partis affectione, sequitur intensa actio voluntatis, & contra fieri, potest, ut viro probo, intensissimè proponatur objectum delectabile, quo non movetur, movetur autem improbus. Exercitio item Logico, levis advertentia sufficit, ad rectè syllogisandum, secus tyroni. Interdum etiam intensio voluntatis, præter principium elicitivum, quod est ipsa voluntas, referri debet in ipsam propositionem objecti, quæ clarior & vivacior movet etiam ad actum intensiorem: Rursùs fieri etiam posset, quod propter habitum, intensius operetur voluntas, quàm operata fuisset sine habitu, casu quo & objectum intensè proponatur, & intensus sit habitus, quia tunc ex duplici principio invitabitur & inclinabitur ad agendum; contingere autem hoc etiam potest, ut voluntas non ita applicate operetur, ac operata fuisset applicatè, si non facilitasset habitus. Unde Doctores exercitati non tanta applicatione argumenta formant, ac incipiens Logicus. Casu autem quo applicatur voluntas intensè, contingere potest, ut quem actum intensum elicuisset cum habitu, eundem sine habitu eliciat actum, & æquè intensum, majori nonnisi conatu adhibito ut dixi. Quia tamen adhibito illo majori conatu, minus facile fuisset operata potentia, quam operetur cum habitu, ideo adhuc necessarius erit facilitativus habitus. Dici etiam posset adhibita à voluntate majori applicatione, actum illum intensius faciendũ, non facilius, ita ut major applicatio excludat remissionem, non conferat facilitatem.

Cæterum si quis sine concursu effectivo, rejiceret illam facilitatem, in ipsam formam habitus, cujus natura sit, sine concursu effectivo, facilitare, parum quidem clarè loqueretur, difficulter tamen convinci posset.

Continuatur Solutio.

Mastrius censet habitum non tantum esse formam inclinantem, sed etiam causam effectivam actus, objicit tamen sibi aliqua, quæ hîc expedit solvere. *Hinc ex illo*

Objicitur 1. Unius actionis una est potentia, quia una actio requirit, principium formale per se unum, à quo eliciatur, sed ex habitu & potentia fit unum per accidens. Ergo.

Respondetur. Majorem debuisse alterius probari, indubiè enim Deus ad nostras actiones concurrit effectivè, & tamen ex Deo & creatura, non fit unum per se. Saltem item si non habitui naturali, qui est tantum facilitativus, sed habitui infuso supernaturali, concedi deberet influxus in genere causæ efficientis, hoc enim ipso non se haberet per modum potentiæ, & tamen ex habitu illo infuso, utpote ex accidenti supernaturali, & ex potentia naturali, nõ fit unum per se. Deinde dici posset, unum per se duplex cogitari posse, unum per se, aliquorum, quæ sint in eodem gradu entis, hoc est utrumque, substantiale, & eo sensu, ex habitu & potentia non fit unum per se, cum potentia cui unitur habitus, sit substantia animę, aut si potentiæ, non identificãtur animæ, tamen potentia erit quid substantiale, quod si ponas etiam potentiam, esse quid accidentale, hoc ipso minus urgebis, quia & potentia & habitus erunt accidentia, adeoque non facientia unum per se. Aliud autem unum per se cogitati potest, quod fit cum ex illis quæ non sunt quidem in eodem entis gradu, ordinantur tamen ad se, vel subordinantur sibi, habentque, se sicut perfectivum, & perfectibile, completivum & complebile, & tale unum per se, fit ex potentia & habitu; habet enim se potentia, sicut perfectibile, habitus sicut perfectivum.

Objicit 2. Accidens non est principium agendi in subjectum proprium, actus autem recipiuntur in eodem subjecto, in quo est habitus, Ergo habitus non est principium actuum, potentiæ, in ordine ad actum.

Respondetur. Posita veritate majoris, sequitur posse adhuc efficienter produci actum ab habitu, cum habitus non recipiatur in actu. Deinde argumentum multum probat. Probat enim etiam intellectum, non posse effectivè producere suum actum, quia ille actus recipitur in intellectu, nihil autem agit in seipsum. Quæ autem illic objiciuntur de potentia sensitiva nõ urgent, quia nos non concedim⁹ habitus, in potẽtia sensitiva.

Objicit 3. Nulla specie distincta, sunt sibi invicem causæ æquivocæ. Quia causa æquivoca, eminenter continet effectum, & consequenter est perfectior, sed actus & habitus differunt specie, & actus est causa habitus. Ergo.

Respondetur. Plura tangit hoc argumentum, quæ alibi discussa manent, quod enim tangit, an aliqua possint sibi esse invicem causæ, de hoc alibi actum. In præsenti quamvis habitus producat actum efficienter, non sequetur, aliqua dico, esse sibi invicem causas: quia actus productus ab hoc habitu, non producet illum habitum, à quo fuit productus, sed producet intensionem ejusdem, distinctam realiter.

Deinde in nostris principiis, ipse actus, non est principium effectivum habitus. Quo modo ergo duo, erunt sibi ad invicem causa. Rursùs tangit hæc objectio difficultatem de causis æquivocis, enunciatq; causas æquivocas, debere continere eminenter effectum, quæ propositio irrestrictè prolata, patitur instantias. Certè enim sol, est causa æquivoca hominis, nunquidne continet eminenter perfectionẽ hominis, estq; quid perfectius homine. Ex putri generantur viventia, nunquidne putre perfectius est vivente.

Objicit 4. Duo effectus, quando sunt respectu causæ communis, ordinati inter se, primus secun-

secundùm totam speciem, præcedit secundum, sed actus & habitus, respectu potentiæ sunt effectus ordinati, & actus aliquis præcedit habitum de necessitate, non è contra : Ergo habitus, omnino non præcedit actum, ut causa ejus per se.

Respondetur. Majorem esse falsam ut sonat, certè enim ab igne A. generante procedit calor, & ignis genitus B. natusque est calor, præcedere ignem B. Nunquidné etiam calor non poterit esse causa ignis B. licèt non possit esse causa ipsius ignis. Acum ab eo procedat : ita actus procedens efficienter ab habitu, non poterit esse causa habitus à quo procedit, poterit tamen esse causa intensionis habitus, novæque superaddita facilitatis, quantumvis actus & habitus, nati sint procedere ab eadem potentia.

Objicit quintò. Si habitus supplet causalitatem potentiæ. Ergo posset dari habitus aliquis, qui totaliter suppleret causalitatem potentiæ, quod implicat.

Respondetur. Negando sequelam, cum enim habitus suppleat causalitatem potentiæ facilitativè, hoc ipso supponit principium quod facilitet, adeoque nunquam illud ex eludendo, & se solo habitus, nihil potest efficere.

QUÆSTIO III.

De Causis habituum, intentione, Corruptione.

DIFFICULTAS I.

De Causis Habituum.

CAusari habitus à sola potentia dispositа per actus, docet Durandus, à potentia & actibus Arriaga, à solis actibus Suarez uterque, Vasquez, Pontius.

Assero primò. *Probabilius esse quòd habitus producantur à sola potentia posito actu vel actibus.*

Ratio prima est. Quia sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec virtutes agendi effectivè, tribuendæ sunt illis entitatibus, quas aliunde concurrere in genere causæ efficientis non constat. Sed nulla est necessitas tribuendi vim activam actibus, nec eos aliunde constat vim concurrendi effectivè habere, Ergo.

Ratio secunda à pari est. Actiones intellectus & voluntatis, non producunt effectivè alias intellectiones & volitiones. Ergo nec producunt habitus. Et sicut referri potest productio activa actuum in solam potentiam, sic referri potest & productio habituum ; & sicut actum imperatum quà talem, actum item electionis, quà talem, producit ipsa potentia, quamvis posito nonnisi imperio & electione, ita producet & habitum, posito actu vel actibus.

Ratio tertia est. Quo perfectius principium est, hoc ipso parat ipsum sibi, alia comprincipia, vel instrumenta agendi, & ita species sensuum, producuntur ab objectis, species autem intelligibiles producit intellectus agens. Cujus ratio ulterior est. Quia perfectio est, à quàm paucissimis principiis in agendo dependere, ut ita interveniat similitudo ad perfectissimum agens, quod est Deus à nullo dependens. Cum ergo intellectus & voluntas sint intentionalia agentia, creata, perfectissima, producent sibi comprincipia agendi, quæ sunt habitus.

Dices primò. Cum recentiore Suarez. Omnis actio potentiæ appetentis, est appetitio, & omnis actus potentiæ cognoscentis, est cognitio. Ergo habitus producetur à solis actibus neque enim habitus, v. g. intellectus, est intellectio.

Respondetur. Hoc argumentum multum probare, quia probaret quòd intellectus non producat sibi species impressas, cum species impressæ non sint cognitio. Distingui etiam antecedens potest. Omnis actus potentiæ cognoscentis, qui est immediatè circa objectum, est cognitio. Concedo antecedens. Omnis actus potentiæ cognoscentis qui est mediatè ad objectum, vel tanquam instrumentum, vel tanquam comprincipium. Nego antecedens, vel certè : Omnis actio potentiæ cognoscentis, quæ est transiens, est cognitio, non verò ea quæ est ad terminum permanentem. Imò idem medius terminus facit pro nobis. Omnis cognitio non aliud est quàm repræsentatio objecti, & omnis volitio est tendentia in volibile. Ergo ab illis non producetur habitus.

Dices secundò cum Oviedo. Experimur ad repetitionem actuum, fieri habitus. Ergo actibus tribuenda est virtus activa illorum, sicut virtus activa lucis, soli tribuitur.

Respondetur. Experimur approximato igne fieri ustionem & tamen ustio non tribuitur approximationi, tanquã causæ efficienti. Quando ergo ad positionem alicujus videmus aliud produci, pensandum est : An in aliud principium, causa ejusdem effectiva reduci non possit. Et si sint duo principia, in quæ reduci posset effectus, pensandum iteratò veniet an sufficienter referri possit in unum principium, quia non sunt sine necessitate multiplicandæ virtutis agendi ; Quia autem sufficienter id referri potest, in solam potentiam præinformatam actibus, fit ut illi tribui soli debeat, effectio habituum. Quando autem ex eo, quia posito sole emanat lux, referimus lucem in solem, tanquam in principium, ejus ratio reddi potest, quia in nullum aliud principium referri potest, & alia, causalitatem hanc solis, suadent.

Dices tertiò. Quod definitivè habitus sit qualitas, ex actu vel actibus producta. Ergo concurrere debent effectivè.

Respondetur. Dicuntur aliqua genita ex putri, & tamen putredo effectivè ad illa non concurrit. Aliud itaque est dicere, aliqua esse producta ab actibus, aliud, producta ex actibus.

Dices quartò. Cum Mastrio tenente disp. 3. num. 73. quod actus sint causa totalis habitus.

Si voluntas esset causa sive totalis sive partialis, habitus liberè illum produceret, & tamen libere illum non producit, quia quamvis voluntas eliciens actus v.g. Justitiæ, nollet quod ex istis sequatur habitus justitiæ, adhuc tamen iste habitus produceretur.

Respondetur. Negando sequelam, non enim voluntas in omnibus suis operationibus est libera, exercet enim actum necessarium amoris boni in communi, & summi boni, qua talis repræsentati. Deinde sufficit ut sit voluntas libera, in exercendis actionibus suis, ut ita dicam principiis, hoc est volitionibus, licèt non sit libera, in actionibus ut ita dicam, secundariis, seu ordinatis in bonum priorum ut ordinantur habitus, in bonum volitionum, facilius exercendarum. Deinde etiam hoc concesso, quòd in omnibus actionibus suis, voluntas sit libera, hæc voluntatis libertas in producendis habitibus per hoc salvari potest: quia scilicet ponit liberè ipsosmet actus, qui sunt prærequisiti ad operandum licèt positis illis prærequisitis, non potest non sequi alia ejus operatio, quæ est productio habitus. Et certè, non est magis necessaria voluntati productio habitus, suppositis actibus, quàm sit necessaria ipsa volitio, supposito quod ponatur, vel ipsa sessio, supposito quòd sedeatur, & si in his salvatur ratio liberi, ex eo, quòd tota determinatio sit ex suppositione consequenti, quam ponere & non ponere, erat in potestate; ita & in præsenti salvabitur, nam etiam positio illorum actuum, erat libera.

Dices quintò. Habitus corrumpuntur ab actibus contrariis. Ergo & producuntur.

Respondetur. Habitus corrumpuntur ab actibus contrariis tanquam prærequisitis, quibus positis, generatur habitus depulsivus illius prioris, & tanquam prærequisitis, quæ deposcunt, ut Deus non conservet in toto vel in parte contrarios habitus, casu quo in Deum illa conservatio, referenda esset.

Assero secundò, *Posse sustineri sententiam durandi, quòd actus dispositivè concurrant, ad productionem habitus.*

Ratio. Quia nihil obstat, ad maximum talem saltem causandi rationem, tribuere actibus.

Deinde intentio ad electionem, præmissæ ad conclusionem, per multos dispositivè concurrunt. Ergo eodem modo per illos possunt dici, concurrere etiam actus.

Dices cum Pontio. Actus non est dispositio requisita ex parte potentiæ ad conservationem habitus. Ergo neque ad productionem.

Respondetur. Retorquendo argumentum. Putredo non confert ad conservationem geniti ex putri, & tamen confert ad illius productionem. Ipse etiam Pontius censet, actus, esse productivos habitus, non tamen concurrunt ad conservationem habitus, durante illa qualitate permanente, quamvis interim nulli sint actus. Potior etiam est ratio, cur requirantur actus ad productionem & non conservationem, quia videmus illis non positis non poni habitum, & tamen videmus conservari habitum illis non positis. Imò inde stabilitur nostra sententia, quia si nihil obest, idem debet assignari principium conservativum & productivum, si ergo actus non sunt conservativi habitus, neque erunt productivi, quod esse contra Pontium.

Assero tertiò. *Posse tribui actibus, vim nonnisi prærequisiti, conditionis, &c. similia, ad productionem habitus.* Quod ita explicari posset:

Unumquodque principium in ordine ad ponendos suos effectus, exigit prærequisita & conditiones, & quia sunt aliqui effectus, qui nonnisi suppositis, alterationibus successivis poni possunt, sicut contingit in positione firmarum substantialium, talia prærequisita dispositionis, antonomasticon appellantur. Dividuntur hæ dispositiones in ultimas & non ultimas. In isto genere requisitorum non censentur actus, quia effectus qui producitur à potentia, hoc est habitus, non ejus est naturæ, qui nonnisi per alterationes poni deposcat. Alia autem sunt prærequisita, quæ sibi & ultima & prima sunt; tale prærequisitum est, v. g. positio objecti, ejusque specierum in sensorio receptio, ad hoc, ut intellectus agens, formet sibi speciem impressam &c. similia. Hæcque non tam dispositiones, quam prærequisita ad agendum vocantur, & in istorum prærequisitorum genere, numerandi veniunt actus in quantùm prærequiruntur, ad ponendum habitum.

Porrò hoc prærequisitum est talis naturæ, ut si ponatur, reddatur potentia proximè capax agendi, si non ponatur non reddatur capax; quòd autem positis actibus reddatur potentia, proximè capax producendi habitum, & non positis illis, non reddatur proximè capax, probari potest per ipsam experientiam quæ docet, positis actibus, non sentiri difficultatem, cum antea sentiretur.

Addo posito vel unico actu disponi jam potentiam ad producendum sibi habitum, quia non est major ratio, cur si tribuatur vis dispositiva ad habitus actibus, potius uni actui tribuatur, quàm alteri. Et certè si ad positionem unius actus, non disponeretur potentia ad producendum habitum, nunquam proximè ab actibus, ad hoc disponi posset; non est enim ratio, cur unus sit actus dispositivus, & non alius, & cum actus utpote transeuntes desinant si non sunt, nihil conferunt, quomodo conferent, quando jam non sunt. Et licèt quidem ad denominationes conferre possint ea, quæ non sunt, non tamen ad agendum Physicè, & sicut positis prærequisitis ad illuminandum soli, semper oritur aliquid ex luce, ut non exemplo perfecta lux, ita posito unico actu, ponitur aliquid saltem imperfectè facilitativum.

DIF-

DIFFICULTAS II.

De Intensione & Conservatione Habituum.

ASSERO primò. *Posse intendi habitus volitivæ.*

RATIO. Quia possunt intendi ipsi actus, cur non & habitus. Experimur etiam interdum non facilius aliquid prosequi, quàm antea fuerimus prosecuti. Ergo si facilitas illa refertur in habitum, major facilitas, debet referri in intensionem habituum.

ASSERO secundò. *Etiam habitus intellectivæ intendi posse.*

RATIO. Tum quia experimur intensius nos certificari, majorique facilitate, idque certitudine subjectiva quàm antea certificati fuerimus. Ergo cum hæc certitudo non possit in aliud referri, quàm in intensiorem habitum, dabitur ille. Tum quia non est major ratio de habitibus voluntatis, quàm de habitibus intellectus. Tum quia ex communi Theologorum, intenditur habitus fidei supernaturalis. Ergo non repugnat ex ratione generica habitus, intendi; non apparet autem, cur ex conditione hac, quòd naturales sint habitus, petant non intendi.

DICES cum Salaz. Quod actus intellectus non sint capaces intensionis.

RESPONDET Recentior Suarez, antecedens esse falsum, hinc & visio beata, potest esse capax intensionis.

ASSERO tertiò. *Etiam ab actu remissiori intendi posse habitum.*

RATIO. Tum quia ex dictis supra, non est major ratio de uno actu quàm de alio. Tum quia experimur per frequentatos actus, etiam remissos, nos facilitari. Tum quia nisi detrahas multum de meritis, non poteris dicere, quòd actibus etiam remissioribus, non augeatur gratia & habitus. Ergo & habitus naturales intendi poterunt per actus remissiores. Quando autem experimur, acquisita facilitate intra habitum temperantiæ, non ad omnes actus nos facilitari, id referri debet vel in hoc principium: quia intra eandem temperantiam reperiuntur plures species, vel quia est specialis difficultas in materia, vel quia non præcesserunt actus, ex formali motivo, & communi, temperantiæ.

ASSERO quartò. *Habitus conservari à potentia.*

RATIO. Tum quia si nihil obsit conservatio rejici debet in principia naturalia, non verò immediatè in Deum, nihil autem obest rejici conservationem habitus, in potentiam. Tum quia si potest potentia ipsa producere habitus, cur non poterit & conservare. Tum quia deberet Deus specialiter conservare etiam habitus vitiosos, quorum conservatio, non esset à quo exigeretur, & quidem exigentia Physica. Et certè conservatio habituum vitiosorum, non ab actibus exigeretur, quia hi non sunt, non etiam ab ipsis habitibus, quia hoc ipsum probandum esset exigere illos conservationem à Deo, & non à causis secundis.

ASSERO quintò. *Ad conservandum habitum à potentia requiri, ut subinde exerceantur actus.*

RATIO. Quia ita melius ostendetur quomodo sit idem principium productivum & conservativum, & cum non possit primò produci habitus à potentia, nisi ponantur actus, congruum est, ut nec conservetur, nisi subinde illis positis. Deinde experimur, quòd non usu diuturno habituum, depereant habitus: & ex alia parte, conservari illos, etiamsi non perpetuo eliciantur actus. Ergo apparet, ad habitus conservationem, requiri actus, licèt non semper ponantur. Et licèt habitus supernaturales non corrumpantur, non u, sucorrumpuntur tamen naturales; infusi enim sunt per modum potentiarum, potentiæ autem, non usu non corrumpuntur, naturales autem, non sunt per modum potentiarũ.

DICES. Conservatio specierum non pendet ab actibus, ergo nec habitus.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia cum ipsæ species antecedant actus, nec pendeant in suo esse ab actibus, mirum non est, quòd serventur independenter ab actibus, hæc tamen disparitas videtur adhuc esse manca, quia saltem species actus præhabiti, non antecedunt actum, & tamen & hæ species, non pendet in conservari ab actu. Potius ergo disparitas ex eo petenda, quia posito non usu speciei, si occurrat occasio noscendi objecti, experimur expeditam esse speciem, si autem non adsit usus habitus, saltem per actus raros experimur abesse facilitatem.

DIFFICULTAS III.

De Corruptione Habituum.

ASSERO. *Non corrumpi formaliter habitus positione actuum contrariorum.*

RATIO, quia per illud formaliter corrumpantur habitus, quod est formaliter illis contrarium. Sed habitui, non est contrarius formaliter actus, quia facilitati non opponitur formaliter nisi difficultas, sed actus oppositus, non est difficultas. Ergo actus oppositus, non opponitur formaliter.

ASSERO secundò. *Duos habitus oppositos quorum unus sit in gradu remisso, alter in summo posse secum stare naturaliter.*

RATIO prima. Quia aliàs qui habet unum habitum, ordinariè non posset alium oppositum habere, quod ipsum probatur, ordinariè non acquirimus habitus, nisi per partes, si acquirimus nonnisi per partes, hoc ipso prius acquirimus remissos, quàm intensos. Remissos autè acquirere

non possumus, quia non possent stare in gradu remisso, cum gradu oppositi intenso. Quod ipsum sic ulterius proponitur. Quorum inchoatio poni non potest, illa nunquam possunt poni, sed posito habitu intenso, alius contrarii habitus, non potest poni inchoatio, quia inchoatio habitus contrarii, est ipse habitus in gradu remisso, quem tu dicis, stare non posse, cum habitu intenso.

Ratio secunda. Posito uno habitu intenso, non potest alius naturaliter poni æque intensus, qui sit contrarius illi, neque etiam minus intensus, seu remissus, ergo absolutè nunquam poterit poni alius habitus contrarius.

Ratio tertia. Si qualitates contrariæ & pugnantes, possunt secum stare in gradu remisso, ergo & illi habitus.

Respondebis. Ponendum esse habitum alium contrarium, cum prior desierit.

Contra. Quia ille contrarius expelli deberet per aliquam formam, hæc autem forma non est nisi habitus oppositus, qui habitus ut probatum, non apparet quî introduci posset, cum habitus remissus, non possit stare, cum intenso opposito. *Addo* pluralitas præteritorum actuum ad nihil conducet, si cum existit actus, non est productus gradus habitus aliquis, non est autem productus gradus aliquis habitûs oppositi, si intensus habitus, cum remisso stare non potest.

Denique experimur remissam in aliquo facilitatem & postea subsequi majorem, & quidem stante intensa inclinatione in oppositum, quòd ostendit, stare habitum in gradu remisso cum opposito intenso habitu.

Assero tertio. *Casu quo aliquis acquirat habitum vitiosum intensum, posse divinitus oppositum illi habitum virtuosum conservari.* Ratio quia ut dicitur & defenditur in materia de pœnitentia, potest adveniente peccato, divinitus conservari gratia, ergo poterit conservari & habitus virtuosus. Resolvitur etiam ratio hujus asserti in principium negativum, quia id scilicet non implicat contradictionem. Ea quæ in oppositum objici possunt, solvuntur eo loco in dicta materia, & videri in simili possunt quæ dicta sunt de possibilitate coexistentiæ amoris & odii.

Inferes. Quod tota incompossibilitas quæ est inter duos habitus oppositos, inde oriatur; quia scilicet petit unus in præsentia sua, non conservari alium. *Addit* Oviedo, quòd contra communem sententiam, non difficulter defendere quis posset, non opponi oppositos formaliter habitus, etiam naturaliter; ad eum modum, quo secum stant cognitiones intensissimæ & oppositissimæ, ad oppositissimos actus voluntatis prælucentes, & qua ratione, compossibiles sunt species duorum oppositorum actuum intellectus, quodque corrumpantur illi habitus, nonnisi ex defectu exigentiæ diuturnæ durationis, si actibus, duratio illorum non promoveatur. *Reliqua de habitibus sparsim in Theologia.*

QUÆSTIO IV.

De speciebus in communi.

Tractatio de speciebus, non solum in Philosophia, sed etiam in Theologia locum habet, unde in Theologia agitur de specie impressa Dei, de speciebus angelicis, &c. Hic præcipuè agitur de speciebus impressis, nam de specie expressa, jam alias actum est.

DIFFICULTAS I.

An dentur & quid sint species.

Assero primò, *dari species.*

Adfero hîc discursum quem videre potes, etiam in prima parte, ubi de Lumine gloriæ fundatum in doctrina Aristotelis. Sensatio itemque intellectio, est quædam consonantia seu similitudo & proportio, sensus & sensibilis, intellectus & intelligibilis, qua sublata non fit sensatio. Siquidem ratio ipsius sensationis est hæc ipsa consonantia, hinc Philosophus secundò de anima textu 123. hanc dicit esse causam, propter quam excessus seu exsuperantiæ corrumpunt sensoria, & sensationes, quia si fortiter sensorio incidat motus, solvitur proportio, quæ erat ratio sensus. Sicut & tollitur consonantia & tonus, percussis fortiter vel nimium extensis chordis. *Manifestum est*, inquit, *Aristoteles loco citato propter quod sensibilium exsuperantiæ, corrumpant sensoria; si namque fortior sit tensorio motus, solvitur ratio, hoc autem erat sensus, sicut & consonantia & tonus percussis fortiter fidibus.* In quibus verbis totam rationem sensationis in prædictam attemperationem sensibilis cum sensorio refert. Præterea non aliam ob causam sensibile positum supra sensorium non facit sensum, nisi quia tali suppositione, tollitur consonantia dictæ similitudinis, inter sensibile & sensum; quando enim visibile Es ponitur supra oculum, non fit visio, idcirco; quia ut fiat, necesse est inter oculum & colorem fieri consonantiam, seu assimilationem visus ad visibile ut sibi assimilentur secundùm quòd sunt in actu, hoc quidem visus, hoc verò visibile in actu, cum enim color non sit in se similis actu potentiæ visivæ, siquidem hæc est diaphana seu perspicua, ille non, fit postea talis actu, mediante aëre, vel aqua, vel aliquo simili diaphano, quod illuminatur ad præsentiam coloris, & hoc lumen, facit istam consonantiam. Quod autem dicit de lumine, dicit etiam de speciebus, quæ etiam faciunt

faciunt consonantiam potentiæ & objecti. Ex hoc ulterius discursu inferebat idem in Theologia, quod Deus sine lumine gloriæ videri non possit, & quod visio Dei fieri non possit, sine consonantia videntis & visi, quæ fieri non potest, nisi medio lumine gloriæ.

Responderi potest, hunc discursum in pluribus non satisfacere. Quia imprimis videtur confundere consonantiam & proportionem in actu primò quæ concedo, quòd fiat per lumen vel species, & inter proportionem & consonantiam in actu secundo quæ fit productione notitiæ, cum tamen hæ duæ consonantiæ, distingui debeant. Certè enim receptio principii facientis consonam potentiam, non est in intellectu v.g. formalis similitudo objecti, aliàs deberet in sola passione consistere intellectio, sicut & consonantia in actu primo, stat in sola passione specierum. Deinde si distincta est consonantia in actu primo, & consonantia in actu secundo, licet verum sit, quòd sine consonantia in actu secundo non possit fieri nec intellectio nec visio, cum ipsa visio & intellectio, ut supponitur, sit illa consonantia in actu secundo, intellectio autem v.g. non potest esse sine intellectione; falsum tamen erit, quod sine consonantia in actu primo, non possit fieri sensatio & intellectio, non est enim ratio, cur illam proportionem, quæ provenire debet à lumine vel speciebus, se solo Deus supplere non possit. Denique quamvis sint aliqui sensus qui connaturaliter sine proportione in actu primo, non exeant in actum secundum, id tamen non est universale, quia si tangatur ferrum ignitum, sequitur quidem læsio sensus, sed non sequitur, objectum non fuisse perceptum; fuisse autem illic improportionem inter sensum & sensibile, vel ipsa sensus læsio ostendit. *Hinc alia*

Ratio asserti est. Quia sæpe objectum est absens, & sæpe improportionatum, hinc debebat dari aliud vices objecti supplens, & magis eidem proportionatum, hoc autem nihil aliud est, nisi species. Deinde ex infra dicendis, colligetur nisi ponantur species visibiles, multæ experientiæ salvari non poterunt, de quibus infra. Denique arguendo à definitione ad definitum, dantur qualitates loco objecti completivæ potentiarum, in ordine ad agendum. Ergo dantur & species, antecedentis probatio, ex dicendis in particulari de speciebus, colligetur.

Assero secundò: *Species impressas esse qualitates loco objecti complectivas potentiarum in ordine ad percipiendum objectum.* Potiùs usurpo terminum ly completivæ, quàm ly determinativæ, quia determinatio ad actum non potest salvari, sine actuali exercitio potentiæ, & ita, dum dicit Schola Thomistria, prædeterminari nos ad agendum, hoc ipso subintelligit, actum secundum potentiæ prædeterminatæ, debere poni. Item dum modi dicuntur esse determinativi, exigunt etiam actuale exercitium illorum, quæ determinant. Jam autem tot dantur species, quæ receptæ in potentiis, non hoc ipso faciunt esse potentiam in actu secundo perceptivam objecti, alias tot semper simul haberemus cogitationes, quot species, nihilque unquam recordaremur nos cogitasse, quia semper idem cogitaremus, id autem, quod in præsenti aliquis noscit, nemo recordatur, sed id quod præteriit. Quodsi positis speciebus, non determinamur, hoc ipso ad actum secundum, potiùs dici debent species, completivæ potentiarum, quàm determinativæ, quia ly completivæ ex usu & acceptione, non significat hoc ipso esse potentiam in actu, quæ completa dicitur, sed tantum pro sua parte, esse paratam, si cætera adsint paria. Et licet quidem dentur aliquæ potentiæ, quæ hoc ipso, quòd recipiant species, prodeant in actum secundum, qualis est visiva, auditiva &c. Quia tamen hoc universaliter non competit speciebus, & saltem divinitùs impedibile est, fit ut non possint species definiri rigorosè loquendo, per hoc, quòd determinent potentiam.

Addidi autem istas species, esse qualitates, completivas loco objecti; quia gratia v. g. est qualitas, completiva voluntatis in ordine ad agendum supernaturaliter, & tamen non est species, quia non supplet locum objecti, sed est instrumentum Dei, in ordine excedenti. Cæterum in processu discursuum, non raro à nobis usurpatur hic etiam terminus, quòd species determinent, volumus enim loqui cum multis, præcipuè, quia videtur potentia sine speciebus, esse quasi indifferens ad operandum, quia ergo hanc indifferentiam tollunt species, ideo etiam per nos, interdum dicuntur determinare species potentiam.

DIFFICULTAS II.

De aliis naturam concernentibus specierum, & earum divisione.

Assero primò: *Speciem impressam non esse similitudinem formalem objecti.*

Ratio prima est ex recentiori Suarez. Quia scilicet ut sint species impressæ similitudo formalis, id & superfluum est, & sufficit virtualis repræsentatio. Quod ipsum probatur, quia vel ideo species impressæ essent imago formalis, quia ponuntur loco objecti, & hoc non, quia non semen plantæ, ponitur loco plantæ, & tamen non est imago formalis plantæ, vel ideo esset species impressa imago formalis, quia v. g. in intellectu ordinatur ad cognitionem, quæ est imago formalis, & hoc etiam titulo non debet esse imago formalis; quia potentia, habitus, lumen

lumen supernaturale, &c. ordinatur ad cognitionem, & tamen non sunt imago formalis, vel ideo esset imago formalis species impressa, quia producitur ab objecto, & hoc non, quia semen producitur à planta, & tamen non est formalis similitudo plantæ.

Ratio secunda: Quia si species sunt imago formalis objecti. Ergo antequam intelligatur objectum, intelligitur; Quod ipsum probatur, antequam intelligatur objectum, datur illius species impressa. Ergo cum prior species sit impressa, quàm intelligantur objecta, dabitur imago formalis objecti, nam per te species impressa, est ista imago: Ergo ulterius antequam detur intellectio, intelligetur objectum, quia intelligere non aliud est, quàm habere imaginem formalem objecti, sed antequam intelligat, habet per se formalem similitudinem objecti, nempe speciem. Ergo per te, antequam intelligat, intelligit. Imò sequitur hominem cogitare de eo, de quo non cogitat, cum non cogitando, habeat similitudines formales istorum objectorum, nempe species impressas.

Ratio tertia est; quia cum in ordine ad species impressas jam paratas passivè nonnisi se habeant intellectus, sequitur, quòd respectu objectorum tunc noscendorum, ex suppositione specierum, merè se nonnisi passivè habeat intellectus, non esseque intellectiones vitales, consequenter sequetur contra Tridentinum, nos etiam in intellectione supernaturali, quæ est credere merè, nos passivè habere, cùm tamè credere, sit negotium salutis, negat autem Tridentinum, quod in negotio salutis, merè passivè non habeamus.

Assero secundò: Species sive materiales sive spirituales non esse ejusdem conditionis cum objectis, est assertum S. Thomæ quæst. 8. de Verit. artic. 11. ad 3. *constat* enim inquit, *quod species lapidis, in anima est longè alius naturæ, à lapide in materia.*

Ratio asserti est: Quia non pauca objecta, sunt substantia, omnes autem species sunt accidentia, species etiam accidentium, licèt conveniant in genere accidentis, diversæ tamen erunt naturæ; nam species parietis, non sunt accidentia talia, qualia accidentia sunt ipsius parietis v. g. Nam accidentia parietis non sunt transmissibilia per intermedium aërem, nec receptibilia in ipsomet sensorio, cum tamen, hæc prædicata & alia, competant ipsis speciebus, denique species sunt inventæ, etiam ad proportionanda objecta sensibus, quæ naturæ intentio ad ponendam proportionem, nulla esset, si objecta & species, essent ejusdem conditionis.

Assero tertio: *Dividi speciem* in impressam & expressam. Species impressa immediatè ante est definita. Species autem expressa, ante est formalis similitudo objecti, de qua actum, ubi de verbo mentis. Vocatur autem species impressa, ideo, quia sicut id quod imprimatur, recipitur in eo cui imprimitur, sic & species impressa in sua potentia. Altera autem vocatur expressa, quia sicut id quod exprimitur, est imago ejus, quòd exprimitur, & ita sigillum in cerâ expressum, est imago sigilli, quod imprimit, sic illa species expressa, est imago objecti, quod cognoscitur. Rursus hæc species impressa, alia est materialis, alia spiritualis. Rursus materiales species dividuntur in eas, quæ nonnisi ad materialia deserviunt, & in eas quæ ad spiritualia, priores illæ dividuntur in sensuum species, posterioris autem non aliud agnoscitur membrum, quàm ipsum phantasma materiale. *Sed contra assertum primum*

Dices primo: Pater æternus in priori originis, ad producendum verbum, supponitur habere prius formalem similitudinem, quæ est quasi species impressa in mente Patris. Ergo & antequam Verbum creatum supponatur productum ab intellectu, debet præsupponi similitudo formalis.

Respondetur; Disparitatem esse. Quia Filio, non redditur intelligens Pater, non enim illum producit ut intelligat, sed quia intelligit; si ergo illum ideo producit quia intelligit, supponi debet ad producendum Filium intelligens, adeoque repræsentans sibi suam essentiam &c. &c. Jam autem non ideo producit Verbum creatus intellectus, quia intelligit, sed ut intelligat ut Quo. Ergo ante productionem illius, non debet intelligi, repræsentans sibi intentionaliter objectum, adeoque nec habens formalem imaginem objecti.

Dices secundo: Species expressa, est formalis imago objecti. Ergo & species impressa.

Respondetur. Disparitatem esse, quia nisi ponatur, quòd species expressa sit similitudo formalis, non erit modus salvandi, quomodo intelligat homo, cum intellectio objecti sit formalis in intentione similitudo objecti, benè autem tota intellectio salvari poterit, etiamsi negetur, speciem impressam, esse similitudinem formalem.

Dices tertio: Species appellantur imagines objecti.

Respondetur. Speciem expressam esse imaginem formalem objecti, sed sufficit ut species impressa, sit similitudo causaliter & remotè, sicut glans, est causaliter arbor, & semen, est causaliter id, quod generat.

DIFFI-

DIFFICULTAS III.

Quomodo concurrant species impressæ.

QUod species concurrant effectivè, affirmat Suarez uterque, Arriaga, Oviedo, sed id negat Soletus & Martinon cum aliis. Densanda sunt argumenta utriusque partis.

Pro affirmativa.

PRIMA RATIO EST, qua utitur Suarez. Quia cognitio producitur per assimilationem cum objecto, debet ergò procedere à principio assimilativo, hoc autem non est nisi species.

RESPONDETUR. Negando quod assimilationem illam objecto, effectivè, non possit producere ipsemet intellectus, licèt indigeat præinformari & compleri specie. Et certè si intellectus secundùm vim suam spectatus, dum concurrit ad intellectionem, concurrit etiam tanquam assimilativus, apparet ergo, etiam illi inesse vim assimilandi, licèt in actum hunc exire non possit, sine specie, cui non est quod tribuatur vis effectiva.

SECUNDA RATIO EST, qua etiam utitur Oviedo: Species communicat cognitioni repræsentationem, & eam non communicat in genere causæ materialis, non enim cognitionem recipit, nec in genere causæ formalis, quia cum species impressa non sit imago formalis objecti, non potest formaliter illuminare subjectum ad suas operationes, & aliunde specificare cognitiones, spectat ad objectum. Ergò nonnisi in genere causæ efficientis concurrit.

RESPONDERI POTEST. Concurrere species in genere causæ formalis, eò quod recepta species in intellectu, faciat illum esse potentiam completam, ad assimilandum cognitionem objecto, cujus objecti est illa species.

INSTAT Oviedo. Potentia informata iisdem speciebus, modo producit hanc intellectionem, modo illam. Ergò hæc determinatio, est per modum comprincipii concurrentis cum potentia.

RESPONDETUR. Ut hæc potiùs quàm illa ponatur intellectio, determinatio pendet ab occurrentia objecti, cogitationibus injectis à bona, ut dicit Aristoteles, fortuna, & sicut posita pluralitate specierum, ut hæc potiùs quàm illa species concurrat, etiam in principiis oppositorum, refertur id in occurrentiam objectorum, ita & in præsenti. Sed id non probat concursum effectivum specierum.

TERTIA RATIO EST ex recentiori Suarez. Divina essentia prout exercet munus speciei, concurrit effectivè ad visionem beatam. Ergò & aliæ.

RESPONDETUR. Hanc propositionem veram esse, nonnisi ex suppositione, quòd species creatæ concurrant cum potentiis effectivè, licet Divina essentia per suam omnipotentiam concurrat effectivè. Deinde specialis est ratio de essentia Divina, hæc enim non ita recipitur in intellectu creato, sicut species creatæ, hinc potiori jure, competit illi, ut concurrat in genere causæ efficientis, alio modo concurrente specie creata.

QUARTA RATIO ex Arriaga est. Objectum quando est præsens, non concurrit formaliter ad cognitionem, Ergò nec species, sed utrumque debet concurrere in genere causæ efficientis.

RESPONDERI potest, dubium esse, an non & objectum, concurrat ad cognitionem, per modum causæ formalis extrinsecæ, pureque terminativæ. Deinde specialis ratio potest esse pro speciebus, quia illæ jam unitæ, possunt commodiùs dici, quòd compleant potentiam ad agendum.

QUINTA RATIO ejusdem. Specie existente in potentia, datur ejus concursus in genere causæ formalis, & tamen tunc non datur concursus speciei ad actum, quia tunc non sit actus: Ergo quando existit actus, alium concursum habet species, præter concursum, in genere causæ formalis.

RESPONDERENT, oppositi nullum tunc intervenire alium entitativè concursum ad actum, sed tota illius causalitas, quam habet respectu actûs, est complere potentiam, ut possit illum actum elicere, hinc cum sit causa causæ, hoc est intellectus, in genere completi, erit & causa causati, sed erit tunc concursus formaliter distinctus, ratione scilicet connotati, superadditi, ita ut species in circumstantia positionis actus dicatur concurrere in genere causæ formalis proximæ, remotè autem in circumstantia negationis actus.

EXPLICARI hic etiam concursus potest per concursum moralem: tribuit aliquis gladium furioso ad occidendum inimicum, concursus illius totus, quem facit ad occasionem, est solum traditio gladii jam transacta, nec tamen cùm sit occisio, causat traditio gladii specialiter illam occisionem, sed solum, quia complevit potentiam furiosi, ad occisionem ponendum. Et licèt verum sit, quòd gladius concurrat ad occisionem effectivè, sed non gladius est, qui causat occisionem, nomine tradentis gladium, sed causat ipsa traditio, quæ non concurrit effectivè ad occisionem illam, ita fiet & in præsenti. Quòd si dicas traditionem illam concurrere effectivè in aliquo sui, nempe

nempe in gladio, idem dici poterit, quòd ſpecies concurrat effectivè in aliquo ſui, nempe in potentia, quam complet.

Sexta Ratio eſt ex Maſtrio, diſp. 4. num. 103. Certum eſt potentiam non eſſe principium completum ad eliciendum actum, aliàs poſſet potentia quodcunq; objectum percipere, quod eſt falſum. Requiritur ergò concurſus objecti, qui debet poni effectivus, quia ſi concurreret ſolum diſponendo vel determinando, tunc objectum vel ſpecies, haberent ſe ut conditio ſine qua non, quod dici non poteſt, quia tunc à poſteriori deprehenditur aliquid eſſe cauſa alicujus effectûs, quando in ipſo effectu, peculiaris ratio aut formalitas invenitur, tali cauſæ attribuenda: quia talis formalitas non ponitur in ipſo, niſi per talis cauſæ influxum, ſimilitudo enim ſemper arguit cauſalitatem.

Respondetur. Tunc à poſteriori deprehenditur aliquid eſſe cauſam alicujus effectus, quando in ipſo effectu reperitur ſimilitudo: Reſtringe: quæ non poſſit referri, in aliquod aliud principium, indubiè concurrens ad illum effectum, ſi enim ad illud indubitatum principium referri poſſet, ad illud erit referenda illa ſimilitudo, ut ita, ſicut entia, ita nec principia multiplicentur ſine neceſſitate: quia autem illa ſimilitudo ad objectum poteſt referri, tanquam in principium, in ipſum intellectum, hinc in illum referenda erit. Quod autem in illud principium quod eſt intellectus, referri poſſit ſimilitudo illa, ratio eſt, quia cum ipſe intellectus ſit definitivè perceptivus objecti, quod alia phraſi exprimitur aſſimilativus ſui actus objecto; habet enim vim producendi notitiam, quæ notitia, eſt imago objecti, ideò illa ſimilitudo poterit referri in intellectum: & ſicut ipſa facies hominis, ſe ipſa non influit phyſice in ſimilem pictam imaginem, licèt ipſa picta imago, dicat ſimilitudinem, ita & in præſenti.

Septima Ratio Est. Si non concurrunt ſpecies effectivè ad notitiam, omnes cauſæ partiales, poterunt dici conditiones ſine qua non.

Respondetur Cauſæ evidenter partiales, non poterunt dici conditiones ſine qua non, cauſæ tantum partiales putatitiæ, poterunt dici conditiones ſine qua non, illa autem erit cauſa partialis putatitia, quæ non eſt neceſſaria, cum effectus in aliud principium, totaliter, referri poſſit.

Pro negativa parte.

Primum Argumentum Est. Species dantur ad hoc, ut determinent intellectum, hoc autem fit nonniſi in genere cauſæ formalis.

Respondetur. Determinat pes curvus rectum ad claudicationem, & tamen concurrit ad illam effective. Deinde negatum eſt ſupra, quod officium ſpecierum ſit, determinare, vel ſaltem non eſt hoc ſolum.

Secundum Argumentum Est. Concurſus ad cognitionem, eſt immanens, eſt vitalis. Ergò ſpecies ad illam concurrere non poteſt.

Respondetur. Negando conſequentiam, ſi enim habitus, Deusq; ipſe, concurrere poſſunt ad actus vitales, cur non & ſpecies?

Tertium Argumentum Est. Cognitio ad amorem, non concurrit effectivè, ergò nec ſpecies ad actum.

Respondetur. Diſparitatem eſſe. Quia ſi actus produceret effectivè alium actum, hoc ipſo jam eſſet quædam potentia, & non principii, ſed principium, nihil autem vetat, ut ſit principium, non autem principii, ipſa ſpecies, comparata v. g. ad intellectionem.

Rationibus pro utraque parte penſatis hoc dici poteſt, quod ſpectata communiori auctoritate doctorum, poſſit concedi concurſus effectivus. Unde attendendo ad auctoritatem, ex eo etiam poſſet dici, quòd objectum per ſpeciem concurrat, productivè ad notitiam, quia illa notitia, eſt imago objecti, & tamen ad rationem imaginis requiritur, ut producatur ab eo, cujus eſt imago, unde in Divinis Verbum Divinum, repræſentat creaturas, & tamen non eſt imago creaturarum, quia non producitur ab illis. Spectata autem ratione, evidenter illum non probari, poſſetque adhuc adhiberi fundamentum negativum. Quia ſcilicet nullum eſt fundamentum, neque illa neceſſitas tribuendi alium concurſum, præter hunc, de quo aliàs conſtat, qui ſtat in complemento potentiæ. Et licèt quidem dentur completiva aliqua potentiarum, quæ ſimul effectivè concurrant, quales ſunt habitus ſupernaturales infuſi, non tamen id verum eſt de omnibus completivis, quia præſentialitas objecti complet, ut hæc potius pars à DEO contradictionis noſcatur, fundamentum item completur à termino, & tamen utrique huic non conceditur concurſus effectivus. De habitu etiam naturali diſpar eſt ratio, quia facilitas in ipſomet exercitio ſubſtantiæ actus, non poſſet ſine tali concurſu ſalvari, ut dictum ſupra, quæ ratio non militat pro præſenti. Quamvis autem Auguſtinus dicat, cognitionem eſſe partum objecti & potentiæ, ad hoc ſalvandum, ſufficiet dicere, quòd ſit partus objecti, per ſpeciem complentis potentiam, terminantiſque notitiam.

QUÆSTIO

QUÆSTIO V.

De speciebus in particulari.

INcipiendum erit à speciebus intellectualibus, de quibus sit

DIFFICULTAS I.

An dentur species intellectuales & quomodo producantur.

DAri species intellectuales docuit uterque Suarez, Vasquez, Molina, Ariaga, oppositum tenent aliqui & ex antiquioribus & ex recentioribus, quibus ex parte consentit Oviedo hic pun. 3. num. 6.

Dari species intellectuales:

PROBARI solet primo Auctoritate Aristotelis, qui de anima textu 2. intelligere inquit, est quoddam pati. Similia habet textu 3. & 17. Secundo, item de anima textu 37. ait animam intelligendo, omnia fieri.

RESPONDETUR. Salvari hæc posse, ratione speciei expressæ, quæ non solùm petit produci ab intellectu, sed etiam in illo tanquam in connaturali subjecto recipi, fitque omnia per eandem. Et licèt Augustinus lib. de Trinitate cap. 2. dicat, tardi ingenii esse de speciebus dubitare, id etiam explicari posset de speciebus intelligibilibus expressis.

PROBARI solet secundò. Quia intellectus, est de se indifferens, ad hoc vel illud cogitandum. Ergo debet determinari per aliquid, & hoc est species intelligibilis.

RESPONDETUR. Falsum esse, quod officium specierum sit determinare, cum ipsæ indigeant determinari, diceret aliquis, *etiam ulterius*

PROBARI solet tertiò. Quia illud quod complet intellectum in ordine ad agendum, debet esse talis naturæ, ut postea cum intellectu effectivè concurrere possit ad intelligendum. Jam autem phantasma, utpote materiale, non potest concurrere ad effectionem intellectionis spiritualis.

RESPONDETUR. Incertum imprimis esse, an ipsæmet species spirituales concurrent effectivè ad cognitionem, posito autem hoc concursu, adhuc dici posset elevari phantasma materiale, sicut per oppositos ad productionem speciei impressæ spiritualis, ita per hos ad producendum immediatè ipsam speciem expressam spiritualem. *Circa hanc difficultatem*

ASSERO primo. *Dari species impressas intellectuales relictas ex cognitionibus transactis.*

RATIO est; Quia recordamur nos vel hoc vel illud cogitasse, sed hoc non est ratione præsentis cognitionis de illis objectis, nemo enim præsentium recordatur. Ergo recordatio illa referri debet in speciem impressam, in quid enim aliud? non enim referri potest in phantasma materiale, quia illud hoc solùm attingit, quod præconceptum est sensibus, jam autem intellectio non est præconcepta sensibus.

ASSERO secundò. *Dari species impressas intellectuales, in ordine ad objecta sensibus non perceptibilia.*

RATIO est; Quia cognitio talium objectorum nullo modo referri potest in phantasmata materialia, hæc enim utpote improportionata, non possunt principiare notitiam spiritualem, sicut phantasma rosæ; non principiat notitiam lilii, non etiam notitia illa potest referri in ipsummet intellectum, quia etiam aliorum objectorum cognitio, non in solum intellectum refertur, & si intellectus respectu objectorum sensu perceptibilium, non est completum principium; non erit etiam completum, respectu spiritualium, quæ saltem ab homine difficilius noscuntur. Experimur etiam in nobis difficultatem noscendi ea, quorum non est præhabita à nobis species saltem materialis, quam difficultatem non sentiremus, si intellectus esset sibi completum principium intelligendi.

DICES: Si essent necessariæ species intellectuales ad cognoscenda objecta sensibus percepta, ideo essent necessariæ, quia intellectus, se solo, non esset completus ad eliciendos illos actus, sed hoc non probat necessarias esse species intellectuales. *Quod ipsum probatur:*

Intellectus agens, se solo non est completa per nos potentia, ad producendam spiritualem speciem impressam, & tamen in ordine ad hoc, non completur alia spirituali specie, sed solum phantasmate materiali. Ergo etiam ad producendam intellectionem spiritualem, compleri potest, solo phantasmate materiali, neque enim minus potest spiritualis illa qualitas, quàm intellectio.

RESPONDEBIS primo: Elevari phantasma materiale ad productionem speciei impressæ spiritualis.

CONTRA. Cur non elevabitur etiam ad producendam cognitionem.

RESPONDEBIS secundo: Determinativum ad formandam speciem spiritualem debet esse nonnisi in genere causæ objectivæ & directivæ, ea autē, quæ habent se per modū causæ nonnisi directivæ, possunt esse inferioris ordinis; bono enim artifici, etiam vile exemplar, potest esse directio, & occasio operis longè nobilioris. At vero completio ad formandas intellectiones, cum sit in genere causæ efficientis & tanquam comprincipii, debet esse quid spirituale.

CONTRA est: Sufficit ut in ordine ad formandam speciem impressam, compleatur intellectus, nonnisi directivè. Ergo complementum

simile sufficiet, ad formandam speciem expressam.

Respondebis tertiò, quod phantasma materiale, non recipiatur immediatè in anima, sed in organo, in quo phantasias cudit anima. *Addit* recentior Suarez, quòd scilicet phantasma, non sit præsens intellectui, sed soli phantasiæ quæ distinguitur realiter ab anima, ergo debent dari aliæ species, per quas objecta, continuantur intimè præsentia.

Contra. Tum quia quamvis distinguatur realiter phantasia ab intellectu agente, & quamvis species materialis, recipiatur in phantasia, nihilominus sufficienter determinat intellectũ agentem, ad productionem speciei impressæ. Ergo determinare poterit vel complere, ad productionem speciei expressæ. Tum quia falsa est doctrina, distingui has potentias realiter, nulla enim potentia animæ, distinguitur realiter ab anima rationali, licèt organum distinguatur. Tum quia, quod addit idem recentior, urgendo quòd sicut voluntas spiritualis non potest determinari à cognitione materiali, ita nec posse determinari à phantasmate materiali intellectum, quod inquam addit, non convincit: Quia sicut non obstante antecedente potest determinare phantasma materiale ad speciem impressam spiritualem, cur non poterit etiam ad expressam. *Hoc tamen etiam argumento perpenso*:

Assero tertio, non posse sine censura & temeritate doceri, quod non dentur ullæ species impressæ intellectuales, tum quia quamvis non appareret illarum tanta necessitas, tunc cum actu percipitur sensibiliter objectum, præsumendum tamen est, etiam tunc, non sine speciebus spiritualibus objectum illud cognosci, idque ex eo, quia aliàs objecta, noscuntur ab intellectu mediis speciebus, natura autem, sicut non deficit in necessariis, ita æquabilem modum agendi retinet, nisi oppositum experientia, vel ratio ostendat positiva, paritas autem adlata, stat in principio negativo, unde & ex eodem fundamento, solvenda erit.

Tum quia si arguens concedat, quòd dum actu sensu percipitur objectum, fabricet tamen sibi sensus internus speciem materialem, tenebit contra arguentem paritas; Non sufficit species sensus externi, sed aliam sibi fabricat sensus internus, ergo & aliam sibi fabricabit Intellectus agens: Tum quia intellectus nescit universalia & absentia, ad quæ species materialis, sufficere non potest, de qua ratione consule Mast. D. 6. Anim. n. 66.

De fabricatione speciei spiritualis.

Quæres: *An phantasma materiale concurrat effectivè ad productionem speciei spiritualis.*

Assero primo, *cum duplex cogitari possit phantasma materiale scilicet impressum & expressum, probabile est quod solum expressum concurrat ad productionem speciei spiritualis.*

Ratio est, quia ex una parte non est ratio cur uni potiùs quàm alteri, tribuatur vis illa concurrendi, & ex altera parte, abundè explet suum officium phantasma impressum, si producat phantasma expressum, ad hoc enim primario ordinatur, cumque ipsum phantasma expressum, sit magis simile objecto, utpote formalis illius similitudo, congruum est, ut objectum, quod etiam suo modo concurrere debet in aliquo sui, quàm maxime sibi simili, potius concurrat per phantasma expressum.

Assero secundò. *Nullum esse fundamentum tribuendi, quòd phantasma materiale effectivè producat speciem spiritualem.* Ratio est, quia ex una parte nullum est hujus fundamentum, ex altera parte, si nihil obsit, rei materiali, non debet tribui vis efficiendi spiritualia, utpote, gradu, se excedentia. Oppositam sententiam tuetur recentior Suarez, cum quo

Dices primo; Phantasma est vicarium objecti, & illius supplet concursum, quem objectum per se, non potest præstare, sed objectum concurrit effectivè ad sui speciem; Ergo & ejus vicarium phantasma, concurret effectivè.

Respondetur. Quod objectum concurrat effectivè ad sui speciem proportionatum. Jam autem res materialis non habet proportionem cum specie spirituali.

Dices secundò, Sensatio externa, effectivè concurrit ad speciem sensus interni. Ergo & sensatio interna, concurrit effectivè ad speciem impressam spiritualem.

Respondetur. Quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia si sensatio externa materialis, concurrat ad phantasma materiale, non concurret ad aliquid quod excedet se gradu, & tamen hoc absurdum sequeretur, si materiale phantasma effectivè concurreret ad speciem impressam spiritualem.

Dices tertio, cum eodem. Phantasma communicat repræsentationem speciei intelligibili, & non apparet aliud genus, in quo id præstet, non enim id præstat in genere causæ materialis, quia nec recipit illam qualitatem spiritualem nec ab illa recipitur; nec in genere causæ formalis extrinsecæ, non enim illam specificat, sed id facit objectum, non etiam in genere causæ finalis, quia species intelligibilis, non habet pro fine, phantasma materiale.

Respondetur. Infra esse adferendum modum, quo communicet phantasma materiale, repræsentationem speciei impressæ.

Assero tertio; *Concursum qui est phantasmatis materialis ad speciem spiritualem, esse in genere causæ formalis extrinsecæ* consimilem ei, quo prototypon respiciens pictor, aut alius artifex, nobilius aliquid postea efformat, sic proposito phantasmate expresso materiali, movetur intellectus agens,

agens, ad cudendam speciem impressam, quà postea positâ, intellectus patiens, efformat speciem spiritualem expressam, consimilem phantasmato expresso materiali. Porrò quando dico exemplariter determinari, à phantasmate materiali expresso, intellectu agentem, non est necesse ità imaginari, quòd priùs dignoscatur illud exemplar, & ex illo ignito, procedatur ad formandum illi simile exemplar spirituale, si enim hoc verum esset, sequeretur dari priùs cognitionem, ante cognitionem, quòd ipsum probatur: Quia ante efformationem speciei impressæ similem phantasmati expresso, daretur cognitio phantasmatis, quæ ipsa, ex generali conditione cognitionis, exprimentis id, quòd, cognoscit exprimeret illud phantasma, adeòque daretur cognitio ante cognitionem. In isto ergo sensu, exemplariter concurrit, quia scilicèt posito illo phantasmate expresso materiali, convertit se anima ad fabricandam speciem spiritualem impressam, & postea expressam; quæ species spiritualis, cum id spiritualiter repræsentet, quòd repræsentat species expressa materialis, & cum ex altera parte, producta specie expressa materiali, appetat anima, appetitu innato, consimilem habere speciem impressam spiritualem, fit ut dicatur species materialis, per modum exemplaris, concurrere ad productionem speciei spiritualis.

Ratio asserti. Quia species materialis non concurrit, ut dictum, effectivè, nec apparet in quo alio genere concurrere possit, quàm dicto modo, parum autem intererit, sive dicas, quòd concurrat per modum determinantis, aut per modum complentis, modò teneatur, quòd concurrat per modum causæ formalis extrinsecæ. Quia autem teneret quòd concurrat nonnisi per modum meræ conditionis, non absre diceret, ægrè enim regula, discernendi hæc duo, nempè conditionem prærequisitam, & genus causæ formalis extrinsecè determinativæ, tradi potest.

Confirmatur utrumque assertum rationibus, quas adducit Suarez & alii quasque solvere conatus est Suarez recentior.

Ratio prima. Omnis potentia non cognoscitiva, est completa in ordine ad suos actus, intellectus est potentia agens non cognoscitiva. Ergo solus & non cum comprincipio, quòd sit phantasma materiale, producet intellectionem.

Respondet Recentior Suarez. Potentia non cognoscitiva, quæ est effectrix imaginum non est completum illarum principium, jam autem intellectus agens est potentia productiva imaginum.

Contra est. Nego quòd potentia etiam effectrix imaginum, si non est cognoscitiva, non possit esse completum principium, cùm non sit major ratio de aliis non cognoscitivis. Deinde species impressa non est imago formaliter sed causaliter, habetque se ita, ac id, quod non est formaliter imago. Ergo & potentia speciei impressæ formatrix non cognoscitiva, habet se, ac ea, quæ non est effectrix imaginum formaliter. Denique voluntatis actus imperans aliquam intellectionem, est causa intellectionis, adeoque imaginis, & tamen respectu illius volitionis, voluntas est principium completum. Ergo & intellectus, qui est causa ejus, quòd est causa imaginis, erit potentia completa.

Ratio secunda. Propter concursum speciei materialis, una cum intellectu spirituali, ad ponendam speciem, sequi deberet speciem non esse spiritualem, eò quòd effectus sequatur debiliorem partem.

Respondet idem. Verum id esse, quando comprincipium ignobilius, non elevatur à digniori.

Contra est. Quia nullum est fundamentum hujus ipsius elevationis, præcipuè ad ponendum à materiali idque viribus naturæ, aliquod ens spirituale, non estque ratio, cur potiùs phantasma materiale sequi debeat conditionem elevabilium naturaliter, & non conditionem inelevabilium naturaliter.

DIFFICULTAS II.

De speciebus sensus interni.

Assero primò. *Dari species in sensu interno relictas, ex actionibus præactis, sensus interni.*

Ratio est. Quia non positis illis speciebus relictis à sensatione interna transacta, non daretur memoria transactæ sensationis, quàm negare, arbitrarium esset, sicut & negare ipsam sensationem internam.

Assero secundò. *Dari in sensu interno species sensuum externorum.*

Ratio est. Quia sensus internus non posito objecto, nec posita ejus externa sensatione, nihilominus percipit objectum; & ita in somnis imaginamur hos manducare, bibere, &c. quæ omnia non apparet qui salvarentur, non positis prædictis speciebus.

Assero tertio. *Non esse ita certum, quòd ut sensus internus cognoscat sensationes externas quæ actu exercentur, quòd inquam in ordine ad hoc indigeat speciebus. Est assertum quod docet Oviedo hic punct. 2. num. 1.*

Ratio. Quia præsentia objecti sensibilis, vinoque illius per speciem impressam & expressam eum noscente non apparet cur non

sit sufficiens ad principiandam à sensu interno, sensationem internam.

Assero quartò. *Supposito quod possit sensus internus reflectere se sensatio interna dum actu exercetur, posset cognosci, alia sensatione interna, reflexa, sine ulla specie impressa.*

Ratio. Quia species sunt inventæ & provisæ à natura, nonnisi ad cognoscenda objecta dissita & improportionata, sed sensatio interna, nec est dissita, nec improportionata. Ergo benè nosci poterit, sine ulla specie impressa.

Dices. Saltem divinitùs potest separari sensatio interna, & non esse præsens sensui interno, hoc autem sufficiens est fundamentum, ut cognoscatur, nonnisi media specie.

Respondetur. Tunc id quod est dissitum, licèt etiam possit non esse dissitum, indiget speciebus, quando naturaliter, potest fieri dissitum; & ita angelus A cognoscit angelum B per distinctam speciem, quia angelus B etiam naturaliter, potest esse dissitus. Quia autem sensatio interna, non potest esse naturaliter dissita, fit ut natura, quæ nonnisi naturalia providet, non debuerit providere de specie impressa superaddita. Deinde quamvis Deus possit se non repræsentare creaturæ, nihilominus dum se repræsentare vult, non facit hoc media specie impressa, licèt alias per species saltem abstractivas cognoscatur, ita etiam, licèt dissita sensatio interna, non possit cognosci nisi per speciem, dum tamen non est dissita, sine specie nosci poterit.

Discurri hîc posset: Cur quando est actu sensatio interna, & producit sui speciem, se transacta mansuram, cur inquam illa species, cum sit agens necessarium, non repræsentet illam ut præteritam. De quo vide citatum Oviedo à num. 4. circa quod dici potest speciem non ita esse agens necessarium, ut hoc ipso quia ponatur, elici debeat cognitio, ad quam eliciendam provisa est à natura, aliàs omnia simul cognosceremus, sed hoc sensu agens est necessarium, quia scilicet positis omnibus prærequisitis, non potest non agere, inter quæ prærequisita est, ne sit nimia inhæsio huic potius objecto, ut adsit excitatio speciei &c. &c.

Assero quintò: *Sensationes externas non relinquere in sensibus externis species.*

Ratio. Quia sensus externus non meminit.

DIFFICULTAS III.

De speciebus sensuum externorum.

Assero primò: *Dari species visibiles*, unde & Aristoteles lib. 2. de sensu docet visionem fieri, non extramittendo aliquid ex oculo ad objectum, sed potiùs suscipiendo aliquid intus ab objecto, quod non aliud potest esse, nisi species. *Accedendum est ad rationes asserti.*

Ratio prima est: Quæ solet desumi ex Aristotele, qui docet sensum moveri ab objecto; jam autem movens & motum debent simul esse, & quia visum objectum semper est distans à potentia, debet per aliquid aliud à se distinctum uniri potentiæ, hoc autem nihil aliud est, nisi vicarium aliquod objecti, adeoque species.

Neque valet si dicas: Sufficere, quòd objectum sit intra sphæram potentiæ, quia etiam intra sphæram potentiæ positum objectum, cum potentiam moveat, debet agere in potentiam, vel igitur aget, in medium vel non, si aget in medium, agere aliter non poterit, nisi transmissione specierum, si non aget in medium. Ergo agere potest indistans, non agendo per medium.

Responderi posset: Quòd scilicet movens terminativè & motum, non debeant esse simul; Hinc etiam cognitio sensitiva interna, itemque intellectiva, ad quamcunque distantiam percipit objectum, quod non posset fieri, si movent terminativè, indigeret certo spatio.

Ratio secunda est: Quam proponit Oviedo. Lux & color in distantia proportionata videntur; Ergo color & lux concurrunt ad visionem, aliàs in quacunque distantia, imò etiamsi non existerent, posset videri objectum, sed non concurrunt immediatè per se. Ergo medio alio effectu, hoc est speciebus.

Responderi potest: Ne ad quamcunque distantiam extendatur visiva, rejici id posset, in determinationem ipsiusmet potentiæ; & sicut quòd objectum ad tantam distantiam projiciat species, refertur id in determinatam virtutem potentiæ, nec inde sequetur, posse objectum absens videri, ita nec in præsenti sequetur, & sicut ex eo, quia objectum producit species, non sequitur, quòd etiam non existente objecto, producantur, ita nec sequetur, quòd non existens videri possit, casu, si videatur sine speciebus.

Ratio tertia ejusdem est. Si inter visibile & oculum, interponatur aliquod opacum, non fit visio, quod non in aliam causam referri potest, quàm quia corpus opacum, non est medium apium, per quod diffundatur species.

Respondetur. Quæ ratio dabitur, cur tunc non transmittantur species, eadem militabit cur non videatur, & si recurretur ad hoc, quòd necessarium sit medium aptum, idem in præsenti etiam oppositi dicent. *Hinc aliter*

Pro-

Probatur assertum experientiis. Quia si non daretur species, nulla potest ostendi causa cur unus flos, multiplex appareat in inspiciliis multangularibus, non enim tunc multiplicaretur ipsum objectum. Ergo multiplicari debet aliquid illius, hoc est dicta specie, & rursus non posset ratio reddi, cur in speculo res videatur, præcipuè si à tergo videntis, ponatur visibile. Item cur si duo speculum teneant, sinistrum videbitur dextrum, & dextrum sinistrum. Ex certa item appressione oculi facta digito, videntur plures candelæ & quæ omnia salvari non possent, non concessis speciebus.

Noto primo, species visibiles in instanti diffundi.

Ratio. Ipsamet experientia, diffundi etiam nonnisi per lineam rectam, hinc objectum à tergo positum, nemo videt, nisi reflectantur species ab aliquo diaphano, quamvis autem per rectam lineam emittantur, emittuntur in sphæram, quia aliàs non ab omni parte videretur objectum.

Noto secundo, species visibiles si sint heterogeneorum objectorum, & ipsas esse heterogeneas, nec secum continuari.

Ratio. Quia unumquodque objectum, est principium qualitatis vicariæ, adeoque sibi proportionatæ, hinc si objecta sint diversa, etiam species erunt diversæ, unde etiam videmus, quòd species nigri, non projiciantur ab albo, si autem hæ species sunt diversæ rationis, continuari secum non possunt, nam continuorum extrema, debent esse unum.

Noto tertio, partes specierum nonnisi partes objecti, & totam speciem, totum objectum repræsentare.

Ratio. Quia si pars repræsentaret totum objectum, is qui videt partem maris, videret totum mare. Deinde si pars speciei repræsentaret totum objectum, pars speciei, deberet causari à toto objecto, denique nulla est necessitas & fundamentum, tribuendi omnibus partibus, vim causandi, quamcunq; partem speciei.

Dices primò; Si non causantur partes speciei à toto objecto, non esset ratio, cur ex quacunque parte, totum objectum videatur.

Respondetur. Id inde fieri; quia illa species. in sphæram projiciuntur, & cum non sint quantæ, sed de genere qualitatum, penetrant se, & compatiuntur in eodem loco.

Dices secundò. Si unamquamque partem speciei non producit totum objectum, nulla poterit assignari ratio, cur una arbor à longè videri non possit, si autem sint plures & conficiant sylvam videri possunt, saltem confusè.

Respondetur. Non debere id rejici in hoc, quòd speciem unius arboris, tota sylva producat, aliàs ut bene ostendit Ariaga & Oviedo, distinctius videretur unus homo dissitus, propter accessum plurium, eò quòd species illius plures & fortiores causas habeat, quàm si unus homo sui speciem producat, sed rejici id debet in hoc principium, quia deficiente numero plurium specierum, una aliqua, non est sufficiens, ad immutandam potentiam.

Dices tertio. Totus Sol producit unamquamque partem lucis, & totam lucem. Ergo & objectum totum, producet unamquamque partem speciei.

Respondetur. Antecedens dubium esse, cur ad eum modum, quo partem quantitatis, nonnisi pars materiæ producit, pars etiam Solis, non producet nisi partem lucis.

Assero secundò. *Dari species auditus.* Experientias quas adfert Ariaga, solvit bene Oviedo, aliquas hîc attingemus.

Ratio prima adferri solet. Echo, & unius vocis, ab omnibus perceptio, in aliud principium referri non potest, nisi in species.

Responderi posset: Hæc omnia referri posse in sonum, qui propagatur, eodem modo, quo species.

Ratio secunda. Dantur species visibiles. Ergo dantur & audibiles.

Responderi potest. Disparitatem esse: Quia coloratum lucidum, non potest produci in aëre, & tamen videtur coloratum lucidum etiam distans. Ergo unio illius cum potentia, non poterit in aliud rejici, quàm in species intermedias, jam autem potest in medio produci sonus, non productis speciebus, & devolvi usque ad sensorium.

Ratio tertia est, qua utitur recentior Suarez; Quia scilicet auditus percipit sonum esse distantem, cujus distantiæ perceptio, non potest referri nisi in speciem, nam sonus proximus & immediatè causatus, non potest repræsentare sonum remotum, aliàs frigus proximum sentiremus ut distans.

Responderi potest: Sicut recentior Suarez docet, mediis speciebus ideo cognosci sonum distantem, quia scilicet intensæ, in propinquiori, remissæ, in remotiore parte medii, productæ sunt species. Ita quia in propinquioribus sonoro partibus, fortior est productus sonus, remissior in remotioribus, fit, ut remotus sonus sentiatur.

Neque valet, si dicas: Quod si quis proximè insusuret, leviter sonus tunc producitur, & tamen non auditur esse remotus. Ergo rejici non debet in debilitatem soni, quòd dignoscatur in loco dissito, sonus productus, non inquam valet; quia quæcunque ratio dabitur, cur species à susurante productà, non faciunt audiri sonum dissitum, idem nos dicemus de sono, sicut ergo rejicietur id in hoc, quia in anterioribus & anterioribus partibus medii, non erant productæ illæ species, quæ tamen contulissent ad principiandam de se sensationem, ita & nos dicemus, non esse pro-

ductum sonum in anterioribus partibus, quæ &contulissent ad principiandam sensationem,& simul habuissent vim, principiandi dignoscentiam, remoti sonori. *Hinc aliter*

Probatur assertum. Quia universaliter Aristoteles 2. de Anima textu 67. & infra text. 25. docet, sentire esse quoddam pati, alteratique ab objecto, quod ipsum alterari quod proveniat à speciebus, colligitur ex textu 121. & 138. ubi docetur, sonum, esse susceptivum formarum sine materia, quo nomine venire solent species intentionales. Deinde duo sunt principia ex quibus indagatur positio specierum.

Primò, distantia objecti, secundò improportio,& quamvis in gustu & tactu non possit sensatiofieri sine præsentia objecti, nam objectum gustus ob suam crassitiem, non potest immutare sensus intentionaliter, nisi immutet & realiter ut inquit recentior Suarez, titulo tamen improportionis, probabiliter in aliis etiam sensibus, adeoque principaliter in auditu, dari debebunt species. Hinc etiam quia odorabile in internas partes olfactivæ, se insinuat,& non in solam superficiem, ad quam solam pervenire potest aër, tribuendæ sunt etiam olfactui species. Gustatio etiam non fit in solis extimis partibus, ad quas tamen solas, advolvit se cibus. Deinde contactus non fit secundum solas extimas partes, sed etiam secundum intimas, cum etiam in illis sentiatur dolor.

Dices. Species audibiles, nec possunt in instanti produci, nec in tempore, non in tempore, quia non habent contrarium, non in instanti, quia de facto experimur citiùs ad oculum deferri species visus, quam audiatur sonorum, si sit remotum.

Respondetur. Produci in tempore species audibiles, non ex eo, quòd habeant contrarium, sed quia talis est illarum natura à posteriori per experientiam cognita.

Vel certè quia sonus accedit per motum localem successivum, hinc fit, ut successivè etiam species producantur, *Hinc*

Assero tertio: *Probabile esse ex dictis de auditu, quod reliqui etiam sensus habeant species*, licèt id præ reliquis sensibus de auditu verificetur propter sensum Auctorum recentiorum, qui præ reliquis tribuunt species auditui, quantumvis negando eadem gustui, tactui, odoratui, &c.

Ratio. Quia etiam illorum sensuum objecta, ut se insinuent intimis sensorii partibus, sunt improportionata, cum tamen per experientiam se insinuent. Ergo hæc improportio, tollenda per species.

Quæres: *An sint objectum sensuum species, an verò ipsummet objectum?*

Assero primò: *Non solum objectum ut est secundum se, sensibus externis attingi.*

Ratio. Quia si solum secundùm se attingeretur objectum, cum diversitas tanta appareat in cognitione objectorum, ut cum unum objectum, appareat multiplex, deberet objectum in seipsò, totam illam diversitatem continere, siquidem tu dicis objectum attingi, ut est secundùm se, sed secundùm se non continet tot diversitates. Ergo non solum secundùm se, sensibus externis attingitur.

Assero secundò: *Solas species non esse objectum sensuum.*

Ratio. Tum quia species non sunt nisi similitudines objecti virtuales, in speculo autem non videtur id, quòd est virtualiter facies, sed lineamenta formalia speciei. Tum quia species spirituales intellectuales non intelliguntur ut Quod, quando intelligitur ipsum objectum. Ergo nec species sensuum externorum. Tum quia id solum videtur, quod est lucidum coloratum, species autem non sunt lucidæ, coloratæ, sic lucem lignum non producit, & tamen producit sui speciem, nec color colorem; hisque rationibus pro asserto, utitur recentior Suarez. Tum quia ut urget Arriaga, species sunt ejus naturæ, ut quælibet pars repræsentet totum objectum. Ergo si ipsæ species videntur in unaquaque parte, videbitur totum objectum, quod est contra manifestam experientiam.

Quod ulterius huic fundamento innititur. Quia scilicet sicut objectum in se est tale, ut una pars non sit ibi, ubi est alia, fit ut non in qualibet parte totum videatur objectum, totum autem in omni parte videri deberet, siquidem species omnes se penetrant & tu dicis illas videri, non verò objectum. Tum quia si ipsæ species videntur, tunc diffusæ ab objecto, species v. g. nigri, & receptæ in aëre, deberent aërem facere nigrum, siquidem tu species illas dicis videri, quod autem videtur nigrum v. g. est. Neque valet si dicas ex eo quod sint magis intentionales non posse colorare, saltem enim tantillum colorare deberent, imò cum non appareant minus coloratæ, quàm ipsum objectum, non est ratio, cur ipsæ colorare non deberent, atque colorat objectum.

Assero tertio: *Id quod attingunt sensus, est objectum, speciebus repræsentatum.*

Ratio asserti est: Quia non ipsæ species videntur ut probatum asserto secundo, non etiam ipsum objectum in se, ut probatum asserto primo. Ergo videri debet objectum speciebus repræsentatum; quid enim aliud videretur?

Dices primò: Pone cubiculum clausum, obscurum, pone vitrum intromissivum specierum, subde chartam, tunc exprimentur objecta foris existentia, sed tunc non videntur objecta, quia in illo clauso cubiculo non sunt. Ergo videntur species.

Respon-

Respondetur. Illic esse objecta, non secundum se, sed prout repræsentata, in aliis etiam instantiis, hoc solum ostenditur, quòd corpus reflectens variet visionem, ad illamque conferat, licèt non species sed objectum videatur: hinc etiam in illa charta, est reflexio specierum, quæ reflexæ, sunt talis naturæ, ut in illo loco repræsentent objectum, unde reflectuntur.

Dices 2. Species sunt in aëre, nec sunt in alio medio reflectente ealdem v. g. in charta, hinc mota charta, immotæ sunt species. Ergo non est illic reflexio specierum conducentium ad visionem ipsiusmet objecti; consequenter non ipsum objectum sed species videbuntur.

Respondetur. Hanc difficultatem esse communem. Certè euim mota charta movetur aër, & tamen immotæ manent species, quæ de subjecto in subjectum non possunt transire; Consequenter debet tunc poni nova propagatio specierum, licèt à nobis non distinguatur, quod etiam à nobis conceditur; Sed inde non sequetur, objectum repræsentatum non videri.

Dices 3. Reflexio fit per lineam rectam, & tamen tunc à quacunque parte videtur objectum.

Respondetur. Fieri reflexionem etiam per lineam sphæram referendo id in naturam refringendarum specierum, ita ut quædam quidem reflexio, fiat per lineam rectam ut cum reflectitur calor, aliquando autem fit reflexio quæ sequitur meram conditionem specierum, diffundendo se in sphæram, sicut in sphæram diffundunt se species.

Et hæc de Anima aliisq; Materiis, A. M. D. G. dicta sunto.
B. M.

INDEX I.
Titulorum.

TRACTATUS

De Anima. pag. 1

DISPUTATIO I.

De Anima ut sic, & ejus divisionibus. ibid.

QUÆSTIO I.

De Anima prout est vita. 3

DIFFICULTAS I.

Quid definitivè vita. ibid.

Punctum Difficultatis 1.

Adferuntur aliorum explicationes. 5

Punctum Difficultatis 2.

Explicatur ratio vitæ. 7

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur objectiones. 8

DIFFICULTAS II.

De iis quibus competit vita 10

Punctum Difficultatis 1.

Species suntne quid vitale. ibid.

Punctum Difficultatis 2.

Quid sentiendum de habitibus. 12

Punctum Difficultatis 3.

Quid sentiendum de Motu. 14

DIFFICULTAS III.

Quale sit prædicatum vitalitas. 15

QUÆSTIO II.

De divisione animarum & subjectis. 18

DIFFICULTAS I.

Animaturne sanguis. ibid.

Punctum Difficultatis 1.

Proponuntur argumenta partis negativæ. ibid.

Punctum Difficultatis 2.

Rationes pro animatione sanguinis. 19

DIFFICULTAS II.

De aliis quænam animentur. 22

QUÆSTIO III.

De potentiis Materialibus. 23

DIFFICULTAS I.

Potestne sensus ferri in objectum absens. ibid.

DIFFICULTAS II.

De potentia visus tactus illasque concernentibus. 25

DIFFICULTAS III.

De sensibus materialibus internis. 26

Punctum Difficultatis 1.

De variis actionibus sensus Communis. 27

Punctum Difficultatis 2.

An in sensu interno dentur species insensatæ? 28

Punctum Difficultatis 3.

Decidditur tota difficultas. 30

DISPUTATIO II.

De anima Rationali secundùm se. 33

QUÆSTIO I.

De spiritualitate animæ. ibid.

QUÆSTIO II.

De indivisibilitate animæ rationalis. ibid.

DIFFICULTAS I.

Quid tenendum de anima rationali. ibid.

DIFFICULTAS II.

An soli animæ rationali indivisibilitas competat? 35

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum de animabus perfectorum animalium ibid.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur argumenta Recentiorum. 36

Punctum Difficultatis 3.

Explicantur variæ authoritates. 38

DIFFICULTAS III.

Qualesnam partes animarum divisibilium. 39

QUÆSTIO III.

Quomodo animæ rationales inter se distinguuntur? 41

DIFFICULTAS I.

Decisio quæstionis. ibid.

DIFFICULTAS II.

Possuntne dari specie distincta, & tamen æqualis perfectionis. 42

DIFFICULTAS III.

Solvuntur Objectiones. 44

QUÆSTIO IV.

De potentiis animæ Rationalis. 46

DIFFICULTAS I.

Quomodo distinguuntur ab anima & quomodo principient actiones. ibid.

Punctum Difficultatis 1.

Influeretne anima in operationes si distingueretur à potentiis. 50

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones. 52

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo influunt partes potentiarum divisibilium in operationes. 53

DIFFICULTAS II.

De potentiis prout receptivis operationum. 54

DIF-

DIFFICULTAS III.
De specificatione potentiarum. 57

DISPUTATIO III.
De intellectu & intellectione in communi. 59
QUÆSTIO I.
De intellectu secundùm se. ibid.
DIFFICULTAS I.
An sit possibilis intellectus materialis & an omnis substantia spiritualis sit intellectiva. 61
DIFFICULTAS II.
An sit possibilis intellectus determinatus nonnisi ad unum cognoscendum. ibid.
DIFFICULTAS III.
An omne intellectivum sit volitivum. 62
Punctum Difficultatis 1.
Eximinantur implicantiæ. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Continuatur difficultas. 65
Punctum Difficultatis 3.
Quid sentiendum de fundamentis in oppositum. 66
QUÆSTIO II.
De intellectione in communi. 68
DIFFICULTAS I.
An intellectio producatur actionem distinctam. ibid.
DIFFICULTAS II.
In quonam consistat intellectio. 71
Punctum Difficultatis 1.
An intellectio consistat in actione. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Solvuntur Objectiones. 73
Punctum Difficultatis 3.
An intellectio consistat in qualitate producta. 74
DIFFICULTAS III.
Verbum mentis quomodo se habeat ac objecta intelligenda. 76

DISPUTATIO IV.
De intellectionibus in particulari. 80
QUÆSTIO I.
Quid intellectio intellectiva & abstractiva. 81
DIFFICULTAS I.
Quid per alios dictæ intellectiones. ibid.
DIFFICULTAS II.
Continuatur eadem Materia. 83
DIFFICULTAS III.
Explicatur quid intuitiva. 85
QUÆSTIO II.
De notitia comprehensiva. 86
QUÆSTIO III.
De aliis notitiis. 87
DIFFICULTAS I.
Quænam intellectiones possunt secum stare. 88
Punctum Difficultatis 1.
Proponuntur fundamenta quod assensus & dissensus secum stare non possint. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Deciditur difficultas. 91
Punctum Difficultatis 3.
Utrum stare secum possint scientia & opinio? 93
DIFFICULTAS II.
Quæ motiva in intellectione secum stare possunt. 94
Punctum Difficultatis 1.
Quid tenendum. 96
Punctum Difficultatis 2.
Solvuntur Objectiones. 98
Punctum Difficultatis 3.
De reliquis hanc materiam concernentibus. 101

DISPUTATIO V.
De voluntate & volitione in communi. 102
QUÆSTIO I.
Quod objectum & quæ natura voluntatis. ibid.
DIFFICULTAS I.
An solum bonum moveat voluntatem. 104
Punctum Difficultatis 2.
Solvuntur Objectiones. 105
Punctum Difficultatis 3.
An malum qua malum itemque indifferens possit prosequi voluntas. 107
DIFFICULTAS II.
De dependentia volitionis à cognitione. 110
Punctum Difficultatis 1.
An cognitio sit principium effectivum volitionis & an imperet voluntati intellectus. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Qualis notitia sit necessaria ad actum voluntatis rationalis. 112
Punctum Difficultatis 3.
An voluntas possit fieri in cognitum. 114

DISPUTATIO VI.
De actibus voluntatis in particulari. 118
QUÆSTIO I.
De intentione & electione. ibid.
DIFFICULTAS I.
An eodem actu possit velle voluntas media & finem æque directe. 120
DIFFICULTAS II.
An sit liberâ vel necessaria electio sequens intentionem efficacem. 123
Punctum Difficultatis 1.
Præmittuntur quædam. ibid.
Punctum Difficultatis 2.
Expenduntur argumenta affirmantium libertatem electionis. 124
Punctum Difficultatis 3.
Argumenta oppositæ partis & decisio difficultatis. 125
DIFFICULTAS III.
An electio velit semper majus bonum. 126

QUÆ-

QUÆSTIO II.
De actu imperante & imperato. 128
DIFFICULTAS I.
An voluntas uno suo actu possit imperare alium. ibid.
DIFFICULTAS II.
De libertate actus imperati. 129
DIFFICULTAS III.
De influxu actus imperantis in imperatum. 132
QUÆSTIO III.
De libertate voluntatis. 134
DISPUTATIO VII.
De habitibus & speciebus. 134
QUÆSTIO I.
De subjecto habituum. ibid.
DIFFICULTAS I.
An dentur habitus in intellectu. ibid.
DIFFICULTAS II.
An dentur habitus in voluntate. 137
DIFFICULTAS III.
Danturne in appetitu sensitivo & phantasia habitus. 139
QUÆSTIO II.
De concursu habituum ad actus. ibid.
DIFFICULTAS I.
Explicatur quomodo habitus possit concurrere formaliter ad actus. ibid.
DIFFICULTAS II.
An habitus concurrat etiam effectivè. 143
DIFFICULTAS III.
Solvuntur Objectiones. 143
QUÆSTIO III.
De causis habituum intensione, corruptione. 147
DIFFICULTAS I.
De causis habituum. ibid.
DIFFICULTAS II.
De intensione & conservatione habituum. 149
DIFFICULTAS III.
De corruptione habituum. ibid.
QUÆSTIO IV.
De speciebus in commune. 150
DIFFICULTAS I.
An dentur & quid sint species. ibid.
DIFFICULTAS II.
De aliis naturam concernentibus specierum & earum divisione. 151
DIFFICULTAS III.
Quomodo concurrunt species impressæ. 153
QUÆSTIO V. 155
De speciebus in particulari.
DIFFICULTAS I.
An dentur species intellectuales & quomodo producantur. ibid.
DIFFICULTAS II.
De speciebus sensus interni. 157
DIFFICULTAS III.
De speciebus sensuum externorum. 158

INDEX II.

Conclusionum.

DISPUTATIONE I.

De Anima ut sic & ejus divisionibus subjectis.

DAtur Anima definitivè ex Aristot. est Actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis. Nomine corporis venire potest totum compositum. Item Materia.

In definitione: quid sit vita. Non attenditur principaliter quid vivat, sed ad immanentiam & adproficisci ab intrinseco. Vita in actu primo, non dicit essentialiter immanentiam unionis, dicit tamen immanentiam principiativam.

Quid per alios vita. Per nos vita in actu primo: Est principium, per quod subjectum, vel si mavis dicere substantia, in suo esse connaturali constituta, exercet operationes immanentes, per se, ab intrinseco. Et exinde inferes: Cur ignis non vivat augmentando se, vivat autem animal nutriendo se, & alia similia.

Pensatis rationibus utriusque partis: An scilicet vitaliter producantur species. Defenditur productio specierum esse vitalem. Ipsæ tamen species impressæ, non sunt quid vitale.

Habitus naturales sunt formaliter vitales, in sententia quæ illis tribuit concursum effectivum in actus, non tamen sunt vitales habitus supernaturales infusi.

Potentia loco motiva est vitalis, motus item in sententia modalistarum. Impulsus autem, qui producitur, per motum impellentis vitalis, producitur quidem actione vitali, sed non productus, à sola v.g. gravitate.

Actus vitalis quà talis, seu retenta vitalitate non potest adeo suppleri, vel ab alia potentia distincta. Secus secluſa vitalitate.

De divisione Animarum.

Dividitur Anima in vegetativam, sensitivam, rationalem. Quæ, si sumatur intellectuale, prout est à parte rei, secundùm sic sumptum intellectuale, informat anima rationalis, corpus. Si autem intellectivum, formaliter sumatur, secundùm ita sumptum intellectivum, non informat illud. Infusionem animæ rationalis, non præcedit Anima aliqua vegetativa.

De subjectis Animæ.

Propositis argumentis partis, negativæ & affirmativæ. Infertur, sanguinem non animari. Animantur ossa. Dentes. Capilli. Ungues.

De

De potentiis Materialibus.

Potentiæ materiales externæ, non percipiunt naturaliter objectum absens, percipere possunt divinitus. Visio non fit per emissionem radiorum. Ut videat oculus sufficit objectum esse illuminatum. Tactus sentit qualitatem, etiam inhærentem. Datur sensus internus. Cur ita dictus. Identificatur animæ. Cur bruta per alios terreantur v. g. umbram. Cur v. g. ursus seligit commodiores lapides.

Pensatis rationibus an dentur species insensatæ. Deciditur, quòd sensus internus, attingat objecta insensata.

DISPUTATIONE II.

De Anima rationali secundum se.

CONvenit Animæ rationali spiritualitas. Indivisibilitas item tam in partes essentiales, quàm in integrales. Perfecta animalia habent animas indivisibiles. Divisibiles imperfecta, non tamen in partes Heterogeneas.

Est dabilis sensus, in quo intrà eandem speciem, possint dari Animæ rationales, una, perfectior individualiter, præ altera. In alio sensu non possunt dari. Probatur: quòd possint dari specie distincta & tamen æqualis perfectionis, sed & quod non possint dari, sed pro Affirmativa habetur sufficiens fundamentum, licèt negativum.

De Potentiis Animæ.

Potentiæ Animæ non distinguuntur realiter ab anima. Et quamvis distinguerentur, adhuc anima immediatè influeret in operationes. Sensatio facta in oculo, non exercetur ab anima bruti posita in pede.

Actus immateriales immediatè recipiuntur in anima rationali. Materiales ne quidem inadæquatè sive distinguantur sive non distinguantur potentiæ ab anima rationali, specificantur intrinsecè, à sua entitate. Extrinsecè ultimato ab objecto Immediatius per actus. Casu quo potentiæ distinguerentur realiter ab anima, probabile est, fore illas distinctas specie intrinseca, secundùm distinctionem animarum.

DISPUTATIONE III.

De Intellectu & intellectione in Communi.

QUid intellectus. Quod ejus objectum. Quotuplex. Quæ ejus munera.

Non potest dari ulla implicantia, quæ probat impossibilitatem intellectus, determinati, nonnisi ad unum cognoscendum. Sed nec ullum fundamentum positivum, quòd sit possibilis talis intellectus. Circa quæstionem: An omne intellectivum sit volitivum neutra pars habet, positivum fundamentum demonstrativum, non tamen hæc duo separati possunt.

De Intellectione in Communi.

Intellectio quæ reddat intelligentem eum qui eam producit, non fit distincta actione. Et si foret distincta à termino seu qualitate producta, non foret formaliter intellectio. Requiretur tamen tanquam prærequisitum necessarium. Intellectio creata consistit in qualitate producta. Verbum mentis non est medium in quo noscatur objectum. Variæ appellationes intellectionis. Comparantur inter se verbum increatum cum creato. Et quî producatur creatum.

DISPUTATIONE IV.

De intellectionibus in particulari.

COpula, in propositione, necessariò habet respondentem solo objectivam identitatem, adeoq; objectum. Judicii non sunt sola extrema. Judicium secundæ & tertiæ operationis, est qualitas indivisibilis. Quid per alios. Quid per nos intellectio intuitiva & abstractiva.

Omnis notitia comprehensiva est intuitiva. Alia inadæquata comprehensiva, alia adæquata. In objecto comprehensivæ, semper debent nosci primò essentialia prædicata, non semper secundo essentialia. Licèt hæc interdum debeant comprehendi.

Quænam intellectiones stare secum possint.

Quod assensus & dissensus non possint circa idem objectum naturaliter secum stare, certum est. Non demonstratur tamen, quòd non possint secum stare. Demonstratur id de assensu, circa idem objectum. Actus scientiæ potest stare cum opinione, etiam extrinsecam formidinem habente. Possibile est unum eandemq; actum ex duobus motivis fieri v. g. scientiæ & opinionis. Casu quo concurreret motivum scientificum & motivum fidei, habetur fundamentum, quod motivum scientificum elevari possit à motivo fidei ad producendum actum supernaturalem, vis tamen similis, non est tribuenda scientiæ, respectu motivi v. g. opinionis.

DISPUTATIONE V.

De voluntate & volitione in Communi.

VOluntas non est distincta realiter ab intellectu. Potest esse actus fugæ, formaliter, nonnisi propter malitiam. Omnis actus persecutionis, est virtualiter actus fugæ & è converso.

Hinc

Hinc & objectum voluntatis ut sic erit volibile, commune bono & malo. Malum, itemque indifferens si vestiatur ratione boni, potest terminare actum prosecutionis. Secus si non vestiatur. Aliquo sensu non potest circa indifferens objectum versari voluntas, aliquo potest.

De dependentia volitionis à cognitione.

Cognitio non est principium effectivè concurrens ad voluntatis actus. Influit tamen per modum efficientis impropriè. Si daretur imperium quo imperaret intellectus voluntati actum ejusdem, illud imperium, deberet esse aliqua, ex tribus, operatio. Etiam ex simplici apprehensione, sequi potest volitio, licèt voluntas ad perfectius operandum, indigeat judicio. A cognitione sensitiva, non potest connaturaliter moveri voluntas, potest supernaturaliter.

Non potest naturaliter ferri voluntas in incognitum. Sed an id divinitus facere possit, pro neutra parte adfertur fundamentum demonstrativum.

DISPUTATIONE VII.

De Actibus voluntatis in particulari de-Intensione.

POst propositum objectum voluntati, primus ejus actus, est inefficax, eum, qui postea sequuntur actus. Potest dari aliquis actus, qui sit intentio, objecti, sine ulla inquisitione mediorum, nec constituitur intentio, connotatione mediorum. Licèt formalis electio non possit esse sine actuali habitudine ad finem consequendum. Potest voluntas eodem actu & æquè directè velle media & finem. Quando est distinctus actus intentionis ab electione, non est necesse in se physicè durare intentionem quando est Electio. Licèt virtualiter durare debeat. Electio duplex cogitari potest. Potest salvari circa unum medium. Quid intentionis efficacia. Circa quæstionem: An posita intentione finis, maneat libertas in electione, expensis argumentis affirmativæ. Et negativæ partis, inferendum erit: quòd intentio efficax non adferat ullam necessitatem, quæ auferat libertatem. Non necessitatur voluntas, ad prosequendum, nonnisi majus bonum.

De actu imperante & imperato.

Potest voluntas imperare sibi alium actum. Actus imperatus, est actus liber. Imperans in imperatum non influit per modum principii Physici elicitivi. Influit tamen nonnisi mediante cognitione.

DISPUTATIONE VIII

De habitibus & speciebus.

QUid habitus. Quæ ejus divisio. Quod subjectum. Præter species intensas ordinatas & radicatas, dantur habitus in intellectu. Dantur & in voluntate. Probabilius est non dari illos in potentia sensitiva & phantasia. Explicatur quomodo habitus possit concurrere formaliter ad actus. Concurrit etiam effectivè.

De causis habituum, &c.

Probabilius est, quòd habitus producantur à potentia, cujus sunt habitus, posito actu vel actibus. Potest sustineri, quòd actus, dispositivè tantùm concurrant ad productionem habitus. Potest Volitivæ & Intellectivæ intendi habitus. Etiam ab actu remissiori. Conservatur habitus à sua potentia, indiget ad conservationem sui, exercitio actus. Non corrumpuntur formaliter habitus positione actuum contrariorum. Etiam contrarii habitus, compatiuntur se in gradu remisso.

De Speciebus.

Dantur species, sunt illæ qualitates loco objecti completivæ potentiarum, in ordine ad percipiendum objectum. Species impressa non est similitudo formalis objecti. Hæc materialis, nec spiritualis, est ejusdem conditionis cum objecto. Datur impressa & expressa. Concurruntne effectivè ad actum species impressæ.

Dantur species impressæ intellectuales relictæ ex cognitionibus transactis. Dantur item in ordine ad objecta sensibus non perceptibilia. Danturque absolutè. Posito duplici phantasmate materiali hoc est phantasmate impresso, & expresso, probabile est, quòd solum expressum, concurrat ad productionem speciei spiritualis impressæ. Nullum est fundamentum tribuendi, quòd phantasma materiale producat speciem spiritualem effectivè. Sufficit ei tribuere concursum in genere causæ formalis extrinsecæ. Dantur in sensu interno species relictæ ex actionibus ejusdem. Et ex actionibus sensuum externorum. Non est tamen ita certum, quòd ut sensus internus cognoscat sensationes externas quæ actu exercentur, quod nunquam in ordine ad hoc indigeat speciebus.

Dantur species visibiles. Auditus &c. Probabiliter reliquorum sensuum. Non solum objectum ut est secundum se. Nec solæ species, sed objectum speciebus repræsentatum attingitur à sensibus.

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN